~~146~~

128

24-1-72

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala: B
Estante: 55
Tabla:
Número: 10

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: B
Estante: 45
Número: 55

Nº

3
31-45

2 400 40 Jafta MADE IN SPAIN

i16474776

Del Collegio de la Compª. de Jesus de Granada. B.ª R. 5166

DE PROBATIS SANCTORVM HISTORIIS, PARTIM EX TOMIS ALOYSII LIPOMANI, DOCTISSIMI EPISCOPI, PARTIM ETIAM EX EGREGIIS MANVSCRIPTIS CODICIBVS, QVARVM permultæ antehàc nunquàm in lucem prodiêre, optima fidę collectis per F. LAVRENTIVM SVRIVM Carthusianum domûs Colonienſis, Et nunc recèns recognitis atque aliquot Vitarum acceſſione auctis per F. IACOBVM MOSANDRVM eiuſdem Carthuſiæ monachum,

TOMVS QVARTVS, COMPLECTENS SANCTOS MENSIVM IVLII ET AVGVSTI.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

COLONIAE AGRIPINAE,

Apud Geruinum Calenium & hæredes Quentelios, Anno M. D. LXXIX.

Cum priuilegio PII. V. Pontificis Maximi, & CAESAREAE Maieſtatis in decennium.

PIVS PAPA V.

DILECTO FILIO F. LAVRENTIO CARTHVSIANO.

DILECTE fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Librum, sanctorum Patrum vitas continentem, à te nuper editum, atq; ad nos missum, libentissimè accepimus: qui quidē eo etiam gratior nobis fuit, quòd opus in se cōtinet à nobis semper desideratum, & ad refellenda hęreticorum in easdem sanctorum Patrum historias maledicta, aptissimum. Laudamus vehementer pium hunc laborem tuū, teque, quòd coram Domino vacuus apparére nolueris, sed in eius Domum, pro facultate tibi ab eo concessa, quicquid potueris, vltrò obtuleris, debitis in Domino laudibus commendamus: cuius tamen laudabilis laboris tui gloriam in primis ei tribuendam esse memento, à quo accepisti & velle & perficere: quod & à nobis, & ab omnibus pijs & Catholicæ religionis studiosis meritò laudaretur. Hortamur autem te, vt huiusmodi opere prosequendo, & de Ecclesia Dei benè mereri, & tibi apud omnipotentem Deum merita augere nè desistas, securus, te à Redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 2. Iunij, M.D.LXX. Pontificatûs nostri Anno Quinto.

T. Aldobrandinus.

PIVS PAPA V. DILECTO FILIO GERVINO CALENIO TYPOGRAPHO COLONIEN.

DILECTE Fili Salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm tu, sicut accepimus, nonnullos de probatis Sanctorum historijs à dilecto filio Laurentio Surio optima fide collectis, necnon alios Tomos seu libros dilecti filij Petri Canisij presbyteri seu religiosi Societatis IESV, de doctrina siue Institutione Christiana inscriptos, vnà cum certis Annotationibus, nōdùm impressos, tua impensa imprimi facere desideres: Nos tibi, quem in excudēdis huiusmodi Tomis seu libris graues impensas subire necesse est, nè ex beneficio omnibus Christi fidelibus collato detrimētum aliquod sentias, opportunè prouidere, ac te in tuo laudabili & Reipub. Christianæ perutili proposito confouere volentes, & à quibusuis Excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibèt innodatus existis, ad effectū præsentium dūtaxàt consequendum, harū serie absoluentes & absolutū fore censentes: Motu proprio nō ad tuam vel alicuius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia & mera deliberatione nostris tibi Tomos seu libros præfatos per te vel alium seu alios imprimendi, & impressos vendendi licentiam & facultatem plenam & liberam Apostolica authoritate per præsentes concedimus: Necnon omnibus & singulis impressoribus, librarijs, & mercatoribus tam in Italia quàm extra Italiā constitutis, in virtute sanctæ obedientiæ & sub Excōmunicationis sententiæ, necnon in terris sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiectis, sub amissionis Tomorū seu librorū huiusmodi, ac mille ducatorū auri de Camera, pro vna Cameræ Apostolicæ, & altera medietatibus tibi, tuisq; hæredibus & successoribus irremissibiliter loco damnorū applicandorum pœnis, per alios absq; tuî & hæredum vel successorum tuorū expresso mandato aut licentia habita excudentes, seu imprimentes, aut vendentes, totiès quotiès id fecerint, eo ipso incurrendis, nè eosdem Tomos seu libros infra decennium proximè futurum ab illorum impressione computandum, in quibusuis literarum characteribus, aut parua, mediocri, seu magna, vel alia quacunq; forma alicubì imprimere, neq; per alios impressos vendere absq; expressa tuî vel hæredum & successorum præfatorū licentia vel consensu audeant vel præsumant, & ità per quoscunq; iudices & commissarios quauis authoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, interpretandi facultate & authoritate, iudicari & diffiniri debere: Ac quicquid secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus: Mandantes nihilominùs Motu simili sub interdicti Ecclesiastici & ingressus ecclesiarum Venerabilibus Fratribus nostris Colonien. & quorūuis aliorum ciuitatum & locorum Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs illorum vicarijs seu officialibus, legatis, vel Vicelegatis, ac sub primò dictis pœnis, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs quibusuis Iudicibus quibuscūque authoritate & officio fungentibus, quatenùs quotiès pro parte tua, & successorū tuorum, vel alicuius eorum huiusmodi fuerint requisiti in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra inhibitionem præfatam inuiolabiliter obseruari: ac te, tuosque hæredes & successores præfatos huiusmodi, illorumque singulos concessione pacificè frui & gaudere: Ac

impreſſores, librarios, mercatores, fautores, ſcientes & non reuelantes, quos inhibitioni præfatæ contraueniſſe eis conſtiterit, excõmunicationis & alias ſententias, cenſuras & pœnas huiuſmodi incurriſſe declarent, ac pro talibus publicè nunciari mandent, & faciant contradictores quoſlibet & rebelles per eaſdem cenſuras & pœnas appellatione poſtpoſita, compeſcendo: inuocato etiam ad hoc, ſi opùs fuerit, auxilio brachij ſecularis: Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, Priuilegijs quoquè, Indultis, & literis Apoſtolicis ſuper imprimendorum Tomorum facultate quibuſuis perſonis cuiuſcunque dignitatis & præeminentiæ exiſtentibus etiam motu & ſcientia ſimilibus, ac ſub quibuſuis tenoribus & formis, necnon clauſulis & decretis conceſſis: Quibus omnibus etiamſi de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua: non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dũtaxàt ſpecialiter & expreſsè derogamus: Aut ſi impreſſoribus, librarijs, & mercatoribus præfatis vel quibuſuis alijs, communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem & eadem authoritate decernimus præſentium literarum tranſcripta in ipſis Tomis impreſſa in iudicio & extra ſufficere, & plenam fidem facere, regula contraria non obſtante. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIIII. Septembris, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

S. N. D.

S. N. D. GREGORIO XIII.

PONTIFICI MAXIMO, ÆTERNAM A DEO SALVTEM ET FELICITATEM.

NON abſque ſingulari Dei prouidẽtia, & erga Eccleſiam ſuam eximio amore id euenisſe, vt dum hæreſes & ſectæ aliæ ex alijs natæ, & nihilo minùs inter ſe horrendũ in modum diſſectæ, eam ipſam Eccleſiam, quæ toto orbe terrarum non niſi vna eſt, immaniter oppugnant & exagitant, non pauci alij alijs ſuccederent optimi paſtores, nempe Romani Pontifices, nemo eſt, qui non videat, niſi valdè mentis inops ſit. Vt enim neceſſarius eſt naui, inter ſæuas tempeſtates mare ſulcanti, prudens & benè peritus nauclerus: ità ſanè ac multo etiam magìs laboranti Eccleſię niſi adſit ſapiens gubernator, in ſummis eam periculis verſari neceſsè eſt. Atque, niſi fallor, hocipſum eſt, quod cruentiſſimum animarũ hoſtẽ diabolum vehementer impellit, vt omnes horũ temporum nouatores, cùm alioquì inter ſe odioſiſſimè diſſideant, in eo tamen magno ſtudio conſpirare faciat, vt Romanos Pontifices, quibus non ignorat totius ouilis Dominici curam, ab ipſo Chriſto in Petro demandatam, miro odio infectẽtur: & Iohan. 21. quo nihil poſſit fingi atrocius, inter cætera etiam Antichriſtos eos per ſummam contumeliam appellent. Et certè effecerunt illi apud permultos, vt nõ alio, quàm Antichriſti, loco habeant Pontificem Maximũ, etiamſi ille viuat ſanctiſſimè. Dolendũ profectò, homines Chriſtianos eò adduci potuiſſe, vt tam malè de Eccleſiæ paſtore ſentiant: ſed interìm tamen Pontifici nocent prorsùs nihil, ſibijpſis plurimùm. Poſtquàm enim authoritatem Pontificis ſibi negligendã putârunt, iuſto quidẽ, ſed multùm expaueſcẽdo Dei iudicio in varias opiniones, ſectas, hæreſes diſtracti ſunt, labunturque ex alijs erroribus in alios, ſeſeque malignis dæmonibus effusé irridendos propinant. Ea res quantam perniciem ampliſſimis regnis attulerit, intrà annos nõ adeò multos, puto omnes intelligere. Nec tamẽ vnquàm his malis remediũ adhiberi poterit, niſi agnoſcatur vnus aliquis totius Eccleſiæ paſtor, qui alius eſſe nõ poteſt, niſi Petri ſucceſſor, cui vni dictũ eſt à Domino, Paſce oues meas: Iohan. 21. vt ſanè iam dubium nulli eſſe queat, qui à Petri ſucceſſore, id eſt, (vt ſemper totus ſenſit orbis Chriſtianus) Romano Pontifice paſci nolint, eos Chriſti oues dici non poſſe. Atque vtinàm non re ipſa, qui ciuſmodi ſunt, plùs ſatis declararẽt, ſeà Chriſto eſſe alienos. Si enim Chriſti oues eſſent, eius quoquè ſpiritu vegetarentur, & quemadmodùm non niſi vnum colunt Deum, ità etiam non niſi vnam complecterentur fidem, in ea conſtanter permanerẽt, idem ſaperent, idipſum ſentirent, & non eſſent in eis ſchiſmata. Iam verò quandò tam miſerè inſtàr paruulorum fluctuantiũ modò hanc, modò illam profitentur fidem, & alij hos, alij illos ſequuntur magiſtros, inter ſe perpetuò corrixantes, omnibus planè teſtatum efficiunt, quàm nihil habeant cõmercij cum Chriſto, qui vtiquè non diſſenſionis eſt Deus, ſed pacis. Sed in hos 1. Cor. 14. labyrinthos conijciuntur illi per ſuos concionatores & magiſtros, è quibus nõnulli, vt aiunt, ità prẽclarè ſe nôrunt accommodare tempori, vt cùm Caluinum animo ſectentur, Luterum ore crepent, alium Chriſtum domì, alium foris

foris prædicantes, homines scilicet simplices & cãdidi: quos plerique incauti dum audiũt, non putãt eos aliter sentire, quàm doceant: sicque fit, vt dum sibi videntur esse in tuto, quòd acquiescãt in doctrina Præceptorũ suorũ, ab illis ipsis præceptoribus planè dissentiant. Etsi autem Luterani dogmatistæ accuratè dant operã multis locis, nè prostent libri Caluiniani: non tamen possunt efficere, quin multi clàm eos habeant & lectitent, illectique Caluini blandiloquentia, contempto Lutero, ad eius partes sese adiungant, sicque ex Luteranis fiant Caluinistæ. Nec vident homines infelicissimi, quàm pessimè sibi ipsis consulant, dum ità leuiter quod antè probârant, iam improbãt, paulò pòst, si in aliũ dogmatistã incidant, eum secuturi, etiãsi à Lutero & à Caluino ille discrepet, vel certè rursùs à Caluino ad Luterũ defecturi. Quàm verò longè absunt ab his grauissimis periculis, qui intrà vnã sanctã Catholicam Ecclesiam sese continent, cuius est constans & semper sui similis fides & doctrina, cui Christus & promisit & misit doctorẽ, spiritũ veritatis: quem non habent, qui ab hac Ecclesia se separant. Et est sanè sapienter ab Cypriano dictũ, non posse eum Deum habere patrem, qui non habet Ecclesiã matrem. Sed hìc se prodit intolerabilis hæreticorũ impudentia, qui singuli sibi & suis synagogis huius Ecclesiæ nomen vendicant: Mira verò & nunquàm satis deploranda miserorum hominũ cæcitas, qui simul atquè existit aliquis nouã doctrinã adferens, modò audiant illum crepare verbũ Dei, eum amplectuntur, & vt omnibus in prospectu est, incredibili leuitate abeunt in sectas tam multas, vt vix aut ne vix quidẽ certo numero cõprehẽdi possint: & cùm nulla ferè cum alia consentiat, singulæ tamen, Ecclesiæ nomine gloriãtur, in hoc certè bellè inter se conuenientes, quòd omnes pertinaciter oderũt Romanum Pontificẽ, quo tamen vno signo facilimè potest internosci, eos ab Ecclesia excidisse, quippe cuius pastorẽ non agnoscũt, quem vniuersus orbis Christianus semper agnouit, vt est à Catholicis abundè non vno loco demonstratum, nec Epistolaris angustia patitur ea nos hìc repetere. Si ergò rectè ac meritò Ecclesiæ nomen vsurpare sibi volunt, ad eam Ecclesiam redeãt necesse est, quæ sub vno pastore Romano Pontifice vnam fidẽ constantissimè profiteretur, atque in ea fide veram sectatur pietatẽ & sanctimoniam. Non audiant illos, qui nemini succedentes, sed à seipsis incipientes, alieni, vt inquit Cyprianus, fiunt & prophani, Dominicę pacis ac diuinæ vnitatis inimici: non habitantes in domo Dei, id est, in Ecclesia Dei, in qua non nisi concordes atque vnanimes habitãt. Puto equidẽ permultos etiam ex illis, qui ab hac Ecclesia recesserũt, iam planè pertæsos huius plusquàm Babylonicæ cõfusionis, quæ in ditiones Christianorum cum innumerabilium animarum certissima damnatione irrepsit, atque in dies latiùs serpit, posteaquã Romani Pontificis authoritas cõtemni cœpit. Certè Melanchthon quodam loco de ipsis suis discipulis & symmystis scribit, eos maiorẽ, magìs intolerabilem & minùs excusabilẽ authoritatem ac potestatem sibi vẽdicare, quàm Papa Romanus vnquàm. Rogandus profectò est & multũ rogandus præpotens Deus, vt homines miserè euersos & distractos ac dissipatos velit reducere in ouile suũ. Magna arte egit diabolus, vt per homines astutos persuaderet ignaris, sola fide nos iustificari. Hac enim doctrinæ facilitate innumeros in suã nassam pertraxit, qui alioquì sua sponte in vitia procliues, Ecclesiæ Catholicæ doctrinã, bona opera, pœnitentiam, virtutũ studiũ, & pleraque id genus alia carni

carni & sanguini molesta exigentẽ, atq; ea causa seueriorẽ, minusq; iucundã & plausibilẽ, facilè repudiârũt. Et tamẽ nõ aliter docuit Christus ipse & Apostoli eius, q̃cquid blaterẽt pseudoprophetæ. Ecquis verò hãc solius fidei p̃dicationem fructus cõsecutus est? Nimirũ tanta omniũ flagitiorũ licẽtia, vt ipse Luterus fateatur, suæ sectæ homines decuplo Sodomitis euasisse deteriores. Nec hìc testibus opùs est, res ipsa loquitur. Longè aliter Christus, eius Apostoli & sancti oẽs, verbis & factis nos instituerũt: quorũ omniũ ea semper sententia fuit, domandã esse carnẽ, contẽnendas voluptates, cũ timore & tremore curandã animæ salutẽ, vigilãdum aduersùs insidias diaboli, deniq; nunq̃ vacandũ ocio, sed p̃ pietate multos & labores & dolores suscipiendos. Quàm verò id illi nõ senserint modò, sed etiã præclarè præstiterint, docẽt eorũ vitę, quarum Tomũ quartũ voluimus S.T. Põtifex optime maxime, dedicatum: quẽ nõ sine singulari nutu diuino, Pio V. sanctissimo Põtifici successisse, tota Christi Ecclesia gratulatur. Exigebãt hęc infelicissima tẽpora, vt rebus Ecclesiæ afflictis optimi & integerrimi gubernatores adhiberẽtur. Et mihi sanè nõ temerè factũ videtur, q̃ S.T. Gregorij nomẽ sibi imponere voluit: immò verò ex eo ipso in magnã spem plerique veniũt, fore, vt quẽadmodùm olim tres illi primi Gregorij Põtifices, Germaniæ nostræ ad Christianã religionẽ traducẽdę permagnã opem attulêre, ità T.S. Deo ipsam benè iuuãte, id quandoq; efficiat, vt Germania ante has turbas Romanæ Sedis obseruãtissima, ad pristinã religionis integritatẽ & concordiã reuocetur. Audimus S.T. multũ in eius rei curã & cogitationẽ incũbere. Nõ deerit gratia Christi tam sanctis conatibus. Nec est desperandũ de Germania, in qua sunt hodieq; multi graues & cõstantes viri. Fuerũt, fateor, p̃multi parũ memores pristinæ illius virtutis & grauitatis Maiorũ suorũ: sed nõ est difficile Christo eam illis adspirare mentẽ, vt cupiãt eorũ esse similes potiùs, q̃ velint degeneres videri. Plurimũ ad eos reducendos cõferet S.T. vita integerrima & mores inculpati. Est enim ea virtutis p̃stantia, vt etiã malos rapiat in admirationẽ suĩ. Atq; est reuerà ea tẽporum horũ conditio, vt cũ illis, qui sub p̃textu Euãgelij in multos errores inducti sunt, nõ tam verbis agendũ sit, q̃ exẽplis. Facilè enim ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatẽ redibũt ab ea p̃ fraudẽ abducti, si in Catholicis videãt vitã nihil à doctrina discrepare, si eorũ exẽplis discãt fieri posse, quod docẽt. Qua in re S.T. omnibus egregiè p̃lucet, magno sanè pudore afficiẽs eos om̃es, qui se ad eius imitationẽ p̃ viribus cõponere nolint. Turpe est enim filijs, ab optimo parẽte degenerare. Vt verò etiã ego nõnihil p̃ mea virili portione p̃starẽ, sanctorũ vitas iam aliquot annis colligẽdas suscepi: quę p̃fectò magnã habẽt vim ad animos hominũ p̃mouendos. Adhibui autẽ delectũ haud vulgarem, vt eas dũtaxàt ederẽ, q̃ grauiter cõscriptæ viderẽtur. Quòd si nec sic omnibus satisfactũ erit, & homines, p̃sertim morosuli & delicatuli, alias p̃lixiores, alias breuiores dictitabũt, & modò hæc, modò illa in alijs atq; alijs desiderabũt: mihi hoc sufficiet, q̃ nõ tam studio mihi fuerit vt placerẽ, q̃ vt p̃ desem. Qui verò ad carpẽdũ prõptiores erũt, illi tũ deinũ nõ temeritate, sed iudicio id feciss̃e putabũtur, vbì ipsi p̃clarius aliq̃d nobis exhibuerint. Me suscepti laboris huiꝰ nunq̃ pœnitebit, si intellexero eũ S.T. p̃bari: cui prõptissimo & obsequẽtissimo animo quartũ hũc Tomũ nũcupatũ volui, Christũ Deũ orans & obsecrãs, vt eã laborãti Ecclesię in multos annos cõseruet incolumẽ, & om̃nibus reb⁹ bonis eximiè florentẽ. Ex Carthusia Colonien. 14. Feb. Anno 1573.

S.T. seruus obseruantiss.

F. Laurentius Surius Carthusianus.

EIDEM SANCTISS. DOMINO NOSTRO GREGORIO XIII. SEMPITERNAM A DEO GLORIAM.

QVANTO cum applauſu, beatiſſime Pater, labores chariſſimi nobis fratris Laurentij Surij, quos inſignis Veronenſis illius & de Eccleſia præclarè meriti Epiſcopi Aloyſij Lipomani veſtigijs inſiſtens, in Sanctorum vitis colligendis commodumque in ordinem redigendis, pietatis in hominum animis excitandæ, Eccleſiæque iuuandæ, quo mirificè flagrabat, deſiderio ſedulus impendit, à Chriſtiano & Catholico orbe accepti probatique fuerint, ſatis indè perſpicuũ eſt, quòd vixdùm abſoluto ſexto Tomo redeundũ illi ad initiũ fuerit. Itaque quanuis Tomũ ſeptimũ ſubijcere ſtatim cogitârat, in quẽ referret, quę ad eũ Vitæ, poſtquàm percrebuit in hoc eum labore verſari, varijs ex locis poſteà à piętiſſimis viris, ſed tamen ſeriùs tranſmiſſæ fuerãt, aliaq; item quæ in Aloyſij tomis erant reliqua, indè tamen ad recognoſcendos illos priores & augẽdos, cùm ex illis nulli reſtarẽt ampliùs, fuit adductus. In quibus iam vſq; ad finẽ propemodùm menſis Iunij erat progreſſus, cùm benigniſſimo bonorũ largitori, laborumq; omniũ fidiſſimo remuneratori Deo placuit ad Sanctorũ eum cœtũ conſortiumq; euocare. quos ille non ſolùm piè & religioſè coluit ſemper, ſed memoriã etiã ab obliuione, qua, qui Deo Sanctisque eius noſtro infelici hoc æuo bellũ ferale indixerũt, inuoluere ipſos, vaſtatis incẽſisq; paſsìm pluſquàm Turcica barbarie bibliothecis ſtrenuè moliuntur, opportuno ſanè tẽpore egregiè vindicauit. In cuius ego labores ingenio lõgè impar non mea voluntate, ſed ſuperiorũ imperio ſucceſſi, humerosq; imbecilles tanto oneri ſuppoſui. quod facere, niſi primùm obedientia pertractus, deindè Sanctorũ, quibus hæc deſudat induſtria, ſuffragijs cõfiſus, demùm doctorũ virorũ, cùm aliorum, tum Iohannis Molani in primis Theologiæ Doctoris, & Melchioris Hittorpij Licentiati, quorũ ille licèt abſens, hic præſens, ſuam mihi operã pollicentur, atq; cùm eſt opùs præſtant, præſidio atque iudicio adiutus, ne quaquàm fuiſſem auſus, & meę mihi imbecillitatis probè conſcius, & quantum tanta res iudiciũ requirat, nè in hæreticorũ iuſtas criminationes (nam vt iniquè calumnientur, quis prohibeat?) incurratur, haud ignarus. Quòd ſi ad hæc Tuę S. fauore atque benedictione, priuilegijsque quibus ea Surium benignè eſt proſecuta, etiam ſuſtentemur, leuius illud nobis onus futurum credimus, alacrioresque ei inſiſtemus. Ad quam benedictionem promerendam, labores quos hucimpendi, S. T. & omnem præterea obſeruantiam, obſequium, ſeruitium offerre lubens volui, quam ad Eccleſiam collabentem reſtaurandam & in priſtinum ſplendorem reſtituendam diutiſſimè eius ſponſus Chriſtus incolumem vt conſeruet, oro atque obſecro. Ex Agrippinenſi Carthuſia pridiè Aſſumptionis B. Mariæ, Anno ab eiuſdem Virginis partu M.D.LXXIX.

S.T. obſequentiſſimus ſeruus

F. Iacobus Moſander Carthuſianus.

INDEX

INDEX GENERALIS VITARVM IN TOMO HOC QVARTO COMPRAEHENSARVM.

IVLIVS.

I. De S. Simeone Abbate, cognomẽto Sali aut Stulti, reuerà autem minimè tali. Folio 1.
De S. Gallo Aruernorũ epiſcopo. 22.
De S. Theodorico abbate, qui fuit S. Remigij diſcipulus. 26.
De S. Eparchio abbate & confeſſore. 28.
De S. Carilepho preſbytero & monacho. 32.
II. De SS. Proceſſo & Martiniano martyribus. 40.41.
De B. Monegunde. 42.
De S. Suuithuno epiſcopo. 45.
De S. Ottone epiſcopo Babenbergẽſi, Pomeranorũ apoſtolo. 47.
III. De S. Gregorio Thaumaturgo, Neocæſareenſi epiſcopo. 55.
De SS. Martyribus, Felice preſbytero, Irenæo diacono, Muſtiola matrona nobiliſſima & alijs pluribus. 74.
De S. Anatolio epiſcopo Laodicenſi. 75.
IIII. De S. Vdalrico epiſcopo Auguſtæ Vindelicorum. 77.
VI. De S. Eſaia propheta. 89.
De S. Goare preſbytero. 90.
De S. Godoleua martyre. 109.
VII. De S. Illidio Aruernæ eccleſiæ epiſcopo. 113.
De SS. Eartongota & Edilberga. 115
VIII. De S. Procopio martyre. 116.
De SS. martyribus Kiliano epiſcopo, Colomanno preſbytero, & Totnano diacono. 130.
De S. Landrada virgine. 134.
De S. Diſibodo epiſcopo & cõfeſſore. 139.
IX. De S. Cyrillo epiſcopo & mart. 151.
De S. Anatolia virgine & martyre. 152.
X. De SS. martyribus, Felicitate, & ſeptem eius filijs. 153.154.
De SS. virginibus Ruffina & Secũda martyribus. 156.
De SS. CCC. X. & VIII. Patribus primæ Synodi Nicenæ. 158.
De Geſtis Synodi Nicenæ primæ. 316.
De S. Amelberga vidua. 167.
De S. Kanuto rege Danorum, & martyre. 169.
XI. De S. virgine ac martyre Euphemia, eius've reliquiarum inuentione. 176.
De S. Hildulpho archiepiſcopo Treuirenſi. 181.
XII. De S. Iohanne Gualberto, Vallis Vmbroſæ abbate. 183.
De Leone ſecũdo abbate Cauenſi prope Neapolim. 190.
XIII. De S. Eugenio Carthaginenſiũ epiſcopo, & pleriſque alijs. 193.
De S. Bonauenturа Cardinali & epiſcopo Albanenſi. 208.
XV. De S. Iacobo epiſcopo Niſibitano. 214.
XVI. De S. Rainelde virgine & martyre. 217.
XVII. De S. Alexio confeſſore. 221.
De S. Arhenogene martyre. 223.
XVIII. De S. Philaſtrio epiſc. Brixiẽſi. 226.
De S. Friderico epiſcopo & martyre Traiectenſi. 232.
De SS. martyribus Apameenſibus, Mauricio, & LXX. eius militibus. 243.
XIX. De SS. martyribus Hiſpalenſibus, Iuſta & Ruffina. 248.
De S. Arſenio, miro confeſſore & eremita. 248.
De S. Macrina virgine & ſanctimoniali. 262.
XX. De S. virgine & martyre Marina, ſeu Margarita. 274.
De magno Propheta Elia Theſbita. 279.
De S. Vulmaro abbate & confeſſore. 285.
XXI. De S. Propheta Daniele, & de SS. tribus pueris. 289.
De S. Praxede virgine. 298.
XXII. De S. Maria Magdalena. 298 302.
De S. & glorioſo martyre Platone. 307.
De S. Vuandregiſilo abbate. 314.

XXIII. De S. Apollinari martyre, & primo Rauennatum episcopo. 323.
cum tribus Sermonibus Petri Damiani. 329.
De S. Liborio episcopo Cenomanensi. 337. eiusque ad Paderbornam translatione. 343.
De S. Birgitta vidua. 352.
XXIIII. De S. Christina virgine & martyre. 360.
XXV. De S. Christophoro martyre. 361.
De S. Cucuphate martyre. 362.
De S. Glodesinde virgine. 366.
De translatione S. Germani episcopi Parisiensis. 369.
XXVI. De S. Hyacintho martyre. 385.
XXVII. De SS. martyribus, quos VII. dormientes vocant. 386. 387.

AVGVSTVS.

I. De catenis seu vinculis & gladio S. Petri. 447.
De S. Petro apostolo, & Elia prophera. 458.
De Eleazaro sacerdote & septem fratribus Machabæis. 465. 468. 473.
De SS. martyribus Sophia, eiusque filiabus. 480.
De S. Eusebio episcopo Vercellensi. 485.
De eodem, & S. Dionysio episcodo Mediolanensi. 488.
De B. Friardo recluso. 489.
De S. Felice martyre Gerundensi. 492.
De S. Etheluuoldo episcopo Vuintoniensi. 492.
II. De S. Stephano papa & mar. 497.
III. De reliquijs, seu inuentione Reliquiarum S. Stephani protomartyris. 502. 503.
IIII. De S. Valentino Patauiensi episcopo. 506.
V. De S. Afra martyre, eiusque sociabus. 509.
De S. Osuualdo rege Anglorũ. 514.
De S. Dominico, Prædicatorij Ordinis initiatore, libri octo. 522.
VI. De Transfiguratione Christi oratio seu sermo Basilij episcopi Seleuciæ in Isauria. 577.
De eadem, Sermo Andreæ Hierosolymitani episcopi Cretæ. 580.
De eadẽ, Oratio S. patris Ephræm. 587.
De eadem, Cyrilli archiepiscopi Alexandrini oratio. 590.
De SS. Iusto & Pastore martyribus 593.
VII. De S. Alberto Carmelita Siculo. 594.
De S. Donato episcopo & martyre, ac Hilarino monacho. 601.
VIII. De S. Victricio episcopo Rothomagensi. 602.
IX. De SS. martyribus Secundiano, Marcelliano & Veriano. 606.
X. De S & illustri martyre Laurentio, multisque alijs obitèr insertis. 607. 617. 622.
De martyribus aliquot Persicis, & Polychronio episcopo Babyloniæ. 608
De SS. martyribus, Abdone & Sennc, alijsque pluribus, Italis simul & Persis. 609.
XI. De S. Susanna virgine & martyre Romana. 623.
De S. Gaugerico episcopo Cameracensi. 629.
XII. De S. Euplio martyre Siculo. 632.
De S. Clara virgine sanctimoniali. 634.
XIII. De S. Cassiano martyre Iudimagistro. 650. 652.
De S. Radegunde regina libri duo. 653. 660.
XIIII. De S. Vuerẽfrido confessore. 669.
De S. Athanasia abbatissa. 672.
XV. De sanctissimæ Mariæ virginis ac matris ortu, educatione, vita & obitu, Sermo seu oratio Simeonis Metaphrastæ. 679.
De dormitione eiusdem Virginis ac matris, Oratio seu sermo archiepiscopi Cretensis Andreæ Hierosolymitani. 696.
Eiusdem de eadẽ Sermo alius. 701.
De eadem Sermo Iohãnis Damasceni. 706.
De S. Arnulpho episcopo Suessionensi. 714.
XVI. De imagine Iesu Christi nõ manufacta, narratio Imperatoris Cõstãtini Porphyrogeniti Constantinopolitani. 738.
De S. Arsacio confessore. 746.
De S. Arnulpho Metẽsi episcopo. 747.
XVII. De S. Mamãte insigni martyre. 754.
De SS. martyribus Ptolemaidensibus, Paulo & Iuliana. 759.
De septẽ martyribus Cathaginensibus, Liberato, Bonifacio, Seruo, Rustico, Rogato, Septimo, & Maximo. 766.
XVIII. De S. Helena Imperatrice. 768.
De S. Agapito martyre. 770.
XIX. De SS. martyribus, Andrea duce exercitũs, socijsque eius. 771.
De S. Bertulpho abbate Bobiensi. 775.
De S. Mariano recluso. 779.
De S. Ludouico episcopo Tolosano. 780. 783.
XX. De S. Philiberto abbate. 785.
De S. Bernardo abbate Claraualensi, libri quinque. 791. 816. 836. 847. 864.
De S. Stephano rege Hũgarorum primo. 873.
XXI. De S. Priuato episcopo Gaualitano. 884.
XXII. De S. Symphoriano martyre. 886.
XXIII. De S. Sidonio episcopo Aruernorum. 888.
De SS. martyribus Claudio, Asterio, & Neone. 890.
De S. Bartholomeo apostolo. 891.
De eodem Apostolo Sermo Petri Damiani. 894.
XXIIII. De S. Audoẽno Rothomagẽsi episcopo. 898.
XXV. De S. Eusebio & socijs eius martyribus. 909.
De S. Genesio martyre Arelatensi. 911. 914.
De S. Genesio martyre Romano mirabili. 917.
De S. Aredio abbate. 918.
De S. Hunegunde virgine. 919.
De S. Ludouico rege Frãcorũ. 926.
XXVI. De S. Alexandro martyre. 935.
XXVII. De SS. martyribus, Georgio diacono, Aurelio, Felice, Natalia, & Liliosa. 936.
De S. Cæsario episcopo Arelatensi. 943.
XXVIII. De S. Augustino, Hipponensi in Africa episcopo insigni. 953.
De S. Iuliano martyre Aruernensi. 968.
XXIX. De S. Iohanne Baptista, propheta & martyre, præcursoreque Christi. 982.
De eiusdẽ Baptistæ decollatione, Chrysostomi Oratio seu Sermo. 992.
De eiusdem decollatione, Sermo Andreæ Hierosolymitani, Cretensis archiepiscopi. 995.
De S. martyre Sabina illustriss. matrona. 1009.
XXX. De S. Mederico Abbate. 1010.
De S. Fiacrio confessore. 1010.
De S. Felice & Adaucto martyribus. 1012.
XXXI. De S. Mariæ Virginis ac matris Zona & Fascijs Oratio seu encomium Germani episcopi Constantinopolitani. 1013.
De eisdem oratio aut Sermo Euthymij monachi. 1016.
De S. Aïdano episcopo & confessore. 1020.

INDEX COPIOSVS IN QVARTVM HVNC, DE SANCTORVM VITIS, REBVS GESTIS AC MARTYRIIS TO, mum, qui recèns ex diuersis authoribus ac bibliothecis collectus, duos menses Iulium ac Augustum complectitur.

Abagarus Toparcha Edessæ 738. eius famulus Ananias 739.
abbas inuitus fit S. Arnulphus 720. ei substitutus Geraldus expellitur 724.
abbatia Salem 560. Vtenbura 87.
abbatia simoniacè comparata 184.
abbatissa inuita fit S. Clara 638.
abbatum bonorum exempla 185. 718. 720.
abbatem impium vt Christus increpauerit 360.
abbatis functionem recusat Iohannes Gualbert. 184.
abbatis munus sibi assumentis pœna 789.
abdiritanus episcopus Felix per 44. annos 196.
abdon & Sennes martyres 610.
abrahæ eruditio 57.
abstinentia admirabilis 37. 43. 135.
abstinentia Vdalrici 80. Godoleuæ 110. Alexij 222. Germani 443. Radegundis 654. 655. 656. S. Mariani 779.
abstinentiæ exempla 403. 289. 573. 673. 719.
abstinentia dæmoni inusa 785. 786.
abundij & Irenæi martyrium 616.
Achab rex impius cum vxore Iezabel 297.
achab vineam Naboth qui per iniquam cædem occupârit 282.
achilla S. Petri successor in Alexandriæ sacerdotio 164.
Adalbertus ex obsidiõe aliqua liberat S. Vdalricũ 83
adalberti interitus 83. Adalberonis 87. vterque Augustæ sepultus ibid.
adoptatus à vidua diuite Mamas 755.
adorare pro venerari in scriptura sacra frequentissimum 471.
Aegra admodùm nihil sibi de pijs exercitijs remittit Landrada 137.
ægritudines crebræ S. Bernardi 836.
in Aemilia docet S. Apollinaris 325.
Affectibus imperandum 843.
S. Afræ historia 509. baptizatur cum suis 512. concrematur cum eisdem 513.
in Africa vexantur immaniter Catholici 201, 202.
S. Agapiti martyrium 770.
Agarenos cædit vi Crucis Neanias 119.
agnes soror S. Claræ conuersa 641. eius obitus 647.
agrippinus præses quàm dirè se in S. Platonem gesserit 307. 312.
Albanensis episcopus Matthæus 795.
B. Alberti de monte Drepano carmelitæ vita 594.
alemannorum dux Ludolphus 82. mors 599.
alemannorum rex Eocharich 442.
aleth S. Bernardi mater, vt proles suas enutrierit 792 eius pietas 794.
alexander Alesius præceptor Bonauenturæ 210. illius de Bonauentura sententia 212.
alexandriæ episcopus Theophilus intulit Arsenium 254.
alexandrinis fame ex obsidione laborantibus consulit S. Anatolius 76.
S. Alexandri martyris vita 935.
S. Alexij vita 221. eius patria & parentes, ibid.
alexius apud patrem viuês ignotus, vt post mortem agnitus 222.
altaria antiquitùs in honorẽ sanctorũ dedicata 226. altaria reliquijs oppleta 176. 231.
altaria veneratur iã primò dedicata rex Kanutus 170
Amasææ episcopus Phœdimus 59.
S. Amator inuitum tõdet & clericum ordinat S. Germanum 428.
ambianensium episcopus Iesse 239.
ambitio quàm pernicios a 685.
ambrosij de S. Christophoro testimonium 362.
ambrosij encominm 953.
S. Amelbergæ viduæ vita 167. obijt 168.
amelberga multam familiam adolescẽtula benè gubernat 167.
amelbergæ proles Deo dicatæ 168.
amici arcti Simeon Salus, & Iohannes Abbas 3.
Anachoretæ post monachismum facti 6. Eparchius 29. Carilephus cum aliquibus fratribus suis 34.
ad anachoretas hortationes 7.
anates vndè dictæ 34.
anathemate percellitur Arrius 160. 164. Dioscorus 178.
anathematis contemptor punitus 851.
S. Anatoliæ martyrium 152. confoditur 153.
S. Anatolij vita 75.
andegauensium comes Gaufridus 851.
S. Andreæ ducis martyrium, eiusq; sociorum 771. gladijs perimuntur 774.
anglorum reges, Egbertus 45. Ginigilso, à Birino ab idololatria conuersus. 518. Osuualdus 514. Osuuinus 528. Eduardus 715. Anna Orientalium Anglorum 518. Henricus 813.
anglia Danis adiuncta quondàm, ideoq; ei bellũ conatur inferre rex Kanutus 170.
angliæ regina Mathildis periculo liberatur à S. Bernardo 848.
angeli pijs sæpè adsunt 15. 136. 255. 550. martyrib. ad subsidiũ 121. 756. 761. 764. consolantur anxios 168.
angeli Magdalenam quotidiè in aëra leuant 305. S. Mariæ virginis obitum prædicunt 690.
angelus vinctum Petrum liberat 450. cur non statim sit liberatus 451.
angeli ad funus B. Sali concinunt 21.
angelico ministerio Vuandregisili vestes mundantur 316.
animas sanctorum post mortem recipi cælo 333.
animas piorum angeli ad cælum deducũt 21. 233. 278. 853.
animam S. Mariæ Virginis Christus excipit 710.
animositas Macrinæ in casibus miseris 12. 265. & seq. de S. Anna 385.
anso aldus episcopus 231.
antiochia 117.
antiochiam primùm conuertunt Apostoli 117.
antiochia Mauritij tempore cecidit 14.
antichristus subiugabit sibi reges terræ 295.
antichristus in tartarum mittendus 295.
antifiodorenses episcopi, Germanus 426. Hugo 796. Censurius 426. Amator 427. eius obitus 428.
Apamea ciuitas Syriæ 118.
apollo ex Iouis adulterio natus 764.
apollinis Delphici oracul um de Christo 127.
apollini sacrificat Diocletianus, eiúsque exercitus 117.
S. Apollinaris vita 323. vinctus dimittitur 328. moritur 328.
S. Apollinaris spiritualis Romæ filius 332. auro & adamanti comparatur 333. cælitùs depascitur 334.
apostata Ebroinus taxatur 788.
apostatarum regum pœna 514.
S. Apostolorum encomium 424.
apostoli singuli vbi docuerint 424.
apostoli adsunt migranti Mariæ Virgini 691. 708.
apostoli ecclesiæ bases & columnæ 895. ferro, æri, & nubibus comparantur. ibid. dicuntur principes populorum & ianitores cæli, item regales sedes regis æterni, & patres Ecclesiæ 897.
Aqua baptismatis antiquitùs benedicitur 497.
aqua benedicta curati 597. 732. 820. 821. 854.
aquæ per baculum miraculosa in alueum contractio 66.
aquitaniæ comes Vuilhelmus Ecclesiæ conciliatur 829.
aquisgrani Ludouicus in sedem suam repositus 239.
aquisgrani & Leodij sanat aliquos S. Bernardus 857.
Aragonum rex Albigenses defendens cæditur 534.
araxius episcopus 271.
arcesilaus comes persequitur Ruffinã & Secundam virgines 156.
arelatensis episc. Hilarius excipit S. Germanũ 440. Eonius 945.
arithmetices aliarúmque artium peritus S. Anatolius 75.
arma contra dæmonem optima 316.
S. Arnulphi Metensis episcopi vita 747. conscripta à quodam eius contemporaneo 752.
S. Arnulphi Suessionẽsis episcopi vita 714. eius mors 736.
aromatibus preciosis corpora Sanctorũ condita 41.
arrius hæresiarcha presbyter Alexandrinus 158. serit hæresim suam 158. 216. eius horenda mors 167.
arrio consentientes episcopi exilio mulctantur 164.
arrium quid ad hæresim compulerit 158. vndè dictus 160.
arrium accersit Constantinus 166.
arrij coram Constantino fallacia & periurium 166.
arriani vexant S. Eusebium Episcopum Vercellensem 486. eum cum suis vinciunt 486. 487.
arriani cum Catholicis disputaturi, quàm improbè se gesserint 200.
arriani episcopi crudeles 194. 203.
arriani inuident Eugenio 194. ei detrahunt 200.
arriani idololatris peiores 487.
arrianos acriter oppugnauit Philastrius 225.
arriani aliqui conuersi 507.
arriana hæresis tempore S. Valentini erupit 507.
S. Arsacij confessoris vita 746. mortuus reperitur 746.
S. Arsenij vita 248. mors 261. solitudinẽ amat 254. 259
archadius ab Arsenio correctus, ei necem parat 251. pœnitens nolenti offert Aegypti vectigalia 252.
arsenius cum sola sorore piè vixit 249.
artibus liberalibus instructus Otto episc. ijs se sustentat 47.
aruernorũ episcopi, Nicetius 23. Gallus 23. 975. Illidius 114. Quintianus 23.
Ascalon ciuitas capitur 840.
asscensio Christi 690.
asclepij de vno Deo testimonium 126.
asisiensis episc. Hugo 419.
asisij obsidio 640.
assyrij Romanum depopulantur imperium 162.
assyrij nequeunt Niceam expugnare 162.
Athanasius Archidiaconus Alexãdrinus in Aegypto & Libya Arrianismum euellit 164.
athanasius strenuus Christi cõtra Arrium mil. 165.
S. Athanasiæ vita 672. pater Niceta, mater Irene ibid.
athanasiæ vitæ scriptor ei contemporaneus 678.
S. Athenogenis martyrium 223.
athenogenes cum suis monachis vinctus 224. cum illis obtruncatur 224.
athleta fortis Simeon Salus 2.
Auditores diuinarum rerũ quales esse debeant 582.
augustani episco. Gebehardus 77. Adalberonus 78. Vdalricus ibid. Hiltinus 79. Simpertus 84. Dionysius 512.
augustinus parentibus Christianis progenitus 954. artibus liberalibus imbutus ibid. conuertitur ab Ambrosio 954. baptizatur ab Ambrosio ibid. disputat cum Fortunato Manichæo 955. & coram Episcopis in cõcilio Hipponẽsi 956. cogitur esse episcopus ibid. omniũ causas audit accuratè 961. donata Ecclesiæ non respuit 963. nullam apud se fœminã patitur 964. decumbens curat Psalmos pœnitentiales lecto suo affigi 767. moritur ibid.
augustini vita 953. miracula 966.
augustinum Donatistę occidere volunt 956.
augustus Cæsar Cleopatram capit & Aegyptũ 682.
aurelius ducit vxorẽ Nataliam 936. viuit cum coniuge castè 937.
auitus presbyter Balchonio Papæ de reliquijs protomartyris Stephani 502.
B. Auitus Carilepho se iungit 33.
aulicos Catholicos in suo palatio non fert rex Hunericus 196.
aurelianensis episcopus Maximinus 33.
aurum ad peccata allicit 619.
Baalim idolum 280. cum illius sacerdotibus certat Elias 462. & seq.
Babenbergenses episcopi, Rupertus 47. Ottho 48.
babenbergensi ecclesiæ donatur monasterium Rota 51.
babyloniæ episc. Polychronius 607.
babylonij colunt draconem, quem Daniel interfecit 297.
babylonij Venerem dicunt Salambonem 248.
balduinus comes montis castrorum 730.
baltildis Francorum regina filios habet Clotarium, Childericum ac Theodoricum 319.
baltildis regina annonam mittit Vuandregisilo 320.
balthasari regis sacrilegi pœna 292.
bandomina petita à S. Radegũde, ipsius vitam scribit 660.
baptizantur 7000. Pomeranorum 52. Itẽ 108. 497. & alij 62. 498.
baptizatur milites 123. à B. Petro in carcere 40. Abagarus cum multis 741. Panteleemon 394. à Cyrillo multi 152.
baptizatur Antoninus Commodus 911. capite plectitur. ibid.
baptizatorum alba vestis 500.
baptizat in mari Apollinaris 325.
baptismi fontem benedicendi mos antiquus 199.
barcinone Cucuphas multis claruit miraculis 363.
barbarorum in Christianos sæuitia 219.
S. Bartholomæus & Philippus crucifiguntur 892.
à S. Bartholomæo res præclarè gestæ 892.
S. Bartholomæi insignia præconia 893.
S. Bartholomæi corpus in mare demergitur 893.
Bartholomæi nomen quid significet 895.
basilius Magnus, Naucratius 264. Petrus 265. Gregorius Nyssenus 266. fratres.
basilius episcopus fratrem Petrum consecrat presbyterum 266. eius obitus ibid.
basilium Magnum soror Macrina ad perfectionem incitat 264.
basilea curat aliquos S. Bernardus 856.

bauarorum dux Guelphus, eius filia Iuditha 235. adulterij accusat Bernardum quendam 239.
beatitudo futura Agibodo reuelata 778.
beatum quid 65.
bel simulacrum Babyloniorum 296. & apud illum fallacia sacerdotum ibid.
bellum prouincias Rheni deuastans 148. 149.
bellum inter Ottonem Imperatorem, & eius filium conciliat Vdalricus 83.
bello armati non intererunt ecclesiastici 723.
bello episcopus interest Germanus 439.
benedicere, pro maledicere, in scriptura vsitatissimum 174.
benedictini ex monte Disibodi discedentes honorificè reducti 148.
benedictini facultatibus exuti, restituuntur 149.
benedictini instruuntur 144.
benedictio episcopalis antiquitùs vsitata 267.
benedictio mensæ 418.
benedictionem Pontificis accipit Ottho cum suis 50.
benedictionum vis magna 436. 721.
benedictionibus curantur 85. 854.
benedictus & Kanutus reges, seditiosè in templo inmum 282.
beneficia Dei immensa 42.
beneficia ecclesiastica dignis conferenda 935.
benignitas Dei erga nos ineffabilis 580.
benignitas in pauperes S. Osualdi regis 518. S. Ludouici 781. S. Vulmari 287. S. Cæsarij 947. 950.
S. Bernardi vita, pater Theselinus, mater Aleth 791. consecrata ab eo quem ipse curauit 810.
S. Bernardus multos conuertit ad monachatum, auunculum suum 795. fratres 795. 797. patrem 802. sororem ibid. alios multos 796. alios nobiles 809.
S. Bernardi præconium 868.
in S. Bernardo quid præcipuè suspiciendum 854.
B. Bertulphi Abbatis vita 775.
S. Bertulphus Eustasio abbati iungitur 775.
bertulpho despõdetur chara Godeleua 109. eam odit ibid. tandèm necem parat 111. 112.
berceæ episc. Nonnus 773.
bersabee 282.
betto dum S. Vuandregisilum vult confodere, diuinitùs punitur 320.
berniciorum rex Eanfridus 514.
Bigami non admittendi ad clerum 488.
S. Birgittæ viduæ vita 352. eius pater carnalis Birgerus ibid. spiritualis 355. mater Sigridis 352. maritus Vlpho 353.
S. Birgitta cur vt monacha pingatur 357.
biturigensis ecclesiæ episcopus Terradius, 972.
Blacco proditor insignis 173. illius pœna 173.
blacconis in regem Kanutũ perfidia 173.
blasphematoris pœna 600.
blidulphus presbyter & monachus, dirè ab Arrianis cæsus 777.
Bobardi paralyticum curat S. Bernardus 857.
bobium monasterium vndè sic dictum 317. eius abbas Bertulphus 775. eximitur episcoporum dominio 776.
bona ecclesiastica Catholicis diripiens, Arrianis largitur rex Hunericus 200.
bona ecclesiastica prophanata, recuperantur 720.
bona ecclesiastica iniquè occupata 149. ea rapientis pœna 103.
bona ecclesiastica affectantes, vt argumententur 148.
bona Christianorũ religionis prætextu arrepta 70.
boni hominis studia 147.
bonifacius Papa episcopos ordinat 99.
S. Bonauenturæ vita 208. patria & parentes 209. mors & vbi sepultus 212.
bornensis episc. Iohannes 560.
Briocensis episcopus Philippus 417.
in Britãnia Pelagianam hæresim extirpat S. Germanus 436. contra eosdem eò tendit S. Lupus 437.
brixienses episcopi 226. Philastrius ibid.
brixiensium Dominicanorum prior Guuala 567.
brixiam venit Philastrius 226.
brutus & Bembroch duces Cumaniæ cum alijs credunt 577.
Bubalus miræ magnitudinis B. Carilepho familiaris 35.
burdegalensis episcopus Antonius 28. humaniter Eparchium excipit ibid.
burgundæ pietas 133.
burchardus abbas monasterij S. Iacobi extra muros Moguntiæ 150.

Cæsus ob fidei cõfessionẽ capite cęsus 396. cæsarius episcopus Arelatensis 944. egregia prosapia ortus, ibid. vestes largitur pauperibus ibid. fit monachus Lirinensis 944. inuitus creatus episcopus Arelatensis 946. instituit Horas Canonicas ibid. mittitur in exilium 947. suis precibus extinguit incendium ibid. mittitur in carcerem 948. Ecclesiæ bonis redimit captiuos ibid. condit monasterium fœminarum 949. excitat mortuum 950.
cæsarij vita 943.
cæsarea Philippi 120.
cęsareensium episcopi Theotecnus 76. Firmianus 58. Leontius 163. Basilius 266.
calices aurei antiquitùs in Ecclesiæ sacrificio 617.
S. Callinici martyris certamen 403.
callinicus à puero Christianus, multis Christũ prædicat 404.
calumniatrix dæmonio vexata 58.
calumniatores Goaris, diuinitùs fame puniti 93. 94.
calumniæ Iudithæ in Bernardum quendam 237.
camaldulenſium monachorum vita 184.
cameracẽses episcopi Autbertus 168. Aldebertus 167. Emebertus 217. Vedulphus, Gaugericus 630.
campanæ olim omnes pullatæ ad reliquiarum eleuationem 347.
campanæ ad obitum P. Heliæ sponte sua sonant 305.
cancellarius Imperatoris fit B. Ottho 48.
canonicus regularis fit B. Dominicus 527. & postea eorum supprior ibid.
canonici pro Benedictinis constituti 149.
canonicos insolentes monasterijs expulit S. Ethelwuoldus 493.
canonizatus B. Vuilhelmus ab Innocentio IIII. 417. S. Dominicus à Gregorio IX. 576. S. Ludouicus ab Honorio 783.
canonizat S. Birgittam Bonifacius 357. S. Claram Alexander IIII. 650.
canonizatur Albertus Carmelita 601.
in Canonizatione quæ requirantur 209.
cantores alit suis stipendijs rex Kanutus 170.
capellani 47.
capilli Magdalenæ qui Christi pedes extersêre, manent salui 303.
capitulum generale à B. Dominico Bononiæ celebratum 556. 561. 570.
capitulum generale Franciscanorũ Narbonense 210. aliud Pisis. ibid.
captiuos consolatur Lucina 41. Mustiola 74.
carcer B. Petri laudandus 456.
cardinalis & episc. Albanen. ordinatur Bonauentura 211. cardinales 212.
cardinalis Hugo 541.
cardinales Hugolinus Ostiensis, postea Pontifex, Stephanus de Fossa noua, Nicolaus Cardinalis Tusculanus episc. 539.
cardinalis Romanus Hubertus templũ Vallis Vmbrosæ consecrat 185.
S. Carilephi monachi vita 32.
carmelita fit Albertus de monte Drepano 595.
carnis integritatem seruauit S. Vuilhelmus 414.
carnem macerant S. Ludouicus 781. 784. S. Birgitta 355.
carnibus abstinent Vdalricus 88. Landrada 136. Arnulphus Metensis præsul 753.
carnotenses episc. Bernuinus 349. Gaufredus 818.
carolus Magnus Saxones domuit 343. negligens ingressum templi S. Goaris, in Rheno periclitatur 102. Saxonum Apostolus, eiusq; laudes 344. cellam B. Goaris subdit abbatiæ Prumiensi 108. adhuc puer translationi S. Germani interfuit 370.
caroli Magni ad affectatores opum ecclesiasticarum responsum 149. deuotio 344. narratio de translatione S. Germani 370.
carolus rex Siciliæ captus, per Mariam Magdalenam liberatus 302.
carolus Siciliæ rex, pater Ludouici episc. Tolosani 780. 783.
carthaginensis episcopus ordinatur Eugenius 194.
carthaginensis clerus vexatus 204.
carthusiæ prior Stephanus 535.
carthusianos inuisit S. Bernardus 837.
S. Cassiani martyrium carmine 650.
castellæ rex Alphonsus 528.
castitatis amor in nupta Radegunde 661.
castitatis exempla 407. 414. 781. 794.
castitatis sectatores Maria fouet & complectitur 937.
castitati detrahens, punitur diuinitùs 58.
catalaunẽses episcopi, Albinus 413. Vuilhelmus 802.
cataloniæ & Siciliæ reges, Petrus 594. Iacobus 596. Fredericus ibid.
catechesis institutio 232.
post catechesin baptizati 606. 613. 627.
catechismus ex consuetudine Ecclesiæ semper Baptismum præcedit 601.
catechumenorum missio sub Missa 433.
catenæ S. Petri 448. earum præconia & vis 454. vt asseruatæ sint 455.
Catholici aliqui ad exiliũ pulsi, in via moriũtur 198.
catholici viri miserabiliter vexati 199.
catholicorum ingens copia in exilium pulsa 196. cibus hordeaceus 198.
catholicorum præclara vox 197. 201.
catholicæ mulieris facinus memorabile 206.
in Catholica anu insignis pietatis exemplum 195.
caturcium Aquitaniæ ciuitas 856.
Ceadualla rex Romæ baptizatur 287.
cenomanorum episcopi Liborius 338. Pauatius 339. Iulianus, Victurius 342. Aldricus 345.
cenomanorum præsulum gesta 338.
cenualch rex exul 518.
cereus sponte accensus 374. 377.
cerei accensi ad funus gestati 182. 272. & psalmi cantati ibid.
cerei ad defunctos ardent 668.
cerei ardentes valido vento non extincti 182. 193.
cerei quondàm in templis habiti 102.
cereis & Crucibus reliquiæ exceptæ 752.
cereos in templo ardere semper vult Liborius 342.
Chalcedonensis Synodi acta, miraculo confirmata 178.
charismata Sanctorum virorum diuersa 846.
charitas puella, post multa tormenta capite punita 484.
charitas insignis prædicatorum 573.
charitas, scripturæ sacræ summa 582.
childebertus rex, dum minas intendit seruis Dei, diuinitùs castigatur 36.
chrismate vncti 626.
S. Christophori vita 361.
S. Christophorus post multa tormenta capite cæsus 362.
christus multis appáret 40. 305. 357. 398. martyres confirmat 121.
christus est realiter in Eucharistia 502. 934.
christi duo corpora 301.
christi mater quis fit 155. frater & soror. ibid.
christum resurgentem prima videt S. Maria 690.
christum vt sequamur, non sunt curandi liberi 938.
christiani domus 63.
christiani veri pulchritudo, diuitiæ, patria, ciuitas 56.
christiani quæ habeant præstantissima 489.
christiani cur mâlunt pro Christo mori quàm viuere 605.
de S. Christina virgine 360.
S. Christina à patre, alijsq; præfectis dirè cæsa, tandèm sagittis confossa, obijt 360.
chrysopolis 825.
Cibus Sanctorum vilis 37. 43. 214. 218.
cibus est velut tormentum S. Bernardo 799. qualis is fuerit 805. 837.
circuncellionum immanitas 956.
circuncisio Christi 683.
cirila Arrianus, Catholicis infestus, miserè perit 766.
cirilæ patriarchæ Arriani superbia 200.
cistertiensis monachus fit S. Bernardus cum socijs triginta 798. quorum vxores fiunt sanctimoniales 798.
cistertiensis cœnobij origo & rigor 794.
S. Claræ vita iussu Alexandri Papæ scripta 634. mors 645.
S. Clara quarè sic dicta 635.
S. Clara in religione manet, lenitentibus amicis 636.
Clarauallis quid loci 800.
claræuallis monasterij quæ initia 804.
in Clarauallem venit Papa Innocentius 818.
clerici optimi exemplum 339.
clerici duodecim trucidati 467.
clericis plurimùm fauet Kanutus 170.
clericis S. Goaris resistens, punitus 103.
clodoueus rex à B. Remigio baptizatus 27.
clotarius rex accersit S. Gaugericum 631.
clotario regi charus S. Arnulphus Metensis episcopus 750.
claudius credit, & petit sibi peccata dimitti 625. cum vxore & filijs baptizatus ibid.
claudij Imperatoris consobrina Mustiola 74.
cluniacensis Abbas Hugo excipit S. Arnulphum 728.
cœnobia & monachi vt sub B. Bernardo accreuerint 812.
coloniæ cura multos S. Bernardus 857.
columbanus presbyter & abbas 516.
communio sub vna specie 25.
cona ciuitas territorij Antisiodorensis 854.
conciliabulum celebrare volunt Arriani 167.
concilium Antiochenum 76. 266. Lugdunense 211. Rhemense 833. 841. Pisanum 819. Senonense 841. Chalcedonense 713.
concionandi munus nemo sibi assumet 506.
conciones S. Dominici 558. 559. Philastrij 225. Prædicatorum 573. S. Bernardi 800. 811. quales.

confessio integra erit 186.
confessio peccatorum 507.508.577.809.
confessionis puræ vis 571.
confessionem qualibet sexta feria fecit pater S. Birgittæ & eius filius 352.
confiteri in religionis ingressu mos 767.
confessionem audit Dominicus 545.
cõfitetur sub mortẽ Ottho rex 54. rex Kanutus 174.
confitetur crebrò S. Birgitta 355.
confirmationis Sacramentum 495.
confirmatur infans S. Dominicus 525.
confluentiæ claudum sanat B. Bernardus 857.
constãtia martyrum 40.74.120.124.307.404.506.508.759.
constantia S. Cucuphatis 364. filiarum Sophiæ 481. Laurẽtij 614. Procopij 128. S. Apollinaris 332.333.
constantia dictorum factorumq; S. Dominici 562. S. Eleazari 465.
constãtinus Christianus Imperator 158. Pater Constantius 117. vxor Irene 179. Filius Constantius 166. in Arrianismum pertractus ibid. Soror Cõstantia, quæ facit vt reuocetur exul Arrius 166.
constantinus Alexandro episcopo & Arrio 159.
constãtinus Osium episcopũ mittit Alexandriã 164.
constantini erga Patres Nicenæ Synodi iam discessuros reuerentia 162.
constantini oratio ad patres Nicenæ Synodi 160.
constantini modestia 160.
sub Constantino Christiani erecti 158.179.216.
constantium & Maximinum creat Cæsares Diocletianus, eiq; despondet vxores 117.
constantinus Copronymus Imperator scelestissimus 178. miserè interijt 179.
constantinopolitani episcopi, Tarasius 180. Alexander, qui apud multos Arrianismum extirpat 165. eius mors 167.
constantiensis episcopus Conradus 80.
constantinopoli humatur S. Helena 769.
constantiæ sanat aliquos S. Bernardus 856.
contumelia nulli inferenda 727.
conuiuium diuinitùs paratum 17. 19.
conuentus in Saxonia à Carolo Magno coactus 108. de Iurisdictione cellæ B. Goaris. ibid.
cordubæ episcopus Osius 165.
corpus S. Germani neque à rege, neque ab episcopis & monachis vult eleuari 370. 371.
corpus B. Sali statim post mortem glorificatum 21.
corpus B. Mariæ in cælum assumptum 692. 699.711.
corui pascunt Eliam 280.
Cresconius presbyter Mizentinæ ciuitatis, mortuus repertus 206.
creaturas omnes superat S. Maria 706.
crux prædicatur contra Albigenses 530.
crux dæmoni inuisa 665. 821. 822.
crucis signo hostes sternit Constantinus 163.
crucis signum bellaturus præferri sibi iubet Constantinus 163.
S. Crucis vsus antiquissimus 391. 930.
crucis signo illuminati cæci 200. 324. 611. 975. 631. 731.
crucis signo morbi pulsi 597.656.725.
crucis signo omnia dæmonum terriculamenta pelluntur 72.
crucis consignatio 8.112.122.228.230.269.434.628.759. 762.
cruce se signare, apud veteres mos 32. 122. 269. 323. 480. 665. 760.
crucis signo dæmon fugatus 72.126.188.276.595.597. 666.675.786.
crucis efficacia 19.27.30. 40. 44. 46. 61. 215. 271. 276 491.552.558.790.
crucem bis adorat Neanias 119.
cruces erectæ 303.305.391.514.
crucis signo miracula facta 643.751
crucis signi vis magna 118.271.490.
crucis effigies 118.136.223.271.305.443.
crucis effigies miraculis clara 515.665.
ante Crucem Christi multi, crucis tormentum experti 468.
crucis signum edere tentationis tempore aduersùs dæmonem, quàm fit pium 511.
S. Cucuphatis vita 362. studet Cæsareæ 362. obtruncatur 366.
cucullus 35.
curiensis episcopus Hatbertus 83.
Cypro multa euentura prædixit S. Birgitta 358.
S. Cyrilli episcopi martyrium & vita 151. gladio cæsus interit 152.
cyrillus quõ puer & in episcopatu se gesserit 351.
cyrillus multos conuertit, & in ignem proiectus, nihil læditur 151.
cyrilla filia Decij Christiana, iugulatur 617.
de S. Cyriaco 605.

Dagila matrona constantissima exilio multata 204.
Dagnus carceri concluſit S. Christophorum 361.
dagoberto Francorum regi commendatur S. Philibertus 785.
de S. Daniele & tribus pueris 289.
danorũ reges Suenon, Kanutus, Haraldus 169. Olauus 175.
danorum episc. Eskillus 854.
danorum procerum in Kanutum regẽ perfidia 172.
in Danos parricidas vltio diuina 175.
darius rexit Babylones 293.
Decanus monasterij 493.
decimas clero persoluere nolunt Dani 172.
decimas regni sui ecclesiæ largitur Adulphus 45.
decius vincit Persas 607.
decius Imperator Faustiniano Anatoliã tradit cruciandam 152.
in Decium & Valerianum vltio diuina 616.
pro defunctis Missæ 54.83.515.552.808.853.855.
pro defunctis eleemoiynæ datæ 112.188.713.
pro defunctis oratur 215.
ad defunctos Psalmi cantati 25.262.568.
defuncti viuis apparent 84.188.354.659.
defuncta puella Irene ex sepulcro interrogata, respondet 165.
deirorum rex Ostrichus 514.
descriptio orbis sub Augusto 682.
detractores puniti 749.
deus variè in hominibus operatur 140.150.
deus voluntatem timentium se facit 8.9.
deus exaudit preces sanctorum 774.
deus sanctorum opera distinxit 146.
deus temporaliter suos castigat, vt ab æterno supplicio conseruet 373.
deus omnia mutat & transformat nutu suæ bonitatis 698. absque diuinitatis suæ imminutione naturam assumpsit humanam 699.
deus quatenùs à creaturis capiatur 585.
deus cor videt 21. aquis terminum præscripsit 66.
deuotio Prædicatorum erga Mariam 573. plebis Catholicæ 197.
dæmones incorporei sunt 712.
dæmones tempestates excitant 437.
dæmon odit animarum conuersionem 511.
contra dæmonẽ robore spirituali pugnandum 474.
dæmon rapinæ author 729.
dæmon peccata nostra annotat 555. & nos ante iudicium defert 810.
dæmon tibia fugatus 15.

dæmon exhorrescit Christi imaginem 743.
in dæmonem Sanctorum potestas 550.
dæmones, pij viri præsentia, idolo pulsi 61.
dæmones pios variè tentant 30.253.316.431.555.598.
dæmoniaci curati 13.18.30.37.69.349.350.360.358. 431.437.444.446.521.725.
dæmoniaci sanantur 152.381.557.601.678.978.980. 725.732.747.776.789.849.855.
dæmoniacæ curantur 29.31.325.350.542.677.748. 820.821.823.824.
Datiani crudelitas 593.
Diabolus odit monachos 144.561.595.
diabolus pietati obest 82.92.145.158.315.
diabolus quibus rebus torqueatur 821.
diabolus morituris appáret 188.322.
diabolus, ppria machinatione cõfusus cecidit 476.
diabolus sub boni specie varijs infidijs fallit 253.
diabolus variè appáret multis, Secundello in specie Domini 490. Marinæ sub forma draconis 276. in forma æthiopis 511. Dominico in specie lacerti, passeris, simiæ 550.551. in specie fratris orantis 555. Alberto Carmelitę in forma pulchræ mulieris 595. S. Claræ in forma nigri pueruli 641. S. Birgittæ vt centimanus & centipes 353. in angelum lucis se transformat 450.
diaboli calliditas 474.
diaboli cum muliere execrabile commercium profligatur ab ea mirabiliter 823.827.
diensis episcopus Hugo 726.
diẽs Dominicus non violandus 752.
dies SS. Machabæorum præclara 473.
dies rogationum 748.
dignitates ambire quàm sit nefarium, præcipuè ineptis personis 330.
dij gentium, dæmones 154.
dilinga castellum 87.
diocletianus Christum blasphemat 118.
diocletianus præfecto suo Iusto 120.
diocletiani sæuitia in Alexandrinos 117.
diogenianus preses cruciat dirè Iustã & Ruffinã 248
dionysiæ illustris virtus 202.
dionysius Areopagita Apostolis adfuit in decessu Mariæ 713.
diploma Iohãnis xxij. de S. Ludouico episcopo Tolosano 781.
discendi auiditas in Liborio 339.
disciplina & sobrietas Eusebij 488.
discipuli insignes S. Lupi 413.
discordia inter Ludulphũ & Henricũ Principes 82.
S. Disibodus quomodò factus celebris 143.
S. Disibodi vita. 129. quæ diuinitùs est reuelata 150. eius pij parentes persecuti 140. eius comites 142. eius fratres vt prædixerat, vno relicto sacerdote pulsi 149.
diuina non sunt adeunda illotis manibus 697.
Doctoris optimi exemplum 517.
doctores aliorum quales 1.
doctores ecclesiæ prædicantur 340. stellæ dicuntur 669.
dominicani ad concionandum ablegati 538.559.561. 562.576.
dominicanis cibus diuinitùs ministratus 548.554.
S. Dominici vita 522. mors 567.
S. Dominici patria Callaroga, pater Felix, mater Iohanna 524.
dominici præclara encomia 525.
dominici gesta in itinere 551.
S. Donati & Hilarini martyrium. 601.
donato præfecto offeruntur virgines Ruffina & Secunda 156.
donatistarum sæuitia 956.
doningem vicus 856.
dona S. Dominico oblata 534.
donis omnibus abundat S. Maria 702.
doreſtadum aliàs Vuyck dictum 241.
dormientes Martyres abdunt se præmetu in spelunca 388.
dormientes Martyres quomodò reuixerint, & rursùs obdormierint 390.
dormientium septem Martyrum vita 386. reperta in ærea arcula 389.
dormitionis S. Mariæ encomium 669.701.706.
dorouernensis episc. Theodorus 519.
dotes S. Bernardi animi & corporis 836.
Draco interfectus oratione 747.

EBerhardi Dominicani mors 562.
Ecclesiæ figura mons, in quo Christus est transfiguratus 588.
ecclesiæ petra B. Petrus 457.
ecclesiæ res sibi vendicantis horribile supplicium 972.973.
ecclesiam ex itinere veniens statim ingreditur Goaris 94.
in ecclesia non sunt effutiendæ fabulæ 947.
ecclesiæ dedicatæ 320.730.
ecclesias antiquitùs ornatas 974.
ecclesias dedicaturus Suuithunus, nudis incedit pedibus cum clericis 46.
ecclesiasticas res deuastare & abalienare quàm sit nefarium 371.
ecstasis Simeonis Sali 9.
Edessa 241.
edessa à Chosroë obsidetur 742. imaginis Christi beneficio nequit expugnari 742.743.
edessæ episcopus Eulalius 742.
edictum Aureliani contra Christianos 759.
edictum contra Catholicos regis Hunerici 196. aliud 198.
edictum Diocletiani aduersùs Aeliorũ ciuitatẽ 116.
edredus rex, eius mater Edgina 493.
S. Eleazari & septem fratrum Machabæorũ vita 465
eleemosyna remuneratur 444.
eleemosynam dando curat hernioſam Vdalricus 86.
eleemosynæ largæ S. Radegundis 654. S. Athanasiæ 673.
eleemosynis duo hominum millia redempta 31.
elias frater Ordinis Prædicatorum, in antro Magdalenæ viuit 304. eius de Magdalena narratio ibid.
elias ante iudicium venturus 284.
elias aquarum custos & clauis cælorũ dicitur 460.
elias cur in pusillanimitatẽ inciderit 464. à Deo redarguitur ibid.
elias curru igneo vectus in cælum 284.
elias cur Thesbites dictus 279.
elias pallio diuisit aquas Iordanis 284.
elias tempore ariditatis à quibus nutritus 461.
eliæ Thesbitæ res gestæ 279.
eliæ ieiunium quadraginta dierum 282.
eliæ iussu ignis duos quinquagenarios deuorat 283.
elizabetham visitat S. Maria 680.
elizæus adheret relictis omnibus Eliæ 282.
elizæi cum Elia profectio 283.
elphegus episcopus 493.
elpidoforus ex mãdato regis Cõfessores cruciat 204
Engolismensis episcopus Lambertus 856.
B. Eparchij vita 28.
eparchij patria Petragoricẽsis vrbs, pater Felix Aureolus, mater Principia, auus Comes Felicissimus 28.
ephesiorum episcopi Timotheus 713. Stephanus 391.
epicureorum stultus error 296.
episcopalis benedictio 267.
episcopatus diuturnus S. Lupi, eiusq; obitus 413.

episcopatum ab Imperatore ambiunt multi 48.
episcopatum ægrè suscipit Ottho 48.49. Gregorius Thaumaturgus 60. Vdalricus 79. Disibodus 141. Fridericus 233.
episcopatum inuitus suscepit S. Germanus 426.
episcopatum recusat S. Dominicus 564.
episcopatu S. Arnulphus vi prohibetur 728.
in episcopatu humilitas, charitas, patientiaq; mira B. Galli 23.
episcopatus dignis sunt assignandi 726.
episcopatus dandi penès reges potestas 630.
episcopatus oblatos recusat S. Bernardus 814. 824. 839. Ottho 48.49. Dominicus 533.
episcopus ab Imperatore electus, à Pontifice consecrationem petit 50.
episcopus annulum & pedum accipit 49.
episcopus Autbertus velamen sacrum dat Raineldi, & Gudilæ 218. Amelbergæ 168. 218.
episcopus confirmationis sacramentum gratis impartitur, clericos ordinat, ecclesias consecrat 82.
episcopus doctrinam diuinitùs datam concionatur populo 60.
episcopus ex sede sua pulsus 142.
episcopus ex carbonario consecratur Alexander à S. Gregorio Thaumaturgo 68.
episcopus in episcopali sede collocatus 236.
episcopus inter Missum à S. Pontifice Paschali consecratus 50.
episcopus Merrophanes viuus alium sibi substituit, palliumq; deponit 166.
episcopus humiliter Missas celebrat 145.
episcopus non facilè ob peccata officio deijciendus 97.
episcopus nullas volens habere possessiones 63.
episcopus pedum accipit 234.
episcopus pro Christianorũ persecutione orat 70.
episcopus pro populo orat 24.
episcopus tumultu populi deiectus 24.
episcopi aduersùs sectarios infractus animus 141.
episcopi contra Paganos certamina 61.
episcopi munera 234.
episcopi munus, objcere se periculis pro ouibus suis 416.
episcopi præclaræ actiones 175.
episcopi Vdalrici optima exercitia: concionatur, templa reædificat, pauperes semper habet conuiuas 79.80. grãdæuus ex vehiculo cõcionatur 87.
episcopi Vdalrici sermo, lectus qualis 80.
in episcopo creando quid spectandum 67.
episcopi ab Imperatoribus constituti 47.
episcopi à Pontifice Bonifacio ordinati 99.
episcopi diœcesim visitant 72.82.237.629.630. monasteria 494.
episcopi ecclesias consecrant 99. altaria 185. Sacerdotes ordinant 29.34.45.52. 493.
episcopi eliguntur 49.79.
episcopi ex monachis 796. 781. 833. ex Franciscanis 211
episcopi ordinantur 76.234.493.507.519.728.
episcopi pauperes curant 52.55.143.215.
episcopi stellæ & Angeli 338.
episcoporum bonorum exempla 141.194.236.339.
episcoporum corpora lauari ac vestibus indui solita 89.
episcoporum munus, peccantes corrigere 235.
episcopis primum inter proceres locum dat Kanutus rex Danorum 170.
episcopis pueri commendati 232.
episcopos sepeliendi mos 25.
erga episcopos priscorum reuerentia 427.
epistola Theodorici de Apolfonia, Nicolao cuidam 522. Luciani presbyteri de reuelatione S. Stephani & aliorum sanctorum 503. Valeriani ad Secundianum 605. Decij ad Valerianũ 608. Abagari ad Christum 739. Christi ad Abagarum ibid.
epitaphium S. Arnulphi Suession. episcopi 737.
Erchinoaldus præfectus infignis 319.
eremitæ 10.29. herbarum radicibus viuunt 34.
eremum relicta patria petijt Landrada 136.
ericus Kanuti regis frater cum Botilda vxore Suediam ob metum Danorum petit 175.
erici Botilda vxor 175.
erroris quis mos 463.
eruditio S. Germani 427. S. Gabinij 623. S. Ludouici 781.
Esaiæ prophetæ vita & mors 89.
essentiã patris & filij æqualem esse Nicena Synodus decernit 160.165.
S. Etheluuoldi vita 492.
Euangelistæ quarè aliquandò discrepent 581.
euangelistarum conciliationes 582. 683.686.
eucharistia S. Claræ infirmæ data 645.
eucharistia morientibus porrecta 577.
eucharistia non temerè sumenda 809.
eucharistiam Angelus porrigit B. Bonauenturæ dum Missam audit 212.
eucharistiam in carcere porrigit Petrus 40.
eucharistiam moribũdus accipit S. Arnulphus Suessionensis episcopus 736. S. Ottho episcopus 54.
eucharistiam porrigit Dominicus 545. eius deuotio erga illam 564.
eucharistiam porrigit episcopus Vdalricus 81. S. Fridericus 240.
circa Eucharistiam error monachi 255.
erga Eucharistiam deuotio S. Claræ 642.
eucharistia asseruata pellitur dæmon 808.
eucharistia sub mortem se mu niuit S. Vuandregisilus 322. Agibodus 778. Valentinus 509. Ludouicus 782.
in Eucharistia Christus corporaliter præsens 640. 821. 829.
in Eucharistia Christũ esse co rporaliter, rationibus & miraculo probatur 256.
S. Eudocimi vita 406. pater Basilius, Eudocia mater ibid.
S. Eugenius ab Arriano episcopo mirè affligitur 204
de S. Eugenio Carthaginensi episcopo 194.
de S. Euphemiæ preciosarum reliquiarum inuentione 176.
euphemiæ reliquias Anastasius comes pio affectu habet 180. erga easdem nautarũ pius animus 177.
S. Euphemiæ di cula diruitur 179.
euphemiani, patris B. Alexij, insignis hospitalitas 221
S. Euplij martyrium 632. gladio interficitur 634.
euplius sistitur præsi di Caluisiano 632.
euphratesiæ episc. Paulus Neocæsareensis 159.
S. Eusebij & sociorum eius certamen 909.
de S. Eusebio episc. Vercellensi 489.
eustathij oratio ad Imperatorem Constãtinum 160.
euxinus pontus 56.
euzoius Arrij socius 166.
Excubiæ ad funera 646.
excubiæ mortuis impendi solitæ 39.
exemplũ optimi Principis comes Theobaldus Bernardo charus 834.
exempla multum conferunt 637.719.
exempla præclara Suuithuni 46.
exequiæ Alexij septem diebus peractæ 223.
exequiæ B. Galli 25. Otthonis episcopi 54. S. Dominici 568.
exequiæ celebres S. Claræ 646. Liborij 342.
in exequijs Missæ celebratę 212.600.
ad exequias Disibodi celebrandas magna venit multitudo 146.

exercitia bona sanctorum virorum 33.184.724.735.
exercitia S. Friardi 490. S. Valentini 508. S. Bernardi 837.
expositi ij infantes apud Treuiros olim vt tractati 95.

Fabij Cæsareensis martyrium 425.
fama celebris S. Bernardi 843.
famem immensam Danis pdicit Sueno 175.
fana impia euersa 23.61.778.
fastrada Caroli Magni coniunx dolore dentium apud tumulum S. Goaris liberatur 102.
S. Felicitatis & septem filiorum eius martyrium 153.
felicitas cum septem filijs interimitur 154.
felicitas plus quàm martyr 155. viros fortitudine superans. ibid.
felicis martyrium 74. Irenæi 75. Mustiolæ 75.
felix aduersùs persecutionem Christianos confirmat 74.
feræ manfuescunt sanctis 399.610.757.758.
feriæ S. Hilarij episcopi 668.
ferias S. Philastrij violantis pœna 231.
fertilitas sanctæ scripturæ 587.
festiuitas S. Iuliani 975.
festiuitas Machabæorum antiqua 468.479.
in festiuitatis Paschę obseruatiõe abusus apud Scotos 514.
festiuitatibus & panegyribus annuis honorati septẽ Machabæi 469.
festum S. Apollinaris 331.
festum B. Apostolorum Petri & Pauli vbiquè celebre 776.
festum S. Arnulphi Metensis episcopi 737.
festum Assumptionis B. Mariæ 745.
festum S. Athenogenis eiusq; fratrum 225.
festum Cæciliæ martyris 192.
festum Dormitionis S. Mariæ 696.
festum Innocentum 478.
festum S. Iohannis Baptistæ 981.
festum B. Ludouici episcopi 783.
festum Mariæ piè celebrandum 711.
festum S. Mariani 779.
festum Natiuitatis B. Iohannis Baptistę orbi toti venerandum 88.
festum S. Valentini episcopi 509.
festum transfiguratonis Christi 580.
in festo S. Goaris curantur ad eius reliquias ægræ mulieres 103. Item in eius vigilijs 104.
festa idolorum agentes horribiliter puniti 73.
festa sanctorum Apostolorum colenda 894.
festa sanctorum suorum vult Deus celebrari 926.
festus dies S. Callinici 406.
festus dies S. Iohãnis Euangelistæ 675. Assumptionis B. Mariæ 676.
festus dies S. Laurentij 725.
festus dies martyrij S. Petri 448.
festus dies S. Petri ad vincula 447.
festus dies S. Philastrij 226.
festus dies S. Ruffini 421.
festus dies translationis S. Germani 378.
festi diei violatores puniti 288.422.780.971.
festi dies ab omnibus celebrandi 458.
festi dies martyrum annua processione celebrati 72.
festi dies sanctorum 444. martyrum 458.
Fides puella post tormenta capite punitur 482.
fides martyrum quanta 470.
fides rationem superat 56.
fidei efficacia 62.
fidutia morientis S. Claræ 646.
filios summa cura enutrit S. Birgitta 353.
fioniam ob subditorum rebellionem fugit Danorũ rex Kanutus 172.
Flandriæ dissensiones compositæ 730.
flandriæ comes Balduinus 715.
flandriæ comes Robertus infestus suis cõciliatur 73.
florentinus episcopus Petrus Ticinensis 188.
fluuij Carantonis 29. Liger 33. Anisola 34. Anisus 51. Lycus & vndè dictus 65. Vindex 85. Danubius 86. Tar 86. Vuocara riuulus 103. Sequana 374.
Fœminæ colloquium fugit Arsenius 257.
Folconi nubit Ingertha Kanuti regis filia 174.
fons ad preces Magdalenæ scaturit 304.
fontes sacros erigere in ecclesia, est institui Apostolici 298.
forma excellens Macrinæ 263.
fornicarius à dæmone vexatus 13.
fortitudo Felicitatis & septem filiorum eius 153.154.
fortitudo insignis Procopij 128. Euplij 633.
fortitudo martyrũ Photini adolescentis 245. B. Dominici 531. Laurentij 673.
fortitudo matris Machabæorum 468.
fortitudo Secundæ 157.
francia ob illicitas nuptias Ludouici regis disturbata 238.
franciæ monarcha Carolus Martellus 369.
franciam Teutonicam conuertit Kilianus 132.
franciam vexat Britonum rex Murmanus 238.
franciscanus monachus fit S. Ludouicus 781. 784.
franciscanorum minister generalis fit B. Bonauentura 210.
S. Franciscus perfectionis instaurator 635.
B. Francisci cõfilio S. Clara mundum relinquit 636.
B. Francisci cum Clara colloquium 636.
S. Frãcisci institutũ amplectitur B. Bonauẽtura 209.
francisci Petrarchæ carmen de Magdalena 306.
franci vndè trahant originem 753.
francorum rex Dagobertus accersit Vuandregisilũ 316. eumq; ab æmulis vindicat ibid.
francorũ rex Ludouicus senior episcopos suis pellit sedibus 850.
francorũ rex Ludouicus iunior 850. eius vxori impetrat partum S. Bernardus 852.
francorum reges, Childebertus 36. Pipinus 99. Pipinus minor 369. Closarius 135. Dagobertus 314. Clodoueus 319. Henricus 715. Theodebertus 747. Carolus 753. Lotarius, Conradus, Fridericus 851.
francorum trium regum obitum prædicit Vuandregisilus 321.
francorum princeps Ebroinus 787.
francofurti claret miraculis S. Bernardus 856.
franconiæ dux credit & baptizatur cum multis alijs 132.
fraterna charitas 175.
fratrum duorum in martyrio certamen 203.
fraude vti aduersùs S. spiritum quàm sit periculosum 69.
B. Friardi recluſi vita 489.
fridericus Imperator ecclesiam vexat 640.
S. Friderici episcopi Traiectensis vita 232 eius pater Alfricus 241. Ludouicus rex necem tractat Friderici episcopi 240. vxor eius illicita Iudicha sicarios ad necem Friderici episcopi conducit ibid.
frisingensis episcopus Corbinianus 506.
frisones Arrianizantes conuertunt Fridericus episcopus Traiectensis & Odulphus presbyter 238.
frisonum episcopus Vuillibrordus 521.
fuga in Aegyptum Mariæ cum puero 685.
fuga in persecutione S. Andreæ ducis & sociorũ 773.
fuga in persecutionibus licet sibi consulere 387.
fugere persecutionis tempore licet 70.
fuldensium abbas Vuernherus 87.
fur quidam proditur diuinitùs 287.
fures puniti 439.495.787.
in fures Edgardi regis lex seuera 46.
furti mendicum arguit S. Birgitta 358.

furem dæmon inuadens extinguit 30.
fusiniacum abbatia in Laudunensi territorio 809.
GAbrielis & Mariæ colloquium 680.
galerius S. Cucuphate excrucians, cum idolis consumptus 364.
gallia ab Hunnis vastatur 412.
gallia post mortẽ Ludouici Pij in partes diuisa, magnas patitur clades 373.
S. Galli vita 22.
galli patria Aruerna, pater Georgius, mater Leocadia 22.
gaudium firmissimum secura sibi conscientia 299.
gaudium summum Bernardi, salus animarum 846.
gaudium verum, luctusq; religiosus 299.
S. Gaugerici vita 629. mors 632.
Geila Franconiæ ducis coniunx, insidiatur S. Kiliano 132.
generatio Christi secundùm carnem 765.
S. Genouefæ laus 436.441.
gentiles multos conuertit Goaris 92.
genuensis episcopus Asterius 518.
gerardus episcopus Schismaticus Catholicos persequitur 828.in eum vltio diuina 829.
gericus homo flagitiosus diuinitùs punitur 731.
in Germaniam Hungari irrumpunt 83.
S. Germanus Albani martyris puluerem secum fert 438.
S. Germani vita 426. mors 446.
germanorum exercitum fistit B. Germanus 442.
gerontius episcopus baptizat Theodosiam matrem Procopij 125.
gesta S. Valentini episcopi quomodò patefacta 506.
geusiforum episcopus Eleutherius 519.
Gibeletensis episcopus Folkerus 243.
gillebertus veniam erroris impetrat 841.
gilleberti Porretani errores 841.
cum Gilleberto Porretano disputatio S. Bernardi 841.
giraldus contra Franciscanos scribit, & miserè perit 210.
Gladius qui penetrauit animam Mariæ. 683.
de gladio Petri 455.eius veneratio & mira vis 456.
gladios cur Dominus Apostolis emere iusserit 456.
S. Glodesindis virginis vita 366. eius pater Vuintro, mater Gudila 366. obijt 369.
gloriæ contemptor S. Dominicus 564.
gloriam inanem declinant sancti viri 285. 720.
gloriam quomodò declinauerit B. Salus 11. Eparchius 28. Carilephus 33.34. B. Monegundis 43.
S. Goaris presbyter 91.
S. Goaris presbyteri vita 90. patria Aquitania, pater Georgius, mater Valeria 91.
S. Godoleuæ martyrium & vita 109. Drogo monachus eam ab alijs conspectam narrat 109. eius patria Lodefort, pater Vuitfridus, mater Ogina 109
godoleua quid significet 109.
godoleua ob mariti crudelitatem, ad parentes suos fugit 110, eamq; coactus recipit Bertulphus ibid.
godoleua à seruis mariti strangulatur 112.
godoleuæ corpus eleuatur 113. Terra vbi cæsa est Godoleua, in candidos lapides, gemmasq; versa 112.
goërius Metensis episcopus 750.
Græcæ linguę peritia inflatus Euagrius monachus 253.
græcarum literarum aliarumq; artium peritus Arsenius 249.
græci ecclesiæ Romanæ subscribunt 211. & ad id multum contulit Bonauentura 212.
gratia diuina ad omnia necessaria 489.
gratianopolitanum episcopum Hugonem inuisit S. Bernardus 837.
gregorius Nyssenus multa ab hæreticis passus 266. à Valente in exilium pulsus 268.
gregorij Nysseni visio 266.
gregorij quatuor libris Dialogorũ delectatus Vdalricus 87.
gregorij presbyteri oratio de sanctis cccxviij. patribus Nicenę synodi & Cõstantino impatore 158.
gregorius Thaumaturgus arrogantiam fugiens, solitariè viuit 59. semper rebus diuinis intentus 66.
S. Gregorij Thaumaturgi vita 55. patria Neocęsarea 56.
S. Gregorius Turonensis à febre puer adhuc liberatus per S. Illidium 114.
grimoaldi subdiaconi & Gundulphi martyria 219.
HAbacuc ab Angelo delatus, pascit Danielem 297.
haberdeum episcopus libellum offert regi Hunerico 206.
haberdeum episcopum mirè affligit Arrianus quidam 205.
habitus monasticus non deridendus 544.
habitum S. Benedicti cur non gestauerit Disibodus 145.
habitum monasticum & tonsurã capit S. Clara 636.
habitum monasticũ summo feruore, inuito patre, sumit Iohannes Gualbertus 183.
hæresis Albigensium 518.
hæresis Arrij 166.
hæresis Pelagiana profligatur ex Anglia 438.
hæresis Pelagiana repullulans, in Anglia extinguitur 442.
ab hæresi matronas reuocat S. Dominicus 532.
hæreticus conuersus 534.
hæreticus ex hæresi Acephalorũ Seuerianorum Fuscarius, eiusq; vxor 12. cõuertũtur mirabiliter 16.
hæretici Albigenses 926.
contra hæreticos Albigenses liber Dominici 529.
probatus miraculo ibid.
hæretici contra catholicos semper dolo agunt 200.
hæretici cui domino seruiant 532.
hæretici è medio tollendi 899.
hæretici fraudulenti semper 201.
hęretici semper mendaces 200.206.
hæretici, porci & capręs 196.
hęreticorũ Arrianorũ barbaries & insania 205 206.
hęreticorum communio vitanda 507.
hæreticorum impudentia 202.
hæreticorum pertinacia 533.
hęreticorum vox familiaris 200.
hęreticos reuocandi in viam bona ratio 529.530.
hæreticè Arrius contra Alexandrum primò nugatur de æquali essentia patris & filij 159.
Heduanus episcopus Simplicius 427.
de S. Helena Constantini matre 769. eius obitus 770
helenam matrem suam Constantinus cõuertit 770.
henricus Imperator iunior Vicembach Abbatiam largitur episcopo Otthoni 50.
henricus rex 185.
henrici monachi apostatæ hæreses 842. eas profligat S. Bernardus 842.
heraclitus & Socrates vnum sunt Deũ confessi 126. 127.
herbipolensis episcopus Embricho 54.
herbipolensibus episcopis commendata aliquandò Paderbornensis ecclesia 344.
herbipolim, patriã relinquens, venit Kilianus 131.
herium cœnobium in insula constructum 789.
hermolaus, senex Pantelemonem in fide erudit 304.
hermolaus cum alijs decollatur 400.
herodes fit rex Iudæorum 681. quomodò regnũ obtinuerit 682.
herodes ferociens, milites Petri custodes interficit 452.
herodes infantium trucidator 685.

herodes Iudæorum publicas scripturas exurit 682
herodes libidinis mancipium 986.
herodes similis scribis & põtificibus in negtia 449.
herodis pater Antipas 681.
herodis dolus & euidens insania 684.
herodis miser interitus 685.
herodianos milites cur B. Petrus non resuscitauerit 452.
Hierapolitani viperam colunt 892.
hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum habet Anatolium 76.
hierosolyma vndè Aelia dicta 117.
S. Hilarij soror Pemeniola iungitur S. Lupo 411.
hildemarcha sanctissima abbatissa 320.
S. Hildulphi vita 181.
hispali quomodò sustentauerint se Iusta & Ruffina 248.
historia de imagine Christi missa ad Abagarum 738.
illius historiæ veritas ibid.
historiæ sanctorum tepidas hominũ mentes ad pœnitentiæ lamenta excitant 362.
Homicidæ subitò mortui 241.
homilia Chrysostomi in B. Petrum & Eliam 458.
homo duplici curatione indiget 584.
honorius & Archadius Theodosij imperatoris filij 250. hos vt erudiërit eorum præceptor Arsenius ibid.
honorij papæ encomium 776.
honorium papam accedit S. Bertulphus 775.
honor in Liborio non mutat pios mores 340.
honoribus multis potitus Arnulphus Metensi. episcopus 747.
horariæ preces, Hymni nocturni & psalmi 61.199. vespertinę preces 268. Completorium 561. Prima ibid.
completorio peracto semper tacet Vdalricus 80.
horas matutinas moribundus legit S. Gallus 25.
horariæ preces in eremo lectæ 34.
horas canonicas & totum legit psalterium quotidiè S. Vuilhelmus 415.
horarias preces & psalmos legit sanctus Dominicus 564.
horariæ preces persolutæ 571.662.
hortulanæ matris S. Claræ pietas 635. tandèm sanctimonialis effecta 643.
hospitalis præcipuè Goaris 91. 94.
hospitalitas Leonis abbatis 191. 192.
hospitalitas S. Friderici 236.
hospitalitas & humanitas S. Bernardi 803.
hospitalitas S. Germani 429.
hospitalitas insignis Euphemiani, patris B. Alexij 221.
hospitalitatis remuneratio 576.
hospitalitatis virtus quanti sit meriti 101.
pro hospitalitate Niceæ quam curã gesserint Patres illius Synodi 161.
erga hostẽ capitalem pietas Iohannis Gualberti 183.
Humanitas Arsenij in peccantes, & silentium 256.
humanitas S. Radegundis 656.
humilitas Leonis abbatis 191.
humilitas, humanitásque in ægros S. Bonauenturæ 210.
humilitas mira S. Radegundis 654.656.
humilitas præclara S. Vulmari 295.
humilitas Birgittæ erga fœminã pauperculam 359. 360.
humilitas & mansuetudo virtutes clarissimæ 675.
humilitas primorum monachorum Clarauallensium 816.
humilitas Elisabethæ & Iohannis filij eius 681.
humilitas Raineldis virginis 218.
humilitas, abstinentia, & in pauperes benignitas S. Arnulphi Metensis episcopi 725.748.
humilitas S. Bernardi inter miracula eius 843.
humilitas S. Athanasiæ 673.
humilitas potentis regis Osuualdi 518. S. Arsenij 254. S. Claræ 638. S. Vuilhelmi 315. S. Germani 443. S. Dominici 556.
humilitas S. Ludouici episcopi Tolosani 782. 784.
humilitas martyris 121.
hunerici regis in episcopos catholicos barbara crudelitas 201.
hunerici regis in religionem simulatio 193.
hunerici in clerum sæuitia 767.
hunerici regis mors horrenda 208.
hungari in Germaniam irrumpunt 83.
hungari Augustam obsident 184.
hungarorũ multa millia Otthonis imperator cędit 84.
hunni vastant Galliam 412.
Hybernia excommunicata 131.
in Hybernia sectæ 141.
hymnus de Assumptione S. Mariæ 704.
hymnus, martyrium comprehendens S. Ruffini 422.
hymni olim apud decedentes dicti 710.
hymni decantati in assumptione Mariæ 701.
cum hymnis sanctimonialium in monasterio Lobiensi Amelberga sepulta 168.
S. Hyacinthi martyrium 385.
hyacinthus à Leontio post attentata alia supplicia capite cæsus 385.
hippolytus familia sua decollata occiditur 615.
hippolyti nutrix concordia cæsa, expirat 615.
IAcobus Nisibita degit solitarius 214.
Iacobus Nisibita venit in Persidem 214.
Iacobi S. Nisibitæ ecclesiæ episcopi vita 214.
Iacobum apostolum Herodes gladio interfecit 449.
Iconoclastę quos duces sequantur 931.
Idololatrię sententia irridetur 128.
idolũ Iouis tripodemq; conspuunt SS. martyres 41.
Iechonias rex captus à Nabuchodonosore 292.
ieiunium Danielis trium hebdomadarum 297.
ieiunium Eliæ quadraginta dierum 282.
ieiunium strictum S. Claræ 639.
ieiunium Mamantis quadraginta dierum 756.
ieiunij obseruantia S. Dominici 532. 559.
ieiunia & preces Amelbergæ 168. Raineldis 218.
ieiunia longa vigiliæq; Vuandregisili 316.317.
ieiunia quotidiana vigiliæq; Monegundis 43.
ieiunijs se macerant sancti viri 34. 37. Eparchius 28. Vuiberata ancilla S. Goaris 78. Anatolia 152. Iohannis Gualberti 183.
ieiunat in carcere octodecim dies S. Plato 313.
ierosolymitanus episcopus Iuuenalis 713.
iesus Naue 65.
iesus duodennis in tẽplo cũ doctoribus disserit 686.
iesus quid significet 683.
iesu personam diuidere, damnabile est 589.
iezabel minatur mortem Eliæ 463.
iezabel minatur cædem Eliæ 281.
iezabelis pseudoprophetę 450. cęduntur 280. 463.
Ignis oratione extinctus 365.
ignis ingens ecclesiæ S. Germani vicinus eidem nihil nocuit 375.
ignis cælestis vlciscitur monasticatum 185.
ignis S. Cyrillum nihil lędit 151.
ignis ex Eliæ iussu deuorat duos quinquagenarios 283.
ignis diuinitùs absumit holocaustum Eliæ 281.
per ignes mẽdios Abbas Petrus illęsus transit 189.
in ignitas sedes imponuntur martyres 760.
ignoscere, Deo gratissimum 183.
S. Illidij vita 113.

imago Christi absconsa nè destruatur 742.
imago Christi Cæsareæ, & mira vis herbæ apud eam crescentis 120.121.
imago Christi Constantinopoli seruatur 746.
imago Christi Edessa Cõstãtinopolim trãslata 738.
imago Christi Edessę seruata 221.
imago crucifixi se inclinat ad orantem 183.
imago S.Mariæ loquens, sanctitatem B.Alexij declarat 221.
imago S.Mariæ à B. Luca picta 540.circunlata pestis tempore 541.
imago S.Cassiani 650.
imaginis Christi Edessæ mira vis 742.743.
imaginis & epistolæ Christi miracula 744.745.
ad Imaginis Christi contactum lepra curatur Abagari 741.
imaginem suam Christus mantili imprimit 740.
imagines cur habendæ 573.
imaginum vsus antiquissimus 178.741.
imaginum trium in cruce miraculosa apparitio 119.
in imaginibus miracula 601.
erga imagines priscorum deuotio 744.
imperator impius Maxentius 163. Leo 176.
imperatoris filiam dæmone liberat Illidius 114.
imperatores Heraclius 176. Licinius 163. Maximinus Maxentius 163. Palæologus 211. Archadius, Honorius 221. Zenon 193. Henricus IIII. 47. Aurelianus, 74. Carolus Magnus 102. Ludouicus eiusq; laus 106. 770. Decius 152. Antoninus 153. 909. Valerianus, Galienus 156. Diocletianus 163. Maximianus, qui & persequitur Constantinũ 163. Cõstantinus 158. Theodosius 249. Gratianus ibid.
imperatores Christi adorant imaginem 745.
imperium Constantini tranquillum 158.
importunitas monachorum punita 723.
Incantionibus martyrum miracula præfides adscribunt 758.
incæstuosi rebelles sese corrigunt 237.
inedia mira Arsenij 258.
inferorum cruciatus vndè orti 147.
infirmitates S.Claræ 644.
ingelheim palatium Caroli Magni 102.
inimicitias inter regem Franciæ & comitis Gaufridi componit S.Bernardus 851.
innocentia S.Frtderici episcopi 233.
innocentij III. visio 536.
innocentius IIII. visitat S.Claram 645.
innocentij Papæ electores persequuntur 816.à multis honestè excipitur 817.818.
innocentij fautores Aquitanię princeps persequitur 826.à S.Bernardo conciliatur 828.
innocentij papæ literæ ad S.Bernardum 840.
innocentius papa S.Bernardum accersit 830.
innocentius Romã reducitur 819. reformat omnia 832.
inobedientia sanctimonialis punita 86.
institutio optima S.Valentini 508.
institutiones, à Ludouico rege filio sub mortem propositæ 934.
institutiones in Arithmeticam, aliaq; opera edidit Anatolius 76.
instituitur populus solitarios visitans 37.
insula ciuitas Flandriæ gallicanæ 730.
intercessio sanctorum 504.594.667.
inuentio corporis S.Valentini episcopi 506.509.
inuentio reliquiarum B.Stephani & curationes ad eas 505.
inuidiam vt vicerit S.Bernardus 845.
inuidia subditorum in sanctitatem & miracula regis Kanuti 174.
inuocatio sanctorum 207.240.
inuocatio sanctorum quid profit 51.571.
inuocatio diuina ante bellum 514.
inuocatio S.Athanasiæ 679.
inuocatur S.Petrus 457.
inuocantem se B.Petrus ad Carilephi monasterium ablegat 39.
inuocati sancti nobis adsunt 44.47.302.663.
inuocantur non frustrà sancti 105.
inuocat sanctos B.Dominicus 563.
de S.Iohanne Baptista 982.
Iohannes Baptista nullũ vnquàm fecit miraculum 647.cur in solitudinem sese abdiderit 984.
F.Iohannis Vincij prædicatoris miracula 575.
S. Iohannis Gualberti vita 183. seueritas in monachum inobedientem 187.
iohannitius vir sanctissimus 676.
iordanis aquę diuisę Elię pallio 284.
iosephi castitatẽ æquat Gregorius Thaumaturgus 58.
iosepho desponsetur S.Maria 680.
iouis fœdę libidines 764.
iouem spernens Apollinaris, mirè cæsus 325.
Iris fluuius 264.
Iudęus ore Iesus, baptizatus tandèm loquitur 15.
iudęi S.Marię grabbatũ dehonestantis pœna 692.
iudæi multi & Romani predicante Petro conuersi 323.
iudęi mortem simulantes, quomodò diuinitùs puniti 68.
iudęi quandò tributa dare cœperint 681.
iudex nunquàm sententiam cogitur reuocare 215.
iudicium aliud mundanorum, aliud piorum hominum 55.
ante iudicium sistentur omnes 419.
iudicium Gregorij Thaumaturgi inter duos fratres 64.
iudicium Danielis de Susanna 297.
iudicium Salomonis 64.
iudicio sacerdotali committit res diuinas à publico foro exemptas rex Kanutus 170.
iulianus martyr in Briuatensi vico humatus 441.
de S.Iuliano martyre 968.
iulianam in lupanari constitutã angelus tuetur 763.
iupiter rex Cretensium 127.
iuramentũ exactor violans eius manus emarcet 18.
iuramentum allatis euangeliorum libris 87.
iustitia & authoritas Leonis abbatis 192.
iustitia & seueritas Kanuti 170.
iustus accusator est sui 751.
de SS.Iusta & Ruffina 248.
iusta in carcere obit, Ruffina iugulatur 248.
iústi præsidis Diocletiani mors 126.
SS. Iusti & Pastoris fratrum martyrium 593.
iuuenalis episcopi de dormitione B. Marię sententia 713.

KAnuti Danorum regis vita 169.
S.Kanutus pater Suenonis 169.fratres Haraldus 169. Olaus 170. Ericus 171. Benedictus 173. Nicolaus 175. vxor Ethla Roberti Flandriæ præfecti filia 169.
kanutus fratres Danis onerosos suis alit impensis 170.
kanutus è regno proscribitur 169.
kanutus desertores suos quomodò mulctauerit 172.
Kilianus cum socijs cæditur 133.
S.Kiliani & Totnani vita & martyrium 130.

LAborantes diebus vetitis puniti 112.
labores S.Bernardi cum fructu pro Ecclesia suscepti 805. 840.
in lacum leonum Daniel ex satraparũ inuidia missus, nihil læditur 294. 296.
lachrymæ piorum dęmonibus molestę 358.
lachrymę perpetuę Arsenij 261.

lachrymarum copia in S.Dominico 564.
lachrymarum copia in S.Anastasia 674.
lachrymarum gratia in S.Philiberto 787.
lampas ardet ante altare B.virginis 551.
lampades ante reliquias B.Goaris pendentes, accensę diuinitùs 106.
S.Landradæ vita 134.
laodicensis episcopus Eusebius 76. post cum Anatolius ibid.
laudunensis episcopus Ingelramus 731.
B.Laurentij gesta 607. 622.
S.Laurentij passio carmine scripta 617.
laurentianam ædem perficit Egynus subsidio regis Kanuti 170.
laus vera est ei propria qui laudatur 56.
laus mira Mariæ 701.
laudari Maria dignè non potest 705.
laus Euphemiæ 181.
laus Dominici ex visione materna 525.
laudes hominum declinat Vdalricus 81. Vulmarus 285.
Lectio facta ad mensam 548.666.
lectio & Psalmodia perpetua sanctæ Radegundis 662.
lectus S.Raineldis qualis 218.
lectus & puluinar ægrotantis Macrinæ 267.
lectus & vestitus Eugenij pontificis qualis 833.
legatus ad imperatorem Henricum IIII. mittitur Otho 47.
legatio ad Gregor. Thau. pro eligendo Episcopo 66.
lemnos insula 177.
lemni episcopo appáret S. Euphemia, eius reliquias eò deferri mandans 178.
in Lemno insula reliquiæ S. Euphemiæ detentæ 179.
lemouicensis episcopus Gerardus 854.
leo Pontifex Paderbornæ altare consecrat, & in eo ponit S.Stephani reliquias 344.
leonis Pont. dispensatione subdiaconus fit vxoratus 45.
leo imperator iconomachus 176.
leo iconomachus Euphemię reliquias in mare abijcit 177.
leo imperator filius Constantini Copronymi 178. moritur 179.
leones deuorant Danielis æmulos 294.297.
S.Leonis abbatis Cauensis vita 190.
in Leodiens. finibus curat multos S.Bernardus 857.
leontius, Eusebius, Euphronius episcopi 664.
leprosus curatus credit 327.
leprosus gentilis, baptizatus sanatur 630.
leprosus baptismo percepto mundatur 748.
lex in fures seuera Edgardi regis 46.
lex in eos qui callidè exercitum soluissent 172.
propter legis obseruantiam passi Machabæi 470.
Liberatus medicus in exilium discessurus, ab vxore confirmatur 206.
liberum arbitrium 2.
liberalitas humanitasq; S.Helenæ 769.
liberalitas in obuium pauperem Iohannis Gualberti 184.
liberalitas veterum erga condenda monasteria 826.
erga ecclesias regis Kanuti 170.
liberalitas in pauperes Iohannis Gualberti 186.187.
S.Bernardi adhuc pueri 793.Augustini 963.
libertas Muritæ diaconi 204.
liber Victoris papæ, de miraculis sanctorum 190.
libri S.Bonauenturæ 211.
libri S.Bernardi super Missus est 793.
librum, cantica canticorum exposuit 829. De consideratione 433. Collationes patrum legit Dominicus 527.
libellus Iordani de primis patribus prędicatorij ordinis 523.
libri S.Bernardi eius vitam arguunt 846.
libellus de fide ab episcopis catholicis conscriptus 200.
S.Liborij vita 337.
S.Liborij historiæ bonæ fides 337.
liborius Gallus fuit & nobilis genere 338.
licinius gener Constantini 163.
licinius à Constantino cęsus 164.
licinij persecutio in Christianos 164.
lingonensis episcopus Godefridus 825.
lingua præcisa loquitur Parmenius 608.Machabæorum puer 466. S.Eusebius 911.
linguarum donum in S.Dominico 552.
linguis præcisis Confessores Catholici loquuntur 203.
liparimensis episcopus S.Agatho 893.
lirinensis monasterij abbas Honoratus 411.
literæ, vide epistola.
literis admouentur S.Lupus 411. Alexius 221. S. Bernardus 792.
Locus spectro infestus purgatus 435.
loci definitio 707.
loci sacri prophanatores puniti 600.
locum in quem trãsferatur suum corpus S. Germanus designat 370.
loca sancta in Sicilia visitat, & ibidèm honorificè excipitur S.Birgitta 356.
loca sancta visitata 24.34.85.
loca sancta circumire veteribus mos 443.
loca sacra destruentium pœna 147.
longobardorũ reges Berengarius 80. Agilulphus 317
longobardorum dux Arioualdus 777.
lotaringiæ ducissæ conuersio 814.
lucernę oleo ad sepulcrum Eudocimi pendentis sanatur quidam 408.
Lucius dux Cyrillum compræhendit 151.
luctus sacrarum virginum in obitu Macrinę 270.
ludimagister S.Cassianus 650. discipuli in eum nefariè coniurant 651. 652.
ludouicus rex & Clodoueus dictus 91.135.
ludouicus rex atrociter punit eos, qui Iuditham inhonestam eius coniugem in monasterium conseerant 239.
ludouico regi Gregorius papa pœnitentiam indixit 239.
ludouicus rex vexat episcopos 239.
ludouicus Imperator à filijs inclusus 238.
ludouici Imperatoris mors 241.
ludouicus rex Caroli Magni filius 233.
ludouicus Imperator ad reliquias S. Goaris orans, dolore pedum liberatur 106.
ludouici regis Francorum natiuitas predicta 727.
ludouicus coronatur in regem Francię ab Innocentio papa 818.catalogo sanctorum inscribitur 934.
massiliæ in templo Minoritarum humatus 785.
lugdunenses episcopi, Lantbertus 322. Patiens 426. Nicetius 968.
luminaria apud reliquias ardere solita 227.
lumina in templis, suffitus, hymnodia antiquitùs 695.
luminaria olim in templis accensa 162.
lumina ad funus gestata 446.
luminaria mystica & stellę 402.
lupanar euersum 27.
lupanar in ecclesiam consecratum 512.
lupoldus Marchio Cluniacense monasterium largitur episcopo Otthoni 51.
S.Lupi vita 411.
S.Lupi cubile, vestis, vigilię, ieiunia, eleemosynæ, 412.

Iupulus idolorũ ſacerdos per fidem & baptiſmum à duplici cæcitate curatur 911.
Lynicum mare 171.
MAchabæi ad tempus ad inferna deſcenderunt 478. Chriſtianis martyribus in confeſsione & gloria perſimiles 478.
SS. Machabæorum fratrum vita 465.
machabæorum libri encomium 469.
B. Macrinæ virginis vita 262. à fratre Gregorio Nyſſeno ſcripta ibid.
macrinæ mors 270. quomodò ſepulta 271.272. & vbi 272.
de S. Macrina naſcitura viſio matris eius 262. eius ſtudia 263.
de S. Maria Magdalena 298. 302.
magdalena diuinitùs in deſertum locum translata 304.
in Magdalenę capite veſtigia digitorum Chriſti manent 302.
magi ſtellæ ductu Chriſtum adeuntes 684.
magi cur iuſſi non redire ad Herodem 685.
magorũ munera quid ſignificârint 684. virtus 683.
magiſter generalis creatus S. Dominicus quomodò ſuis præfuerit 557. F. Iordanus 570.
magiſtri ordinis prædicatorij 523.
magiſtri qnales quærendi ad inſtituendam iuuentutem 249.
maiorici martyrium 202.
maiorici atrox ſupplicium 202.
S. Mamantis martyrium 754. patria Paphlagonia, pater Theodotus, mater Ruffina ibid.
S. Mamantis parentes in carcere moriuntur 754.
S. Mamertinus adhuc paganus, viſione perterritus, Chriſtum inuocat 432.
mamertinus dæmonum cultor, arguitur à Sauino clerico 431.
mamertinus quomodò ad baptiſmum peruenerit 434.
manſuetudo S. Bernardi 845.
manſuetudo & patientia S. Athanaſiæ 674.
manûs impoſitione fœmina ſanatur 734.
manûs impoſitione ſanati multi 37.43.44.
marcianus pius Imperator 178.
marcus epiſcopus exul, cathedræ ſuæ reſtituitur 24.
B. Maria adeſt parturienti Birgittæ 354
maria amatrix caſtitatis 938.
maria Chriſto ſemper coniuncta 687.
maria cur tribus menſibus apud Elizabeth manſerit 681.
maria, Dei tabernaculum 700.
maria exoratrix mundi nequam 535.
maria & Iohannes Euangeliſta epiſcopum inſtruunt 60.
maria morituro appáret, Petrus & Benedictus 188.
maria poſt completoriũ audito ſigno ſalutanda 211.
maria, protectrix & mater omnium Dominicanorum 545. propugnaculum fidei, & propugnatrix in ipſa ſperantium 705.
S. Maria quæ in nobis amet, quæve oderit 714.
maria vnicum poſt Deum in terra ſolatium 709.
S. Maria vt erga filij mortem ſe geſſerit 689.
S. Mariæ laus 537. 707.
S. Mariæ obitus 691.
mariæ ſub cruce dolor 688.
mariæ varia nomina 703.704.705.
S. Mariæ virginis aliqua geſta 679.
de Maria tractantes, quales debeant eſſe 698.
in Maria ortus & deceſſus miraculoſus 700.
maria Siciliæ regina ex Hungaria, mater Ludouici epiſcopi Toloſani 780.783.
S. Mariani vita 779.
S. Marinę martyrium, quę & Margarita dicitur 274. capite cæditur 278.
marinæ patria Antiochia, pater Aedeſius 274.
marſus magus punitus tandèm credit, & pro Chriſto capite cæditur 153.
martis templum corruit 501.
martyr ſpiritualis quis ſit 477.
martyris præclaræ voces 121.
martyrem cauſa facit, non pœna 479.
martyres audiunt preces noſtras 652.
martyres centum viginti 617.
martyres concremati 628.
martyres diuinitùs conſolati, eorumq; plagæ ſanatæ 276.
martyres innumeri & confeſſores 202.
martyres in tormentis diuinitùs conſolantur 633. 757.
martyres multi apud Sebaſteam 223.
martyres multi doctrina S. Chriſtophori facti, & quadragintaocto hominum millia conuerſa 362.
martyres multi fiunt, audita voce diuinitùs 277.
martyres noſtri, patroni 622.
martyres rogari volunt, vt nobis ſubueniant 42.
martyres vnde dicantur 332.
ex martyrum corporibus proſilientes radij, eccleſiam illuſtrant 473.
martyrium non caret mercede 591.
martyrij deſiderium in Machabæorum matre 472.
martyrij duo genera 335.
martyrium expetit B. Dominicus 531.
ad martyrium ineundum ſe mutuò fratres Machabæi hortantur 471.
ad martyrium ſpirituale quomodò perueniatur 331.
mater Machabæorum conſolatur & obſecrat filium iuniorem, vt in fide perſeueret 467.476.
mater vera quæ dicatur 476.
matrem per viſionem conſolatur Simeon 9.
matrum corporalium & ſpiritualiũ diuerſitas 472.
marernus affectus erga filiorum ſalutem 469.
S. Mauricij & ſeptuaginta militum martyrium 243.
mauricius cum militibus ſuis accuſatus 243.
mauri Catholicos miſerè premunt 197.
maxentij interitus 163.
maximianus gener Diocletiani 163.
maximianus præſes perit, & idola diſſoluuntur 365.
maximiani erga cultum dęmonum ſtudium 243.
S. Maximæ, Donatillæ, & Secundæ virginum martyrium 423. virgines tres poſt multa ſupplicia capite cæſæ 423.
maximinus epiſcopus in monaſterio ſe macerat 33.
medico Euphroſyno poſt alias diſciplinas traditur Panteleemon 394.
à medicis propter curationes defertur Panteleemon 396.
mediolanenſis epiſcopus Ambroſius, S. Philaſtrij collega 231.
mediolanenſium ſchiſma componit ſanctus Bernardus 819.
apud Mediolanenſes ſchiſmaticos dæmonis ſæuitia 820.
mendacio poſt habitũ ſemper abſtinet S. Salus 6.
meretrices à Chriſtophoro conuerſæ, irrident dæmonum ſimulacra 754.
meretrices ad pudicitiam mirabiliter conuerſæ 16.
meſſalini ſæuitia in Apollinarem 334.
meſſalino prædi ſiſtitur Apollinaris 326. ab eo mirè cruciatur 325. 333.
meſſana Siciliæ vrbs obſeſſa 361.
meſſanenſis epiſcopus Vindericus 599.
metenſis epiſcopus creatur Arnulphus 748. ſubſtituitur ei Goëricus 750.
metenſes epiſcop. Gundulphus 655. Pappolus 752.

metis

metis quondàm Mediomatricum 97.
metrophanes prædicit qui ſint ipſi ſucceſſuri 165.
metrophanem epiſcopi & Conſtantinus imperator inuiſunt 165.
metrophanem inuiſit Alexander 164.
meruendum ſemper 830.
Miles Chriſti qualis eſſe debeat 325.
milites S. Cucuphatem flagellantes, excæcati 364.
milites Mauricij, zona habituq; militari priuati, in carcerem truduntur 245.
milites quadragintaſex baptizantur 616. decollantur cum vxoribus 617.
militum conſtantia & eorum interitus 123. 658.
militum in regem Kanutum fides 173.
miraculum Chriſti primum 686.
miraculum Macrine in oculo curando editum 273. aliaq; propter incredulos omiſſa ibid.
miraculum ſtupendum 14.384.936.
miracula aliquot S. Auguſtini 966.
miracula S. Anatoliæ 152. S. Arnulphi Metenſis epiſcopi 748. & ſeq. S. Bernardi innumera 839. S. Birgittæ 358. S. Birgittæ 358. S. Diſipodi 144.145. S. Dominici 531.546. S. Lãdradæ 138. S. Lupi 412.413.
miracula S. Germani iuſſu Caroli regis cõſcripta 372
miracula ad S. corpus B. Mariæ 691.710.
miracula ad S. Diſibodi reliquias propter inſolentiam ceſſant 146. rursùs fiunt 148.
miracula ad ſepulcrum Carilephi 39. B. Galli 25. Germani 371. Goaris 100. Godoleuæ 112. S. Mariani 780. Monegundis 45. SS. Proceſſi & Martiniani 41. Ruffinæ & Secundæ 158. Vdalrici epiſcopi 89. S. Vuerenfridi 671.672. S. Vuilhelmi 417. Vulmari 287.
miracula ad ſepulcrum ſanctorum 737.
miracula poſt ſanctorum obitum 46.100.147.174. 575.782.
miracula varia ſanctorum 27.29.30. 85.94.212.410. 710.
miracula vt fiant, fides requiritur eorum, in quibus ſunt exhibenda 231.
miraculorum ſcopus quis ſit 66. 227.
miraculis conuerſi 40.62.71.323.361.364.
miſericordia in Dei iudicio prodeſt 20.
miſericordia Leonis abbatis in pauperes 191.
miſſa celebratur 24.288.
miſſæ celebratio quàm ſit antiqua 602.
miſſam bis ornamentis indutus epiſcopalibus in natiuitate B. Iohannis Baptiſtæ fecit Vdalricus 88.
miſſam celebrat die, noctu ſemper orat Vdalricus 79.80.
miſſam die Dominico celebrat Gallus 24.
miſſam dum audit Monegundis, curat quandam puellam 43.
miſſam grandæuus celebrat Vdalricus 87.
miſſam ſexta feria ad reliquias ſanctorum celebrat Vdalricus 85.
miſſam indiès celebrat Goaris, legitq; pſalterium 92.
miſſam pro defunctis celebrare docetur F. Bertrandus 552.
miſſam quotidiè audire ſolitus rex Kanutus 173.
miſſam quotidiè celebrat S. Hildulphus Treuirenſis archiepiſcopus 181. S. Dominicus 564.
inter Miſſam poſt lectum Euangelium concio habita 241.
miſſa peracta & perceptis Sacramentis, obijt S. Birgitta 357.
in Miſſa dextera videtur cum Vdalrico ſanctificare ſacramenta 81.
in Miſſa hoſtiæ eleuatio 541.
in Miſſa ſub eleuatione miraculum ſemper viſum à S Gerekino monacho ſanctiſsimo 355.
in Miſſa ſub Euãgelio ſurdus & mutus curatur 288.
miſſæ ab epiſcopis peractæ 236.240.
miſſæ celebrantur 107.222.349.444.447.540.564. 576.615.857.858.859.860.861.862.
miſſæ in cãpo peractæ 351. & inter eas miracula ibid.
miſſæ in eremo celebratæ 34.
miſſæ in fluminis ripa celebrata 86.
miſſæ in tugurio peractæ 325.
miſſæ votiuæ 432.
miſſas audit & in magnis feſtis communicat S. Ludouicus 781.
miſſas celebrat priuatas Apollinaris B. Petri diſcipulus 324.327.
miſſas celebrare vetat literis rex Hunericus 198.
miſſas vno die tres celebrat epiſcopus Vdalricus 80.
modeſtia Goaris coram rege Sigeberto 96.
modeſtia S. Dominici 552.
modeſtia S. Petri 453.
modeſtia pueri Ieſu 686.
in Mœſia prædicat Chriſtum Apollinaris 327.
moguntinus epiſc. Ruthardus monaſterium ſancti Diſibodi reſtituit, Adelbertº, Vuillegiſus 150.151.
moguntini epiſcopi Lullus 99, Bonifacius 149. Ruthardus 150. Albertus 851.
monacha ex regina 655.
monacharum præfecta Athanaſia 673.
monachatus aliquibus prædictus 849.851.
monachatum aſſumentibus quid faciendum 798.
monachatum deſiderante Gallo, patris conſenſum expetit Abbas 22.
monachatum ſorte oblatum alacres aſſumunt mirè S. Salus & abbas Iohannes 3.
monachiſmi laus 7.
ad monachiſmum hortationes 3. 4.
monachus adhuc nouitius quomodò ſe Bernardus geſſerit 798.
monachus apoſtata 853.
monachus S. Arſacius ex milite 746.
monachus egregius Matthias 674.
monachus ex cancellario 28.
monachus ex maritato 5.
monachus ex milite 717.
monachus fit Arſenius in monte Scetes, ex aula fugiens 251.
monachus fit Kilianus presbyter & præfectus monaſterij 131.
monachus frater regis 851.
monachi ſcopus 252.
monacho quid aſſiduò cogitandum 260.
monacho ſingularitas vitanda 837.
monachi agrum colunt 28.
monachi Bobienſes præclari, Blidulphus 777. Meroueus, Agibodus 778. Thedoaldus, Baudacharius, Leopardus 778.779.
monachi Claræuallis Philoſophi & Rhetores 816.
monachi ex epiſcopis 53.86.528.
monachi ex nobilibus 788.
monachi fiunt multi docti viri 851.852.
monachi fiunt multi ſpectabiles viri 37.
monachi in carcerem ducti trucidantur 768.
monachi ſolæ orationi deſtinati 30.
monachorum angelicus chorus 3.
monachorum angelicus habitus 5.
monachorum eſt, aliquãdò manualibus vacare operibus 286.
monachorũ in monte Hor abbas Theodoricus 26.
monachorum rebellium pœna 786.
monachis locorum mutationes exitioſæ 257.
monachis nihil cum ſeculo commune 658.
monachis nutriendos pueros tradidêre veteres 32. 33.78.
monachos præ cæteris amat S. Dominicus 565.
monachos verberantes puniti diuinitùs 777.778.

in monachos odium ſatanæ 144.
monaſterium Belleuallis prope Chryſopolim 849.
monaſterium S.Benedicti in monte Diſibodi 150.
monaſteriũ Bobienſe S.Columbanus extruxit 317.
monaſterium Campidonenſe 85.
monaſteriũ S.Carilephi etiam reginæ inuium 38.
monaſterium Cluniacenſe 728.
monaſterium Cremonenſe 22.
monaſterium S.Dionyſij 350.
monaſterium Dominicanorũ Toloſæ extructũ 536.
monaſterium Drepanenſe Carmelitarum 594.
monaſterium S.Galgani Ciſtertienſe in Tuſcia 574.
monaſterium abbatis Geraſimi 4.
monaſterium S. Gereonis Coloniæ, eius abbas Maximinus 105.
monaſterum S. Germani 431.
monaſterium S.Germani ab incendio liberatur 374. 382.
monaſterium in monte Hor extructum à B. Remigio 26.
monaſterium Inſulanum 466.
monaſterium inſulenſe Augia dictum 85.
monaſterium Lobienſe regulæ S.Benedicti 168.
monaſterium Macharij Dionyſij 373.
monaſterium S. Medardi apud vrbem Sueſſionenſem 717.
monaſterium S.Miniatis prope Florentiam.183.
monaſterium monachorũ quos Nigros vocant 183.
monaſterium Muſcetanum 185. eius abbas Rodulphus ibid.
monaſterium S.Nicolai 192.
monaſterium Paſſinianum 186.
monaſterium Quinciacum 789.
monaſterium Sedacianũ 28.illudq; ingreditur Eparchus, inuitis parentibus, ibid.
monaſterium Septimi 189.
monaſterium Vallis Vmbroſæ 185.
monaſterij Cauenſis religio 190.
monaſterij extruendi locũ ab angelo indicatum 26.
monaſterij extruendi locum Childebertus rex offert Carilepho 36.
monaſterij Prumienſis fundator Pipinus pater Caroli Magni 107.
monaſterium in Gallia decem annis incolit Vuandregiſilus 317.
monaſterium monachorum mulier clàm ingredi volens, punitur diuinitùs 39.
monaſterium virginũ S. Clara apud S. Damianum colligit 637.
ad monaſterium Bobienſe oraculo monitus venit Vuandregiſilus 317.
in monaſterio montis Falconis vixit Vuandregiſilus 315.
in monaſterio pietati vacat Vuibrata ancilla 78.
monaſteria circa Iordanem 3.
monaſteria S.Clarę extructa 637.
monaſteria monachorum mulieribus inuia 39. 218.
monaſterijs multa largiti maiores 145.184. 185. 219. 231.
monaſteria ingreſſi, non indè trahendi 661.
monaſteria multa Carolus Caluus reſtaurat 384.
ob monaſteriorum deſtructionem ſancti vltionem expetunt contra Arnulphum 82.
monaſteria extruit Audoënus 905. Diſibodus 144. Glodeſindis 368. Humbertus 808. Iohannes Gualberti 185. S.Philibertus 786.788.Radegundis 661. Vrſus 402. Vuandregiſilus 316. 319. S. Vulmarus 286.
monaſteria extruit Ottho epiſcopus 51.condit & alia quindecim monaſteria & quinq; cellulas 50.& ſeq.
monaſtica profeſſio alter eſt baptiſmus 7.
monaſticæ vitæ radix vita eremitica 145.
monaſtuam profeſsionem delere peccata 6.
Monegundis mortem filiarum deflet 42.
B.Monegundis coniugatæ vita 42.
mons apud quem vixit Magdalena 304.
in monte Horeb colloquium Eliæ cum Deo 282.
mores Vdalrici pueri alijs imitandi 78.
moribundę facies inſtàr luminis fulget 676.
pro moribunda matre oratio 9.
morienti Vuandregiſilo multi adſunt ſancti 322.
morituro B. Arnulpho ſancti apparent 736.
morinorum regionem conuertit ſanctus Victricius 602.
mors corporalis, principiũ vitæ animæ noſtræ 333.
mors duplex & vita 308.
mors horrenda nobilis cuiuſdam 724.
mortis dies aliquibus reuelata ſancti Bernardi 849. 853.
mortis diem ſancti viri vigilijs prætererunt 133.
mortem prædicit Arſenius 261. Diſibodus 146.Dominicus 565. Euerhardus 85. Fridericus Traiectenſis epiſcopus in templo cæſus 240.
mortem precioſam vita & cauſa faciunt 479.
ad mortem ſancti ſe bonis operibus præparant 508. 599.
à morte ſanctorum miracula 677.752.
mortua mulier ad interrogata reſpondet 602.
mortuus reuixit 106.
mortuorum corpora abluendi conſuetudo 779.
moſis & Gregorij Thaumaturgi comparatio 61.
moyſes & Elias cur cum Chriſto viſi in transfiguratione 591.cur diſparuerint ad vocem Dei patris 588.592.
Munera ſancti viri reſpuunt 38.
mundus materialis typus inſenſibilis mundi 584.
in mundo cautè ambulandum 11.
muſonius Gregorium Thaumaturgum excipit 63.
mutus curatus, ſicq; multi crediderunt 324.
mutus curatur 787.

Naboth iniqua cædes 282.
Nabuchodonoſor rex in miniſterio ſuo habet Danielem alioſq; tres pueros 289.
nannetenſis epiſcopus Brictius 828.
narciſſus epiſcopus 509.
narciſſus epiſcopus Auguſtæ Vindelicorum Afram meretricem cum ſuis conuertit 510.
S.Narciſſus quĩ dæmonem illuſerit, S.Afræ ſuarumq; conuerſionem nolentem 512.
narratio memorabilis Macrinæ ſub mortem 268. & quĩ ſe tunc geſſerit ibid.
natiuitas Chriſti 682.
natalem Domini Moguntiæ cum imperatore Henrico IIII.celebrat Ottho 49.
in natiuitate Eliæ quæ contigerint 279.
naturæ duæ in Chriſto 589.
naucratius frater Macrinæ fit ſolitarius cum Chryſaphio 264.moritur ibid.
naucratius ſenes morbidos & inopes ſuo labore ſuſtentat 264.
Neanias dictus Procopius 121. mater eum apud Dioclerianum ob Chriſtianam fidem defert 120.tandèm credit 124.
neanias Alexandriæ præficitur 117.
neaniæ volenti Chriſtianos perſequi Chriſtus appáret 118. & crux verba fundens, ſeſe ei oſtendit ibid.
neapolitanus rex Robertus 596.
nemeſius cum filia Lucilla occiſus 499.
nemeſij ordinati diaconi precatio 498.
nemetum nunc Spira 99.
neocæſaria vndè dicta 56.
neocæſareenſes multos conuertit Gregor. Thaumaturgus 63.
neptunus prædo inſignis 127.
nero quandò Petrum & Paulum vinxerit 40.
Nicardus comes tres ſacerdotes in monte Diſibodi conſtituit 149.
niceæ fons erupit vbi conſtiterant patres illius ſynodi 162.
nicena ſynodus contra Arrium conuocatur 159.
nicena ſynodus quandiù duraverit 165.
nicenæ ſynodi patres aliqui ſanctiſsimi viri, aliqui fautores Arrij 169.
nicenę ſynodi patres Cõſtãtinº honorificè habet 169.
nicenæ ſynodi ſtatuta miraculo confirmata 161.
nicenæ ſynodo S.Iacobus Niſibita intereſt 216.
niceno concilio honeſtiſsimum locum deputauit Conſtantinus 160.
nicomediæ Arrianus epiſcopus Euſebius 164.
nicommediæ terræmotu multi pereunt 746.
niſibis à Perſis poſt mortem Iacobi Niſibitæ occupata 217.
niſibis epiſcopus creatur Iacobus 215.
niſibim rex Perſarum obſidet, ſed eius exercitum debilitat orando Iacobus epiſcopus 216.
Nobilitatis vitia 22.
nobilium optimæ inſtitutiones 732.
nomina ſeptem martyrum dormientium 386.
nord Humbrorum gentis prouinciæ 514.
nord Humbrorum rex Oſuualdus 519.
noricorum dux Arnulphus 81.Henricus 82.
nortmanni non valent incendere S. Germani eccleſiam 374.
nortmannorum irruptio in Galliam 241. 381. tyrannis in Chriſtianos 373.380.
noua introducere timebant ſancti in primitiua Eccleſia 477.
nouiomẽſis epiſcopi Ratbodonus 109. Eligius 920.
nouiomenſium epiſcop. Simon 849.
Nubes lucida S.ſpiritus 585.
numerus ſeptenarius olim laudabilis 469.
nuptias recuſant Suſanna virgo 624. Macrina 263. Glodeſindis 367.Landrada 135.
nubit inuita S.Radegundis Clotario regi 654.
nuptias reſpuens B. Gallus, monachus fit Cremonenſis 22.
nuptijs peractis cõtinenter viuũt S. Lupus & Pimeniola 411. Vuitgerus & Amelberga religionem ingrediuntur 168. Vuandregiſilus & eius coniunx 315. Alexius ſponſæ valedicit inſcijs parentibus & ſponſa 221. maritus S. Athanaſiæ fit monachus 673.
vlpho cum S.Birgitta vxore toto anno, quadrageſima, diebus ſolennibus, qualibet ſexta feria viuit continenter 353.
nubent nulli puellæ coactè 723.
nuptialem volens caſtitatẽ, à morte liberatur 20.
nubit inuita Vuitgero Amelberga 167.
nubit bis inuita S. Athanaſia 673.
nuptias principis fidelis cũm infideli vxore non fert Kilianus 132.
nuptias illicitas Ludouici regis reprehendit Fridericus epiſcopus 236.

Obedientia S. Arnulphi in epiſcopum conſecrati 729.
obedientia S.Bernardi 838.
obedientia Elſtani monachi 493.
obedientia Ieſu erga parentes 686.
obedientia monachi ex epiſcopo facti 53.
obedientia prælatis exhibenda 94.
obedientiæ dignitas 426.
obediendum ſimpliciter ſuperiorum præceptis 336.
obtrectationes non fert Eudocimus 408.
obtrectator quomodò punitus 16.
Ochozias rex quomodò ob idololatriã mortuº 283.
Odulphus presbyter 236. venit Traiectum ibid.
odulpho angelus per viſionem apparet 236.
odulpho committitur eccleſia Stauerenſis 236.
Officium eccleſiaſticum perſoluit Ludouicus 784.
officium principis 834.
Olauus à Kanuto captus, in Flãdriam carceri mandatur 171.
olaui animus perfidus in fratrem Kanutum 171.
olaui cum primoribus Danorum conſpiratio 171.
oleum ſpiritus S. rectè dicitur 329.
oleo benedicto pelluntur morbi 430.
oleo conſecrato multi ſanati 85.
oleo maris tempeſtas ſedata 437.
oleo ſacrato curatur homo 952.
oleo ſacro & crucis ſigno curatur regis oculus 27.
oleo ſanatur manus & oculus Mamertini 434.
oleo ſanatur partu periclitans 597.598.
oleo ſancto & precibus reuiuiſcit regis filia 27.
olybrius præſes Marinam capit 275.
olybrius præſes Marinam vult habere coniugem 275. eiſq; blanditur ibid.
olympiadis & Maximi certamen 609.
Opera bona Deo grata 168.
opera Dei non facilè compræhenduntur 451.
opera miſericordiæ 236.583.611.
operum bonorum copioſus fructus 147.337.653.
operum bonorum magna merces 80.
Oratio Arſenij ad monachos 253.
oratio hiſtorica de ijs quæ Niceæ à ſynodo geſta ſunt 163.
oratio aſſidua & ardor diuinorum officiorum in primis Prædicatoribus 571.
oratio Carilephi in deſerto 35.
oratio cum genuflexione 141. 830.
oratio cum lachrymis 142.
oratio Friderici in epiſcopum electi 235.
oratio in carcere S.Marinæ 276. 277. eiuſdẽ ſub mortem preces 278.
oratio iuſti pro alio multùm etiam valet 318.550.
oratio martyrum in carcere pro ſapientia 245.
orationis contra tentationes vis 8.
orationis merito ſanctæ reliquiæ reperiuntur 99.
orationis lachrymis rigatæ vis 30.32.37.597.
orationis piæ magna vis 18.24.29.43.64.71.415.445.
orationis quanta vis 89.349.430.602.911.
orationem ad lapillorum congeriem fundit S. Clara 635.
oratione à perſecutoribus conſeruati 71.
oratione curati multi 144.145.
oratione occidit draconem S.Leo 193.
oratione pluuiam detinet Elias 281.
orationes martyrum in carcere 307.
orationes perpetuæ S.Bernardi 805. earum magna vis 813. 852.
orãs S.Dominicus, à terra crebrò eleuatur 534.564.
orans globos igneos in cælum mittere videtur Salus 18.
orare ante cibum, mos Chriſtianus 509.
orare ter in die ſolitus Daniel 293.
orat S.Andreas dux pro inuocaturis ipſum & ſocios 774.
orat aſſiduè Eparchius 31.
orat coram crucifixo nocte S.Birgitta 353.
orat de nocte S. Radegundis 654. ſæpiſſimè rex Oſuualdus 521.
oratur ante crucis ſignum 635.
in orando noctes integræ conſumptæ 254.
oratorium ſuper fontem extructum 34.
orcheſum caſtellum 773.
ordo Dominici confirmatus 537.
ordo vallis Vmbroſæ à quo fundatus 183.

ordo Subdiaconatûs & Lectoratûs 601.602.
ordo nouus S.Birgittæ 355.
ordo Francisci reformatur 210.
de ordine S.Francisci reuelatio S.Birgittæ facta 359.
ordinis Prædicatorij multa extruxit monasteria Carolus rex Siciliæ 303.
ordinis Prædicatorij viri illustres 547.548.
in ordinem Prædicatorum amor Mariæ Magdalenæ 302.
de ordine Prædicatorio r euelationes 535.
ordines collati 318. 324.497.630.
ordinationes Liborij in eius episcopatu 341.
ordinum monasticorum vtilitas 634.
ordines.Subdiaconus,Diaconus, presbyter consecratus S. Fridericus episcopus & quomodò se tunc gesserit 233.
orientales bello vicit Kanutus 169.
origenes cur sit lapsus 14.
origenis discipulus Gregorius Thaumaturgus 58.
ornamenta S.Mariæ summatim compræhensa 696.
Oscula patrui sui gentilis Susanna respuit 626.
osius episcopus Occidentales Arrianismo purgat 165.
ostentatio in operibus Dei mala 148.
ostentationem odit Arsenius 260.
ostienses episcopi Hugolinus 547.Maximus 616.Albericus 842.
S.Osuualdi Anglorum regis gesta 514.
osuualdus rex accersit Aidanum, vt præsit episcopis 515.
osuualdus rex cæditur 519. post obitum miracula ibid.
S. Otthonis episcopi Babenbergensis vita 47. eam conscripsit quatuor libris Andreas Abbas extra Babenbergam 54.
Otium summè vitat Birgitta 354.
Oxonienſis episcopus Didacus 527.

Paderborna pagus 344.
paderbornensis ecclesia olim monasterium 351. ibidèm S. Liborius conditus 351.
paderbornensis ecclesiæ encomium 344.
paderbornenses episcopi, Hathumarus 344. Baduradus ibid. Biso 343.
paderbornensibus datur corpus S.Liborij 348.
palatinus comes sanctus Arnulphus 82.
pallij vsus antiquissimus in ecclesia 166.950.
panis monachis miraculosè datus 187.
panis & vini miraculosa auctio 730.
panteleemon vndè dictus 401.
panteleemon patrem per cæci curationem conuertit 395.
panteleemon per paralytici curationem confundit idolorum cultores 397.
S.Panteleemonis martyrium 393. eius pater Eustorgius,mater Eubula ibid.
paphnutius Aegyptius 159.164.
paphnutius à Maxentio oculo manuq; priuatus 164.
paralytici clerici curatio 842.
parentum semper cura habenda 688. eorum meritis benedicuntur liberi 939.
parisij vndè dicti 349.
parisijs Dominicani obtinent domum S. Iacobi 538. Bononiæ templum S.Nicolai 547.
parisijs iuris canonici lector Reginaldus 543.
in Parisiensi vniuersitate profitetur librum Sententiarum B.Bonauentura 210.
parisienses episcopi Ercanradus 349. Agilbertus 518. Germanus 661.
parmenij & sociorum eius martyrium 608.
pascha eodem tempore celebrandum in omni ecclesia,Nicena synodus mandat 161.
paschate in sanctam ciuitatem profectio 17.
paschasius diaconus ob pertinaciam loco pœnali deputatus 87.88.
passio septem martyrum apud Carthaginem 766.
passionis Christi amor feruens in S.Clara 642.
passio matris Machabæorum maior quàm filiorum 475.
passa est mater per vnumquenque filiorum 476.
pastoris boni officium 141.
pastoris veri solicitudo 485.
patauienses episcopi, Dedalricus 506. Valentinus 507.
patientia S. Claræ 644. S. Dominici 530. S. Bernardi 844.
patientia erga homines triplex, in omni genere excellit S.Bernardus 844.
patria, maioresq; neminem verè laudant 56.
patris cælestis de Christo testimonium 579.589.592.
patrum scripta legit reuerenter S.Bernardus 800.
SS.Pauli & Iulianæ martyrium 759. obtruncantur post multa supplicia 766.
pauperes non auersandi 18.20.
pauperes euangelici alios virtutum diuitijs locupletant 489.
pauperes quid nobis conferant 947.
pauperum fraus punita 215.
pauperibus flexis genibus inseruit rex Ludouicus 932.
pauperibus distribuitur inuentus auri thesaurus 37.
pauperibus ecclesiæ ornamentis opitulatum 494.
pauperibus erogari iubet oblata dona Anatolia 152.
pauperibus omnia sub mortem distribuit Vdalricus 87.
pauperes curant S.Birgitta 354. S. Vuilhelmus 414. S.Germanus 444. Vuandregisilus 315.316. S.Raineldis 218.
in pauperes benignus rex Hungariæ Stephanus 878. S.Audoenus 903.
paupertas S. Claræ 638. Macrinæ 270. S.Dominicâ 553 556.S.Birgittæ 356.
paupertas misericordem non opprimit 36.
in pauperes liberalitas Landradæ 737.
pauperibus bona sua elargitur Fridericus Traiectensis episcopus 233.
pax in nundinis priuilegio sancita 733.
pacis lucrum vectigali præstantius 64.
pacis studiosa S.Radegundis 663.
peccatum mortale nunquàm admisit S. Dominicus 562.
peccati turpitudo 619.
peccato mortali obnoxij valdè sordent S. Birgittæ 358.
peccata celare, quàm periculosum sit 242.
pectoris verberatio 667.
pedes Iesu quos tenuit Magdalena 300.
pelagiani damnantur à Romanis Pontificibus 961.
pelagiani in Anglia disputatione confutati 438.
peregrinatio ad loca sancta 11.141.634.
terram sanctam grandæua visitat S. Helena 768.
peregrinatio S. Birgittæ Romam 356. Ierosolymam præceptà Christo ibid.
peregrinationes ad S.Iacobum 352.354.533.Ierosolymam 262.693.
peregrinationes veterum ad terram sanctam in festo exaltationis S. Crucis 3.
peregrinationes multas susceperunt parentes S. Birgittæ 352.
peregrinus episcopus & martyr 433.
perfectio, sanctitasq; S. Dominici 527.
pergamensis episcopus Gaudentius 231.
periurium Ludouici regis, eiusq; coniugis Iudithæ 241.

persæ frustrà nitûtur cõburere ossa S.Euphemiæ 177.
persarum rex Cosroe obsidet Edessam 742.
persarum rex Sapores 216.eius visio 217.
persecutiones Valeriani & Galieni, in qua præses Donatus 156.Maximiani 243.771.Diocletiani & Maximiani 116.163.632.Diocletiani 223.363.Galieni sub Anolino 423. Decij 387. Aureliani 74. Hunerici regis multis prædicta visionibus 195.
aduersùs persecutionem munitio septem martyrum dormientium 388.
pestis oratione sedata 24.73.
B.Petri apostoli gesta 448.
S.Petrus cur labi permissus 459.
petrus venit Romam 323. Romæ docuit 424. ibiq; sepultus 454.
petri & Pauli laus 424.425.
S.Petrus mittit Apollinarem Rauennam 323.336.
petri laus eximia 424. 453.
petri primatus 330.pœnitentia 424.
Petrus & Paulus inuocâdi pro conseruãda fide 425.
S.Petrus crucifixus capite in terram deuoluto 448.
petrus os Apostolorum 453.
petrus & Elias arces fortissimæ, à mulieribus vincuntur 463.
petrus grauiùs peccâsse creditur quàm Elias 464.
petrus primus apostolorum prædicatur 895.
B.Petro orbis terræ commissus 459.
petrus Leonis antipapa 816.eius in calices & Crucifixi imagines barbaries 816.817.
petri Leonis antipapæ pertinacia & crudelitas 819. eius assectæ qui 827.eius interitus 833.
petrus Macrinæ frater ab ea piè institutus 265. ingenio pollet,& pauperes amat 266.
petrus Pisanus schismaticus ecclesiæ conciliatur 832.
petrus Abailardus hæresios damnatus 841.
petrus Abailardus hæreticus summũ agnoscit Pontificem 841.
pictauensis episcopi suscipit operam vicariam S. Vuilhelmus 416.
pictauenses episcopi Ansoaldus 789.Ebroinus 372.
pietas S.Macrinæ in matrem 263. ei persuadet vt intret religionem 265.
pietas puellæ Radegundis 654.662.
pietas mira Mamantis pueri 755.
pipinus adiungit cellam B. Goaris monasterio Prumiensi 108.
pipinus & cellam Goaris reædificari,& clericos doceri curat 99.
pipinus rex flet 371.
piratas adolescens dissipauit Kanutus 169.
pisanus episcop.Guido 819.
pisani Pœnos & Baleares insulas subigunt 817.
pisces miraculosè exhibiti 101.186.
S.Philastrij episcopi Brixiensis vita 205. eius obitus 226.
S.Philiberti abbatis vita 787.
S.Philibertus Rasbacensis monachus 787. falsò delatus vincitur 789.
philosophia ad Christianismum iuuat 57.
philosophiæ operam dat Alexandriæ Gregorius Thaumaturgus 57.
philosophus defendens Arrij dogma, ab episcopo simplici confutatus credit 161.
philosophus Abraham 57.
Placidia regina 444.
de S.Platone martyre 307. ei caput amputatur 313.
Poloniæ dux Boleslaus Otthonem episcopum accersit 47.
poloniæ dux Miesca 875. fit Christianus 876.
polychronij martyrium 608.
pomeraniæ princeps Christiernus suos ad fidem conuerti petit 52.
pomerani principis coniunx cum tota familia baptizatur 52.
pomeranorum Apostolus Ottho 52.
pomeranis Christũ euangelizans, multa patitur 52.
pomeranos subiugat Boleslaus Poloniæ dux 52.
pœnitentia Mariæ Magdalenæ 298.
pœnitentia qualis pro peccatis suscipienda 96.
pœnitentiam quam suaserit Daniel Nabuchodonosor 292.
ad pœnitẽtiam Achab ob interfectum Naboth, quomodò adspexerit Deus 383.
pontificis authoritas 958. studium pro reformatione monialium 539.
portuensis episc. Conradus 573.
portuensis episcopus Iohannes, & Franciscanorum generalis minister 781.
posteritas celebris S. Arnulphi Metẽsis episcopi 753.
S.Potentiana 298.
S.Praxedis vita 298.
præcepta à Dominico fratribus data 565.
præcepta regi tenenda 37.
prædicationis Vuerenfridi vberes fructus 670.
prædicatores Romæ ad sanctam Sabinam commigrant 541.
prædicatorum primorum feruor 570.
præmia B. Dominici diuinitùs reuelata 569.
præsentatio Christi 683.
ad præsulatum qui sint assumendi 331.
precatio S.Procopij 128.sub mortem alia 130.
preces piorum non fert dæmon 511.
preces piorum pro alijs multùm valent 731. 970.
preces Mariæ quid valeant 705.
preces Augustini quanti fuerint apud Deum ponderis 966.
preces Susannæ 628. S. Claræ & earum vis 641. Dominici 563.earum efficacia 561.
precibus Priuati ab obsidione sui liberantur 885.
precibus, obsidione liberatur Augusta 84. Assisium 641.vitam prolongat S. Friardus 491. hostibus aquam, impetrat S. Callinicus 436. perfringit compedes S.Eparchius 30.liberat fratrem à pœna sui purgatorij Bernardus 808.
presbyteri Arriani perfidia 167.
presbyterorum horrenda mors 88.
presbyter trigesimo anno factus Disibodus 140.
principis Arnulphi interitus 83.
priuati episcopi Gaualitani martyrium 884. eius magna constantia 885.decedit è vita ibid.
priuilegium episcopis Bambergensibus à Pontifice concessum 50.
processio nudis pedibus ab Otthone episcopo 49.
processio imaginis Christi Constantinopolis 745.
processiones honorificæ ad excipiendas reliquias S. Liborij 349. 351.
processiones cum crucibus ad impetrationem episcopi celebratæ 48.
processi & Martiniani martyrium 40.
S.Procopij vita & martyrium 116.
procopius multos conuertit 122.
procopius duodecim matronas in carcere confirmat 124.
procopij cruciatus & mors 129.
prophetæ paxilli ærei in circuitu tabernaculi 895.
in prophetam vngit Elizeum Elias 283.
prophetiæ Apollinaris 328. Arnulphi Suessionensis episcopi 722. S.Bernardi 852.
propheriæ spiritu illustres, Nicõ insignis monachus 4.Phœdimus episcop' 59.Godoleua 111. Iohãnes Gualberti 187.Dominicus 534.Bernardus 813.
propitiatoriũ totius orbis post Christũ S.Maria 703.
propugnatrix in ipsa sperantium S.Maria 705.
prosapia materna S.Arnulphi Suessionẽsis episc. 716.

prouinciales monasteria sua visitabunt 598.
prudentius scriptor vitæ S.Casiani 652.
prumiensis primus abbas Assuerus 99. secúdus Tancradus 103. tertius Marcuardus 106.
Psalmus cxxiij.post visionem martyrij cuiusdam à Greg.Thaumaturgo decantatus 71.
psalmi sanctis & martyribus familiares 61.220.224. 263.324.364.365.396.405.
psalterium memoria tenet Gaugericus 629. S.Athanasia 673.
pseudoepiscopus diuinitùs punitur 827.
pseudoepiscopi pro legitimis substituti 827.
pseudoprophetas frustrà deos inuocantes irridet Elias 281.
Publius Antonini imperatoris præfectus 153.
pudicitia magna monachis seruanda 545.
pudicitia Susannæ virginis 624.
pudica mens spiritûs sancti sacrarium 922.
puella dæmonio liberata 31.
in puellas impudentes maledictio 214.
pueri duodecim catholici, ab Arrianis fustibus cæsi 205.
pueri tres in fornacem ardentem proiecti 291.
pueritia sancti Gregorij Thaumaturgi sanctissima 57.S.Galli 22.Friderici episc. 232.
pulchritudo corporis multis ad lapsum occasio 67.
puritas primorum Prædicatorum 572.

Quadragesima tota mira inedia in ea se afflixit Eparchius 31.
Ieiunio toto nihil comedens 13.
in Quadragesima vitæ asperitas S. Radegundis 654.
in quadragesima austeritas vitæ S.Dominici 532.533.
in Quadragesima victûs asperitas S.Radegũdis 657. & extra illam 662.
in Quadragesima strictè ieiunat S.Athanasia 673.
quadragesimæ dies venerabiles 439.
quadragesimus dies defunctorum olim obseruatus 677.
quadraginta dies ieiunat S.Mamas 756.
quæstores Kanuti regis iniqui cæduntur 172.

RAdegundis reginæ vita 653. mors 667.
Ragenarius diuinitùs castigatus miserè perit 376.
S. Raineldis virginis vita 217. pater Vuirgerus, mater Amelberga, frater Emebertus, soror Gudila ibid.
S.Raineldis miserè vexata, obtruncatur 219.
raptoris pœna 788.
ratisbonę Hungarorum principes in eculeis suspensi 84.
ratisbonenses episcopi Vuolffgangus 89. Erhardus 182.
rauennæ imperator excipit S.Germanum 444.
rauennæ episcop. S.Apollinaris 323.
rauennam rediens S. Apollinaris, cæditur à plebe 327.
Regina humanæ naturæ S.Maria 698.
reginaldus dum Bononiæ concionatur, valdè crescit ordo Prædicatorum 546.eius mors 553.
reginaldus habitum Prædicatorum sibi ostensum assumit 547.
regij sanguinis quanta fuerit reuerentia apud Danos 172.
regula S.Benedicti laudatur 154.
religiosi viris instituendus traditus Disibodus 140. S.Fridericus Traiectensis episc. 232.
ad reliquias S.peregrinationes susceptæ 179.631.
reliqæ patrum Nicenę synodi minimè dissolutę 162.
reliquiæ. Corpus S.Eudocimi integrum est cum vestibus post diutinam sepulturam 410. S.Leontij 163. S.Athanasię corpus post annum est integrum 677.Lingua Antonij diù post obitum rubicunda inuenitur 211.caput Bonauenturæ solidũ est post diutinam sepulturam 213. post quadraginta annos Vuandregisilus cum vestimentis integer repertus est 323.Corpus S. Vuilhelmi post biennium est incorruptum 417.
reliquiæ. puluere S. Eudocimi curatur quædã 409. Stramine tecti S.Germani curatur furiosus 440. Lectulus B.Galli curat quartanã 24. Cæspitis ex reliquiarum B. Galli contactu mira vis 25.Aquæ vis qua perfusum fuit S. Amatoris corpus 429. Catenę S.Petri olim venerabiles 454.Euphemię reliquiæ sanguinem fundunt salutiferum 177. Reliquiæ S.Mauricij cum sacra legione vbi quiescant 85.
reliquiæ S.Bartholomęi vt in Liparim venerint 893.
reliquiæ eleuantur 148. 220.cõduntur rursus 85.148.
reliquię S.Euphemię ad multa loca diſperlę 180.181.
reliquiæ S.Euphemię quomodò à pijs nautis inuentæ 177.
reliquiæ in arca marmorea S. Alexij Romæ in templo D.Petri positæ 223. Caput S. Friderici auro argentoq; inclusum 243.
reliquiæ S.Mariæ Magdalenæ apud S. Maximinum in Gallijs 302.
reliquiæ militum collectæ 123.124.
reliquiæ sanctorum cruciant dæmones 977. expellunt dæmones à suis templis 376.purgant dæmoniacum 978.
reliquię sanctorum priscis venerabiles 180.227.371. 410.519.629.675.694.907.978.
reliquiæ venerantur à Ludouico,rege Francorũ 932.
reliquiarum ęgiculam dehoneſtans nortulanus,punitur amissione sensuum 84.
reliquiarum magna vis 438.522.
reliquiarum violatores miserè pereunt 376.
reliquijs morborum quędam cerea indicia appendi solita 220.
reliquias & iumenta honorant 133.
reliquiàs S. Goaris visitant multi,& in eius solennitate miracula 107.
reliqias infectatur Leo Imperator iconomachus 176.
reliquias multas Ierosolyma secum fert Raineldis 219. Roma tulit Augustam Vdalricus caput S. Abundij martyris 85.
reliquias sacras colendi mos antiquus 177.
reliquias sacrosq; codices Vuandregisilo dat Papa Vitalianus 319.
reliquias sanctorum conquirit vndiquè S.Radegundis 664.& seq.
reliquias sanctorum dęmon exhorret 665.
ad reliquias sanctorum miracula 115.228.346.347. 350.357.599.
ad reliquias sanctorum sanitates exhibentur 39. 41. 44.100.223.377. & seq.
erga reliquias sanctorum priscorũ Christianorum deuotio 176.346.347.351.420.377.992.
supra reliquias lux cęlitùs vila 374.
de reliquijs & sanctorum intercessione quid sentiendum 345.
ex reliquijs sanctorum suauis manat odor 146.229. 346.
remissio peccatorum reuelatur S.Arnulpho Metensi episcopo 752.
Rhemorum episcopi, Ebbon 240. Rudolphus 731. Aegidius 633.Radulphus 714.
responia martyrum pręclara 275.309.385.397.404. 465.580.581.755.757.
resurrectio mortuorum per septem dormiẽtes martyres confirmata 391.392.
reuelatio S.Corcodemi 431.
reuelationes ad obitum S.Dominici 567.

à risu

à risu alienus S.Bernardus 838.
Roboam regnante tribus Israel disruptæ 279.
robur S.Arnulphi Suessionen.episcopi 716.
rogationes media Quadragesima institutæ 24.
rogationum dies in Gallia facti 630.
romæ Apostolorum limina visitat Vdalricus 79. Idem cò pergit orationis causa 85.
romæ Cathedra Petri 621.
romæ Concilium generale 535.
romæ diaconus ordinatus Arsenius 249.
romæ & Constantinopoli celebris Arsenius 248.
romæ sancta loca visitat Vuandregisilus 317.
romæ B.Petrus sepultus 454.
romæ sanctimoniales vnum in locũ coniunctæ 539.
romę via Appia 40.Aureliana 41.Flaminea 156.Cornelia 157.
romam anno Iubileo ad obtinendas indulgẽtias veniunt multi 360.
romam venit S.Petrus 323.
romam, vt crucifigatur, redit Petrus Christo hortante 40.
roma reliquias secum absportat S.Bernardus 847.
de Roma testimonium Christi 356.
romanus, Imperator Romanorum Christi expetit imaginem 744.
romanus miles conuersus obtruncatus 614.
romanus Pontifex Christi repręsentat personã 645.
rom.Pont.Clemes IIII. ecclesiæ Eboracensi vult præficere Bonauenturam,sed recusat 211.
romanus Pontif. ex monacho Clareuallensi fit Eugenius III. 833.
romanus Pontifex Marinus, episcopatũ offert Vdalrico 79.
romanus Pontifex Simoniacũ episcopum post controuertiã miraculo. oppressum Sede sua priuat 189.
romanus Pontifex Stephanus Iohannem Gualberti accersit 185.186.
romanus Pontif. veniam dat Otthoni episcopo Pomeranos conuertendi 52.
romano Pontifici qui pareant 831.
erga Romanum Pontificem obseruantia Kiliani 131.
romani Pontifices, Conon 131. Marinus 79. Stephanus 185. Honorius, Innocẽtius 816. Clemens IIII. 211.Iohannes XXII.780.Hildebrandus,pòst Gregorius VII.188.Alexander I.541.Alexander 188.
romana Ecclesia omnium ecclesiarum caput 199.
romanæ Ecclesiæ præsul, Papa vocari solitus 249.
rosarij & granorum eius vis 360.
rothomagenses episcopi Audoënus 318. 785. Ansbertus 322.
rothomagi multa olim monasteria & templa 603.
de S.Ruffino martyre 419.
SS. Virginum Ruffinæ & Secundæ martyrium 156.
ruffina & Secunda sorores, earum patria Roma, pater Asterius, mater Aurelia 156.
ruffina & Secunda multis deputatæ supplicijs tandẽ capite cæduntur 157.

SAcerdotalibus indutum vestibus Adalberonẽ in visione cernit Rambertus clericus 80.
Sacerdotes non contemnendi 850.
sacerdotum causas non discernẽt reges 775.
sacerdotibus multum defert Constantinus 164.
in sacerdotes & monachos magna olim reuerẽtia 321
per sacerdotes quisque se Deo commendabit 71.
sacerdotum cur non angelis commissum 459.461.
sacramentis perceptis, Iohannes Gualberti moritur 189.
sacrificium Missæ 242. 497.674.675.
sacrificium offertur pro Augustino defuncto 967.
in sacrificio Missæ curat dæmoniacas S. Bernardus 821. mutum 807.
sacrificat quotidiè S.Ludouicus 781.
sacrilegus dæmone vexatus 220.
sacrilegus impius 241.242.
sacrilegi puniuntur 83.103.104.242.422.
sadducæorũ hæresis tẽpore Theodosij iunioris 386.
salernitani principis crudelitas 192.
salis benedicti vis 855.
salis & olei benedicti efficacia 44.
saltantes puellæ fiunt strabæ 17.
samosati episc. Abramius, Christi imaginem Edessæ suscepit 744.
sanctimoniales quadraginta pro tot scortis substitutæ 27.
sanctimonialium Dominicanorum primum cœnobium Romæ 542. prima sanctimonialis ibidẽm Cæcilia 551.
sanctimonialium dura vita 44.mira sanctitas 265.
sanctimoniales in ecclesia S.Stephani cõgregat Vdalricus 86.
sanctimoniales instituit S.Clara 644. illas moderatur prudenter 644.
in sanctimoniales inaudita crudelitas regis Hunerici 196.
sancti adhuc mortales multum possunt 435.
sancti degunt in cælis 401.
sancti homines vanitatibus moriuntur 142.
sancti hominum applausus negligunt 62.
sancti in cælis iam de sua remuneratione gaudẽt 335.
sancti in operandis miraculis sentiunt sibi diuinam adesse virtutem 950.
sancti inuocantes se exaudire possunt 107.
sancti inuocati adsunt nobis 44.
sancti mortificauerunt membra sua super terrã 113.
sancti mortui plus habent virtutis, quàm viuentes in carne 376.
sancti mundo mortui 260.
sancti nobis opitulantur inuocati 104.224,227.229. 351.421.
sancti nolunt negligi suas reliquias 503.
sancti orant pro nobis 221.443.567.600.
sancti remunerant ipsos honorantes 503.
sancti sciunt res nostras 242.420.421.736.925.974.
sancti semper viuunt 225.247.467.568.
sanctorum catalogo adscribitur S. Kanutus Danorum rex 175. S.Bonauentura multis postulantibus 213.
sanctorum corpora Deo grata 419.
sanctorũ & Apostolorum voces in decessu S.Mariæ 708.
sanctorum exempla, frumenta 190.
sanctorum gesta conscribere quàm sit vtile 362.
sanctorum historiæ quædam ab impijs contaminatæ 274.
sanctorum patrocinia nobis concilianda 42.
sanctorum preces multum valent 337.
sanctorum pro intercessione testimonia & exempla 104.105.231.
sanctorum res gestæ cur minùs notæ 90.
sanctorum res gestæ quid prosint 133.134.230.
sanctorum virorum præsentiam dæmoniaci non ferunt 19.30.
sanctorum vulnera gemmis longè nobiliora 473.
sanctis omnia seruiunt 62.
sanctis quantum olim sancti viri tribuerint 980.
sanctos ciuitatum esse patronos, & illorum corporibus ipsas sanctificari 332.
sanctos occidens vt punitus 133.134.
sanctos viros affligens punitur diuinitùs 41.
sanctos viuis apparuisse post mortem 41.45.46.178. 242.672.810.
erga sanctos antiquorum deuotio 441.
sanctus Eugenius Hunerico regi impio 198.Hunerid 4 cus

cus Eugenio 199.
ſanctus Euſebius Patrophilo 486. S. Euſebius presbyteris & plebibus Italiæ 485.
ſanctus Fridericus epiſc. Ludouico regi 239. S. Arſenio Archadius Imperator 251.
ſancto Patienti Conſtantinus presbyter. Idē S. Cenſurio 426.
ſanctitas Dominici in itinere conſtituti 557.
ſanctitas Vuerenfridi 669.
ſanctitatem Leonis elementa muta prædicant 193.
ſanitates à S. Bernardo exhibitæ 807.808.809.810. 813.821.822.824.842.848.854.855.856.857.858.859. 860.861.862.
ſapientia & fortitudo martyrum 469.
ſapientis definitio 837.
ſarraceni cæduntur 930.eorum perfidia 931.
ſarracenorum perfidia 931.
ſaxonia ciuitatum inops 343.
ſaxones occidentales conuertit epiſcop. Birinus 518.
ſaxones tèr cantato alleluia in fugā cōpelluntur 439.
ſaxonum Auſtralium epiſc. Dunſtanus 494.
Scala Iacob S. Maria 705.
ſceres mons, & in eo monachi 251.252.
ſchiſma contra Innocentium Papam tollitur 832.
ſchiſmaticorum terribilis pœna 828.
ſcholam in Polonia erigit Ottho epiſc. 47.
ſcientia quid profit homini 147.
ſcopus diuini officij 578.
ſcopus Dominicæ transfigurationis 580.
ſcotia quæ & Hybernia dicitur 130.
ſcoti quandò ſoliti Paſcha celebrare 515.
ſcriptura Mariam vocat matrem poſt natiuitatem Chriſti 689.ſponſas vxores 681.
ſcripturæ ſacræ ſenſus vndè hauriendus 896.
ſcripturæ ſacræ ſenſus S. Bernardo diuinitùs explicatus 839.
ſcripta diuina concionatoribus legenda 559.
ſcripturas ſanctas tractans pro libitu nondùm clericus, à dæmone arripitur 30.
Secreta cordium aperit Iohannes Gualbert. 186. notuit S. Macrina 268.
ſecundæ puellæ virtus præſtans 423.
B. Secundiani, Marcelliani & Veriani martyriū 605. capite cæſi 607.
ſedes non facit epiſcopum 729.
ſeleucus Ciliciæ adminiſtrator inſequitur Andream ducem, eiuſq; ſocios 773.
ſempronius Olympium præſidem miraculo cōuertit 499. in igne efflat animam 500.
ſenarij numeri perfectio 582.
ſententia præclara S. Bernardi 839.
ſententiæ præclaræ & inſtitutiones 254.
ſententię exponuntur, Qui non habet gladium emat 455. Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus 38. Linum fumigans non extinguet, &c. Eſa. xlij. 508.
ſepelire mortuos & pro ijs Dominum deprecari quàm ſit pium 436.
ſepeliendi Chriſtianos antiquus mos 768.
ſepeliendi Chriſtianus ritus 21.
ſepultura magnifica fratrum Machabæorum 471.
de ſepultura S. Vuerēfridi populi altercatio 670.
ſepultura Chriſti 688.
ſepultura S. Dominici 568.
ſepultura Otthonis epiſc. Marchionibus feretrum portantibus 54.
ſepulcra herbis reſperſa 25.
ad ſepulcra ſanctorum ſanitates 115. 220. 408. 496. 569. miracula 139.168.647.668. orationes fundūtur 43.44.631.
ſepulcrū viuus ſibi curat Vdalricus 84. Goaris 98.
ſepulcrum Mariæ adoratur 704. quanta bona nobis illud largiatur 712.
ſepulturam Eparchij indicat Alexāder vir clarus 31.
ſepulta vbì ſit Maria 692.710.
ex ſepulturis martyrū S. Praxedis cōmendatur 298.
ſerena Auguſta occultè Chriſtiana 627.
ſermo S. Bernardi qualis fuerit 838.
ſerpens ſeptem cubitorum 435.
ſeruos Dei increpans Childebertus rex punitur diuinitùs 36. eos veneratur S. Radegundis 654.
Sibyllæ de Chriſto vaticinium 127.
ſiciliæ rex Rogerus Innocentio Pontifici detrectat obedire 831. coram eo Bernardi de electione Innocentij ſententia 831.
ſiciliæ regem Rogerum cædit dux Ranulphus 831.
ſigebertus rex Mediomatricū ſedem habet 91.
ſigebertus rex legatos ſuos mittit ad Goarim 97.
ſigeberti regis erga Goarim amor 98.
ſilentiū diuturnū S. Arnulphi Sueſſionen. epiſc. 719.
ſilentij apud Prædicatores arcta cuſtodia 571.
ſimilitudo elegans 706.
ſimonia Pontij pſeudomonachi 719.
ſimonia 23.82.
ſimoniaci epiſcopi in monachos, eum reprehendentes, crudelitas 188.189.
ſimoniacos prodit Iohannes Gualbertus 184.
S. Simeonis Sali vita 1. eamq; ab ipſo narratam refert Iohannes diaconus 3.
ad Simeonem relinquentē eremū hortationes 10.11.
S. Simeon ſub ſarmentis moritur 21.
S. Simeonis Sali corpus abſconditur à Domino 21.
ſimon comes inſignis 530.
S. Simeon iuſtus 683.
ſimulacra matris Neanias deſtruit 119.
ſimulacra triginta in aquam redacta 122.
ſixtus Papa cum clero vinctus 509. præſentatur Decio 610.612. decollatur cum ſuis 612.
ſixto Papæ ſuccedit Dionyſius 616.
Solitaria vita ſuadetur 32.
ſolitarij labore viuentes 34.
ſomnus diuturnus martyrum dormientium 390.
ſomnus Arſenij breuis 254. (20.
in ſomnijs B. Salus adhuc viuens, alijs appáret 14.15.
ſomnium Nabuchodonoſor Daniel interpretatur 290. aliud 291.
S. Sophiæ & eius filiarum martyrium 480.
ſophia eiúsque filiæ ſiſtuntur tribunali ex delatione Antiochi 480.
ſophia filias confirmat 481. obdormit in Domino 484.
Spanheimenſis abbas Iohannes Trithemius 54.
ſpes poſt illata ſupplicia capite cæditur 484.
ſpinnulus quantæ fuerit ſanctitatis 182.
ſpiridion epiſcopus, & quædam eius geſta 164.
ſpiræ ſanitatem aliquibus tribuit S. Bernardus 856.
ſpiritus ſanctus etiam in minimis rebus inuocādus 314. aqua viua dicitur 896.
ſplendor in defuncta S. Macrina 271.
Statua aurea Nabuchodonoſor, & modus adorandi eam 291.
ſtatua Suuithuni miraculis clara 47.
ſtatura S. Dominici qualis 562.
S. Stephani Romani Pontificis, & eorū qui vnà Romæ cum illo paſſi ſunt, martyrium 497.
ſtephanus Pontifex ſiſtitur coram Valeriano 501.
B. Stephanus peracto ſacrificio occiditur 501.
S. Stephanus patronus ipſi obſequentium 502.
S. Stephani primi Hungarorum regis vita 873. Hungari aduersùs eum ſeditionem mouent 874. eius vxor Giſela 876. filius Emericus obit 880. eius poſt mortem miracula 881.
ſtratonicus carnifex factus Chriſtianus, obtruncatur 761.762.

ſtrigo-

ſtrigonienſis archiepiſcopus Sebaſtianus 877.
ſtudia Eudocimi quæ fuerint 407.
ſtultitia malorum hominum 147.
ſtuprum attentantes excæcati 763.
Subaudes epiſcopus 29.
ſubdiaconus ordinatur à Suuithuno, Adulphus Egberti regis filius 45.
ſuediæ duces, Birgerus 174. Henricus 352.
ſuediam fugibundus intrat Kanutus 169.
ſuperbia Antonini Imperatoris 909.
ſuperſtitio Adriani Imperatoris 480.
ſupplicia martyribus inflicta 203.275.277.405.760.
ſupplicio immaniſſimæ crudelitatis affecti martyres intereunt 241.
S. Suſannæ virginis geſta 623. gladio cæſa interit 629.
ſueſſionenſes epiſcopi Theobaldus 719. Arnulphus 726. Iosleuus 813.
S. Suuithuni vita 45.
ſuuithunum accerſit Egbertus rex Angliæ 45. eius filium Adulphum inſtruit ibid.
Symbolum S. Friderici 238.
S. Symphoriani martyrium 886. reſponſum eius ad decretum Aureliani 887. capite truncatur 888.
ſynagoga cur non agnoſcatur à Chriſto 155.
ſynodus epiſcopalis celebrata 349.726.
ſynodus ab epiſcopo Friderico indicta 237.
ſynodus Stampenſis in Gallijs 717.
ſynodus Aurelianenſis, Childeberto rege iubente, cogitur 24.
ſynodus Ingelnheimen. 86.
ſynodus quarta Chalcedonenſis 178.
ſynodus Aurelianenſis 901.

TAciturnitas S. Dominici 564.
tarſenſis epiſcopus Petrus baptizat Andream ducem cum ſocijs 773.
taruannæ vrbis epiſcopus Autmarus 318. Bainus 323.
tauri montis anguſtiæ 773.
Tegulæ Chriſti imago mirè impreſſa, reſeruata apud Hieropolitanos 740. Thaddæus venit ad Abagarum 740.
templum Albani 173.
templum B. Goaris ædificare inceptū, mirè ab aqua tutatur 99.
templum S. Mariæ in Alba ciuitate Hungariæ 877. quanta apud illos Mariæ veneratio ibid.
templum S. Mariæ Hieroſolymis in prædio Gethſemane 713.
templum à Gregorio Thaumaturgo conſtructum terræ motus omnia vaſtans, non euertit 64.
templum S. Euphemiæ ad noſtrorum hæreticorum morem euertunt 177. reſtauratur 197.
templum S. Georgij reſtaurat epiſc. 51. templū Michaelis ibid.
templum S. Goaris ſpernentes miſerè intereunt 101. 105. negligenter tranſeuntes, pereuntur 102.105.
templum ſtruit ſuis manibus in eremo Landrada, illud conſecrat & reliquias imponit Lambertus Epiſcopus 137.
templi effractores puniti 972.
ex templo S. Mariæ Auguſtæ nemo quicquam impunè rapuit 83.
templa extruuntur in Anglia 516. à Suuithuno 46.
templa à ſe ædificata Sueno epiſc. reliquijs, alijſq; ornamentis decorat 176.
templa duo in terra ſancta condit B. Helena 769.
templa multa cōdidit apud Pomeranos Ottho epiſcopus 52. S. Athanaſia 676. Etheluuoldus 493. 494. Carolus Magnus in Saxonia multa conſtruxit templa 343. Vuandregiſilus quatuor conſtruxit templa 319. Vrſmarus templum B. Petri Altenburgi extruxit 734. templum Roſchildenſe Sueno epiſcopus ſub Kanuto rege perficit 170. Liborius templa extruit 341. Goaris templū ſuper riuulum Vuochara conſtruxit 91.
templa multa extruxit S. Hildulphus 181.
templa multa extruxit mater S. Birgittæ 352. moritur 353.
templa vbiquè ornat S. Helena 769.
templis multa largiuntur 51. 102.105.106.182.655.
tentationes dæmonis 8.
tentationes graues bonis eueniunt 835.
tentat conuerſos primùm grauiter dæmon 852.
terrena cuncta pro nihilo habenda 156.
teſtamentum morituri Dominici 566.
tertullinus multa paſſus, demùm obtruncatur 500. 501.
Thabennenſis epiſcopus Honoratus 966.
tharſitius diaconus trucidatus 502.
theobaldus pius comes vexatur 850.
theodoricus rex B. Gallum accerſit 23. eum mortuum humeris ſuis ad ſepulturam defert 27.
B. Theodorici vita 26.
theodorici patria Rhemenſis pagus, pater Marchardus, educator B. Remigius 26.
theodoſius Imperator cum ſeptē martyribus dormientibus loquitur 386.
theſauri B. Laurentij qui fuerint 618. 673.
S. Thomas de Aquino, B. Bonauēturæ familiaris 212.
in Thracia moratur diù Apollinaris 327.
Toloſanus epiſc. S. Saturninus 320. Fulco 534.535.
toloſæ cum hæreticis diù pugnat Dominicus 531.
tonſura monaſtica 5.22.
tormenta martyribus inflicta, & fortitudo in eis 310. 333.466.593.770.911.
tornacenſes epiſcopi Philippus 139. Radbodus 710.
Traditiones Apoſtolicæ 160.
traditiones Patrum in Eccleſia ſeruari 331.
traiectenſes epiſcopi Ricfridus 232. Fridericus, Alfricus, Ludgerus 242.
traiecti vaſtatio, eiuſq; reſtauratio 241.
transfiguratio Chriſti in mōte Thabor 578. 581.587. 591.
cur transfiguraurit ſe Dominus in diſcipulorum præſentia 578.587.
transfigurationis Domini ſcopus 581.
translatio S. Alberti 600.
translatio S. Diſibodi 151. S. Ruffini 319. & eius poſt mortem miracula 421. beati Antonij Paduani 211. S. Philaſtrij 226. interuenientibus precibus & ieiunijs quàm celebriter facta S. Landradæ 139. S. Vuandregiſili 323. Liborij 343. Eudocimi 409. Euphemiæ Conſtantinopolim 180. S. Birgittæ ad monaſterium Vuaſthenæ 357. S. Dominici 575. S. Germani 369.371.372.377.383.
translatio imaginis Chriſti 738.744.
translatio ſancti Suuithuni & eius miracula 46. Otthonis epiſcopi 54. Goaris 100.
translatio ſancti Valentini Patauium 506.509.
translatio reliquiarum ſancti Oſuualdi regis 521.
translatum S. Landradæ corpus per angelos 138.
trecenſem vrbem S. Lupus epiſcopus precibus tutatur 412.
treuiris celebris Rodindis 367.
treuericæ eccleſiæ multos præfecit clericos rex Theodoricus 23.
in treuirenſem diœceſim, relicta patria, migrat Goaris 91.
treuirenſis epiſcopus Hillius valdè humilis 865.
treuirenſes epiſcopi Seuerus 441. Felix 91. Magnericus 629. Aprunculus 23. Ruſticus, coram eo ſe calumnia purgat Goaris 95. Hildulphus 181. Milo ibid. Nicetius 918.
treuiris ſanat aliquos S. Bernardus 857.

trigo-

trigoria Rheni prouincia 91.
trinitas diuinitùs reuelata 60.
troadij martyrium 71.
tryphonia vxor Decij & Cyrilla eius filia baptizãtur 616.
Tumultuantes precibus compositi 315.
tunicam salutiferam B. Mariæ anus Iudæa habet 693. ea vt delata fuerit Constantinopolim 692. 714.
turonenses episcopi S. Martinus 342. Gregorius qui S. Radegundem humat 667.
turris elegans in Ecbatanis à Daniele extructa 294.
tusculanus episcopus Odo 929.
Typasensis ciuitas maioris Mauritaniæ 203.
typasensium facinus præclarum 203.

VAlentiæ Philosophiæ & Theologiæ studet Dominicus 526.
valentinus Patauiensis Episcopus 506. moritur 509.
vallis Vmbrosæ primus Abbas Iohannes Gualbert. 184.
vandali multos Catholicos fame necant 206.
vandalorũ rex Geisericus 193. ei succedit filius ipsius Hunericus Manichæos persequens 193. vterque rex immanis 195.
S. Vdalrici vita 77. parentes Hupaldus & Thietburga 78. post mortem humatus in tẽplo S. Afræ. 89.
de Vdalrico infante clerici vaticiniũ 78. clericos suos deprædatos ipse sustenatt 84.
Velamen sacrum Glodesindi diuinitùs impositũ 368
veneris impurus cultus 510.
verbum Dei spirituale cõuiuium, ac mysticæ epulæ 699.
verecundia S. Bernardi 844.
veromandensis pagus, hodiè S. Quintini oppidum 920.
vespasiani Imperatoris in Christianos sententia 328.
vestiana fœmina nobilissima 270.
vestis Mariæ in capsa aurea & argẽtea exposita 695.
vestes Apostolorum quales fuerint 456.
vestes Christi mysticæ 584.
vestes, lectusq; S. Germani 429.
vestes S. Germani, quàm auidè diuisæ 446.
vexilla S. Crucis 347.
Viam angustam perfectè tenere, quid sit 336.
victoria matrona post martyriũ ingẽs reuiuiscit 202
victoriani procõsulis virtus, martyriumq; 202. 203.
victoria precibus obtenta S. Andreæ ducis 771.
victritius quandoque miles vt conuersus 603.
S. Victricij historia 602.
victus tenuitas facit ad capessendam eruditionẽ 289.
vidua procax terribiliter punita 734.
viduę Sarepthanæ encomium 462. pascit Eliam 280. qui filium eius defunctum excitat, & nè eius oleum cum farina minuatur, efficit ibid.
viennensis episcopus Mammertus 969.
viennenses episcopum expetunt Arnulphum 728.
vigiliæ apud reliquias noctũ 43.
vigiliæ & preces Sali 20. Vibratæ ancillæ monasterio inclusæ 78. Goaris 92. Iohãnis Gualberti 184 S. Athanasiæ 674. S. Dominici 555. Arsenij 260. Bernardi 799.
vigiliæ in celebritate martyrum 271.
vigiliæ nocturnæ 347. 615.
vinctos liberat S. Gaugericus 631. Mamas 757. pro ijs intercedit S. Radegundis 655. 660.
erga vinctos humanitas S. Philiberti 788.
vinum respuunt Eparchius 31. Carilephus 37. vino decẽ annis castitatis ergò abstinet S. Dominicus 526.
vini miraculosa auctio 36. 100.
virdunum ciuitas Lotharingorum 853.
virdunensis episcopus Polychronius 413.
virgarum disciplina in monachis 547. 571.
virginitatis exemplum 367. eius laus 368.
virginitatis studiosissima S. Maria 707.
virginitatis votum nuncupat Deo S. Clara 635.
virginitatem vouit Christo Ruffina 157.
virginitatem vouit S. Maria 680.
virginitatẽ vxoratus iam seruat Theodoricus cum coniuge 26.
virgo Deo dicata, omnia mundi ornamenta relinquit 436.
virgines manent filiæ S. Amelbergæ 168.
virginum centesimus fructus 920.
virginum præclara responsa & constantia 157.
virginibus sacris ministrat S. Helena 770.
virtus martyrum in tormentis 246. aduersùs idolorum cultores 403.
virtutes sanctorũ prædicare laudabile, imitari laudabilius 314.
virtutes Vuandregisili 315. S. Suuithuni 44. 45. Otthonis episc. 48. Gregorij Thaumaturgi 57. Bernardi 792. Dominici infantis 525. viri 554. S. Claræ 635. S. Birgittæ 353. Philastrij 226. Gaugerici 629. S. Philiberti 790.
visio Danielis 294. alia in cãpo quæ est Susis, eiusq; expositio 295. 297.
visiones sanctis per somnium vel aliter ostensæ 4. 7. 9. 10. 24. 59. 71. 80. 84. 133. 136. 142. 191. 285. 318. 356. 369. 374. 378. 379. 495. 503. 645. 742. 889. 911. 939. 945 715. 793.
visiones variæ 71. 157. 195. 276. 352. 353. 356. 545. 667. 677. 792.
vita aspera S. Landradæ 135. S. Disibodi 143. S. Germani 429. S. Alberti Carmelitæ 595. S. Arnulphi 718. 719. S. Bernardi 805. Esaiæ prophetæ 90. S. Hildulphi 181. 182.
vita monastica tutissima 489.
vitæ principium omnibus S. Maria 708.
vitam malam relinquentibus panes siliginei non deficiunt 19.
vitam laudabilem vbiquè requiri 332.
vitia ætate Eliæ 460.
vitia occulta extirpanda 252.
viuunt sancti, resq; nostras sciunt 678.
Vltraiectensis episcopus Vuilibrodus 669.
Vnctionem extremam accipit S. Arnulphus episcopus Suessionen. 736.
vnctionem extremam moriturus accipit Ottho episcopus 54. Dominicus 567.
vnctione extrema & Eucharistia moriturus se munit Stephanus Hungariæ rex 881. S. Hunegundis 924.
vnctione sacra emigrantes communiuntur 549.
vnguentum deuotionis 300. pietatis 301. compunctionis ibid.
vnguentum è peccatis nostris confici 300.
vnguentum ex virtutibus 300. ex miserorum miserijs & apud quos eiusmodi fit 301.
vnguenta quibus Magdalena vnxit Iesum contritionis 300.
vnizibirensis episcopus Cyprianus 197. Catholicos exilio mulctatos consolatur 197.
vnum esse Deum probatur 126.
Voces præclaræ martyrum 244. 311.
votum Caroli Magni ad templum S. Goaris 102.
votum parentum de filio 209. 220. 594.
votum virginitatis conseruandæ in primitiua Ecclesia 436.
vota seruanda 594. 595.
votorum magna vis 600.
vouet castitatem Felicitas 155. Hunegundis 921.
S. Vrsi & Leubatij abbatum vita 402.
S. Vuandregisili vita 314.

vuan-

Vuandregisilus comes fit Palatinus apud Dagobertum regem 314.
S. Vuandregisilus fortis admodùm decrepita ætate 321.
vualacranæ insulæ corrupti mores 235. eam adit Fridericus episcopus 236.
vuaningus vir illustris multa cõdit monasteria 319.
vuaringa oppidum. 81.
S. Vuerenfridi vita 669.
vuestphali quondàm Saxones dicti, & eorum deuotio erga reliquias S. Liborij 350. 351.
S. Vuilhelmi episcopi Briocensis vita 413. humì sæpè cubat, aquamq; bibit 415. ex Britannia in exilium pellitur 416.
vuiltoniæ episcopus Elstanus 493.
vuintoniæ episcopus Etheluuoldus 493.
vuirtzburg 99.
Vuolframmus Abbas S. Michaëlis 53.
S. Vulmari vita 285. mors 287.

X.

Xistus Pontifex succedit Stephano 502.

Z
Achariæ cædes 984.
Zelus paupertatis in Iohanne Gualberto 185.
zelus Eliæ 460.
zelus audiendi verbum Dei in S. Clara 644.
zelus salutis proximorum in Dominico 532. 543. 559.
zenon Imperator 193.

PIO ET CANDIDO LECTORI S.

QVòd plus moueãt, fortiusque ad Christianam pietatem extimulent exempla quàm verba, pleniusque sit opere docere, vt inquit Magnus ille Leo Pontifex, quàm verbo, testãtur tam multi sancti & eruditissimi Patres, qui Sanctorum vtriusque sexûs hominum Vitas describendas sibi sumpserunt, & cum ineffabili fructu ad posteritatis notitiam transmiserunt. Nouimus ex D. Augustini Confessionibus, quantùm illi adhuc vacillanti contulerit audita vita beatissimi Antonij Eremitæ: nec dubium, quin innumeris alijs idem euenerit. Nostri instituti primus author & patriarcha Dominicus, Patrum exemplis summoperè delectatus, ad supremam vitæ spiritalis & religiosæ perfectionem peruenit. D. Thomas Aquinas, sui patris Dominici vestigijs insistens, eiusmodi lectione haud vulgariter afficiebatur: nec id sanè absque ingenti fructu. Quòd si verò his solidiora petimus, non desunt nobis ne ipsius quidem scripturæ diuinæ testimonia. Iesus Syrach à capite 44. vsque ad quinquagesimumprimum in suo Ecclesiastico quid aliud, quàm Sanctorum, qui in hac vita Deo placuerunt, exempla commemorat, eaque nobis ob oculos spectanda & imitanda proponit? Matathias ille legis eximius zelator cùm ab hac vita esset abiturus, filios suos nulla re alia magis, quàm recitandis 1. Mach. 2.
Patrum gestis, ad agendum fortiter pro Deo eiusque sanctissimis legibus exhortatur & confirmat. Sed & in nouo Testamento D. Paulus prolixus est in præcedentium sanctorum Patrũ celebranda fide. Posset huius generis permulta alia adduci: sed res per se adeò illustris & perspicua est, vt superuacaneum videri possit illi docẽdæ rationes & argumẽta adhibere. Itaque non possum non approbare, atque etiam commendare tam pium studium R. Patris D. Laurentij Surij Carthusiani, qui non paruo labore has Sanctorum Vitas ex diuersis authoribus & egregijs manuscriptis exẽplaribus collegit, & tanquàm rarum quendam thesaurum Catholicæ Ecclesiæ hominibus contulit: quàm spectabilis viri D. Geruini Licentiati vtriusque Iuris diligentiam & sedulitatem, tum in ponenda sua in MS. exemplaribus conquirendis opera, tum in excudendo opere tam pio & Ecclesiæ salutari. Tu itaque his fruere, Lector amice, nihil ambigens, quin eorum lectio non solùm detrimentum nullum aut perniciem, sed ingentes potiùs & vberrimos tibi sit fructus allatura. Vale. Heb. 11.

F. Theodoricus Buscoducensis, fratrum Dominicanorũ intra Coloniam Prior & Apostolicus inquisitor.

IN

IN IMAGINEM REVERENDI PATRIS LAVRENTII SVRII CARTHVSIANI, OPTIME DE CHRISTIANA REP. MERITI.

Effigiem SVRII dum cernis, candide Lector,
Quin capiat tanti fructus amorq; viri?
Qui lucrum duxit, mundo latuisse superbo:
Delicias, casta mente vacasse Deo.
Ecce recedentis sequitur nunc gloria tutam
Virtutem, nullis sat celebranda typis.
Clara LVBECA neci genuit, sed carior illi,
Qua patet ad vitam, sedula cura fuit.
Huius ob eximium quo conflagrabat amorem,
Saluifico triuit commoda vana iugo.
At licet obscuro, sed sacro tecta recessu,
Non potuit soli lux micuisse sibi.
Nanque domi fratres virtutum lampade lustrans,
Edocuit summo reddere vota patri,
Quando erat in SVRIO sacri spectasse laboris
Exemplar, placidam mente referre facem.
Omnibus vt, Pauli iuxta decreta, salutis
Ansa foret, cunctos, omnia factus, obit.
Nec generosa domi Virtus se passa recludi,
Protulit opplero munera larga sinu.
Quot docet atque monet Stygiam vitare paludem?
Quotve pio mollit pectora dura foco?
Quot dedit afflictis rebus patriæq; ruinæ
Fulcra? quot hæreseōn monstra nefanda domat?
Dum sermone colens Latio monimenta piorum,
Eximias sanè suppeditauit opes.
Sanctorum præclara quid est certamina magnis
Sex celebrata Tomis quòd dedit vna manus?
Septimus adiungi dum cœptus, turba beata
Cœlicolûm studijs præmia digna parans,
Sat Superis factum, dixit, donetur Olympo,
Emeritū nostris insere CHRISTE choris.
Nec mora, præsiliēs SVRIO mors prompta sedenti,
Intrepidum ad Superos cuspide pandit iter:
Liber abi, dicens, celebratis iungere Diuis,
Et cape nunc meritis serta dicata tuis.

IN IMAGINEM ET LIBROS SVRII.

EST aliquid SVRII spectare in imagine vultus,
Quos spatio exiguo scalpta tabella refert.
At SVRII Libros, magna quos texuit arte,
Qui legit, ingenium cum pietate videt.

OBIIT ANNO DOMINI M. D. LXXVIII. DIE XXIII. MAII.

IVLI

IVLIVS.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERONENSIS CHRISTIANO LECTORI.

CVM sequentem historiam percurreris, Lector candidissime, nè, quæso, scandalizeris, videns sanctum & sapientem virum, propter Christum adeò se humiliâsse, vt fatuus ab omnibus æstimari voluerit. Miri sunt sancti Spiritûs afflatus, & stupenda in seruis suis Diuina iudicia. Samsonem excitat ad semetipsum vnà cum Philistæis interficiendum. Iephte suggerit, vt propriam filiam voueat. Placet ei per stultitiam Euangelicæ prædicationis mundum saluum facere. Et quis ei resitit? Simeonem nunc eligit stultitiam simulantem, vt confundat sapientes, & per eius lusum mundum ludificans, tam fidelium, quàm infidelium animas ad se conuertat. O ergò altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius. Verè in hoc sancto adimpletam videmus Domini Saluatoris sententiam, qua dicit: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: Hoc est: Adsit tibi recta intentio, & quidquid egeris, bonum erit. In quam sententiam etiam beatus Augustinus cōcinit: Habe, inquiens, charitatem, &, quod vis, facito. Nè autem de fide istius historiæ, vel eius scriptoris aliquatenùs dubites, accipe quæ tibi fideli de vtroque relatione suggerimus. In actione quarta Nicenæ secundæ, quæ fuit septima Synodus vniuersalis, hæc scripta sunt de huius vitæ authore Leontio: Pater iste Leontius, cuius scripta nunc recitata sunt, in vrbe Cypri Neapoli, cuius fuit Episcopus, decenter & sanctè conuersatus est, multaque ipsius encomia & panegyricas orationes habemus: inter quas extat oratio in Transfigurationem Domini: scripsit & sancti Iohānis Eleemosynarij Episcopi Alexandrini vitam: Prætereà beati Simeonis Sali vitam, & alia quædam, in quibus omnibus orthodoxus cognoscitur. Floruit circa tempora Mauritij Imperatoris. Hæc ibi. Tu bone Lector in Domino vale.

Iudic. 16. & 13.

1. Cor. 1.

Rom. 11.

Matth. 6.

VITA SIMEONIS ABBATIS, QVI FVIT PROPTER CHRISTVM COGNOMINATVS SALVS, ID EST, STVLTVS, SCRIPTA A LEONTIO SANCTISSIMO *Episcopo Neapolis Insulæ Cypri. Habetur in Simeone Metaphraste. numerum capitum ad marginem adiecimus.*

QVI alios docendi student exercere authoritatem, debent ex sua vita aliorum doctrinam ostendere, conuenienter voci diuinæ, quæ dicit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis: nè alios priùs admonere perficereque & deducere cōtendentes, quàm seipsos docuerint & expurgauerint per operationem diuinorum mandatorum, imprudentes se mortuos defleant, dum sunt in aliorum occupati cadauere: & in eis impleatur verum, & quod eis competit eloquium, quod dicit: Qui non fecerit, & docuerit, hic minimus vocabitur in regno cælorum. Etrursùs: Hypocrita, eijce primùm trabem ex oculo tuo, & tunc inspicies educere festucam de oculo fratris tui. Quocirca actu-

Iulij 1. Cap. 1. Matth. 5.

Aliorū doctores quales esse debeant.

Matth. 5.

Matth. 7.

Actor.1. Rom.2. actuum quoquè Apoſtolorum ſapiens conſcriptor de magno & vero noſtro Deo & magiſtro ſic dicit: Quæ Ieſus incepit facere & docere. Hoc enim Paulus quoquè magnum vas Eccleſiæ, Romanos ſic increpans, ſcripſit, dicens: Tu, qui doces alterum, teipſum non doces? & quæ deincèps conſequuntur. Quoniam ergò ex vita propria, doctrinæ, & eius, quæ eſt ex virtute, operationis imaginem & figuram non poſſumus adducere, vt qui peccati vitia in nobisipſis vndiquè circũferamus, agè vel ex aliorum operatione, & aliorum ſudoribus, vobis hodiè cibum, non qui perit, ſed qui veſtras animas deducit ad vitam æternam, aperiamus. Nam panis quidem corpus cõfirmat: verbum autem Dei animam ad virtutem diligẽter excitat, & maximè ſocordiorum, qui in exequendis diuinis præceptis ſunt negligentes. Nam ijs quidem, qui ſunt ſtudioſi, & mente ſunt Deo dicati, ad iaciendum doctrinæ fundamentum ſufficit vel conſcientia, quæ omnia bona conſulit, & auertit ab omnibus malis: ijs autem, qui his ſunt adhuc abiectores, opùs eſt legis ſcriptæ præcepto, & fundamento. Si quis autem repulerit primum & ſecundum modum viæ, quæ ducit ad virtutem, neceſsè eſt, vt is vel ex aliorum cura & ſolicitudine, quæ ad eum peruenit per oculos, aures & narrationem, diuino excitetur deſiderio, & à ſe ſomnum animæ excutiat, arctaque & anguſta via ingrediatur, & æternam vitam agere deincèps incipiat. In noſtra enim poteſtate, & in noſtro libero arbitrio ſitum eſt, futurorum deſiderio ea, quæ ſunt præſentia, vt quæ prætereant, contemnere: vel rursùs cupiditate & deſiderio præſentium, excidere à bonis infinitis.

Verbũ Dei panis eſt animæ.

Liberũ arbitrium.

Cap. 2. Quòd autem verum ſit id, quod dicitur, probant quidem omnes homines, qui à ſeculo Deo grati & accepti fuêre, qui erãt ipſi quoquè noſtræ naturæ: maximè autem ea, quæ noſtra hac ætate apparuêre, lumina. Quorum hic quoquè fuit vnus ſapientiſſimus Simeon, & multis quidem longè venerabilior, quoniam eò puritatis proceſſit & impatibilitatis, vt per ea, quæ videbantur ijs, qui ſunt paulò magis obnoxij vitijs & animi perturbationibus, & nimis carnales, afferre inquinamentum, damnum & impedimentum vitæ ex virtute degendæ, hic vir longè puriſſimus, non ſecùs ac margarita per cœnum, tranſierit abſque pollutione, per eius, inquam, in ciuitate diuturnam moram, & cum mulieribus habitationem, & reliquam vitæ deceptionem: ſtudès verè oſtendere ijs, qui ſunt ſocordiores, & prætexunt ſuarum virium imbecillitatem ad vitam ex virtute degendam, à Deo præberi vires ijs, qui purè ac ſyncerè toto animo ei ſeruiunt aduersùs ſpiritus improbitatis. Rogo autem omnes, qui nobis propoſitam de angelica eius vita narrationem vel audiunt, vel legunt, cum metu Domini ea, quæ dicuntur, attendere, & cum vera & minimè dubia fide, quæ conuenit Chriſtianis. Scimus enim, quòd ijs, & qui ſunt paulò inſipientiores & contemptores, videbimur incredibilia dicere & ridicula. Sed ſi audijſſent eum, qui dixit: Qui vult ſapiens eſſe in hoc ſeculo, fiat ſtultus, vt fiat ſapiens: Et rursùs: Nos ſtulti propter Chriſtum. Et rursùs: Quoniam quod ſtultum eſt Dei, eſt ſapientius hominibus: non ea quæ ab hoc vero Athleta geſta ſunt, tanquàm ridicula accepiſſent: ſed magis admirati eſſent, quàm eos, qui reliqua vitæ ex virtute agendæ genera exercuerunt. Non enim, vt qui eſſet adhuc inexercitatus, & opùs haberet aliquo, qui ei præeſſet, in mundum venit: ſed vt videmus fieri inſtructa acie, quandò vniuerſus exercitus ſtat vnanimis, qui ſuis vel potiùs Dei confidunt viribus, & quibus ſe induerunt armis militaribus, variæque & diuturnę belli experientiæ, ij vel ſoli ex multitudine prodeunt ad ſingulare certamen contra aduerſarios: ità etiam hic quoquè fecit, quandò pulchrè & legitimè in pulchro decertauit certamine, quandò ſe vidit velutì thorace munitum virtute ſancti ſpiritûs, quandò ab eo accepit virtutem calcandi ſuper ſerpẽtes & ſcorpiones, quandò extinxit carnis inflammationem rore ſancti ſpiritûs, quandò vitæ deliciarum & gloriæ fraudem conſpuit non ſecùs ac araneam: & quid opùs eſt plura dicere? quandò impatibilitatem non ſecùs ac veſtimentum attraxit per humilitatem intrinſecùs & extrinſecùs, & dignus fuit habitus, qui adoptaretur in filium, congruenter voci, quæ dicta eſt in Cantico Canticorum de anima munda & impatibili: Tota pulchra eſt, (inquit Chriſtus animæ) tota pulchra eſt, quæ eſt mihi propinqua, & non eſt in ea macula: tunc ipſe quoquè aduersùs mundum, tanquã ad ſingulare certamen, ex ſolitudine aduersùs diabolum à Deo electus proſilijt. Non enim æquum exiſtimauit, vt qui à Deo ſic erat honoratus, & in altũ euectus, eorum, qui erant eiuſdem generis, ſalutem deſpiceret: ſed recordatus eius, qui dixit: Dilige proximũ tuum, ſicut teipſum: qui etiam ſerui formam immutabiliter induere propter ſerui formam

1. Cor.3. 1. Cor.4. 1. Cor.1.

Cant.4.

Matth.5.19. 22.

mam non eſt dedignatus: imitatur ipſe quoquè ſuum Dominum, verè ſuam animam ponens & corpus, vt ſeruet aliquos. Neceſsè eſt autem ante omnia vobis priùs narrare, quemadmodùm ex ſolitudine venerit in mundum: deindè verò res eius admirabiles, & quæ ſuperant opinionem.

Cap.3. Peregrinationes ad terram ſanctam in feſto exaltationis ſanctæ Crucis.

Tempore Iuſtiniani Imperatoris, cùm accederent ij, qui Chriſti erant amantes, & pro more ſancta Chriſti loca cupiebant adorare, quæ ſunt in ſancta ciuitate, in exaltatione precioſæ & viuificæ Crucis (Nôrunt autem omnes, qui illic adeſſe conſueuêre in hoc ſancto, & omnibus laudibus celebrando feſto, quòd ex vniuerſo ferè orbe terrarum concurrit multitudo populorum, quę Crucem & Chriſtum diligit) accidit, vt in hoc venerabili feſto duo quidam iuuenes, qui erant ex Syria, Dei prouidentia ſe inuicèm conuenirent. Vni verò nomen erat Iohannes, & alteri nomen Simeon. Peracto autem ſancto Dei feſto, receſſit deincèps vnuſquiſque in ſuam ciuitatem. Hi verò duo iuuenes, poſtquàm Dei clementis voluntate ſimul conuenerunt, & ſe mutua complexi ſunt beneuolentia, non ſunt ampliùs à ſe inuicèm ſeparati. Quocircà dum etiam reuerterentur in patriam, iter ingreſſi ſunt vnanimes cum ſuis etiam parentibus. Nam habebat quidem Iohannes patrem ſenem, ſed non matrem: Coniunctus quoquè erat matrimonio. Erat enim circiter vigintiquatuor annos natus. Simeon autem patrẽ quidem non habebat, ſed ſolam matrem vetulam, circiter octoginta annos natam. Nullum verò habebat omninò alium. Erant ergò omnes in vna via comites. Poſtquàm autẽ deſcenderunt in conuallem Hierichuntinam, & tranſiêrunt ciuitatem, contemplatur Iohannes monaſteria, quæ erãt circa Iordanem, & dicit Syriacè Simeoni: Scísne quinam habitent in his hoſpitijs, quę ſunt ex aduerſo? Ille ei dicit: Quinam? Iohannes autem dicit, Angeli Dei. Ei verò dicit Simeon velutì admirans: Poſſumús ne eos videre? Ille verò ei dicit: Certè, ſi efficiamur, vt quidam ex illis. Sedebant autem ij duo in equis. Erant enim eorum parẽtes valdè diuites. Cùm ergò ſtatìm ex equis deſcendiſſent, eos dederunt ſeruis ſuis, dicentes: Præite nos. Præ ſe enim tulerunt, velle ſe in eo loco ſedere. Contigit autem, vt inuenirentur in via, quæ declinat à via militari, & ducit ad ſanctum Iordanem. Ambo ergò conſtiterunt, & dicit Iohannes digito oſtendens Simeoni: Eccè via, quæ ducit ad viam ſancti Iordanis: & eccè via, quæ ducit ad mortem: oſtendens ei viam publicam, per quam eorum parentes præceſſerant. Agedùm ergò oremus, & ſtemus quilibet noſtrûm in vna ex ipſis, & ſortiamur: & quæ ſorte euenerit, illam viã ingrediamur. Genu itaq; flexo, & ſuſpirantes, dixerunt: Deus, Deus, Deus, qui vis totum mundum ſaluum facere, ipſe voluntatem tuam aperi tuis famulis. Cumque ſortiti eſſent, ſortiente Iohanne, decem ſorte obtigêre Simeoni. Strabat autem in via, quæ ducit ad ſanctum Iordanem. Tunc magna affecti lætitia, omnium ſuarum facultatum & parentum velutì in ſomnis obliti, complexi ſe ſunt deoſculantes. Literas autem Græcas inſigniter didicerant, magnaque erant prædita ſapientia. Hæc verò omnia narrauit ille inſignis virtute Simeon cuidam Emeſæ: vbì etiam ſe ſalum, hoc eſt, ſtultum ſimulauit, Diacono ſanctæ catholicæ Eccleſiæ eiuſdem ciuitatis, viro admirabili, & virtute præclaro: qui etiam ex diuina, quæ ei inerat, gratia animaduertit ſenis operationem: cui etiam fecit miraculum terribile hic beatus Simeon. Cuius quidem miraculi in ſuo loco faciemus mentionem. Dictus ergò pius ac religioſus, & virtute egregius Iohannes (ità enim appellabatur Diaconus) ipſe nobis narrauit totam ferè vitam viri ſapientiſſimi, producens Dominum teſtem eorum, quæ dicebat, quòd ſcilicet nihil addebat narrationi, ſed potiùs propter diuturnitatẽ temporis, multorum erat oblitus.

Duæ viæ, vna ducens ad vitã, altera ad mortem.

Magna erũditio Simeonis.

Eis ergò viam ingredientibus, quæ verè ducit ad vitam, licebat eos videre exultantes & currentes, quemadmodùm Petrum & Iohannem ad viuificum ſepulcrum Domini, promptoque & alacri animo ſe inuicèm excitantes, & animum addentes. Nam Iohannes quidem verebatur, nè Simeonem matris retardaret affectio: Simeon autem rursùs dubitabat, nè in vxorem, quam nupèr duxerat, affectio, tanquàm ferrum lapis magnes, ad ſe Iohannem conuerteret. Et ab illo deincèps tempore vtebantur alter apud alterum verbis, ad monendum aptis & exhortandum. Et Iohannes quidẽ dicebat: Noli eſſe ſocors & ignauus frater Simeon. Spero enim in Deum, nos hodierno die eſſe regeneratos. Quid enim vanæ illæ & inanes res huius vitæ & diuitiæ poterunt iuuare in die iudicij? Immò verò lædent potiùs. Neque rursùs iuuentus & pulchritudo, quæ eſt noſtro propoſita corpori, perpetuò manet huiuſmodi, vt minimè marceſcat: ſed aut à tempore, aut à ſenectute, aut à morte, quæ tempus

Cap.4. Iohan.20.

Mutuò ſe confirmant Simeon & Iohannes.

Vanitas opum.

Formæ.

prævenit, perit & extinguitur. Et postquàm hæc & multò plura dixisset Iohannes Simeoni, ille rursùs vicissìm loquebatur, eademque verebatur & dicebat: Ego quidem frater Iohannes neque patrem, neque fratres, nec sorores habeo, nisì solùm humilem illam anum, quæ me genuit. De meo autem labore non sum tam solicitus, quàm de corde tuo vereor, nè feruens desiderium vxoris, quam nupèr duxisti, te ab hac sancta via abstrahat. Postquàm ergò hæc & his plura inter se inuicèm lubentes disseruerunt, perueniunt ad monasterium, quod vocabatur Abbatis Gerasimi. Nam hoc quoquè precati fuerant: Domine Deus, in quo monasterio vis vt mundo renunciemus, ostium inueniamus apertum. Quod etiam accidit. In hoc ergò monasterio erat

Nicon insignis monachus.

vir admirabilis, Nicon nomine, vir, qui reuerà nomini conueniens vitæ habebat institutum. Vincebat enim omnem dæmonum aciem, clarus signis & miraculis, & prophetiæ dignitate à Deo honoratus: qui etiam præsciuit aduentum horum beatorum. Dicit enim se vidisse in somnis eo die, quo accesserunt, quendam, qui ei dicebat: Surge, & aperi ostium gregis, vt ingrediantur oues meæ: Quod etiam fecit. Postquàm ergò accedentes inuenerunt ostium apertum, & sedentem Abbatem, & eos expectantem, dixit Iohanni Simeon: Bonum est signum, ô frater, apertum ostium, & sedens ostiarius. Postquàm autem appropinquârunt, dixit eis Præfectus: Benè venerunt oues Christi. Dicit ergò protinùs Simeoni: Benè venisti, Sale: verè decem tua sunt ab Abbate Iohanne. decem enim te expectant. Dicebat autem propter perfectionem vitæ, quæ est ex virtute. Cùm eos ergò excepisset, refecit ac recreauit, vt qui essent missi diuinitùs.

Cap. 5. Præclara Abbatis Niconis oratio.

Sequenti autem die cœpit eis dicere ante omnia: In Domino pulchra est & digna vestra in Deum dilectio, modò nè ab aduersario salutis nostræ sinatis eam extingui. Bonus est cursus vester, sed nè currentes intersistatis gradum, donec coronemini. Est honestum propositum vestrum, sed ne dormitaueritis, nè tepescat ignis, qui vestra corda accendit hodiè. Rectè prætulistis ea, quæ manent, his quæ pereunt. Boni quidem sunt, qui sunt in vestra carne parentes, & bonum est eis seruire: melius autem est citra vllam controuersiam, placere patri cælesti. Boni sunt fratres corporales: spiritales autem sunt vtiliores. Boni sunt amici, quos habetis in mundo propter Christum: sed melius est habere sanctos amicos, & beneuolos erga Dominum. Boni sunt defensores, quos necessariò habetis apud Principes: sed ij non sunt eiusmodi, vt sit perindè ac habere sanctos Angelos pro nobis supplicantes. Bona est ei, qui est locuples, pecuniæ elargito, & pietas in pauperes & beneficentia: sed nullam oblationem Deus ità à nobis exigit, vt suas offerrè animas. Dulce quidem est frui vitæ bonis: sed id nequaquàm est conferendum cum delicijs paradisi. Sunt quidem iucundæ, & vulgo hominum expetendæ diuitiæ: sed non sunt conferendæ cum ijs, quæ nec oculus

1. Cor. 2.

vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Iucunda est pulchritudo iuuentutis: sed nihil est, si conferatur cum pulchritudine cælestis sponsi Christi. Dicit

Psal. 44.

enim Dauid: Speciosus forma præ filijs hominum. Magna res est, cum Rege terreno bellum gerere: sed est ad tempus, & periculosa eiusmodi militia.

Cap. 6.

His, & ijs, quæ sunt huiusmodi, eos sanctus admonens, nolebat cessare ab admonitione: & cùm videret lachrymarum fontes effundi ex eorũ oculis, (vsqueadeò attendebant ea, quæ dicebantur) ad Simeonẽ rursùs conuersus, dicit: Nè affligaris, neque defleas canitiem dominæ tuæ matris. Longè enim plùs, quàm tua facies, potest eam

Non sunt curandi parentes vt sequamur Christum, cui cura est de ipsis.

consolari Deus, ad tua respiciens certamina. Nam si apud eam vsque ad finem eius vitæ perseueraueris, incertũ tamen est, an tu ante eam è vita excedens, destertus à virtutibus, excedesq; non habens, qui te possit à malis futuris liberare. Non enim patris, non matris charitas, non multitudo fratrum, non diuitiæ, non gloria, non vinculum mulieris, non affectio filiorum potest mouere iudicem: sed vita, quæ ex virtute agitur, & qui ità, vt Deus requirit, suscipiuntur labores. Posteà verò dixit Iohanni: Neque verò tibi suggerat inimicus animarum nostrarum: Quis meum parentẽ alet in senectute? Quis consolabitur meam vitæ consortem? Quis comprimet illorum lachrymas? Nam si apud alium quidem Deum eos reliquissetis, & abiretis seruituri apud alium, rectè soliciti essetis, an eorum curam gereret & consolaretur: Nunc autem cùm vos contuleritis ad eum, cui eos reliquistis, & vos ei cõsecraueritis, oportet vos esse bono animo. Porrò autẽ illud quoquè considerate, quòd si, cùm nos simus in hoc mundo, & seruiamus huic vitæ, omnium curam gerit Dei bonitas: quantò magìs nunc curam geret nostrarum domorum, quandò ad ei seruiendum, & ei benè placendum toto animo

animo egressi sumus? Recordantes ergò, ô filij, Domini, qui dixit ad eum, qui dixerat: Permitte mihi reuerti primùm, & sepelire patrẽ meum: Sine mortuos sepelire mortuos suos: mente, quę cõuerti non possit, & corde, quod non possit moueri pœnitentia, currite post ipsum. Quid enim? Si hìc terrenus Imperator, & in quẽ cadit interitus, aliquos adhortaretur & ad se vocaret, volẽs eos accingere & referre in patricios, vel cubicularios huius terreni palatij, quod præterit, & quod tanquàm vmbra & somnium euanescit: nónne contemnerent suas omnes facultates, diligenterque & nullo retardante impedimento, ad eum venirent, eius honoribus, & eius adspectu, & libertate loquẽdi frui desiderantes: omnesq; militiæ labores & pericula, atque adeò extrema quæque lubenter subirent, modò digni solùm haberentur, qui illũ diem viderẽt, in quo Imperator esset à toto senatu excipiendus, militesq; omnes & eos honoraturus? Quòd si ij ità se affectos esse dixerint, (ait magnus ille Nicon) longè maiori studio, filij, & compunctione debemus nos accingere, & sequi immmortalẽ & æternum Regem regum: nos (inquam) qui debemus esse grati, & accepti beneficij memores, charitatisque, quã Deus in nos ostẽdit, adeò vt filio suo vnigenito nõ pepercerit propter nos, sed pro nobis omnibus eum tradiderit. Quarè etiamsì nostrûm omnium sanguinem pro eo effunderemus, qui eius sanguine à morte & interitu fuimus liberati, & in locum propriorũ filiorum adoptati, ne sic quidẽ offeremus precium, quod ei responderet. Non parùm enim interest, fundatúrne sanguis Regis, an seruorum, ô fratres.

Matth. 8.

Egregia cõparatio à simili.

Rom. 8.

Hæc autem omnia, & his plura eis suggerebat vir diuinus, vt qui præsciuisset, & à Deo factus esset certior de certamine & cursu eis proposito, nempè de vita agenda in solitudine absque vllis omninò ædibus, planeque remota & separata ab omnibus, nempè Anachoretica. Id enim non leue existimabat, neque temerè eligendum, maximè cùm videret corpora mollia, & mollibus induta vestibus, & iuuenturem in vita delicata educatam, ac cuiuis relaxationi & deceptioni assuefactam. Quocircà sapiẽs ille medicus & doctor, cùm ea, quæ ipsi inerat, sapientia & experientia eos armâsset talibus monitis & præceptis, rursùs dicit vtrisque: Vultísne capitis vestri comam tonderi, an paruo adhuc tempore versari in laici habitu, quem hodiè geritis? Ij autem vno consilio, vel potiùs vno sancto spiritu, ceciderunt ambo ad pedes Præfecti, petentes ab eo, vt eos statìm tonderet, & citra dilationem. Dixitque Simeon, se, nisì id faceret quamcitissimè, esse ituros ad aliud monasteriũ. Erat enim simplex, & minimè malitiosus: Iohannes verò sapientior, & qui maiorem habebat cognitionem. Accepit ergò protinùs sanctus Nicon seorsùm alterum eorum, volens probare illorũ ardentem, quæ apud Deum facienda erat, renunciationem. Dixitque ei quædam, conans retardare, nè eo die tonderetur. Cùm autem ille minimè assentiretur, venit ad alium, & dixit ei: Eccè persuasi fratri tuo, vt maneret adhuc vnum annum, vt est, laicus. Statìm verò respõdit is, cui hoc dicebat: Si ille velit manere, maneat. Reuerà, Pater, ego hoc nõ sustineo. Porrò aũt hoc quoq; dixit ei Simeon, quandò seorsùm est locutus: Festina, Pater, rogo propter Dominum. Cor enim mihi valdè contremiscit propter fratrem Iohãnem: quoniam hoc anno duxit vxorem valdè diuitem & formosam, nè eius desideriũ eum rursùs ad ipsam abripiat, & desistat à suo in Deum desiderio. Rursùs autem hoc ipsum dixit Iohãnes illi viro virtute eximio, cum multis precibus & lachrymis: (Eæ enim naturaliter in eius magìs abundabant oculis, quàm in eius fratris Simeonis) Pater, nè fratrem meum propter te perdas: Matrem enim habet solũmodò: eratque eiusmodi vtriusque desiderium vt non posset alter ab altero abesse duas horas. Quinetiam in hodiernum vsque diem ambo simul dormiebant, mater eius & ipse, vt qui nec noctù quidem possent separari. Quod quidem me valdè coquit & angit, donèc eum videro tonsum, & planè omnem curam de eo abiecero.

Tonsura monastica.

Attẽde sanctum in his viris ardorem.

Vtriusque ergò magnã de se inuicèm solicitudinem audijt ille vir magnus, certusque Deum non dedecore afficere, neque despicere eos, qui toto animo & citra vllam dubitationẽ ad eum cõfugiunt, *ablato forfice, & eo, quo par est, ordine sancto altari impositio, eos totõdit. Cumq; eos exuisset, induit quidẽ miserabilibus vestibus, verùm sanctis, eorum motus misericordia vir sapiẽs, & maximè misericors, propter eorũ cor poris mollitiem & afflictionem, cui non assueuerant. Cùm ij autem tonderentur, Iohannes quidem valdè flebat: Simeon verò ei annuit, vt cessaret, vt qui omninò ignoraret, cur fleret. Existimabat enim eum flere propter dolorem, quem capiebat ex parente, & propter amorem coniugis. Postquàm ergò tonsi essent, & sanctam synaxim peregissent, sedit rursùs Præfectus, toto ferè die illos admonens. Sciebat enim, fore vt

Cap. 7.

*allato

Simeon & Iohãnes fiunt monachi.

Cap. 8.

non diù apud eum verſarentur, cùm hoc Deus quoquè prouidiſſet. Poſtridiè autem eius diei, cùm eſſet ſanctus dies Dominicus, volebat eis quoquè dare ſanctũ habitum. Nota quid conferat profeſſio monaſtica. Cùm ergò ex fratribus quidam eis dicerẽt: Beati eſtis, quoniam cràs regenerabimini, & mundi efficiemini, ſicut nati eſtis, ab omni peccato, perindè ac ſi ipſo die eſſetis baptizati, admirati ſunt ambo, & cucurrerunt ad diuinum Niconem veſperì Sabbato, & ad eius pedes prociderunt, dicentes: Rogamus te, Pater, nè nos baptizes: Sumus enim Chriſtiani, & nati ex parentibus Chriſtianis. Is autem cùm neſciret, quidnam audiſſent à patribus cœnobij, dixit eis: Quis enim vult vos, ô filij, baptizare? Illi verò dixerunt: Domini noſtri patres monaſterij dicunt nobis: Cràs rebaptizabimini. Tunc Monachorum angelicus habitus. intellexit Præfectus eos dixiſſe de ſancto habitu. Is verò dixit eis: Rectè dixerunt, filij: Etenim ſi Deo placuerit, volumus vos cràs inducre ſancto & Angelico habitu. Poſtquàm intellexerunt Chriſti pueri, ab omni malitia alieni, ſe mox eſſe ſumpturos habitum monaſticum, dicunt Abbati: Quid enim, Pater, aliquòne alio opùs habemus, vt induamur illo Angelico habitu, quem tu dicis? Dederat autem vir ille magnus præcedente hebdomada, in qua fuerat Exaltatio Crucis, habitum ſanctum cuidam ex iunioribus fratribus, neque ſeptem dies adhuc impleuerat, ſed adhuc ferebat omnia, vt poſtulat conſtitutio. Permiſit itaque vir magnus, vt is ſtatìm duceretur in medium. Poſtquàm verò venit, eum ambo contemplantur, & ad pedes Abbatis prociderunt protinùs, & ei dixerunt: Rogamus te, Si nos ità es induturus, & nos tali honore & gloria dignaturus, id facias veſperè, nè cùm homines ſimus, per noctem ad nos veniat id, quod eſt humanum, & abeamus, talem gloriã & lætitiam, taleque veſpertinum officium, & talem coronam minimè conſecuti.

Cap. 9. Poſtquàm ergò audiuit eos Præfectus, cùm dixiſſent, Tale veſpertinum officium, & talem coronam minimè conſecuti: intellexit eos vidiſſe viſionem, quam ſanctus ferebat habitus: & permiſit, vt frater ille abiret in locum proprium, in quo fuerat, ex quo ſanctum induerat habitum. Cùm is ergò receſſiſſet, magno dolore affecti fuerũt Chriſti pueri, & dicũt Præfecto: Propter Chriſtum, Pater, ſurge, & fac nos, ſicut ille eſt. Nam in toto monaſterio nullus eſt in tanto honore, quanto ille eſt. Dicit ei Abbas: Quonam honore? Tunc dixerunt: Per eum, Pater, qui nos dignatus eſt hoc habitu & honore, beati quoq; nos ſumus, ſi à tanta Monachorũ multitudine cum cereis deducamur in veſperis, & coronã tam ſplendidã geſtemus in noſtro capite. Exiſtimabant enim Præfectũ quoq; ea videre, quæ à ſe videbantur. Quocircà cùm id cognouiſſet, ne eis quidẽ dixit ſe nihil videre, ſed tacuit, & miratus eſt magnã ſimplicitatem & puritatem, maximè aũt Simeonis. Hoc autem iucundiſſimè eis dixit ille magnus: Cràs vos quoq; induemus per gratiam ſancti ſpiritũs. Poſtquàm ergò ipſi accepiſſent ſanctum habitũ, (vt affirmabat ſanctiſſimus Diaconus) aſſerebat hoc, qui à mendacio erat alienus, Simeon: Videbamus, inquiẽs, noctù non ſecùs, atq; interdiù alter alterius faciem, & ſimiliter vt eius, qui fuerat priùs à nobis viſus, coronã in capite alter alterius. In tali autem gaudio erat anima noſtra, vt nec facilè vellemus ſumere cibum aut potum.

Poſt ſumptũ habitũ monaſticũ vide quid contigerit iſtis.

Cap. 10. Duobus autem diebus poſtquàm ipſi ſanctum cepiſſent indumentum, contẽplantur eum, qui ſeptem antè diebus id ceperat, in quo & coronam viderant, & eos qui veſpertinum dicebant officium: ferebatque is mantile, & miniſtrabat, & neque habebat ampliùs coronam ſibi impoſitam, neque rurſùs monachi veſpertinum dicebant officium cum cereis, miratiq; ſunt: & dicit Simeon Iohanni: Crede frater, ſi nos quoquè eoſdẽ ſeptem dies impleuerimus, non habebimus ampliùs hũc decorem & gratiam. Dicit autem Iohannes: Et quid vis, vt fiat, frater? Is verò ei rurſùs dicit: Si me audieris, volo vt ſicut reliquimus mundum, eique renunciauimus, omni quoq; habitu, Vocat eos ſpiritus ſanctus ad vitæ altioris inſtitutum. in quo nunc ſumus, planè renunciemus. Aliam enim vitã cerno, & res alienas in hoc habitu. Ex quo enim Dei ſeruus nos eo induit, intrinſecùs inflammor neſcio vndè, & quærit anima mea neminem videre, & neminem alloqui, & audire neminem. Dicit ei Iohãnes: Et quid comedemus, frater? Dicit ei Simeon: Si quid comedũt, qui vocantur paſtores, de quibus herì quoq; nobis dixit dominus Nicon. Fortè enim ipſe quoq; volens nos eam vitã degere, narrauit nobis quomodò viuant, & quomodò comã creſcere permittant, & omnia quæ ad eos pertinent. Et quomodò, inquit Iohãnes? Nam neque pſallere, neq; inſtitutum didicimus. Tũc aperuit Deus cor Abbatis Simeonis, & dixit: Qui ſeruauit eos, qui etiam ante Dauid ei placuerunt, nos quoquè ſeruabit. 1. Reg. 16. & 17. Quòd ſi digni fuerimus, nos quoquè docebit, quomodò docuit Dauid, qui paſcebat oues in ſolitudine. Nè velis frater retardare meam animi alacritatem. Sed quoniam nos

nos huic rei dedidimus, nè eã perdamus. Tunc dicit Iohannes: Faciamus, vt voluẽris. Sed quomodò exibimus? Noctù enim ſunt clauſæ fores. Dicit ei Simeon: Qui nobis interdiù aperuit, ipſe quoquè noctù aperiet.

Poſtquàm ergò firmum ac conſtitutum fuit eis conſilium, ſtatìm cùm nox aduentãſſet, vidit Præfectus quendam in ſomnis, qui aperiebat fores monaſterij, & dicebat: Egredimini ſignatæ Chriſti oues ad veſtra paſcua. Is autem è ſomno excitatus, protinùs deſcẽdit ad ianuam, & eam inuénit apertam, exiſtimansq; eos illinc eſſe egreſſos, ſedebat triſtis, ingemiſcens & dicẽs: Non ſum dignus habitus ego peccator, qui acciperem preces Patrum meorum. Ij verà erant Patres mei, domini & magiſtri: & ideò nõ ſum aſſecutus, vt mihi receſſum annunciarent. Papæ, quàm appoſiti & precioſi lapides (vt ait ſcriptura) non animaduerſi ſuper terram voluuntur: qui à multis quidem cernuntur, à paucis autem appræhẽduntur. Cùm hæc ergò anxius animi apud ſe cogitaret, eccè puri Chriſti ſponſi, qui veniebant, vt egrederentur, ante quos vidit puriſſimus Præfectus Nicon quoſdam eunuchos, qui geſtabant lampades, hos autem ſceptra vna manu tenentes. Poſtquàm ergò illi cognouerunt eum eſſe Præfectum, fuerunt ipſi quoquè valdè læti, maximè cùm etiam ianuam vidiſſent eſſe apertam. Venit enim eis in mentẽ, Deum quoq; id ei reuelâſſe. Voluẽrunt itaq; vocare pœnitentiam: ſed prohibuit eos, dicens, nihil eis tale licere facere propter honorem Angelici habitûs, qui eſt eis impoſitus. Dicunt itaque ei protinùs: Cap. 11.

Gratias agimus tibi, Pater. Quidnam autem Deo offerre, & venerando tuo capiti poſſimus, ignoramus. Quis ſperauit fore, vt talibus donis digni haberemur? Quis Rex tali dignitate nos potuit honorare? Quinam terreni theſauri nos tam citò effeciſſent diuites? Quorumnam lauacrorum ablutiones ità noſtram emundâſſent animã? Quinam parentes ſic potuiſſent diligere & ſeruare? Quænam dona aut munera, peccatorum noſtrorum remiſſionem tam breuiter nobis afferre potuiſſent, vt tu, venerande pater noſter? Tu noſter es poſt Chriſtũ pater & mater: tu dominus, tu exercitator, tu dux, tu deductor, & quæcunq; nõ poteſt lingua dicere. Per te precioſam acquiſiuimus margaritam. Baptiſmatis vim verè didicimus, de quo nobis prædixerũt ſancti Patres. Profeſsio monaſtica alter eſt Baptiſmus. Cognouimus noſtra peccata verè fuiſſe exuſta ab igne, qui corda noſtra accendit. Quem quidem non ferentes ſic nos intùs vrentem, rogamus, Pater, tuam beatitudinem, vt intenſas preces facias, & tuos ſeruos dimittas ad hoc, vt germanè & ſyncerè, totoq; animo ſeruiamus Deo, cui noſipſos conſecrauimus: oratus, vt nunquàm obliuiſcaris inutilium tuorum filiorum in tempore extenſionis venerabilium tuarum manuum: oratus, inquam, ô ſancte à tuis hoſpitibus, vt memineris eorum orbitatis. Sanctiq; genua amplexi, rurſùs dicebãt: Memento, Pater, tuarum humilium oulum, quarum Chriſto obtuliſti holocauſtum. Memento externarum plantarum, quas in pulchro horto Paradiſi plantare ſtuduiſti. Nè obliuiſcaris pigrorum operariorum, quos circa vndecimam Chriſto ad vineam conduxiſti. Mirabatur autem, & obſtupeſcebat Paſtor, videns eos, qui duobus antè diebus erant idiotę & planè rudes, tam repentè euaſiſſe ſapientes per diuini habitûs ſuſceptionem. Cap. 12. Nota quid tribuãt monachiſmo viri tanti.

Poſtquàm ergò ambo fleuiſſent ſatìs longo tempore flexis genibus, ſanctus Nicon ſtatuens Simeonem à dexteris, & Iohãnem à ſiniſtris, ſurrexit, & manus ad cælum extendens, dixit: Deus, qui es iuſtus & laudabilis: Deus, qui es magnus & fortis: Deus, qui es ante ſecula, exaudi virum peccatorem hac hora: Deus exaudi me, exaudi me in fortitudine, non recordans in hac mea precatione eius, quæ à me verè contempto & abiecto ſemper & ſemper admiſſa fuit, inobedientiæ. Exaudi me, Domine, exaudi me in igne precationis, quomodò tuum quandoq; prophetam: & per eaſdem inſcr- 3. Reg. 18. ceſſiones exure meas iniquitates, & munda mea peccata. Nè, quæſo, Deus ſanctarum poteſtatum, nè factor incorporeorum, nè, qui dixiſti: Petite, & accipietis, nè me abo- Luc. 11. mineris, cui ſunt immũda labia, & qui detineor in peccatis. Exaudi me, qui es pollicitus te eos eſſe exauditurum, qui inuocant in veritate, & dirige greſſus ſeruorum tuo- Pſal. 144. rum, & pedes eorũ in viam pacis. Miſerere ſimplicium puerorum, qui ſunt in terra externa. Qui dixiſti, Eſtote ſimplices, ſicut colũbæ. Clamaui tibi in toto corde meo. De- Matth. 10. us, Deus exaudi me, qui es ſpes omniũ finium terræ, & omnium, qui ſunt procùl in externa regione. Increpa omnes immundos ſpiritus à facie famulorum tuorũ. Appræhende arma & ſcutum, & exurge ad auxilium eorũ. Effunde romphæam, & cõclude aduerſùs eos, qui perſequuntur illos. O Domine, qui dixiſti animæ eorum: Salus tua Pſal. 34. ego ſum: recedat à mente eorum ſpiritus timiditatis, deſidiæ, ſuperbiæ & omnis vitij.

Orat pro ſuis filijs S. Nicon Abbas.

Extinguatur eorum omnis inflammatio, & motus, qui cõſtat ex diabolica operatione. Illuminetur eorum corpus, anima & ſpiritus lumine tuæ cognitionis, vt cùm occurrerint in vnitate fidei, & agnitione ſanctæ & adorandæ Trinitatis, in virum perfectum, in menſuram fidei, te glorificent in ſeculũ ſeculi, & placeãt tibi Domino: Quoniam tutiſſimum præſidium eſt nomen tuum Patris, & filij, & ſpiritũs ſancti, Amen. Da autem eis cum omnibus bonis, ô Domine, verba quoq; huius meæ miſerabilis & indignæ ſupplicationis in corde habere perpetuò, ad glorificandam & celebrandam tuam benignitatẽ. Et rursùs dixit eis cum multis lachrymis: Deus, quem elegiſtis, boni filij, & ad quem acceſſiſtis, ipſe mittet Angẽlum ſuum ante faciem veſtram, & muniet viam ſuam ante pedes veſtros. Angelus (vt ait magnus Iacob, qui me liberat ab omnibus contrarijs poteſtatibus) ipſe ambulabit ante veſtras ſemitas. Qui ſuum liberauit propheram ex ore leonis, ipſe quoq; vos liberabit à manibus leonis, ipſe meum conſeruabit ſacrificium nullo affectum dedecore.

Gen.48.

Dan.6.& 14.

Cap.14.

Poſtquàm autem hæc & his plura eſt eis precatus, eorũ quoq; colla vir diuinus eſt complexus, & dixit: Serua, Deus, ſerua eos, qui toto corde dilexerunt nomen tuum. Nõ enim iniuſtus es, Domine, vt eos deſpicias & deſeras, qui inanes res huius vitæ reliquerunt. Deindè rursùs dicebat eis: Videte, filij, vos bello, vos dediſtis terribili certamini, & quod non cadit ſub adſpectum: ſed nè pertimeſcatis. Potens eſt enim Deus, qui non ſinet vos tentari plùs, quàm ferre poſſitis. Decertate, filij, nè ab inimico vincamini, ſed ſtetis forti & excelſo animo, habentes aduersùs eum arma ſancti habitũs. Recordemini eius, qui dixit: Nemo qui manum miſerit ad aratrum, & retrò conuerſus fuerit, aptus eſt regno cælorum. Nolite cùm ingreſſi ſitis viam perfectam eius, quæ Deo conuenienter degitur, ✳ ignaui effici & deſides, nè in vobis impleatur, quod ſcriptũ eſt de turris ædificatione: Et nõ habuerunt vires, & animi alacritatem ad conſummãdum opus. Securi eſtote, filij. Paruum eſt bellum, ſed magna eſt corona: labor eſt ad tempus, ſed quies eſt æterna. Cùm ergò iam tẽpus proceſſiſſet, & iam deincèps lignum pulſaret, eſſentque è ianua egreſſuri, Præfectum ſeorsùm accepit Simeon, & dixit ei: Propter Deum, Pater, ora, vt Deus propulſet à fratre meo Iohanne memoriã coniugis, nè fortè à maligno impulſus, me dimittat, & peream propter conceptum de eo dolorem, eiusque exitium & ſeparationem. Ora (rogo propter Dominum) vt Deus eius quoq; conſoletur parentem, nè ſit de eo ſolicitus. Cùm autem admiratus eſſet ſenex amorem, quem habebat in fratrem, nihil ei reſpondit. Rursùs verò eodem modo eum quoq; accepit Iohannes, & ſeorsùm eſt adhortatus: Propter Deũ, Pater, nè negligas fratrem meum in tuis orationibus, nè me fugiat propter matrem, motus in eam affectione, & inueniar in portu patiens naufragium. Vt ergò dictum eſt, obſtupefactus vtriuſq; inter ſe amore, eis planè dicit: Ambulate filij. annuncio enim, quòd qui hîc vobis aperuit, illic quoquè priùs aperit: Et cùm eorum frontes & pectora, & totum corpus ſignâſſet, eos dimiſit.

Luc.9.

for.e vitæ, Geneſ.11.

Attende curã Simeonis de ſalute fratris ſui Iohannis.

Item Iohannis de ſalute Simeonis.

Nota hanc ſignationẽ Crucis.

Poſtquã ergò dimiſſi exijſſent, hoc dicebant: Deus illius magni tui ſerui, deduc nos, qui ſumus hoſpites, & erramus inſtabiles, quoniam neq; loca ſcimus, nec regionẽ: ſed ad te veniẽtes, nos morti tradidimus in vaſto pelago huius ſolitudinis. Dicit ergò Iohannes Simeoni: Quid modò eſt? Quò imus? Ille ei reſpondit: Tendamus ad dexterã. Nam quæcunq; ſunt dextera, ſunt bona. Euntes autem, venerunt ad mare mortuum. Fuit verò omninò hæc Dei prouidentia, qui nunquàm deſerit eos, qui toto animo in eum credunt. Inuenerunt autem locum, in quo habitabat quidam ſenex, qui paucis antè diebus erat mortuus, in quo & parua erant vaſa, & herbæ delicatę ad veſcẽdum, de quibus comedebat ſenex, qui illic iacebat. Cùm ergò locum vidiſſent viri illi egregij, perindè lætati ſunt, àc ſi theſaurũ inueniſſent. Nouerunt enim eũ locum fuiſſe ſibi à Deo paratum & apertum. Cœperuntq; Deo gratias agere, & magno illi ſeni. Dicebant enim, quòd credebant per eius orationes iter illis ſucceſſiſſe feliciter. Poſtquàm ergò manſerunt paucos dies, non ferens Chriſti ſeruorũ virtutẽ, noſtrarũ animarum inimicus diabolus, cœpit cum eis bellũ gerere: Iohannem quidem tentans per ſuam vxorem, Simeonem aũt per magnum matris ſuæ amorem. Quandò ergò vnus ex eis ſe videbat affligi, ſtatìm dicebat alteri: Surge frater, oremus. & magni illius ſenis quãdam recitabant orationem. Sic enim ille precatus fuerat: Da eis, Domine, verba huius orationis in cõrde eorum. Et ſtatìm inuenti ſunt ambo eam ſcire memoriter: eamque aſſiduè recitabant in vnaquaque tentatione, & in vnaquaque ſua ad Deum petitione. Nonnunquàm enim eos inflammabat diabolus, (quemadmodũ narrabat

Manent Simeon & Iohannes in ſolitudine.

diuinus

diuinus Salus) vt carnem comederent, & vinum biberent. Et rursùs eis in principio ſuggerebat timorem, ignauiamq; & deſidiam ad exercitationem, vt ipſi quærerent à ſolitudine reuerti ad monaſterium. Rursùs autem, vt in ſomnis adſpicerent, & nonnunquàm etiam in viſione, ſuos partìm quidem flentes, partìm verò conuiuãtes, efficiebat forma multiplex ſerpentis, & multa alia, quæ nec poſſint quidem narrari, nisì quis expertus fuerit eaſdem tentationes. Sed quandò recordabãtur coronarum, quas alter in altero viderat, doctrinæq; & lachrymarum ſenis, non ſecùs atquè oleo ſancto cor eorum mitigabatur & recreabatur.

Tentatur à ſatana.

Apparebat autem eis quoq; in ſomnis Abbas Nicon, nonnunquàm quidem eos admonens, nonnunquàm verò orans pro ipſis, nonnunquàm autem eos quoq; docens pſalmos: Et è ſomno excitabantur, memoriter dicentes quæcunque noctù ab ipſo dicerant: Et propterea magna afficiebantur lætitia. Sciebant enim ſenẽ propter ipſos laborare, de quo ex ipſis rebus fiebant certiores. Nam cùm hoc ambo ante omnia à Deo petijſſent, Simeon quidem, vt conſolationem cor matris eius acciperet, & penitùs acquieſceret: Iohannes autem, vt Deus ſuam acciperet coniugem, quô è ſuo animo auferretur, quod ad eam referebatur, deſideriũ, ipſe Dominus vtroſque exaudijt, de quo dicitur: Voluntatem timentium ſe faciet. Cumq; duo anni præterijſſent, à Deo certior factus eſt Simeon, matrem propter ipſum non ampliùs moleſtia affici, eumq; ei noctù apparére, & eã conſolari, & dicere ei ſermone Syriaco: Ladochre lichem: hoc eſt, Nè te crucies, mater. Etenim rectè ſumus ego & Iohannes, & valemus. Militauimus in palatio Imperatoris, & eccè coronas, quibus nos induit Imperator, & veſtes decoras geſtamus. Sed Iohannis quoq; fratris parentem conſolare, quòd mecum militauerit: & vos nulla afficiamini moleſtia. Porrò autem Iohannes quoq; vidit quendam ei dicere indutum candidis veſtibus: Eccè effeci, vt pater quidem tuus dolere deſineret: Vxorem autem tuam his diebus aſſumo. Narrârũt ergò ambo ſibi inuicèm ea, quæ viderant: gauiſiq; ſunt, & cor eorum magna affectum eſt lætitia. Tunc parẽtum ſuorum cogitatione Deus eos ſtatìm leuauit, & in poſterum quieto ac trãquillo fuêre animo, de eis nulla affecti moleſtia: ſed impigrè & citra vllum laborem, perpetuum exercitationis & ſilentij curſum nocte dieq; peregêre, nullum aliud, in quo verſarentur, opus habentes, nisì, quæ diuelli non poteſt, tentationẽ, & minimè ſolicitam ſolicitudinem: dico autem perpetuę orationis, per quam breuiter eò proceſsêre impigri operatores, vt infra modicum tempus digni ſint habiti viſionibus diuinis & miraculis. Nam cùm præterijſſet parùm temporis, ambo ſilentium agebant, ſeparati à ſe inuicèm ſpatio iactûs vnius lapidis. Nam hoc quoquè inter ſe conſtituerant, nempè ſeorsùm ſecedere, quandò vellet vnuſquiſque ex illis ſolus ſingulatim orare. Quandò autem ad eum veniſſent cogitationes, aut ſocordia, alter venire ad alterum, & communiter Deum rogare, vt liberetur à tentatione.

Liberantur diſpenſatione diuina à cogitatione ſuorum parentum.

Habebãt ſolicitudinem perpetuæ orationis.

Cap.16.

Cap.17.

Cùm ergò quodam die ſederet Simeon in loco ſibi conſueto, videt ſe in ecſtaſi velutì adeſſe apud ſuam matrem ægrotantem Edeſæ, (Erat enim illinc oriundus) & ei dicit voce Syriaca: Quomodò te habes, mater? Cùm ea autẽ dixiſſet, Rectè fili: ei rursùs dicit: Vade ad regem, nihil timens. eum enim rogaui, & tibi parauit honeſtum locum, & quandò volet, te illic conueniam. Ad ſe autem reuerſus, nouit matrem ea hora eſſe mortuam: curſimq; veniens ad Iohannem, ei dicit: Surge frater, faciamus orationem. Cùm is autem eſſet conturbatus, (exiſtimabat enim tentationem aliquam accidiſſe Simeoni) dicit ei Simeon: Nè conturberis, ô frater: Nihil enim mali habeo per Deum. Rursùs ergò dicit ei Iohãnes: Quænam eſt autem cauſa tanti curſûs, ô frater Simeon? Eum enim valdè colebat & honorabat, ſicut & ille. Tũc oculis eius effuſis lachrymis, & incipientibus tanquàm margaritis in pectus eius deſcendere, ipſe dicit Iohãni: Modò bonam & benedictam matrem meam Dominus accipit. Et ei expoſuit viſionem. Cumque ipſi genua inclinâſſent, orârunt: licebatque Simeonem audire dicentem Deo miſerabilia verba, & ſupplicia. Conuertebantur enim, & conturbabantur eius viſcera à natura commota, & clamabat: Deus, qui Abrahæ ſuſcepiſti ſacrificium, qui reſpexiſti holocauſtum Iephte, qui Abelis dona non es auerſatus, qui propter Samuelem puerum tuum Annam oſtendiſti prophetiſſam, ipſe, Domine mi Domine, propter me ſeruum tuum ſuſcipe animam meæ bonæ matris. Memento, Domine, laborum eius, quos pro me ſuſcepit. Memento, Domine, dolorum eius & eiulatuum, quos effudit, quandò ab ipſa ad te fugi. Memento, Domine, huberum, quibus me lactauit humilem & abiectum, vt meæ iuuentutis fructum perciperet, & non percepit.

Simeõ orat pro matre moribũda.

Memento,

Memento, Domine, quòd ne hora quidē à me poterat ſeparari, & à me fuit toto tempore ſeparata. Memento, Domine, qui ſcis omnia, quòd quandò ipſa volebat ex me gaudium capere, tunc eam meipſo fraudaui propter nomen tuum. Nè obliuiſcaris, ô iuſte, diſtracta ac diuulſa fuiſſe eius viſcera eo die, quo ad te confugi. Cognoſce Domine, quantæ fuerunt eius vigiliæ, cùm tota nocte meæ recordaretur iuuentutis, quandò eam ſ relíqui. Tu nôſti, Domine, quot noctes inſomnis tranſegerit, dum quæreret ouem, quæ ſimul cum ea dormiebat. Nè obliuiſcaris, ô clemens, qualis dolor cor eius inuaſerit, quandò ſtabat meas veſtes contemplans, propterea quòd non eſſem ampliùs eius margarita, qui eis induebar. Memento, Domine, me eam meo gaudio, lætitiaque & exultatione fraudâſſe, vt tibi meo & eius Deo & Domino vniuerſorum ſeruirem. Da ei Angelos, qui eius conſeruent animam à ſpiritibus, & feris huius aëris, qui ſunt ſceleſti & immites, & conantur omnes deuorare, qui per ipſos tranſeunt. Mitte ei, Domine, mi Domine, cuſtodes fortes, qui increpent omnem immundam poteſtatem, quæ ei occurrerit, & abſque vlla moleſtia & tormento, Deus meus, iube ſeparari eius animam à corpore, & ſi quid vt mulier, vel facto, vel verbo in hac vita peccauerit, condona eius animæ pro ſacrificio, quod genuit & obtulit tibi Domine, me ſcilicet indignum ſeruum tuum. Nè Domine, qui es Deus meus iuſtus iudex & clemens, nè eam exportes ab afflictione in afflictionem, & à dolore in dolorem, & à gemitibus in gemitus: ſed pro ea quam paſſa eſt, moleſtia propter eius vnigenitum, in gaudium, pro lachrymis in exultationem, quæ parata eſt ſanctis tuis, ô Deus, ô Deus meus in ſecula, Amen.

Cap. 18. Cumque ſurrexiſſent ipſi ex oratione, cœpit frater Iohannes eum conſolari, & dícere: Eccè frater Simeon, Deus tibi ſatisfecit, & exaudiuit orationem tuam, & accepit matrem tuam. Sed modò mecum collabora, & ambo oremus ad Dominum, vt faciat miſericordiam ſuam etiam cum ea, quæ Dei conceſſione mea vxor eſt nominata, vt eam quoq; deducat Deus ad cōſiderationem monaſtici habitûs, aut vtatur in eam miſericordia, & eam accipiat. Cumq; orâſſent breui tempore, vna nocte videt Iohannes matrem Simeonis venientem, & manu tenentem eius vxorem, & ei dicentē: Surge ſoror, veni prope me: Bonam enim domum mihi largitus eſt Imperator, qui filium meum duxit in exercitum ad ſibi ſeruiendum: ſed muta veſtes tuas, & geſta mundas.

Vxor Iohānis moritur

Quæ ſurrexit protinùs, & eam eſt ſecuta. Tunc cognouit Iohannes eā quoq; eſſe mortuam, duasq; illas eſſe in bono loco, valdeque magno affectus fuit gaudio. Illi autem perſeuerauerunt in ſolitudine, exercentes ſe in omni exercitatione afflictioneque, &

29. annis ſimul degunt in eremo Simeon & Iohannes.

frigore, & æſtu, vigintinouem annos, vbi multas, & quę dici nequeunt, tentationes ſuſtinuerunt à diabolo: maximè autem Simeon ex ea, quæ ei inerat, ſimplicitate & puritate. Senſit tamen per inhabitantem in ſe virtutem ſancti ſpiritûs, ſe neq; timere vllam affectionem, neque frigus, neque famem, neque æſtum: ſed propè videbatur exuperare modum humanæ naturæ. Quadā die verò dicit Iohanni: Quid nobis deincèps proderit, ô frater, ſi verſemur in hac ſolitudine? Sed me audias: Surge, abeamus, alios quoquè ſaluos faciamus. Hîc enim nobis ſolis, & nulli alij proſumus, neque mercedem habemus ex aliquo. Cœpit quoquè ex ſancta ſcriptura quædam ei dicere huiuſmodi: Nemo quærat quod ſuum eſt, ſed id, quod eſt proximi. Et rursùs: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes ſaluos faciam. Et ex Euangelio: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cælis: Et quædā alia huiuſmodi. Reſpondens verò Iohannes, dixit ei: Sataṅas (vt exiſtimo) ô frater nobis inuidet hanc quietem, & hanc tibi ſuggeſſit cogitationem. Contrà autem ſede, & impleamus curſum noſtrum in hac, in qua Deus nos poſuit, ſolitudine. Dicit verò Simeon: Crede, ego non manebo: ſed in virtute Chriſti abibo, & mundum ludificabor. Ei rursùs dicit frater eius: Non, bone frater, rogo te per Dominum, nè me dimittas humilem & abiectum. Nondùm enim ad eam peruéni menſuram, vt poſſim mundum ludificari. Sed propter eum, qui nos coniunxit, noli à tuo fratre ſeiungi. Scis frater mi, poſt Deum me habere neminem præter te, ſed abnegâſſe omnes, & tibi adhæſiſſe: & modò tu me in hac, tanquàm in vaſto pelago, vis relinquere ſolitudine? Memento illius diei, quándò ſortiti ſumus, & deſcendimus ad Abbatem Niconem, quòd conuenerimus à nobis inuicèm non ſeparari. Memento horæ terribilis, quandò ſancto habitu induti ſumus, & fuimus duo ſicut vna anima, adeò vt noua & admirabilis noſtra videretur omnibus dilectio. Nè obliuiſcaris verborum ſancti ſenis, quibus nos admonuit nocte, qua exiuimus. Nè (rogo) nè peream, & requirat Deus animam meam à te.

1. Cor. 10. 1. Cor. 9. Matth. 5.

Attende ſtudium S. Simeonis, vt alios ſaluos faciat.

Dicit

Dicit ei rursùs Simeon: Puta me eſſe mortuum. Quod ſi eſſet, non poſſes ſeorsùm tuî curam gerere? Crede, ſi venias quidem, benè eſt: ego enim nō manebo. Poſtquàm ergò frater Iohannes vidit eum perſiſtere, cognouit à Deo fuiſſe ei ſuggeſtum, vt hoc faceret. Nihil enim, nisì mors, eos ſeparâſſet. Fortaſsè autem ne ea quidem. Etenim in hoc quoquè Deum ſæpè rogauerant, vt eos duos ſimul acciperet, & credebant fore, vt in hoc quoquè, ſicut in cæteris omnibus, Dominus eos exaudiret. Itaq; ei dicit: Vide, Simeon, nè fortè diabolus te velit illudere. Ille autē ei dixit: Tu vide ſolummodò, nè meî obliuiſcaris in tua oratione, ſicut nec ego tuî. Nam & Deus, & preces tuę mihi dant ſalutem. Rursùs ergò cœpit eum frater eius admonere, & dicere: Vide, frater Simeon, & caue, nè quęcunque collegit eremus, diſpergat mundus: & quantùm profuit quies, tantùm lædat perturbatio: & quæ attulit vigilia, ea per ſomnum perdas. Caue, frater, nè vitæ monaſticę temperantiam corrumpas fraude rerum humanarum. Vide, nè fructum, quem percipiebas ex eo, quòd carebas mulieribus, perdat, quæ cum eis futura eſt, conuerſatio. Vide, nè nihil poſſidendi virtutem, quam tibi conciliabat vita anachoretica, multæ diſpergant poſſeſſiones: nè quod corpus macerauit ieiuniū, eſcæ pingue faciāt. Vide, frater, nè compunctionem tuam perdas per riſum, & orationem tuam per negligentiam. Vide (rogo) nè dum tuus ridet vultus, mens vnà diffundatur: nè dum manus contrectant, vnà quoquè contrectet anima: nè dum os comedit, ſimul quoq; voluptate anima perfundatur: nè dū pedes ambulant, vnà quoq; indecorè ſaltet interna quies: & (vt paucis dicam) nè quæcunq; facit corpus extrinſecùs, ea quoquè faciat anima intrinſecùs. Sed ſi, ô frater, vires à Deo accepiſti, vide vt, quaſlibet figuras, verbaq; & res corpus fecerit, immobilis & imperturbata mens maneat, & cor tuum, nec ab eis vllo modo polluatur aut lædatur. Reuerà ego propter tuam lætor ſalutem, modò Deum roges, nè illic nos à nobis inuicèm ſeparet. Tunc dicit ei Simeon: Nè timeas, ô frater, neque enim à me hoc volo facere, ſed Deo mihi iubente. Ex hoc quoq; cognoſces Deo gratum fuiſſe opus, quod per eius operabor auxiliū, quòd, antequàm moriar, ad te veniam, te vocabo & ſalutabo, & paucis diebus me ſequéris. Sed ſurge, & oremus. Cumque ſatìs diù orâſſent, & ſua inuicèm pectora exoſculati eſſent, & ea ſuis lachrymis irrigâſſent, eum dimiſit Abbas Iohannes, ſatìs longo ſpatio eum comitatus in itinere. Neq; enim poterat in animum inducere, vt ab eo ſepararetur. Sed quādò ei dixit Abbas Simeon: Frater, reuertere: perindè acsì gladius eū ſeparâſſet ab eius corpore, hoc verbum audijt. Poſtquàm ergò eum coëgit Abbas Simeon, reuerſus eſt in ſuum locum, lachrymis terram irrigans.

Cap. 19.

Iohānes Simeonem grauiter admonet.

Valedicit Iohanni Simeon, vt Dei obtrementeret volūtati.

Simeon autem recto cùrſu contendit in ſanctam Chriſti Dei noſtri ciuitatem. Valdè enim, vt dicebat, ſitiebat, & vehementi ardebat deſiderio iam longo tempore fruendi ſacris locis. Cumque peruenìſſet ad ſanctum & viuificum Chriſti monimentum, ſanctumque & ſalutare, & victoria inſigne Cranium, ſuum impleuit deſiderium. Manſit autem tres dies reſidens in ſancta ciuitate, ingrediens & adorans ex omni parte veneranda loca Domini, & orans. Tota autem erat eius oratio, vt tegeretur eius operatio, donèc migraret ex hac vita, vt hominum gloriam effugeret, per quam venit ad hominem ſuperbia & arrogantia, quæ etiam Angelos perdidit è cælis. Eum ergò exaudijt is, qui dixit: Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos. Etenim cùm tot fecerit miracula, totque res tam admirabiles, & quæ ſunt præter opinionem, (vt ſcietur ex ijs, quæ conſequuntur) non fuit manifeſta hominibus huius ſancti operatio. Eius enim petitio fuit velutì integumentum impoſitum cordi eorum, qui videbant, quæ ab eo fiebant, donèc obdormiuit. Quemadmodùm enim, nisì ità eſſet, (Dico autem, quòd Deus illius beati virtutem texit ab hominibus, propter eam, quam erat ab ipſis adepturus gloriam) non euaſiſſet omnibus manifeſtus hominibus? Cùm nūc quidem curaret dæmoniacos, rursùs autem res ſplendidas manu ferret: nonnullis autem ſæpè futura prædiceret, & alijs, quæ diù antè de ipſo dicta fuerant, ſignificaret: variosque ac multiplices cibos & valdè delicatos in ſolitudine, cùm à nemine id videretur, inferret: nonnunquàm autem Hebræos quoquè, & eos, qui à fide aberrabant, conuerteret: & curaret eos, qui laborabant, alios liberaret à periculis? Sæpè autem inhoneſtas & impudicas fœminas, partìm quidem ad legitimum matrimonium per ludum deducebat, partìm verò vt eſſent temperātes, pecunijs venans efficiebat. Quinetiam, vt vitam exercerent monaſticam, per eam, quæ ipſi inerat, puritatem compungebat. Neque verò miror, ô Chriſti amātes, ſi, cùm hæc ipſe ex Deo faceret, ignotus permanſerit. Nam qui occultas ſuorum famulorum virtutes ſæpè facit manifeſtas omnibus

Etiam inter miracula latet virtus Simeonis.

Cap. 20. Simeon cupit adire terram ſanctā.

Pſalm. 33.

ſua

ſua prouidentia, huius quoq; ſancti virtutes, quæ erant notæ omnibus, effecit ignotas.

Cap.21. Venit Emeſam Simeō. Vt ergò dictum eſt ſuperiùs, cùm tres dies verſatus eſſet in ſanctis locis, ad Emeſinorum peruenit ciuitatem. Modus autem, quo ciuitatem ingreſſus eſt, fuit huiuſmodi: Cùm inueniſſet vir inſignis in ſterquilinio, quod erat extra ciuitatem, canem mortuū, ſoluta, quam habebat ex fune, zonula, eiusque pede alligato, eum trahebat currens, & per portam ingrediens, prope locum, vbi eſt ſchola puerorum. Cùm ergò eum vidiſſent pueri, cœperunt clamare: Abbas ſtultus: & aggreſſi ſunt poſt eum currere, & ei colaphos impingere. Poſtridiè autem eius diei, cùm eſſet dies Dominicus, accepit nuces, & ingreſſus eſt in eccleſiam in principio officij, amputans & extinguens candelas. Poſtquàm verò vt eum educerent, accurriſſent, aſcendit in ambonem, & illinc nucibus lapidabat mulieres. Cùm autem eum multo labore eduxiſſent, dum egrederetur, ſubuertit libros placentariorum, qui etiam ei plagas vſque ad mortem intulêre.

Simulat ſe ſtultum.

Dirè cædi-tur. Poſtquàm ſe vidit ità confractum, dixit apud ſe: Humilis & abiecte Simeon, reuerà ſic non viues in horum manibus vna hora. Dei verò prouidentia videt eum vnus, nomine Fuſcarius, (Neſciebat autem eum præ ſe ferre amentiam) & dicit ei: Vis, ô domine Abba, pro eo quòd circuis, ſtare & vendere cicerem? Ille verò ei dixit: Volo. Poſtquàm autem eum vno die conſtituit vt venderet, is cœpit omnia erogare hominibus, & ipſe rodere inſatiabiliter. Tota enim hebdomada nihil penitùs comederat. Dicit itaque vxor Fuſcarij ſuo marito: Vndenàm nobis duxiſti hunc Abbatem? Certè ſi ſic rodit, non opùs eſt, vt ampliùs vendamus aliquid. Comédit enim vnā amphoram lupinorū, ex quo ego in eum dirigo oculos. Neſciebant autem, quòd quęcunque habebant, reliquasque amphoras erogauerat fratribus & cæteris, nempe fabam, & lentem, & reliqua legumina: ſed putabant eum illa vendidiſſe. Poſtquàm verò aperuerunt apothecam, & penu non inuenerunt, neque precium venditionis, eum verberârunt & dimiſerunt, eius quoquè barbam vellentes. Cùm autem veniſſet veſpera, voluit thuris ſuffitum emittere. Non enim receſſit ab eis veſperè, ſed illic dormijt extra fores. Cùm verò non inueniſſet teſtam, manum ſuam immiſit in focum, eamque præclarè impleuit, & ſuffumigauit.

Manu ſua portat ignē abſque læſione.

Cap.22. Cùm Deus autem vellet ſaluum facere Fuſcarium, (erat enim hæreticus ex hæreſi Acephalorum Seuerianorum) vidit ipſum eius vxor manu ſuffumigantē. Ea verò obſtupefacta, dixit: Vnus Deus, ô Abba Simeon: in manu tua ſuffumigas? Poſtquàm autem hoc ſenex audiuit, præ ſe tulit ſe comburi, & neſcio quæ lucida è manu ſua tranſtulit in vetus pallium, quod geſtabat, & dixit: Si nolis in manu mea, eccè in meo pallio ſuffumigo. Virtute verò Domini, qui rubum cōſeruauit incombuſtum, & pueros, nec ſanctus ſenſit flammam, nec eius pallium. Quonam modo autem ſalui euaſerunt Fuſcarius & eius vxor, dicetur in alio capite. Conſultò verò hoc faciebat ſanctus, vt quotiès alicubi feciſſet aliquid admirabile, & præter opinionem, protinùs mutaret illam viciniam, donèc ea res, quam fecerat, daretur obliuioni. Studebat quoq; vt videretur protinùs aliquid à ſe fieri ineptum & importunum, vt per id contegeret, quod rectè geſſerat. Aliquandò verò is, qui dabat lupinos in caupona, illum accepit, vt ſibi inſeruiret. Erat autem caupo immitis, adeò vt ei ſæpè ne cibum quidem daret, etiamsi multa venderet propter Salum. Tanquàm verò qui eſſent rei nouitate ſuſpenſi, ciues dicebant inter ſe inuicèm: Eamus, bibamus, vbi eſt Salus. Ingreſſus eſt autem aliquandò ſerpens, & ex vna vrna bibit vinum, & in eo virus ſuum effudit, & abijt. Non erat autem intùs Abbas Simeon, ſed foràs ad tympani ſtrepitum ſaltabat vnà cum popularibus. Cùm autem ingreſſus eſſet Sanctus, videt vrnam, cui inſcriptum erat, ità tamen, vt non poſſet videri, Mors. Statìm ergò intellexit, quidnam ei factum fuerat: ſublatoq; ligno eam confregit, ità vt erat plena. Eius autem dominus ex ipſius manu tollens baculum, ei incuſſit, donèc illum debilitaret, & fugaret. Die verò ſequenti venit, & poſt oſtium delituit Abbas Simeon. Eccè autem ſerpens rursùs venit potum. Cumq; eum vidiſſet caupo, cepit idem lignum, volens eum occídere. Cùm verò aberrâſſet, percuſſit, & fregit omnes vrnas, & omnia pocula. Tunc ingreſſus eſt Salus, & dixit ei: Quid eſt ſtulte? Eccè non ſum ego ſolus, caue. Tunc ergò cognouit caupo eum propterea fregiſſe vrnam. Fuitque ædificatus, & eum habuit pro ſancto.

Mirè regit ſuam ſanctitatem.

Exod.3. Dan.3.

Cap.23. Cùm autem vellet ſanctus diſſoluere huius ædificationem, nè de ſe nimìs gloriosè prædicaret, quodam die cùm eius vxor dormiret ſola, illeq; vinum venderet, ad eam acceſſit Abbas Simeon, & præ ſe tulit ſe veſtem ſuam exuere. Cùm illa autem clamâſſet, ingreſſus eſt eius maritus. Illa verò dicit ei: Expelle foràs hunc ſceleratiſſimum:

Nam

Nam is voluit mihi vim afferre. Pugnis itaque eum contundens, eduxit eum ex officina ad glaciem. Erat enim magna hyems & pruina. Ab eo autem tempore non modò exiſtimauit caupo eum eſſe emotæ mentis, ſed &, ſi quem alium audiuiſſet dicentem: Reuerà ſe talem eſſe ſimulat hîc Abbas: ei ſtatim dicebat: Eſt purus dęmoniacus, modò non me fallit homo: Nam meæ quoquè vxori voluit ſtuprum afferre, ſi potuiſſet: Carnes quoquè rodit, tanquàm qui Deum non habeat. Carnes enim ſæpè deuorabat hic iuſtus, cùm tota hebdomada pane non veſceretur. Atque eius quidem ieiunium nemo intelligebat. Ante ipſos autem carnes rodebat, vt ipſos deciperet: erat verò omninò, tanquàm incorporeus: & neque reuerebatur dedecus, nec hominum, nec naturæ. Sæpè enim ventre vſum proprium requirēte, ſtatìm minimè erubeſcens, in foro ad aliquem locum ſedebat coram omnibus, vel ex hoc volens perſuadere ſe ob id ea facere, quòd ſit emotæ mentis. Nam cùm (vt ſæpè dictum eſt) cuſtodiretur à virtute ſancti ſpiritûs, quæ in eo inhabitabat, inflammatione, quæ à diabolo ſuſcitatur, euaſit ſuperior, vt qui ab ea minimè læderetur.

Tota hebdomada pane non veſcitur.

Quodam autem die cùm eum vidiſſet maceratum, & planè conſumptum ab exercitatione (Erat enim poſt Paſcha, & omnia ſancta ieiunia ieiunauerat nihil comedens) is, quem priùs memorauimus, vir bonus & pius Iohannes, qui eius quoquè nobis vitam narrauit, miſeratus & admiratus inexplicabilem eius vitæ auſteritatem, etiamsì eſſet in ciuitate, & verſaretur vnà cum mulieribus & hominibus, volēs eius corpus velutì per ludum recreare, dìcit ei: Vis venire & lauari, ô Sale? Ille verò ei dicit: Maximè: eamus, eamus. Et ſimul atquè hoc dixiſſet, ſe veſte exuit, & ſuo capiti imponit, eam alligans non ſecùs àc lineam vittam capitis. Ei autē dicit dominus Iohannes: Induc te, frater: Nam reuerà ſi ſic nudus incedas, ego non ibo tecum. Dicit autem Abbas Simeon: Vade, ſtulte: ego enim ante opus, opus feci: Si verò non vis venire, ego te parùm præcedam. Eoque dimiſſo, parùm præceſſit. Erant autem duo lauacra ſibi inuicèm propinqua, vnum virorum, & vnum mulierum. Virorum itaque lauacrum reliquit Salus, volensque ac dedita opera profectus eſt ad lauacrum mulierbre. Ei itaq; clamauit dominus Iohannes: Quò vadis, Sale? Mane. Illud eſt lauacrum mulierum. Conuerſus autē vir ille admirabilis, ei dicit: Vade tu, ſtulte. Illic eſt aqua calida, & hîc eſt aqua calida, & neque hîc, neque illic eſt aliquid amplius. Currensque ingreſſus eſt in medium mulierum, tanquàm eſſet vir inſignis quiſpiam. Omnes autem in eum fecêre impetum, & eum verberantes expulerunt. Ab eo itaque eſt ſciſcitatus religioſus Diaconus, quandò totam ſuam vitam ei narrauit: Dic propter Dominum, Pater: Quomodò te affectum ſenſiſti, quandò es ingreſſus lauacrum mulierbre? Is verò ei dixit: Crede mihi, fili, vt lignum cum lignis, ſic ego quoquè tunc eram. Neque enim quòd corpus ferrem, neque quòd ad corpora ingreſſus eſſem, ſentiebam: ſed tota mens mea erat in opere Domini, & ab eo non deſiſtebam. Nam res quidem nonnullas faciebat hic iuſtus propter hominū ſalutem, &, qua mouebatur, commiſerationem. Nonnullas verò, vt eius ſtudia & vitæ, quam degebat, opera contegerentur.

Intrat balneum mulierū, nec tentatur.

O virū admirabilem.

Rursùs aliquandò fuerunt extra portam pueri currentes certo genere cursûs, qui vocabatur Lyſoporta. Ex quibus vnus erat filius domini Iohannis Diaconi amici ſui, qui paucis antè diebus cum muliere, quæ iuncta erat matrimonio, habuerat ſtupri conſuetudinem. Dumque is è domo eius egrederetur, nemine eum vidente, cœpit vexari à dæmone. Voluit ergò hic ſanctus ſimul eum caſtigare & ſanare, dicitque ijs, qui currebant: Certè nisì ego quoquè vobiſcum ludam, non ſinam vos currere. Et cœpit lapides in eos iácere. Voluērunt ergò eum accipere in ea parte, in qua is currebat, quem erat curaturus. Cùm id autē vidiſſet Abbas Simeon, magìs abijt in partem contrariam. Sciebat enim, quidnam eſſet facturus. Cùm autem cœpiſſent currere, velociter vadit ſanctus ad puerum, quem dæmon inuaſerat. Cumque ad eum veniſſet, nemine animaduertente, eum percutit in maxilla, & dicit: Noli ampliùs mœchari, ô infelix, & dæmon ad te minimè accedet. Statìm verò eum fregit & deiecit dæmon, omnesque ad eum conuenerunt. Cùm ergò humì iacéret ſpumans, videt is, qui laborabat, Salum ab eo tempore perſequentem canem nigrum, & eum verberantem cruce lignea. Ad ſe autem poſt multas horas reuerſus, interrogatus eſt, quidnam ſibi accidiſſet: &, hoc ſolo excepto, nihil poterat dicere: Dixit mihi, neſcio quis: Noli ampliùs fornicari. Cùm verò Abbas Simeon fuiſſet in pace conſummatus, velutì ad ſe redijt, & rem omnibus ſingulatìm expoſuit.

Cap.24. Vide longā inediam.

Cap.25.

Eijcit dæmonem.

Cap. 26. Mimi quandoquè ſpectacula exhibebant in theatro. Erat autẽ ex eis vnus Pſephas nomine. Cùm verò vellet hic vir iuſtus à tali malo eum reprimere ac reſcindere, (Habebat enim hic, qui dicebatur Pſephas, quædam bona opera) non dedignatus eſt venire: & ſtetit in ſcena, vbi agebant Mimi. Cumque vidiſſet Pſepham incepiſſe facere res nefarias, iecit in eum lapidem paruum admodùm, facto in eo ſigno Crucis, & percuſſit dexteram volam manûs Pſephæ, eamque exiccauit. Nemo autem animaduertit, quiſnam iecciſſet lapidem. Ei verò noctù in ſomnis hic ſanctus appáret, & dicit ipſi: Ego te reuerà ſum aſſecutus, & nisì iuraueris, fore vt hoc vitę inſtitutum non ampliùs exerceas, minimè ſanaberis. Iurauit ergò ei per virginem Deiparam, ſe non ampliùs ad tale ludicrum agendum eſſe venturum. Cumque ſurrexiſſet, manum ſuam inuénit ſanam. Narrauitque omnia, quæ à ſe viſa fuerant, nisì quòd fuiſſe Salum, qui ei apparuerat in ſomnis, non poterat dicere. Hoc autem ſolùm dixit: Neſcio quis Monachus ferens coronam ex ramis palmarum, hæc mihi dixit.

Mimũ miro modo curat in vtroque homine.

Cap. 27. Cùm eſſet aliquandò ciuitatem magnus inuaſurus terræmotus, quo tempore cecidit Antiochia, tempore Mauritij Imperatoris, (tunc enim inorbem terræ habitabilem venit hic ſanctus è ſolitudine) arripuit Iorum è ſchola, & cœpit verberare columnas, & dicere vnicuique: Dixit Dominus tuus: Sta. Cumque veniſſet terræmotus, nulla ex ijs columnis, quas verberauit, cecidit. Porrò autem venit ad vnam quoquè columnam, & dicit ei: Tu verò neque cadas, neque ſtes. & fiſſa eſt à ſuperiori parte vſque ad infimam, parumq; inclinata eſt, & ſic manſit. Nemo autẽ intellexit id, quod beatus hic fecerat: ſed dicebant omnes, eum præ demẽtia verberâſſe columnas. Par verò erat glorificare & admirari Deum, quòd per quas figuras quidam exiſtimabant eum ſe ſtolidè & petulanter gerere, per eas ſæpè oſtenderit res planè admirabiles, & quæ ſunt præter opinionem. Cùm enim aliquandò peſtis eſſet aggreſſura ciuitatem, veniens in omnes ſcholas, cœpit ſalutare pueros, dicens vnicuique illorum, quos ſalutabat, tanquàm ridiculè: Vade pulchrè, ô mi pulcher. Non omnes autem ſalutauit, ſed quos ei Dei gratia ſignificauit. Dicebat Magiſtro vniuſcuiuſque ſcholæ: Propter Deum ſtulte, nè cędas pueros, quos diligo. Sunt enim magnum iter abituri. Magiſter autem eum ludificans, aliquandò verberabat, aliquandò verò pueris annuebat, vt ei inſultarent. Et eum inſectabantur. Cùm autem veniſſet peſtis, nemo remanſit ex ijs, quos ſalutauit Abbas Simeon: ſed mortui ſunt omnes.

Attẽde ſtupendũ miraculum.

Cap. 28. Fuit verò hæc quoquè huius ſancti conſuetudo, aſſcendere in domos diuitum, & ludere: ſæpè autem etiam ſimulare, ſe eorum ancillas deoſculari. Quodam verò die accidit, vt cùm quidam ex populo prægnantem reddidiſſet vnam ancillam vnius ex illuſtribus, nec vellet ancilla dicere, quiſnam eſſet, qui ei ſtuprum attuliſſet: poſtquàm eam rogauit eius domina, quis eam vitiâſſet, illa dixit: Mihi vim attulit Salus Simeon. Cùm is ergò pro more domum veniſſet, dicit ei domina puellæ: Benè habet Abbas Simeon: vitium attuliſti, & ancillam meam ſtupraſti. Ille autem ſtatìm ridens, & in manum dexteram ſuum caput inclinans, ei dixit, ſimul ſuos quinque colligens digitos: Sine, ſine, miſera: ea tibi modò pariet, & paruum habebis Simeonem. Donèc ergò venit dies eius, manſit Abbas Simeon ad eam afferens panes ſiligineos, carnesque & obſonia: eique dicebat: Comede, vxor mea. Quandò autem venit tempus, & hora pariendi, tres dies vel vſque ad mortem vehementes ſenſit dolores. Dicit ergò eius domina Salo: Ora Abba Simeon. nam vxor tua non poteſt parere. Ille verò ei dicit tripudians: Non per Ieſum, non per Ieſum, miſera. Non priùs illinc egredietur infans, quàm dixerit, quiſnam ſit pater eius. Poſtquàm ergò hoc audiuit, quę erat in periculo, dixit: Ego hoc in eum confinxi. Non eſt eius, ſed eſt N. ex populo. Tunc ergò ſtatìm peperit. Cumque omnes eſſent admirati, qui in illa quidem domo habitabant, partìm eum habuêre pro ſancto, partìm verò dixerunt eum diuinare ex ſatana, quandoquidem eſt planè ſtultus.

Libenter patitur ſibi ſtuprum affingi.

Cap. 29. Cùm autem dũo quidam Patres tunc in quodam monaſterio prope Emeſam inter ſe quærerent & perſcrutarentur, Cur cecidiſſet Origenes hæreticus, qui tanto ingenio & tanta ſapientia à Deo fuerat ornatus: & vnus quidem diceret, non fuiſſe à Deo eam, quæ ei aderat, ſcientiam, ſed fuiſſe quoddam donum naturæ & dexteri ingenij. Nam cùm in lectione diuinæ ſcripturæ & ſanctis Patribus maximè eſſet verſatus, acuit ingenium, & ideò ſuos libros conſcripſit: Alter verò contrà diceret, neminem ex dono naturæ poſſe tales, quales ille edidit, habere orationes, & maximè eas, quæ ſunt de ijs, quæ dicuntur Hexapla. Quocircà ea vel in hodiernum diem ſuſcipit eccle-

Cur lapſus ſit Origenes.

eccleſia, tanquàm neceſſaria. Cùm ille autem rursùs reſponderet: Crede mihi, ſunt gentiles, qui eo maiorem habuêre ſapientiam, & qui eo plures libros conſcripsêre. Quid ergò? Oportétne eos laudare propter verboſas eorum nugas? Cùm (inquam) non potuiſſent conuenire, tandèm dicit vnus alteri: Audimus ex ijs, qui veniunt ex ſanctis locis, eſſe magnos monachos in ſolitudine Iordanis: eamus, & hoc diſcamus ex ipſis. Cùm itaque ad ſancta loca veniſſent, & orâſſent, veniũt etiam in mortui maris ſolitudinem, in quam ſeceſſerant ſemper memorandi Iohannes & Simeon. Cùm ergò feciſſet Deus, vt eum laborem non fruſtrà ſuſciperent, inuenerunt Abbatem Iohannem, qui ipſe quoquè ad perfectam iam menſuram peruenerat. Poſtquàm enim eos vidit, dixit: Benè venerunt, qui mare reliquerunt, & in ſiccum lacum venerunt ad hauriendum. Cùm longa ergò piaque ac religioſa inter eos fuiſſet congreſſio, dicunt ei, quanam de cauſa tantum iter confecerant. Is verò dicit eis: Nondùm, Patres, accepi donum diſcretionis iudiciorum Dei: ſed abite ad Salum Simeonem, qui eſt in veſtra regione. Ipſe vobis poteſt & hoc, & omnia, quæ vultis, ſoluere, ei dicentes: Precare etiam pro Iohanne, vt illi quoquè decem ſorte contingant.

Conſulunt ſapientes ſuper hac quæſtione Abbatem Iohannem.

Poſtquàm autem venerunt Emeſam, & rogârunt, vbinàm eſſet ille Simeon, qui dicitur Salus, omnes eos irridebant, & dicebant: Quid ex eo vultis, Patres? Eſt homo amens, qui omnes vexat & ſubſannat, & maximè Monachos. Cùm ij autem, qui quæſiërant, inueniſſent eum apud Fuſcarium rodentem lupinos, tanquàm vrſum, vnus ex ijs ſtatìm paſſus eſt ſcandalum, & dixit apud ſe: Venimus ad videndum virum magna cognitione præditum. Is poteſt multa nobis dicere? Poſtquàm ergò appropinquârunt, dicunt ei: Benedic. Ille verò eis dicit: Malè veniſtis, & qui vos miſit, ſtultus. Apprehenſa ergò auricula eius, qui ſcandalum paſſus fuerat, impegit ei talẽ alapam, vt pluſquàm tres dies ſignum apparuerit, & dicit: Cur vituperatis lupinos? Ij fuerunt madefacti quadraginta diebus. Origenes autem ex eis non comedit, quoniam mare ſubijt, & nõ potuit egredi, & fuit ſuffocatus in profundo. Ijs ergò obſtupefactis, quòd eis omnia prædixiſſet, quin hoc etiam, quòd decem velit Salus, ſed eſt ſtultus, vobis ſimilis: Accipitíne, ait, plagã in crure? Certè, certè abite. Statimque ſublata olla, in qua erat leuis veſica, vſſit eos duos in labris, nè quid poſſent dicere, quod eis dixiſſet.

Cap. 30.

Simeonis de Origene ſententia.

Cùm autem quodam die eſſet in officina, in qua erant veſicæ, accepit calamum, & cœpit tibia canere in quodam anguſto vico, vbì erat ſpiritus immũdus. Canebat autem tibia, & dicebat orationẽ magni Niconis, vt ex eo loco effugaret ſpiritum. Multos enim vexauerat. Poſtquàm ergò fugit dęmonium, tranſijt tanquàm Aethiops per veſicarum officinam, & confregit omnia. Reuerſus ergò ille admirabilis, dicit dominæ: Quis hæc fregit? Illa autẽ dixit: Vnus Mauritanus ſceleratus venit, & omnia contriuit. Is verò dicit ridens: Pumilio, pumilio. Illa verò dicit: Certè Sale. Ille autẽ dicit: Reuerà ego eum miſi, vt omnia confringeret. Poſtquàm autẽ illa hæc audiuit, voluit eum verberare. Ille verò ſe incuruans, & puluerẽ tollens proiecit, & oculos eius ſanctus obſcurauit, & dixit: Reuerà non me apprehendes: ſed aut in eccleſia mecum cõmunicabis, aut Mauritanus confringet omnia. Erat enim ex hęreſi Acephalorum. Poſtquàm ergò receſſit ab ea, eccè cràs eadem hora venit Maurus, & rursùs cõfregit omnia tam apertè, vt videretur oculis. Vires itaque ſumpſerunt Orthodoxi, vt qui Simeonem haberent Dei famulum: de eo autem nemini audentes dicere, quanùs quotidiè tranſiret Salus, & eos irrideret. Quidam autem ex ijs, qui præerant officinis ciuitatis, voluit eum publicare, cognoſcens eius virtutem. Semèl enim vidit, cùm lauaretur, duos Augelos, qui cum eo conuerſabantur. Erat autem is, qui prędrat officinæ, Hebræus, & Chriſtum ſæpè blaſphemabat. Appáret ergò ei in ſomnis hic ſanctus, dicens, vt nemini diceret, quod viderat. Manè ergò voluit de eo triumphum agere, & eum traducere. Protinùs autẽ adſtans ſanctus, eius labra attigit & compreſſit, nec potuit vllũ alloqui. Venit autem ad Salum, & ei manu annuit, vt faceret eum loqui. Simulabat verò Abbas Simeon amentiam, & ei contrà annuebat, tanquàm ſtultus. Ei autẽ annuebat, vt ſe ſignaret, licebatque vtroſq; videre inter ſe annuẽtes terribili ſpectaculo. Ei ergò rursùs appáret in ſomnis ſenex, dicẽs: Aut baptizare, aut eris mutus. Atque tunc quidẽ non induxit in animũ, vt ei crederet. Poſtremò verò, quandò mortuus fuit Abbas Simeon, & ſe vidit adductũ in anguſtias, maximè autẽ dum eius transferrentur reliquiæ, tũc ipſe baptizatus fuit, & eius domus: & cùm primùm aſſcendit è ſacro lauacro, eſt locutus. Faciebat autem Sali quotannìs commemorationem, & inuitabat pauperes.

Cap. 31.

Hæreſis Acephalorum.

Cap. 32. Libido omnis prorsùs extincta in S. Simeone.

Ad eum aũt puritatis & impatibilitatis modum proceſſerat hic ſanctus, vt ipſe ſederet, & choreas duceret, hinc vnam tenens ſcenicam fœminam, & illinc alteram: & in medio totius populi verſaretur, & luderet: adeò vt impudicæ mulieres in eius ſinum ſæpè manus inijcerent, eumque iritarent & titillarent. Hic autem ſenex, non ſecùs atquè aurum purum, nequaquàm ab eis polluebatur. Nam quandò inflammationem bellumque ſenſit in ſolitudine, Deum orauit, (vt dicebat) & magnum Niconem, vt magno fornicationis bello eum leuaret. Semèl verò vidit egregium illum virum ad ſe venientem, & dicentem: Quomodò te habes, frater? Dixi autem ei, inquit: Malè, nisì tu ſuccurreris. Caro enim mea laſciuit, neſcio quarè. Subridẽs ergò, inquit, admirabilis ille Nicon, ſuſtulit aquam ex ſancto Iordane, & iecit ſubter vmbilicum, cùm venerandæ Crucis eum figura ſignâſſet, & dixit ei: Eccè ſanus factus es. Ab eo ergò tempore (vt iurabat) nec dormiens, nec vigilans ſenſit inflammationem corporis. Quocircà vel maximè confidens vir ille præclarus, in mundũ eſt reuerſus, volens eorum miſereri, & ſeruare illos, qui bello oppugnabantur. Dicebat autẽ etiam nonnunquàm alicui meretrici: Viſne te habeam amicam, & dabo tibi centum aſſes? Multæ itaque ei vel lubenter credebant. Oſtendebat autem eis etiam theſaurum. Habebat enim quæcunque volebat, vtpotè quòd Deus, etsì non patérent oculis, omnia ſuppeditaret, propter diuinum eius ſcopum & inſtitutum: Et deindè iuſiurandum exigebat ab ea, quæ accipiebat, eam id non eſſe infirmaturam.

Apparet ei S. Nicõ Abbas.

Vide qua aſtutia vir Dei, lucrifecerit animas.

Cap. 33. Omnia autem faciebat ſtultis quibuſdam figuris & indecoris. Sed non poteſt oratio rerum oſtendere ſimilitudinem. Se enim aliquandò fingebat claudicare, aliquandò ſaltare, aliquandò ſedentem trahi, aliquandò verò currenti alicui pedem inijcere, & eum deijcere. Aliquãdò cùm Luna oriretur, in terra deuolui, & eam pulſare pedibus. Aliquandò autem ſimulabat loqui temerè. Dicebat enim talem figuram ac ſpeciem magìs conferre ac conducere ijs, qui propter Chriſtum ſimulant ſtultitiam. Per eam enim ſæpè peccata arguit & repreſſit, & iram in aliquem immiſit, vt ſe corrigeret: & quædam prædixit, & fecit quæcunq; voluit. Quæcunque verò faceret, eum habebant tanquàm vnum ex ijs, qui loquuntur & futura prædicũt, afflati à dæmonibus.

Spiritu ſentit lapſas meretrices poſt reſipiſcentiam.

Si quandò autem tranſgreſſa eſſet vna ex ijs, quæ eius reputabantur amicæ, ſtatìm ſpiritu intelligebat eam eſſe fornicatam, dicebatq; loquens, & os ſuum aperiens, & clamans: Da da ei ſancta: & vel precabatur vt ad eam veniret infirmitas vſq; ad mortem, vel ſæpè, ſi perſeuerabat ſe impudicè gerere, ad eam immittebat dæmonem. Tandèm itaq; effecit, vt omnes, quæ ſe ei dederãt, pudicè viuerent, & minimè trãſgrederentur.

Cap. 34. Erat autem prope Emeſam manens quidam Protocomes: qui cùm audiſſet eius vitam, dixit: Crede mihi, ſi eum videro, ſciam an ſe ſtultum ſimulet, an ſit reuerà ſtultus. Cùm itaque veniſſet in ciuitatem, offendit forte fortuna, quòd vna ex ijs, quæ eius curam gerebat, eum portabat, & altera eum cædebat loris. Statìm autem fuit offenſus Protocomes, & apud ſe cogitauit & dixit Syriacè: Nunquìd ipſe ſatanas non credit hũc Pſeudoabbatem cum eis fornicari? Eis itaque ſtatìm relictis, venit Salus ad Protocomitem, qui ab eo aberat ad iactum vnius lapidis. Incuſſit autẽ ei colaphum, & aperuit ſuas veſtes, & ei dixit ſaltans: Hîc lude, ô infelix: Non eſt enim hîc dolus. Ille itaque cognouit eum intellexiſſe, quidnam corde ſuo agitâſſet, miratusque cùm rem cœpiſſet dicere alicui, vincta fuit eius lingua, nec potuit eloqui. Donum quoquè continentiæ habuit ſupra multos ſanctos. Quandò enim veniebat ſancta Quadrageſima ſanctorum ieiuniorum, nihil comedebat vſque ad ſanctam quintam feriam. Statìm autem manè ſanctæ quintæ feriæ, ſedebat in Nitra, rodens adeò, vt qui eum videbant, offenderentur, dicentes: Ne ſanctam quidem ieiunat quintam feriam. Dominus autem Iohannes Diaconus nouit eſſe ſanctam eius operationem. Cùm verò ſancta quinta feria vidiſſet eum ſedentem in Nitra, & manè rodentem *, dicit ei: Quanti hoc, Sale? Ille quoquè ei dicit, eum manutenens: Quadraginta nummis conſtitit hoc eſculentum, ô ſtolide: per hoc ſignificans, ſe veſci poſt quadraginta dies.

Mira eius inedia tota ſancta Quadrageſima.

Cap. 35. Rursùs verò verſabatur dæmon in quodam compito ciuitatis. Quodam autem die eum vidit hic ſanctus tranſiens, volentem pulſare aliquem ex ijs, qui præteribant. Sumptisque in ſinum lapidibus, cœpit eos huc & illuc in forum iácere: & prohibebat omnes, qui volebant tranſire. Interea tranſijt canis, & eum percuſſit dæmon, cœpitque ſpumare. Tunc ſanctus dicit omnibus: Tranſite modò, ſtolidi. Sciebat enim vir ſapiẽtiſſimus, quòd ſi homo tranſiſſet, eum dæmon erat pulſaturus pro cane: & ideò aliquantiſpèr prohibuit, nè tranſirent. Totus ergò (vt iam priùs dictum eſt)

Scopus ſapientiſſimi Sali.

eſt) ſapientiſſimi huius viri ſcopus hic fuit, primùm quidem vt ſeruaret animas, ſiue per aliquas rationes, quas per riſum, & velutì ex inſidijs ad eas tranſmittebat: ſiue rursùs per miracula, quæ ità faciebat, vt non intelligeretur: ſiue per præcepta, quæ ſtultitiam præ ſe ferens dicebat: deindè nè cognoſceretur eius virtus, & laudem & honorem acciperet ab hominibus.

Cap. 36. Nam cùm quodam die chorum ducerent puellæ, & referrent in catalogum eos, qui erant luſturi, viſum eſt ei tranſire per illum vicum. Poſtquàm autem eum viderunt, cœperunt eum referre in catalogũ eorum, qui erant luſturi calculis. Cùm ergò orâſſet hic iuſtus, volens eas caſtigare, eas omnes effecit ſtrabas. Cumque cœpiſſent inter ſe inuicèm narrare malum, quod ſibi acciderat, cognouerunt quòd ipſe eas feciſſet ſtrabas: ipſumque inſectabantur, poſt ipſum flentes & clamantes: Solue, Sale, ſolue. Putabant enim eum ipſas ſtrabas feciſſe incantatione. Poſtquàm autem ad eum peruenerunt, ipſum vi tenuerunt, & adiurârunt, vt ſolueret, quod ligârat. Eis itaque dicit ludens: Quæcunque vult ex vobis eſſe ſana, oſculabor eius oculum, qui factus eſt ſtrabus, & ſanabitur. Quotquot ergò voluit Deus eſſe ſanas, eæ, vt dixit ſanctus, id permiſerunt. Reliquæ autem, quæ non permiſerunt, vt eas oſcularetur, eæ manſerunt ſic flentes. Poſtquàm verò ipſe parùm ab eis receſſiſſet, cœperunt reliquę quoquè ipſum inſectari, & clamare: Mane, Sale, mane, per Deum mane, & nos quoquè oſculare. Licebat ergò ſenem currentem videre, & poſt ipſum adoleſcentulas. Et alij quidem dicebant: Ludunt cum ipſo: alij autẽ putabant puellas quoquè eſſe infatuatas. Sicque perpetuò manſerunt incuratæ. Dicebat enim ſanctus: Nisì Deus eas feciſſet ſtrabas, ſuperâſſent omnes mulieres Syriæ petulantia & impudicitia: ſed propter morbum oculorum ablata ſunt ab eis multa mala. Semèl eum vocauit ad prandium dominus Iohannes amicus eius: eratque lardum illic ſuſpenſum. Cœpit autem ſcindere, & rodere lardum crudum Abbas Simeon. Sapientiſſimus aut Iohannes, nolens ei aliquid dicere cum clamore, ad eum accedens, dixit ei in aurem: Reuerà nõ me ſcandalizas, ſi ex camino crudum comedas. Fac deincèps, ſi quid velis. Nouerat enim Sali virtutem, quoniam ipſe quoquè erat homo ſpiritalis.

Iſte Iohannes alius fuit ab eo, qui cum Simeone ingreſſus eſt ſolitudinem.

Cap. 37. Venerunt aliquandò tempore Paſchali Emeſeni quidam in ſanctam ciuitatem, vt feſtum celebrarent. Ex quibus vnus deſcendit ad ſanctum Iordanem, vt oraret: & patres circumiens, petebat benedictionem. Accidit autem, vt Abbas quoquè Iohãnes frater Abbatis Simeonis, Dei prouidentia huic negociatori occurreret in ſolitudine. Cùm eum autem vidiſſet negociator, humì procubuit, ab eo petens orationem. Dicit ei Abbas Iohannes: Cuiáſnam es? Ille verò dicit ei: Sum Emeſenus, Pater. Tunc ei reſpondit: Et cùm illic habeas Abbatem Simeonem, qui dicitur Salus, à me humili & abiecto quid petis? Nam & ego illius precibus egeo, & totus mundus. Duxit itaque Abbas Iohannes negociatorem in ſuam ſpeluncam, eique appoſuit lautam cœnam. Diuinitùs enim inuenti ſunt in illa ſicca ſolitudine mundi panes ſiliginei, & lautum obſonium, & vinũ optimum, & pocula vitrea. Poſtquàm ergò comediſſent, & eſſent exatiati, dat ei tres eulogias, quę ſimiliter factę erant diuinitùs, & dicit: Da Salo, & dic ei meo nomine: Propter Dominum ora pro fratre tuo Iohanne. Veritate ergò Domini ferente teſtimonium, poſtquàm Emeſam venit negociator, in porta ciuitatis ei occurrit Abbas Simeon, dicens: Quid eſt ſtolide? Quomodò ſe habet ille fatuus tuî ſimilis Iohannes? Non comediſti eulogias, quas dedit tibi? Reuerà, reuerà ſi tres illas comediſſes, malè eas concoxiſſes. Ille autem obſtupuit, cùm audiuiſſet ab eo omnia, quæ ipſe volebat ei dicere. Statìm ergò eum duxit Salus in ſuum tugurium. Affirmabat autem negociator, ſic dicens: Omnia mihi citra vllum diſcrimen hîc quoquè ſic appoſuit, ſicut Abbas Iohannes, vſque ad ipſam poculi magnitudinem, quam vidi in ſpelunca eius. Et poſtquàm comedimus, dedi ei tres eulogias, & receſſi in domum meam, erubeſcens de ipſo aliquid vnquàm dicere alicui: quoniam omnes pro certo habebant eum eſſe fatuum.

Diuinitùs cibus & potus Abbati Iohãni paratus.

Nota rem miram.

Cap. 38. Diximus ſuperiùs, eum feciſſe aliquod miraculum in virum pium & Dei amãtem, qui eius quoquè vitam nobis expoſuit. Factum eſt autem hoc modo miraculum: Malefici quidam fecêre cædem, acceptumque corpus per feneſtrã proiecêre in domum priùs dicti viri maximè pij & Dei amantiſſimi. Cùm itaque non paruus exortus eſſet tumultus, res delata eſt ad Magiſtratum. Is verò tulit ſententiam, vt in furca ſuſpenderetur dominus Iohannes. Cùm ergò abiret ad mortem, nihil apud ſe dicebat aliud, nisì: Deus Sali, adſis mihi in hac hora. Cùm Deus autem vellet eum ſeruare ex tali

sycophantia, venit quidam, & dicit Abbati Simeoni: O miser, ille tuus amicus dominus Iohannes ducitur ad furcam. Certè si moriatur, tu fame morieris. Nam nemo tui curam gerit vt ille. Dicit verò ei quoquè, quemadmodùm sit contextum crimen cædis. Cùm se itaque tanquàm stultum gessisset Abbas Simeon, dimisit eum, qui hoc illi dixerat, & secessit in locum occultum, vbì semper orabat: quem nemo sciebat, nisì amicus eius, pius & Dei amans Iohannes. Flexisque genibus Deum rogauit, vt ipse liberaretur à tali periculo. Cumque ij, qui eum eduxerant ad suspendium, peruenissent ad locum, vbì erant posituri eius furcam, eccè accurrunt equites & dicunt, vt is soluatur: quoniam inuenti erant, qui cædem reuerà fecerant. Absolutus itaque, recta cucurrit ad locum, vbì sciebat Abbatem Simeonem semper orare. Cumque eum vidisset procùl manus ad cælum extendentem, extimuit. Iurabat enim se vidisse globos igneos, ab ipso in cælum ascendẽtes, & circa eum in orbem tanquàm clibanum ardentem, adeò vt non appropinquârit, donèc perfecisset orationem. Cùm is autem conuersus eum vidisset, ei dixit: Quid est Diacone Iohannes? præter dimensum bibisti? Sed vade, ora. Hæc autem tibi accidit tentatio, quoniam venerunt ad te duo pauperes: Cumque tibi suppeteret, quod eis dares, eos es auersatus. Non enim tua sunt, quæ das, ô frater. An non credis ei, qui dixit, illum qui elargitur, esse centuplum accepturum in hac vita, & in futura possessurum esse vitam æternam? Atque si credis quidem, da. Si autem non das, manifestum est te Domino non credere. Eccè verba Sali, id est, fatui, vel sapientis potiùs sancti. Nam apud hunc quidem Dominum Iohannem, quandò erant ij duo soli, nihil faciebat, quod esset fatui: sed tam moderatè, & cum tanta compunctione cum eo loquebatur, vt sæpè suauis odor exiret ex eius ore, vt affirmabat hic dominus Iohannes. Quocircà vix credebat illum eundem esse, qui pauloantè erat Salus, id est fatuus. In alios autem omnes se gerebat aliter.

Nonnunquàm autem cùm dies sanctus veniret Dominicus, ipse accipiebat seriem farciminum, & ea ferebat tanquàm orarium: manu quoq; sinistra tenebat sinapium: & sic orto manè tingebat & rodebat: nonnullorum quoquè ora sinapio inungebat ex ijs, qui cum eo veniebant. Cùm itaque ad eum venisset quidã rusticus, vt cum ipso luderet, vterque autem eius oculus aspera laboraret albugine, is illius oculos inunxit sinapio. Cùm is autem dolorem sensisset vsque ad mortem, ei dixit Simeon: Vade, stulte, lauare in aceto, & in allio: & statìm eris sanus. Ille verò tanquàm existimans se aliquid posse efficere, recta vadit ad medicos, & fuit magis excæcatus. Tanquàm ergò furore percitus, iurat Syriacè: Per Deum cæli, etiamsi meos statìm oporteat exilire oculos, cùm fecero quod mihi Salus dixit, tamen id faciam. Cùm ipse autem oculos lauisset, vt ei dixerat, fuerunt statìm sani eius oculi, & ità mundi, vt quandò natus est, adeò vt ipse Deum glorificaret. Tunc ei Salus occurrens, dicit ei: Eccè sanus es, fatue: noli ampliùs furari capellas vicini.

Cuidam exactori furto surrepti sunt nummi quingenti. Cumque is eos quæreret, occurrit ei Abbas Simeon. Cumque se vellet conuertere, dixit ei: Potes aliquid facere, ô fatue, vt mei nummi inueniantur? Ille autem dicit ei: Certè, si velis. Ille verò ei dixit: Fac, & si inuenti fuerint, do tibi decem. Dicit ei Salus: Si quid tibi dixero, fac, & hac nocte eos inuenies in tuo armario. Ei ergò dato iureiurando est pollicitus, quòd si quid diceret, eum audiret, modò nè aliquid diceret importunum. Is autem rursùs ei dicit: Abi, nummos tuos seruus Epicernes abstulit. Sed agè promitte mihi fore, vt neque ipsum, neque vllum è domo tua cædas. Eos enim cædebat acerrimè. Ille autem existimabat, cum dixisse, neminem esse cædendum pro nummis: Abbas verò Simeon dixit ei, vt neminem vnquàm cæderet. Ei ergò promisit cum sacramento formidabili, se nullum esse cæsurum. Abiens ergò, seruum minimè repugnantem prehendit, & pecuniæ summã ab eo accepit. Accidit autem, vt cùm ab eo tempore vellet aliquem cædere, nõ potuerit: sed eius manus statìm emarcuerit. Quod quidẽ agnoscens, dicebat: Reuerà hoc ego Salo acceptum fero: iuitque ad eum, & dixit: Sale, solue iusiurandum. Ille autem statìm stultũ agebat, vt nesciret quidem, quid diceret. Cùm verò pergeret ei exhibere molestiam, ei appáret in somnis, & dicit ei: Ego verò soluam tuum iusiurandum, & tuum promissum, idque dissipabo. Cur te turpiter & indecorè geris? Quid vis tuos cædere conseruos, qui in futuro seculo te præcedent? Postquàm ergò hæc vidit, quieuit in posterum. Eorum autem, qui vexabantur à dæmone, miserabatur supra omnem naturã. Recedens itaque, multis modis se faciebat tanquàm vnum ex ipsis: & cum eis degens, multos ex ipsis curauit sua oratione, adeò vt

Nota vim precũ eius, quibus Iohãnem liberarat à suspendio.

Nota Dei iudicium.

Matth. 19.

Cap. 39.

Vide miraculum.

Cap. 40.

Vide aliud miraculum.

Sũma eius erga dæmoniacos commiseratio.

vt quidam dæmoniaci murmurarent, & dicerent: O violente Sale, totum mundum irrides, & venisti prope nos, vt nos vexares. Recede hinc: non es ex nobis. Quid nos totam noctem torques & vris? Cùm ergò illic esset sanctus, multos ipse quoquè, tanquàm ex sancto spiritu loquens, conuicit, alios quidem esse suffuratos, alios verò esse scortatos: alios clamans reprehendebat, vt qui non frequenter communicarent: & alios arguebat, vt periuros: adeò vt vel hac ratione totam ferè ciuitatem à peccato reprimeret.

Magnos fructus facit.

Erat autem illo tempore quædam mulier diuinatrix, quæ faciebat amuleta, & vtebatur incantationibus. Hanc conabatur hic vir iustus parare sibi amicam, dans ei ea, quæ colligebat ex ijs, qui ei dabant, siue escam, siue pultem, siue etiam vestes. Itaque quodam die dicit ei: Vis faciam tibi amuletum, vt nũquàm sit tibi lema in oculo? Illa verò dicit ei: Certè Sale, reputans quòd etsi sit fatuus, id fortè possit præstare. Abiens itaq; scripsit in tabella Syriacè: Deus te faciet cessare & desistere ab auertendis ab ipso ad te hominibus. Dedit ergò ei, & ipsa gestauit: neque potuit ampliùs alicui diuinare, nec facere amuleta. Rursùs autẽ semèl sedebat cum fratribus, & se calefaciebat prope caminum vasorum vitreorum opificis. Erat verò vitreorũ opifex Hebræus, dixitq; ludens pauperibus: Vultis faciam vos ridere? Eccè quandò artifex facit poculum, faciam crucem, & franget. Postquàm ergò septem fregit ordine, cœperunt ridere pauperes, & rem ei dixerunt. Is verò illum, ira accensus, est persecutus. Postquàm autem recessit, clamauit, ei dicens: Reuerà, Manzer, donèc crucem in tua frõte feceris, conterentur omnia. Cumque rursùs tredecim alia fregisset ordine, compunctus est, fecitque Crucem in fronte, nec vllum fregit ampliùs. Hoc ergò modo abijt, & factus est Christianus.

Cap. 41.

Nota vim Crucis in frõte pictæ.

Cùm decem populares aliquandò suas vestes lauarent extra ciuitatem, ad eos accedens beatus, dicit eis: Venite, stulti, & faciam vobis lautum prandium. Quinq; autem ex ipsis dixerunt: Scit Deus, Eamus. Reliqui verò eos prohibebãt, dicentes: Certè faciet nobis prandium ex tenebris. Ipse mendicat ostiatìm, & vndenàm habebit? Vult tantùm facere, vt cessemus. Quinque ergò ei crediderũt, & abiẽrunt. Is verò dicit eis: Manete hîc. Et ab eis recedit tanto spatio, quantus est iactus teli sagittarij, & secretè orauit. Illi autem inter se dicebãt: Reuerà sumus illusi. Nam vt puto, vult ad nos fœnum deferre Abbas Simeon, vt pascamur. Eccè ergò cùm hæc dicerent, viderunt eum ipsis annuentem. Orauerat enim, vt priùs dictum est, & eis mensam diuinitùs parauerat. Cùm ergò ad eum venissent, viderunt prope eum, tanquàm à Deo positos panes siligineos, & placẽtas, & liba, & sesama, piscesq; & vina diuersa, & φαβύρια & γλυκὸ: & vt semèl dicam, quæcunque habet vita opipara & delicata. Cumque ij comedissent, dicit: Accipite, ô miseri, etiam pro vestris vxoribus. Quòd si non fueritis ampliùs stulti populares, reuerà ex vestris domibus nequaquàm deficiẽt hi panes siliginei, donèc moriar. Dixerunt autem inter se, quandò recesserunt: Probemus vnam hebdomadam: & si non defecerint, non reuertamur ampliùs cum nostris socijs in publicũ. Postquàm ergò viderunt non defecisse panes siligineos, etiãsi ipsi ex eis in dies consumerent, ad malum negocium non accesserunt ampliùs: sed tres ex ipsis fuerũt etiam Monachi, compuncti propter institutum vitæ Sali. Quod tamen nulli potuerunt dicere, quandiù vixit in carne Salus.

Cap. 42.

Aliud miraculum.

Quamnam aũt rem, & cuinam maximè digno, nempè Burdonario, fecerit, par est mandare ijs, quæ de eo fiunt, scriptis. Erat enim misericors Burdonarius, & ex ijs, quæ ad ipsum redibant, dispergebat. Quodam verò die cùm exiret ad afferendum pro domo sua, & ad vinum emendũ, ei occurrit ille beatus, & dicit ei: Quò vadis, stulte? Hoc enim verbum itidèm semper habebat in ore. Ille autem ei dicit: Ad vinũ quærẽdum, ô Sale. Respondit verò ei Abbas Simeon: Affer etiam, cùm véneris, pulegium. Ex eo itaque ominatus Burdonarius, apud se dicebat, dum abiret: Quisnam satanas ad me manè misit hunc Abbatem, dicẽtem mihi, Affer ad me pulegium? Reuerà malum est hoc vinum, & aut acescit, aut nescio quid habet vitij. Cùm autem reuersus est, ferens admodùm pulchrum vinum, præ gaudio oblitus est ferre pulegium. Recordatus tandèm, dicit Abbati: Verè oblitus sum ego miser. Subridens autem Abbas, dicit ei: Abi solùm. res enim tua est dispensata. Postquàm autem venit, vt mutaret vtres, inuenit eos acetum, adeò vt homo timeret vel ea odorari. Tunc ergò rem intellexit, & cœpit dicere: Reuerà iamiam imus ad quærendum pulegium. Properauit ergò, & venit ad Salum, & rogauit eum: (Dicebat autem intrà se: Sicut præstringit oculos præstigiator,

Cap. 43.

Mutat vinũ in acerũ Salus Abbas.

giator,ità etiam ipſe fecit)Reſolue,inquiens,quod feciſti,Sale. Ille verò dicit ei:Quid feci? Is autem dicit: Bonum vinum emi, & inuentum eſt acetum intrà duas horas. Ei verò rursùs dicit Simeon:Abi,abi,nè ſit tibi curæ. Aperi citò vtrium officinam,& tibi proderit.Erat enim ſcopus& votum ſenis,vt benediceretur eius labor,quoniam erat miſericors:nolebat verò aliquid apertè facere, ſed omnia per ludum. Compunctus eſt itaque Burdonarius,& dixit:Benedictus Deus, aperio φουσκάριον. Cùm autem aperuiſſet, benedixit ei Deus. Sed pro quo eum Salo gratias agere oportuiſſet, pro eo ipſi magìs iraſcebatur,neſciens quidnam ſibi conciliâſſet. Summa autē rei erat Deus, qui ſcopum Simeonis tegebat.

Cap.44. Aegrotauit aliquandò quidam ex primoribus ciuitatis. Solebat autem hic ſanctus aſcendere,& ludere in domo eius. Cumque eſſet grauatus, vidit ſe in ſomnis talis ludere cum quodam Aethiope. Is autem erat mors. Stabat ergò ægrotus, vt

In ſomnis apparet ægrotanti. deijceret: & nisì iecisſet ter ſenionem, fuiſſet victus. In ſomnis ergò ad eum venit Abbas Simeon,& dicit: Quid eſt, ſtulte? Reuerà modò te vincet hic Maurus: ſed promitte mihi te non ampliùs violaturum eſſe cubile vxoris tuæ: & ego eum pro te deijciam, & non te vincet. Cùm ergò iurâſſet, qui viderat, & talos Abbati dediſſet, ille proiecit, & ceciderunt ter ſeniones. Cùm autem ægrotus è ſomno eſſet excitatus, aſcendit ſtatìm Salus, & dicit ei: Pulchra triecta iecisti, ſtolide. Crede mihi, ſi tranſgreſſus fueris iuſiurandū,Maurus ille te ſuffocabit. Cumque eum & omnes eius domeſticos affeciſſet contumelia, deſcendit currens. Non habebat autem ille ſapiens aliquid in ſuo tugurio, (habebat enim tugurium, vt dormiret, vel potiùs vt vigilaret) nisì vnum faſcem ſarmentorum. Sæpè verò totam noctem vſque ad manè perſeuerabat in oratione, humum irrigans lachrymis, & manè egrediebatur, ſecabatque vel frondes oleæ, vel herbas, & ſibi faciebat coronam, & eam geſtabat: manu quoquè tenebat ramum vnum, & clamabat: Victoriam Imperatori, & ciuitati. Dicebat autem ciuitatem quidem, animam: Imperatorem autem, rationem, quæ dominatur animi perturbationibus. Porrò autem hoc quoquè Sanctus à Deo petijt, nè creſceret coma capitis ſui, vel barba: nè fortè dum tonderetur, planum fieret, eum agere ſtultum. Quocircà toto tempore, quo perſeuerauit in hoc vitæ inſtituto, nemo vidit, quòd creuerit coma eius capitis, neque quòd eam totonderit. Sæpè verò magna & vtili congreſſione vſus eſt cum domino Iohanne Diacono ſolo, & minatus eſt, fore vt ſi eius bonum, & quod ex virtute degebat, diceret vitæ inſtitutum, in magnum tormentum incideret in futuro ſeculo. Dixit autem ei,quandò totam ſuam ei narrauit vitam, nempè duobus diebus antequàm ex hac vita excederet: Iui hodiè ad fratrem Iohannem, & inuéni eum valdè per Deum profeciſſe, & gauiſus ſum. Vidi enim eum geſtantem ſuam coronam, cui erat inſcriptum: Corona tolerantiæ ſolitudinis. Et rursùs ait ille benedictus: Vidi, quandò huc veniſti, Iohannes, quendam mihi dicentem: Veni, veni Sale, vt feras non vnam coronam, ſed coronas animarum, quas mihi obtuliſti. Perſuaſum autem habeo, domine Archidiacone, eum nihil in me nôſſe huiuſmodi, ſed hoc mihi gratìs conceſſiſſe. Stultus enim homo & fatuus,qualem debet mercedem accipere? Illud rursùs te rogo,nè vllam animam, maximè autē Monachum, aut mendicum, vllo modo habeas deſpicatui. Sciat enim charitas tua, quòd ſunt inter mēdicos, maximè autem inter cæcos, homines, qui ſunt vt Sol nitidi & expurgati per eorum tolerantiam & afflictionem. Quot ruſticos agricolas vidi ſæpè ciuitatem ingredientes communicâſſe, qui erant auro mūdiores propter eorum ſimplicitatem, & quòd in ſudore vultûs ſui comedāt panem ſuum? Sed nè, domine mi, propter ea, quæ apud te dicuntur, me inſimulâris, quòd expoſuerim totam miſerabilis meæ vitæ negligentiā. Scias autem, fore vt Dominus te quoquè breuiter aſſumat. Sed pro totis viribus curam geras tuæ animæ, vt poſſis tranſmittere abſque vlla tempeſtate principes tenebrarum huius aëris. Scit enim Dominus me magno vexari metu & ſolicitudine, donèc ab eorum fæuitia fuero liberatus.Hic eſt enim dies malus,de quo dicebat Apoſtolus & Dauid. Quamobrèm rogo te, fili & frater Iohannes, omni, ſi fieri poteſt,ſtudio eſto miſericors. Miſericordia enim nos tunc iuuat pluſquàm omnes virtutes. Dicit enim: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Neque vnquàm accedas ad ſanctum altare, habens aliquid aduersùs aliquem, nè tua iniquitas alios quoquè faciat indignos aduentu ſancti ſpiritûs. Hæc & alia plurima ei præcepit, ex quibus iuſſit quædam nemini vnquàm dicere,propterea quòd non omnes ea, quæ dicuntur,

Vide eius vigilias & preces.

Miri quidā de coma eius.

Docet D. Iohannē Diaconū viam iuſtitiæ.

Epheſ.6.

Epheſ.5.

Pſalm.40.

dicuntur,cum fide accipiant.Fac autem vt te conſoleris:Nam poſt hos tres dies aſſumit Dominus Salum hunc minimum, & Abbatem Iohannem fratrem eius. Etenim ego ipſe ad eum accedens, dixi ei: Frater, agedùm eamus.eſt enim tempus. Sed poſt duos dies veni in meum tugurium, & vide quid inuenias. Volo enim, vt habeas aliquod monimentum humilis & peccatoris Sali. Cumque hæc & plura his ei dixiſſet, abiens,ſe recepit in ſuum tugurium.

Prædicit obitū ſuum,& Abbatis Iohannis.

Cap.45. Nunc autem tempus vocat, ô amici, vt admirabilem eius mortem, vel ſomnū potiùs,vobis narrem.Nam ipſa quoq; non leuem præbebit vtilitatem.Quinetiam eſt ijs omnibus,quæ dicta ſunt,excellētior:quæ etiam eius vitæ,nulli labi obnoxiæ,ſignaculum fuit & confirmatio.Nam cùm vir ille magnus communē horam ſenſiſſet, volens ne poſt mortem quidem humanum ferre honorē,quid facit? Ingreſſus ſubter faſcem ſarmentorum in ſacro eius tugurio,illic dormiēs, in pace Domino tradidit ſpiritum. Eius ergò familiares,poſtquàm eum duobus diebus non viderunt, dixerunt: Eamus, videamus,num ſit ægrotus Salus. Et inuenerunt eum iacentem mortuum ſubter faſcem ſarmentorum. Tunc dicunt: Eccè credunt omnes eum modò eſſe apud ſe. Eccè ipſa quoq; mors eum alligat ad ſcalmum.Et eum portantes duo quidam, abſq; eo quòd eum lauiſſent,& ſine pſalmodia, & ſine cereis, & ſine ſuffumigationibus, eū ſepeliērunt in ſepulcro peregrinorum. Cùm autem tranſirent per domū illius vitreorum poculorum opificis olim Hebræi,quem quidem ipſe fecerat Chriſtianum,(vt ſuperiùs diximus) ij, qui eum portabant, & ibant ad eum ſepeliendum, audit is, qui dictus eſt,Pſalmodiam,cuius ea erat harmonia,vt nulla vox humana eam poſſit pſallere, & tantam multitudinem vidit, quantam humanum genus nō poteſt congregare. Stupefactus ille ſono numeroſæ & concinnæ vocis Angelicæ, exit foràs, & videt ſanctum,qui afferebatur à duobus tantùm,qui venerandū eius corpus portabant. Tunc dixit,qui numeroſum hunc cantum audiērat: Beatus es,Sale, quòd cùm non habeas homines tibi canentes,habes cæleſtes poteſtates,quæ te hymnis honorant. Et ſtatìm deſcendens,eum ſuis manibus ſepelijt: & tunc à ſe audita incorporcorū cantica narrauit omnibus.Audiuit autem hoc quoq; dominus Iohannes Diaconus,& curſu etiam venit cum multis alijs in locum, vbi eſt ſepultus,volens tollere precioſas eius reliquias,vt eis honorificas faceret exequias. Cùm autē aperuiſſet ſepulcrū,nequaquàm eum inuénit. Eum enim glorificans,tranſtulerat Dominus. Tunc omnes veluti è ſomno fuerunt excitati, & narrauerunt inter ſe quænam vnicuique feciſſet miracula,& quòd propter Deum ſe fingebat eſſe Salum,hoc eſt,ſtultum.

Felicißimè ſub ſarmentis moritur.

Chriſtianus ſepeliendi ritus.

Angeli ad funus eius concinunt.

Abſconſum eſt corpus S. Simeonis à Domino.

Cap.46. Hæc eſt vita,ô Chriſti amatores, huius admirabilis Simeonis. Hæ ſunt eius, quæ ex multis collectæ ſunt, virtutes. Hic fuit eius verè occultus atque cæleſtis curſus: qui à nullo quidem videbatur, omnibus autem repentè inuentus eſt manifeſtus. Hic eſt nouus Lot,ſicut ille Sodoma, ità hic clàm mundum ingreſſus. Atq; eius quidem admirabilia & maximè celebranda certamina, quantùm nos,qui nihili ſumus, præſtare potuimus,literis mandare ſtuduimus: etiamsì anteà breuiter ſcripſerimus, propterea quòd nondùm ſingulatim ad noſtram veniſſet notitiam hęc eius narratio admirabilis.Eum autem ornare encomijs,non eſt noſtræ ſcientiæ,ſed eorum, quibus illa adeſt facultas,vt dicendo poſſint eſſe pares eius virtuti. Quænam enim eum laudauerit oratio, cuius honor ſuperat orationem? aut quomodò eum laudârint labra carnea, qui in carne expers carnis apparuit? Quomodò autem linguæ ſapientia, eam quæ omnem ſapiētiam obſcurauit & prudentiam, quaque ipſe Dei voluntati congruenter vtebatur,extulerit ſtultitiam? Reuerà in faciem homo, Deus verò ad cor. Reuerà non ſic videt homo,vt videt Dominus.Reuerà nemo nouit,quę ſunt hominis,nisì ſpiritus hominis,qui in ipſo eſt.Reuerà nè ante tempus iudicemus ô Chriſti amatores, donèc venerit Dominus,& omnia illuminauerit. Quis dixiſſet,Iudam quidem corpore verſari cum diſcipulis,corde verò cum Iudęis? Quis Rahab,quę in Hiericho corpore erat in proſtibulo, putâſſet eſſe ſpiritu in Domino? Quis Lazarum illum mendicum, qui tot affligebatur vlceribus,ſperâſſet futurū in ſinu Abrahæ in tanta felicitate? Hæc nos quoq; videntes ô dilecti,pareamus ei,qui rectè conſulit. Attende tibijpſi,& nec tuis, nec ijs, qui ſunt circa te, ſed tibijpſi ſoli, quoniam vnuſquiſq; onus ſuum portabit, & propriam mercedem accipiet à cæleſti Rege Chriſto: Cui gloria & potentia cum patre & ſancto ſpiritu in ſecula ſeculorum,Amen.

Geneſ.13.

1.Reg.17.

1.Cor.2.

Rom.14.

Matth.26.

Ioſuæ 2.

Lucæ 16.

Gal.6.

1.Cor.3.

Requieuit autem,qui Angelicam & ſupra modum admirabilem egit vitam, & qui propter Chriſtum Salus, hoc eſt, ſtultus, fuit appellatus, Simeon primo Menſis Iulij, cùm

cùm valdè coruſcâſſet in ſuis rebus, ex Deo rectè geſtis: & ſuis virtutibus adduxiſſet in admirationem etiam ſupramundanas poteſtates incorporeorum. Nunc verò ad æternam Dei & patris luminum ſedem aſſiſtens, vt qui libertatẽ acceperit & fiduciam, perpetuis eum hymnis & laudibus celebrat cum omnibus cæleſtibus poteſtatibus. Itaque concedat nobis Deus habere partem & hæreditatem vnà cum ſancto hoc Simeone, & cum omnibus ſanctis in eius regno, quod nunquàm cõſeneſcit: Quoniam eius eſt gloria in ſecula, Amen.

VITA S. GALLI ARVERNORVM EPISCOPI, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENSI EPISCOPO,

Libro de Vita Patrum, Cap. 6.

1. Iulij. Cap. 1. Vitia nobilitatis.

NObilitatis mundanæ faſtigium ſemper inhiat cupiditatibus, gaudet honoribus, inflatur occurſibus, litibus forũ pulſat, rapinis paſcitur, calumnijs delectatur, rubiginoſi auri talenta deſiderat, & dum parua poſſidere videtur, vt agglomeret plurima, magis accenditur, ingeritq; ei congeries auri ſitim arduam poſſidendi, ſicut Prudentius ait,

Auri namq; fames procedit maior ab auro.

Auri fames vndè procedat.

Vndè fit, vt dum gaudet pompis ſeculi, & vanis honoribus oblectatur, nihil ei de manſuris dignitatibus in memoriam reuocetur: nec reſpicit ad ea, quę non videntur, dummodò illa, quibus ſatiari animum putat, importunè poſſideat. Sed ſunt qui ſe de his nexibus, tanquàm aues de laqueis euolantes, & ad altiora tendentes, mentis alacrioris ingenio abſoluerunt, ac relictis terrenis facultatibus, totis ſe viribus ad illa, quæ ſunt cæleſtia, aptauerunt: ſicut ſanctus Gallus, incola Aruernæ vrbis: quem à Dei cultu abſtrahere non potuit dilectio patris, non matris blanditiæ, non amor nutricum, non obſecundatio baiulorum: ſed his omnibus pro nihilo habitis, & tanquàm ſtercora æſtimatis, Dei ſe dilectioni, Dei ſe officio vouens, monaſteriali ſe diſtrictioni ſubegit. Sciebat enim iuuenilis feruoris flammas non aliter poſſe deuincere, nisi cenſuræ canonicæ & diſciplinæ ſeueriſſimæ ſubderetur. Sciebat inſuper, ſe ab humilitate ſeculi ad altiora ſubleuandum, & per patientiam tolerationis, ad illam excelſi apicis gloriam euehendum: quod poſteà probauit euentus.

S. Gallus petit monaſterium.

Cap. 2. Parentes eius Georgius & Leocadia.

Sanctus igitur Gallus, ab adoleſcentia ſua deuotus Deo eſſe cœpit, diligensq́ue ex tota anima Dominum, & ea, quæ Deo dilecta eſſe nouerat, diligebat. Pater ei nomine Georgius, mater verò Leocadia, à ſtirpe Vectij Pagati deſcendens, quem Lugduni paſſum Euſebij teſtatur hiſtoria. Qui ità de primoribus ſenatoribus fuerunt, vt in Gallijs nihil inueniatur generoſius atque nobilius. Cumq́ue ei pater cuiuſdam ſenatoris filiam quærere vellet, ille, aſſumpto ſecum vno puerulo, monaſterium Cremonenſe expetijt, ſexto ſitum ab Aruerna vrbe milliario, ſuppliciter Abbatem exorans, vt ſibi comam capitis tondere dignaretur. At ille videns prudentiam atque elegantiam pueri, nomen inquirit, interrogat genus & patriam. Ille verò Gallum ſe vocitari pronunciat, ciuem Aruernum, Georgij filium ſenatoris. Quem Abbas vt cognouit de prima ſtirpe eſſe progenitum, ait: Benè deſideras, fili: ſed primùm oportet hæc ad patris tui deferri notitiam: & ſi hæc ille voluẽrit, faciam quæ depoſcis. Deniq; Abbas pro hac cauſa nuncios ad patrem interrogantes, quid de puero fieri iuberet, miſit. At ille parumpèr contriſtatus: Primogenitus, inquit, erat mihi, & ideò voluĩ coniugio copulare: ſed ſi eum Dominus ad ſuum dignatur accire ſeruitium, illius magis, quàm noſtra voluntas fiat. Et adiecit: Quicquid vobis infans Deo inſpirante ſuggeſſerit, adimplete. Tunc Abbas, iſta nuncijs referentibus, puerum clericum fecit. Erat autem egregiæ caſtitatis, & tanquàm ſenior, nihil peruersè appetens, à iocis ſe etiã iuuenilibus cohibebat, habẽs miræ dulcedinis vocem cũ modulatione ſuaui, lectioni incumbens aſſiduæ, dans operã ieiunijs, & abſtinẽs ſe multùm à cibis. Quem cùm beatus Quintianus Epiſcopus ad idem monaſterium veniens cantantem audiſſet, non eum permiſit vltrà illic retineri, ſed ſecum ad ciuitatem adduxit, & vt cæleſtis pater in dulcedine ſpiritali nutriuit.

Tonſura Monaſtica.

Aſſumit Gallum S. Quintianus Epiſcopus in filium.

Cumq́ue

Cap. 3. Accitur Gallus ad regẽ Theodoricum.

Cumq́ue defuncto patre, vox eius magis ac magis in dies componeretur, atque idem in populis maximum haberet amorem, nunciauerunt hæc Theodorico Regi: quem dicto citiùs accerſitum tanta dilectione excoluit, vt eũ proprio filio plùs amaret. A regina autem eius vxore, ſimili amore diligebatur, non ſolùm pro honeſtate vocis, ſed etiam pro caſtimonia corporis. Tunc verò Theodoricus Rex ex ciuibus Aruernis clericos multos abduxit, quos Treuericæ Eccleſiæ ad reddendum famulatum Domino iuſſit aſſiſtere: beatum verò Gallum à ſe nequaquàm paſſus eſt ſeparari. Vndè factum eſt, vt eunte Rege in Agrippinam vrbem, & ipſe abiret ſimul. Erat autem ibì fanum quoddam, diuerſis ornamentis refertum, in quo barbaries opima libamina exhibens, vſque ad vomitum cibo potuq́ue replebatur. Ibì & ſimulacra vt Deum adorans, membra, ſecundùm quod vnumquenque dolor attigiſſet, ſculpebat in ligno. Quod vbì ſanctus Gallus audiuit, ſtatìm illuc cum vno tantùm clerico properat: accenſoq́ue igne, cùm nullus ex ſtultis paganis adeſſet, ad fanum applicat ac ſuccendit. Illi videntes fumum delubri ad cælum vſque conſcendere, authorẽ incendij quærunt: inuentum euaginatis gladijs perſequuntur. Ille verò in fugam verſus, in aula ſe regia cõdidit. Verùm poſtquàm Rex quæ acta fuerant, paganis minitantibus, recognouit, blandis eos ſermonibus liniuit, & ſic eorum furorem improbum mitigauit. Dehinc autem referre ſæpè erat ſolitus vir beatus hæc cum lachrymis, & dicebat: Væ mihi, qui non perſtiti, vt in hac cauſa finirer. Fungebatur eo tempore Diaconatûs officio.

Nota de fano gentilitũ apud Agrippinenſes.

Cap. 4.

Deniq; cùm beatus Quintianus Epiſcopus ab hoc ſeculo, iubẽte Domino, tranſiſſet, ſanctus Gallus apud vrbem Aruernam eo tempore morabatur. Ciues autem Aruerni ad domum Impetrati preſbyteri eiuſdem auunculi conuenerunt, conquerẽtes de obitu ſacerdotis, &, quis in eius locum deberet ſubſtitui, requirentes. Quo diutiſſimè pertractato, regreſſus eſt vnuſquiſq; ad domum ſuam. Poſt horum diſceſſum ſanctus Gallus vocauit vnum è clericis, & irruente in ſe Spiritu ſancto, ait: Quid hi muſſitant? Quid curſitant? Quid tractant? Vacuum eſt, inquit, opus eorum. Ego ero Epiſcopus. Mihi Dominus hũc honorem largiri dignabitur. Tu verò cùm me redire de præſentia Regis audieris, accipe equum deceſſoris mei ſtratum, & egrediens, te obuiàm exhibe mihi. Quod ſi audire deſpexeris, caue nè te in poſterũ pœniteat. Cumq́ue hæc loqueretur, ſuper lectulum decumbebat. Tunc iratus contra eum clericus, cùm multa exprobraret, eliſum ſuper ſpondam lecti latus ſuum læſit, turbidusq́ue diſceſſit.

Prædicit ſe futurum Epiſcopum

Cap. 5.

Quo diſcedente, ait Impetratus preſbyter ad beatum Gallum: Audi, fili, conſilium meum: noli manum facere, ſed vade ad Regem, & nuncia ei, quæ hîc contigerint: & ſi ei inſpirat Dominus, vt tibi hoc ſacerdotium largiatur, magnas Deo referimus gratias: ſin aliud, ſaltem ei, qui ordinatus fuerit, commendaberis. Ille verò abiens, quæ de beato Quintiano contigerant, Regi nunciauit. Tunc etiam Aprunculus Treuirorum Epiſcopus tranſijt. Congregatusq́ue clerus ciuitatis illius ad Theodoricum Regem, ſanctum Gallum petebant Epiſcopum. Quibus ille ait: Abſcedite, & alium requirite: Gallum enim diaconum aliò habeo deſtinatum. Tunc eligentes ſanctum Nicetium, Epiſcopum acceperunt. Aruerni verò cleri conſenſu inſipientium facto, multa munera ad Regem ferentes venerunt. Iamtunc enim germen illud iniquum cœperat pullulare, vt ſacerdotium aut venderetur à Regibus, aut emeretur à clericis. Tunc ij audiunt à Rege, quòd ſanctum Gallum habituri eſſent Epiſcopum. Quem preſbyterum ordinari iuſſit Rex, & mandauit, vt datis de publico expenſis, ciues inuitarentur ad epulum, & lætarentur ob honorem Galli futuri Epiſcopi. Quod ità factum eſt. Is autem referre erat ſolitus, non ampliùs donâſſe pro Epiſcopatu, quàm vnum trientem coco, qui ſeruiuit ad prandium.

Aprũculus Treuirorũ Epiſcopus.

S. Gallus datur Aruernis Epiſcopus.

Cap. 6.

Poſt hæc Rex, datis ad ſubſidium eius duobus Epiſcopis, Aruernos eũ direxit. Clericus verò ille, qui ſuper ſpondam lecti latus eius illiſerat, Viuentius nomine, ad occurſum Pontificis ſecundùm verbum illius properat non ſine magno pudore, & ſe ſimulq́; equum, quem iuſſerat, repræſentat. Ingreſſisq́ue vtriſq; in balneum, dolorem lateris, quem ab impulſu ſuperbiæ eius incurrerat, clementer improperat, magnam ex hoc ei ingerens verecundiam, non cum ira, ſed tantùm ioco ſpiritali delectatus. Igitur exindè cum multo pſallentio in ciuitatem ſuſcipitur, & in ſua Eccleſia Epiſcopus ordinatur.

Cap. 7.

Iam verò aſſumpto Epiſcopatu, tanta humilitate, tantaq́ue charitate cum omnibus vſus eſt, vt ab vniuerſis diligeretur. Patientiam verò vltra hominum mores habebat,

Virtutes eius.

bebat,ità vt,ſi dici fas eſt,Moyſi compararetur ad diuerſas iniurias ſuſtinendas. Vndè factum eſt, vt à preſbytero ſuo in conuiuio percuſſus in capite, ità ſe quietum reddiderit,vt nec ſermonem quidem aſperum reſponderet: ſed omnia, quæ ei eueniebãt, patienter ferens,in Dei hoc arbitrio, à quo ſe petebat enutriri, iactaret. Nam cùm & Ennodius quidam ex ſenatoribus preſbyter, in conuiuio Eccleſiæ multis calumnijs atque conuicijs eum laceſſiſſet,conſurgens ſacerdos,loca baſilicarum ſanctarum circuibat. Cæterùm cùm hoc Ennodio fuiſſet perlatum,poſt eum curſu veloci pergens, & ſe ante pedes eius in ipſa platea proſternens, veniam petijt, deprecans vt eum oratio eius * cum omnipotente iudice non fuſcaret. At ille benignè eum colligens, cuncta, quæ locutus fuerat, clementer indulſit, eum arguens, nè hæc vltrà contra ſacerdotes Domini proferre auderet: quia ipſe Epiſcopatum nunquàm promereretur accipere. Quod poſteà probauit euẽtus. Nam cùm in Gabalitano ad Epiſcopatum iam electus, iam in cathedra poſitus, iam cuncta parata eſſent, vt benediceretur Epiſcopus,ità ſubitò contra eum omnis populus cõſurrexit,vt vix viuus poſſet euadere: qui poſteà preſbyter tranſijt.

*coram

Eius prophetica prædictio.

Cap.8.

Apud Aurelianenſem autem vrbem incriminato ab iniquis Marco Epiſcopo, & in exilium truſo, magnus Epiſcoporum conuentus eſt aggregatus, Childeberto Rege iubente. In qua ſynodo cognoſcentes beati Epiſcopi hoc eſſe vacuum, quod contra eum fuerat muſſitatum,eum ciuitati & cathedræ ſuæ reſtituunt. Deniquè tunc ad ſeruitiũ ſancti Galli Valentinianus Diaconus, qui nunc preſbyter eſt & cantor, acceſſit. Cumq; Epiſcopo alio Miſſam dicente,Diaconus ille,propter iactantiã potiùs, quàm pro Dei timore cãtare vellet,à ſancto Gallo prohibebatur,dicẽte ſibi: Sine,fili:quandò Domino iubente nos celebrauerimus ſolennia, tunc & tu canere debes. Nunc eius clerici cõcinant, qui celebrat Miſſam. At ille & tunc ſe poſſe pronunciat. Cui ſacerdos: Fac vt libet.nam quod voluẽris,non explebis. Ille igitur negligẽs mandatum Pontificis,abijt,& tam deformiter cecinit,vt ab omnibus irrideretur. Adueniẽte autem alia Dominica, dicente ſæpedicto Pontifice Miſſam, eum iuſſit abire: Nunc, inquiens, in nomine Domini, quod voluẽris,explicabis. Quod cùm feciſſet, intantùm vox eius præclara facta eſt,vt ab omnibus laudaretur. O beatum virum, cui talis gratia conceſſa eſt,vt ſicut animæ,ità & voces hominum ſub eius poteſtate conſiſterent: quas & cùm voluit,cantu prohibuit: & cùm libuit,cantare permiſit. Præſtitit autem Deus & alia miracula magna per illum. Nam cùm Iulianus defenſor Preſbyter deinceps, dulciſſimæ voluntatis homo, à quartano typo correptus, grauiter cruciaretur, lectulũ ſancti ſacerdotis expetijt:in quo decubans,à famulo opertus,paululumq; obdormiens,ità ſanatus eſt, vt nec contactus quidẽ poſteà ab hac infirmitate videretur.

Synodus Aurelianẽ.

Lectulus eius ſanat quartanã.

Cap.9.

Cùm autem Aruerna ciuitas maximo incendio cremaretur, & hoc ſanctus comperiſſet, ingreſſus Eccleſiam, diutiſſimè Dominum ante ſanctum altare cum lachrymis exorauit: ſurgensq́ue, Euãgelijs cõpræhenſis apertisq́ue,obuiàm ſe igni obtulit. Quo obtemperante protinùs,ad adſpectum eius ità omne incendium eſt extinctum, vt nec fauillæ quidem in eo igne remanerent.Sub eius autem tempore magno terræmotu Aruerna ciuitas eſt concuſſa:ſed cur acciderit,ignoramus. Hoc tamen ſcimus, quòd nullum ex populo læſit. Cùm autem lues illa,quam inguinariam vocãt,per diuerſas regiones defæuiret,& maximè tunc Arelatenſem prouinciam depopularetur, ſanctus Gallus non tantùm pro ſe,quantùm pro populo ſuo trepidus erat. Cumq́ue die ac nocte Dominum deprecaretur, vt viuens plebem ſuam vaſtari non cerneret, per viſum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæſariem, quàm veſtem in ſimilitudinem niuis candidam efferebat,& ait ad eum: Benè te,ô ſacerdos, proſpectat diuina pietas pro populo tuo ſupplicantem,ideoq́ue nè timeas: exaudita eſt enim oratio tua,& eccè eris cũ populo tuo ab hac infirmitate liberatus,nullusq́ue,te viuente,in regione iſta ab hac ſtrage deperibit. Nunc autem noli metuere: poſt octo enim annos expletos migrabis à ſeculo. Quod poſteà manifeſtum fuit. Expergefactus igitur,Deo gratias pro hac conſolatione egit, quòd per cæleſtem nuncium ſe confortare dignatus eſſet. Rogationes illas inſtituit,vt media Quadrageſima pſallendo ad baſilicam beati Iuliani martyris itinere pedeſtri venirent.Sunt autẽ in hoc itinere quaſi ſtadia trecenta ſexaginta.Cùm autem regiones illas,vt diximus,lues illa conſumeret, ciuitatem Aruernam,ſancti Galli intercedente oratione, non attigit. Vndè non paruam cẽſeo gratiam eius,qui hoc meruit, vt paſtor poſitus, oues ſuas deuorari, defendente Domino,non videret.

Sedat incendium precibus.

Apparet ei Angelus Domini.

Pellit peſtẽ ab Aruernis.

Sed

Sed veniamus ad illud tempus, cùm eum Dominus de hoc mundo iuſſit aſſumi. Cùm grauatus incommodo decubaret, ità febris externa omnia membra eius depilauit,vt capillos & barbam ſimùl amitteret.Sciens autem ſe,reuelante Domino,poſt triduum migraturum,conuocat populum,& omnibus,confracto pane,communionem ſancta & pia voluntate largitur. Adueniente autem die tertia, quæ erat Dominica dies, ciuibus Aruernis immanem allatura luctum, albeſcente iam cælo, interrogat quid in Eccleſia pſallerent. Dixerunt autem circunſtantes, benedictionem pſalli. At ille, pſalmo quinquageſimo & benedictione decantata, & alleluiatico cum capitello expreſſo,conſummauit officium totum temporis matutini. Quo iam extremo perfunctus officio,ait: Valedicimus vobis,fratres. Et hæc dicens,extenſis mẽbris,ſpiritum cælo intentum præmiſit ad Dominum. Tranſijt autem ætatis ſuæ ſexageſimoquinto,Epiſcopatûs verò ſui ſeptimo & vigeſimo anno. Exindè ablutus atq; veſtitus, in Eccleſiam defertur, donèc comprouinciales ad eum ſepeliendum conuenirent. Magnum autem ibi miraculum oſtenſum populis fuit, quòd ſcilicet ſanctus Dei, attracto dextero pede in feretro,ſe in aliud latus,quod erat versùs altare,contulit.

Cap.10.

Cõmunio ſub vna ſpecie.

Excedit è vita.

Inſigne miraculum.

Dum hæc agerentur,Rogationes illæ,quæ quotannis vbiquè poſt Paſcha fiunt,celebrantur.Iacuit autem in Eccleſia per triduum, aſſiduo inſtante pſallentio cum magna frequentia populi. Epiſcopis autem quarta die aduenientibus, eum de Eccleſia leuauerunt,& portantes in ſancti Laurentij baſilicam, ibi ſepeliunt. Iam verò in exequijs eius quantus planctus, quanti populi affuêre, enarrari vix poteſt. Mulieres cum lugubribus indumẽtis, tanquàm ſi viros perdidiſſent: ſimiliter & viri obtecto capite, vt in exequijs vxorum mos eſt,ipſi quoq; Iudæi accenſis lampadibus plangentes proſequebantur. Omnes præterea populi vna voce dicebant: Væ nobis, qui poſt hanc diem nunquàm ſimilem merebimur habere Pontificem. Et quia,vt diximus, prouinciales longè diſtabant,nec celeriùs venire poterant,vt mos ruſticorum habetur, glebam ſuper beatum corpus poſuêre fideles,quô ab æſtu non intumeſceret.Quẽ ceſpitem poſt eius exequias mulier quædam, & verè (vt ego diligenter inquiſiui) virgo puriſſima & deuota Deo, Meratina nomine, ab alijs eiectum collegit, atq; in horto ſuo poſuit,& infuſa ſepiùs aqua,Domino incrementum dante,viuere fecit.De quo ceſpite infirmi non ſolùm auferentes herbam, atque ex eius ſucco bibentes ſanabantur, verumetiam fidelis ſuper eum oratio ſuffragium merebatur. Qui poſteà per incuriam,virgine migrante, deperijt. Deniquè ad ſepulcrum eius multæ virtutes oſtenſæ ſunt. Nam quartanarij & diuerſis febribus ægroti, vt ad beatum tumulum fideliter perueniunt,protinùs hauriunt ſanitatem.

Cap.11.

Miracula multa ad ſepulcrũ eius.

Valentinianus igitur cantor, cuius ſuprà meminimus, qui poſteà preſbyter fuit, cùm Diaconatûs fungeretur officio, à typo quartano corripitur, ac per multos dies magna defectione laborauit. Factum eſt autem, vt in die acceſsûs huius febris, loca ſancta circuire diſponeret orans: veniensq́ue ad huius ſancti ſepulcrum, proſtratus ait: Memor eſto meî, beatiſſime ac ſancte ſacerdos: à te enim educatus, doctus ac promotus ſum. Memor eſto alumni proprij,quem amore vnico dilexiſti,& ẽrue me ab hac qua detineor,febre.Hæc effatus,herbulas,quæ ob honorem ſacerdotis tumulo reſperſæ fuerant à deuotis, collegit, & quia virides erant, ori applicat, dentibus decerpit, ſuccumq́ue earum deglutit. Præterijt dies illa, nec ab hoc eſt pulſatus incommodo: & deincèps ità ſoſpitati eſt reſtitutus, vt nec vllos vel minimos rigores vltrà perferret. Hoc ab ipſius preſbyteri ore ità geſtum fuiſſe cognoui.Non enim ambigitur,per illius potentiam prodire virtutes de tumulis ſeruorum ſuorum, qui Lazarum vocauit ex monumento.

Cap.12.

Iohan.11.

C VITA

VITA S. THEODORICI ABBATIS ET DISCIPVLI S. REMIGII, VT IN MS. CODICIBVS *habetur. Stylum F. Laur. Surius nonnihil elimauit.*

Iulij 1. Patria & parentes S. Theodorici

SANCTVS Theodoricus, in pago Rhemensi Alamandorum chorte natus, patrem Marchardum habuit. Porrò apud beatissimum Remigium educatus est. Eius futurã sanctitatem hoc pacto Dominus ostendere voluit. Fons quidam, posteaquàm ex illo panniculi eius adhuc infantis ablui cœpêre, sordium & cuiusuis immunditiæ inquinamentis adeò non potuit infici, vt etiam liliorum gratissimos spiraret odores, ea re significans, qualis esset infans ille futurus. Postquàm autem pubertatis attigit annos, voluntate parentum consensit in matrimonij copulam, sed non ex animo. Cùm enim sponsam accepisset, multis sermonibus hortabatur eam ad amorem sponsi cælestis & immortalis, proponens illi immarcescibilem virginitatis coronam, si sequeretur agnum immaculatum, virginum amatorẽ. At illa contemni se existimans, Cur, inquit, despicis te amantem, cùm non sim ignobilis genere? Fortassis alia magis tibi cordi est, & idcircò hæc mihi vana proponis. Hæc atque id genus alia multa vt audiuit Theodoricus, ad S. Remigium se contulit, pias apud eum de sponsa querimonias depositurus. Porrò beatus Remigius sapientissimo consilio iubet acciri sponsam, venienti idemipse explicat æternæ beatitudinis præmia, in virginitate perseuerantibus reddenda, docet virginitatem sororem & amicam esse angelorũ. Tum illa desiderio vitæ æternę incensa, pollicetur se integritatem corporis conseruaturam, vt possit adhærere Christo. Quæ res mirificè exhilarauit castum eius sponsum Theodoricum.

Accipit vxorẽ, & virgo permanet vterque.

Iste Hor alius est à mõte Hor in quo extinctus est Aaron.

Est syluula à ciuitate tribus distans milliaribus, sita in monte, quem Hor vocant. In eo monte voluit beatus Remigius ædificari monasterium, in quo monachos congregaret, sub Theodorici cura & moderatione victuros: quippe quem iam cerneret virtutum exemplis florere. Misit igitur ad locum inspiciẽdum cum Susanna virgine sanctissima & Abbatissa ipsum Theodoricum. Atque illi pariter in mõtis verticem scandentes, circunferebant in omnem partem oculos, simùl obsecrantes Dominum, vt sua benignitate ipsis ostendere dignaretur locum, monasterio construendo opportunum. Eccè autem è cælis aduolat angelus sub forma aquilæ, amicaque familiaritate lento volatu in orbem se circunferens, locũ designat, & vt diuinæ voluntatis euidentior esset repræsentatio, vnius horæ spatio demissis alis supra locum illum constitit, quo debuit templum ædificari. Intelligunt illi diuinitùs missum, qui hæc eis ostendebat, remque ordine ad beatum Remigium referunt. Tum verò in monte illo Hor constructo monasterio, miles Christi Theodoricus permultorum spiritalis fit pater monachorum, atque illic eodem etiam die posteà viuendi fecit finem, quo olim in alio monte Hor, è corpore excessit Aaron summus sacerdos.

S. Theodoricus multis monachis præficitur. Num. 20.

Quæ autem virtutum opera in eo monasterio effecerit, nos pro dignitate commemorare nequimus. Cùm autem ab angelicæ vitæ pontifice Remigio sacerdotio esset initiatus, vt illo munere ritè fungeretur, cœpit omnibus verbum salutis ministrare. Ità factum est, vt eius fama in populos diffunderetur. Quodam autem tempore ex more beatus Remigius cum S. Theodorico psalmos depromens, montem illum visendi causa adijt. In ipso autem itinere inciderunt in locum, quem Cedrium vulgò vocant, vbi tum prostibula erant. Ibi Theodorico vox faucibus hęsit, nec potuit psalmi versiculum exprimere. Idem passus est in eodem versiculo, cùm reuersi ex monasterio, eundem locum præterirent. Ait ergò ad illum S. Remigius: Demiror frater, quid causæ sit, quòd in eodem & loco & versiculo præter morem bis in Dei laudibus titubâris. Respondit B. Theodoricus: Pater eximie, cùm tua sanctitas semper in cælis versetur in conspectu Dei, regesque terreni tuæ pareant voluntati, cur animas diaboli nexibus implicatas, te præsente, pateris interire? Scio enim, modò velis, solo nuncio à regis munificentia te posse locum hunc impetrare, & creatori oues ex illius tartarei lupi faucibus ereptas restituere. His auditis, beatus Remigius supplices obtulit regi preces, locumq; spurcissimum, vbi tenebrarum exercebantur opera, pro voto obti-

to obtinuit. Expulsisque indè turpitudini deditis fœminis, eorum domicilia funditùs euertit. Et quia locus ille extra vrbem erat, intrà muros extructis ædificijs, quadragintа sanctimoniales (tot enim fuerant scorta, quæ profligauerat) in illis collocauit.

Loco lupanaris extrui tur ecclesia.

Defuncto rege Clodoueo, quem beatus Remigius ad Christi religionẽ traduxerat, & è sacro fonte susceperat, filius eius Theodoricus regni gubernacula suscepit. Is verò nuncios misit ad S. Remigium, obnixè rogans, vt ad ipsum veniret, & vnicæ, eidemque charissimæ filiæ, grauiter laboranti, manus imponeret. At S. Remigius aduersa tum corporis valetudine impeditus, beato Theodorico, quem gratia curationum præditum diuinitùs cognouit, suas vices demandauit. Ille iussa magistri volens gnauiter exequi, ad regis palatium proficiscitur. In ipso autem medio itinere tristis ei adfertur nuncius de obitu puellæ, rogantque eum, qui erant missi à rege, nè se fruſtrà fatiger. At ille à proposito non discedẽs, venit ad palatium, regemq; & reginam cum tota familia mœrentes inuenit. Illorum ergò lachrymis etiam ipse ad lachrymãdum permotus: Secedite, inquit, paululùm, parenturq; funeri opportuna. ego id interìm exequar, cuius causa huc accessi. Cumque non nisì illi, quos ipse iusserat, illic mansissent, sublatis in cælum oculis & manibus, preces intrà mentis penetralia, lachrymis faciem rigantibus, corde compuncto obtulit. Deindè accessit ad corpus exanime, & oleo sancto illud vnxit. Et eccè subitò omnis vitæ expertes artus suo vigori restituuntur, & puella vitæ se beati Theodorici precibus redditam palàm profitetur. Accurrit rex & regina, stupent ad miraculum, palatium omne exultat: cuncti hominem Dei venerantur. Porrò rex non modò discipulum Theodoricum, sed etiam beatum Remigium regia munificentia prosequi appetens, Venderas ei ad fluuium Mátronam, Gaudiacum autem villam pagi Rhemensis S. Theodorico donauit, orãs eum, vt pro se & regno suo Dominum deprecaretur.

Precibus, sancto oleo excitat regis filiã vita functam.

Accidit posteà, vt regis huius oculus incredibili vexatus dolore, omnem medicorum operam eluderet. Itaque illis de sua arte desperantibus, hoc vnum supererat regi consilium, vt humano auxilio destitutus, diuinum imploraret. Mittit igitur supplices nuncios ad venerabilem Abbatem Theodoricum, vt qui filiam reuocârat ad vitam, etiam celerrimam oculo ipsius faceret medicinam. Aduenit ilicò vir Dei, corpus solo sternit, animum tollit ad cælos, totus in preces pro regis curatione incumbit. Post paululùm erigens se, sacri olei parùm infundit summo pollici suo, maleq; affecto oculo signum salutiferæ Crucis imprimit, lumenque pristinum temporis puncto regi reformat. Rex lætus magnificat regem regum, ingenti gaudio plebs omnis exultat, glorificatur ab omnibus Deus: sanctus Theodoricus, fama tam insigne miraculum vbiquè diuulgante, omniũ ore celebratur. Cernere tum erat ingẽtem ad eum confluere ægrotorum multitudinem, sine mora optatam salutem reportãtium. Videbant cęci, audiebant surdi, claudi suis ingrediebantur pedibus, manus aridę & contractæ extendebantur, dæmoniaci curabantur: deniquè mille nocẽdi artes malorum dæmonum, diuinis medicamentis destruebantur.

Sacro oleo & Crucis signo curat oculũ regis.

Multi sanantur.

Perseuerauit autem vir sanctus in Christi seruitio vsque in finem, & quicquid ore docuit, exemplis euidentissimis confirmauit. Despiciebat res caducas omnes labentis seculi, vt posset cum Christo cælestia possidere. Itaque post multa virtutum opera, miraculorum insignia, peracto bono certamine & cursu feliciter cõsummato, vitam in terris angelicam viuens, & mentem semper cælo affixam habens, sanctis angelis gratulantibus, eumque deducentibus, ad Christum Calendis Iulij cum gloria migrauit. Eius obitum vt rex memoratus audiuit, festinus cum multo comitatu venit ad monasterium, memor beneficiorum eius, proprijsque humeris cum summo animi mœrore sacrum corpus eius ad sepulcrum exportauit. Ad eius tumulum vsque in præsens diuina virtus multiuarias efficit virtutes ad laudem nominis sui, quod est benedictum in secula, Amen.

Rex Theodoricus proprijs humeris sancti ad sepulcrũ deportauit corpus.

VITA S. EPARCHII ABBATIS ET CONFESSORIS, QVAM, MVTATO PASSIM STYLO, EX PERANtiquo MS. codice descripsit F. Laur. Surius, numero capitum ad marginem adiecto.

Prologus Authoris, qui fuit beati viri ferè æqualis.

EST hoc rationi consentaneum, vt eæ potissimùm res in scripta redigantur, quas constat nihil à vero discrepare. Itaq; in hac S. Eparchij vita nemo quicquam putet commentitium aut supervacaneum recitari: quandoquidem ea, quæ dicturus sum, multorum possunt, qui coràm intuiti sint, testimonijs confirmari. Non est sanè in hac historia verborũ elegãtia aut sermo disertus & eruditus: atq; ea causa oro & obsecro, vt si in cuiusquam sapientis manus incident, comiter ac benignè eam emendandam suscipiat, lectoresq; potiùs dent operam, vt fidem adhibeant rebus gestis, quàm temerè carpendo labantur. Sed iam agè dicere incipiamus, quæ per illum in hac vita, Domino auxiliante, perpetrata sint.

VITAE HISTORIA.

Iulij 1. Patria & parentes S. Eparchij. Cap. 1.

EPARCHIVS igitur in Petragoricensi vrbe natus, patrẽ habuit Felicem, cognomento Aureolum, matrem verò Principiam. Cùm iam aũt septennis ferè esset, in eadem vrbe adhibitus est literis addiscendis: cumq; Domino suam illi gratiam adspirante, benè esset eruditus, ab auo suo Felicissimo Comite est accitus, vt apud ipsum Cancellarij officio fungeretur: quod quidem adhuc adolescens maiori ille integritate & morum honestate præstitit, quàm eius ætatis ferret voluntas. Sed cũ annos quindecim apud illum Comitem egisset, relicta seculari militia, inscijs omnibus, Sedacianum expetijt monasterium, Abbatisq; Martini pedibus aduolutus, petijt se in monachum recipi: intercedenteq; Dei misericordia, licèt inuitis parentibus, quod deuotè postulauit, obtinuit. Prima autem obedientia iussus colere vineam, terram aratro proscindere, & omne genus seruitij, vt habet Canon monasticus, exequi, libenter paruit, vili & paupere habitu contentus. Ieiunabat quotidiè, vigilabat & orabat assiduè, misericordiæ operibus sedulam nauabat operam, multos morbis pressos vel à malo dæmone vexatos, suis precibus curabat.

Fit Cancellarius.

Monasteriũ petit.

Cap. 2.

Per id tempus Leuiuialum monasterij agellum cum Victoriano monacho petere iussus, dum carperet iter, vidit capreolum cursu rapidissimo fugientem, relicto fœtu, quem properè voluit ablactare. Orans autem tacitè vir Dei, iubet eum gradum figere. Mox ille non modò expectãdi officium exhibuit, sed etiam depositа ceruice, eius manus osculabatur. Tum vir Dei leniter manu tangens, Crucis signo cum armauit, atq; ità recedendi fecit potestatem. Properabat aliquãdò ad Cellam S. Aquilini orationis causa, comite vsus Munderico monacho. Vidit aũt auem suis pullis incubantẽ. Iubet illam quoq; non se mouere loco: páret auis, donèc accepta benedictione, copia ei facta est cum pullis permanendi. Sed cùm hæc pluraq; alia Domino largiente faceret, cœpit multis innotescere & celebris haberi: quod quidem ei non voluptati fuit, sed horrori. Itaq; occultè è suo recedẽs monasterio, totumq; se Christi misericordiæ cõmittens, eiusmodi perquisiuit locũ, in quo posset inclusus habitare. Cùm autẽ iret per pagum * Equolinensem, puerũ, Gratulphum nomine, interemptum offendit in Anglesis villa, eumq; ad monachorum preces vitæ restituit. Alium quoquè vita functum apud Burdegalẽses, precibus suis excitauit. In eo itinere sic se comparabat, vt posset secretiùs pertransire, nec vlli innotescere. Sed agnitus est à ciuibus, & perlatum ad * Antonium, ipsius vrbis Episcopum, eum illic adesse. Iam verò fama notus erat illi Episcopo, sed lætabatur is posse se coràm hominem Dei plenius cognoscere, multoque ad eius conspectum gaudio perfusus, propensissima animi beneuolentia eum suscepit: cognitaq; accurratiùs voluntate eius, non permisit eum aliò commigrare, sed multo cordis amore eum complexus, locum optatum ei ostendit, qui erat

Laudes fugit.

Excitat puerũ mortuũ.

Item aliũ.

erat instàr desertæ cuiusdam solitudinis. Eo conspecto, vir Dei non tantùm ore deprompsit, quantùm animo lætabatur, quòd locus esset remotus & procùl à ciuitate, & supernè è montis vno latere perspicuus manaret fons, ab alio verò Carantonis fluuius.

Cap. 3. Postquàm ergò exul cœpit esse à natiuo solo, noluit illo in loco includi, nisi priùs Episcopus vel Abbas ipsius annuisset. Quamobrèm vir Domini * Antonius Episcopus misit legatos suos, Frontonium Archipresbyterum, qui posteà est Episcopi dignitatem adeptus, Arthemium Archidiaconum, qui per omnia se verum Christi seruũ declarauit, itemq; Arthemium defensorẽ, vt ij à Sabaude Episcopo & eius Abbate copiam impetrarent faciendi, quod animo destinârat Eparchius. Reuersi tandèm illi, ægrè se potuisse obtinere nunciârant, at tamen benignè permissum esse, quod postulabatur. Interìm viro Dei in vrbe manente, cùm locus congruus ei iam præparatus esset, cunctis in domo illa somno oppressis, ille clàm surrexit è lecto, & nocte abijt visurus locum ipsi attributum. Absolutis verò precibus, lapidem supposuit capiti, vt se daret sopori. Eccè autem cælitùs eum Christus alloquitur, iubetque illic manere, nec deincèps aliò vagari. Eam Christi iussionem ipse posteà fratribus indicauit ore suo. Cùm autem esset in ciuitatem reuersus, sub horam tertiam venit ad carcerẽ, in quo permulti vincti tenebantur. Aderat autem etiam carceris custos. Tum verò pijssimis ad Deũ fusis precibus, citò impetrauit, quod voluit. Carceris enim ostia ad eius imperium sunt aperta, & virga ferrea reiecta & multis locis quassata est: porrò vincti omnes è carcere ad ecclesiam confugerunt, cuncto populo acclamante eius rei authorem esse Eparchium, Deumque plausu manuum collaudante.

Iubetur à domino manere in loco sibi destinato.

Multos è carcere vinctos liberat.

Cap. 4. Iam nec hoc quidem silentio premendum est, quid miraculi perpetrârit vir Dei, postquàm ad presbyterij gradum euectus est, & ab * Antonio Episcopo ordinatus. Multa quidem ab illo miracula tum edita sunt, sed nos pauca duntaxàt cõmemorabimus. Rusticus quidam, Redemptus nomine, vas habuit melle plenum. Id furto quidam abstulit. Accuratè autem perquirens rusticus, tandèm furem ipsum comperit, refert omnia ad Comitem Ramnulphum: fur diris tormentis subijcitur, & non hoc solùm, sed multa etiam alia atrociora confessus, suspendio adiudicatur. Vbì id cõperit vir Dei Eparchius, preces supplices offert Comiti pro salute miseri hominis, dicitque eum hoc nomine mori non debere. Sed cùm nulla ratione posset flectere Comitem, vocat ad se vnum ex fratribus, Gratianum presbyterum, ex cuius ore nos isthuc accepimus, iubet collectis egrotis quibusdam ad vrbis portam, rei euentum eum præstolari. Interìm suspenditur miser ille: sed abeuntibus carnificibus, patibulum totum dissiparat, eius soluuntur vincula, & cursu rapidissimo ad oppidũ properat. Comes id conspicatus, iubet milites, conscensis equis, eum insequi & anteuertere, priusquàm ecclesiæ limina attingat: párent milites non pauci, sed sub ipsius Comitis conspectu in itinere adeò contabescunt & retardantur, vt illum comprahẽdere non potuerint. Liberatus ille precibus S. Eparchij, vita donatus est. Alium quendã Comitem vir Dei orabat, vt parceret reo, extremo supplicio iam afficiendo. At ille non modò preces eius non admisit, sed etiam inuersis pedibus hominem suspendit. Rogante verò beato Eparchio præpotentem Deum, solutus est homo, & hora vespertina longo itinere venit ad virum Dei.

Ordinatur presbyter.

Suspensũ fit rẽ cõseruat.

Item aliũ.

Cap. 5. Clara, nobilis fœmina, quam etiam Araniam vocant, toto corpore contracta, ad famam beatissimi viri carruca ad eum perducta est, eoque viso, magna voce rogauit, vt pro sua humanitate ipsi subueniret. Mansit autem illic hebdomadam vnam, & eius precibus pristinæ se sensit sanitati restitutam. Eius autem fœminæ quanta fuerit fides, commemorâsse operæpretium erit. Postquàm ei reddita salus est, domum reuertens, secum tulit literas viri Dei. Accidit indè, vt è sua domo, quæ erat ad litus maris sita, cerneret nautam in præsentissimum vitæ discrimen coniectum. Consia igitur tum auxilio Dei, tum precibus sancti Eparchij, celeri cursu cum illis literis ad ripam maris properat, porrectisque manibus eas contrà expandit, altaque voce exclamat, dicens: Serue Dei Eparchi, salutem Christi per hæc literarum pignora ad liberandos nautas operari dignare. Et eccè non absque nutu diuino, nauis illa, cunctis posthabitis portubus, à fluctibus vehementer oppressa, ad eum locum, vbì Clara stabat, appulsa est.

Sanat contractam.

Vera fides quãtum valeat.

Cap. 6. Genesia alia fœmina, lepra deformis, ab eodem sancto viro mundata est, tres cæci illuminati, Gandemia mulier dæmonum legione liberata. Arthemius quidam,

Multi curantur.

dam,parentibus non infimis,cùm de ſcripturis ſanctis tractaret,optaretq; Chriſtiana religione initiari,& necdùm clericus ordinatus,apud Santones ſe incluſiſſet, multisque annis ità incluſus manſiſſet,atque ea cauſa capillus ei admodùm promiſſus eſſet, à malo dæmone arreptus,indè egreſſus eſt,dicēs ſe ad Childebertum regem iturum, eius regni vires exploratum. Vt autem parentes eius viderunt iſthuc eum non ſana mente meditari, iter cum illo pariter ſuſcipiunt, tanquàm etiam ipſi velint vnà ad regem proficiſci, ſed inter eundum alio itinere ad Eparchium eum ducere nituntur. Vbì autem ad ciuitatem propiùs accedunt, animaduertens ille ſe ad domini Geneſij vicum, quem * Equoliſinam vocant, perduci, tandèm in has erupit voces, nolle ſe in Eparchij conſpectum venire. Multùm igitur illo renitente, manus in eum injiciunt, qui ei aderant,impoſitumque equo,ligatis manibus & pedibus ſub ventre equi conſtrictis,ad Eparchium etiam inuitum adducunt. Introductus indè ad hominem Dei, cœpit agitare capillos, iactare procaciter, nullum ſibi vitæ ſanctitate parē eſſe: ſimul etiam virum Dei fœdiſſimis proſcindere conuicijs, cùm interìm duriſſimè ei colligatæ eſſent manus, digitis ad palmas adactis. Accedit ad eum ſanctus Eparchius, eumque Cruce conſignat. Tum ille catenùs ad ſanitatem redijt, vt ab illis improbis vocibus abſtineret. Altera luce iuſſit ſanctus Eparchius capillos eius tonderi,quemadmodùm laicis fieri ſolet. At ille clamitabat, neminem ea fore audacia, vt id auſus ſit attentare. Aegrè tandèm capilli ſecti ſunt. Poſtero die iubente Eparchio Clericus ordinatus eſt, moxq; ille adeò obmutuit, vt ad dies non paucos nullum prorsùs verbum protulerit. Non diù pòſt ſanum & incolumem eum reſtituit vir Dei, & poſteà factus Diaconus,vſque ad obitum ſuum ſanus permanſit.

fortè 'Engoliſinam

Videvim Crucis.

Dæmoniacus curatur.

Salomon, vnus è ſuis, caballum eius per id tempus hyeme nutriendum ſuſceperat,quem ſeruus Ebrulphi,qui erat viro Dei præcipuè charus,furto abſtulit. Sed cùm ad eum perductus eſſet,à dæmone correptus, cœpit miſer valida voce prodere ſcelus ſuum. Itaq; quidam ſimulatis animis, perindè àc ſi ille morbo laboraret, eulogias ſancti Eparchij expetiêrunt. Ille verò fallaciam eorum non ignorans, mox reſpondit, per fraudem ipſos ſua munera poſtulare. Seruum enim,qui caballum ipſius furatus eſſet, iam extinctum eſſe. Tum illi confeſtìm ei equum reddiderunt, non ſine multa admiratione inter ſe conferentes, vndè ille eius furti notitiam haberet. Perceptis autem à viro Dei eulogijs, abiêrunt ad furem: ſed ille infelix priùs quàm eas acciperet, in ſuo ſcelere, diabolo id agente, defunctus eſt. Habebat id vir ſanctus diuinitùs ipſi conceſſum, vt ſiue benè, ſiue malè quiſpiam de eo loqueretur, id ipſum minimè lateret.

Cap.7.

Attende iuſta Dei iudicia.

Seruus quondàm Leontij apud Santones pro ſuo facinore atroci catena vinctus, cùm iam diutina ferri laceratione pedes eius attererentur, audiens celebre viri Dei nomen, ad eum confugit, humique ſe proſternens, obſecrabat vt ſuis precibus dignaretur ipſum liberare. Viſo illo ſanctus Eparchius cogitare cœpit, num qua ratione aut arte humana poſſet miſer ab illis compedibus abſolui, nihil interìm de Dei virtute diffidens. Iubet ergò adeſſe fratres, & ſoluere compeditum. Illis verò malleo cædentibus catenam, vt eam confringerent, miſer homo voces dabat intolerabiles præ dolore. Dicebant tum fratres, ſe nunquàm vidiſſe hominem atrociùs compeditum, nec ſe videre viam vllam, qua poſſent illas compedes diſſipare. Ait ergò ad illos ſanctus Eparchius, vt malleum darent in manus compediti: ipſe verò cum lachrymis ſe proſternēs in preces, poſt paululùm ſurrexit & ait: Dominus ſoluit compeditos: præcepitque homini, vt feriret. Facilè autem æſtimari poteſt, qua vi percuſſerit, quem tam immanis vexabat dolor. Simul autem vt percuſſit, tribus in locis rupta catena, ad pedes eius cecidit.

Cap.8.

Pſal.145. Precibus perfringit duriſſimas compedes.

Certamen erat Chriſti athletæ perpetuum aduersùs dæmones. Ea cauſa habebat ſuo loco repoſitam ampullam cum oleo, quo in energumenis curādis vtebatur. Adfuit quandoquè energumenus quidam: cumq; vir Dei manum extendiſſet ad accipiendam ampullam, ſerpens immaniſſimus illum in manu percuſſit. Sed non ignorans vir ſanctus multa eſſe figmenta diaboli, non ſe voluit carminibus ſanari: ſed mox ad orandum Dominum ſolicitus accedēs, adeò eſt diuina benignitate ſeruatus incolumis, vt nec manus intumeſceret.

Cap.9.

Erat vir ſanctus noctes atque dies peruigil in precibus, (Author habet, Curſu diuino: vndè appáret, iam antiquitùs ea dictione Preces, præſertim ſolennes, ſignificatas eſſe) monachosque ſuos non ſolùm non laborare, ſed neque panem quærere vnquàm permittebat, ſoli eos orationi vacare volens. At fratres cùm ſe adeò ijs, quæ ad victum

Cap.10. Non ſinit monachos ſuos laborare, ſed

victum pertinent, deſtitutos viderent, vt etiam panis inopia laborarent, mœſtis vultibus indicabant ei, ſe iam propter famem in periculo verſari. Tum ille læta facie, ſedula prædicatione dicebat eis: Fides famem non timet: atque ad confirmandos eorum animos, eremitarum hiſtorias crebrò eis referebat. Interìm miſeratio Domini precibus ſancti viri ità illis ſemper adfuit, vt nūquàm deeſſent eis munera à fidelibus hominibus tranſmiſſa, vndè & ipſi reficerentur, & egenis aliquid etiā impartirentur. Porrò ex ijs, quæ in codicibus de ſancti viri geſtis ſcripta legimus, inuenimus ad duo hominum millia eum redemiſſe ijs rebus, quas ab alijs dono acceperat.

ſemp vult cos orationi vacare.

Sed nè commemorandis miraculis prolixior ſim, multa prætermitto, nè lectori faſtidium pariat multitudo. Nimìs enim longū erit, ſi ſingulatìm referre velimus, quotiès ille carceres perruperit, quot ab immundis ſpiritibus vel morbis liberauerit. Veſtimentum & victus eius ſemper aſperrima fuêre. Vinum & reliqua potūs genera refutauit, nec vllus vnquàm vel familiariſſimus miniſter eius illum comedentem vidit. Quanta autem ſuî afflictione Quadrageſimæ dies peregerit, quàm fuerit creber in precibus, quàm humilis in ſuſcipiendis fratribus, quàm ſeuerus in corripiendis, quàm alacer in exhortandis, nos haudquaquàm idonei ſumus explicare. Continentiam verò & rigorem eius, nulla vnquàm corporis aduerſa fregit valetudo. Ità demùm cùm iam annos trigintanouem incluſus vixiſſet, nullo tædio fractus aut fatigatus, Calendis Iulij emiſit ſpiritum, victurus deincèps in patria claritatis æternæ.

Cap.11.

Migrat ad Dominum.

Accidit tum miri quiddam. Nam in vico Viegio, qui triginta & eo ampliùs milliaribus illinc aberat, hora diei tertia puella quædam à dæmone obſeſſa, ipſius beatiſſimi viri deceſſum indicauit, relictisque omnibus, iter curſu rapidiſſimo arripuit, cùm nunquàm anteà ibì fuiſſet, eodemque die ad veſperam in eius baſilicam aduēnit. porrò die ſequenti à nequiſſimo ſpiritu liberata eſt. Cùm autem obitus viri Dei per omnium ora volitaret, conuenerunt vndiquè ex omnibus locis ad eius ſacrū corpus tumulandum: cumque locus ſepulcri eius inquireretur, multiq; multa conferrent & baſilicas deſignarent, vir clariſſimus Alexander ingreſſus baſilicam, diuino, vt credimus, admonitus inſtinctu, locum, in quo ſacri eius artus condendi eſſent, oſtendit. Quantum autem certa rei veritate licuit aſſequi, eadem hora conſtat virum Dei obdormiuiſſe in Domino, qua primùm audiuit vocem illam Chriſti, dicentis ad ipſum: Eparchi, hîc permane, & iam ampliùs noli vagari.

Cap. 12.

Dæmoniaca liberatur

Porrò cùm eius baſilica ædificaretur, vaſculum vini, vndè bibebat, iam ferè exhauſtum erat: ſed noctù vino reddundauit. Hæc & alia permulta ab illo patrata ſunt: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spritu ſancto viuit & regnat Deus in cuncta ſecula ſeculorum, Amen.

DE EODEM SANCTO EPARCHIO, EX GREGORII TVRONEN. HISTOR. FRANCORVM, LIBRO 6. cap. 8. *In quibus nonnulla paulò aliter referri videntur, quàm habeat præcedens hiſtoria: ſed ea prudens Lector facilè inter ſe conciliare poteſt.*

OBIIT Eparchius recluſus Engoliſmenſis, vir magnificæ ſanctitatis, per quem Deus multa miracula oſtendit, de quibus, reliquis plurimis, pauca perſtringā. Petragoricæ vrbis incola fuit: ſed poſt conuerſionem clericus factus, Engoliſmam veniens, cellulam ſibi ædificauit. In qua collectis paucis monachis, in oratione morabatur aſſiduè, & ſi ei aliquid auri argentique offerebatur, aut in neceſſitatibus pauperum, aut in redemptione captiuorum diſtribuebat. Panis in cellula illa, eo viuente, coctus nunquàm fuit, ſed à deuotis, cùm neceſſitas exegiſſet, inferebatur. Magnam enim cateruam populorū de oblationibus deuotorum redemit: puſtularum malarum venenum Crucis ſigno ſæpè compreſſit: dæmones de obſeſſis corporibus oratione abegit, & iudicibus plerunquè vt culpabilibus ignoſcerent, dulcedine profuſa imperauit potiùs, quàm rogauit. Nam ità erat dulcis alloquio, vt ei negare non poſſent, quod fuiſſet indulgentia deprecatus.

Semper eſt in precibus.

Pro reis crebrò rogat iudices.

Quodam verò tempore dum pro furto quis ad pendendum deduceretur, qui & in alijs multis ſceleribus, tam in furtis, quàm homicidijs, accuſabatur ab incolis crimi-

noſus: & hæc ei nunciata fuiſſent, miſit monachum ſuum ad deprecandum iudicem, vt ſcilicet culpabilis ille vitæ concederetur. Sed inſultante vulgo atque vociferante, quòd ſi hic dimitteretur, neque regioni, neque iudici poſſit eſſe conſultum, dimitti non potuit. Intereà extenditur ad trochleas, virgis ac fuſtibus cæditur, & patibulo condemnatur. Cumque mœſtus monachus Abbati nũciâſſet: Vade, inquit, alongè: quia ſcito, quòd quem homo redimere noluit, Dominus ſuo munere redonabit. Tu verò cùm eum cadere víderis, protinùs appræhenſum adducito in monaſterium. Monacho verò iuſſa complente, ille proſternitur in oratione, & tandiù in lachrymis ad Deum fudit preces, quouſque dirupto obice cum catenis, terræ reſtitueretur appenſus. Tunc monachus appræhenſum eum, Abbatis conſpectibus incolumem repræſentat. At ille gratias agens, Comitem accerſiri iubet, dicẽs: Semper me benigno animo ſolitus eras audire fili dilectiſſime: & cur hodiè induratus hominem, pro cuius vita rogaueram, non laxâſti? At ille: Libenter te, inquit, audio ſanctè ſacerdos: ſed inſurgente vulgo, aliud facere non potui, timens ſuper me ſeditionem moueri. Et ille: Tu, inquit, me non audîſti: Deus autem audire dignatus eſt: & quem tu tradidiſti morti, ille vitæ reſtituit. En, inquit, coram te adſtat ſanus. Hæc eo dicente, proſternitur ad pedes Comitis ſtupentis, quòd videbat viuere, quem in mortis interitu reliquiſſet. Hæc ego ab ipſius ore Comitis cognoui. Sed & alia multa fecit, quæ inſequi longum putaui. Poſt * quadraginta quatuor verò annos reclufionis ſuæ, parùm febre pulſatus, tradidit ſpiritum: protractusque à cellula, ſupulturæ mandatus eſt. Magnus autem conuentus, vt diximus, de redemptis, in eius proceſſit exequijs.

Hiſtoria præcedens habet 39. ſed facilè in numeris labũtur librarij.

VITA S. CARILEPHI PRESBYTERI ET MONACHI, GRAVITER ET ERVDITE CONSCRIPTA.

Habetur in peruetuſtis MS. Codicibus. Stylum aliquot locis, vbi res poſcere videbatur, modicè elimauit Frater Laurentius Surius, numero capitum ad marginem adiecto.

PRAEFATIO AVTHORIS.

al. Aniſolæ. VITAM beatiſſimi Carilephi ſacerdotis * Aninſulæ cœnobij narraturus, ſanctum inuoco ſpiritum, actuum eius comitem: cuius ille præſidio fretus, tanquàm quiſquilias domûs, labiles huius vitæ deſpexit diuitias, & ſub leni redemptoris iugo animi colla ſubmittẽs, per cælestis tramitem vitæ curſu perpeti impolluto calle mundanas tranſmiſit illecebras. Nemo me putet de illius rebus geſtis falſa dicturum, quippe qui ea tantùm ſcribenda ſuſceperim, quæ aut in antiquis reperi ſcripta voluminibus, aut ab incolis loci illius, in quo vir ſanctus conuerſatus eſt, ab illo facta didicimus: nec fallendi cupio eſſe artifex, tametſi per ingenij inopiam narrator videar anguſtus.

NARRATIO.

Iulij 1. Patria S. Carilephi. Cap. 1. IEGITVR vir vitæ venerabilis Carilephus ex prouincia Aquitaniæ pago Aruernico ortus eſt, parentibus non improbis, ſed credentibus in Chriſtum, ibiq; in crepundijs lactantis infantiæ ablactatus eſt & nutritus. Qui cùm adoleſcere cœpiſſet, totũ ſe in amore ſuperni iudicis, quantum fas videbatur, conſtringere, coætaneorum ſuorum inſolentias & vaniloquia declinare, ſigno ſanctæ Crucis ſe hincindè cõmunire, tum etiam ad cælos ſemper oculos reuerẽter leuare, & ſoli Deo vacare ſanctus puer ſtuduit, ſcilicet vt illorum puerorum iungi mereretur conſortijs, qui veniente Domino clamauerunt: Hoſanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini. Porrò eius propinqui vt viderũt eum ab omnibus mundanis deſiderijs alienum, nutu Dei religioſis monachis eum nutri-

Antiquiſſimum apud Chriſtianos, crebrò ſe Cruce ſignare. Matth. 21.

nutriendum tradiderunt, & ſacris myſterijs imbuendum. Vbi cùm per dies ſingulos ætate, ſapientia & amore æternæ patriæ creſceret, cœpit iam talis exiſtere, qualem poſſis ſine bonorũ oblocutione aſſerere. Erat enim ſubiectus maioribus, ijs ſancta iniungentibus obſecundans: blandus æqualibus, & communi charitate mirè officioſus erga inferiores, nulli ſe in religioſo curſu præferens, cùm omnes in via Dei & cæleſti tramite anteuerteret. Erat frequẽs in ieiunijs, in vigilijs pernox, in precibus perſeuerans. Quid verò de eius pudicitia dicere nos attinet, cùm in eo domicilium ſibi ſtatuerit caſtitas, & altas fixerit charitas radices? Talis ad maturiores peruénit annos, & bonæ operationis viam vt aggreſſus eſt, ità etiam conſtanter proſecutus eſt. Eius ſancta exercitia.

Cùm autem tantæ virtutes & chariſmata cunctis cum redderent amabilem, & in magno honore & reuerentia ab omnibus haberetur, metuens vir ſanctus, nè ſagitta diaboli vulneratus, in laqueum elationis incurreret, peregrinam cogitabat vitam arripere, vt ſic ignotus deſpiceretur ab omnibus, & mereretur gloriam ciuium ſupernorum. Quodam igitur die accerſitis quibuſdam è fratribus, quos in diuinitatis amore conſtantes cognouerat, ità eos cœpit compellare: Quanuis, fratres chariſſimi, mundi huius facultatibus abiectis & contemptis, videamur religionis titulo inſigniri, tamen ſi velimus eſſe memores, quanta Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro noſtris ſit peccatis perpeſſus ſupplicia, non poſſumus non fateri, nos pauca ei retribuere pro eis, quæ ille præſtitit nobis. Ille Deus cùm eſſet, in vnitate regnans cum Patre & ſpiritu ſancto, exinaniuit ſemetipſum, & de Virgine matre, operante ſpiritu ſancto, dignatus eſt formam ſerui ſuſcipere, non deſinens eſſe verus Deus: factusque homo, deitatis imperio non ſe abdicauit. Creuit per tempora, ſubiectus parentibus vt verus homo: ſed multis fulſit miraculis, vt Deus verus. Poſt innumera autem miracula, quæ eloqui non poſſim, etiamſi mihi per centum linguarum itriguos meatus verba fundantur, vt nos à peccati vinculis abſolueret, funibus conſtrictus, ſputis illitus, alapis cæſus, irridiculè adoratus, ad columnam alligatus, corpore nudato diriſſimè flagellatus, ſpinis coronatus, clauis ad patibulum Crucis affixus, felle cibatus, aceto potatus, lancea confixus, inter latrones deputatus, in terra ſepultus eſt, vt verus homo: ſed in obſcuratione Solis, in terræ totius commotione, in ſciſſione liminis & veli templi, in fiſſione petrarum, in apertione ſepulcrorum, in reſurrectione ſua & ſanctorum corporum, atque in aſſcenſione ad cælos, declaratus eſt verus Deus. En quanta ille pro noſtris erratis perpeti dignatus eſt, qui nullum omninò habuit peccatum. Quid nos miſeri dicturi ſumus, quandò ille in diuino examine plagas, quas noſtra cauſa ſuſtinuit, oſtendet, qui vt illi iungi mereamur, nil laboris tolerare volumus? Peregrinemur ergò in hoc ſeculo pro illius amore & deſiderio, vt etſi ciues non poſſimus effici angelorum, vel pœnas æterni incendij euadere valeamus. Hortatur ſuos ad vitæ monaſticæ inſtitutum.

His dictis, conticuit. At illi ad eius veſtigia proſtrati, quaſi ex vno ore dixerunt: Bonum te quidem in cunctis actibus ſemper perſpeximus frater, ſed optimum nunc tua teſtãtur eloquia. Parati ſumus, Chriſto adiuuante, ſequi veſtigia tua, & pro illius amore famem, inopiam & nuditatem perpeti. Poſt hæc facta oratione cum fletu, inſtãr Abrahæ patriarchæ per iter incognitum gradientes, Chriſto duce, profecti ſunt. Votis autem viri Dei beatus Auitus, qui erat viuum quoddam ſapientiæ domicilium, ſe ſocium adiunxit, & vt inchoata peruigili animo perficerent, eos animauit. Cœperunt igitur milites Chriſti ſingula ſanctorum loca ſagaciter inuiſere, vt certos quoſdam de bonorum meritis floſculos legerent, & ad maturitatem quaſi grauida arbor poma producerent, atque de fructibus bonorum operum donaria onuſta plantarẽt. Poſt aliquot autem dies peruenerunt ad Ligerim fluuium, eoque tranſmiſſo, ad partes occiduas iter intenderunt, ſolerter inquirentes, ſi fortè inuenire poſſent Patres, quorum exemplo per melioris vitæ tramitem ad terram viuentium, in qua Propheta Dauid eſſe concupiẽrat, pertingere valerent. Interìm præcurrente fama, audiunt de beatiſſimi Maximini, Aurelianenſis præſulis ſanctitate & labore atque virtutibus, feruentique deſiderio ad eius properant monaſterium, quod ipſe ſibi in ſuæ Eccleſiæ paroecia conſtruxerat, vbi carnem macerans, ſedulus Domino ſeruiebat, & multis coruſcabat miraculis. Cumque eò peruenìſſent, reuerenter ab eo ſuſcepti, ibi aliquandiù morati ſunt, vt Confeſſoris Chriſti cognoſcerent ſanctitatem. Vt autem beatiſſimus Maximinus eorum ſapientiam & abſtinẽtiam perſpexit, diuina inſpiratione permotus, hortabatur eos preſbyterij dignitatem ſuſcipere, vt per ſanctæ prædicationis ſtudium alios ſecum ad regna cælorum perducerẽt, nè in illo diuino examine vacui à munere

Cap. 3.

Genes. 12.

S. Auitus iungit ſe S. Carilepho.

Locus obſcurus.

Pſal. 26.

Maximinus Aurelianẽſ. Epiſcopus.

Matth.25. munere viderentur: ſed cum duplicato talento ad creditorem ſuum reuertentes, in
Carilephus & Auitus initiantur ſacerdotio. gaudium Domini feliciter intrarent. His auditis, beatiſſimi viri Carilephus & Auitus, vt erant ad omnem humilitatem paratiſſimi, ſicut bona terra ſemen verbi libenter excipientes, vt centeſimum fructum per patientiam redderent, iuſſis Pontificis obtemperârunt, atque ab eodē ſacerdotij onus ſibi imponi ſuſtinentes, mox indè egreſſi ſunt, vt ſpiritale ſemen in corda credentium iactarent.

Cap. 4. Euntes autem peruenerunt ad vaſtam quandam eremū in loco, qui Pitiacus antè dicebatur, nunc autem Cella S. Auiti vocatur, ibique in multis ieiunijs & orationibus perſeuerātes latitârunt. Porrò S. Carilephus, quemadmodùm olim Moyſes, poſt oblatas Domino preces, aquam viuam illic inuénit, vt daretur intelligi, flumina de vētre
Iohan.7. eius, id eſt, ſancti ſpiritûs doctrinam iuxta veritatis vocem prodituram, & corda audientium irrigaturam. Super eum autē fontem ſanctus vir ad laudem Dei ſummi oratorium extruxit, & vſque in præſens fons S. Carilephi vocatur. In quo loco dum morarentur, & in Dei famulatu ſtrenuè exercerentur, meritorum eorum fama vſq; adeò longè lateque diffundi cœpit, vt ab omnibus inuiſerentur. Id vbi animaduertit ſa-
Fugit homines. cerdos Domini Carilephus, inſtâr Iohannis Baptiſtæ ſolitariam vitam appetens, valedixit S. Auito, & cum germano ſuo Daumero, Galloque commilitone, ad partes Cenomanorum perrexit, ſingulaque ſolitaria loca perluſtrans, vbi ſecretiùs degere poſſet, explorabat. Sed Dominus, qui voluntatem timentium ſe facere conſueuit, per-
Pſal.144. duxit eos ad locū ſolitudinis ipſi pergratum, qui Caſa * Iagani priſcis dicebatur temporibus, ſuper fluuium, quem Aniſolam appellant, vbi multi fontes frigidas fundunt aquas: à quarum frigiditate fluuium volunt ſumpſiſſe vocabulum, tanquàm ab anio, id eſt, tremo, & inſula dictus ſit Aniſola, hoc eſt, tremoris & frigoris inſula. Atque hinc etiam anates volucres dictas putant, quòd ſemper in aquis verſari eas delectet. Erat autem is locus valdè ſolitarius & nemoroſus.

Cap. 5. Eò vt peruénit vir ſanctus, perſpexitque locum à ſecularium habitatione & hominum frequentatione alienum, nullumque illuc mortalium acceſſum, nisi volucrum & beſtiarium, ſibi eum à Domino præparatum intelligēs, humì proſtratus, ſic orauit:
Oratio S. Carilephi. Lumen meum Chriſte mecum inhabita, & qui Antonio ſeruo tuo in eremo commoranti ità adeſſe dignatus es, vt ad exemplum illius & magiſterium multæ hominum turbæ confluerent: cum quibus terribili tuo aduentui vt bonus præliator, deuictis vetuſti hoſtis inſidijs, te cooperante poſſet occurrere: præſta & mihi non merenti in hoc loco cæleſte præſidium, vt quæ tibi ſunt placita, momentis omnibus operemur, & ſuperatum ſe lugeat hoſtis nequiſſimus, qui nos debellare feſtinat. Oſtende nobis Domine Deus noſter ſecundùm magnitudinem potentiæ tuæ, vt cognoſcamus tua nos huc voluntate veniſſe: qui es benedictus Deus per omnia ſecula ſeculorum. Cui cùm reſpondiſſent, Amen: cœperunt ſarculo, quod ſecum attulerant, ſentes eruēre, vt nonnihil poſſent colere humum, & iactis paruis ſeminibus, herbarum radicibus victitare. Dum autem totis viribus incumbūt extirpandis vepribus, repentè nutu Dei maceriam dirutam offendunt, quæ ob nimiam vetuſtatem ſpinis & ſentibus operta, ſerpentium erat hoſpitium & habitaculum beſtiarum. Ea re perſpecta, athletæ Dei magno conatu ſpinas euellunt, & Dauidico carmine gratias agunt altiſſimo, qui eis ad inhabitandum domicilium demonſtrâſſet: & aliquot menſes in opere perdurantes, ex vilibus virgultis tugurium ſibi conſtruxêre: multisque diebus Domino illic ſeruientes, Miſſarum ſolennia & ſingularum horarum officia perſoluebant.

Cap. 6. Cùm autem die quodam miles Chriſti Carilephus ſagaci cura locum horto excolendo opportunum inquireret, pauciſſimas vites de ruinis conglomeratas inuénit, diuina diſpenſatione vuis refertas. Quas vt vidit, fixis in terram poplitibus, benedixit
Pſal.137. Dominum, cum lachrymis dicens: Benedictus es tu Deus, quia tu in excelſis habitas, & humilia reſpicis: quem glorificant Angeli & adorāt Dominationes: qui non deſeris inuocantes te in veritate, ſed quæ pollicitus es, ſemper implere feſtinas. Tu enim
Matth.18. dixiſti, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, & ego in medio eorum ſum. Tu es via inenarrabilis, tu es veritas incommutabilis, vita immortalis, mons infatigabilis, petra incorruptibilis, murus inexpugnabilis, fons indeficiēs, ianua patens, panis viuus, vitis vera, cuius palmites per cuncta mundi climata in ſanctis prædicatoribus extenduntur, cuius ſpirituali aqua abluimur, cuius veraciſſimi corporis nutrimur pane quotidiè, cuius ſacratiſſimo ſanguine indefinēter ſatiamur: Tuum nomen cum timore & tremore ſupplex precor, vt effundas ſuper hūc locum multiplices tuæ gratiæ

gratiæ benedictiones: vt extruſis hinc ſerpentium ſibilis, & beſtiarum rugitu atque vlulatu, rationabilium hominum ad laudes tuo nomini depromendas repleatur vocibus.

Cap. 7. Hac fuſa oratione, erexit ſe, & exutus cucullo, quo indutus erat, ad arboris eum ramum ſuſpendit, & vitiū cœpit palmites à frutetis abſoluere, atque ab earum radicibus ſpinas & tribulos eradicare. Eò autem ſic infatigabiliter pro immenſo gaudio laborante, exigua quædam auis in cucullo eius ouum poſuit, & auolauit. Cumque poſt laborem veſtimentum repeteret, ouum videns, Domino gratias egit, ità dicens: Gloria tibi Chriſte Ieſu fili Dei altiſſimi, qui ſecundùm magnam indulgentiam tuam, ouum mihi ſicut pater filio donâſti. Nunc ſcio, quia me, etſi immeritum, in filiorū tuorum numerum adoptare dignaris, & demonſtrâſti mihi fore, vt multæ hîc ſobolis pater efficiar. Deindè ouum exultans fratribus oſtendit, & ait: Eccè fratres, quomodò nos diuina potentia in minimis viſitare dignata eſt, vt potiora fideliter exequamur. Sed cùm eo in loco, per ſingulos dies in Domini ſeruitio perſeuerantes, aliquanto tempore ſeſe occultâſſent, ſicut non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, neque Matth.5. accenſa lucerna, poſita ſuper candelabrum: ſic ſacerdotis magni Carilephi tegi non potuit ſanctitas, vt ab arbore, quæ ad maturitatē iam fruges perduxerat, populorum turbæ ſpiritalia poma decerperent, & lumen, quod latebat in tenebris, corda ignorantium illuminaret. Quo ergò ordine ad hominum notitiam eius merita peruenerint, exponamus.

Cap. 8. Erat tum in ea ſolitudine taurus, qui ſyluester dicitur, miræ magnitudinis, miræque ferocitatis. Vulgò, à bouis deriuatione, bubalum eum vocant. Is diebus ſingulis, poſi-
Bubalus ſanctо viro familiaris. ta feritate, ad ſanctum Dei Carilephum venire ſolebat, & quaſi benedictionem poſtulans, ſummiſſo capite accedebat ad eum, ſtans immobilis, donèc illius manibus contrectaretur. Itaque caput & collum eius ſeruus Dei cōtrectans, fratribus id quod futurum erat, ità prædixit: Cuiuſdam potentis hominis taurus iſte ſpeciem præ ſe fert,
Prædicit fratribus quem bubalus ille præſignârit. qui cum magna indignatione ad nos venturus eſt: ſed diſpenſatione diuina coactus, cum omni manſuetudine recedet à nobis. idque poſteà rei probauit euentus. Per idem enim tempus Francorum rex Childebertus cum robuſtiſſima manu, regio more ad Cenomanos veniens, aliquandiù illic morabatur. Indicatum eſt autem illi de prædicti bubali vaſtitate & ferocitate, & quòd non ſolùm capi non poſſet, ſed etiam volatu pennigero ab oculis videntium aufugeret. Id ille audiens, cum omni venandi apparatu ingreſſus eſt eremum, ſagaciter inueſtigans, vbinàm bubalus latitaret. Ad eius verò ſtrepitum & clangorem buccinarum, canumque latratum & hominū clamores commotum animal, ad ſanctum Dei Carilephum, quaſi ad portum refugij ſe recipiens, tremens ac palpitans, huc illucque toruis oculis adſpectabat. Quem venatores inſequentes velociter, inuenerunt prope Chriſti famulum ſtantem & palpitantem: timoreque perculſi, non ſunt auſi propè accedere: ſed protinùs veloci curſu reuertentes ad regem, ei, quæ viderant, cum magno pauore nunciauerunt. At ille verſus in furorem, eò ſe deduci iubet ab ipſis: cumque vidiſſet ſeruum Dei, & bubalum ad tergum eius ſtantem, indignabundus ait: Quinam eſtis vos homines, aut vndè huc veniſtis, vel cuius hîc authoritate cōmoramini, & regiam venationem interturbare audetis? At Chriſti ſacerdos Carilephus, non immemor præceptorum Domini, dicentis, In veſtra patientia acquiretis animas veſtras: cum omni humilitate properans Luc.21. ad regem, dixit ei: Nos, domine rex, ex Aquitaniæ partibus huc ad peregrinandū vénimus, vt cœleſtis patriæ indigenæ fieri mereamur. Reliquimus diuitias inſtabilis vitæ, vt ad illius ſemper manſuræ gloriam peruenire valeamus. His auditis, rex cum ingenti indignatione minitabundus ait: Omni cum celeritate hinc recedite, & alibì vobis ſedem figite, nè deincèps à noſtris hîc hominibus deprehenſi, ſæuiſſimis ſtipitum verberibus rumpamini. S. Carilephus conſtanter reſpondit: Non eſt neceſſè, clementiſſime rex, vt hac de re quicquam tibi reſpondeamus: ex paucis autem vitibus, à Chriſto nobis in hoc loco oſtenſis, modicus vini liquor expreſſus in paruulo vaſe habetur: petimus, vt pro benedictione cum his omnibus, qui tecum ſunt, ſumas indè, & ſic ad tuum palatium cum lætitia reuertaris.

Cap. 9. Eius autem verba rex deſpiciens, equū vertit, aitque cum fremitu: Hoc facite, quod præcepi: mihi verò & meis nihil opùs eſt, veſtræ ruſticitatis muſtum vt potemus. His dictis, vt fortiſſimus equi moderator abijt: ſed Dominus Deus, qui ſerui ſui merita decreuerat in lucem proferre, gradienti regi obſtitit, nè poſſet iter proſequi.

Repentè

Childebertus rex, dū minas intēt ſeruis Dei, diuinitùs caſtigatur.

Repentè enim equus eius obriguit, & haud ſecùs atquè præcipitium viam, qua tendebant, oſcitabundus refugiebat. Rex autem cœpit eum magna cōtentione impellere, virgis cædere, calcaribus cruentare. Sed videns nihil ſe proficere, nimia equi cæde fatigatus, mirabatur quid equo accidiſſet, vt nec progredi, nec retrocedere poſſet. Tum vnus ex Comitibus eius, diuina, vt reor, inſpiratione cōmotus, dixit ad eum: Superni regis famuli ſunt hi, quibus tu comminatus es præcellentiſſime rex: qui, vt arbitror, ſi vel Soli ipſi dixerint, Sta: ſtabit profectò Sol, curſumque ſuum ſine illorum imperio conficere non audebit. Dixit autem illi rex: Abi citiùs ad hominē Dei, ſi fortaſsis deprecari poſſis, vt vel ad ſua nos veſtigia repedare permittat. Mox veloci curſu, vt erat iuſſus, ad virum Dei reuerſus Comes, & ad eius pedes aduolutus, indicauit, quid regi eueniſſet. Ille verò gratias agens Deo, comiter iuſſit regem ad ſe reuerti. Id vbi rex didicit, equus, qui pauloantè nulla verberum vi aut calcarium punctionibus, vt ſe loco moueret, adigi potuit, ad ſanctum Dei ſolita velocitate regreſſus eſt. Poſtquàm autem rex Dei ſeruum procùl vidit, ab equo deſcendit, curſuque concito & curuato corpore ad eum cucurrit, eiusque proſtratus veſtigijs, tranſgreſſorem ſe & impium, qui ſancto Dei contradicere auſus eſſet, cum lachrymis clamitabat. At Chriſti ſeruus eum complexans, erexit à tellure, exoſculatumque his inſtruxit admonitionibus: Ruſticitatis meæ verba accipe nunc inuictiſſime Princeps, & quæ à me dicentur, in cordis tui penetralia admitte. Dominum, qui in cælis eſt, regem te habere memento, cui, multùm neceſsè eſt conſiderare, quid placeat. Non te de loco regiminis inflata poteſtas extollat, nec reddat turgidum rerum tranſeuntium tumor: huius altitudo honoris temperetur ſancta humilitate. Recordari te conuenit, quòd cum omnibus hominibus vnus te mulieris partus effuderit in mundum, vno ſis cum cæteris omnibus mediatoris Dei & hominū Chriſti Ieſu redemptus cruore, æquali etiam regeneratus baptiſmate, vno Chriſti corpore & ſanguine cum pauperibus ſatieris. Dicit autem tibi Dominus per prophetam ſuum: Non aliud exquiro à te, nisì facere iudicium & diligere miſericordiam, & vt paratus ſis ire poſt Dominum Deum tuum. ſcriptum quippe eſt: Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem. Tu ergò pro conceſſa tibi à Domino regia poteſtate, homines culpę obnoxios impēſa pietate reſtitue: quia exigua eſt apud Dominum noſtrum miſericordia, ſi eos tantùm læſio non ſequatur, qui reatu carent. Cæleſte eſt, remittere ſcelera: terrenum, vlciſci. Tu itaque inſtàr poteſtatis æthereæ hoc poſſidebis regnum, ſi imperium tuum pietate ſublimaueris.

Carilephus regem inſtituit.

Mich. 6.

Prou. 20.

Cap. 10.

His admonitionibus inſtructus rex, ſtabat attonitus, àc ſi Deum in eius pectore cerneret, pollicebaturque ſanctiſſimas præceptiones, ipſius precibus adiutum, ſeſe impleturum. Deindè manus ſacerdotis exoſculans, obnixè rogabat, vt pro diuina benedictione poculum, quod antè promiſerat, porrigi iuberet. Quod cùm eſſet allatum, ſua manu obtulit regi vino plenum, qui illud hilariter accipiens, totum vinum exhauſit. Indè etiam alijs, qui aderant, bibentibus, rogabat eos ſacerdos Chriſti, vt tertiò & quartò biberent vſque ad ſatietatem, dicens de pleno ſemper impertire eum, quem non opprimat in largiendi volūtate paupertas: nec vnquàm animum diuitem facultate deſtitui, nec poſſe abundare hominem mente mendicum. Ità factum eſt, vt copioſa multitudo, quæ cum rege erat, ad ſatietatem biberet, nec vinum tamen in vaſe minueretur. Sed quid mirum, ſi vas plenum vino remanſit ſacerdotis Carilephi meritis, cùm ipſe author vitæ, qui quinque panibus quinq; hominum millia ſatiauit, promiſerit maiora eos facturos, qui in eius nomine eſſent crediturì? Poſtquàm autem biberunt omnes & ſatiati ſunt, iterùm rex ad ſancti viri pedes ſe abijciens, obnixè rogabat eum, dicens: Video hominem Dei te eſſe, & illius huc miſſum voluntate. Oro igitur, vt digneris noſtræ ſupplicationis munus accipere, & de Madoalenſis fiiſci noſtri finibus, vbì poſſis monaſterium condere, quantum tibi viſum erit, eligere: vt congregata fidelium caterua, ſolitudo hæc in domum vertatur orationis: & vbì brutorum animalium fuit habitatio, ad laudem mundi rēdemptoris fiat hoſpitiū Angelorum: vt & te de conſtructione apud cæleſtem iudicem magna maneat merces, & meorum atque Francorum, qui mihi párent, fiat expiatio peccatorū. His regis flagitationibus vir ſanctus conſtrictus, id ſolum ſe accepturum aſſenſit, quod ad recipiendos peregrinos vno die aſello vectus circumire poſſet. Atque eo munere accepto, benè precatus eſt regi atque omnibus ſocijs eius, hortabaturque vt alacriter ad ſuum palatium rediret. Reuerſus rex domum, protinùs cum multa exultatione omnia Vltrogodæ reginæ ordine intimauit, eaque dixit ei: Neceſsè eſt, domine mi rex, vt velociter operādo cuſtodias cuncta, quæ didiciſti. His

Nota has beati viri ſententias.

Marth. 14. Ioan. 14.

Offertur ei à rege Madoalenſis fiſcus pro extruēdo monaſterio.

His ità geſtis, cœperunt ſerui Dei magìs magisq; ſedulis ieiunijs & orationibus vacare, vt quos aduerſa perturbare non potuerant, proſperis ſucceſſibus non eleuarentur. Porrò autem magnarum perſonarum ſancti viri fama aures demulcente, multi ad eum hincindè cateruatim conuenêre, illius ſe precibus commendantes. Ille verò humaniter eos ſuſcipiens, blandis ſermonibus compellabat, & perindè àc ſi quidam mellis fauus ab eius ore manaret, eorum corda ſuauiter afficiebat, cum magna conſtantia & ſuauitate eis dicēs: O quàm venuſtas figulus noſter Deus formauit in vobis imagines, quas ad perpetuæ æternitatis finxit ſimilitudinem. Feſtinate ergò quantocyùs, quæ ſunt iuſta operando, ad eum aſſcendere, qui vt vos ab æterno æſtuantis gehennæ incendio liberaret, dignatus eſt deſcendere, natus ex Virgine: ille alienus à crimine, vt vos à flagitijs mundaremini, mortem Crucis pertulit & flagella: vos ſine tormento, recedendo à malo, & faciendo bonum, poteſtis ad eū pertingere. Filioli mei, fugacem iſtam & fallaciſſimam vitam deſpicite, & fugitiuas illecebras reſpuite. Hæc enim vita, caduca eſt & tam infida, vt nec amatoribus ſuis ſeruet fidem. Omnes in ſe ſperantes decipit, cunctos de ipſa præſidentes irridet. Ipſa inter coniuges diuortia ſerit, inter amicos diſcordias, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala. Ipſa iudicibus iuſtitiam, caſtis pudicitiam, artibus peritiam, moribus diſciplinam eripit. Contemnite ergò vitam hanc, quæ hora vna exiſtit, & puncto temporis amittitur: quę hodiè floreſcit, crās euaneſcit: ad illam autem veram vitam feſtinate, cui nullus vnquàm ſuccedet finis. Quantum autem diſtat inter ignem viuum & picturam eius, tantum intereſt inter tormenta, quæ patitur hîc corpus: & illa, quæ anima paſſura eſt, ſi ignara creatoris ſui, præſentis vitæ impleuerit curſum. Itaq; ſi quem veſtrûm pondera peccatorum inclinant, ad pœnitentiæ portum ſine hæſitatione confugiat, & cordis gemitu grauis ſarcina alleuetur. Nolite tardare conuerti ad Dominum, qui ad vos & per ſuos prophetas clamat quotidiè, & per ſemetipſum vocare non deſinit, dicens: Venite ad me omnes, qui onerati eſtis peccatis, & ego requieſcere vos faciā. His informati ſermonibus, qui ad S. Carilephum venerant, flentes ad ſua habitacula recedebant.

Præclara eius oratio ad eos, qui eum inuiſebant.

Matt. 11.

Adeò verò diuinus in eo fauor ſeſe declarauit, vt ſi ægrotis manus imponeret, curarētur, quocunq; eſſent morbo oppreſſi: ſed & de obſeſſis corporibus vociferabantur dęmonia, flagris ſe & cruciatibus nimijs, ſacerdote Carilepho imperante, expelli, quos ille, breui cum lachrymis fuſa oratione, ad extremos terrarum orbis fines relegabat. Ecquid verò pluribus me agere neceſsè eſt, quandò omnia referre nō poſſum? His ſanationibus corporum etiam animarum ſtudia iungebantur, vt multorū cordium oculi, illius monitis illuminarentur, atq; ad exercēda præcepta Dominica nutantiū animi excirarentur. Multi quidē ex illis ſancti ſpiritûs inflāmati calore, mundanas reipuentes illecebras, ad illius conſortium conuolabant. Quodam autē die fodiente illo terram cum fratribus, qui ad conuerſationem eius ſe adiunxerant, eo in loco, vbì ad conſtruendū Domino templum fundamenta iactari debebāt, ſubitò magnū auri pondus in vaſe fictili ſub terra inuénit repoſitum, vocatisq; fratribus, ait: En quātum nobis præſtitit Deus noſter, vt viri iuſti in nobis vaticinium compleatur, ità dicentis: Habebimus multa bona, ſi timuerimus Deum. Non ergò eleuet ſe cor noſtrum pro huius theſauri inuentione, qui nō propterea oſtenſus eſt nobis, vt eum poſſideamus, qui etiam proprias facultates amore cæleſtis patrię abiecimus: ſed vt per nos peregrinis & indigentibus diſtribuatur. Quod ità etiam factum eſt. non enim erat in beato viro auri ſacra fames aut cupído, vt cui mundus, vt ait Apoſtolus, iam eſſet crucifixus, ſicut & ipſe mundo: cui indumentum aliud non erat, nisì ciliciū, & nuda humus ſubſtrato cinere lectum exhibebat: qui nudis ſemper gradiebatur pedibus etiam in quacunq; aēris inclementia, memor illius ſententiæ Saluatoris: Nihil tuleritis in via, neq; peram, neq; calceamenta. De ferculorum verò perceptione quid dicam, quādò cibi potusq; ferè expers, ſola propemodùm lectione paſcebatur? Quotiès tamen pro corporis ſuſtentatione poſt biduum triduumq; ad refectionē ſedebat, vile olus & parùm leguminis capiebat, neque id tamē ad ſatietatem. Vinum verò haud ſecùs atq; venenum reſpuebat, aquæ ſolius hauſtu contentus. Operabatur autem ſedulò manibus, illud Apoſtolicum memorans: Qui non laborat, nec manducet. Vtebatur etiam lectione pro requie. His laboribus ſe macerans per ſingulos dies, ità ſe reddidit celebrem, vt ad eius conuerſationem permulti aduolarent, creſceretque monachorum cœtus etiam ex viris ſpectabilibus, ſonusque prædicationis loca omnia compleret.

Cap. 12. Curat morbidos & dęmoniacos.

Inuenit 5. Carilep. theſaurum aureum, quem in vſum piū diſtribuit.

Tob. 4.

Galat. 6.

Luc. 10.

Multa eius abſtinētia.

2. Theſſ. 3.

Multi ſpectabiles viri fiunt monachi.

Cap.13. Dum hæc agerentur, peruénit ad aures Vltrogodæ reginæ de beatiſſimi Carilephi ſanctitate, abſtinẽtia, humilitate, & quòd eſſet prophetiæ ſpiritu plenus. Miſit ergò ad eum quoſdam ex iudicibus, qui reuerenter ab illo peterẽt, vt permitteret ipſi ad eum accedere, vt eius benedictione frueretur: ſimulq; offerret monaſterio illius Madoalenſes fines omnes. Poſtquàm illi hæc viro Dei ſignificârunt, metuens ille, nè diſcipulorum mentes in aliquo ſtimularentur, per eos comiter reginæ hæc remandauit: Ite, inquit, dulciſſimi filij, & renunciate reginæ, monachum in terris poſſeſſiones habere non debere: benedictionem verò, quam fideliter expetit tanquàm à ſeruis Dei, ipſam à ſupernis ſedibus percepturam. Credo enim in omnipotentis Dei miſericòrdia, qui me indignum ad hunc locum perducere dignatus eſt, & multorum fratrum quanuis inutilem patrem conſtituit, intrà hoc cœnobium ſexum fœmineum nunquàm ingreſſurum: quod quidem ità ſeruatur vſq; in hodiernum diem. Reuerſi illi, reginæ renunciauerunt, quæ ſanctus vir mandauerat. Illa verò, vt fœmina prudẽtiſſima, de percepta benedictione Deo gratias agens, conticuit. O magnum cordatumq; ſacerdotem, cuius erat ſermo ad doctrinam opportunus, ad interceſſionem commodus, ad neceſſarias exhortationes lepóre conditus. Qui ad excipiendos hoſpites erat promptiſſimus, in donis largus, in operatione pius, omnes ad ipſum venientes gratiſſimis paſcens eloquijs. Tanta verò illi cura erat apud regem intercedendi pro miſeris, vt ſe iniuria illos affeciſſe exiſtimaret, ſi caſu aliquo non ſtatìm ſupplicem ad regem epiſtolam miſiſſet: quem etiam deprecando nunquàm defeſſus eſt. Quid multis immorer? Factus erat omnibus omnia, vt omnes faceret ſaluos. Erat autem vultus vitæ reſpondens, ità vt eum vidiſſe, præmij inſtàr eſſet: & cum eo habitare, magnam adferret ſecuritatem.

Reſpuit à regina oblatas poſſeſſiones.

Monaſterium S. Carilephi nulla ingreditur mulier.

Cap.14. Sed quid reformidas oratio? quid ceu carina ſcopulos refugiens perhorreſcis? Velis nolis, cuius vita quanuis ſtrictim dicta eſt, eius etiam narrandus eſt obitus. Circà finem igitur vitæ, quẽ ſanctus ſacerdos ſpiritu præuiderat, correptus febre, accitis cunctis fratribus, ſic locutus eſt ad eos: Eccè chariſſimi filij, iam me ad migrandum ætas compellit, iam me ad ſuum ius originaria reuocat terræ particula. Scribite ergò in tabulis cordis veſtri ea, quæ per me vobis dicuntur à Domino, & inuicèm vos adhortando, præcepta myſtica ſeruate. Pacem, quam ſuis diſcipulis author noſtræ ſalutis repetítis commendauit ſermonibus, cuſtodite, iram omnem & murmurationem ceu diaboli venena reſpuite. Authori bonorum omnium ſeruate pudicitiam, & cum omnibus hominibus pacem loquimini. Omnis mendax ſermo non proficiſcatur ab ore veſtro, nè fortè ſententia illa prophetica feriamini, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Non vos inquinet luxuria, non libido perturbet, non inuidia tabefaciat, non elatio inflet, non vana gloria demulceat. Damnate ſuperbiam, quæ regina eſt omnium vitiorum. Fugite auaritiam, & omnes adinuẽtiones eius toto pectore repudiate: memineritis ſuperbiam, libidinem, auaritiam alumnos ſuos omnes mittere in tartarum. Adulatio procùl ſit à vobis, hoſpitalitatem diligite, cuius plerique ſtudioſi, angelorum conſortia meruêre. Super omnia momentis omnibus orate & pſallite, vt ſanctus ſpiritus cuſtos veſter ſit nunquàm deficiens. Alterius ruina, veſtra ſit cautela: & aliena miſeria, veſtra afflictio ſit. Flete cum flentibus, iacete cum iacentibus, donèc miſerante Domino pariter releuemini.

Moriturí præclaræ adhortationes.

Iohan.14. & 20.

Pſalm.3.

Gen.18.

Rom.12.

Cap.15. Hæc & his ſimilia ſancto Patre proſequente, proſtrati fratres omnes, cum gemitu & rugitu cordis immodicè flere cœperunt, ità vt oculorum imbre humum madefacerent: dicebantque ad illum: Cur, ô pater, hiſce difficilibus temporibus acquiſitum gregem tam citò relinquis? Væ nobis miſeris, qui talem amittimus paſtorem, cuius fruebamur alloquijs, & interceſſionibus muniebamur. At pius pater, humaniſſimè eos ſuo more conſolans, ait: Cur dulciſſimi filij tam acerbè ploratis & plangitis? Paſtor & congregator veſter, qui in cęlis eſt, ſi ad eius voluntatem vos conformaueritis, nũquàm deſeret vos. Ego verò iam diſſoluor, & tempus eſt vt pergam ad eum, quem à puero deſideraui. Confortamini ergò, & Dominum benedicite: quia proficiſcor à morte ad vitam, à labore ad requiẽ, ab afflictione & mœrore ad gaudium, à fame ad epulas, de tenebris ad lucem, de ignominia ad regnum & gloriam ſempiternam. His dictis, hortabatur eos, vt pſalmos Domino decantarent: ipſe autem expanſis in cælum manibus, hilari facie quaſi inuitatus ad epulas, canebat: Miſericordias tuas Domine in æternum cantabo: in generatione & progenie annunciabo veritatem tuam in ore meo. & illud: In manus tuas commẽdo ſpiritum meum: necnon adijciebat, de profectio-

Pſalm.88.

Pſalm.30.

præfectione ſecurus: Confirmatum eſt cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo ſalutari meo: vt inter hymnos & cantica ad ſedem ſuam cęleſtis anima remearet. Inter hęc flentibus fratribus atque pſallentibus, ſacerdos Domini corpore Chriſti percepto, gaudens & exultans emiſit ſpiritum. Ad cuius ſancti corporis excubias tanta populorum turbæ confluxêre, vt ad explicandum lingua non ſufficiat. In tanta enim multitudine, vt ità dicam, penè totius prouinciæ, nemo fuit, qui illius beneficijs non deberet. Quæ verò illic lachrymæ, qui planctus extiterint, dicere nolo, nè poſt annorum curricula dolorem refricem. Eius ſacrum corpus Calendis Iulij in baſilica, quã ipſe Domino conſtruxerat, poſt altaris confinia poſuerunt: vbì, quid viuens geſſerit, vſque hodiè oſſa mortua teſtantur.

1.Reg.2.

Reddit Domino ſpiritum.

Ad eius enim ſacratiſſimum tumulum dæmoniaci veniunt, & liberantur: periri veniunt, & vexantur: languidi veniunt, & curantur: rapaces veniunt, & vinciuntur. Atque ità fit, vt qui fideliter eò accedunt, ſalute potiantur: qui verò infideliter, iuxta Doctoris gentium vocem, tradantur ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſalui fiant. Interìm verò in dies creſcebat erga ſancti viri monaſterium amor & timor. Amor quidem, quòd humiliter eò ſe conferentes, ſani reuerterentur, quacunque fuiſſent infirmitate detenti: timor autem, quòd ſi quis proterua voluntate auſus eſſet accedere, diuina diſpenſatione coërceretur. Vnum ſanè idemque inſigne miraculum omittendum non eſt, quod penè nullum latet ex ijs, qui in his regionibus morantur.

Cap.16. Multa miracula ad ſepulcrũ eius.

1.Cor.5.

Mulier quædam, Gunda nomine, quam clandeſtinus ſupplantator illexerat, ſpiritui ſancto volens illudere, virili ſumpta veſte, in beatiſſimi Carilephi monaſterium ingredi conata eſt, vt probaret, verúmne eſſet illius vaticinium, quo prædixerat ſexui fœmineo nunquàm datum iri copiam in illud intrandi. Sed iuſto Dei iudicio, priuſquàm vel adſpiceret cœnobij clauſos aditus, arrepta à diabolo, retrorsùm ruit, adeoque fœdè ab illo vexata eſt, vt dicere me pudeat. Caput enim illi adegit inter femora, ſicque factum eſt, vt quæ ſacratis liminibus falſa oſcula imprimere tentauerat, turpiſſimè deformata, immundas ſui corporis partes oſculari cogeretur: ſexumque ipſa ſuum, quem virili habitu regere voluërat, cunctis cernere volentibus palàm proderet. Ea res effecit, vt deincèps eò ſe conferre mulieres auſę non ſint: patetque verum fuiſſe beati viri vaticinium.

Cap.17.

Punitur diuinitùs fœmina, volẽs in monaſterium eius ingredi.

Illud quoq; recens miraculum ſilentio premere nolim, quod religioſos quoſdam eius loci monachos retuliſſe ſcio. Homo quidam, immũdo correptus ſpiritu, humana voce perdita, inſtàr canum vlulabat. Obibat ille multa ſacra loca, in quibus beatiſſimorum martyrum & confeſſorum corpora quieſcunt, vt poſſet curari: ſed cùm non haberet meliùs, Romam profectus eſt, vt vel beatiſſimi Petri Apoſtolorum principis precibus ſanaretur. Cumque aliquot dies perſeuerâſſet in oratione, ab ipſo Apoſtolo Petro in ſomnis admonitus eſt, vt ſancti Carilephi monaſterium repeteret, illic ſalutem recuperaturus. Paruit ille, & ſimulatquè valuas domûs Dei, vbì ſancti viri oſſa quieſcunt, proſtratus artigit, liberatus à dæmonio, loquendi vſum recepit, Deumque laudans & glorificans abſceſſit. Alia quædam pauca miracula recitat hic Author hiſtoriæ huius, quæ ſtudio breuitatis omiſimus: tandèm verò ità ſubiungit:

Cap.18.

Curatur demoniacus mutus.

Cap.19.

Sed nunc mihi veniam tribuat decus optimorum ſacerdotum, quòd de illius meritorum cumulo quędam auſus ſui attingere, cuius ſi cuncta velim merita perſtringere, dies me priùs, quàm ſermo deficiet. Hæc autẽ pauca viro ſancto & doctori peritiſſimo pio affectu, non ſcientia, impendi. Tu ſacerdos Chriſti præpotẽs mihi apud Dominum tribue, vt quem religionis titulo illius pietas inſigniuit, religioſorum reddat in diuina rètributione participem. Sanctam etiam eorum congregationem, qui ad beatiſſimi ſacerdotis Carilephi reliquias excubant, quaſi ad eorum veſtigia aduolutus ſuppliciter deprecor, vt meî memores eſſe dignentur, & ſuis precibus omnipotenti Domino me commendare non deſinant, vt & hîc ab ęmulorum inſidijs mercar liberari, & in diuino examine meorum conſequar veniam peccatorum: pręſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuus & verus eſt Deus, cum Patre & Spiritu ſancto in vnitate Trinitatis viuens & regnans nunc & ſemper, & per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Conclusio Authoris.

MARTYRIVM SS. PROCESSI ET MARTINIANI, VT HABETVR IN PERANTIQVIS MS. CODICIBVS.

Consentiunt vetustissima Martyrologia. Stylum Frater Laurentius Surius aliquot locis nonnihil correxit.

8. Iulij.

TEMPORE illo, quo Simon Magus intrinsecùs crepuit, & impijssimus Nero tradidit beatissimos Apostolos Christi Petrum & Paulum Paulino viro clarissimo magisteriæ potestatis, idem Paulinus mācipauit beatissimos Apostolos custodiæ Mamertini: veniebantque ad eos multi Christiani infirmi, & curabantur eorum morbi, alijque à dæmonijs obsessi, liberabantur per orationes Apostolorum. Erant autem ijsdem beatissimis Apostolis custodiendis deputati milites multi, inter quos erāt duo magistriani * Mello principis, Processus & Martinianus. Qui cùm viderēt mirabilia quę faciebat per beatos Apostolos suos Dominus Iesus Christus, admirantes dixerunt eis: Viri venerabiles, non potestis ambigere vestrî iam oblítum esse Neronem, quandoquidē nonus iam mensis agitur, quòd estis in custodia. Rogamus itaque vos, vt eatis, quocunquè voletis: tantùm in eius nomine, per quem facitis res admirandas, baptizetis nos. Dixerunt eis beatissimi Apostoli Petrus & Paulus: Si credere velitis toto corde & animo in nomen Trinitatis, vosipsi quoquè facere poteritis, quæ nos facere cognouistis. Hoc vbi audiêrunt, qui in custodia erant, omnes vnanimiter clamabant: Donate nobis aquā, quia siti periclitamur. Eadem hora beatissimus Petrus Apostolus in ipsa custodia Mamertini dixit ad omnes: Credite in Deum patrem omnipotentem, & in Dominum nostrum Iesum Christum filium eius vnigenitum, & in spiritum sanctum, & omnia ministrabuntur vobis.

*Aminelli

Tum omnes abiecerunt se ad pedes Apostolorum, rogantes vt baptismum ab eis perciperēt. At verò beatissimi Apostoli orauerunt Deum, orationeque expleta, beatus Petrus in monte Tarpeio signū Crucis expressit in eadem custodia, atque eadem hora emanârunt aquæ è monte: baptizatique sunt beati Processus & Martinianus à beato Petro Apostolo. Hoc vt viderūt cuncti, qui erant in custodia, prostrauerūt se ad pedes beati Petri Apostoli, & baptizati sunt promiscui sexûs & diuersę ętatis numero quadragintaseptem. Obtulit aūt pro eis sacrificium laudis, & particeps eos fecit corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Deindè beati Processus & Martinianus dixerunt ad sanctos Christi Apostolos: Pergite, quò vultis. oblítus enim vestrî Nero, de vobis desperauit. Exeuntes ergò de custodia sancti Apostoli, per viam, quæ Appia nuncupatur, ad portam Appiam peruenerunt. Beatissimo autē Petro Apostolo, cuius pedē attriuerant compedes ferrei, cecidit fasciola apud sepem in via noua: cumq; venisset ad portam Appiam, vidit Dominum Iesum Christum, eumque agnoscēs, dixit illi: Domine, quò vadis? Et Dominus: Romam, inquit, redeo, vt iterùm crucifigar: tu autē Romam reuertere. redijtq; Petrus Romam manè, & milites tenuerunt eum. Nunciatum est autē Paulino viro clarissimo, magistro officij, Processum & Martinianum Christianos effectos esse. Misit ergò milites, comprehensosq; iussit in custodiam retrudi, Alia die præcepit sibi eos exhiberi, adductisq; ad conspectum suum, dixit: Sic stulti facti estis, vt deserentes deos & deas, quos inuictissimi principes colunt, & antiquitas adorat, temeritate ducamini, militiæ vestræ priuandi ornamentis? Respondit Martinianus clara voce: Nos iam demùm cœpimus habere sacramenta militiæ cælestis. Paulinus vir clarissimus dixit: Deponite amentiam pectoris vestri, & adorate deos immortales, quos ab incunabulis vestris venerati estis & coluistis, in quorū religione enutriti estis. Beati martyres vna voce dixerunt: Nos Christiani facti sumus. Ait Paulinus vir clarissimus: Audite me commilitones mei, & facite quæ dico, & estote amici mei, & fruimini militia vestra, dijsque omnipotentibus sacrificātes, viuite, & sitis præclari apud principes nostros. Respondерunt ambo: Sufficiat, nos declarâsse tibi veros nos esse Christianos, & seruos Dei & Domini nostri Iesu Christi, quē beatissimi Apostoli eius Petrus & Paulus prædicauerunt.

Infigne miraculum.

Multi baptizātur in carcere à S. Petro.

Sistuntur coram iudice Processus & Martinianus.

Paulinus

Paulinus vir clarissimus dixit: Iam dixi vobis, & iterùm repetens dico: obtemperate consilio meo, & viuite. Illi autem tacuerunt. Iterùm atque iterùm Paulinus eadem inculcans, cùm se videret nihil proficere, iussit lapidibus eorum ora contundi. Cumque diù cæderentur, clamabāt ambo pariter, Gloria in excelsis Deo. Paulinus vir clarissimus dixit militibus suis: Proferte tripodam, vt sacrificent maiestatibus. Beati martyres respondерunt: Nos semèl obtulimus nosipsos Deo omniporenti. Allata tripoda, Paulinus ait: Facite, quæ dico. Allatus est autem etiam Iupiter aureus. Eo viso, riserunt sancti martyres, & in tripodam atq; Iouem coram Paulino expuerūt. Tunc Paulinus iussit eos in eculeo suspendi, & neruis attrahi, atque fustibus cædi. Illi autem alacri vultu lætantes dicebant: Gratias tibi agimus Domine Iesu Christe. Paulinus magister officij nimio furore incensus, iussit flammas ad eorum latera admoueri. At martyres clamabant: Benedictum nomē Domini nostri Iesu Christi, quē beatissimi Apostoli eius Petrus & Paulus prædicauerunt.

Lapidibus ora eorum tunduntur.

Fustibus cæduntur.

Latera aduruntur.

Erat tum ibì matrona quædam nobilissima, Lucina nomine. Ea assistens eis, confirmabat eos his verbis: Constantes estote, milites Christi, & nolite metuere pœnas, quæ ad tempus sunt. Paulinus verò dixit ad eos: Quæ est ista hæc vestra amentia? At illi corroborati, irrisêre tormenta. Iussit ergò Paulinus in eculeo suspensos scorpionibus castigari, adhibita voce præconis, ità dicentis: Præcepta principum contemnere nolite. Eadem hora Paulinus sinistro oculo orbatus est, ductusque pœnitentia, præ dolore exclamauit: O carmina artis magicæ. præcepitq; eos deponi de eculeo, & diù maceratos, in Mamertini custodiam retrudi: ijs autē sedulò ministrabat Lucina matrona venerabilis. Post triduum Paulinus subitò à dæmone arreptus, expirauit. At filius eius Pompinius vociferans ibat ad Palatium: Moderatores, inquiens, & gubernatores Reipublicæ, subuenite, vt extinguantur arte magica imbuti. Audiens hoc Cæsarius vrbis prefectus, rem gestam indicauit Neroni Augusto, qui iussit sine mora illos interfici. Pompinius itaque filius Paulini, cœpit fortiter vrgere Præfectum vrbis Cæsarium. Tum prefectus tulit in eos sententiam: eiectique è custodia, & ducti extra muros vrbis Romæ, via Aurelia capite cæsi sunt. Cùm vidisset autem illos beatissima Lucina, cum familia sua sequebatur eos vsque ad aquæductum, vbì etiam decollati sunt, & trunca eorum corpora relicta sunt canibus deuorāda: quæ eadem sanctissima matrona collegit, & condiuit preciosis aromatibus, sepeliuitq; in prędio suo in arenario iuxta locum, vbì plexi sunt sexto Nonas Iulias via Aurelia: vbì etiam præstantur beneficia eorum vsque in hodiernum diem, regnante Domino Deo atque Saluatore nostro IESV CHRISTO.

Cæduntur scorpionibus.

Plectuntur capite.

DE IISDEM BEATIS MARTYRIBVS, EX HOMILIA 32. *in Euangelia, beati Gregorij Papæ.*

AD sanctorum martyrum (Processi & Martiniani) corpora consistimus fratres mei. Nunquìd isti carnem suam in mortem darent, nisì eis certissimè constitisset, esse vitam pro qua mori debuissent? Eccè qui ità crediderūt, miraculis coruscant. Ad extincta nanq; eorum corpora viuentes ęgri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & à dęmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodò ergò illic viuunt, vbì viuunt, si in tot miraculis viuunt hîc, vbì mortui sunt? Rem fratres dico breuem verbo, sed non paruam merito, quam religiosis quibusdam senioribus narrantibus agnoui. Gotthorum tempore matrona quędam fuit valdè religiosa, quæ ad horum martyrum (de Processo & Martiniano dicit) ecclesiam crebrò veniebat. Quadam die, dum ex more ad orandum venisset, egrediens, duos stantes sub peregrino habitu monachos inuénit, peregrinos credidit, dari eis aliquid eleemosynæ præcepit. Sed priuqsuàm eius erogator eis ad largiēdum eleemosynam propinquâsset, adstiterunt illi viciniùs, & dixerunt: Tu nos modò visitas, nos te in die iudicij requiremus, & quicquid possumus, præstabimus tibi. Quo dicto, ab oculis eius ablati sunt. Territa illa, ad orādum redijt, seseque in lachrymis prolixiùs effudit: & facta est posthàc tanto instantior in opere, quāto certior de promissione. Si autem iuxta Pauli vocem, est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: nequaquàm iam dicimus, vt venturā vitam credatis: quia eccè ipsi, qui in illa viuunt, humanis obtutibus visibiliter præsentātur. Quod enim videri potest, meliùs dicitur

Miracula ad eorum monumentum.

Vide quid cōferat inuocatio Sanctorū.

Hebr. 11.

citur ſciri,quàm credi. Venturam ergò vitam nos Dominus magis voluit ſcire, quàm credere,qui eos, quos inuiſibiliter recipit, apud ſe viuere nobis etiã viſibiliter oſtendit. Hos ergò, fratres chariſſimi, in cauſa veſtri examinis, quam cum diſtricto iudice habebitis, patronos facite, hos in die tanti terroris illius defenſores adhibete. Certè ſi apud quendam magnum iudicem cauſa quælibet veſtra eſſet die craſtino ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur: patronum veſtra fraternitas quæreret, magnisque precibus ageret, vt apud tantum iudicem ſibi defenſor veniret. Ecce diſtrictus iudex Ieſus venturus eſt: tanti illius Angelorum Archangelorumque concilij terror adhibetur: in illo conuentu cauſa noſtra diſcutitur, & tamen nos patronos modò non requirimus, quos tunc defenſores habeamus. Adſunt defenſores noſtri, ſancti martyres: rogari volunt, atque, vt ità dixerim, quærunt, vt quærantur. Hos ergò adiutores veſtræ orationis quærite: hos protectores veſtri reatûs inuenite: quia nè punire peccatores debeat, rogari vult & ipſe, qui iudicat. Vndè etiam longo tempore comminatur iram, & tamen miſericorditer expectat. Sic autem nos & miſericordia eius refoueat, vt nullo modo negligentes reddat: ſic peccata noſtra perturbent, vt mens in deſperationem non proruat. Quia & ſi præſumentes metuimus, & metuentes ſperamus, æternum regnum citiùs adepturi ſumus per eum, qui viuit & regnat cum patre in vnitate ſpiritûs ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Sanctorum patrocinia nobis conciliare debemus.

Sancti martyres rogari volunt, vt nobis ſubueniant.

VITA BEATAE MONEGVNDIS CONIVGATAE, AVTHORE S. GREGORIO TVRONEN. EPISCOPO, *Lib. De vita Patrum, Cap. 19. quod in 10. capitula diuiſimus.*

Iulij 2. Beneficia Dei immẽſa. Cap. 1.

INSIGNIA diuinorum beneficiorum chariſmata, quæ humano generi cælitùs ſunt indulta, nec ſenſu concipi, nec verbis proferri, nec ſcripturis poterunt comprehendi, cùm ipſe Saluator mundi ab illo rudis ſeculi exordio Patriarchis ſe præſtat videri, Prophetis annunciari, ad extremum ſemper Virginis intactæq; Mariæ dignatur vtero ſuſcipi, & præpotens immortalisque creator, mortalis carnis patitur amictu veſtiri, mortẽ pro hominis ob peccatum mortui reparatione adire, victorque reſurgere. Qui nos grauium facinorum ſpiculis ſauciatos, ac latronum inſidiantium vulneribus affectos, infuſo meri oleiq; liquore, ad ſtabulum medicinæ cæleſtis, id eſt, Eccleſiæ ſanctæ dogma perduxit: quã nos exemplis ſanctorum viuere, inceſſabili præceptionis ſuæ munere cohortatur, nobisque non modò viros, ſed ipſum etiam inferiorem ſexum, non ſegniter, ſed viriliter agonizantium præbet exemplum: quæ non ſolùm viris legitimè decertãtibus, verumetiam fœminis, in his prælijs fauorabiliter deſudantibus, ſidereа regna confert: ſicut beatæ Monegundi, quæ relicto genitali ſolo, tanquàm regina prudens, quæ audire ſapiẽtiam Salomonis adiuit, beati Martini baſilicam, vt eius miracula quotidianis momentis miraretur, expetijt, hauriretque de fonte ſacerdotali, quo poſſet aditum nemoris paradiſiaci recludere.

Luc. 10.

3. Reg. 10.

Cap. 2. S. Monegũdis patria.

Igitur beatiſſima Monegundis, Carnotenæ vrbis indigena, parẽtum ad votum copulata coniugio, duas filias habuit, ſuper quibus valdè gauiſa lætabatur, dicens: Quia propagauit Deus generationem meam, vt mihi duæ filiæ naſcerentur. Sed hoc mundiale gaudium intercepit ſeculi huius amaritudo, dum puellæ, modica febre pulſatæ, metam naturæ debitam concluſerãt. Ex hoc genitrix mœſta deplorans, orbatamque ſe lugens, non diebus, non noctibus à fletu ceſſabat, quã non vir, non amicus, non vllus propinquorum poterat conſolari. Tandèm verò in ſe cõuerſa, ait: Si nullam conſolationem de obitu filiarum capio, vereor nè ob hoc lædam Dominum meũ Ieſum Chriſtum. Sed nunc hæc lamenta linquens, cũ beato Iob conſolata, decantabo: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ità factũ eſt. ſit nomen Domini benedictũ. Et hæc dicens, exuta veſte lugubri, iuſſit ſibi cellulã paruulam præparari, in qua tantummodò feneſtellã, per quã modicũ lumen poſſet cernere, præcepit aptari: ibiq; contẽpto mũdi ambitu, ſpreto viri cõſortio, ſoli Deo, in quo erat cõfiſa, vacabat.

Iob 1.

B. Monegũdis ſe arctiſimè includit.

Fundens

Fundensque orationem pro ſuis ac populi delictis, habens puellulam vnam, cuius ei famulatu miniſtrabatur aquæ neceſſitas, accipiebat etiam farinam hordeaceam, infuſosque lymphis cineres diligenter colans, ex ea aqua mixturam maſſæ conficiebat, formatosque proprijs manibus panes ipſa coquens, poſt longa ieiunia reficiebatur. Reliquum domûs ſuæ cibum pauperibus diſpenſabat.

Eius eſca & potus.

Factum eſt autem quadam die, vt memorata puella, quæ ei conſueuerat famulari, & credo inimici aſtu ſeducta, cui ſemper bonis iniurias irrogare mos eſt, ſe ab eius famulatu ſubtraheret, dicens: Non potero ego cum hac domina permanere, quę in tali abſtinentia cõmoratur: ſed potiùs vtar ſeculo, ac cibum potumque in abundantia ſumam. Quintus autem iam fluxerat abſceſſionis eius dies, quòd hæc religioſa neque farinam conſuetam, neque aquam acceperat, ſed perſtabat immobilis, & fixa manẽs in Chriſto: in quo quiſque locatus vel fundatus, nec venti turbine, nec fluctuum impulſione dilabitur: nec enim ſibi illa de mortali cibo vitam, ſed de verbo Dei (ſicut ſcriptum eſt) putabat inferri, cõmemorans illud ſapiẽtiæ Salomoniacæ prouerbium: Quia non necabit Dominus fame animam iuſti. & illud, Quia iuſtus ex fide viuit. Sed quoniam corpus humanum abſque eſu terreno ſuſtentari nequit, proſtrata in orationem, petijt, vt qui manna populo eſurienti de cælo, lymphasque ſitienti produxit è ſaxo, ipſe quoquè alimentum, quo parumpèr corpuſculum feſſum confortaretur, dignaretur indulgere. Protinusque ad eius orationem nix de cælo decidua humum operuit. Quod illa cum gratiarum actione cernens, educta manu per feneſtram, quod circa parietem erat, ex ipſa niue collegit, de qua aquam exprimens, panem ſolitum formauit, quo vſque ad alios quinque dies victum corporeum miniſtrauit.

Deut. 8. Prouer. 10. Haba. 2.

Exod. 16. Num. 20.

Cælitùs accipit aquã.

Habebat autem contiguum cellulæ paruulum viridarium, in quod pro quadam releuatione prodire erat ſolita. In illud igitur cùm ingreſſa eſſet, intuens herbas loci ac deambulans, mulier, quæ triticum ſupra tectum ſuum ſiccandum poſuerat, quaſi de eminentiori loco curis oppleta mundanis, importunè proſpexit, moxque oculis clauſis lumine caruit. Cognoſcens autem reatum ſuum, ad eam accedit, rem vt geſta fuerat pandens. At illa deijciens ſe in orationem, ait: Væ mihi, quia pro paruitatis meæ perſona peccatrice, aliorum clauſi ſunt oculi. Et conſummata oratione, impoſuit manum mulieri. Confeſtim autem, vt ſignum Crucis expreſſit, mulier viſum recepit. Homo ex pago illo, qui olim auditum perdiderat, ad hanc cellulam deuotus aduenit, pro quo deprecati ſunt parẽtes eius, vt ei manus hæc benedicta dignaretur imponere. Sed illa indignam ſe proclamans, per quam Chriſtus operari dignaretur, ſolo proſtrata, & quaſi ipſa Dominicorum pedum veſtigia lambens humiliter, pro eo diuinam clementiam ſupplicauit: illaque adhuc ſolo decumbente, aures ſurdi apertæ ſunt, redijtque ad domum propriam, mœrore ablato, cum gaudio.

Cap. 4.

Sanat cæcã.

Itẽm ſurdũ.

His ſignis glorificata inter ſuos, nè vanæ gloriæ lapſum incurreret, ſancti Martini antiſtitis baſilicam, relicto cõiuge, cum familia & omni domo ſua, fideliter expetiuit. Cumque iter cœptum carperet, venit ad vicum vrbis Turonicæ, cui nomẽ eſt Euena, in quo Medardi Sueſſionici confeſſoris reliquiæ continentur, cuius & vigiliæ ea nocte celebrabantur. Ibì igitur illa attentè excubans in oratione, hora debita cum reliquo populo ad Miſſarum acceſſit ſolennia. Quæ dum à ſacerdotibus Dei celebrarentur, aduenit quædam puella puſtulæ malæ veneno conflata, procidítque ad pedes eius, dicens: Súbueni mihi, quia mors iniqua vitam conatur eripere. At illa more ſolito in oratione proſtrata, ſupplicauit pro ea Deo omnium creatori, erectaque ſignum Crucis impoſuit: ſicque in quatuor partes vulnere excrepante, puellam, pure decurrente, mors importuna reliquit.

Cap. 5.

Itẽm puellã à puſtula.

Poſt hæc ad baſilicam ſancti Martini Monegundis beata peruenit, ibique proſtrata coram ſepulcro gratias agens, quòd tumulum ſanctum oculis proprijs contemplari meruerat, in cellula parua conſiſtens, quotidiè orationi ac ieiunijs vigilijsque vacabat. Sed nec ille locus ab eius virtute fuit inglorius. Nam viduæ cuiuſdam filia manus contractas detulit, cui vt illa exorata ſignum ſalutis impoſuit, manibus ſuis digitos puellæ contrectare cœpit. Extenſis verò digitis, neruisque directis, volas laxauit incolumes. Dum autem hæc agerentur, audita vir illius fama beatæ, conuocans amicos vicinosque ſuos, perrexit poſt eam, ac reduxit ad propria, & eam in cellulam, in qua priùs habitauerat, intromiſit. At illa non ceſſabat ab opere, quo conſueuerat, ſed exercebatur in ieiunijs & obſecrationibus, vt tandèm locũ, in quo habitare deſiderabat, poſſet acquirere. Inchoat iterùm iter deſideratum, implorans beati Martini

Cap. 6.

Aliud miraculum.

auxilium, vt qui dederat desiderium, tribueret & affectum perueniẽdi ad basilicam. Reuertitur ad cellulam illam, in qua priùs fuerat commorata, in eaq́ue perstitit in-
Duritia vi tæ eius. concussa: nec enim est ampliùs à viro suo quæsita. Ibi verò paucas colligens monachas, cum fide integra & oratione degebat, nõ sumens panem nisi hordeaceum, non vinum, nisi parùm in diebus festis, & hoc ipsum aqua nimia temperatum, nullum habens strarum fœni, paleæq́ue mollimen, nisi tantùm illud, quod intextis iunci virgulis fieri solet, quas vulgò mattas vocant. Hoc superponebat formulæ, hoc solo supersternebat, hoc erat quotidianum scamnum, hoc culcitra, hoc plumella, hoc erat stragulum, hoc omnis lectuli commoditas: sic docens eadem facere, quas secum adsciuit. Ibiq́ue in Dei laudibus degens, multis infirmis, oratione facta, salutaria impartiebat medicamenta.

Cap. 7. Mulier quædam filiam suam exhibuit vulneribus plenam, & pus eadem genuerãt.
Saliua sua sanat puellam. Tunc illa, facta oratione, saliuã ex ore suscipiens, vulnera sæua perunxit, puellamq́ue reddidit sanam, opitulante eius virtute, qui cæci nati oculos sputo formauit. Puer verò incola loci, maleficium in potione hausit, de quo, vt asserunt, serpentes generati in intraneis pueri, magnum dolorem suis morsibus excitabant, ità vt nulla quiescendi
Iohan. 9. mora vel in modicum momentum indulgeretur: sed neque cibum aut potum capere poterat: & si quandò aliquid accipiebat, protinùs reijciebat. Hic adductus ad beatam fœminam, petijt se eius virtute mundari. Cumq́ue illa reclamaret, indignam se esse, quæ hæc agere posset, implicita precatu suorum, ventrem pueri palpabat palma demulcens, sensitq́ue ibi anguium venenatorum nequitiam latitare. Tunc accepto
Itẽm puerũ morbidum. pampini viridis folio, saliua liniuit, fixitq́ue super eum Crucis beatæ signaculum. Quo posito super aluum iuuenculi, dolore paululùm sedato, obdormiuit in scamno, qui olim doloribus insistentibus caruerat somno. Post vnius verò horæ momentum consurgens, & ad purgandum ventrem egressus, pestiferæ generationis germen effudit, gratiasq́ue referens ancillæ Dei, sanus abscessit.

Cap. 8. Alius verò puer paralytica ægritudine contractus, ante eam inter manus delatus est aliorum, deprecans à beata sanari. At illa in oratione prostrata, precem pro eo
Itẽm paralyticum. effudit ad Dominum. Consummata verò oratione consurgens, appræhensa manu pueri, erexit eum, sospitemq́; abire permisit. Mulier erat cæca, quæ adducta ad eam, deprecata est, vt ei manus imponeret. At illa respondit: Quid vobis & mihi, homines Dei? Nonne sanctus Martinus hîc habitat, qui quotidiè illustrium opere virtutum refulget? Illuc accedite, ibì obsecrate, vt ipse vos visitare dignetur: nam ego peccatrix quid faciam? Illa verò in sua petitione perdurans, aiebat: Deus per omnes timentes nomen suum, quotidiè opus exercet egregium: ideoq́ue supplex ad te confugio, cui
Itẽm cæcã restituit. præstita est diuinitùs gratia curationum. Tunc commota Dei famula, luminibus sepultis manus imposuit: statimq́ue reseratis cataractis, mundum latè patentem, quæ fuerat cæca, prospexit. Multisq́ue etiam energumentis ad eam ingressis vt manus imposuit, fugato hoste nequam, sospitatem restituit. Nec morabãtur ex his curari, quos ad se sancta permisisset accedere.

Cap. 9. Iam autem tempus vocationis eius appropinquabat, & defessa corpore soluebatur. Quod cùm viderent sanctimoniales, quas secum habebat, flebant valdè, dicẽtes: Et cui nos, mater sancta, relinquis? vel cui commendas filias, quas in locum hunc pro Dei intuitu congregâsti? At illa parumpèr lachrymans, ait: Si pacem sanctificationemq́ue sequamini, Deus erit protectio vestra, habebitisq́ue sanctum Martinum Anti-
Sãcti inuocati adsunt nobis. stitem pastorem magnum. Ego quoquè non discedam à vobis: sed inuocata adero in medio charitatis vestræ. At illæ rogabant, dicentes: Venturi sunt multi infirmi ad nos, flagitantes benedictionem à te accipere: & quid faciemus, cùm te non viderint esse superstitem? Confusæ enim eos foràs emittemus, cùm tuam faciem non cõtemplabimur. Rogamus autem, vt quia hæc ab oculis nostris absconditur, saltẽ digneris oleum salemq́ue benedicere, de quo possimus ægrotis benedictionem flagitantibus
Obijt S. Monegũdis ministrare. Tunc illa, benedicto oleo ac sale, tradidit eis: quæ suscipientes, diligentissimè seruauerunt. Sicq́ue beatissima obijt in pace, & sepulta est in ipsa cellula, multis se in posterum virtutibus repræsentans. Nam de memorata benedictione multi post eius transitum ægroti incolumitatis beneficia sunt experti.

Cap. 10. Bosonis denique Diaconi pes vnus à pustula mala intumuerat, ità vt gressum facere non valeret, deportatusq́ue ad eius templum, orationem fudit. Puellæ verò accipientes ex oleo memorato, quod sancta reliquerat, posuerunt super pedem eius, & extemplò

extemplò aperto vulnere, defluente veneno, sanatus est. Cæcus quidam adductus ad
Miracula ad eius tumulum. eius tumulum, in oratione prosternitur: irruente autem in eum sopore, obdormiuit, apparuitq́ue ei beata, dicens: Indignam quidem me iudico exæquari sanctis: sed tamen vnius hîc oculi recipies lumen: deincèps autem propera quantocyùs ad pedes beati Martini, & prosternere in compunctione animi coram eo. ipse enim tibi restituet alterius oculi visum. Expergefactus homo, vnius oculi recepto lumine, abijt quò iussio impulit imperantis, ibiq́ue iterùm obsecrans beati confessoris virtutem, depulsa cæci oculi nocte, videns abscessit. Mutus etiam ad hunc beatæ tumulum prostratus decubuit, qui intantùm fide compunctus est, vt riuis lachrymarum cellulæ inficeret pauimentum: qui consurgens, absoluta lingua virtute diuina, regressus est. Alius deniquè mutus veniens & decumbens, corde tantùm implorabat, & non voce solubili beatæ fœminæ auxilium, in cuius ore de memorata benedictione parte infusa, erumpente sanguine mixto cum pure, vocis officium meruit adipisci. Frigoriticus quoquè accedens ad hoc monumentum, vt palam tegentem attigit, restincta contagionis febre, conualuit. Contractus verò, Marcus nomine, manibus deportatus aliorum ad sepulcrum beatæ, orationem diutissimè fudit: hora autem nona pedibus proprijs sterit, domumq́ue regressus est. Leodinus puer cùm in valetudinem grauem irruens, quarto ægrotaret mense, & non solùm gressuum, verumetiam iam ciborum vsum, insistẽte febre nimia, perdidisset, ad eius deportatus sepulcrum, præmortuus accepta salute, surrexit è tumulo rediuiuus. Quid de frigoriticis reliquis loquar, cùm plerisque hoc fuerit beneficiũ remedij, dum palam tumuli sunt fideliter osculati? Quid etiam de energumenis? qui adducti ad cellulam beatæ, cùm limen sanctum fuerint ingressi, integræ menti restituuntur. Nec enim moratur larua egredi è corpore, cùm sanctæ huius senserit adesse virtutem, operãte hoc Domino nostro Iesu Christo, qui timentibus nomen suum præmia largitur æterna.

VITA S. SVVITHVNI EPISCOPI VVINTONIENSIS, AVTHORE GOTZELINO MORINEN. QVI CLARUIT ANNO CHRISTI 1110. *quanquàm suspicor hanc non nisi Epitomen esse vitæ ab illo conscriptæ. Stylum modicè hincindè correxi.*

GLORIOSO rege Anglorum Egberto regnante, qui
Iulij 2. regi Kinegilpho, ab idolatria per beatum Birinum conuerso, octauus in regni administratione successit, beatus Suuithunus, pater & pastor in Ecclesia Dei futurus, cursûs sui in stadio mundi huius exigendi, diuina ordinante misericordia, accepit exordium. Annis verò puerilibus, pia simplicitate transactis, iugum Dominicæ seruitutis suis humeris imponi voluit, susceptumq́ue humiliter viliterq́ue portauit. Itaque in clerum adscitus, de gradu
Fit clericus. in gradum, de virtute in virtutem, gressus eius Deo per omnia dirigente, conscendens, sub Helinstano Vuintanò Episcopo, ad sacerdotij honorem prouectus est. Porrò autem curabat seipsum ministrum idoneum & probabilem Deo semper exhibere, verbum veritatis rectè & catholicè tractare, humanitati & mansuetudini studere, opera pietatis ante omnia exercere, non rectè neq; ordine viuentes, virga castigationis corrigere, humiliter omnibus inseruire.
Virtutes eius.

Eius fama vbì ad regis aures peruenit, ab illo accersitus est, & inter præcipuos amicos numeratus. Commendauitq́ue ei rex filium suum * Adulphum, liberali-
* Quidam Aldulphũ vocant. bus disciplinis erudiendum, & sanctis moribus instruendum: quem postea Subdiaconum ordinauit. At tamen patre eius sine hærede ex hac vita decedente, cùm præter eum nullus alius hæres supereresset, Leone Pontifice dispensante, vxorem duxit. Defuncto verò Helinstano Episcopo, omnium votis Suuithunus electus est. Eius pre-
Creatur S. Suuithunus Episcopus. cibus & exhortationibus rex Adulphus permotus, ecclesijs Dei vniuersam decimam terræ regni sui benignè donauit, libereq́ue sibi vendicare concessit. Idem sanctus Episcopus pontem Vuintonienſem, qui est ad Orientem, constituxit: Cumq́ue ei ædifi-

ei ædificando ſolicitam nauaret operam, quodam die illo ad opus reſidente, quędam paupercula mulier cò venit oua venalia in vaſe deferens: quam appræhenſam operarij laſciuientes & ludibundi, magno incommodo affecerunt, ouis vniuerſis non ereptis, ſed confractis. Illa igitur pro illata iniuria & damno dato, cum lachrymis & eiulatu coram Epiſcopo conquerente, vir ſanctus pietate permotus, vas, in quo erant repoſita oua, corripit, dextra ſignum Crucis exprimit, ouaque incorrupta & integra reſtituit.

Miraculũ.

Multæ eius præclara exempla.

Solebat verò ſtudiosè fabricare eccleſias ijs locis, quibus non erant: porrò dirutas & confractas inſtaurare. Dedicaturus ſacras ædes, non equo vehebatur ſublimis, nec ſecularis pompæ apparatum ſibi adhibebat: ſed clericis & familiaribus ſuis comitantibus, nudis pedibus humiliter incedebat. Ad conuiuia ſua accerſebat non locupletes, ſed egenos & pauperes. Os ei ſemper apertum erat ad cohortandos peccatores ad agendam pœnitentiam. Monebat ſtantes, darent operam, nè caderent: lapſos, vt reſurgerent. Cibum non vt ventrem farciret, ſed pro ſuî ſuſtentatione parcè & moderatè ſumebat. Poſt multas vigilias multosque labores, nè deficeret, ſomni paululùm admittebat, pſalmis & canticis ſpiritualibus ſemper intentus. Proximis ſemper, perindè ac ſibijpſi, quod vtile, quod honeſtũ, pium & ſanctũ eſſet, modeſto & humili ſermone proponebat. Vixit vir beatus vſque ad vitæ exitum in vera obſeruatione mandatorum Dei, omni cuſtodia ſeruans cor ſuum in omni munditia & ſpiritali puritate, catholicæ & Apoſtolicæ doctrinæ cuſtos integer, filiorum ſpiritaliter regeneratorum in ſanctæ conuerſationis ſtudio eruditor peruigil & magiſter. Humilitatem & manſuetudinem accuratiùs ſectabatur. Deniquè pacem & ſanctimoniam ſequens, fontem vitæ & ſempiternæ beatitudinis ſitiebat. Atque ità feliciter migrauit ab hoc ſeculo ad ſidereas manſiones ſexto Nonas Iulij, anno ſalutis octingenteſimo ſexageſimoſecundo. Iuſſit verò non intrà eccleſiam, ſed extra eius ſepta, indigno & vili loco ſe tumulari.

Eius beata mors.

Multa poſt obitũ eius miracula.

Poſt obitum ſuum multis coruſcauit miraculis: inter quæ apparuit cuidam viro, incredibili membrorum omnium infirmitate laboranti, admonens, vt Etheluuoldum Vuintonienſem Epiſcopum adiret, diceretque ei diuinæ prouidentiæ ità viſum, vt corpus ipſius à loco, in quo conditum erat, ſublatum, intrà eccleſiam digniori loco honorificentiùs tumuletur. Si diffidat & hæſitet, teſtimonij loco habiturum ſanitatem, quam, profligato eadem hora morbo, quo diù laborâſſet, ilicò eſſet recuperaturus. Addidit etiam, vt ad locum ſepulturæ veniat, vnum ex ferreis annulis, qui etiamnùm lapidi infixi viſuntur, ſine vlla lapidis læſione extracturus, rurſumque pari facilitate, nihil læſo lapide, in ſuum locum repoſiturus. Surgit ille perfectè ſanus: vtì prædicta erant, omnia reperit, cunctaque ex ordine Epiſcopo enarrat.

Incuruum quendam, & pecudum more, prono vultu terram reſpectantem, ſanum & incolumem reddidit. Vir quidam nobilis & diues, cùm meridiano tempore ad fluminis ripam deambularet, vidit ſubitò apparentes ſibi tres vltra modum horrendas quaſi mulieres ſtatura immenſa. Eæ fugientem illum compræhendentes, & multis modis affligentes, peſtiferoque flatu ſuo penè ſuffocantes, incredibili horroreaffectum, inſano ſimilem reddiderunt. Adducto autem ad eccleſiam, nocte apparuit ſanctus Suuithunus, & omni pulſo dolore, ſanitati eum reſtituit.

Eius trãslatio, & miracula.

Cùm Etheluuoldus Epiſcopus corpus beati viri è terra leuaret, mira odoris fragrantia omnes peruaſit, mulier cæca viſum recepit, & multi diuerſis preſſi ægritudinibus, eius meritis curati ſunt. Ea tranſlatio incidit in annum centeſimum decimum ab obitu illius, incarnationis verò Dominicæ nongenteſimum ſeptuageſimum primum, & Idus Iulij. Eodem die puerum, à natiuitate mirabiliter contractum, ſanauit: tribus mulieribus oculorum lumine orbatis viſum reſtituit: nexibus ferreis mulierem in carcere compeditam, ruptis vinculis, liberauit: paralyticum curauit: matronam nobilem, ſed cæcam, illuminauit: vigintiquinque homines varijs vexatos morbis, qui è locis diuerſis venerant, vno die perfectè reſtituit: cæcos aliquot, duas contractas fœminas intrà vnum diem: triginta & ſex è diuerſis locis venientes, nec vnius generis laborantes ægritudinibus, trium dierum ſpatio: neque diù pòſt, centum vigintiquatuor intrà dies quatuordecim curauit.

Quæ deinceps ſequũtur in hac hiſtoria, in compendiũ redegi.

Edgardi regis lex ſeuera in fures.

Rex Edgardus ob coërcẽda furta lege ſanxit, vt in furto depræhenſus, oculis priuaretur, auribus, manibus pedibusque præciſis, cute capitis nudaretur, ſicq; feris & auibus laniandus obijceretur. Accidit verò, innocentem quẽdam ea pœna mulctatum, penè

penè amittere auditum, obſtructis ſanguine aurium meatibus. Delatus à parentibus in oratorium S. Suuithuni, vt ſolus auditus ei redderetur, non id modò impetrauit, ſed etiam alia, quæ non rogauerat. Mulierem quandam dormientem oſtio aperto in villa ciuitatis Vuintonienſis, lupus è lecto abſportauit in ſyluam, & horrendo vlulatu alios ad ſe lupos acciuit. Mulier & inedia & ætate debilis, quid faceret ignorabat. Conuertitur ad preces, diuinam implorat opem, S. Suuithunum appellat. Lupus, eius audito nomine, obdormiuit: mulier ſe ſubducit: lupus euigilãs, cum ſocijs eam inſequitur, ſed lædi non potuit, quam Dei & beati Pontificis miſericordia liberandam ſuſceperat.

Statua S. Suuithuni, & miracula ad eam.

Statuam quandam S. Suuithuni Epiſcopus Schireburnenſis à fratribus acquiſitam, honorificè in eccleſia ſua collocauit, vbì præclara miracula crebrò edi ſolebãt. Ad hanc ſtatuam quidam leproſus non curationis obtinendę cauſa, ſed vt ab illis, qui eo in loco preces funderent, ſtipem acciperet, acceſſit. Cumque paululùm illic obdormiuiſſet, viſum eſt ei S. Suuithunum adeſſe, lepram ipſius manu abſtergere, & morbum illum omnem repentè ab ipſo depellere. Euigilans, lætus coram omnibus cingulum ſoluit, & ſe purgatum oſtendit.

VITA S. OTTONIS EPISCOPI BABENBERGENSIS ET APOSTOLI POMERANORVM, MVTATO *paſsim ſtylo per F. Laurentium Surium, ex quodam antiquo MS. libro deſcripta. Authoris nomen aberat, ſed ſatis appáret eum ſcripſiſſe bona fide.*

Iulij 2. ſed tranſlatio eius ſolenniter celebratur 30. Septẽbris.

BEATISSIMVS Otto Epiſcopus è Sueuia duxit originem. Parentes habuit Bartholdum Comitem & Sophiam, nobilitate magìs, quàm rerum opulentia inſignes. Conditione enim ingenui, ſummis principibus ſanguinis generoſitate erant pares, ſed impares cenſu. Ij cùm filium ſuum Ottonem in prima ætate literis traditum, diligenti cura quæſito illi magiſtro, ad puberes annos perduxiſſent, vita functi ſunt, facultatesque eorum & pecunias alter filius Fridericus, futurus miles, poſſedit. Ottone igitur ſtudiorum cauſa in exteris regionibus degente, frater eius adhuc puer, domum pro viribus gubernabat, tenues ſanè impenſas Ottoni in literas incumbenti ſuppeditans. Cùm iam autem Otto Grammaticæ pręcepta, itemque Poëtas & Philoſophos quoſdam tenaci memoria complexus eſſet, nec haberet ſumptus, ad ſtudia ſublimiora adſpiranti neceſſarios, noluit fratri aut alijs cognatis importunum & odioſum ſe præbere, iam tum in ipſa adoleſcentia ſecutus verecundiam & bonæ exiſtimationis decorum atque pulchritudinem.

Cap. 1.

Cap. 2. Abit in Poloniam S. Otto.

Itaque in Poloniam peregrè profectus, vbì nouerat literatorum eſſe penuriam, ludum literarium aperuit, & tum alios docendo, tum ſeipſum quoquè magis magisque ad eruditionis profectum vrgendo, breuì ſibi & rem auxit familiarem, & honori habitus eſt. Idioma quoquè regionis illius didicit, ſenſimque ad altiora progrediens, parſimoniæ, frugalitatis & continentiæ ſtudijs eruditionem ſuam illuſtrauit. Atque hac ratione omnibus charus & gratus effectus, in magnorum virorum & potentium ſeſe amicitiam & familiaritatem inſinuauit, non parùm illi eam ad rem conferente corporis elegantia, & quòd valdè idoneus & opportunus videretur legationibus obeundis, & inter ſublimes perſonas vltrò citroque ferendis reſponſis. Adſcitus verò eſt in aulam Poloniæ Ducis, qui eum legatum miſit ad Henricum Imperatorem, eius nominis Quartum. Obierat enim tum eius Ducis coniunx, & deſponſa illi fuit Iuditha, huius, quem diximus, Imperatoris ſoror. Euenit autem non ſine diſpoſitione diuina, vt beatus Otto ad Imperatoris aulam perueniret, in cuius etiam miniſterio cum cæteris, quos Capellanos vocant, aliquandiù permanſit.

S. Otto multis donis & gratijs ornatur.

Cap. 3.

Per id tempus Imperatores Eccleſiarum inueſtituras conferebant, & quotiès Epiſcopus aliquis deceſſiſſet è vita, eccleſia cui pręfuerat, pedum & annulũ ad Imperatorem

Ea res temerè à quibuſdã Imperatoribꝰ vſurpata, multas in Eccleſia turbas excitauit.

rem tranſmittebat, ab eius aula petẽs ſibi dari Epiſcopum. Itaq; multi nobiles & prę-
ſtantes viri, cognati & filij principum, Imperatoris aulam ſequebãtur, Capellanorum
ei miniſterium exhibentes, ſpe alicuius Epiſcopatûs obtinendi. Inter quos omnes ea
ſe moderatione & ęquabilitate comparabat Otto, vt neque ex ſublimitate inuidiam,
neque ex abiectione & vilitate contẽptum ſibi conflaret. Accidit tum, vt Imperato-
ris Cancellario in Epiſcopum promoto, in eius locum ab Imperatore Otto ſubroga-
retur. Quo ſanè munere ea dexteritate, induſtria & comitate perfunctus eſt, vt aulici
omnes multa eum beneuolẽtia & ſtudio complecterentur, eique deferrent. Interea
Babenbergenſis Epiſcopus Rupertus anno Chriſti milleſimo centeſimo ſecundo exceſſit è viuis, allataque ſunt Epiſcopatûs inſignia ad aulam Imperatoris, & preces ob-
latæ Imperatori pro paſtore dando. Ille verò ſex menſium ſibi voluit ſpatia permitti
ad deliberandum. Interim eccleſiæ Babenbergenſis Clerus & populus pro idoneo
antiſtite Dominum attentiſſimè deprecabantur. Elapſis indè menſibus ſex, Imperator ſignificauit Babenbergenſibus idoneum ſe ipſis paſtorem reperiſſe. Illi igitur inter ſpem & metum anxij, attentiùs rem Domino commendabant: cumque nuncij
tam Clerici quàm laici profecti eſſent ad aulam Imperatoris, cæteri omnes à minimo
ad ſupremum vſque proximo ante Saluatoris natalem Dominico die, inſtituta cum
Crucibus proceſſione, ad montem S. Michaelis aſſcenderunt, ſuffragia petituri, vt beatiſſimus Michael Archangelus, cæleſtis militiæ ſignifer, ſuis precibus à Domino ipſis
bonum, ſtrenuum, peritum paſtorem & præſulem impetraret. Eos autem pro ſua miſericordia & veritate exaudiuiſſe Dominum Deum, & beatiſſimum Michaelem Archangelum, ipſe certus rei probauit euentus.

Cap. 4.

Enimuerò & legati Babenbergenſis eccleſiæ ab Imperatore honorificè ſunt accepti, & in ſuo negocio feliciſſimè expediti. Cùm enim Imperator illos ad ſe vocâſſet, ità locutus eſt: Quantæ nobis curæ ſit eccleſia veſtra, hinc animaduertere poteſtis, quòd non temerè aut ſubitò rectorem vobis præficiendum putauimus, ſed adhibita temporis mora, itemq; conſilio & matura deliberatione. neque id mirũ ſanè, quãdò à propinquis & progenitoribus noſtris ea, vt nôſtis, eccleſia benè fundata, prędijs, poſſeſſionibus & omnium rerum copia & affluentia inſtructa & ſublimata eſt, atque ea omnia, quod de alijs eccleſijs dicere vix auſim, integra etiamnùm atque ſartatecta ei conſeruantur: ità vt iure meritoq; prouidum, ſagacem, & qui eius facultates tueri nôrit, non vanũ & ſuperbia tumidum, illi gubernatorem cõſtitui oporteat. His atque id genus alijs ſermonibus Imperatore ſuum conſiliũ ſemèl atq; iterùm legatis cõmendante, quidam ex eis propemodùm dilationis pertæſi, vbi vel quiſnam ſit ille, quem ipſe delegerit, ſciſcitabantur. Tum Imperator: En, inquit, præſtò eſt: & manu appræhendens Ottonem, (erat autem ille forma corporis egregia, bonis indutus veſtibus, tonſura & toto habitu intùs & foris Clericum repræſentans) Hic, inquit, hic eſt

Datur Babenbergenſibus Epiſcopus.

veſter dominus & Babenbergenſis eccleſiæ antiſtes. Conſternati autem legati, inuicèm ſeſe reſpectant, in ipſum quoquè Ottonem identidèm ſuos oculos conijciunt. Porrò nobiles plerique, qui aut ſibi, aut ſuis cupiebant, nutibus ac muſſitatione legatos, nè illum recipiant, inſtigant. Itaque ſubtriſtes legati: Sperabamus, inquiunt, aliquem ex aulæ veſtræ maieſtatis proceribus vel principibus nobis notum præſulem & dominum nos accepturos. Hic verò quiſnam ſit aut vndè, incompertum habemus. Tum Imperator: Vultisne, inquit, ſcire, quis & cuias ſit iſte? Illis ſe id velle reſpondentibus: Equidem, ait, pater eius ego ſum, & Babenberga mater eius erit. A qua nos ſen-

Non eſt ſtudẽdum priuato commodo, ſed eccleſiæ ſeu cõmunitatis vtilitati.

tentia non decedemus. Si quis autem ſeſe opponere auſus erit, is proculdubiò noſtram in ſe indignationẽ conuertet. Neque enim vel leuitate animi, vel priuatis commodis ducimur: ſed quod honeſtum inprimìs & illi eccleſiæ vel maximè neceſſarium viſum nobis eſt, id ſimplici animo hac in re ſecuti ſumus. De compertis, vt dici ſolet, non eſt incertum iudicium. Longa experientia & probatione totum hunc hominem perſpectum & cognitum habemus: eius fides, patientia, longanimitas, prudentia, ſagacitas, in rebus paruis diligentia, in arduis ſtrenuitas minimè nos latent. Neque ambigere debetis, eius abſentiam noſtræ domui non parùm detrimenti allaturam, vtpotè qui negocia eius omnia ſtrenuè ac fideliter exequi & expedire hactenùs conſueuerit.

Virtutes S. Ottonis.

Cap. 5.

Hæc vt Otto audiuit, ad pedes Imperatoris aduolutus, vbertìm lachrymas fudit. Accurrunt legati, proſtratum erigunt: ille contrà humiliter recuſat, dicit ſe inopem & tanta dignitate indignum: iuſtius eſſe confirmat, viros ingenuos, claros, nobiles, poten-

potentes & diuites capellanos Cæſareæ maieſtatis eum honoris gradum obtinere. Tum verò Imperator: Cernitis, ait, quæ ſit huius hominis ambitio. Iam tertiò recuſat. Duos anteà ipſi oblatos Epiſcopatus ad ſocios reiecit. Ecquid vobis videtur? Auguſtanam ſedem tradere ei voluimus, ſed ille ſciens hæreditatem, ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carere eos: qui ante ipſum in aulæ noſtræ laboribus & exercitijs verſati eſſent, æquum eſſe dicebat priores quiete potiri. Idem fecit, cùm ei à nobis oblata eſt Halberſtadẽſis eccleſiæ ſedes. Itaque ſpe bona ducor, Bambergenſi eccleſiæ illum diuinitùs reſeruatum. Atque hæc dicens, annulum Epiſcopi, eius digito appoſuit, pedum tradidit, & ità inueſtitum legatis attribuit. Mox à tota aula ei acclamatur: legatique rem diuinitùs agi cernentes, ſuſcipiunt & amplectuntur eum, dominum & patrem ſuum illum vocantes. Deindè Imperator ait ad illos: Accipite dominum veſtrum, & omni reuerentia, ſtudio ac beneuolentia ipſum complectimini. Teſtor enim eum, qui nouit omnia, non me nôſſe mortalem quenquam, cui honeſtiùs ac tutiùs eius loci cura credi potuiſſet. Me quoquè viuo & Romani Imperij habenas moderante, quiſquis hunc tetigerit, tanget pupillam oculi mei. Hac ratione atque hoc ordine pontificatûs cathedram ſcandere coactus, ægrè quidem & cum multa hæſitatione conſenſit propter contentionem illam, quæ erat inter regnum & ſacerdotium cauſa inueſtituræ & electionum eccleſiarum, quas euacuare ſibiq́ue vendicare plùs æquo nitebatur imperialis authoritas. Rurſùs autem verebatur non ſine diuinitatis nutu iam tertiò ſibi offerri epiſcopatum, eumque ſi tertiò repudiaret, poſſe in ipſum competere illam ſententiam: Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Tres Epiſcopatus recuſauit.

Prouer. 20.

Aegrè recipit cathedram.

Pſal. 108.

Inter has ergò anguſtias poſitus, quod vnum ſalutare exiſtimabat, ad ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis & catholicæ matris auxilium confugere decreuit. In ipſo igitur articulo, cùm adhuc in aula Imperatoris eſſet, votum nuncupauit Domino, nunquàm ſe in Epiſcopatu permanſurum, niſi cõſentiente & poſtulãte eccleſia ſua, ipſius Pontificis Maximi manu & conſecrari & inueſtituram conſequi mereretur. Porrò natalem Chriſti Saluatoris diem cum Imperatore Moguntiæ celebrauit. Deindè partìm retentis, partìm dimiſſis legatis, qui ipſius cauſa venerant, in aula manſit ad quadraginta ferè dies, pro decoro & honeſtate, tum Imperatore, tum aulicis omnibus permultùm ei deferentibus. Indè verò Princeps Auguſtano & Herbipolenſi mandat Epiſcopis, alijsque aulæ honoratis viris, vt eum Babenbergam deducant: qui ſanè honeſtiſſimo comitatu & multa frequentia ad ſedem ipſius pridiè Purificationis beatiſſimæ Virginis Babenbergam eum introduxêre, omni clero & populo eum cupidiſſimè expectante. Cùm autem eatenùs ad oppidum acceſſiſſet, vt iam cõſpicere poſſet monaſterium cathedralis eccleſiæ, ab equo deſcendit, calceamenta depoſuit, humilitatem animi corporis habitu oſtendens: atque ità licèt rigeret Februarij frigidum cælum, per niues & glaciem nudis pedibus vſque in ſancti Georgij ædem progreſſus eſt, occurrentibus ei longo examine clericis & monachis, laicisq; nobilibus permultis cum vniuerſa plebe Babenbergenſi, cum pompa & proceſſione inſigni, cum ornamentis & reliquijs Sanctorum, cum hymnis & cantionibus, ad perſonam & tẽpus accommodatis, tanta deniquè cum exultatione & decoro, vt pro dignitate verbis explicari nõ queat. Poſt officia ſalutationum, cùm illud penetrabile gelu adeò pedes Epiſcopi exuſſiſſet, vt ipſam vitæ ſedem cor & viſcera frigus ex toto ferè occuparet, alijs calidam aquam ad abluendos pedes offerẽtibus, ille gnarus & prudens frigidam popoſcit, eique pedes imponens, frigus frigore profligauit.

Exemplum præclarum humilitatis.

Memor autem voti ſui, poſt paucos dies ab ingreſſu ſuo in oppidum, priuſquàm de rebus cæteris quicquam conſtitueret, nuncios Romam mittit cum literis ad dominum Paſchalem Pontificem, eius nominis ſecundum: à quo per literas euocatus, Romam profectus eſt: quò cùm in ipſis Aſſcenſionis Chriſti feriis peruenìſſet, nec ibi Pontificem inueniſſet, in Campaniam abijt, & Anagniæ eum reperit. Qui autẽ cum illo venerant viri honorati, data & accepta ſalutẽ, Pontificem etiam eccleſiæ Babenbergenſis nomine ſalutant, ſuasque preces & vota pro electo antiſtite ſuo ſubiungũt. Otto verò nil cunctatus, ordinem & modum ſuæ ad Epiſcopatum euectionis exponit, nihil tegit ſilentio, pedum & annulum ad Pontificis pedes deponit, temeritatis & errati veniã petit, addens tamen non ſua voluntate, ſed aliena poteſtate ità factum: poſtulat aduersùs ſeipſum Canonicæ cenſuræ vltionem. Tum Pontifex Paſchalis, admiratus viri ſummam prudentiam & conſtantiam, leuare eum iubet inſignia. Ille verò

Cap. 6.

Nota religionẽ ſanctiviri.

Cap. 7.

Romã proficiſcitur.

Vide quàm agnoſcat Rõ. Pontificis authoritatem vir tantus.

verò negat, indignumque se protestatur. Ait igitur Pontifex: Sancti spiritûs solennitas aduentat: tanti ergò arbitri voluntati rem hanc permittere debemus. Cumque vltrò citroq; multa satis hinc inter se contulissent, accepta benedictione, Otto cum suis ad hospitium digreditur. Vbi sanè tota illa nocte & sequenti die multa apud se pertractans, & animo voluens accuratè malitiam temporum, angustias, curas, pericula pastorum, inobedientiam, proteruiam, insolentiam subditorum, & quicquid deniquè & duri aduersi in ea functione accidere possit, plena deliberatione, abdicatis omnibus, priuatus & quietus secum viuere decernit: accitisq; itineris sui socijs, quid deliberâsset aperit, moxque vale dicens Pontifici & eius curiæ, domum abire cœpit. Vnius autem dici itinere confecto, Pontificis mandato reuocatur, missisque donis quibusdam, eorum mystica interpretatione admonetur corpus & animum præparare percipiendis donis Spiritûs sancti. Ecquid verò faceret? Obedientiæ præcepto retrahitur, à comitibus impellitur, atque ità cum tremore & reuerentia reuersus ad Pontificem, in ipsa sacratissima Pentecoste, petentibus Babenbergensis ecclesiæ legatis, ab ipso Romano Pontifice accipit inuestituram, & cum multo decore & exultatione totius curiæ, inuocato Spiritu sancto, inter Missarum solēnia Episcopus consecratur. Simul autem ab eodem beatę memorię Pontifice id tum accepit priuilegij, quandò ex more pro accipienda Episcopali benedictione, Romanæ Ecclesiæ matri, quæ dignos filios honore afficere gaudet, venerandum caput submisit, vt cùm anteà potestas facta esset Episcopo Babenbergensi quater annis singulis specialis cuiusdam honorificentiæ prærogatiua, Cruce & pallio vtendi, ipse eiusque successores, quòd idoneus & honore illo dignissimus videretur, octiès Cruce & pallio quotannis vti possent: neque id ambitione aliqua, sed gratuita matris illius Romanæ Ecclesiæ benignitate. Et ille quidem post honorem Dei, quem in cunctis actibus suis glorificare iucundum ei erat, etiam ecclesiæ, cui præërat, gloriam & decorem cumulare studebat.

A Pontifice consecratur Episcopus.

Priuilegiū Episcopi Babergensis.

Cap. 8.

Ab eo autem tempore, quo Episcopus consecratus est, operante in illo gratia Spiritûs sancti, tam in secularibus, quàm spiritalibus & ecclesiasticis negocijs consilio viguit & prudentia, ità vt gratiam & dignitatem sibi augeret tum apud omnes generatim, tum illos verò peculiariter, quibus nō magis præesse, quàm prodesse incipiebat. Primitiæ verò operum eius duo cœnobia fuêre, quæ extruxit in Episcopatu Herbipolensi, quorum alterum Vraugia dicitur, sub patrocinio S. Laurentij: alterum Vra, in honorem beati Petri Apostoli: quibus honesta & eleganti fabrica absolutis, quemadmodùm omnibus suis monasterijs solebat, prædia, syluas, agros, prata vel precio cōparauit, vel alijs iustis modis acquirere studuit. Deindè in Babenbergensi Episcopatu tertium & quartum condidit monasterium: quorum alterum Michelenualt dicitur, in honorem S. Iohannis Euangeliſtæ: alterum in Lantheim, in honorem beatissimæ & perpetuæ Virginis Mariæ, Cistertiensis ordinis: nam alia tria ordinis Cluniacensis fuêre. Et Michelenualt quidem & Vraugiam, in fundo proprio patrimonij ecclesiæ: Lantheim verò & Vram, in aduentitio condidit. In Episcopatu Ratisponensi sex ædificauit monasteria, è quibus quinq; ordinis Cluniacensis fuêre. Primum, Entisdorffum dictum, in honorem S. Iacobi Apostoli. Secundum, * Pruueningen, sub patrocinio beati Georgij martyris: vtrunque in fundo aduentitio. Tertium, cognominatum est Monasterium, quod cum adiacente parœcia eiusdem nominis, sibi pecunia comparauit ab * Henrico Duce Bauariæ & Diepoldo Marchione, regioque Clotarij Imperatoris priuilegio illud in Babenbergensis ecclesiæ ius & ditionem transtulit. Quartum est Biburgum. Quintum * Adelhartesdorffum: sed Biburgum quidem sub patrocinio beatissimæ Mariæ perpetuæ Virginis: istud verò posterius, in honorem S. Iohannis Euangeliſtæ: vtrunque autem situm est in fundo aduentitio. Sextum porrò est Vuindelbergum, ordinis Clericorum regularium, quos Norbertinos siue Præmonstratenses vocant, in honorem sanctissimæ matris Dei: quod itidèm fundum aduentitium habet.

Multa construit monasteria.

Eccè quomodò patres nostri ecclesias Sanctis dedicârint, quem vsum hæretici reprobant.

Norbertini à Norberto primo fundatore dicuntur.

Cap. 9.

In Episcopatu Halberstadensi vndecimum eius extat monasterium Regēstorffum, ordinis Cluniacēsis, sub patrocinio beati Iohannis Baptistæ. Abbatiam enim Vicenbach, quæ nunc, mutato loco & nomine, Regenstorffum appellatur, cum omnibus, quæ iuris illius sunt, à munificentia Henrici Imperatoris Iunioris acceptam, priuilegijs regiæ authoritatis sanctæ Babenbergensi ecclesiæ adiecit, bonaque eiusdem cœnobij duplicauit. Cùm enim anteà non nisi sexagintaduos, vt vocant, mansos habuisset,

buisset, ille alios sexagintaduos adiunxit. In Episcopatu Eistetensi duodecimum construxit monasterium Halsprunnam, ordinis Cistertiensis, sub patrocinio beatissimæ matris Dei: quod quidem cum eius fundo ingenti pecunia coēmptū, magnis sumptibus in Abbatiam promouit. In Episcopatu Parauiensi tertiumdecimum eius est monasterium Alrispach, & decimumquartum * Cluniacense sub patrocinio beati Andreæ Apostoli iuxta fluuiū Anisum. Hoc verò à Lupoldo Marchione dono accepit, in eiusque promotionem viginti mansos & quinquaginta marcas impendit. In patriarchatu Aquileiensi decimumquintum cœnobium condidit in castro Arnoldstein, ipsa munitione destructa: quod quidem castrum annis quinque & quadraginta cum nonagintaquinque mansis, qui ditionis eius erant, ab ecclesia Babenbergensi abalienatum, ipse multo labore & sumptu recuperauit, adiectisque alijs sexaginta mansis, Abbatiam illic constituit. Hęc nimirùm quindecim cœnobia, opera illius & benignitas nunquàm infœcunda, condidit & propagauit. Prætereà verò etiam quinque cellulas, quasi totidem seminis grana serere curauit, sciens neque eum, qui seminat, esse aliquid, neque qui rigat, sed Deum incrementū dantem. Ex ijs autem granis quidam iam surculi pullulant, poteruntque, Deo augmentum præstante, in arbores excrescere. Prima dicitur Aspach, in honorem S. Matthæi Apostoli & Euangeliſtæ: cuius quidem fundum & fundi prædium multo tempore Babenbergensis ecclesia perdiderat: sed ille solerti cura perquisitum, in monachorum Cellam mutauit, quæ iam in Abbatiam profecit, multis prædijs ab illo primùm, deindè ab alijs fidelibus aucta. Secunda, in Babenbergensi loco in domate S. Michaelis sita est, quam sub patrocinio S. Fidis virginis & martyris, primò sanctimonialium esse voluit, sed posteà altiori consilio septem monachis eam attribuit, & cum omnibus, quæ illius sunt, S. Michaeli consignauit. Tertia est Rota, sub patrocinio S. Georgij martyris in Episcopatu Herbipolensi. Quarta Vuessera, in eodem Episcopatu, ordinis Nortbertinorum, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ. Sed alterius harum fœcunditas, alteri sterilitatem attulit. Rota enim permanens in sua tenuitate, proficientis Vuesseræ, tanquàm melioris, seruituti subdita est. Non est verò ignorandum, Rotam hanc Ottonem Episcopum ab Agnete Palatina eiusque sorore Adelheida cum sexaginta mansis ecclesiæ Babenbergensi donatam accepisse: quæ verò circumcircà adiacent illi cellæ bona, eum emisse ducentis septuagintaquinque marcis, putà agros, syluas, prata, pascua, molendina, & quicquid vsûs aut iuris in eo prædio * Eimo Dux noscitur habuisse. Vuesseram verò construere cœperat Gotboldus Comes, sed Otto Episcopus eam, dono ab illo acceptā, suis impendijs promouit. Quinta Cella fuit in Episcopatu Herbipolensi * Inchartehausen in pago Tulleualt. Quòd si verum fateri liceat, etiā sexta illi Tuckelhausen in eodem Episcopatu attribuenda est. Eius enim fundatores cùm se cernerent prouehendæ illi minimè pares esse, nec ignorarēt Ottonem Episcopum eiusmodi rerum esse studiosissimū, vt eius ope locus promoueretur, eius nomini eum adscripsêre, Babenbergensisque ecclesiæ coram idoneis testibus eum fore promiserunt. Qua conditione multa etiam illi loco impendit. Sed hactenùs de monasterijs & Cellis ab eo constructis dixisse sufficiat.

2. Cor. 3. Attende huius sancti pium erga religionem affectum in construendis tot monasterijs.

for. in Charchehausen Tuckelhausen iam est Cartusiense monasteriū

Porrò verò cathedralis Babenbergensis ecclesiæ monasterium, quod sub eius antecessore, Deo permittēte, solis saluis parietibus, penitùs conflagrârat, magnis impensis beati viri temporibus pristinæ suæ elegantiæ & dignitati restitutum est. Ipse pauimentum strauit, columnas ecclesiæ, quas ignis afflauerat, egregiè & firmauit & ornauit, Chorum S. Georgij exaltauit, picturas nihilo prioribus inferiores excitauit, & nè casus similis deincèps formidandus esset, totum monasteriū & turres laminis cupreis contexit, sphæras & cruces turrium inaurauit, omnia deniquè monasterij ædificia in singulis officinis instauranda, & in meliorem statum euehenda curauit. Quæ verò eidem ecclesiæ facultates & prædia eius benignitate accesserint, præter ea, quæ fundatorum liberalitas iam antè ei contulerat, vel sola Canonicorum mensa non paulò, quàm priùs fuerit, copiosior satis docere potest. Ecclesia quoquè S. Michaëlis non mediocres ei debet gratiarum actiones. Nam vetus illa structura cùm in sacrosanctæ Eucharistiæ ædiculæ, siue ciborij, vt author vocat, hemisphærio intrinsecùs rimam haberet, veritus ille, nè fortè ruinam faciens, monachos læderet, tanquàm sibi ea opportunitate oblata gauisus, totam illam sustulit, ipsumque monasterium deintegrò, & quidem augustius atque grandius extruxit, ipsamque rem fratrum, plusquàm nonaginta talentorum redditibus annuis, cumulauit: multa quoquè eidem loco ornamenta

Cap. 10. Ecclesiā S. Georgij & monasteriū egregiè instaurat.

Multū contulit ecclesiæ S. Michaelis.

menta contulit, quippe quem singulari quodam studio & beneuolentia, tanquàm corporis sui post obitum futurum domicilium, semper complexus sit. Multa hîc breuitatis causa prætereo, quæ tum huic, tum alijs cœnobijs & ecclesijs suis elargitus est, pallia, stolas, casulas, calices aureos & argenteos, cruces, capsas, vrceos, ampullas aureas & argenteas, thuribula, acerras, candelabra, diuersa ecclesiarum vtensilia, cortinas, tapeta, vtriusque testamenti codices, aliosque diuersos libros: quorum omnium tam est ingens copia, vt numerus æstimationem vincere videatur. Et est sanè admiratione dignum, ab vno Episcopo tot locis tam multa potuisse conferri. Sed hæc omnia de fonte rei familiaris ille hauriens, Deo subministrante abundè multa, seipsum non exhausit: immò, sicuti ipse dicere solebat, quãto plus in Dei opera erogabat, tanto semper magis ipsi, quod erogaret, suppetebat. Quanuis autem totus esset in Deo, & omnia sua in cœlestes thesauros præmittere festinaret: at nihilo minùs, vt vir prudens & potens, quod Dei erat, reddidit Deo: & mundo, quod illius esset, non negauit. Quæ verò illius in vestitu & victu frugalitas fuerit ac parsimonia, vix vlli credibile videatur. Dixisse enim illum pro certo accepimus, nunquàm se in episcopatu panem ad satietatem comedisse. Semper enim sobrius & penè ieiunus à mensa surrexit, apposita omnia, ægrotis, egenis, & mendicis impertiens. Quodam ieiunij tempore, cùm multa esset piscium penuria, quidam procurator eius lucium non magnum duobus solidis emit, eumque benè apparatum prandenti illi obtulit, modestè obsecrans, vt plus aliquid cibi caperet, seque pisce illo carè empto reficeret. Cui Episcopus: Quanti, inquit, emisti eum? Respondit ille: Duobus solidis. Tum Episcopus: Absit, inquit, vt miser Otto solus hodiè tot nummos absumat: leuansque discum, iussit eius precij cibum apportari Christo suo, qui illi seipsõ meritò charior esse deberet. Ferto, ait, piscem hunc, ficubi nósti hominem morbo decumbere, aut paralysi cruciari. Ego, qui robustus sum, hoc me pane facilè refecero. Ità ille in tanta opulentia delicijs studebat.

Attendant hũc locum Auari qui semp egent.

Insignis in Episcopo frugalitas, & in paupe-res benignitas.

Cap. 11. Boleslaus subiugat Pomeranos.

Cùm sic autem egregius pastor ouilis sibi crediti præcipuam gereret curam, Boleslaus Poloniæ Dux illum ad se accinit, vt Euangelij prædicatione ad Christi religionem traduceret Pomeranos, quos Dux ille, Boëmorum & Hungarorum fretus auxilio, suæ ditioni per id tempus subdiderat. Cuius quidem rei occasionem indè Poloniæ Dux arripuit, quòd Otto Episcopus, vt suprà memoratum est, in sua adolescentia versatus in Polonia, eius gentis linguam didicisset. Itaque eius consilium & opem implorabat, vt Pomeraniæ populus, quem crudam barbariem vocabat, Christiana doctrina imbutus, ad sacri baptismatis gratiam conuerteretur: multùm sanè id conquerens, quòd nullos neque Episcopos, neque presbyteros, huic operi Domini idoneos & voluntarios, obtinere posset. Ea re cognita, Otto pijssimus, & nuncium hunc & profectionem hilariter suscipit, rebusque suis compositis, & à Pontifice Romano dimissione impetrata, per Boëmiam, Deo duce, in Poloniam peruenit: moxque tribus presbyteris in cooperarios assumptis, Pomeraniam adit. Ei verò Christiernus, terræ illius princeps, qui iam Christianus erat, honorificè processit obuiàm, obsecrãs Episcopum, vt omnem nauaret operam, quô gens illa ad fidem Christi instituí & baptizari posset. Etsi aũt Pomerani crassi admodũ & dura ceruice essent, at tamen benignus Deus gratiã & spiritũ dedit, ità vt venerãdus Episcopus studiosè catechizãdo & fidenter concionando verbum Dei, difficultates omnes perruperit, & breui tempore multùm profecerit, adeò vt intrà paucos dies ad septem hominum millia vndis salutaribus expiata sint. Cumque Pomerani Principis coniunx, quæ etiamnùm ethnicismi erroribus implicata tenebatur, tantã diuinæ gratiæ cerneret largitatem, Euangelium regni Dei etiam ipsa complexa est, & cum familia sua in Christi Ecclesiam, baptismi percepto sacramento, transiuit. Effecit prætereà beatus Otto, vir Apostolicus, vt Dux Vuenceslaus vigintiquatuor cõcubinis aut pellicibus suis propudiatis, solã legitimã coniugem retineret. Extruxit etiã sanctus Episcopus in ea regione ecclesias, in ijsque presbyteros ordinauit. Deindè vlteriùs in eadem prouincia profectus, Christum euangelizauit. Interìm verò in quendam peruenit locum, cuius incolę Christianam religionem amplecti modis omnibus detrectabant: cumque ille magno zelo & multa instantia prædicaret, verberibus ab illis affectus est, & in cœnũ depressus atque conculcatus, multisque contumelijs & ignominijs appetitus. Verùm id ille placidè ferens, nec minori fiducia verbum Dei quotidiè prædicans, Deumque fidẽter implorans, desidem illum & socordem populum tandiù tamque accuratè adhortatus est, vt tan-

Pomeranos multos cõuertit S. Otto.

Ab incredulis multa patitur.

vt tandèm in Christi suaue iugum colla sua immiserit. Tum verò pœnitentia ducti, dolebant se virum sanctum, qui ipsos magnis affecisset beneficijs, tam inhumaniter tractauisse. Postquàm autem Pomerani Christiana religione initiati fuêre, & cultus diuinus ritè apud eos constitutus, vir sanctus ad Babenbergensem sedem suam se recepit, vbì non solùm vt Episcopus, sed instàr Apostoli cuiusdam, magno cum gaudio susceptus est. Transactis autem annis aliquot, iterùm in Pomeraniam redijt, veritus, quandoquidem multi adhuc in fide infirmi illic essent, & ipsa plãtatio tenera, nè inimicus satan semen suum inspergeret, & populum ad apostasiam induceret, sicque relicto Christo, ad idololatriam relaberetur. Itaque per Saxoniam iter ingressus, cùm iam secundò Pomeranos pleniori Domini doctrina confirmâsset, in Poloniam profectus est ad Boleslaum principem: deindè in suam diœcesim reuersus est.

Solicitudo ecclesiarum in sancto Dei quanta fuerit, vide.

Referam hoc loco quoddam flagellum eius siue diuinam castigationem, simulque eius & causàm siue ordinem, & quid boni indè consecutum sit, exponam. Cùm fortè in pago Buchebach diuinarum rerum studiosus chartulam patrociniorum legisset, & in ara ecclesiolæ multas & maximas sanctorum reliquias reconditas animaduertisset, ad nobiliora eas loca transferre cogitabat, vbì maiori in honore & veneratione ab hominibus religiosis haberentur. Itaque adiunctis sibi Clericis, cùm priùs ieiunio & precibus vacâsset, pia animi intentione sigillum altaris resignari iubet: sed hæsitantibus cunctis & trepidantibus, ipse ferrum arripiens: Absit, inquit, vt tantum decus sub tam vili tegmine permaneat: cumque semèl atque iterùm vel tertiò sigillũ malleo cecidisset, sanguis è plumbi arcula haud aliter atquè ex animantis corpore manauit. Turbatus Episcopus, abijcit ferrum: stupent omnes, cœptũ opus intermittitur: ad orationem simul omnes prosternuntur, admissi veniam petunt. Sed pater omnipotens, sapiens & benignus, qui ad disciplinam filium erudire volebat, graui ægritudine Ottonem afficit, adeò vt de vita desperaret. Inualescente indè morbo, cùm se putaret minimè eo liberatum iri, Abbatem S. Michaëlis Vuolframmum, quem præcipuè fidum atque familiarem habebat, accersit, vt siue ad vitam, siue ad mortem res spectaret, fide & obsequio fidelis amici vteretur. Illo igitur ad eius lectulum assistente, eiusque dolores modis quibus poterat delinire conante, vir beatus, monasticæ religionis præcipuus amator, habitu monachi instantissimè se petit induí, dicens, ab annis multis propositum sibi fuisse, abdicata pontificis dignitate, in paupertate spiritús & contritione cordis, sub magistri obediẽtia Christo seruire. Verùm Abbas vir gnarus & prudens, magnique consilij, obedientiam quidem ægrotantis suscepit, desiderium & petitionem eius laudans: sed habitum deindustrià distulit. Post aliquot dies meliusculè habet ægrotus: memorque vori sui, religionis habitum expetit, disponit res suas, ad monasterium deportari se mandat. Abbas lætus seruore tanti viri, cum multis honestis viris, quid agendum sit, consultat: illi verò omnibus perpensis, aiunt sibi planè inconsultum videri, talem virum, ecclesiæ & pauperibus Christi adeò necessarium, ad monasterij silentia transferri. Tum Abbas reuerenter ex Episcopo percontatur, velítne promissam sibi obedientiam re ipsa exequi: illoque respondente, in eius nomine, qui pro nobis Deo patri vsque ad mortem obediuit, se ipsi parére paratum esse: Abbas subiungit, In eius igitur nomine tibi præcipio, pater sanctissime, vt sub onere suscepti regiminis vsque ad supremum vitæ tuæ diem perseuéres, & ad honorem Dei, vtilitatem Ecclesiæ, consolationem pauperum Christi, leuamentum viduarum & orphanorum ità pergas, vt hactenùs consueuisti, & exigas tempora tua in operibus bonis: &, vt paucis expediam, facias quod facis: opereris, quod operaris, vitam æternam & centuplum recepturus. Ecquis enim hodiè monachus tantæ perfectionis est, vt eius merita vel paupertatem tuis diuitijs æquiparemus?

Cap. 12.

Nota rem miram: sed væ hæreticis, qui sacras reliquias etiã summa ignominia afficiũt.

Cupit fieri monachus.

Abbas, cui obedientiã promiserat, non sinit eũ degere in monasterio

Ab eo igitur tempore Episcopatus Babenbergensis totus in eleemosynas, totus in hospitalitatem erga pauperes & peregrinos collatus est. Quicquid frumenti aut annonæ, quicquid auri vel argenti vspiàm vel vnquàm inueniri potuit, per manus inopum in cæli thesauros transmissum est. Postea verò tam morbo, quàm senio exhaustis corporis viribus, in dies vir beatus cœpit dissolui, & ægritudinis labore perpetuo ad laborum finem tendere. Sentiens ergò se acriori morbi vi & infestatione ad finem vrgeri, in amicum sibi semper & vsitatum eleemosynarum opus tanto ardentiùs incubuit, quanto certiùs perspiciebat diù se illud exercere non posse. Videre tum licebat loca omnia, domos omnes circa ipsum sitas, immò totam ciuitatem peregrinis & pauperibus repleri, videre itèm viduarum & orphanorum longa examina, & clericorum

Cap 13. Mira liberalitas in pauperes.

ricorum atque monachorum intrantium & exeuntium multam turbam pij, vt ità dicam, negociatoris, iam abire maturantis, ſanctiſſimas nundinas frequentantium. Quidni enim forum ſacrum, aut nundinas ſacras dicere liceat, vbi terrenis cæleſtia, caducis æterna comparantur bona? Feruebant ſanè circa illius lectum cæli terræque negocia ſancta, & Martha ſemper ſolicita ac diù turbata circa multa, immò innumera humanitatis officia, ne languida quidem & morti vicina, ceſſandum ſibi putauit ab operibus ſuis multis, propter vnum illud, quod ſciebat eſſe neceſſarium. Cum Abbatibus & Præpoſitis, cum procuratoribus & diſpenſatoribus ſuis de omnibus ordinauit, eccleſias, cœnobia, domos hoſpitales, valetudinaria & diuerſoria ſua intima recogitatione digeſſit, ſingulisque, prout opportunum videbatur, ſumptus & res neceſſarias adiecit. Cerneres iam tum oleam vberem & fructiferam, ſolito vberiorem & copioſiſſimis fructibus onuſtam, totam ſeſe carpentium manibus offerre & inclinare: & habet id reuerà non mediocrem admirationem, inexhauſtæ benignitatis arcam hanc, quæ tot iam antè diebus & annis ad largiendum iugiter porrecta & aperta fuerat, tantum etiamnùm in extremo vitæ tempore inuenire potuiſſe quod elargiretur. Sed quandò tu ô Martha, religioſa Saluatoris hoſpita, vllam poſſes ſentire egeſtatem? Quis enim dans omnia donanti, vnquàm ad inopiam redactus eſt?

Luc.10.

Cap.14. Sacramẽtis munitus, ſanctã animam tranſmittit ad cælos.

Interea verò languor magis magisque luctantem ſpiritum vrgebat, riteque diſpoſitis omnibus, quæcunque poſt ipſum victuris præſtare poterat, ſupplici & pura confeſſione præmiſſa, olea illa placida & ſancta, ſacri olei extrema vnctione delibuta, ſacroſanctum Dominici corporis viaticum accepit: circunſtanteque illo ſuo, ſemper ipſi familiari, tam clericorum quàm monachorum religioſorum collegio, pſalmis & orationibus agonem eius Domino deuotè ac piè commendantium, plenam operibus bonis & eleemoſynis, plenam honoris & gratiæ animam ad cælos tranſmiſit. Flebat verò ciuitas vniuerſa, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus. Flebat omnis ordo & omnis religio: diuites & pauperes, nobiles & mediocres cum ruſticis, omnes pariter ſe patre orbatos lugebant, idque tanto maiori acerbitate, quanto illum cuncti impenſiùs amabant. Porrò monaſteria & eccleſiæ tum propinquæ, tum remotæ, magnates quoquè & proceres prouinciæ, obitûs eius fama percepta, vndiquè accurrebant, infelices ſe & ignauos exſtimantes, ſi eius, quem viuentem dilexerant, funeri non adeſſent, vel ſi debito honore tanti patris exequias non proſequerentur. Superuenit verò etiam ſanctæ memoriæ Embricho Herbipolenſis Epiſcopus, amicus ad amici exequias. Iam enim totum triduum à deceſſu eius, corpus beati viri per omnes eccleſias circunlatum, & iugibus ſacrificijs indefeſſisque precibus & eleemoſynis beata eius anima ab omnibus fuerat Deo commendata. Quarto autem die, vbi ad ſepulcri locum ventum eſt, Epiſcopus, quem diximus, cõmendationem celebrauit, atque inter Miſſarum ſolennia, quæ pro dilecti patris & amici anima multa intentione agebat, ad mœrentem & lugentem multitudinẽ breuem quidem, ſed mellifluum & gratiæ plenum ſermonem habuit. Sacrificio indè abſoluto, in beati Michaëlis eccleſia, Comitibus, Marchionibus, alijsque nobilibus viris feretro eius ſuos humeros certatim ſupponentibus, ſarcophagum leuantibus, aliaque neceſſaria officia vel miniſteria inſtàr operariorum ſuis manibus religioſè exequentibus, corpus beati viri tumulatum eſt, anno ſalutis 1139. tertio Nonas Iulij: Epiſcopatûs eius anno 37. Tranſlatum autem eſt corpus eius anno 1189. ſub Clemente 3. pridiè Calendas Octobris: quo die feſtum eius celebratur. Hactenùs ex Codice MS. Sunt qui ſcribant Andream Abbatem extra Babenbergam quatuor conſcripſiſſe libris vitam huius ſancti viri, circa annum Chriſti 1500. ſed ea ad meas manus necdùm peruenit. D. Iohannes Tritthemius Abbas Spanheimenſis affirmat eum in vita & poſt obitum multis claruiſſe miraculis

Embricho Epiſcopus Herbipolẽſis eius funꝰ celebrat.

VITA

VITA SANCTI GREGORII THAVMATVRGI,
ID EST, MIRABILIVM OPERVM EFFECTORIS, QVI
fuit Epiſcopus Neocæſareæ, per D. Gregorium Epiſcopum Nyſſenum ſcripta, Gentiano Herueto Gallo, viro doctiſſimo interprete.
Capitula ad marginem adiecimus.

HIVVS, quæ in præſentia habetur, orationis, & veſtri conuentûs vnus idemque eſt ſcopus & inſtitutum. Magnus enim Gregorius, & vobis cauſa fuit vt conueniretis, & mihi de eo propoſitum eſt dicere. Ego quidem exiſtimo eiuſdem eſſe facultatis, ſe ex virtute præclarè & rectè gerere, & ſermone, quæ ſunt pulchra & honeſta, referre. Quamobrèm idem fuerit inuocandum auxilium, per quod ille in vita rectè virtutem exercuit. Id autem eſt, vt ego quidẽ iudico, gratia ſancti ſpiritûs, quę & ad vitam, & ad dicendi facultatem ijs vires præbet, eosque confirmat, qui in vtroq; ſtudium poſuêre. Quoniam ergò præclara illa & inſignis vita, ſancti ſpiritûs virtute rectè geſta eſt, orandum eſt, vt ad orationem tantum detur auxilium, quantum illi affuit in vita: vt rerum geſtarum dignitas laudem minimè antecellat: ſed talis oſtendatur præſentibus in ea, quæ fit de eo, commemoratione, qualis in ipſis cernebatur factis ijs, qui erant illo tempore. Atque ſi inutile quidem eſſet meminiſſe eorum, qui virtute præſtant, & ijs qui audiunt, ad id quod eſt bonum, nullus rediret fructus, eſſet fortaſsè ſuperuacaneum & inutile, nullius commodi gratia accedere ad laudationem, cùm & ipſe narret temerè, & fruſtrà auribus exhibeat moleſtiam. Cùm autem, ſi ea, quam par eſt adeſſe, adfuerit elegantia & gratia orationis, erit commune lumen eorum, qui audiunt, non ſecùs atquè fax ijs, qui in mari nauigant, ad ſeipſam dirigens eos, qui per mare errant in tenebris, exiſtimo opùs eſſe vtriſque æquali ſtudio, & vobis ad audiendum, & mihi ad dicendum. Clarum eſt enim, in eius vitam, rectè & ex virtute geſtam, facis inſtàr per recordationem noſtras animas illuminãtem, futuram eſſe viam ad id, quod bonum eſt & honeſtum & ei qui narrat, & eis qui audiunt. Natura enim quodammodò inſitum eſt hominibus, vt ſint apti & accommodati ad omne, quod eſt honeſtum & laudabile, & id poſſidere deſiderent.

Iulij 3. ſecundùm Martyrologia. Rom. Breuiarium & Græcorũ Menologiũ habẽt eum in Nouẽbri. Cap.1.

Atque eorum quidem, quæ ſunt dicenda, argumentum eſt eiuſmodi, quod quidem mihi audenti ſuſcipere nulla ex parte imminet periculum, ſiue ſe ad rerum geſtarum magnitudinem extollere potuerit oratio, ſiue non. In vtroque enim horum par erit laus ei, qui laudatur. Nam ſi res quidem geſtas aſſecuta fuerit oratio, earum admiratione aures omninò obſtupeſcent. Sin autem ea à tergo longè relicta fuerit, ſic quoquè eius qui laudatur, gloria illuſtratur. Eſt enim maxima laus hominis, ſi oſtenſum fuerit eum eſſe talem, vt omnes omnium laudes ſuperet. Nemo autem ex ijs, qui ſunt diuina inſtituti ſapientia, quærat pro more externo, vt qui ſpiritalibus celebratur laudibus, artificioſa encomiorum laudetur ratione. Non eſt enim nobis & alijs ſimile de eo, quod bonum & honeſtum eſt, iudicium. Neque caſdem de ijſdem inuenerit aliquis opiniones apud eos, qui in mundo viuunt, & eos, qui mundum ſuperârunt. Illis enim videntur magna & digna, in quæ ſtudium conferatur, diuitiæ & gloria, & mundanæ poteſtates, & fabulæ, quæ patriæ ſuæ tradunt originem, & quæ ijs, qui ſapiunt, fugiendæ ſunt narrationes, trophæa & prælia, & mala, quæ ex bellis proueniunt. Noſtra autem oratione vna honorata eſt patria, paradiſus, quæ fuit prima ſedes hominum generis. Vna eſt ciuitas, quæ eſt cæleſtis, & per viuos eſt conſtructa lapides, cuius artifex & opifex eſt Deus. Vna eſt generis claritas, quæ nobis cum Deo intercedit neceſſitudo & affinitas, quæ non caſu alicui euenit, conuenienter ei, quæ in mundo eſt, cognationi, quæ fluens per hanc casûs conſequentiam, ſæpè ferrur etiam ad improbos: ſed quæ non aliter parari poteſt, niſi libero ac voluntario animi inſtituto. Quotquot enim, inquit, eum acceperunt, dedit

Aliter mundo, aliter Deo dediti, de rebus iudicant.

Hebr.11.

Iohan.1.

Cap.2.

eis poteſtatem, vt filij Dei fierent. Hac autem nobilitate quidnam fuerit præclarius?

Sunt alijs quidem omnibus patria fabulæ & figmenta, & dæmonum fraudes admixtæ fabuloſis narrationibus. Patria autem noſtra nullis indiget narratoribus. Nam qui cælum adſpexerit, & eam quæ eſt in ipſo pulchritudinem, & creatam omnem naturam mentis acie conſideraverit, quæcunque potuerit miracula in eo comprehendere, ea inueniet noſtræ patriæ eſſe narrationes: immò verò nõ patrię, ſed potiùs coloniæ, in quam ex vita excelſiore amandati, in mundum præſentem venimus. Si autem talis eſt colonia, conſiderare oportet, quænam fuerit ciuitas, ex qua illa deducta eſt, quænam illius pulchritudo, quales in ea regiæ, quæ beatitudo eorum, qui illã ſortiti ſunt habitationem. Si enim quæ in rebus creatis cernuntur, ſunt eiuſmodi, vt orationem ſuperent: quid exiſtimare oportet id, quod eas ſuperat, quod eſt eiuſmodi, vt

1.Cor.2. nec poſſit oculis apprehendi, nec aure capi, neque mente conijci? His de cauſis à ſpiritali commendatione eorum, qui laudantur, ſecernit inferiores nugas lex diuina encomiorum, turpe eſſe iudicans, vt qui ex ijs, quę ſunt eiuſmodi, ſunt cogniti, de ijs glorientur, quæ ſunt precioſa in terris. Quocirca mundanus quidem vir quiſpiam, ad terrenam reſpiciens beatitudinem, ex ijs, quæ ſunt eiuſmodi, laudem colligat hominibus, nempe, ſi alicui obtigerit patria fertilis pecoribus: ſi mare propinquum perſe ſuppeditat materiam ijs, qui laborant ingluuie: ſi gemmarũ frequentes inter ſe conſertæ poſituræ ſtructuras exornant. Ei autem, qui ad vitam adſpicit ſupernam, pulchritudo quidem eſt animæ puritas: diuitiæ autem, nil poſſidere: patria autem, virtus: ciuitas verò, ipſa Dei regia. Quo fit, vt in rebus terrenis gloriam conſectari, pro probro ſit habiturus. Idcircò nos quoquè his relictis, neque patriam adijciemus laudibus Magni Gregorij, neque aſſumemus Maiores, vt ferant auxilium illius encomijs, cùm ſciamus nullam eſſe veram laudem, quæ non ſit propria eorum, qui laudantur. Proprium autem dicimus, quod omninò manet in perpetuum eiuſmodi, vt non poſſit auferri.

Veri Chriſtiani pulchritudo, diuitiæ, patria & ciuitas, quæ dicantur.

Quoniam ergò ſeparati ab omnibus, diuitijs, claritate generis, gloria, delicijs, cognatis & amicis, ab ea, quæ eſt ex vitio vel virtute, affectione manemus inſeparabiles, id ſolùm eſſe exiſtimandum beatum iudicamus, quod ex virtute geritur. Neque verò exiſtimet aliquis, me, quoniam nihil habeam præclarum, quod poſſim narrare de patria, vel maioribus Gregorij, præ me ferendo hæc contemnere, dedecus latenter effugere. Quis enim neſcit eximium Ponti cognomen, quod eſt genti impoſitum ab hominibus, quod teſtatur virtutem eorum, qui ab initio eum locum ſortiti ſunt? ſolus enim ex vniuerſo mari & vniuerſa terra, Pontus Euxẽnus nominatur, ſiue in eos, qui illic verſantur, hoſpites ipſo nomine illorum teſtante humanitatem, ſiue etiam quòd talis eſt locus, vt non ſolùm incolis & indigenis, ſed ijs etiam, qui ad ipſum vndequaquè veniunt, abundè ſuppeditet, quæ ſunt ad victum neceſſaria. Talis enim eſt natura regionis, vt ſit fertiliſſima omnium, quæ vſui ſunt ad victum, & nullo careat ex ijs bonis, quæ ſunt apud alios, vtpotè quòd mare efficiat, vt quæcunque ſunt apud alios, ſint eorum propria. Cùm autem ſit tota gens eiuſmodi, vt quancunque quis eius partem perſe conſideraverit, exiſtimet eam eſſe potiorem cæteris, nihilo ſeciùs communi gentis iudicio, quæ circuncircà habitatur, eſt aliarum velutì quidam vertex ciuitas Magni Gregorij, quam quidã inſignis Imperator ex ijs, qui Romanorum obtinebant imperium, Cæſar nomine, amore loci captus & deſiderio, voluit vt ciuitas ſuo nomine vocaretur Neocæſarea. Sed hæc nihil faciunt ad noſtrum inſtitutum, vt per hæc exiſtimemus demonſtrare præclariorem illum Magnum inter ſanctos Gregorium, ſi regio abundet fructibus, ſi ciuitas eſt magnificis ornata ædificijs, ſi vicino mari vndequaquè quicquid videtur, affatìm importetur. Sed nec eius Maiorum, qui ortum in carne præceſſerunt, mentionem faciam in oratione, diuitias & honores, mundanosq; eorum ſplendores referens. Quid enim hæc ad laudem contulerint, ſepulcrum, columnæ & inſcriptiones, & mortuæ narrationes apud eum, qui ſe ſupra mundum vniverſum extulerit? Alioquì autem nec fieri poteſt, vt illos ad eius laudis deducamus ſocietatem, quorum is abnegauit cognationem eius, quæ eſt in anima, affinitatis. Illi enim infatuati fuerant in errore idolorum. Hic autem reſpiciens ad veritatẽ, ſupernæ cognationi ſeipſum inſeruit per fidem. Sed quemadmodùm quidem, aut à quibus natus ſit, aut quamnam ab initio habitârit ciuitatem, vt quæ ad propoſitam narrationem nihil nobis conferant, prætermittemus. Eius autem laudationis ducemus principium à vita, quàm is egit ex virtute.

Neocęſarea vndè dicta.

Diuitię, honores & omnia mundana vilipendenda.

Cùm

Cùm enim in corpore admodùm iuuenili eſſet defectus naturali curatione, mor- Cap.3.
te obita à parentibus, quandò præ ætate imperfecta, multis intelligẽtia ab eius, quod bonum & honeſtum eſt, aberrat iudicio, ſtatìm oſtendit ab ineunte ætate, qualis, ea iam perfecta, eſſet futurus. Et ſicut generoſa germina quandò in primo incremento ramos directos ediderint, agricolis per præſentem ſpeciem oſtendunt eam, quæ poſteà futura eſt, pulchritudinem: Eodem modo ille quoquè, quandò alijs lubrica & inſtabilis eſt anima, ad ea quę ſunt vana & ſtulta, vtplurimùm labente adoleſcẽtia, tunc ſtatìm per primum ſuum vitæ inſtitutum oſtendit in ſe ipſo, Dauid verum dicere, Iuſtus vt palma florebit. Ea enim ſola ex arboribus, perfecta verticis craſſitudine è terra enaſcitur: & creſcente augmento longitudinis, nullũ in latitudinem additamentum accipit à tempore. Sic ille quoquè floruit à prima germinatione, vitæ inſtituto confeſtìm exortus perfectus, & excelſis comatus frondibus. A tenera enim ętate omnia relinquens, quæ iuuenilis ætas ſtupet & admiratur, equos, venationem, ornatas veſtes, ludos talorum, omnesq; delicias, ſe totum ſtatìm contulit ad parãdas virtutes, quod præſenti ſemper ætati eſſet conducibile, deincèps eligens.

Pſalm.91. Nota de palma.

A puero vitę ſanctiſſimè.

Prima autem ex virtutibus ei paratur, ſtudium ſapientiæ. Hanc autem tanquàm matrem, coniunctus quidam pullus conſequebatur, temperantia. Ad vtraque autem erat adiutrix & ſocia, continentia. Vt à faſtu autem & arrogantia, & etiam ab iracundia eſſet omninò remotus, egregiè effecerat pecuniæ deſpicientia. Non aliundè enim oritur faſtus & ſuperbia, quàm ex auaritia, & plura habẽdi cupiditate, quę ſecum hæc inducit vitia. Quomodò autem Patriarcham Abraham tradit ſcriptura, cùm Chaldaicæ philoſophiæ habuiſſet ſcientiam, numeroſamque & ordinatam aſtrorum poſituram motumque comprehendiſſet intelligentia, vſum eſſe eorum cognitione, tanquàm baſi ac fundamẽto ad ſupereminentis boni contemplationem: & cum animo reputâſſet, ſi quæ ſenſu percipiũtur, huiuſmodi ſunt, quidnam fuerint ea, quæ ſenſum ſuperant: ſic conſecutum fuiſſe, quod quærebat, vt qui externa ſapientia, velutì cuctus eſſet, & per eã euaſiſſet excelſior, adeò vt per eam quodammodò appropinquaret ijs, quæ non poſſunt comprehendi: Ità etiam hic Magnus in externa philoſophia ſtudioſè verſatus, per quæ in multis hominibus error confirmatur gentilium, per ea deductus eſt ad intelligendum Chriſtianiſmum: & relicta falſa parẽtum religione, eorum, quæ ſunt, quærebat veritatem ex ijs, quæ ſunt laborata ab externis, doctus, non poſſe conſiſtere dogmata gentilium.

Eius ſtudiũ ſapientiæ, & aliæ virtutes.

Abrahæ eruditio.

Quoniam autem in opinionibus de Deo, videt in diuerſas ſcindi diſtrahiquę opiniones ſapientiam ſimiliter & Græcam, & barbaram, & dogmatum principes neque inter ſe conuenire, & vnumquenque pro ſe ſedulò contendere, vt ſuum ingenij acumine & rationum ſubtilitate confirmet: eos quidem reliquit, vt qui bello inteſtino ſe viciſsìm euertãt, & accedit ad firmum ac ſtabile verbum fidei, quod nulla confirmatur verborum curioſitate & artificioſis nexibus: ſed per verborum ſimplicitatẽ equaliter prædicatur omnibus, quod eoipſo, quòd ſit ſupra fidem, habet quod ſit fidele ac credibile. Si enim quod dicitur, eſſet eiuſmodi, vt comprehenderetur à viribus humanarum cogitationum, nihil inter eam & Græcam interfuiſſet ſapientiam. Nam illi quoquè quod potuerint comprehẽdere, illud quoquè eſſe opinantur. Quoniam autem non poſſunt humanæ rationes peruenire ad comprehenſionem naturæ, quæ ſupereminet, ea de cauſa exiſtit fides pro rationibus, quæ ſe extendit ſupra rationem & comprehenſionem. Propterea vt de Moyſe dicit ſcriptura, eum didiciſſe omnem Aegyptiorum ſapientiam: ità etiam hic Magnus cùm percurriſſet omnem gentilium eruditionem, & cùm cognouiſſet experientia, quàm eſſent imbecilla, & quàm non poſſent conſiſtere, quæ ſunt apud eos dogmata, Euangelij efficitur diſcipulus, & priuſquàm duceretur ad myſticam & incorpoream generationẽ, tam rectè vitam egit, vt nullas peccati ſordes deferret ad lauacrum.

Fides non firmatur in verborũ curioſitate, ſed ſimplicitate.

Fides pro rationibus. Actor.7.

Præter originale ſceliceret, & veniale peccatum.

De inſidijs, à iuuenibus & meretrice in eum comparatis.

Cùm autem vitam ageret in Aegypto in magna Alexandri ciuitate, in quam etiam vndiquè confluebat iuuentus ex ijs, qui dabant operam philoſophiæ & medicinæ, graue erat eius æqualibus ſpectaculum, adoleſcens, qui ornamento temperantiæ ſuperabat canitiem. Laus enim eius, qui puram caſtamque vitam agebat, erat probrum eorum, qui fœdè & inceſtè viuebant. Vt ergò impudicis eſſet excuſatio, nè ipſi ſoli viderentur eſſe tales, ſtructis inſidijs, ab eis initur ratio, vt illius magni vitæ labes

Cap.4. Degit Alexandriæ S. Gregorius ſtudiorum cauſa.

aliqua

Calumnia ei ſtruitur.

aliqua inureretur. Ad calumniam autem in illum intentandam, producitur ab eis è domo meretrix mulierc̃ula, quę notata fuerat infamia. Cùm is autem pro more cum viris eximijs in habitu honeſto diſſereret de re aliqua ex ijs, quæ pertinebant ad philoſophiam, accedit mulierc̃ula, petulanter & laſciuè ſe gerens, & ijs quæ loquebatur & faciebat, præ ſe ferens, ſe cum eo habuiſſe ſtupri conſuetudinem: deindè dicebat ſe mercede eſſe fraudatam, adijciens etiam cur cauſaretur ſe fruſtratam eſſe mercede. Cùm hi autem, qui puram ac caſtam eius vitam cognouiſſent, ægrè ferrent, & in mulierculam ira commouerentur, ipſe neque conturbatus eſt vnà cum ijs, quiid ęgrè ferebāt, neque cùm calumnijs appeteretur, dixit aliquid eiuſmodi, quod cōſentaneum eſt ab eo dici, qui iraſcatur. Non ſuæ vitæ citauit teſtes, non iureiurando illatum ſibi probrum repulit, non eorum, qui aduersùs ſe hæc ſtruxerant, arguit malitiā: ſed quieta & conſtanti voce conuerſus ad quendam ex familiaribus: Heus, inquit, ſolue ei pecuniam, nè ampliùs moleſtiam exhibēs, rei propoſitæ ſtudium inturber. Cùm autem is, cui iuſſum fuerat, didiciſſet à meretrice, quātum ex ipſo peteret pecuniæ: eam protinùs numerauit, finemque acceperunt ab impudicis aduersùs temperantem comparatæ inſidiæ, & in infamis fœminæ manibus iam erat lucrum.

Vide inſignem patientiam.

Diuina vltio in eius calumniatricem.

Tunc autem diuinitùs oritur teſtimonium temperantiæ adoleſcētis, & eius æqualium calumniæ refutatio. Nam ſimul atquè manu accepit pecuniam, à ſpiritu dæmonis vexata, & ſtridore belluino præter vocem humanam eiulans, prona cadit in medio eorum, qui collecti fuerant. Horrendum & terribile ſpectaculum ijs, qui aderant, diſiectis crinibus, & auerſis oculis, & ore ſpumam expuente: neque priùs eam remiſit, qui ipſam ſuffocabat dæmon, quàm magnus ille Deum inuocâſſet, & illum ei reddidiſſet propitium. Hæc ſunt, quæ narrantur de huius magni viri adoleſcentia. Verè digna prooemia eius vitæ, quæ poſteà ab eo acta eſt. Quanquàm tantum eſt hoc miraculum, vt etiamſi poſteà nihil poſſet aliud dici, nulli eorum, qui virtute excelluerunt, ex hoc ſolo eſſet in laude ſecundus. Dies adoleſcēs, qui ex patriæ finibus exceſſerat, in frequentiſſima ciuitate vitam degens, in qua quoniam ſumma cum licentia ſe voluptatibus dedebant adoleſcentes, probro habebatur pudicorum caſtitas, nō matre de eius viuendi ratione ſolicita, non patre eum erudiente quotidiana vitæ officia, ſe per impatibilitatem couſquè ad virtutem ſuſtulit, vt eum, qui præeſt omnibus, & omnia intuetur, vitæ ſuæ teſtem præbuerit, qui mulieris calumniā mala plaga arguit.

Quidnam maius poſſet excogitari ad argumentum encomij? Quomodò autem poſſet hoc ſatìs laudari pro dignitate, quòd is natura ratione ſuperata, & iuuentute, non ſecùs ac aliquo domito animali, rationi ſubiugata, effectus ſuperior omnibus, qui naturaliter in anima excitantur, motibus, inuidiam quoquè, quæ omnia, quæ ſunt pulchra ac præclara, adoritur, in ſe commotam deuicit: vt qui neque ſibi paratas à ſocijs inſidias vlciſci ſtatuerit, & eam, quæ illis ad imponendam ſibi maculam inſeruiĕrat, beneficio affecerit, à vexatione dæmonis eam oratione liberans? Talem fuiſſe Ioſeph nouimus ex hiſtoria, in cuius poteſtate quidem poſitum erat, in domini vxorem delinquere, cùm illaipſa ſpeciem adoleſcentis inſanè deperiret, nec audacis incepti homo eſſet vllus teſtis. Sed ille quoquè Dei oculum adſpiciens, maluit videri malus, quàm eſſe, vt qui quæ maleficis & ſceleratis fiunt, potiùs ſuſtinuerit, quàm ipſe fieret maleficus. Habuit enim diuinum oculum, ea quæ fiebant adſpicientem. Sed in hoc licet fortaſsè gloriari vltra illam hiſtoriam. Non enim par eſt ad auerſandum flagitium ſcelus adulterij, & videri in minore delicto ſuſceptum habere dedecus. Cui ergò in mente non verſabatur aliquod ex legibus periculum, ſupplicio formidabiliorem ipſam ex peccato voluptatem eſſe apud ſe iudicans, Ioſephum anteijt miraculi magnitudine, aut certè non iudicabitur omninò ei eſſe ſecundus.

Geneſ. 39.

Cap. 5. Firmianus Cæſareenſ. antiſtes.

Sed vitæ quidem tale fuit prooemium: ipſa autem vita quænam fuit? Poſtquàm omni percurſa externa ſapientia, incidit in Firmianum quendam Cappadocem honeſto loco natum, moribus ſibi ſimilem, vt ille oſtendit vita, quæ poſteà eſt conſequuta, vt qui fuerit eccleſiæ decus Cæſareenſium: & vitæ ſuæ ſcopum ac inſtitutum ſuo amico declarauit, quòd ſcilicet ad Deum tēderet, & vidit illius ſtudium in eodē congruere deſiderio, relicto omni externæ philoſophiæ ſtudio, cum illo ventitat ad eum, qui illo tempore dux erat Chriſtianæ philoſophiæ. Is autem erat Origenes, cuius ſcripta magnifiunt, & ea ratione oſtēdit, non ſolùm ſtudium & diligentiam, ſed morum etiam honeſtatē & moderationem. Cùm enim eſſet tanta refertus ſapientia, non dedignatus

Gregorius venit ad Origenem, & eius fit diſcipulus.

dignatus eſt alio vti magiſtro ad diuinas diſciplinas. Cùm autē apud magiſtrum tanto tempore eſſet verſatus, quod percipiendis ſatìs eſſet diſciplinis, cùm multi eſſent, qui eū in externa regione retinerent, & apud ſe eum manere vellent, eam quæ ipſum peperit, regionem omnibus præferens, reuertitur in patriam, ſapientiæ & cognitionis diuitias omne genus importans, quas velutì mercator quiſpiam in externis ſtudijs cum omnibus verſans, qui magnæ erant exiſtimationis, mercatus eſt. Quanquàm ei, qui res rectè iudicat, ne hoc quidem omninò ad eius laudem paruum eſſe videbitur, tantæ ciuitatis preces, quæ cōmuniter fiebant, deſpicere, & omnium eximiorum, qui in ea erant, virorum, & qui apud eos verſabantur magiſtratuum, vt vir illic maneret, contendentium, ſtudium nō admiſiſſe. Quibus omnibus hoc erat propoſitum efficere, vt vir ille magnus apud eos maneret, futurus tanquàm ædificator virtutis, & vitæ legiſlator. Sed vndequaq; fugiens materiam arrogantiæ, vt qui ſciret vitium ſuperbiæ vt plurimùm fuiſſe cauſam & principium malæ ac ſceleratę vitæ, ad vitam quietam in patria degendam, tanquàm in portum aliquem confugit. Cùm autem tota gens illa eum virum adſpiceret, & omnes expectarent, vt in publicis conuentibus ipſe ſuā aperiret eruditionē, vt longorum laborum fructum aliquē perciperet, gloriam & exiſtimationem: ſciret autem vir ille magnus, vndenàm oporteat veram philoſophiam publicari ab ijs, qui eam verè exercent, nec aliqua ambitione, laudisq; & honoris cupiditate eius ſauciaretur animus, (Grauis enim laus eſt eorum, qui audiunt, cùm arrogantia & gloriæ cupiditas frangat & eneruet robur animæ) ea de cauſa oſtentationis loco vſus eſt ſilentio, re ipſa, non verbis, oſtendens theſaurum reconditum. Cumque à fori tumultibus &, vt in ſumma dicam, à vita, quæ in ciuitate tranſigitur, ſeipſum ſeparāſſet, in quadam ſolitudine ſecum ſolummodò verſabatur, & per ſeipſum cum Deo, vniuerſi mundi & eorum, quæ ſunt in ipſo, paruam ducens rationem, non de regnis ſolicitus, non de magiſtratibus anxiè curam gerens, aliquidve ſciſcitans, nō quomodò ex rebus publicis communiter aliquid adminiſtretur, narrantem audiens, ſed vt anima per virtutem perficeretur curans, ad hoc toto ſtudio contendebat, vitam & quæcunque in ea ſunt, valere iubens, quidam alius Moſes noſtris temporibus reuerà cum illius contendens miraculis. Exiĕrunt ambo ab hac turbulenta vita & ſtrepitu referta, Moſes & Gregorius, vterque ſuo tempore priuatìm & ſeorsùm viuentes, donèc vtriſque, Deo eis apparente, manifeſtum fuit puræ vitæ lucrum. Sed Moſes quidem, qui fuit contubernalis philoſophiæ, vxorem vnà quoq; adiunxit: Gregorius autem ſolam adſciuit virtutem, quæ ſecum habitaret. Cùm ergò in vtriſque par fuerit ſcopus & inſtitutum, (vtriſq; enim finis fuit, vt à vulgo ſecederet, & puriſſimo animæ oculo diuina contemplaretur myſteria) licet ei, qui ſcit virtutem reſpicere, iudicare, vtri maiore impatibilitate vita fuerit roborata, eine, qui deſcendit ad legitimum & conceſſum vſum voluptatum, an ei, qui ipſum quoq; ſuperauit, & materiali affectioni nullum dedit aditum.

Viuit in patria ſolitarius.

Exod. 3.

Exod 2.

De Phœdimo Amaſeæ Epiſcopo, & eiuſdem Gregorij Thaumaturgi ab eo ordinatione.

Cùm autem Phœdimus, Amaſeæ Eccleſiæ illo tempore præfectus, cui diuinitùs ex ſancto Spiritu inerat vis præſciendi futura, omne ſtudium poneret, vt ſi in manus eius veniret magnus Gregorius, eum Eccleſiæ præficeret, nè vir tam præclarus ocioſam & inutilem vitam traduceret: is ſentiens quid cuperet & pararet Epiſcopus, conabatur latére, nunc ad hanc, nunc ad aliam tranſiens ſolitudinem. Quoniam autem nihil non experiens inſignis ille Phœdimus, omnibusque ytens machinis & artibus, non poterat Gregorium adducere ad ſacerdotium, vt qui diligentiſſimè obſeruaret & circunſpiceret, nè quandò eum ſacerdos manu appræhenderet: eratque vtrique æquale ſtudium, cùm alter quidem capere, alter verò effugere cuperet perſequentem. Nam alter quidem cupiebat Deo ſacrum offerre donarium, alter verò timebat, nè ei afferret ad philoſophiam aliquid impedimēti ſacerdotij cura, tanquàm graue aliquod onus, eius vitæ impoſita: ea de cauſa diuiniore quodam impetu ad ſtudium propoſitum impulſus Phœdimus, nihil attendens, quod inter eos intercedebat ſpatium, quo remotus erat à Gregorio, qui ab eo diſtabat trium dierum itinere: ſed ad Deum reſpiciēs, & dicens, & ſe & illum à Deo hora illa adſpici, pro manu verbum imponit Gregorio, eum Deo conſecrans, qui corpore non aderat, & ei illam ciuitatem attribuēs, quam vſque ad ea tempora contigerat teneri tanto errore idolorum, vt cùm

Cap. 6. Phœdimus Amaſeæ Epiſcopus.

Superbia, principiū & cauſa malæ vitæ.

Creatur Epiſcopus abſens.

vt cùm essent innumerabiles, qui & ipsam habitabant ciuitatem, & eam quæ est circumcircà regionem, non inuenti sint plures, quàm septemdecim, qui verbum fidei accepissent.

De Theologia reuelata per sanctum Iohannem Theologum & Euangelistam, & sanctam Deiparam.

Cap.7. Cogitur Episcopatũ suscipere. Galat.1.

Cùm sic ergò iugum coactus subijsset, omnibus legitimis posteà in ipso peractis, & ab eo, qui sacerdotem ipsum renunciârat, breue tempus petijsset ad mysterium accuratè considerandum, non ampliùs, sicut dicit Apostolus, existimauit oportere attendere carni & sanguini: sed petijt, vt sibi fieret diuinitùs manifestatio occultorum: neque priùs ausus est accedere ad verbi prædicationem, quàm per quãdam visionem fuisset sibi reuelata veritas. Nam cùm noctù aliquandò de verbo fidei consideraret, & omne genus cogitationes versaret, (erat enim tunc quoquè quidam, qui probabilibus argumentis piam adulterabat doctrinam) sæpè etiam intelligentibus dubiã reddentes veritatem, pro qua tunc ei vigilanti, & diligenter meditanti reuerà appáret quidam, tanquàm in figura humana, honesta veste pontificia indutus, forma senili, vultusque dignitate & honestate habitûs, magnam virtutem præ se ferens. Is verò visu stupefactus, surrexit quidem è cubili, rogauitque vt sciret quisnam esset, & quanam de causa veniret. Cùm ille autem voce quieta sedâsset eius animi perturbationem, & dixisset se iussu diuino ei apparuisse propter ea, de quibus dubitabat, vt ei reuelaretur piæ fidei veritas, illius verbis ei confirmatus est animus, illumque adspexit cum quadam lætitia & admiratione. Deindè cùm ille manum directò porrexisset, & ei tectis digitis velutì ostenderet id, quod ex obliquo apparebat, ipse quoq; vnà cum porrecta illius manu suum quoquè vultum conuertit, & ex aduerso eius, quod viderat, aliud vidit spectaculum in muliebri figura, quæ formam superabat hominis. Rursùs autem stupefactus, in seipsum inclinauit, dubioque ac omninò perplexo fuit animo propter spectaculum, vt qui oculis non ferret visionem. Etenim in hoc maximè consistebat admirabilitas visionis, quòd cùm esset nox profunda, simul cum ijs, quæ visa fuerant, lux resplendebat, tanquàm cuiusdam lucidi conflagrantis thalami. Quoniam ergò non poterat oculis ferre visionem, audiuit quendam dialogum eorũ, qui à se visi fuerant, explicantium inter se inuicèm rationem eius, quod quærebatur: per quos non solùm didicit veram fidei cognitionem, sed etiam nominatìm cognouit eos, qui apparuerant, cùm vterque ex his vocaret alterum suo nomine. Dicitur enim audisse ab ea, quæ in figura muliebri apparuerat, rogante Iohannem Euangelistam, vt manifestaret iuueni mysterium veritatis: illum autem dixisse, se paratum esse matri Domini in hoc quoquè gratificari, quoniam eiità placeat. Et ità cùm dixisset breuem, & quæ facilè describi poterat, orationem, se ab eius subduxisse oculis: eum autem diuinam illam mystagogiam protinùs mandâsse literis, & illo tempore prædicâsse verbum in Ecclesia, & posteris velutì quandam hæreditatem, illam diuinitùs datam doctrinam reliquisse, per quam in hodiernum vsque diem in mysterio instituitur, qui est apud illos, populus, qui permansit intactus ab omni vitio hæretico. Hæc sunt autem verba mystagogię: Vnus Deus pater Verbi viuentis, consistentis sapientię, & virtutis, & characteris ęterni, perfectus perfecti genitor, pater filij vnigeniti. Vnus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, character & imago diuinitatis, Verbum efficax, sapientia, quæ eorum, quæ sunt, continet constitutionem, & virtus effectrix vniuersæ creaturæ. Verus filius veri patris, inuisibilis patris filius inuisibilis, & qui interire non potest, eius, in quem non cadit interitus, & qui mori nõ potest, immortalis & æternus æterni. Vnus spiritus sanctus, qui ex Deo quod sit habet, & per filium scilicet apparuit hominibus, imago filij perfecti perfecta. Vita, causa viuentium, fons sanctus, sanctitas suppeditatrix sanctificationis, in quo manifestatur Deus pater, qui est super omnia, & in omnibus: & Deus filius, qui per omnia. Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate & regno non diuiditur, neque abalienatur. Neque ergò creatum est aliquid aut seruum in Trinitate, neque aduentitium, tanquàm quod priùs quidem non esset, posteà autem sit ingressum. Neque enim filius vnquàm defecit patri, neque filio spiritus, sed immutabilis & inalterabilis, semper est eadem Trinitas. Quòd si quis velit de hac re sibi fidem fieri, audiat Ecclesiam, in qua verbum prædicabat. Apud eos enim in hodiernum vsq; diem seruantur beatæ illius manûs characteres. An non hæc cum illis tabulis à Deo fabricatis certant gratię magnitudine? Illas autem dico tabulas, in quibus diuinę voluntatis

Visione cõfirmatur & instruitur.

Doctrina diuinitùs reuelata S. Gregorio.

luntatis impressa est legislatio. Quomodò enim Mosem dicit scriptura, cùm fuisset extra id, quod appáret, & intrà ea, quæ oculis cerni nequeunt, adyta anima peruenisset, (Hoc enim significat caligo) & diuina mysteria didicisse, & per se totum populum in cognitione Dei instituisse: in hoc quoquè magno viro licet eãdem videre œconomiam: cui mons quidem erat, non tumulus aliquis sensilis, sed altitudo verorum dogmatum cupiditatis: Caligo autem id, quod alij capere non possunt, spectaculũ: Tabula verò, anima: Literæ autem, quæ erant in tabulis, vox eius, qui fuit ab eo visus. Per quæ omnia, & sibi, & ijs, qui ab ipso instituebantur, fuit declaratum mysterium. Exod 31. Exod.20.

Postquàm ergò fidutia quadam & audacia per hanc impletus est visionem, non secùs àc athleta quispiam, qui quantum satìs est experientiæ & virium à puerorum, qui exercebantur, magistro nactus ad certamina, fidenti & audaci animo se exuit ad stadium, & in puluere decertat contra aduersarios: eodem modo & suo studio, & eius, quę sibi apparuit, gratię auxilio, animo satìs instructus, certamina sic aggreditur. Non oportet enim aliquid aliud vocare, quàm certamina & contentiones, omnem vitam, quam ipse egit in sacerdotio, in quo per fidem prostrauit omnes vires aduersarij. Nam cùm statìm se à solitudine mouisset, & ad vrbem contẽderet, in qua oportebat eum Deo construere Ecclesiam, cùm cognouisset totum locum à fraude dæmonum obtineri, & veri quidem Dei templum nusquàm esse constructum, totam autem ciuitatem, & quæ circumcircà sita est, regionem esse plenam altaribus, delubris & simulacris, vniuerso populo suum in hoc ponente studium, vt ornata essent nemora & sacra idolorum, & insanus simulacrorum cultus maneret apud homines, confirmatus pompis & mysterijs, & eorum, quæ in altaribus mactantur, inquinamentis: non secùs àc fortis aliquis miles, cum duce exercitûs pugna congressus, per illum vincit eos, qui párent illius imperio: ità etiam hic vir magnus incipit aduersùs ipsos dæmones se præclarè gerere. Sed quonam modo? Totus eius episcopatus nõ nisi certamina.

De mansione in templo, & fuga dæmonum, & ædituo.

Nam cùm à remota illa solitudine viam vrbem versùs conficeret, nox autem deprehendisset, & cum vehementior pluuia retardaret, subit quoddam templum cum suis comitibus. Erat autem illud templum insigne, in quo qui colebantur dæmones, ad ædituos apertè ventitabant, vt qui illic diuinarent, & responsa redderent. Cùm autem subijsset templum cum suis comitibus, dæmones quidem confestìm exterruit Christi nominis inuocatione: figura autem Crucis aëre expiato, qui erat inquinatus nidoribus, illic mansit, pro more totam noctem in orationibus & hymnis decantandis vigilans, adeò vt esset transformatum in domum orationis templum, quod propter cruorem victimarum & simulacra erat abominandum. Cùm hoc modo totam noctem peregisset, manè rursùs cœpit vltrà progredi. Cùm verò ædituus manè consuetum dæmonibus cultum exhibuisset, apparentes ei dæmones, dicunt clamantes, non licere eis templum ingredi propter eum, qui illic mansérat. Is autem quibusdam piaculis vtens, & quædam sacrificia adhibens, per ea conabatur dæmones rursùs in templo collocare. Postquàm autem eo nihil non experiente, erat ei labor irritus, cùm dæmones non ampliùs pro more exaudirent eius vocationem, tunc ira percitus ædituus, magnum illum virum offendit, omnes in eum minas apertè intentans, se & eum ad magistratus delaturum, & manus ei illaturum, & audax eius cœptum Imperatoribus esse significaturum: quòd cùm esset Christianus, & dijs inimicus, ausus sit templum ingredi, cuius ingressum esse auersatam, quæ in sacris operatur, potestatem, nec ampliùs in eis locis habitare, vt solebat, diuinantem dæmonum operationem. Cùm is autem temerariam & insolentem æditui iram eximia repressisset prudentia, & opposuisset omnibus eius minis verum Dei auxilium, & diceret, se in eius, qui pro eo pugnaret, viribus tantam posuisse fiduciam, vt potestatem habeat expellendi dæmones, vndè velit, & eos collocandi in quibus velit locis, & pollicetur, se ea, quæ diceret, iam esse demonstraturum. Admiratus æditus, & magnitudine potestatis obstupefactus, rogauit vt in hisipsis suam ostenderet potestatem, & rursùs in templum reduceret dæmonia. Cùm Magnus autem ille hæc audîsset, rupit breuem quandam libelli particulam, & eam dedit æditui, in ea impressa quadam voce imperante dæmonibus. Hæc autem verba continebat scriptura: Gregorius satanæ: Ingredere. Cùm autem accepisset æditus libellum, altari imposuit. Deindè cùm ei consuetos obtulisset nidores & inquinamenta, rursùs Cap.8. Signo Crucis aërem expiat. Dæmones non audent ingredi fanum suum propter illum. Magna eius potestas in dæmones.

videt ea, quæ priùs viderat, antequàm à templo essent exterminati dæmones. Cùm hæc autem facta essent, cœpit cogitare diuinam quandam potestatem esse in Gregorio, per quam visus erat esse potentior dæmonibus. Cùm eum ergò rursùs magno esset studio consequutus, priusquàm venisset in ciuitatem, rogauit vt ab eo disceret mysterium, & quisnam esset ille Deus, qui sibi subiectam haberet dæmonum naturam. Cùm autem paucis ei dixisset Magnus ille mysterium pietatis, ità fuit affectus æduituus, vt est verisimile eum affici, qui rebus diuinis initiatus, & opinatus est rem esse viliorem & abiectiorem, quàm vt existimaretur Deus per carnem humanam apparuisse. Cùm is autem dixisset eius rei fidem non confirmari verbis, sed eorum quæ fiunt, probari miraculis, æduituus adhuc ex eo quæsijt miraculum. Deindè per id quod factum est, adductus est, vt fidei assentiretur. Quo tempore dicitur Magnus ille feciſſe miraculum omnium minimè credibile.

De miraculo, quod factum est in lapide.

Cap. 9. Nam cùm requireret æduituus ingentem quendam lapidem, qui eorum oculis se obtulit, manu autem humana moueri non poterat, per solam ex fide potestatem, iussu Gregorij transferri ad alium locum, nihil differens ille magnus, statim tanquàm animato imperauit lapidi, vt transiret ad illum locum, quem ostendit æduituus. Vbi autem hoc factum est, vir statim verbo credidit, & omnibus relictis, genere, domo, vxore, possessionibus, filijs, amicis, sacerdotio, focis & penatibus, pro his omnibus delegit cum magno illo viro versari, & esse eius laborum particeps, & diuina illa frui philosophia & eruditione. Sileat ad hæc omne scriptorum artificium, miracula per historiam augens & amplificans. Non enim in his, quæ dicta sunt, tale est miraculum, vt dicentis eloquentia seipso fiat maius aut minus. Quid enim dicens quispiam præter ea, quæ dicta sunt, additamentum adiunxerit miraculo? Quomodò autem auditorum minuerit admirationem de eo, quod factum est? Lapis abducit lapidem, nempe eos, qui seruiebant lapidibus. Lapis fit præco fidei diuinæ, & dux ad salutem infidelibus, non voce aliqua & verbo diuinam prædicans potestatem, sed ijs quæ fecit, Deum esse ostendens eum, qui prædicatur à Gregorio, cui subiecta omnis pareat creatura eadem honoris æqualitate: neque solùm quicquid est vi sentiendi præditum, & spirat, & est animatum, sed etiam si quid est extra hæc, ministri iussa capessunt, tanquàm quæ sensu non careant. Nam quis est auditus lapidis? qui sensus eius, quod iubetur? quænam est in eo potestas se transmouendi? quænam membrorum & articulorum est ei constructio? sed hæc omnia, quæ sunt huiusmodi, fiunt virtute iubentis. Quam cùm vidisset ille æduituus, statim fraudem dæmonum, qua vtebantur ad humanam decipiendam naturam, & animaduertit, & est abominatus, & ad verum Deum se conuertit, cùm per ea, quæ à seruo facta fuerant, considerâsset inexplicabilem Domini potestatem. Si enim talis est serui potestas, vt verbo moueat ea, quæ sunt immobilia, & vtatur imperio in ea, quæ sunt nullo sensu prædita, & præcipiat rebus inanimis: quantam potestatis abundantiam consentaneum est existimare inesse in Domino vniuersi, cuius voluntas fuit constructio & vis ipsius mundi, & omnium, quæ sunt in ipso, & omnium, quæ sunt supra ipsum?

Grande saxum iubet se aliò trãsferre.

Aeduituus credit.

Dehinc cùm ille magnus cœpisset se præclarè & fortiter gerere aduersùs dæmones, & velutì quoddam trophæum aduersùs deiectos circunducens ędituum, iam sui nominis fama perculsa gente, cum bona fidutia sic ingressus est ciuitatem, non curribus, & equis, & mulis, & comitatûs multitudine se iactans, sed circuncircà stipatus virtutibus. Publicè autem effusis omnibus vrbis habitatoribus ad nouum videndum spectaculum, & omnibus videre cupientibus, quisnam sit ille Gregorius, qui cùm sit homo, tanquàm rex quispiam habeat potestatem in eos, qui apud ipsos existimantur esse dij, pro imperio ferens, & agens quocunquè voluerit dæmonia, & vndenàm voluerit, pro arbitrio expellens, & inducens tanquàm mancipia, & illorum ferat cultorem velutì vi quadam redactum in seruitutem, despicientem quidem honorem, in quo priùs fuerat, pluris autem facientem vnà cum eo versari, quàm omnia quæ habebat. Omnibus autem eo animo ante ciuitatem illum expectantibus, cùm eò accessit, omnibus illum fixis oculis adspicientibus, tanquàm materiam inanimam homines præteriens, ad nullum conuersus eorum, qui occurrebant, & rectà pergens in ciuitatem, multò magis eos obstupefecit, cùm eum videntibus famam videretur superare. In magnam enim ciuitatem primùm ingredientem, cùm nulla ei priùs fuisset

Comites viri Dei fuerunt virtutes.

Negligit hominũ applausus, vir mũdo planè mortuus.

fuisset eiusmodi consuetudo, non admiratum fuisse tantum populum, sed tanquàm incedentem per solitudinem, ad seipsum solùm & ad iter respicere, ad nullum se conuertentem ex ijs, qui circa ipsum congregati fuerant, hoc visum est hominibus superare miraculum, quod factum est in lapide. Ea de causa habita est ratio eorum, qui, vt antè dixi, fidem ante eius aduentum acceperant, vtpotè vniuersa ciuitate honorante eius sacerdotium. Sic ingressus est vndiquè compressus & coarctatus ab ijs, qui eum deducebant. Deindè verò simulàc attigit philosophiam, ab omnibus, tanquàm ab aliquo onere, seipsum liberauit, & nihil ei erat ex ijs, quæ sunt ad vitam necessaria, non ager, non locus, non domus, sed ipse erat sibi omnia: vel potiùs virtus & fides erat ei patria, & focus, & diuitiæ. Postquàm ergò fuit quidem intrà ciuitatem, ad quiescendum autem nusquàm ei erat domus, non Ecclesiæ, non propria: ijs, qui erant cum ipso, tumultuantibus, & quomodò diuersaretur, & apud quem tegumentum inueniret, dubitantibus: Quid hæc (inquit ad eos magister) dubitatis, tanquàm sitis extra Dei tegumentum, vbinàm vestra corpora quieti daturi sitis? Vobisne parua domus videtur esse Deus, siquidem in ipso viuimus, & mouemur, & sumus? Angustúmne ducitis cæli tegumentum, & ab eo quæritis aliud diuersorium? Sit vobis studio vna domus, nempe sua vnicuique vita, quæ per virtutes ædificatur, & in altum erigitur. Hoc solùm vobis sit curæ, nè tale habitaculum sit nobis imparatum. Terrestrium enim murorum ambitus non afferunt lucrum ijs, qui viuunt in virtute: potiùs autem ab ijs, qui vitio inquinantur, parietum vsus iure requiratur, quoniam occultorum probrorum domus sæpè est operculum. Qui autem ex virtute vitam gerunt, non habent parietes, quidnam eorum occultent.

Nullas proprias vult habere possessiones.

Act. 17.

Christiani domus.

Quemadmodùm domi suæ eum exceperit Musonius.

Cùm autem hæc diceret ijs, qui cum ipso versabantur, accedens quidam vir insignis, qui genere & diuitijs, reliquisque copijs & potentia erat inter primos numerandus, nomine Musonius, cùm vidisset multos eodem teneri studio, vt Gregorium suis ædibus exciperent, occupans alijs præripit hanc gratiam, rogans, vt ille magnus hospitio à se exciperetur, & ingressu domum suam honoraret, vt esset splendidior & glorioſior in futurum, & memoriam huius honoris ad posteros transmitteret. Cùm autem concurrentes multi eadem rogarent, æquum esse censens, eam gratiam concedere ei, qui præuenerat, cùm alios benignis verbis prosecutus esset, & vicissìm honorâsset: diuertit ad eum, qui prior inuitârat. Si autem eorum, quæ de ipso dicuntur, historia consistit in nuda ac simplici narratione, nec ad se confirmandam vllis vtitur argumentis, eas, quæ excogitari possunt, amplificationes nostra oratione consultò prętermittente, fuerit hoc quoquè ijs, qui res rectè iudicant, non paruum testimonium, quòd nihil sit excogitatum, vt eius, cuius meminimus, augeantur miracula: sed ad perfectissimam laudem sufficiat rerum ab eo gestarum memoria, velutì quædam naturalis in facie pulchritudo, quæ nulla curiosa fucandi arte efflorescit.

Cap. 10.

Multi eũ ad se inuitant.

Cùm autem esset exiguus numerus eorum, qui priùs in verbo initiati & instructi fuerant, antequàm dies præterijsset, & Sol venisset ad occasum, tantus accessit numerus in prima congressione, vt ad constituendam populi congregationem sufficeret multitudo eorum, qui crediderant. Manè aduenerat, & rursùs aderat populus proforibus, & ipsi, & vxores, & filij, & ætas confecta senio, & si quis aut à dęmonibus vexatus, aut ab aliquo alio incommodo & calamitate corporis, illeque in medio eorum ad vsum eorum, qui conuenerant, congruenter virtuti spiritûs se diuidens, prædicans, examinans, admonens, docens, curans. Hac enim prædicatione multos maximè adducebat, quòd visus ad auditum accederet, & per vtraque diuinæ virtutis in eo resplenderent indicia. Aures enim sermo, oculos verò adducebant in admirationem, quæ in ægroto fiebant, miracula. Qui lugebat, audiebat quod eum consolaretur. Iuuenis castigabatur, & docebatur temperantiam. Seni porrigebatur medicina verbis conuenientibus. Serui docebantur, vt benè afficerentur in dominos. Qui dominatum obtinebant, vt essent benigni & clementes in eos, qui subijciebantur eorum imperio. Pauper, vt solas diuitias existimaret virtutem, cuius possessio est in cuiuslibet potestate posita. Is, qui se de suis iactabat diuitijs, conuenienter admonebatur, vt eorum quæ habebat, esset œconomus, non dominus. Mulieribus conducibilia, pueris conuenientia, & patribus ea, quæ decebat, distribuens: & factus omnia omnibus, tantum repentè populum induxit auxilio sancti spiritûs, vt ad templũ ædificandum

Plurimos ad Dominũ Neocæsarenses conuertit.

Templum construit.

ficandum fuerit incitatus, pecunijs & corporibus omnibus ad id ſuum ſtudium conferentibus. Hoc eſt templum, cuius conſtructionis ille iecit fundamenta, & id cœpit ædificare. Exornauit autem quidam ex ſucceſſoribus pro illius dignitate, quod etiam in hodiernum vſque diem oſtenditur. Id autem vir ille magnus protinùs huic rei incumbens, velutì ſui ſacerdotij fundamentum quoddam & quandam baſim viro ciuitatis clariſſimo commendauit, diuina quadam impulſione & maiori ope ſtudẽs operi, vt ſequens tempus teſtificatur. Nam cùm noſtris temporibus grauiſſimus aliquandò terræmotus ciuitatem labefactâſſet, & omnia propemodùm funditùs perijſſent,

Solum illud templũ non euertit terræmotus.

& publica ac priuata ædificia omnia corruiſſent, ſolum illud templum manſit infractum & inconcuſſum, vt vel ex hoc ſit manifeſtum, cum cuiuſmodi poteſtate vir ille magnus ea, quæ à ſe erant gerenda, ſuſciperet. Sed hæc quidem multis poſteà temporibus à diuina potentia demonſtrata fuêre ad huius magni viri fidem teſtificandam. Tunc autem cùm omnes, tam qui vrbem, quàm qui circuncircà poſitam regionẽ habitabãt, Apoſtolica miracula ſtupuiſſent, & quicquid ab eo dicebatur ac fiebat, vi diuina geri & dici credidiſſent, nc earum quidem controuerſiarum, quæ ad hanc vitam pertinebant, exiſtimabant vllum eſſe præſtantiorẽ iudicem: ſed omne iudicium, perplexumq; & implicitum negocium illius conſilio expediebatur. Ex quo & bonarum legum obſeruatio, paxque & tranquillitas, & publicè & priuatim eis aderat illius beneficio, & magnum bonorum incremẽtum, cùm nullum vitium eorum inter ſe concordiam abrumperet. Non alienum autem fortaſsè fuerit, ſi vnius eius iudicij fecero

3. Reg. 3.

mentionem, vt, ſicut eſt in prouerbio, ex fimbria nobis apparcat totus veſtimẽti contextus. Etenim diuina ſcriptura, cùm Salomon apud ſuos ſubditos multa fecerit iudicia, ſatìs habuit per vnum ſuam oſtendere ſapientiam, quandò inter illas duas mater fuit iudex. Quoniam autem non poterat argui maleficium, cùm vtraque earum ex æquo mortuum quidem infantem non admitteret, ſuperſtitem autem ſibi vendicaret, ingeniosè conſtituit occultam inueſtigare veritatem. Quoniã enim ad probandum maleficium nulli producebãtur teſtes, & in vtriſq; erat æqualis veri & falſi coniectura, produxit naturam ad ferendum veritati teſtimonium, callidis minis celans ſui animi inſtitutum. Iubens enim viui & mortui corpus in æquales partes enſe diſſecari, & dimidias filiorum partes vtriſq; tribui, permiſit naturæ iudicium veritatis. Vbi enim vna quidem quod imperatum fuerat, lubenter excepit, & carnificem induxit: altera verò maternis cõmota viſceribus, confeſſa eſt ſe eſſe victam, rogans vt parceretur filio, ſeque gratiam habituram, ſi quomodocunquè ſeruaretur infans: hoc eſſe veritatis iudicium rex decernens, eam quæ ſua ſponte victa fuerat, victricem ſua ſententia pronunciat, reputans quòd quæ cædi filij non pepercerat, à natura arguatur non eſſe mater eius, ad cuius mortem properabat. Nos ergò huius quoq; magni Gregorij aliquod narrabimus iudicium.

De ſtagno, & duobus fratribus.

Cap. 11.

Duo quidem fratres ætate iuuenes, qui paternam hæreditatem nupèr inter ſe diuiſerant, vnum ſtagnum vendicabant, vterque totum id habere contendens, & non admittens alter alterum in ſocietatem poſſeſſionis. Fit magiſter, cauſæ arbiter, qui cùm ad locum peruenisſet, in arbitrio vſus eſt ſuis legibus, hoc agens, vt reconciliarentur iuuenes, & redirent in gratiam, & lucrum pacis exiſtimarent vectigali præſtantius. Illud enim ſemper manet, & viuis & mortuis: hoc autem vſum quidem ad tempus durantem, æternam autem propter iniuriam habet condemnationem: & quæcunque par erat eum dicere, ad reprimendam iuuentutis inſolentiam & immoderationem. Cùm autem eſſet inutilis eius exhortatio, & ferueret adoleſcentia, & maiori ira incenderetur, ſpe lucri æſtuans, & vtrinquè ex ſubditis pararetur exercitus & magna manus, ira duce ac furore cædem ſpirans, conſtitutum fuit tempus certaminis. Cùm autem poſtridiè eius diei eſſet vtrinq; committendum prælium, permanẽs homo Dei in ſtagni ripis, & totam noctem agens inſomnem, fecit quoddam Moſaicum

Exod. 14.

in aqua miraculũ, non ictu virgæ profundum in duas partes ſcindens, ſed eam totam

Stagnũ mutat in terrã.

tanquàm terram conſolidans, effecit continentẽ planè aridam, & omni humore vacuam, vt ne in cauo quidem vllo vllas habeat aquæ reliquias, quę ante orationem inſtàr pelagi exundabat. Atq; ille quidẽ cùm diuina poteſtate hanc tuliſſet ſententiam, rursùs domũ redijt: adoleſcentibus autem, lata factis ipſis ſententia, diremit contentionem. Cùm enim id non eſſet, pro quo bellum inter ſe parabant, pax iram eſt conſequuta,

Lucrum pacis, vectigali præſtantius.

ſequuta, & rursùs natura interfratres dedit ſuî ſignificationem. Ac tunc quoq; diuinæ illius ſententiæ licet videre ſigna euidentia. Nam circa id, quod olìm fuit ſtagnum, in hodiernum diem ſeruantur aliqua veſtigia aquæ inundationis. Quicquid autem erat aquæ profundum, id totum eſt trãſmutatum, vt quod à ſyluis, pratis, agris & habitatione ſit occupatum. Hoc fuit eiuſmodi iudicium, vt ne ipſum quidem longè clariſſimum, & qui eſt maximi nominis, Solomonem exiſtimem velle ſibi primas partes tribuere. Quid enim ad virtutem tantum eſt, materno vberi ſeruare infantem lactentem, cui quod ad ſalutem quidem attinet, perindè erat, ſeu à parẽte, ſeu ab alia ei alimentum præberetur: & duobus adoleſcentibus procurare ſalutem, qui cùm in ipſo flore ætatis & feruore adoleſcentiæ de ijs, quæ ad victũ pertinent, contendebãt, ad mutuam cædem œſtro quodam iracundiæ perciti erant, poſteris vt horrendum oſtendendi ſpectaculum, vt qui ſibi manus inuicèm attuliſſent, quos erat veriſimile, vel ambos à ſe inuicèm interituros, vel vnum omninò reum futurum fratricidij ſceleris: vt eos omittamus, qui eadem ira cum vtriſque in eadem ſtabant acie, qui hoc vnum ſibi proponebãt, hoc vnum concupiſcebant, vt aduerſarios ſuos morte afficerent. Qui ergò mortis ſententiam ductu mali dęmonis in eos confirmatam precatione reſcidit, & naturam ſibi reconciliauit, & mortalem contentionem in pacificam conuertit lætitiam, quanto eſt conuenientius eum propter iudicium haberi in admiratione, quàm eum, qui meretricis deprehendit maleficium? Nam quod in aqua factum eſt miraculum, quemadmodùm repentè in terram mutatum ſit, quod erat nauigabile, & campus, & cauum factum ſit ſtagnum, & quemadmodùm quæ in eo loco priùs erat inſtàr maris, ad fructus ferendos nunc colatur, exiſtimo eſſe ſatiùs id ſilentio præterire, quàm perſequi oratione, cùm non poſſit pro dignitate extollere miraculũ. Quid enim didicimus huiuſmodi in ijs, quæ ſcripta ſunt, miraculis, vt poſſit cum hoc conferri? Stitit Ieſus Naue filius fluentum Iordanis, ſed tantiſpèr, dum arca erat

Maturo ſuò iudicio in mutuã cędẽ contendentes fratres placat.

Ioſue 3.

in aqua. Cùm autem tranſmiſiſſet populus, & arca tranſijſſet, ſuæ conſuetudini redditus eſt fluuius. Nudatur aqua in rubro mari, id quod ſubiectum erat profundo, mari à

Exod. 14.

ſpiritu in obliqua protruſo. Sed tempus miraculi fuit tranſitus exercitûs, qui fuit per ſiccum in profundo. Poſt hoc autem ſimul cum aqua redijt ea, quæ priùs erat, ſuperficies, & quod parumpèr fuerat diuiſum, rursùs coijt. Hîc autẽ quod ſemèl factum eſt, remanſit quale fuit, nè tẽporis curriculo fides non habeatur miraculo, quod ea quæ cernuntur, teſtantur in perpetuum. Ea quidem, quæ de ſtagno dicuntur & oſtenduntur, hoc modo ſe habent.

De miraculo, quod factum eſt in fluuio.

Cap. 12.

Alterum autem eius poſt hoc tale miraculum oſtenditur & memoratur. Quidam apud eos fluuius præterfluit regionẽ, ipſo nomine indicans, quàm ſit aſperum & immane fluentum. Lycus enim nominatur, quòd ſit accolis noxius. Is vel ex ipſis quidem Armeniæ fontibus deſcendit cum magno aquæ impetu, cùm per montes, qui ei ſupereminent, lapſus, copioſum fluentum ſuppediter. Cùm in concauis autem locis ſubter pręcipitiorum radices vndiquè prętерlabatur, hybernis torrentibus longè euadit violentior, quæ confluunt è montibus, aquas in ſe excipiens. Cùm verò in ſupina & humili, quam præterfluit, regione, ſæpè ſuis marginibus anguſtè coërceretur, in aliqua parte ripa effundebatur, agros omnes ſubiectos, & quicquid erat aliud, ſuo fluento per tranſuerſum inundans, adeò vt eius loci accolis ex improuiſo continua inferret pericula, intempeſta nocte, vel etiam interdiù flumine in agros irruente. Quo fiebat, vt non ſolùm plantæ & ſemina, & pecora aquarum impetu interirent, ſed etiam ad ipſos vſque habitatores peruenìret periculum, qui ex improuiſo aquæ inundatione domì erant naufragi. Cùm ergò quæ à magno Gregorio præclarè facta fuerant miracula, totam gentem peruaſiſſent, ſurgentes qui ad illam fluuij partem habitabant, ipſi & vxores & liberi publicè omnes magno fiunt Gregorio ſupplices, rogantes vt aliqua ratione ab inſperatis eos malis liberaret. Dicebant enim Deum in eo poſſe omnia, quæ nulla ingenij humani ope poſſunt fieri. Nihil enim, quod conſilium & vires humanæ præſtare poſſint, ab eis eſſe prætermiſſum, vt qui lapidibus & aggeribus, & ſi quid aliud aduersùs huiuſmodi mala excogitari ſoleat, omnia fecerint, nec vi mali potuerint reſiſtere: & vt magìs ab ipſis moueretur ad miſericordiam, rogârunt vt ipſe videret calamitatem, & ſciret, nec fieri quidem poſſe, vt tranſmutarent habitationem, & quòd propter aquæ impetum eis mors omni ex parte oſtenderetur.

Lycus fluuius.

Habitatores Lyci rogant liberationes à Sancto Dei.

Semper intentus rebus diuinis.

tur. Cùm ergò ad locum peruenisset, (nulla enim cunctatio eius ad bonum studium retardabat, nec vehiculo, nec equis, nec aliquo ex ijs, quæ ipsum possent portare, indigens, sed baculo cuidam innitens, totum iter confecit, simul etiam cum viæ comitibus de spe altiore philosophans: inter quos semper in eo, quod erat principale, immorans, præmaiori illo studio, reliqua omnia faciebat velutì transiens) * Postquàm ergò ab ijs, qui eum deduxerant, ostensum est fluuij diuortium, & idipsum, quod cernebatur, explicauit calamitatem, cùm propter aquæ irruptionem eum locum profunda occupâsset lacuna, hæc dicit ad eos, qui erant congregati: Non est hominum, ô fratres, aquæ motum terminis circunscribere. Est solius diuinæ potentiæ hoc opus, aquæ motum intrà terminos concludere. Sic enim dicit ad Deum Propheta: Terminum posuisti, quem non transgredientur. Soli creatæ naturæ Domino est subiecta elementorum natura, in quibus locis collocata fuerit, in ijs semper permanens. Quoniam ergò Deus est, qui aquis præscribit terminos, solus ille propria potestate potest huius fluuij compescere insolentiã. Et diuiniore cogitatione velutì à Deo afflatus, & magna voce Christum ad id, quod erat propositum, adiutorem sibi adesse precatus, quem manu gestabat baculum, defigit in corrupto ripæ loco. Cùm autem esset terra in eo loco madefacta & mollis, facilè profundum subijt, simul & ponderi baculi, & manui eius, qui figebat, cedens. Deindè cùm Deum orâsset, vt hoc esset velutì claustrum & obstaculum aquarum violentiæ, rursùs reuersus est, re ipsa ostendens, quicquid ab illo fiebat, diuina fieri potestate. Statìm enim haud ità longo pòst tempore, baculus quidem, actis in ripa radicibus, arbor euasit: planta autem fluento posita est terminus, & in hodiernum vsque diem incolæ plantam & vident, & narrant. Quandò enim imbribus & torrentibus Lycus ille pro more inundans, magna vi sonoque fertur rapidus, tunc cùm inferiorem partem arboris in superficie leuiter aqua contigerit, rursùs tumescens in medium contrahitur alueum, & velutì qui extimescat appropinquare arbori, curua vnda locum trãsgreditur. Talis magni Gregorij fuit virtus, vel potiùs Dei, qui in illo operabatur miracula, & velutì subiecta elementorum natura, ostensa est, prout ei videbatur, mutari eius iussis, adeò vt stagnum quidem sit mutatum in agrum frumentarium, aquæ autem lacunæ fuerint habitatæ habitatoribus, baculo fidei iubente, & tutos eos futuros cauente. Nomen autem in hodiernum vsq; diem arbori est baculus, Gregorij gratiæ & virtutis monimẽtum, quod in omni tempore seruatur ab incolis. Quodnam ex miraculis propheticis vis his opponere, & cum eis conferre? Dicámne Iordanis diuisionem, quam ouinæ pellis percussione fecit Elias ante assensum, & posteà Elisæus hæres, & pellis ouinæ, & spiritûs? Sed in his, solis prophetis tempore, quo fuit opùs, scisso fluento potuit transmitti Iordanes, tantùm in se distracto fluento, quantùm satìs esset pedibus prophetarum, vt per siccum fundum transirent: sequentibus autem temporibus, & reliquis hominibus talis erat, qualis fuit anteà. Ille autem Lycus ab insolenti & immoderato motu repulsus, nouum in sempiternum Gregorij miraculum facit omni tempore, quod deincèps consequitur, talis manens, qualem magni illius viri fides fecit tempore miraculi. Scopus eorum, quæ fiebant, non erat, vt ij qui videbant, adducerentur in stuporem: sed vt ij, qui prope fluuium habitabant, seruarentur. Quamobrèm vt par sit miraculum, (nam & prophetis, & imitatori prophetarum, ex æquo cessit aquæ natura) si tamen liberè dicendum est, quod ab eo factum est, antecellit humanitate, per quam firma & stabilis facta est salus accolarum, cùm fluentum sic semèl esset compressum, & in posterum mansisset immobile: quandoquidem cùm per totam regionem peruaderent hæc miracula, quæ virtute fidei in Christum credita sunt fieri, cupiebant omnes esse illius fidei participes, quam talia testabantur miracula: Et in omnem partem procedebat prædicatio, eratque verè efficax mysterium, & ad id quod bonum est, crescebat studium, constituto apud omnes sacerdotio, vt per omnia fides abundaret & cresceret.

for. * & postquàm ei, inquam, ab ijs, qui.

Psal. 103.

Baculus fit arbor & arcet vim aquarum,

4. Reg. 2.

Scopus miraculorum quis sit.

De ijs, quæ in electione sancti Alexandri facta sunt.

Cap. 13.

Mittitur ad eum legatio ex quadam propinqua ciuitate, vt ad eos veniret, & per sacerdotium Ecclesiam eorum cõstitueret. Est autem ciuitati nomen Comana, in qua magnum Gregorium volebant hospitio excipi, publicè gratiam postulantes. Cùm ergò apud eos fuisset, & aliquot dies degisset, & ijs quæ faciebat & loquebatur, eorum ad mysterium cupiditatem vehementiùs accendisset, cùm tempus esset, vt eorum legatio

gatio ad finem perueniret, & crearetur aliquis pontifex eorum ecclesiæ, tũc quidem ex ijs, qui magistratus gerebant, quos nouerant, eos curiosè indagabant, qui dicendi facultate, & genere, & reliquis insignibus ornamentis videbantur excellere. Existimabant enim, quoniam hæc in magno quoquè Gregorio inerãt, nec eorum debere esse expertem eum, qui ad hanc peruenirет gratiam. Cùm autem multiplicia essent eorum suffragia, & alij alium præponerẽt, expectabat magnus Gregorius, donèc sibi diuinitùs daretur aliquod consilium ad id, quod erat propositum: Et quomodò fertur Samuel non esse admiratus pulchritudinem & magnitudinẽ corporum in regis iudicio, sed animum requisijsse regium, etiamsì sit in vili & contempto corpore: ità ille quoquè despiciens studia eorum, qui ferebant suffragia, hoc vnum solummodò spectabat, num quis vel antequàm renuncietur, vitæ & virtutis exercendæ industria in moribus ferat sacerdotium. Cùm autem illi eos, quibus sua dederant suffragia, adducerent cum laudationibus, vnusquisque eum, qui à se eligebatur, proponens: ille verò etiam viliores, iubebat respicere, quo ad vitæ honestatem: fieri enim posse, vt etiã in his inueniatur aliquis, ijs, qui sunt illustriores, animæ diuitijs excelsior: quidam ex ijs, qui præerant suffragijs, hanc magni Gregorij sentẽtiam existimauit esse derisionem, si ex ijs, qui dicendi facultate, & dignitate, & manifesto vitæ testimonio prælati sunt alijs, nullo admisso ad sacerdotium, ex illiberalibus & sordidis artificibus ad eam gratiam existimentur aliqui digniores: & simul ironicè loquens, ei ità dicit: Si hæc iubes, vt ij, qui sunt huiusmodi, & à tota ciuitate delecti, despiciantur, Alexandrum carbonarium voces licet ad sacerdotium: atque adeò, si videtur, in eum transeuntes, ad ei danda suffragia conueniamus nos & tota ciuitas. Is quidem hæc loquutus est, de eius sententia detrahens, & per hoc ironicum suffragium, quòd nullum esset de prioribus iudicium, repræhendens.

In Episcopo creando vide quid spectârit.

Alexander carbonari⁹ adducitur.

Per hæc autem, quæ dicta sunt, venit illi magno in mentem, vt cogitaret, num non sine Dei numine facta sit Alexandri mentio ab ijs, qui ferebant suffragia: Et quis est, inquit, hic Alexander, cuius feciſtis mentionem? Deindè cùm quidam ex ijs, qui aderant, eum, de quo facta erat mentio, per risum adduxissent, sordidis lacerisque pannis indutum, nec id toto corpore, & simul ipsa specie opus suum ostendentem, vt qui ex carbonum operatione, & manibus, & facie, & toto deniq; corpore esset sordidatus, reliquis quidem in medio stans Alexander risûs fuit argumentum: perspicaci autem illi oculo magnam attulit admirationem id, quod fiebat & cernebatur, vir in extrema paupertate, & neglecto corpore se solum respiciens, & velutì ijs exultans, quòd erat ineruditis oculis ridiculum. Ità enim habebat, nec propter paupertatis necessitatem ad hanc vitam deuenerat: sed erat vir quidam philosophus, vt eius posteà vita significauit, quæ erat cæteris excelsior, adeò vt etiam peruenerit vsque ad martyrium, vt qui cursum per ignem consummauit. Latére autem est conatus, vel studuit potiùs, vt qui ea, cui à vulgo studetur, prosperitate longè esset superior, & mundi vitam nihili faciẽs, excelsiorem veramque vitam concupiscerет, & vt propositum virtutis scopum faciliùs attingeret, conabatur latére. Talis autem cùm esset, vilissimo artificio tanquàm turpi aliqua persona occultatus, & alioquì cùm esset florenti ætate, temperantiæ instituto periculosum ac lubricum existimabat, manifestare pulchritudinem corporis, naturæ prosperitati velutì insultans, & eam insectans. Sciebat enim eam præbuisse multis lapsûs occasionem. Nè ergò aliquid eorum, quæ nollet, sibi eueniret, nec alienis oculis esset causa excitandi mali animi motus, ideò spontè assumit artem carbonariam: per quam & corpus ad virtutem exercebatur laboribus, & pulchritudo occultabatur sub carbonum sordibus: & simul quod ex suis redibat laboribus, id ità dispensabatur, vt seruiret præceptis.

Alexander cur factus sit carbonarius.

Alexander iste qualis fuerit in occulto.

Cùm eum itaq; abduxisset à cõcilio, & ex eo omnia esset accuratè scisciatus, illum quidem dat suis domesticis, iubens ea, quç oportebat, facere. Is autem cùm rursùs venisset ad concilium, eos docebat, qui erant congregati, eis verba faciens de sacerdotio, & per ea describens vitam ex virtute agendam: Et in tali oratione tandiù est immoratus, cœtum detinens, donèc ijs impletis, quæ iusserat, ij qui ei ministrabant, aduenerunt, secum habentes Alexandrum, qui & lauacro sordes ex fuligine contractas abluerat, & magni Gregorij vestibus erat indutus: hæc enim eis facere iusserat. Cùm autem omnes essent conuersi ad Alexandrum, & ex eo, quod videbatur, essent in magnam adducti admirationem: Nihil vobis noui accidit, (dixit eis magister) si oculis decepti estis, & soli sensui eius, quod bonum est, iudicium permisistis. Veritatis enim

Cap. 14.

corum quæ sunt, iudex incertus est sensus, qui per se arcet, nè profundum animi penetretur. Simul autem ipsi quoquè veritatis & pietatis inimico dæmoni gratũ erat, vt esset omninò ocioſum vas electionis, quod occultabat ignoratio, nec is vir prodiret in medium, qui esset futurus euersor illius potentiæ. Hæc cùm dixisset, Deo virum offert per sacerdotium, cùm eum pro more initiatum gratia consecrâsset. Omnibusque nouum sacerdotem intuentibus, is rogatus vt verba faceret ad Ecclesiam, statim ab exordio ostẽdit Alexander, non falsum de eo Gregorij fuisse iudicium. Erat enim ei plena sententia oratio, minùs ornata dictionis floribus. Quo factum est, vt quidam elatus adolescens, qui ex Attica apud eos degebat, inornatam irriserit dictionem, quòd non esset Atticis exculta ornamentis. Quem dicunt fuisse correctum à quadam visione, cùm vidisset columbarum gregem, quadam admirabili refulgentem pulchritudine, & quendam audîsset dicentem, has esse Alexandri colũbas, quas ille irriserit.

S. Gregorius Alexandrum carbonariũ consecrat Episcopum.

Quidnam ex his quispiam miretur ante aliud? Non reueritum esse hunc virum suffragium magistratuum, & non abreptum esse à testimonijs eorum, qui præcellebant: an potiùs esse miratum occultatas in carbonibus diuitias, quod statum recti iudicij statim est consequutum à Deo testimonium per visionẽ oratoris? Mihi enim vtrunque eorum in se tale esse videtur, vt ea inter se quidem contendant: inter omnia autem, quæ propter miraculum commemorantur, primas partes obtineant. Nam & eorum, qui præcellebant, restitisse desiderio, est immutabilis & excelsi animi argumentum, quo quæcunque in mundo apparebant, similiter ab eo cernebantur, cùm & in id, quod est maius & illustrius, & in id, quod est abiectum & humile, æqualiter esset affectus: solam autem virtutem cæteris præponens, & solam, quæ in vitio agitur, vitam iudicans reijciendam, nihili ducebat omnia, quæ in hac vita, vel in honore habentur, vel nihili penduntur. Quod tunc quoquè feciſſe ostenditur. Nam cùm quæreret inuenire eum, qui Deo esset gratus, non fide dignum existimauit testimonium, si diuitias accepisset, & authoritates, & huius mundi splendores: quorum in bonorum catalogis nihil diuina enumerauit scriptura. Non est ergò hoc solùm dignum laude & admiratione, quòd principum & virorum studia non admiserit: sed etiam per ea, quæ deincèps sunt consequuta, ipse seipsum superauit. Qui enim solùm indignum repulit suffragium, vsui autẽ non adiecit id quod deerat, malum quidem prohibuit, bonum autem non fecit. Qui autem præter id, quòd non est assensus deteriori, inuenit etiam id, quod bonum est & honestum, per vtraq; perfecit id, quod bonum est, neque malo concedens aditum, & bonum producens in actum: adeò vt in vtrisque constiterit in ciuitatem huius magni viri beneficium, vt qui & quod per ignorantiam ab eis peccabatur, auerterit: & quod apud ipsos erat occultum, bonum per se declarauerit.

Excelsus beati viri animus.

De Hebræis, & de ijs, quæ facta sunt in itinere.

Cap. 15.

Cùm autem magno huic viro omnia succesissent ex sententia, auxilio sancti spiritûs non alienum fuerit id quoquè narrare, quod in via ab eo obitèr factum est, vt per omnia ostendatur gratia, quæ huic viro aderat. Quoniam enim erat omnibus manifestum, hoc ipsi esse curæ præ cæteris, vt omnia spectarent ad solatium egentium, siue ad lucrum respicientes duo quidam ex Hebræis, siue etiam aliqua reprehensionis macula eum adspergere cogitantes, vt quem esset facile decipere, obseruant eius reditum. Et vnus quidem ex ijs, qui videbatur esse mortuus, iacebat supinus in via publica: Alter autem miserabiliter eiulans propter eum, qui iacebat, imitabatur voces lamentantium, & magnum illum prætereuntem magna voce clamando vocabat, dicens hunc miserum subita morte correptum, nudum iacere, nec paratũ esse aliquid, quo sepeliretur. Rogabat ergò magnum hunc virum, nè sancta eius anima ipsum despiceret: sed paupertatis motus misericordia, ex ijs quę habebat, pręberet vltimum amictum corpori inijciendum. Ille quidem hæc & alia dicens, supplicabat. Hic verò nihil cunctatus, diploide, qua erat indutus, iniecta iacenti, perrexit vltrà progredi in itinere. Postquàm autem illo prætergresso soli erant, qui hæc aduersùs eum fecerant, deceptor ille in risum mutata simulata lamentatione, iussit eum, qui iacebat, surgere, præ gaudio cachinnos edens ob lucrum eis ex fraude factum. Is autem in eodem erat, quo priùs habitu, nihil audiens ex ijs, quæ dicebãtur. Altero autem maiori voce vtente, & pede simul eum excitante, nihilo magis is, qui iacebat, neque vocem exaudijt, nec ictum sensit, sed in simili erat figura extensus. Simul enim àc iniecta est vestis,

Fraus duorũ Iudęorũ.

Vltio cælestis eos mox persequitur.

vestis, fuit mortuus, re vera morte functus, quam simulabat ad magnum illum decipiendum, adeò vt non fuerit homo deceptus, sed cuius causa fuerat ab eo data vestis, ad id vtilis fuerit ei, qui acceperat.

Si autem videtur triste hoc opus magni illius fidei, nè videatur cuiquam hoc alienum, ad magnum Petrum respicienti. Et enim ille non solùm beneficijs ostẽdit eam, quæ in se inerat, potestatem, eum qui erat claudus ab ortu, populo currentem ostendens & salientem, aut vmbra sui corporis curans ægrotos, quam transeunte Apostolo, per transuersum corporis Sol eis admouerat: sed etiam eo, quòd morte damnârit Ananiam, qui inhabitantem virtutem contempserat, vt, sicut opinor, illo metu adductum, quicquid in populo erat propensum ad contemnẽdum, hoc terribili exemplo corrigeretur, nè eodem modo castigaretur. Meritò ergò Petri imitator, qui multis in benefaciendo miraculis ostenderat virtutis magnitudinem, eum quoquè, qui aduersùs sanctum spiritum fraude vti est conatus, effecit vt de se vera diceret. Oportet enim, vt existimo, euersorem mendacij etiam in deceptore mendacium traducere ad veritatem, vt per hoc omnibus esset euidens, quòd quicquid ab illo dicebatur, erat veritas: & quòd id, quod vt verum acceperat, non erat falsum. Iudæi ergò, qui hoc modo illius magni virtutem ludificati fuerant, fuerunt alijs documento, nè audeant decipere cùm eos, qui id ausi fuerint, Deus puniat.

Actor 3.

Actor. 5. Ibidẽm.

Attende q̃ sit periculosum vti fraude aduersùs spiritũ sanctum.

De adolescente, qui habebat spiritum.

Cap. 16.

Post hæc cùm aliquandò haberetur conuentus sub dio in quodam loco in ea regione, & admirarentur omnes eius doctrinam, quidam adolescens clamauit ad eos, qui aderant, Doctorem non hæc à se dicere, sed ei alium adstantem verba facere. Adducto autem puero, postquàm dimissus esset conuentus, dicitur magnus dixisse ijs qui aderant, adolescentem non esse mundum à dæmone: & simul cùm sibi sustulisset velum, quòd habebat in humeris, & id oris sui admouisset anhelitui, sic iniecisse in adolescentem. Cùm hoc autem factum esset, conturbatum esse, & exclamâsse adolescentem, & cecidisse, & se dilacerâsse, & omnia passum esse, quæ patiuntur, qui sunt dæmoniaci. Deindè cùm sanctus ei manum imposuisset, & sedâsset perturbationem, ab eo quidem euolâsse dæmonium. Cùm ad se autem redijsset, non ampliùs dixisse, se videre eum, qui vnà cum sancto loquebatur. Est quidem certè hoc quoquè ex magnis illius miraculis, quòd non aliquo in curationibus adhibito artificio effecerit miracula: sed ad expellendos dęmones, & corporis sanandas ægritudines, sufficerit ex eius ore anhelitus, qui per linteum adhibebatur ægroto. Sed omnia quidem illius miracula ordine persequi, longi fuerit operis & orationis, quę plùs requirat ocij. Si vnius autem, aut duorum, quæ de ipso dicuntur, fecero mentionem, finem imponam orationi.

Anhelitu suo sanat dęmoniacum.

De ea, quæ tum fuit, persequutione, & quemadmodùm in montem profectus est magnus Gregorius.

Cap. 17.

Iam enim in omnem partem peruaserat diuina prædicatio, & omnes tam in ciuitatè, quàm in ea, quæ circũcircà sita est, regione ad piam rectamque dogmatis fidem erant traducti, altariaque & templa, & quæ fuerant in eis simulacra, erant euersa: expurgata autem erat humana vita ab idolorum inquinamentis, extinctusque erat sceleratus nidor sacrificiorum, ablutusque cruor ex altaribus, & sordes cæsorum animantium: omnes autem in omni loco in Christi nomine templa erigebant oratoria: cùm Romanorum, qui tunc erat, Imperatorem subijt ira & inuidia, propterea quòd falsa quidem eius patria neglectui esset superstitio: augebatur autem mysterium Christianorũ, & per totum orbem terrę multiplicabatur Ecclesia, per eos, qui semper verbo adijciebantur, crescens in magnitudinem. Et cùm existimâsset fieri posse, vt diuinæ virtuti sua resisteret acerbitas, & reprimeret quidem mysterij prædicationem, dissolueret autem cœtus Ecclesiarum, rursùs autem traduceret ad simulacra eos, qui ad verbum processerant, ad gentium Præsides mittit edicta, terribiles supplicij minas in eos statuens, nisì omnibus probris, contumelijs & cruciatibus afficerent eos, qui nomen Christi adorabant, & terrore & cruciatibus eos rursùs adducerẽt ad patrium cultum dæmonum.

Edicta acerba Imparatoris in Christianos.

Postquàm autem magistratibus est annunciatum hoc sceleratum & impium edictum, cùm per totum peruasissent Imperium, qui ad hoc erant constituti à Tyrãnica crudelitate: & in gentem Ponticam is obtinebat dominatum, cui ad sceleratum desiderium

ſiderium non deerat ſumma poteſtas, vt qui feritatem & acerbitatem haberet ingeneratam, & odium in eos, qui verbo crediderant, ab eo publicè proſcribitur, oportere vel fidem abiurare, vel omne genus ſupplicijs & mortibus affici. Neque aliud tunc publicum aut priuatum quicquam agebatur, aut vllum ponebatur ſtudium ab ijs, qui tractábant publica, quàm vt obſiderent & punirent eos, qui fidem ſequebantur. Erant autem non ſolùm minæ verborum terribiles, ſed cum ijs varius apparatus ſuppliciorum, nullũ non afferebat ſtuporem, & antequàm veniretur ad periculum, metum incutiebant hominibus enſes, & ignis, & beſtiæ, & foſſæ, & inſtrumenta ad torquendum membra accommodata, & ferreæ in igne cathedræ, & ligna erecta, in quibus eorum extenſa, qui perſiſtebant, corpora, proiectis horrendis laniabantur vngulis, & alia innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus inuenta ab eis excogitabantur. Vnumque erat ſtudium ijs, qui hanc habebant poteſtatem, vt nullus eo poſſet oſtendi ſcelere ſuperior. Alij quidem deferebant, alij verò indicabant, alij verò ſcrutabantur eos, qui erant abſconſi. Alij inuadebant eos, qui fugiebant. Alij autem iniectis oculis in facultates fidelium, vt rebus eorum potirentur, prætextu pietatis ac religionis eos, qui fidem amplectebantur, expellebant.

Sæuitur in Chriſtianos

Ità faciunt hodiè hæretici.

Erat autem in gente confuſio, perplexaque & inexplicabilis animi dubitatio, cùm eſſent omnes inter ſe ſuſpecti, cùm nec in tanto terrore maneret filiorum in parentes beneficentia, neque paternæ curæ à natura ingenerata fidelitas remaneret parentibus in filios. In varios autem ritus religionis inter ſe ſcindebantur genera. Et filius, qui erat gentilis, erat proditor parentum fidelium: & filium, qui crediderat, pater incredulus accuſabat. Et frater, qui erat ex eádem eſſentia, pugnabat cum natura, ſanctum eſſe exiſtimans, ſumere pœnas de conſanguineo, ſi pietatẽ amplecteretur. Hinc plenæ quidem erant ſolitudines ijs, qui expellebantur: habitatoribus autem ædes erant inanes: multa autem publica habitabula ad vſum carcerum deſeruiebãt. Non poterant enim carceres capere eorum multitudinem, qui propter fidem puniebantur: Foraque omnia, & omnes publici & priuati cœtus, pro conſueta lætitia calamitatis erãt talis participes, cùm alij quidem attraherentur, alij verò abducerentur, alij propter ea, quæ fiebant, vel riderent, vel flerent. Non erat infantium miſericordia, non honor canitiei, non virtutis reuerentia, ſed perindè atquè in captiuitate dedebatur omnis ætas inimicis fidei. Ne fœminis quidem dabat naturalis generis imbecillitas, vt remotæ eſſent ab his ærumnis: ſed vna in omnes æqualis erat lex crudelitatis, eos adducens, qui erant alieni ab idolis, naturam non diſcernens.

Cap. 18. Fugiendum in perſecutione.

Cùm tunc ergò imbecillitatem naturæ vidiſſet vir ille magnus, vtpotè quòd multi non poſſent pro pietate vſque ad mortem decertare, conſuluit Eccleſiæ, vt parumpèr cederet terribili irruptioni, dicens eſſe melius, fugiẽdo ſuas conſeruare animas, quàm ſi ſtarent in acie certaminũ, eſſent ordinũ fidei deſertores: & vt maximè perſuaſum eſſet hominibus, nullum animæ afferre periculum, ſi fuga fidem ſeruarent, ſuo exemplo eis conſulit, vt ſecederent, ipſe ante alios cedens vehementi periculo. Simul autem ijs quoquè, penès quos erat poteſtas, hoc maximo erat ſtudio, vt illo tanquàm duce exercitûs expugnato, omnem fidei aciem frangerent & diſſoluerent. Et ideò inimici magnoperè ſtudebant, vt ille in eorum veniret poteſtatem. Ipſe autem cùm deſertum quendam collem occupâſſet, ſecum habens eum, qui exædituo adductus fuerat ad fidem ab initio, iam Diaconatûs gratiæ inſeruientem: cùm autem qui perſequebantur, magna multitudine ſequerentur eorum veſtigia, à quopiam eis oſtenſo loco, in quo abſcondebatur, alij quidem vallem colli ſubiectam circunſeptam cuſtodiebant, vt ei nulla ex parte liceret effugere, ſi ad hoc eſſet conuerſus: Alij autem cùm in montem acceſſiſſent, per omnem partem ſcrutãtes, iam magno illi viro conſpecti fuerant, rectà ad ipſum currentes. Ille autem cùm iuſſiſſet ei, qui erat cum ipſo, vt ſtaret certa & ſolida in Deum fidutia, & ei ſuam crederet ſalutem, manus tendens ad orationem, & nec etiam ſi propè fuerint inimici, metu excutiatur fides. Præcepti autem exemplum ſe præbuit Diacono, fixo & ſtabili oculo cælum intuens, extenſis manibus recta figura. Et hi quidem in his erant: Illi autem cùm ad eos accurriſſent, & omnem locum diligenter inſpexiſſent, omnemque in rupe ſtationem, & omnem rupis acceſſum, & omnem à lacuna effectam cõcauitatem diligentiſſimè ſcrutati eſſent, rursùs in vallem redeunt, quaſi metu eorum, qui ſcrutabantur, ipſe in fugam conuerſus inciditſſet in manus eorum, qui circunſidebant. Poſtquàm ergò nec ab his eſt inuentus, nec erat apud illos, qui locum adſpexerat, in quo magnus ille degebat, ſignis deſcripſit

Latitat vir Dei cũ ſuo Diacono in quadã valle.

Excæcati perſequutores conſpiciunt duas arbores, eorũ loco.

deſcripſit eum, in quo affirmabant quæſitores, ſe neminem vidiſſe, nisì ſolas duas arbores, à ſe inuicèm parùm diſtantes. Cùm autem ſeceſſiſſent qui quærebant, relictus index cùm illum magnũ offendiſſet in oratione, & eum qui cum ipſo erat, & diuinum cognouiſſet præſidium, per quod illi eis viſi ſunt arbores, accidit ad eius pedes, & verbo credit: & qui paulò antè fuerat perſecutor, fit vnus ex fugientibus.

Ijs ergò longo tempore manentibus in ſolitudine, (bellum enim inualeſcebat aduersùs fidem) & grauiter furente præſide in eos, qui ad verbum pietatis accedebant, & omnibus in fugam conuerſis, quoniam nulla ſpes relicta erat, fore vt magnus Gregorius veniret in manus perſequutorum, tunc omni ſua rabie & acerbitate conuerſa in reliquos, vbiquè per gentẽ ſcrutabantur omnes ſimiliter, viros, mulieres & pueros, quibus Chriſti nomen erat venerabile, eosque trahebant in ciuitatem, & replebant carceres, pro alio ſcelere intentantes eis crimen pietatis, adeò vt nulli ex rebus publicis tunc vacarent iudicia, nisì huic tantùm, quòd ijs, qui tunc imperium obtinebant, erat curæ, vt omnes contumelias & omnia tormenta, quę excogitari poterant, in eos inferrent, qui fidem retinebant. Quo quidem tempore fuit omnibus longè euidentiſſimum, magnum illum virum nihil conſuluiſſe ſine Dei numine. Nam cùm ſe per fugam populo conferuâſſet, erat commune auxilium omnibus, qui pro fide decertabant. Sicut enim de Moſe audimus, quòd ab Amalecitarum acie procùl remotus, per orationem ijs, qui erant ſui generis, dabat vires aduersùs inimicos: eodem modo ille quoquè animæ oculo intuens ea, quæ videbantur, diuinum inuocabat auxilium ijs, qui decertabant pro fidei confeſſione.

Oratio iuſti quantũ valeat.

Exod. 17.

De viſione, quæ facta eſt in monte, & de martyrio ſancti Troadij.

Cumque aliquandò vnà cum ijs, qui cum eo erant, pro more Deum oraret, repentè angore & animi perturbatione plenus, apertè præ ſe tulit ijs, qui aderant, à ſe ſpectaculum videri alienum, ſeque id ægrè ferre, auresque obſtruere, tanquàm ſono aliquo ad eum perueniente: & non exiguo interiecto interuallo, cùm toto tempore, quod interceſſit, inflexibilis manſiſſet & immobilis, tanquàm propoſitũ ſpectaculum bonum eſſet exitum aſſecutum, ad ſuam redijt conſuetudinem, & clara voce Deum laudauit, hymnum victoriæ & gratijs agendis appoſitum pronuncians, quem ſæpè audimus Dauid dicentem in Pſalmodia: Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Ijs autem admirantibus, & vt ex eo ſcirent, rogantibus quodnam fuerit hoc ſpectaculum, quod eius oculis ſubiectum eſt, fertur dixiſſe, ſe illo tempore magnum vidiſſe caſum, proſtrato diabolo à quodam adoleſcente in certamine pro pietate. Ijs autem quod dicebatur, adhuc ignorãtibus, narrat eis apertiùs, quòd illa hora quidam nobilis adoleſcẽs, maiori fretus auxilio, magnis ſudoribus pro fide decertauit, à lictoribus productus ad præſidem. Nomen quoquè adiecit, cum nominans Troadium, & quòd poſt multa, quæ fortiter tulit, tormẽta, fuit martyrij corona redimitus. Auditione autem obſtupefactus Diaconus, neque audens non credere ei, quod dicebatur, & ſimul credens eſſe maius, quàm vt cadat in humanam naturam, vt qui procùl erat à ciuitate, cùm nemo ei renunciâſſet, dicat ijs, qui cum eo ſunt ea, quæ fiunt, perindè àc ſi intereſſet, ſupplex rogat magiſtrum, vt ſibi permittatur ea cernere oculis, & nè ab eo prohibeatur, nè veniat ad loca ipſa, in quibus factũ eſt miraculum. Cùm is autem diceret, eſſe pertimeſcendum adeſſe in medio eorum, qui occídunt, ſæpeq; diaboli peruerſitate accidere aliquid, quod nollemus, Diaconus dixit, ſe confidere auxilio eius orationum, hac apud eum voce vtens: Tu me Deo commendes, nec me vllus inſequetur metus inimicorum. Cùm is autem per orationem veluti ſocium cum eo miſiſſet diuinum auxilium, confidens viam confecit, ad nullum ſe conuertens ex ijs, qui occurrebant.

Cap. 19.

Pſal. 123.

Vidit in ſpiritu certamẽ S. Troadij martyris

De balneo, & de dæmone, qui in ipſo habebat poteſtatem.

Cùm autem veſperè ingreſſus eſſet ciuitatem, & laſſus eſſet ex itinere, neceſsè eſſe duxit, corpus lauacro reficere. In eo autem loco dominatum obtinebat quidam dæmon homicida, verſans in lauacro, cuius vis exitialis poſt tenebras operabatur in eos, qui accedebant. Ea de cauſa poſt occaſum ſolis non patebat ad id aditus, neque id exercebatur. Ad quod cùm acceſſiſſet, rogabat eum, qui illi præerat, vt id ei aperiret, & non ei inuideret balnei viſum, quò ſe recrearet. Cùm is autem teſtaretur, nullum ex ijs, qui illa hora auſi ſunt aquam ingredi, ſuis redijſſe pedibus, ſed dæmonem omnes veſperè ſuperâſſe, multosque ob ignorationẽ paſſos eſſe grauiſſima, quos pro

Cap. 20.

ſperata

sperata recreatione exceperunt lamentationes, eiulatus & sepulcra. Cùm hæc referret, & quę sunt huiusmodi, ille nihil de suo remisit desiderio: sed instabat omninò cogens, vt eum intromitteret. Ille autem satis se lucrifacere existimans, si non cum hospitis ignoratione vnà veniret in periculum, cùm ei dedisset clauem, procùl recedit à balneo. Postquàm autem nudatus fuit intùs, multiplices terrores & variæ obstupefaciendi causæ adornabantur à dæmonio, nempe omnis generis visa, ostendentia naturam igne & fumo mixtam, & quæ in forma hominum & ferarum in oculos incurrebant, in auribus resonabant, anhelitui appropinquabant, & in orbem circa corpus effundebantur. Ille verò se signaculo Crucis muniens, & Christi nomen inuocans, domos peruasit illæsus. Interiùs autem progressus, in grauiora incidit spectacula, in grauiorem adspectum transformato dæmonio. Nam & simul terræmotu domum existimabat concuti, & perruptum solum nudam flammam ostendere inferiùs, & scintillas ex aquis emitti flammeas. Rursusque ei arma itidèm fuêre signaculum & Christi nomen. Et quod per magistri preces ferebatur auxilium, discutiebat quæ videbantur & fiebant terribilia. Aqua autem recreatus, cùm properaret egredi, rursùs prohibebatur, fores opponente dæmonio. Sed hoc quoquè rursùs impedimentum, pari rursùs virtute est solutum, foribus signaculo cedentibus. Postquàm autem ei omnia processerunt ex sententia, dicitur dæmoniũ voce humana ad eum exclamâsse, nè sibi vim illam attribueret, per quam effugit exitium. Vox enim, quæ eum cõmendauit, ei qui custodiebat, præstitit, vt minimè læderetur. Hoc ergò modo conseruatus, magnam attulit admirationẽ ijs, qui loco præerant, cùm nullus apparuisset viuus ex ijs, qui illa hora aquam ausi essent ingredi.

Signo Crucis se muniens, omnia dæmonum terricula-menta contemnit diaconus.

Postquàm autem ei quisnam esset narrauit, & quæ in ciuitate fortiter gesta erant à martyribus, cognouit eo modo se habuisse, quo magnus ille in solitudine degens priùs narrauerat, cùm cæteris, quæ de ipso narrauit & eius miraculis, adiecisset quæ vidit, & quæ audijt, & quomodò ipsa in se experientia didicisset virtutẽ fidei magni Gregorij, cui tulit testimonium dæmonium: reuertitur ad magistrum suum, tam suis æqualibus, quàm posteris relinquens commune monimentum, vt per sacerdotes vnusquisque seipsum Deo cõmendet: & nunc est quidem per vniuersam Ecclesiam, præcipuè autem apud illos, ea vox monimentum auxilij, quod ei datum est à Gregorio.

Cùm autem diuina ope soluta esset illa Tyrannis, & humanam vitam pax rursùs excepisset, per quam erat omnibus liberũ rebus diuinis dare operam, rursùs descendens in ciuitatem, & totam in orbem circuiens regionem, ijs, qui erant vbiquè, populis magnam fecit accessionem in Deum studij & pietatis, statuens vt pro ijs, qui pro fide decertârant, agerentur festi dies & celebres conuentus. Cumque alius alibì corpora martyrum accepissent, quotannìs, finita annui orbis conuersione, conueniẽtes exultabant, diem festum celebrantes in honorem martyrum. Est certè hoc quoquè argumentum magnæ eius sapientiæ, quòd cùm omne simul hominum genus suo tempore ad vitam communem componeret, velutì quidam auriga naturam regens, & frenis Dei cognitionis eos iugo subiungens, concedebat vt sub iugo fidei lætitia exilirent subditi. Cùm enim animaduertisset, quòd propter corporeas delectationes in idolorum errore permaneret puerile vulgus & ineruditum, vt interìm in eo, quod est præcipuum, nempe in Deum, se rectè gererent: pro illis inanibus superstitionis ritibus, permisit eis, vt in sanctorũ Martyrum memorijs se exhilararent, exultantesque oblectarent, vtpotè quòd procedente tempore futurum erat, vt vita traduceretur ad id, quod est honestius & præstantius, & fides eos ad id deduceret, quod quidem iam in multis rectè successit, omni delectatione ab ijs, quæ sunt iucunda corpori, tradu&ta ad genus lætitiæ spiritalis.

Festi dies martyrum, in primitiua ecclesia, à sanctis Patribus instituti.

Hoc autem modo se gerens in Ecclesia, & omni studio incumbens, vt ante suum è vita excessum, videret omnes ad fidem salutarem traductos à simulacris, postquàm cognouit suum instare obitum, totam circuncircà regionem & ciuitatem est perscrutatus, cupiẽs scire, an essent aliqui relicti extra fidem. Vbì autẽ cognouit omnes, qui permanserant in antiquo errore, non esse plures, quàm septemdecim, dicit hoc quidem esse dolendum, ad Deum respiciens, quòd aliquid desit ad plenitudinem eorum, qui seruantur: Veruntamen iure magnas esse agendas gratias, quòd suo in Ecclesia successori tot relinquit simulacrorum cultores, quot ipse accepit Christianos. Cùm autem precatus esset, vt & qui iam crediderant, crescerent in perfectionem, & in fide-

Sub obitum visitat suam diœcesin.

Felicissimè ad cælos euolat.

infideles conuerterentur, ità ab humana vita migrauit ad Deum, mandans suis necessarijs, vt nullum proprium locum ei compararent ad sepulturam. Si enim viuus non sustinuit vocari alicuius loci dominus, sed inquilinus vixit in alienis, neque post mortem pudebit eum esse inquilinum. Sed hoc, inquit, narretur posteris, quòd Gregorius neque viuus alicuius loci possessor est nominatus, & post mortem fuit inquilinus alienorum sepulcrorum, seipsum seiungens ab omni in terra possessione, adeò vt nec in proprio quidem loco voluërit sepeliri. Solam enim eam possessionem indicauit preciosam, quæ in se auaritiæ non susceipit vestigium. Repentinam autem totius gentis traductionem à gentili vanitate ad veritatis agnitionem nemo miretur, qui hanc legerit orationem, respiciens œconomiam, per quam facta est tanta mutatio eorum, qui traducti sunt à falso ad veritatem. Nam quod factum est in primis temporibus eius sacerdotij, quòd ad reliqua miracula festinans præterijt oratio, nunc assumens narrabo.

More Saltatoris inquilinus in sepulcro sepelitur alieno.

De die festo, qui agebatur in ciuitate, & de peste, quæ irruit.

Cap. 21.

Erat quidam dies festus publicus in ciuitate, qui more patrio agebatur cuidam dæmoni ex ijs, qui erant in regione. Ad eum tota ferè gens confluxerat, tota regione vnà festum agente cum ciuitate. Erat autem theatrum plenum ijs, qui concurrerant, & effundebatur vndiquè super sedes multitudo eorum, qui confluxerant. Cumque omnes circa spectacula & acroamata ad orchestram adspicere magnoperè cuperẽt, erat scena plena tumultu. Frustraque fuit præstigiatoribus miraculorum suorum ostentatio, cùm tumultus eorum, qui arctè comprimebantur, non solùm musicæ vsum interrũperet, sed nec præstigiatoribus sua ostendere permitteret. Quo quidem tempore à toto populo communis hæc vox erupit, dæmonẽ inuocantium, cui hunc diem festum agebant, & rogantium, vt eis ab illo latius præberetur spatium. Postquàm autem omnibus inter se colloquentibus, vox in altum efferebatur, & videbatur totius ciuitatis tanquàm vnius oris esse oratio, quæ has preces offerebat dæmoni: Erat autem precatio, vt ijsdem verbis à me dicetur: Iuppiter, fac nobis locum: cùm audisset magnus ille vocem eorum, qui dæmonem nominatìm inuocabant, à quo petebant, vt ciuitati fieret latum spatium, dicit ad eos, misso quodam ex ijs qui adstabant, mox eis esse dandum latius spatium, quàm precabantur. Hac autem voce tanquàm tristi prolata sententia, publicam illam celebritatem mox pestis excipit, & in choris statìm admixta est lamentatio, adeò vt oblectationes cõuerterentur in luctus & calamitates, pro tibijs, & quæ ad numerum fiebant, saltationibus & plausibus, lugubri carmine assiduè ciuitatem excipiente. Nam cùm morbus spe citiùs ingruisset hominibus, is peruadebat, ignis instàr domos depascens. Quo factum est, vt implerentur quidem templa ijs, qui morbo interiebant, qui quidem spe curationis ad ea confugiebant: pleni quoquè essent riui, & fontes, & putei ijs qui prę morbi vehementia maiori siti ardebant, quàm vt aqua, quæ erat in profundo, flammam eorum extingueret, cùm ij, quos semèl is morbus inuasisset, & post & ante aquæ potum similiter se haberent: multi autem sua sponte fugerent ad sepulcra: quoniam ij qui erant superstites, ad eos sepeliendos minimè sufficiebant: esset autem non inopinata mali hominibus irruptio: sed cùm domui interiturę quoddam visum apparuisset, ità consequeretur interitus.

Sæuissima pestis inuadit insolentem populum.

Postquàm ergò fuit manifesta omnibus morbi causa, nempe quòd inuocatum ab eis dæmonium, stultorum votum malignè implebat, hanc sceleratam spatij latitudinem morbo ciuitati afferens: eo quidem tempore magnum Gregorium supplices adeunt, rogantes vt vim morbi compesceret per eum, quem ipse cognoscebat & prędicabat, Deum, quem solum verè fatebantur esse Deum, & habere in omnes potestatem. Nam cùm illud visum ante futurum domûs interitum apparéret, & desperationem vitæ protinùs afferret, vna periclitantibus erat via salutis, si intrà illam domum magnus fuisset Gregorius, & precibus propulsâsset morbum, qui domui immi-nebat. Cùm autem per eos, qui primi hanc erant salutem consecuti, velox fama per omnes peruasisset, cessârunt omnia, quæ priùs ab eis magno studio procurabantur, oraculorum scisitationes, piacula, & apud simulacra diuturnæ supplicationes, adspicientibus omnibus ad magnum sacerdotem, & vnoquoque eum ad se trahente ad salutem totius generis. Erat autem ei merces ab ijs, qui seruabantur, eorum salus animarum. Nam cùm tali experientia manifestata esset pietas sacerdotis, nulla erat ampliùs dilatio, quò minùs mysterio assentirentur ij, qui virtutem fidei docebantur.

Eam pestẽ precibꝰ pellit vir sanctus.

Sic fuit illis hominibus morbus ſalute præſtantior. Qui enim cùm ſani eſſent ad myſterij doctrinam excipiendam infirma erant animi intelligentia, corporis morbo fuerunt confirmati ad fidem. Et ſic confutato errore idolorum, traducti ſunt omnes ad nomen Chriſti: alij quidem per morbum, qui inuaſerat, deducti ad veritatem: alij verò, vt à peſte ſeruarentur, fidem in Chriſtum aſſumentes, tanquàm propugnaculum. Sunt autem etiam alia in hodiernum vſque diem memoriæ mandata miracula: quæ quidem auribus parcentes non credentibus, nè ij lædantur, qui quod in rerum, quæ dicuntur, magnitudine verum eſt, falſum eſſe putant, ijs, quæ ſcripta ſunt, non adiecimus.

MARTYRIVM FELICIS PRESBYTERI, IRENAEI DIACONI, MVSTIOLAE NOBILISSIMAE MATRONAE & aliorum: vt habetur in egregijs MS. libris: ſed in gratiam Lectoris F. Laur. Surius mutauit ſtylum.

Iulij 5.

TEMPORIBVS Aureliani Imperatoris ſæua extitit perſecutio Chriſtianorum: cumque ei nunciatum eſſet, in ciuitate Tuſciæ, quæ poſt ethniciſmum illuſtris fuit, Chriſtiana religione initiatos florere, adeò incenſus eſt, vt Turgium vicarium, præfectoria ornatum dignitate, eò miſerit ad Chriſtianos diſcutiendos. Veniens igitur Turgius ad Faliſcos, iuſſit accuratè inquiri, num quis poſſet reperiri Chriſtianus, repertumque ſine dilatione coram ſe ſiſti, capitalem ſententiam excepturum. Itaque facta inquiſitione, repertus eſt Felix Chriſtianus. Is vt audiuit veniſſe eò manum perſecutorum, conuocauit Chriſtianos ad ſe, eosque omnes confirmans, ait: Patres, fratres & filij mei, non vos perturbet iſta caligo, quæ ſanè exigua eſt: porrò ſempiternæ illæ inferorum tenebræ cauendæ ſunt. State ergò viriliter & pugnate: quia melior eſt dies vna in atrijs Domini ſuper millia. Erat tum aulicus quidam, qui beati Felicis nomen detulit ad Turgium, dicens in agro Faliſcorum eſſe preſbyterum quendam benè diuitem, qui populum doceat, relictis templis deorum, accedere ad Chriſtum, & baptizari. Id vt audiuit Turgius, miſit milites: qui comprehenſum Felicem, illo iubente, in publicam cuſtodiam coniecerunt.

Felix confirmat Chriſtianos aduersùm perſecutionẽ. Pſal. 83.

Altera die præcepit ſibi in Faliſcorum ciuitate tribunal parari, beatumque Felicem adduci. Eum autem ſic interrogauit: Quod tibi nomen eſt? Ille reſpondit: Felix vocor. Dicit ei Turgius: Quem militiæ vel honoris locum obtines? Reſpondit Felix: Tametſi peccator ſum, at Chriſti tamen preſbyter ſum. Turgius dixit: Cur diuerſis in locis cogis conuenticula, docesque populum contemnere deos, nec immolare illis, vt habet antiqua conſuetudo, & Principes imperant? Felix reſpondit: Quæ verò eſt vita noſtra, niſi vt prædicemus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & abſtrahamus populum à ſpurcitie idolorum, vt poſſint vita frui ſempiterna? Turgius dixit: Et quæ eſt vita æterna? Felix preſbyter reſpondit: Vt timeatur & colatur Deus pater, & Dominus Ieſus Chriſtus, & ſpiritus ſanctus. Turgius dixit: Recede ab infelici Deo tuo, & pàre præceptis dominorum Auguſtorum. Felix reſpondit: Quantùm quidem ad nos attinet, vtinàm mereamur parére Chriſto, & eius nomen inuocare. Tum iratus Turgius, iuſſit os eius lapide contundi, dicens miniſtris: Oſtud conterite, quo populos ſeducit. Diù autem illis cædentibus, emiſit ſpiritum: corpus verò eius Turgius voluit in plateam proijci, quod collegit Irenæus diaconus, & ſepeliuit iuxta muros Sutrij (Author habet, Sutrinæ ciuitatis) nono Calendas Iulij.

Os eius lapide cæditur. Reddit ſpiritum.

Quod vbi reſciuit Turgius, iuſſit teneri Irenæum diaconum, profectusque * Cluſium Tuſciæ ciuitatem, vinctum catenis ferreis ante rhedam ſuam nudis cum pedibus ire compulit. Poſtquàm autem venit Cluſium, multos dies illic hæſit, Irenæum verò diaconum in carcerem coniecit, cœpitque inquirere in Chriſtianos. Ea re diù agitata, Muſtiola matrona Chriſtianiſſima vt audiuit Chriſtianos multos carceribus teneri, noctibus veniebat, & dans pecuniam cuſtodibus, intrò admiſſa, conſolabatur eos, lauabatque pedes eorum: eos verò, quos vincula ſauciârant, vngebat, cunctisque alimenta & veſtes ſuppeditabat. Sed quia in tenebris lumen abſcondi non poteſt,

* MS. habet Cluſinã ciuitatem.

Muſtiola conſolatur captiuos.

Tor-

Torquatus quidam ad Turgium veniens, ità dixit: Matrona nobiliſſima, Claudij Imperatoris conſobrina, Muſtiola nomine, non ceſſàt in cuſtodia diù noctuque reos ſuis ſermonibus confirmare. Furore igitur percitus Turgius, cùm audiſſet eam cognatam eſſe Claudij Imperatoris, miſit homines ſuos, qui eam ipſi præſentarẽt. Viſa autem ea, mirabatur eius pulchritudinem, præcepitque ſine iniuria, immò etiam admodùm honorificè reduci eam in domum ſuam. Deindè ad illam veniens, de eius genere ſciſcitabatur. Reſpondit ei Muſtiola, ſpiritu feruens: Noſtra nobilitas non multa generis claritudine, ſed ſanctorum Chriſtianorum humilitate, æſtimatur. Dicit ei Turgius: Cur aliter reſpondes, quàm Maiores tui conſueuêre? S. Muſtiola reſpondit: Illi ignorantes verum Deum, ſuadente diabolo, periêrunt: me verò humilem dignatus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad cęleſtia regna vocare: neq; me ſolam, ſed & omnes, qui ſpem ſuam in illo reponunt. Turgius dixit: Vtere conſilio meo, & noli perdere nobiliſſimos natales tuos. S. Muſtiola reſpondit: Si ſcires donum Domini noſtri Ieſu Chriſti, non te ſineres priuari lumine æterno. Turgius ait: Ecquodnam eſt lumen æternum? Muſtiola reſpondit: Spiritus & virtus. Turgius dixit: Quænam tua hæc amentia eſt, vt ad vinctos crebrò ingrediaris, eorumque cupidè fruaris amicitia? S. Muſtiola reſpondit: Id equidem facio propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro cuius amore etiam illi carceris vincula perferunt. Turgius ait: Depone hanc amentiam, & audi me, nec velis præcepta principum aut negligere, aut irridere. Beata Muſtiola dixit: Quæ ſunt præcepta principum? Turgius ait: Vt ſacrifices dijs, & viuas, fruarisque opibus tuis. S. Muſtiola reſpondit: Planè ſtultè blaſphemâſti. Commotus Turgius, iuſſit ſanctos omnes, qui in carcere erant, capite truncari: beatum autem Irenæum diaconum in conſpectu Muſtiolæ in eculeo ſuſpendi, ſub præconis voce dicens ei: Sacrifica dijs. Irenæus ait: Vt video, mẽte captus es, vt dicas ea, quæ non cõueniant. Turgius furore inflammatus, iuſſit vnguibus radi latera eius, & flãmas admoueri. Irenæus clamans, dixit: Gratias ago tibi Ieſu Chriſte, quòd mereor admitti in conſpectũ tuum. Atque hæc dicẽs, cernẽte beata Muſtiola, expirauit.

Muſtiola Claudij Imperatoris conſobrina.

Reducitur à tribunali domũ ſuã.

Irenæi cruciatus.

Obitus eius.

Tum verò beata Muſtiola dixit ad Turgiũ: Miſer, quid ità trucidas homines innocentes? ſed illi quidẽ proficiſcuntur ad gloriam ſempiternam, tu verò ſedẽ habebis in igne æterno. Audiens hoc Turgius, ſcripto eam condemnauit, præcepitq; coram ſe plumbatis eam cædi: quod eouſq; continuatum eſt, donèc deficeret. Itaq; migrauit ad Dominum quinto Nonas Iulij, corpusq; eius collegit ſeruus Dei Marcus, & apud Cluſinæ vrbis muros condidit: vbi vigent orationes eius vſque in hodiernum diem.

Item S. Muſtiolæ.

DE S. ANATOLIO EPISCOPO LAODICENSI, EX HISTORIA ECCLESIASTICA Euſebij Cæſareenſis Lib. 7. cap. 26. interprete Iohanne Chriſtophorſono Anglo.

3. Iulij. Euſebius Epiſcopus Laodicẽſis.

LAODICENSIS eccleſiæ gubernationem poſt Socratem Euſebius obtinuit, ex vrbe Alexandria oriundus. Cauſa autem eius à patria profectionis, erat controuerſia illa, de Paulo Samoſareno ſuſcepta: cuius gratia in Syriam profectus, ab illis, qui ad religionẽ Chriſti propagandam omne ſuum ſtudium conferebant, nè domum reuerteretur, prohibitus fuit. qui quidem (licutì ex verbis Dionyſij, de eo à nobis ſuprà citatis, facilè licet cognoſcere) præ cæteris præſtãtibus noſtri temporis viris, tanquàm precioſus quidam pietatis theſaurus extitit.

Anatolius, genere etiam Alexandrinus, poſt illum creatur Epiſcopus, bonus, vt aiunt, boni viri ſucceſſor. Qui cùm ob eloquentiam, tum ob doctrinam humaniorem & cognitionem Philoſophiæ, inter homines noſtri tẽporis, qui erant ſpectatiſſimi, facilè principem locum obtinuit: quippe in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia & diſſerendi facultate, in contemplatione & perſpicientia naturę, in oratorum quoquè diſciplinis venerat ad ſummum. quarũ rerum gratia, fama eſt, ciues Alexandriæ eum illi ludo, in quo Ariſtotelis doctrina docebatur, magiſtrum præfeciſſe. Ac tametsì in obſidione Alexandriæ, cùm ibì magna eſſet frumẽti inopia,

Anatolij multa doctrina.

Alexandriæ obſidio.

alias præclarè ab eo res gestas penè infinitas commemorant, vtpotè qui singularem dignitatis prærogatiuam præ cæteris magistratibus ab omnibus ciuibus adeptus fuisset, tamen exempli causa, hanc vnam solùm hoc loco citabo.

Fertur, cùm frumentum illis diù obsessis deesset, ità vt fames, quæ in vrbe grassabatur, multò magis intolerabilis, quàm hostiũ impetus, qui iam extrinsecùs premebat, existeret: hunc, quem dico, cùm huic interesset calamitati, tale quoddam remedium illis proindè inuenisse. Cùm altera pars ciuitatis cum exercitu Romano societatem belli gerendi coiuisset, & propterea obsidione non vexaretur, Eusebium fortè inter eos, qui minimè erant obsessi, versantem (adhuc enim ibi habitabat, inque Syriam minimè demigrauerat) & magnum decus nomenque celebre etiam à Duce Romani exercitûs consecutum, de his, qui fame illius obsidionis tempore interiêrunt, per internuncium Anatolius certiorem facit. Eusebium autem, cùm hoc intelligeret, à Duce maximi beneficij loco postulâsse, vt illis, qui vellent se ab hostibus ex vrbe ad eum sua sponte recipere, vitam ac salutem daret. Quem quidem, petitione, vt voluit, impetrata Anatolio significâsse: hunc autem, nuncio ab Eusebio accepto, Senatum Alexandrinorum coëgisse, ac primùm poposcisse ab illis, vt cum Romanis amicitiam iungerent. Quo quidem sermone vbi illos grauiter commotos videbat, dixisse: At huic, quod iam dicam, vos neutiquàm refragaturos arbitror: illis, qui in hac dimicatione videntur minimè esse necessarij, minimeque vobis vtiles, (vt anus, infantes & senes) liberam è portis egrediendi potestatem, quò velint, faciatis, cõsilium est. Quid enim istos iamiam propè morituros, apud nosipsos cõtinemus? Quid modò mancos & corporibus mutilatos, penèque exhaustos fame opprimimus? Viros solos & iuuenes viribus valentes alere oportet, & frumentum quod necessarium est, his, qui ad ciuitatis propugnationem accommodati sunt, congerere.

S. Anatolij cõsilio Alexandrini Christiani seruãtur.

Quibus rationibus cùm Senatum in suam sententiam adduxisset, ipsum primùm assurgentem suffragium tulisse, vt omnis multitudo, siue virorum, siue mulierum, quę ad rem militarem parùm esset idonea, à ciuitate liberè excederet: quoniam si manerent, ibique cum magno ciuitatis morarentur incommodo, nullam salutis spem illis, (quippe fame viderentur perituri) esse omninò relictam. Cui sententiæ cùm à cæteris omnibus, qui aderant in Senatu, esset assensum, parùm aberat, quin omnes, qui obsidione cingebantur, seruâssent incolumes: atque inprimis vt qui erant Christiani, deindè vt alij cuiusque ætatis, qui ciuitatem incolebant, salui aufugerent, diligenter prouidit: vndè non hi solùm, quibus Senatûs decreto potestas facta erat ex vrbe exeundi, verumetiàm sub eorum nomine alij ferè infiniti, vestitu mulicbri clanculùm induti, noctù illius prouisione è portis egressi sunt, & ad Romanorum exercitum confugerunt: vbi illos omnes Eusebius benignè excipiens, more patris aut medici, longa obsidione debilitatos, omni prouidentia & curatione in integrum restituit.

Alexãdrinis fame laborantibus, subuenit Eusebius.

Duobus ciusmodi pastoribus ecclesia Laodicensis (quorum alter alteri deincèps ordine proximè successit) diuina prouidentia potita est, qui post bellum, à nobis iam demõstratum, ab vrbe Alexandrina eò demigrârunt. Quanquàm verò non multi libri ab Anatolio erant elaborati, totidem tamen ad nos peruenerunt, vndè cùm eius eloquentiam, tum multiplicem cognitionem licet animaduertere: idque in illis potissimùm, in quibus ea, quæ de Paschate ab alijs antè decreta fuissent, explicauit. Deindè, quibusdam interiectis, ità pergit Eusebius: Anatolius porrò Institutiones in Arithmeticam, decem libris explicatas, réliquit. Alia item extant eius opera, quæ exempla ocij, præclarè in sacris literis ab eo collocati, & multæ in eisdem exercitationis perspicua argumenta dant. Hunc Theotecnus, Cęsareæ Palęstinarum Episcopus, per manûs impositionem primus Episcopum ordinauit: qui eum successorem sibi post mortem ad ecclesiæ suæ procurationem deligendum prouidit, vnaque cum illo ad aliquod temporis spatium ecclesiæ Cæsareensi præfuit. Verùm Anatolius, cùm Concilium Antiochiæ de Paulo Samosateno conuocatum, eum accerseret, ad Laodicensium vrbem aduentans, ibi Eusebio mortuo commorari à fratribus coactus est. Anatolio exeunte è vita, postremus ante persecutionem illi ecclesiæ præficitur Stephanus. Hactenùs Eusebius Cæsareensis. Habet verò etiam hunc Anatolium beatus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.

Creatur Laodicensis antistes.

VITA

VITA S. VDALRICI EPISCOPI AVGVSTÆ VINDELICORVM, EDITA A BERNONE *Abbate Augiensi.*

PROLOGVS.

REVERENTISSIMO patri Frideboldo, ac vero sanctæ matris Afræ alumno, Berno Dei matris, mancipium, cum omni contubernio Augiensium fratrum, summum & indeficiens bonum: Miræ charitatis virtus, ex dulcifluo pectoris tui emanans fonte, id exiguitati meæ iniunxit officij, vt libellum de vita ter quaterque beati patroni nostri Vdalrici, veraci quidem, sed simpliciori, quàm oportuit, sermone editum, cultiori stylo reddam luculẽtum. Pius quidem iubentis affectus est, sed non æquè facilis parẽtis esse poterit effectus: quippe cùm tarditas ingenij & exteriorum curæ, amaro, vt sic dictum sit, sapore condítæ, me prohibeant tam arduum opus aggredi.

Accedit etiam, quòd venerãdæ memoriæ Gebehardus, qui post beatũ virum quartus eiusdem Vindelicæ Augustæ ecclesiam rexit, nulli modernorũ Doctorum secundus, idem negocium corrigendi studio attentauit, sed infectum, morte preuentus, dereliquit. Cui si ipse manum extremam imposuisset, paruitas mea omninò super hoc digitum ori imposuisset. Idipsum tamen, quod composuit, licèt eloquij venustatem redoleat, tamen ità verborum ac sententiarum sublimitate se in altum extollit, vt vix aliquis exindè aliquid percipere possit. Alterius verò oratio, etsi rerum veritate subnixa, sic tamen penè videtur humì iacére, vt quisquis sapientium semèl hinc potuerit quiddam gustare, pigeat se vlteriùs ad hanc inclinare. Quocircà venerande Pater, tibi tuisque placuit huiusmodi onus mihi imponere, vt inter vtrosque medius incedens, talem moderato sermone materiam componam, vt ex vtraque parte ad se venientes, media charitate constrata, & paruuli lac, quod sugant, & fortes valeant inuenire cibum, quem comedant. Quod ego omnimodis abhorrerem, nisi scriptum esse scirem: Melior est obedientia quàm victimæ. Nunc verò si data intercessionis tuæ manu, manui meæ ducatum prębere spoponderis, adiunctis tecum beati viri meritis, omnipotentis Verbi, quod aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas, fretus auxilio, obedire tentabo, initium narrandi ab ipsius viri Dei infantia sumens, ac orationis cursum ità ad finem vsque perducens, vt nihil de proprijs addam, præter exempla antiquorum Patrum, atque sententias sanctarum scripturarum, quæ suo decore solent dictorum seriem venustare. Hoc tamen solùm mihimet ex proprio sudore iniunxi, vt latiùs diffusa, modesta breuitate arctiùs coërceam: strictiùs digesta, moderata prolixitate dilátem: minùs regulariter prolata, ad rectitudinis lineam corrigam. Quæ tamen omnia tui examen iudicij expectant, vt te benigno iudice valeant rata constistere. Opto pater beatissime, vt in Christo valeas, meisque memor semper existas.

Gebehard⁹ Episcopus Augustanus

1. Reg. 15.

Sap. 10.

VITÆ HISTORIA.

GREGIVS Christi Confessor Vdalricus, ex Alamannorum prosapia extitit oriundus. Cuius parentes, Hupaldus scilicet ac Thietburga, ambo quidem secundùm seculi huius dignitatem clari & nobiles, sed fide atque diuina religione multò clariores fuerunt atque nobiliores. Qui talis ac tantæ prolis fœcũditate diuinitùs ditati, mox eãdem cuidam fideli ad alendum, vt Moysen, commendauerunt nutrici. Vbi inter ipsa natiuitatis primordia, cælestia non defuêre auspicia. Nam licèt blando nutriretur affectu, fœda tamen macies quædam apparebat in vultu. Qua ex causa dum nimiùm tristes eius efficerentur parentes, ac in augustis illorum pectoribus curæ versarentur ingentes: quidam hospes peregrinus, officio clericus, secundùm quod illorum ostium semper viatori patuit, benignè ab ipsis suscipitur, per aliquod temporis spatium humanè

Iulij 4. Cap. 1. S. Vdalrici parentes.

Exod. 2.

tractatur: dum interim quadam die hora refectionis residēs, prædictum infantulum nondùm duodecim hebdomadarum dies ab ortu ad plenū habentem, audiuit inter vagitus vocem emittentem. Ex qua prouidus futurorum, tale edidit oraculum: Nisi, inquit, iste infans, celeriùs fuerit ablactatus, non poterit esse saluus. Cumque semèl ac secundò admoniti, minùs tanti præconis dicta vellent exequi, tertia demùm die cùm prædictum ac sæpè dicendum infantulum adhibita aure persensisset adhuc infirmiorem, hanc præsagam coram omnibus intulit vocem: Sciatis pro certo, quòd nisi continuò à lacte fuerit suspensus, hac nocte erit moriturus. At verò si eo, quo dixi, ordine morti subtractus fuerit, magnus in futurum coram Domino erit. Huius prophetiæ mysteria qualiter sint adimpleta, non nostri styli eget officio designari: quod tam assiduè ad eius sepulcrum coruscantibus miraculis potest probari.

Clerici vaticinium de infante Vdalrico.

Cap. 2.

Gen. 21.

Tandèm igitur amotus à lacte, cœpit corpore & animo in admirationem omnium ità proficere, ac circunquaquè manentibus tantum de suo profectu gaudium conferre, vt id quod de Isaac eiusque patre Abraham scriptum est: Creuit igitur puer, & ablactatus est, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis suæ: non incongruè eius quoquè possit personæ aptari. Meritò tantus patriarcha in ablactatione filij, quem ex promissione à Deo susceperit, grande conuiuium fecit. Meritò pater cælestis sanctæ matris Ecclesiæ filijs in istius ablactatione conuiuium fecit grande, inuitans eos huiusmodi voce: Comedite amici, & inebriamini charissimi. Hic itaque mysteriorum Dei dispensator futurus, iam solido cibo opùs habebat confortari, vt in mensa altaris Christi, velut ad cæleste conuiuium quandoquè consistens, posset in tempore suo tritici mensuram dare conseruis suis. Incipiebat enim tunc inter coæuulos modestè conuersari, timorem Dei habere, honorem parentibus deferre, lasciuiam declinare, ac inquantùm possibile tali adhuc erat ætati, in corporis motu, gestu, incessu foris ostendere, qualis habitus formaretur intùs in mente. Videntes autem parentes eius tantam Dei gratiam in eo fulgere, commendauerunt eum in monasterum sancti Galli fratribus religiosis, vt eorum magisterio tam secularium literarum studijs, quàm cælestibus instrueretur disciplinis. Vbi inter egregios regularis disciplinæ magistros, dulces theoriæ carpebat quotidiè fructus, cùm verba, quæ in sacris codicibus legebat, mox in opera vertebat. Iam summitatem illius Iacob scalę virtutum gradibus ascendendo tangebat: iam à Saluatore audiebat: Vade, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me. Et iam tunc monachicę cōuersationis habitū sumpsisset, nisi diuina reuelatione admonitus desijsset.

Cant. 5.

Luc. 12.

Mores adhuc pueri.

Traditur fratribus monasterij S. Galli instituendus.

Gen. 28.

Matth. 19.

Cap. 3. Vuiberata inclusa,

Erat tunc temporis in eodem monasterio quædam ancilla, pro Christi nomine inclusa, Vuiberata nūcupata, quæ die noctuque ieiunijs, orationibus ac vigilijs vacans, castum in arcano pectoris sui Domino præparabat templum, in quo gratum creatori omnium mactauit semper holocaustum, dicens cum Psalmista: In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Huic sanctus adolescens dum sui desiderij secretum panderet, illa rem à Deo quærendam statuit, ac trium dierum inducias super hoc postulauit. Post triduum verò spiritu instructa diuino, huiusmodi vsa est responso: Non, inquit, vir religiose, diuinæ est voluntatis, vt hoc in loco detinearis: sed est in plaga Orientali locus, vbi quidam fluuius duas diuidit regiones, in quo, Deo iubente, episcopalis apicem dignitatis debes conscendere. Et licèt multa tam à paganis, quàm à malis Christianis sis passurus aduersa, tu tamen, confisus in eo, qui dixit, Confidite, ego vici mundum: superabis vniuersa, dicens cum Psalmista: In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Hæc auditu percipiens ac mente pertractans, quibusdam, qui sibi familiariùs amicitiæ causa adhærebant, secretò pandit, & vt interim silentio tegerent, admonuit. Ipse verò per diuersos sacrorum librorum campos ceu prudentissima apes, flores sententiarum carpens, ac in alueario pectoris sui recondens, summa cœpit ope niti, vt spiritalia posset mella conficere, quæ postmodùm in populos illum deceret eructare, iuxta illud Psalmistæ: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Et quod de prædicatoribus dicitur: Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. Dehinc ad vnguem instructus, cum omnium fratrum conniuentia remeauit ad propria. Parentes verò de eius profectu nimiùm gaudentes, ac Deo gratias agentes, iterùm commendant eum Adalberoni, Augustensis ecclesiæ præsuli venerando, viro fidei dote ac vitæ merito multis præferendo: quatenùs reuerēdæ illius præsentiæ iugiter assistens, velut in quodam disciplinæ speculo conspiceret, si quid in ipsius moribus adhuc corrigi deberet.

Iohan. 16.

Psal. 59.

Psal. 118.

Psal. 144.

Commendatur Adalberoni Episcopo Augustano.

Quem

Quem vt prædictus Dei pontifex fide firmum, spe robustum, charitate radicatum & fundatum, omnique morum probitate decoratum agnouit, familiariùs illum adsciuit, eiusq; domi forisq; in omnibus vti consilijs cœpit, quatenùs eius prudētia, totius episcopatûs disponerentur negocia, tam publica, quàm priuata.

Libuit interim viri Dei animo Romam pergere, Apostolorum limina visitare, vt se suaque omnia ipsorum aliorumque sanctorum precibus posset attētiùs commendare. Quò cùm venisset, ab Apostolicæ sedis Præsule, nomine Marino, apud Deum & homines magnifico & glorioso, officioseque susceptus, ac requisitus quis esset, aut vnde venisset, respondit, se ex Alamānorum stirpe progenitū, Adalberonis Augustensis ecclesiæ esse clericum. Ad hæc Apostolicus: Nè durè, inquit, accipias, quæ dico: quia idem, de quo retulisti, tuus pontifex Adalbero iam migrauit de hoc seculo, ac Dei ordinatione dispensante, oportet te huius regiminis curam suscipere. At ille propriæ conscius infirmitatis, immò non immemor illius mandati: Quāto magnus es, humilia te in omnibus: iudicauit seipsum indignum fore, vt tanti honoris pondus subiret. Tunc Papa diuino spiritu repletus ait: Si nunc delitescendo subterfugis, quò minùs in hoc pacis ac tranquillitatis tempore Ecclesiæ nauem gubernes, veniet dies, in qua nullo modo statuta Dei præterire valebis, verùm etiam inter multiplices ac fluctiuagas varij laboris, mœroris, anxictatis vndas regendam suscipies, ac Deo præsule, ad litus placidæ quietis acsi nimiùm fessus, perduces. His auditis, ad * metatum perrexit, atque inter sacra orationum libamina, tam se, quàm defuncti senioris animam cum lachrymis Deo ac sanctis Apostolis eius commendauit: sicque postera die, nesciente Papa, latenter discessit, etiam in hoc Dominicæ actionis exemplum sequens, de quo sanctus Iohannes Euangelista refert, quia cùm voluissent eum rapere & regem constituere, statim fugit. Sed mox vt bonæ memoriæ Adalbero ex hac vita migrauit, * Hiltinus ei in episcopatu successit. Quo post quindecim annorū curricula ex hac luce subtracto, volente Domino hoc, quod de seruo suo Vdalrico per ora suorum fidelium anteà prædixit, adimplere, totius cleri ac populi voto in vnum concurrente, & Henrici regis voluntate in idipsum consentiente, idem vir Dei sanctus in cathedram episcopalem hac in vrbe est sublimatus.

Cap. 4.

Romam petit.

Marinus Rom. Pōtif.

Eccl. 3.

Clām ab vrbe recedit, fugiens episcopatum.

Iohan. 6.

* Hiltenius

Fit episcop⁹ Augustan⁹.

Adepto verò tantæ dignitatis honore, qualis quantúsve extiterit, nullius sermo ad integrum explicare valebit. Totus erat semper in oratione, totus in lectione, & maximè attendens, quibus virtutum ornamentis Apostolus describebat episcopum decoratum esse debere, vbi sic ait: Oportet enim episcopum esse sine crimine, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in sana doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere. Harū duarum virtutum ità vicaria vtebatur successione, vt nisi incuitabili alicuius necessitatis articulo intercedente, nullum tempus transire sineret ociosum, quo minùs aut orationi insisteret, aut lectioni operam daret: sicq; penè semper optatis Rachel amplexibus vteretur, nisi Liæ interpositione interim à tantę sedulitatis dulcedine suspenderetur. Suberant ei curæ maximæ de reparandis ecclesię muris, de reędificādis domorum ac ipsius ciuitatis ædificijs, quę sub antecessorum suorum temporibus aut nimia vetustate dilapsa, aut igne fuerant consumpta. Sed & familia maxima ex parte à paganis occisa, & pars, quæ remanserat, egestate nimiùm erat afflicta. Inter hæc venerabilis heros, velut antè & retrò oculatus, cœpit cauta mentis intentione circunspicere, prouidam omnium curam gerere: ac sapienti vsus consilio, materialibus quidem ædificijs prudentes ac idoneos magistros præfecit: ipse verò quasi sapiēs architectus, cum Apostolo Christum fundamentum posuit, super quod ædificauit aurum, argentum, lapides precioſos, & cætera huiusmodi: vt sanctarum animarum ædificatio, per eius prædicationem cōstructa, cresceret in templum sanctum Domino. Et quoscunque ad tale ædificium verbo & exemplo præparabat, cætera humanitatis officia, prout illi facultas suppetebat, præbere non desinebat, non solùm his, qui præsentes aderant, manum misericordiæ porrigendo, verùm etiam eis, qui ægritudine præuenti, vel carceribus inclusi longè aberant, ministrando.

Cap. 5.

Tit. 1.

Semper aut orat, aut legit.

Restaurat ecclesiam & ædificia, nimia vetusta te dilapsa.

1. Cor. 3.

Nulli itaque auarus, omnibus extitit largus, ità vt illud beati Iob posset dicere: Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduę cōsolatus sum. Et paulò pòst: Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperū. Et iterùm: Flebam quondàm super

Cap. 6. Iob. 29.

Pauperes semper habet conuiuas.

Nō vescitur carnibus. 1.Cor.9.

eum, qui afflictus erat, & cōpatiebatur anima mea pauperi. Vndè in refectione quotidiana semper eius mensæ chara sibi intererat pauperum turba, quam & victu pauit, & indumentis vestiuit. Seipsum verò nimia maceratione castigauit, ità vt carnem nō manducaret, & intrinsecùs super nudam cutem laneam vestem portaret, illud Apostoli opere proclamans: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, nè fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et nocte quidem in oratione peruigil, seipsum in ara cordis per orationis studia mactauit: die verò super altare visibilē ac salutarem hostiam Domino immolauit, quō eius sacrificium redemptori omnium esset gratum & acceptum. Die cum Martha Domino in membris suis ministrabat: nocte verò cum Maria sedens secus pedes Iesu, audiebat verbum illius, sciens scriptum:

Luc.10.

Deut.33.

Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Erat ei solennis consuetudo, post Completorium nil cibi aut potûs sumere, silentio studere: sciebat enim

Matt.12. Psal.140.

à Domino dictum: Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Vndè iugiter à Domino postulabat: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis. Sed si quandò necessariò ei loquendum fuit, erat illius sermo

Qualis eius sermo.

sapientiæ sale conditus, modestus, humilis, & ad persuasionem vtilis, &, vt quidam sapiens dicit, in sermone pondus, atque in verbis modus. Quandò verò membra in Dei seruitio fatigata necessè habuit quiete aliqua recreare, non hoc in plumarum

Lectus eius qualis.

mollitie, sed subterposito pfiathio, tapete, vel sago, parùm quid indulgebat somno. Et vt breuitatis compendio vtar, sic exteriùs gerebat officium sacerdotis, vt interiùs non omitteret religionem monasticæ conuersationis. Erat etiam ei moderata ciborum parcitas, ac quidam singularis abstinentiæ modus, quo solebat religiosa arte secum conuiuantes circunuenire. Sæpiùs enim sperantibus, quòd cum illis manducaret,

Mirè tegit abstinentiā suam.

ipse ablata carnalium epularum mensa surgens, ad ecclesiam perrexit, Missarum solennia celebrauit. Vndè adhuc quasi recenti sit actum memoria, ore multorum refertur, quòd dum quadam die ipse venerandus pater cum Conrado diuæ memoriæ

Conradus Episcopus Constantiensis.

Constantiensis ecclesiæ Episcopo, ad prandium apud sanctam Aram martyrem consedisset: postquàm consumptis cibis ab vtrisq; discessum est, quædam causa extitit, qua prædictus pontifex ad virum Dei mittere debuisset. Ad quem cùm legatus ipsius venisset, inuenit eum sacro altari adstantem, ac salutarem hostiam Domino immolantem. Quo peracto, nuncium audiuit, atq; absolutum redire ad dominum suum permisit. Cumque reuersus interrogaretur, cur tandiù moratus fuisset, respondit quia virum Dei tandiù expectâsset, donèc ter Missarum solennia peregisset. At ille ipsum verbum ab illius ore arripiens: Missarum, inquit, solennia celebrauit? Tunc quasi subridendo intulit: Et verè nullus illo saturior ad mēsam altaris hodiè accessit. Sed vtrumnàm ioco, an seriò hoc protulerit, tamen verum fuit, quod dixit. Cibauit nanq; Dominus illum pane vitæ & intellectûs, & aqua sapiētiæ salutaris potauit illum, ità vt rectè cum Psalmista possit proclamare & dicere: Eructauit cor meum verbum bonum.

Eccl.15.

Psal.44.

Psal.22.

& iterùm: Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est? Vox psalmodiæ tam iugis in illius ore dulciter resonabat, vt non solùm ipse, sed & illi, qui eam soliti erant cum illo pura mentis intentione cantare, tantam cordis munditiam ex ea conciperent, vt quædam ex reuelatione diuina occulta cognoscerent, quæ alijs manifestarent. Vndè exempli causa quædam subternotabo, quatenùs vera esse approbentur quæ dico.

Cap.7. Visio Ramberti.

Quodam tempore cùm artifices ecclesiæ cryptam in melius reparare vellent, erat quidam clericus nomine Rambertus, sancti viri obsequio deditus. Hic quadam die in excessu mentis effectus, videbatur sibi cum domino suo Episcopo solito more Psalmos canere, necnon Adalberonem quondàm, vt suprà diximus, pontificem ad Aquilonarem eiusdem cryptæ plagam sacerdotalibus indutum vestibus propè assistere, sibique, vt ad se veniret, innuere. At ille mente perculsus, ac inter viuum & mortuum quid ageret, dubius ac anceps, tandèm in viuentem pauens figit obtutus, velut scisciтans quid esset facturus. Tunc episcopus: Vt quid, ait, sic in me oculos defigis? Cui ille respondens, dixit: Eccè dominus meus Adalbero Episcopus, ad celebrandū diuinum mysterium paratus adstat, & me ad se vocat. Cui Episcopus: Festina, inquit, ire, eiusq; iussis in omnibus obedire. Qui mox vt propiùs accessit, hæc ab eo audiuit: Ramberte,

Merces magna operum bonorum.

dic domino tuo, quia magnā à Domino mercedē habebit, p orationibus ac eleemosynis, quas pro me fideliter exhibuit. Et hoc sibi sit in signū, quòd ego & Fortunatus in proxima Cœna Domini, concedente Deo, sacrosanctum chrisma cum illo sanctificabimus:

ficabimus: insupèr ædificatio istius cryptæ ruet citissimè. Ipse autem propter hoc ab incepto non desistat opere, quin illud firmioribus studeat fundamentis stabilire. Fratres quoq; admonere curato, quia orationes, quas sua sponte se facturos pro me spoponderunt, nequaquàm, sicut promiserant, impleuerūt. Et nisi hoc studuerint emendare, sciant se pro hoc in conspectu Domini rationem reddituros esse. Episcopus autem à ciuitate regia reuertens, (nam tunc temporis ibi morabatur) ità de crypta contigisse reperit, sicutì per visionem Ramberto ostensum fuit. Tunc ille impatiens moræ, non anteà à labore cessauit, quàm omnia in meliorem statum reparâsset. Iterùm alia vice cùm prædictus Rambertus iuxta morem in oppido Vuaringa cum sancto viro Psalmodiam decantaret, cœpit terrore nimio concuti, ac reflexis oculis Deo dignum antistitem intueri. A quo requisitus quidnam sibi esset, respondit seniorem suum Adalberonem eodem, quo & antè, ornatu paratum se videre, sibique præcipere, vt illi sacri altaris mysterium celebranti assistat, solitæque seruitutis officium impendat. Verè impleta est prophetia, quæ dixit: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.

Psal.17.

Nec prætereundum puto, qualiter cælestis signi visione ipsum etiam voluerit Dominus mirificare. Nam in ipsa solēni die sancti Paschæ, multa fratrum caterua adstante, dum sanctus sacerdos diuina celebraret mysteria, dextera quędam apparuit super-

Cap.8. Visio dextræ sub sacrificio, simul eū illis dextra consecrātis Eucharistiam.

na, quæ cum ipsius dextera diuina sanctificauit sacramenta. Expletis verò Missarum solennijs, quidam Henricus presbyter, qui eo die cantoris officium agens, tanto interfuit miraculo, sequens Episcopum vsque in cubiculum, ad eius pedes cecidit, atq; in presentia popularium personarum eandem visionem minùs cautè explanauit. Cui vir Dei: Melius, inquit, tibi esset tacere, quàm talia in aures vulgi proferre. Mox ille rubore perfusus exijt, & in vestibulo cubiculi residens, tantas lachrymas emisit, vt ex illarum suffusione cogeretur lucis huius dispendia sustinere. Vir autem Dei memor

Vitat hominū laudes.

suę fragilitatis, cauebat fauorem humanę laudis, nè caderet in precipitium elationis, semper gratias agens Deo super inenarrabili eius dono: & sicut de sanctis scriptū est, Ibunt de virtute in virtutem, velut cæleste animal, ante faciem suam gradiebatur, vt eò mente conscenderet, quò cum impetus spiritûs duceret. His virtutum gradibus ad alta proficiens, quadam nocte, quæ antecedebat diem sanctum, quē diem indulgentiæ vel Cœnam Domini Christiana religio vocare consueuit, vox quædam beato sicait in visu: Vdalrice Episcope, scias te hospites suscepturū esse. Expergefactus, cœpit secum admirando tractare, quinam illi hospites futuri essent. Non enim erat inanis sopor ille, qui solet aliquotiès hominum mentes illudere: sed talis potiùs, quali sponsa se dicit in amoris Cantico obdormire: Ego, inquit, dormio, & cor meum vigilat. Talis igitur somni dum vir Dei frueretur quiete, iterùm vocem in hæc verba meruit audire: Orationes tuæ & eleemosynæ, Vdalrice, Deo sunt acceptæ, qui binis anteceſſoribus tuis, Fortunato scilicet atque Adalberoni, te commēdauit, vt tibi hodiè & deincèps sacra mysteria celebranti assistant, & ea tecum benedicant. Manè autem facto, hora, qua inclytus mysteriarches diuina sacramēta celebrauit, quibusdam etiam, qui ad videndum digni erant, cernentibus dextera Domini denuò apparuit, quæ cum sancto Episcopo signo Crucis imponendo eadē cōsecrauit. Ijdem ipsi cùm ad percipiendam sacram communionem ad sacrum altare accederēt, & sanctus Dei illos huius secreti conscios esse per spiritum non ignoraret, quandò panem eis Dominicum porrexit, ori singulorum digitum superposuit, vt per hoc intelligerēt, quòd visa minimè diuulgare deberent: quin etiam expleto sacrorum officio, ad se vocatis reuelati sibi in nocte præterita mysterij ordinē exposuit, & tam hoc, quàm quod ipsi viderāt, alicui dicere, donèc ille maneret in carne, interdixit sub interminatione præsentis vitæ.

Cant.5.

Nota verba visionis.

Alio verò tempore, dum iterùm sub cuiusdam noctis silētio membra quieti commendaret, sancta Afra martyr pulchra facie, veste decora, tunica succincta apparuit, eique dixit: Surge, & sequere me. Et statim eduxit illum in campum, qui ex nomine ibidèm decurrentis fluuij, Lecfelt dicitur, vbi sanctum Petrum Apostolorum princi-

Cap.9. S.Afra ei appāret.

Mira eius visio.

pem velut in synodali colloquio sedentem inuenit cum magna Episcoporum aliorumque sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tunc primùm, reuelante sibi gratia diuina, cognoscere cœpit. Ibi inter alia, quę tractabantur, sicut olim in Apocalypsi sancti Iohannis, audita est vox animarum, de suis interfectoribus vindictam expetentium: ità tunc clamor ortus est sanctorū de Arnulpho Duce Noricorum

Apoc.6.

Sancti vltionem expetunt contra Arnulphum Ducē, &c.

rum adhuc viuente, ob destructionem ecclesiarum atq; monasteriorum, quorum res distribuit in beneficia laicorum. Quapropter dictante omnium sententia, damnatus est pœna. Proferebantur in medium etiam duo enses: vnus quidem cum capulo, alter verò absque capulo. De quibus princeps Apostolorum ait ad beatum virum: Dic regi Henrico: Ensis absque capulo, significat illum, qui sine vnctione regnat in populo. At alter capulatus, illum, qui per sacræ benedictionis ordinem diuinitùs fuerit coronatus. Finito sanctorum concilio, prædicta Dei martyr sanctissima monstrauit illi adhuc loca, in quibus Otto rex posteà castra posuit, & generale colloquium cum suis habens, Berengarium regem * Longobardorum, cum multis alijs præsentata, in suum suscepit dominium. Prædixit etiam efferæ gentis Hungarorum irruptionem, durissimamque cum nostratibus congressionem, necnon & loca certaminum: & licèt cum magno suorum detrimẽto, tamen victoriæ triumphum promisit populo Christiano. O beatum virum, cælesti visione dignum, in talibus etiam sanctis Apostolis, Petro videlicet ac Paulo, conferendum: quorum alter in linteo cælitùs demisso, electionem gentium per visionem didicit: alter verò, siue in corpore, siue extra corpus, vsq; ad tertium cælum raptum se esse asserit, vbì & arcana Dei audiuit & vidit. Iste verò sanctus & in ostensione dextræ sacræ super altare, & in hac visione, & postmodùm in alijs, vt ante exitum nostri sermonis satìs patebit, & arcana Dei vidit & audiuit, & saluationem non tantùm suæ gentis, sed & multorum populorum cognouit. Hæc non passim tunc vulgi auribus se inaniter iactando diuulgauit, sed paucis, quos ad hoc dignos duxit, secretò manifestauit. Ipse verò sentiens se tanto diuinę gratiæ dono præuentum, non se erigebat in altum, sed omnia referebat ad illum, à quo acceperat, quicquid boni habebat, vel esse poterat, dicens cum Apostolo: Gratia Dei sum id, quod sum.

* Alij regem Italiæ vocant.

Actor.10. 2.Cor.12.

1.Cor.15.

Cœpit igitur commissì sibi gregis curam agere, talentum sibi creditũ non sudario illigatum terræ commendare, sed vt bonus verbi Dei dispensator, ad vsuram accommodare. Vndè suæ diœcesios terminos sæpiùs lustrauit, ac cõgregatis coram se clericis ac laicis, peruigili studuit cura inuestigare, inprimìs qualiter ipsi ecclesiarum presbyteri cum suis ministris viuerent: vtrùm populum rectè ac secundùm catholicam doctrinam docerent, ac quod prædicabãt ore, & opere implerent: nè fortè alijs prædicantes, ipsi reprobi efficerentur, & ob hoc à suis auditoribus contemnerentur. Deindè discutiebat, si laici eorum doctrinę obedirent, si in Dominicis diebus & alijs sanctorum solennitatibus ab opere illicito vacarent, si ecclesiarum limina ea, qua deberent, deuotione frequentarent, aut Decimas rectè darent: multaq́ue id genus. His ità inuestigatis, quæque erant rata & benè ordinata, laudauit & confirmauit: quæ verò aliter, correxit & emendauit. Simoniacorum hæresin quasi pernicioſam pestem deuitandam esse admonuit, asserẽs perpetuæ tradendos pœnæ, qui hæresi huic nequissimæ studerent animos inclinare. Vndè nunquàm pro Clericorum ordinatione, vel ecclesiarum consecratione quippiam muneris accepit: sed sicut in sacri chrismatis vnctione per impositionẽ manûs spiritum sanctum paracletum gratìs dedit, ità & ista concessit, sciens à Domino præceptum: Gratìs accepistis, gratìs date: nisì fortè ipsi ecclesiarum fundatores aliquid pro bona voluntate offerrent, & hoc illum pro gratiarum actione suscipere rogarent. Ius verò legitimum sanctæ Mariæ semper virginis familiæ, ab antecessoribus suis antiquitùs concessum, statuit inuiolabiliter conseruandum, nec quenquam in sua ditionè degentium lædi permisit oppressione præpositorum: sed ita inter suos omnia ad æquitatis ac iustitiæ normam perspicaciter correxit, vt nullum alteri aliquid inferre sineret, quod ipse sibi fieri nollet, iuxta illud præceptum: Quod tibi non vis fieri, alij nè feceris. Et Dominus in Euangelio: Omnia quæcunque vultis, ait, vt vobis faciant homines, eadem & vos facite illis.

1.Cor.9.

Matt.10.

Cap.10. Matt.25. Luc.19.

Crebrò visitat diœcesin suam. Nota formam visitationis.

Ius familiæ S.Mariæ.

Tob.4. Matt.7.

Cùm in his & huiusmodi virtutum gradibus sanctum virũ semper ad altiora conscendere omnium bonorum hostis inuidus cerneret diabolus, quacunque potuit arte, cœpit satagere, vt eius animum vel quantulumcunquè posset impedire. Accidit igitur tunc temporis, vt inter Ludolphũ Ottonis Magni Imperatoris filium, qui Alamannorum genti præerat, & eius patruum Henricum Noricorum Ducem, oriretur lis odiumq́; per instigationem satanæ, & ex malignorũ hominum persuasione. Quos cùm Imperator ad concordiam minimè reuocare potuisset, fratri adiutorio contra filium fuit. Tunc quidam Arnulphus Comes Palatinus, Arnulphi quondàm ducis filius extitit, cuius fidei prædictus Dux Henricus totam Baioariam cùm ipsa metropoli Ra-

Cap.11.

Discordia inter Ludolphũ & Henricum principes.

tisponа commendauit, ac in Saxoniam ad Imperatorem se contulit. Ibì eo moram faciente, ille velut perfidus transfuga, se cum ipsa ciuitate & multitudine populi, Ludolphi subegit potestati. Hęc cùm sancto Pontifici comperta fuissent, relicta militum custodia in ciuitate Augusta, in Noricorũ regionem properè cõtendit, vbì tunc Imperatorem cum exercitu consistere audiuit. Præfatus verò tyrãnus Augustã adijt, ac rebus circunquaq; direptis, quibusdam Episcopi militibus captis, præda onustus, & quod verius est, peccati pondere grauatus, in Baioariam est reuersus. Interìm verò ipsum Dei famulum postquàm comperit à regia seruitute reuersum, in castello, quod Mantachinga dicitur, non timuit obsidere: sed non cessit ei in prosperum, quòd talia præsumpsit cõtra Dei seruum. Nam paruo interiecto dierum spatio, à Comite Adalberto ac Episcopi fratre Thietbaldo ab obsidione cum detrimento suorum coactus est secedere, & debita resperſus cõfusione, in patriam redire, etiam ibì capto eiusdem fratre Herimanno. Sed & fortissimus pugnator Adalbertus, velut alter Machabæus, pro Ecclesia Dei acriter dimicando, cecidit in eodem bello, vt veraciter est credendum, per mortalitatis dispendium transiens ad immortalitatis compendium. Cuius corpus sanctus Vdalricus Augustam deferens, in ecclesia sanctæ Mariæ semper virginis condidit: spiritum verò per sacræ immolationis hostiam Domino commendauit.

Obsidetur vir sanctus in castro.

Ex hoc tantus omnium mentes timor inuasit, vt nullus de rebus ecclesiæ sanctæ Mariæ semper virginis ad Augustam pertinẽtibus, aliquid vsurpare præsumeret: quia nullus eorum, qui anteà indè aliquid iniustè abstulerunt, vel in sanctum Dei deliquerũt, impunitus euasit, nisì qui per dignam satisfactionem per misericordiam Dei, Episcopo intercedente, promeruit absolutionem. Vt enim ex pluribus pauca exempli causa proferamus, vnus ex his, vicinis in veritate contestantibus, tandiù perdito sensu proprias manus lacerauit, quousquè vitam finiuit. Alius verò librum quendam de ciuitate Augusta rapuit, ex cuius precio caballum emit. Quem cùm domum perduxisset, vxori suæ ait: Melius mihi fuerat, vt istum tam præstantis formæ equum emissem, quàm librum, quo illum comparaui, in Augusta dimisissem. Cui illa: Vtilius, inquit, vt spero, tibi fuisset, si nunquàm manus tua ipsum librum tetigisset. Ille verò, dum molli attactu per posteriora dorsi, vt assolet, equo blandiri voluit, mox ab eodem percussus interijt. Post non multum temporis præfatus Arnulphus pro iniurijs, quas viro Dei ingessit, etiam ipse iusti iudicis iram sensit. obsessa nanque ciuitate Ratisponа, paratus ad prælium exijt, ibiq́ue occisus interijt.

Cap.12. Nemo impunè quicq̃ rapuit de rebus ecclesiæ S.Mariç.

Exẽpla vlti sacrilegij.

Arnulphi principis interitus.

Quidam homo de Episcopatu, qui Eistete dicitur, partem vilissimi mensalis de sæpedictis rebus iniustè vsurpauit, secumq́ue absportauit. Sed mox à dęmonio occupatus, nullum neque intrà neque extra ecclesiam abscondendi locum inuenire potuit: nec benedicta adsperſus aqua, carere valuit eius præsentia; quin semper iuxta eũ videretur indiuiduus comes manere, donèc Augustam rediens, rem iniustè ablatam reddidit, seseq́ue emẽdari obnixè rogauit. Cui Episcopus, vt totus erat viscеribus pietatis plenus, & indulgentiam pro Christi amore tribuit, & à dæmone liberatum, ad propria redire permisit.

Cap.13.

Intereà dum cõtentio inter Ottonem Imperatorem, propter fratrem ipsius Henricum, vt suprà diximus, & Ludolphum exorta, intantùm accreuisset, vt nõ aliter nisì ferro finiri potuisset, iamq́; acie vtriusq; partis ordinata, vt cominùs committi deberet pugna, athleta Dei Vdalricus, sciens quia beati sunt pedes pacẽ portãtes, & quòd ipse Dominus in euangelio ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: assumpto Hartberto, Curiensis ecclesiæ Episcopo religioso, se in medium iniecit: ac tantæ eos arte suadendi aggressi sunt, spiritu patris in amborum ore loquente, vt facilè ad pacis fœdera reuocarent, & verę charitatis donum firma stabilitate in illorum pectoribus consolidarent. Non aliter tunc Otto pœnitẽtem Ludolphum, quàm ille euangelicus pater olìm susceрit reuertentem filium. Vterque enim filius mortuus fuerat, & reuixit: periẽrat, & inuẽtus est. Fit gaudium ingens & exultatio in exercitu cuncto. Laus & gratiarum actio resonat in ore omnium: quia per seruos suos liberauit Dominus populum suum.

Esa.52. Matt.5. Mira dexteritate, immò Christi gratia auertit prælium cruẽtum, & cõciliat Imperatorem filio. Luc.15.

Sequenti verò anno, id est, Dominicæ incarnationis nongentesimo quinquagesimoquinto, gens Hungarorum omni belua crudelior, iuxta quod viro Dei cælitùs antè fuerat reuelatum, cum innumerabili multitudine erupit, omnemq́; Noricorũ regionem à Danubio vsq; ad nigram syluam, quę ad montana pertinet, & partem prouinciæ

Cap.14. Hungari in Germaniã erumpunt.

uinciæ Alamannorum vsque Hilaram fluuium, deuastando occupauit. Quæ Licum transiens, ecclesiam sanctæ Afræ igne combussit, atq; ciuitatem Augustam obsidione circundedit. Sanctus autem Dei pontifex nequaquàm, visis tot lupis, instàr mercenarij, sui gregis custodiam fugiẽdo dereliquit, sed ex aduerso se opposuit, ac totam causam Domino commendauit. At militibus circunquaquè per murum & ante portam acriter contra hostes dimicantibus, ille super equum sedens, non clypeo protectus aut galea, sed stola indutus, intrà lapidum ac sagittarum imbres incedebat securus. Videres nouum Iosue arcam Domini circunferre, buccinis concrepare: nisi quòd Iosue extra muros vrbis Iericho, iste verò intùs erat cum Dei populo. Sed meritò noster Iosue, iam coruscante gratia Christi, intùs in domo Rahab ad Deum conuersæ, hoc est, Ecclesiæ, manebat, & ciuitatem diaboli foris manentem expugnabat. Iosue duce sacerdotibus, qui arcam Domini ferebant, buccinis clangentibus, ac cunctis populis clamantibus vociferatione maxima, muri Iericho funditùs corruerunt. Isto arcam Domini in pectore mundo gerente, & cum sacerdotibus ac Leuitis tubis, id est, psalmis, hymnis & canticis spiritalibus sonantibus, cunctisq; populis maxima prece ad Deum & ad eius sanctam genitricẽ Mariam semper virginem pro sua ereptione clamantibus, Hungari, qui erant ciuitas diaboli, ceciderunt. Comperto nanq; Ottonis gloriosissimi Imperatoris aduentu, retracta obsidione, obuiàm pergunt, armisq; decertare contendunt. Inito prælio, Deo, iuxta viri Dei præsagium, victoriam populo Christiano donante, multa millia Hungarorum ceciderunt: cæteri fugam arripuerunt. Quos Christianorum exercitus tandiù cædendo persecutus est, donèc principes eorum cum alijs multis vnà caperentur, atq; Ratisponam perducerẽtur, vbì ad ignominiam suæ gentis postmodùm suspensi sunt in eculeis. His ità gestis, præsul venerandus Deo in omnibus gratias agens, velut ex arce quadam mentis cœpit dispicere, ac subditorum necessitates pertractare, non sibi ratum æstimans, si solummodò ea, quæ sua essent, quæreret, suorumq; causas negligeret, iuxta illud Apostoli: Qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est deterior infideli. Vndè suorum congregationes clericorum, quæ hostium deprædatione ad tantam fuerunt inopiam redactæ, vt ad quotidianæ refectionis vsum nil possent habere, secum retinuit, ac inquantùm potuit, pauper ipse præsentis vitæ necessaria pauperibus ministrauit: & non solùm illis, sed & omnibus se petentibus, prout habuit, misericordiæ manum porrexit, iuxta illud Dominicum præceptum: Omni petenti te, tribue.

Augustam obsident.

Iosue 6.

S. Vdalricus alter Iosue.

Multa Hungarorũ millia cædit Otto Imperator.

1. Tim. 5.

Luc. 6.

Eo tempore admonetur in visione, vt ecclesiam sanctæ Afræ, quæ à paganis fuerat concremata, non tardaret reparare, necnon & Simperti Episcopi sepulcrum, quod situm erat iuxta gradus in choro, congruo procuraret tecto. Ex hoc cœpit Dei famulus in ieiunijs & precibus cum cordis contritione, alijs quoquè viris religiosis secum assumptis, se Deo mactare, supplicans deuotè, quatenùs omnipotens Deus per misericordiam suam dignaretur sibi manifestare locum, vbì sanctissimæ martyris suæ corpus esset reconditum, vel si in parte orientali crypta eo loci esset ædificanda, vbì suadebat ei voluntas sua. Ergò vt Dominus verum comprobaret, quod per os sancti Dauid dixit: Eccè oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: & in alio loco, Voluntatem timẽtium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: quadam nocte in visu ei sancta Afra apparuit, & locum sui corporis in ecclesia demonstrauit. Cryptam verò illo in loco fieri prohibuit propter reliquias sanctorum, qui illic in pace quiescentes, aduentum iusti iudicis expectant. Hac reuelatione perdoctus, cœpit destinato operi vigilanter insistere, ecclesiæ muros instaurare, cryptam in occidentali parte construere: nec anteà à labore cessauit, donèc breui omnia perfecto decore consummauit.

Cap. 15. Simpertus Episcopus Augustan⁹.

Psal. 33. Psal. 144.

S. Afra indicat ei sepulcrum suum.

Dignum & nunc demonstrare, qua veneratione dignus sit locus ille, in quo sancta Dei martyr prohibuit cryptam fieri. Erat quidam hortulanus, qui inter gramina ibi deambulando, speluncam quandam reperit, in qua & transformatam ædiculam sub terra muratam conspexit. Et veniens, Episcopo nunciauit, eique dixit: Si tuæ placeat sanctitati, hîc olera mea & alia, quæ mihi sunt necessaria, possunt recondi. Cui ille in spiritu dixit: Si hoc feceris, mox sensu & membrorum sospitate carebis. Sed miser hęc parui pendens, supellectilem suam in prędictam speluncam congregauit, statimq; sensum cum visu & auditu perdidit. Qui ad sanctum Dei perductus, vt reatum suum agnouit, veniam petijt, ac indulgentiam cum sanitate promeruit. Mira dicturus sum.

Ædicula murata sub terra.

Pœna remerarij hortulani.

Ex illa

Ex illa nanque hora nunquàm ab hortulano ipsa reperiri potuit spelunca. Ex eo tempore cœpit vir Dei sanctum illum locum magis frequentare, sibiq́ue sepulcrum ibi præparare. Vbì omni sexta feria, si domì esset, solebat salutarem hostiam Domino immolare.

Res mira sanè.

Intereà orationis causa Romam perrexit, vbì & caput S. Abundij martyris acquisiuit, secumq́ue religiosa cum deuotione Augustam reportauit. Solebat loca sancta visitare, ac precipuè monasterium sancti Galli, vbì nutritus erat & eruditus. Indè cùm quodam tempore ad cellam S. Meinradi, ad videndum seruum Dei Euerhardum venisset, post sacra orationum libamina, post fraternæ collationis dulcia colloquia, cùm iam prælibatis oculis sanctus Episcopus disposuisset redire in sua, & ea vice speraret Dei famulũ non ampliùs esse visurum, iamq; ire cœpisset, festinatò anhelus cucurrit, atque iterans oscula charitatis, in hanc vocem lachrymabundus erupit: Ex hac hora non videbimus nos vlteriùs in hac vita, donèc corporibus exempti, videre nos mereamur in præsentia Dei. Cui Episcopus dixit: Pater venerande, scis nunc pro certo tempus meæ resolutionis instare, quo debeam ex hac vita migrare? Cui ille respondit: Finis quidem vitæ tuæ adhuc non erit: sed verum esse quod dico, exitus rei comprobabit. Tunc discessum est. Sed antequàm Episcopus eandem cellam iterùm visitaret, ille Dei famulus Euerhardus de hoc seculo migrauit. Processu quoquè temporis locum Agaunensium, vbì S. Mauricius cũ sacra legione quiescit, orandi gratia adiuit, ac non modicas Thebæorum martyrum reliquias acquisiuit. Quas cum summo honore Augustam attulit, ac in oratorio sanctæ Dei genitricis cũ hymnis & psalmodijs religiosè collocauit. His quoq; diebus venerabilis heros ad monasterium Insulanense, quod Augia dicitur, venit, vbì tunc tẽporis Dominici gregis vir venerãdus, nomine Aluuigus, curam gessit. Qui eum digno, vt par erat, honore suscipiens, multiplicibus sanctarum reliquiarum, quarum gratia illò aduenerat, pignoribus donauit, sicque ad propria lætum redire permisit.

Romã profiscitur orationis ergò.

Euerhardi serui Dei prophetia.

En quanti facit vir sanctiss. sanctorũ reliquias

Nec prætereundum, quòd propter ipsius merita, plurima infirmis præstabantur beneficia: & maximè qui caduco grauabantur morbo, per eius benedictionem à tanto liberabantur incommodo. Quod ità humilitatis causa studuit occultare, vt si fortè aliqui illorum hanc sanitatis gratiam palàm postularent, donum benedictionis subtraheret, hoc magis asserens Apostolicæ dignitati, quàm suæ congruere paruitati. Per oleum, ab eo in Cœna Domini consecratum, varijs languoribus detenti, pristinę restituti sunt sanitati: necnon & oculorum caligine obtenebrati, huius sancti olei vnctione merebantur illuminari.

Cap. 17.

Morbidi multi, præsertim epileptici ab eo curãtur.

Nota vim olei consecrati.

Operæprecium est inferre, qualiter etiam ipse per efficientiã huius sancti liquoris, consecutus est gratiam sospitatis. Quodam itaque tempore ad monasterium Campidonense veniens, tanta infirmitate tenebatur, vt non nisì inter aliorum manus sustentatus, quoquàm posset gressum mouere, vel quid cibi pro recreatione virium percipere. Tunc sub omni celeritate Augustam mittitur: oleum ab eo consecratum, defertur. Quo in ipsa sancta Pentecostes vigilia, hora diei nona delibutus, intantùm per gratiam Dei contra spem omnium subitò conualuit, vt se reficeret cibo, ac cum fratribus vespertinæ synaxi incolumis interesset, totamq; instantis festiuitatis diem spirituali iucunditate celebraret. Sicque omnibus in commune gratulantibus, ipse sospes in suam sedem est reuersus.

Eodẽ oleo ipse quoquè curatur

Quodam tempore cùm vir Dei Vindicem fluuium esset trãsiturus, intantùm aluei eius cursum excreuisse inuenit, vt nullus suorum auderet transire per illum. Tunc socijs sui itineris abeuntibus, & vadum, sicubì possent reperire, ad transeundum quærentibus, ipse cum vno clerico solus remansit, ac prædictum fluuium sine aliqua trepidatione in nomine Domini transiuit. Et vt magìs mireris, clericus altiori caballo residens, à cingulo deorsùm se totum aqua infusum: de Episcopi autem soccis è sago factis, quos propter frigus induerat, nec saltem vnum pilum madefactum perspexit. Cui valdè super hoc admiranti interminatus est, dicens: Caue, me adhuc manente in carne, hoc alicui dicere: humiliratis magistrum sequens, qui de semetipso discipulis præcepit, vt visionem, quam vidissent, nemini dicerent, donèc filius hominis à mortuis resurgeret. Tua sunt hæc ô Christe opera, tuarum gratiarum insignia, qui in sanctis tuis etiam nunc antiqua coruscare facis mirabilia. Qui enim illi antiquo Hebræorum populo quondàm diuiso mari rubro aridum iter præbuisti: tu hunc famulum tuum per idem elementum siccis vestibus traduxisti: nisì quòd illis aquæ erant pro

Cap. 18.

Trãsmittit flumẽ inundans, nihil madefactus

Matt. 17.

Exod. 14.

muris à dextris & à siniſtris, vt siccis veſtigijs per medium tranſirent: iſte verò per medias tranſiens aquarum vndas, in nullo madefactus, te duce, peruenit ad litus. Alio itèm tempore dum Ratiſbonam nauigio per Danubium tenderet, ex incuria nautarum nauis ſuper quoddam impingitur lignum: ex quo patentibus rimis cœpit paulatìm impleri aquis. Timore perterriti nautæ, ad litus contendunt properè. Quò peruenientes, omnibus quæ in naui erant, exportatis, oblíti ſunt Epiſcopi in puppi reſidentis. Tunc vnus ex clericis trahens ſuſpiria ex intimo cordis, ait: Væ nobis miſeris, quia in tanto periculo oblíti ſumus noſtri ſenioris. Et hæc dicens, velociùs cucurrit, & humeris impoſitum ad litus expoſuit. Quo egreſſo, nauis in poſteriori parte mergitur, & mirum in modum nauis, quæ plena hominibus cæterisque ſupellectilibus ſuper aquas natauerat, viro Dei cum ſuis egrediente, non potuit diutiùs, quin mergeretur, ſubſiſtere: vt indè colligeretur, quia hanc omnipotens Deus ſua manu tenuerat, quandò vir Dei cum ſuis in ea manebat. Itèm alia vice vir Dei Romam pergere deſiderans, venit ad fluuium Tar nominatum: quem tam periculoſa reperit inundatione effuſum, vt nec equo, nec nauigio aliquis poſſet tranſire illum. Sed ſanctus pontifex fiduciam habens in Deo, celebratis in ipſius fluminis ripa Miſſarum ſolennijs, prædictum fluuium tranſuadauit cum incolumitate omnium ſuorum.

Miraculũ inſigne.

Cap. 19. Monaſteriũ S. Stephani.

In illis diebus electus Dei pontifex ſacræ religionis ſtudio incitatus, diuini amoris igne ſuccenſus, cœpit in eccleſia S. Stephani protomartyris Chriſti, quæ extra vrbis mœnia ſita eſt, religioſas fœminas congregare: quatenùs in ſancto propoſito tanto liberiùs ibidèm Deo ſeruirent, quanto longiùs à mundanæ actionis labore diſtarent. Ad quod monaſterium dum quædam matrona ad conuerſionem veniret, & à congregatione ſuſcepta fuiſſet, cœpit in Dei ſeruitio manere deuota: & licèt literarum ſcientia minùs inſtructa, tamen ad exteriora prouidenda ſatìs erat idonea. Vndè ſorores ei voluërunt officium celleratiæ commendare, ſed illa noluít conſentire. Tunc res ad Epiſcopum defertur. Qui cùm eidem iuberet obedire, noluit, ſed in obſtinatione mentis perdurauit. Sequenti verò nocte huiuſmodi verbis corripitur in ſomnis: Quia, inquit, non obedíſti Epiſcopi præceptis, tandiù ambulandi vſu carebis, quouſq; ab illo abſolui mereberis. Expergefacta, omninò permanſit debilis & clauda: & reuertente ad ciuitatem Epiſcopo, ante eius preſentiam in lectulo eſt deportata. A quo de inobedientia pariter correpta eſt & ſanata. Ipſa autem, vt ſe ſenſit ſanatam, currendo antequàm ad eccleſiam Epiſcopus veniret, præceſſit eum, laudans & benedicens Deum.

Caſtigatur inobediẽs.

Claudã ſanat vir ſanctus.

Quodam tempore dum omnipotentis Dei famulus ad ſynodum Epiſcoporũ, quæ in villa regia, Ingelenheim dicta, erat congreganda, pergeret, quendam pauperem nomine Rotbertum, obuium habuit, qui ventris ſui interiora foràs prolapſa, in ſinu geſtauit. Quem vt conſpexit, miſericordia motus, ei denarium dari iuſſit, dicens: In nomine Domini accipe, & vade in pace. Qui mox eleemoſynam accipiens, perrexit ac meliorari paulatìm intantùm cœpit, vt poſt aliquod tẽporis ſpatium ſoſpitati redderetur ad integrum. Idem etiam poſt mortem viri Dei, alijs iterũm præoccupatus infirmitatibus, ad ſepulcrum eius veniens, ſanari meruit, ſicut lector ſuis locis pleniùs ſcriptum inuenire poterit.

Synodus Ingelnheimẽ.

Sanat hernioſum.

Cap. 20. Igitur ſanctus Dei, cæleſti deſiderio afflatus, cœpit ea, quę ſunt huius mundi, faſtidire, terrenarum rerum lucra, Chriſti amori poſtponere: & licèt hîc retineretur corpore, in cæleſtibus tamen conuerſabatur mente: vt meritò in illorum cenſeretur numero, qui dicere poſſent cum Apoſtolo: Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Vndè zelum Dei habens, licèt non ſecundùm ſcientiam, cœpit apud terrenas poteſtates totis viribus agere, vt quidam clericus, Adalbero nomine, ſuæ ſororis filius, totius Epiſcopatũs curam ſuſciperet: ipſe autem ſub monachicæ religionis habitu ſoli Deo vacaret. quod & impetrauit. Sed ille miſerandus neſciens, aut ſcire nolens, à ſapientiſſimo Salomone dictum: Hęreditas, ad quam in principio feſtinatur, in nouiſſimo benedictione carebit: milites Epiſcopi, toramq; familiam ſtatìm ſacramento ſibi ſubijciebat, ac virgam paſtoralem publicè manu geſtabat. Quod cæteri Epiſcopi indignè ferentes, ambos ad ſynodum vocauerunt, atque prædictum Adalberonem hæreticæ arguunt præſumptionis, quòd domino ſuo adhuc ſuperſtite, talia non pertimuiſſet vſurpare. At ille dum de obiectis ſibi criminibus ſe vellet purgare, ab omnibus inuentum eſt, id aliter fieri non poſſe, nisì allatis ſanctorum Euangeliorum in medio libris, ſacramento

Philip. 3.

Nepotẽ ſuũ curat ſibi ſubſtitui in adminiſtratione.

Prouer. 20.

mento firmaret, ſe neſcíſſe hæreſin fuiſſe, quòd talia præſumpſiſſet facere. Quibus omnibus, quæ ad hoc negocium pertinebant, expletis, in ſua rediêrunt ambo Epiſcopus & Adalbero, tali à ſancta ſynodo conſolatione percepta, vt Epiſcopo decedente ab hac vita, nullus pro eo alius eſſet ordinandus, nisì ipſe Adalbero. Sed non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium cõtra Dominum. Nam eodem anno poſt poſt aliquot menſes, dum quadam die iam ad veſperam inclinante prędictus clericus ad menſam cum viro Dei nouiter ſecta vena reſideret, ac quiddam moleſtiæ propter inciſionem venæ ſuſtineret, è conſeſsũs medio cóncitus ſurgens, cubitum ire perrexit, ſtatimque in ipſa nocte præſentis vitę terminum clauſit. Quod Epiſcopus mox per ſpiritum cognoſcens, eum, qui ad annunciandum mortem ſibi intrauerat, præueniendo dixit: Scio quòd Adalbero mortuus eſt. Feſtina, & fac vehiculum præparari, vt poſſimus illum Auguſtam deferre. Morabantur autem tunc tẽporis in caſtello, quod Dilinga dicitur. Corpus verò eius exanime à ſancto Pontifice Auguſtam perlatum, in eccleſia ſanctæ Mariæ eſt humatum. Inter cætera miſericordiæ bona, quæ pro requie animæ ſui nepotis agebat, etiam Abbatiam, Vtenbura dictam, quam ille dum viueret, in beneficium tenebat, ſibi adquiſiuit, & tandiù tenuit, quouſq; ipſius ſtudio donata eſt libertatis priuilegio.

Prouer. 21.

Adalbero nepos viri Dei moritur.

Dilinga caſtellum.

Die quadam ſancto Dei iter agenti homo quidam adſtitit, qui Conradi Conſtantienſis Epiſcopi obitum certiſſimum indicauit. Illis verò, qui aderant, ſperantibus, quòd ſtatìm pro requie illius ſolita exequiarum officia vellet celebrare, ille per ſecretum nuncium, ſibi adeſſe ſolitum, ſciens quid ex hoc eſſet verum, ait eis: Manete intèrim animæquiores. manè comperietis, quid indè credere debeatis. Craſtina die diluculo quidam Conſtantia venit, qui prædicti viri ſoſpitatem annunciauit. Et omnipotentis Dei famulus, licèt tempus reſolutionis ſuæ iam inſtare non ignoraret, tamen quandiù potuit, vehiculo ſuperpoſitus, diuini verbi ſemina in audiętium corda ſpargere non ceſſauit. Quem equitandi vſum, etiã dum adhuc ſanus eſſet, habebat, vt quocunquè ſibi eundum fuiſſet, ſella ſuper quadrigam poſita ſolus ſederet, comite vno tantùm clerico, cum quo, abſque impedimẽto aliorum, poſſet liberiùs vacare decantationi pſalmorum. Feſtinabat autem quantocyùs Auguſtæ ciuitatis mœnia ingredi, vt ibì ſicut bonus mercenarius, præſtolaretur finem operis ſui. Quò cùm peruenìſſet, quandiù vires ſufficiebant, inter quotidiana Miſſarũ ſolennia, ſalutarem hoſtiam Domino exteriùs immolabat, ac ſeipſum interiùs victimam in ara cordis mactabat. Ad menſam cum alijs ſedens, illis manducantibus & bibentibus, ipſe penè manebat ieiunus. Erat ei cibus aut dulcis pſalmorum ſuauitas, aut ſacrarum lectionum aſſiduitas: inter quas maximè delectabatur audire ex quarto libro Dialogorum ſancti Gregorij, qualiter multi è corporibus exempti, in ſpiritu rapiebantur, ac iterùm reuertebantur. Inter hæc præcepit ſuarum rerum procuratoribus, vt in omnibus omninò locis, ad ſuum ius propriè pertinentibus, quæcunque inuenire poſſent, in tres portiones partirẽtur, & vnam ex his, ipſo adhuc viuente, preſbyteris & pauperibus largirentur. Ipſe autem quadam die ſe ad audiendam Miſſam in eccleſiam deferri iuſſit. Qua audira, vnum rapete coram ſancta Cruce ſterni fecit, ſeſeque ſuper hoc in orationem dedit, & quasì poſt dimidiam horam ſurgẽs, quicquid ſupellectilis habere potuit, coram ſe importari præcepit, præter paraturam vnius domûs ac menſarum, & vnum opertorium, quæ reliquit ad ſui ſucceſſoris ſeruitium. Cætera cùm perſpexiſſet, ingemiſcendo dixit: Ah, quid mihi hæc omnia? Fuerũt tantùm pauca * camiſilia, & ſeptem vel octo menſalia, duo ſarcilia, & de argento decem ſolidi: quos ſtatìm per manus præpoſiti præcepit inter pauperes diuidi, cætera verò clericis erogari. ſicq; vigilanter ſtuduit ſe ad hoc præparare, vt pulſanti confeſtìm poſſet aperire.

Quotidiè etiam grandeu⁹ offert ſacrificium.

Delectatur lectione librorũ dialogorũ S. Gregorij, quos noſtri hęretici reprobant.

Omnia ſua ſub mortem diſtribuit.

Talia m editãdo, aliquotiès ad ſuperna rapiebatur in ſpiritu, ac quædam vidit & audiuit, quæ etiam ex parte ſibi aſſiſtẽtibus narrauit. Nam Vvernhero Fuldenſiũ Abbati ſe viſitanti annunciauit, vt ſi duo in electione eius cæteris concordarent, ſibi in Epiſcopatu ſucceſſurus eſſet. Item alia vice quasì de graui ſomno excitatus, ait coram omnibus: Heu, heu, quòd illum Adalberonem nepotem meum vnquàm vidi: quia pro eo quòd ei cõſentiebam ſecundùm ſuum deſiderium, nolunt me impunitum in ſuum recipere conſortium. Legimus huic ſimile, ſancto Gregorio in libro Dialogorum referente, quòd quidam Paſchaſius, Apoſtolicæ ſedis miræ ſanctitatis Diaconus, cuius poſt mortem dalmatica feretro eius ſuperpoſita, dæmoniacum tetigit, & ſanatus eſt: loco pœnali deputatus eſt, ob nihil aliud, nisì quòd in illa contentione, quæ

Cap. 22.

Nullum etiam veniale peccatũ manet impunitum.

Lib. 4. c. 40.

inter Symmachum Papam & Laurentium facta est, ad Pōtificatūs ordinem Laurentium elegit, & omnium pòst vnanimitate superatus, in sua tamen sententia vsq; iuxta diem sui exitūs perstitit, illum amando atque præferendo, quem Episcoporum iudicio præesse sibi Ecclesia refutauit. Qua in re quia similis penè fuerat amborum culpa, (nam sicut ille Laurentium, etiam Symmacho ordinato: ità & iste, se adhuc in carne manente, licèt simplici oculo minùs rectum intuendo, voluit contra statuta Patrum Adalberonem fieri Episcopum) hoc idem sentire possimus de hoc viro sanctissimo, quod ille de Paschasio. Nam Petro super hoc quæstionem mouenti, curis, qui tantæ sanctitatis extiterat, quòd eius feretri vestis tangi potuit, & malignus spiritus ab obsesso homine fugari, post mortem ad pœnalem locum ductus sit, ità respondit: Hac in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio, & quàm sit multiplex, agnosci, cuius iudicio actum est, vt idem vir Paschasius & ipse intùs aliquanto tempore reciperet, quod peccâsset, & tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem eis quoq; cognoscentibus pia opera fecisset: vt nec hi, qui eius bona viderant, de eleemosynarum illius æstimatione fallerentur, neque ipsi sine vltione laxaretur culpa, quam nec esse culpam credidit, & idcircò hanc fletibus non extinxit. Sic quondàm dux ille magnus Israëliticæ plebis Moyses, cum quo, sicut scriptura refert, loquebatur Dominus facie ad faciē, sicut loqui solet homo ad amicum suum, & Aaron frater eius sacerdos, propter culpam incredulitatis, à Domino audire meruerunt: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis: vt infirmiores quidam perpendant, quæ pœna in vltimo examine districtus iudex grauiter delinquentes feriat, cùm etiam sic eos hîc corrigat, quos in electorum numerum ante secula prædestinauit. Sed de his hactenùs: nunc ad intermissa redeamus.

Error sancti viri in nepote sibi substituendo.

Lib. 4. c. 41.

Exod. 33.

Num. 20.

Aderat nanque toti orbi venerandus dies, videlicet Præcursoris Christi natalitius, & vir Dei graui infirmitatis oppressus languore, quasi de somno cuigilans, cœpit adstantibus dicere: Vestibus me induite, & calceamenta pedibus meis præbete. Qui licèt illum per excessum mentis putarent talia præcipere, tamen studuerunt obedire. Insuper etiam pontificalibus indutus ornamentis, cum omni, vt mos est, Clericorum officio contra spem omnium processit in publicum, & sic ad Ecclesiam beati Iohannis Baptistæ, quam ipse construxit, veniens, tandiù sine aliquorum sustentatione hominum inuictus perstitit, donèc bis, sicut ea die statutum est, sacra Missarum solennia celebrauit. Quibus ritè expletis consedit, atque coram adstantibus clericis dixit: Huius celebrationem officij non mearum virium possibilitate, sed ex diuinitate præsumpsi Christi atque iussione. Nam hodiè cùm dulci quiescerem somno, adstiterunt coram lectulo meo iuuenes duo adspectu formosi, quorum vnus dixit mihi: Quarè non surgis? debes enim hodiè ad S. Iohannem Missam celebrare. Cui alter respondit: Quomodò potest hoc fieri? quia pro impossibilitate virium adhuc Primam non expleuit? Tunc ille, qui priùs: Surge, ait, & secundùm meum sermonem in præfata ecclesia diuinum mysterium festina implere: quia præter te nullus ibi cantabit hodiè. His dictis, ad cubiculum redijt, atq; imminentem vocationis suæ diem lætus expectauit, atq; illud Psalmistæ sæpiùs iterando dicebat: Quandò veniã, & apparebo ante faciem Dei mei? Interìm dum ab eo, qui coram se lectoris fungebatur officio, interrogatus fuisset, vtrumnàm pre infirmitate, qua detinebatur, se de hoc seculo migraturum speraret, respondit: Certissimè scio, quia breuì de hoc transiturus sum mundo. Cui cùm mœrēs diceret, quem Episcoporum vellet ad corpus suum sepeliēdum vocare, maximè cùm nullus comprouincialium remansisset antistitum, qui non esset inuitatus ad regale in Francia colloquium, ait: Nôstis terram terræ commendare. Vos tantùm, cùm tempus fuerit, quod vestrum est, facite: Dei est, mei corporis commendatorem prouidere.

Cap. 23. Toti orbi venerandus natalitius dies Præcursoris.

Bis sacrificat in ferijs S. Iohannis.

Primam, id est, Primæ horæ preces canonicas.

Psal. 41.

Paucis verò diebus interpositis, in vigilia Apostolorum, quę illo anno euénit quarta feria, certissimè sperabat se migraturum de hac vita. Quod licèt nominatìm non exprimeret, verbis tamen quibusdam aperuit, ac signis euidentibus declarauit. Sanè signis omnibus ad vesperam circunquaquè sonantibus, ipse balneatus & sacris vestibus ad hos vsus paratis indutus, humì se prostrauit, acsì hora eadem moriturus. Finita ergò synaxi vespertina, cum aliorum adiutorio se leuauit, & quasi quodammodò mente consternatus, dixit: O sancte Petre, nũc non fecisti, sicut ego æstimaui. O beatum virum omni laude prosequendum, cuius spiritus quidem erat promptus, licèt caro

Cap. 24.

Cupit dissolui & esse cũ Christo.

caro infirma: cui viuere Christus fuit, & mori lucrum. Vndè tantoperè corporeæ inhabitationis molem velut carcerem quendam abhorrens, cupiebat dissolui & esse cum Christo. Iterùm spiritu recreatus, per continuos quinque dies mansit quietus, petens ab omnibus indulgentiam, & benedictionem tribuens, donèc finita quintæ diei feria, ac vespere lucescente in sextam sabbati, aurora iam diei latitudinem terræ illuminante, clericis canentibus & flentibus, in manus Domini spiritum suum commendans, anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi nongentesimo septuagesimotertio, ętatis suę octogesimotertio, ordinationis verò quinquagesimo, velut in Iubileo, hoc est, plenę remissionis anno, verus Hebręus transit de huius mundi Aegypto líber, in æternum victurus cùm Domino suo. Transijt autem 4. Nonas Iulij, tempore Ottonis secundi Imperatoris Augusti. Cuius corpus cùm ex morc ad lauandum esset denudatum, tanta de eo manauit suauissimi odoris fragrantia, vt cunctorum ibì adstantium perfunderet nares & pectora. Cuius odoris suauitas tandiù permãsit, quousquè lotum ac vestibus indutum, in ecclesiam fuit deportatum. Post hæc autem adueniente Vuolffgango, Ratisbonensis ciuitatis Episcopo venerando, sancti viri corpus in ecclesia sanctæ Afræ martyris cum magna gloria est humatũ: vbì ipse, dum adhuc viueret, sibi sepulcrum præparari fecit. In quo loco multa per eius merita fiunt assiduè miracula, multa infirmis præstantur beneficia, donante Christi gratia: Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

Grandęuus obdormit feliciter in Domino.

Suauiss. odor è corpore defuncti.

Multa miracula ad eius monumentum.

Hęc tui examen iudicij expectãt, vt te benigno iudice valeant rata consistere. Opto Pater beatissime, vt in Christo valeas, meique memor semper existas.

MARTYRIVM S. Goæ quod quinto die Iulij celebratur, describitur in vita S. Sebastiani martyris 20. Ianuarij, ad quam lectorem remittimus.

VITA ET MORS ESAIÆ PROPHETÆ, PER D. EPIPHANIVM CONSTANTIAE CYPRI EPISCOPVM *descripta. Habetur in libro eius de vitis prophetarum.*

6. Iulij.

ESAIAS Propheta quidem in Hierusalem de tribu Iuda ortus est: sub Manasse verò Rege Iuda sectus in duas partes, occubuit. Tumulatus est sub quercu Rogel iuxta transitum aquarum, quas olìm Ezechias Rex obstruxerat, cùm eas vndas peruias efficeret. Fontem quippe Deus Seloam causa prophetæ effecit, quoniam priusquàm moreretur, pusillùm precatus est, vtì vndas illic effingere dignaretur. Et confestìm demisit illi cælitùs aquã viuentem, vndè sortitus est locus ille appellationem Siloam, quod, si quis interpretetur, sonat demissum. Sub Ezechia quoquè Rege, antequàm stagnum piscinasque fabricâsset, precibus Esaiæ effectum, vt exigua lympha scaturiret, quòd populus in obsidione hostium teneretur, & nè ipsa periret vndis destituta ciuitas.

Vide efficaciam orationis Esaiæ.

Milites igitur persecutabantur vndiquè, vbinàm sedare sitim daretur: ignorabant etenim. Vrbe quippe iam poriti, obsidebant Seloam. Quandocunquè itaque Iudæi aquatum venerant, scaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum verò nationum homines reperire nesciebant, latex nanque aufugiebat. Eoque ad hodiernum vsque diem eructatur clanculùm, quô significet mysterium. Cæterùm quandoquidem Esaię prophetæ istuc acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, populus accuratè prophetam istic solo reddidit cum gloria, & honorificè, vt per eiusdem intercessiones in consummationē vsque seculi, aquæ eiusmodi fructus impetretur, cui scilicet vsum referebant acceptum. Extat autem monumentum Esaię finitimũ sepulturæ principum post sepulcra sacerdotum, versùs Notum partemque meridionalem. Salomon enim Hierosolymam constituens, Regum excitauit Mausolea, prout illa Dauid descripserat. Existit autem Orientem versùs Sion, quæ introitum à Gabaoth possidet, quæque ab oppido viginti distat stadijs. Foueam prætereà fecit illic incomprehensibilem, magnæ etiamdùm parti mortalium incompertam.

Sancti post mortē orãt pro nobis, & impetrãt exhiberi nobis à Deo beneficia.

ITEM VITA ESAIÆ PER D. ISIDORVM EPISCOPVM ISPALENSEM SCRIPTA. HABETVR *in libro eius de patribus veteris testamenti.*

ESAIAS filius Amos, non illius prophetæ, sed alterius, qui simili nuncupatus est nomine. Ille ex genere pastorum fuit, oppido Thecue: hic autem genere nobili ortus in Hierusalem. Quem etiam aiunt Hebræi socerum fuisse Manasse. In quo tanta fuit sanctitas & vitæ excellentia, vt vnam tantùm dicatur habuisse tunicam cilicinam. Quanquàm etiam postmodùm pro delictis populi abijt, & sacco membra cooperuit: sed & hoc ad extremum deposito, iuxta imperium Domini, nudo corpore, nudoque vestigio in conuentu populorum versatus est. Sicque æstiuum feruorem, hyemisque pruinas, atque imbrium tempestates sustinuit, vt Dei præceptis obediret, & deploraret populi delicta. Hic quindecim gradibus recedentem vmbram retrò ascendere iussit. Cuius oraculo Rex Ezechias mortis dilationem promeruit. Quem Manasses extensum à vertice per medium serra secuit, atrocique supplicio & cruciatu extinxit. Tradunt autem Hebræi duabus de causis occisum fuisse Esaiam: Vnam, quòd eos appellauerit principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ: Alteram, quòd testante Domino ad Moysen, Nemo potest videre faciem, & viuet: iste ausus est exclamare, Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum: Non arbitrantes cæcati mente Iudæi, quòd in sequentibus faciem & pedes Dei Seraphin texisse nouerat, ac mediam tantùm eius vidisse speciem. Sub quercu Rogel requieuit iuxta decursus aquarum, quas Ezechias Rex Iuda molem construendo terræ exposuerat.

Attende vetiũ vilitatẽ in ppheta, similiter & vitæ austeritatem.

VITA S. GOARIS PRESBYTERI, AVTHORE VVANDELBERTO DIACONO ET MONACHO PRVmiensi, *qui claruit Anno Christi* 850.

PROLOGVS AVTHORIS AD MARCVARdum *Abbatem.*

MIRACVLA diuinorum operum humano generi fide semper integra esse suscipienda, & deuota glorificatione narranda, scriptura sancta commonente, & Angelo hocipsum Tobiæ sancto præcipiente didicimus. Plurima tamen eorum, quæ aut per semetipsam Christi potentia effecit, aut per sanctos viros, mundo in exemplum propositos, operatur, propterea nostro tempore minùs interdùm nota & clara habentur, quòd aut caducis rebus intenti, parùm hæc & leuiter contuemur: aut ea etiam, quæ in admirationem sui nos magnitudine permouent, non tam rerum ignorantia, quàm animi desidia, futuræ post nos ætati scribendo transmittere dissimulamus. Qua in re longè est nostra, quàm Maiorum nostrorum, cùm manifestior, tum inexcusabilior culpa. Quippe apud Gallias multos annos literarum studia iacuêre, nec facilè plures per transacta retrò spatia liberalium artium munere functi esse reperiuntur, quoàd nostra ætate, principum liberalitate & optimorum virorum solertia, ad disciplinarum studia profecerunt: vt inuidiam criminis meritò nunc sustinere cogamur, si gesta sanctorum virorum, quæ quidem ad nostram potuerint peruenire notitiam, posterorum scientiæ deperire sinamus. Neque verò audiendi sunt, qui tantum ætati præteritæ tribuunt, vt nunc quoquè fieri, quæ digna literis æstimentur, absoluto præiudicio negent: cùm diuina prouidentia singulis mundi temporibus ità semper, quæ humano generi pro modo & ratione congruant, ordinet, vt neque nos priscorum

Tob. ii.

Res gestæ Sanctorum cur minùs notæ.

rum hominum felicitatem desiderare conueniat, neque illos nostrorum temporum statum, si qualis nũc agitur, præscire potuissent, damnaturos fuisse credibile sit. Quippe nunc quoquè sunt in Ecclesia multi virtute vitę clarissimi, & ad merita declaranda Sanctorum, in sacratis ecclesiarum domibus stupenda sæpenumerò miracula fiunt: quæ propterea pauci aut propè nulli mirantur, quoniam suî frequentia duris iam hominum cordibus viluerunt.

In ecclesia etiam nunc multi sancti virtute clarent.

Quoniam itaque me sancte & amantissime Pater Marcuarde, nouo operi manum imponere compellitis, vt actus sancti Confessoris Christi Goaris, qui hactenùs vili admodùm stylo & sermone, multorum auditus offendente, constiterunt, accuratiùs debeam explanare, additis ex nouo miraculis, quæ apud eius memoriam à pluribus gesta fideliter referuntur: breuiter eis, quos hæc fortassis mea scripta mouere poterunt, satisfacio, me neque præsumptiuè corrigendi eius operis, cui Maiorum studia cesserint, authoritatem assumere, neque arroganter nouæ condendæ scripturæ literariam operam adhibere: sed vt simpliciter obedientiæ debitũ seruem, quod in principio posui, perpendere quòd opera Dei, secundùm scripturam, gloriosum sit enarrare, & Sanctorum gesta ætati post nos hominum profutura mandare. Quippe ego in hoc opere suscipiendo, cùm sancti viri meritis plurimùm confido, tum vestro imperio, cui totum quod possim debeo, non leuiter moueor. Neque rumusculos vel præiudicia quorumlibet mihi fore magnipendenda existimo, habituro apud beneuolos, si res benè cesserit, absolutum veritatis & fidei testimonium.

Tob. ii.

VITÆ LIBER PRIMVS.

GOAR igitur Aquitaniæ prouinciæ, quæ est totius propemodùm Galliæ pars tertia, indigena fuit, genere à Maioribus clarus, patre Georgio, matre verò Valeria. Fuit autem diebus Childeberti Francorum regis, qui ortus est ex prosapia regis famosissimi Ludouici, (qui etiam Clodoueus dicitur) mansitque vsque ad Sigebertum regem, qui vrbem Mediomatricum regni sedem habuit, omni vita probus & nobilis, actu insignis, vultu dignissimus, adspectuque iucundus, mente humilis, corpore castus, fide integer, opere conspicuus. Qui ab ineunte ætate religiosis pijsque actibus vitæ optimæ deditus, breui ad id vsque culmen sanctitatis euasit, vt & mirabilium operum patrator, & secretorum cœlestium cognitor fieret. Et cùm in eo quotidiè amor & desiderij patriæ cælestis excresceret, & bonorum operum fructus subindè exuberaret, cœpit eius vita etiam alijs exẽplum ad salutem existere: vt multi eius non solùm prædicatione, sed & exemplo commoniti, ad meliorem vitam & correctiores actus à prauitate conuerterentur: & qui diabolo priùs seruiẽrant, inciperent Christo deincèps militare. At quoniam non potest ciuitas abscondi super montem posita, sancti viri cò fama ac vita profecit, vt sacerdotij gradu & honore presbyteratûs accepto, dispensator mysteriorum Christi, & diuini verbi in populum fieret erogator. Dehinc cùm in ampliorem supernorũ bonorum concupiscentiam mens eius excresceret, & visibilia cuncta despiciens, in inuisibilium appetitum se omni ex parte transfunderet, patriam parentesque deseruit, & in vltimos Galliæ fines, peregrinus seculo, & cælestis patriæ ciuis, excessit. Veniens ergò in prouinciam, quæ ripis Rheni fluminis contigua, Trigoria nuncupatur, atque ad diœcesin pertinet Treuirorum intrà terminos Vesalienses, ibì Deo liberè seruire delegit. Ibì in quodam loco super riuulum, qui nunc Vuochara dicitur, cum permissu & voluntate Episcopi, qui tum vrbi & populo Treuirorum præerat, Felicis nomine, ecclesiam pro suis viribus construens, sanctorum in ea plurima pignora collocauit: videlicet sanctæ Dei genitricis & beati Baptistæ Iohannis, aliorumque sanctorum, quos recensere necessarium non putaui. In hoc itaque loco annis multis Deo seruiuit, vacans die noctuque vigilijs, orationibus & ieiunijs, studens patientiæ, & præcipuè hospitalitati: quam ità omni tempore secundùm vires suas exercuit, vt cùm virtutibus animi cunctis polleret, hanc vt propriam & singularem habere putaretur.

Iulij 6. Cap. 1. Genus & patria & parentes S. Goaris.

Fit presbyter.

Relicta patria, migrat in diœcesim Treuiren.

Studet hospitalitati.

Cap. 2. Cœpit intereà gentilibus, per circumitum ſimulacrorũ cultui deditis, & vana idolorum ſuperſtitione deceptis, verbum ſalutis annunciare: vt tanquàm bonus Euangeliſta, qui pro Chriſto ſua omnia dimiſerat, multorum ad cognitionem vitæ perpetuæ doctor exiſterer. Sic factum eſt, vt plures cuicinò pagani, qui ad ea vſq; tempora in errore durauerant, eius & verbo commoniti, & prouocati exemplo, errorem ſpernerent, & ad vitæ viam Chriſtum conuerterentur. Ac nè prædicationi eius ſignorum quoquè deeſſet authoritas, vt incredulæ mentes, quæ ratione non poterant, ad credendum miraculis mouerẽtur, cœpit in virtute nominis Chriſti ſanitatum beneficia circa infirmos & membrorum debilitate mulctatos, aliquotiès operari. Quod hodieque merita eius multipliciter petentibus præſtare conſpicimus, cùm ad eius memoriam cæcos viſum, claudos greſſum, energumenos mentis ſanitatem, alijsque preſſos languoribus incolumitatem recipere cernimus, vt illud in ſancto viro Pſalmographi conſtet impletum: Nimìs honorati ſunt amici tui Deus, nimìs confortatus eſt principatus eorum.

Multos gentiles cõuertit.

Pſal. 138.

Cap. 3. Erat eius ſolennis conſuetudo, vt omni die Miſſarum ſolennia celebrans, ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti pro ſtatu Eccleſię offerret, Pſalteriumque exintegrò, orando intentè, compleret. Tum deindè cum peregrinis & pauperibus, ſine quibus penè nunquàm erat, cibum officio charitatis acciperet, quos oratione Deo cõmendabat, corporeo nihilominùs alimento reficiens, vt ab eo peregrinus, qui caſu aduenisſet, cum verbo ſalutis & ope interceſſionis, cibum quoquè perciperet carnis. Hæc autem agebat, Apoſtolicæ ſententiæ memor, Quoniam hilarem datorẽ diligit Deus: & Chriſtum in pauperibus & peregrinis ſuſcipere cupiẽs, vt ab eo mereretur audire: Quod vni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti. Sed quia antiquus hoſtis, electorum ſemper profectibus inuidens, eorum ſtudijs multipliciter nititur occurſare, & omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur: hæc à viro ſancto charitatis & prædicationis opera fieri diabolus acriter doluit, cœpitque illi nunc occultè, nunc etiam manifeſtè tentationum fraudes intendere, eiusque propoſitum vt auerteret, modis varijs laborare. Quæ tamen ille cuncta æquanimiter tolerabat, qui nôſſet, per multas tribulationes oportere ingredi in regnum Dei. Qua in re neque à prædicatione potuit cohiberi, quin lucrandis Deo animabus operam ſemper impẽderet: neque ab operibus charitatis, quæ permaximè Deo accepta nouerat, vllatenùs valuit impediri: ità vt quotidiè concurſus ad illum multorum fieret, qui aut à gentili vanitate ad fidei ſynceritatem confugerent, aut eius exemplo cuperent voluntariam Chriſto depẽndere ſeruitutem.

Quotidiè ſacrificat & legit Pſalterium.

2. Cor. 9.

Matth. 25.

2. Tim. 3.

Actor. 14.

Cap. 4. Sed ſicut bonorum hominũ eſt, aliorum actibus, quos laude dignos adſpexerint, gratulari, & eis ad ſuum vti profectum: ità contrà reproborum mentes conantur ſemper rècta electorum opera offuſcare, & quæ imitari nolunt, aut etiam nequeunt, maleuolo detractionis ore & ſtudio carpere. Vndè accidit, vt quodam tempore ad beatum Goarem duo ſub falſa ſpecie pietatis, clientes Epiſcopi, qui tunc Treuirorum præſidebat eccleſiæ, Ruſtici nomine, venirent: quorum alter Albiuuinus, alter vocabatur Adaluuinus, dicentes ea, quæ ad luminaria eccleſiæ beati Petri vrbis iam dictæ neceſſaria eſſent, ſe quæſitum veniſſe. Qui dum corporei luminis fomenta requirunt, vel magìs ſe quærere mentiuntur, quibus maleuolentiæ tenebris cæcati eſſent, celare minimè potuerunt. Nam hi videntes, quæ ſeruus Chriſti ageret, quòd ſcilicet Dei verbum ad ſe venientibus, continuè prædicaret, quòd quotidiè ab ortu lucis Pſalmodiæ laudes Chriſto perſoluens, & Miſſas deindè celebrans, poſteà cum peregrinis & pauperibus, qui ad ſe veniſſent, pranderet: quæ certè ille ſtudio charitatis & indefeſſo vſu beneuolentiæ, non alicuius intemperantiæ vitio, faciebat: vt malis ſemper eſt vita bonorum grauis, arbitrati ſunt ſe aliquam nactos occaſionem, qua ſeruum Dei accuſare, vitamque illius poſſent aliquatenùs infamare. Ità ad patronum redeuntes, cœperunt alia pro alijs mentientes dicere, vidiſſe ſe in illo, quæ ad reprehenſionem, & aliorum deſtructionem valerent plurimùm, ipſum Goarem eſſe magìs edacem vinique potatorem, quàm Dei, quod putetur ab imprudentibus, ſacerdotem: quippe qui manè comedat ac bibat, nec poſſit conſuetum alijs legitimumque cibi ſumendi tempus & modum ſeruare: & qui propterea prædicet, vt obtentu verborum, vitia morum celet: aliaque perplura gerat, quæ nisì fuerint authoritate pontificali cohibita, ipſi Epiſcopo ſint contumeliæ & vituperationis maculam illaturа, tanquàm qui hæc in ſua diœceſi ab homine alienigena & mente capto fieri ſinat: debere

Aemuli ſancti viri.

Traducitur apud Epiſcopũ Treuiren.

debere Goarem publicis Eccleſiæ ſiſti iudicijs, ſuorumq; actuum reddere rationem, nè inſolentia vni conceſſa, creſcat in alios: & quo pluribus ità licuerit agere, hoc Pontificalis authoritas ampliùs infirmetur. Hęc ab eis dicebantur, qui dum ſeruo Chriſti calumniam ſtruunt, diuino iudicio & ſancti viri clariorem reliquis hominibus vitam fecerunt, & ipſi, quàm eſſent damnabiles, innotuerunt.

Itaque Epiſcopus Treuirorum hæc à ſuis ſuper viro Dei audiens, vt eſt interdùm animus Prælatorum, maximeque carnalium, diuerſis occupationibus ſeruiens, quóve circa multa diuiditur, eo ſit minor ad ſingula, nec diſcernere facilè valet, quid qua ex cauſa à pleriſque dicatur: motus ſuorum ſermonibus, eoſdem ad beatum Goarem cum feſtinatione redire præcepit, mandans, vtì eum ſibi quantocyùs exhiberent, habituro ſuper eius actibus quæſtionem. Illi celeriter ad ſanctum virum, vt præceptum erat, reuerſi, volentesque ſimulatione callida dolos ſuos & accuſationem celare, cùm tamen hæc eum minimè latérent, ſalutant eum ex nomine ſui Pontificis, petere illum atque mandare, vt ad ſe debeat ſub celeritate venire. Quo audito, vir ſimplici animo circa omnes agens, magna exultatione repletus, gratias egit Deo, & quòd viſitationem ſui Pontificis, mandatumque ad eum properandi meruiſſet accipere, gratulatus eſt, dicens: Faciat Dominus, faciat vt poſſim, quia obedientia ſine mora exhibenda eſt. Etſi enim ſuſpectam habere poterat Epiſcopi iuſſionem, nec facilè eum, quam ob cauſam accerſiretur, poſſet latére, conſiderabat tamen Domini ad Apoſtolos dicentis authoritatem: Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui vos audit, me audit. & illud Apoſtoli Petri: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Quoniam tamen terminus diei imminebat, nec iter ſtatim arripere poterat, executores ſuos ea nocte detinuit, & qua circa omnes ſolitus erat, vſus humanitate, cœnam ſecundùm vires ſuas inſtruens, pro labore illos viæ refecit: ipſe, vt conſueuerat, in Dei laudibus hymniſque pernoctans, orta prima luce, quod diebus agebat, pſalmodiæ & orationum vota Deo perſoluere cœpit: tum demùm vbì id peregit, Miſſarum ſolennia exorſus impleuit. Præcepit deindè diſcipulo, vt executoribus ſuis ſibique prandium, ſicut poſſet, inſtrueret: Fili, inquiens, para nobis de ſubſtantia noſtra conuiuium, vt nobiſcum legati noſtri Pontificis epulentur. Forſitan addet Deus aliquem pauperem, qui poſſit in Chriſti charitate cibum vnà potumque percipere.

Non latuerunt virum Dei doli æmulorum ſuorum.

Luc. 10.

1. Pet. 2.

Cap. 5.

Id vt homines maleuolæ mentis, & iamdudùm animo corrupti, mandari audiẽrũt, vltrà non valentes peſtem malitiæ internæ diſſimulare, quid mente gerant oſtendũt, & tanquàm qui peruersè viuentem iuſtè repræhenderent, aiunt: Neque tu benè agis, qui legitimum tempus & canonicum ſumendi cibi contemnis, neque nos tibi hac in re conſentimus, quin maturas diei horas in percipiendis eſcis ſuſtineamus. Quaſi verò regnum Dei ſit eſca & potus, & non iuſtitia & pax & charitas: vel in cibo ſumendo tarditas magìs, quàm modus & temperantia, valeat, aut ſanctus vir hæc cauſa ventris, & non beneuolentiæ, ageret: qui propterea vtique cibum apparari præceperat, vt quos maturiùs proficiſci velle putaret, propter iti[illegible] laborem manè reficeret, & nè ieiunos abire hoſpites ſineret, in quibus, licèt [illegible]gnis, Chriſtum ſe ſuſcepiſſe gauderet. Vt ergò illos obſtinatè ſibi reſiſtere vidit, modeſtè, vt erat ſemper tranquillo animo, dixit: Mala domus eſt, in qua Dominus non timetur. Vos autem ſi verè Deum timeretis, charitatem vtiquè non recuſaretis. Dum hæc loquitur, venit eius puer, & indicat peregrinum ſtare pro foribus. Quo audito, gauiſus eſt, & recepto in domum peregrino, ait: Eccè quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Appoſitaque menſa, cibum vnà cum peregrino & ipſe cepit. Executores hæc videntes, cum ingenti feſtinatione & alacritate ſuos equos ſtrauerunt, dicentes tum ſe pro certo cauſam inueniſſe, qua Goarem accuſare & manifeſti criminis apud eum, à quo miſſi fuerant, inſimulare valerent. Rogauerunt tamen, vtì pro labore viæ & itineris neceſſitate aliquid eis cibi & potûs, quod in via percipere poſſent, tribueret. Id ille, qui plenus ſemper charitatis eſſet, & omnibus etiam ingratis benefacere paratus, iucundè accepit, eiſdemque ſuis executoribus quæ petiërant, in via poni præcepit.

Cap. 6.

Charitatis officia æmulii eius ſimiſtrè interpretãtur & carpunt.

Rom. 14.

Hoſpitalitas eiꝰ quã.

Pſal. 132.

Item eius in æmulos benignitas.

Sic accito in comitatum viæ, quo vtebatur ſemper, miniſtro, vnà iter ad vrbem Treuirorum aggreſſus eſt. Iam aduenerat diei medium tempus, & illis euntibus, Sol ſui curſûs axem conſcenderat, cùm eccè in vindictam ſui ſerui adeſt vltio diuina: & qui paulò antè oblatam ſibi pro charitate cibi potusque reſpuërant copiam, eſurire vehe-

Cap. 7.

Vltio cæleſtis eos perſequitur.

vehementer ac ſitire cœperunt, tum etiam tanta laſſitudine affici, quantam eſſent experti nunquàm. Inter hæc vir ſanctus in laude diuina & pſalmis meditabatur, illud
1.Theſſ.5. Apoſtoli exequens: Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Cumque iam ſextum viæ milliarium complêſſent, & in eum locum veniſſent, qui Pauli campus dicitur, Albiuuinus collegæ Adaluuino dixit: Fames me ingens & ſitis habet. Cui ille: At ego, nisì celeriùs bibero, cuctigiò moriar. Conſtituerunt itaque ad quendam riuulum, quem in vicino nouerant, deſcẽdere, vt ex eo bibere, & circa ripas eius cibum ſumere deberent. Sed vbì eò ventum eſt, nihil aquæ penitùs inuenerunt: quippe eis, in quibus malitiæ vis exarſerat, aqua riuuli nutu creatoris aruërat. Miſerunt deindè manus, vt ex ſacculis eſcas, quas à viro ſancto datas meminerant, ſumerent: ſed & ipſi vacui ſunt reperti. Et rectè qui charitate, quæ bonorum omnium eſt plenitudo, vacui erant; vacua inuenerunt vaſa, in quibus alimenta à viro charitate pleno perceperant. His perturbati, cùm nec culpam ſuam plenè cognoſcerent, & quid circa ſe ageretur mirantes, iter in equis agerent, eouſquè excreuit laſſitudo eorum, vt Albiuuinus de equo velut exanimis caderet, & Adaluuinus ad virum Dei ſe conferens, magnis precibus, vt ſuî & collegæ miſereretur, expoſceret.

Cap.8. Prouer.25. Rom.12. Matth.5. 1.Iohan.3. Tum ille, qui legiſſet, Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius: & Dominum præcipientem attenderet, Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: ei, qui ſe rogabat, reſpondit: Fili, recordari oportet, quia Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Proindè hodiè cùm me vobis pro amore Chriſti cibum offerentem, & ipſum percipientem vidiſtis, non debueratis charitatis officium recuſare. Nunc autem ad correctionem veſtram operatur hæc Deus, vt eius admonitione correcti; diſcatis charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, amplecti. Dum hæc loquerentur, conſpicit eminùs tres ceruas ingentis formæ, tanquàm ſuo numero Trinitatis myſterium præſignantes. Inuocata mox Trinitatis virtute, ceruas conſiſtere, quoàd vellet ipſe, præcepit. Illis confeſtim obedientibus, & bruto licèt ſenſu nomini diuino cedentibus, ac tacitè hominum durítiam & inobedientiam accuſantibus, vaſculum accepit, & ad ceruas perueniens, earum vbera mulſit. Tum eas abire permittens, lacte quod mulſerat, illorum, qui vt exanimes iacebant, membra pertractauit, ſtatimque eos priſtinæ virtuti & incolumitati reſtituit. Præcepit deindè, vt ad riuulum reuerſi aquam haurirent, ac de ſacculis cibos accipientes, ieiuna corpora releuarent. Sic factum eſt, vt qui priùs propter offenſam viri ſancti vacua vaſa & arentem riuum inuenerant, eius poſtmodùm venia impetrata, & in riuo aquam ſufficientem, & in vaſculis ſuis eſcas, quas poſuerant, reperirent. Eis ergò manducantibus, & quæ erga ſe ipſos geſta viderant, mirantibus atque ſtupẽtibus, cœpit beatus Goar exquirere, quid cauſæ eſſet, quòd eum ad ſe Epiſcopus euocandum putâſſet: ſibi mirum videri, quid negocij ſecum pontifex h[illegible]ere velit: Nam nos, inquiens, obedientiam prælatis exhibere debemus: nec ſi[illegible]uſa eſt, quod diuina circa nos potentia per feras hodiè monſtrare dignata eſt [illegible]t oſtenderet, quam gereret ſeruorum ſuorum curam, & quàm non deſerat in ſe ſperantes: quoniam potens eſt Dominus parare menſam in deſerto: & quàm magnificata ſunt opera tua Domine?

Ceruas iubet ſtare, & earum lacte moribũdos ſanat.

Obedientia prælatis exhibenda.

Pſal.103.

Cap.9. Hîc illi timore & metu depreſſi, nihil reſpondere, ſed putare repentè ſe interituros, quòd in ſeruo Chriſti tantam cernerent virtutis efficaciam, quem eſſent auſi aliquatenùs contriſtare. Iter poſt hæc agentes, multa die Treuiros peruenerunt. Quò vt ventum eſt, vir ſanctus, vt illi perpetui moris erat, eccleſiam eſt ingreſſus, vtì ſe & cauſam ſuam Domino cõmendaret. Qui autem illum deduxerant ad Epiſcopum, quantocyùs venientes, cuncta, quæ in itinere contigiſſent, quæque in Dei homine conſpexiſſent, ex ordine retulerunt. Ille cùm debuerit in admirationem diuinorum operum conuerti, & Deum in ſancto eius laudare, in furorem accenſus, cœpit ſibi adſtantibus dicere, ea quæ Goar egerit, non tam ope diuina, quàm magica arte & maleficijs ab eo eſſe patrata: nec in illo aliquod veræ virtutis indicium poſſe exiſtere, qui carni & ventri ſubditus, manè comedat ac bibat, & ieiunij inediæque ſit impatiens, cùm antiqui ſancti & iuſti per ieiunium & abſtinentiam & eleemoſynas Deo placuerint. Hæc ità iactabantur, tanquàm ſola abſtinentia quis aliquandò, & non charitate, ſynceroque in Deum amore, ſanctus extiterit. Dum hæc apud Epiſcopum geruntur, præſente Clero eccleſiæ, venerabilis ſacerdos domum, in qua cum ſuis Ruſticus Epiſcopus conſederat, ingreſſus eſt, cœpitque proſpicere, quam in partem vel diſcipulus,

Calumnia Epiſcopi in ſanctũ virũ.

pulus, quo comite venerat, conſedere, vel ipſe cucullam ſuam poſſet appendere: cùm eccè videt in angulo domûs tanquàm veſtem ligneum parieti hærentem. Erat autem Solis radius, per modicam feneſtram ingrediens: ad quem accedens, quoniam, vt dictum eſt, veſtem putabat, in eo cappam ſuam appendit, iuxtaq; diſcipulum ſtare præcepit. Neque mirandum eſt, Solis radium, ad obſequium viri ſancti, ligni duritiam præbuiſſe, cùm qui creatori deuotè famulatur, ei ſit etiam creatura ex creatoris voluntate ſubiecta. Ad Solis radiũ ſuſpendit cucullã ſuam.

Cap.10. Hoc dum Epiſcopus cerneret, quærere cœpit quid ſibi vellet, quòd ad Solis radium veſtem ſuam Goar appenderet: non eſſe id diuini miraculi, quòd homo infirmus tanta præſumat: magis illum hæc iactantia & præſtigijs artis magicæ, quàm virtutis merito facere. Proindè accederet propiùs, & rationem ſuorum operum redderet: ſibi mirum videri, quòd in quo nulla ſit excellentia ſanctitatis, feras mulgeat, & Solis radio pro ligno vtatur. Hæc dum ex viro ſancto quæruntur, & in ſimplicem puramque hominis Dei conſcientiam calumniæ inſtruuntur, ſanctus, qui ſibi benè eſſet conſcius, nihil vnquàm ſe malarum artium didiciſſe, ſimpliciter reſpondit, dicens: Deus iudex iuſtus, fortis, longanimis, ſcrutator cordium & ſecretorum inſpector nouit, me nihil prorsùs artis magicæ aut ſciſſe aliquandò, aut ſcire, neque parti aduerſæ in aliquo velle præbere conſenſum. Feras autem mulſi, non vllis incantationibus, quarum nullam omninò ſcio: ſed quod ad ſalutem eorum, qui me comitabantur, pietas mihi diuina conceſſit & ordinauit, impleui. Neque veſtem meam de Solis, vt dicitur, radio pendére ſcio, ſed de fuſte roboreo. Quòd autem manè comedere dicor & bibere, videat qui inſpicit omnia, & iudicet, gulæ vitio aliquandò, an charitatis officio id egerim. Vir ſanctus ſecretorum inſpectorẽ teſtẽ inuocat Deum.

Cap.11. Hæc illo dicente, ſuperuenit puer quidam ex Clericis Eccleſię, nomine Leobigius, in vlnis infantulum geſtans, qui ab hora natiuitatis tres tantùm noctes implêſſe putabatur, & cuius qui eſſent parentes, ignorabatur. Moris quippe tunc Treuirorum erat, vt cùm caſu quælibet fœmina infantem peperiſſet, cuius nollet ſciri parentes, aut certè quem præinopia rei familiaris nequaquàm nutrire ſufficeret, ortum paruulum in quadam marmorea concha, quæ ad hocipſum ſtatuta erat, exponeret. Quæ etiam concha, in monaſterio Prumia dono Pipini clariſſimi regis aquæductui mancipata, fratribus aquam coram refectorio multo tempore præbuit: ſed nunc in veſtiario poſita habetur, in qua ſoli preſbyteri ac diaconi ante & poſt Miſſas tantùm manus lauare præſumunt. Hæc igitur, vt dictum eſt, ad hoc poſita erat, vt in ea cùm expoſitus infans reperiretur, exiſteret aliquis, qui eum prouocatus miſeratione ſuſciperet & enutriret. Si quandò igitur id contigiſſet, cuſtodes vel matricularij Eccleſiæ puerum accipientes, quærebant in populo, ſi quis fortè eum ſuſcipere nutriendum, & pro ſuo deincèps habere vellet. Vbì verò ad eam rem offerret ſe aliquis, infans, qui eſſet expoſitus, Epiſcopo deferebatur, & eius priuilegio authoritas nutriendi habendique paruuli ei, qui à matricularijs ſuſceperat, firmabatur. Id igitur tunc accidit, & infans in concha repertus, à clerico ſupraſcripto in præſentiam eſt Epiſcopi Eccleſiæque delatus. Quo viſo, Epiſcopus ad ſuos conuerſus, Nunc, inquit, probare facilè poterimus, Goaris opera ex Deo ſint, an ex aduerſario. Manifeſtet nunc nobis, qui ſint huius, qui illatus eſt, pueri parentes, & ſi diuina virtute nititur, vt contra naturæ vſum infans trium dierum loquatur, ſuorumque parentum nomina índicet, faciat. Expoſititij infantes iã olim apud Treuiros vt tractati.

Cap.12. Arctatur hac vir Domini conditione, imperatur ei ab Epiſcopo, vt ad demonſtrandam ſuorum actuum innocentiam & ſimplicis animi ſanctitatem, hoc miraculi opus exhibeat: debere illum tale aliquid agere, quo ad audiendum illum imitandumque, dubitantium animus roboretur. Qui ſi hoc agere vel nolit, vel minimè poſſit, futurum continuò, vt neque præteritis eius actibus, neque ei, quam de ſe ferat, innocentiæ puritatique credatur, & quæ egiſſet eatenùs, eſſent maleficijs penitùs adſcribenda: quarè & in eum capitalis animaduerſio, vt in magum & maleficum, fieret. Tunc vir beatiſſimus contriſtari vehementer & affligi cœpit, quòd talia ei à ſuo pontifice mandarentur, in quibus & attentandis videretur eſſe nonnulla præſumptio, & recuſandis difficilima neceſſitudo: ſibi ſemper conſcientiam propriam & ſuperni iudicij teſtimonium ſuffeciſſe: non oportere talia imperari: non hæc ſua, qui ſe ſciret peccatorem, ſed ſanctorum eſſe miracula. Quoniam tamen Epiſcopi præceptis reſiſtere non valebat, ſimul & nè eorum, qui ſe audire ſoliti eſſent, conſcientia infirma Iniuſta Epiſcopi in virum Dei lata ſentẽtia.

ma in suî æstimatione falleretur, metuere potuerat, ad preces conuersus, & Deo suppliciter manus extendens, ait: Christe, qui temetipsum pro redemptione hominum exinanîsti, & formam es serui dignatus accipere: fac mecum quanuis indigno, tamen clientulo tuo misericordiam, & virtutis tuæ in hac necessitate potentiam ostende, vt cognoscat præsens Episcopus & plebs eius, quia te diligo, te adoro, tibi non fictè seruire desidero, creator omnium & redemptor.

Cap. 13. His dictis, ad baiulum infantis accessit, quæsiuitque quot noctes infans idem ab ortu implêsset. Cùm tres illum iam à natiuitate noctes habere dixisset, vir Domini subiunxit: Trinitas sancta, te inuoco, atque te infans in nomine Trinitatis adiuro, vt genitores tuos nominatim & clarè designes. Tunc infans protenta manu ad Episcopum, absolutissimo sermone respondit: Iste est pater meus Rusticus Episcopus, & mater mea Flauia nuncupatur. Sic iustissimo Dei iudicio, dum in seruũ Domini idem Episcopus calumnias molitur, & opera, quæ debuerat admirari, maligno fraudis commento nititur obfuscare, quæ essent eius facta, qualisque in secretis suis existeret, qui palàm de alijs iudicaret, manifestè innotuit cunctis. Itaque vbi proditum se vidit Episcopus, & quæ celari posse crediderat, omnibus reuelata conspexit, confusus ad beati viri pedes prócidit, indubitanter tum se agnoscere dicens, sanctum & Deo acceptum esse Goarem, cuius virtute, immò diuina pro eo vltione, crimen, quod nullum præter se & eam, cui illicitè fuisset admixtus, vnumque puerulum suum scire aut sciturum aliquandò putauerat, per innocentem tunc & necdùm ex vsu loquentem infantulum cerneret patefactum. Vir autem sanctus rem gestam perpendens, stabat stupefactus & hærens, atque ex imo cordis suspiria grauissima ducens: & versus ad Episcopum, plangere cœpit, quòd per se videretur pontifex publicatus fuisse, dicens meliorem spontaneam secretamque confessionem: oportuisse eum, antequàm publicè notaretur, conscientiæ reatum emendatione voluntaria & satisfactione congruâ tergere, & veram fixamque esse sententiam, Nihil opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur. Proindè suadere se, vti consilijs salubribus acquiescens, suscipiat pro reatu proprio duram prolixamque pœnitentiam ex iudicio sacerdotum, & talem, quæ non verbis solummodò constet, sed ex mentis secreto procedat, verisque lachrymarum gemitibus atque contritione spiritûs Deo, qui vitam cunctorum desideret, satisfaciat, laboretque intentè, quemadmodùm diabolo, cui, commisso tanto scelere, lucrum de se & lætitiam fecerit, tristitiam & confusionem acta condignè pœnitentia faciat: non esse cuiquam, nedùm ipsi, de venia desperandum, quandò ipse Dominus per prophetam clamet: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. &, In quacunque die peccator conuersus fuerit, omnium iniquitatum eius obliuiscar. & per se in Euangelio dicat: Non véni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Cumque ad dimittendũ superna clementia sit parata, oportere homines esse ad pœnitendum promptissimos. Se verò eo in illum esse animo, vt iuxta virium mediocritatem, pro peccato eius septem annis pœnitentiam suscipere & consummare velit, assiduisque precibus & lamentis Deum pro illo cupiat exorare: quanquàm non ignoret futuros plures bonos & meliores viros, qui eius lapsum plangere, & suis orationibus studeant subleuaue, iuxta illud Apostoli Iacobi: Orate pro inuicèm, vt saluemini. His verbis & similibus ad pœnitentiã & satisfactionem Episcopum exhortatus est, & charitate, qua erga cunctos feruebat, illius casui compatiens, veniam ei à Domino postulabat, memor sententiæ Apostolicæ, Quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.

Cap. 14. Hæc pôsteaquàm ità gesta sunt, fama horum ad regem Sigebertum velocissimè peruenit, statimque suos ad beatũ Goarem dirigens legatos, eum ad se accersiendum curauit: moxque vt apud se esse cognonit, accitum interrogat super his, quorum ad se esset fama delata, de legatis scilicet Episcopi, & feris, quas mulserat, Episcopo quoquè ipso & infante, qui præter tempus esset locutus ætatis. Ad hæc cùm ille nihil omninò respõderet, nè quid de se pasim iactare videretur, commotus rex, per obedientiam, quam ipse vir Dei regibus principibusque & sacerdotibus debeat, præcipit, vt super quibus interrogaretur, per ordinẽ aperiret. Tum demùm necessitate compulsus, ex percontante rege quærit, quæ sint, quæ à se velit audire. Cùm ille de legatis & feris atque Episcopo se quærere respondisset, sanctus vir petijt, vt ipse rex, quemadmodùm res gestas audîsset, ediceret. Et vt hoc à rege factum est, & per ordinem, vt rerum gestarum fides ad se peruenisset, explicitum, beatus Goar subiunxit: Obedientiam

Iusto Dei iudicio Episcopus ostẽditur parẽs infantis expositicij.

Matth. 10.

Pœnitentia qualis suscipienda pro peccatis.

Ezech. 18.

Matth. 9.

Iacob. 5.

Ibidem.

Non vult prodere suas virtutes corã rege.

tiam negligere non debeo, nihil tamen aliud ex me audies, quàm quod ipse dixisti. Nam alijs sic videtur factum, quemadmodùm tibi relatum est. Tum rex admiratione repletus, cœpit palàm omnibus enarrare, quæ ipse de viri sancti actibus agnouisset. Cumque hæc prosequeretur, vniuersi cœperunt acclamare, dignũ esse Goarem, qui, expulso Rustico, Treuirorum Episcopus fieret: non id actum sine ordinatione diuina: debere præesse Ecclesiæ eum, qui signis & virtutibus vitæque meritis pastoralis officij dignitatem posset in omnibus adornare. Rex etiam læto & alacri animo acclamantium voces cupiebat implere. Itaque cum fauore eorum, qui aderant, sacerdotum & primorum palatij præcepit, vti episcopatum iam dictæ Ecclesiæ Goar acciperet. Ille verò, qui non sua quæreret, sed quæ aliorum, & qui illud viri sapientis seruare sciret, Quanto magnus es, humilia te in omnibus. & illud Dominicum: Cùm omnia feceritis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus: mœrere & contristari, regisque imperium grauiter ferre, meliusque dicere sibi esse mori, quàm Episcopi viuentis sedem arripere: debere regem in sacerdote diuinam considerare sententiam, qua dicitur: Non est discipulus supra magistrum, neque seruus maior domino suo. Et si patremfamiliâs Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Non esse Episcopo negandum pœnitentiæ locum: omnium in cælis regem esse, qui de singulis iudicet, à quo vt velit ipse rex sibi peccata dimitti, sic debeat Rusticum permittere, vt ex illo suorum actuum veniam sedulus expetat: non tam esse facilè deijciendum officio sacerdotem, quandò omnes mortales fragiles simus, & ad peccandum ex carnis infirmitate procliues. Ad hæc quæ visa sunt, rex respondit: exitus tamen orationis fuit, se neque Episcopo denegare pœnitentiam, & consilijs eius, per quem talia sint patrata miracula, velle in omnibus obedire: neque tamen posse sacerdotum sententiæ & iudicio populi contraire, quin ipsum, vt petatur, ad episcopatum faciat promoueri.

Sigebertus Rex ei Episcopatum offert Treuerensem.

Eccl. 3. Luc. 17.

Recusat Episcopatum.

Matth. 10.

Cap. 15. Tunc vir sanctissimus vbi obstinatè sibi regẽ vidit obsistere, humiliter eum & cum lachrymis petijt, vt copiam sibi eundi ad cellulam propriam faceret, vti secum aliquandiù liberiùs tractare, & sic demùm illi, quod videretur congruum, respondere valeret. Id continuò rege permittente, & vt post viginti dies ad se Mediomatricum vrbem, quæ nunc Metis vocatur, rediret, præcipiente, recessit ad cellulam, aliud sine dubio interìm agere disponens, quô posset regis declinare propositum. Vt ergò peruenit ad cellam, sese in orationem prosternens, Dominum cœpit intentè & cum gemitu deprecari, vt se à tanto onere curæ pastoralis misericorditer dignaretur eripere: sufficere sibi, vt secretò & in abditis conscientiæ ipsi diebus vitæ suæ seruiret, nec se posse onus, quod rex vellet imponere, sustinere. Cumque in his precibus persistens, semetipsum affligeret, ex voluntate Dei febre valida correptus, ægrotare cœpit, & longo corporis incommodo fatigari. Quid plura? Sic res accidit, & eum habuit exitum, vt quem post viginti dierũ excursum visurum se rex æstimauerat, nec in septem annorum spatio videret: atque eo modo circa famulum suum diuina prouidentia egit, vt & instantiam regis ad episcopatũ se cupientis promouere declinaret, & quod Episcopo pollicitus fuerat, septem scilicet annorum pro eo supplicationem, licèt in infirmitate positus, adimpleret. Nam cùm omni vitæ suæ tempore, tum maximè illis septem annis orationi vacauit, orans, sicut Apostolus præcipit, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in sublimitate erant, vt quietam & tranquillam vitam agerent, in omni pietate & castitate.

Obtinet à Deo, nè possit creari Episcopus.

1. Tim. 2.

Cap. 16. Ijsdem autem annis septem exactis, sine cessatione lachrymas fundebat, & assiduè Dominum precabatur, memor eius sententiæ, quoniam qui seminant in lachrymis, in gaudio metent: & sciens finem vitæ suæ non multùm abesse, cupiebat dissolui & esse cum Christo. Itaque postquàm annorum septem spatium euolutum erat, Sigeberto regi in mentem venit, quid super sancto Goare tam sibi, quàm populo & proceribus palatij placuisset, atque euestigiò legatis ad illum missis orat, vti ad se venire debeat. Sed vir Dei spiritu plenus, qui sciret dissolutionem sibi corporis imminere, legatis prophetica voce respondit: Dicite, ô filioli, domino vestro, quoniam faciem meam non est in præsenti vita visurus, nisi fortè velit ad cellulam nostram ipse venire: quoniam infirmitate grauissima comprehẽsus, nusquàm progredi valeo: quanquàm hæc diuinæ pietatis flagella longè sunt meis meritis leuiora. Hęc cùm legati ad regem responsa pertulissent, contristatus ille dicere cœpit, non esse se dignum talem habere doctorem, neq; plebem, quæ tantum mereretur possidere pontificem. Misit tamem

Psal. 125.

adhuc alios, per quos petijt obnixè, vt neque ad præsentiam suam vir sanctus fatigari dignaretur, neque se desideranti magnoperè principi denegaret. Qui vt venerunt, seruum Christi multo validiùs febre laborantem & prolixiùs ægrotantem, atque in Dei laudibus iugiter persistentem inuenerunt. Quibus apud se positis vir sanctissimus ait: Nolite, ô filioli, aut vosipsos, aut regem vestrum vlteriùs fatigare: quoniam certum habeo, & ità ex pietate superna confido, me neque extra spatium loci istius ampliùs egressurum, neque vllam euectionẽ aliam, quàm ad sepulturam propriam subiturum. Ità in proposito permanens fixus, in Dei laudibus & oratione durabat. Tum illi, qui missi ad eum venerant, quid sibi per ipsos ab rege vellet impetrari, percontabantur: quibus ille respondit: Petitio mea sola hæc est, vt si ei placet, de hoc loco amplificationem meritorum & causam retributionis æternæ sibi in regno cælorum acquirat, & cùm extremus mihi in hac vita dies & debitus finis aduenerit, authoritate sua & imperio ad me Agrippinum & Eusebium sacerdotes venire faciat, qui meum corpusculum debeant sepulturæ mandare.

Cap. 17.

Sigeberti regis erga illum amor.

Hoc accepto responso, ad regem, qui missi fuerant, reuertuntur, verba sacerdotis & preces ex ordine referentes. Ea rex vt cognouit, grauiter commotus ingemuit, faciesque eius immutata est, quoniam tantũ virum citò amissurum se videbat: moxque suprascriptos ad se sacerdotes accersiens, pro voluntate viri sancti eos proficisci ad cellam illius iubet, mandans vt quæ ille præciperet, cum omni diligentia & studio adimplerent. Itaque post illos, quos memorauimus suprà, septem annos triennio & tribus mensibus in infirmitate & Dei laudibus exactis, vir beatissimus plenus dierum & operibus bonis actibusque iustitiæ consummatus, positis coràm supradictis sacerdotibus, & compluribus alijs bonis & honestis hominibus, in cellula sua, in qua multos annos Deo seruiens egerat, decessit pridiè Nonas Iulij, relinquens corpore seculum, cuius voluptates & desideria olìm pro amore patriæ supernæ reliquerat, & ad eum, quem incessanter concupiĕrat, regem Christum, felicitatemque cælestis vitæ perueniens, futurus ibi sine fine possessor æternorum bonorum, qui hìc bona, quæ putantur, præsentis temporis, cùm potuerit, noluit possidere: & habiturus cum Christo domum non manufactam, æternam in cælis, cui in suis membris domum suam pauperem & terrenam fecerat frequenter hospitium. Eius iam exanime corpus Agrippinus & Eusebius alijque, qui aderant, sacerdotes & nobiles viri, cum summo honore & reuerentia curauerunt, atque in eodem loco & Ecclesia, quam ipse construxerat, sepulturæ mandârunt.

Decedit è vita.

Authoris conclusio.

Hæc habui de vita sancti viri Goaris, quæ scripturæ mandarem, accepta ex vetustis & perantiquis exemplaribus. Quorum in rerum gestarum narratione veritatem fide integra subsequẽs, solam sermonis, quæ eruditos non parùm offendere poterat, simplicitatem pro vestra voluntate, vir clarissime paterque venerande, corrigere studui: optans & meipsum & omnes, qui hæc lecturi sunt, tanti viri intercessione & meritis apud diuinam semper adiuuari clementiam: vt qui ex infirmitate carnis humanę & conditione mortalis vitæ multa quotidiè contra leges diuinas agimus, eius, qui quoàd vixit, integrè legi Christi seruiuit, interuentu & peccatorum pondere subleuari, & ad benè viuendum merear adiuuari, præstante Domino nostro Iesu Christo.

LIBER SECVNDVS, DE TRANSLATIONE ET MIRACVLIS SANCTI GOARIS, EODEM *Vuandelberto Authore.*

Cap. 1.

EXPLICATIS iam, quæ de vita & actibus beati Goaris scripturæ à Maioribus vtcunquè mandata reperi, queque hortatu vestro, Pater in omnibus amplectande, vt potui, corrigere studui, aggredien dum mihi nouum opus video: vt quemadmodùm in prioris libelli Præfatione promisi, ea quæ de miraculis, apud sacratissimam memoriam supradicti Confessoris diuinitùs gestis, à fidelibus didici, memoriæ posterorum scribendo proponere debeam: quippe qui tam clara ea esse peruideam, vt quod hactenùs præter paucissimos, quos eis interesse, vel ab his, qui interfuerint, audîsse contigit, reliquos omninò latuerit, non leui culpæ deputandum crederem, nisì hanc scriptorum excusaret inopia & vsus ille, qui quorundam desidia & torpore subrepsit, quo negligentiùs diuina opera suscipere, & beneficia

neficia nostris concessa temporibus, vt leuia paruipéndere consueuimus. Ego verò in his describendis fidem eorum, qui hæc mihi retulêre, plenissimè subsequens, ea tantummodò comprehendam, quæ vel præsentes se ipsi vidisse, vel ab eis, qui viderint, accepisse confirmant: quanquàm ea quoquè tot sint ac tanta, vt si omnia literis tradere cupiam, modum me videam iusti voluminis excessurum. Vndè æstimare facilè possumus, quanta illa fuerint, quæ per longa retrò temporum spatia geri meritis eius viri & virtute potuerint, cùm in tantam excreuerint quantitatem, quæ ab annis plùs minùs sex & septuaginta gesta, & ad nostram notitiam perlata noscuntur. Neque enim credibile est, sancti viri merita in exhibitione miraculorum nostris primùm diebus cœpisse clarescere, & non etiam priori tempore eadem, quæ nunc conferuntur credentibus & deuotis, per illum beneficia esse collata, tametsi qui ea posteris scripto traderent, defuêre. Id etiam cunctos, in quorum hæc manus venient, scire velim, me in horum assertione non quibuslibet fidem accommodâsse, sed viris fide dignis, & de quorum veraci relatione vosipsi, venerabilis pater, arbiter fueritis, præcipueque Herrado, vestræ congregationis monacho atque presbytero, & Theodado Cellæ S. Goaris clerico, qui & æuo maturiores essent, & à puero circa locum ipsum diuersati fuissent.

Plurima ei⁹ post obitũ miracula.

Cap. 2.

Sed vt ad narrationem veniam, Cella S. Goaris post multos, quàm ipse decesserat, annos, cùm in ea iam & Clerici, qui diuina officia agerent, alendi stipendijs ecclesiæ haberentur, & populi frequẽtia maior in dies excresceret, k religioso Francorum Principe Pipino, patre augustæ memoriæ Imperatoris Caroli, venerabili Assuero, qui tum monasterio Prumiæ, quod tertius nunc ab illo pater optimè regitis, primus præerat, est commissa: vt eius studio & locus melioraretur, & qui in ipso degerent Clerici, in religionis cultu & studio docerentur. Quam ille susceptam omni nisu excolere ac nobilitare desiderans, basilicam supra corpus viri sancti ædificare cœpit, quæ & amplitudine suî populo reficiendo sufficeret, & decore congruentior meritis beati Confessoris existeret. Quippe priùs ibì duæ ecclesiæ, non multo à se spatio distantes, erant: quarum quæ situ minor erat, corpus venerabile in terræ sinu continere credebatur: sed locus ipse sepulcri incertus hominibus erat. Ea in suî integritate relicta, fundamentis per circuitum iactis, hanc, quæ nunc vsque manet, suprascriptus Abbas construxit: nec prior est antè diruta, quàm omne præsentis ædificium compleretur. Quo in tempore rem miram, qui benè nouerunt, prouenisse testantur, quòd donèc est ædificata basilica omnis, nihil aquæ penitùs ex imbribus, tametsi copiosissimis, in omne loci spatium sit delapsum: sed cùm fortè pluuiæ fierent, ad medium Rheni spatium & cacumen montis per circuitum pluia décidens, reliquum, quod intererat, intactum penitùs relinquebat. Ità diuino miraculo palàm fiebat, quàm gratum illud ædificij opus superno respectui foret, cuius instantiam imbres aliquatenùs impedire prohibebantur. Perfecta basilica, vbì iam tempus, quo diuino nomini esset consecranda, successit, missì sunt ab excellentissimo Principe Carolo Lullus, Moguntiæ Archiepiscopus, vir Anglorum gente, moribus & vita laudabilis: Basilius Nemeti, quæ ciuitas nunc Spira vocatur: & Mehingodus vrbis, quæ trans Rhenum sita, sermone barbaro Vuirziburg appellatur, Episcopi, qui omnes à beato Bonifacio pontifice & martyre fuerant ordinati: vt per eos & ecclesia consecrari, & corpus beatissimi viri in eum, quo nunc situm est, locum transferri deberet. Ventum erat ad locum, & consecrata domo, translatio corporis parabatur, aderatque Assuerus Abbas cum monachis nonnullis, & infinitum vulgus vndecunquè confluxerat. Visum est Episcopis triduano priùs ieiunio Domini voluntatem quærendam, & sic ad leuandas reliquias corporis accedendum.

Assuerus, primus Abbas Prumiensis.

Lullus Archiepiscop. Moguntinus.

Cap. 3.

Eo igitur ob omnibus deuotè peracto, Lullus Archiepiscopus in antiqua æde suos fodere præcepit, vtì repertæ reliquiæ venerabiles, leuari transportarique deberent. Sed cùm omne solum eius defossum pertentatumque esset, nec tamen eius, qui quærebatur, thesauri aliquod repertum indicium, turbatus Episcopus, ex Abbate quærit, si in loco aliqui, qui Deo seruirent, Clerici haberentur. Cùm ille sex esse tantummodò respondisset, eos ad se pontifex accitos hortatur, vtì pro inueniendo patroni suî corpore diuinæ misericordiæ supplicarent, alios, qui aderant, in sua propter tempus se recipere mandans, ipse cum Abbate & coëpiscopis ad conuiuandum abscessit. Tum qui remanserant Clerici, solicitè Christum rogare cœperunt, vt vbinàm venerandæ reliquiæ conditæ latérent, reperire valerent. Erat inter alios quidam Madal-

Insigne miraculum.

Orationis merito sanctæ reliquiæ reperiuntur.

bertus nomine clericus, manu dextra greſſúque debilis. Is correpto ligone ſimpliciter: Nunc, inquit, ſi Deus volet, vbì dominus meus ſitus ſit, palàm erit. Confeſtimque extra ſpatium illius antiquæ ædis progreſſus, & non longè ab orientali eius parietе terram ligone percutiens, laterem ictu leuauit. Quo leuato, & modico foramine patefacto, manum debilem adhibuit, & holoſericam veſtem, qua infra ſeptum, lateritio pariete ſtructum, ſarcophagus corporis tegebatur, compræhenſam traxit, moxque manus ante hàc debilis, ſanitati eſt reſtituta.

Nota vim ſanctarum reliquiarũ.

Cap. 4. Itaque feſtinè detecto ſarcophago, & ad rem nouam ſignorum commotione Epiſcopis & populo conuocatis, omnibusque, qui aderant, Deo laudes & gratias referentibus, corpus viri ſancti intrà ſarcophagum in locello plumbeo repertũ eſt: quod ilicò leuatum, atque in feretro compoſitum, ex eo loco ad oratorium beatæ Mariæ, quod ex antiquo in vicino ſitum erat, ſublatum eſt, referendum paulò pòſt, ſpectante populo, in ædis nouæ locum, ei recipiendo paratum. Viſum deindè Epiſcopis eſt, vt quoniam propter anguſtias loci (nam ex altera parte Rheno flumine, ex altera monte altiſſimo cingitur) vulgus omne in vnum coire non poterat, in longum circa radices montis diffunderetur, & ità reliquiæ venerandæ, propter frequentiam & deſiderium multitudinis paulo longiùs exportatæ, per ſuperiorem viam, quæ circa radices montis deducitur, in eccleſiam nouam reuocarentur. Hoc probato conſilio, cùm leuare feretrum Epiſcopi voluiſſent, ità eſt prægrauatum, vt moueri omninò non poſſet. Hinc omnibus ſuſpenſis diutiſſimè & hærentibus, Archiepiſcopus Deo, vt pòſt claruit, inſpiratus, alloquitur plebem, beatum Goarem quoàd vixerit, inanem gloriam mundi plauſuſque hominum & fauores, vt rem fragilem & caducam, amore bonorum perennium contempſiſſe, eaque nihilo minùs eum poſt obitum quoquè contemnere. Proindè oportere corpus ſimpliciter & cum humili deuotione leuatum, ab ipſa eccleſia in nouam domum per illud, quod intererat, ſpatij reportari, neque ad vulgi fauorem longiùs, vt ſtatuerant, circunduci. Vix pontifex verba finiĕrat, & motum continuò feretrum tanta facilitate leuatum eſt, àc ſi oneris aliquid habuiſſet nunquàm, relatæque in ædem nouam per Epiſcopos & Abbatem reliquiæ venerabiles, in eo, quo nunc coluntur, loco cum ſummo honore & reuerentia ſunt conditæ. Denique pallium, quod ſuper ſarcophagum repertum ſuprà diximus, hodieque ſupra altare eccleſiæ incorruptum perſeuerat: ſic per longioris æui tempora veſtis illa integra manet, cuius apud Deum merita ſemper indefecta perdurant. Conſummata in omni opere ſuo baſilica, cœperunt miracula ibì beneficiaque diuina ſubindè cumulari: de quibus hinc aliqua, ſi poſſim, tentabo perſtringere, quid ſub quo geſtum fuerit Abbate, ordine ſeruato, commemorans.

Feretrum moueri non poteſt.

Miraculum de pallio.

Cap. 5. Aſſueri, qui primus cœnobio Prumiæ præfuit, tempore accidit, vt aſſolet, ex terræ ſterilitate minorem in Gallicis regionibus vini copiam prouenisſe. Iamque nouæ vindemiæ tempora propinquabant, & Clericis in Cella viri Dei degentibus vna ſolummodò vini cupa ſupererat. Ea cùm cœpiſſet expendi, & quotidiè cùm ijſdem Clericis, tum hoſpitibus, quorum ibì frequentia non minima ſemper exiſtit, ex ea pocula præberentur, ſpatio nouem ſiue octo dierum tranſacto, cùm vix media eius parte vel tertia vinum contineri putaretur, repentè in ea ad ſummum vſque repertum eſt excreuiſſe, vt ſubiacens quoquè pauimentũ vino excreſcente fuerit madefactum. & meritò, quoniam vir beatus hoſpitalitatem propriè & ſyncerè, quoàd vixit, exercuit, actum eſt, nè vel ipſi ſeruientibus, vel hoſpitibus, qui ſuperuenirent, vndè vinum miniſtraretur, deeſſet. Et vt miraculum ſimile ſubdam, quodam tempore cùm cellerarius loci, nomine Horduuinus, imminente iam noctis quiete, vinum de cupa quadam hauſiſſet, caſu contigit, vt cupæ cuniculum, aliud fortè meditans, infirmè clauderet, & abiret. Cumque ſequenti die regreſſus, ad eandem cupam veniſſet, cuniculum quidem apertum inuénit, & ante illum ductam aranei telam: ſed ità vinum in cupa ſteterat, vt ne vnius quidem guttæ de ea lapſæ indicium in pauimento reperiri valeret.

Vinum in vaſe diuinitùs augetur.

Cuniculũ, pro epiſtomio.

Sanatur claudicans. Per idem tempus cùm ad locum, Vuidonis cuiuſdam de nobilibus ſeruus claudicans adueniſſet, meritis ſancti viri ſanatus, Eccleſiaſtico ſe ſeruitio, permittente ſuo domino, mancipauit, ac non poſt multum temporis preſbyter factus, adhuc, cùm hæc ſcribebantur, in vita ſupererat.

Sub eodem Aſſuero quidam maior regiæ villæ, quæ non longè poſita * Vuaſalia dicitur, Frecholfus nomine, mente captus cùm eſſet, à ſuis ad venerandam memoriam

Itẽ amens.

riam deductus, mentis ſanitatem recepit.

Cap. 6. Vualtharius quidam, homo ſecundùm ſeculum nobilis, qui nuncuſquè ſupereſt, cùm vexationem grauiſſimam pateretur, & indubiè ſpiritu dæmonico ageretur, inſutus corio, ad venerabilem tumulum eſt deportatus. Vbì cùm aliquandiù iacuiſſet, protenſis manibus ſeipſum ſuaq; omnia ſancto Goari magnæ vocis profeſſione ſubiecit, & optimam inſupèr vineam dedit, quæ nuncuſquè in eiuſdem Cellæ poſſeſſione perdurat, continuoq; ea, quam diutiſſimè paſſus fuerat, amentia caruit. Is hodieque, licèt in libertate propria maneat, & interdùm auaritiæ æſtu ſuccenſus, vt à multis incuſatur, aliena quoque diripiat: ſeruum ſe tamen S. Goaris, ab eo ſanatum eſſe, voce liberrima proteſtatur. Eiuſdem Vualtharij patruus, nomine Reginarius, homo licèt nobilis, moribus tamen & actu crudelitati atque auaritiæ ſubditus, cùm locum ſanctum ſperneret, & omnes Romanæ nationis ac linguæ homines ità quodam gentilitio odio execraretur, vt ne videre quidem eorum aliquem æquanimiter vellet, ac ſi quos fortè ex eadem familia compræhendere potuiſſet, crudeliter nonnunquàm afficeret: cumque eodem ſtulto odio & animo barbaro venerabilem Aſſuerum, eiusque nonnullos monachos deteſtaretur, caſu ipſo Abbate in Cella degẽte, per locum coactus eſt itineris neceſſitate tranſire: & cùm iam eccleſiæ propinquâſſet, rogat ſeruum, qui comitabatur, vt ſi poſſet, ea ſe via ducat, qua cõſpectum baſilicę Goaris, Romanorumque hominum, Aſſueri ſcilicet Abbatis & eius comitum, præſentiam valeat declinare. Tanta enim eius animum innata ex feritate barbarica ſtoliditas appræhenderat, vt ne in tranſitu quidem Romanæ linguæ vel gentis homines, & ipſos quoquè bonos viros ac nobiles, libenter adſpicere poſſet. Promittit ſeruus ſe poſſe, quod petebatur, implere. Vt igitur itineris aliquantulum confecerunt, & ad ipſum monaſterij baſilicæque locum peruentum eſt, monet ſeruus dominum, ſi conſpectus eorum, quos horreat, vitare velit, breuiſſimo tempore pallio caput operiat. Ille cùm eueſtigiò quod monebatur implêſſet, & extra loci ſpatium proceſſiſſet: Modò, inquit ſeruus, retrò caue nè reſpicias. nam nõ aliter eorum, quos vt poſſes declinare petiſti, conſpicies neminem. Vix ea ſeruus impleuerat, cõfeſtimque & ſub eodem penè momento prædictum Reginarium ventris apprehendit effuſio: nec magna mora ſecuta, poſt pauciſſimos dies vitam finiuit. Ità qui ſtultiſſimo, immò ſuperbiſſimo animo, loci venerandi virorumque bonorum conſpectus horruerat, iuſto Dei iudicio, & luce mortalibus communiter attributa, & vita caruit.

Itẽm alius.

Miſer interitus Reginarij, S. Goaris ædẽ cõtemnentis.

Cap. 7. Cùm ad feſtiuitatem beati Goaris quodam anno ex monaſterio Prumia Aſſuerus Abbas veniſſet, vnaq; ex monachis nonnulli, accidit vt propter Rheni fluminis inundationẽ piſces, qui Abbati & fratribus poſſent miniſtrari, deeſſent. Cumque iam ipſe ſolennitatis dies illuxiſſet, & ante eccleſiam manè pauci de fratribus reſiderent, Anſegilus quidam bone vitæ, per iocum ait: O beate Goar, eccè quàm bonus es mercedis recompenſator. Nos tibi ſeruímus, & in vigilijs atque pſalmodia, tuæ feſtiuitatis gratia, laboramus: hodiè ne vnum quidem nobis, quo reficiamur, piſciculum præbes. Vix hęc ille verba finiĕrat, & non poſt longum temporis interuallum in vaſis ex vimine ſalicum ad piſcandum paratis, quæ nupèr à piſcatore de quadam arbore in * præripio fluminis ſuſpenſa, excreſcente poſteà flumine, in aqua remãſerant, duo non modici piſces, quos vulgò ſeluros dicimus, reperti ſunt, atque in præſentia fratrũ eo, quo confederant, loco delati. Hoc autem piſce cauſa infirmitatis Abbas non vtebatur. Tum ille, qui & priùs: Pro nobis, inquit, nunc benè egiſti, piſces noſtræ refectioni prouidens: ſed illum ſenem Abbatem tum negligere non debebis. Non enim his ille poterit vti. Hęc monachus, & modico tempore lapſo, cùm à molendino farinã nauicula piſtor deueheret, piſcis, quem lucium vocamus, nauim ſaltu ingreſſus, compræhenſus eſt à piſtore, & in conſeſſu monachorum (necdùm quippe de loco ſurrexerant) expoſitus. Nunc, inquit monachus, munus beate Goar implêſti, cùm & nobis, & ſeni tuo alimenta congrua prouidiſti. Res mira: ludentis potiùs, quàm rogantis, voces tam facilè exauditas. Sed hæc meritis beati confeſſoris non ſunt diſſimilia, quoniam qui in carne viuens, indigentibus ſua pro Chriſto tribuerat, & hoſpitum refectionem gratam ſemper habuerat, meritò poſt obitum quoquè potuit ſibi ſeruientibus talia procurare. Nam quantum apud diuina iudicia meritum habeat virtus hoſpitalitatis, quam vir beatus ſingulariter dum vixit excoluit, quantumque reuerentiæ loco illi, in quo beata eius membra quieſcunt, ſit omni tempore dependendum, teſtantur ea, quæ vel frequentantes illũ diuino beneficio conſequuntur, vel negligentes & aliqua

Piſces duo per miraculum fratribꝰ exhibentur.

Itẽm lucius

Virtꝰ hoſpitalitatis: quanti ſit meriti.

dissimulatione prætereuntes, diuino nihilominùs iudicio patiuntur. Quod ipsum manifestiùs exempla subiecta monstrabunt.

Pœna S. Goaris ædem negligenter trãseuntiũ.

Comes quidam, nomine Heriuuinus, cùm per locum transiens declinâsset, & licèt à suis vt oraret admonitus, pro festinantia itineris distulisset, non longè profectus, de equo cecidit, grauissimoque lapsu contritus, ad ecclesiam suorum manibus reportatur: ibi decumbens, apud memoriam venerandam sanitatis est beneficium assecutus.

Eodem modo Abbatissa nobilis ex vrbe Mediomatricorum Euphemia, cùm iter agens, illuc deuenisset, nec oratum, vt omnes consueuerant, descendisset, paulò pòst de equo cecidit, & fracto crure, quæ sponte noluerat, ad ecclesiam portatur inuita, & sanitatem, quam suo perdiderat, merito beati viri recepit.

Cap. 8.

Neque dissimilis meritorum eius potentia in puniendis monendisque etiam regibus extitit. Nam Carolus excellentissimæ memoriæ Imperator Augustus, à palatio suo, quod in * præripijs Rheni fluminis ab ipso constructum, Ingelheim dicitur, quodam tempore nauigabat, in castellum, quod situm est super confluentem Mosellæ & Rheni, descendere, ibique disponens nocte manere, sequentibus eum in singulis nauibus filijs Carolo atque Pipino. Cumque ad monasterium sancti confessoris Imperator nauigio peruenisset, obuius illi factus Abbas Assuerus, rogat vti ad beatum Goarem exire, & in Cella eius charitatem, vt verbo vsitato loquar, facere debeat. Negat suam præsentiam Imperator, & post se conuersus, manu cognomini filio annuit, vt nauim ad ecclesiam oraturus egrediatur, ipse proposito tetendit itinere. Egresso ad terram Augusti filio, alter eius filius Pipinus, qui post fratrem naui veniebat, putans patris esse nauim, quam litori videret appulsam, egressus & ipse est, fratrique nesciens in ecclesia sociatus. Ibi quòd inter eos graues aliquandiù simultates & inimicitiæ fuerant, inspirante superna clementia, & opitulante confessoris sanctissimi merito, in fraternam concordiam & fœdus amicitiæ coierunt. Cibo deindè potuque sumpto, alacres & læti ad locum suprà nominatum, quem cum patre petere cœperant, omnibus suis incolumibus peruenerunt. Imperator verò, qui filijs egressis, solus cum suis in naui remanserat, cùm ad prædictum locum tendere vellet, coorta repentè densissima nube, & nebulis tenebrosissimis subsecutis, ità in flumine deerrauit, vt neque ipse, neque comitum eius quispiam, sed neque nauis gubernator, quò tenderent, quóve nauim agerent, vllatenùs scire vel videre valerent. Sic per reliquum, quod supererat, diei in pelago fatigati, vix postquàm suam culpam Imperator agnoscere, & beato Goari supplicare cœpit, multa iam die, & ingruente nocte in continentem egressi sunt, tribus tamen aut paulò ampliùs à loco, in quem proposuerat egredi, millibus, vbi & ea manere nocte non sine rerum necessàriarũ inopia compulsus est Imperator: factoque die, publicè testatus est sui esse peccati & meriti, quòd periclitatus in flumine, quòd à commoditate itineris & apparatu regiæ mansionis sit longissimè disparatus: nec frustrà sibi hæc accidisse, sed beatum Goarem pœnas pro contemptu meritas repetisse, seque supplicia expendisse merentem: vouere se & firmissimè polliceri, nunquàm locum viri sanctissimi vlla, quanuis magna, itineris festinantia, si ad eum in vicino veniat, declinaturum, quem tali incommodo sit expertus posse de ijs, qui se negligendum putauerint, expetere quam voluërit vltionem. His votis, ad Cellam viginti libras argenti & pallia holoserica duo misit: nec deincèps omni vita sua, quod vouerat, aliqua ex causa neglexit. Deniquè is, qui tum regiæ nauis gubernator fuit, nuncuspiam superest, reique gestæ indubitabile testimonium perhibet. Nec immeritò regum illi fides & deuotio subiacet, qui pro Christo non solùm magnos & appetibiles, sed omnes penitùs mundi honores & caducas dignitates contempsit, & cùm posset Episcopus fieri, noluit, potiusque in humili statu manere delegit, quàm honorum fascibus prægrauari: quanquàm in Christianis principibus hæc circa seruos Dei affectio tam sit spontanea & deuota, quàm se nouerunt tanto magis Deo gratos fore, quanto qui ad tempus eleuari per tumorem maiestatis regiæ poterant, eligunt seruis Christi humili se mente submittere. Eiusdē principis coniũx Fastrada cùm vehemētissimo dentiũ dolore torqueretur, & ad locũ ob remediũ eius doloris oratũ venisset, cõtinuò vt supplex facta est, incõmodo caruit. Ob quã rem data est ab Imperatore villa, quæ Nasonia nũcupatur, & in iure loci hactenùs retinetur.

Nota quid acciderit Carolo Magno Imperijssimo.

Cella S. Goaris, discordiarum interemptrix.

Pelagus, p flumine.

Nota votũ religiosi & sancti Imperatoris.

Imperatrix dolore dentium liberatur.

Cap. 9.

Per idem tempus accidit Rheni fluminis aquam nimio frigore congelascere, ità vt incessus quoquè quorumlibet animalium & vehiculorum ferre valeret: eratque quidam regiæ villæ colonus, quam suprà Vuasaliam diximus appellari, cuius vinea haud pro-

procùl à monasterio vineis beati Goaris cohærebat, quod &*nunquàm euenit. Hac ille occasione solebat interdùm particulas aliquas earundem præripere vinearum, & suæ fraude humani ingenij sociare. Is cùm die quadam super glaciem fluminis ambularet, & ad eius mediũ propè venisset, repētè in multiplices partes per latissimum fluminis spatium glacies est resoluta, atq; ille glaciei fractæ superincumbens, secundùm flumen ferri tremens & anxius cœpit. Erat res summi periculi & desperationis extremæ, hominem vi fluminis rapidissimi ac latissimi fragmento glaciei tenuissimæ ferri, nec esse remedij quicquam, quoniam illi quemadmodùm humano auxilio subueniri posset, erat omninò nihil. Tum ille, cui euadendi periculum nec spes vlla, nec aliquod consilium supereresset, diuinæ solũmodò misericordiæ supplicare, & beati cœpit Goaris merita in suî liberationem exposcere, magnisq; vocibus veniam & auxilium flagitare. Ad vltimum cùm salutem penitùs desperâsset, eductam manicam de manu proiecit, respiciensq; basilicam, vineã suam sancti viri dominio tradidit. Nec mora, acta virtute diuina glacies, instàr nauiculæ ad litus euexit hominem, & incolumem exposuit: qui mox vineam, de qua diximus suprà, ecclesiæ mancipauit, in cuius nunc etiam iure perseuerat. Sic beati confessoris meritum hominẽ & pro culpa, quemadmodùm oportuit, castigauit, & anxium de periculo mirabiliter eripuit.

*for. nunc-usquè Nota pœnã sacrilegi.

Manica pro chirotheca. Insigne miraculum.

Isnardus fisci regij procurator, cùm iniquè multa contra familiã beati Goaris ageret, visitatus ab illo per somnium est, & post increpationẽ seueriss imè cæsus, ità vt die postero gressu non valens incedere, naui ad ecclesiam duceretur. Vbi aliquandiù decubans, integram sanitatem, excepto genitalium pondere, meruit: quæ etiam infirmitas indubitāter causa salutis illi relicta cognoscitur. Hæc inter alia, quæ compendij causa suppressi, temporibus Assueri Abbatis diuina in loco virtute & confessoris beati merito prouenerunt. Diebus verò Tancradi, qui Assuero feliciter ex hac vita subtracto in regimine monasterij Prumiæ, simulq; Cellæ S. Goaris successit, hæc, quæ superna misericordia tribuente subijcere cupio, contigerunt: quę & illi, quibus referentibus horum notitiam attigi, maxima ex parte coràm positi adspexerunt.

Cap. 10.

Tãcradus 2. Abbas Prumien.

Accidit aliquandò ex pluuiarum copia subitò riuulũ, quem Vuocaram nominari in libello priori diximus, adeò exundâsse, vt in magnam molẽ exurgens, obuia quæq; non sine periculo & damno multorum ẽruerit: quippe cùm exundare primò cœpisset, incertum quo obstaculo à cursu suo prohibitus, descendentibus ex concauitate montium aquis, intantùm excreuit, vt ad vltimum ruptis obicibus profluens, etiam grandes & firmissimas domos à fundamẽtis erutas, in Rhenum vi sua deiecerit. Quo in tempore res miraculo digna prouenit. Nam in quadam earum, quæ erutæ sunt, domorum turricula, de qua signa pendérent, stabat extructa, quæ nuncusq; tecto ecclesiæ superposita manet: quæ cùm multo infirmioris esset structuræ, quàm domus ipsa, in qua parabatur, & aquis superuenientibus ad medium fermè cursûs impetum esset obuia facta, penitùs tamen illæsa durauit. Quodq; maioris miraculi fuit, domus, in qua stabat, integris compactisq; inter se parietibus eruta, neq; secum illam trahere potuit, & qua eam suî apertura & solutione transierit, nullus hominum deincèps scire vel deprehendere valuit. Deniq; postquàm agmen illud aquarum præterijt, in imo eius turriculæ duæ cum oleo ampullæ repertæ sunt, quas quis hominum posuerit, vel vndè prouisæ sint, nuncusquè nescitur.

Signa, pro campanis.

Magnũ miraculum.

Cap. 11.

Mulier quædam de natione Scotorum, nomine Brigida, debilis gressu, à parẽtibus suis & ciuibus, ab Vrbe redeuntibus, ægra ibi relicta est: & cùm aliquantulum ibi tempus transegisset, sub die solennitatis annuæ, adstante plebis multitudine, sanata est & erecta.

Cæcę & mutæ sanatio.

Item Hadelbodi cuiusdam noti hominis ancilla, quæ & cæca esset & muta, ad memoriam venerandam, populo teste, sanata est. Sed cùm his agnitis dominus, qui infirmam miserat, ad suum seruitium iam incolumem reuocâsset, mox in illam prior debilitas redijt. Coactus itaque euidenti miraculo eius dominus, manumissam ad locum reuerti fecit. Nec multo pòst sanitas, quæ collata antè fuerat, sed temeritate hominis præpedita, correcto domino, ancillæ est restituta, quæ & reliquum vitæ suæ in eodem loco peregit. Deniquè adhuc ibi soror eius degit, & certissima rei gestæ testis assistit.

Item alterius cæcæ.

Per idem tempus & alia mulier cæca sub Abbatis Tancradi præsentia visum recepit, pluresque ibi posteà vixit annos.

Quodam item tempore, prę sente eodem Abbate cum populo, quędam ex ancillis

Cæcus & mutus puer curatur.

monasterij filium paruulum, qui ab ortu cæcus manebat & mutus, ad ecclesiã deportauit. Quam vt est puer ingressus, continuò cum matre loqui, & basilicę picturas ci digito cœpit ostendere. Mirata mater rem, sed propter repentinum euentum insperati miraculi non est ausa publicè, quod viderat, cõfiteri. Quæ mox vt est domum regressa cum paruulo, confestim in illum debilitas pristina redijt, vt palàm fieret, nõ debuisse matrem, quod diuino sibi beneficio collatum esset, silentio premere. Itaq; causam illam pertractans, culpamq; intelligens, arreptum festinè filium ad ecclesiam retulit, & rem omnem, vt se haberet, Abbati & populo patefecit. Nec dilatum est diù beneficium, cui ad horam fuerat impedimento timiditas matris: sed vt illa finem narrandi fecit, incolumitatem ilicò puer obtinuit.

Item clauda.

Ex vrbe Mogũtiaca ad festiuitatem beati Goaris mulier clauda, posito coràm Abbate Tancrado, venit, & cùm in vigiliarum die vespertini psalmi à Clero complerentur, sanata est.

Cap. 12.

Sed vt ea nunc quoq; commemorem, quibus palàm fiat, qui beati viri meritum & reuerentiam contemnere aliquatenùs præsumpserunt, quemadmodùm vel emendati sint, vel puniti, quodam tempore cùm per Rhenum flumẽ quidam figuli ollas precio distrahendas in naucula veherẽt, accidit vnà cum illis fœminam quandam fidelem cum paruulo filio aduerso flumine nauigare. Cumq; ad monasterium ventũ esset, rogat mulier comites, vti aut omnes oratum in ecclesiam pergãt, aut si id nolint, appulsa litori naucula, se in continentem exponant, paulumq; in loco certo sustineant, donèc possit ipsa ab oratione reuerti. Egressa igitur sola, pergit oratum, relicto in naui cum comitibus filio admodùm paruulo. Illi deducta in locum superiorẽ naui, cùm eam aliquandiù sustinuissent, moras eius non ferentes, abducta naui, iter propositum persequuntur. Sed vltio diuina mox consecuta est, qua manifestũ fieret, nõ debuisse illos vel abeunte illa opportunitatem orandi negligere, vel fidẽ sustinendi moras eius præsertim breues contemnere. Nam cùm aduerso flumine nauim agentes, contra eum locum veniissent, vbi ex latentium sub aqua saxorũ voragine & vndarum collisione rapidissima, grauia sæpè nauigantes discrimina patiũtur, qui locus in flumine ab ecclesia beati Goaris passibus ferè centum, aut paulò longiùs abest, rapta submersaq; naucula periêrunt. Sed inutilis esse nõ potuit deuotæ mulieris oratio, cuius etsì comites aqua submersit, filium tamen diuina virtute saluatum, & merito sancti protectum nequaquàm perdere valuit. Quippe illa vt ab oratione rediẽs ollas super aquam ferri conspexit, intellexit quod erat, sociosq; nauimq; periisse, solicitaq; pro filio, quem vnà perditum suspicabatur, oculos cum fletu maximo hac illacq; circuntulit: sed repẽtè videt vndarum dorso sublatum paruulum, ripæ fluminis propinquare. Tantaque fuit miraculi claritas, vt infantem mater excipiens, inuenerit eum à medio corpusculi aquæ superextantem litora attigisse: quod nec virorum quidem vllus aliquandò natandi peritia & viribus corporis potuit obtinere.

Vorago Rheni apud S. Goarem.

En quid possint Sanctorum patrocinia.

Cap. 13.

In dissimili causa nõ dissimile miraculum sub eodẽ tempore extitit, quod propter similitudinem rei gestę, præcedenti subiunxi. Mater cuiusdam infantis ferè quinquennis cum eo, qui ipsum infantem de sacro fonte susceperat, naui circa ripas tracta, per fluuium asscẽdebat, puerumq; equo superpositum (id enim ex matre & patrino puer ipse petierat) iuxtà in litore parens vterque fecerat ambulare. Tum equus vt sine rectore liber, nauigantes præteriens, sponte se in flumen dedit cum puero, nec reuocari ab aliquo potuit. Cumq; saluti infantis omnes timerent, quippe quem in rapidissimum altissimumq; fluuium ac latissimum equo, quem retinere nequiret, ferri conspicerent, & S. Goaris suffragium magnis precibus postularent, equus cum incolumi puero tranato flumine, in vlteriorem ripam exiuit. Quæ res vtiquè magno miraculo prouenit, vt & equus sine rectore tantum flumen, loco præsertim propter saxa difficilimo & periculoso transiret, & infans, qui nec in arido quidem equo sedere nõsset, sine periculo vllo euaderet.

Præclarum sanè miraculum.

Pœna sacrilegi.

Sed vt propositum persequar, Vuilligeldus quidam, qui nuncusquè supereſt, cùm vineam à matre datam, de iure & possessione ecclesiæ S. Goaris subtraxisset, sæuo dæmoni est mancipatus, diuquè vexatus ab eo, vineam reddidit, & curari continuò meruit: vt hoc exemplo cæteri monerentur, voto parentum res iuri ecclesiæ mancipatas, subtrahi ab hæredibus filijs non oportere.

Vvoluo quidam, ab ineunte ætate ibi à matre nutritus, cùm posteà presbyter esset, Decimas, quę ex multo iam tempore ecclesiæ beati Goaris agrorũ iure competerent

rent; suis vsibus dolo malo conduxit. Nec magna subsequente mora, cæcus & mutus effectus, ad basilicam viri sanctissimi à suis perducitur: ibi res patrimonij sui cum restitutis Decimis tradidit, & sanitatem placato eo, quem offenderat, meruit.

Emendatur Wvoluo presbyter.

Negociator quidam, Badoart dictus, cùm Rhenũ naui ascenderet, vnus seruorum, qui illum fortè offenderat, supplicium metuẽs, de naui prosilijt, & cóncitus ad ecclesiam fugit. Tum ille fugitiuum secutus, ab ecclesia trahere cœpit, prohibente fieri & nomine beati Goaris rogante simul & comminãte monacho Herirardo, qui præsens fortè residebat, quo hæcipsa referente cognoui. Sed negociator furore succensus, cùm monachum rogãtem æquè minantemq; contemneret, pro foribus ecclesiæ ad contemptûs augmẽtum, tractum ab altari seruum cecídit. Nec multum spatij intercessit, & vt cuius arbitrio paruisset, quémve contempsisset agnosceret, immundo spiritui traditus, breuì vitam nimijs cruciatibus extortam finiuit.

Castigatur dõmin⁹ immisericors.

Item Humfridi cuiusdam clerici ecclesiæ seruus, cùm pro culpa in dominum commissa, à tergo vinctus brachia traheretur, & supplicia, quæ sibi inferenda sciret, animo perhorresceret, quoniam aliter domini præsentiam subterfugere non valebat, ecclesiã respexit, & ad eam se cum prece tacitus inclinauit. Res digna miraculo: confestim vincula, quibus ligatus ducebatur, dicto citiùs laxata sunt & soluta, exutusq; vinculis seruus, ad ecclesiam sese proripuit, nec repetítus à domino, offensam suppliciumque vitauit. Tantum apud omnipotentẽ Deum supplicatio, tacitè viro sancto fusa, conualuit, nec passus est Christus eum manere ligatum, qui in necessitate animo ad sancti altaris auxilium confugisset: vt hinc quoq; daretur intelligi, quantùm intercessio illius ad animarũ soluenda vincula prævaleret, cuius inuocatio tanta facilitate ligamenta corporis dissoluisset.

Miraculum ingens.

Cap. 14.

Quodam tempore Abbate Tancrado in Cella posito, Maximinus monasterij S. Gereonis, quod apud vrbem Agrippinam, quæ nunc Colonia dicitur, situm est, Abbas à prouincia Vangionum ex vindemijs cum onusta vino naui & non paucis comitibus descendebat. Qui cùm iam S. Goaris monasterio propinquâsset, suadetur à socijs, vti appulsa in continentem naui, oratum ad S. Goarem ascendat. Ille moras sibi non necessarias hac in re fieri dicere, fore opportuniorem tempore alio orandi occasionem: sic dehortatis comitibus, propositum iter persequitur: sed non impunè illum vltio diuina transire permisit. Quippe vt in conspectum Cellæ nauis acta peruenit, repentè ex maxima suî parte demersa, lapsisque in aquam quæ gestauerat vasis, præsentis iacturæ & periculi metum cunctis incussit. Clamare omnes & auxilium lachrymabiliter implorare: cœpitque culpam Abbas confiteri, & S. Goaris meritum exorare. Rem Abbas Tancradus ex loco superiori conspiciens, & quanto in periculo versarentur cuncti, considerans, suos cuestigiò mittit, mandat subsidium laborantibus ferri. Deducuntur continuò naues, & subsidium modis, quibus erat possibile, ministratur. Ità cùm Abbatis auxilio & sudore multorum, tum maximè beati Goaris opitulatione recuperata naui, vasisque receptis & opibus, incolumis ad litus Abbas progreditur. Egressi naui, oratum festinant, persuasum sibi perenniter affirmant, nè locum, tanti viri meritis insignem, facilè vnquàm sine supplicationis munere trãseundum existiment.

Monasterium S. Gereonis Coloniæ iã insigne collegium Canonicorũ.

Pœna Abbatis Maximini.

Consimili propè euentu cùm quidam ex Frisonum gente negociator nauim circa ripam vlteriorem ageret, neq; litori, in quo monasterium situm est, propinquare disponeret, vbi ad scopulos illos, de quibus suprà diximus, nauis acta peruenit, subitò rapta & in gurgitem vndarum violẽtia tracta, præsenti cunctos discrimine perculit. Sed cùm dominus nauis, S. Goaris sæpè nomen & meritum iterans, subsidium expetîsset, in portum continuò nauis illæsa deuehitur. Ille vt continentem attigit, oratum perrexit, ac pro salutis munere vestem holosericam venerandæ memoriæ tribuit. Quæ etiam vestis posteà ab eo, qui hæc mihi retulit, Theodrado clerico ad Prumiam monasterium est delata.

Mercator præsentiss. periculo liberatur.

Cap. 15.

Rem illaturus sum, præcedentibus quidẽ non omninò dissimilẽ, sed quæ miraculi aliquid amplius habeat, & cuius tot sunt penè fidelissimi testes, quot loci ipsius habitatores tempore, quo gesta est, esse potuerint. Negociator ex suprà dicta Frisonũ gente nauim per Rhenum flumen agebat, & vt moris est, quia aduerso flumine nauigabat, funè à suis nauim circa litus trahendam curauerat. Cumq; iam Cellæ vicina attigisset, monetur à suis alijsq; in fluminis præcipitio cõsistentibus, vti ad orandũ nauim egredi debeat. Ille sibi eius tunc rei copiam non esse dicere, impediri mora propositũ cur-

cursum,nec se posse nisì continuato nauigio quietis congruum locum attingere. Ità animo fixo nauim agit,& ipse & in ea clauum regens,cum vno seruorum residet: reliqui fune nauim per litora trahunt. Erat inter eos vnus,qui cunctos antecedens, extrema funis dorso & ventri circunuoluta teneret. Ventum erat ad fluminis illam,de qua in superioribus egimus, rapiditatem horribilem, cùm repentè nauim vndæ violentissimæ rapiunt,nec gubernatore vllo præsidio valente resistere, longissimè à litore subtrahunt. Ea rapta, cùm vim ferre non possent, funem qui per ripas trahebant, victi relinquunt:sed is,qui cunctos præcesserat,tam citò explicare se fune non valens, nauim secutus,in gurgitem trahitur. Neque id dominus nauis, qui in puppi residens laborabat,animaduertere potuit.Reliqui,qui à fune refugerant, magnis vocibus nauí & socio,qui sub aqua trahebatur,opem diuinam & beati Goaris merita succurrere postulabant. Tantaq; tum aquæ vis & vndarum vorago fuit, vt non antè nauis in cursum dirigi posset, quàm longissimè pulsa, in vlteriorem ripam non sine magno plurimorum metu atq; horrore exportaretur. Negociator verò vt terram attigit, funem, qui nauí cohærens, per aquam fuerat tractus, à seruo colligi mandat. Quo collecto, in extrema eius parte seruus,sicut implicitus fuerat,inuenitur. Qui diligẽtissimè contrectatus,& modis varijs pertentatus, non aliud potuit deprehendi, quàm mortuus. Deniquè adhibito plurimo stramine,& igne circuncirca succenso,nihil caloris penitùs persentire,vel aliquod vitæ indicium potuit edere. Quid plura? Deuehitur rursùs in citeriorem ripam,ac de sola sepultura dominus eius & comites agũt. Rogatur custos ecclesiæ, vt ad sepeliendum mortuum loci alicuius copiam faciat. Eo obtento, dum ad sepulturam aperiũt, interìm cadauer, vt verè putabatur,exanime in custodis ad horam mansione deponitur. Cùm non post longum temporis interuallum incipit recalescere,& paulatìm os aperire,ac spiritum ducere. Dehinc torum se eleuans, parùm sanguinis ore reiecit, & confestìm surrexit incolumis,ità vt oratione facta, & gratiarumactione ab omnibus reddita, ad ducendam, sicut priùs, nauim cum socijs festinaret.Ea negociator vt vidit,emendatum se & pro culpa castigatum magnoperè gratulans,argenti libram altari sacro persoluit,& cœpto dehinc itinere,suis omnibus incolumibus,abijt. Viderint quid de re huiusmodi cæteri sentiant: ego confidentissimè dixerim, beati viri merita tanto esse post obitum clariora, quanto solicitiùs, dum viueret,humanas laudes & iactantiam fugerit: Neque in huiusmodi signis & miraculis exhibendis cuiusquam sanctorũ (Apostolis & clarissimis Ecclesiæ martyribus duntaxàt exceptis)illum inferiorem videri: quippe qui in diligendo Deum & proximum non facilè quoquè illis iudicetur inferior: quique tametsi in vita non multis, quæ homines nouerint,miraculis claruit,sed ea,quæ miraculis omnibus potior est,charitate clarissimus extitit: ideoq; post obitum quotidiè in viuentium fide tot tantisque virtutibus claret.

Grauis vindicta Dei in mercatorẽ temerariũ.

Mortuꝰ resuscitat magno miraculo.

Cap.16. Lampas bis diuinitùs accensa.

Præterea Heirardus monachus,qui, vt sæpè dictum est, horum mihi miraculorum certissimus relator extitit & verissimus, bis, affirmat, nullo admouente extrinsecùs ignem,lampadem,quæ coram memoria venerãda dependet,infuso diuinitùs lumine splenduisse: Quod ipsum præsenti anno,quo ista describimus,& superiori contigisse, qui interfuerunt,affirmant:sed id suo loco erit dicendum.Hactenùs ea describserim, quæ Abbate Tancrado in hac vita superstite,facta inter alia referuntur.Nunc adiutore Christo, ad clarissimi patris Marcuardi tẽpora, qui hocipsum opus mihi imposuit, seruato,vt proposui,ordine veniam.

Marcuardus tertius Abbas.

Et vt hæcipsa,rerum gestarum ordine aliquantulùm postposito, exordio clariori incipiam, excellentissimæ pietatis singularisque clementiæ,& erga Christianam religionem omnium Imperatorum studiosissimus Ludouicus, qui adhuc superna misericordia prouidente,rerum summa potitur,cùm dolore pedum vehemẽtissimo (qua olìm infirmitate vir ille, etsì non continuè, frequenter tamen affligitur) laboraret, atque ex palatio suo, quod in litore fluminis Rheni situm, Ingelheim suprà diximus appellari, euectione nauali descenderet,oratum ad S.Goarem exijt, vix in terram pedem præ dolore nimio ponere valens,& sustentantium magìs,quàm suis gressibus nitens. Cumque in ecclesiam peruenisset, ante memoriam venerãdam humilimè se ac deuotè deposuit, & in terra stratus, diutiùs perorauit. Vbì verò surrexit, ad Abbatem & clarissimum virum Gerũgum, olìm palatij ædilem,nunc monachum, conuersus : Deo,inquit, gratias : nunc meritis S.Goaris leuamen mihi datum persentio, neque eo iam, cum quo huc vẽni,dolore laboro. Sic à memoria regressus, lætus & alacer diem

Ludouici Pij encomion.

Nota tanti Imperatoris deuotionem.

Imperator liberatur à dolore pedum.

cer diem totum duxit. Hæc ipso Abbate,qui coràm adfuit, referente cognoui: quanquàm nec egoipse multùm abfuerim,qui pridiè eius diei Imperatorem prædicto dolore grauissimè laborantem,in palatio viderim. Sed huic rei gestæ aliã,tempore paulò superiorem,subijciam:Mulierẽ Scoticæ nationis ciues, ab Vrbe redeuntes,ægram & gressu debilem ibi reliquerunt. Ea postquàm sex in loco menses egit,sub die solennitatis annuæ,quæ agitur pridiè Nonas Iulij,inter vespertinos Psalmos gressûs sanitatem recepit.

Item alia mulier.

Superiori anno post ea,quę de Imperatore retulimus,accidit vt quidam ex rusticis filium paruulum dęmone plenum,ad ecclesiam cum fletu & supplicatione deferret. Quem cùm ante memoriam flens & eiulans multis præsentibus exposuisset, Sancte Goar, inquit, redde mihi nunc filium meum, & pulso, qui vexat eum,dæmone,sana : egoque tibi pro munere apim vnam (sic enim vocare rustici examen apum consueuerunt)huc protinùs adferam. Non inanis fuit simplex hæc hominis rustici postulatio,sed continuò sanatum integerrimè paruulum lętus & gaudens pater domum reuexit.Deniquè examen apum,vt pollicitus fuerat,obtulit, hodieq; in hortis ecclesiæ permanet.Hæc cùm sæpedicto Theodrado,tum Heckeboldo, ipsius loci Præposito, viro sanè docto atq; veraci,narrante cognoui.Et vt illud inferã,quod suprà leuiter tetigi, anno præterito in die sanctissimo Paschæ,cùm Præpositus Heckeboldus sub ipso lucis exortu Missas agere vellet, itemq; hoc eodem anno,quo ista cõscripsimus, cùm idem in Quadragesima Missas ageret,& lumen ecclesiæ deesse quereretur,custosque depositа lampade ac sine igne reperta,pro eo deferendo festinaret,subitò,cernentibus multis,spontè in lampade lumen accẽsum enituit. Quod ibì crebrò factum, plures viri fideles,qui interfuêre,testantur.

Cap.17. Dæmoniacus puer liberatur.

Lampas ardet cælitùs.

Sed vt hęc miracula rerum nuperrimè gestarũ narratione depręsentì concludam, sub idem tempus,quo his describendis manum imposui, necdùm libello edito, cùm ad annuam beatæ depositionis solennitatem magna vndecunquè,ità vtì solet, hominum multitudo confluerit, nota ex vicino mulier aduenit cum filio ferè septẽni, qui ab ortu ipso claudus,mutus,surdusq; permanẽs,infelici genitrici nouos quotidiè luctus & dolores adferret. Hũc mater, deuota fide cùm inter nocturnas vigilias coram sepulcro venerabili exposuisset,circa finem Psalmorũ Matutinorum cùm Canticum Euangelij clerus ecclesiæ caneret,infantulus lento annisu repẽtè surrexit,ac pedibus, quos vsque ad id temporis nunquàm terræ fixerat, adstans, matrem clamore iterato vocauit. Flens præ gaudio continuò mater accurrit, & filium, quem tot pressum incommodis deposuerat, ambulantem simul & [illegible]quẽtem audientemq; recepit. Neq; fuit Christo difficile,pro sui merito confessoris, [illegible]o eodemq; tẽpore & possibilitatem loquendi puero & scientiam, quã maiores audiendo nunquàm didicerat, dare: cùm sit ipse sapientia Dei,quæ aperit ora mutorum,& linguas infantiũ disertas facit. Tum verò omnium,qui aderant,mentes tanti replet stupor miraculi,tota in laudem Christi conclamat ecclesia, & vnius infantuli salus miraculi, multorum ad fidẽ corda succendit.Eodemq; die,cùm Missarum solennia populus spectaret,& diuina à sacerdote mysteria agerentur, puella eadem propè, qua prædictus infans, ætate, diù cæca, quæ tum à parentibus fideliter fuisset illata,amissum lumen recepit.Ità gemino miraculo sub vno die & sancti viri meritum palàm cunctis enituit, & præsentium fides, Christi clementia quàm non desit inuocantibus vbiquè præsens, agnouit.

Infantulus claudus,mutus & surdꝰ, curatur.

Sap.10.

Cęca puella videt.

Decursis iam, quæ de miraculis viri sancti scribenda susceperam, videtur mihi necessariò paucis esse monstrandum,& post editos libellos duos quodam extraliminio memorandum,quemadmodùm & qua ex causa Cella beati Goaris monasterio Prumiæ fuerit sociata,vt omni tempore sub regimine & potestate Abbatis, qui ei monasterio author Deo præfuerit,ipsa quoq; esse deberet. Excellentissimæ memoriæ rex Francorũ Pipinus,pater Imperatoris famosissimi Caroli, postquã, vt omnibus propè notum est, amore Christi & vxoris suæ sanctæ recordationis Berthradæ rogatu prouocatus, monasteriũ suprascriptum construxit, constitutis in eo monachis, qui Deo sub regulari ordine militarent, venerabilem virum Assuerum regiminis prefecit officio: qui etiam eidem loco annis quadragintaquinque felicissimè præfuit.Hunc cùm pro suæ vitę merito plurimùm coleret, eiusmodi constitutionis ei authoritatẽ dedit, vt cùm iter agens, ad aliquem iuris regij locum venisset, licenter quæ itineri essent necessaria,sumeret. Cùm ergò quodam tempore iter à monasterio in Vangionum prouinciam ageret, & occasione viæ ad S. Goarem declinâsset, vbì tum rectoris nomine

Cap.18.

Pipinus pater Caroli Magni fundator monasterij Prumiẽsis.

mine præerat quidam, Herpingus nomine, neque commoditatem aliquam rerũ neceſſariarum nanciſci potuiſſet, rem vt erat geſta, paulò pòſt Principi retulit, peſſimum eſſe dicens, eo loco humanitatem hoſpitalitatis omnis negari, vbi quondàm ſub beato viro ſingulariter virtus eadem viguiſſet. Pollicetur rex hæc fore emendanda, cùm temporis opportunitas arriſiſſet. Itaq; non multò pòſt poſitus in palatio, quod Atiniacum vocatur, cùm ad generalem populi conuentum ſimul Abbas Aſſuerus veniſſet, euocatum ad ſe princeps ſuper his, quę de Cella beati viri dicta ab eo fuerãt, commonefacit, eiq́ue regendam committit, hortatus, vt eam congruè diſponere, atque hoſpitalitati, quam in ea non ſit expertus, competentem efficere debeat. Hæc prima fuit Cellæ iam dictæ cum monaſterio Prumia, facta ex regis Pipini mãdato & voluntate, coniunctio, quandò non ipſi monaſterio & monachis ſubiecta, ſed Abbati tantùm eſt beneficij ad regendum iure commiſſa.

Cella S. Goaris traditur Abbati Prumiẽſi.

Regnante verò poſt patris obitum Magno Carolo, orta eſt inter Treuirorũ pontificem tunc Vueomadum, & Abbatem Aſſuerum pro eadem Cella contentio, aſſerente Epiſcopo ad ſuæ eam eccleſiæ ius pertinere, Abbate contrà dicente, eſſe illam Regis lege hæreditaria poſſeſſionem, neque in ea poſſe ſibi aliquid eccleſiam vendicare, quæ & ſibi eſſet à Rege Pipino commiſſa, & in dominium clariſſimi Caroli ſucceſſionis iure tranſmiſſa. Ità eis diù multumq́ue certantibus, & re ad controuerſiam ſæpè deducta, directi ſunt ex latere Regis & ſemèl & iterùm ac tertiò legati fidiſſimi & veraces, qui cauſam diligenter inquirerent, litemq́ue congruè terminarent: quiq; rem examinantes, non aliud, quàm quod Abbas proteſtatus fuerat, inuenerunt, regij ſcilicet *, quàm eccleſiaſtici iuris poſſeſſionem loci ſæpedicti exiſtere. Sed cùm hæc Epiſcopo nequaquàm ſufficerent, famoſiſſimus princeps habito in Saxonia ſuper *fontem, qui Lupia dicitur, generali conuentu, ſub præſentia totius regni propè Primatum, & vtriuſque ordinis clariſſimorum virorum, rem per ſe examinandam ſuſcepit, omniumq́ue, qui tum adfuêre, iudicio, iuriſiurandi conditio cauſidico monaſterij, tunc Ratberto nomine, eſt conſtituta, qua ille poſteà cum alijs duodecim firmauit, poſſeſſionem ſæpedictam non eccleſiæ Treuirorum, ſed dominio regio tantùm competere.

deeſt, *potiùs, aut aliquid tale. for. *fluuiũ

Hoc ergò modo re definita, & Epiſcopo tandèm acquieſcente, famoſiſſimus Rex cum ſuorum conſenſu, Cellam ſancti viri monaſterio Prumię tradidit, edito traditionis eiuſdem priuilegio, quo firmauit teſtatusq́ue eſt, ſe pro amore Chriſti & eleemoſyna parentum ſuorum, Pipini videlicet regis & reginæ Berthradæ, Cellam ipſam hac lege iam dicto monaſterio ſubdere, vt omni deincèps tempore Rectores monaſterij eiuſdem eam tenere, & rebus eius liberã conditione in vſus ſuorum Deoq́ue ſeruientium fratrum neceſſarios vti, ac ſine vlla cuiuſquam cõtradictione, quæ vtilitati communi competerent, de ea facere & ordinare deberent. Neq; rebus ſolummodò, quas tempore eodem Cellæ dominium retineret, ſed & illis, quę futuris ſucceſſionibus acquiſiſſet, iure firmiſſimo vterentur.

Carolus Magnꝰ Cellã S. Goaris ſubdit Abbatiæ Prumienſi.

Hæc quemadmodùm ſint geſta atque ſtatuta, poterit qui volet, relecto eodẽ, quod hodieq́ue in archiuis ipſius monaſterij integerrimum manet, priuilegio ſcire. Nobis rem breuiter commemorâſſe ſuffecerit, nè id quod eſſet vtile cognitioni, penitùs ſiluiſſe, & in hac parte circa beatum Goarem officio defuiſſe meritò redargueremur. Deniquè cùm hęc ſcriberemus, ſicut in regimine monaſterij Prumię, ſic etiam in poſſeſſione Cellæ S. Goaris Aſſuero Tancardus, & ei Marcuardus vicaria mutatione ſucceſſerunt. De Abbate porrò Aſſuero & Cella ſancti viri ea, quæ primò retulimus, ità eſſe geſta, quidam ex ſenioribus fratribus, non indignus fide, ab eodem Abbate ſe audiſſe eſt proteſtatus.

VITA

VITA ET MARTYRIVM S. GODOLEVÆ, AVTHORE DROGONE MONACHO ET SACERDOTE

Geſtellenſi: ſed dictionem F. Laur. Surius ferè totam mutauit.

PROLOGVS.

DOmino Ratbodoni, Dei gratia Nouiomẽſi Epiſcopo, Drogo monachus & indignus ſacerdos, bonum, quod præſtat omni*bono. Multorum fatigatus precibus & crebra exhortatione, præſul ſanctiſſime, tametsì id vires excedit meas, coactus ſum literis mandare martyrium ſanctæ Godoleuæ. Quæ itaq; digna relatu fuêre, ea conſcripſi, tibiq́ue mittenda iudicaui, vt tua authoritate, ſi ità cenſueris, roborata, firma rataq́ue permaneãt. Quæ verò ſcripſimus, ea pro certo ſic ſe habere, ab illis accepimus, qui hodieq́ue ſuperſunt, & ſuis ea oculis conſpexêre: quæ tamen, ſi fortè quiſpiam carpenda ſibi ſumere voluẽrit, tuo ſapientumq́ue iudicio permiſſa ſunto: ego pro viribus ad narrationem me accingo.

*Codex MS. habet, loco.

HISTORIA.

BEATA Godoleua in Boloniẽſi territorio, pago, qui Londefort dicitur, patre Vuifrido, matre Ogina, honeſtis & honoratis parentibus orta eſt: quam tamen generis nobilitatem moribus & vitæ ſanctimonia præclarè ipſa illuſtrauit. In ipſis enim primæ ætatis florentibus annis iam maturos præ ſe mores tulit, adeò vt omni honeſtate & ſanctitate prædita videretur. Porrò verò pręter egregias animi dotes, fuit etiã inſigni formæ elegantia & corporis pulchritudine: niſi quòd fortaſsìs maligni homines in ea vituperare potuerint nigros capillos, & eiuſdem coloris ſupercilia. Neq; verò abſque diuinæ prouidentiæ moderamine id euẽniſſe putandum eſt, quòd Godoleue nomẽ accepit. Godoleua enim Latinè redditur, Deo chara. Cùm iam autem pueritiæ metas exceſſiſſet, & iuſtum attigiſſet ætatis robur, à multis cupidè expetita eſt in coniugem. In ijs erat Flander quidam, Bertulphus nomine, qui eius incenſus amore, parentibus eius animi ſui æſtus exponit, eamq́ue ſibi deſponderi ſummoperè orat. Erat verò is genere inſignis & opibus pollens. Itaque Godoleua illi deſponſata eſt. Etsì verò nobiliſſimis ille eſſet natalibus conſpicuus, at moribus tamen, quemadmodùm infrà dicturi ſumus, Godoleuæ minimè congruebat. Permiſit autem, vt equidem reor, præpotens Deus dilectam ſuam homini tam impio ſociari, vt & in illo admirandæ patientiæ ſuæ ederet certiſſima documenta, & innocentis Godoleuæ probaretur ſimplicitas: quandoquidem diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Iulij 6. Cap. 1. Patria & parentes S. Godoleuæ.

Godoleua, Theophila ſiue Deo chara interpretatur.

Deſponderetur Bertulpho nobiliſſimo inueni.

Rom. 8.

Cùm igitur eam Bertulphus ad ſuas traduxiſſet ędes, fraude maligni hoſtis id agente, cœpit duci pœnitentia, quòd eam ſibi ſponſam optâſſet. Acerrimo igitur odio illã proſecutus eſt, ità vt odium vinceret amorem, quo priùs arſerat. Ei verò odio etiam fomenta ſuggerebat mater, dicẽs ei: Cur voluiſti cornicem ex aliena regione huc adducere? Non erant in patrio ſolo permultæ, quas expeteres? His nimirùm exercebatur Chriſti ancilla: ſed rectiſſimè ab Apoſtolo dictum eſt, Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem paſſuros: & vt alius habet ſcripturæ locus, Aurum probat ignis, & homines iuſtos camínus tribulationis. Celebrabantur triduo nuptiæ, ſed ijs ſponſus noluit intereſſe, nè, quam habebat exoſam, adſpicere, cogeretur. Mater interìm cum amicis curabat ea, quæ nuptiarum ſolennitas poſcere videbatur, intùs ſæuiens, foris blandiens. Etsì autem propter conuiuas maleuolentiæ virus tegere nitebatur, at tamen vultus ipſe, qui eſt animi imago & tacitus quidam ſermo mentis, pectoris arcana prodebat. Poſt triduum Bertulphus domum redijt: moxq; ſpreta coniuge, relicta familia & ædibus ſuis, in paternam commigrauit domum. Sponſa igitur Godoleua inuiſa ſponſo, ſed Chriſto chara, domi reſidet, gubernat familiam, ſeipſam irreprehenſibilem exhibet, ſemper pudicitiæ ità ſtudioſa, vt etiam maledici homines nihil de ea ſiniſtrum vel confingere poſſent. Et nè torperet ocio, deſidiaq́ue & ſegni-

Cap. 2. Odiũ Bertulphi in eam.

2. Tim. 3. Prouer. 17.

Ex hoc loco pater eam mãſiſſe virginem.

Deſeritur à ſponſo.

tie marceret,iam ducebat fila, iam texebat, tum verò etiam in preces incumbebat.
Apoc.22. Vt autem compleretur,quod ſcriptura ait,Qui ſanctus eſt,ſanctificetur adhuc: & qui in ſordibus eſt,ſordeſcat adhuc: Bertulphus malitiæ ſuæ finem non imponens, vt durus & ſceleſtus, atque ex marito ſæuus latro futurus, in dies in Chriſti ancillam atrociori odio inflammabatur:communicatoque cum matre ſua conſilio,vernam quendam ei præfecit,qui ei malignè inſeruiret,parumque panis,ſtatuta hora, ei præberet. Cui etiam ſeueriter interdixit,nè quid prætereà cibi potúsve ei impertiret, diras alioquì pœnas luiturus.

Peſſimè habetur à Bertulpho.

Cap.3. Subijcitur igitur ſeruo ſuo ancilla Chriſti, & parére illi cogitur, cui illam æquum erat imperare. Exagitatur contumelijs, iniurijs, opprobrijs, irriſionibus, nec tamen permouetur impatientia, non in querimonias aut murmura prorumpit: ſed corde tranquillo mens, ſibi benè conſcia, fert omnia moderatè & placidè, tanquàm Chriſtum ſibi audiat dicentem: In patiẽtia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Gratias agit Deo pro pane ipſi dato, idque animo exultanti: eiusq; partem dimidiam cum ſale & aqua ipſa ſumit,reliquam dat pauperibus,pro eaipſa parcitate quotidiè Domino hymnos offerens & cantica laudis.Maledicenti viro non reddit maledicta,immò etiam benedicit, & orat pro ſe perſequentibus & calumniantibus. At neque ſic quieſcit ſatan. Bertulphus enim ſemper illi pro bonis mala rependẽs, & pro dilectione odium, vt vidit nec duris & moleſtis rebus eam frangi, nec fame & inedia confici, ſibijpſi factus eſt grauis, cœpitq; de eius nece multa cruento animo agitare. Sed cùm non eſſet neſcius nobiliſſima eam familia prognatam, palàm ei cædem intentare non erat auſus. Sperans autem fore, vt maioribus affecta moleſtijs pereat, & impatientiæ ſtimulis pércita, in murmurationes proruat, dimidiã panis hactenùs illi attributi portionem iubet ſubtrahi. Illa verò eam annonæ diminutionem ſedato animo ferens, tametsì videret difficilimè tantilla panis particula vitam poſſe ſuſtentari ſuam, at nihilo minùs id quod ſemèl Deo vouiſſet, ſtatuit hilariter reddere. Itaque mediam dimidij panis partem elargitur pauperibus,de reliqua viuit ipſa more ſuo, orans inſtantiùs Dominum, atque dicens: O tu Deus creator omnium, ſis quæſo memor fragilitatis meæ,nec me derelinquas in hac afflictione mea. Qui ëruis ſuſtinentes te,confirma me in procella tentationis huius: & licèt à viro meo detrahatur aliquid de portione quotidiana victûs mei, tu tamen mihi non ſubtrahens affectum beneuolentiæ & benignitatis tuæ,præſta,vt tibi ſemper placeam per obſequium piæ deuotionis.

Luc.21. Mira eius patientia & abſtinẽtia.

Quanta fuerit eius cõmiſeratio erga pauperes.

Cap.4. Non eſt autem ſilentio premendum, tãtam diuinitùs Godoleuæ gratiam eſſe collatam, vt non illi duntaxàt, quos affabilitate & familiaritate ſibi deuinxerat; ſed ij etiam, qui ſolo nomine cognitam eam habebant, illam diligerent. Porrò in tanta immanitate Bertulpho fauent ſui, incitantque crudelem in humilem, ferum & barbarum,in mitem & innocentem, qui iam ſua ſponte plùs ſatis in Chriſti ancillam ſæuiebat:eamque,quam iurè charitate & beneuolentia complecti deberent,vnà cum Bertulpho ſcelerato & iniquo, odio perſequuntur. Illa igitur tantam mariti & familiæ ſentiens perſecutionem,tantamque animorum erga ſe acerbitatem,fuga tandèm ſibi conſulere compellitur.Nudis igitur pedibus,vna tantùm aſſumpta puella comite, ad natale ſolum reuertitur, parentibusq; ſuis calamitatis ſuæ hiſtoriã cum lachrymis & gemitu recenſet, ordine illis exponens, quid à marito & familia perpeſſa eſſet. Pater verò,auditis filiæ querimonijs, altiùs ingemiſcit, & cõmunicato cum amicis conſilio,Balduinum comitem Flandriæ adit, quas contumelias & iniurias à viro paſſa eſſet filia ſua,ei indicat:petit opem ab illo,vt quod iuſtum eſt,decernatur. Comes verò remiſit illum ad Epiſcopum,in cuius erat diœceſi gener ipſius. Erat is Nouiomenſis eccleſiæ antiſtes,& per id tempus ſuo officio probè fungebatur.Aiebat enim Comes eam cauſam ad forum eccleſiaſticum pertinere, nec alibì,quàm apud iudicem eccleſiaſticum, tractari & expediri debere. Quòd ſi verò gener eius nollet obtemperare Epiſcopi admonitioni,ſe ſeuerum vindicem fore promiſit, cõpulſurumque, vt ſponſam recipiat.

Compulſa fugit ad parentes ſuos, vna puella comite cõtenta.

Cap. 5. Sponſa vocatur ratione virginitatis,& non vxor. Ità ergò Bertulphus tum antiſtitis authoritate,tum Comitis poteſtate ſponſam ſuam recipere cogitur. Et promiſit ille quidem metu principis, ſe eam comiter & honorificè habituram, ſed prohdolor facta ſunt nouiſſima illius peiora prioribus. Non enim inuitus trahitur animus ad amorem. Odit ille Godoleuam æquè,vt priùs,& nec videre illam ſine moleſtia potuit.Indè iam in eius animo obfirmata ſunt conſilia eam iugulandi, ità tamen, vt modis omnibus in eam curam cogitationemque incumberet,vt

ret,vt ſui voti ea ratione fieret compos,nè tantum ſcelus vel in ipſum,vel quenquam amicorum eius conferri poſſet. Cernens autem Chriſti ſponſa Bertulphum erga ſe nihilo effectum mitiorem,ſed ad priſtinam ferocitatem eius aliquid etiam incrementi acceſſiſſe, toto cordis affectu clamat ad Dominum, vt ipſe, cui obediant venti & mare, tempeſtatem illam in ſerenitatem conuertat. Cumque multi eius miſerati calamitatem, marito Bertulpho dira imprecarentur, optarentque diuinitùs in illum animaduerti, Godoleua eos reprehendebat: Nolite,inquiens,chariſſimi maledicere marito meo, ſed potiùs benedicite. Sic enim diuino præcepto iubemur,non ſolùm maledicentibus non maledicere, ſed etiam benedicere & facere benignè, orare pro perſequentibus & calumniantibus nos, malum non in malo, ſed in bono vincere. Multis quoquè humana quadam commiſeratione dicentibus,ipſam ſolam eſſe, quæ neque carnis voluptatibus, neque mundi delicijs eſſet fruitura, magna animi conſtantia illa reſpondit:Ego neque carnis voluptates,neque mundi huius oblectamenta appeto. Ecquid verò vtilitatis habet, carnem morituram, breuique in puluerem, vndè facta eſt,& putredinem abituram,luxu & delicijs diffluere?Habebat ſanè à Deo collatum munus doctrinæ, vt poſſet egregiè alios exhortari: cui acceſſit etiam gratia prophetiæ. Cùm enim, vt dictum eſt, multi eam præ intima animi commiſeratione infelicem dicerent, illa compeſcebat eos: Nolite, inquit, fruſtrà lachrymas fundere, nec me putetis infelicem. Neque enim,vt vos ſentitis,infelix ego ſum,tametsì inpræſentiarùm afflictio & anguſtia me obtinent: ſed præ cunctis Flandriæ mulieribus,quæ hodiè ſuperſunt,exaltabor & ſublimabor.Et hoc mihi faciet qui potens eſt, qui erigit eliſos, & ſoluit compeditos: ſanat contritos corde, & mœrore affectos exhilarat. Quidam monachi conſummatæ religionis, cauſa viſitationis ad eam venêre, vt pijs ſermonibus eam confirmarent, & opportuna conſolatione eius lachrymas abſtergerent. At illi ediuersò teſtati ſunt, ſe ab eius ore tam ſanæ doctrinæ & mellifluæ exhortationis hauſiſſe ſermones, vt mentem eius diuina perfuſam ſapientia minimè dubitârint.

Haber prophetiæ donum S.Godoleua.

Pſal.145. Pſal.146.

Aſt Bertulphus vt animaduertit omnes ſuas machinas & artes ad illam perdendam, Deo ordinante, fruſtrà adhiberi, & neque fame, neque re vlla alia quicquam ſe apud ſanctam fœminam poſſe efficere,animo perturbatus, multa ſecum pertractabat: accitisque ad ſe duobus famulis ſuis Lamberto & Hacca, illis animi ſui propoſitum aperit,petit ab illis cõſilium,qua poſſit via tolli è medio Godoleua. Inuenerunt illi modum extinguendi illam, qui nec difficilis videretur, nec facilè reſciri poſſet. Tempus etiam exprimunt,quo occultiùs & commodiùs nefarium facinus perpetrari queat.Iam aduenerat dies,quo virgo Deo plena manifeſtaretur,& in cælis coronaretur. Ea ipſa igitur nocte, qua fraude perditorum nebulonum iugulanda erat, ante ſolis occubitum venit ad eam Bertulphus: & primò quidem ſimulato animo oſculatur & amplectitur eam: ore mentitur riſum, qui virus habebat in pectore: aſſidet deindè iuxta illam,vultu ad hilaritatem commentitiam compoſito.Sed Godoleua pro mariti,vt arbitror,reuerentia propiùs illi ſe iungere formidante, manu eam ad ſe trahit,hisque compellat verbis:Non mediocri id dolore me afficit,quòd ità fero & præduro erga te animo eſſe videor, vt neque præſentia mea tibi ſolatio ſit, & neque colloquijs meis,neque mutuo concubitu delecteris.Equidem qui nos aduerſus caſus infeſtârit ignoro, vt & alieno in te animo eſſem, nec ſatis mentis meæ compos viderer. Nisì fallor,maligni dæmonis opera id effectum eſt. Sed iam tãdèm volo hiſce diſſidijs finem imponere,teque charæ inſtàr coniugis colere, ſenſimq; profligato odio, mente & corpore tibi coniungi. O hominem,ipſo Iuda proditore nequiorem. Inueni,inquit,fœminam,quæ ſe iactitat poſſe nos mutuo amore & beneuolentia adeò connectere,vt non ſint duo alij ardentiori inter ſe charitate coniuncti.Ego id negocij commiſi Lamberto & Haccæ ſeruis meis, qui fœminam ad te adducent: tu vide fidem vt illis commodes. Volui autem ea cauſa id tibi antè ſignificare, nè eſſes eius inſcia, illudque reſpueres,aut animo turbareris.

Cap.6.

Lambertus & Hacca interfectores S.Virginis Godoleuæ.

Simulator Bertulphus.

Simulat Bertulphus ſe velle mente & corpore ſuæ ſponſæ coniungi.

Hæc cùm dixiſſet vir doloſus & iniquus, illa reſpondit: Chriſti ancilla ſum: illi ego mea omnia commendo. Si tamen abſque ſceleris alicuius commixtione id fieri poteſt,quod dicis,non refragor. Tum Bertulphus à ſcamno exiliens, equum aſſcendit Brugas profecturus,vt illic pernoctaret,nunciumq; de extincta Godoleua opperiretur,ſimul etiam,vt ipſe cædis eius minimè conſcius exiſtimaretur. Deindè nocte cunctis ſopore oppreſſis,Lambertus & Hacca dominam ſuam excitant. Surge,inquiunt,

Cap.7.

Doloſè euocatur occidenda.

hera: nam tua causa soliciti huc venimus: fœminam, cuius apud te mentionem fecit herus, adducimus. En ad fores sustinet iam dudùm aduentum tuum. Surge ocyùs, nè desis vtilitati tuæ. Illa primùm se munit sanctæ Crucis signo, deindè totã se commendat Deo: cumq; vestibus induere se vellet, illi instant, nè id faciat: Pedibus, aiunt, nudis, passis capillis, in sola interula venies. Ità enim certum est, eam rem tibi profuturam. Iam enim nocte media & ante auroram isthuc fieri oportet. Mox illa respondit: Equidem me omnipotenti Deo cõmitto: videat clementissimus ille, quid * me futurum sit: & nunc vestræ me fidei trado. Ità surgens, abijt cum illis. Quid verò semèl atq; iterùm illi vel dixerint, vel fecerint, relatu indignum arbitramur. Friuolum enim id fuit, vel potiùs fraus & dolus. Cùm autem tertiò ei simili modo imponerent, in eius collum laqueum inijciunt, simulque manibus tota vi premunt guttur illius, nè quos possit edere clamores. Vt verò eam iam exanimem sensêre, in aquas demergunt, vt si quid fortassis vitæ aut spiritûs superfit, id aquę præfocent. Actum est id mira Dei dispositione, vt si qui fortè pulueres ex terrena inhabitatione illi inhæsissent, eos aqu abstergerent & emundarent. Extinctum deindè corpus sceleſti illi homicidæ ad eius lectulum reportârunt, vestibusq; opertum reliquerunt. Sole porrò altiùs scandente, familia inter se mussitare, quid causæ sit, quòd hera non prodeat è cubiculo. Consueuerat enim illa vel ante auroram, vel in auroræ primo ortu surgere, aliosq; admonere, vtì ad ecclesiam se conferrent.

Strangulatur à seruis Bertulphi Godoleua.

Cap. 8. Tandèm itur ad eius cubiculum, excitatur tanquàm adhuc dormiens, sed mortua non expergiscitur. Mox fama volat, accurrunt vicini, cõtemplantur corpus exanime, nullum vulnus, nullum ferri vestigium toto corpore reperitur. Ad collum duntaxàt visebatur cruẽtus circulus, qui relictus erat ex laqueo, quo illam impij homines strãgulârant. Interìm alij affirmant naturali morte eam obijsse, alij diuersùm asserunt. Quàm verò sui illam charam habuerint, res ipsa declarauit. Eodem enim die eius accelerata sepultura est: & quia panis defuit, qui pro salute animæ eius erogaretur, itũ est pro emendo frumento, quod certè ipsi emptori lucro fuit. Adeò enim excreuit in farinam redactum, vt modum mensuramque excederet, & emptor miraculum admiraretur, Deoq; gratias ageret: Laus, inquiens, tibi Deus. Pro tuo honore larga fuit, pro viribus autem gratificari, dum vixit, studuit pauperi: quod quidem hoc miraculo tu diuinitùs demonstrasti.

Attẽde miraculum.

Cap. 9. Porrò humì pars illa, vbì interempta est, in candidos lapides versa est, vt meritum eius Dominus ostenderet, cunctisque fidelibus innotesceret cædes illius. Quinetiam cùm ex animi deuotione erga sanctam fœminam, de terra illa quidã secum domum absportarent, eam posteà in gemmas mutatam mirati sunt. Et nè quis fabulosum id putet, egoipse, qui hæc scribo, oculis meis eas gemmas vidi, & nomen Domini benedixi. Aliud etiam aquæ elementum egregiè illustrauit Dominus ad gloriam nominis sui, vt per illud quoq; declararet merita illic immersæ Godoleuę. Quotquot enim vel febribus vexati, vel alijs afflicti morbis, eò accedentes, aquam illam potârũt, repentè sanitatis beneficium illius meritis se adeptos lætati sunt. Eodem modo etiam sepulcrum, & sacrum eius corpus, quod illo continebatur, cælestibus Dominus miraculis insigniuit. At nos quidem pauca è multis annotabimus, vt ex illis vtcunquè liceat animaduerti, quanta in cælis beatitudine & gloria Christi ancilla perfruatur.

Humus vbì cæsa est, in candidos lapides versa.

Miracula ad laquam, vbi fuit submersa.

Pater filium à primis natiuitatis annis contractum, ad monumentum eius attulit, orans vt eius meritis sanaretur. Non diù pòst erigitur contractus, & sospes cum patre domũ abscedit. Nomen eius pueri Algotus erat. Traditus indè literis, cùm ad virilem peruenisset ætatem, paulatìm ascendendo, Diaconus ordinatus est.

Itèm ad sepulcrũ eius.

Cap. 10. Contracta quædã, ad fores monasterij S. Trudonis nouem annis iacuerat, vt posset cum cæteris etiam ipsa sanitati restitui. Interìm curabantur multi, complures erigebantur: illa sola mansit debilis, diuina prouidentia id agente, vt S. Godoleuæ merita longè lateque diffunderentur. Audita tandèm fama eorum, quæ ad eius sepulcrũ fierent, curat eò se deportari, ibiq; orans, Domini misericordiam opperitur. paulò pòst contracta membra extenduntur, & suis pedibus læta redit domum.

Pœna laborãtis quandò non licebat.

Quidam die sabbati, hora qua minimè liceret, in agro colligebat spicas. Inhæserunt verò spicæ manui eius tam tenaciter, vt nulla ratione eas posset auellere. Laborabat quidẽ altera manu, & summoperè conabatur eas abstrahere, sed labor omnis fruſtrà erat: immò quanto plus in ijs amouẽdis ponebat operæ, tantò firmiùs manui adhæresebant. Intelligens ergò culpam suam, ad sepulcrum beatę Godoleuę venit, humì

humì se prosternit. Necdùm absoluerat preces, & digitis sese intendentibus, è manu spicæ deciderunt.

Cap. 11. Dies quidã solennis imminebat, qui populo celebris haberetur. Presbyter peracto sacrificio, præcepit nè quis operis quippiam exerceret illo die. Fœmina quædam pagi illius præceptum illud paruipendens, tincturam in vase apparebat, arreptaque virga, eam mouere volebat. Mox vtrique manui virga inhæret: luctatur mulier nunc extendendo, nunc contrahendo brachia: sed fruſtrà laborat. Res ad aliorum notitiam perducitur, familia aduolat, nec vicini abesse volunt, miraculi fama permoti. Et alij quidem dant operam, vt virgam ex eius manibus extorqueant, alij verò vel contingere eam verentur. Tandèm pœna illam compellente, supplex adit beatæ Godoleuæ monumentum, precibus eius ambit suffragia, inter lachrymas & preces digiti & manus virga liberantur, mulier sana se recipit ad suos.

Itèm alterius.

Cap. 12. Anno Christi millesimo octogesimooctauo eleuatum est corpus S. Godoleuæ apud Gestellam à domino Ratbodone Nouiomensi & Tornacen. Episcopo, 3. Calen. Augusti. Filia verò Bertulphi ex secunda vxore, quum esset cæca à natiuitate, ex aqua, vbì sancta Dei fuit submersa, oculos lauans illuminata est, ibidemque cœnobium virginum extruxit, sub regula S. Benedicti militãtium ad honorem Dei & S. Godoleuæ, cuius niueus cruor, qui ex ore & naribus in submersione emanauit, in eodem monasterio conseruatur ad perpetuam rei memoriam & signum virginitatis eiusdem sanctæ Dei.

VITA SANCTI ILLIDII ARVERNÆ ECCLESIÆ EPISCOPI, AVTHORE GREGORIO TVRONEN.

Episcopo, Lib. de Vita Patrum, Cap. 2.

7. Iulij. INTER reliqua vitæ perpetuę semina, quæ iecit cęlestis sator, ex illo diuinitatis fonte mentis incultæ aruum irrigãs vel institutione, vel dogmate, in Euangelio ait: Omnis, Matth. 10. qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. & alibì: Nisì granum frumenti cadens in terram, Iohan. 12. mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Sed & ille nihilominùs vas electionis beatus Paulus Apostolus dicit: Semper mortificationem Christi in corpore vestro circunferẽtes, vt & vita Iesu manifestetur in corpore vestro mortali. Ergò confessores Christi, quos tempus persecutionis ad martyrium non lacessiuit, ipsi sibi persecutores effecti, modò vt digni Deo haberentur, & vt mortificatis membris soli Christo viuerent, diuersas abstinentiæ cruces adhibuerunt: de quo idem Apostolus dicit: Iam non viuo ego, viuit autem in me Christus. & alibì, allegãs illud Psalmi 43. Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Adspiciebant enim per illos mentis internæ oculos, Dominum cælorum descendisse ad terras, non abiectum ad humilitatem, sed humiliatum misericorditer ad mundi redemptionem. Adspiciebant pendentem in patibulo, non Deitatis gloriam, sed assumpti corporis hostiam mundam, de qua Iohannes paulòantè prędixerat: Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccata huius mundi. Habebant in se & clauorum affixionem, cùm à timore eius confixi, atque à iudicijs diuinis exterriti, nihil indignum eius omnipotentiæ in corporis sui habitatione gerebant, iuxta illud, quod in Psalmo scriptum est: Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. Fulgebat in his & illud resurrectionis lumen insigne, quo Angelus refulsit, dum reuoluit lapidem monumenti, de quo dicitur: Et introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt: quo & Iesus splenduit sub illa ostiorum obseratorum inclusione, cùm improuisus in medio Apostolici senatûs adstitit comitatu: quos eosdem idem Dominus verbis vitæ imbuens, cælestem est euectus in arcem. Inter hos & beatus confessor Illidius ità hæc omnia in cordis sui tabernaculo collocauit, vt & ipse quoquè templum sancti Spiritûs effici mereretur. De cuius vita aliqua scripturus, veniam peto à legentibus, (non enim me artis Grammaticæ studium imbuit, neque authorum

Iulij. Matth. 10. Iohan. 12. 2. Cor. 4. Galat. 2. Psal. 43. Rom. 8. Iohan. 1. Psal. 118. Mar. 16. Luc. 24. Marc. 16. Act. 1.

ſecularium polita lectio eruditiuit: ſed tantùm beati patris Auiti Aruerni põtificis ſtudium ad Eccleſiaſtica ſolicitauit ſcripta) ſi mihi ad iudicium contingerent, quæ ipſo prædicante audiui, vel cogente relegi, quia ea nequeo obſeruare: qui me poſt Dauidici carminis cannas, ad illa Euangelicæ prædicationis dicta, atque Apoſtolicæ virtutis hiſtorias epiſtolasque perduxit: de quo tantùm capere potui, vt cognoſcerem Ieſum Chriſtum filium Dei ad ſalutem mundi veniſſe, atque amicos eius, qui accepta cruce auſteræ obſeruantiæ ſponſum ſecuti ſunt, dignis obſequijs honorare. Qua dere crudæ ruſticitatis temeritatem oſtendens, quæ de beato cognoui Illidio, illo, quo poſſum, proferam ſtylo.

Creatur Epiſcopus Aruernorũ.

Sanctus igitur Illidius cùm perfectæ vitæ ſanctitate polleret, ac diuerſarũ in ſe gratiarum chariſmata, largiente Domino, congeſſiſſet, illud, quod adhuc ſanctitatis culmini deerat, Deo inſpirante, ac populo eligente, promeruit, vt ſacerdos Aruernæ Eccleſiæ, & Dominicarum ouium paſtor eligeretur. Cuius ſanctitatis fama, dum per diuerſos gratiarum euehitur aſſcenſus, non ſolùm ipſos Aruerni territorij terminos, verumetiã vicinarum vrbium fines adiuit. Vndè factum eſt, vt hæc gloria Treuerici Imperatoris aures attingeret. Nam cùm eius filia à ſpiritu immundo correpta grauiter vexaretur, & non inueniretur, à quo poſſet ẽrui, beatum Illidium fama detexit: & dicto citiùs ab Imperatore directi pueri, ſanctum ſenẽ in antè dicta repertum vrbe, poteſtati Regiæ celeriter repræſentant. Quo venerabiliter excepto, pater de exitu infelicis cõqueritur filiæ. Ille verò cõfiſus in Domino, in oratione proſternitur, nocteq; cũ ſacris hymnis canticisq; ſpiritalibus ducta, immiſſis in os puellæ digitis, nequã ſpiritũ à corpore abegit obſeſſę. Quod miraculum Imperator cernẽs, immenſos auri argentiq; cumulos ſancto offert ſacerdoti. Quod ille execrans ac refutans, hoc obtinuit, vt Aruerna ciuitas, quæ tributa in ſpecie triticea ac vinaria depẽdebat, in auro diſſolueret, quia cũ graui labore penu inferebantur Imperiali. Sanctus verò (vt aiunt) impleto vitæ præſentis tempore, in ipſo itineris curriculo migrauit ad Chriſtum, à ſuisq; delatus, in vrbe ſua ſepultus eſt. Sed forſitan (vt plerunq; homines murmurare ſoliti ſunt) quiſpiã garrulabit, dicens: Non poteſt hic haberi inter ſanctos pro vnius tantùm operatione miraculi: nam ſi perpẽditur illud, quod Dominus ait in Euangelio: Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, virtutesq; multas fecimus? Et reſpondebo eis, dicens: Quia non nóui vos: profectò intelligitur, quòd magis proficit ad laudem virtus egreſſa de tumulo, quàm ea, quæ quiſquam viuens geſſit in mundo: quia illa labem habere potuerunt per aſſidua mundanæ occupationis impedimenta, hæc verò omni labe ad liquidũ caruerunt. Ergò quia illa, vt credimus, quæ ſanctus Illidius ante hoc tẽpus operatus eſt, obliuioni data ſunt, nec ad noſtram notitiam peruenerunt, ea quæ proprijs inſpeximus oculis, expertiq; ſumus, vel quæ à fidelibus agnita cognouimus, declaremus.

Expellit dæmonẽ à filia Imperatoris.

Obitus ei⁹.

Matth. 7.

Tempore, quo Gallus Epiſcopus Aruernam regebat Eccleſiam, horum ſcriptor in adoleſcentia degens, grauiter ęgrotabat, & hic ab eo plerunq; dilectione vnica viſitabatur, eò quòd patruus eius eſſet. Erat autẽ valetudo cum nimia ſtomachi pituita, ac febre valida. Intereà aduenit paruulo deſiderium, & credo inſpirante Deo, vt ad beati Illidij baſilicam deportaretur. Illatusq; manibus puerorum, ad eius tumulum fuſa oratione cum lachrymis, leuiorẽ ſe ſenſit eſſe, quàm venerat. Sed reuerſus domum, iterùm à febre corripitur. Quadã verò die cùm grauiùs agere cœpiſſet, eumq; febris aſperior ſolito aggrauaret, & vtrùm euaderet, admodùm dubitaretur, accedẽs genitrix eius, ait ad eum: Mœſtum hodiè, dulcis nate, ſum habitura diem, cùm te talis detineat febris. Cui ille, * Niquil, inquit, prorsùs, obſecro, contriſteris, ſed ad ſepulcrum me remitte beati Illidij pontificis: credo enim firmiter, fore vt virtus eius & tibi lætitiam, & mihi tribuat ſoſpitatem. Tunc ſancti deportatus ad tumulum, orationẽ fundit, ſpondens proſtratus ſpontè, ſi eum Antiſtitis ſui virtus ab hoc contagio liberaret, clericum ſe futurum: nec prorsùs moraretur, ſi deprecatio obtineret effectum. Hæc effatus, ſenſit protinùs diſcedere febrem: vocatoque puero, domum ſe reportari deposcit. Cumq; in recubitu, vbì tunc ſui epulabantur, fuiſſet illatus, erumpente è naribus ſanguinis copia, febris ſimul cruorq; defluxit. Quod meritis beati cõfeſſoris præſtitum, habetur probatum. Sed & nupèr Venerandi Comitis ſeruus, cùm in diuturna cæcitate reſideret, celebratis vigilijs, ſanus abſceſſit.

S. Gregorij Turonen. adhuc puer liberatur à febre per S. Illidium.

De reliquijs verò eius hoc ipſe præfatus ſcriptor, vt actum eſt, propria contemplatione proſpexit. Dedicauerat oratorium intrà domum Eccleſiaſticam vrbis Turonicæ in

cæ in primo ſacerdotij ſui anno, in quo cum reliquorum ſanctorum pignoribus huius Antiſtitis reliquias collocauit. Poſt multos verò dedicationis dies admonitus eſt ab Abbate, vt reliquias, quas in altari ipſo locauerat, viſitaret, nè ab humore noui ædificij humectatis aliquid in his putredinis inſideret. Quas cùm requirens reperiſſet infectas, ablatas ex altari contra ignem ſiccare cœpit. Verùm vbì ligaturas illas ſingulatim reſoluit, ventum eſt ad reliquias beati Illidij Epiſcopi. Quæ cùm contra ignem tenerentur, filum, quo ligatæ erant, quia erat valdè prolixum, ſuper ardentes décidit prunas, & tanquàm æneum aut ferreum, ab ardore ignis incanduit. Illo verò paruipendente, quid de filo fieret, dummodò ſanctæ reliquiæ ſiccarentur, æſtimans ipſum iam in fauillam fuiſſe reſolutum, comperit adhuc integrum & incorruptum, quippe quod vinculum & ligamen pauloantè fuiſſet huius glorioſi pontificis. Multa quidem & alia de hoc ſancto miracula ſunt relata, quæ ſcribere longum putaui, hæc æſtimans fidei perfectæ ſufficere, quæ dicta ſunt: quia cui pauca non ſufficiunt, plura quoquè non proderunt. Nam ad hunc tumulum cæci illuminantur, dæmones effugantur, ſurdi auditum, & claudi recipiunt greſſum, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui credentibus repromiſit à ſe petita ſine ambiguitate largiri.

Res ſanè admiranda.

Matth. 11.

MARTYRIVM SS. Nicoſtrati & ſociorum habetur in vita S. Sebaſtiani martyris 20. Ianuarij.

VITA SANCTARVM EARTONGOTÆ ET PROPINQVAE EIVS EDILBERGAE, SANCTIMONIALIVM

regionis Anglicanæ, per venerabilem Bedam presbyterum ſcripta. Habetur libro tertio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum Cap. 8.

ANNO Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo quadrageſimo, Eadbald Rex Cantuariorum tranſiẽs ab hac vita, Earcomberechto filio Regni gubernacula reliquit. Quæ ille ſuſcepta vigintiquatuor annis & aliquot mẽſibus nobiliſſimè tenuit. Hic primus Regum Anglorum in toto Regno ſuo idola reliquit, ac deſtruxit: ſimul ac ieiunium quadraginta dierũ obſeruari principali authoritate præcepit. Quod nè facilè à quopiam poſſet cõtemni, in tranſgreſſores dignas & competentes punitiones propoſuit.

Iulij 7.

Ecce quòmodò in principio acceptæ fidei Quadrageſimale ieiunium præcipitur.

Cuius filia Eartongota, vt condigni parenti ſoboles magnarum fuit virgo virtutum, ſeruiens Deo in monaſterio, quod in regione Francorum conſtructum eſt ab Abbatiſſa nobiliſſima vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore, necdùm multis in regione Anglorum monaſterijs cõſtructis, multi de Britannia monachicę cõuerſationis gratia Francorum vel Galliarum monaſteria adire ſolebant, ſed & filias ſuas eiſdem erudiendas, ac ſponſo cæleſti copulandas mittebãt, maximè in Brige, & in Cale, & in Andilegum monaſterio. Inter quos erat Sethrit filia vxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum, & filia naturalis eiuſdem Regis, Edilberga. Quæ vtraq; cùm eſſet peregrina, præ merito virtutum, eiuſdem monaſterij Brigenſis Abbatiſſa eſt cõſtituta. Cuius Regis filia maior Sexburg, vxor Earcomberechti Regis Cantuariorum, habuit filiam Eartongotam, de qua ſumus dicturi. Huius autem virginis Deo dicatæ multa quidem ab incolis loci illius ſolẽt opera virtutum, & ſigna miraculorũ vſque hodiè narrari. Verùm nos de trãſitu tantùm illius, quo cęleſtia regna petijt, aliquid breuiter dicere ſufficiat.

S. Edilberga Abbatiſſa.

Imminente ergò die ſuæ vocationis, cœpit circumire in monaſterio caſulas infirmarum Chriſti famularum, earumq; maximè, quæ vel ætate prouecta, vel probitate erant morum inſigniores, quarum ſe omnium precibus humiliter commẽdans, obitum proximè ſuum, quem reuelatione didicerat, non celabat eſſe futurum. Quam vidélicet reuelationem huiuſmodi eſſe perhibebat: vidiſſe ſeſe albatorum cateruam hominum idem monaſterium intrare, hosq; à ſe interrogatos quid quærerent, aut quid ibì vellent, reſpõdiſſe, quòd ob hoc illò fuerint deſtinati, vt aureum illud numiſma, quod eò de Cantua venerat, ſecum aſſumerent.

Dies reſolutionis S. Eartongotæ reuelatur.

Ipsa autem nocte, in cuius vltima parte, id est incipiente aurora, præsentis mundi tenebras illa transiens, supernam migrauit ad lucem, multi de fratribus eiusdem monasterij, qui alijs erant in ædibus, iam manifestè se concentus Angelorum psallētium audisse referebant, sed & sonitum quasi plurimæ multitudinis domum ingredientis. Vndè mox egressi dinoscere quid esset, viderūt lucem cælitùs emissam fuisse permaximam, quæ sanctam illam animam carnis vinculis absolutam, ad æterna patriæ cælestis gaudia ducebat. Addunt & alia, quæ in ipsa nocte in monasterio eodem diuinitùs fuerint ostensa miracula. Sed hæc nos ad alia tendētes suis narrare permittimus.

Lux permaxima animā illā ad æterna patrie cę lestis gaudia ducebat

Sepultum est autem corpus venerabile virginis & sponsæ Christi in ecclesia beati protomartyris Stephani. Placuitque post diem tertium, vt lapis, quo monumentum tegebatur, amoueretur, & altiùs in ipso loco reponeretur. Quod dum fieret, tantæ fragrantiæ suauitas ab imis ebulliuit, vt cunctis qui adstabant fratribus & sororibus, quasi opobalsami cellaria esse viderentur aperta.

Sed & matertera eius, de qua diximus, Edilberga, & ipsa Deo dilectam perpetuæ virginitatis gloriam in magna corporis continentia seruauit: quæ cuius esset virtutis, magis post mortē claruit. Cùm enim esset Abbatissa, cœpit facere in monasterio suo ecclesiam in honorem omnium Apostolorum, in qua suum corpus sepeliri cupiebat. Sed cùm opus idem ad medium fermè esset perductum, illa nè hoc perficeret, morte præerepta est, & in ipso ecclesiæ loco, vbi desiderabat, condita. Post cuius mortem fratribus alia magis curātibus intermissum est hoc ædificium annis septem, quibus completis, statuerunt ob nimietatem laboris, huius structuram funditùs relinquere, ossa verò Abbatissæ illo de loco eleuata in ecclesiam, quæ esset perfecta ac dedicata, transferri. Et aperientes sepulcrum eius, ità intemeratum corpus inuenêre, vt à corruptione concupiscentiæ carnalis erat immune. Et ita denuò lotum, atque alijs vestibus indutum, transtulerunt illud in ecclesiā beati Stephani martyris. Cuius videlicet natalis ibi solet in magna gloria celebrari die Nonarum Iuliarum.

Corpus S. Edilbergæ post septennium eleuatū apparuit incorruptū.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI ET PRÆCLARI MARTYRIS PROCOPII, EX SIMEONE *Metaphraste.*

Iulij 8.

Cap. 1.

DIOCLETIANO & Maximiano Romanorum Imperium administrantibus, vehemētissimum bellum erupit aduersùs Christianos, eis sibi hūc vnum scopum proponentibus, vt vniuersam pietatem contererent, & Christianis omninò afferrent interitum: multum quidem studij adhibentibus ijs, qui impijs eorum iussis inseruiebant, & impijs edictis vniuersum orbem terræ peruadētibus, quæ iubebant eorum sceleratam obseruare religionem. Iniquorum autem horum edictorum vnum quoquè erat emissum aduersùs Aeliorum ciuitatem, quod hoc modo habebat: Magnus Imperator Diocletianus omnibus, qui beneuolo sunt animo in inuictos deos, salutem. Oportebat omnes omni vti studio ad cultum magnum deorum, eorumque templa & aras excitare, eisque dies festos celebrare, & sacrificia publicè peragere. Mihi autem significatum est de quibusdam insipientibus aliter docentibus, & nouos mores in aures hominum inducentibus. Quocirca præsens quoquè decretum exponimus in omni loco nostræ dominationis, iubentes omnes & deos colere, & eos obseruare, certò scientes, quòd qui noluerint eadem sentire, eos iudicia & supplicia, & mortes violentæ excipient: eos autem, qui parebunt, innumerabilium bonorum remunerationes, multæque suppeditatæ opes & pecuniæ recreabunt, & maximis fruentur honoribus, & totum vitæ tempus rectè degent.

Edictū Diocletiani.

Minæ.

Promissa.

Cap. 2.

Cùm ergò tale edictum edidissent, Diocletianus quidem proficiscebatur ab Italia in Aegyptum. Eum enim vocabat, quæ tunc Alexandriæ excitata erat, seditio à quodam, qui vocabatur Achilles, & eam inclinârat ad defectionem, & breuì totam Aegyptum occupauerat, & se purpureo amictu induerat. Maximianum autem ad gentes, quæ sunt vltra alpes, emittit, sedaturum eos, qui illic erāt, tumultus. Opùs autem esse ratus,

ratus, vt maiori ope rebus prouideretur, duos quoquè creat Cæsares, Maximinum cognomine Galerium, & Constantium patrem magni Constantini, qui etiam ducebat originem ex filia Claudij. Quos cùm etiam vellet deducere ad maiorem fidem suæ in ipsum beneuolentiæ, quas iam quidem habebant vxores, priùs cogit repudiare: despondet autem Constantio quidem Theodoram, Herculij Maximiani vxoris filiam: Maximino autem, qui vocabatur etiam Galerius, Valeriam suam filiam. Et cùm hæc quidem ordinâsset, aduersùs Persas quidem emittit Maximinum Galerium: ipse autem, acceptis copijs, venit in Aegyptum. Et cùm inuenisset Achillem, qui ei occurrerat in locis, quæ sunt circa Pelusium, cum exercitu congressus, ne secundo quidem prælio opùs habens, facilimè extinxit tyrannidem, & Achillem, & omnes qui cum ipso erant, occídit. Prætereà autem magnitudine elatus victoriæ, & Aegyptiorum obstupefactus audacia, ijs, qui habitabant Alexandriam, crudeliùs, quàm humanæ naturæ conueniat, vsus est. Nam & muros ciuitatis diruit, & præclarissima quæque & preciosissima dedicata donaria abstulit, & ex ijs, qui ex populo restiterāt, multos interemit. Processit autem etiam vsque ad Busiridis immanitatem, in eos, qui resistebant, sæuiens. Porrò autem omnes quoquè libros exussit, qui de fundendo auro & argento ab antiquis scripti fuerant Aegyptijs, nè Aegyptijs ampliùs prouenirent opes ex tali arte, neque confidētes magnæ vi pecuniæ, decęterò manus aduersùs Romanos sustollerent.

Diocletiani furia in Alexandrinos.

Rebus autem sic in Aegypto administratis, venit etiam Antiochiam, quæ sita est ad fluuium Orontem. Et cùm res quasdam publicas in ea meliùs constituisset, ad Daphnen egreditur ad templū, quod illic est, Apollinis, qui etiam dicebatur Daphnæus, se parans, vt ei offerret sacrificium. Cùm autem didicisset, totam Antiochiam à Christianorum pia fide iam olim esse possessam, (In ea enim ciuitate ab initio iactum erat ab Apostolis Christi fundamentum fidei, & hinc Christiani sunt nominati, qui Christo crediderant, vt Lucas narrat in Actibus) tunc quidem de eis distulit inquirere, die scilicet festo eum vrgente, quem Apollini apud ipsam Daphnen erat celebraturus cum toto exercitu, ei ex vnoquoque genere sacrificans Chiliombas. Postquàm autem peractum fuit tempus illorum sacrificiorum, reuertitur rursùs Antiochiam. Ingredientem autem in ciuitatem, in vocibus & tympanis eum exceperunt ciues, laudibus bonisque verbis prosequentes. Sequenti autem die in regia sedens cathedra, vt mos est Imperatoribus, accersitis omnibus senatoribus, in mysterijs eos instituebat, execrandos suos deos, & eorum sacrificia exponens, & suam impiam aperiens superstitionem. Illo autem tempore quædam Theodosia ordinis Senatorij, quæ erat prima ciuitatis Aeliorum, quæ priùs quidem & ex Dauid Hierosolyma, & Sion vocabatur, posteà autem propter nefarium illud in Christum & in eius Apostolos & discipulos perpetratum facinus, à Vespasiano capta, & penitùs deleta & diruta, sic mansit vsque ad tempus Adriani, qui vocabatur Aelius. Cùm autem ille eam paulò pòst renouare, & rursùs ad habitandum condere statuisset, eam ex suo nomine nominauit Aeliam. Et permansit vsque ad id tempus hanc nacta appellationem, vt quæ vnà cum Christi morte venerandum quoquè nomem amiserit, nempe vt vocaretur Hierosolyma.

Cap. 1.

Theodosia mater S. Procopij.

Hierosolyma vndè Aelia dicta.

Cap. 4.

Ex ea ergò genus trahens Theodosia, cùm pauloantè amisisset maritum Christianum, erat vidua, gentilium vitæ institutum honorans, & filium in eiusmodi dogmatibus & doctrinis éducans: qui erat quidē ei vnicus, & vocabatur Neanias. Ea cùm intellexisset Diocletianum Imperatorem venisse Antiochiam, accepto secum filio, & multis secum allatis pecunijs, venit ipsa quoquè Antiochiā: & cùm ad Imperatorem accessisset, supplicabat. Cùm autem intellexisset Imperator, quænam esset, interrogauit quanam de causa venisset: deindè, & quisnam esset eius maritus, & cuiusnam esset ipsa religionis. Postquàm autem audijsset eius quidem maritum, qui erat Galilæus, decessisse, ipsam autem deos, quos colit Imperator, adorare: venisse aut̄ supplicatum, vt eius filius militaret, de eo est lætatus: & ijs acceptis, quas attulerat, pecunijs, se eius petitionē lubenter impleturum est pollicitus. Cùm autem eius quoquè filium Neaniam adspexisset, & fidē ab eo accepisset, quòd ex matris traditione ipse quoquè deos coleret & honoraret, & alioquì in Græcorum disciplinis esset summè eruditus: adolescentē admiratus, vidensque eius spiritū superare ætatem, & ingenij firmitatem ac grauitatem ex morum modestia intelligens, cōstituit eum ducem Alexandriæ, iubens illuc venire, & quoscunque inuenerit seipsos nominantes Christianos, & Crucifixum

Neanias præficitur Alexandriæ Is autem est Procopius.

fixum obseruãtes, omnes quidem eorum facultates publicare, ipsos autem malè vita priuare. Cui Neanias: De ijs, inquit, audiui, ô Imperator, eos quendam filium Dei colere, qui dicitur Christus: esse autem eos viros inobedientes, fortisque & constantis animi, & mortem minoris facere, quàm dijs offerre sacrificium. Quamobrèm hoc mihi viderur difficile, posse eos ad nostram traducere religionem. Propter quæ Imperator, veluti quadam rabie impletus dæmoniaca, blasphemam mouit linguam aduersùs Christum Deum & Saluatorem nostrum: Ego quoquè, dicens, cùm eorum scripturas sæpè legerim, ex eis nihil accepi vtilitatis. Nam Deus quidem eorum, vxorem (vt aiunt) non duxit: in quem autem ij credunt Christum, is dicitur quidem natus ex muliere: à Pontificibus autem & toto populo Iudæorum, tanquàm maleficus, morte damnatus, & corona spinea coronatus, irrisionesque & innumerabiles perpessus contumelias, deindè etiam cruci affixus, & tandèm acero felle temperato potatus, ità emisisse animam: cuius suspensi corporis quosdam ductos misericordia, id vix tandèm sepelijsse. Si autem is erat Deus, cur hæc sustinuit? Quomodò autem est Deus, & quî possit seruare, qui ne seipsum quidem potuit liberare? Hæc filius perditionis. Sermo enim Crucis (vt ait diuinus Paulus) ijs, qui pereunt, quidem est stultitia: nobis autem, qui seruamur, est virtus Dei.

1. Cor. 1.

Cap. 5.

Hæc ergò cùm dixisset, & duas militum cohortes ad ferendum auxilium aduersùs eos, qui contradicerent, ei tradidisset, emittit Alexandriam. Sic itaque procedebat Neanias paratus aduersùs Christianos, qui erat futurus magnum decus Christianis. Cùm autem ingrederetur viam, quæ ducit Alexandriam, quoniam locus erat æstuãs, & igni similem Solis accipiebat radium, & eueniebat, vt nec ipsi possent ingredi, & eorum equi nimio æstu essent planè resoluti, noctù potiùs inter inibat.. Cùm autem peruenisset Apameam Syriæ, tota ciuitas die iam lucẽte fit ei obuiàm ante ciuitatem. Cùm illinc autem exijsset, & iter rursùs esset ingressus, & circa tertiam horam noctis circiter triginta stadia abesset Apamea, fit protinùs vehemens terræmotus, & visum est fulmen exilire terribile, erantque omnes quasi mortui: vox emissa est è cælo, dicẽs: Neania, quò vadis, & aduersùs quem tanto impetu incitaris? Ille autem ea, quam habebat, animi libertate, verè dixit omnia: Imperator, dicens, me creauit ducem Alexandriæ, deditque potestatem, vt quoscunque inuenerim ex Galilæis, seipsos nominantes Christianos, & crẽdentes Crucifixo, eos puniens tollam de medio. Et rursùs audiuit: Quid verò, ô Neania, tu etiam contra me venis? Ille autem respondit: Tu autem quis es, Domine? non possum enim cognoscere. Ei, cum sic dixisset, statìm appáret Crux crystallo similis, voxque è Cruce exijt, dicẽs: Ego sum Iesus crucifixus Dei filius. Neanias autem: Dictum est, inquit, mihi ab Imperatore, quòd Deus, quẽ colunt Christiani, vxorem non habuit: quomodò ergò tu teipsum dicis esse Dei filium? Et si es re vera Dei filius, quanam de causa te cõdemnârunt Iudæorum Pontifices, & Pontio Pilato Præsidi, tanquàm vnum ex reis damnatis, tradiderunt? Quomodò autem etiam ligno Crucis affigi sustinuisti, & acetũ felle mixtum tibi præberi? Ei autẽ rursùs vox declarauit, dicens: Neania, quoniam vidi te futurum mihi vas electionis, oportet me tibi meum significare consilium, & susceptæ carnis œconomiam. Nisì enim ego fuissem traditus, non eos, qui erant traditi diabolo, vt Deum decebat, reuocâssem. Si non fuissem condemnatus, non ijs, qui erant condemnati, dedissem remissionem. Si non fuissem ligno Crucis affixus, non eos reformâssem, qui esu ligni interierant. Si non morte essem affectus, non eos, qui morte erant affecti, viuificans excitâssem. Hæc cùm dixisset Dominus, & diuino gaudio implêsset animum Neaniæ, ascendit in cælos: In hoc, dicens, signo, quod tibi apparuit, vince hostes: & pax mea erit tecum. Ille autem cùm gaudio, vt dictum est, & audacia, & fide esset impletus, cum suis militibus hacipsa hora noctis accessit Scythopolim. Deindè cùm clàm accersijsset adolescens eos, qui erant aurifices, & qui aurum argentumq; fundebant & signabant: Potestísne, inquit, mihi vas efficere, quod ego vobis dixero? Illis autem suspecta quidem erat, quę clàm facta erat vocatio: sed insignem viri famam reueriti, cùm communiter consultâssent, vno ex suis adducto viro excellentissimo, nomine Marco: Hic, dixerũt, domine faciet quod voluẽris. Missis ergò alijs, & accepto Marco, & intrà suum introducto cubiculum, eum seorsùm allocutus: Fac, inquit, mihi vas, vt ego iussero, & à me maximũ precium accipies. Cùm is autẽ esset assensus, auri & argenti ponit ante eum, quod sufficit, & digito ostendit ei figuram Crucis, quæ sibi apparuerat. Marcum autem, cùm primùm hoc vidisset, subijt timor, & dixit: Domine, nõ possum hoc facere. scio

Christus in via appáret Neaniæ.

Neanias qui & Procopius, more Apostoli Pauli à Domino vocatur.

Vide virtutem signi sanctissimæ Crucis.

scio enim hoc signum esse Galilæorum: quod quidem si resciuerit Imperator, me malè perdet. Adolescens autem statìm Marco dat iusiurandum, se hoc arcanum nunquàm esse prolaturum, neque id vlli vnquàm esse aperiendum. Sic persuasus Marcus, seorsùm Crucem efficit ex auro & argento. Cùm autem iam esset finem impositurus, in ea statìm videntur tres imagines, inscripta nomina habentes. Erant autem scripturæ sermonis Hebraici, supernè quidem in principio Emmanuel: in ijs autem rursùs, quæ erant vtrinquè, initijs Michael & Gabriel. Cùm eas autem vellet delere, non poterat, quòd maneret eius manus tanquàm arida. Cùm autem venisset adolescens noctù in ædes Marci, & acciperet Crucem iam consummatam, eam videns adorauit, rogauitque Marcum de personis, quæ in ea cernebantur, & inscriptionibus. Ille autem: Cùm, inquit, domine, opus iam esset finiendum, hæ tres statìm exortæ sunt imagines. Non possum autem scire, quænam sint eæ, & quorumnam inscriptiones. Adolescens verò cùm intellexisset aliquam esse in Cruce virtutem, eam rursùs adorauit: Et cùm eam quadam preciosissima purpura inuoluisset, & precium magnum Marco exoluisset, lætus viam inijt, & vnà cum duabus cohortibus venit ad suam ciuitatem.

Eccè miraculosa apparitio triũ imaginũ in Cruce recẽs facta.

Bis Crucem adorat Neanias.

Accidit autem eo tempore, vt quædam eiusmodi absurda & improba inualescęret consuetudo, vt filiæ virorum ciuitatum, quæ erant circuncircà, raperentur in vxores ab Agarenis. Cùm autem hoc esset graue parentibus, & eos valdè tangeret, tuncque conuenissent Agareni, & ciuitatem in orbem circunsedissent, Neaniæ rem exponũt, & vehemẽter rogant, vt eorum calamitatis motus misericordia, inuaderet inimicos, & non despiceret patientes grauissima. Is autem eis statìm morem gerit, & egreditur: & cùm vt fortes ac strenui sui milites se accingerent, curâsset, Crucem quoquè secum intulit, vt eorum, quæ ab eo visa & dicta fuerant, experientiam faceret, ducens eam, quæ in manibus erat, optimam huius rei experiendæ occasionem, & dicens: Nunc cognoscam, an qui mihi apparuisti, sis viui Dei filius, & an in nomine tuo ad nihilum redacturi simus eos, qui in nos insurgunt. Et statìm ab eo vox de cælo auditur, dicens: Confide Neania: Ego enim sum Dominus Deus tuus, & ego sum tecum. Cùm hanc ille vocem audijsset, persequitur Agarenos: & cùm esset assecutus, constituit vtrinquè milites à dexteris & à sinistris: & cùm iussisset, vt enses stringerent, imperauit vt ferirent: Perdemus enim, inquit, aduersarios, opem ferente eo, qui est Crucifixus. Et cùm sic hostes circundedissent, occidunt virorũ sex millia, ex viris adolescentis nullo non modò cæso, sed ne omninò quidem vulnerato.

Cap. 6.

Insignis victoria Neaniæ aduersùs Agarenos.

Cap. 7.

Hoc magno trophæo diuinæ Crucis virtute parto, ab eo domũ mittitur quidam miles, bonum nuncium matri significaturus. Cui illa occurrit: & cùm intellexisset ea, quæ facta fuerãt, summa impleta est lætitia. Cùm autem eius quoquè accessisset filius, eum salutans & suauissimè amplectens: Oportet, inquit, ô charissime dijs agere gratias. Sæpè enim, inquit, sæpè eos sum precata, cùm tu inuaderes inimicos. Ille autem ei dixit: Rectè quidem fecisti, ô mater, orans pro nobis: ego autem sum assecutus præclarum Dei mei auxilium. Illa verò: Nè sic dicas, inquit, ô fili, neque Deum nomines, nè si alij irati fuerint, te malè afficiant. Adolescens autem aperiens matri fores pietatis, & quod est maximè nouum, à parentibus acceptam maiorem referens gratiam, & ei, quę vt esset solũmodò dederat, vt benè esset reddens: Fraus, inquit, ô mater, te abduxit à via veritatis, quemadmodùm res ipsa te docebit. Cùm matrem ergò accepisset, & in eius cubiculum, vbì erant simulacra, ingressus esset: Vobis, inquit, dico dijs, Quis est, qui mihi in bello opem tulit? Hoc autem dicto, non erat vox, non auditus. Statìm ergò conuersus ad matrẽ: Eccè, inquit, ô mater, dij tibi nullum præbent sermonem, quoniam ne possunt quidem. Illa autem: Quoniam, inquit, ad eos accessisti tanquàm irridens, propterea stultum & superuacaneum putant tibi respondere. Ille verò, Sed tu, inquit, accedens, ab eis omninò disce, quod quæritur. Illa autem cum tanta ad eos accedens reuerentia, cum quanta ad verum quis Deum accessisset: Rogo vos, aiebat, dij cælestes, omnipotens summe Iupiter, & Iuno regina, & tu domine maris Neptune, & Sol Apollo, & tu vrbis patrona Pallas, & quotquot estis alij dij: non vos estis, qui meo filio & vestro famulo opẽ tulistis? Et ex æquo erant omnia, vt diuina scriptura dicit, muta & surda. Protinùs autem adolescens habens in manibus arma Crucis, reiecit chlamydem, & diuino zelo impletus, cùm matrem paululùm repulisset, firmis ac solidis insultat simulacris, & impetens calcibus, ea humì detrahit. Deindè cum in minuta diuisisset, (erãt enim facta ex auro & argento) distribuit pau-

Psal. 113. Neanias matris simulacra destruit.

pauperibus, ſic faciens vtilia, quæ erant inutilia. Et matri confidenter, Ego, inquit, ſum adiutus à Crucifixo.

Cap. 8. Illa autem cùm vidiſſet quod factum fuerat à filio, ſtatim & ipſam naturam, & materna viſcera nihil ducens præ vana ſua religione, accedit ad Diocletianum, & dicit: O Imperator, filius meus incidit in magnum errorem. credidit enim Crucifixo, & elatus eſt aduersùs noſtros deos: Etenim in meum ingreſſus cubiculum, eos cõfregit, & in minutas partes diuiſit, & diſtribuit pauperibus. Ille autem cùm vidiſſet eius animi perturbationem & vexationem, & partim quidem eſſet miſertus eius doloris, partim verò grata & accepta ei fuiſſet illius magna in deos ſuperſtitio: Sis, inquit, bono animo, ô mulier, & omnem expelle moleſtiam. Fieri enim poterit, vt nos admonitionibus eum in noſtram traducamus ſentẽtiam: ſin minùs, ipſe quidem malus malè peribit: tu autem diligenter obſerua in toto hoc noſtro Senatu, & quem ex eis tibi gratum víderis, is vtiquè ſit tibi iudex in filium. Sine autem illum, ſi non ad noſtram traducatur ſententiam, ea recipere, quæ eius meretur ſtultitia, qui te & deos affecerit iniuria. Illo autem tempore adminiſtrationi Palæſtinæ à Diocletiano præfectus fuerat quidam Italus, nomine quidem Iuſtus, peruerſo autem ingenio & mente crudeliſſimus atque immaniſſimus, &, vt ſemèl dicam, dignus miniſter eius, qui eum præfecerat. Ad quem ſcribit Diocletianus, qui verſabatur Antiochiæ, vt accepto Senatu earum, quæ ſunt circuncircà, vrbium, eat ad ducem Neaniam filium Theodoſiæ: ſe enim ex ea audiuiſſe, quòd is in grauem errorem inciderit, credens Crucifixo: & ſi ei quidem perſuaſum fuerit, vt hanc recentiorem dediſcat religionem, & ipſi benè erit, & tu, inquit, maximos honores conſequéris. Sin minùs, ablato ei cingulo, ſubijciatur omnibus ſupplicijs. Sic enim alijs quoquè incutietur metus, nè ſimilia aggrediantur.

Epiſtola Diocletiani ad Iuſtum Palæſtinæ regionis præfectum.

Cap. 9. Poſtquàm autem legit Præſes epiſtolã, acceptis Senatoribus, venit in ædes Ducis, & miſſo vno ex ſatellitibus, Neanię ſuum aduentum ſignificat. Ille verò iuſſit ingredi. Poſtquàm autem eſſet ingreſſus, primùm quidem eum ſalutat, deindè etiam tradit ei Epiſtolam. Ille verò cùm eam legiſſet, & quæ illic erant in Chriſtum blaſphema, adſpexiſſet, & pati non potuiſſet, ipſe ei fecit id, quod eam pati oportebat: Et cùm eam in multas partes ſcidiſſet, & diſperſiſſet, & ventis mandâſſet, Ego ſum, inquit, Chriſtianus: fac quod tibi eſt imperatum. Præſes autem: Et metu, inquit, Imperatoris, & tua diſtractus reuerẽtia, dubito quid agam. Me ergò & hunc Senatum andiens, in noſtro conſpectu dijs ſacrifica, vt ſignificemus Imperatori, te eſſe perſuaſum. Nam alioquì quid aliud omninò reſtat, quàm vt ego metu vinctus faciam, quod iuſſus ſum? Neanias verò, Pulchrè, inquit, iuſſiſti, vt ſacrificem: ſacrificabo enim, ſed meipſum Chriſto: cuius potiùs vereor ſupplicia, quàm veſtra, quæ ad tempus dolorem moleſtiamque afferunt. Eccè ergò propoſitæ ſunt tibi carnes: caſtiga Præſes, ne tantillùm quidem noſtrî curam gerens. Ille autem & audaciam, & ad patiendum promptum animi ſtudium admiratus adoleſcentis: Non ſic, inquit: nam & tu Imperatori es charus, & ab eo haberis in honore. Deindè adoleſcens ſuſpectã habens remiſſam Præſidis reſponſionem, nè eius reprimeret impetum ad puniendum, & ipſe veniret in periculum, nè propter Chriſtum non pateretur, velutì eum ad iram excitans, & bilem ei volens accendere: Dixi tibi, inquit, me eſſe ſeruum Crucifixi, & me ei ſoli credere. Hæc & confidenter dixit, & cùm ſoluiſſet cingulum, proijcit in faciem Præſidis. Et ſic iratus Præſes, vnà cum Senatu ſurrexit, eumq; comprehenſum iubet duci Cæſaream: illic enim præerat templi ædificationi. Cęſaream autem hanc dicimus, quam etiam Philippi ſolemus appellare: quæ etiã priùs appellata fuit Turris Stratonis. Phœnices verò eam appellant Paneadem, à monte ei vicino Panio, ei nomen imponentes. Sed quoniam huius ciuitatis ſemèl fecimus mentionem, non par eſſe arbitror prętermittere narrationem, quæ digna eſt, quæ tradatur vniuerſo ſeculo.

Ardor eius pro Chriſto patiendi.

Cęſarea Philippi.

Cap. 10. Matth. 9. Luc. 8. Mulierem enim, quę ſanguinis profluuio laborabat, quam ex Euangelijs à Saluatore noſtro fuiſſe à morbo liberatã didicimus, hinc dicunt cepiſſe originem, & domum eius oſtendi in ciuitate, & beneficij in eam à Saluatore collati remanere ſigna admirabilia. Stare enim ſuper altum lapidem ad fores domûs eius effigiem æneam, flexis genibus & extenſis anteriùs manibus, ſupplicanti ſimilem. Ex aduerſo autem eius aliam ex eadem materia rectam viri figuram diploide honeſta amictam, & manum mulieri porrigentem, iuxta cuius pedes in columna naſcitur quoddam alienum herbæ genus, quod aſſcendit vſque ad fimbriam diploidis ſtatuæ æneæ: eſt autẽ omnium morbo-

Antiquiſſima Saluatoris imago, & mira vis herbæ apud eã creſcẽtis.

morborum remedium. Hanc ſtatuam dicunt omnes ferre Chriſti imaginem. Manſit autem ad noſtra vſque tempora, adeò vt eam quoquè adſpexerimus, cùm ageremus in ea ciuitate.

Cùm in hac ergò Cæſarea ſederet Præſes, iubet adduci martyrem: Quem cùm adſpexiſſet populus ciuitatis, temulentus errore ſimulacrorum, palàm clamabant, vel potiùs qui per illos loquebatur, pater impietatis: Hic eſt, dicentes, qui deorum quidem euertit ſacrificia, illos autem deſtruit, Imperatoris etiam edictum irridet & ſubſannat. Hæc cùm audîſſet Præſes, tanquàm à malo dęmone animo efferatus, iubet ſuſpenſum iuuenem valdè cædi. Quod cùm factum eſſet, quidam ex circunſtantibus, & vt corporei ad ea, quæ ſunt corporis, adſpicientes, miſerabantur ætatis martyris, & adſtantes deflebant. Quos cùm adſpexiſſet præclarus Chriſti miles, qui neque animi perturbatione, neque vllo tormento vincebatur: Patres, inquit, & fratres, ceſſantes propter me flere, flete potiùs propter errorem & interitum animarum veſtrarum. Is enim eſt verè dignus lachrymis, vt qui habeat æterna parata ſupplicia, & dolorem, qui nunquàm ceſſat. Hæc cùm dixiſſet, adſpexit ad eum, qui poteſt ſeruare. Et cùm oculos ad montes ſuſtuliſſet, vndè etiam ſperauit venturum auxilium: Deus, inquit, qui es dux errantium, adiutor eorum, qui ſunt in afflictionibus, tu me confirma ad conculcandum maligni ſtimulos, ad gloriam tui nominis & maieſtatis tuæ incomparabilis. Cùm autem eſſent defeſſi, qui cædebant, & carnes, tanquàm aqua inanis, in terram defluerent, & non ampliùs apparéret membrorum formatio, vt quæ in ſolis cerneretur oſſibus, ſolum autem cor palpitaret, iuſſus quidem eſt reduci, duci verò in carcerem: erat enim veſpera.

Cap. 11. Neanias verberatur immaniſſimè. Pſal. 120.

Cuſtos autẽ carceris Terẽtius (hoc erat enim ei nomen) cùm martyri benè vellet, & multorum, quæ ab eo acceperat, bonorum eſſet memor, eum quidem includit in carcere interiore propter metum Præſidis: ſed ei molle fœnum attulit, & ſindonem, & in eis ſanctum deponit. Iam autem circa mediam noctem magnum quidem terræmotum excitat Deus in ciuitate. Etenim ipſe Deus adeſt vnà cum ſuis Angelis, ſtrenuum reuerà athletam viſitaturus. Quomodò enim fieri poterat, vt eum, qui ſic laborauerat, relinqueret abſque conſolatione? Et ſtatim quidem carcer aperitur: reorum autem protinùs ſoluuntur catenæ. Deindè interiorem ingreſſi carcerem, in quo erat martyr, eum monent Angeli ſub ſpecie virorum, dicentes: Reſpice Neania. Ille verò reſpexit, & vidit: Et, quinã eſtis, qui adeſtis? placidè rogauit. Illi autem: Sumus, dixerunt, Angeli à Chriſto ad te miſſi. Adoleſcens verò eis proponens probationem eius, quod dictum fuerat: Si, inquit, eſtis Angeli Chriſti, genu ei flectite, & ſignũ eius Crucis in veſtris ſignetur oculis. Illi autem ſic fecerunt. Et cùm adieciſſent, Credis nos fuiſſe à Chriſto ad te miſſos? Ille autem velutì oblitus illorum grauium, quæ ſuſtinuerat, tormentorum, fortè quòd maiora pro Chriſto perpeti deſideraret: Tres, inquit, pueros, qui ad ignis fornacem decertabant, iurè Dominus dignatur ſua viſitatione, & mittit Angelum roſcida nube flammam ſoluentem: A me autem quid factum eſt eiuſmodi? aut aduersùs quem ignem decertaui, vt dignus eſſem ea, quæ per Angelos fit, conſolatione? Chriſtus verò erat, qui hanc magnam modeſtiam & humilitatem in eius cor immittebat. Qui cùm etiam ſancto manifeſtus eſſet in forma humana, lucem emiſit clariſſimam: & cùm eum aqua adſperſiſſet & tetigiſſet, fecit ſurgere, dicens: Non tu ampliùs Neanias, ſed Procopius appellaberis: Te ergò fortem præbe & ſtrenuum. Proficiens enim proficies, & patri meo, qui eſt in cælis, gregem exhibebis. Illum autem tremor inuaſit, & flexis genibus: Rogo, Domine, dicebat, pelagus tuæ patientiæ, nè iniquitatum mearum recorderis, qui per viſcera tuarum miſerationum me vultu adſpexiſti propitio, qui viuus eram captus ab alieno: cõſerua integram meam animam. Vereor enim, nè ea fortè timore affecta, propter multam imbecillitatem huius humilis corporis, veniat in periculũ circa confeſſionem ſuę in te affectionis. Ad hæc autem dixit Dominus: Noli timere. ego enim ſum tecum. Et hæc cùm dixiſſet, cor magna impleuit audacia, & tanta lætitia, quanta dici non poteſt, eius repleuit animam. Sicque iuit in cælos, ne corpore quidem eius relicto experte diuinæ ſignificationis. Nam inuentũ eſt hoc quoquè totum illæſum, totum intactum, & nec vllas omninò oſtendens reliquias aut typos vibicésve alicuius plagæ: ſed nec laboris relicta erat illi corpori vlla ſignificatio: ſed erat Sanctus animo quidem tranquilliſſimo totus: corde verò audaciſſimo, & maxima fiducia pleno: corpore autem ſaniſſimo atque florentiſſimo. Cor enim eius ſperauit in Domino, (vt dicamus cum diuino

Angeli eum inuiſunt.

Nota hæc Lector.

Dan. 3.

Mira humilitas eius.

Chriſtus ei appáret, & eum baptizat, vocans cum Procopium.

Chriſtus eũ confirmat, & ſanat.

Pſal. 27. Pſal. 76.

Dauide) & adiuta est & germinauit caro eius, apertè habens mutationem à dextera altissimi.

Cap. 13. Erant autem hæc impiorum auribus incredibilia, & ab eis minimè admitti poterãt. Magna enim res est pietas, & quæ magnis opùs habet animis. Erãt autem ij abiecti, & qui non magna animo agitabant, planeque humì affixi, & rebust errenis dediti. Cùm enim vnum ex satellitibus misisset die sequenti Præses, rogauit, an esset mortuus Neanias. Terentius verò custos carceris ei declarat, quæcunque facta fuerant in carcere. Quæ cùm audijsset satelles, voluit sanctum videre in carcere. Accedens itaque eum vocauit. Ille verò exaudijt. Erat autem satelles cæco similis. Confessus est itaque cæ-
Iohan. 12. citatem, dicens: Non possum te videre. Cui diuinus Procopius: Quicunque, inquit, recedit à luce, & seruit dæmonibus, est in tenebris, & nescit quò vadat. Hæc profectus satelles renunciat Præsidi, & alijs quotquot erant, magistratibus. Is autem statìm sanctum accersit. Qui quidem cùm adduceretur, eius quidem facies resplendebat, sicut Sol: totum autem corpus erat mundo linteo simile. Cùm itaque eum adspexissent ciues, neque rugam habentem, neque aliquod aliud signum supplicij, repleti admiratione, velutì accepta quadam luce in Deum pietatis, simul cum militibus,
Multi credunt in Christum. Deus huius sancti, dixerunt, fer nobis auxilium. Et sic quidem multitudo. Præses autem erat, vt dicitur, asinus lyram audiens. Non modò enim ipse non agnouit, sed eos etiam, qui agnouerant, studuit peruertere. Postquàm enim vidit multitudinis, quæ facta fuerat, ad Deum conuersionem, è sede surgens, & manum extendens: Fratres, quid magnum, inquit, adspexistis? quòd dij magna vsi clementia, facilè suum reformârunt famulum? Cui sanctus, multò lepidiùs spiritali sapientia eludens & conuincens mundi calliditatem: Re vera, inquit, vt dixisti, sum reformatus: sed si hoc donum dijs ascribis, vobis eundum est ad eorum templum, vt sciatis quisnam ex ijs nos benignè adspiciens, fecit reformationem. Ille autem (facilè enim persuadetur insciti a, & maximè, cum velle & credere simul conueniunt) maximo statìm repletur gaudio, iubetque forum ornari, quantùm à prætorio ferebat vsque ad templum, & solum sterni linteis, & præcones supra muros ascendentes, alta voce clamare, Quòd Neanias filius Theodosiæ mulieris senatoriæ, ductus erat pœnitentia, & dijs modò vellet offerre sacrificia.

Cap. 14. Cùm hæc autem audiuissent, quicunque ex ciuibus gentilem sequebantur religionem, valdè quidem sunt lætati: Christiani autem magna afficiebãtur molestia. Confluxerat autem multitudo frequentissima. Sanctus verò cùm rogâsset, vt solus ingrederetur, dicens: Quoniam solus eos affeci contumelia, me oportet magna vti excu-
Totum corpus Cruce consignat. satione. Cumque ingressus portas clausisset, stat ad Orientem, & totum suum corpus obsignat: deindè manus & oculos tollens in cælos: Domine, inquit, Iesu Christe fili vnigenite patris, qui non cadit sub adspectum, qui verbo omnia produxisti, &
Deus pater non cadit sub aspectũ. voluntate tua contines, qui extensus es supra lignum, & alligâsti fortem, & ijs, qui ab illo vincti erant, æternam peperisti libertatem: ipse nunc quoque extende tuam, quæ sub adspectum non cadit, manum omnia efficientem, & execrandas eorum, qui falsò nominantur, deorum contere statuas, quæ fabricatæ sunt ad tuum decipiendum figmentum: vt & eorum arguatur imbecillitas, & pudore afficiatur iniquus Imperator cum Præside, qui est æquè impius: & glorificetur nomen tuum, quod est
Ecce virtutem signi viuificæ Crucis. à me inuocatum: & omnes sciant te esse, qui semper viuis, & es Rex solus æternus & immortalis. Hæc cùm dixisset, & signum viuificæ Crucis in aëre iecisset aduersùs statuas: Vobis, inquit, dico immundis simulacris, timete Dei mei nomen, & in aquam resoluta, in hoc templo dispergimini. Deindè cùm manum tetigisset Apollinis, eum
30. simulacra in aquâ redegit. cœpit diuellere: & sic eadem hora triginta sunt deiectæ statuæ, & in aquam solutæ protinùs, & extra templum diffusæ: adeò vt nonnulli ex ijs, qui illic adstabant, cùm vidissent quod factum fuerat, valdè sint mirati & clamauerint: Christianorum Deus, fer nobis auxilium.

Cap. 15. Præsidem autem, qui erat animi valdè dubius, ob contrita simulacra, & ob cõuersionem militum ad pietatem, excitat qui bonis inuidet diabolus: & sanctum quidem Christi martyrem curat conijci in carcerem: Militibus autem, eos intuens, dixit: Quid
Milites multi credunt. verò? vos quoque estis Christiani? Cùm illi autem, tanquàm vno ore, essent assensi, ægrè ferens Iudex, volebat quidem eos varijs punire supplicijs, & sic iræ suæ afferre solatium, vt qui in eos acerbũ concepisset odium, quòd desciuissent: timebat autem, nè à duarum cohortium multitudine, excitata seditione, interiret. Statuit itaq; cum magna

magna militum multitudine eos repentè inuadere, nè id sentirent: & cùm eos in orbem circundedisset, tollere de medio. Cùm autem iam aduesperasceret, duarum cohortium milites cum duobus tribunis ad sanctum venientes in carcerem, rogabant, vt ipsi quoquè referrentur in catalogum Christianorum. Quibus martyr: Fratres, vultis vos quoquè, inquit, Regi meo militare? Ijs autem magnũ animi impetum ad hoc ostendentibus, Martyr valdè est lætatus. Et cùm rogâsset custodem carceris, qui ei (vt iam dictum est) benè volebat, finitur egredi è carcere: (dedit enim fidem se non esse fugiturum, propter magnum martyrij desiderium, & quòd ille magìs sitiret pro Christo profundere animam, quàm amici impietatis eũ interimere.) Postquàm autem est egressus, noctù venit ad Leontium ciuitatis Episcopum: cumque eum conuenisset, tradit milites, mandans, vt ei curæ esset illorum baptismus. Ille verò cùm
Post catechesin baptizantur & accipiunt Eucharistiam. accepisset, & deindè etiam catechesi instituisset, baptizat eos cum duobus eorum tribunis, eosque impertit viuifico corpore & sanguine Christi. Quos post baptismum diuinus rursùs Procopius docebat pietatem, à diuina ipse doctus gratia, & faciens id, quod illi factum fuerat, & id effectus ijs, qui crediderant, quod illi erat spiritus: & rursùs dans gratìs id, quod ipse gratìs accipiebat. Erat enim & sermone iucundus, & in congressione admodùm placidus & moderatus, & ad aures detinendas, & fidem eis faciendam longè vtilissimus. Eius autem doctrina sic habebat: Fratres, scitis cui Regi militatis, & cui pacta conuenta fecistis? Oportet autem ea conseruare firma & stabilia, & propter nullum ex ijs, quæ delectant, neque vllum ex ijs, quæ molestia aut timore possiunt afficere, discedere ab eius amore. Hoc autem pulchrè poteritis facere, si voluëritis præsentia conferre cum futuris. Quid enim nunc erit adeò
Hortatur eos S. Procopius ad constãtiam terribile, atquè gehenna ignis æterni, cùm neque id, quod vrit, omninò lucem habeat, neque id quod punit, vnquàm cesset? Vbì verò ità punierit homo, vt Dei manus eum, qui semèl fuerit condemnatus in illam incidere? Quid autem ex bonis præsentibus tantam attulerit voluptatem, quantam Deus ipse largitur ijs, qui eum dilexerunt: cuius pulchritudo quidem est inexplicabilis, vis autem inexpugnabilis, gloria æterna, & cuius vniuersa fiunt omnium dilectorum, totius scilicet terræ & maris fines, cælique & Solis, & astrorum pulchritudo ac magnitudo? Quid enim sunt hæc & cuiusmodi, si cõferantur cum bonis, in quæ non cadit interitus, quæ sunt Dei amicis reposita, quæ neque oculus vidit, nec auris audiuit, neque omninò in cor homi-
Esa. 64. 1. Cor 2. nis ascenderunt?

Cùm autem adhuc loqueretur, & vellet maiorem doctrinæ seriem contexere, Cap. 16. Præses emissis satellitibus, eos adduxit: & cùm stitisset ad tribunal: Iam omninò, inquit, à vano errore discessistis, & vertiginem ac caliginem deposuistis, quam execrandus iste in vos effundebat? Si hæc ergò ità se habent, vt diximus, accedite, & dijs sacrificate: si sic enim feceritis, maiores consequemini honores ab Imperatoribus. Illi autem perindè ac si vellent ostendere diuini Martyris orationem non esse effusam in aërem, sed cecidisse in terram bonam, & fructum ostendisse multiplicem, excipientes dixerunt: Quibusnam dijs, ô præses, sacrificabimus? Quamnam autem ab eis vtili-
Militũ constantia. tatem sperantes nos percepturos, qui neque possunt sibijpsis opem ferre: vt qui ab vno homine, eoque victo tam facilè, quàm quiduis aliud, confracti sunt? Quis ergò homo, qui non omninò desipiat, Deum quidem reliquerit, per quem hæc fiunt: coluerit autem ea, quæ sunt circundata tanta imbecillitate, vt qui surdorum, & eorum, quæ mente carent, velit esse adorator stultus & insipiens? Hæc iniustissimum iudicem ira replẽt. Iubet autem magistratus spiculatorum adesse in Nea cum vniuersa manu, quæ illis parebat, eosque in orbem circundatos mactari, & martyrem Christi Procopium adesse spectatorem ferro oneratum. Quanam autem de causa sic iussit insipiẽs? Vt spectaculo eorum, qui interimebantur, timore aliquo concussus is, qui re vera minimè perterreri poterat, persuaderetur, vt sacrificaret. Tantum verò abfuit, vt ille timeret, vt pro eis oraret potiùs, vt bono animo subirent consummationem, & digni haberentur, qui essent ex numero martyrum. Quo circà & eum Deus exaudijt, & ab eo vox est è cælo audita, quæ id dicebat. Illi autem viri egregij cum maximo impetu & summa animi alacritate, perindè ac si vocarentur, non vt eis capita amputarentur,
Plectuntur capite & eorum preciosas reliquias colligit Eulalius. sed potiùs vt coronarentur, procedebant ad lictores hostiliter intuentes, ipsi amicè adspicientes, & illos tanquàm bonorum authores obseruantes. Sicque eis sacra amputantur capita cum duobus eorum Tribunis Nicostrato & Antiocho, viceſimo primo Maij. Quidam autem Eulalius, vir bonus & clarus, cùm ei essent curæ preciosæ

hæ reliquiæ, noctù veniens cum multis alijs eas tollit: & cùm eas, vt oportet, vnxisset, in loco apto deponit.

Cap. 17. Dei autem martyr Procopius, maximo ferri pondere, vt dictum est, ei impositò, includitur in carcere. Et sic quidem negligebat vincula: erat autem intentus orationi. Ad eum verò accedũt senatoriæ fœminæ fideles, numero duodecim, dicentes: Nos quoquè sumus ancillę Crucifixi. Quod quidem cùm non latuisset Prędem, ipsę quoquè includuntur. Cùm eas autem tristes videret sanctus, recreauit admonitionibus, dicens: Matres & sorores, cùm oporteat vos abducere corda vestra ab omnibus, quæ ad hanc vitã pertinent, & versari in ijs, quæ spectant ad Deum, scientes quòd vos Deus vocauit in suum thalamum, nemo vestrûm vincatur à socordia. Scitis enim, quòd qui est nudus à bonis operibus, illuc nequit peruenire: si quis autem temerè ingressus fuerit, non habens indumenta nuptialia, quid sit passurus, licet scire ex diuinis Euangelijs. Imploremus ergò Dominum, vt confirmet imbecillitatem, & inspiret audaciam. Vbi enim in alijs quoquè bonis non possumus aliquid absque illo facere, quid in re tam magna, nempe in martyrio, poterimus, si non habeamus ipsum opem ferentem: cùm spiritus quidem sit promptus, (vt ipse dixit) caro autem infirma? Et sic quidem Christi martyr: Eæ verò, Ora pro nobis, dicebant, domine verè spiritalis, tuæ enim ad Deum preces, erunt validæ nobis apud Deum vires, turris fortitudinis à facie inimicorum: & ab eis custoditæ, qui non cernitur, hostem & veterem nostrum mulierum supplantatorem fundemus ac fugabimus: & sic poterimus consequi magna Christi promissa.

Duodecim matronę in carcere cõfirmantur à Procopio.

Matth. 22.

Matth. 26.

Cap. 18. Cùm eæ sic loquerentur cum Martyre, mittens Præses, iubet eas sisti in iudicio. Cùm autem de ijs quoquè audiuisset Theodosia Senatoria, accedit visura quod erat eis euenturum. Quæ cùm constitutæ fuissent pro tribunali, dicit Præses, Obeditísne, & dijs sacrificatis, vt vos dignas reddatis honoribus, an vestra sponte malum sequentes, deditæ estis vanæ religioni? Illæ verò: Apud te, dixerunt, sit honor tuus, & tu eo fruere: nobis autem vna est gloria, cum Christo Crucifixo coniunctio. Hæc cùm audijsset Prędes, iubet binos adstantes subtilibus eas virgis cædere: deindè ligno appensas, in lateribus & axillis igne comburi. Quæ quidem cùm fiebant, & cum igne conflictabantur, erant eis preces dolorum solatium, adeò vt ipsæ opportunè dicerent cum diuino Dauide: Tribulationes & necessitates inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est. Deindè facta est rerum molestarum & grauium accessio. Iubet enim eis quoquè excindi mamillas, sanctas: sceleratus ludificans, & dicens: Vobis omninò opem laturus veniet Crucifixus. Illæ verò: Et opem tulit, dixerunt, & ijs, qui sapiunt, opem feret. Hoc autem apertè probatur, quòd nos, quæ sumus mulieres, efficiat simul & deos tuos, & tormenta, & tum ridere superciliũ. Hoc Iudicem ad maiorem accendit insaniã, & iubet rursùs ignitos globos æneos admoueri alis sanctarum. Quod cùm factum esset, & rursùs subsannans Iudex diceret: Sensistis ignem? Eæ dixerunt: Tu senties, dum igni immateriali assiduè vréris. Nobis autem inexpugnabilis adiutor est verus noster Deus, quem ipse non vides magìs, quàm qui cæcutiunt, magnũ hunc & manifestum Solem.

Constans matronarũ responsum.

Cruciatus immanes

Pſal. 118.

Cap. 19. His adstans, vt dictum est, & videns magna Theodosia, diuinas statìm concipit notiones. Eam enim subijt sermo Dei efficax, & acutior omni gladio acuto, (vt dicit Paulus) eamque totam in altum sublatam & accẽsam, ad veram traduxit pietatem. Cùm ergò parua omnia reputâsset, opes, nobilitatem, honorem, gloriam, eaque esse parui & abiecti animi iudicâsset, in earum, quæ in præsentia habebantur contemptui, & tormentis cruciabantur, Christi, qui propter nos humiliatus & cruciatus fuit, ancillarum se refert numerum, & beatam illam cum eis dicit vocem: Ego quoquè sum ancilla Crucifixi. Hæc cùm adspexisset Præses: Domina, inquit, Theodosia, quis te in hunc errorem induxit, vt patrijs dijs relictis, noua nunc eiusmodi sectaris? Illa autem: Non nunc, inquit, erraui, sed errabam potiùs, quæ Deo relicto, qui est cęli & terræ opifex, obseruabam abominationes & opera manuum hominum. Cùm multa autem verba inter vtrunque dicta essent, & videret eam ne minimùm quidem persuaderi, eam cum alijs martyribus condemnat ad carcerem. Ea verò quid non faciebat, cùm sacras illas videret fœminas? Extollebat, laubabat, beatas esse propter plagas pronunciabat, eas abstergebat, osculabatur, preciosis mundabat linteis, eis quoquè imponebat medicamenta. erat enim non ignara medicinæ. Quam cùm vidisset diuinus eius filius, cor habuit plenum exultatione propter insignem lætitiam: & propiùs accedens,

Hebr. 4.

Theodosia mater Procopij credit, & palã confitetur.

Conijcitur in carcerẽ.

cedens, Domina, inquit, mater mea, quid huc venisti? Quid te mouit, vt à dijs patrijs defeceris? Num fortè agnouisti eorum imbecillitatem? Illa autem: Fili mi, inquit, cùm adspexissem insignem tolerantiam earum, quæ sunt æquè atquè ego fœminæ, cogitaui hoc aliâs fieri non posse, nisì esset quædam virtus diuina, quæ eas occultè attingens, animum adderet ad patientiam. Et ideò ipsa quoquè statui adorare Crucifixum, qui sic potest confirmare eos, qui credunt in ipsum. Ille autem diuinæ radicis fructus diuinissimus: Beata es, inquit, domina mea, propter has cogitationes, & à Deo missam & excelsam notionem, quæ sic cor tuum cepit. Et cùm eam illa nocte accepisset, cõmittit Episcopo Gerontio, qui eam sancto dignatur baptismo. Deindè cùm eæ venissent in carcerem, eas admonebat sanctus, instruebat ad confessionem pro Christo subeundam, & illarum animos implebat audacia.

Baptizatur à Leontio Episcopo.

Cap. 20. Post hæc mittit Præses, vt eæ sisterentur ad iudicium. Cùm autem omnes simu adfuissent, statìm dicit Theodosiæ: Vides quemadmodùm tuî curam gero, & nolo tibi afferre interitum? Conuertere ergò, benignosque & clementes deos inuoca, & maiores quàm anteà honores consequéris. Cui beata: Stulte, inquit, & insipientissime, non te pudet hæc fusilia & sculptilia deos nominare? Si autem Deo pro viribus assimilari, est primum bonum & beatum hominibus: si quis vobis optauerit, vt efficiamini dijs vestris similes, restat omninò, vt vos quoquè sitis surdi & cæci, sicut illi, manusque & pedes habẽtes, qui minimè fungi possint officio. His dictis, iubet Præses eam in os verberari, ab ea pœnas exigens propter pulchra verba, quę conuenienter rationi fuerat elocuta: deindè extensam, verberari à quatuor hominibus. Postquàm autem factum est quod iusserat, & relaxata fuit à tormento, iubet rursùs manibus ferreis eius sancta lancinari latera. Aliæ verò diuinæ mulieres videntes eam sic patientem, & è lateribus distillantem sanguinem, intensè pro ea orabant: Deus noster, dicentes, refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimìs: procede Domine, & nos eripe ex manibus filiorum alienorum. Hæc cùm audijsset Præses, iubet harum sanctarum mulierum maxillas cædi plumbatis. Cùm autem hæc omnia ferrent forti & excelso animo, videns stulrus Iudex se calcitrare contra stimulos, & ferire adamantem, & ad tumulum proclamare, seque potiùs pudore affici, vt qui laboret inopia consilij & superetur, quàm efficere, vt illæ patiãtur: Nam ille quidem ira mutabatur, & ignem spirabat: earum verò erant vultus lætiores: Et se magìs obesse, quàm prodesse, vt qui credentium numerum non diminuat, sed eum potiùs augeat admirabili harũ tolerantia: vel inuitus humanitate vtitur vir immitis, vt qui pluribus prætermissis supplicijs, iubeat eis vna catena alligatis gladio amputari capita. Postquàm autem audiêrunt sententiam, aliæ quidẽ fortasse mulieres fecissent eo tempore, quæ faciunt fœminæ, fleuissent, suspirâssent, eiulâssent, suasque amicas & familiares postremò complexæ essent: hæ verò nihil eiusmodi: sed cùm ducerẽtur ad mortem, tanquàm ad delicias euntes & cõuiuium, atque adeò re vera euntes, (illuc enim ibant vbì est vox & sonus eorum, qui festum celebrant) vultum habebant alacrem, & per orationem se Deo commendabant. Postquàm autem ad locum peruenerunt, cùm prompto & alacri animo colla inclinâssent, perindè àc si esset amputaturus vincula interitûs & eas transmissurus ad immortalitatem, eis amputantur capita vicesimo nono mensis Maij.

Diré verberatur & laceratur.

Pſal. 45.

Item aliæ matronæ.

Alacres erãt ad supplicium sanctæ matronæ.

Capita eis amputãtur.

Cùm dies autem aliquot interceſſissent, Præses sedens in tribunali, ac crudele quid & immane spirans, athletam Christi iubet produci. Cui dixit: Quid verò? Es´ne satiatus impium & execrandũ caput, qui tot animas perdidisti? Non perdidi, inquit martyr, sed à perditione potiùs & interitu traduxi ad vitam. Hæc dixit, & statìm venerabilis illa facies, cùm sic iussum esset à Iudice, ferreis cædebatur manibus: licebatque videre rem horrore plenam, illos quidem, tanquàm feras agrestes, ferreis vngulis lacerantes: hunc autem stantem, non tanquàm virum, sed tanquàm statuam, & ferentem plagas immobiliter. Et sanguis quidem valdè fluebat, & terra mirandum in modum fiebat purpurea: nullus autem audiebatur gemitus, neque erat aliquod aliud signum dolentis. Sed neque aliqua rursùs misericordia subibat animum Præsidis. Quocircà nesciebat quispiam, quidnam magìs admiraretur, patientísne tolerãtiam, an punientis inhumanitatem. Corde enim magìs efferabatur, videns illum minimè plagis cedere: seque hac ratione iudicabat esse inferiorem, & id esse suam iudicabat calamitatem. Quamobrèm plura ei adiungit aspera & grauia, & iubet eius collum teri plumbatis. Vbì autem hoc quoquè patiens idem erat, transmittitur in

Procopij facies cędiatur.

Collũ eius plumbatis teritur.

carcerem, non vt parùm haberet laxamenti (quomodò enim crudelitas humanum quid & clemens omninò in animo verſauerit?) ſed vt ille potiùs conſideraret, quidnam agens, aut quodnam ſupplicium afferens, magnum ſancti animum attingeret.

Cap. 22. Diuinus verò Procopius ingreſſus carcerem, orabat, vt confirmaretur pietas, & vt ipſe confeſſionem ferret vſque ad finem: pudore autem afficeretur impietas, & vt infirmaret Præſidis machinas aduersùs Chriſtianos. Ipſe autem Præſes & valdè ſtupebat, & planè erat dubio & perplexo animo propter multam Martyris conſtantiam. Quamobrèm neque domo eſt egreſſus, neque vllum impertijt ſermone toto die: immò verò cùm eum febris inuaſiſſet vehemens, & ne ſic quidem intellexiſſet ſe fuiſſe à Domino percuſſum è diſciplina, æternis plagis & ſupplicijs dignam emiſit animam. Dei autem verbum creſcebat & confirmabatur, multis quotidiè non ſolùm viris, ſed etiam mulieribus ad fidem accedentibus. Res verò martyris adhuc maioris fiebant, vocationi rebus concinentibus, & ad maiora proficientibus. Perſpicuum enim erat eum frui ſpiritûs copioſa gratia, & eum famæ pennis in omnem partem peruadere, vt qui multos curauerit dæmoniacos, non mora temporis & difficultate, ſed ſignaculo ſolo diuinæ Crucis, & imperio facto in dæmones: cui tantum aberat, vt non parérent, vt illud quidem eo quamprimùm faciente recederent: tantùm autem orarent, nè ſubijcerentur ſupplicijs.

Impius iudex ſceleratam reddit animam.

Signo Crucis ſanat dæmoniacos.

Cap. 23. Poſtquàm autem Iuſtus exceſſit ex humanis, mittitur ab Imperatore Diocletiano ad regendam Palæſtinam Flauianus, qui erat quidem ipſe quoquè Italus, & honeſto loco natus in Italia, priore quidem nil æquior, immò verò morum peruerſitate & animi feritate & dicendi facultate ſuperabat priorem. Poſtquàm autē venit Cæſaream, accedentes ad eum quidam ex ciuibus, de Martyre ad eum retulerunt. Ille verò rem non differens, curat ſanctum ſtatìm ſiſtendum: Et, Quod eſt, inquit, nomen tuum? Ille autem: Quod primū eſt, inquit, & neceſſarium, & quod tu maximè quæris, Chriſtianus. Vocor verò Procopius, ne hoc quidem habens ex hominibus, ſed ex Domini mei Ieſu Chriſti gratia & clementia. A te, inquit Præſes, ſolo fortaſsè ignoratur diuinus iuſſus Imperatoris, & quemadmodùm iubet vos ſacrificare dijs immortalibus: aut ſi non pareatis, grauibus ſubijci ſupplicijs, & ſic malè vita priuari? Mihi autem venit in mentem admirari, quemadmodùm cùm eò ætatis proceſſeris, adhuc ſuſtineas deſipere: quemadmodùm etiam alios ipſe docens, longè abſis vt ſapias. Deum enim dicere natum eſſe ex muliere, & ipſum crucifixum eſſe ab hominibus: deindè eum, de quo hoc fateris, adorare, non ſolùm eſt inſcitiæ, ſed propemodùm inſaniæ. Mihi ergò credens, ab hac vana deſiſte ſuperſtitione: nam & nos habebis, qui tuas priores excuſemus iniurias, & maiorem, quàm priùs, honorem conſequéris, & mihi maximè gratificaberis, à pluribus me liberans laboribus, & quę apud te verba fecimus, ea non fruſtrà eſſe facta oſtendens.

Flauianus Iuſti Præſidis ſucceſſor.

Cap. 24. Ad hæc magnus Martyr Chriſti Procopius, tanquàm volens maiorem oſtendere prudentiam aduersùs Iudicem, qui maiore vtebatur improbitate: Te quidem, inquit, oportebat, ô Præſes, opificem & regem cæli & terræ piè nôſſe, & eum ſolum credere eſſe verum Deum in immutabili natura & impatibili. Si autem vis ex mundanis, & ijs, qui ſunt apud vos, philoſophis diſcere, inuenies & Hermē cognomine Triſmegiſton, id eſt, ter maximum, Socratemque & Platonem & Ariſtotelem, qui volunt eſſe vnum, & non multos deos. Et primùm quidem ante alios audi Hermen: (ſic enim habent ea, quæ ſcribit ad Aſclepium, illū, inquam, medium:) Dominus & effector omnium, quem Deum quidem vocandum eſſe duximus, prætereà ſecundum hunc fecit mundum, qui eſt & adſpectabilis & ſenſilis. Quoniam ergò hunc fecit primum & ſolum & vnum: ei autem viſus eſt pulchrior, & pleniſſimus omniū bonorum: admiratus eſt, & eum valdè dilexit, vt fœtū proprium. Vbi eſt ergò hîc multitudo deorum? Si enim non eſſet ſimplex Dei natura, ſed multiplex quædam & numeroſa, omninò in creatione ipſam quoquè, quæ creabatur, naturam diuiſiſſent: & alius quidem cælum conſtruxiſſet, alius verò terram, & mare alius. Sin autē tibi videatur, ô optime Præſes, eos factos eſſe poſtquàm productum eſſet cælum & terra, nè eos eſſe dicas deos, ſed res creatas. Etsi enim ipſum Solem adduxerimus, & Lunam, quòd in cælo appareant, & ordinatè certè & concinnè lumen inter ſe diſpertiti ſint: & ille quidem totum diem ſciat illuminare, hæc verò nocti lucem præbere: non tamen hoc priuilegium eorum tribuemus naturæ, ſed diuini potiùs & ab interitu alieni & beati numinis iuſſum eſſe dicemus: ſicque multiplex principatus reducetur nobis ad monarchiam. A Socrate autem

Aſclepij de vno Deo ſimonium

Attende ô lector diuinam martyrę doctrinā.

autem & Heraclito reiecta eſt & abdicata ſimulacrorum adoratio. Atque hic quidem expellitur è ciuitate Epheſina: ille verò ab Athenienſibus cogitur bibere cicutam. Quos autem vos deòs vocatis, & ante omnes venerandum illum Iouem ſupremum deorum, nónne is erat rex Cretenſium? Non eius ſepulcrum in hac vtiquè Creta fuit manifeſtum apud omnes? Quid verò? Non Neptunus quoquè primus refertur in catalogum piratarum, & prædo præſtantiſſimus, qui eſt apud vos deus, inter omnes cognoſcitur? Porrò autem eius quoquè ſepulcrum fatetur Calabria. Hæc pulchrè ſciūt, qui apud Græcos, & qui apud Romanos ſunt ſcriptores. Et quod eſt elegantiſſimum, non à Chriſtianis, ſed à ſuis proprijs accuſantur adoratoribus. Quoniā autem dixiſti Chriſtum natum eſſe ex muliere, & fuiſſe crucifixum, audi, ô Iudex, quodnam fuerit arcanum eius conſilium, & hoc nouum myſterium. Ex ijs autem, qui ſunt apud vos, ſapientibus, de ipſo & de eius aduentu dicam primùm prophetias. Vocetur ergò Sibylla, eaque mulier, & quæ celebrata fuit apud Græcos & Romanos. In tanto enim honore eam habuêre Romani, tantique eam fecerunt, non ſolùm vulgus, ſed etiam Reges, vt Tarquinius multis talētis eius libros emerit. Hæc ergò, quæ apud vos in magna habita eſt admiratione, in ſecundo ſuo libro, de ſuſcipiendę à Chriſto carnis conſilio, & de eius ortu ex Virgine, apertè hæc prædicit:

Iupiter rex Cretenſiū.

Neptunus prædo inſignis.

Verbum quandò Dei ſummi eſt paritura iuuenca,
Clara die in medio ſtella apparebit ab ortu,
Nuncia permagni ſigni mortalibus ægris.
Magni tuncque Dei natus venturus ad ipſos
Eſt homines, geſtans carnem, aſſimilatus & illis
In terra, huicque Magi portabunt munera, nempe
Aurum, Myrrham & Thus: hæc omnia nanque placebunt.

Sibyllæ de Chriſto vaticinium.

Iuuencam autem, appellat Virginem expertem nuptiarū. Apud Hebræos enim Virgo & iuuenca eodem nomine ſignificantur. Rursùs autem eadem Sibylla in eodem libro hæc dicit de precioſa eius Cruce:

O felix lignum, Deus in quo extenſus, habebit
Non te terra, domus ſed erit tibi regia cæli.

Item de S. Cruce.

Neq; verò hos duos verſus ſolùm refert, ſed etiam totam fecit acroſtichidem Crucis venerabilis, per eam ſignificans ſecundum glorioſum ad nos futurum deſcenſum. Ità autem habet hęc Acroſtichis, Ieſus, Chriſtus, Deus, Filius, Seruator, Crux. Quòd ſi me parumpèr patienter audias, ô ſapientiſſime, ego tibi pauca dicā huius Acroſtichidis:

Iudicij ſignum eſt tellus ſudore repleta.
Ecælis veniet rex magnus, cuncta gubernans
Secula, præſens carnem & mundum vt iudicet omnem.
Viſu illum cernent que Deum infidi atque fideles
Sede altum, at que animis reddentem iura virorum.

Quòd ſi etiam vis quædam audire oracula Pythici Apollinis, & Ammonis, qui eſt in Lybia, & Dodonæi rursùs, & Pergameni, attende diligenter, & ſcies, Chriſtum filium Dei altiſſimi ab eis fuiſſe prædictum, venturum eſſe ad ſalutem & renouationem humani generis. Nam cùm Iaſon princeps eorum, qui dicuntur, Argonautarum, de templo, quod Athenis primùm conſtructum eſt in arce, ſciſcitatus eſſet Delphicum Apollinem, & dixiſſet: Prædic nobis, Prophęta Phœbe Apollo: cuiuſnam erit hæc ædes, & ad quid futura ſit in poſterum: ſic reſpondit: Quæcunq; ad virtutem quidem & honeſtatē vos incitant, facite. Ego autē tres cupio Deum vnum regnantē apud ſuperos, cuius Verbum, ab interitu alienum, conceptum in ſimplice Virgine. Qui tanquàm ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducet donum patri. Huius erit hæc ædes. Maria autem erit nomen eius. Cùm verò rursùs Battus hunc Apollinem de Deo interrogâſſet, reſpondit: Vnus mihi vim affert vir cæleſtis. Cùm paſſus ſit, Deus eſt, & non ipſa paſſa eſt diuinitas. Vtrunq; enim ſimul eſt Deus, & immortalis à patre ferens omnia, & omnia matris habens. Ex patre quidem habens vitam & vires: ex matre autem mortali Crucem, ſepulcrum, moleſtam & grauem contumeliam. Cuius etiam è ciliſs aliquandò calidæ fundebantur lachrymæ, & quinque hominum millia ſatiauit quinque panibus: hoc enim volebat omnis homo: Chriſtus eſt meus Deus, qui eſt in cruce extenſus, qui mortuus, qui è ſepulcro venit ad polum.

Apollinis Delphici oraculum.

Item aliud.

Cap. 24. Flauianus autē velutì irridens ea, quæ dicta ſunt à ſancto Martyre: Egregius, inquit,

nobis exortus es Dei & rerum diuinarum expositor, vt qui cælestes feras claues & signacula. Verumenimuerò priusquàm te torquere incipiam, consulo tibi, vt cesses ab impijs his nugis: abneges autem hunc à ratione alienissimum Christianorũ cultum, & velis deincèps sentire cum Græcis, & parére legibus Imperatorum, honoresque & dona ab eis consequi. Quòd si nolis parére ijs, quæ tibi consulimus & suademus, hoc inuenies lucrum inobedientiæ, quòd cùm omnia tormẽta sustinueris, deindè etiam facies, quod iuberis. Sanctus autẽ: Quoniam, inquit, verum Deum ignorâsti, qui eum potes animæ intueri oculis, tu quidem macta & sacrifica corpora hominum, ea lanians & dissecans. Non enim sentis te mortuis offerre sacrificia, qui es mortuus, & lapis non minùs, quàm ipsi, & nullo sensu præditus. Ego autem sacrifico Deo meo sacrificium laudis per eam, quæ est in ipsum, confessionem & fidem. Si enim pulchra res est lapis, quem tu adoras, & tanquàm Deus est à te existimatus, noli eum secare & diuidere: & cùm eum in multas partes diuiseris, vnam quidem, tanquàm Deum adorare, & ei thus offerre & sacrificia: altera autem vti ad domum ædificãdam, quinetiam ad excrementa, & quosdam vsus profanos. Hoc ipsum autem sæpè fecisti in auro & ligno, & eis obtulisti sacrificium & thus. Cuiusnam est ergò sapientiæ, aut quodnam est arcanum in vestra religione, auro & ligno offerre sacrificia, & ea posteà in lutum proijcere: tãquàm Deum honorare, & deindè comburere: vitam petere & salutem à ligno putrido, & à lapide (proh dolor) nullo sensu prædito, quæ postquàm vos dijs similia effinxeritis, nihil habent amplius? Quamobrèm magis esset rationi consentaneum, vt vos ferro sacrificaretis. Sed vides ipsum quoquè igni fieri mollius, & minus habere virium, quàm priùs. Quid ergò? Ignis vobis est Deus existimandus? Sed is quoquè extinguitur, quandò caret materia: nonnunquàm autem aqua quoquè eo cuadit potentior. Cùm ergò oporteat relictis rebus materialibus, quę ad interitum per se inuicèm tendunt, puris factis & sola oratione eum, qui est verè Deus, colere: (Non enim igne opùs est, non lignis ad illius nutrimentum, neque omninò cæde animantium: nullius enim horum egena est diuina natura, immò verò nulla re omninò indiget: rectas siquidem actiones amat Deus vniuersorum: qui tantam in nos humanitatem ostendit & clementiam, vt vnigenitum suum filium dederit ad mortem, vt solueret dolores mortis, & æternæ vitæ conciliatricem nobis suam ostenderet resurrectionem) si tibi videtur, crede ijs, quæ dicta sunt: sin minùs, gladio in me intentato vtere.

Magna Procopij constantia.

Irridet idololatriç stultitiam.

Cap 25.

Hæc cùm clara voce dixisset sanctus Præsidi & ijs, qui circunstabãt, mercedẽ huius dicendi libertatis, impietatis Præses ei minatur: & imperat cuidam Archelao, vt stricto ense virum strenuum cõficiat. Cùm is autem alacriter, tanquàm non ad mortem, sed ad vitã vocaretur, seipsum præbuisset, lictoris manus fuit protinùs resoluta, & ipse vnà cum ense in terram lapsus, mansit cogitabundus. Hæc magno stupore affecerunt Flauianum, iubetq; vt eius manibus & pedibus ferro ligatis, seruetur in carcere. Magnus verò Christi Martyr, licèt ità se haberet, & ferro esset vinctus, sicut priùs, & humì iaceret, citra impedimẽtum ad Deum adspiciebat. Quamobrèm per orationem ad eum assendebat, & intelligentia eũ alloquens: Deus, dicebat, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui illuminâsti ea, quæ priùs erant obscura, & hanc quæ videtur, & eam, quæ sub adspectũ non cadit, creatam naturam ex eo, quod non erat, produxisti: qui tuum figmentum ad teipsum conuertisti, & non siuisti nos proficiscì post nostram insipientiam, agimus tibi gratias, & tuæ virtuti & sapientiæ Domino nostro Iesu Christo, per quem & secula fecisti, & nos lapsos erexisti, & cùm peccauissemus, ignouisti, & errantes reduxisti, in captiuitatem redactos, redemisti eius precioso & Dominico sanguine, iacentes suscitâsti, & mortuos viuificâsti. Gratias tibi, Domine, qui adeò supra merita nos dilexisti, quòd nos ad te aduocas & adducis, confirmans in fide, stabiliens in spe, illuminans in charitate, nos non prout nostra merentur peccata, puniens, sed nobis ex tua benignitate cõdonans, lenitate & tolerãtia iudiciũ differens, & per patientiam ad id, quod est melius, nos deducens. Te ergò inuoco, & tuũ filiũ vnigenitum, & sanctissimum tuum spiritum: audi me, & cõfirma me, & cursum meũ perfice: confirma in me quoq; indigno tuum testamentũ, & me libera ab insultu diaboli, seruans à fraude mali Præsidis: doce nos voluntates tuas & sanctas vias: & nè auxilium tuum nobis ademeris, neq; tuam disciplinam meis viribus grauiorem induxeris. Nos enim non possumus ferre ea, quæ aduersantur. Tu autem potes nos eripere ab omnibus, quæ obluctantur. Conserua nos ad vitam beatam & æternam, quæ est in repletione spiritûs sancti, in incorruptione & regno tuæ diuinitatis; vt inueniamur familiaritate coniuncti,

Non potest lictor eum cædere.

Precatio S. Procopij.

coniuncti, & participes promissionum Christi tui. Ità est precatus, & rursùm vocem audijt eum confirmantem. Diuinitùs roboratur.

Cùm post sex autem dies sistendum curâsset athletam Flauianus: Antequàm, inquit, tuas carnes consumam, dijs sacrifica. Martyr autem: Corpus, inquit, meum torque, pro tibi similibus dæmonibus decertans. Præses verò: Non me iritabis, inquit, verbis tuis, vt breuem tibi exitum afferam: sed tuam patiar temeritatem. Nam etsi maleficijs tuis ensem auertisti, & spiculatorem exanimâsti, & nobis omnibus tenebras offudisti, non cessabo tamen te torquere per omnia membra, donèc te reddidero obedientem, & effecero, vt quamprimùm imperata facias. Extendatur ergò, inquit, loris subtilibus, & à terra tollatur à quatuor, & crudis neruis ei carnes lanientur, & ardentibus carbonibus eius dorsum impleatur. Insipientẽ enim iuuat flagellorum grauitas. Hæc cùm audijsset athleta, non modò non timuit magnitudinem supplicij, sed perindè ac si vellet apertè ostendere, se & id, & Iudicem despicere propter suam in Christum fidutiam, liberè eum cœpit insequi maledictis: Omnis iniquitatis, dicens, operarie, & ignis æterni nutrimentum, tu valdè peccans in veritatem, dicis me puniri tanquàm insipientem: non aduertis autem te ea mihi largiri, quæ sunt iucundissima, & maximè optanda. Quid enim ei, qui Christum amat, iucundius esse potest, quàm pati propter Christum? aut quid maius afferri lucrum, quàm pro eo labores suscipere? adeò vt verear, nè fortè cùm scieueris, quantam mihi afferas vtilitatem, à me puniendo abstineas, vt qui per ignorantiam inimico gratificeris. Contrà autẽ respondens Flauianus, quòd ei maiora afferens supplicia, flectet, & vt pareat efficiet, eum crebris & grauibus subiecit supplicijs. Cap. 26. Mira animi fortitudo.

Et primùm quidem iussit, vt cùm obeliscos candefecissent, eos eius imponerent vulneribus, deindè sanctum eis confoderent. Vbì autem hæc patiens non magis castigabatur, quàm castigabat per tolerantiam eum, qui iudicabat, & maximè eius deos probris appetens, nõ ferens ipse cor commotum animi perturbatione, aliud quoquè in tormentis excogitat. In eius, inquit, membra iam vstulata salem inijcite, & cùm obeliscos accenderitis, addite, vt vel sic cesset deos insectari maledictis, quos colunt Imperatores pro salute omnium. Christi autem martyr dupliciter sauciauit cor Præsidis, fortiter quidem ferens dolores, prudenter verò se gerens in responsis. Salutem enim, inquit, vocas perniciem, quam sanguinuori Imperatores humanæ naturæ artulerunt, dæmonum augentes potentiam, quos Deus citò mutabit, curam gerens hominum. Ille autem ira percitus, graue & alienum excogitat supplicium. Iubet enim afferri aram, & super eam extendi dextram martyris, ardentibus repletam carbonibus, eis thure impositò, vt si in manu dolorẽ sentiens, thus in aram immiserit, statìm reputetur, vt qui dijs sacrificauerit, & libamen impleuerit. Atq; ara quidem erat posita, extensa autem erat manus martyris: thus tamen simul cum igne portabatur, & natura seipsam abnegauerat. Nam vrebatur quidem manus longo tẽpore, & ignis operabatur: mens nanque, quæ eam confirmauerat, tenebat immobilẽ. Quicunque aderat, obstupescebat: error labefactabatur, pietas confirmabatur, Christus glorificabatur, & afficiebatur pudore diabolus. Cap. 27. Atrocissimis afficitur cruciamentis. Inuicta eius virtus.

Stabat Martyr cælum intuens, gemitumque & lachrymas emittens, & ei, qui dederat tolerantiam, velutì agens gratias: Tenuisti, dicebat, dexteram meam, & accinxisti me virtute ex alto, & non impiè egi à Deo meo. In me, Deus, vota, quæ reddam, laudationis tuæ. Quoniam liberâsti animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, & pedes meos à lapsu. Cùm esset itaq; Iudex animo valdè perplexo propter fortitudinem Martyris: Quoniam, inquit, dicis te à tormentis nihil affici, vndenàm gemitus & lachrymæ? Absit, inquit, ô tu verè digne lachrymis, vt ego fleam propter labores corporeos. Sed quoniam hoc corpus est lutum, lutum omninò, quod accedit ad calorem, solet aquam distillare. Alioquì autem tuam quoquè defleo animam, quòd cùm dęmones colere statueris & impios Imperatores, à Deo defecisti, & cum eis igni æterno es tradendus. Cap. 28. Pſal. 17. Pſal. 55. Reſpõſis & tolerantia Iudicẽ confundit.

Carcer post hęc verba sanctum accipit. Deindè Iudex scelerata meditatus, iubet eũ suspendi manibus, & perforatos duos maximos lapides suspendi ab illius pedibus, vt grauitate lapidũ omninò conuellerentur & dissoluerẽtur eius compages. Postquàm autem eo quoquè tormento vidit eum superiorem, rursùs ad aliud adspexit supplicium, tanquàm non propter generosum animum Martyris, sed propter leuitatem eorum, quæ infligebantur, ipse videretur superior. Iubet itaque ei fieri clibanum, & quamma- Cap. 29. Magni cruciatus eius.

Stupendum miraculum.

quammaximè accẽdi: in eum verò injici Christi athletam. Cùm autem introduceretur, & se diuina Crucis figura signâsset, precabatur. Et dum eo adhuc precante labra mouerentur, flamma fuit dispersa: & cùm ministros circuncircà compræhendisset, id faciebat, quod est sibi à natura insitum: adeò vt qui adspexerant, eo quod factum fuerat obstupefacti, clamarent Præsidi: Quàm ocyssimè cõsumatur: tota enim ciuitas veniet in periculum, nè euertatur eius maleficijs & incantationibus. Atq; tunc quidem Præses ipse quoquè plenus metu & admiratione, emittit athletam in Prætorium.

Cap. 30.

Precatio eius sub mortem.

Postquàm verò aliquot dies præterijssent, eum condemnat, vt vitam finiat gladio. Cùm autem venisset Martyr ad locum constitutum, petit ab eo, qui ipsum erat interempturus, gratiam paruam & vltimam, & quam homo inimicus præbere non dissulerit: nempe vt liceat se dare orationi, deindè mori. Et ille quidem dedit: ipse verò ad Orientem adspiciens, & in cælum tollens oculos, precatus est, vt ciuitas quidem custodiretur ab insidijs aduersarij, & vt totus populus eius meminisset: curarẽtur autem ij, qui morbo laborabant: viduis verò & orphanis implerẽtur, quæ eis deerant: ijs autem, qui iniuria afficiebantur, daretur relaxatio: ijs qui affligebantur, auxilium: ijs, qui fracti erant, vt erigerentur: ijs, qui aberrabant, vt conuerterentur: & vt salui essent ij, qui eius facerent commemorationem, & vt omne malum fugerent. Hæc autem orauit, & vocem audiuit de cælo, simul quidem eum reddentem certiorem, perficienda esse ea, quæ petiuit, & pronunciantem eum esse hæredem regni cælorum. Hæc cùm audijsset, collũ porrigit, & gladio ei caput amputatur: idq; cælesti statìm corona coronatur, cùm hymnis in Deum adhuc esset intentus: quos cum intelligentibus Virtutibus intelligenter cantaturus, assendit in cælum octauo mensis Iulij.

Cælitùs vocatur à Domino.

Quidam autem ex fratribus noctù aduenientes, sacrum eius corpus auferũt, cumque vnguentis & aromatibus odoriferis referssissent, & pulchrè composuissent, in venerando loco deposuerunt, glorificantes Patrem & Filiũ & Spiritum sanctum, vnam & veram diuinitatem: Quam decet omnis gloria, honor & adoratio in secula seculorum, Amen.

VITA ET MARTYRIVM SANCTORVM KILIANI EPISCOPI, COLOMANNI PRESBYTERI ET TOTNANI DIACONI, *vt in perantiquis MS. voluminibus habetur.*

PROLOGVS AVTHORIS, CVIVS NOMEN *necdùm reperi.*

SAnctorum martyrum certamina quotiès ad memoriam redeunt, mentem ardore compunctionis afficiunt. Quo fit, vt fraternę charitati multum videatur impéndere, qui martyrum historias stylo studet memoriæ cõmendare: & quanuis culpis retardantibus, iter ipse rectitudinis necdùm valeat assequi, at tamen in patriam tendẽtibus veritatis tramitem monstrat: alioquì sanè miserrimus futurus, si feliciter nauigantibus portum salutis inuideat, dum patitur ipse damna periculosæ nauigationis. Itaque beatissimi martyris Kiliani ac sociorum eius gesta, prout possumus, literarum notis assignare curamus, vt fraterna studia ad amorem boni operis incitemus: & quia phialam fratribus exhibere nõ possumus, saltem cyathum offerimus.

NARRATIO.

8. Iulij. Cap. 1. Frequẽs est apud Scriptores quosdam, vt Scotiã pro Hibernia dicant.

BEATVS Kilianus è Scotorũ genere nobilibus ortus parentibus, diuinæ gratiæ factus est nobilitate clarissimus. Scotia, quæ & Hibernia dicitur, insula est maris Oceani, fœcunda quidem glebis, sed viris sanctissimis clarior: è quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemania, Kiliano Francia Teutonica nobilitatur: qui, vt diximus, nobili prosapia editus, & in ipsa pueritia liberalibus studijs traditus, simul cum literarum incrementis diligenter cœpit indagare veritatis viam, & tandèm, diuinã illum præueniente gratia, spretis humanarum literarum studijs, cunctisque huius mundi illecebris, monasterium petijt,

petijt, abnegansque semetipsum sibi, tulit crucem suam, & secutus est Christum. In monasterio igitur degens, quantæ obedientiæ, quantæ frugalitatis, quantæ in vigilijs & orationibus instantiæ fuerit, vitæ præsentis terminus declarauit. Quanuis enim martyrij palma per gratiam magìs, quàm per meritum constet, at tamen bonis operibus adimpletur.

S. Kilianus fit monachus.

Videntes autem fratres monasterij in virtutum profectibus beati viri perseuerantiam, primò eum per Ecclesiasticos gradus ad presbyteratûs officiũ precibus asscendere, deindè eiusdem monasterij gubernandi curam suscipere coëgerũt. Ille verò sciens perfectionem charitatis sine proximi dilectione cõstare non posse, apud suos aliquãdiù se detineri passus est, vt fratrum prodesse posset vtilitati, imitatus Apostolum, cupientem anathema fieri à Christo pro fratribus & cognatis suis secũdùm carnem. Veruntamen cùm fama beati viri longè lateque crebresceret, metuẽs ipse, nè popularis fauor maculã aut labem aliquam sibi adferret, cœpit meditari, quemadmodùm posset notos & propinquos relinquere, & longè remotas petere regiones, vbì obscurus fama & vilis genere haberetur, sicque liberiùs cultui diuino vacaret. Postquàm igitur deliberatum illi fuit atque constitutum, discedere è natali solo, accitis socijs, in quorum mentibus idem feruor dilectionis ardebat, cum ijs in vicinã Scotiæ Britãniam peruenit: eamq; nõ longa nauigatione præteriens, Gallias attigit. Indè profectus est in Germaniæ prouinciam, quæ ab incolis terræ illius orientalis Francia vocitatur, ibique in oppido, quod lingua illorum Vuirtzburg dicitur, morari constituit, non veritus in credulæ gentis feritatem, quippe qui animo intrepido coronam martyrij appetereret. Interìm tamen à verbo prædicationis abstinuit, donèc se Romano pontifici præsentaret, vt apud Romanam sedem, & integrum Christianæ religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet.

Cap. 2. Fit presbyter & præfectus monasterij.

Rom. 9.

Venit Herbipolim.

Nota obseruantiam erga Roman. pontificẽ.

Hibernia siquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæresi, Apostolicaq; censura damnata, quæ nisì Romano iudicio solui non poterat. Itaq; vir sanctissimus coram Primate Apostolicæ sedis eiusdemq; ministris, vt ipsi semina diuini verbi gentilibus erogare liceret, studio diuini amoris expetiuit. Tunc autem præerat Romanæ Ecclesiæ Conon pontifex, humanis diuinisq; literis pollens, pontificali officio cõgruus, in ordinandis Ecclesiasticis rebus discretor idoneus. Is audita fide iam dicti viri charitatis nexibus illigata, Deo quidem gratias egit, illi verò sese charitatis beneuolẽtia impertiuit, exultans semina diuini eloquij ab insularibus & longè positis doctoribus propagari. Erat, inquam, apud egregium Pontificem non modica exultatio, quòd cerneret paulatìm euacuari fraudes antiqui hostis, crescentibus ministris diuinæ operationis. Itaq; consensu totius vrbis beatissimum virum in præsulatûs officio constituit, quò & christina conficere, & ecclesias dedicare, & sacros ordines conferre irrepræhensibiliter valeret. Atq; his ità peractis, dimisit eum, monens vt cœpto operi insisteret, à Domino parato sibi præmio æternæ retributionis.

Cap. 3. Hibernij Pelagiana hæresi olim fœdati.

Ordinatur Episcopus.

Beatus igitur Kilianus Vrbe egressus, emenso itinere longissimo, cum Colomanno presbytero & Totnano Lenita, ad locum sibi destinatum peruenit. Veniẽs autem ad prædictum oppidum orientalis Franciæ Vuirtzburg, non eum, quem priùs, in ea prouincia Ducẽ inuenit, sed alium, Gosbertum nomine. Cœpit ergò venerabilis vir paulatìm diuini verbi pabula incredulis populis ministrare. Tantam enim gratiam Dominus ei cõtulerat, vt breui tempore & gentis idioma perdisceret, & eis ipsorum lingua veritatis semina iactaret. Mirabantur autem omnes non solùm doctrinæ nouitatem, sed magnam quoquè eloquentiæ vim & copiam. Porrò sermonis facundiam, virtutis efficacia comitabatur. Impletum est in illo, quod veritas Apostolis promisit: Ego, inquiens, dabo vobis os & sapientiam. & itèm: Opera, quæ ego facio, & vos facietis.

Cap. 4. Herbipolis Franconiæ oppidum.

Luc. 21. Iohan. 14.

Sed cùm iam diuini eloquij semina succresscerent, & in plebe sensìm minuerentur errores gentilitatis, vsq; ad principes populi, sancti viri fama perlata est, adeò vt ipsum quoq; Ducem prouinciæ non lateret: qui sanctum virum sibi præsentari iussit, experiri cupiens, quænam esset hæc doctrina, quam prædicaret, hactenùs ipsi incognita. Erat verò is Princeps magno ingenio præditus, licèt gentilitatis erroribus fœdatus. Vt autem ad eum peruenit vir beatus, cõstanter veræ dogma religionis ei cœpit proponere, docens vnum Deum esse in personarum trinitate, visibilium & inuisibilium creatorem & authorem, per quem rationalis creatura, inuidi hostis fraude decepta, sit misericorditer reparata. Princeps verò admirans tantam viri constantiam, & sermonum

Cap. 5. Gosbertus Dux Franconiæ.

monum insuperabilem veritatem,quia,vt diximus,naturali pollebat ingenio,veris sententijs superatum videns,ad tempus eius distulit auditionem, volens crebra apud se tractare inquisitione,vtrùm eius,quē Kilianus prædicabat, vel Dianæ potiùs cultus præferēdus esset.Diana nanq; apud illum in summa veneratione habebatur.Interim egregius vir iugi instantia connitebatur Domino lucrari animas, quas diabolus perdere volebat. Matth.5. Ità lucerna super candelabrum posita, omnibus resplendebat: & ciuitas in monte constituta, ab omnibus videbatur. Porrò Dux cernens egregij viri perseuerantiam,secretò venit ad eum, cupiens doctrina eius institui, vt cognito veritatis tramite,declinare posset anfractus erroris. Dux Fráconiæ credit & baptizatur cũ multis alijs. Sic igitur à beatissimo viro catholicæ fidei documentis diligenter instructus,proximo Dominicæ resurrectionis die cum multis alijs dato nomine, aqua lotus baptismatis, absolutionem pristini promeruit erroris: atque ità factum est,vt tota penè Orientalis Franciæ prouincia, relicto dæmonũ cultu,diuinæ religioni operam daret.

Cap.6. O beatissimum virum,Apostolicæ dignitati comparandum. Ad iudicium nanque Domino veniente,Petrus Iudæam, Andreas Achaiam, cæteriq; secum diuersa regna trahent:inter quos beatus Kilianus Teutonicam Franciam ducet. Quanta erit tunc exultatio patris & prolis in patria, quandò omnibus mundi superatis periculis, nec memoria vlla erit tribulationis?Sed iam tempus est,vt ad beati viri sociorumque eius martyrium succinctè referendũ veniamus,ità tamen, vt moderata breuitas & studioso lectori satisfaciat,& desidioso non pariat fastidium. Dux Gosbertus assidua adhortatione beatissimi pręsulis ad meliora in dies proficiebat:sed coniugem habebat pro *Alij Gisilã, alij Geilanã vocant. ritu gentilitatis,quæ quõdàm fratri ipsius matrimonij iure fuerat copulata.Hęc *Geila dicebatur.Eas nuptias præclarus vir idcircò noluit in ipsis fidei initijs prohibere,nè Dux ea re absterritus, susceptæ fidei pœnitentia duceretur. Sic & Apostolus in fide 1.Cor.3. Hebr.5. necdùm perfectis dicebat: Tanquàm paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.perfectorũ enim est solidus cibus. Distulit ergò egregius martyr in aliud tempus,quod grauius nouerat: simulq; diuino reuelante spiritu,sciens huius rei occasione sibi & socijs suis conflari martyrium,vt multis intereà prodesset, non ilicò tale voluit damnare cõiugium,licèt cuperet dissolui & esse cum Christo, Apostolum in hoc Act.9. quoq; imitatus, qui in sporta per murum à fratribus dimissus est, non quòd mortem timeret, sed vt multis ante mortem prodesset. Verumenimuerò cùm die quodam venerabilis præsul Ducē familiariter alloqueretur, dixisse fertur inter cætera: Fili mi, quem per Euangelium Christo genui, gaudeo valdè profectu fidei tuæ: sed multùm mouet me,quòd illicitis nuptijs tenéris implicatus,nec mediocriter formido,nè à recto itinere tali coniugio retarderis. Legitur enim in sapientissimo Salomone: Qui in Eccles.9. Iacob.2. vno offendit,multa bona perdit: Iacobo Apostolo illi subscribente,dum ait: Qui totam legem seruauerit,offendit autem in vno,factus est omnium reus. Porrò in baptismate innouatur homo,idq; non ex quadam suî parte, sed totus. Vt autem totus innouari possit,nihil pristini erroris retinere debet.

Cap.7. Audiens hæc Princeps, primùm hæsit stupore: deindè alta suspiria trahens, (valdè enim diligebat eam,quam habebat vxorem) demùm tale fertur dedisse responsum: Audiui pater, te docente, monere Dominum Iesum,nihil ipsius amori vt anteponamus,non patrem, non matrem, non filios, non vxorem. Et idcircò quanuis vnicè diligam iunctam mihi vxorem,at illi tamen diuinum præpono amorem. Luc.14. Sed nunc mihi ocium non suppetit inquirendi, vtì eam possim à me dimittere. festino enim contra hostes nostræ publicæ rei. Cùm autem reuersus fuero, inuenta opportunitate dimittendi, separabor ab illa. Hæc verò cùm ad aures Geilæ peruenissent, (Quis enim fallere posset amantem?) graui incanduit ira, perindè vt catulis raptis leæna, diuque secum bacchata,ex eo cœpit quærere opportunitatem sanctos illos viros extinguendi. Geila Ducis cóiunx medicatur cædem S. Kiliano. Neque enim absente marito,tanto cessaret cardine rerum. Felix Kiliane, qui Eliæ & Iohanni dignus es comparari. Elias Iezabelis insidias pertulit, Herodiadis fraude Iohannes martyrium accepit: tu Geilæ æmulatione trucidaris. tamen vna omnibus causa est laboris, testificatio veritatis. Elias non nuptias prohibuit, sed mulieris improbitatem damnauit: at ideò euasit,quòd eum abscõdit Dominus.Iohannes & Kilianus,quia nuptias illicitas repræhenderunt, fœminea virulentia mortem perpessi sunt.Nulla enim bestiarum feritas in hoc mundo æquiparari potest mulieri malæ. In huius rei exemplum proferri possunt duo omnibus alijs viri incomparabiles: Samson inuicti roboris dux Israëliticæ plebis, & Salomon inexhausta sapientia laudabilis: quo- Iudic.16. 3.Reg.11.

lis:quorum vterque fœmineis fraudibus euersus est: hic idola colendo,ille,vndè posset priuari sua fortitudine,apericndo.Nulla igitur bellua comparari potest malę mulieri.

Sed ad id, vndè digressi sumus, reuertamur. Nefanda mulier, de qua nobis est sermo,callida meditatione perquirebat,quemadmodùm sine populari strepitu & vulgi cognitione sanctos viros posset tollere è medio. Armabatur enim iræ impatientia & libidinis furore: & quia diabolus iniqua cupientibus fomenta malitiæ subministrat, inuenti sunt duo administri crudelitatis eius, qui promitterent se satisfacturos Geilæ desiderijs, si munera darentur ipsis pro tanti perpetratione sceleris. Ità factum est,vt accepto nefandi operis præmio, voto respondcrint fœmineæ crudelitatis. Solebat beatissimus martyrKilianus post paruam dormitionem necessitatis,vigilare ad studium propensæ orationis. Quadam verò nocte cùm leues carperet somnos, ità vt nec dormiret integrè, nec vigilaret apertè, apparuit ei vir habitu formaq; pulcherrimus, qui diceret: Amice Kiliane, surge: nolo te diutiùs laborare: duntaxàt certamine tangéris,& sic victor iugiter mecum eris. His dictis,absccssit.Euigilās autem egregius vir, intelligens diuinam eam esse visitationem, conuocatis fratribus,inquit: Fratres,vigilemus: citò aderit Dominus, & pulsabit ianuam. cauendum nobis est, nè nos somno torpentes inueniat.Addamus oleum lampadibus,dum tempus est,nè si fortè defecerit,tuncincipiamus quærere,quandò nõ poterimus inuenire.Illis itaq; circa medium noctis orationi vacantibus, carnifices strictis gladijs locum, in quo orabant, penetrârunt.Quos cùm sacer vir intuitus esset,ait:Amici,ad quid venistis?Vos implebitis præceptum: nos cursum consummabimus.His dictis,interfecti sunt,ibiq; terræ mandati, nè quis rem gestã scire posset. Vestimenta quoquè, cum quibus diuina peragebãt officia,sacriq́ue libri,cum illis defossa sunt, nè quod indicium necis eorum extaret: sed clàm discessisse putarentur causa solitæ peregrinationis.

Visio S. Kiliani. Matth.25. Cæditur S. Kilianus cũ socijs.

Erat tamen nobilis quædam matrona, Burgunda nomine, quæà principio prædicationis eorum sanctis viris adhæserat,habens cellulam iuxta oratorium sanctorum, quô faciliùs diuinis laudibus interesse valeret. Hæc intenta vigilijs, quæ facta fuerant, diligenti studio inuestigauit,recedentibusq; carnificibus,linteolo mundo fusum sanctorum sanguinem collegit,ac terræ diligenter infodit, vigilijs & orationibus iugiter vacãs,vbì sanctorum corpora obruta nouerat, excolebatq; locum veneratione, qua poterat,sed occultè,nè,sicut posteà factum est, Geilæ iussu remouerẽtur.Ea enim sceleratissima mulier stratis plancis stabulum equorum in loco, vbì sancti martyres humati fuerant,fieri iussit,nè quo indicio sacra corpora proderentur. Ferunt autem ab ijs, qui tunc fuêre, posteris relatum, iumenta eo in stabulo manentia super sepulcra martyrum nec stercus,nec vrinam reddidisse, honorẽ martyribus exhibẽtia: vt quod de capite propheta vaticinatus est, id in eius membris quoq; cerneretur. Cognouit, inquit Esaias, bos possessorem suum,& asinus præsepe domini sui:Israel autẽ me non cognouit. Tali ergò modo sanctorum corpora hominibus propemodùm ignota mansissent,nisì Burgunda,quam diximus,in extremo vitæ posita, quibusdã fidelibus, vbì condita essent,reuelâsset. Cap.9. Burgunda mulier sanctorum sanguinẽ colligit linteolo Esa.1.

Contigit autem,vt Dux à bello reuerteretur ad locum, in quo sanctos viros reliquerat: cumque eos non inueniret, studiosè perquisiuit, quãdò & qua causa recessissent, quóve profecti essent.Tum vxor eius,veneno malignitatis deprauata,modò rubore perfusa, modò pallore affecta, aliâs confidentia animata, multos anfractus suæ nequitiæ & fraudi prætexebat, dicens non se eos custodiendos suscepisse, neq; ijs custodes adhibuisse:pro sua voluntate illos & venisse & recessisse,vt peregrinationis suę institutum sequerentur. Sed quem fœmineæ voces non emolliunt? quem à statu rectitudinis non retrahunt? Credulus itaque verbis suæ coniugis princeps, nonnihil à cœpta inquisitione remisit.Sed iuxta Dominicam vocem, Nihil opertum,quod non Matth.10. reueletur,& occultum,quod non sciatur. Cùm ea,quæ facta fuerant, paulatìm oblivioni darentur,vnus eorum,qui sanctos viros gladio peremerat, subitò à dęmone arreptus,ingenti voce clamare cœpit: Kiliane,acriter me persequeris. Igne enim consumor: quod feci,celare non possum. Video imminere mihi gladium, tuo sanguine respersum. Talia diù vociferans, & proprijs se dentibus lanians, à præsenti migrauit ad pœnas æternas.De talibus quippe scriptum est: Duplici contritione contere eos Domine. Alter verò cædis sanctorum conscius, in rabiem versus, gladio se petijt, effusisque visceribus, per tormenta præsentis temporis ad æterna peruénit. Quisnam Ierem.17. Percussor martyrum sese prodit, arreptus à dæmone.

Geilã occupat dæmon & secum ducit in tartara.

Geila tibi cernenti talia ſenſus tũc erat infelix? cruciatibus aucta furebas. Non multò pòſt & ipſa bellua, de qua loquimur, à dæmonibus arrepta, quanta poterat voce clamabat: Iuſtè torqueor, quę ſanctis viris tortores adhibui. Rectè crucior, quę cruciatus illis paraui. Acriter inſtas Kiliane, ignem accendis Colomanne, fomenta miniſtras Totnane. Sufficiat vobis viciſſe: nimìs veſtras vlciſcimini iniurias. A calice Kiliane díceris: ſed valdè amara mihi pocula infundis. His dictis, miſerabiliter vexabatur, ità vt à multis teneri vix poſſet. Tandèm cum magno cruciatu ad cruciatus diabolo paratos migrauit. Cernimus impletum, quod Veritas in Euangelio dicit: Dominus non faciet vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Amen dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.

Luc. 18.

Goſbertus Dux à ſeruis proprijs interimitur.

His ità geſtis, aiunt Goſbertum à ſuis ſeruis interemptum, filiumque eius principatu deiectum, cognatos affines ſq; eorum à contribulibus tanta perpeſſos, vt vix aliqua eis Reipublicæ dignitas ea in prouincia relicta ſit. Quæ autem horum cauſa fuerit, vtrùm quòd fidem rectam colerẽt, ab ijs, qui ab ea deuiârant, talia paſſi ſint: an quòd poſt cædem ſanctorum martyrum à veritatis tramite receſſerint, vindictam hanc diuinitùs illatam pertulerint, viderit ille, quem nullum latet ſecretum, modò nos nihil eiuſmodi aſſeramus, quod incompertum habemus.

VITA SANCTÆ LANDRADÆ VIRGINIS, AB THEODORICO ABBATE CONSCRIPTA.

PROLOGVS AVTHORIS.

NEmo qui dubitet, ad gloriam omnipotentis ſpectare, geſta Sanctorum oblíta aut abolita, recolligere aut propagare. Quasì enim in quandam ſpeciem futuræ meſſis huiuſmodi grana iaciuntur, & iacta vberiori ſegete luxuriant & recolliguntur, cùm auditor ſtudioſus aut extenditur in bonis, aut prohibetur à malis. Hoc ſtudio accenſa olìm * priorum licentia, non modò in proprijs, ſed etiam in peregrinis deſudauerunt ſtudijs: vt Cicero in Oeconomico Xenophontis, Virgilius in Iliade Homeri, Terentius in Comœdijs Menandri. Quæ omnia etsì mulcent corda audiẽtium, compertũ eſt quantùm proſint benè intellecta ad correptionem delinquentium. Cæteros vt taceam, quis non miretur feruentiſſimum illius Ptolemæi regis ſtudium? cui cùm non ſufficerent omnia Græcorum gymnaſia, auditum eſt, quo ſudore, quo ſumptu, quibus ſtipendijs comparauerit vel extorſerit ingenia eorum, quos appellant Septuaginta. Hos omnes noſter Hieronymus quodam volatu ſupergreſſus, literas, velut fugientes toto orbe, perſequitur, auſuſque ingredi denſiſſimam Hebræorum vel Chaldæorum ſyluam, infinito labore vſque ad dentium ſectionem, cum Amos propheta ſycomoros vellicat: fractoque nucleo & peregrina captiuata litera, pugnacem Herculi de manu extorquet clauã, multorumque annorum ſudores Latinis importans ærarijs, alienos labores noſtros vſus facit. Innumerabiles prætereà alij hoc ſtudio arsêre, qui, vt ait Daniel, ad iuſtitiam erudiunt multos, & velut ſtellæ in perpetuas lucent æternitates. Sed quò hæc tam longo repetíta principio? Videlicet, vt oſtendam non proteruè, aut mollibus delectatum rumuſculis me ad ſcribendum prouocari: ſed ſola charitatis intentione, quod nequeo, conari. Neq; enim nullius laboris eſt, priùs dicta aliter dicere, & vetera in nouum auditorium reportare, vbì nulla hominum ſpecies & diſcolor vſus. Aggrediar tamen vna lucubratiuncula vitam beatæ virginis Landradæ, vobis petentibus vt ſatisfaciam, & cæteras exemplo admirabilis fœminæ ad virtutem vt accẽdam, eiusq; meritis ſaltem aliquam debiti mei merear veniã. In ferculo enim noſtri Saluatoris columnæ argenteæ, aſſcenſus purpureus, media conſtrata charitate propter filias Hieruſalem. Eapropter etsì nitorem eloquij, aut ardorem necdùm attigimus martyrij, ſaltem ad medium ſuſpiremus ſtrati: vt qui nec columnæ alios portando, nec purpura ſumus pro veritate moriendo, medium tamen occupemus, vera rectè credendo, & recta verè ſcribendo. Satiùs enim eſt, per huiuſmodi detegere ingenium, quàm per Aonios montes & Heliconis vertices, vt poëtæ canunt.

for. * priſcorum

Amos 7.

Dan. 12.

Cant. 3.

VITAE

VITAE HISTORIA.

CAP. I.

POST glorioſum igitur Dominicæ reſurrectionis triumphum, accenſo quaquauersùm igne illo, quem Dominus Ieſus venit in terram mittere, & voluit vehementer accendi, non modò viri, ſed & fœminæ admirabili illo omnipotentis amore vſq; ad contemptum mortis incalueˊre. Non ætas, non ſexus, aut quicquid poteſt illicere aut blandiri, currẽtem Dei morabantur. Ridebant aſpera, calcabant proſpera, & pleni ſpe immortalitatis, paſcentem in meridie dilectum, toto conatu, dum vſq; appræhenderent, perſequebantur. Tormenti occaſio ſi deeſſet, ſecum ipſi pugnabant, & aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis, gratia Dei per Ieſum Chriſtum quotidiano ſui cruciatûs martyrio expugnabant. Ex hac probatæ Chriſti monetæ maſſa, egregiæ virtutis imago virgo fuit Landrada, contra ipſum ſuperbiæ gigantem diabolũ pugnaciſſima: virginibus quidem imitabilis, ipſiſq; viris admirabilis. Atque vtinàm ad exemplar talis fœminæ viri ſe extenderent, & ſenectus vel coacta redderet, quod ſponte profitetur adoleſcentia. Francorum ſoboles, & eorum, quos Maiores domûs appellant, inclyta proles, totam priorum progeniem à ſtirpe ſuis meritis nobilitauit & ornauit. Taceo, quòd in matris vtero benedicta, antequàm nata: priùs electa, quàm cõcepta: abuſque incunabulis ſtatìm Chriſtum ſubintelligere, & quibus licebat motibus infantiam deteſtari, & neſcio quid diuinius ſtudebat ſapere. Vnica parentibus, eoq; magìs affectuoſior: iam in ea erat videre ætate, quanta poſtmodùm vas illud repleretur ſpiritûs ſancti gratia & vbertate. Clotarius quartus à * Ludouico, quẽ beatus Remigius baptizârat, trium regnorum monarchiam eo regebat tẽpore, Burgundiæ, Neuſtriæ & Auſtriæ: Pipinus Carlomanni filius cum viro Dei Arnulpho, poſteà Metenſi Epiſcopo, Maiores erant domûs, glorioſiores ſuper hac nupèr natæ neptis ſuæ ſanctitate, quàm ſuper eius, cui principabantur, regni cura & moderamine.

Iulij 8.

Luc. 12.

Currẽtes in ſtadio Dei nulla debet morari aduerſitas.

Cant. 1.

Rom. 7.

Landradæ genus.

* Idẽ etiam Clodoueus dicitur.

CAP. II.

DEcennium eius nunc prætereo, quod totum tanta percucurrit pietàte & gratia, vt nutritores ſuos quotidiè videretur incitare ad religionis ſtudia. Ad ea venio, quæ poſteà proprio ſudore elegit, arripuit, tenuit & perimpleuit. Inſtabant parentes vnicam ſuam nuptui tradere, recuperaturi fœcunditatem in ramo, cuius erant experti iacturam in trunco. Illa, ſtatìm, velut ſi iam ex ipſius ſui ſponſi ore audîſſet: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, &c. reiecto vultu, ea qua decebat, reſpõdens indignatione, nuptias, matrimonia, nouem menſium faſtidia, ipſius horæ pericula, & cætera, quæ ſequuntur, incommoda, tanta perorauit grauitate, vt ipſos penè parentes admonuerit de continentia & libello repudij.

Pſal. 44.

Reſpuit nuptias.

CAP. III.

ABhinc ſpretis omnibus, & vnius cellulæ clauſa anguſtijs, paradiſi perfruebatur latitudine, eodem ſolo orans & recubans, eademque anguſtia, ſicco pane & aqua magìs prouocans quàm reſtringens eſuriem. Inter huiuſmodi virtutes & infirmi huius corporis caſtigationem, caſtitatem ſi prædicem, vt ſuperfluus repræhẽdar. Balneas ignorauit, mollia ſtrata, etiam febre cùm æſtuaret, abhorruit. Cilicio obuoluta, in nuda humo Chriſti miles exercebatur: quod peccâſſe quis poterat, velut ſi iam ipſa quoquè peccâſſet, in ſe vindicans, & alieni delicti pœnas luens.

Mira eius abſtinẽtia.

Vitæ aſperitas.

CAP. IIII.

MArtinus eo tempore Romæ, Remaclus Traiecti verbo & opere pernigilabant in cura ſacerdotali: Trudo in Haſbania in tyronem Chriſti caleſcebat, Horũ accenſa virtutibus, per momenta aut patriam deſerere, aut eremum deſiderabat inuolare. Interìm nunquàm ſine lachrymis, nunquàm dies aut noctes ſine afflictionibus habebat cõtinuis, dicens cum Pſalmiſta: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Paulos & Antonios ſemper habens præ oculis, ſola & incomitata penè inuaſerat ſolitudinem, ſi nõ aut ætas, aut quos paſcebat, pauperum cura pedem eius tenuiſſent. Nullus enim clericorum, nullus inopum

Pſal. 6.

Liberalitas in pauperes

eius euasit manum, quin aut cibo sustentaretur, aut vestibus eius obuolueretur. Quorum enim cellas non intrauit? quorum pedes ipsa non lauit? Mira intentio, & difficilis in hoc tali sexu fortitudo. Forma supra hominem augustiore, & reliquis omnibus quadam maiestate decoris excellentibus, ornatum suum ipsa reprehendere, & vili aliquo palliolo totum corpus suum obtegere: vt qui eam vidisset, non ipsam, sed vltimam crederet ancillarum. Ocium labore castigabat manuum, vigilijs dedita vltra humanum modum.

Habitûs vilitas.

CAP. V.

RETractat rursùs de eremo, & quæ omnia iam pro Christo reliquerat, totũ id frustrà reputat, si non seipsam quoquè abneget & relinquat. Ibì verò Crucis erecto vexillo, expansisque omnibus nauigij sui velis, inuitis parentibus, reclamante familia, saltum, quem à feritate inhabitantium belluarum, Belluam vocant, inuadit, erectoq; propria manu breui tugurio, ingreditur, & pugnatura cum diabolo, nescio quæ diuiniora & vltra hominem pugnæ genera aggreditur. Gloriabatur cõtubernalem se factam Eliæ & Iohannis, quorum alterum corui, alterum mel sylueſtre & locusta pauerunt. Vrsorum & aprorum, cæterorumq; id genus cohabitationes tanta securitate ridebat, vt putares eam illud Iob dicere: Frater fui draconum, & socius struthionum. Habebat tamen & curam pascendi gregis, non vt esu carnium, cuius ab adolescentia nunquàm vel tenuem gustum attigerat, delectaretur, sed peregrinis & pauperibus hospitio receptis vt solatiaretur.

Petit desertum locum.

3. Reg. 17. Matth. 3. Iob 30.

CAP. VI.

PVer officialis in pascendo pecore dum occupatur, irruentibus tenebris, nocte ingruente, dum per auia porcos prosequitur, ipse quoquè sano quodam errore impeditur. Peruigil enim dum medias noctis agit excubias, eleuatis oculis, arrectis auribus, more illorum Euangelicorum pastorum illustratur. Horrebat à latere veprium densitas, asperitate inaccessibilis, & neglectu intractabilis. Super hunc locum lumen inprimis cælicum videt, posteà cum lumine cantum exaudit angelicum. Stupebat seipsum, & quid rei portenderet maiestas, tremulis motibus expectabat. Ablata visione, die reddita, in seipsum reuersus, recollecto pecore, miraculum ad virginẽ tãquàm ad cælestis oraculi propitiatorium reportat, & de omnibus iudicium eius expectat. Illa nihil mota, vtpotè quæ Angelorum soleret frequentibus vti colloquijs, futuræ tamen nocti cum ieiuniorum & orationis purificatione se præparat.

Luc. 2.

Pastor porcorũ ei reuelat suã visionem.

CAP. VII.

ACcersit etiam presbyterum, nomine Sigemarum, & cum eo quibusdam secretis animæ lustrationibus celebratis, cum illo suo pastore locum adeunt. Ibì solo recubans, & nescio quę mystica diuinis auribus immurmurãs, terram lachrymis compluebat. Ardebat hyems solito algore horridior, niuibus densissimis, & tristi vredine omnia pigra iacebant. Illa nudis pedibus & lanea singulari induta, quo magìs spiritûs sancti igne interiùs incanduit, eo faciliùs aëris incommoda exteriùs sustinuit. Tunc verò cæli aperti, tunc lux cælestis dupliciùs effusa resplenduit.

Visio ei offertur.

CAP. VIII.

VOces etiam angelicæ solita dulcedine præsentiùs insonuêre, & quædam diuinitatis consilia de thesauris cælestibus ad desponsaram Deo virginem reportauêre. Exhinc velut prœmonita, & de voluntate sui amatoris edocta, nullam prorsùs prætereundam putauit diem, quin eundem locum reuiseret, & debita illic orationũ munia persolueret. Ità pia voluntas in necessitatẽ vertitur, vt transgressio putetur, si quicquam de religionis studio imminuatur. Sic peruigilantem, sic oleum in occursum sui sponsi continuè præparantem, Virginis filius inæstimabilibus donis remunerat, & quasdam velut arrhas de illo ineffabili suo ærario destinat. Stabat in medio noctis silentio incomitata & sine arbitris, & vltra omnem hanc luteam infirmitatem eleuata, libero mentis pede in odorem cælestium vnguentorum currebat, cùm subitò patefactis cælis, comitante lumine, mirifici operis Crux delabitur, & Landradæ, quę iam mundo crucifixa erat, velut pro munere super cõtiguum lapidem deponitur. Durant adhuc non languidæ fidei certa monumenta.

Cant. 1. Crux ad eã cælitùs defertur.

CAP. IX.

SIcut enim mollis cera impressam sigilli imaginem recipit & repręsentat, ità & durissimus lapis adhuc nobis eiusdem Crucis totam impressionem integrè demonstrat. Vox interìm administratorij spiritûs audita est: Accipe Lãdrada hoc ab immortali

Signa Crucis in lapide manent.

tali sponso charitatis pignus: ipse tibi Crucis mittit sponsalia, qui in Cruce moriens, reparauit omnia. Amatoris tui hæc sunt munera. Tali munimine hoc in loco deinceps non nocebunt spiritus immundi, fames, mortalitas, aëris inæqualitas, morbi & pestilentia. Inualescit materia, succumbit ingenium, & considerata tua bone Iesu inæstimabili charitate, vltrà iam non est in nobis spiritus. Ideoque diuiniora hæc & quæ supra homines sunt, solummodò adorantes, cum reuerẽtia præterimus, & velut submissis alis, à supra firmamento ad terram stylum deponimus.

CAP. X.

VIrgo Dei gauisa de munere, roborata de consolatione, oblíta sexûs & ætatis, in quandam virilitatem accingitur, proprijsque manibus negocium, quod nõ poterat, aggreditur: vepręs & spinas extirpare, humum sarrire, ecclesiam in honore & memoria Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ conari fundare: & quod mirum forsitan videatur legẽti, proprijs ipsa manibus lapides effodere & cõportare, lineã ducere, fundamenta iacere, & in loco sibi destinatę Crucis nõ alius, quàm ipsa, collocauit ipsum, quod adhuc perdurat, altare. Adfuit indefessę laboratrici suę manus omnipotentis vsque ad consummationem perfecti operis. Tunc verò Lambertum Episcopum, posteà Christi martyrẽ futurum, euocat, & pia commonitum familiaritate, qua se ab initio sanctæ animæ obligauerant, nouæ suæ ecclesiæ consecrationẽ & reliquiarum impositionem ex voto impetrat. Exhinc iam crescente religione, & passìm diffuso vnguẽtorum Christi odore, populus Dei spreta austeritate eremi, velut ad plantaria conuolabant paradisi. Virgines ad centesimum, viduę ad sexagesimum fructum quotidiè colligebantur: plures prætereà, quæ tricesimũ in coniugalitate expectabant bonum, ex consensu, postposita domo & dulci liberorum amplexu, fauos piæ intentionis cum tota re familiari comportabant ad aluearia Christi. Videbat diabolus, & ingemiscebat: & qui olìm dixerat, Ponam sedem meam in nubibus cæli, in lateribus Aquilonis: vigentes animos in sexu fragili mirabatur, & ab infirmo Dei, quod fortius est hominibus, calcabatur. Aliæ patientia, aliæ pugnabant obedientia. Aliarũ tepens calor moderatis ieiunijs refrigerabatur. Aliarum tepidius studium exemplis & consolationibus * accendebatur. Tanti dux fœmina facti: in cuius ore pallor ex ieiunijs, eleemosyna in pauperes, constantia in aduersis, modestia in prosperis, in seruos Dei iuge obsequium, humilitas cordis & vestium, sermo etiam modestus, idemq; sufficienti sale condítus, quem non frangerent, quem ad virtutem non accenderent?

Suis manib⁹ templi structuram molítur.

Multæ ad eam viduæ & virgines confluunt.

Esa. 14.

*deest, ferè uentiũ, aut aliquid tale

CAP. XI.

HAc tali virginũ militia, his gymnasijs in breui locus adoleuit, & in omnis humanitatis accrescens annositatẽ, non vt priùs à belluis Bellua, sed Belysia, id est, benè Elysia, vocari cœpit. Siue enim nemorosam iucunditatem, siue fluminum aut fontium irriguam spectes vbertatem, apum quoq; & mellis ceream suauitatem, addita incolarum Christiana religione: parùm est quod dubites de Elysia beatitudine.

Quæ priùs Bellua, nũc Belysia dicitur.

Quæ hoc loco sequuntur in exemplari MS. quod nos vnicum duntaxàt habuimus, de industrià omisimus, cùm certum sit, Carolum Magnũ non posse ad Landradę tempora referri. Itaq; aut author lapsus est memoria, non satìs obseruans rationem temporum, quod etiam doctissimis viris nonnunquàm accidit: aut imperitus aliquis ea historiæ immiscuit.

CAP. XII.

SEd quid agimus? Cùm paucis immoramur & plurima prætermittimus, fugiens tamen nos hora præterit, & prolixior sermo missionem petit.

CAP. XIII.

TEndendum est igitur ad finem, & quod residuum superest æquoris, spirante aura sulcandum. Instabat iam dies præmij, & post lõgam carnis & spiritûs luctam, qua semper viuens, semper moriebatur, de proficiscendo prœparabat. Incidit autẽ lectum ægritudinis, in quo ipsum, quodcunque illud esset, fœnum & stipulam, & similia, quæ liberum exitum impedire solent, iugi doloris igne decoquebat. Depascebantur medullæ, siccabatur caro, exhauriebatur sanguis, cùm tamen nihil de psalmis, nihil sibi omninò omitteret de ieiunijs, damnum suum reputans, si quicquam de solito penso minueretur. Circunstabat morientem matrem sanctarum virginum dulcis cœtus, in seipsis iugi gemitu vindicantium, quicquid illa pateretur. Aliæ lectulo assidere, aliæ caput sustinere, aliæ mappulam apponere, & aquam calidã miscere, aliæ psalmos dicere, aliæ cereos ducere, nulla omninò prorsùs ociosa esse. Illa interìm velut prœsagi-

1. Cor. 3.

Nota feruorem etiam ægrotantis.

S. Lambertus Landradæ singularis patron⁹ & amicus.

ens, consolata circunstãtes, de exitûs sui hora prædicit, & sanctum Episcopum Lambertum accersiri præcepit, vt in morte quoquè eius frueretur colloquijs, cuius in vita iucundabatur semper consilijs.

CAP. XIIII.

Ad cælos migrat.

ACcepto tristi nuncio, sanctus senex omnibus se expedit, viamque dum maturat, Landrada interim de hac corruptibili domo in æternitatem transmigrat. Sed nunquàm voto fraudatur, cui ad desiderium charitas adminiculatur. Nam in eundo pontifex ingruentibus tenebris lassos artus humì dum deponit, dulci visione iucũdatur. Semiuigilanti & velut in ecstasim rapto, quadam graui maiestate venerabilis virgo appáruit, & senilem arguẽs tarditatem, solita & familiari allocutione de mora repræhendit: cur scilicet abeunti mysteria ipse suis manibus non tradiderit, cur oculos non clauserit, pedes & manus ipse non composuerit, cur sudarium ipse non superduxerit, & cætera, quæ illius sunt horæ & officij. Ille excusans negligentiã & prætendens obedientiam: Præuenit, ait, ô virgo officium necessitas, quod tibi nostra debebat infirmitas. Cætera, quæ supersunt, tuum est præscribere ex imperio, meum erit facere ex debito, præcipuè de sepulcri loco. Et illa: Arrectis, inquit, oculis cælum suspice, & quò se extendat per medium lucis nimbum Crucis signum, diligenter intende. Lambertus totum se in visionem extendens, & velut quosdã fulguris tractus quo poterat conatu sequens, notat locum Crucis fulgore designatum, cum admonitione virginis ità dicentis: Hic sepulturæ locus, hic cinerum meorum erit tumulus vsque in diem, qua iussit Dominus.

Visio S. Lamberti.

Indicat ei virgo sepulturæ locum.

CAP. XV.

HAc iucunda illius demonstratione, istius attẽtione virgo cælis recipitur, Episcopus à somno erigitur: & relegẽs visionis suę libellũ, festinato & præter vires cursu delatus Belysiam, inuenit eos iam agẽtes de sepulcro intrà ecclesiam. Expleta oratione, Episcopali facundia plebẽ suam alloquitur: postremò de reuelatione ad eũ facta sermonẽ ingreditur. Submurmurãt statim vniuersi, & necdùm perorantẽ clamore tumultuario impediũt, & velut impugnant. Hîc, aiunt, fuit cõsecrata & prælata: eius opibus hæc creuit ecclesia: hîc per eam puellaris adoleuit turba. Hîc cęcos illuminauit, hîc claudos erexit, hîc omnibus incõmodis se opposuit. Tuipse hîc studiorum eius adminiculator, tu virtutum attestator, ipsiusq; huius ecclesiæ consecrator. Non est Episcopi, populũ lædere: non est pastoris, oues velle spoliare. Persuasibilis & facetè exornata visio, vt quam viuam tenuimus, mortuam amittamus. Nullum hoc pietatis, nullum hoc officium humanitatis, Sanctam à nobis dimittere, virtutũ operatricẽ alijs relinquere. Age tua pro officio, cætera nos curabimus pro tempore & negocio.

Miracula S. Landradæ.

CAP. XVI.

Act. 5.

HAc tumultuariæ plebis Lambertus permotus pertinacia, Facile est, inquit, præesse ciuibus, sed difficile placere omnibus. Obedire quidẽ oportuit Deo magis, quàm hominibus, sed certus cùm sim nihil posse mutari de omnibus, quæcunque voluerit Dominus, sciens & prudens manum in flammam mitto, & voluntati vestræ interim me præbeo. Sic ad votum populi virgo sepelitur, sed Episcopo nihil de pristina solicitudine imminuitur. Sciebat enim faciliùs elementa posse mutari, quàm Landradam mentiri. Ieiunium sibi ipse indicit, orationes cum iciunijs continuat: demumq; exacto triduo, in concione pro re pauca declamat: Dei, inquit, voluntati nolle obedire, contra torrentem brachia est extendere. Ideoq; tempus iam est, de vestro quoquè vt pendeat iudicio, quid illa nobis dudùm exposita sibi velit nostra visio. Ocularia fides adhibeatur tumbæ virginis, vt omnis super hoc negocio scrupulus amoueatur. Acclamatur ab omnibus, pedibus eunt in sententiã: & aperta tumba, nõ modò corpus, sed neq; ipse reperitur corporis loculus. Expallent tacito murmure cæteri: solus Episcopus Deo gratias agens, & vt filios paternè demulcens: Quia, inquit, iam quieuit diffidentia, experiamur nunc, quid possit Dei magnificentia.

Sepelitur ad votum populi.

CAP. XVII.

PRædux ipse viam arripit: populus comes secum Vuintershouum vsque percurrit: in quo scilicet fundò idem Episcopus olim à venerabili genitore suo Apro sancto Archipresbytero Landoaldo commendatus, nutritus & adultus, in sanctitatis apicem excreuit. Ibì relegens suæ illius visionis indicia & ostensæ Crucis vestigia, effossa humo, (ô rem nouam, & nouè semper stupendam) virginis glebam cum ipso sarcophago inueniunt transportatam, eo ordine, ea decenti reuerentia locatam, vt

Corpus ei⁹ translatum ꝑ angelos.

nulli sit dubium, angelorum id effecisse ministerium. Hoc tam admirabili spectaculo, tanquàm potatis ęterni illius delicijs paradisi, aliquandiù iucundati, digna cum veneratione deuotis manibus terram reponunt, & deficientes in seipsis, cætera omnipotenti Deo committunt.

CAP. XVIII.

MIremur nunc suscitata cadauera, stupeamus trãsportata iuxta promissum Domini montium cacumina, & commota ab ortu in vsque occasum elementa. Omnibus percursis, nihil hoc miraculo iucundius, nihil hac iucunditate mirabilius. Certè qui martyri suo Clementi maria aperuit, qui ei inuisibili angelorum officio in contrario elemẽto marmoreum templum effecit: ipse ille tam piè potens, & potenter pius, per administratorios spiritus virginem nostram, vbì voluit, & sicut voluit, transportauit. Neque mirum, si exemptæ his carceribus piorum animæ, contubernalium suorum fruantur ministerio, quorum dum adhuc in corpore essent, semper vsæ sunt familiari solatio. Ipsi enim sunt, iuxta Apostolum, administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt in cælis. Matth. 17. Hebr. 1.

CAP. XIX.

POst huius angelicæ sepulturæ indicium, tanta se illic vbertate diffudit cæleste beneficium, vt nusquàm copiosiùs effluxerit diuini muneris stillicidium. Quis enim cæcus, quis febre æstuans, quis hydrope sitibundus, quis quocunque incommodi genere anxius, statim vt petiuit, non accepit? Descendebãt non vnus, sed multi ad hanc Probaticam Siloë piscinam, & medicatis cunctis suis inæqualitatibus, cum gaudio redibant. Medeatur & ipsa inuisibilibus animarum nostrarum morbis, & coniuncta immortali sponso, ab amatore suo impetret, vt ad nuptias æternitatis admittamur, priusquàm extinguatur olei nostri lucerna, & antequàm vltima nobis claudatur ianua. Obijt autem sanctissima Landrada, non minùs martyr quàm virgo, octauo Idus Iulij, virginibus exemplar sufficientissimum, & omnibus bonis imitabile propositum: Regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen. Ad tumulũ eius crebra miracula. Iohan. 5.

In MS. Codice hæc erant ad marginem adscripta alia manu.

ANno Domini millesimo ducẽtesimo septuagesimoseptimo, die Dominica post festum Apostolorum Petri & Pauli celebrauit venerabilis Philippus Tornacensis Episcopus translationem corporis beatę Landradę virginis in Haeltere. Cui translationi interfuerunt venerabiles Archidiaconi Magister Henricus de Muda, & dominus Nicolaus, dictus Miso: Dominus Aegidius, tunc Abbas S. Martini Tornacensis, & quàm plures alij viri religiosi, & etiam seculares, videlicet dominus Radulphus de Niuella, dominus Iohannes de Haxpoẽle, & dominus Philippus frater eius milites, & permulti alij, immò innumeri tam nobiles, quàm ignobiles.

VITA S. DISIBODI EPISCOPI ET CONFESSORIS, A S. HILDEGARDE ABBATISSA IVSSV *Helengeri Abbatis conscripta: sed F. Laur. Surius stylum mutauit. Est historia diuinitùs reuelata, sed propter authoris singularem sanctitatem & authoritatem minimè contemnenda.*

PRAEFATIVNCVLA S. HILDEGARDIS.

IN mystica visione, vt Deus voluit, propter preces & mandatum Prælatorum meorum, Abbatis Helengeri & fratrum omnium, in monte beati Disibodi Deo famulãtium, de vita & meritis eiusdem beati patris adspiciebam, & post oblatas visiones libri meritorum vitæ, anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo septuagesimo, regnante Friderico Romanorum Imperatore, sub pressura Apostolicæ Sedis triennio ferè lecto decumbens, ex diuinæ Sapientiæ pietate vocem de cælo, corpore & animo vigilans, ità audiui dicentem:

VITAE HISTORIA.

Iulij 8. Cap. 1.

ELECTVS Dei Disibodus ab ipsa infantia sua, instàr beatorum Nicolai, Benedicti & consimilium, sancti spiritûs gratiâ perfusus, ad bona omnia, quæ vel vidisset vel audiuisset, magno cordis desiderio adspirabat, vt possit de illo quoquè dici: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem: quæ sic accipienda sunt: Pio affectu infantium, verba necdùm formare valentium: illorumque, qui lac potiùs sugere, quàm mira efficere deberent, tu qui cunctorum Dominus es, nominis tui laudem compleuisti, quādò mirabilia tua sæpè in eis operatus es, illis necdùm plenam habentibus medullam diuinitùs tuam gratiam adspirando, vt multa per spiritum sanctum & dixerint & egerint nescientes: & quandò alios contra carnis iura tanta animi fortitudine roborâsti, vt toto pectore ad cælestia tendentes, carnis opera peccādo minimè perpetrârint. Nec verò quisquam de his debet ambigere, cùm satis constet, antiqui serpentis versutiam in sanctis illis bona hæc & sancta haudquaquàm efficere potuisse. Fecisti enim hæc propter inimicos tuos, nempe perditos spiritus, vt ad suî pudefactionem, virtutem tuam in paruulorum ignorantia viderent: sicque destruas inimicum, id est, illum, qui in bonis omnibus te abnegat: & vltorem, id est, lapides & iacula impietatis suæ contra dicta & miracula tua vibrantem, ea carpendo & sinistrè interpretando.

Pfal. 8.

Mira Dei opera etiã in paruulis.

Cap. 2.

Porrò Deus in beato Disibodo ab eius infantia vsq; in decrepitã ætatẽ per gratiam suam id effecit, vt nec pueritia eius improbis ludis & leuitatibus dedita, nec iuuentus libidini obnoxia, nec matura ætas ad sinistram intenta fuerit. Adeò enim pompam omnem & fastum mũdi huius animo & corpore calcauit, vt quibusdam stultus, nonnullis vanus, alijs errori obnoxius, pleriſque verò etiam admirabilis ea causa in suis fa-

Parentes S. Disibodi.

ctis videretur, dicerentque isti: Quid est hoc, quod Disibodus facit? Parentes sanè illius ingenui erant & nobiles, præclaris in Hibernia orti natalibus: sed nec ipsi tamen seculi pompam & gloriam inaniter sectabantur. Tyrannis autem quibusdam superbia tumidis, in ea regione complures per vim & tyrannidem opprimentibus, atque etiam huius beati viri, qui tum adhuc puer erat, parentes in seruitutẽ redigere nitentibus, cùm illi non ignorarent se ingenuos & libera cõditione natos, nec vellent perpeti, vt ab illis præter ius fasq; seruitute premerentur, procùl recesserunt, & in eadem regione iuxta flumen quoddam vnà cum filio Disibodo in oppido habitârunt, vbi etiam literis & liberalibus disciplinis imbuendum, religiosis viris eum cõmendârunt.

Literis & liberalibus studijs adhibetur.

Agente autem gratia Dei, puer docilis, quæ à præceptoribus tradebantur, capaci ingenio accuratè memoriæ affigebat, atque ea re parentibus suis exilij molestia laborantibus non mediocre leuamentum adferebat.

Cap. 3.

Ità verò in dies proficiens, & tum ætate, tum sanctitate crescens, à studio literarum ad studium bonorum operum progrediebatur, precibus & eleemosynis vacans: ità vt quicquid de Deo auditione accipere aut discendo consequi posset, illud multa auiditate complecteretur. Deniquè per gradus virtutum & ætatis incrementa singulis initiatus sacris ordinibus, cùm tricesimum ageret annum, presbyter ordinatus est. Ea

Fit presbyter.

autem dignitate cum Dei timore accepta, fecit instàr boni cuiusdam pharmacopolę, in horto suo herbas & aromata plantantis, atque in eam curam sedulò incumbentis, vt hortus semper viridis sit, nec vlla in parte arescat. Memor enim fuit vir sanctus scripturæ, dicẽtis: Messui myrrham meam cum aromatibus meis: quorum verborũ hæc sententia esse potest: Ego qui iustis operibus recta animi intentione operam nauare debeo, carnis meæ mortificationẽ exhibeo præpotẽti Deo, quandò pro illius amore vitijs peregrinus fieri, illorum spurcitiem & immunditiam fugere, nihilque cùm illis cõmercij habere appeto: sed virtutum excolendis aromatibus ipsum verum Deum amore & veneratione prosequi connitor, cælestis desiderij studio à corde meo illius auxilio non deficiente. In hac nimirùm recta & sancta voluntate hic vir beatus tanquàm mortuus mundo fuit, ità vt non pauci id animaduertentes, haud aliter se gererent, quàm si illum non nouissent: prorsusque ab eius conuictu & consuetudine abhorrerent, quòd se totum ille non carni, sed spiritui seruire cogeret.

Cant. 5.

Multis virtutibus claret.

Interea

Intereà verò, dum ille sic virtutibus addictus, Deo laudabiliter famularetur, atque ea causa Deum amantibus cumprimis gratus & charus esset: quidam eius regionis Episcopus ab hac luce ad illam futuræ spei vitam commigrauit: cumque populus noui Episcopi eligendi causa ex more conuenisset, quidam ex illis, qui honestos mores & vitam integerrimam S. Disibodi non ignorarent, eum sibi antistitem magna animorum consensione elegerunt. Plerique verò alij, quorum vita erat repræhensibilis, opponebant sese, ità dicentes: Quorsùm attinet hominem mutum, nihil loquentem, nullam populi notitiam habentem, magistrum nobis expetere? Verùm enimuerò Deus omnipotens ad beatum virum respexit. Dicit scriptura diuina: Humilem & pauperem iustificate: id est: Iustum, qui se causa Dei ad terram abijcit, seque ex animo egenum & pauperem confitetur, in sanctis operibus iustificate. Iustitia enim aperto pietatis oculo in eum respicit. Sanctus enim vir iste egregiè fuit humilis, paupertatemque perpetuò desiderauit, columbino simplicitatis oculo semper in Deum intentus, vt æternas sibi diuitias pararet. Itaque & illum dilexit Deus. Caducas res omnes duxit pro nihilo, ipsam quoquè mortem contemnens, & opera sua omnia in Deum referens.

Creatur Episcopus.

Pfal. 81.

Cap. 4.

Cap. 5.

Itaque elegit eum iustus ille iudex, vulgo quidem illum abscondens, sed se diligentibus reddens manifestum: atque tametsì quidam id summoperè admirarentur, eum voluit & magistrum & antistitem haberi. Cùm autem illi, quorum erat sanior sententia, eum cogerent Episcopi onus in se recipere, ille pro singulari modestia indignum se clamabat, & qua potuit vi manus ac pedes retrahebat: at illis tamen impellentibus & prævalentibus, qui Deum timebant, diuina dispositione etiam inuitus in Episcopi sede collocatus est. Tum verò Dei iustitiam prædicare & docere cœpit, omnesque, quos potuit, hortabatur vt se Deo morigeros præberent, quodque ab infantia sancti spiritûs gratia perfusus fuerit, iam eructando patefecit. Sanctarum virtutum optima exempla paterno affectu in se illis præbebat: & alij quidem propter virtutes, quas in eo cernebant, amabant eum, & arrectis cordis auribus doctrinam eius excipiebant. Alij verò, qui diuini erant timoris expertes, cum furore vociferabantur: Hic ità viuit, quasì nihil habeat hominis: vndè fit, vt nos vitam ab omni humana consuetudine alienam viuere cogat. Ecquis verò illum audire sustineat? atque ità multis iniurijs illum afficiebant. At ille paucos cosque fideles sibi adiungens, qui ipsi possent in omnibus solatio & auxilio esse, cor suum quotidiè affligebat, dicens ad Deum: Ego tuus seruus, Domine Deus meus, tuæ me pietati prosterno, faciens quæ iussisti. Tu scis, me non nisì te vnum desiderare: planeque confido fore, vt quandoquè impleas desiderium meum, sicut scriptum est: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: quod sic accipiendum est: O homo, qui in peccatis conceptus & natus es, contra carnis propensiones & affectum delectare in præceptis illius, qui creauit te, ad memoriam crebrò reuocans, quis sit ille, qui sua passione redemit te. Quod vbì feceris, dabit ille tibi ea, quæ petis: quandoquidem non ea petis, quæ petenda non sunt, sed cordis tui afflictionem humiliato spiritu illi exponens, clamando & dolendo teipsum ceu pecus cogis ad ea, quæ recta sunt, agenda & sectanda. Quotquot autem dant operam agendæ pœnitentiæ, & mala sua hoc pacto emendare conantur, ij filijs huius seculi prudentiores sunt, qui istuc nec voluêre facere, nec fecerunt. Perplacet autem Deo, vt durum & acre bellum homo suscipiat aduersùs seipsum & draconem diabolum: quique id fecerit, eius preces & vota Deus celeriter complebit, quemadmodùm etiam S. Disibodi, qui quoàd vixit in corpore, multa habuit certamina, quæ tamen bono fine feliciter absoluit.

Recusat episcopatũ prę modestia, sed cogitur suscipere.

Afficitur multis iniurijs.

Pfal. 36.

Cap. 6.

Ea tempestate, qua vir sanctus populo suo verbis & exemplis præfuit, ingens schisma & magna ludibria in tota illa regione extitêre: alijs vetus & nouum Testamentum oppugnantibus, Christumque abnegantibus, alijs hæreses complectentibus, pleriſque ad Iudaismum se conferentibus, nonnullis in ethnicismũ prolabentibus, quibusdam non vt homines decet, sed instàr pecudũ, turpiter viuere appetentibus, alijs deniquè morum quandã disciplinam præ se ferentibus propter humanitatem, sed tamen nihil boni facere studentibus. His verò tam fœdis erroribus & Babylonicæ confusioni beatus Disibodus se virili & infracto animo opponens, multa opprobria multasque iniurias patienter tulit, ipsam quoquè vitam profundere magìs optans, quàm tam absurdis & nefarijs rebus suffragari. Cùm autem annos aliquot durâsset in tot

Sectæ & vitia in Hibernia.

Officiũ boni pastoris.

malis

malis æquo animo, licèt non ſine corporis periculo, nec tamen ea extirpari poſſent, tandèm pertæſus, ad Dominum cum multis lachrymis has fudit preces: O Deus omnipotens, qui iudicaturus es viuos & mortuos, & in hominum facta inquiſiturus: quæ mea vtilitas eſt, labore confici in gente hac, quæ tuam iuſtitiam non modò ferre non poteſt, ſed etiam rabidis morſibus ſibi lacerandam ſumit?

Oratio eius qualis fuerit.

Cap. 7.

Sic ille orauit. Porrò eorum, quos diximus, errorū architecti & patroni, populusq; ijs erroribus implicatus, vt viderūt virum ſanctū ipſis nolle aſſentiri, ſed potiùs vbiquè ipſos ſine vlla mortis formidine, multa animi conſtantia repræhēdere, non paucas ei tetendêre inſidias: & tandèm incredulorū coacto agmine, è ſede ſua multis affectum cōtumelijs exturbârūt. Et ille quidem Deo mâlens in quiete ſeruire, quàm ſine fructu diutiùs apud illos hærere, paucis ſibi adiunctis religioſis viris, ſedē illam, quā annis decem ſtrenuè & piè gubernârat, patriā quoquè ipſam & res ſuas omnes Chriſti amore reliquit, dicens: neq; ſibi neque alijs prodeſſe, ſi illic velit morari, vbi vſqueadeò increuerit perfidia, incredulitas, & pertinax iniquitas. Atque ità peregrinationē diù optatam, pro vita æterna iucundo animo ſuſcepit. Cùm autem ex Hibernia egreſſus eſſet, multis peragratis regionibus, & locis non paucis accuratè exploratis, vbi animæ ſuæ poſſet inuenire requiem, tandèm in Alemaniam peruenit. Vbi in durū ſanè & ferum populum incidit, at tamen feſſus, aliquandiù pedem illic fixit, gentiſque illi verba ſalutis & ſanctitatis exempla propoſuit. Nec deerant, qui audito illo, amarent ſanctum Dei hominem: at permulti nec audire eum ſuſtinebant, tantum abeſt, vt amore & beneuolentia proſequi vellent. Interim dum apud illos moram facit, apud ſe deliberans, quonàm conferre ſe debeat, gratiſſima beati Benedicti & religionis monaſticæ ab illo inſtitutæ fama, ad eum perlata eſt. Nam nō ità pridèm è vita exceſſerat ſanctus Benedictus, & plurimos inſtituti ſui cupidos ſectatores poſt ſe reliquerat. Intellexit igitur diuinitùs edoctus vir Dei, deſiderium ſuum necdùm completum. Iamdiù enim optârat, vt pro populo ſuo aliquot veræ perfectæque religionis viros ſibi poſſet adiungere ſocios. Atque ea cauſa rursùs loca alia poſt alia inuiſit, nec tamen in gentium illarum moribus, quod ipſi placeret, potuit comperire.

Peregrinationem ſuſcipit, in Alemaniam.

S. Benedicti inſtitutum.

Cap. 8.

Pſal. 85.

Flens igitur & orans, dixit ad Dominum: Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego: quorum verborum iſta eſt ſignificatio: Afflictiones meas miſeratus, inclina tu Domine, qui omnium es rector, aurem miſericordiæ tuæ, & exaudi verba orationis meæ: quoniam inops in anima per mentis puſillanimitatem, & pauper in corpore per afflictionum contritionem ſum ego, qui te ſequi, te diligere ſuper omnia debui. Recordare itaque, quòd ab infantia tibi ſeruire ſtudui, tuiquè amore paupertatem & mundi contemptum ſemper dilexi. Tum verò Deus propter ingens ſancti viri deſiderium preces eius ſuſcipiens, ſuaui conſolatione eius animum affecit, quemadmodùm ſolet ros in herbam décidens: atque etiam per nocturnam viſionem indicauit ei fore, vt quandoquè locum voto ſuo opportunum reperiret. Fecit enim huic beato viro Deus, vt cæteris amicis ſuis, qui toto pectore ipſum deſiderârunt, quibus propter rectam animi intentionem, qua fidenter in eum toto corde intendebant, videndo, loquendo, audiendo, tanquàm coràm adeſſe viſus eſt, omnemquè ventoſam vanæ gloriæ famam ab illis depulit, qua permulti delectantur: qui pro ſua voluntate, quandò à Deo quippiā præter fas obtinere cupiūt, ſimulatas preces & ieiunia ſuſcipiunt: & ſi id, quod petunt, eueniat ipſis, inaniter ſeſe oſtentant & efferunt. Sed eiuſmodi homines ceu ſtipulam ventus diſperget. Porrò qui vanitatibus moriuntur, ad eas tanquàm obdormire videntur: ſicque ſuperbia, vana gloria, honoris appetitio, cæteraque vitia diuinitùs comprimuntur, nè animus humanus ab amore & amplexibus creatoris ſui, eorum infeſtatione vlla ratione auellatur. Beatus itaque Diſibodus gaudio perfuſus pro bona ſpe deſiderij ſui quandoquè cælestis gratiæ ope complendi, vbi de hominibus ad Rhenum degentibus percepit, duros quidem & aſperos illos eſſe, ſed tamen Eccleſiaſticam religionem vitæ deuotione colere: iam pertæſus ludibriorum ipſum irridentis populi, omnis moræ impatiens, properè ad Rhenum intendit iter, atque indè deflectens, & per auia quæque ingrediens, ad fluuium, quem Glauu vocant, peruenit: quo tranſmiſſo, montem excelſum & ſyluigerum conſpicatus, in eum poſt decem peregrinationis ſuæ annos aſcendit, ibique laſſus reſidens & quietem captans, ad comites ſuos Giſualdum, Clementem & Saluſtum, qui ex Hibernia eum ſecuti erant, ſancto ſpiritu permotus, ait: Hæc requies mea erit.

Videt viſionem.

Sancti homines vanitatibus moriuntur.

S. Diſibodi comites.

Cum-

Cumque deindè montem illum circunquaquè perluſtrâſſet, & cuncta eius latera accuratè inſpexiſſet, amœnitas illius magìs ac magìs eum incitauit, vt illic cuperet ſedem figere. nam & aſſcenſus arduus difficilem præbet aduentantibus acceſſum, & riuuli ex vtraque eius parte manantes, corporibus magnam adferunt refocillationem. Orans itaque Dominum, ait: Domine, qui ſupra cælos reſides, & moderaris abyſſum: precor te, vt loci huius amœnitas ad animarum ſalutem & iucunditatem cedat. Decet enim, vt in hoc loco à fideli populo tibi fideliter ſeruiatur. His dictis, in montis deſcenſu ad Orientem, propter aquæ compendium, ſibi habitationem deſignauit, vitæque inſtitutum, quod diù concupierat, ſtrenuè inchoans, orando, vigilando, ieiunando, durè & aſperè ſolitariam illic vitam duxit. Socij autem eius, qui cum eo erant, nè ſibi inuicèm gaudio eſſent, ſingulatìm ſibi conſtruxêre habitacula procùl ab illo. Suſtentabantur autem aliquandiù radicibus herbarum, cùm alias eſcas non haberent. Porrò mons ille in circuitu cum ſyluis ipſi adiacentibus, locis quoquè tum peruijs, tum inacceſſis, non vnius alicuius duntaxàt erat, ſed eius prouinciæ complures homines plus quàm vnius milliaris ſpatia ſibi vendicabant. Indè accidit, vt vel venationis, vel piſcationis in propinquis fluminibus, vel lignorum cædendorum, vel aliarum rerum neceſſariarū cauſa in eam ſyluam plerique ingrederentur, & beatum Diſibodum aut radices effodientem, aut alia neceſſaria circunquaquè colligentem crebrò cernerent. Indè verò cœpit poſt aliqua temporis ſpatia in populi notitiam venire. Iam enim rumor ſparſus erat in vulgum, ſanctum quendam hominem, cum aliquot ſocijs à Deo miſſum, in eum locum aduenisſe. Quod cùm pleriſque admirationi eſſet, ad eum accedebant, & de rebus vtilibus cum illo ſermones conferebant. Accipiebant autem ab eo verba ſalutis & vitæ. Ab eo enim tempore, quo à patria exulare voluit, vſque in præſens multam poſuerat operam in gentis eius lingua diſcenda, eamque pro ſuo modo & capere & exprimere poterat. Vndè factum eſt, vt quibus ille ſermones & adhortationes indeficientis vitæ promebat, ij res corpori ſuſtentando neceſſarias ei & ſocijs eius ſæpè ſuppeditarent. Ille verò cum ſocijs ſuis pauperes & egenos colligens, quicquid de victu quotidiano ſupereſſet, illis diſtribuebat. Semper enim memoria retinebat, Adamum è cibo perijſſe: attendebatque Antonium, Macarium & eis ſimiles patres, herbis & aſpero victu fuiſſe contentos, vt eorum confirmatus exemplis, corpori ſuo molles & delicatos cibos non permitteret, nèab antiquo ſerpente deciperetur. Quanto autem magìs affligebat carnem ſuam, tanto illū Deus copioſiori augebat gratia ſua, & per miracula quoquè eum celebrem cunctisque manifeſtum reddebat.

Cap. 9.

Ducit aſperam & ſolitariā vitam.

Affectus eius erga pauperes.

Gen. 3.

Permulti enim ad eum adducti infirmi & debiles, per eius merita diuinitùs repentè curati ſunt. Sed hoc ipſum ille præ humilitate reformidans, humanas laudes, quantùm licuit, declinauit. Fama verò ſanctitatis eius per totam regionem volitante, quidam religioſi homines ad eum venêre, paruumque oratorium in montis deſcenſu versùs orientem ei ædificârunt, in quo diuina officia cum ſuis celebraret, vt tum ipſi, tum alij ad eum venientes, vitæ verba & paſcua ab eo perciperent. Alij autem ad occidentem in planitie pedis eiuſdem montis, vepres & frutices extirpantes, beato viro hortos & pecudum paſcua paruaque tuguria apparârunt. Propter eos frutices, quos vulgò ſtudinos vocant, locus ille initiò dictus eſt Studernheim. Multi autem etiam ex longinquis regionibus ad beatum virum confluxêre, animas ſuas bona fide & ſpe illi commendantes. Interìm eius prouinciæ habitatores, diuino inſtinctu compuncti, timere ſibi cœperunt, ſeque negligentiæ accuſârunt, quòd locum illum, quem Dominus ad honorem & gloriam nominis ſui per ſanctum ſuum viſitâſſet, ipſi tam propinquum non adirent, nec facultatibus ſuis ornarent & augerent. Indè adeò factum eſt, vt principes & nobiles opulentique homines, cum reliquo eius regionis populo, montem illum cum omnibus finibus eius vltra decurrentes fluuios Naham & Glan in longum & latum ei & poſteris eius donarent, vt pijs hominibus illic congregatis vitæ degendæ neceſſaria affatìm ſuppeterent. Videbant enim in ſancto viro mira Dei opera, dicebantque: Laus tibi Domine Deus, qui hunc ſanctum tuum nobis mittere dignatus es.

Cap. 10. Multa efficit miracula.

Mons & fines eius dātur illi.

Eo autem munere accepto, vir ſanctus multùm extimuit, recordatus malorum, quæ erat plurima perpeſſus in Epiſcopatu, flexisque genibus Dominum orauit, vt oblatio illa ad fructum & profectum animarum ſpiritûs ſancti operatione cederet. Deindè diù noctuque multum æſtuans, ſecum animo reputabat, quemadmodùm ex

Cap. 11.

longo

longo tempore desiderâsset rationem aliquam inuenire, qua locum quendam posset obtinere, vbi religiosos & asperioris vitæ studiosos viros colligeret. Didicerat enim in spiritu, par esse, vt spiritalium hominum cõuentus eo in loco suo creatori seruiret. Agente autem spiritu sancto, omne animi sui studium & voluntatem ad vitam & doctrinam S. Benedicti, qui iam ad Deum transierat, & quosdam beatos viros, sanctæ institutionis suæ fideles administros, ijs temporibus adhuc superstites reliquerat, applicuit, & ad longinqua loca, vbi ea institutio religiosè & sanctè colebatur, nuncios misit, supplices preces offerens, vt quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabaoth ad præscriptum doctrinæ beati Benedicti plantaturi.

Cap. 12. S. Benedicti regula commendatur.

Is enim sanctus Pater Benedictus regulã, quæ spiritalibus hominibus esset accommodata, è sanctorum vitis sancto spiritu docente & ostendente condiderat. Ità ergò quamplurimos beatus Disibodus eiusmodi instituti & conuersationis viros religiosos ad se adduxit, quibus etiam oratorium & cõgrua domicilia in montis supercilio, propter difficilem & arduum accessum, contra Orientem construenda curauit, nè aduentantis populi strepitu interturbarentur, & feruor atque rigor instituti, quotidiana eò confluentium visitatione dissolutus & eneruatus, in desidiam & segnitiem abiret. Porrò ipse solitarius permansit in domicilio & oratorio illo, quod in montis descensu ad Orientem, vt diximus, extructũ erat: vt ad occursantia omnia paratus esset, & superuenientibus pro cuiusque ratione & conditione, opportuna posset responsa dare. Ea verò fratrum congregatio, tam pietate erga Deum, quàm habitatorum numero crescebat: cunctaque agenda & habenda, imperio sancti Disibodi subiacebant, communisque ab illis vita secundùm beati Benedicti institutionem exercebatur. Dabat autem operam sanctus pater, vt congregatio illa consuetudine ipsis perscriptæ regulæ intantùm confirmaretur & coalesceret, vt diabolus vitia in ea parturire non posset, nec suis eam iaculis configere, aut fratres alios ab alijs separare: & vt eadem ipsa congregatio & dæmonibus & hominibus terribilis videretur tum vitiorum abstinentia, tum concordi studio virtutum. Itaque sapienter docebat fratres contra hostiles aëreorum spirituum turmas humilitate confligere, vanitatemque superbiæ, mentis arrogantiam & seculi oblectamenta vitare. Proponebat etiam eis accuratè sanè, quæ laus & gloria maneret eos, qui legitimè certarent, & perpetuò circunspecti & cauti essent.

Multos ad se adducit Benedictinos.

Optimè fratres instituit.

Cap. 13.

Denique vniuersum illum fratrum conuentum vallo rigoris & districtionis siue seueritatis totius monasticæ disciplinæ muniuit & circunfodit, nè malignus dæmon derepentè clàm in eum irrueret. Nouerat enim præcipum hoc illi teterrimo spiritui studium esse, vt possit in homines religiosos siue spritales incurrere: multoque maiori eum lætitia affici, si vel vnum religiosum praua voluntate possit superare, quàm si multos euertat homines seculares. Cernit enim eum sui se effecisse similem, cùm à cælesti desiderio corruit, quemadmodùm ipse per superbiam è cælo ruit. Hoc igitur pacto vir sanctus filios suos coadunare & confirmare conatus est. Id verò vbi seculares homines didicêre, ex tota illa regione accurrunt, & quicquid ille ad res parandas necessarias facere inchoâsset, ipsi promptis animis perfecêre. Atque hac ratione effectum est, vt beata illa congregatio annis duodecim ad quinquagesimum vsque perfectorum fratrum numerum excreuerit. Illa enim tempestate pauci huius instituti homines visebantur, nec quisquam viam hanc, nisi probatus, aggrediebatur. Sed spiritus sanctus, qui congregationem hanc plantauerat, etiam rigauit eam, perindè vt ros solet, in pingue solum décidens: ità vt fratres in ea sub monastica disciplina viuentes, de virtute in virtutem proficiscerentur, nec eis remoram aut impedimentum posset adferre antiquus ille insidiator. Vbi enim spiritus sanctus se per miracula præsentem exhibet, illic tortuosus ille coluber timidus est, nec est ausus eò se inferre aut ingredi. Si quid verò clàm ibi seminet, id spiritus sanctus ad eius ignominiam planè conculcat. Et merita quidem sanctitatemque beati Disibodi signa & miracula declarârunt, eademque citra fastidium sæpiùs repetebantur. semper enim Deus noua facit. Vir quidam adeò impedita erat lingua è nimia corporis inualetudine, vt verba nulla posset proferre. Is ad virum Dei ex longinqua regione veniens, nutibus & manuum indicijs, prout potuit, lachrymabũdus eum orabat, vt apud Deum suis precibus tanto incommodo remedium impetraret. Tum vir pius pro illo orans, & gratiam Dei sibi adesse sentiens, Dominici exempli recordatus, in os hominis insufflauit, dicens: In nomine illius, qui dixit olim muto, Epheta, & ille loqui cœpit, tibi

Odiũ satanæ in monachos.

Sanctitatẽ viri virtutes & signa declarant.

Marc. 7.

tibi præcipio vinculum infirmitatis, quod hominis huius linguam eneruâsti, vt dissoluaris, nec deincèps, quó minùs loqui possit, vllum ei præstes impedimentum. Dixit, & mox lingua illo nexu expedita, articulatè humanas deprompsit voces, gratiasque egit Deo & beato Disibodo.

Sanat hominis impeditã linguam.

Oblatus est etiam viro Dei hydropicus quidam mirè inflatus, cum multis lachrymis salutem petens ab eo. Sed illo nonnihil hæsitante, & se indignum affirmante, qui rem tantam faceret, amici hominis etiam suas iunxêre preces: quibus ille victus, omnipotentem Deum pro misero rogauit, eumque manibus suis tangens, benedixit, morbusque diuina agente gratia paulatìm euanuit.

Cap. 14.

Iremque hydropicum.

Leprosus quoquè mirè deformis & horridus, ad eum accessit, & primò quidem deprecabatur, vt morbo ipsius mederetur: deindè etiam minas addidit, dicens se nunquàm ab illo recessurũ, nisi priùs depulsa lepra. Ea importunitate tandèm commotus vir Dei, introduxit eum in domicilium suum, & aliquãdiù retinens eum apud se, Dominumque identidèm pro illo rogans, cum sana iam & eleganti corporis cute gaudentem, à se dimisit, re ipsa omnibus prodente, quid in eo diuinitùs actum esset. Plura alia per hominem Dei facta sunt miracula in cæcis, claudis, debilibus, dæmoniacis, & qui noxiorum humorum infestatione rationis vsu carebant: qui omnes & ex vicinis & remotis locis ad eum perducti, curabantur virtute diuina, quæ illi aderat.

Curat leprosum.

Duxit autem vir sanctus inter suos vitam eremiticam, quæ est radix vitæ monasticæ vel cœnobiticæ. Eius enim vitæ cultores à mundo prorsùs separati & abstracti, in solitudine degunt, angelicis laudibus occupati: estque ea vita tam ardua & difficilis, vt permulti præ animi & corporis imbecillitate eam ferre non possint, si repentè & inconsultò ac temerè illam suscipiant. Porrò sanctus pater Disibodus in eiusmodi seueritate viuens, subditos suos ad omne opus bonum verbis & exemplis animauit, vt solent, qui ignem iam ardentem appósita materia magìs etiam ardere faciunt. Atque ea causa, viuente illo, alium magistrum non requirebant, maximè cùm eius iussu & voluntate tales inter se haberent, qui ipsos sine offensione & murmure per iter rectum dirigerent. Habitum autem monasticum, quo eius congregationis fratres vtebantur, ipse non induit. Permiserat enim illis viuere ad præscriptum regulæ S. Benedicti, cùm ipse seuerius & magìs arduum vitæ genus sequeretur. Idcircò autem habitum illum sumere noluit, nè si fratribus habitu similis esset, nec tamen quicquam remitteret de suæ vitæ asperitate & rigore in ieiunijs, vigilijs, cæterisque carni molestis exercitijs, ipsorum instituto derogare, & viuendi communem modum euertere videretur. Nam quoàd vixit, viliſſimo alimento, quod corpori sustẽtando vix sufficeret, & aspero durocq; indumento, sicut è sua terra peregrinaturus exiërat, frequenter vtebatur, imitans beatũ Paulum primũ eremitam, eiusq; similes patres, qui in syluis potiùs quàm villis vitã exigere voluêre. Porrò diuina mysteria in altaris ministerio ab eo tempore, quo è sua sede eiectus est, vsque ad vitæ finem, non vt antistes, sed vt pauper presbyter celebrauit, nihil prorsùs ea ex re mœroris accipiens, sed potiùs animo exultans, Christi passionem imitando. Spiritalem verò patrem & defensorem, vt par erat, congregationi illi sæpenumerò præficere voluit: sed fratres omnes planè recusârunt, nullum alium præter ipsum, patrem & doctorẽ habere volentes, dicentesque se alios quidem habere inspectores conuersationis suæ, sed illum, donèc viueret, vt ipsis in Domino sublimiùs præluceret, nullo pacto mutaturos.

Cap. 15. Vita eremitica radix monasticæ vitæ.

Non induit habitum S. Benedicti.

In ordine deber abesse omnis singularitas

Fratres nolunt aliũ q̃ ipsum habere præfectũ.

Itaque propter animi pietatem & sanctum propositum per multas prouincias illorum fama sparsa est, complúresque venerunt ad eos, consilia & auxilia animarum saluti opportuna ab eis expetentes. Permulti etiam ex ijs, qui in hac degebant regione, & vicina monti prædicto, cuius ambitus & latus & longus est, loca incolebant, suauissimo odore & fama sanctæ conuersationis eorum inuitati, prædia & facultates suas Deo & beato Disibodo absque omni retractatione offerebant, & quasdam villulas in ea, quam diximus, sylua sparsìm ædificabant, quæ illis fratribus vsui forent. Cùm autem vir Dei diù illic laborâsset, & iam præ nimio labore vires corporis penè deficerent, filijs suis tremebundus in spiritu sancto prædixit, ea prosperitate & securitate, qua hactenùs sine offensione vsi fuissent, ipsos non semper potituros, sed multas & magnas angustias & afflictiones perpessuros. Diabolus enim, inquit, quem rectè viuendo sæpiùs egregiè pudefecistis, multa populi ludibria & irrisiones in vos & posteros vestros excitabit, summoperè eò connítens, vt perturbare vos queat: at tamen multis gemitibus, magno cordis dolore, ingenti desiderio hactenùs id obtinere conatus

Cap. 16.

Prædicit fratribus, quæ passuri sint.

natus ſum, nè dum ſpiritus hos reget artus, mihi videre contingat afflictiones veſtras: idque ità fore confido in Domino: ſed poſt obitum meum, qui breui erit, quandò iam vires corporis mei confectæ ſunt, & poſt afflictiones has, quas paſſuri eſtis, extrema tempora veſtra prioribus feliciora erunt, & omnibus rebus animæ corporique neceſſarijs magis etiam abundantia, quàm hactenùs me vobiſcum manente.

Cap. 17. Hæc cùm illi audiſſent, magno dolore affecti, lachrymis madentibus oculis lugebant, quòd finem eius aduentare didiciſſent: eoque rumore in vulgus abeunte, multi ad eum inuiſendum incitabantur. Cumque veniſſent ad eum, audiebãt illum, eiusque ſe precibus & ſanctitati commendabant. Ille verò ſalutares adhortationes eis reddens, filios ſuos & locũ ſibi dono datum, viciſsim illis commendabat: vtque animis ſuis verba ipſius attentiùs affigerent, non celabat eos propinquũ obitûs ſui tempus. Ea re cognita, lugubri voce multos dabãt gemitus, & quoàd vixit, ſolito frequentiùs eum viſitârunt. Vndè autem finem ſuum adeſſe ſciret, nemini indicare voluit, demptis paucis religioſis viris, qui ferè omnium ſecretorũ eius erant conſcij. Ijs enim expoſuit, angelica reuelatione cognouiſſe ſe ſuam à corpore migrationem: cæteros verò id latére voluit, quòd omnium operũ ſuorum, nè humana laude perirent, quantùm potuit, celãtiſſimus eſſet. Iam triginta annis in eo monte Deo fideliter ſeruiërat, & fratribus ſuis neceſſaria quæque abundè ſubminiſtrârat. Indè porrò ægrotare cœpit, plùs labore, quàm ſenio exhauſtis corporis viribus. Conuocatis igitur fratribus, patrem eis nominauit, eundemq; tum primùm ipſis petentibus præfecit, omnia, quæ eius loci erant, illi committens. Ante illum enim diem patrem ſibi deſignari noluerant alium, præter ipſum, cui vni in omnibus tanquàm patri obediërant. Locũ quoque ſepulturæ ſuæ illis oſtendit, cum lachrymis & gemitibus eos orans, nè in ſublimi aliquo loco, ſed in humili oratorij ipſius vmbraculo, in quo Deo ſolitarius ſeruiërat, ipſum humarent. Polliciti ſunt fratres, ſe id curaturos, ſed id ſine magno dolore & lachrymis non fuit. Simul etiam omnia eius bona opera & inſtitutiones ſingulatim commemorabant, acerbeque plangentes, dicebant: Eheu, quid nobis futurum eſt, vbi te patronum & conſolatorem corporum atque animarũ noſtrarum amiſerimus? Vt autem ceruus ſitibundus fontes aquarum expetit: ità illi ſanctum virum cupiebãt apud ſe diutiùs retinere: quod anteà quidem præ gaudio, quo crebrò ex illo fuerant affecti, cogitare non poterant.

Prædicit etiã obitum ſuũ paucis.

Sub mortẽ præficit fratribus patrem.

Cap. 18. Deniquè ingraueſcente dolore, iterùm conuocatis fratribus, finem ſuum iam imminere, vt potuit, ſignificauit: atque ità poſt multos exantlatos labores, poſt multas toleratas cruces & afflictiones, anno ætatis ſuæ octogeſimoprimo, octauo Idus Iulij à corpore migrauit, Domino, cui fideliter ſeruiërat, coram fratribus ſpiritum reddens. Tum verò ſuauiſſimus omnium nares perfudit odor ceu balſami, myrrhæ & thuris cunctorumque aromatum, & multa ſunt illic diuinitùs edita miracula. Fama autem per omnem prouinciã illam mox diuulgata eſt, beatum Diſibodum è vita exceſſiſſe. Itaque copioſiſſima hominum multitudo ad eius properans exequias, cupiebat eius ſepulturæ intereſſe, & ſigna, quæ illic fierent, videre. Tumulatus verò eſt in exiguo ſui oratorij, quod ipſe ſibi parauerat, vmbraculo, vt eius precibus fieret ſatìs. Is autem, quem diximus, miræ ſuauitatis odor ad triceſimum vſque diem apud eius ſepulcrum perdurauit: atque intereà ſeptem dæmoniaci liberati, triginta claudi, multi cæci & ſurdi, complures que alij, varijs preſſi morbis, ad contactũ tumuli eius, præſtante Domino, curati ſunt. Et quia multa hæc ſigna erant, & ea tempeſtate frequens erat, vt miracula fierent, homines inſolentiùs, quàm par erat, exultabant animis, dicebãtque: Omniporens Deus poſt obitum beati Diſibodi plura & maiora efficit ſigna, quàm illo viuente. Itaque confidimus ab omnibus periculis per eius merita nos liberatum iri: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Grandæuus vitam cum morte commutat.

Odor ſuauiſſimus ad dies triginta, & multa miracula.

Cap. 19. Inſolentiùs ergò, vt dixi, & diſſolutiùs pleriſque propter miracula, quæ tum ibì fiebant, & poſteà etiam diuinitùs declarata ſunt, ſeſe efferentibus, Deus ea ad eorum caſtigationem ſubtraxit. Non enim gratum eſt ſpiritui ſancto, vt homines in miraculis, quorum ipſe author eſt, glorientur: ſed vt cum tremore ipſi ſoli, qui ea poteſt efficere, laus & gloria tribuatur. Deus enim ità ſanctorum ſuorum diſtinguit opera, quemadmodum creaturas conſtituit, quibuſdam bona opera & vitæ ſanctimoniam conferens abſque miraculis: nonnullis rectè facta cum magnis miraculis coniuncta: pleriſque verò per gratiam ſuam donans, vt bonis exẽplis ſuis multos ad ipſum conuertant.

Ceſſant miracula, nè vilescant.

uertant. Sicut videmus ſolem in dies, lunam in noctes, ſidera in tempora diſtincta, totumque terrarum orbem volatilibus, reptilibus, cæterisque animantibus repletum, ità vt nullo modo ad vllam neceſſitatem vacuus ſit. Vndè etiam quodlibet ad officia ſua excitat in miniſterio illo, quod ad hominem ſpectat. Vnaquælibet enim creatura in ſuo genere multiplicatur, ſicut Deus illi in prima conſtitutione præcepit: ſed quæ ratione caret, homini miniſtrando ſuccurrit. Paterfamiliâs enim, qui eſt homo, domum ſuam ſine adiutorio & miniſterio gubernare non poteſt: atque eum ſolum rationali & viuente anima Deus fecit viuere: & eam ob cauſam vita eius non deficit, ſicut nec rami arboris deficiunt. Deus enim illi indidit ſcientiam, & poteſt quæ vult cogitando velut deguſtare: quodque mente concipit, poſteà aperta voce & verbis rationi conſentaneis multiplicare, vtì in arbore folia augentur. Quæ autem rationis eſt expers creatura, hac cognitione ſiue ſcientia caret: itaque ventoſa eſt & interit. Porrò homo rationis compos, per ſcientiam cognoſcit vtilia, amatque illam, ſibique adſciſcit: eaque fretus, quę mala & pernicioſa ſint intelligit, timetq; ea & vitat, ſibique cauet ab illis. His verò duobus, putà timore & amore, quæ ſcientia vel cognitio boni & mali ſuppeditat, ſe vbiquè moderatur & regit, & tanquàm duabus alis volat. Solus enim homo ad Dei imaginem & ſimilitudinem formatus eſt: à Deo idcircò cõditus, vt ſecundùm ipſum operetur. Itaque cùm ſe cognitione & ſcientia ſua ad bonum erigit, ſanctiſpiritûs gratia ei auxiliatura occurrit. Gen. 1. Sciẽtia quid conferat homini. Gen. 3.

Hunc igitur in modum, vt diximus, Deus creaturas omnes diſtinxit, & quia hominem fecit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, plenam etiam illi præ cunctis mortalibus creaturis ſcientiam contulit. Sed cùm ſecundùm carnem mortalis ſit & defectui obnoxius, anima eius bonum perficere ſiue conſummare non poteſt, nisì id illi præſtetur ab eo, qui finem non habet. Qui autem in bono perſeuerauerint vſque in finem, ij in cælum ſcandent ad Deum, vbì Cherubin omnia bona opera eorum ante thronum Dei dinumerat, eaque Dei vultus ceu aurum putiſſimum & gemmas pretioſiſſimas intuetur. Simul etiam omnis cæleſtis harmonia canticum nouum de illis depromit, ſicque ſpiritus ſanctus in ſanctorum operibus noua ſemper facit. Qui autem in malo perſeuérant, ij perditos angelos imitantur, qui propter ſuam nequitiam è cælo detruſi ſunt, eosque imitando & ſtultiſſimis perniciosisque vanitatibus inhærendo, æternæ vitæ mercede ſe priuant. Indidit enim homini Deus, vt antè dictum eſt, plenam rationis ſcientiam ſiue cognitionem, quòd non ignoraret, hominem illa fretum poſſe ſuperare diabolum. Homo enim per bonam ſcientiam cognoſcit malum, & per malum bonum: atque ea cauſa fortiſſimè cum illo antiquo hoſte confligit & congreditur, vt illo victo, locum eius in cælis occupet: quod quidem, nisì plena inſtructus ſcientia, facere non poſſet. Quod enim quis cognoſcit, ab eo vix continere ſe poteſt, quin interdùm ad illud per electionem ſe conuertat. Si autem obſcuræ tenebrę in hominis animum irruant, ità vt ſecundùm carnem peccato afficiatur, ſi tum peccatum eligat, & in eo ſine pœnitentia perſeuéret, ei aſſimilabitur, qui ab illa lucis claritate ſe auertit, vt tenebroſæ proprietatis ſuæ deſideria expleret. Vndè etiam inferorum cruciatus orti ſunt. Beatus autem homo ea facere appetit, quæ carnem minimè delectent, poſcitque opem à ſancto ſpiritu, vt in ſanctitatis ſpeculum liceat intueri: in quo dum ſuam faciem contemplatur, licèt non ſit in illo, ſi quid fœdum & deforme conſpiciat, id pro viribus emendare conatur. Ità nimirùm beatus homo per fidem bona agere opera ad diaboli ignominiam concupiſcit, domans carnem ſuam, & nequaquàm id faciens, quod caro hortatur: ſicque acerrimè & fortiſſimè certando & pugnando, ſeipſum & voluntates ſuas debellat, ad eam peruenturus claritatem, quam damnati ſpiritus perdiderunt. Porrò qui per incuriam lapſi in peccata, à bonorum hominum conſortio ſe ſeparant, illis perditis ſpiritibus ſimiles efficiuntur, qui à perfectis & bonis angelis, faciem patris ſemper videntibus, receſſerunt: quos beatos ſpiritus boni homines imitantes, & bona opera ad fidei ſpeculum actantes, faciem Dei hunc in modum per fidem adſpiciunt & contemplãtur, & per duriſſima certamia illi perpetuò adhærent. Deus enim creaturas ità conſtituit, vt cum illis compleat homo opera ſua. Vndè etiam quibuſdam eam adſpirat mentem, vt ſancta ædificia conſtruant, aliosque Deo ſeruituros colligant, quos tamen rursùs non rarò ſinit ſecundùm voluntates ſuas permulta ijs contraria facere: toleratque ea, nec ſtatim vltiones adhibet. Vbì autem ſpiritus ſanctus in ædificijs & hominibus ædificat, etiamsì illi negligenter viuant in peccatis, ſi quis auſus ſit contumacia improbitatis Cap. 20. Gen. 1. Matth. 10. Stultitia hominum malorum. Studia hominis boni. Matth. 18. Merces eorum qui bonis operibus vacant. Vindicta in eos qui ſacra loca deſtruunt.

bitatis ſuæ eas ſtructuras demoliri aut perdere, eum repentè ignis ſpiritûs ſancti in zelo & iudicio ſuo comburet. Quem in modum operatus eſt Deus etiam in loco ſupradicto, vbi beatus Diſibodus in bonis operibus illi ſeruierat, & vbi ex hac vita migrans, felicem Domino ſpiritū reddiderat. Nam annis aliquot ab obitu eius exactis, magna bellorum vis & calamitas omnem illam prouinciam vexauit, quibuſdam tyrannica rabie irruentibus, & terras Rheno vicinas depopulantibus, ità vt præ metu eius prouinciæ habitatores, quocunquè liceret, aufugerent.

Cap. 21. Cùm ſcirent autem principes & populus prouinciæ, mōtem ſancti Diſibodi altum & inexpugnabilem, cum multa celeritate, priuſquàm ab hoſtibus occuparetur, inuitis fratribus Chriſto illic famulantibus, eò ſe receperunt, firmisque muris eum communientes, habitacula ſibi condiderunt, planè confidentes tam beati Diſibodi meritis, quàm montis eius munimentis, ſe pericula & hoſtium ſæuitiam deuitaturos. Præillorum autem multitudine & ſtrepitu fratres ſua non poterant gaudere quiete,

Fratres mōtis S. Diſibodi, aliò cōmigrant. nec ità vt par erat, ſeruire Deo. Quamobrèm ſuadentibus & orantibus principibus & alijs, in longinquas regiones profecti ſunt, cùm priùs fidem dediſſent principes, ſe, ijs calamitatibus & hoſtium incurſionibus depulſis, honorificè ipſos reuocaturos. Manſerunt tamē pauci quidam perfecti viri, vt beati patroni ſui Diſibodi monumentum ab omni iniuria tuerentur. Eorum tam perfecta erat virtus, vt & mundū & vitam corporis ſui planè contemnerent. Ea autem, quam diximus, tempeſtas & vexatio non multos durauit annos, ſed liberata tandèm eſt prouincia hæc ab incurſu hoſtili.

Honorificè reducūtur. Tum verò ij, qui montem ſancti Diſibodi occupârant, memores pollicitationis ſuæ, memores timoris diuini, fratres illos vbicunquè poterant perquirebant, inuentos cum multo honore reducebant, quæque illic congeſſerant & ædificârant, cum maioribus facultatibus & poſſeſſionibus, quàm priùs habuiſſent, illis donârūt. Ità completum eſt, quod ſanctus Diſibodus prædixerat, fore vt poſteriora illorum tempora prioribus feliciora euaderent: iamque etiam ex longinquis regionibus permulti tum è Clero, tum ex laicis ad eos veniebant, conſilia & auxilia vtriuſque hominis ab eis expetentes.

Cap. 22. Caſtigabat verò omnipotens Deus beatos illos, quotiès eum ſuis peccatis offendiſſent: quemadmodùm etiam tum feciſſe eum diximus, cùm ſignis & miraculis, quę per merita ſancti Diſibodi fiebant, inſolentiùs quàm par eſſet, gauderent: quæ ſanè deincèps tam crebra non fuêre, vt priùs. Si enim opera ſpiritûs ſancti ad oſtentationem trahantur, ſeueriter id punire ſolet idem ille ſpiritus, vltionemq; ad extremum

Matth. 5. vſque quadrantem repetere. Sed cùm ad ſepulcrum ſancti viri non fierent ſolito more miracula, licèt poſteri eius multis annis eius è vita exceſſum religioſè colerent, tandèm gemebundi in memoriam diuinæ virtutis rediêre, agnoſcebantque propter ipſorum peccata ceſsâſſe miracula, nec nisì rarò ob ſancti Diſibodi memoriam fieri. Itaque ſeſe accuſantes, inuicèm dicebant: Quid ità torpemus ignauia, nec ſanctum virum honore afficimus, cùm tam multa miracula & beneficia propter eius merita nobis diuinitùs contigerint? Deindè cum maioribus natu & ſapientibus eius prouinciæ communicato conſilio, accedente etiam conſenſu & authoritate Bonifacij, Moguntinæ ſedis antiſtitis, tempus & diem præfixêre, ad quem beati Diſibodi oſſa

Eleuatur S. Diſibodi corpus per Bonifaciū Archiepiſcopū moguntinenſ. eleuarent. Dies autem ille per omnem populum diuulgatus eſt, & cùm iam adeſſet, multa hominum turba eò aduolauit: præſenteque eo, quem diximus, antiſtite, itum eſt ad beati viri ſepulcrum, & cum magna veneratione oſſa eius & cineres indè ſublata ſunt, & de oratorij vmbraculo in monaſterium, ad occidentalem ferè eiuſdem montis plagam conditum, cum hymnis & magnis populi vocibus, multis iam ab eius obitu elapſis annis, in locum præparatum honorificè repoſita ſunt. Deus autem, qui

Sanatur hydropicus. nouit abſcondita, rursùs illic ſancti ſui merita declarauit, eodem die curato hydropico alijsque diuerſis malè valentibus ſanitati reſtitutis, ſparſo itèm odore illo ſuaniſſimo per totum diem, quem ſenſerant fratres beato viro ad cælos abeunte. Atque indè factum eſt, vt eius prouinciæ homines diem anniuerſarium, quo hæc geſta ſunt, & diem obitûs eius, ad ſepulcrum illius confluentes, cum magna precum & oblationum veneratione deincèps celebrârint.

Cap. 23. Porrò fratres loci illius multis annis bona pace fruebantur, atque ea cauſa beato Diſibodo ſine offenſione tranquillum exhibebant famulatum, ità vt populo cumprimis chari eſſent, ab eoque celebrarentur, & multis facultatibus augerentur ac locupletarentur. Poſt annos autem plurimos & aliquot regū deceſſum, rursùm ingentia orta

orta ſunt bella aduersùm regionem illam. Itaque maiores natu & principes terræ illius Carolum Magnum, qui tum Romanum Imperium ſuſceperat, adeuntes, dixerūt

Nota argumēta eorū, qui oculos ad monaſteriorū opes adijciunt. æquum non eſſe, vt ij, quos non carni, ſed ſpiritui, non mundo, ſed Deo ſeruire oportebat, mundi pompam & opes ſuperfluas obtinerent: quemadmodùm facerent illi, qui in monte ſancti Diſibodi degerent: cùm ipſi prælijs & anguſtijs preſſi, diuitijs & facultatibus egérent, vndè tum ſeruire regno, tum ſibi cōſulere poſſent. Eorum orationem Imperator & prudenter audiuit, & ſapienter diſſimulauit, reſponditque ſe

Prudēs Caroli Magni reſponſum. fratribus illis nec fundos aut poſſeſſiones, neque res alias quas eis fideles cōtuliſſent, vlla ratione adempturum. Eo accepto reſponſo, illi deincèps quieuerunt.

Defuncto autem hoc Imperatore, & multis ſibi ſuccedentibus annis, rursùs Barba-

Cap. 24. rorum hoſtiles incurſus adeò increuêre, vt etiam vrbes aliquot Rheno adiacentes, euerſæ ſint. Tum verò quidam ex nobilioribus eius Prouinciæ, è ſtirpe Principum illorum, quos antè diximus, adiuncto ſibi Moguntinæ ſedis Præſule, Imperatorem, qui

Exigētibus peccatis, fratres iterùm apud Imperatorem accuſantur. id temporis erat, acriùs etiam, quàm ſuperiores illi, infeſtis querimonijs pulſare cœperunt, dicentes ſe nullas habere opes aut copias, quibus Imperio ſeruire & ſuam vitam tueri poſſent, illis, qui in monte ſancti Diſibodi degerent, ipſorum fundos occupantibus, nec ſe quicquam comperti habere, quo iure id illi facerent. Ijs auditis, Imperator aſſenſit, conuocatisque Ducibus & Principibus, quæſtionem habere cœpit de poſſeſſionibus fratrum ſancti Diſibodi, vndè tam copioſi eis fundi veniſſent, quàve traditione & confirmatione ab illis tenerentur. At illi mentem Imperatoris intelligentes, inuidia & maleuolentia excæcati, multa dixêre teſtimonia prorsùs falſa & per fraudem compoſita, fundosque illos & poſſeſſiones, licèt iam longiſſima temporum præſcriptione ſine querela eos obtinuiſſent, à fratribus memoratis prēter ius & nullo Imperiali conceſſu occupari mentiebantur. Tum verò iniquorum iudicum iudicio lata ab Imperatore ſententia, ſimulque facta poteſtate, illi, qui has querelas apud Imperatorē depoſuerant, vnà cum prædicto Mogūtino Epiſcopo, qui præcipuus harum

Occupātur poſſeſſiones S. Diſibodi. turbarum incentor fuit, poſſeſſiones & fundos montis beati Diſibodi, itemq; limites eius, Deo permittente, crudeliſſimè inuasêre. Ea verò vexatione fratres eius montis perturbati, prorſusq; nudati & ſpoliati, ſimul etiam imminentium bellorum horrore perterriti, montem non ſine ingēti luctu deſeruêre, atque ad loca aliena, quocunquè

Fratrēs emigrant. licebat, ſeſe contulerunt. Illis autem abeuntibus, nè qua ſpes vnquàm eò reuertendi poſſet affulgere, ijdem inuaſores eorum domicilia ſolotenùs deſtruxerunt, excepto ſacro illo loco, ad quem oſſa beati Diſibodi tranſlata fuerāt: qui nè prorsùs omni diuino cultu & miniſterio deſtitutus eſſet, vaſtationis huius authores ſacerdotem quen-

Vnus tandùm ſacerdos in mōte S. Diſibodi. dam, qui populi iuxta montem habitantis curam gereret, illi præfecerunt, victum & veſtitum ei ex facultatibus loci eius attribuentes, qui vix ſufficeret. In ea verò deſolatione locus ille diù permāſit: ſed tandèm poſt multa annorum curricula quidam vir pius & nobilis, & eius Prouinciæ Comes, Nicardus nomine, mundo quidem deditus, & multis opibus circunfluens, montem illum ſublimem & ſpecioſum videns, non ferens eius deſolationem, diuina gratia compunctus ingemuit, & in ſacroſanctæ Trinitatis gloriam & beati Diſibodi memoriam tres ſacerdotes illic conſtituit Deo ſeruiturōs, quibus etiam de ſuis facultatibus abundè largitus eſt vitæ degendæ neceſſarias

Deindè tres res. Deindè etiam aliquot labentibus annis quidā Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus, pius, humilis & corde contritus, in montem illum aſſcendens, genuaq; ad beati Diſibodi tumulum ſuppliciter curuans, de rebus poſſeſſionibusq; illi ſancto ablatis ſe locupletatum vehementer indoluit, votumque Deo nūcupauit, ſe pro duodecim Apoſtolorū numero duodecim Canonicos, Deo & ſancto Diſibodo loci patrono famu-

Poſteà duodecim Canonici. laturos, illic collocaturum: quod etiam præſtitit, ex fundis & poſſeſſionibus loci eiuſdem, quantum potuit, illis aſſignans. Et ità paulatim quidem diuina caſtigatio flagella ſua nonnihìl retraxit, nondùm tamen vſquequaquè ceſſans.

Porrò cùm iam Spiritui ſancto viſum eſſet, vt locus inſtauraretur, cuidam viro ſecu

Cap. 25. lari, prudentia benè inſtructo, qui etiā Moguntinæ ſedi præerat, eam adſpirauit mentem, vt ſummoperè deſideraret loco illi priſtinum ſplendorem & dignitatem ſuam reſtitui. Itaque inſtàr prudentis patriſfamiliâs, filijs ſuis ex amore ſubſtantiam ſuam diſtribuentis, Canonicos in monte illo manentes, in alijs locis ipſis congruentibus

Tādèm Benedictinis monachis locus reſtituitur. repoſuit: virosque religioſos, qui in multa diſciplina ſecundùm beati Benedicti regulam viuerent, perfectionisque obtinendæ ſtudioſi eſſent, in monte reſtituit, multaque eos beneuolentia complectens, largas eleemoſynas illis de ſubſtantia & facul-

tatibus ſuis, quantum potuit, ſubminiſtrauit. Ità nimirùm illa fratrum congregatio & tunc & etiam poſteriori tempore permulta, Deo permittente, aduerſa perpeſſa eſt, ſicut & illi, qui eos anteceſſerant, immò vt hodieque patitur non rarò, & ſucceſſores horum etiam paſſuri ſunt, ſi commeruerint. Et de ijs quidem omnibus, quæ iam diximus, multa vulgò iactantur, pro varia rerum ac temporum viciſſitudine, fabuloſa & vana, quæ cùm ſpiritum ſanctum non habeant authorem, inſtàr ſtipulæ diſſipabuntur. Quæ autem nobis commemorata ſunt, ad gloriam nominis Dei & beati Diſibodi memoriam, itemque audientium caſtigationem, per Spiritum ſanctum veraci reuelatione manifeſtata ſunt: quibus eæ, quas diximus, hominum fabuloſæ opiniones admiſcendæ non ſunt, nec verba illius, qui Eſt, ludibrio habenda. Vndè etiam conſiderandum eſt, quid Deus iamindè à primo homine ad nos vſque in hominibus operatus ſit. Cùm enim Adam lapſus eſſet, & è paradiſo exularet, quandoquidē per vilem creaturam corruērat, Deus voluit ſibi ab hominibus res creatas offerri: perindè vt infans ſolet primò lacte nutriri. Poſtquàm autem Dei filius homo factus eſt, ſeipſum ille Patri obtulit ſacrificium, & os hominis ad iuſtitiæ cibū capiendum aperuit, quemadmodùm pueri ſolent eſca ali. Cùm verò idem Dei filius ad cælos aſcendit, igne ſancti ſpiritûs impleuit hominū pectora, eosq; aduersùm vitia & prauas cupiditates pugnare, atque ità ſeipſos Deo ſacrificium exhibere docuit: & multi ſanè congruenter cæleſti harmoniæ viuere elegerunt, putà homines ſpiritales & religioſi, qui ſeipſos & mundū relinquunt cauſa amoris Dei: itemq; alij homines boni, qui ardenti deſiderio ex gratia ſpirituſſancti ad continenter viuendum fortiter ſeſe accingunt.

Variè Deus in hominibus operatur.

Porrò quemadmodùm homo iam adultus, per ſeipſum capit cibum: ſic Deus etiam hîc fecit, ablata opinione vacillante, & veritate, quæ fidenter ſolet ingredi, in lucem prodire iuſſa. Sicut ergò diximus, Deus præpotens montis ſæpè memorati habitatores crebrò caſtigauit & repurgauit, vrì & alios permultos, nec tamen paſſus eſt penitùs peſsùm ire. Fecit idem etiam filijs Iſraël: qui cùm benè cœpiſſent, propter multas vanitates, in quas ſubindè inciderunt, non paucas tulêre perſecutiones: atque ad extremum cùm ſanguinem Agni pecunia emiſſent, diſperſi ſunt. At tamen nouiſſimis temporibus requirentur, nec penitùs peribunt. Nunc verò laus ſit Deo & Domino noſtro, contra antiquum ſerpentem ſemper prælianti, & vſque ad mundi conſummationem, omnem peccati rugam abolenti: in quo mundi fine fidelium hominum ea exiſtet conſtitutio, quam ab initio Deus præordinauit. Et tunc antiquus hoſtis prorsùs pudefiet, & nec ſibi, nec alijs prodeſſe, aut gloriam vlli conferre poterit. Omnia hæc vera Sapientia prolocuta eſt, & ego paupercula decumbens in lecto ægritudinis meæ, ea vidi, & audiui, & cœpi ſcribere, atque ad finem perduxi. Poteſt autem Deus, ſi viſum ei ſit, è lecto me erigere, Amen.

Matth. 26. Sanguis innocentis Agni Dei effuſus, cauſa diſperſionis Iudæorum.

EX CHRONICO MONASTERII HIRSAVGIENSIS, AVTHORE IOHANNE TRITTHEMIO ABBATE

Spanheimenſi, quædam ſubiungere viſum eſt, quæ aliquot locis præcedentis hiſtoriæ magnam lucem afferunt.

Ruthardus Archiepiſc. Mogūtinus reſtituit monaſterium S. Diſibodi.

ANNO ipſo anno (1108.) Ruthardus Archiepiſcopus Moguntinus deſolationem monaſterij S. Diſibodi præſulis, in Comitatu Spanheimenſi, per anteceſſores ſuos ante præſentis temporis plures annos miſerabiliter ſpoliati & deſtructi, ægrè ferens, Clericos, ſanctæ manſionis iniuſtos poſſeſſores, expulit, & nimia vetuſtate collapſum monaſterium in mōtem transferens, denuò fundauit. Erat eo tempore apud Moguntinos in precio Burchardus Abbas monaſterij ſancti Iacobi extra muros, vir prudentiſſimus & regularis diſciplinæ præcipuus amator. Huic Ruthardus præfatus Archiepiſcopus monaſterium ſancti Diſibodi cum omnibus attinentijs ſuis commiſit, & Abbatem illius primum ſimul & ſancti Iacobi ipſum conſtituit. Qui Burchardus iuſſu præfati Archiepiſcopi & impenſis, pridiè Calendas Iulij hoc anno primum fundamenti lapidem in præſcripto monte pro nouo monaſterio poſuit, acceptiſq; de monte ſancti Iacobi monachis, conuentum iuxta regulam ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti inſtituit.

Item

Item longè infrà in eodem Chronico.

Eodem anno (1138.) in die ſancto Paraſceues poſt matutinas apertū eſt ſepulcrum S. Diſibodi Epiſcopi quondàm in Hibernia, qui pro Chriſto peregrinus in mundo factus, manſionem in Comitatu Spanheimenſi, ordinante Domino, elegit, ibiq; monaſterium noſtri Ordinis non multò poſt obitum ſancti patris noſtri Benedicti, in vertice montis fundauit: in quo multitudinem monachorum congregans, ibidèm poſt completum vitæ curſum in Domino quieſcens, ſepultus eſt. Hoc verò monaſterium, nimia antiquitate collapſum, per Vuillegiſum Archiepiſcopum Moguntinum de nouo conſtructum eſt circa annos Domini nongentos ſeptuagintaſex, & poſteà, ſicut diximus, per Adelbertum Archiepiſcopum & Ruthardum eius prædeceſſorem, anno Dominicę natiuitatis milleſimo centeſimooctauo tranſlatū in montem de nouo fundatum. Quo tandèm conſummato, tumba ſancti præſulis Diſibodi, quam Vuillegiſus Archiepiſcopus clauſerat, aperta eſt, & reliquiæ in nouum monaſterium tranſlatæ, retrò maius altare in nouo ſarcophago reconditæ ſunt. Huic tranſlationi fuerūt præſentes Cuno, ipſius loci Abbas, cum tota cōgregatione ſua: Bernhelmus, primus Abbas monaſterij mei Spanheimenſis cum tota congregatione ſua, quia non procùl diſtant abinuicèm: Gerardus, Abbas S. Maximini Treuirenſis, & plerique ex Clero & nobilibus terræ Comitatûs.

Monaſteriū S. Diſibodi veruſtiſſimum.

VITA ET MARTYRIVM S. CYRILLI EPISCOPI, VT HABETVR IN EGREGIIS MS. VOLVMINIBUS, *quibus antiquiſſima Martyrologia ſuffragantur. Dictionem elimauit F. Laurentius Surius.*

SANCTVS Cyrillus, cuius fides apud Deum probatiſſima eſt, & in omnibus declarata, comprehenſus à Lucio Duce, ſacrificare cogebatur. Is cùm adhuc puer eſſet, & in Domino benè confideret, creſcebat in actibus bonis. Vbicunq; didiciſſet eſſe Dei famulos, relictis parentibus, ad illos ſe adiungebat, vt audito verbo Domini, in fide confirmaretur. Cùm autem ad legitimā peruenisſet ætatem, & creatus eſſet Epiſcopus, ſemper in ſermone & opere proficiebat, perſeuerans in fide Domini & in Epiſcopi functione annos quinquaginta. At vbì octogeſimū & quartum ætatis egit annum, cùm iam populum ipſi creditum rectè inſtituiſſet, multosque ab errore reuocâſſet ad veram & religioſam fidem, compræhēſus à Lucio Duce, vt diximus, ſacrificare iuſſus eſt. Sed vir beatiſſimus præcepta Domini illi opponens, dicebat: Sacrificans dijs, & non Deo vero, eradicabitur. Dux ait: Conſule ætati tuæ ſenex, & ſacrifica. Cyrillus reſpondit: Ego non ſum ſenex. Dicit enim Dominus: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Quod autem tu hortaris, id mihi facere non licet. Dux ait: Audio te virum eſſe prudentiſſimum atque doctiſſimum. Teipſum ergò docens, reſipiſce & offer ſacrificium, vt poſſis ſaluus fieri. Cyrillus reſpondit: Ità nimirùm prudentiſſimus & doctiſſimus ero, ſi alios docens, ipſe reprobus non inueniar. Dux ait: Conſule ſenectuti tuæ & ſacrifica. Cyrillus reſpondit: Equidem tum mihi conſuluero, ſi hiſce filijs meis, qui me circunſiſtunt, in me exemplum ſtatuero.

Iulij 9.

Adhuc puer, præclara de ſe dat exempla.

Pſal. 102.

Cumque diù inter ſe concertarent, & beatus Cyrillus diuinis ſcripturis os Ducis comprimeret, vt ei reſpondere non poſſet, videns Dux penè omnem populum eius doctrina conuerſum, furore pércitus, hanc in eum tulit ſententiam: Cyrillum inſanum & delirum, & ex propinquo euerſorem deorum noſtrorum, viuum iubeo flammis exuri. Tum verò ſanctus Dei Cyrillus gaudens & pſallens, perductus ad rogum, mox in medium coniectus eſt. Ardebat ignis, & ligna omnia in cineres redigebat, expectabantque viri religioſi, vt oſſa eius fideliter colligerent: & eccè vir beatus conſpicitur in medio ſedens, expanſis ad cælum manibus. Eo ſigno viſo, increduli ſtupore correpti, mirabantur ſanctum Dei hominem ab igne manſiſſe intactum. Fecit hoc ſpiritus ſanctus, non ignorans permultos eius opera ab errore ad Deum conuerti. Nunciatur vero Duci, venerabilem virum nihil ab igne perpeſſum. Dux ſummoperè

Multi ad Dominum cōuertūtur.

Ignis nihil ſanctum virum lædit.

admirans, iussit eum ad se adduci: vtq; vidit eum sanum & incolumem, laudans Christianorum Deum, præcepit vt domum se conferret. Non cessabat autem Christi seruus prædicare verbum Domini, propositisq; amplissimis regni cælorum promissionibus, quosdam ab ethnicismi erroribus ad viam veritatis traduxit: pleroſq; vanam sectantes vitam, ad sobrietatem & temperantiam retraxit: plangebat verò & lamentabatur se à Domini passione manssisse alienum. Turbæ autem doctrinam eius audientes, vna omnes fide eademq; voluntate ad eum accurrebant: (putabant enim vel solo conspectu eius se posse iustificari.) iactantesq; se ad pedes eius, ità dicebāt: Credimus in Deum tuum, qui reuerà magnus est, quandò te de igne liberauit.

Lamentabatur se à passione ereptum.

Multos baptizat.

At ille lætus in Domino, excipiebat omnes, Christianosque eos efficiens, baptizabat, dicebatque eis: Confortamini filioli mei, & fideles estote ei, cui credidistis, & ipse vobis in omnibus adiutor erit, præstabitq; maiora spe & expectatione vestra. Hæc eo agente, Iudici nunciatur, quid ab illo geratur. Ille incensus ira: Cur, inquit, quadam in illum humanitate vsus sum? Cur illum ex igne eduxi? Cur meo illum gladio non confeci? At nunc porrò de iustitia nihil remittemus. Alteram igitur in eum sententiā ità pronunciat: Cyrillum, quem de igne ereptum, iustitia viuere non patitur, gladio feriri iubeo. At vir beatus gaudens & laudans Deum, quòd ipsum à nequissimo iudice liberatum, dignum quandoq; effecisset passione sua, caput vltrò offerēs, cædente gladio, spiritum reddidit, sexto Idus Iulij, sub Decio Imperatore & Lucio Duce: regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Gladio percussus occumbit.

MARTYRIVM S. ANATOLIÆ VIRGINIS, EX ANTIQVIS MS. CODICIBVS DESCRIPTVM, CVI CONSENTIVNT ETIAM VETVSTISSIMA MARTYROLOGIA. STYLVM NONNIHIL EXPOLIVI.

Iulij 9.

SANCTA Anatolia cùm se ieiunijs & precibus macerare t, & die ac nocte scripturis sanctis intenderet, atque in suo exilio ità exultaret, vt sibi videretur Paschatis festiuitate gaudere: contigit filium Diodori, qui erat consularis prouinciæ, nomine Arianum, à diabolo vexatum, clamare: Domina Anatolia, incendis me. Intereà Diodoro, homine cumprimis pagano, eum per lucos & templa mittente, venit ille ad lucum vicinum S. Anatolię, dirumpensq; catenas, quibus erat cōstrictus, ante orantis Anatoliæ pedes se abiecit, dicēs: Tu es, quæ me flammis orationum tuarū exuris. Porrò S. Anatolia exufflauit in eum, & ait: Exi diabole ab homine isto. & statim exijt ab eo. Cumq; ille sanus venisset ad patrem suum in fascibus positum, isque agnouisset eum curatum à S. Anatolia, abijt ad eam cūm vxore sua & filijs: adoransq; eam, obtulit ei infinitas pecunias. Sed S. Anatolia nihil penitùs accipiens, dixit: Vade, & egenis Christianis atq; inopibus éroga: tu verò crede in Christum vnà cum tuis, & liberaberis.

Dæmonem expellit.

Exijt verò opinio S. Anatoliæ per totam Piceni prouinciam, & deferebantur ad eam infirmi, quos medici desperabant, & lunatici, & dæmonijs pleni, & omnes sanabantur, credentes in Christum. Intereà templorum Pontifices suggerunt de ea Decio Imperatori: isque misit, qui eam interficerent, si sacrificare nollet. Itaque veniens ad eam Faustinianus, iussit eam perduci ad ciuitatem Thuriēsem, atq; illic introductam in secretarium ipsius, diuersarū plagarum genere vexari: ac deindè suspensam in eculeo, lampadibus aduri. Interrogabat autem eam, num thura vellet dijs incendere, & libera abire, quò visum esset: Illa respondit, Miser & infelix, si non recesseris à cultura dæmonum, vnà cum illis perpetuo incendio cruciaberis. Vocauit igitur Faustinianus ad se Marsum, & dixit ei: Ego hanc iubebo includi in cubiculo: tu verò immitte serpentes in eam, qui eam comedant, & multa à me accipies, & in amicis meis numeraberis. Respondit Marsus, qui Audax dicebatur: Tu multos serpentes dicis: ego verò vnum solùm dimittam, & statim interficiet illā. Cùm ergò Anatolia in angusto cubiculo inclusa esset, Marsusq; serpentem in illud immisisset, tota nocte sancta virgo in hymnis, psalmis & orationibus durans, acerrimum serpētem illum mansuefecit. Manè facto, Marsus Mercurium & Mineruam inuocans, cubiculum aperit: & eccè serpens in eum inuolans, collū eius cingit, comedere eum volens. Sed sancta Anatolia manu

Morbidos multos sanat.

Dirè cruciatur.

Serpens nihil ei nocet.

manu sua serpentem comprehensum, in nomine Domini Iesu Christi iussit abire in locum suum: quod ille mox cum summa mansuetudine fecit. Eo viso, Audax Marsus adorauit eam, dicens: Verus Deus Christus est.

Magus credit.

Vt autem resciuit Faustinianus Marsum Christum confiteri, illi ad se accito ait: Si illa magicis artibus serpentem à se depulit, num tu propterea, in deorum contumeliam, Christum Deum credere debuisti? Audax dixit: Ego Christum verum Deum credo, quem illa inuocans, serpentem atrocissimum à gutture meo sua manu abstraxit. Faustinianus ait: O te miserum: Habes auri & argenti plurimum, habes familiam copiosam, habes vxorem & liberos: & his omnibus posthabitis, mori non times? Audax respondit: Ego scio & comperi virtutem nominis Christi, & idcircò mori iam non timeo. Non vides, quam à me feram eius nominis inuocatio profligârit? Faustinianus ait: Relatio fiet de te, & ea efficiet, vt eandem cum Christianis sententiam excipias. Missus igitur Audax in custodiā, dum iret relatio, & venirent responsa, agente S. Anatolia, interìm Christiana religione initiatus est, ac deindè pro Christi nomine capite damnatus est.

Constantia magi.

Capite cæditur.

Porrò S. Anatolia, extensis manibus stans ad orationem, ità gladio transuerberata est, vt à dextro latere vsque in sinistrum confossa cerneretur: atque hoc exitu triumphantem Christus excipiens, & virginem sacratissimam sibi & martyrem consecrauit. Ciues autem Thurienses rapuerunt corpus sanctæ virginis, & vbi reuelatum eis fuit, illud humârunt, vbi benedicitur Deus ex eo & nunc & in secula seculorū, Amen. Percussa est autem virgo sacratissima Anatolia 7. Idus Iulias, obijt autem sexto Idus mensis eiusdem. Audacis autem martyris corpus vxor & filij eius tulerūt, & nauigantes, omnia sua absportârunt, simulque gesta beatę Anatoliæ virginis, quæ in hoc libello scripta sunt, & finem Audacis martyris, Amen.

S. Anatolia confoditur.

MARTYRIVM SS. FELICITATIS ET VII. FILIORVM EIVS, AB ECCLESIAE ROMANAE NOTARIJS, VT VIDETVR, CONSCRIPTVM. HABETVR IN VETVSTIS MS. LIBRIS, & ANTIQVISSIMA MARTYROLOGIA CONSENTIVNT.

10. Iulij.

IMPORIBVS Antonini Imperatoris orta est seditio Pontificum, & Felicitas illustris fœmina cum septem filijs suis Christianissimis tenta est. Quæ in viduitate permanens, Deo suam vouerat castitatem, die noctuque orationibus vacans, magnam de se ædificationem castis mentibus dabat. Videntes autem Pontifices præconia Christiani nominis per eam profeciſſe, suggesserunt de ea Antonino Augusto, dicentes: Contra salutem vestram mulier hæc vidua cum filijs suis dijs nostris insultat: quæ si nō venerata fuerit deos, sciat pietas vestra, deos nostros sic irasci, vt penitùs placari non possint. Tunc Imperator Antoninus iniunxit Præfecto Vrbis Publio, vt eam compelleret cum filijs suis deorum suorum iras sacrificijs mitigare. Publius itaq; Præfectus Vrbis iussit eam priuatìm adduci, & blando colloquio ad sacrificium eam prouocans, minabatur pœnarum interitum. Cui Felicitas dixit: Nec blandimentis tuis resolui potero, nec terroribus tuis frangi. habeo enim spiritum sanctum, qui me non permittit vinci à diabolo: & ideò secura sum, quia viua te superabo: & si interfecta fuero, meliùs te vincam occisa. Publius dixit: Misera, si tibi suauè mori est, vel filios tuos fac viuere. Felicitas respondit: Viuent filij mei, si non sacrificauerint idolis. Si verò hoc tantum scelus admiserint, in æternum ibunt interitum.

S. Felicitas nuncupat Deo votum castitatis.

Fortitudo animi eius.

Alia die Publius sedit in foro Martis, & iussit eam adduci cum filijs suis, cui & dixit: Miserere filijs tuis, iuuenibus bonis, & flore primæ iuuentutis florentibus. Respondit Felicitas: Misericordia tua, impietas est: & exhortatio tua, crudelitas est. Et conuersa ad filios suos, dixit: Videte filij cælum, & sursùm adspicite: ibi vos expectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, & fideles vos in amore Christi exhibete. Audiens hæc Publius, iussit eam alapis cædi, dicens: Ausa es, me præsente, ista monita dare, vt dominorum nostrorum iussa contemnant? Tunc vocauit

Confortat filios suos.

Filij eius vexantur.

canit primum filium eius, nomine Ianuarium, & infinita illi promittens bona præsentia, simul etiam verbera minabatur, si sacrificare idolis contempsisset. Ianuarius respondit: Stulta suades: me verò sapientia Domini mei conseruat, & faciet hæc omnia superare. Statim Iudex iussit eum virgis cædi, & in carcerē recipi: secundum verò, Felicem solum adduci. Quem cùm hortaretur Publius ad immolandum idolis,

Ianuarius flagellatur.

Præclara Felicis vox.

constanter dixit: Vnus est Deus, quem colimus, cui sacrificium piæ deuotionis offerimus. Vide, nè tu credas me aut aliquem fratrum meorū, à Domini Iesu Christi amore recedere. Et si immineant verbera, iusta tamē consilia, & fides nostra nec vinci potest, nec mutari. Et isto amoto, iussit tertium filium, nomine Philippum, applicari: cui cùm diceret: Dominus noster Imperator Antoninus iussit, vt dijs omnipotētibus im-

Itē Philippi

moletis: respondit Philippus: Isti nec dij, nec omnipotentes sunt: sed sunt simulacra vana & misera & insensibilia: & qui eis sacrificare voluērint, in æterno erunt periculo. Et amoto Philippo, iussit adesse quartum Silanum, cui sic ait: Vt video, conuenit vobis cum pessima matre vestra hoc consilium, vt præcepta principum contemnentes,

Itē Silani.

omnes simul intereatis. Respondit Silanus: Nos si trāseuntia tormenta timuerimus, in æternum interitum incidemus & supplicium. Sed quia verè nouimus, quæ præmia sint parata iustis, & quæ sit pœna constituta peccatoribus, securi contemnimus legem Romanam, vt iussa diuina seruemus: idola contemnentes, vt Deo omnipotenti famulantes, vitam æternam inueniamus. Adorantes autem dæmonia, cum illis in interitu erunt & incendio sempiterno. Amoto Silano, iussit quintum præstò esse Alexandrum, cui & dixit: Misereris ætati tuæ & vitæ in infantia positæ, si non fueris rebellis, & secutus fueris ea, quæ sunt regi nostro Antonino gratissima. Vndè sacrifica dijs, vt possis amicus Augustorum fieri, & vitam habere & gratiam. Respondit Alexan-

Itē Alexandri.

der: Ego seruus Christi sum, quem ore confiteor, corde teneo, incessanter adoro. Infirma autem ætas, quam cernis, canam habet prudentiam, & vnum Deum colit. Dij autem tui cum cultoribus suis interibunt. Isto amoto, iussit sextum Vitalem applicari, cui & dixit: Fortè vel tu optas viuere, & non abire in interitum. Respondit Vitalis:

Itē Vitalis.

Qui est, qui optat melius viuere: qui verum Deum colit, vel qui dæmonem cupit habere propitium? Publius dixit: Et quid est dæmon? Vitalis respondit: Omnes dij gentium dæmones sunt, & quicunque eos colunt. Hoc quoquè amoto, iussit septimum Martialem ingredi, eique dixit: Crudelitatis fautores effecti, Augustorum instituta contemnitis, & in vestra pernicie permanetis. Respondit Martialis: O si nōsses, quæ

Pſal. 95.

Item Martialis.

pœnæ cultoribus idolorum paratæ sint: sed adhuc differt Deus iram suam in vos & idola vestra demonstrare. Omnes enim, qui non confitentur Christum verum esse Deum, in ignem æternum mittentur. Tunc Publius iussit & hunc septimum amoueri, & gesta omnia scripta per ordinem, regi Antonino ingessit.

A diuersis iudicib⁹ interimūtur.

Antoninus verò misit eos ad diuersos iudices, vt varijs supplicijs afficerentur. E quibus vnus Iudex primum fratrem plumbatis occidit: alter secundum & tertiū fustibus mactauit: alius quartum precipitio interemit: alius in quintum, sextum & septimum capitalem sententiam pronunciauit, matremque illorum capite truncari iussit: & ità diuersis supplicijs interempti, omnes effecti sunt victores & martyres Christi, & cum matre triumphantes, ad præmia in cælis percipienda conuolârunt, qui pro Dei amore minas hominum, pœnas & verba contemnentes, Christi amici facti sunt in regno cælorum: Qui cum Patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DE EADEM S. FELICITATE, EX BEATISSIMO PAPA GREGORIO, HOMILIA III. IN EVANGELIA.

SANCTI Euangelij, fratres charissimi, breuis est lectio recitata, sed magnis mysteriorum ponderibus grauida. Iesus etenim conditor & redemptor noster matrem se nōsse dissimulat, & quæ ei mater sit, qui propinqui, non per cognationem carnis, sed per coniunctionem spiritūs, designat, dicens: Quæ est mater mea,

Matth. 12.

& qui sunt fratres mei? Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Quibus nobis verbis quid aliud innuit, nisi quòd obsequentes iussionibus suis multos ex gentilitate colligit, & Iudæam, ex cuius carne genitus est, non agnoscit?

agnoscit? Vndè & mater eius, cùm quasi non agnoscitur, foris stare perhibetur: quia videlicet synagoga id circò ab authore suo nō cognoscitur, quia legis obseruationem tenens, spiritualem intellectum perdidit, & sese ob custodiā literę foris fixit. Sed dum is qui voluntatem patris fecerit, soror & mater Domini dicitur, propter vtrunq; sexum, qui ad fidem colligitur, mirum non est: mirandum verò valdè est, quomodò etiam mater dicatur. Fideles enim discipulos, fratres vocare dignatus est, dicens: Ite, nunciate fratribus meis. Qui ergò frater Domini fieri ad fidem veniēdo poterit, quærendum est, quomodò esse etiam mater possit.

Synagoga cur à Christo nō agnoscatur.

Matth. 28.

Sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater & soror est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominū, qui eum cordi audientis infundit: & mater eius efficitur prædicando, si per eius vocem amor Domini in proximi mēte generatur. Ad quam rem nobis idoneè confirmandam, adest beata Felicitas, cuius hodiè festa natalitia celebramus, quæ credendo extitit ancilla Christi, & prædicando facta est mater Christi. Septem quippe filios, sicut in gestis eius emendatioribus legitur, sic

Christi mater quis sit.

Laudes S. Felicitatis.

post se timuit viuos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, nè mortuos premittant. In persecutionis enim labore deprehēsa, filiorū corda in amore supernæ patriæ prædicando roborauit, & parturiuit spiritu, quos carne pepererat: vt prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo.

Considerate fratres charissimi in fœmineo corpore virile pectus. Ad mortem stetit imperterrita, amittere se in filijs lumen veritatis timuit, si non fuisset orbata. Nunquid ergò hanc fœminam martyrem dixerim? Certè Dominus cùm de Iohanne lo-

Virile pectus S. Felicitatis.

queretur, dixit: Quid existis in desertum videre? prophetam? vtiq; dico vobis, & plus quàm prophetam. Et Iohannes ipse requisitus, respondit dicens: Non sum propheta. Quia enim se plus quàm prophetam nouerat esse, se prophetā negabat. Qui id circò plus quàm propheta dicitur, quia prophetæ est officium, ventura prænunciare, non etiam ostendere. Iohannes verò plus quàm propheta est: quia quem verbo prædixit, digito ostendit. Non ergò hanc fœminam martyrem dixerim, sed plus quàm martyrem, quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, totiès ante se mortua ad pœnas prima venit, sed peruenit octaua. Adspexit mater, & cruciata, & imperterrita filiorū mortem, spei gaudium tribuit, adhibuit dolorem naturæ. Timuit viuentibus, gauisa est morientibus. Optauit nullum post se relinquere: nè, si quem haberet superstitem, non posset habere consortem.

Matth. 12.

Iohan. 1.

Nemo ergò ex vobis, fratres charissimi, existimet, quòd eius cor morientibus filijs, etiam carnalis affectus minimè pulsauerit. Neque enim filios, quos carnem suam esse nouerat, sine dolore poterat morientes videre: sed erat vis amoris interior, quæ dolorem vinceret carnis. Vndè & passuro Petro dicitur: Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis. Neque enim si plenissimè Petrus nollet, pro Christo pati potuisset: sed martyrium, quod per infirmitatem carnis noluit, per virtutem spiritūs amauit. Qui dum per carnē ad pœnas trepidat, per spiritum ad gloriam exultat. Actum est, vt cruciatum martyrij nolēdo voluisset, sicut nos quoq; cùm gaudium quærimus salutis, amarum poculum sumimus purgationis. Amaritudo quidem in poculo, displicet: sed restituenda per amaritudinem salus, placet. Amauit ergò iuxta carnem Felicitas filios, sed pro amore cælestis patriæ, mori etiam voluit, quos amauit. Ipsa eorum vulnera accepit, sed in eisdem ipsa ad regnum præuenientibus excreuit. Rectè ergò hanc fœminam vltra martyrem dixerim, quæ & totiès in filijs est desiderabiliter extincta: & dum multiplex martyriū obtinuit, ipsa quoq; martyrij palmam vicit. Fertur apud veteres mos fuisse, vt quisquis consul existeret, iuxta ordinem temporum, honoris sui locum teneret. At si quis posterior ad consulatum veniens, consul non semèl, sed bis fortasse aut tertiò fieret, etiam illos laude & honore transcenderet, qui non plùs quàm semèl, consules extitissent. Vicit ergò beata Felicitas martyres, quæ tot ante se moriētibus filijs pro Christo occubuit, quia ad amorem illius sola sua mors minimè sufficit.

Iohan. 21.

Felicitas plus quàm martyr.

Considerēmus, fratres, hanc fœminam: considerēmus & nos, qui membris corporis, viri sumus, in eius comparatione quid æstimabimur? Sæpè nanque agenda aliqua bona proponimus: sed si vnus contra nos leuissimus sermo ab ore irridentis eruperit, ab intētione actionis nostræ, fracti protinùs & confusi, resilimus. Eccè nos plerunquè à bono opere sola verba reuocant: Felicitatem verò à sancta intentione frangere nec tormenta potuerūt. Nos in aura maledictionis impingimus: hęc ad regnum

In aduersitate non est resiliendum à bono proposito.

etiam

etiam per ferrum exijt, nihilque, quod obsisteret, æstimauit. Nos ad præcepta Dominica largiri nostra saltem superflua nolumus: hæc non solùm Deo suam substantiam contulit, sed pro illo etiam propriam carnem dedit. Nos cùm ex diuina iussione filios amittimus, sine consolatione lugemus: hæc eos velut mortuos plangeret, si non obtulisset. Cùm ergò ad illud terribile examen districtus Iudex venerit, quid nos viri dicemus, cùm huius fœminæ gloriã viderimus, de debilitate mentis nostræ? Quæ tunc viris erit excusatio, quandò hæc oſtẽdetur, quæ cum seculo & sexum vicit? Sequamur ergò fratres chariſſimi districtam & asperam redemptoris viam. Vsu quippe virtutum ita iam plana facta est, vt per eam fœminis libeat ambulare. Despiciamus cuncta præsentia. nulla sunt etenim in hoc mundo, quæ transire non possint. Turpe sit diligere, quod constat citiùs perire. Non nos terrenarum rerum amor superet, non superbia inflet, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non inuidia consumat. Amore nostrî, fratres chariſſimi, redemptor noster occubuit: & nos amore eius discamus vincere nosmetipsos. Quod si perfectè agimus, non solùm imminentes pœnas euademus, sed cõmuni cum martyribus gloria remunerabimur. Nam quanuis occasio persecutionis desit, habet tamen & pax nostra martyrium suum. Quia etsi carnis colla ferro nõ subdimus, spiritali tamen gladio carnalia nostra desideria in mente trucidamus: ipso adiuuante, qui viuit & regnat, &c.

Labentia cuncta pro nihilo putanda.

MARTYRIVM SS. VIRGINVM RVFFINÆ ET SECVNDAE, EX ANTIQVIS MS. VOLVMINIBVS.

Vetusta Martyrologia suffragantur. Stylum nonnihil correxit F. Laurentius Surius.

Iulij 10. Earũ patria & parentes.

RVFFINA & Secunda sorores virgines, ciuesq; Romanæ, patrem clarissimum habuêre Asterium, matrem itèm clarissimam Aureliam. Cùm autem seruor persecutionis, iussu Valeriani & Galieni Augustorum, tunc in Vrbe Roma sæuiret, sponsi harum virginum Armentarius & Verinus, à fide Christi discesserunt: nec tamen sua perditione contenti, etiam has Dei famulas detestabili persuasione ad suî imitationem inducere nitebantur. Illæ verò, vt eorum insanas declinarent adhortationes, ad prædium suum, quod in Tusciæ partibus videbantur habere, basternis vectæ, sese contulerunt. Id audientes Armentarius & Verinus, statim Comiti Arcesilao ità suggesserunt: Sponsæ nostræ repudiauerunt nos in deorum contumeliam. Vnum autem Deum verum colendum in cælis esse testantur Christum Iesum, & omnium templorum mysteria perindè vt pestem quandam abominantur. Ea causa ex Vrbe hodiè egressę, fugerunt. Ijs auditis, sceleratissimus Arcesilaus cum militibus suis equestribus iter capessens, sanctas Christi virgines via Flaminea quartodecimo milliario comprehendit, reuocatasque ad vrbem Romam, Iunio Donato præfecto obtulit, dicens: Has sacrilegas virgines contra legem viuere, deos negare, templa deserere, contra salutem principum venire, sponsis earum accusantibus, didici: & quia hanc curam mihi demandârunt domini nostri, inuictissimi Principes, par erat, fugientes, à me comprehendi, & vestræ magnificentiæ discutiendas adduci.

Accusantur apud Arcesilaum à suis sponsis.

Ducuntur in singulas custodias.

Tum indignatus præfectus Donatus, iussit eas ab inuicem separatas, duci in custodiam, & die tertio in secretario ipsius sisti. Porrò Ruffinam ad se introductã ità compellauit: Cùm sis nata nobiliter, quid ità ad eam ignobilitatem deuoluta es, vt mâlis captiua in vinculis teneri, quàm libera gaudere cum marito? Ruffina respondit: Temporalis hæc captiuitas, æternam captiuitatẽ excludit, & vincula temporaria ab æternis nexibus absoluunt. Præfectus ait: Abijce has vanas & aniles fabulas, & sacrifica dijs immortalibus, vt possis sponso tuo cum gaudio perfrui, & vsque ad senectutem delicijs circunfluere. Ruffina respondit: Duo ex ijs, ad quæ me hortaris, prorsùs inutilia sunt: tertium, quod promittis, planè incertũ & dubium est. Iubes me idolis sacrificare, vt ęternùm peream, & deindè maritũ accipere, vt virginitatis gloria me priuem. Post ista tam acerba & aspera, promittis ad senectutẽ vsq; voluptatibus me perfruituram, cùm nec de teipso certus sis in diem crastinum vsq; te peruenturum. Præfectus dixit:

Egregiũ S. Ruffinæ responsum.

dixit: Cessent verba, quandò iam parata sunt verbera. Mihi quidem id è re tua esse videtur, vt saniori vsa consilio, corrigas prauam animi tui sententiam, & his vanitatibus valere iussis, tempus, quod tibi superesse poterit, non amittas. Ruffina respondit: Iam tu nonnihìl sermonem corrigis tuum, cùm dicis, Tempus, quod mihi reliquum esse poterit. Ostendis enim vitam hominis certam nõ esse, dum in incerto posita est. Itaq; illam ego vitam amplector, quæ est cum æternitate coniuncta, nec aliquid lubricum & incertum suis amatoribus promittit. quam vitam Christus docuit magister veritatis. Cùm autem saxea Iudæorum pectora dubitatione sua credulos ei animos negarent, mortuos è monumẽtis excitans, iubebat eos suæ assertioni dicere testimonium: vt vel sic virtutibus crederent, qui verbis credere nolebant.

Futura vita æternitati coniuncta est.

Iunius Donatus Præfectus dixit: Missa facisthæc vaniloquia, & nube viro tuo. Arcesilaus Comes dixit: Hæc cùm sit rea sacrilegij, in matrimonij sortem admitti non poterit. Ruffina respondit: Ità tu dicis in matrimonij sortem admitti me non posse, quasi ego hominis vxor esse desiderem, quæ Christo Dei filio virginitatem meam deuoui. Quamobrêm audi Arcesilaë Comes: Quære alium, cui minæ tuæ timorem adferant: me quidẽ nec à virginitatis palma reuocare poteris, nec ab amore & cultu Christi filij Dei separare. Tum Donatus iussit Secundam acciri, vt Ruffina soror eius, ipsa præsente, flagellis cęderetur. Sperabant enim sacrilegi illi, Secundam, terrore prostratam, ipsorum persuasionibus assensuram. Vt vidit autem Secunda Ruffinam flagellari, clamauit ad Iudicem: Quid agis scelestissime, hostis regni cælorum? Cur sororem meam gloria afficis, me verò eius gloriæ non pateris esse participem? Præfectus ait: Vt video, sororem tuam insania superas. Secunda respondit: Nec soror mea insana est, nec ego insanio, sed ambæ Christianæ sumus, & iustum est, vt simul cædamur, quæ pariter Christum Dominum confitemur. Gloria enim nominis Christiani verberum ictibus augescit, & tot conciliat coronas sempiternas, quot temporarijs flagellorum ictibus pulsatur. Præfectus dixit: Hortare potiùs sororem tuam, vt vos ab hac iniuria vindicetis, & sponsis vestris cũ gloria nobilitatis vestræ restituamini. Secunda respondit: Vanis terroribus niteris, & friuolis promissionibus vteris. Nobis virginitatis dignitas adeò comperta est, vt magìs optemus occídi, quàm nos vinci patiamur. Præfectus ait: Si inuitis vobis erepta fuerit virginitas, quid facturæ estis cum Christo? Secunda respondit: Virginitas in corde puro exhibetur Christo filio Dei. Non potest virgo suam perdere integritatem, si nolit à iustitia deflectere. Vis autem illata perfectionem adfert: perfectio palmam præparat. Tu in consensum nostrum arma cepisti, vt cogas nos velle, quod nolumus, & ijs rebus delectari, quas execramur. Admoue ignes, gladios, flagella, saxa, fustes & virgas. Quot tu pœnas inferes, tot ego martyrij nostri glorias numerabo. Quotiès tu in nos violẽtia vteris, totiès ego martyrij computabo palmas. Nostra enim omnis gloria est pœna, quã Christi amore perpetimur: nec poterit corruptio dici, quæ pro mentis tuenda integritate non timet sui corporis facere iacturam. De consensu enim apud Deum iudicabitur, si quid perfecta quis voluntate dilexerit.

Fœtor mutatur in odores aromaticos.

Tum verò iussit eas Præfectus in obscuro includi loco, & è stercoribus fumum excitari. Id cùm factum fuisset, fumus ille thymiama redolebat, non fœtorem vllum, sed delectationem potiùs naribus ingerens. Porrò obscuritas lucem meridianam splendore vincebat: nec poterant illic dominari tenebræ, vbì tenebrarum vis Dei lumine vincebatur. Deindè iussæ sunt illinc produci, & in balneis includi, atq; in dolium feruens iactari. Vbì cùm aliquandiù fuissent, post duas horas ingressi, qui earum corpora tollerent, dolium frigidum & vaporans inueniunt. Id Præfectus audiens, obstupuit, iussitq; eas duci in medium Tyberim, & saxo vno ad ambarum colla ligato, in cum præcipitari. Cum illo autem saxo dimidiam ferè horam super aquam ferebantur, & turbis adstantibus, in superiori fluminis parte siccis vestibus cernebantur, prædicantes triumphum Domini, & Christi gloriam decantantes. Quod cùm fuisset iudici nunciatum, dixit Arcesilao Comiti: Istæ, quas mihi obtulisti, aut magica arte nos superant, aut vera sanctitate sunt præditæ. Itaq; vt tu eas mihi tradidisti, ità ego eas tibi reddo, vt pro tuo arbitratu vel sententiam excipiant, vel absoluantur.

In dolio feruenti nõ læduntur.

Saxo alligatæ, non possunt submergi.

Iussit igitur Arcesilaus duci eas in syluam per viam Corneliam milliario decimo ab Vrbe Roma, in fundum, qui Buxo vocatur, & illic pariter capite cædi, carumque corpora inhumata relinqui, lupis deuoranda. Sed Domini gratia non defuit in Christum credentibus etiam defunctis. Deniq; Plautilla matrona, in cuius prædio cæsæ sunt, vi-

Capite cæduntur.

dit eas per visum sedere gẽmatas in thalamo,& dicere sibi: Plautilla,reuoca animum tuum à flagitioso cultu idolorum,& impia incredulitate calcata, crede in Christum: & abiens in prædium tuum,corpora nostra,quæ illic inuenies,manda sepulturæ. Exurgens Plautilla,peruénit ad locum:& inueniens sanctarum virginum corpora,nihil neque fœtoris, neque læsionis habentia, adorauit & credidit, fabricauitque monumentum virginibus Christi. Quo in loco per illarum orationes magnę fiunt virtutes, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi:qui cum Patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula, Amen.

Miracula ad earum sepulcrum.

GREGORII PRESBYTERI CÆSAREÆ CAPPADOCIAE ORATIO, DE SANCTIS TRECENTIS DECEM & octo Patribus Nicenæ Synodi, & de Constantino in primis pio Imperatore. quam in 12. capitula distinximus. Habetur in Simeone Metaphraste.

Iulij 10. Sic enim in Metaphraste habetur. Cap. 1.

PRAEPOSITIS obedire iussus ab Apostolica adhortatione, ô Theophile, & velutì oblitus meæ imbecillitatis,neglecta dicendi elegantia,párui venerando patri,qui mihi proposuit, vt breuiter scriberem de congregatione trecentorum & octodecim patrum, facta Niceæ, tradereméque huic sanctæ, quæ est penès ipsum, Nicenæ Ecclesiæ: vt quorum præsentiæ fructum percepit in corpore, eorum spiritalis quoquè decertationis scriptas habeat narrationes. Atque quæ à me quidem pro meis viribus dicta sunt, si respiciatur magnitudo rerum, quæ à Patribus rectè & ex virtute gestæ sunt, dixerim ego tenui rori esse similia,qui contendit cum marinis fluctibus. Fuerit autem illius perfectionis,non sententiarum attendere humilitatem, sed promptam & alacrem parendi voluntatem grato animo excipere.

Cap. 2. Cùm Maximianus & Licinius & Maxentius,qui Romę impiè imperauerũt,& multos, qui erant Christianæ fidei, dæmonibus sacrificare recusantes, supplicijs & morte affecerunt,insano simulacrorum cultu dignum exitũ inuenissent,præter spem & opinionem ex Occidente instàr Luciferi exortus est Constantinus Imperator Christianissimus,orthodoxæ vitæ instituti princeps,& inculpatæ fidei propugnator: qui simul àc ex Occidente in Orientem sceptra transtulit, diuina luce illuminatur: & cùm pietate animum instruxisset, aduersùs diabolum primum certamen suscipit, & de Christianorum libertate publica proponit edicta, & quæ fidelibus ab impijs afferebatur, molestiam repellit, diruit cultum simulacrorum, de falso agit triumphum: quæ consistere nõ poterat, efficit manifestam veritatis prædicationem: eos, qui Dominum honorârunt,& honore & libertate afficit. Instaurantur, viresq; recipiunt corpora fidelium,quæ flagris lacerata fuerant. Tormentis & exilijs subijciuntur, qui sequũtur dæmones. Licebatque videre fideles reuocari à persecutione,& eos qui dæmonibus seruiërant,resipiscere. Quod quidem chori Angelici præ se ferebat speciem, Dominum omnibus liberè glorificantibus.

Constantinus Imperator, fidei propugnator.

Cap. 3. Lætabatur Imperator fidelissimus quotidiano Christianorum augmento, reputans animo hoc esse diuinę operationis,quæ exiguo tempore eos,qui illius parebant imperio,traxit ad Domini Iesu Christi agnitionem, & cogitans quidnam euenisset ijs, qui illum præcesserant. Nam cùm finitimæ gentes,tanquàm nullis penitùs iunctæ fœderibus,insurgerent aduersùs eos, qui ante ipsum imperauerant, & intestinæ seditiones eis à mutuis cædibus respirandi spatium non præberent, quandò Constantinus per Saluatoris nostri Iesu Christi gratiam accepit Imperium, protinùs tanquàm iussu aliquo,& mala cessârunt gentilium, & qui eius ditioni parebant,pacem amplexi fuêre. Sed bonis infestus dæmon ne hãc quidem tulit hominum eorum, quæ sunt meliora, cognitionem: sed sicut olìm primo homini creato vitam inuidit cælestem,& per serpentem eius auribus præcepti inseuit inobedientiam: ità etiam tunc cruciatus ob hominum ex idolatria ad Deum conuersionem,excitat spiritum Pythonis. Is autem fuit Arrius, qui erat quidem appellatione Christianus, & in presbyteratum Ecclesiæ Alexan-

Tranquillũ Constãtini Imperium.

Genes.3.

Arrius hæresiarcha.

Alexandrinæ allectus. Cùm enim diuinarum scripturarum ei mandata fuissent, atque vtinàm non fuissent, interpretatio: vana autem gloria & auaritia, planè diaboli patris eius armis,teneretur: vidisset verò post Petrum insignem inter Martyres victorem,& inter Pontifices Apostolis æqualem,& Achillam eius successorem, Alexandrum inter præsules castissimum,& Apostolicorum dogmarum strenuum defensorem, Alexandrinæ præesse Ecclesiæ, tanquàm venenatus quidam draco inuidiæ virus, quod latebat in imis cordis eius penetralibus,euomit. Sed aduersùs Alexandrum quidem nõ poterat eius importuna se efferre insolentia. Nam erat quidẽ Alexander vita,in quam nulla cadebat repræhẽsio,& nullius vitij particeps,prout est Domini de Iob testimoniũ. Quidnam ergò machinatur sceleſtus? Arma parat aduersùs eius decreta,tanquã per ea eum insectaturus: & sic ponit os suum in cælum, & loquitur iniquitatẽ aduersùs altissimum. Nam cùm confiteretur S. Alexander filium esse patri & honore & essentia æqualem,statìm nugatus est mente captus Arrius, creaturam & facturam esse filiũ,& fuisse quandò non erat,& quæ sunt his magìs impia,digna profectò,quæ æterno silentio & obliuioni mandentur.

Iob 1.

Pſal.72.

Arrij blasphemiæ.

Cùm ergò vidisset diuinus Alexãder hoc malum instàr morbi sacri depascere,(Attigerat enim Aegyptum,& Thebaidem,& Libyam nuperrimè) veritus nè appræhenderet totum corpus fidelium,ac post multas coràm adhortationes,quas efferato paternè adhibuit,post varias ex diuinis scripturis adductas probationes,quibus abũdat & vetus & nouum Testamentum,sciens impium adhuc esse implicatum erroris caligine,confugit ad Dominum Iesum Christum, quem iste afficiebat contumelia: & vt aduersùs impium, & cum Deo pugnans cœptum,opem ferret,ieiunijs, vigilijs, & lachrymis adiutorem inuocat inspectorem veritatis. Cùm autem impius magìs efferaretur & efferuescèret,euocat Alexander plures futuros periculi socios, & dirigit literas ad eos,qui erant in eo loco, Episcopos, & significat prodigiosos cordis Arrij fœtus aduersùs rectam opinionem. Quamobrèm præmunit quidẽ eorum aures, nè attraherentur aliqui à lacuna sensûs Arrij. Incitat autem omnes,vt citra moram de his optimum dominum certiorem facerent. Cùm hæc ergò cognouisset victor inclytus, tanquàm stimulo profana obscurorum molestaq; inopinatorum auditione perculsus,diuinas protinùs mittit literas,per quas & Magistratus,& eos,qui poterãt,Episcopos Niceam Metropolim ad ea examinanda,quæ ad ipsos pertinent,venire suadet,& ad manifestandam veram & inculpatam fidem,penitùs autem excindendam dæmoniacam malè sentientium hæresim.

Cap.4.

Conuocat Alexander Episcopos aduersùs doctrinam Arrij.

Cùm hæc ergò sic processissent, quinam illo tempore inuenti sint viuifici spiritûs præscientia conseruati Episcopi,& ex quanam parœcia ex ijs vnusquisq; profectus sit, ostendet quæ ab ipsis facta est decisio synodica ijs,qui studiosè legere voluërint. Sancti ergò Patres,non secùs àc quædam apes operariæ,velutì ex floridis pratis vnusquisque ex proprijs Ecclesijs surgentes,peruenìunt Niceam,locum,qui componit aluearia orthodoxæ opinionis. Diuinus ergò Constantinus cùm audiuisset sacram & Angelis reuerẽdam sanctorum Patrum venisse præsentiam, statìm ex vestibulo eos conuenientibus prosequitur honoribus, & quibusdam præmissis ex sacro conuentu, humanitate & rerum necessàriarum conuenienti suppeditatione procurat, nè necesse habeant recedere. Postquàm autẽ cognouit rectè fuisse prouisum Patribus, tunc ipse Niceæ suam offert præsentiam, se sobria mente ab externis abducens tumultibus, vtpotè in rebus agendis exercitatum sanctorum Patrum allocuturus conuentum de re diuina & de salute,quæ spectat ad homines. Etenim erant quidam ex ipsis,qui gratijs ornati erant Apostolicis: alij autem Christi stigmata circunferentes in suis corporibus. Ex quibus, vt lectores habeant maiorem de sanctis certitudinem, & animæ vtilitatem, aliquot adijciam. Sanctus itaque Iacobus præsul Nisibenorum multos quidem liberauit à morbis,& de eo etiam fertur testimonium,quòd suscitârit mortuos. Et Neocæsareæ Euphratesię Episcopus sanctus Paulus,genitalia membra igne amisit, Licinij insaniæ effectus ludibrium. Et Paphnutius Aegyptius vir signifer. Et plures alij ex ijs sanctis: Alij quidem orbati sunt oculis: Alij incisi sunt iuncturarum, crurum & brachiorum nerui: Alijs verò mutilati sunt pedes,& manus loreis vinculis. Bonorum autem aduersarius cùm hanc cælestem vidisset in terra choream, non permisit, vt esset omninò expers suorum aculeorum: sed sicut Iudam Domini proditorem constituit inter Apostolos: sic etiam vnà cum sanctorum caterua immanes lupos inuexit, tectos ouium pellibus, Menophantem, inquam, Ephesium, & Patrophilum Scytho-

Cap.5.

Patres veniunt Niceã.

Honorificè & liberaliter habẽtur à Constantino.

Multi ex Patribus viri sanctissimi.

Episcopi quidã fautores Arrij.

politanum, & Theonam Marmaricanum, cum paucis alijs discipulis Arrij insipientiæ: de quibus dicetur in his, quæ consequuntur. Quoniam autem opùs erat, vt quæreretur de eo, quod erat obstaculo veritati, & dispiciebatur locus aptus, in quem conuenirent, cùm excidisset optimus Imperator domum maximam ab eo, quod illic est, palatio, cubiculorum (vt ità dicam) regiorum oculum, cuius decus & magnificentia ad nostra vsque tempora est sanctorum Patrum tegumento conseruata, eam, tanquàm suæ Regiæ primitias, sancto deputauit Concilio. Quo in loco æquales numero Patrum iussit sedes fieri, vnà habens rationem requietis senectutis, & honore prosequens sacerdotium. Cùm ergò ipsi appulissent, ipse quoquè Imperator ingreditur: neque verò arroganti, & elato, & regio adspectu intuens: sed contracto supercilio, & modesto incessu accedit, & sanctos, qui occurrunt, amplectitur, & eos benignè alloquitur: & leni quodam risu præ se ferens comitatem, ob sanctorum congregationem indicat suam animi lætitiam. Suam autem in Deum ostendit humilitatem, & summam in Patres submissionem, quòd inter sedes Episcopales suum submiserit subsellium.

Modestia Cõstantini.

Cap. 6. Oratio Eustathij ad Imperat.

Cùm sancti ergò consedissent, & à Deo coronatus Imperator, Eustathius Antiochenus (Ei enim annuit sancta synodus, vt verba faceret ad Imperatorem) Deo, inquit, agimus gratias, ô optime Imperator, qui terrenũ tibi Regnum dirigit, qui errorem simulacrorum per te aboleuit, & fidelium animi tranquillitatẽ in libertate collocauit. Cessauit nidor dæmonum, multiplici gentilium deorum cultu soluta est falsa religio: Expelluntur tenebræ impietatis, luce diuinæ cognitionis orbis terrarum illustratur, Pater glorificatur, Filius simul adoratur, Spiritus sanctus annunciatur. Trinitas consubstantialis, vna diuinitas in tribus personis & hypostasibus prædicatur. Per eam, ô Imperator, tibi munitur tuæ pietatis potentia. Eam nobis serua integram & inuiolatam. Nullus hæreticus subiens Ecclesiam, de Trinitate vnum aliquid auferat, relinquẽs, quod restat, affectum ignominia. Arrius nobis, qui à furore accepit denominationem, orationis causa est & conuentûs: qui nescio quomodò allectus in presbyteratum Ecclesiæ Alexandrinæ, nos latuit, cùm esset alienus à doctrina beatorum Apostolorum & prophetarum. Vnigenitum enim filium, & verbum Patris non veretur priuare eádem & æquali cum Patre substãtia, & creatorẽ cum creatura creaturę cultor contendit connumerare. Eum autem persuaseris, Imperator, mutata sententia, non repugnare doctrinæ Apostolicæ: aut si in vanæ opinionis, cuius est conuictus, perstiterit impietate, cum de Christi & nostro cœtu funditùs sustuleris, nè suis turbidis verborum blanditijs venetur animas simpliciorum.

Vna diuinitas in tribus personis.

Arrius hæreticus ecclesiæ Alexandrinæ presbyter.

Cap. 7.

Sereniſſimus autem Constantinus cùm ex eo, quòd tam citò conuenissent, eorum in fidem ardorẽ conieciſſet, & verba de concordia & conspiranti consensu, tanquàm Patribus filius amans Patrum adduxisset: Agedùm Patres, inquit, omni studio & diligentia efficiamus, vt per Propheticas prædictiones & Apostolicas traditiones sit exæquatio & cõpræhensio veritatis, extra turpe & indecorũ fratrum odium & inanẽ doctrinam. Graue enim fuerit, si multiplicis deorum cultûs impietate dissoluta, & nobis subiectis hostibus, & bellis sedatis ciuilibus, non se inuicèm ensibus fideles, sed dogmatibus feriamus, & Euangelicam doctrinam, quæ est simplex, & non artificiosa, & vim habet non in verbis, sed in factis, doctrinæ disceptatione & verborum varietate conemur euertere. Deo ergò & Patri, & vnigenito filio Patris, & viuifico spiritui eorum, quæ nunc à vobis exquiruntur, permittentes reuelationem, persequamur inquisitionem. Præstabimus enim, vt nos quoquè prompto & alacri animo adsimus, & simus participes certaminis & laboris, vsque ad finem reuelationis eorum, quæ vera sunt. Credimus enim fore, vt nos inspiret aduentus diuini spiritûs, per quem erit firma ac stabilis nostra fides, omni hęretica opinione vacua, & expers malę de Deo sententiæ. Hinc Patrum clarorum multitudo confirmata viuifico, qui vnà versabatur, spiritu, concorditer procedunt ad inquirendam & declarãdam fidem orthodoxam. Et cùm multis veteris & noui testamenti testimonijs, quòd filius sit Patri consubstantialis, acerrimè conuicissent, extra rectam fidem & Ecclesiam sanctam Arrium segregant, anathemati eum subijcientes cum ijs, quæ ab ipso elaborata & dicta fuerant: & ità, nè ad diuinum Symbolum hæreticæ malignitati vllus daretur aditus, impedientes cõtexunt expositionem, per vnumquodq; dictum abolentes sensum, qui ab vnaquaque hæresi opponitur, vt omnibus est manifestum ex expositione eorum, quæ in Concilio gesta sunt in palatio.

Apostolicę Traditiões.

Spiritus sanctus, Patris & Filij spiritus.

Anathemate Arrius pcellitur.

Quoniam

Quoniam autem eis videbatur restare quæstio de die principali, cùm à multis in illud vsque tempus celebraretur, nullo certo præstituto termino, adeò vt alij quidem essent in vestibulis sanctæ ieiuniorum Quadragesimæ: alij verò peragerent dimidium certaminum abstinentiæ: alij autem celebrarent symbola salutaris resurrectionis: & alij quidem in tristitia & lachrymarum profusione, & abstinentia à cibis se duriter gererent: alij verò victoria Domini exultarent, per quam fractus est infernus, & mors deleta, surrexit Adam, & satan est alligatus: de eo quoq; diuini Patres sancto, qui vnà cum eis erat, inspirati spiritu, vnà cum optimo Constantino constituerunt, vt omne genus Christianorum, vno eodemq; tempore Christi Dei nostri diem sanctum ageret resurrectionis: vt orationis & abstinentiæ, lætitiæque & choreæ communem domum, nempe eam, quę est vbiquè, Ecclesiam sibi catholicam conseruarent. Cumque aliarum Ecclesiasticarum quæstionum, & diuinorum canonum fecissent editionem, orthodoxæ sententiæ constituẽre decisionem. Cùm hoc ergò factum esset, censuit optimus Imperator, vt vniuscuiusque ex Patribus descriptionibus sancta confirmaretur decisio. Postquàm autem ea fuit exposita, & publicè lecta, & iam ferè omnes subscripsissent, fit miraculum, dignum quod memoriæ mandetur, ad gloriam quidem eorum, qui crediderunt: pudorem autem eorum, qui fuerunt increduli. Nam cùm duo sancti Episcopi, Chrysanthus & Mausonius, nondùm decisioni suas adiecissent descriptiones, accidit vt diuina prouidentia ij ab humanis excederent. Diuini ergò Patres cùm venissent ad communem locum, in quo dormiebant, tanquàm simul cum eis essent, & quæ dicebantur audirent: O patres, dixerunt, & fratres, Præclarum certamen nobiscum decertâstis, cursum perfecistis, fidem seruauistis: si ergò quod factum est, Deo gratum esse iudicâstis, (nunc enim puriùs cernitis) nè quid sit impedimento, quo minùs vos quoquè decisionem subsignetis. Hæc simul & dixerunt, & signata decisione sanctorum Patrum loculo imposita, totam illam noctem insomnem peragunt in oratione. Die autem sequenti cùm venissent ad loculum, saluis, quę erant impositа, signaculis, cùm sanctam reuoluissent decisionem, inuenerũt sanctorum Patrum in eam immissas subscriptiones, adeò vt citra dubitationem vnusquisque etiam ex ijs, qui erant extrinsecùs, fateretur, sanctum illum sanctorum Patrum chorum constare præsentia & ope sanctæ Trinitatis, eamq; suam corporaliter ostendere defensionem ijs, qui digni habentur, vt videant.

Mãdat Synodus, vt tota Ecclesia vno eodemque tẽpore pascha celebret.

Patres cõfirmant decisionem subscriptionib⁹

Nota insignemiraculum, duo Episcopi subscripserũt mortui.

Cap. 8.

Sed (quod in ijs, quę priùs dicta sunt, prætermisimus) cùm de Dei hostis Arrij blasphemia triumpharet sancta synodus, accessit superstitionis gẽtilis philosophus, contentionis scilicet, & non veritatis studio, Arrij sceleratam defendens sententiã. Menophantesque, & Patrophilus, & Theonas, & alij, de quibus superiùs dictũ est, syllogismis philosophi erecti, aperuerunt fœtidum virus Arrij abominationis, & accedũt Philosopho petulanter insultanti veritati. Sed piscator piscatorum, & Saluator persecutoris, hîc quoq; excogitat aliquid dignũ suis prodigijs. Propositionum enim Philosophi difficiles contentiones vt admirabiliter dissoluerentur, efficit silentio orationis: eligitque quendam ex sanctis, non mundana sapientia, sed vita ornatum Angelica, gentilis impietatis & hæreticæ blasphemiæ defensori aduersarium. Hic minas imitatus Dominicas, quibus aduersùs dęmones & mare cernitur vsus Dominus, simul & Philosophum quodam velutì carmine alloquitur, dicens: Tace, compescere: & verbosum hominem verbo mutum effecit, adeò vt cùm ei statìm vox defecisset, cum timore & tremore accesserit ad chorum sanctorum, & vinculo petierit absolui, & sancto baptismate donari. Sic signorum Dominus philosophum cum tota domo vocauit ad salutem, & eum, qui herì fuerat orthodoxæ accusator sententiæ, effecit defensorem veritatis. Hoc miraculo aiunt Menophantem cum suis sectatoribus obstupefactum, visum esse sua sponte assentiri sanctæ Synodo ad impium Arrium feriendum anathemate: postea autem, non secùs àc canes rabidos, ad suum redijsse vomitum.

Matth. 8.

Philosoph⁹ à simplici Episcopo confutatus, credit.

Cap. 9.

Cùm ergò sancta Synodus trecentorum decem & octo sanctorum Patrum accepisset finem, propter quem congregata erat, & eos tempus vrgeret ad reditum, pius Constantinus cùm eos mensa vicissìm excepisset, & verbis vsus esset adhortatorijs, cùm & Ecclesiarum ipsorum prouidisset inopiæ, & ad alendos vbiquè pauperes dedisset commeatus, eos omnes abeũtes benignis verbis est prosecutus: Videtis, inquiens, vestris institutionibus meũ Dei cultum, & quàm prompto & alacri animo effecerim, vt euerterentur idola: operam autem dederim, vt fides Christianorum vbiq;

Cõstantini liberalitas.

Cap. 10.

annunciaretur,adeò vt nullius alterius religionis ſpecies vobis relinquatur,nisì vt ſoli Chriſtiani ſanctam & vnius eiuſdemque eſſentię Trinitatem adorent & amplectantur.Hanc vobis hodiè trado puram & ſynceram. Veſtrarum autem fuerit precum & diligentiæ curare,vt Deo adiuuante,maius in dies accipiat incrementum. Cùm hæc dixiſſet,& quæ ſunt his ſimilia, & alijs quidem vidiſſet effoſſos eſſe oculos, alijs autem graui cruciatu obtorpuiſſe manus, alios verò eſſe incuruatos neruorum cõuulſione, alios demùm exciſis ſibi genitalibus ſtrenuè decertâſſe: & cùm didiciſſet, quòd cùm in perſecutionibus pro Chriſto in periculo confeſſionis ſe fortiter geſſiſſent, impoſtorum ſibi ſuppliciorum conſeruarent eas,quæ videntur, reliquias, adorauit athletarum cicatrices,membrorum amplexus eſt torpores,affectis mẽbris quandoq; membra ſui corporis,aliquandò autem purpuram applicans Imperatoriam,eis ſe credens ſanctificari.Quinetiam effoſſis oculis ſuorum oculorũ admouebat pupillas,ſuſtinens vt illinc illuminaretur eius mentis oculus. Sic cùm ſanctos eſſet amplexus, nouã Romam eſt reuerſus,exultans recta fidei prædicatione.

Cõſtantini erga Epiſcopos reuerẽtia.

Cap.11.

Sanctiſſimi autem Patres cùm optimum Imperatorem gratiarum actionibus & benedictionibus eſſent remunerati, per quas & pacis amplificationem, & Imperij confirmationem,& inimicorum ſubiectionem petit cœtus Epiſcoporum,ipſi Nicea ſoluentes,hoſpitalitatis munificentiam precibus ſuſtentârunt & roborârũt. Hoc autem teſtatur id,quod ſtatìm ea de cauſa factum eſt ſignum.Nam cùm poſtridiè eſſent precaturi Saluatorem vniuerſorum pro ſuo domum reditu,& pro ea,quę illos excepit, ciuitate, accidit vt in eo, qui dicitur μεσόμφαλος, id eſt, medius vmbilicus ingreſsûs orientalis,ſcaturirent fontes circa medium apſidis,circa quod conſtiterat ſanctorum chorus. Quæ quidem in hodiernum vſque diem appárens, oſtendit orationum fructuoſos effectus.Et nunc apud eos omnes celebratur & nominatur Nicea,apud quos ſanctorum horum trecẽtorum decem & octo patrum honorata eſt Synodus. Quantùm autẽm illi pro ea laborauerint, & quantam eius curam geſſerint, conijcere licet ex ea re admirabili,quæ noſtra ætate facta eſt. Nam cùm ingrati fuiſſent Aſſyrij, & per quod eis parta eſt ſalus, Romanorũ imperiũ depopulati eſſent & vexâſſent, & omnia (Quid enim aliud dicendum eſt) barbarica conſumerent inſolentia, permanſit intacta à Babylonica omni cõtumelia,vt quæ nec igne, nec gladio, virorũ,aut mulierum, aut infantium ſenſerit captiuitatẽ, cùm eam ſæpè clanculùm & apertè adorti eſſent. Dicitur autem,ſuperbum quoquè quendam ex eius exercitu tribunum militum impudenter audax cœptum eſſe aggreſſum, nempe vt magiæ illic execrãda faceret piacula:nocturna autem viſione,& diurnis,quæ illi ſoli apparebant,terroribus incuſſum eſſe timorem, nè acerbè periret, adeò vt mutatus ſceleratus,templum illud vel potiùs templi habitatorem Chriſtum verum Deum noſtrum honoraret, & lucernis accenſis placaret:Et ex eo tempore omnem Babylonicum exercitum à ſancto templo arcuiſſe,& hoſpitalem manſuetudinem,& barbaricæ ferociæ minimè reſpondentem ijs,qui in ipſa vitam agunt, oſtendiſſe. Quæ etiam externis multis ſalutem peperit: ſi quis enim ab eis captus eſſet, modò ſe Nicenum iactâſſet per ſimulationẽ, quodcunque ſibi ab eis impendebat,propulſauit periculum.

Fontes per miraculum ſcaturiunt Niceæ.

Niceã expugnare non poſſunt Aſſyrij.

Luminaria iã olim in tẽpus accẽſa.

Hæ ſunt gratiæ hoſpitalitatis in Patres,quæ etiam poſſunt futuris ſeculis efficere,vt ab eis Niceę cura geratur.Illi autem non ſecùs àc limpidi fluuij ex vno Niceę fonte diuiſi,ad ſuum quiſq; gregem peruenerunt,fructum referentes beatæ peregrinationis, ſalutare mundi Symbolum. Et cùm in venerãda ſenectute,& in vitæ ex virtute profectũ ſuę parœcię illuſtrâſſent curriculum,beatam ſortem ſunt conſecuti. Benignus autem & clemens Deus,ſeruorumq; ſuorum amator beneficus, qui eos glorificat, qui ipſum glorificant,cùm eorum animas dignas cenſuiſſet,vt fruerentur delicijs in cælo repoſitis,nõ ſine munere ac præmio dimiſit eorum caſtiſſima corpora,ſed miraculo, quod eſt præter opinionem, per hæc quoq; ſuos honorauit miniſtros. Communem enim mortem,tanquàm naturalem eis ſomnum induxit. Vndè quæ hos Patres ſuſcepêre corpora,manſerunt in vniuſcuiuſque parœcijs minimè diſſoluta.

Cap.12.

1.Reg.2.

Nota res miras.

Horum autem fortaſsè ſunt multi quoquè alij teſtes,qui in locis viderunt id, quod dicitur,& qui ſanctos ipſos,veluti quodam ſomno tenerẽtur, cùm aliquandò eorum aperirentur loculi, in eis ſunt complexi. Quinetiam ſumus quoquè nos huius non falſi teſtes ſpectaculi. Angelis enim paris Leontij Cæſareenſium Eccleſiæ ſanctiſſimi Præſulis,(cuius multi quidem, etiam antequàm veniret in Nicenam Synodum, emanârunt ſudores propter fidem, multi autem per ipſum martyres & victores athletæ proſtrauerũt aduerſarium, multiquè vſi eius vitæ doctrina,ciues euasêre cæleſtes:(ex ijs enim vnus quoquè eſt Gregorius, magnus inter victores athletas, qui inuénit reliquias ſanctarum martyrum Ripſimes,& Gaianę, & impudicum Teridatem priùs quidem euertit,deindè autem ad finem deduxit)huius,inquam,precioſas reliquias complures nobiſcum vidêre,quæ neque pilos abiecerant, neque vngues amiſerant: erant autem plenæ omni vnguẽtorum fragrantia. Neque verò ſit aliquis,qui his fidem non eſſe habendam exiſtimet. Sunt enim hæc, & his maiora dona gratiæ, ad honorem fidelium,ad laudem Eccleſiarum,ad gloriam Chriſti Dei noſtri: Cum quo Patri gloria, & viuifico ſpiritui,nunc & ſemper,& in ſecula ſeculorum,Amen.

Infigne miraculũ in reliquijs Leõtij Epiſcopi.

ORATIO HISTORICA DE IIS, QVÆ NICEAE GESTA SVNT A SYNODO PROPTER ARRII *depoſitionem. In qua eſt etiam ſingularis narratio de vita magni Conſtantini. Habetur in Simeone Metaphraſte.*

NONODECIMO anno Imperij Diocletiani, aduentûs autem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti trecenteſimo quinto anno,rurſùs in nos inualuit perſecutio: quo tempore Conſtantinus Conſtantiij filius erat puber.Qui cùm ſacras literas didiciſſet à patre,&electus fuiſſet ab eo Cæſar, cumque Diocletianus autem & Maximianus veniſſent in Aegypti Alexandriam,quandoquidem illic Tyrannus inſurrexerat,erat vnà cum eis ferens auxilium Conſtantinus iuuenis,& pulcher adoleſcens,& ſe in bello gerens ſtrenuè. Quo tempore ſceleratus Maximianus, qui erat gener Diocletiani, vt qui eius filiam duxiſſet vxorem, videns eum ſe fortiter gerere, & laudari ab omnibus, inuidia ductus, conatus eſt eum ex inſidijs tollere de medio. Sed cùm ipſe cognouiſſet ſibi parari inſidias, fuga ſuæ ſaluti conſuluit, ad patrem confugiens. Eum autem decedentem offendens, eligitur ab ipſo ſucceſſor Imperij. Quo tempore pium quoquè dicunt dixiſſe Conſtantium: Nunc eſt mors mihi vita iucundior, ô fili, cùm funeris iuſta accipiam maxima tuum principatum. Relinquere enim in terra Imperatorem, qui poſſit Chriſtianorum lachrymas abſtergere, & arcere iniquam cædem, quam non ceſſat Maximianus moliri in Chriſtianos, dat mihi beatam ſortem. Iam autem tertius agebatur annus eius, quæ exercebatur in nos, perſecutionis: in quo Conſtantius caducum Regnum æterno commutauit, & filio Imperatore renunciato, pietatis prædicatorem & Chriſtianorum reliquit defenſorem.

Cap.1.

Conſtantinus à patre renunciatur Imperator.

Cùm autem Seuerus morbo eſſet mortuus,Licinius,qui erat Conſtantij gener,ducta ſorore Conſtantini,propter ſuã cum ipſo affinitatẽ ſenatuſcõſulto Imperium obtinet. Reliquam autem partem Orientis Gallerius Maximinus obtinuit: Maxentius verò Romæ imperauit, qui erat fratris filius. Nam hic quidem Maximiani prioris, ille verò Diocletiani. Conſtantinus autẽ pius Imperator cùm fœuas cædes & ſtupra virginum, & raptus alienarum vxorum,& vim, quam per delicias afferebat execrandus Maxentius,auditione accepiſſet,& Romani ad eum miſſa legatione ab eo contenderent,vt eos ſeruaret & redimeret, literis quidem hortatur Tyrãnum, vt à rebus turpiſſimis abſtineat. Cùm autem verbis eum non perſuaderet,bello aggreditur. Et commiſſa pugna, parùm quidem abfuit, quin vinceretur. Sed cùm ei in cælo apparuiſſet figura Crucis, inſculpta immateriali lumine, & literis eiuſdem materiæ annunciaret victoriam, (Dicebat enim ſcriptura: In hoc vince) cum hoſtibus congreſſus,& belli & hoſtis vim frangit. Ante conflictum autem cùm diuinam viſionem trophæi inſtàr formâſſet, & gemmis auro inſertis concinnâſſet, dat eam ferendam ijs, qui antè equitabant. Et ab eo quidem capitur Maxentius. Nam quibus venabatur inſidijs Conſtantinum, eis ipſe captus eſt. Nam ante Romam circa pontem Miluium, dolo pontem alium conſtruxerat, per quem ſperabat fore, vt equitans interiret Conſtantinus. Nam cùm citò & magno cum tumultu terga vertiſſent, qui Roma exiẽrant, ipſe doli artifex vnà cum ijs, qui ſequebantur, rupto, qui callidè conſtructus erat, ponte, in fluuio ſubmerſus fuit, & mortem bibit. Sed ſic quidem interijt Maxentius, & pars illius redit ad Conſtantinum. Subditi autem non ſolùm à malis

Cap. 2.

Vide virtutẽ ſanctiſſimæ Crucis.

Effigies Crucis.

Incidit in foueã quam fecit Maxẽtius.

ingentibus quieuêre, sed etiam in summa felicitate diem festum agebant.

Cap. 3. Licinius pſequitur Christianos

Licinius verò, qui gentilium tuebatur sententiam, furebat in pios, primùm quidem clàm metu affinitatis, posteà autem palàm quoquè. Diuturnum enim, & quod intùs alitur malum, magna ex parte concluſum, intùs manere non potest. Sed quod olim meditabatur, extrinsecùs producit in triumphum. Quæ in Christianos ergò est excitata, & quæ verbis explicari nequit persecutio, mouet pium Imperatorem ad iustum odium in sororium maximè impium, odiumque bellum peperit. Cùm autem & mari & terra multa, eaque omnis generis committerentur prælia, vincitur Licinius, & Imperatoris humanitate fretus, seipsum ei dedit. Reque ipsa ostensum est, eum non frustrà fidere. Nam qui erat multis obnoxius supplicijs, impunè dimittitur, & ei deputata est Thessalonica, in qua poterat semper tutò versari. Is verò humanitatem arma suæ faciens amentiæ, ad amissum prælium instaurandum, molitus est rebellionem, quæ ei & vitam, & Imperium iusto ense amputauit.

Capitur à Constãtino

Cæditur.

Cap. 4. Arrij error.

Postquàm autem post Achillam, beati Petri successorem, susceperit Alexander Alexandriæ sacerdotium, Ecclesia iam liberata à persecutionibus, & gloriante de martyrum certaminibus, malum quod in sinu nutriebatur, & orbis terræ tumultus Martius (id enim est Arrius) in mœrorem rursùs conuertit Ecclesiæ lætitiam. Dei enim filium redegit inter creaturas, cuius manûs est opus vniuersa creatura. Postquàm autè Alexandriæ Episcopus Alexander, & monendo, & rogando fuit defessus, (Altitudo enim zizaniorum vincebat sementem verbi) depositionis gladio eum excindit ab Ecclesia. Eusebius autem, qui Berytum quidem contempserat, ad Nicomedienſiũ autem Ecclesiam oculos adiecerat, quoniam violentæ suæ rapinæ pœnas non dederat, animo sublatus, Arrij, & eius hæresis sectatorum vel inprimis curam agebat. Ex quibus inter eos quidem, qui aliquandò fuerunt Episcopi, erat Secundus & Theonas. Inter Diaconos autem & presbyteros erat & Arrius principium heresis, & Achillas, & alius Arrius, & quidam alij eiusdem honoris & ordinis, numerum implentes nouenarium: quos etiam deposuit Synodus centum ferè Episcoporum, qui ex Aegypto & Libya conuenerant, anathemati quoquè eos subijcientes.

Cap. 5. Osius Episcopus mittitur Alexãdriam.

Quæ cùm non sine dolore audijsset Constantinus, mittit Alexandriam Osium quidem nomine, vita autem etiam Osium, id est, sanctum. Corduba verò vrbs Hispaniæ de eo se iactabat. Porrò autem ei quoquè tradit literas scriptas & ad Alexandrũ Dei Pontificem, & ad Arrium parentem impietatis. Quarum illæ quidem petebant, vt humanitate & clementia vteretur in Arrium: hæ verò imperabant, vt à furore desisteret, & sensum teneret Ecclesiæ. Quinetiã hortabatur, vt à lite inter se & contentione discederent, vt quæ multorum malorum causa fuerit inter multos. Postquàm autem Arrij morbus nec insignis Osij præsentia & doctrina, neque admonitione Imperatoris est curatus, Concilium Pontificum in Bithyniæ vrbe Nicea congregat Imperator. In qua cùm considérent Episcopi, Imperator ipse stans in medio, non aliâs sedere sustinuit, quàm sacrosanctus ei chorus annuisset.

Nota quantùm deferat sacerdotibus tantus Imperator.

Atque Arrij quidem hæresim & Eusebius Nicomediæ Episcopus, & Theognis Niceæ, & Marius Chalcedonis defendebãt: Pietatem autem Alexander presbyter Constantinopolitanus, & vicem gerens eius Pontificis. Metrophanes enim sanctus non aderat tam propter profundam senectutem, quàm propter aduersam valetudinem. Post quem & Athanasius Alexandrinę Ecclesiæ Archidiaconus, & eius Pontifex Alexander. Synodo verò intererant etiam aliqui, qui non solùm Pontificalem non habebant gratiam, sed neque mysterijs Christianorum erant initiati: sed propter differendi facultatem magni erant nominis: quos non ficto & inornato Dei sapientiæ verbo quidam ex sacrosanctis senibus, & diuina gratia inhabitante ceperunt, & cùm à gentili errore expurgâssent, & Arrij, pro quo maximè decertabant, effecerunt vt in gregem Domini allegerentur.

Cap. 6. Paphnutius Episcopus.

In hac Synodo autem aderat etiã Paphnutius admirabilis, genere quidem Aegyptius, cõfessor verò in certamine. Cui etiam Maximianus Christi inimicus dexterum effodit oculum, & sinistræ manûs neruos præcidit in cubito, & metalli opere vexauit: Vir, qui præclara multa opera, & virtutes effecit: quem etiã maximè pius & Dei amantissimus Imperator omni honore affecit, nec eum vnquàm cepit satietas eius effossum deosculandi oculum. Quinetsam vnà versabatur venerandus Spiridon, de quo ex innumerabilibus pauca quædam dicet oratio. Pascebat ipse aliquandò greges suos, etiamsi in dignitate esset Episcopali. Gregem autem inuaserunt latrones, & vincti fuerunt

Spiridon Episcopus, & quædam eius gesta.

fuerunt vinculis, quæ non cadebant sub visum. Cùm eos autem vinctos deprehendisset, quos ipse vinxerat precibus, à vinculis quidem soluit pari sapientia: Dat autem eis quoquè arietem, futurum mercedem, dicens, nocturnę afflictionis. Habebat verò virginem filiam, quæ cum eo habitabat. Ipsa cùm alicuius accepisset depositum, migrauit è vita. Is verò qui aurum deposuerat, (erat enim peregrè profectus) reuersus aurum quærebat. Vnà autẽ cum eo scrutabatur quoquè Spiridon, nec inueniebatur. Quocirca accedit ad sepulcrum filiæ, &, O filia Irene, inquit, (hoc enim erat nomen virginis) vbi est depositum? Illa autem respondit è sepulcro, edocens locũ & modum inueniendi. Et cùm facilè inuenisset depositum, restituit ei, qui deposuerat. Sed his quidem tanquàm ex vnguibus leonem significamus.

Irene iam defuncta, dat patri responsum.

Cap. 7.

Hi ergò viri longè beatissimi, & aliorum Pontificum congregatus cœtus, Arrium & eos, qui cum ipso sentiebant, condemnârunt impietatis: & pronunciârunt, filium esse Patri consubstantialem, eadem vno ore ferentes sententias. Quidam autẽ octodecim numero, visi sunt declinare ad furorem Arrij. Sed ijs exilio Regia sentẽtia dedecreto, in impietate sex soli permanserunt, cùm alij præ se tulissent recantare, & ad sensum pietatis, etsi non purè & syncerè, sed mente subdola concurrissent. Quorum fuit princeps Eusebius Nicomediæ Episcopus. Hinc quæ erant vbique Ecclesiæ, è multis tumultibus & seditionibus respirârunt ad pacem. Et Osius quidem Cordubæ Episcopus simul cum ijs, qui ipsum sequebantur, ferens acta synodica, procurauit pacem Occidentalibus. Ijs autem, qui erant in Aegypto & Libya, acer Athanasius. Alexãder verò etsi vergebat ad senectutem, (erat enim septuagenarius) ijs tamen, qui erant in Thracia & Illyrico, concordię & pacis Ecclesiarum ferendi fausti nuncij laborem sustinuit, vnà habens secum in eo itinere Paulum, qui tunc tenebat gradum lectorum & subscriptorum Constantinopolitanæ Ecclesiæ: qui etiam in synodo annum agens duodecimum, versabatur vnà cum Alexandro.

Alexander Constantinop. Episc. multis locis Arrianismũ extirpat.

Cap. 8.

Sed hæc quidem paulò pòst: priùs autem venit ad videndum sanctissimum Metrophanem. Qui cùm eum lætitia affecisset propter bonum nuncium, & propter suum aduentum, non autem propterea quòd esset peregrinaturus, profectus est ad obeundum munus sibi creditum. Peruadentes verò Thraciam, & Macedoniam, & Thessaliam, & Achaiam omnem, & Græciam, & terram continentem, ne Insulas quidem neglexerunt, sed etiam nauigantes, radicitùs omnem euulserunt zizaniam: Euangelicæ autem doctrinæ, & synodicarum prædicationum generosam sementem disseminârunt. Cùm synodus autem accepisset finem tribus annis cum dimidio, (Cœpit enim quintodecimo Aprilis, finita est autem, cùm triennium rursùs peruenisset ad Aprilem, & excurrisset vsq; ad Septembrem: sic enim sapiens adnotauit Alexander, qui scripsit acta synodi) stans Imperator in medio chori Pontificum, petijt ab eis vnam sibi dari gratiam. Illi autem prompto & alacri animo annuerunt. Gratia autem hæc erat, vt ipsi vnà secum ingrederentur, vt viderent Pontificem, quem esse suum patrem confessus est Imperator, & vt ciuitatis, quam ipse erexerat, eorum præsentia & precibus eius nomine, qui condidit, fierent Encænia. Cùm autẽ inuiserent Pontifices Metrophanem perspicacissimum die quodam Dominico, & vnà adesset Imperator, & alij habiti sunt sermones, &, Video, inquit excipiens Imperator, ô Patrum mihi maximè venerande, te & senio & morbo laborare. rogo te ergò, vt dicas & nobis ostendas eum, qui post te est gregi præfuturus. Ille autem læto vultu dicit ad Regem: Persuasum habeo in Domino, sanctissimum spiritum nunc per tuam linguam esse locutum. Mihi enim de eo cogitanti septem antè diebus manifestauit Dominus, & me post decem dies è vita emigraturum, & quisnam sit sacram dignitatem suscepturus. Is est autem meus compresbyter Alexander, qui verè est dignus electione, & sancti spiritûs prædictione. Præterea autem eum quoquè, vtpotè puer, lector Paulus sequetur.

Concilium Nicenũ duravit triennio & sex mensibus.

Metrophanes prædicit, qui sint ipsi successuri.

Cùm autem respexisset etiam ad diuinum Alexandrum Pontificem Alexandriæ: Et tu quoquè, inquit, ô frater, egregium relinques successorem. Et manu accipiens Archidiaconum Athanasium: Eccè, inquit, strenuus Christi miles. Is te sequetur, qui non solùm vnà cum Alexãdro fratre meo decertauit aduersùs impietatem Arrij, sed adhuc cum eo multa & magna susciptet certamina. Non solùm autem eum manent secunda, sed etiam cum forti & strenuo Paulo sustinebit tertia. Hæc dixit, & tanquàm spiritu excitatus, cum Episcopis descendit in Ecclesiã: & cùm post Euangelij lectionem breui sermone esset populum allocutus, & eum instituisset, etiam non præsen-

Cap 9.

Nota de Athanasio.

tem

tem presbyterum Alexandrum renunciat Pontificem, & throni successorem. Populus verò vna voce cum ipso Imperatore aliquot horas clamauit, Dignus. Deindè pallium deponit in sacra mensa, id iubens seruari successori. Venturum autem ipsum prædixit propediem post diem septimum suæ ad Christum resolutionis. Fiunt ergò omnia, vt priùs dixi, & vt mandauit. Quieuit autem, cùm esset centũ & septemdecim annos natus, quarto mensis Iunij.

Vide vsum pallij anti quissimum in ecclesia.

Cap. 10. Constantia soror Constantini effecit, vt reuocetur ab exilio Arrius.

Constantia autem soror pij Constantini, quæ fuerat vxor impij Licinij, A fratre, inquit, vnam hanc postremam peto gratiam, vt ab exilio reuocetur Arrius, in quem iniustæ structæ sunt insidiæ. sentit enim cum synodo. Erat enim apud eam quidam presbyter studiosus Arrianæ hæresis: qui cùm se priùs insinuâsset in familiaritatem Eunuchorum Constantiæ, per ipsos quoquè ad eam peruénit, verborumq; illecebris & blanditijs ei persuasit, quòd per inuidiam expulsus fuerit Arrius, & quòd rectũ dogma teneat Ecclesiæ. Quæ cùm Imperatori dixisset, eum commouit, & statim scribit, vt Arrius redeat ab exilio. Eum quoquè fratri commendat presbyterum, qui non minùs erat hæresis presbyter, quàm assentationis. Qui moribus & verbis aptis ad se insinuandum, haud ità pòst conueniendi pium Imperatorem cõsequitur libertatem, & verba mouet de Arrio, quæ ipsum faciebant orthodoxum. Rex autem, Si Arrius, inquit, id sentit quod synodus, ego eum & lubenter videbo, & cum honore in Alexandrina constituam Ecclesia. Hæc autem dixit, & ipsum literis ad se accersijt. Atque Arrius quidem venit Constantinopolim simul cum Euzoïo, qui fuerat depositus:

Arrij fallacia & periurium.

eosque benignè excipit Imperator, rogansque quidnam sentirent, audit eos dicẽtes, se non aliud sentire, quàm exposuissent Trecenti decem & octo sancti patres. Quin etiam miseri fictæ confessioni adiunxêre iusiurandum. Imperator autem iubet eos in scripta referre, quid sentiant. Illi verò prompto & alacri animo falsa scribunt. Dicebant enim in scriptis, se & eos, qui erant cum ipsis, credere ea, quæ lingua confingebant. Motus est ergò Imperator, propterea quòd confessi sunt pietatem. Statimque ipsum & eos, qui cum ipso erant, cum honore mittit Alexandriã. Alexandriæ autem Pontifex Alexander, cum eo conspirante Athanasio, missum minimè suscipit. Et hæresim rursùs Arrius aperiebat, & Aegyptum perturbabat.

Cap. 11. Rursùs periurat Arrius

Imperator verò accersit Arrium, & rogat an perseuéret in ijs, quæ coràm est confessus. Is autem rursùs promptè asseueraüit, se in ijs perseuerare, & verbis addidit iusiurandum. Erant autem hæc omnia verè scenica, atque adeò ijs, quæ in scena agũtur, magis ficta. Aiunt verò, quòd cum abscondite librum scripsisset Arrius, & eum ferret sub axilla, impudenter, loquebatur impietatem, & sic se iurabat sentire, pietatis chartam in apertum proferens, sicut etiam subscripserit. Cùm autem res Arrij sic essent dubiæ ac suspensæ, Imperator breui pòst tempore mortalem vitam commutat immortali, cùm triginta & vnum annum regnâsset, vitam autem transegisset sexaginta & quinque annorum. Moriens verò, apud presbyterũ hæresis deponit testamentum, iubens vt id traderet filio Constantini, quem etiam testamento scripsit paternæ hæreditatis & Imperij successorem & Imperatorem.

Moritur Constantinus.

Perfidia pseudopresbyteri.

Presbyter autem, qui & in Deum, & in homines erat infidelis, dat clanculùm testamentum Constantio, simul visus proditor & patris, & testamenti, & filij hæreditatis. In proditione autem concurrerunt & Eusebius impius Præpositus, & quidam alij impietatis naturæque Androgynæ sodales. Cæterùm prodit quidem Constantiò ea, quæ illius fidei credita fuerant: Eius autem in homines infidelitatis à Constantio hanc petit mercedem, vt rectam suam prodat fidem. Familiarem verò & socium sibi adsciscit Eusebium Nicomediensem. Ij verò machinantur, nè Alexandriæ audiatur Arrius, sed Constantinopoli, existimantes se facilè superaturos Athanasium, qui non aderat, simul etiam secùm Imperatoris ferentes authoritatem.

Cap. 12.

Cùm autem cum Alexandro Constantinopolitano Episcopo multa locuti essent de conuentione, quæ pietatis dogmata eradebat, postquàm non persuaserunt, proferunt ei mandatũ Regium, vt aut cum eo, quod sentit, Arrium suscipiat, aut sedi cedat: aut si neutrum elegerit, sciat se mitti in exilium. Persuaserunt autem etiam Constantio verè mancipio, vt accersito Alexandro eadem diceret & minaretur, vt ei, qui propter maleuolentiam, non autem pietatem, Arrio esset infensus. Ille verò Christi virtute inculpataq; vita & conscientia fretus, respondet Imperatori: Veráne sint ea, quorum insimulor, dies deincèps ostendet. Ego autem eum, qui tantæ est conuictus impietatis, & condemnatus à tot Pontificibus, non possum in venerandorum sacramentorum

torum suscipere communionem. Constantius verò: Vide, inquit, ô Episcope, (congregatur enim Concilium Episcoporum) nè eum inuitus suscipias. Post quæ surgens exijt Põtifex, & cùm ad Dei accessisset ecclesiam, cum suspirijs & lachrymis ad Deum clamauit, nè propter Arrij irreptionem permittat gregem suum dissipari. Totaque nocte sub altari à Pontifice peracta fuerat precatio.

Precib⁹ suis Alexander Episcopus interficit Arrium.

Cap. 13. Eusebi⁹ præpositus Arrij fautor.

Eusebius autem, vt qui impietatis esset amator vehemens, accedit ad Arrium cum caterua hæretica, & iubet procedere ad synodum, quæ ei, vel inuito Alexandro, redderet iniustè ablatam sacerdotij dignitatem. Erat itaque in ciuitate tumultus & perturbatio propter ea, quæ mouebantur, alijs quidem Arrio fauentibus, alijs verò proditionem pietatis non ferentibus. Congregatus itaque erat cœtus in Ecclesia: & vnà cum ijs, qui erãt eiusdem sententiæ, procedens Arrius, cùm ex equo descẽdisset, quasdam publicas ingreditur latrinas, quæ constructæ fuerant post forum Constantini: Et cùm egereret, cum stercoribus quidem intestina, cum intestinis autem animam quoquè miser simul abijcit. Cùm autem moraretur diutiùs, & quod factum fuerat, tegeret ignoratio, fama est properè insiluisse Eusebium, & diuturnam quidem moram ei exprobrâsse, exprobrâsse verò etiã illius in eos cõsueliam. Quòd enim neq; loquatur, & tantoperè moretur, id arguit, eos ab ipso haberi loco seruorum. Is autẽ magis eô quòd mutus esset, quàm quòd diù moraretur, eos latuit pudore afficiens. Sed mutatus Eusebius, iubet eum bono & fidenti animo surgere: cum enim expectari ab vniuersa synodo ad declarãdam eius innocentiam. Is autem extremũ silebat silentium, vixque infelix animaduertit Eusebius, eum, cui studebat, esse mortuum.

Horrenda Arrij mors.

Soluitur ergò synodus, & qui Alexandrum condemnabant exilio, impijs abiectis calculis, videntes hæresis suæ ducem descendisse ad inferos, magno luctu tenebantur. Cùm autem propter plagam diuinitùs illatam aliquantisper erubuissent, rursùs in sua coibant conciliabula, & Dei iram in Arrium ostensam, ad cõmunem mortem referre contendebant. Atquì etiam si mors communis ei illata eo tempore, quandò eum studebant inducere in Ecclesiam, mutata sit in nouam mortem & illatam diuinitùs, Constantio tamen mancipio persuaserunt, quòd debitum naturæ reddiderit Arrius, non autem ira diuina pœnas luerit. Sed ille quidem miser precibus Alexandri sic vita excessit mirabiliter. Diuinus autem Alexander paulò pòst sanctè, & vt sanctũ decuit, pro terrenis cælestia sortitus est tabernacula, cùm viginti quidẽ & tres annos in Episcopatu transegisset, vixisset autem nonaginta & octo annos, In Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria & potentia in secula seculorum, Amen.

Cap. 14.

Moritur diuinus Alexander Episcopus.

VITA S. AMELBERGÆ VIDVÆ, MATRIS S. GVDILAE VIRGINIS, VT IN MS. CODICIbus habetur. *Stylum mutauit F. Laur. Surius*

BEATA Amelberga illustrissimis orta natalibus, sed quæ ipsos natales morum integritate ornaret, * Sanctas oppidum cèu domina hæreditario iure obtinuit, donèc monasticæ religionis beatitudinem complexa est. Parèntum verò orbata solatio, licèt tenera adhuc esset ætate, familiam hæreditaria successione ad ipsam deuolutam, peruigili cura & multa comitate gubernauit: non quòd seruorum aut ancillarum numerosa turba, quam mortales in præcipuis bonis numerant, delectaretur, sed quòd iniquum censeret, si paternas opes auarè sibi vni vendicans, quenquam illorum fame & inedia cõfici pateretur. Non erat illa dedita iocis puellaribus, non amatorijs capiebatur cantilenis, non quæuis ludicra aut friuola vel videre vel audire cupiebat: sed cum Maria ad pedes Domini Luc. 10. residens, quid actura esset, habitu & actu præ se ferebat. Interìm totius boni hostis diabolus, puellæ admirans continentiam, eius parentes solicitat, vt nuptui eam collocent. Indicatur igitur renitenti maritus, & tandèm à Pipino, S. Gertrudis virginis parente, Vuitgero homini præpotenti coniunx traditur, generis nobilitate pari, nec dispari meritis

Iulij 10.

Multam familiam, adhuc adolescẽtula, strenuè gubernat.

Nubit Vuitgero.

Ex ea verò natus est beatus * Aldebertus Cameracensis ecclesiæ præsul sanctissimus, cuius gesta plena miraculis & virtutibus, vsque in præsens in eadem florent ecclesia:

*Idem vocatur etiam Emebertus.

clesia: itemque quatuor Deo dicatæ sorores, Reinildis, Pharaildis, Ermelendis & Gudila: quarum postremam, nempe Gudilam, cùm vtero gestaret, & ante paucos puerperij dies instàr parturientium angeretur, angelica consolatione recreata est, dicente angelo ad eam: Nè timeas Amelberga. Lachrymæ & preces atque eleemosynæ tuæ asscenderunt ad Dominum. Paries filiam Deo dilectam, summæ continentiæ & castitatis integritate conspicuam, quæ omnibus vitę suæ diebus Deo gratum exhibebit famulatum. Post eam verò nullam deincèps conceptura es prolem: sed in castitate perseuérans cum marito tuo, mutatis vestibus & monastico sumpto habitu, ambo vosmetipsos gratas Domino hostias immolabitis, & in sancta conuersatione vsque in finem perdurabitis. Fliam autem Gudilam, vbì ea nata fuerit, Gertrudi offeres è salutari lauacro suscipiendam, & in Christo, lacte verbi Dei, vt Apostolus monet, enutriendam. Tum illa: Gratias, inquit, tibi ago Domine Iesu Christe, qui pro mea consolatione angelum tuum sanctum è cælis mittere dignatus es. Cùm autem filiæ eius ab infantia vitam castissimam ducere constituissent, licèt multi regni proceres propter nobilitatem & opes, illas sibi matrimonio iungi percuperent, maluêre virginitatis tenere propositum, & sponso immortali Christo Iesu adhærere potiùs, quàm mortalium hominum coniugijs copulari.

Angelus ei apparet.

1. Cor. 3.

Filiæ eius virgines permanent.

Placuit verò etiam parentibus illarum, mundo valefacere, quô liberiùs possent vni Domino Iesu Christo militare. Et Vuitgerus quidem princeps sapientissimus, vt erat ab angelo prædictum, monasticæ vitæ institutum complexus est: porrò Amelberga sacrum velamen accepit ab S. Autberto Cameracēsi Episcopo, & se totam Domino consecrauit: & sicut ab ineunte ætate moribus bonis composita fuit, ità iam porrò in opera pietatis & sanctitatis studia attentiùs incumbere decreuit. Moxque totis viribus ità se comparare connitens, dictu incredibile est, quanta se abstinentia affecerit, quàm assiduè inedia & precibus corpusculū suum macerârit. Sed cùm in dies magis ac magis carnem domaret, & roboraret spiritum, Dominus tantis laboribus finem imponere voluit. Itaque acerrima correpta febre, id quod optabat, consecuta est, nempe vt posset cum Domino inseparabiliter coniungi.

Vuitgerus princeps fit monachus, & Amelberga monialis

Inedia eius & preces.

Sentiens autem prudentissima fœminarum, diem vocationis suæ adesse, quasi quæ humana despiceret, & ad suos iam inuitaretur, vsque ad supremum spiritum hosce versiculos susurrabat: Domine, dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et cùm reddidisset spiritum, sancta illa anima ab angelicis spiritibus in cælum deportata est. Tota ad eius funus Malbodiensis turba accurrit: omnis inopum cœtus matrem & nutriculam se perdidisse lamentabatur. Tantà verò dignitas eius ora compleuerat, vt nemini posset esse ambiguum, illam ærumnas beatitudine, labores requie commutâsse. Sed quia id temporis Malbodij nulla spectabilis persona humata erat, ne ipsa quidem beata Aldegundis, quæ locum illum à fundamentis extruxerat, maiores natu ecclesiæ, quid faciendum esset, inter se consultabant: & quonam loco sanctissimum corpus terra condendum, tractabant, nihil interìm certi statuētes. Tandèm id illis consultissimum visum est, vt in Lobiensi monasterio tumularetur: in quam sententiam omnes pedibus iêrunt. Per id verò tempus in Lobiēsi monasterio non minima erat fratrum congregatio, Deo ad præscriptum regulæ S. Benedicti militantium, florebatq; illic cultus diuinus & religio sanctitatis, & permulta beatorum Christi confessorum ibì quiescentium corpora, magnam illi reuerentiam conciliabant. Itaque beatissimum S. Amelbergæ corpus cum ea, qua par erat, veneratione elatum est, sanctimonialibus cum hymnis & canticis illud prosequentibus, atque in Lobiense monasterium importatum. Vbì tum ab Abbate & fratribus cum multa deuotione exceptum est, & in ecclesia sanctissimę genitricis Dei & beatorū Christi confessorum Vrsmari & Ermini, cum cæteris plurimorum sanctorum pignoribus, sepulturæ mandatum. Quanti autem apud omnipotentem Deum meriti sit, testantur abundè ad eius monumentum diuinitùs in multorum malè valentium curationibus edita miracula. Obdormiuit in Domino Christi famula Amelberga sexto Idus Iulij: regnante eodem Domino nostro Iesu Christo vnà cum patre & spiritu sancto per infinita secula seculorum, Amen.

Psal. 25.

Amelberga decedit.

Lobiense monasterium.

Multa ad eius monumentū miracula.

DE S.

DE S. KANVTO DANORVM REGE ET MARTYRE, EX SAXONE GRAMMATICO,

Historiæ Danicæ Lib. XI. Capitula ad marginem adiecimus.

VENIAM nunc ad Kanutum Suenonis filium, qui propitiæ fortunæ beneficio, summis naturæ dotibus cumulatus, magno cum indolis experimento ætatem animo præcucurrit. Quippe contracta iuuentute, myoparonum piratica monstra perdomuit, Sembicis atque Estonicis illustrem trophæis adolescentiam egit, nouisque virium gradibus, paterni roboris fundamenta transcendit. Quæ victoria futurum eius dominium ominata est. Pro amplificanda tuendaque patria iuges excubias gessit, rerumque, quarum ob infirmam ætatem vix spectator esse potuit, author haberi præsumpsit. Quinetiam iuuenile corpus continuo vsu ad bella impigrè conficienda, armaque viriliter sustinēda firmabat, famaque eius bellica vi in tantum claritatis excessit, vt rediuiuum magni Kanuti spiritum fortunamque simul cum nominis videretur communione sortitus, adeò vt nullus eum paterni regni successione potiturum ambigeret. Neque enim virtute iam maturus, honori intempestiuus videbatur. Sed nec liberalitatis species, eius adolescentiæ defuit: cuius fratrem Haraldum natu maiorem, obtusi admodùm cordis, inter iuuentæ initia perpetuus inertiæ sopor oppressum tenebat.

Iulij 10. Cap. 1.

Dissipat piratas adhuc adolescens.

Haraldus vir obtusi cordis.

Suenone autem defuncto, regię successionis delectum anceps popularium sententia pertractabat. Maior nanque Danorum pars, memor quantis per Kanutum priuatæ adhuc fortunæ periculis obiecta fuerit, grauiora, si regnum indueret, verita, maligna virtutis interpres, quod glorię eius accrescere debuerat, iniquissima meritorum æstimatione damnabat, eleuatis virtutum præmijs, clarissima eius opera repulsæ turpitudine rependendo. Igitur vt hunc negociorum metu perosa, ità Haraldum ocij cupiditate complexa, audaciæ hebetudinem prętulit, ignauumque sibi regem maluit imperare, quàm fortem. Quamobrèm egregiæ indolis claritate contempta, negatum virtuti culmen vitio tribuere non erubuit, repulsa fortitudine, inertiam honoribus insecuta. Verùm hunc ingratæ mentis habitum fucosa rationis specie colorabat, Haraldum perindè ac natu maiorem, ipso naturæ iure regno debitum certans. Genus affectionis inusitatum: hunc virtus inuisum, illum vitium probabilem fecerat. Soli Scanienses, iusta animi inclinatione prouecti, Kanuti probitate culta, Haraldi desidiam respuebant. Porrò Haraldus plerosque fraternæ partis fautores, legum emendatione liberioris que vitæ iucunditate promissa, per subornatos in gratiam suam solicitandos curauit. Ità à Kanuto vulgi animos partìm spes, partìm metus auertit. Ipse deficientibus à se copijs, tribus duntaxàt rostratis nauibus in angustissimas Scanici maris fauces elabitur, regno carere iussus, cuius ipse incolumitatem protexerat, terminos auxerat. Vbì fraterna legatione, regni communionem spondente, reuerti monitus, spretis mandatorum blanditijs, Suediam fugibundus intrauit, perquàm stultum ratus, eius se promissis in fracta fortuna credere, cuius eadem adhuc vigente minas acceperit.

Dani Haraldum præfecerũt Kanuto.

E regnō Peribitur Kanutus.

Mox perindè atquè iniuriarum oblitus, intactis patriæ rebus, bellum aduersùm Orientales viuente patre cœptum, enixè prosequitur. Interìm Haraldus regnando biennium emensus, defungitur. Quo mortuo, Kanutus fraternis suffragijs in regni fastigium reuocatus, Orientale bellum, quod in adolescentia orsus, in exilio auspicatus fuerat, accepto solio, potiùs amplificandæ religionis, quàm explendæ cupiditatis gratia, totis viribus innouandum curabat, cum incrementis fortunæ etiam claritatis augmentum apprehendere cupiens. Nec antè manum ab incepto retraxit, quàm Curorum, Sembonumque ac Estonum regna funditùs delêsset. Deindè sublato hoste, nuptias circunspiciens, finitimaque coniugia obscura ac dignitate sua minora reputans, præfecti Flandrię Roberti filiam Ethlam in matrimonium aduocauit, ex qua filius ei Carolus obuénit. Cumque magnatum insolentia solutos hebetatosque prisci iuris neruos adspiceret, omnibus ingenij modis ad reparandam patrij moris disci-

Cap. 2.

Cap. 3.

Haraldus obit, & Kanutus fit rex Danorum.

P plinam

plinam conniſus, probatioris iuſtitiæ cultum ſeueriſſimis edidit inſtitutis, contuſumque & labentem æquitatis tenorem, in priſtinum habitum reuocauit. Non ſanguini, non neceſſitudini, quò minùs iuſtè ſe gereret, indulgentiam habuit: nullius amicitiæ aut familiaritati impunitatem iniuriæ tribuit: ſed omnia antiquæ conſuetudinis momenta præcurrens, labefactatum iuris vinculum tenaciſſimo nexu adſtrinxit, ac paternæ ſeueritatis veſtigia ſolicitus vſurpauit, eoque ſtudio grauiſſimas Maiorũ offenſas contraxit.

Iuſtitia & ſeueritas eius.

Cap. 4. Sacris decus ſuum reddebat: ſacerdotia gerentes, gratiæ nutrimentis proſequebatur: cumque ab inerti & rudi populo parùm iuſtam pontificibus venerationẽ haberi conſpiceret, nè tanti nominis potitores inter priuatos relinqueret, decreti circunſpectioris induſtria, principum eis conſortionem indulſit, ipſisque primum inter proceres locum, perindè ac Ducibus, aſſignauit, authoritatem honore concilians. Prouidit etiam, nè tanti officij pondus æquo minor veneratio caperet, inque ſumma religionis arce poſiti, infima cultûs cõditione vileſcerent. Nec ſolùm Pontificibus dignitatis incrementa donauit, ſed etiam priuatorum Clericorum ordinem benigniſſimis decretis adornare ſtudebat. Nam quô cumulatiorem eis honorem redderet, literatorum controuerſias, vulgaris fori conditione exemptas, ad eiuſdem profeſſionis iudicium relegabat. Ijſdem religionis reos, obiecta repellere nequeuntes, pecuniaria mulcta puniendos permiſit. Quibus etiam in omnia, quæ aduersùm diuina committerentur, animaduerſionis arbitrium tradidit, cunctasque huiuſce generis actiones, ſacerdotali iudicio deſtinatas, à publico foro ſecreuit, nè honore impares conditio æquaret. Quamobrèm dignitati pondus adiecit, decusque priuato faſtigio excelſius eorum reſpectui ineſſe voluit. Quo effectum eſt, vt Danorum nemini, nisì regi aut pontificibus, eique, qui potiſſimus regni ſucceſſor aduertitur, domeſticis quenquam liceat actionibus poſtulare. Idem populares, adhuc ſacrorum rudes, decimarũ religioni aſſuefacere conabatur. Sed propoſiti irrita ſuaſio fuit: quippe maturitatẽ rerum capere nouelli cultûs rudimenta nequibant.

Epiſcopis primum inter proceres locum tribuit.

Fauor eius in Clerum.

Cap. 5. Nè autem Sueno Epiſcopus promiſſam templi refectionem negligẽtiùs exequi videretur, cœptam Roſchildenſis ſacrarij fabricam ad finem vſque perduxit. Cuius excolendi gratia coronam, arte impenſaq; operoſiſſimè elaboratam, in eius ornamentum appendit, exiſtimans regias opes potiùs ſacrorum ſplendori, quàm humanæ auaritiæ ſeruire oportere. Egynus quoquè ijſdem fermè temporibus, opitulante rege, Laurentianæ ædis inchoatum à ſe opus explicuit. Quibus rex dedicari iuſſis, mirificam dotis nomine munificentiam erogauit. Nam in æde Laurentiana annua cantorum ſtipendia, pontificis ſubſidio fultus, inſtituit. Ipſe enim partìm ex fiſco ſuo regisque latifundijs, partìm antiſtes ex antè collatis templo beneficijs quotidianos eorum ſumptus exhibuit: tantaque inter ipſos religioſi certaminis alacritas fuit, vt vter in Deum venerabilior fuerit, incertum extiterit. Prima itaque dedicationis die Rex ſolenniter altaria veneratus, quartam regij numiſmatis, quartam ſuæ in ciues exactionis, quartam æſtiui cenſûs portionem ei, qui pro tempore loci antiſtes extiterit, muneris loco perpetuo iure poſſidendam conceſſit. Nec parciùs priuata Clericorum iura tutatus, ab eis, qui ſacrarij rus excolunt, vniuerſum penè regiæ penſionis ius aſſcriptis chori miniſtris deferendum curauit. Cæterùm * detractæ expeditionis pœnas, ac violatæ pacis vindictam, eorumque, qui propinquis vacui deceſſiſſent, hæreditates regij duntaxàt iuris eſſe voluit. Itaque non minorem in edendis templorum priuilegijs, quàm præſtandis beneficijs, authorem egit. Et vt legibus ſuis æternitatẽ conciliaret, eas conuellere conaturos Antiſtitum execrationi ſubiecit. Cuius edicti, poſtmodùm à multis temerè pertentati, vetus adhuc ratio perſeuérat.

Sueno Epiſcopus Daniæ.

Liberalitas eius in eccleſias.

for. * detre-ctatæ

Cap. 6. Rex verò cùm in omnibus ſanctè ſe induſtrieque geſſiſſet, præcipuè religionis charitate conſpicuum præbuit, nec vnquàm remotos ab exactiſſimo eius cultu oculos habuit. Qui cùm fratrum ſuorum turbam iuueniliter intemperantem patriæ admodùm * onuſtam videret, largis vberibusque ſtipendijs alitam, vno duntaxàt Olauo, Sleſuici partibus præſidente, in clientelam aſſumpſit, ac publicum pondus priuato leuauit impendio. Tandèm Danorum nomen, armis in deſidiam cadentibus, à paterni auunculi temporibus obrutum animaduertenti, nouarum rerum cupído ſubrepſit. Vtque eius animum certiùs repræſentaret, non contentus ſtudia ſua Orientalibus decorâſſe victorijs, Angliam infelicitate amiſſam, hæreditatis duxit nomine repetendam. recolebat enim bellicam Maiorum gloriam, cumque opibus imperij

Onuſtam, pro onero-ſam.

Vult Angli-am infelici ter amiſſam

imperij fines nullo magìs, quàm Anglicis creuiſſe titulis, maioremque eis ex vnius inſulæ, quàm totius Orientis ſpolijs inceſſiſſe ſplendorem. A quorum imitatione deſicere, ſtolidi ac degeneris animi eſſe, ſatiusque regno carere, quàm inter paruulæ telluris anguſtias incluſum maieſtatis vſum habere. Vt ergò negociorum conformitate, Maiorum fortitudini reſponderet, operamque eorum ſtudijs conſentaneam ederet, atque auiti nominis gloriam æquaret, omnium, quæ paterna corrupiſſet inertia, refectionem ſuæ commendabat induſtriæ, parentemque peroſus, auum æmulatus eſt.

armis repetere.

Primùm igitur occultum Olauo conſilium prodit, eoque idipſum hortante, rem deindè popularibus aperit. Alacris omnium aſſenſio fuit. Sed quem rex ſibi fraterna charitatis viciſſitudine reſpondere crediderat, latenter æmulum habebat, inſidioſæque eius adumbrationis ignarus, affectum referri ſibi, quem ipſe impenderet, æſtimabat. Quem etsì prudentia ſecùs monuit, ſanctitas tamen malignam de fratre ſuſpicionem referre prohibuit, nè conſanguineam fidem temerè damnare, inque fraudis metu hoſtes ac neceſſarios iuxtà ponere videretur. Verùm Olauus affectatione regni, pietatis erga germanum oblítus, perfidiſſimi pectoris habitum ſumma fidei ſimulatione tegebat, vulgatumque regis propoſitum non ſolùm adulationibus fouit, ſed etiam hortamentis inſtruxit: non quòd potentiſſimum regnum ab eo recuperari poſſe ſperaret, ſed vt imperatæ rei difficultatem in odium imperantis conuerteret. Enimuerò fratris animum faſtidioſè æſtimans, pijſſimum eius amorem paricidali fraude penſabat. Nam cùm eum, quòd neglectam antè ſeueritatem nouis legibus reſtituiſſet, ciuibus inuiſum animaduerteret, quô odiũ eius cumulatius redderet, quòd publicè diſpliceret, priuatim exequi ſtimulabat. Et nè ſolus inſidias volueret, lecta ſocietate clandeſtinæ coniurationis cœtum inſtruxit. nec fruſtrà ingeniũ fuit. Quippe primores, quorum violentia regijs ſanctionibus retuſa fuerat, paricidalis cum Olauo propoſiti conſortium habuerunt. Kanutus verò omniũ animos gloriæ magìs, quàm ſceleri intentos exiſtimans, imperata claſſe, Lymici maris oris aduehitur, à quo breuiſſimus in oceanum trãſitus patet, quondàm nauigijs peruius, nunc verò interiecta arenarum mole percluſus. Hìc rex fraternum diù præſtolatus aduentum, nauigandi cunctatione exercitûs alacritate eſt excuſſus. Nam Olauus reddita tarditatis ratione, veniendi moram in dies extraxit, commentumque caſſandæ expeditionis exagitans, alimenta perfidiæ mendaci impedimentorum ſimulatione quærebat, eò moram trahere cupiens, donèc aut Regem ſine eo proficiſcentem, interìm ipſe regno priuaret, vel tarditate ſuſpenſum, exercitu deſtitueret, Rexque vel deſertorum impunitate deſpicabilis, vel pœna cunctis inuiſus euaderet. Ità & fratrem & dominum aduentûs ſui cunctatione ludificans, tam vafræ, tamque inſidioſæ rationis commento, generoſi ac fortis propoſiti molitionem ſubruere conabatur.

Cap. 7. Olaui fratris eius in Kanutum perfidus animus.

Nec eum callida conſilij ratio fefellit. Nam tota à Rege claſſis, faſtidita eius expectatione, defecit. Rerum enim, quæ à fratre gerebantur, ignarus, morantis aduentum ſæpenumerò mandatis exegerat: cùm tandèm de eius perfidia certior factus, claſſe præſtolari iuſſa, Sleſuicum lectiſſima manu feſtinatò contendit, ibique fratrem inopinatum & attonitum intercepit. Deindè productum accuſatumque, nec obiecta validè propulſantem, perindè ac conuictum, impotentemque defenſionis, compediri à militibus iubet. Qui indebitam regio ſanguini contumeliam ſuis manibus adminiſtrandam negabãt: cuius tanta apud ipſos veneratio fuit, vt ex eo ortos, morte quàm vinculis mulctare mâllent, tolerabilius rati, quod communis cõditio admittit, quàm quod ſeruile ſupplicium exigit. Sed & gentis noſtræ verecundia ſummam in vinculorum pœna turpitudinẽ reponere conſueuit, hisque affici omni fato triſtius ducit, ingenuas mentes probroſo, quàm cruento ſupplicio punitiores exiſtimans, tantoq; alterum altero ſpecioſius cenſens, quantum naturæ habitus à fortunæ vitio diſtare creditur. Mandatam militibus operam communis frater Ericus exequitur, plus iuſti imperij, quàm iniqui germani reſpectui tribuẽdum, nec ſanguini parcendum, dum vitia puniuntur, exiſtimans. quippe quem virtus defecerit, nullam ſtirpis reuerentiam obtinere, animique labe fœdum, omnem generis infuſcâſſe ſplendorem. Igitur non tam fratris nomen, quàm paricidæ propoſitum intuebatur. Adeò ſanguinis precium vileſcit, cùm ſe moribus ignobilem fecerit. Poſt hæc rex Olauum catenis coërcitum, nauigioque in Flandriam relegatum, carcerali cuſtodiæ mandandum curauit. Cuius captionem coniurati parùm fama aut nuncio experti, quò callidiùs exercitum ſolue-

Olauus à Kanuto cã-pitur.

Mittitur in Flandriam Olauus.

rent, inertem regis moram abſentiamq; cauſati, claſſem clandeſtino monitu circunuentam, domos abire iuſſerunt. Quam rem ſi quis palàm exhortatus fuiſſet, publicatis bonis, aut in exilium agi, aut capitali ſupplicio affici lege merebatur. Quã ob rem defectionis incentoribus tutiſſimum viſum, vt ſine vllo authore ipſe ſibi populus deſertionis licentiam vindicaret, nè tam priuatum diſceſſionis crimen, quàm publicum haberetur. Tantum autem apud improuidam multitudinis temeritatem inſidioſa magnatũ ratio valuit, quòd plebs non minùs eorum authoritate, quàm moræ tædio adducta, fidentiſſimam reuertendi libertatem acciperet.

Perfidia procerũ in Kanutum.

Cap. 9.

Cuius facti rex cognitione ſuſcepta, dolorem priùs, deindè lætitiam egit. Siquidem iniuriam in religionis habitum formauit, mulctæque nomine primam exigendarum decimarum occaſionem corripuit, lætatus quòd ei vtiliſſimam propoſiti rationem opportunitas conciliâſſet, ſuoq; dedecore ſacrorum decus inſtruere cupiens. Cumque magnates Olauum, quem ſibi factionis ducem futurum ſperauerant, à fratre interceptũ audiſſent, propoſita fraude defecti, ſummam eius diſſimulationẽ egérunt. Itaque rex accerſita poſtmodùm concione, docet quantum Danicis armis militaris ſemper diſciplina profuerit, maiorum imperijs à minoribus ſemper obtemperatum fuiſſe, regum authoritatem popularibus inniti ſuffragijs, principum famam nullo magis, quàm militum fide creuiſſe, eorumque nullius momenti imperium eſſe, ſi non plebeijs ſubſiſtat auxilijs. Sibi verò nupèr ignotam regibus contumeliam obueniſſe, inuſitatæ defectionis authores hebetudinem audaciæ prætuliſſe, auiditate ocij ſpecioſiſſimæ rei negocium ſubruiſſe. Adiecit quoquè, quanta pecuniæ ſumma ob impium deſertionis crimen damnari meruerint, gubernatorum ſingulis quadragena nummûm talenta, terna remigum vnicuique mulctæ loco numeranda proponens. Nemine collationem abnuente, promiſſa æris ſolutio eſt. Quo cognito, remittere ſe Kanutus illam exactionem, ſi ſacerdotibus decimas erogare voluiſſent, edixit. Tunc concio, petita conſulendi licentia, pauliſpèr à Rege deliberatura ſecedit, an propoſitis ſatisfieri conditionibus oporteret. Vtraque exhibitu difficilis æſtimata. In ſoluendo nanque ære, complures inopia afficiendos credebant. Decimarum verò penſionem omni æuo celebrandam, æternam debitoribus infligere ſeruitutem. Igitur quaſi in triſtium rerum contextu minùs aſperæ delectum facturis, acerbior viſa, cui comes diuturnitas affuiſſet. Nam cùm altera ſe tantùm, altera poſteros quoquè puniendos aduerterent, præſentem inopiam perpetuo muneri prætulerunt. Itaque temporum æſtimatione facta, quo ſibi tantùm, quàm quo poſteris pœnam crearent, culpam redimere præoptãtes, ſemèl ære, quàm ſemper libertate, defici maluêrũt, iure elicitum, dedecore vacuum: perſuaſione extortum, probro obnoxium rati. Quinetiam annuam alienis frugẽ depéndere, ignominiæ, non religioni, attinere cenſebant. A quibus cùm Rex deteriorẽ conditionis partem approbari videret, ſimulata pecunię exactione, ſeptentrionales Iutiæ partes ingreſſus, Toſtonem cognomine Peculatorem, eiusque collegam Hortam, colligendæ penſionis quæſtores inſtituit, mulctæ metu decimarum religionem differere cupiens. Ijſdem defectorum res, æſtimatis poſſeſſionum precijs, intactas dimittere iuſſum. Qui mandatum immitiùs, àc iuſſi fuerant, executi, iniqua plebem exactione pulſabant. Quam rem æmuli regis in popularium concilio deplorantes, calumniam mendacijs exaggerabant. Veris quoquè maiora fingentes, inuiſos cunctis reddidêre quæſtores. Quippe militum opus, non regis imperium, iudicabant: nec iubentis, ſed iuſſi ſtudium intuebantur.

Exigit pœnam pecuniariam à defertoribus.

Nolunt Clero decimas perſoluere.

Cap. 10.

Quorum inſtinctu multitudo quæſtores adorta, communem iniuriam publica conſternatione cohibuit, magìs, quid fieret, quàm quid fieri iuſſum eſſet, inſpiciens. Nec eorum cędibus ſatiata, in regem quoquè veſana prorupit. Qui impetum eius opportunè ſua ratus abſentia declinandum, Sleſuicum conceſſit, ibiq; coniugẽ cum filio conſtitutam, ſi res ſiniſtrè ceſſiſſent, perfugere in patriam iuſſit, nullum inter perfidos præſidium habituram. Siquidem intempeſtiuum regno hęredẽ domeſticorum arbitrio relinquere verebatur. Igitur Vuandali, ſolam ſibi in armis libertatem reſtare credentes, fugæ eius perindè àc victores inſultare cœperunt. Qui cùm imminentibus Iutis, & vetera auxilia deficere cerneret, nec noua temporis anguſtiæ contrahi ſinerent, quò tutior receſſu foret, Fioniam petit, ſalutem inſulæ præſidio quæſiturus: vbi nihilominùs indignam religioſiſſimo ſpiritu ſuo violentiam expertus eſt. Hinc enim Iutis aucta ſæuiendi fidutia, concitatam multitudinis temeritatem exacuit: hinc graſſandi preſumpta libertas, triſtem regi procellam inflixit. Sanè populares, pœnæ metu

Cap. 10.

Quæſtores regis cædũtur.

Rex fugit in Fioniam.

cœptum

cœptum omittere veriti, perſeuerantiam ſceleri exhibendam duxerunt. Neque enim bis læſum pœnam noxijs remiſſurum credebant. Ideoque eius exitium ſitientes, ardentiſſimo odio ſanctiſſimi viri necem petebant: ac velutì veniæ deſperatione compulſi, hoſtem tollere, quàm vltorem experiri, maluerunt. Nec ſuis eum finibus exegiſſe contenti, Fionia quoquè propellendũ decernunt. Iamq; Rex accepto traiectionis nuncio, Sialandiam emigrare ſtatuerat, cùm Blacco quidã, primam ipſius familiaritatem adeptus, ſed nihilo minùs eum occultè peroſus, ſimulatæ fidei cõſilio hortatur, fugæ parcat, Othonienſis pagi preſidia expetat, nec fœmineo more latebram circunſpiciat: ſe interìm plebis acta ſpeculaturum, blanditiasque iræ eius oppoſiturũ promittit. Quòd ſi plebis animũ mitigare nequîſſet, tãto antè id Regi pronunciaturum, quantum fugæ occupãdæ ſat eſſet. Conſilio obtemperatum eſt. Tunc Blacco, omiſſa legatione, ſiniſtris plebem monitis palpitans, conciliandæ gratiæ loco, odium Regi impenſiùs ſtruit. Hortatur, quam celerrimè calumniæ authorem occupent, nec fugacem elabi permittant: oppreſſionum vindices tyrannum, non Regem, faſtidire commemorat: carere culpa, quod honeſtatis æmulatione committitur: patriæ tutores, perindè àc pietatis miniſtros, paricidio exui: priuatum abeſſe crimen, vbì publicæ libertatis vindicta peragitur. Prætereà miſerrimos, cœpti irritos: cõpotes, feliciſſimos fore. His atque conſentaneis modis ſolicitato in Regis necem populo, aduersùm immerẽtis caput funeſtos omnium conatus erexit, eaque actione conſternatam amentia plebem, velutì furiali quadam face ſuccendit. Statimque impetus creuit, vbì hortatorem habere cœpit. Neque enim temeritaticius conſtantiam ſuam obiecit, ſed publicæ ſeſe dementiæ auctorem adſcripſit. Igitur incitatior ſeditionis procella, peſtifera eius concione * deferbuit, grauiorque tempeſtatis incentorem nactis tumultus erupit. Indè reuerſus, pacationem populi animum nunciat: facilè conſternationis procellam acquieſcere, ſi Rex iram mutuò deponere, reisque pœnam remittere voluiſſet. Quem Rex fidum legationis miniſtrum ratus, regalis magnificentiæ conuiuio excipit, malignumque ſuæ pietatis interpretem donis proſequitur. Vtrobiquè gratia perfidiæ habita eſt. Nam Blacco alterna partes vice ſubiens, corrupto legationis officio, pro mediatore proditorem ageret cœpit, atque ex ſpeculatore ſceleris hortator euaſit, ſiniſtrè Regis, falsò plebis animũ interpretatus. Ità pellacis viri mẽdacium, legationis titulo inuolutum, Regem pariter ac populum fefellit: hunc, nè imminentem vitaret: illum, nè parceret expectanti.

* deferbuit legendum puto.

Ecce tibi inſignem proditorẽ, Iuda nequiorem.

Eundem die poſtera Rex prioribus paria pollicentem, ad ſpeculãda ſeditionis acta dimittit, cõmunemque hoſtem, inter ſe & vulgum creandæ pacis authorẽ aſſumpſit. Nec ſolita legato perfidia defuit: cuius peſtiferis monitis inſtincta plebs, vehementiùs aduersùm Regis caput conſternationẽ deſtrinxit. Kanutus interìm quotidianis ſacrorum * ſolennibus aſſuetus, nè quid religioni præponeret, Albani ædem ſacram, pro ſe deprecaturus, accedit. Quippe precibus Deum, quàm hoſtem armis, nè quid charitati detraheret, aggredi præoptauit: vbì dum religioni vacando officia ſanctitatis exequitur, conſternatę multitudinis corona armis ſacrarium clauſit. Quotquot ergò ex militibus hoſtem præcurrere poterant, periculi conſortium affectantes, Regem petebant, eius in ſeipſos diſcrimen transfundere cupientes: cumque ſalutem receſſu conſequi poſſent, periculum præſentia quæſiêrunt, morteque clari, quàm fuga tuti fieri maluêrunt. Quanta porrò humanitate clientelam hanc abundâſſe credemus, quæ, nè infelicem domini fortunam deſereret, periculo ſeſe, quod vitare licebat, opoſuit, inque magna fugiendi copia ſalutem Regis, quàm ſuam, tueri ſatiùs duxit? Benedictus quoquè fraternitatis nexum fide imitatus, in templo cum fratre commori deſtinauerat. Ericus verò ſeorsùm ab hoſte concluſus, cùm ſolus multitudinem ſuſtinere nequiret, permedios hoſtiũ globos, ferro receſſum molítus, erupit. Tunc nemine religioſæ pacis domicilium violenter irrumpere præſumente, primus Blacco cunctantibus cæteris, ferro valuas petiuit, ductuque ſuo eandem cunctis licentiã tribuit. Ità ſe non ſacrilegij modò, ſed etiam publici paricidij ducem authoremque exhibuit. Quod videns plebs, concitato ſeditionis motu templũ aggreditur, eoque irruptione facta, diuinos lares ac ſanctiſſima penetralia ſacrilega tẽpeſtate fœdauit. Verùm Blacco in ipſo, quem irruperat, aditu trucidatus, datis paricidij piaculis, violati ſacrarij pœnas pependit: mors eius, interfectoris exitu vindicata eſt. Itaque alterius fato ſcelus, alterius pietas cauſam prębuit. Crediderim tũc pium cruorem paricidali permixtum, ſeparatis fluxiſſe meatibus, atque ſine vlla riuulorum cõmunione hinc ſacrum,

Cap. 11.

* ſolennijs legendum arbitror.

Præclara militũ fides in regem.

Pœna ſceleſtiſſimi proditoris.

Benedictus regis frater trucidatur.

indè ſceleſtũ ſanguinem, diuiduis alueis inceſſiſſe. Benedictus liminibus irruptorem excipiens, dum foribus acriùs propugnat, occiditur.

Cap. 12.

Rex ipſe inter cruentos imminentis violentiæ ſtrepitus fidutia conſcientiæ eũdem mentis habitum tenuit, neque religioni parciùs, quàm ſi periculum abeſſet, vacauit, nè plùs ab eo timoris quàm conſtantię viribus indulgeretur. Sed ne extrema quidem eius hora, ſanctitatis ſtudio vacua fuit. Nam cùm parietẽ vndiquè à popularibus perfringi, (quippe ligneus erat) ideoq; propinquam ſibi necem inſtare animaduerteret, accerſito ſacerdoti factorum arcana confeſſus, per ſummam mœroris acerbitatem præteritæ vitæ culpas abſoluit, præmiumq; ſibi pœnitentiæ ſalubritate conciuit. Tantum enim in innocentia ſua fidutiæ repoſuerat, vt mortem non periculo oppreſſus refugere, ſed metu vacuus, appetere videretur. Quinetiam propaſſis vtrinq; brachijs ante aram, fati ſecurus occubuit. Vbì dum victimæ more proſtratus percuſſorem expectat, immiſſæ per feneſtram lanceæ mortifico iactu confoſſus, pium mortis ſacrificium edidit, profuſoque militum ſanguine, ſuum ad vltimum erogauit. Enimuerò crebris vndiquè telis petitus, corpus immobile tenuit, nec antè loco, quo cubabat, exceſſit quàm feretro mandaretur extinctus. Ex cuius ſanctiſſimis vulneribus plus gloriæ, quàm cruoris effluxit: quippe præſentis vitæ exitu initium melioris accepit, hoſtili iudicio punitus, diuino ſeruatus. Felix eorum paricidium, qui quẽ terreſtrium virtutum orbe exemerant, cæleſtium vſibus applicabant, caducaque & fragili potentia ſpoliatum, ſolidæ atque æternæ felicitatis cõpotem ſtatuerunt. Sed & clandeſtina eius virtus perlucidis poſtmodùm experimentis enituit. Hæc audiens regina, patriam cum filio impubere repetit, geminis poſt ſe relictis filiabus: ex quibus Ingertha Folconi Suedicæ gentis nobiliſſimo nupta, Benedictum Kanutumque filios habuit: ijſdemq; mediantibus, Birgerum, qui & nunc extat, Suediæ Ducem cum fratribus ſuis nepotem accepit. Verùm ex Cæciliæ matrimonio Ericus Gotthorum præfectus, Kanutum cum Carolo procreauit. Ex quibus generoſiſſimarum imaginum numeroſa poſteritas, clara propinquitatis ſerie cohærens emerſit.

Rex conſiteturSacerdoti factorum arcana.

Pius rex ab impijs interficitur.

Fugit Regina in Flandriam cum filijs.

Cap. 13.

At populus perẽpto rege exultans, quod ſcelus deflere debuerat, inſultatione proſequi voluptatis loco reputabat. Qui cùm paricidio pietatis cauſam prætexeret, idq; tyrannicidij nomine coloraret, militem ſuum Deus mercede fraudari non paſſus, arcanam ſanctiſſimi viri innocẽtiam manifeſtis publicauit indicijs, eximioque viræ eius ſplendori etiam clara mortis ornamenta conceſſit. Sanè ad coarguendam paricidarum malitiam, puniti merita miraculoſis prodidit argumentis, ignotamq; vulgo virtutem mirifico rerum fulgore detexit. Quorum plebs admiratione perculſa, virtutis inuidiam egit, conſpicuamque ſignorũ experientiam diù nequicquàm infuſcare tentauit. Veteris nanq; inuidiæ fremitu, ac priſtinis odij viribus pertinaciùs excandeſcẽs, adduci non poterat, vt diuinis honoribus coleret, quem ob ſcelus à ſe interfectũ putaret, rem cælitùs declaratam, humanis argumentis abnegare conando. Quanquàm enim damnatos à ſe mores, cæleſti iudicio comprobatos videret, ad diſſimulandam tamen occultandamque miraculorũ fidem, iuſtam cædis cauſam fingebat, firmãque facti tuitionem retinens, ſententiæ ſuæ perſeuerantiſſima propugnatrix exiſtere non erubuit. Nec vita regem ſpoliâſſe contenta, etiam fati laudibus exuẽre conabatur, cuius lucem extinxerat, famam quoquè ſepelire conniſa. Sed humanis tenebris diuinus ſplendor inuolui nõ poterat: quippe miraculorũ nitor, dubietatis caliginem clara rerum luce pellebat. Nam ſanctitatis eius medela, varias imbecillitatum affectiones, remediorum ſalubritate proſecuta eſt. Cumque obtrectantium liuor crebreſcentibus ſignis virtuti cedere cogeretur, nec fidem vlteriùs fruſtrari quiuiſſet, in facti tamen defenſione perſiſtens, ſanctitati quidem aſſenſit, ſed eam non tam ex præteritæ vitæ meritis, quàm vltimi temporis pœnitentia profectam adſtruxit. Ità & iuſtã facto cauſam prætexuit, & vita caſſum honore donauit. Siquidem dignè Regem periſſe, ſed pium lachrymis euaſiſſe dicebat, intentionem eius, auaritiæ, quàm religioni, propiorem exiſtimans. Cuius erroris non paruas poſtmodùm pœnas pepẽdit. Sed & poſteri, paternam redolentes inuidiam, ſanctitatis eius famã non moribus, ſed lachrymis imputãt, præſentique incredulitate præterito ſe errori implicant, neque adduci poſſunt, vt ipſius beatitudinem, depoſito odio, ſyncerè æſtiment. Verùm ſacra eius oppidulo orta, toto penè terrarum orbe fulſerunt, cultusq; ipſius primùm à ciuibus exceptus, paulatìm in commune prorepſit. Cuius tam vitæ, quàm miraculorum virtutem priuatìm Othonienſibus venerandam, publica eam religio conſecrauit. Sed & cæleſtem eius

Miracula S. Kanuti inuidia plebs obſcurare conatur.

Multa edit poſt obitũ miracula ſanctus rex.

eius ſpiritum ad hoc vſq; tempus felix ſignorum fortuna proſequitur. Hinc eſt, quòd Kanutus diuini iam animi immortalitate potítus, vt terreſtribus patriam patrocinijs attollere ſtuduit, ità cæleſtibus protegere non deſiſtit. Ideoque ſanctitas eius, gloriæ & celebritatis fructu opulentiſſima, ſplendidum in Faſtis locum obtinet. Quinetiam ſalutares effectus ſuos quotidianis adminiſtrat indicijs, malitiamque patriæ, beneficijs penſat. Nam virtutum eius inſignibus omnis ætas Danica gloriabitur. Talibus illuſtrationis radijs ſanctorum fatis claritas erogatur, cùm cæleſti beneficio mortalis liuor opponitur.

Interfecto Kanuto, Iuti iniquę ſocietatis pertinacia ſingularem Olaui gratiam amplectentes, creari eum Regem alacerrimis petiuêre ſuffragijs: hunc ſibi plurimũ gratiæ relaturum ſperantes, cui tanto regnum diſcrimine queſiuiſſent. Neque eius fratribus hunc honorem eximio Kanuti amore ſuſpectis erogandum duxerunt. Igitur pecunia pacta, Nicolaum communem tam præteriti quàm futuri Regis germanum, vadem pro eius redemptione dederunt, receptoq; regnum imponũt. Nec paruum Nicolaus fraternæ charitatis ſpecimẽ edidit: ſiquidem fraternas induere catenas, ſuisq; vinculis germano regnum emere non dubitauit. Quod audiens Ericus, contumeliæ memor, quam ei communis fratris iuſſu inflixerat, vltionis metu cum coniuge Botilda, quæ Vluoni Gallitiano ex filio Trugoto neptis obuenerat, Suediam petiuit. Dani verò, collato certatìm ære pro ſponſoris reditu, pactam creditori pecuniam numerârunt. Quem Flandrenſi cuſtodia liberatum, infeſta paricidis fortuna velutì cladẽ aliquam noſtrorum abundantiæ ac fertilitati iniecit. Nam cùm Dani noui Regis initijs applaudentes, priſtinæ ruinæ procaciùs inſultarent, criminoſis ſemper infenſa diuinitas, nè diù ſcelus impunitate floreret, petulantiam penuria rependere volùit, cõmuniq; inopia, publici paricidij victa exegit piacula. Vt enim non in ſingulos modò, ſed vniuerſos animaduerteret, ſumma aëris intemperantia annorum, quibus Kanutus regnum geſſerat, numerum adæquauit, cæleſtiq; robore humana vi maiorem edidit vltionem. Quippe verni æſtiuique temporis feruore ſatum omne coaruit: autumnale verò adeò pluuium fuit, vt ſi quid locorum humilitate paluſtríve madore alitum ſuccreuiſſet, perſeueranti imbrium inundatione decideret, quanquàm contrarium cæli habitum humanæ commoditatis ratio flagitâſſet. Igitur opportuno ſolſtitiũ humore caruit, eundemq; ſine modo profuſum, ſiccum amãs Sextilis excepit. Tunc planè camporum facies cæleſtibus imbribus inundata, latè patentis ſtagni ſpeciem præbere cõſpecta eſt: ità quod æſtas ægrè genuit, autumnus oppreſſit: tantaq; temporũ intemperies extitit, vt nec imber ęſtum leniret, nec ęſtus imbris illuuiem temperaret. Quinetiam agreſtes, aquis campos tegentibus, ſupernantia ſpicarum capita demetentes, nauiculis excipiebãt, ac deindè putres ariſtarum reliquias fornacibus igni percalefactis exiccandas mandabant: ſicq; eas molæ ſubijcientes, quia panem præſtare nõ poterant, in vſum pultis vertebant. Quamobrèm tanta ciborum penuria inceſſit, vt maxima populi pars, alimentorum inops, inedia conſumeretur.

Cap. 14. Ex lib. 12. eiuſdẽ Saxonis.

Olauus in regno ſuccedit.

Vltiod iuſtina in Danos paricidas.

Ea res locupletes inopia, pauperes morte mulctauit: maioresq; ære, minores ſpiritu ſpoliauit. Nam diuitum populus, non ſuppetentibus alimentis, auro argentoque ſalutarem comparauit impenſam: pauperum verò gregem, tam cenſûs quàm dapis inopem, horrida paſsìm fames abſumpſit. Rex ipſe ad vltimam tabem adactus, plurima fruge latifundia permutabat, agrisq; vænire iuſſis, alimenta poſſeſſionum precijs comparabat. Nobilibus in eundem vſum ingenuitatis inſignia erogare, rubori non fuit. Enimuerò abundè ſeges finitimis erat, vt priuata gentis, non publica terrarum, vltio videretur. Quæ tam dira clades conuictum populi animum, ſanctitatem, quam anteà detrectauerat, fateri coëgit, deque celſitudinis eius contemptoribus veneratores effecit. Sanè tam euidens pœna, alijs fruge abundantibus, Danis priuatìm ingruens, & paricidarum noxam, & perempti innocentiam liquidò argumentata eſt. Hanc peſtem Sueno pontifex, cuius ſumma apud Danos authoritas erat, populo paricidij pœnitere præmonito, inceſſuram prædixit. Quippe in plebem pius, in Deũ venerabilis habebatur, religionemque attentiore cura, conciones præſtantiore facundia celebrabat: ità fauore omnium occupato, arcem in noſtros authoritatis atq; eloquentiæ faſtigium poſſidebat. Subiectorum mores non ſolùm dictis, ſed etiam ſereniſſimis operum informabat exemplis: nec voce, quàm mente, concinnior fuit. Idem perfecta Trinitatis æde, in exædificando eius ambitu Kanutũ religioſi operis ſocium habuit. Nec minorem in extruendis Mariæ ſacrarijs operam geſſit. Quippe vnum in

Cap. 15.

Sola Dania penúria laborat annonæ.

Suenonis Epiſcopi vaticinium, & præconia.

vrbe, alterum Ryngſtiadis enixè molítus, tertium Michaëlslagoſæ condidit: adeò ſe ſanctorum penetralium ſingulari cultu flagrare mõſtrauit. Nec domeſtica ſanctitate contentus, augmentum eius foris petere, arrepto peregrinandi labore, conſtituit. Cumq; Hieroſolymam proficiſcens, Byzantium peruenisſet, contracta varij generis ornamenta, cum ſacrorum cinerum reliquijs in neceſſarios vſus domeſtici templi remittenda curauit. Sed cuius Græcia pietatem vidit, mortem Rhodos adſpexit. Ijſdem ferè temporibus, abſumpto Richaldo, Aſcerus, morum generisq; ſplẽdore eximius, Lundenſi potitur ſacerdotio. Olauus cùm bis penè luſtrum regnando cõdidiſſet, inter cõtinuas rei familiaris anguſtias, nihil regali magnificẽtia dignum exequi poterat.

Olaui obitus.

CONSTANTINI SANCTISSIMI EPISCOPI TII ORATIO DE INVENTIONE PRECIOSARVM RELIQUIARUM ſanctæ & in primis benedictæ Euphemiæ. Habetur in Simeone Metaphraſte.

Iulij 11. Sic enim collocatur à Metaphraſte. Cap. 1.

VENIO afferẽs quod iuſſiſti, ô ſanctiſſime pater & amator omnis boni deſiderij, & rudis mei ingenij eruditor, fretus veſtris ſanctis precibus. Nõ enim ſum idoneus ad hoc aggrediendum, vt qui ſim rudis & ignarus, plenusq; ruſticitate. Sed ſemper timens periculoſam pœnam inobedientiæ, & damnoſum ducens paternis nõ obedire præceptis, optimis veſtris fretus precibus, quæ ex viris pijs audiui, & quæ ſum proprijs contemplatus oculis, ea ſcribẽs, aggredior ad ſcribendum, quomodò in exteros fines exportatæ fuerint reliquiæ inprimis benedictæ martyris Euphemiæ, exciderintque, & rursùs fuerint inuentæ & reportatæ: vt cognoſcat generatio altera Dei magnalia, quæ non ceſſat ipſe, ab alto petita origine, in hodiernum vſq; diem diſpenſare, ad laudem & gloriam eorum, qui ipſum timent, dedecusque & ignominiam eorum, qui audent latrare contra gloriam ſuorum ſanctorum.

Cap. 2. Leo Imp. Iconomachus.

Accidit annis præteritis, vt Dei permiſſione regnaret impurus & profanus Leo ex gente infauſtorum Iſaurorum. Qui cùm non ſanctè, nec piè Regnum arripuiſſet, cœpit latrare aduersùs Dei Eccleſiam, & prætextu pietatis, dum idola vocat & eis aſſimilat, venerabiles frangere imagines, dicens ſuî ſimilibus & execrandis hominibus, &

Pſal. 113.

eos docens ea eſſe, de quibus dicit Propheta: Os habent, & non loquentur. Quamobrèm ſanctiſſimum quoq; patrẽ noſtrum Germanum Patriarcham, vita & ſermone reſplendentem, impudentia & flagris vſus, è ſede eiecit: & nõ ſolùm in venerandis imaginibus ſuam non compeſcuit blaſphemiam, ſed etiam eorum, qui propter Chriſtum ſubiêre martyrium, reliquias eſt aſpernatus, oſſilatras eos appellans, qui nocturnis vacarent vigilijs. O audaciam, ô impietatem, ô contumeliam. Quis non admirabitur, quis non ſtupebit eam, quæ tunc fuit, Dei patientiam?

Sacras reliquias infectatur.

Cap. 3.

Sed ad propoſitũ redeat oratio, & dicat de clara & benedicta Chriſti martyre Euphemia. In eius ergò templo, quod eſt prope id, quod dicitur Hippodromium, erant eius ſanctiſſimæ reliquiæ integræ, intactæ & illæſæ. E Chalcedone enim cũ arca tranſlatæ fuerant Conſtantinopolim propter eam, quæ tunc fuerat, Perſarum incurſionem. In arca autem diuina fuerat ara collocata, quæ ſubtèr ſanctiſſimas habebat reliquias. Super eam autem peragebatur intemerati corporis & ſanguinis Domini, Chriſti Dei noſtri incruentũ myſterium. In eadem verò arca erat paruum foramen, quod etiam ſtat nunc uſq; in hodiernum diem, quod intùs ferre poteſt quaſi manûs hominis magnitudinem. In qua cùm ego quoquè indignus aliquandò auſus eſſem manum inferre, & loculum tetigiſſem, ſenſi bonum odorẽ, & gratiam apprehendi. Dicam autem cauſam quoq; foraminis, quod diuino conſilio & prouidentia factũ eſt. Quandò eius venerabiles & miraculorum effectrices reliquiæ erant Chalcedone, cùm impij Perſæ eum locum occupâſſent, in diebus Heraclij Imperatoris, moti inuidia diaboli, quem colebant, cùm paleæ & lignorum magnum aceruum circa arcã congeſſiſſent, eam ſtatuerunt comburere cum venerabilibus, quæ erant in ipſa, réliquijs. Sed nihil valuit eorum barbaricum & dæmoniacum inceptum, cùm Deus, prout ſcriptum eſt, ſeruet

eſt, ſeruet omnia oſſa eorum, qui propter ipſum decertârunt. Oſſa ergò eius ignis omninò non tetigit, nisì ſolùm, quòd cùm ex arca forma globi reſilijſſet, prouidit, vt facilior daretur ingreſſus ad reliquias ijs, qui ex ipſo volunt haurire gratiam curationum, nempe priùs dictum foramen.

Pſal 33. perſę fruſtrà nitũtur cõburere oſſa S. Euphemię

Erat ergò magna fides eorum, qui habitabant Conſtantinopoli, vt ſuperiùs diximus, in templo & reliquijs omni ex parte benedictæ martyris Euphemiæ, & confluebant omnes inſtàr fluuij haurientes curationes. Ex precioſis enim eius reliquijs exibat ſanguis plenus bono odore, qui quidem tanquàm vnguentum à Deo ſuppeditatum, dabatur ægrotãtibus. Et erat quidem fidelibus miraculum terribile & venerandum: infidelibus aurẽ & ijs, qui aliter ſentiebant, dedecus & ignominia. Tunc autem ille execrãdus & pernicioſus Imperator, temeraria vſus audacia, noctù ingreſſus cum quibuſdam, qui erant ſuæ ſectæ, impetum fecit in reliquias omni ex parte benedictæ martyris Euphemiæ: & cùm arcam aperuiſſet, abſtulit reliquias benedictæ martyris cum loculo, qui eas continebat. Cùm parata autem haberet alia oſſa mortui exiccata, ea iecit intrà arcam: & cùm eam rursùs texiſſet, receſſit. Venerandas autem benedictæ Euphemiæ reliquias cum ligneo loculo, depoſuit in quadam domo oratoria ex ijs, quæ illic erant in Regia. Quamobrèm eius ſorores & filiæ aromatibus, vnguentis, & luminibus id adorabant clanculùm, propter inſignem gratiam & miraculorum magnitudinem.

Cap. 4. Nota rem. miram. Impiũ facinus Leonis. Mos antiquus coiẽdi ſacras reliquias.

Hæc cum reſciuiſſet ſceleratus, traiecit in Bucoleontem & ferreum carcerem, & proiecit in fluentum maris: & die ſequenti cœpit aduersùs benedictam Euphemiam mouere ſuam ſceleratam & execrandam linguam, eam inſectans, & dicens: Abite & videte, quantùm errabant, qui dicebant eſſe ſaluas & integras benedictæ Euphemiæ reliquias, & eas aſſerebãt effundere vnguẽta. Illi autem cùm abijſſẽt & vidiſſent, non eſſe in carne precioſas Euphemiæ reliquias, ſed arida, quæ ab ipſo proiecta fuerant, oſſa, ea conſpuerunt, & maledictis ſunt inſectati. Cùm fraudem autem & ludibrium & meras nugas dixiſſet eſſe curationes, arcam euerterunt, & cum ea aram ſanctam templumque deſerunt. Eduxerunt verò arcam extra ſuggeſtum, quod erat habitaculum virorum, qui non erant baptizati, & erant ineruditi. Eos enim, qui erant bello capti ex gentibus, & Regiæ dabantur ſpolia, illic exonerabant. Alij autem armorum opifices, & ſordidarum ac illiberalium artium artifices cùm fixiſſent in eo fornaces, fecerunt domum ſecularem, quæ aliquandò fuerat templum. In ſancto autem ſuggeſto, vtpotè loco occulto, réquiſita corpori facientes, excrementa corporis deponebant. O mi Chriſte, tuam tunc patientiam.

Templũ S. Euphemiæ prophanatur.

Hæc ego quoquè poſtquàm vidi, totus plenus lachrymis & ciulatibus, egreſſus ſum, admirans omnipotentis Dei tolerantiam atque permiſſionem. Et hæc quidem facta ſunt tempore prædicti impij Imperatoris. Sed quoniam Dominus eſt virtutum, qui inuictam habet potentiam, & vires, quæ ſubſannari nequeunt, (Deus enim reuerà non irridetur) audiamus quid Chriſtus Deus noſter prouidit in reliquijs benedictæ Euphemiæ. Nam dum eæ iactæ ſunt in mare, prouidentia Dei ſummè miſericordis, cymba quorundam duorum fratrum virorum piorum, egreditur è portu Sophiarum, quæ dicuntur: & dum ipſi parùm quid è portu nauigant, eccè loculus, qui cum fluento deſcendebat, fuit prope nauem. Extractus itaque fuit à viris illis pijs, & repoſitus in nauigio, ipſis exiſtimantibus ſe mundanum aliquem ferre theſaurum. Sublatis autem velis nauigârunt, vt exirent in oſtio Abydi. Cùm autem parùm aperuiſſent loculum, vident reliquias, & ſuaui odore repleti, ſunt admirati, neque ſciebant quid agerent, nisì quod ſolummodò inuocabant Dominum, vt eis reuelaretur, ſanctúmne eſſet, an commune. Illa autem nocte vident gloriam maximam, & lumina, & cereos, & viros candidis veſtibus indutos, & Chriſtum laudantes. Rurſusque bono odore repleti nautæ, agnouerunt eas eſſe ſanctas reliquias. Magno ergò gaudio affecti, clàm profecti ſunt propter merum Tyranni, vt theſaurum ferrent in ſuam patriam. Poſtquàm autem veniſſent ad Inſulam, quæ dicitur Lemnos, accidit eis magna tempeſtas. Et cùm incidiſſent in Promontorium inſulæ, in quo fuit aſper locus, & planè aptus ad naufragium, de ſalute deſperabant. Cùm Deus autem per interceſſionem benedictæ Euphemiæ corripuiſſet nauem vnà cum fluctibus, ſuperato periculo, inuenti ſunt in loco tranquillo: & cùm Deo gloriam emiſiſſent, conuenientem honorem tribuêre reliquijs. Angebantur autem & dubitabant, cuiuſnam eſſent ſancti reliquiæ. Illa verò nocte acceperunt reuelationem reliquiarum, per eius

E mari extrahitur loculus S. Euphemiæ. S. Euphemię meritis euadũt periculum naufragij.

Cap. 6. Galat. 6.

nominis

nominis enunciationem. In illa enim Insula sanctæ Glyceriæ iacebant reliquiæ. Dicta autem nocte visa est egredi ex insula martyr Christi Glyceria, & hæc è naue exijsse, & se inuicèm esse complexæ. Et cùm dixisset quæ ex insula erat egressa, ei, quæ è naue exierat: Salue martyr Christi Euphemia benedicta, & se inuicèm salutâssent, rursùs per se recedebant.

Visio nautarum.

Cap. 7. Tunc è somno excitati, cum lachrymis & gemitibus preciosas acceperunt reliquias, & loculum sunt complexi, præclari naucleri, Sergius & Sergonas: hæc enim erant eorum nomina. Cùm fuisset autem dies, enauigârunt volentes ire in suam patriam. Et cùm processissent vsq; ad viginti circiter milliaria, vento spirante contrario, vel inuiti reuersi sunt in locum, vndè soluerant. Rursùs verò cùm paucis pòst diebus experiri voluissent, vterentúrne secunda nauigatione, iterùm reuersi sunt. Hoc cùm semèl bis & ter probâssent, nec vllo modo possent in suam ire patriam, reuersis & in portũ appulsis illa nocte visa est illis Christi martyr Euphemia, dicens: Cur contenditis me huc & illuc circumagere? Nolo vlteriùs progredi, neque hinc eò proficisci, quò me vultis ducere. Hæc cùm dixisset, rursùs dixit eis: Nõ satis fuit, quòd Chalcedone translata sim Byzantium, & in mare proiecta fuerim, & hîc steterim? Cur etiam me vultis circumagere in partes inferiores? Hoc à me quidem ferri non potest. Nolite hoc facere: sed facite, vt hîc quiescam. Hæc cùm audijssent, bonum capientes consilium, & quæ iubebat martyr, impigrè exequi statuentes, ædificauerunt domum oratoriam: & cùm omne onus nauigij consumpsissent, & suas facultates Deo & martyri obtulissent, seipsos totonderunt, dicentes: Non dimittemus, ô benedicta martyr, tuas venerandas reliquias: sed hîc vsque ad vitæ terminum preciosis tuis reliquijs diuinissimè assidebimus.

S. Euphemia nautis appáret.

Cap. 8. His sic gestis, sanctissimus Lemni Episcopus venerabile templum ædificârat in illis temporibus. Visum est ergò, vt illuc portarentur sacræ benedictæ Euphemiæ reliquiæ ad dedicationẽ templi, quod ab eo constructũ fuerat. Et cùm supplex fudisset preces, & venisset ad reliquias benedictæ Euphemiæ, & illic totam noctem trãsegisset, ab eo visa est in somnis martyr Christi, dicens: Nè aggrediaris facere, quod statuisti: nõ obediam enim hac in re tuæ sanctitati: sed abi ad sororem meam & in martyrio sociam Glyceriam, & ego illam rogabo. Ipsa autem se tibi tradet ad hoc, vt impleas quod desideras. Experrectus autem sanctissimus Episcopus, fecit vt ei iusserat benedicta Christi martyr. Et hæc quidem facta sunt illis temporibus.

S. Euphemia appáret episcopo Lemni.

Cap. 9. Attende inuidiam diaboli. Aequum est autem, nõ præterire diaboli inuidiam, & quanam de causa hanc in benedictam Euphemiam excitauit tempestatem. Quandò Christi gratia, quarta, quę fuit Chalcedone, synodus tempore beatæ memoriæ Marciani, qui piè & sanctè imperauit, fuit congregata, cùm aduersùs Dioscorum Papam Alexandrinum conuenissent, & eum anathematizâssent, rectæque & orthodoxæ fidei Symbolum confirmâssent, & decretum exposuissent columnam rectæ fidei, dubitantibus ijs, qui erant ex parte contraria, bono capto consilio, dixerunt: Agè benedictę Euphemię Martyris arcam aperientes, in eius, quæ sunt in carne, & sunt mirabilium operum effectrices, reliquijs librum imponamus, vt per eam nunc quoquè virtutum Dominus faciat miraculum, & per eius preces nobis aperiat, an ex eius voluntate editum sit hoc decretum. Cùm hæc ergò fecissent, simulatquè appropinquauit charta preciosis eius reliquijs, aliquid admirabile & magnum fecit Dominus opifex miraculorũ. Nam cùm martyris mortuam & inanimam manum animâsset, eam extendit. Cùm autẽ chartam manu accepisset benedicta Christi martyr, & eam esset amplexa, piæ rursùs reddidit fidei decretum ministris rectæ fidei. Hoc cùm omnes essent admirati, & stupore essent repleti, laudârunt Deum omnipotentem: & sic in perfectione orthodoxę fidei stabiliti, confirmârunt sanctam & œcumenicam quartam synodum, per reuelationem, quæ facta est à benedicta Euphemia. Et ideò quæ inter sanctas imagines cernitur, Christi martyr Euphemia, vbiq; ponitur habens chartã in manu. Propter hęc & similia benedictę Euphemię miracula, malorum author & inuidus commotus diábolus, meditatus tunc fuit inania aduersùs Christi martyrẽ, & machinatus est, vt ea mitteretur in profundum, vt priùs dictũ est. Sed Dei prouidentia, ex profundo fluenti, sanctissimi naucleri eius acceperunt reliquias.

Nota insigne miraculũ in confirmatione concilij.

Vsus antiquus imaginum.

Cap. 10. Cõstantin' Copronymus, scelestissimus Imperator,

Post hæc autem è viuis excesserunt ministri Sergius & Sergonas, & propemodùm illa generatio, quandò Tyrannus Imperator, vita abrupta, reliquit Constantinum filium suum, virum sceleratissimum & omni petulantia ac nequitia refertum, paternaque

naque plenum contentione. Qui non solùm in sanctas imagines suam extendit improbitatem, sed etiam multa alia adinuenit in Deum & Dei ecclesias, piosq; monachos & omnes, qui piè & sanctè vitam instituebant: simul incendens & prophanans sacras ædes, & sanctorum reliquias exurens & dissipans, & quæ ad Dei & sanctorum gloriã fiunt, vigilias excindens: & quæ Dei prouidentia scaturiunt hominibus, aspernans & nihili faciens sanctificationes: & idololatras vocans eos, qui illis vtuntur, & sanctorum abdicans intercessiones, sanctissimæque Deiparæ & semper virginis Mariæ auxilium & intercessionem publicè amandans & expellens, Crucesque, quæ in triuijs fidei conuenienter figebantur, dejciens, Trinitatis adorationem, quam à patribus accepimus in precatione, hinc & hinc mutare parans: eos autem, qui in clero erant forma præstanti, eunuchos eligens, & ad suum ordinans seruitium: monachos alios quidem flagris, alios verò blanditijs decipiens, & vt votum abnegarent, efficiens, seculares dignitates tribuendo: vestes autem & vasa diuina, quæ diuinas insculptas habebant imagines, confringens & comburens, & alia per se peragens piacula & mysteria petulantiæ. De medio autem hunc quoquè sustulit Dominus virtutum fine miserabili. Post huius verò mortem imperauit Leo huius filius. Is hæresis quidem paternæ erat particeps, sed expers actionis. Non erat enim crudelis, vt eius parentes. Nullus tamen in diebus eius dignatus est liberè Dominum glorificare: sed metus & stupor omnes inuaserat orthodoxos, eis imminente impio cœtu eorum, qui nupèr fuêre ex schola patris. Quam cùm ille execrandus plantâsset Constantinus plantationem ferentem botrum amaritiei, improbè educauit, & educatam insanè in pios armauit: qui quidem multos monachos miserabilibus supplicijs & morte affecêre. Sed non in finem iratus est Dominus, neque faciem omninò auertit, sed miserans miseratus est humani generis.

Vide quem ducem sequãtur hodiè nostrates hæretici.

Perit miserè impius Constantinus.

Cùm autem huius quoq; ramum morte affecisset, Leonem, inquam, qui genus ducebat è Scythia: excitauit eius vxorem Irenen, & eius filium Cõstantinum, qui conuenienter nomini, mundo pacem procurabat. Quæ enim ab execrãdo eius socero fracta erant & prophanata, restituebat & ornabat Irene: quos illi expulerant & in exilium miserãt, reuocans, & maternè omnes amplectens & fouens: & cùm illos immanes parricidas & piorum prædones scholares diuina exterminâsset prouidẽtia, & alios pro eis viros pios in numerum retulisset, & in ordinibus eorum loca implêsset, & de diuinis rectè sentire docuisset, & vt omnes orthodoxi aperta facie liberè gloriam Domini & rectã fidem enarrent, effecisset, profundã pacem per ipsam Deus donauit Ecclesijs. Sed ad benedictæ Euphemiæ scopum redeat oratio. Vbi ergò pia Imperatrix diuino zelo incitata, cœpit omnia reædificare, fractum templum benedictæ Euphemiæ ante alia omnia contendit rursùs ædificare & ornare. Quod etiam fecit, & cùm id omni pietate exornâsset, effecit, vt in id referretur, quod in eo olìm Deo solebat fieri, incruentum sacrificium: & Chalcedone statuit episcopum. Erat enim ad hoc vsque tempus vidua, propter iniuriam ei illatam ab impijs Imperatoribus, qui beatæ Euphemiæ memoriam & ciuitatem delere statuerant. Atq; diuino quidem zelo mota pia illa Imperatrix, de reliquijs beatæ Euphemiæ satagebat & erat solicita: & cùm omnes ad quærendam hanc rem sanctam adhortaretur, ei, qui facit voluntatem eorum, qui ipsum timent, & implet consilia eorum, qui ipsum inuocant, placuit, benedictæ Euphemiæ aperiri reliquias eo modo, qui est à nobis declarãdus. Quas quidem, vt iam diximus, pij viri illi deposuerant in Lemno insula.

Cap. 11. Irene & Cõstantinus restituũt religionem.

S. Euphemiæ templũ instauratur.

Annis præteritis fuerant in eo loco occultæ & tectæ silentio, omnibus Insulæ incolis maximam in eis fidem habentibus, & hoc arcanũ conseruantibus, partìm quidem propter Tyrannorum insolentiã, partìm aũt nè agnoscerentur, & ab eis auferrentur huius, quæ multa & præclara subijt certamina, reliquiæ. Cùm autem insignis & benedictæ martyris Euphemiæ miracula in omnem partem peruaderent, magnaq; aduenarum multitudo ad reliquias conueniret, repentè quidam ex proceribus, nempe ex Apocrisarijs, ijs, inquam, qui dant responsa, mittitur ab Imperatore ad Occidentem: venitque Lemnum, & contemplatur populi multitudinem, & ea quæ fiebant miracula. Cùm verò velutì quædam hostilis inuidia illũ scelestum inuasisset, rogauit quænam hæc esset populi congregatio, & quænam ea, quæ fiebant. Cùm autem rectè didicisset, cœpit vociferari, & terrere eos, qui illic conueniebant, populos, sic dicens: Ossa rursùs habẽtur in honore? Sic docent Imperatores? Et multùm minatus, diruit domunculam, in qua iacebat loculus benedictæ Euphemiæ. Cumq; hæc fecisset, fremens

Impius quidam diruit ædiculã S. Euphemię.

mens recedit. Illinc factum est, vt damnum martyr acciperet, & eius corpus vilipenderetur. Sed quoniã vbi vult Deus, vincitur ordo naturę, & perit omnis humana ratio & inuentio, hoc accidit. Contigit enim, vt per successionem ad quendam virum bonum peruenirent benedictæ Euphemiæ habitaculum & oratorium: in quo oratorio repositæ erant venerandæ huius martyris reliquiæ.

Cap. 13. Erat autẽ eis marmor impositum, quod illi pij naucleri imposuerant, ab eis inscriptum tali inscriptione: Nos Sergius & Sergonas nauigantes per Hellespontum, cùm ex profundo sustulissemus reliquias benedictæ & sanctæ martyris Christi Euphemiæ, eius iussu eas hîc deposuimus. Cùm ergò per successionem huius loci hæres fuisset Anastasius Comes clarissimus, accidit vt quorundam æmulatione falsis appeteretur maledictis, & à sua dignitate excideret. Is verò nihil cunctatus, venit Cõstantinopolim, volẽs in suum restitui Comitatum. Cùm autem (vt solet vnusquisq;) quæreret aliquem inuenire, qui eum sua intercessione defenderet apud Imperatricem, quidam ei dixerunt, Chalcedonensem Metropolitanum ad id fore idoneum, vt qui possit liberè & fidẽter loqui, & maiora sustineat & defendat negocia. Cùm ergò de eo interrogâsset, inuenit illum in palatio: & cùm ad eius pedes procidisset, renunciauit ei propter quam causam adsit, rogans vt sit eius intercessor & adiutor. Contrà autem dicebat Metropolitanus, se id non posse facere. Postquàm ergò eum dimisit, ingressus est in partem ædis Episcoparûs, in qua est etiam templũ benedictæ Euphemiæ, Ponè autem eum est secutus vir diuina motus prouidentia. Templum verò Comes ingressus, cùm Deo diuinam emisisset adorationem, sedit in quodam loco.

Reseruẽtur S. Reliquiæ ab Anastasio comite.

Cap. 14. Ad eum autem accedens supradictus vir, qui erat vnus ex clericis templi, & cui sua vice creditum erat officium, rogauit, cuias, & quisnam esset. Ille autem ei illicò exposuit, cuiasnam esset, & quæ ei molesta acciderant. Rogauit autem Comes clericũ, cuiusnam esset hoc templum. Is verò dicit, Benedictæ Euphemiæ. Ille autẽ respondens, & syncerissimè manũ pectori admouens, inquit: O meam omni ex parte benedictam Euphemiam? Ei verò rursùs dicit clericus: Quẽadmodùm dixisti tuã esse benedictam Euphemiam? Ille autem respondens, dicit: Domi meæ, & in oratorio meo eius venerandas teneo reliquias. Et is rursùs: Quomodò, inquit, fieri poterit? Vide, ô homo, nè fortè loquaris contra teipsum, nec eas possis ostẽdere. Nam & Augusta & Imperator eas curant diligenter quærendas. Quarè Metropolitano quoq; ea de causa iussẽre facere supplicationes. Ille autem rursùs: Pro certo habeat tua reuerẽtia, quòd reliquiæ benedictæ Euphemiæ, quæ erant Chalcedone, sunt apud me.

Sic confirmatus clericus, hæc lætus & exultans renunciat Andreæ sanctissimo Metropolitano, gratulans & Dei prædicans magnalia. Qui cùm statìm accersisset Comitem, & ab eo fuisset factus certior, dedit gloriam Deo omnipotenti. Surgens autem, profectus est ad Tarasium sanctissimum Patriarcham, & ei narrauit omnẽ rei seriem.

Tarasi⁹ Archiepiscop⁹ Cõstantino politanus. Tũc profectus sanctissimus Patriarcha ad Imperatricem, & eius filium Cõstantinum, qui erat orthodoxus & amicus martyrum, exposuit omnia, quæ facta fuerãt. Qui rem admirati, quæ erat præter opinionem, laudibus hymnisq; Deo emissis, magno sunt affecti gaudio: & scapha quamprimùm expedita, miserũt Comitem suæ dignitati restitutum, donatumque muneribus: & insignes quosdam clericos ex templo benedictæ Euphemiæ.

Cap. 15. Cùm ipsi autem in Lemnum descendissent, congregati sunt, qui illic circuncirca habitabant, in ira & indignatione, nolentes dimittere ijs, qui missi erant ab Imperatore, reliquias benedictæ Euphemiæ. Qua de re cùm non leuis exorta esset perturbatio, videns Lemni sanctissimus episcopus populi motum ad malum progredi, surrexit & ingressus est in medium eorũ, vociferans & dicẽs: Cedite, ô homines: eorum enim, quæ fiunt, nihil fit sine Dei nutu. Sic omninò Deo visum est. Vitemus itaq; Regis indignationem: Ira enim regis, est tanquàm ira leonis. Hæc cùm dixisset, & plura alia, vix sedauit multitudinem, nè ijs, qui venerant, aliquid mali facerent, & dicto Comiti. In eum enim concitatus erat populi animus clamantis: Per ipsum proditus fuit noster thesaurus. Tunc ergò cessârunt, & traducti sunt ad pacem, & Deo dederunt gloriam, & laudem martyri, concedentes volentibus benedictæ Euphemiæ venerandas reliquias. Quas cùm accepissent, qui ad eas missi fuerant, tulerunt Constantinopolim, tota ciuitate, & Imperatrice, & sanctissimo Patriarcha Tarasio egressis obuiàm.

En quanti olim fiebãt sacræ reliquiæ.

Prou. 19.

Cap. 16. Cùm eis ergò obuiàm processissent, & cõplexi essent cum ea, cũ qua par est, glorificatione, deposuerunt in eius tẽplo, & in ea arca, in qua priùs martyr fuerat, & vndè execran-

Nota hæc Lector.

execrandus & prophanus Imperator eam ablatam immisit in profundum. Ij autem, qui eas intulerunt Byzantium, & proceres, & qui primas obtinebant apud Artabastinem & filias Imperatoris, & alij plurimi diripuêre reliquias. Quomodò etiã manum sanctam, quæ librum accepit, à Niceta Patritio cognomine Monomacho, qui in Sicilia Insula martyri templum extruxit, dicunt illic fuisse repositam. Hinc itaq; factũ est, vt pauca quædam ossa capitis quæ remãserant, in ea, quæ olìm fuerat arca, clauderentur cum alijs reliquijs, quas etiã in hodiernum vsq; diem scimus seruari in arcula. Arbitror autem in dicta quoquè Insula Lemno relictas esse quasdã partes corporis. O prouidentiam minimè inuestigabilem. O quæ compræhendi non potest, potentiam altissimi Dei, qui facit omnia. Facit enim omnia, quæ vult. Audite ergò Reges, & intelligite. Auribus percipite principes, & intelligite. Discite qui possidetis terrã, & obstupescite. Videte Dei magnalia, & laudate eius, quæ compræhendi non potest, potentiam. Quis vnquàm sperâsset, aut expectâsset inueniri posse reliquias benedictæ Euphemię, de qua ne sola quidem fuerat tot annis collocutio, donèc visum est Domino virtutum, repentè & inopinatò suæ, quæ comprẽhendi non potest, potentiæ facere miraculum? Nos autem cùm indignis labris martyri parùm gratulati fuerimus, faciemus finem orationis. Psal. 148.

Cap. 17. Vide miras laudes, quas in sanctæ honorẽ profert. Euphemia cõfirmatrix S. œcumenici cõcilij Chalcedon.

Gaude omni ex parte benedicta Euphemia, refugium Christianorum. Gaude benedicta Euphemia, sacrum sacerdotũ ornamentum. Gaude omni ex parte clara & insignis Euphemia, refugiũ infirmorum. Gaude benedicta Euphemia, refugiũ oppressorum. Gaude beatissima Euphemia, Regum propugnaculum. Gaude beatissima Euphemia, decretorum tutela synodalium. Gaude benedicta Euphemia, mũdo profundens vnguenta curationum. Gaude veneranda Euphemia, oris hæreticorum frenum validissimum. Gaude digna omni honore Euphemia, Barbarorum aduersaria. Gaude omniũ nostrũm refugiũ & munitio, quæ es apud Deum nostrî perpetua intercessio.

Oratio Authoris. Memento autem ô Dei martyr, meî quoquè humilis & infelicis, & susçipe hoc vile & nullius notæ scriptum funebre meæ temeritatis, petens pro omnibus, qui cum desiderio tuam venerabilem & miraculorum effectricẽ semper peragunt memoriam, Regibus & Pastoribus, sacerdotibus & monachis, principibus & subiectis, vt assequãtur, vt sedeant à dextris Dei, & bonis fruantur æternis, gratia & clemẽtia Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria & potentia cum patre principij experte, & sanctissimo & consubstantiali & viuifico spiritu, nunc & semper & in seculà seculorum, Amen.

VITA S. HILDVLPHI ARCHIEPISCOPI TREVIREN. ET PRIMI ABBATIS VOGASIENSIS, VT IN *MS. codicibus habetur, quanquàm suspicor hanc nisi Epitomen esse vitæ eius. Stylum modicè elimauit F. Iac. Mosander.*

Iulij 11. HILDVLPHVS claro genere ortus, acà iuuẽtute literarum studijs traditus, in breui ità profecit, vt de virtute in virtutem quotidiè proficiscẽs, purus & integer ab his vitijs, quibus talis ætas solet implicari, pristeret. Deindè moribus ecclesiasticis assuefactus, apud Ratisponã vrbẽ clericali tõsura initiatus est. Interà Milone Treuiren. Archiepiscopo defuncto, totus clerus Hildulphũ, eò quòd vir esset & animi & corporis nobilitate ornatus, in suum Antistitem vnanimiter postulat. Mox fama in aula Regis Pipini patris Caroli Magni percrebuit, atq; ex eius sententia Hildulphus archiepiscopatu dignus declaratur, & ad id dignitatis assumendus diffinitur. Verùm Dei famulus, vitam magis diligens anachoreticam, fugam meditatus est, sed detẽtus ac raptus à deuoto populo, in Galliam Belgicam deductus est, ac Treuirorum posteà consecratus Episcopus. Hoc igitur sublimatus honore, quàm sanctè & iustè vixerit, testãtur perpulchra eius facinora. Tenerum nanq; corpus suum, ieiunijs, abstinentijs, alijsque castigationibus ità affligebat, quasi multa flagitia perpetrâsset. Misericordiæ operibus vacabat: prædicationibus & sacrificijs salutaribus insistens, nullum penè diem pertransijt, quo non omnipotenti Deo sacras hostias, pro salute mũdi & requie defunctorum offerret. Qui vt bonus pastor semina rectæ operationis prẽmittẽs, vberiores verbi fructus collegit, & quod ore docuit,

De Milone vide 13. Ianuarij in præfatione ad vitam S. Remigij.

Perpulchra eius facinora.

Quotidiè Missam celebrat.

docuit,operibus adimpleuit. Hic inter cætera magnifica ſua opa quę geſſit,corpus S. Maximini Præſulis Treuiren.à loco,quo eũ S.Paulinus Aquitanus ſepelierat,in eum, quo nunc veneratur,tranſtulit.

Valedicit mundo.

Poſtquàm igitur multiplices pro grege Chriſti laboresſuſtinuiſſet, Archiepiſcopalem dignitatem reſignans, & quicquid habebat diuitiarum ac poſſeſſionum relinquens, vt olim concupierat, eremum ingreſſus eſt: atque à domino Iacobo Leucorum Antiſtite pœnitentiæ locum efflagitauit. Qui eius ſanctæ deuotioni annuens, ſaltum * Voſagi(vbi ſanctorũ virorũ cellæ, à ſanctiſſimo Deodato Episcopo priùs extructæ inueniebantur)eidẽ prouidit.Iam ad vicinam eremũ prędictus Deodatus trãſmigrârat,huic Hildulpho, inſtituti monaſtici, perpetuus collega aſſumendus. Igitur cùm locũ hũc habitare cœpiſſet ſanctiſſimus Hildulphus,qui mõtibus vndiq; circunſeptus,fluuiolo Rapido nomine,irrigatur,duas ſuper eundẽ eccleſias fundauit,primã videlicet in honorẽ Dei genitricis Marię,quam medium monaſteriũ appellauit: alterã in honorẽ beati Petri & omniũ Apoſtolorũ cõſecrauit. Quibus perfectis,ſoli Deo viuere cœpit.Cumq; fama ſancti nominis eius lõgè lateq; diſcurreret: multi viri tam ſeculari potẽtia,quàm nobilitate inſignes,ad eum ſæpiùs cõfluebant,ex quibus nonnulli cum eo remanebant,cæleſtis vitæ accenſi deſiderio. Itaq; dum numerus accurrentiũ diſcipulorũ ex diuerſis mũdi partibus magìs ac magìs accreſceret, cœpit plures ibidẽ ædificare monachorum cellas, vt ab omnibus huius ſeculi nequã periculis liberi,cũ ſancta Magdalena ſoli vacarent Deo & piæ contẽplationi.Tunc per merita ipſius ſibiq; ſubiectorum Deus ibidẽ multa operatus eſt miracula.Cęci illuminabantur,claudi curabantur,dæmones fugabãtur.Sed cùm ſanctus ille monachorũ cœtus nimia infirmorum ac debiliũ hominũ frequentia perturbaretur,atq; à ſancta cõtemplatione auocaretur: tertiã extra monaſterij clauſtra extruxit eccleſiã, quã S.Iohanni Baptiſtæ Domini dedicauit,in cuius circuitu adiecit domos, quibus hoſpitio excipe-

*aliàs Vogaſi

S. Deodati vita habetur 19. Iunij Tomo 3. editionis ſecũdæ.

Multi ſequũtur eius ſanctũ inſtitutum.

Luc.10.

rentur ſuperuenientes infirmi. Dum itaq; ex remotis etiam terris ad virum Dei fieret accurſus,contigit S.Erhardum Epiſcopum Ratiſponen. eius tam ſanguine quàm ſanctitate germanum aduentare, quem ille benigno ac fraterno affectu ſuſcipiẽs,multo tempore,mutuæ ædificationis gratia,apud ſe detinuit.

S. Erhardus Epiſcopus Ratiſponẽ.

S.Hildulphi frater.

Eodẽ nanq; tẽpore, quo ſancta hæc & germana luminaria mutuæ conuerſationis vinculo connecterentur,defertur eis cuiuſdã Hefticonis Ducis filia,à natiuitate cæca, atq; vt eius miſereantur mœſti rogauerũt parentes,quã cùm ſancti Patres cognouiſſent eſſe gentilem, factam priùs catechumenam, Domino commendârunt,& pro ea humiliter deprecati ſunt. Poſteà verò S.Hildulphus eam baptizauit. Quam de more eccleſiæ, S.Erhardus de ſacro fonte excipiens,iam mente & corpore illuminatam nominauit Odiliam.

Cæca à natiuitate videt.

Huius ergò tã præclari miraculi nouitate ſtupefacti parentes, totaq; regionis iſtius nobilitas,ſanctum Hildulphũ maximè venerari cœperunt. Multi quoq; in augmẽtationem tam ſanctæ religionis ibidẽ inſtitutæ,ſua impẽdêre auxilia. Ex quibus quidam nomine Beggo,ſuũ fundũ,qui in hunc vſq; diẽ cella Beggonis appellatur,pro monaſterio cõſtruendo viro Dei obtulit.Permaximã quoq; * Voſagi partẽ quę Folcodi rupes nominatur,iure perpetuo tradidit poſſidendã.Sanctus igitur Hildulphus prænominatã Beggonis cellam ad honorẽ ſanctiſſimæ Crucis Dominicæ dedicauit: cui etiã profundiſſimæ humilitatis virũ,Spinnulum nomine prefecit,vbi poſt multos labores numeroſaq; miraculorũ inſignia idem abbas Spinnulus vitæ ſuę diẽ clauſit extremũ. Cuius mors q̃ fuerit precioſa in oculis Domini, angelica reuelatio atteſtata eſt. Nam iuſſus fuerat Hildulphus defuncti corpus ad ſuũ deferre monaſterium ac honorificè ſepelire.nec mora. Sanctus cinere,quo recubabat,excutitur,conuocatisq; fratribus, obitum ſancti viri denunciauit.Qui accẽſis cæreis,ad exequias celebrãdas properant. Vis itaq; ventorum,plùs ſolitò tunc inhorruerat, adeò vt permaximas quercus, antiquiſſimasq; abietes in ſolum deijceret.In tali tamen turbine,ante corpus Sancti Dei, ardentes cærei vſq; ad locũ ſepulcri delati ſunt, abſq; luminis damno. Sed & infirmi quiq; ſepulcrũ eius viſitantes ſanabantur, quacunque etiã detinerentur infirmitate. Tantus enim ibi fiebat populi cõcurſus,vt regionis iſtius indigenæ tentauerint ibi forum ſtatuere. Sed beatus Hildulphus ad tumulum S.Spinnuli accedens,dixit ei quasi viuenti: Frater Spinnule,propter animarum pericula, concurrentes comprime turbas. Tunc ſignis ceſſantibus, frequentia quoquè ceſſauit accurrentis populi. Tandem beatus Hildulphus plenus dierum & ſanctitatis, correptus febre feliciter obdormi-

S.Spinnulus quantæ fuerit ſanctitatis.

Cærei ardẽtes vẽtro nõ extinguuntur.

Fœliciter obit S.Hildulphus.

dormiuit in Domino, æterno pro meritis coronandus brauio, quinto Idus Iulias. Plura de hoc ſancto habentur,quæ ad eius vitam ſpectant,19.Iunij in vita S.Deodati Epiſcopi.

VITA S. IOHANNIS GVALBERTI, AVTHORE (NI FALLOR) BLASIO MELANESIO, GENERALI ORDINIS Vallis Vmbroſæ.

Is enim ſcripſit huius beati viri vitam, ſed Codex MS. eius nomen non habebat. Stylum mutauit F. Laurentius Surius in gratiam Lectoris, adiectis ad marginem Capitibus.

ANNO ſalutis milleſimo quadrageſimo claruit beatus Iohãnes Gualbertus,primus architectus & fundator Ordinis Vallis Vmbroſæ, cuius profeſſores viuunt conuenienter Regulę S.Benedicti,quibuſdã conſtitutionibus priuatis illi ſuperadditis,vtuntur; habitu coloris cinericei. Habet autem is Ordo multa monaſteria in Tuſcia & Gallia Ciſalpina,quam Longobardiam vocãt. Patria autem huius ſancti viri Florentia fuit. Parentes habuit nobiles. Pater Gualbertus dictus eſt, vir militaris. Cùm adhuc iuuenis degeret in ſeculo, & pater eius Gualbertus, quem diximus,capitalis eſſet hoſtis cuiuſdã, qui eius cognatum iniuſtè peremerat,eaque cauſa non Gualbertus modò,ſed etiam Iohannes filius eius vltionem expeteret: accidit quodam die, ipſum Iohannem cum armigero ſuo Florentiam proficiſci, in ipſo autem itinere venire ei obuiàm ab inſperato hoſtem illum capitalem,idq; loco tam anguſto,vt neuter poſſet à via deflectere.Tum verò hoſtis ille, quòd inermis eſſet, nihil nisi mortem præſentem expectans, ſubitò quadam concepta fiducia de clementia Iohãnis,ab equo deſilijt, humiq; proſtratus, iunctis cãcellatim ad pectus manibus, pro Crucifixi amore veniam ſibi dari humiliter poſtulauit. Compunctus Iohãnes audito nomine Crucifixi, pacem illi obtulit propter amorem Crucifixi, qui pro ſuis hoſtibus ipſum crucifigentibus rogauit,nè perirent: iuſſitque eum ſurgere à terra, metumque omnem ponere, quòd iam ex animo ipſi culpam omnem condonâſſet, vt poſſet ipſe quoquè propitium experiri Deum: fecitque ei copiam quò vellet recedendi.

Iulij 12. Cap. 1. Ordo Vallis Vmbroſæ à quo cõditꝰ.

S. Iohannis patria & parentes.

Vide pietatem. Luc.23.

Porrò ipſe vltrà progreſſus,in quandam eccleſiam monachorum,quę erat in itinere, ſe contulit,& cùm coram imagine Crucifixi genua flecteret, vidit Chriſti à Cruce pendentis caput ad ſe inclinari, tanquàm gratias ipſi agentis, quòd pro eius reuerentia hoſti capitali peperciſſet. In tãti miraculi teſtimonium hodieq; Crux illa in eccleſia S.Miniatis,in monte prope Florentiam,cum magna veneratione & cura ſeruatur: vbi olim fuit monaſterium monachorum, quos Nigros vocãt: nunc verò Alborum eſt, id eſt, montis Oliueti. Iohannes autem ea Chriſti vocatione attractus, conſtituit ſeculo nequam valefacere, labentia cuncta deſpicere, vt Chriſtum in Cruce nudum ſuſpenſum,ipſe quoquè nudus ſequeretur.Itaq; ad iſthuc S.Miniatis monaſteriũ profectus, ab Abbate & fratribus humiliter petijt ſibi ſanctæ religionis habitum donari. Receptus igitur in laici habitu, pro monaſticæ vitæ conſuetudine comparat ſe ad capienda vitæ religioſæ experimenta.Intereà pater eius audiens filiũ ſuum monachum futurum,ad monaſteriũ abit,filium ad ſe mitti poſtulat.Sed cùm Iohãnes ab Abbate ea de re interrogatus,non aſſentiret,timẽs nè quid à patre, homine ſeuero & aſpero, periculi ſibi crearetur:Abbas iniquum cenſebat,illum cõpellere & in diſcrimen conijcere.Tum verò furore pércitus Gualbertus pater,quòd non daretur ipſi copia cum filio colloquendi, multas ei monaſterio minas intentauit, ſi auſi eſſent filium eius in ſuam ſodalitatẽ admittere.Multùm igitur anxij formidabant monachi,ſi habitũ monaſticum, quem ille obnixè poſcebat, Iohanni traderent, nè aliquo inſigni damno à patre eius afficerentur. Cùm ergò nullus auderet veſte monaſtica eũ induere,ille feruore ſpiritûs inflammatus, cùm ſibijpſe capitis comam totondiſſet,cucullum fratris cuiuſdam appræhendit,eumq; ſuper altare in eccleſia reponens, hilariter ſibi induit, cunctis fratribus iuuantibus & congratulantibus illi. Etsì autem pater eius, vt illum

Cap. 2. Nota Lector,& diſce ignoſcere.

S. Iohannes monaſticũ habitũ petit.

Id eius pater fert moleſtiſſimè.

Mirabilis feruor S. Iohannis.

vidit ea veſte indutum, initiò acerbè tulit, multumq; doluit, ac propemodùm amentia quadam correptus, ſe derelictum & deſolatum clamitauit: at tamen ab Abbate tandèm & ab ipſo filio confirmatus, ſeſe colligens, & ad ſe rediens, conſolationem accepit, & filio benè precatus, hortabatur vt in cœpto conſtanter perſeueraret.

Cap. 3. Exercitia eius & virtutes.

Ità ergò Iohannes iam monachus effectus, cœpit non ſeſe inertiæ & ſegnitiei dare, ſed ieiunijs & inedia vigilijsq; domare corpus, ocium vitiorum ſentinam ſummoperè vitare, in preces & pias meditationes religiosè incumbere: humilitatis, patientiæ, obedientiæ, cunctarumque virtutum de ſe exempla omnibus præbere. Non diù pòſt Abbate ex hac luce migrante, fratres congregati, Iohannem in Abbatem vnanimiter eligunt. Sed illud munus vir Dei humiliter recuſans, malebat ſubeſſe, quàm præeſſe: non ignorans, quo quiſque ſublimiori ſit loco conſtitutus, eo maiori in periculo eum verſari. At non ſic impij, non ſic: qui ſtimulante ambitione, per Simonię peſtem, perfas & nefas, per abrupta nitentes in ſublime, præcipites corruunt. Erat in eodem monaſterio frater quidam. Is praua cupiditate inflammatus, Abbatiæ illius adminiſtrationẽ, numerata Florentino Epiſcopo pecunia, ad ſe adduxit. Id vbì vir Dei comperit, cum alio ipſi fauente monacho clàm ex monaſterio receſſit, veniensq; Florentiam, quendam magni nominis ſenem adit cum ſocio. Teuzo is ſenex dicebatur, & apud beatæ Mariæ eccleſiam Florentiæ in quadam cellula ſe incluſerat, permultiq; ad eum confluebant, ſalutaria ab eo conſilia expetentes. Valdè autem Simoniæ labẽ deteſtabatur, qua tũc multi in Dei Eccleſia contaminati erant. Ab illo igitur Iohannes ſciſcitabatur, num ſub Abbate Simoniaco intrà ſuum monaſterium Chriſto militare deberet, vel quid ſibi faciendum eſſet. Conſuluit ille, vt cum ſocio palàm in foro ciuitatis coram omnibus proclamaret, Epiſcopum & Abbatem Simonię vitio obnoxios teneri: ac deindè loco cederent. Quod conſilium, tametsi à communi legum conſuetudine abhorreret, ſimpliciter ille ſecutus eſt. Ea autem res magnum horrorem attulit multis, quibuſdam Epiſcopi ſtudioſis & amicis clamantibus, reum eſſe mortis, qui tanto viro tam fœdam labem adſperſiſſet: alijs verò eum excuſantibus. Porrò è tumultu extractus, clanculùm vix euaſit manus eorũ, qui Epiſcopo fauebãt: conſulentéque illo, quem diximus, ſolitario homine, è patria diſceſſit, & cum ſocio perquirere cœpit locum ad ſeruiendũ Deo maximè accommodatum. Habebat tum apud ſe ſocius eius panẽ vnum, quem pro neceſſaria ipſorum refectione ſeruauerat. Eum vir Dei pauperi obuiàm venienti ſtipemque petẽti dari iuſſit, iactans cogitatum ſuum in Dominum, qui dat eſcam omnibus in tempore opportuno. nec ſua fidutia fruſtratus eſt. Cùm enim ad caſtrum quoddam applicuiſſent, à multis abundè eis res neceſſariæ ſuppeditatæ ſunt.

Recuſat Abbatis functionem.

Teuzo incluſus.

Cõſulit Teuzonẽ quid ſibi ſit agendum.

Diſcedit è patria S. Iohannes.

Pſal. 54. Pſal. 144.

Cap. 4. Vita Camaldulenſium monachorum.

Vt autẽ ad eremum Camaldulenſem peruenêre, non breuem illic fecêre moram, illic degentium mores contemplantes & vitam, quæ quidem ſancta erat, ſed eremitica & ſolitaria. Cumq; ab eius loci habitatoribus inuitarentur, vt ſe ipſis profeſſione coniungerent, beatus Iohannes magis appetens vitam cœnobiticam, quippè tutiorem, quàm ſit ſolitaria, indè receſſit ea animi ſententia, vt alibì nouam quandam congregationem inſtitueret, ſancti Benedicti regulam ſecuturam. Veniens igitur ad Vallem Vmbroſam, à duobus monachis, qui illic Domino famulabantur, deuotè ſuſceptus eſt: & cum locus ei arrideret, conſtituit illic ſedem figere, conſtructo quodam vili ex lignis domicilio. Sed non diù paſſus eſt Dominus lucernam ſub modio latére. Fama ſanctitatis eius per loca viciniora ſensìm ſeſe diffundẽte, permulti & clerici & laici eius inuiſendi cauſa, plerique etiam conuerſionis ſtudio ad eum venêre, in quibus fuêre, Erizo, Albertus, Teuzo, Rodulphus, itemq; Petrus, qui poſteà fuit Albanenſis Epiſcopus Cardinalis, & complures alij. Porrò Abbatiſſa quędam S. Hilarij, cuius monaſterij erat locus memoratus, poſtquàm audiuit virtutes beati Iohãnis & ſociorum eius, ſubſidio eis miſit alimenta quædam & codices, & poſteà conſentiente monaſterio, locum ei donauit cum rebus & poſſeſſionibus multis, publico ſcripto donationem illam confirmans.

Cap. 5. Fit primus Abbas Vallis Vmbroſæ S. Iohannes.

Poſtquàm autẽ & numero & merito ſatis illic monachi increuiſſent, placuit omnibus ipſum beatum Iohannem ſibi Abbatem renunciare. Itaque licèt admodùm renitentem & inuitum, in primaria ſede illum collocârunt, eius imperio pariturì. Tandèm ille, nè diuinæ voluntati reſiſtere videretur, eis ceſſit: ſuſceptoq; Abbatis miniſterio, mentem Regulæ beati Benedicti, quam complexi erant, accuratè inſpiciens, modis omnibus eam obſeruandam curauit. Itaque prohibuit, nè vnquàm monachi è monaſterio exirent, niſì propter res neceſſarias monaſterij, idque petita priùs exeundi facultate. Voluit etiam noctibus nunquàm in dormitorio lumẽ abeſſe, haud ſecùs atquè in oratorio. Ad vilitatem veſtium & paupertatem hortabatur fratres, tum etiam, vt cilicijs vterentur. Ex ouium ſuarum lanis varijs iuſſit promiſcuè pannum fieri, vndè veſtes conficerentur. Quæ autem alios docebat, ipſe præ omnibus & ante omnes perfectiùs exequi ſtudebat. Erat in precibus aſſiduus, charitate diffuſus, humilitate lenis, patientia conſtans, in obiurgandis vitijs rigidus, erga pœnitentes benignus, in cunctis morum grauitate maturus, abſtinentia præcipuus, paruo admodùm cibo potuque contentus, qui mortem arceret, non qui delicias adferret. Verùm ex nimia viuendi auſteritate fracto ſtomacho, in eum morbum incidit, quem ſyncopẽ vocant, quo beatum Gregorium Pontificem vexatum legimus: ità vt nisì crebrò fratrum opera cibus ei oblatus eſſet, animam acturus videretur. Qua moleſtia eum ad ſupremum vitæ diem laborâſſe nõrunt, qui eum nouerunt: ſed ille ſuis eam peccatis imputans, patientiſſimè tolerabat. Putabatur autem diuina fortaſsìs diſpenſatione eam illi euenìſſe, vt ſuæ infirmitatis experientia diſceret, quemadmodùm ipſum oporteret aliorum miſereri. Cùm enim initiò pauci eſſent, qui propter auſteritatem eius poſſent inſtituta ſeruare, eo morbo correptus, tanta moderatione, diſcretione & miſericordia erga omnes imbutus eſt, vt nemo illo humanior videretur. Commiſſos, quos vocant, & Conuerſos ſiue Laicos fratres permultos recepit, eosq; externis admouebat operibus, vt monachis tolleretur occaſio euagandi, poſſentque liberiùs orationi vacare.

Catalogus virtutũ ei⁹.

Infirmatur vt ſuis confratrib⁹ infirmis compatiatur.

Per id tempus Henricus rex Florentiam veniens, cùm multas beati Iohannis virtutes auditione accepiſſet, quadam erga illum concepta beneuolẽtia, hortante Teuzone ſupradicto, miſit Epiſcopum Catholicum ad Vallis Vmbroſæ monaſterium, qui ſummum altare conſecraret. Poſt aliquot verò annos Hubertus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, totum templum conſecrauit cum duobus alijs altaribus. Eodem tempore multi fideles nobiles loca obtulerunt alijs cœnobijs extruendis congrua, odore ſanctitatis eius inuitati. Alij rogabant eum, vt monaſteria diſſoluta, ſibi moderanda & gubernanda ſumeret, & ad antè dictam formam reuocaret. Conſtruxit tum recèns vir Dei monaſterium ſancti Saluij, itèm aliud in Moſceta, tertium in Razulo, quartum in monte Scalario. Paginam quoquè, iam vetuſtum monaſterium, reformandum ſuſcepit, atque aliud S. Reparatæ in Aemilia ſiue Romandiola. Horum autem ſingulis ſuos præfecit præpoſitos, ſæpiusque illà viſitabat, corrigens quæ emendatione digna viderentur. Fuit autem vir Dei verus paupertatis amator, in omnibus illam præ ſe ferens & docens. Itaque cùm monaſterium Muſcetanum viſitaret, videretque ſtructuras grandiores & elegantiores, quàm illorum paupertati congruere videretur, domino Rodulpho, eius loci Abbati vultu ſeueriſſimo dixit: Tu hoc in loco magnis impendijs, quibus plurimi pauperes foueri potuiſſent, propria voluntate palatia fabricâſti. conuerſuſque ad riuulum quendam exiguum iuxtà manantem, ait: Deus omnipotens, qui minimis magna efficere ſoles, videam miniſterio puſilli riuuli iſtius enormis ſtructuræ huius celerem vindictã. His dictis, mox abijt; tanquàm abominatus locum illum. Porrò ſimulatquè indè abijt, confeſtim riuulus cœpit increſcere, collectaq; magna aquarum vi, locoque ſuo relicto, præceps à monte ruit, & petrarum ſcopulos atque arbores ſecum trahens, ſtructuras illas funditùs euertit. Quamobrèm Abbas cum fratribus perturbatus, cœnobium aliò transferre voluit. At pius pater benignè eos conſolans, dixit: Nolite timere, nec mutetis locum, nihil ab hoc riuulo deinceps accepturi detrimẽti. Quod quidem eius vaticinium vſq; in hodiernum diem compleri certum eſt.

Zelus paupertatis ei⁹.

Deus nõ elẽgãtes fabricarum ſtructuras, ſed animarum expetit.

Alio tempore cùm audiſſet quendam conuerſionis gratia cœnobium petiiſſe, totumque patrimonium ſuum in chartà ſcriptum, neglectis hæredibus, ſecum eò apportâſſe, mox illud monaſterium adijt, & Abbati, qui chartam illam receperat, imperauit, vt ſine mora eam ſibi exhiberet. Quam acceptam diſcerpſit, humì abijciens fragmenta eius. Putabat enim rationi & æquitati magis conſentaneum, exiguis contentum viuere, quàm auctis opibus ſuperbia efferri. Deindè valdè commotus, zelo ſanctæ paupertatis, Deum & Apoſtolum eius rogauit, vt ipſum de illo cœnobio vlciſcantur: confeſtimque iratus abſceſſit. Nec longè abierat, cùm eccè repentinus exiſtit ignis, monaſterium illud magna ex parte abſumens. Vt autem ſocius eius vidit incendium, & ei indicauit, nec retrò reſpicere voluit, nec eò referre pedem,

Cap. 7.

Ignis cæleſtis vlciſcitur monaſterium.

dem, ſed ad Vallem Vmbroſam iter proſecutus eſt.

Cap. 8. Quo in monaſterio cùm reſideret, & Stephanus Romanus Pontifex per vicina loca iter haberet, audita celebri fama eius, nuncios ad eum miſit, viros honoratos, orans vt ipſius conſpectui ſe præſentare non grauaretur. Sed cùm aduerſa valetudo non ſineret eum ad ſanctitatem illius proficiſci, Pontifex denuò nuncios miſit, fortaſsis quòd exiſtimaret eum modeſtiæ & humilitatis cauſa nolle venire, indignumque ſe arbitrari, qui coram ipſo apparéret, vel etiam cupere eum latére: iuſſitque, vt ſi aliter venire non poſſet, in lectica ſe adduci pateretur. Cernens igitur vir Dei mentem Pontificis, in eccleſiam ingreditur, rogatque Dominum, vt citra ſcandalum & inobedientiam aliqua ratione id efficiat, nè cogatur ipſe ſummo Pontifici ſeſe præſentem exhibere. Deindè ſurgens ex lecto, coram nuncijs Pontificis conuerſos aliquot ad ſe accerſiri iubet, qui ipſum ad Pontificem perferant. Sed cùm paululùm à monaſterio diſceſſiſſent, mox ingens extitit aëris tempeſtas, ventis ſæuientibus, & immenſo imbre è cælo ruente. Quod legati cernentes, & non ſine diuino miraculo fieri credentes, illum ceu verum Dei hominem, in monaſterium reduci mandant, beatiſſimo Pontifici rem, vt erat geſta, referentes. Qui deincèps noluit eum ad ſe acciri, vt in ſua quiete permanens, pro felici Eccleſiæ ſtatu Dominum oraret.

Stephanus Rom. pontifex.

Cap. 9. Nec defuit viro Dei gratia diſcretionis ſpirituum, neque donum prophetiæ, quo occulta hominum, ſoli Deo cognita, diuina reuelatione edoctus, enunciauit. Si quis ad monaſterium veniret, monaſticum habitum petiturus, ex eius adſpectu cognoſcebat, num Dei ſpiritu moueretur. Cùm eſſet in * Paſſiniano monaſterio, quidã ad eum venit, dicens ſe velle mundum relinquere. Is primò apud eum repulſam paſſus eſt, ſed cùm importunè inſtaret, à pijſſimo patre receptus eſt. Is igitur in confeſſionis initijs pro more confeſſionem faciens, quædam peccata dixit, maiora præ verecundia reticuit. Gerardus, homo dicebatur. Ait itaque quodam die vir ſanctus ad eum: Quid ità Gerarde mihi imponere voluiſti? Illo dicẽte, Qua in re, pater ſancte, tibi impoſui? Vir Domini ad partem eum trahens, ſecretò dixit ei: Ea in re decepiſti me, immò verò teipſum potiùs, quòd non es integrè confeſſus peccata tua. In ipſa enim Epiphania Domini & pridiè eius diei cum illius hominis vxore adulterium perpetrâſti, nec tamen in confeſſione dixiſti: quodque deterius eſt, etiam in propoſito eius adulterij iterandi perſeuéras. His ille auditis, cùm agnoſceret peccatum ſuum, nec dubitaret diuinitùs beato viro reuelatum, quod ſciret eſſe occultum, proſtratus ad pedes eius, cum lachrymis veniam petijt, egitque pœnitentiam.

Pollet ſpiritu prophetiæ.

Aperit ſecreta cordium.

Cap. 10. Quidam vir nobilis & diues, viro Dei familiariſſimus, Vbaldus nomine, graniſſima laborabat valetudine. Vxor verò eius iamiamq; animam acturum expectabat, miſitque Beuronem familiarem ſuum ad virum Dei, vt eum de mariti imminẽte obitu faceret certiorẽ. Venit Beuro celeriter ad hominem Dei, in monte Scalario tunc commorantem, indicauitque illi, quid haberet in mandatis. Tum beatus Iohannes, verſis ad Orientem luminibus, fuſaque ad Deum prece pro homine moribundo, Beuroni dixit: Redi ad tuos. quem enim reliquiſti ſupremum trahentem ſpiritum, ſanum & lętum offendes. Ità nimirùm & ægro obtinuit ſanitatẽ, & rem Beuroni incognitam explicauit atque prædixit.

Sanat moribundum.

Cap. 11. Manente viro Dei in monaſterio Paſſiniano, Leo Papa illàc tranſiens cum curia ſua, volebat illic cibum capere. Quæſiuit ergò vir ſanctus ex œconomo ſuo, num piſces haberet beatiſſimo Pontifici offerendos: cumque didiciſſet nullos eum habere, conuerſos quoſdam iuſſit ire piſcatum in fluuio ſiue lacu vicino. Cunctis affirmantibus illic piſces non inueniri, perſtitit in ſententia, dicens vt irent, & Domini auxilium ſibi adfuturum minimè dubitarent. Itum eſt ergò, & duo magni lucij capti ſunt. Eos cum omnium admiratione apportatos, ipſe vir beatus Pontifici obtulit, gratiſſimo animo illos accipienti. Viſcera pietatis & miſericordiæ magna erant in illo, eaque eum permouebant, vt multis modis miſerorum inopiam ſubleuaret, ipſe inops & pauper. Ab infantia enim creuerat cum illo miſeratio. Reuerſus quandoquè ab aliorum viſitatione monaſteriorum ad ſuum Vmbroſianum, memor inopiæ, qua multi tum premebantur, diſpenſatorem ſuum Gofredum, & Procuratorem Ruſticum nomine, vocãs ad ſe: Inſpiciamus, inquit, horreum, vtì ſe habeat. Vt vidit autem abundè illud repletum: Quàm multi, inquit, fame opprimuntur in hac annonæ caritate, & vos abundatis? Iuſſitq; adferri vas quoddam, quinque plùs minùs capiens modios,

Piſces capiuntur, vbi nulli erant.

Eius cõmiſeratio in pauperes quanta fuerit.

dios, illudque frumento impleri: quod ab hora tertia vſque ad nonam per ſeipſum grata liberalitate pauperibus aduentantibus elargitus eſt: manſitque horreũ æquè, vt antea, plenum.

Frumẽtum elargitur, nec minuitur.

Cap. 12. Fame populum quodam tempore premente, beatus pater ſtans ante fores monaſterij de Razuolo, videnſque gregem vaccarum eius in montis iugo herbas carpere, nec haberet alimoniam, quam petentibus pauperibus largiretur, ità precatus eſt: O ſancte Paule, ſi velles vnam ex his vaccis cedere in vſus pauperum. Confeſtim vacca deorsùm corruens, extincta eſt, cuius carnes iuſſit egenis diſtribui. Ea diſtributa, ſimiliter petijt ſibi & ſecundam & tertiam & quartam dari: easque omnes pauperibus dedit. Ea re contriſtati paſtores, gregem ad aliud montis latus abduxẽre. Sed vir pius pauperum precibus ſatisfacere deſiderans, nec habens tamen, vndè id poſſet, cum lachrymis orauit: Sancte Paule, iſti loci mutatione fugere moliuntur: ſed te, qui loci huius patronus es, effugere non poſſunt. Tu qui miſericordiam & eleemoſynas præſtandas docuiſti, dona mihi, vndè pauperes ſuſtentare queam. Mox aliæ quinque vaccæ ruerunt præcipites, quas eo caſu extinctas iuſſit pater ſanctus pauperibus erogari. Id vbì paſtores aduerterunt, grauiter de illo conqueſti ſunt, aſſerebantque ſatiùs eſſe curare illum reduci ad ſuum Vallis Vmbroſæ monaſteriũ, quàm cum tanta ipſorum iactura illic eum hærere. Quibus ille placidè reſpondit: Video vos hac re afflictos: ſed bono animo eſtote: nullius porrò vaccæ iacturam facietis. Id quod etiam ſic euenit. Alio tempore cùm non haberet panes, quos daret, totum lac pauperibus iuſſit erogari. Quædam etiam pluuiæ receptacula, Valli Vmbroſæ donata, tempore inopiæ vendidit, & precium pauperibus diſtribuit.

Vaccas multas dat pauperibus.

Irẽm lac ea-rum.

Cap. 13. Multa edidit miracula: multos morbidos ſanitati reſtituit. Aegrotus quidam, Florentinus nomine, filium habens ex morbo iam ad extrema tendentem, ad venerabilem patrem, qui tum apud S. Saluium erat, venit, ſalutem poſcens filio ſuo. Sancto viro reſpondente, non hæc ſua, ſed Apoſtolorum eſſe opera, ille nihilo minùs in precibus perſeuerauit. Tum vir pius commiſeratione victus, cum fratribus pro illo rogauit Dominum, & ilicò curatus eſt. Accidit quandoquè, vt fratres nimia egeſtate, non nisì tres panes in monaſterio haberent. Illos beatus pater iuſſit diuidi, & ſingulis ſingulas particulas apponi. Simul autem perpendens, neceſſitati non eſſe præfixam legem, cum Cellario ſuo egit, vt aries vnus occideretur, & coctus fratribus apponeretur: Hodiè, inquit, penuriam patimur, cràs abundabimus. Itaque hora prandij fratres ad menſam ſedentes, ſinguli particulas ſuas panis comederunt: à carnibus autem appoſitis omnes abhorruerunt, nec eas pro ſui canonis reuerentia attingere voluẽrunt. Poſtero die, vt vir ſanctus prædixerat, venerunt quidam ad beati Saluij monaſterium cum multis iumentis, frumento & farina onuſtis, aſſerentes à nobilibus ſe miſſos eſſe. Sed quinã illi nobiles fuerint, reſciri non potuit. Eiuſdem generis aliud contigit alio tempore. Cùm enim pane deficiente, iuſſiſſet bubulam fratribus apponi, & illi non auderent contingere, orante viro Dei, quidam monaſterij fores pulſauit. Ad quem Cellarius exiens, vidit eum multos panes adferentem: quos ille fratribus ad menſam importauit, gratias Deo agentibus, qui dat eſcam in tempore opportuno. Porrò Cellarius reuerſus ad fores, vt nomen hominis cognoſceret, qui illos panes miſiſſet, neminem illic inuenit. Ille enim piſtor miſerat panes, qui filijs Iſraël manna è cælo præſtitit in deſerto.

Frumẽtũ apportatur, ſed neſcitur, vndè.

Pſal. 144.

Exod. 16.

Cap. 14. Quidam mente captus cùm ad Paſſinianum monaſteriũ iret, vt illic curaretur, cum alijs fluuiũ Arnum nauigio tranſmittens, impellente veſania, in mediũ flumen ſe præcipitem dedit: ſed virtute Dei & meritis beati viri, ad ripã fluminis incolumis euaſit.

In monaſterio Vmbroſiano quidam frater malè habebat. Quæ ergò medicina ei parata fuit, eam vir ſanctus ſua manu ei præbuit, moxque negocio quodam emergente, aliò feſtinus abſceſſit. Interìm æger ille non ſatìs cautè ſe gerens, morbo increſcente poſt paucos dies vita functus eſt: atque eius obitum, vt habet conſuetudo, omni congregationi, is, quem Suppriorem vocant, literis denunciauit. Interea vir Dei reuertens, & de fratris deceſſu factus certior, cauſam mortis eius cognoſcere ſtuduit. Quæ cùm ei expoſita eſſet, mandauit in tota congregatione aboleri memoriam eius propter illius inobediẽtiam, quòd ſe non ſatìs cautè cuſtodiuiſſet. Cùm ſic igitur fieret, nec quiſquam pro eo oraret, aliquot dierum euoluto ſpatio, clara die defunctus cuidam fratri appáruit, eique indicauit ſe eſſe illum, qui à vita migrâſſet. Illo verò ſciſcitante, quo in ſtatu res ipſius eſſent, reſpondit ſe excommunicatum eſſe, & per pa-

Cap. 14.

Sanat morigerũ.

Seueritas in fratrem im-

trem Iohannem à fidelium consortio segregatum: quod accipiendum est de suffragijs. Illo rursùs percontante, qua posset ratione iuuari, respondit defunctus: Si me sanctus Iohannes reconciliare voluërit. sicque disparuit. Tum frater ille beatum virum accessit, eique, quid vidisset & audiuisset, enarrauit. Mox pius pater seueritatem misericordia temperans, iussit in monasterio & per omnem congregationem, officium & eleemosynas pro illo fieri. Quibus peractis, post dies triginta iterùm eidem fratri defunctus apparuit alacer & iucundus, gratias agens sancto Iohanni, quòd eum reconciliâsset: absolutusque à pœnis, ad beatorum cœtum proficiscebatur.

Precibus & eleemosynis liberatur frater à pœnis.

Cap. 15. Alius quidam, Florentinus nomine, vir eloquens & moribus ciuilis, qui Simoniâna perfidia valdè se contaminârat in ciuisdam Episcopi susceptо patrocinio, cùm grauissimè decumberet, iamiamque moriturum se affirmabat, atque inter acerbos mœstosque luctus crebrosque singultus, per amicos à beato Iohanne habitum ordinis eius sibi donari petijt. Assensit vir sanctus, nec multùm cunctatus, nouitiorum habitu eum induit. Eo indutus, cùm iam reualuisset, & scipioni innixus, monasterium perlustraret, prior morbi vis eum denuò inuasit, ità vt morti propinquus videretur. Id vbi vir sanctus audiuit, ad lectum ægroti cum multis fratribus accessit, eumque à corpore migraturum Domino cōmendauit. At æger caput suum pallio, quo erat opertus, texit, & viro sancto, cur id faceret, inquirente, respondit timens & tremens: Video satanam propè assistere, è cuius ore vasta flamma funditur, & ex naribus fumus sulphureus prodit. Cùm autem locum, in quo illum cernebat, viro Dei indicâsset, ille ablata è manu tenentis Cruce, diabolum ea egregiè verberauit. Tum ille mox instàr fumi euanuit, & ægrotus in has prorupit voces: Gratias Deo, eccè aufugit satan, eccè recessit. Et eccè adest beata Maria, sanctique Petrus & Benedictus. Atque his dictis, spiritum exhalauit.

Cruce verberat dæmonem.

Cap. 16. Vir beatus Episcopum Florentinum, Petrum nomine, patria Ticinensem, non solùm Simoniæ, sed etiam hæresis propter illud vitium cum suis fratribus reum asserebat, nec ab illo sacramenta percipienda dictitabat. Indè verò vehemens orta est contentio in Clero & populo Florentino, alijs Episcopum defendentibus, alijs monachos laudantibus, quòd tanta libertate illud vitium detestarentur. Cumque ea causa non rarò seditiones concitarentur, persuasit sibi iniquus ille Episcopus eam se infamiæ notam facilè aboliturum, si monachos illos curaret occidi, vt eorum exemplo cæteri eius aduersarij terrerentur. Misit igitur nocturno tempore multam equitum & peditum turbam armatam ad monasterium sancti Saluij, vbi tum beatus Iohannes morari putabatur, qui tamen pridiè indè recesserat ad Vmbrosam Vallem. Ingrediuntur vi in monasterium ministri tenebrarum, & quos inueniunt monachos, eos crudeliter vulnerant, in agnos haud secùs atquè lupi insilientes. Nullum verò monachorum murmur, nulla querimonia auditur: sed patienter illi ferunt iniurias illatas, gratias agentes Deo, qui eos dignos fecisset, vt pro illo paterentur, qui est veritas, quæ nec fallere, nec falli potest. Nec his contenti satellites Episcopi, in monasterium priùs vastatum & expoliatum, ignem injiciunt. Sed vndè inimicus victoriam & suî exaltationem sperabat, indè detrimentum potiùs & ignominiam reportauit. Multi enim ex ijs, qui antè illi fauerant, eumque defendendum susceperant, tantam eius impietatem & barbariem cernentes, ad monachorum partes sese adiunxerunt. Altera die, eo iam diuulgato maleficio, multi venêre ad monasterium, eiusque perspecta vastatione & desolatione, multis modis fratribus monasterij opitulati sunt.

Crudelitas Episcopi Florentini.

Consolatur vir Dei fratres verberatos. Porrò beatus Iohannes eius rei nuncio accepto, simul eò aduenit videnque fratres suos nudos, flagellis cæsos & verberatos: Nunc, inquit, monachi estis. Sed cur sine me isthæc ferre voluistis? Doleo profectò non mediocriter, quòd coronarum vestrarum particeps fieri non merui.

Cap. 17. Posteà verò monachi cum amicis suis Romam profecti, Petrum Florentinum antistitem publicè & quidem constanter hæreticum & Simoniæ labe fœdatum proclamant, & eius rei confirmandæ causâ offerunt se paratos ad subeundos ignes. Verùm Alexander Pontifex, qui tum in Petri cathedra residebat, nec accusatum deponere voluit, nec vt monachi in ignem ingrederentur, admittere. Maxima enim Episcoporum pars, qui ad Synodum generalem cōuenerant, Episcopo fauebat, monachis aduersabatur. Sed Hildebrandus Archidiaconus, qui posteà fuit Gregorius, eius nominis septimus Romanus Pontifex, partibus beati Iohannis studebat, easque tuebatur. Porrò Dux quidam Godefridus vsqueadeò Episcopo fauebat, vt etiam mortis

Hildebrandus posteà Gregorius 7.

mortis minas monachis intentaret. Itaque hac durante controuersia, qui Iohanni adhærebant, tam laici quàm monachi, multas ab aduersarijs iniurias perpessi sunt. In ijs fuit Archipresbyter summæ ædis & Prior, qui quòd Iohanni adhæreret, ex vrbe Florētina dimissus est. Ad extremum monachi aiunt illis, qui Petrum Episcopū suum defendendum susceperant, se per ignem transituros: & si, vtì benè confidunt, indè illæsi exiërint, hortantur, vt idem cum ipsis sentiant de Simonia Episcopi. Sin minùs, paratos se dicūt vnà cum alijs venerari Episcopum, & à Simonia immunem pronunciare. Ea res cunctis placuit. Præfigitur itaque locus & dies, quo isthuc fieri debeat, vt si qui velint, possint coràm intueri. Locus præfixus est in monasterio Septimi, quod tunc erat Ordinis memorati, nunc verò Cistertiensium est. Dies fuit quarta feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ. Modus probationis fuit eiusmodi: vt in loco publico duæ lignorum strues iuxta se fierent, quæ obtinerent in longum decem pedes, in latum quinque, in sublime quatuor & dimidium. Inter vtrasque autem strues semita interesset longitudine brachij, prunis ardentibus constrata, per quam vnus ex monachis transiret. Vbì aduenit statutus dies & hora, inuitatur Episcopus Petrus à suis, vt accedat visurus tantæ rei experimentum, nè ciuitas Florentina tam diuturna vexetur altercatione. At ille prorsùs renuit: immò si qui charum eum haberent, eos eò accedere vetuit. Sed plebs omnis vtriusque sexûs & cleri maxima pars, illuc properârunt. Pollicentur fautores Episcopi, si ea probatio suo potiatur effectu, vt quispiam è fratribus per ignem illæsus transeat, se ipsis suffragaturos, & ab Episcopo defecturos. Itaque fiunt litaniæ & aliæ preces à monachis, sacrificium solenniter celebratur ab Abbate illius instituti, clericis & monachis adiuuantibus. Vbì ventum est ad Agnus Dei, vnus ex monachis fert aquam sacratam ad aspergendum, alius thuribulum thuris incendendi causa, tertius faculas ad ligna inflāmanda: quartus imaginem Crucifixi. Inuocatur à cunctis Dominus Iesus Christus & sanctissima mater eius pleno ore, vt rei veritas declaretur. Sacrificio peracto, deponit casulam, Crucemque manu gestat Abbas, qui sacrificauerat. Petrus is quoquè dicebatur. Litanijs absoluris, vnus ex Abbatibus eligitur, qui clara voce populo exponat petitionis & sponsionis conditionem. Deindè Abbas Petrus cum Cruce, quam manu gestabat, S. Iohanne interìm coràm adstante & orante, ingreditur per medios ignium globos, flamma in sublime assendente, calcatque ardentes prunas, quæ erant in via inter lignorum incensas strues. Sed priùs, quàm ingrederetur, cunctis audientibus, ità precatus est: Domine Iesu Christe, lux vera omnium in te credentium, pero misericordiam tuam, oro clementiam tuam, vt si Petrus Ticinensis, qui dicitur Florentinus Episcopus, pecunia Florentinam sedem occupauit, tu æterni patris filius, tu mea salus, in hoc tremendo iudicio ad me adiuuandum festines, & me illæsum sine vllis adustionis vestigijs conserues, sicut olìm tres pueros in fornace Babylonica seruâsti. His dictis, per medios penetrat ignes, neque corpori, neque vestimentis vllo adustionis vestigio inhærente. Cumque vellet vertere sese, & eadem via per flammas reuerti, à populo retinetur, quippè iam perspicuè rei propositæ veritatem edocto. Nec verò satiari poterant eius præsentia, alijs manus, alijs pedes, reliquis vestimenta eius exosculantibus. Beatum se existimabat, quisquis vel fimbriam vestium eius posset contingere. Ità Simon Petrus magnis celebratur laudibus: Simon Magus vt stercus ab omnibus conculcatur: & Petrus, non Apostolus, sed Episcopus, Simoniacus ab omnibus pronunciatur, & vt hæreticus euitatur.

Attēde sanctam monachorū fiduciam, qui ad veritate sese ignis periculo comiserunt.

Episcopus huic spectaculo interesse recusauit.

Abbas Petrus illæsus per medios ignes trāsit.

Petri Abbatis oratio.

Dan. 3.

Deniquè Senatus populusque Florentinus rem totam solennibus literis perscribit Pontifici Alexandro, humiliter orans, vt quemadmodùm Simon Petrus Simonem Magum maledictione damnauit, ità ipsius sanctitas velit Petrum Florentiæ Episcopum ea dignitate priuare, & alterum ei substituere. Fecit ità Pontifex Alexander, iustitia id exigēte, ob tollenda scandala, & alius Florentinis datus est antistes. Posteà verò beatus Iohannes iam senio confectus, in morbum incidit grauissimum: congregatisque è diuersis locis Abbatibus, suum è vita hac decessum pronuncians, hortabatur omnes, vt Canonem monasticum accuratè obseruarent, & vnitati fraternæque dilectioni studerent: perceptisque cum multa deuotione sacramentis, spiritum cœlo reddidit incōtaminatum, anno Dominicę incarnationis millesimo septuagesimo tertio, quarto Idus Iulij. Tertio indè die humatus est in ecclesia monasterij * Passiniani. Post obitum eius omnipotens Deus multis eum miraculis illustrauit.

Cap. 18.

S. Iohannes perceptis sacramentis mortē oppetit.

* de Passignano.

VITA

VITA LEONIS SECVNDI ABBATIS CAVENSIS PROPE NEAPOLIM, A QVODAM EIVS *ferè æquali docto viro conscripta.*

PROLOGVS AVTHORIS IN LEONIS, CONSTABILIS, *Petri & Alferij, eiusdem cœnobij venerabilium Abbatum vitas, quas suis locis Lector reperiet, excepta Constabilis Abbatis historia, quam septimo Tomo reseruauimus, propterea quod tardiùs ad nos allata sit, quàm vt suo loco inseri potuerit.*

Iulij 12. Matth.5 SI iuxta diuinæ sententiam veritatis, lucerna in hoc accenditur, vt super candelabrum posita, lumen domum intrantibus præbeat, benè prolatæ sententiæ virtutem exequimur, si sanctorum virorum exempla, ad minorum formam altiùs subleuemus. Ex alto quidem suæ reuelationis ad instàr ignis quo longiùs lumen proferunt, inuitare eos, quos illustrant, meliùs possunt. Magna quidem cùm fecerint, & nesciuntur, magnum, quod habent, lumen non proferunt: quia in imis locis & abditis occultantur. Et fortassè idcircò abscondi sub modio lucerna dicitur, quia ij qui sanctorum lucidam conuersationem sciunt, pro perfecta mensura illorum, quam continet, modij nomine designantur. Ex inferiori verò parte exprimuntur, quandò scita abscondunt, quia per meritum in imo & abiecto loco se constituunt. Hinc etiam scriptura sacra denunciat, dicens: Qui abscondit fru- Prou.11. menta, maledictus erit in populis. Quid enim frumentorum nomine, nisì sanctorum exempla figurantur? Ex omnibus quidem granis excellentior cibus est. Excellentia ergò facta perfectorum, frumenti nomine designantur: quia quo dulciùs hæc fidelium mentes percipiunt, eo plenius velut de electiori cibo satiantur. Si ergò maledicitur, qui frumentum abscondit, cautè vigilandum est, vt ad quemcunque fidelium mira sanctorum facta peruenerint, hæc prædicando proferat, nè maledictum incurrat, & occultando in imo sit, qui exponendo fieri luminis candelabrum sublime potest. Vndè etiam in Euangelio Dominus dicit: Si in alieno fideles non fuistis, Luc.16. quæ vestra sunt quis dabit vobis?

Frumenta, exẽpla Sanctorum.

Ego igitur tam his & huiusmodi territus, quàm etiam audientium profectibus incitatus, venerabilium Patrum, Alferij videlicet, Leonis, Petri atque Constabilis Abbatum Cauẽsium vitas atque miracula scribere proposui: vt quia authore Deo idem Cauẽs mo nasterij religio. Cauense cœnobium magnæ religionis est, iamque eiusdem religionis Ordo longè lateque diffunditur, ij, qui eorum sequuntur institutionem, exemplis atque miraculis accendantur. Quod profectò vobis huiusmodi fratres specialiter conuenit, quos impositio pio religionis onere, ad Ordinis eorum normam redegimus. Valdè enim deuotiùs post illorum vestigia curritis, si apertè cernitis, quia qui vos laborando præcesserant, de labore suo iam ad æterna gaudia peruenerunt. Me quoquè quia hoc deceat, nulli vestrûm dubium est: vt qui de claustro illo, velut terra promissionis egressus, in longinqua regione pascendos atque multiplicandos suscepi greges, virgas exemplorum vario cortice instituendis proponam: quatenùs ij, qui ex vobis per diuinam gratiam fœcundantur in spirituali sobole, non solùm perpetua carnis incorruptione sint virides, sed omnimoda virtutum varietate fulgentes. Sed quia in vniuersalibus scriptis nostris, verborum quibusdam obstaculis æmulorum accessus obstruere solemus, opusculi huius tenerum situm nullis reprehensionum spinis obducimus, quia cum domesticis nostris de rebus notis, fraternis affectibus fabulamur. Ad quod nimirùm opus priorum nostrorum non modico rubore succendimur, qui Liber Victoris Papæ, de miraculis Sanctorum. de suis agere, quod alij fecerant, noluerunt. Victor nanque Romanæ Ecclesiæ summus Pontifex, cùm adhuc illi monasterio, quod à sanctissimo Patre nostro Benedicto in Cassino monte extructum est, in venerando habitu præesset, librum, quem de Sanctorum miraculis scripsit, viri venerabilis Alferij mentionem fecit, eiusdem se familiarem asseruit, & ipsius quædam miracula, ità vt ab eo fuerant gesta, narrauit. Vir quidem sanctus, dum subiectorum animas ad cælestem patriam succendere per exempla meliorum satageret, ea quæ ad eorum formam producere voluit, & propè & longiùs quæsiuit. Quid ergò nobis, de nostris agendum est, si ab alijs iam & miris extolluntur laudibus, & scriptorum memoria celebrantur? Quia verò præfatus Pontifex quædam, non omnia, huius viri venerabilis miracula scripsit, & pro eius reuerentia, scripturæ ipsius authoritatem operi nostro præmittimus, & pro ædificatione audientium plura, quæ eum vel tunc latere potuerunt, vel post eiusdem obitum sunt gesta, supplemus. Quia itèm noua scribendi tempora contemni solent, fidem dictorum relatoribus, non scriptis Lector adscribat: quia etsi isto tempore scribimus, ea, quæ ab antiquis monasterij senibus sunt nobis dicta, narramus.

VITA.

SECVNDVS Cauensis monasterij Pater Leo, vir valdè venerabilis fuit, viri reuerendissimi Alferij discipulus institutione, sed socius spiritu & virtute, quia fructũ eiusdem magisterij in perfectione protulit summæ & sanctissimæ conuersationis. Hic nanq; Luscus genere, ciuis Lucensis, in Salerni partes veniens, vbì eiusdem Patris celebrem famam comperit, ei se protinùs in sanctissima conuersatione erudiendum dedit. In qua nimirùm ità breuì profecisse cognoscitur, vt non solùm æmulator laborum magistri sui, sed etiam mirabilium operum cooperator existere videretur. Siquidem cùm pro resuscitando mortuo vir venerandus Alferius orare proposuit, hunc solum ex omnibus discipulis secum retinuit, cum quo pariter se in orationem, dedit: quòd vtiquè vir sanctus non faceret, nisì ex vitæ eiusdem perfectione colligeret, quia ad obtinenda tam grandia adiutorium sibi præstare potuisset. Qui licèt magistri sui tempore magnus haberetur, tamen pòst eiusdem mortem magìs claruit. Nam vt discipuli eiusdem, qui vsque ad nostra tempora in monasterio fuerunt, referre soliti sunt, in tantam cordis puritatem profecit, vt venerabilem Domini nostri genitricem orationis tempore videre mereretur. Prætereà tantæ humilitatis atque misericordiæ vir extitisse dicitur, vt ab adiacenti cellæ suæ eremo lignorum sarcinas proprijs humeris Salernum ferret, easque distrahens, panes emeret, quos pauperibus erogaret. Haud secùs vtiquè se matris Domini adspectũ promereri nouerat, quàm si magnis virtutibus polleret, & se magna humilitate deijceret: vt despectus foris, intùs nequaquàm intumesceret, sed virtutum tenerum ædificiũ in summæ humilitatis petra solidaret. Et fortassè vir sanctus se illi ministerio coniunxit, quia ad æternam vitam per labores temporales ire dispositum. Opus ergò misericordiæ illud probauit, quod cum corporei laboris sacrificio cõuenire cognouit, vt ex vtroque velut pingue omnipotentis Dei holocaustũ fieret, amoris videlicet flamma sic totus affluens, vt corpus omne laboribus, & totam mentem dedicaret pietati.

Iulij 12. Cap. 1. Ifte Leo fuit beati Alferij discipulus. Itèm in resuscitando mortuo socius. Leo videt Dei genitricem Mariam. Humilitas eius quanta fuerit. Quãta eius in pauperes misericordia.

Ferunt etiam quia quadam die cùm à prædicta ciuitate veniret & lignorũ suorum precium in pane pauperibus diuideret, Gisulfo quoquè Salerni Principi sudoris sui panem porrexit, qui cùm primò oblatum sibi panem despiceret, reprehensus à militibus, quòd non panem sed in pane Dei hominem sperneret: confestìm reuersus est, de viri Dei manibus panem accepit & comedit, atque ex illa iam die tanto Patri familiaris fuit. Ex qua nimirùm gratiæ vbertate accidit, vt in multam donorum messem panis ille frustrà, vt putabatur, diuiti oblatus crescceret, & quasi bonum semen fructus sui copiam abundanter effunderet. Nam cùm idem Princeps seculari potentia tumidus plura crudelia sæuaque proponeret, hic solus audebat obsistere, solus prauis eiusdem dispositionibus libera authoritate contraire, quem nimirùm sæpè humilibus precibus liniens, sæpè comminationibus impetens, nonnunquàm sibi subiectum & obedientem ità reddidit, vt obtineret quandoquè quæ peteret, quandoquè quæ impendere nollet, ab inuito authoritate non precibus extorqueret. Nam scriptum de huiusmodi sanctæ Ecclesiæ potentibus est: Iustus vt leo confidit. Et iterùm sacra scriptura loquitur, dicens: Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum. Cap. 2. Artende fructum panis viri Dei. Prou.28. Prou.30.

Vir

Cap. 3. Vir ergò Domini significatum sui nominis virtute magnæ constantiæ exhibebat, pauper siquidē rebus, cęlestis patrimonij desiderij diues, huius mundi diuitibus tanto liberiùs obsistere poterat, quanto in mundo, quē non amabat, perdere nil metuebat. Eodem nanque tempore memoratus Princeps contra Amalfitanos bellum mouerat, in quos ità sæuire visus est, vt quoscunq; ex eis caperet, magnis tormentorum cruciatibus deputaret. Quis verò explicare sufficiat, Pater venerabilis Leo quanta tunc captis authoritate, quanta liberalitate succurrerit, quàm largiter carceratos paucrit, spoliatos induerit, vinctos absoluerit, tortos eruerit, atque à vicina membrorum amputatione liberauerit? nam tanta libertate pro eis qui ad pœnas ducebantur, eidem Principi obstitit, vt eos ab ipsis cruciatibus violenter auferret atque non iussus absolueret.

Exercet septem misericordiæ opera.

Cap. 4. Quadam nanque die, dum ad mēsam cum fratribus sederet, tristis nuncius affuit, qui venerando viro tres homines priuari lumine iussos à Principe indicauit, & eiulans atque exclamans subiunxit dicens: Curre Pater curre, quia iam miseri producuntur. Tunc pater venerabilis à mensa surgens, & velut alter Tobias prandium deserens, Salernum concito gradu perrexit: & iam viros illos extra ciuitatem perductos inueniens, tenuit & absoluit, atque abire liberos iussit. Cumque carnifices vehementer timerent, ipse pro eis se Principi reddere rationem promisit, quam profectò vt promisit exhibuit: quia se, vt dixit, vadem pro eis obtulit, sed de crudelitate, quam in Christi fideles exercebat, non vt vades pœnarum, sed vt tutor iustitiæ vehementer increpauit. Cui etiam aliquandò indignanti & superbię tumore saluris monita cōtemnenti, crudelitatis suæ meritum per prophetiæ spiritum pronunciauit, dicens: Pro crudelitate tua post parùm temporis, huius terræ dominus non eris. Quòd cùm Princeps audisset, timuit, sed tamen feritatem suam non reliquit: vndè non immeritò viri Dei minas expertus est. Post non multum deniquè temporis Salernitana ciuitate à Roberto Duce obsessa & capta, vt vir sanctus prædixerat, regimen, quod piè moderari Princeps noluit, amisit. Quo iure trium Patrum gratia floruisse venerandus Pater agnoscitur: Tobiæ scilicet, qui vt mortuos reconderet, reliquit prandium: S. Nicolai, qui vt insontes eriperet, tenuit spiculatoris manum: S. Benedicti, qui regi Totilæ futuram mortem nunciauit, & eiusdem feritatem, quam ex toto auferre nequiuit, terrendo minuit. Iustorum quippe fulgore enituit, qui more sanctorum paracleti Spiritūs gratia plenus fuit.

Liberat tres viros excæcationi ad iudicatos.

Increpat Principis crudelitatē.

Prædicit Principi Salernitano suū casum.

Cap. 5. Neque illud silendum arbitror, quòd Gisulfus Princeps cùm Amalfitani cuiusdam opes depositas Salerni apud obedientiam monasterij videlicet S. Nicolai de palma cognouisset, ad locum accessit & depositum eruere tentauit: quod cùm beato viro innotesceret, præuenire Principem studuit, vt videlicet arcæ illi insideret, nè depositum quod intùs latebat, sine suî iniuria educi potuisset. Tunc Princeps, qui tanto Patri iniurias inferre metuebat, quasi per iocum manus ad arcam tendere, & vt surgeret de eadem arca rogare cœpit. Sed vir Dei exterioris calliditatis arte blandienti eadem voluit arte illudere, vt prauè callentis intentio effectum habere minimè potuisset: nam quotiès ad arcam Princeps per iocum manum tendebat, vir Domini quasi sanctè ludendo manum Principis baculo ferire minabatur, cumque hoc sæpiùs fieret, & idem Princeps iam non ioco sed seriò & importunè res arcæ latentes exigeret, vir Dei irato Principi non solùm non acquieuit, sed etiam facti temeritatem vehemētet increpauit. Tunc Princeps tam constantia quàm solertia sancti viri superatus recessit, & depositum hominis intactum reliquit. Sed de tāti viri authoritate ista tetigisse sufficiat. nam si quis per singula cuncta describeret, quotiès scilicet se pro soluendis vinctis obiecerit, quotiès, vt alios eriperet, semetipsum obtulerit, quibus aut quantis blandimentis & precibus, quibus minis & terroribus, quot itèm vicibus & artibus eundem Principem aggressus fuerit, noñ paginam, sed enormem codicem impleret, quod profectò beati viri propositū quantùm Domino placeret, apertis rebus ostensum est.

Quanta fuerit Leonis authoritas & iustitia.

Cap. 6. Festum quippe beatæ virginis & martyris Cęciliæ, pro affectu quem erga eiusdem meritum habebat, solēniter celebrare consueuerat, die autem illo qui festū eiusdem prædicandæ virginis præibat, ità apud iam sæpedictum Principem pro absolutione vinctorum fuit occupatus, vt ad cellam nisì incumbentibus iam noctis tenebris redire nullatenùs valeret. Peractis ergò negocijs & more suo carceribus deprædatis, cùm extra cellam manere noluisset, ad lumen cerei sequentibus fratribus iter arripuit & reuerti

reuerti ad monasterium cœpit: tunc orta tempestate, inter immēsa ventorum flamina atque ingentis pluuiæ inundationem, ardentem cereum detulisse fertur & ità sicca vestimenta àc si sereno & tranquillo aëre, aut operta porticu venisset. Spelunca etiam non erat longè à monasterio, quam miræ magnitudinis serpens obtinuerat, cumque terrore illius bestiæ locum adire incolæ vehementer metuerent, venerando Patri Leoni hoc intimare curauerunt: quod vt cognouit, se homo Dei in orationem dedit, atque in loco illo in quo erat, ità draco extinctus illius oratione est, àc si non hunc verbis impeteret, sed trabali telo viscerum eiusdem secreta perculisset.

Nota miraculū de vestimēris ei⁹, & ardente cereo.

Oratione occidit draconem.

His ergò & huiusmodi virtutibus clarus, cùm iam plena dierum senectute grauaretur, æternæ quietis leuamine, pondere carnis depositò, susceptus est. Cuius vtiquè meritum, vt ipsa etiam eiusdem morte claresceret, * senioris elementi virtute subtracta, non sine ingenti omnium mentium stupore monstratum est. Venerabile nanque sancti viri corpus à flentibus & orantibus discipulis in oratorio seruabatur, cùm vnus ex cereis super feretrum cecidisset, & super pallium quo operiebatur, vt erat ardens incubuit: sed vt tanti viri meritum panderet, vim luminis habuit sine ardore combustionis. Nam cùm ad eundem lectum quidam fratres oculos leuarent, ardentem in pannis ignem adspicerent, combustionis damnum accidisse credidērunt: cumque festinanter eundem cereum leuarent, ità operimentum sancti corporis illæsum apparuit, àc si ignis in eo nullus cecidisset: tunc fratres omnes ingenti miraculo mirabiliquè lætitia stupere atque simul exultare cœperunt, dum sancti Patris merita naturæ suæ cessatione elementa muta prædicarent. Quod fortassè ideò foris ostensum est, vt spiritualis etiam viri dignitas cōuenienti miraculo spiritualiter signaretur. Apertè quidem recolimus, quia rubus in quo Dominus in igne apparuit, illuminatus est & non arsit, habuit lumen, ardore caruit, sed vt sedes Dei meritum habeat lucis, non habeat defectum diminutionis.

Cap. 7.

* leuioris

Viri Dei sanctitatem elementa muta prædicant.

Pater ergò venerabilis insignibus & conuenientibus miraculis ostensus est: quia hunc, vt locum proprium diuina lux semper incoluit, quem vt emeritum illustrauit, & quæ in eo per ardorem punirentur nequaquàm inuenit. Cuius etiam meritum si quis aliter velit hac ostensione cognoscere, facilè potest: nam perfectioribus electis per semetipsum veritas repromittit dicens: Capillus de capite vestro non peribit. Illius ergò operimentum corrumpi igne non potuit, cuius nullus labor perijt, sed fructum optimum meruit æternæ mercedis.

Cap. 8.

Luc. 21.

DE S. EVGENIO CARTHAGINENSI EPISCOPO, ET PLERISQVE ALIIS, SVB HVNERICO VANDALORVM REGE MULTA IN AFRICA PERPESSIS, EX LIB. 2. VICTORIS VTICENSIS DE PERSECUTIONE VANDALICA. CAPITA AD MARGINEM ADIECIMUS.

Iulij 13. Quo die Martyrologia eos habent.

MORTVO igitur Geiserico (Vandalorum rege) Hunericus maior filius patri succedit. Qui primordio regni, vt habet subtilitas Barbarorum, cœpit mitiùs & moderatiùs agere, & maximè circa religionem nostram: vt etiam vbì anteà sub rege Geiserico prędiudicatum fuerat, nè spiritales fierent conuentus, conuēticula concurrerent populorum. Et vt se religiosum ostenderet, statuit solicitiùs requirendos hæreticos Manichæos: ex quibus multos incendit, plurimos autem distraxit nauibus transmarinis: quos penè omnes Manichæos suæ religionis inuénit, & præcipuè presbyteros & diaconos Arrianæ hæreseos. Vndè magìs erubescens, ampliùs in illos exarsit. De quibus repertus est vnus, nomine Clementianus, monachus illorum, scriptum habens in femore: Manichæus discipulus Christi Iesu. Propter quod magìs laudabilior memoratus videbatur, in vno displicens, quia cupiditati insatiabili vehementiùs inhiabat, & prouincias regni sui varijs calumnijs atque indictionibus onerabat, vt de illo præcipuè diceretur: Rex egens, magnus est calumniator. Dedit autē licentiam, Zenone Imperatore atque Placidia relicta Olibrij rogantibus, vt Carthaginensis ecclesia sibi quem vellet Episcopum

Cap. 1.

Hunericus Manichęos persequitur.

ordinaret, quæ iam per vigintiquatuor annos tali ornamento fuerat destituta. Mittit ergò tunc ad ecclesiam Alexandrum illustrem, huiusmodi legationem ferentem, vt præsentia eius catholicus populus dignum sibi peteret sacerdotem, destinans quoquè per notarium suum, nomine Vuitared, edictum, quod publicè legeretur, hunc continens modum: Iussit vobis dominus dici, quia Imperator Zenon, & nobilissima Placidia, per Alexandrum virum illustrem scripserunt, petentes vt ecclesia Carthaginis, religionis vestræ proprium Episcopum habeat, hoc fieri præcepit atque eis rescripsit, vel legatis ab eis directis dici iussit, vt sicut petiêrunt, vobis Episcopum quem voluêritis ordinetis: eo sub tenore, vt nostræ religionis Episcopi, qui in Constantinopoli sunt, & per alias prouincias Orientis, ex eius præcepto Episcopi, liberum arbitrium habeant in ecclesijs suis, quibus voluêrint linguis populo tractare, & legem Christianam colere, quemadmodùm vos hîc vel in alijs ecclesijs, quæ in prouincijs Africanis constitutæ sunt, liberum arbitrium habetis in ecclesijs vestris Missas agere vel tractare, & quæ legis vestræ sunt, quemadmodùm vultis, facere. Nam si hoc circa eos non fuerit obseruatum, tam Episcopus, qui ordinatus fuerit vel clerici, sed & alij Episcopi cum clericis suis, qui in Africanis prouincijs sunt, iubentur inter Mauros mitti. Quod edictum dum nobis præsentibus xiiij Kalendarum Iuliarum vniuersæ ecclesiæ legeretur, gemere cœpimus mussitantes, eó quòd meditantibus dolos, malorum esset futura persecutio præparata. Et ità legato dixisse probamur: Si ità est, interpositis his conditionibus periculosis, hæc ecclesia Episcopum non delectatur habere. Gubernat eam Christus, qui semper dignatur gubernare. Quam suggestionem legatus accipere neglexit. Simul & populus, vt tunc fieret, vt ignis exarsit: cuius erat clamor intolerabilis, qui nulla posset ratione sedari.

Zenon Imperator & Placidia, relicta Olibrij

Missas agere.

Cap. 2. Eugenius ordinatur carthaginis Episcopus.

Ordinato itaque Episcopo Eugenio viro sancto, Deoque accepto, sublimis nata est lætitia, & gaudium cumulatum est Ecclesiæ Dei. Exultat multitudo catholica sub barbara dominatione, de ordinatione pontificis reparati. Nam maximus iuuenum numerus atque adolescentularum, sibimet in commune congaudens attestabatur, quòd nunquàm vidisset Episcopum in throno sedentem. Porrò ille vir Dei sacerdos Eugenius cœpit per conuersationem operum bonorum venerabilis & reuerendus haberi etiam ab eis, qui foris sunt, & ità esse ab omnibus gratus, vt si fas esset, animam suam pro eodem vniuersos ponere delectaret. Eleemosynas quoquè tales per eum Dominus dignatus est facere, vt incredibile videatur tanta eum impéndere, vbi ecclesia totum Barbaris tenêtibus, ne vnius nummi habere cognoscitur facultatem. Humilitatem in illo, charitatem, pietatem, diuinitùs condonatam, si quisquam incipiat, non poterit explicare. Pecuniam apud eum mansisse non probatur, nisi forte tali hora offerretur, quandò iam sol diei explicans cursum, nocturnis tenebris ordinem daret & locum. Vndè tantum reseruabat, quantum diei sufficeret, non quantum cupiditas expetisset, Deo nostro subindè quotidiè ingentia & maiora donante.

Est mirè gratiosus apud omnes.

Eius virtutes.

Cap. 3. Arriani illi inuident.

Sed cùm fama eius esset celebris atque manifesta, cœperunt exindè Arrianorum Episcopi inuidia graui torqueri, quotidianis & præcipuè cum Cyrila calumnijs insectantes. Quid primum? Suggerunt de illo, vt suum nequaquàm sederet thronum, neque Dei populo verbum faceret consuetum. Deindè, quoscunque mares vel fœminas, in habitu barbaro incedentes, in ecclesia conspiceret, prohiberet. Ille respondit, vt decuit: Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere: maximè quia ingens fuerat multitudo nostrorum catholicorum, in habitu illorum incedentium, ob hoc quòd domui regiæ seruiebant. At vbi ab homine Dei tale responsum accepit, statuit in portis ecclesiæ collocare tortores. Qui videntes fœminam vel masculum in specie suæ gentis ambulantes, ilicò palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis ac vehementiùs stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli dum hoc fieret, statim oculos amiserunt: alij ipso dolore defuncti sunt. Mulieres verò post hanc pœnam capitibus pelle nudatis, præcone præeunte per plateas, ad ostensionem totius ciuitatis ducebantur. Quod sibi magis, quæ patiebantur, lucrum maximum computabant. Quorum nos plurimos nouimus, nec scimus eorum aliquem tunc, etiam pœnis vrgentibus, à recto itinere destitisse.

Crudelitas Arrianorũ & Regis.

Catholicorum constantia.

Cap. 4.

At vbi isto modo fidei infringere non valuit murum, cogitat vt nostræ religionis homines in aula eius constituti, neque annonas, neque stipendia solita potirentur: addidit quoquè & laboribus eos conterere rusticanis. Dirigit viros ingenuos & admodùm

modùm delicatos ad campum Vticensem, vt sub ardentis solis incendio cæspites messium desecarent: vbi omnes cum gaudio pergentes, in Domino lætabantur. In quorum contubernio quidam fuit aridam habens manum, quę per annos quamplurimos nullum ei præstiterat obsequium. Qui cùm veraciter excusaret se operari non posse, magis violenter iussus est pergere. Sed vbi ad locum ventum est, & præsertim pro eo orando ingemuerunt omnes, pietate diuina illa arida incolumis confessoris restituta est manus.

Viri nobiles cædere cæspites cogũtur.

Hinc iam Hunerici persecutio, doloris atque parturitionis nostræ sumpsit initium. Ipse autem qui sese iamdudùm omnibus lenem ostenderat, desiderans post obitum suum, quod non contigit, regnum statuere, Theodoricum fratrem filiosque eius, Gentonisque fratris nihilominùs filios, crudeliter cœpit insequi. Quorum nullum dimitteret, nisi ei mors desiderij sui voluntatem auferret. Primò sciens vxorem Theodorici fratris astutam, credo nè fortè maritum aut maiorem filium, qui prudens & sapiens videbatur, consilijs acrioribus aduersùs tyrannum armâsset, crimine appositio, gladio eam interfici iubet. Pòst occiditur & ille filius, magnis literis institutus, cui secundùm constitutionem Geiserici, eô quòd maior omnibus esset, regnum inter nepotes potissimùm debebatur. Accenditur adhuc crudelius aliquid perpetrare. Adstante vulgo in media ciuitate pro gradibus plateæ nouæ, Episcopum suæ religionis nomine lucundum, quem Patriarcham vocitabant, præcepit incendio concremari, ob hoc, quòd in domo Theodorici germani regis acceptissimus habebatur, cuius fortè suffragio memorata domus regnum poterat obtinere. In quo impietatis scelere futurum nobis adesse prospeximus malum, aientes singuli inuicèm nobis: Qui in suo ità crudelis effectus est sacerdote, quandò nostræ religioni vel nobis parciturus est iste? Tunc & Gentonis maiorem filium, nomine Godagisum, cum vxore absque solatio seruuli aut ancillæ, crudeli exilio delegauit. Fratrem verò Theodoricum post occisionem vxoris & filij, nudum atque destitutum similiter exulauit. Post cuius mortem filium, qui supererat, infantulum, duasque filias eius adultas, impositas asinis, longiùs affligendo proiecit. Sed & comites quamplurimos & nobiles gentis suæ obiectionibus falsis insectans, ob hoc quòd germano fauerent, alios incendit, alios iugulauit, imitator existens Geiserici patris, qui sui fratris vxorem ligato pondere lapidum, in Amsagam fluuium Cirtensem famosum iactando demersit, & post necem matris, etiam filios interfecit. Sed & multos ei Geisericus pater moriens, sacramento interposito, commendauerat. Quos ille immemor fidei & sacramenti violator, diuersis pœnis & incendijs trucidauit. Nam Heldicam, quem pater eius præpositum fecerat regni, iam veteranum atque annosum cum dedecore capite detruncauit, eiusque vxorem cum alia, nomine Theucaria, in medio ciuitatis incendit. Quarum corpora per vicos & plateas trahi mandauit, quæ tota die iacentia, rogatus à suis Episcopis, vix vesperì sepeliri concessit: Gamuth namque Heldicæ fratrem, quia ad ecclesiam eorum confugerat, occidere non potuit: quem tamen in loco latrinarum obsœno conclusit, temporeque multo eum ibi degere statuit. Posteà cum caprario quodam & rustico ad faciendas scrobes vineis profuturas condemnauit: quos etiam duodecièS per annum, id est, per singulos menses flagellis crudelibus dissipabat, vix modico aquæ cibarioque pane concesso. hoc per quinque vel amplius perpessi sunt annos, quibus hæc supplicia proficere poterant ad æternam mercedem, si catholici fuissent, & fidei suę merito ista perferrent. Sed ideò istud silere nequiuimus, vt impietatem regis etiam in suis minimè sileremus: qui non solùm Episcopum suum Iucundum, vt superiùs demonstrauimus, flammis adussit, sed & presbyteros & diaconos suos, id est, Arrianos quamplurimos, incendit, necnon & bestijs mancipauit.

Cap. 1.

Sęuitia Hunerici in suos fratres, &c.

Suũ patriarchã cõburit

Vide immanẽ tyrannũ.

Presbyteros & diaconos suos interficit.

Amputatis igitur in breui omnibus, quos timebat, & solidans sibi, vt putabat regnum quod breue fuerat & caducum, omni ex parte otiosus atque securus, vniuersa tela furoris in persecutionem Ecclesiæ Catholicæ, rugiens sicut leo, conuertit. Ante persecutionis tamen tempestatem, multis præeuntibus visionibus & signis, imminẽs demonstratum fuerat malum. Nam fermè ante biennium, quàm fieret, vidit quidam Fausti ecclesiam solito in ornatu fulgentem: & dum lætarentur tanti fulgoris candore, cereis quoquè fulgentibus, pallijsque velaminum ac lampadibus rutilantem, subitò, ait, luminis illius concupiscibilis extinctus est fulgor, ac tenebris succedẽtibus, aduersarius naribus natus est fœtor, omnisque illa beatorum turba, expellentibus

Cap. 6.

Visiones variæ.

Nota de cereis fulgentibus &c.

quibuſdam Aethiopibus, minata eſt foràs: ob hoc iugiter lamentatum, quòd eam in claritate priſtina nequaquàm viderit iterùm reſtitutam. Nam viſionem iſtam nobis præſentibus ſancto retulit Eugenio. Vidit & quidam preſbyter ipſam Fauſti eccleſiam refertam turbis innumerabilium populorum, & poſt paululùm euacuatam, & repletam porcorum multitudine atque caprarum. Item alius vidit aream triticeam ventilationi paratam, granis adhuc ventilationis iudicio necdùm à palea ſeparatis: & dum ingentis maſſæ, licèt confuſæ, magnitudinem miraretur, ſubitò eccè turbo veniens, tempeſtatis ſoniuago flatu cœpit aduentum ſuum ſurgente puluere demonſtrare. Cuius impetu palea illa omnis omninò volauit, remanentibus granis. Poſt hæc venit quidam procerus, ſplendido vultu habituque nitido fulgens, & cœpit grana vacua, macilenta atque ſimilagini reproba, purgando proijcere. Quæ diù examinans, vix magnitudinem illius maſſæ, licèt probatæ, ad aceruum tamen perduxit exiguum. Item alius ait: Stabat quidam præcelſus ſuper montem, qui Ziquenſis dicitur, & clamabat dextera leuaque: Migrate, migrate. Alius conſpicit rugiente cælo atque turbato ſulphureas nubes, quæ ingentes cœperunt lapides iaculari. Qui lapides dum cecidiſſent in terram, plùs accendebantur, & maioribus flammis ardebant, atque intrantes in penetralia domorum, quos inuenerant, incendebant. Qui autem vidit, ait, cùm ſe in quodam cubiculo abſcondiſſet, miſeratione diuina ad eum flamma non potuit peruenire: Reor, vt illud propheticum compleretur: Claude oſtium tuum, & abſconde te puſillum aliquantulum, donèc tranſeat ira Dei. Vidit & venerabilis Paulus Epiſcopus arborem vſque ad cælos ramis florentibus extenſam, quæ etiam dilatatione ſua omnem penè Africam opacabat. Et cùm vniuerſi eius magnitudine & ſpecioſitate gauderent, eccè ſubitò, inquit, venit aſinus violentus, qui deſtricans ceruicem ſuam ſuper robur radicum eius, impulſu ſuo cum ingenti ſonitu illam mirabilem arborem eliſit ad terram. Sed & Quintianus honorabilis Epiſcopus vidit ſe ſuper quendam montem ſtare, de quo conſpiciebat gregem innumerabilium ouium ſuarum: & in medio gregis duæ erant ollæ nimiùm bullientes. Aderant autem ouium occiſores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant. Et cùm ità fieret, omnis illa magnitudo conſumpta eſt gregis. Reor ergò illas duas ollas, Sicca veneria & Laribus, duas eſſe ciuitates, in quibus multitudo prima fuerat congregata, è quibus incendium initium ſumpſit: aut Hunericum regem, & Cirilam Epiſcopum eius. Sed de multis viſionibus, quia breuitati conſulendum fuit, hæc dixiſſe ſufficiat.

Hæretici porci & capræ.

Eſaiæ 26. Viſio Pauli Epiſcopi.

Hunericus Rex, aſinus.

Item Quintiani Epiſcopi.

Cap. 7. Quid vltrà? Cenſet primò tyrannus iuſſione terribili, vt nemo in eius palatio militaret, neque publicas ageret actiones, nisì ſeſe Arrianum feciſſet. Quorum ingens numerus vigore inuictus, nè fidem perderet, militiam temporalem abiecit. Quos poſtcà domibus proiectos, omniquè ſubſtantia expoliatos, in inſulas Siciliam & Sardiniam relegauit. Quodam tempore ſtatuere per totam Africam feſtinauit, vt noſtrorum Epiſcoporum defunctorum fiſcus ſibi ſubſtantiam vendicâſſet. Qui autem defuncto ſuccedere poterat, non antè ordinaretur, nisì fiſco regali quingentos ſolidos obtuliſſet. Sed hoc ædificium vbì conſtruere viſus eſt diabolus, ſtatim deſtruere illud dignatus eſt Chriſtus. Suggerunt ei domeſtici ſui, dicentes: Si iſtud firmauerit præceptio veſtra, noſtri Epiſcopi in partibus Thraciæ & alijs regionibus cõſtituti, peiora incipient pati. Præcepit deindè ſacras virgines congregati, dirigens Vandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus ad inſpicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbì nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui ſuſpendio atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mãmillis & lateribus apponebant, quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite, quomodò Epiſcopi vobiſcum concumbunt & clerici veſtri. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas. Aliæ, quæ remanſerunt, cutibus areſcentibus factæ ſunt curuæ. Nitebatur enim ſemitam inuenire, per cuius aditum publicam, ſicut fecit, faceret perſecutionem. Et ità faciens, nullo modo inueſtigare potuit, quomodò Chriſti eccleſiam macularet.

Cap. 7. Ediƈti Hunerici planè barbarum.

Vide hæretici Regis belluinã feritatem.

Cap. 8. Quibus autem proſequar fluminibus lachrymarum, quandò Epiſcopos, preſbyteros, diaconos, & alia Eccleſiæ membra, id eſt, quatuor millia DCCCCLXVI. ad exilium eremi deſtinauit? in quibus erant podagri quamplurimi, alij per ætatem annorum à lumine temporali priuati. In quorum erat numero beatus Felix Abdiritanus Epiſcopus, habens iam in epiſcopátu 44. annos. Qui paralyſi morbo percuſſus, nec ſentiebat quicquam, nec penitùs loquebatur. De quo nos maximè cogitantes, quòd

Cap. 8.

quòd non poſſet iumento portari, ſuggeſſimus vt à ſuis Rex peteretur, vt ſaltem cum properè moriturum Carthagini eſſe iuſſiſſet, quòd ad exilium nulla poſſet ratione perduci. Cui ità fertur tyrannus cum furore dixiſſe: Si animali ſedere non poteſt, iungantur boues indomiti, qui eum colligatis funibus trahendo perducant, vbì ego præcepi. Quem ex tranſuerſo ſuper burdonem vinctum, quaſi quendam ligni truncum, toto itinere portabamus. Congregantur vniuerſi in Siccenſem & Larenſem ciuitates, vt illuc occurentes Mauri, ſibi traditos ad eremum perduxiſſent. Superuenientes igitur Comites duo, ſubtilitate damnabili, blandis ſermonibus cum Dei confeſſoribus agere cœperunt: Quid vobis, inquiunt, videtur, vt ità pertinaces ſitis, & domini noſtri præceptis minimè obtemperetis, qui eſſe poteratis in conſpectu regis honorabiles, ſi eius feſtinetis facere voluntatem? Statim illis clamantibus & dicentibus ingenti vociferatione, Chriſtiani ſumus, Catholici ſumus, Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur: includuntur grauiori quidem, ſed adhuc latiori cuſtodia, vbì nobis copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & diuina myſteria celebrare. Ibì & infantuli fuêre quamplurimi, quos genitrices materno ſequebantur affectu, aliæ gaudentes, aliæ retrahentes: aliæ gaudebant ſe martyres peperiſſe, aliæ morituros diluuio rebaptizationis, nitebantur à confeſſione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinauit ad terram. Nam quædam quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat.

Crudele tyranni reſpõſum.

Præclarà Catholicorum vox.

Arriani ſuos rebaptizabant.

Dum iter ageremus cum Dei exercitu comitantes, & fortè magis noctibus promoueremur propter ſolis ardorem, conſpicicimus mulierculam ſacculum & alia veſtimenta portantem manu, infantulum vnà tenentem, atque in his ſermonibus conſolantem: Curre domine meus: vides vniuerſos ſanctos quomodò pergunt & feſtinant hilares ad coronas? Quam nos cùm increpáremus, quòd importuna videretur aut viris pro ſexu iungi, aut exercitui Chriſti ſociari, reſpondit: Benedicite, benedicite, & orate pro me & pro iſto nepote paruulo meo, quia & ſi peccatrix, filia ſum quondàm Quiritanæ ciuitatis Epiſcopi. Cui nos: Et quarè ità abiectè ambulas, & qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonſtraris? Quæ reſpondit: Cum hoc ſeruo veſtro paruulo ad exilium pergo, nè inueniat eum ſolum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Ad hęc verba repleti lachrymis, nihil dicere valuimus, nisì vt voluntas fieret Dei.

Cap. 9. Inſigne pietatis catholicæ in anu exemplum.

Sed vbì aduerſarius, qui iam fortè dicebat: Participor ſpolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea: nullum potuit occupare, inquirit anguſta & deterrima loca, in quorum conclauibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam viſitationis humanæ negata conſolatio, puniuntur & cuſtodes fuſtibus, & grauiter affliguntur, iactantur confeſſores Chriſti ſuperinuicèm anguſtia coarctante, vnus ſuper alium vt agmina locuſtarum, & vt propriè dicatur, vt grana precioſiſſima frumentorum. In qua conſtipatione ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat loci, ſed ſtercora & vrinam vrgente neceſſitate ibidèm faciebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret: ad quos aliquandò dantes ingentia munera Mauris, dormientibus Vandalis vix clàm admiſſi ſumus intrare. Qui introeuntes, velutì in gurgite luti vſque ad genua cœpimus mergi, illud tunc Hieremiæ videntes fuiſſe completum: Qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſunt ſtercora ſua. Quid multa? præcepti ſunt, vndiquè perſtrepentibus Mauris, ad iter vbì deſtinati ſunt, præparari. Exeuntes itaque die Dominica, linita habentes ſtercoribus veſtimenta, facies ſimul & capita, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: Hæc eſt gloria omnibus ſanctis eius. Aderat enim ibì tunc beatus pontifex Cyprianus Vnizibirenſis Epiſcopus, conſolator egregius, qui ſingulos pio & paterno fouebat affectu, non ſine fluminibus currentium lachrymarum, paratus pro fratribus animam ponere, & ſe vltronem, ſi dimitteretur, talibus paſſionibus dare, qui totum quod habuit, egentibus fratribus, nulla tunc neceſſitate expendit. Quærebat enim occaſionem, qualiter confeſſoribus ſociaretur, ipſe animo & virtute confeſſor: qui poſteà per multos agones & ſqualores carceris, ad exilium quod deſiderabat, cum exultatione perrexit. Quantæ tunc multitudines de diuerſis regionibus & ciuitatibus, ad viſendos Dei martyres occurrerint populorum, teſtantur viæ vel ſemitæ, quæ cùm agmina venientium nequaquàm caperent, per vertices montium & vallium concurrens turba fidelium

Cap. 10. Exod. 15. Mirè premuntur Catholici.

Vide miſeriam. Thren. 4.

Pſal. 149.

Cyprianus Vnizibirẽſ. Epiſcopus egregius.

Vide deuotionẽ catholicæ plebis.

inæſtimabilis deſcendebat, cereos manibus geſtantes, ſuoſque infantulos veſtigijs martyrum proijcientes, iſta voce clamabant: Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi ſunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt, Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Qui nos ſolennibus orationibus ſepulturi ſunt morientes? à quibus diuini ſacrificij ritus exhibendus eſt conſuetus? vobiſcum & nos licebat pergere, ſi liceret, vt tali modo filios à patribus nulla neceſſitas ſepararet. Matth.18.

Cap. 11. In his vocibus & lachrymis nullus iam pergere admiſſus eſt cõſolator, ſed arctabatur multitudo ad currendum, vt vbi cannaua erat præparata, laborioſam caperet manſionem: qui cùm ſenes deficerent, & alij fortè, & ſi iuuenes delicati, cœperunt haſtilium cuſpidibus ad currendum & lapidibus tundi: vndè magis deficientes, ampliùs laſſabantur. Poſt verò imperatum eſt Mauris, vt eos, qui ambulare non poterant, ligatis pedibus vt cadauera animalis mortui traherent per dura & aſpera lapidum loca, vbi primò veſtimenta, poſteà membra ſingula carpebantur. Quibus per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, alij latera findebantur, & ità inter manus trahentium ſpiritum exhalabant: quorum numerum nequaquàm valuimus colligere, multitudine coërcente. Exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis ſepultura ſanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad ſolitudinis loca peruenium, in quibus collocati, hordeum ad veſcendum vt iumenta accipiunt. Vbi etiam venenatorum animalium atque ſcorpionum tanta eſſe dicitur multitudo, vt ignorantibus incredibilis videatur, quę ſolo flatu etiam procùl poſitis veneni virus infundat: ab ſcorpij autem percuſſu, nullum dicunt aliquandò euaſiſſe. Quorum feritas virulenta vſque ad præſens tempus, Chriſto defendente, nullum ſeruorum eius nocuiſſe docetur. Sed cùm illic aluntur hordeaceis granis, poſteà & hoc ablatum eſt, quasi non poterat Deus, qui pluerat Patribus manna, paſcere & nunc tali exilio mancipatos.

Multi animam reddunt.

Hordeũ cibus exulum catholicorum.

Exod.16.

Cap. 12. Cogitat acriora aduersùs Eccleſiam Dei, vt qui membra aliqua abſciderat, totum laniando perderet corpus. Nam die Aſſenſionis Domini legato Zenonis Imperatoris, rege non præſente, legendum in media Eccleſia Epiſcopo Eugenio dirigit præceptum, quod etiam vniuerſæ Africæ, veredis currentibus, deſtinauit: Rex Hunericus Vandalorum & Alanorum, vniuerſis Epiſcopis Homouſianis: Non ſemèl, ſed ſæpiùs, conſtat eſſe prohibitum, vt in fortibus Vandalorum ſacerdotes veſtri conuentus minimè celebrarent, nè ſua ſeductione animas ſubuerterent Chriſtianas. Quam rem ſpernentes plurimi, reperti ſunt contra interdictum Miſſas in fortibus Vandalorum egiſſe, aſſerentes ſe integram regulam Chriſtianæ fidei tenere. Et quia in prouincijs à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus, ideò Dei prouidentia cum conſenſu ſanctorum Epiſcoporum noſtrorum hoc nos ſtatuiſſe cognoſcite, vt ad diem Kalendarum Februariarũ proximè futurarum, amiſſa omni excuſatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, vt de ratione fidei cum noſtris venerabilibus Epiſcopis poſſitis inire conflictum, & de fide Homouſianorum, quam defenditis, de diuinis ſcripturis propriè approbetis, quô poſſit agnoſci, ſi integram fidem teneatis. Huius autem edicti tenorem vniuerſis Epiſcopis tuis per vniuerſam Africam conſtitutis direxmus. Data ſub die xiij. Kalen. Iunias, anno vij. Hunerici.

Epiſtola impij Hunerici ad Eugenium Epiſcopum.

Cap. 13. Cognoſcentibus igitur, qui aderamus, ſimulque legentibus, contrita ſunt extemplò corda noſtra, & contenebrati ſunt oculi noſtri, & verè tunc dies feſti noſtri conuerſi ſunt in luctum, & canticа in lamentationem, dum edicti tenor indicaret futuræ perſecutionis furorem. Et præſertim vbi dixit, In prouincijs noſtris à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus: quaſi diceret, In prouincijs noſtris Catholicos eſſe nolumus. Tractatum eſt, quid fieret. Nullum inuenit remedium imminens calamitas, nisi à ſancto Eugenio rationabilis, ſi cor barbarum molliretur, ſuggerenda daretur tali textu conſcripta: Quotiès animæ vel vitæ æternæ ac fidei Chriſtianæ cauſa tractatur intrepidè, ſicut regalis prouidentia compromiſit, neceſsè eſt quod competit ſuggeratur. Nupèr poteſtas regia per Vuitaredum notarium paruitatem meam admonere dignata eſt, qui nobis de merito ac religione fidei præceptum eius in eccleſia, præſente clero & plebe, recenſuit. Ex cuius tenore cognouimus ad omnes coëpiſcopos meos præceptum regium ſimiliter emanâſſe, vt die conſtituta pro

Scriptum S. Eugenij.

pro diſputatione fidei veniatur. Quod nos venerabiliter accepiſſe ſuggeſſimus, cui præfato notario humilitas mea ſuggeſſit, debere etiã tranſmarinarum omnium partium, qui nobis ſunt in vna religione vel communione conſortes, agnoſcere, quia vbiquè regno eius obtemperant vniuerſi, maximè quòd totius mundi cauſa, non ſpecialis prouinciarum Africanarum tantummodò. Et quia ſecundo reſponſo ſuggerendam me promiſi oblaturum, meritò ſuppliciter peto magnificentiam tuam, vt ad domini & clementiſſimi Regis aures memoratam ſuggeſtionem meam perferre digneris, quô eius clementia dignanter agnoſcat, nos diſputationem legis cum adiutorio Dei nullatenùs declinare vel fugere, ſed ſine vniuerſitatis aſſenſu nos non debere aſſerendæ fidei noſtræ cauſas aſſumere. Quod petimus, vt benignitate, quantus eſt, & iuſtitia ſapientiæ ſuæ dignetur annuere. Data ab Eugenio Epiſcopo eccleſię Catholicæ Carthaginis.

Res fidei ad vniuerſam ſpectat eccleſiam.

Cap. 14. Sed cùm hæc ſuggeſtio à beato Eugenio offerretur, ille iam, qui conceperat dolorem, vrgebatur iniquitatem grauiùs parturire: & ità ſancto viro Epiſcopo Eugenio per Obadum præpoſitum regni ſui mandâſſe videtur: Subde mihi vniuerſum orbem terrarum, vt ſub poteſtate mea totus mundus redigatur, & facio ô Eugeni quod dicis. Ad quod beatus Eugenius reſpondit, vt potuit. Quod rationem, inquit, non habet, dici non debuit. Sic eſt hoc, quomodò ſi dicatur homini, vt per aëra feratur & volitet, quod moris non eſt humanæ naturæ. Dixi enim, ſi noſtram fidem, quæ vna & vera eſt, poteſtas regis cognoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos: ſcribam & ego fratribus meis, vt veniãt coëpiſcopi mei, qui vobis nobiſcum cõmunem fidem noſtram valeant demõſtrare, & pręcipuè Eccleſia Romana, quę caput eſt omniũ eccleſiarum. Ad hæc Obadus: Ergò tu & dominus meus Rex ſimiles eſtis? Eugenius Epiſcopus dixit: Ego non ſum ſimilis regis, ſed dixi: Si veram cognoſcere deſiderat fidem, ſcribat amicis ſuis, vt dirigant noſtros catholicos Epiſcopos: & ego ſcribo coëpiſcopis meis, quia catholicę vniuerſæ vna eſt cura. Hoc agebat Eugenius, non quia deeſſent in Africa, qui aduerſariorum obiecta refellerent: ſed vt illi veniſſent, qui alieni ab eorum dominatu, maiorem fidutiam libertatis haberent, pariterq; oppreſſionis noſtræ calumnias vniuerſis terris & populis nunciarent. Ille autem, qui nectebat dolos, audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, vt quoſcunque Epiſcoporum audiêrat eruditos, varijs inſectationibus agitaret. Iam ad exilium Vibianenſem ſecundò Donatianum, impoſitis centum quinquaginta fuſtibus, miſerat Epiſcopum, necnon & Sufetulenſem Præſidium, virum ſatis acutum. Tunc & venerabiles Manſuetum, Germanum, Fuſculum, & multos alios fuſtigauit. Dum hæc geruntur, imperat vt cum noſtræ religionis viris, illorum menſam nullus communem haberet, neque cum catholicis omninò verſarentur: quę res non ipſis aliquod præſtitit beneficium, ſed nobis maximum contulit lucrum. Nam ſi ſermo eorum, dicente Apoſtolo, ſicut cancer conſueuit ſerpere: quanto magis communis menſa ciborum poterit inquinare, cùm dicat idem Apoſtolus: Cum nefarijs nec cibum habere communem? Sed cùm ignis iam perſecutionis accenderetur, & flamma infeſtãtis vbiquè Regis arderet, oſtendit Deus noſter quoddam miraculum per ſeruum ſuum fidelem Eugenium, quod præterire non debeo.

Romana Eccleſia caput omniũ eccleſiarũ.

Multi Epiſcopi mittuntur in exilium.

2. Tim. 2.

1. Cor. 5.

Cap. 15. Fuit in eadem ciuitate, id eſt, Carthagine, quidam cæcus, ciuibus ciuitatique notiſſimus, nomine Felix: Hic viſitatur à Domino, diciturque ei nocte per viſum: (dies enim Epiphaniorum illuceſcebat) Surge, vade ad ſeruum meum Eugenium Epiſcopum, & dices ei, quia ego te ad illum direxi: Et illa hora, qua benedicit fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur, & videbis lumen. Qui tali viſitatione commonitus, putans ſe, quomodò aſſolet, deludi per ſomnium, ſurgere noluit cæcus. Sed cùm iterùm * vergeretur in ſomnos, ſimiliter vt ad Eugenium pergeret, compellitur. Rurſùs negligit, tertioque feſtinanter & grauiter increpatur. Excitat puerum, qui ei ſolitus erat manum porrigere. Pergit velociagilitate ad Fauſti baſilicam, orat veniens cum ingentibus lachrymis, ſuggerit cuidam diacono, nomine Peregrino, vt eum Epiſcopo nunciaret, indicans ſe habere aliquod ſecreti genus intimandum. Audiens Epiſcopus, iuſſit hominem introire. Iam enim ob celebritatem feſtiuitatis, hymni nocturni per totam eccleſiam canente populo concrepabant. Indicat cæcus antiſtiti ordinem viſitationis ſuæ, dicitque illi: Non te dimittam, nisi mihi, ſicut à Domino iuſſus es, reddideris oculos meos. Cui Eugenius ſanctus: Recede à me frater, peccator ſum & indignus, & ſuper omnes homines

Vide antiquũ benedictiõem fontem baptiſmi.

Hymni nocturni in eccleſia.

mines delinquens, vtpotè qui & in hæc tempora ſeruatus ſum. Ille autem tenens ge-
nua eius, aliud non dicebat, nisì illud, quod iam dixerat: Sicut iuſſum eſt, redde mihi
oculos meos.

Cap. 16. Attendens quoquè Eugenius inuerecundam credulitatem, & quia iam tempus vr-
gebat, pergit cum eo, comitante officio clericorum, ad fontem. Vbì fixis genibus
cum ingenti gemitu, pulſans ſingultibus cælum, criſpantem benedixit alueum fon-
tis, & cùm completa ſurrexiſſet oratione, ità cęco reſpondit: Iam tibi dixi frater Felix,
peccator homo ego ſum: ſed qui te viſitare dignatus eſt, præſtet tibi ſecundùm fidem
tuam, & aperiat oculos tuos. ſimulque vexillo Crucis conſignante oculos eius, ſta-
Felicē cæcū illuminat S. Eugenius. tìm cæcus viſum Domino reddēte recepit. Quem ſecum quouſquè vniuerſi baptiza-
rentur, ibì detinuit ob hoc, nè tanto miraculo populus excitatus, virum contereret,
qui receperat lumē. Fit poſteà manifeſtum Eccleſiæ vniuerſæ. Procedit ad altare cum
Eugenio, ſicut moris eſt, qui fuerat cæcus, ſuæ ſalutis oblationem Domino redditu-
rus. Quam Epiſcopus accipiens, altari impoſuit. Fit ſtrepitus gaudio metante irreuo-
cabilis populorum: ſtatìm nuncius pergit ad tyrannum. Rapitur Felix, inquiritur ab
eo, quid factum ſit, qualiterque receperit lumen. Dicit illi ex ordine totum, dicunt-
Nota vocē hæreticis familiarem. que Arrianorum Epiſcopi: Hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppreſſi confu-
ſione, non poterant nubilare, eò quòd Felix vniuerſæ ciuitati manifeſtus eſſet & no-
tus, tamen volebant eum, ſi fas eſſet, necare, quomodò Iudęi ſuſcitatum Lazarum cu-
piebant occídere.

Cap. 17. Appropinquabat iam futurus dies ille calumnioſus Calendarum Februariarum,
ab eodem ſtatutus. Conueniunt non ſolùm vniuerſæ Africæ, verumetiam inſularum
multarum Epiſcopi, afflictione & mœrore confecti. Fit ſilentium diebus multis, quo-
uſquè peritos quoſque & doctiſſimos viros exindè ſepararet, calumnijs appoſitis ne-
candos. Nam vnum ex ipſo choro doctorum, nomine Lætum, ſtrenuum atq; doctiſ-
Sic hæretici vincūt Catholicos. ſimum virum, poſt diuturnos carceris ſqualores incendio concremauit, eſtimans ta-
li exemplo timorem incutiens reliquos eliſurum. Tandèm venitur ad diſputationis
conflictum, ad locum ſcilicet, quem delegerant aduerſarij. Euitantes igitur noſtri vo-
ciferationis tumultus, nè fortè poſtmodùm Arriani dicerent, quòd eos noſtrorū op-
preſſerit multitudo, eligunt de ſe noſtri, qui pro omnibus reſponderent, decem. Col-
Vide Lucife-ri aſſeclā. locat ſibi Cirila cum ſuis ſatellitibus in loco excelſo ſuperbiſſimum thronum, adſtan-
tibus noſtris, dixeruntque noſtri Epiſcopi: Illa eſt ſemper grata collatio, vbì ſuperba
non dominatur elatio: ſed ex conſenſu communi venitur, vt cognitoribus decernen-
tibus, partibus agentibus, quod verū eſt, agnoſcatur. Nunc qui erit cognitor, qui exa-
minator, vel libra iuſtitiæ, vt benè prolata confirmet, aut prauè aſſumpta refellat? Et
cùm talia & alia dicerentur, notarius Regis reſpondit: Patriarcha Cirila dixit, aliquos
veſtrùm ſuperbè & illicitè ſibi nomen Catholicorum vſurpâſſe. Noſtri teſtati dixerūt:
Dictum fuit: Legatur nobis, quo cōcedente iſtud ſibi nomen Cirila aſſumpſit. Et ex-
indè ſtrepitum concitantes, calumniari aduerſarij cœperunt.

Cap. 18. Cæduntur Catholici. Et quia hoc noſtri petiērant, vt ſaltem ſi examinare non licebat, prudenti
multitudini vel expectare liceret, iubentur vniuerſi filij Catholicæ Eccleſiæ qui
aderant, centenis fuſtibus tundi. Tunc clamare cœpit beatus Eugenius: Videat
Similiter Cirila Epiſcopus. Deus vim, quam patimur: cognoſcat afflictionem perſecutionum, quam à perſecu-
toribus ſuſtinemus: conuerſique noſtri, Cirilę dixerunt: Propone quod diſponis. Ciri-
la dixit: Neſcio Latinè. Noſtri Epiſcopi dixerunt: Semper te Latinè eſſe locutum ma-
niſeſtò nouimus, modò excuſare non debes, præſertìm quia tu huius rei incendiū ſuſ-
Malo dolo agunt hęretici ſemper. citaſti. Et videns catholicos Epiſcopos ad conflictum magìs fuiſſe paratos, omni-
nò audientiam diuerſis cauillationibus declinauit. Quod antè noſtri prouiden-
tes, libellum de fide conſcripſerant, ſatìs decenter ſufficienterque conſcriptum, di-
centes: Si noſtram fidem cognoſcere deſideratis, hæc eſt veritas, quam tenemus. Qui
cùm noſter libellus legeretur oblatus, veritatis lumē nequaquàm ſufferre cæcis ocu-
lis potuerunt, inſanientes vocibus inferendis, grauiterque ferentes, quarè nos nomi-
ne noſtro Catholicos dixerimus. Statimque mentientes ſuggerunt Regi de nobis, eò
quòd ſtrepitum fecerimus, audientiam fugientes. Qui eadem hora accenſus & cre-
dens mendacio, feſtinauit facere quod volebat. Etiam conſcriptum habens, & oc-
Nimirùm hic bolus eſt, cui inhiant hæretici. culte cum eodem decreto per diuerſas prouincias ſuos homines dirigens, Epiſco-
pis Carthagine poſitis, vna die vniuerſæ Africæ eccleſias clauſit, vniuerſamque ſub-
ſtantiam Epiſcoporum & eccleſiarum, ſuis Epiſcopis munere condonauit. Neſciens
quoquè

quoquè quid loqueretur, neque de quibus affirmabat, legem, quam dudùm Chriſtia-
ni Imperatores noſtri contra eos & contra alios hęreticos pro honorificentia Eccle-
ſiæ Catholicæ promulgauerunt, aduersùm nos illi proponere non erubuerunt, ad-
dentes multa de ſuis, ſicut placuit tyrannicæ poteſtati.

Poſt feralia edicta (contra Chriſtianos Catholicos propoſita) iubet rex Hunericus Cap. 19.
Geiſerici filius cunctos Epiſcopos, qui Carthagine fuerant congregati, quorum iam
eccleſias, domos & ſubſtantiam ceperat, in hoſpitijs, quibus erant, expoliari, & expo- O barbarū hęreticum.
liatos foràs muros propelli: non animal, non ſeruus, non mutanda, quæ ferebant, ve-
ſtimenta penitùs dimittuntur: addens adhuc, vt nullus quempiam illorum hoſpitio
reciperet, aut alimoniam præſtitiſſet. Qui autem hoc miſerationis cauſa facere ten-
tâſſet, cum vniuerſa domo ſua incendio cremaretur. Sapienter tunc etiam profecti
Epiſcopi fecerunt, vt licèt mendicantes exindè non abirent: quia ſi recederent, non
tantùm violenter omninò reuocarentur, ſed & mentirentur eos, ſicut mentiti ſunt, Mendaces ſemper hæ-
fugiſſe conflictum: maximè quia vbi reuerterentur, iam nequaquam fuerat eccleſijs retici.
ſubſtantia, vel domibus occupatis. Dum ergò gementes in circuitu murorum nu-
do ſub aëre iacerent, factum eſt, vt Rex impius ad piſcinas exîſſet. Cui vniuerſi occur-
rere maluerunt, dicentes: Vt quid taliter affligimur? pro quibus malis fortè commiſ-
ſis iſta perpetimur? Si ad diſputationem congregati ſumus, quarè expoliati? quarè tra-
ducimur? quarè differimur, & ſine eccleſijs & domibus noſtris foràs ciuitatem fame
& nuditate laborantes, medijs ſtercoribus volutamur? Quos ille toruis oculis adſpi- Vis illata Catholicis.
ciens, priuſquàm ſuggeſtionem eorum audiſſet, iuſſit ſuper eos cum feſſoribus equos
dimitti, vt tali violentia poſſent non ſolùm conteri, verumetiam necati. Quorum
tunc multi contriti ſunt, & præcipuè ſenes & infirmi. Tunc deindè iubentur ad quen-
dam locum, qui dicitur Aedes Memoriæ, illi viri Dei occurrere, fraudem ſibi neſcien-
tes aptatam. Vbì cùm veniſſent, charta eis oſtenditur inuoluta, diciturq; illis iſta ſub-
tilitate ſerpentis: Dominus noſter rex Hunericus, licèt doleat, quòd fueritis contem-
ptores, & adhuc eius volũtati obedire tardetis, vt eius efficiamini religionis, cuius eſt
ipſe, nunc tamen bonum de vobis cogitauit. Si iuraueritis ità, vt quod iſta charta
continet faciatis, dimittit vos eccleſijs & domibus veſtris. Ad quod vniuerſi Epiſcopi Constans Catholico-
reſponderunt: Semper dicimus, & diximus, & dicturi ſumus: Chriſtiani ſumus, Epi- rum vox.
ſcopi ſumus, Apoſtolicam fidem vnam & veram tenemus. Factoque poſt confeſſio-
nem fidei ſilentio modico, illi qui à rege fuerant deſtinati, feſtinabāt extorquere Epi-
ſcopis ſacramentum.

Tunc beati viri Hortulanus & Florentinianus Epiſcopi, pro omnibus & cum Cap. 20.
omnibus, dixerunt: Nunquìd animalia nos irrationabilia ſumus, vt neſcientes quid
charta contineat, facilè aut temerè iuremus? Accelerauerunt quoquè illi à rege de-
ſtinati ſcripturæ eis propalare tenorem, qui huiuſmodi ſermonibus fuerat coloratus.
Sic enim calumnioſa ſeries continebat: Iurate, ſi poſt obitū domini noſtri Regis, eius
filium Hilderichum deſideratis eſſe regem: vel ſi nullus veſtrùm ad regiones tranſ-
marinas epiſtolas diriget: quia ſi ſacramentum huius rei dederitis, reſtituet vos ec-
cleſijs veſtris. Cogitauit tunc multorum pia ſimplicitas, etiam cōtra prohibitionem
diuinam ſacramentum dare, nè Dei populus in poſterum diceret, quòd vitio ſacer-
dotum, qui iurare noluērunt, non fuerint eccleſiæ reſtitutæ. Alij quoquè aſtutiores
Epiſcopi, ſentientes dolum fraudis, nequaquàm iurare voluērunt, dicentes prohibi-
tum fuiſſe Euangelica authoritate, ipſo Domino dicente: Non iurabis in toto. Qui- Matt. 5.
bus miniſtri regis: Secedant in parte, inquiunt, qui iurare diſponunt. Qui cùm ſecce-
derent, notarijs ſcribētibus quis quid diceret, & ex qua ciuitate fuiſſet, exceptum eſt.
Similiter factum eſt & de illis, qui minimè iurauerunt. Statimque pars vtraque cuſto- Eccè prodit ſe fraus hæ-
diæ mancipatur. Pòſt verò fraus, quæ celabatur, apparuit. Iurantibus dictū eſt: Quarè reticorum.
contra præceptum Euangelij iurare voluiſtis? Iuſſit rex, ad ciuitates atque eccleſias
veſtras nunquàm redeatis, ſed relegati, colonatûs iure ad excolendum agros accipia-
tis: ità tamen, vt non pſallatis neque oretis, aut ad legendum codicem in manibus ge-
ſtetis: non baptizetis, neque ordinetis, aut aliquem reconciliare præſumatis. Similiter
non iurantibus ait: Quia regnum filij domini noſtri non optatis, idcircò iurare nolu-
iſtis. Ob quam cauſam iuſſi eſtis in Corſicanam inſulam relegari, vt ligna profutura
nauibus dominicis incidatis.

Addidit itaque beſtia illa, ſanguinem ſitiens innocentum, Epiſcopis necdùm ad- Cap. 21.
huc in exilium directis, per vniuerſas Africanæ terræ prouincias vno tempore torto-
res cru-

Crudelissimi tortores tota Africa vexant Catholicos.

res crudelissimos destinari: vt nulla remansisset domus & locus, vbi non fuisset ciulatus & luctus, vt nulli ętati, nulli parceretur sexui, nisi illis, qui eorum succumberēt voluntati. Hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus concremabant. Mulieres & præcipuè nobiles, contra iura naturæ nudas omninò in facie publica cruciabāt. Ex quibus vnam nostram Dionysiam, cursim ac breuiter nominabo. Cùm viderent eam nō solùm audacem, sed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipsam primò nisi sunt fustibus expoliatam aprare. Quæ cùm peteret, diceretq; de Domino suo secura, Qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare: amplius illi magis furiētes, celsiori loco vestimentis exutam consistunt, spectaculum eam omnibus facientes.

Impudētia hæreticorū.

Dionysiæ illustris virtus.

Quæ inter ictus virgarum, dum riuuli sanguinis toto iam corpore fluitarēt, libera voce dicebat: Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa est laus mea. Et quia erat scripturarū diuinarum scientia plena, arctata pœnis, & ipsa iam martyr, alios ad martyrium confortabat. Quæ suo sancto exemplo vniuersam suam patriam liberauit. Quæ cùm suum vnicum filium admodùm adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pœnarū formidolosum conspiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans authoritate materna, ità cōfortauit, vt matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verba constituto, ità dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre catholica baptizati sumus: non perdamus indumentum

Matth. 22.

nostræ salutis, nè veniens inuitator vestem non inueniat nuptialem, & dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium. Illa pœna timenda est, quæ nunquàm finitur. Illa desideranda vita, quæ semper habetur. Talibus itaque filium solidans verbis, velociter martyrem fecit. Venerabilis verò adolescens, Maioricus nomine, in certamine confessionis spiritum reddens, cursum palmiferum consummauit. Amplexansque illam hostiam suam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium spei futuræ in sua domo maluit sepelire, vt quotiès super sepulcrum eius Trinitati preces effundit, alienam se à filio nunquàm esse confidat. Quanti igitur per eam in illa ciuitate, vt fati sumus, acquisiti sunt Deo, longum est enarrare. Nam & eius germana, nomine Datiua, atque Leontia filia sancti Germani Episcopi, cognatusq; Datiuæ venerabilis Emelius medicus, religiosus quoq; Tertius, Trinitatis confessione præclarus, vel Sibidensis Bonifacius quanta pertulerint, qualibusque cruciatibus euisceratæ vel euiscerati sint, qui valet, ex ordine dicat. Seruus quoquè Tuburbitanę ciuitatis Maiorus generosi & nobilis viri, pro Christo quas pertulit, quis explicet pœnas? Qui post cædes innumerabilium fustium, trochleis frequentibus eleuatus, dum tota præ vrbe pendéret, nunc in sublime se tollente ictu celeri, dimissis iterùm canabinis, super silices platearum pondere corporis veniens, vt lapis super lapides corruebat. Sed & sæpiùs tractum, & lapidibus acutissimis defricatum, & cutibus separatis, pelles corporis lateribus dorsoque videres & ventre pendére. Iste iam temporibus Geiserici non valdè dissimilia pertulerat, nè amici cuiusdam sui secreta nudaret: quanto magis nunc, vt suæ fidei sacramenta muniret? Et si hominis gratiæ fideliter exhibuit fidem, quantum debet illi, qui redditurus est pro fide mercedem?

Maioricimartyriū.

Maioricisepultura.

Atrox supplicium.

Cap. 22. Innumeri martyres & confessores in ciuitate Culusitana.

In ciuitate verò Culusitana non valeo quæ gesta sunt nunciare, quia & ipsam quantitatem martyrum vel etiam Confessorum impossibile est homini supputare. Vbi quædam matrona auctrix sui nominis Victoria, dum in conspectu vulgi continuato suspendio cremaretur, à marito iam perdito, filijs præsentibus taliter rogabatur: Quid pateris coniunx? Si me despicis, vel horum quos genuisti, miserere impia paruulorum. Quarè obliuisceris vteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? Vbi sunt fœdera coniugalis amoris? Vbi societatis vincula, quæ inter nos dudùm honestatis iure tabulæ conscriptæ fecerunt? Respice, quæso, filios ac maritum, & regiæ iussionis implere festina præceptum, vt & imminentia adhuc tormenta lucreris, simul & mihi doneris & liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altiùs eleuans à terra, mundum cum suis desiderijs contemnebant. Quā cùm iam continuatione suspendij vulsis humeris, etiam qui cruciabant, conspicerent mortuā, deposuerunt prorsùs omni parte exanimem. Quæ posteà retulit quandam sibi virginem adstitisse, atque tetigisse membra singula, & ilicò fuisse sanatam.

Victoria reuiuiscit.

Cap. 23.

Qualiter autem Adrumentinæ ciuitatis ciuem Victorianum, tunc Proconsulem Carthaginis, prædicem, nescio deficientibus verbis. Quo in Africæ partibus nullus ditior

ditior fuit, qui etiam apud impium Regem pro rebus semper sibi commissis fidelissimus habebatur. Mandatur ei à Rege familiariter diciturque, quòd eum habiturus esset præ omnibus, si eius præcepto facilem cōmodâsset assensum. Sed ille vir Dei missis ad se tale dedit cum fidutia magna responsum: Securus de Deo & Christo Domino meo, dico quæ regi dicatis. Subrigat ignibus, adigat bestijs, excruciet generibus omnium tormentorum, si consensero, fruſtrà sum in Ecclesia Catholica baptizatus. Nam si hæc præsens vita sola fuisset, & aliam, quæ verè est, non speraremus æternam, necità feciſſem ad modicum atque temporaliter gloriari, & ingratus existere, qui suam fidem mihi contulit creditori. Ad quod tyrannus excitatus, quantorum tempo-

Victoriani Procōsulis præstans virtus.

Diuturni cruciatus.

rum, & quantis eum afflixerit pœnis, humanus sermo non poterit explicare. Qui tripudians in Domino, feliciterque consummans, martyrialem coronam accepit.

Cap. 24. Fratrū duorū certamē.

Apud Tambaiensem quoquè ciuitatem gesta, quis queat certamina martyrum explicare? Vbi duo germani Aquisregiensis ciuitatis, sibi securi de Domino inuicèm iurauerunt, & rogauerunt tortores, vt vna pœna pariq́ue supplicio torquerentur. Et dum primo suspendio molibus lapidum pedibus alligatis tota die pendérent, vnus illorum petiuit sesę deponi, & sibi inducias dari. Cui frater alius, metuens nè fidem negaret, de suspendio clamabat: Noli, noli frater, non ità iurauimus Christo. Accusabo te, cùm ante thronum eius terribilem venerimus: quia super corpus eius & sanguinem iurauimus, vt pro eo inuicèm patiamur. Ista dicens & alia multa, confortauit germanum ad prælium passionis. Qui clamans, ingenti voce dicebat: Adigite supplicijs quibus vultis, & pœnis Christianos arctate crudelibus. Quod frater meus factus est, hoc etiam ego. Quantis iam laminis ignitis adusti sunt, qualibus vngulis exarati, quibus cruciatibus torti, ipsa res docet, & quòd eos ipsi tortores à sua facie proiecerunt, dicentes: Istos imitatur vniuersus populus, vt nullus ad nostram religionem penitùs conuertatur, & præcipuè quia nulli liuores, nulla pœnarum vestigia in eis penitùs videbantur.

Nota insigne miraculum.

Cap. 25. Nota facinus præclarum Typasensium.

In Typasensi verò quod gestum est Mauritaniæ maioris ciuitate, ad laudem Dei insinuare festinemus. Dum suæ ciuitati Arrianū Episcopum ex notario Cyrilam ad perdēdas animas ordinatum vidissent: omnis simul ciuitas eucctione nauali de proximo confugit, relictis paucissimis, qui aditum non inuenerant nauigandi. Quos Arrianorum Episcopus primò blandimentis, posteà minis compellere cœpit, vt eos faceret Arrianos. Sed fortes in Domino, non solùm suadentis insaniam irriserunt, verumetiam publicè mysteria diuina, in domo vna congregati, celebrare cœperunt. Quod ille cognoscens, relationem occultè Carthaginem aduersùs eos direxit. Quæ cùm regi innotuisset, comitem quendam cum iracundia dirigens, præcepit vt in medio foro congregata illuc omni prouincia, linguas eis & manus dexteras radicitùs abscidisset. Quod cùm factum, spiritu sancto præstante, ità loquuti sunt & loquuntur, quomodò anteà loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluërit, pergat nunc Constantinopolim, & ibi reperiet vnum de illis subdiaconem Reparatum, sermones politos sine vlla offensione loquētem. Ob quam causam venerabilis nimiùm in palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipuè regina mira eum reuerentia veneratur.

Loquuntur Cōfessores linguis præcisis.

Cap. 26.

Sed quis congruo sermone possit exequi aut coaceruare diuersitates pœnarum, quas ex iussu regis sui, etiam ipsi Vandali in suos homines exercuerunt? In ipsa quoquè quæ gesta sunt Carthagine, si nitatur scriptor singulatim adstruere etiam sine ornatu sermonis, nec ipsa nomina tormentorum poterit edicere. Quæ res hodieque posita in promptu demonstrat. Alios sine manibus, alios sine oculis, alios absq; pedibus, alios truncos naribus auribusque intendas, aliosque videas nimio suspendio pilis euulsis, caput, quod eminere solebat, in medio scapularum fuisse demersum, dum iugiter in altis ædibus suspendio cruciantes, impulsione manuum funibus agitatis, per vacuum aërem huc atque illuc faciebant vagari pendentem. Qui nonnunquàm diruptis funibus, de illa altitudine suspensionis ictu valido corruentes, plurimi arcem cerebri cum oculis amiserunt: alij confractis ossibus spiritum cōtinuò reddiderunt, alij post paulùm exhalauerunt. Sed qui hoc fabulosum putat, Vranium Zenonis legatum interroget, cuius præsentia præcipuè gesta sunt, illa scilicet causa, quia veniens Carthaginem, sese pro defensione Ecclesiarum Catholicarum venisse iactabat. Et vt illi ostenderet tyrannus neminem formidare, in illis plateis vel vicis plures tortores & crudeliores statuit, in quibus legatis moris est ascendendo ad palatium & descendendo transire, ad opprobrium videlicet reipublicæ ipsius, & in nostri iam

Immane supplicium.

deficien-

deficientis temporis fæcem. Tunc igitur & quædam vxor cuiusdam cellaritæ regis nomine Dagila, quæ temporibus Geisericimultotiès iam Confessor extiterat, matrona nobilis ac delicata, flagellis & fustibus omninò debilitata, exilio arido & inuio relegatur, vbì nullus hominum fortè consolationis gratia veniendi haberet accessum, relinquens cum gaudio domum, maritum simul & filios. Cui postea oblatum esse dicitur, vt in mitiorem eremum translata, frueretur, si vellet, solatio sociorum. Illa verò ingens sibi adesse credens gaudium, vbì nullus humanus esset consolantis affectus, nè fieret, supplicauit. Tunc etiam, Eugenio pastore iam in exilio constituto, vniuersus Clerus Ecclesiæ Carthaginis cæde inedia que maceratur, ferè quingenti vel amplius. Inter quos quamplurimi erant lectores infantuli, qui gaudentes in Domino, procul exilio crudeli traduntur.

Dagila matrona constantissima.

Clerus Carthaginis vexatur.

Cap. 27. Libertas Muritiæ Diaconi.

Sed libertatem tunc, dum media vrbe cæderentur, Muritiæ Diaconi, cæteris liberiorem tacere non debeo. Fuit quidam Elpidoforus nomine, nimiùm crudelis & ferus, cui fuerat delegatum, membra Cõfessorum Christi supplicijs grassantibus laniare. Hic enim dudùm fuerat apud nos in Ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta diaconus de aluco fontis susceperat generatum. Pòst verò dum apostataret, tantę extititferitatis aduersùs Ecclesiam Dei, vt superior omnibus executor persecutionis fuisset inuentus. Quid multa? Dum primò presbyteri supplicijs macerandi ordine citarẽtur, post archidiaconum Salutarem, arctatur pœnis memoratus Muritta. Fuit enim secundus in officio ministrorum. Qui cùm Elpidoforo sedente & fremente, honorabilis senior cœpisset extendi, priusquàm exueretur, clàm furto, nescientibus cunctis, illa quibus eum susciplens de fonte dudùm texerat, sabana baiulabat. Quibus ventilatis, simulque in ostensione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouisse dicitur ciuitatem: Hæc sunt linteamina Elpidofore minister erroris, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis, custodiente diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te, in abyssò putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hęc te acriùs persequentur, flammantem gehennam cùm cœperis possidere: quia induisti te maledictionem sicut vestimentũ, scindens atque amittens veri baptismatis & fidei sacramentũ. Quid facturus es miser, cùm serui patrisfamiliâs ad cœnã regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquandò vocatum, terribiliter indignatus exutum stolam rex conspiciet nuptialem, dicetque tibi: Amice, quomodò huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non video, quod contuli: non nosco, quod dedi. Perdidisti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texi, & tendiculas Crucis, quas extendens, aquã mundaui, & purpura mei sanguinis decoraui, non conspiciunt oculi mei: characterem non video Trinitatis. talis interesse non poterit epulis meis: ligate eum pedibus & manibus funiculis suis, quia se ipse voluntariè separare voluit à Catholicis dudùm fratribus suis. Ipse funes extendit cõtinuatos in laqueum, quibus & semetipsum vinxit, & alios, nè ad istud venirent conuiuium, impediuit. Iuxta semitam multis scandalum posuit, quem nunc cum rubore perpetuo & dedecore sempiterno de conuiuio meo proieci. Hæc & alia Muritta dicente, igne conscientiæ ante ignem æternum obmutescens, Elpidoforus torrebatur. Parantes itaq; vniuersi dorsa sua verberibus, alacres ad exilium pergunt. Quibus adhuc in itinere longioris viæ constitutis, destinantur, Episcopis Arrianorum suggerentibus, homines immisericordes ac violenti, vt illud, quod eis fortè miseratio Christiana victui cõtulerat profuturum, crudeliter auferretur, quandò vnusquisq; eorum libentiùs fortè cantabat: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudum me oportet ad exilium pergere: quia Dominus nouit esurientibus cibum porrigere, & in deserto vestire. Vandali nanque duo sub Geiserícho sæpiùs Confessores, comitante matre, contemptis omnibus diuitijs suis, cum eisdem Clericis ad exilium perrexerunt.

Sabana, dicit lineos pãnos, quib⁹ baptizati excipiebantur.

Matth. 22. Egregia Muritę exhortatio, & vaticinium.

Episcopi Arrani crudelissimi, sicut hæretici omnes. Iob 1.

Cap. 28.

De multitudine autem pergentium confessorum, id est, Ecclesijs Carthaginis clericorum, suggerente quodam ex lectore Teuchario perdito, quos ille nouerat vocales, strenuos atque aptos modulis cantilenæ, designatione sua debere dicit duodecim infantulos separari, quos ipse, dum Catholicus esset, tunc discipulos habuit. Statìm illo suggerente, sub festinatione viro dimittuntur, & vi barbarici furoris bis senus numerus puerorum de itinere reuocatur. Segregantur corpore, non spiritu, à grege sanctorum. Qui timentes præcipitium, cum suspirijs lachrymarum nè diuellerentur, constringebant manibus genua sociorum. Quos violentia tamen hæretica mina-

ca minacibus separans gladijs, Carthagini reuocauit. Sed cum eis quasi cum tali ætate non blanditijs ageretur, superiores suis inuenti sunt annis, & nè obdormirent in morte, lucernam sibi Euangelici luminis accenderunt. Indignantur ob hoc grauiter Arriani, & se superatos à pueris erubescunt. Vndè accensi, subdi fustibus iubent, quos iam ante paucissimos dies varijs verberibus dissipauerant. Imprimuntur vulneribus vulnera, & rursùm pœna restaurata crudescit. Factum est Domino confortante, vt licì. nec ætas minor deficeret in dolore, & magìs animus cresceret roboratus in fide. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum, chorum conspicit puerorum. Vnà degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur.

Cæduntur fustib⁹ pueri 12. Cathol.

Illis diebus & duo negociatores Frumentius & alius Frumentius eiusdem vrbis, egregio martyrio coronati sunt. Tunc & septem fratres, non natura, sed gratia, simul in monasterio commanentes, confessionis certamine expleto, immarcescibilem peruenerunt ad coronam, id est, Liberatus Abbas, Bonifacius diaconus, Seruus subdiaconus, Rusticus subdiaconus, Rogatus monachus, Septimus monachus, Maximus monachus. Nam illo tempore crudeliùs Arrianorum Episcopi, presbyteri & clerici, quàm reges & Vandali sæuiebant. Nam ad persequendum ipsi cum suis clericis vbiquè gladijs accincti currebãt: sicut quidam Episcopus inter illos cæteris crudelior, Antonius nomine, qui tam nefaria & incredibilia in nostros exercuit, vt narrari non queant.

Cap. 29.

Vide furorẽ Arrianorũ Episcoporũ &c.

Fuit iste in quadam ciuitate proxima eremo, quæ Tripolitanæ prouinciæ vicinatur. Qui vt bestia insatiabilis, Catholicorum sitiens sanguinem, huc illucque ad rapiendum fugientes excurrebat. Nam impius Hunericus, sciens Antonij ferocitatem, in ipsis eremi partibus voluit sanctum Eugenium relegare. Quem dum custodiendum Antonius accepisset, ità eum arctiori custodia cinxit, vt nullum ad eum introire permitteret: insuper varijs insidiarum atque pœnarum supplicijs extinguere cogitauit. Sed Eugenius sanctus, dum nostræ persecutionis defleret incommoda, & asperitate cilicij senile attereret corpus, nudamque super humum cubitans, stratum sacci sui rigaret imbribus lachrymarum, aliquãdò sensit infestum paralysis morbum. Quo nuncio in gaudia conuersus Arrianus, pergit festinus ad cubile eximij hominis Dei. Et cùm videret vrgente passione verum pontificem balbutientia verba producere, cogitauit simul extinguere, quem superesse nolebat. Præcepit, vt acetum asperum nimisq; acerrimum quæreretur. Cui cùm fuisset allatum, venerabilis senis recusantibus & nolentibus faucibus ingerebat. Nam si communis Dominus, qui ad hoc venerat, vt potaret, cùm gustâsset, noluit bibere: quanto magìs iste seruus & Confessor fidelis omninò nollet, nisì hæretica feritas ingessisset? Ex quo aceto præsertim ille passionis noxiæ morbus accipit augmentum. Cui pietas Christi misericorditer subueniens, postea sanum exhibuit.

Cap. 30.

S. Eugenius ab atrocissimo Arriano Episcopo mirè affligitur.

Matth. 27.

Alio autem nostro Episcopo Habetdeum, similiter relegato, Tamallumensis ciuitatis, in qua Antonius fuerat, quantùm potuerat infestari, res ipsa demonstrat. Nam cùm diuersis eum persecutionibus affligeret, nec posset eum facere Arrianum, videretque Christi militem semper in confessione constantem, promiserat suis, dicens: Nisì eum nostræ fecero religionis, non sit Antonius. At vbì in sua promissione minor inuentus est, suggerente sibi diabolo cogitat aliud. Pedibus manibusq; ligatis, vinculis ingentibus arctat Episcopum, oreq; obturato nè lingua clamaret, aquam corpori vt putabat rebaptizationis spargit: quasi valeret conscientiam ligare cum corpore, aut nõ adesset, qui audit gemitus compeditorum, & cordis secreta rimatur: vel superare posset aqua mendax tantæ voluntatis propositum, quod iam homo Dei metantibus lachrymis miserat legatum in cælum. Exuit statìm virum vinculis, & talj quasi gaudens prosequitur voce: Eccè iam frater Habetdeum noster, Christianus effectus es. Quid vltrà facere poteris, nisì vt voluntati consentias regis? Cui Haberdeum: Illa est, impie Antoni, mortis damnatio, vbì voluntatis tenetur assensio. Ego fidei meę tenax, vocibus confitens crebris, quod credo & credidi, clamando defendi. Sed & postea quàm catenis vinxisti, & oris ianuam oppilâsti, in prætorio cordis violẽtiæ meæ scribentibus angelis gesta confeci, & lectitanda Imperatori meo transmisi.

Cap. 31. Episcopus Haberdeũ ab eodẽ diré vexatur.

Responsis Episcopi Haberdeũ, cõuincitur Antonius Arrianus.

Erat quidem generalis ista violentia tyrannorum. Nam Vandali pro hac re vbiquè fuerant destinati, vt transeuntes itinera, sacerdotibus suis adducerent iugulandos, Ac vbì eos fallacis aquæ gladio peremissent, indicium eis perditionis scriptu-

Cap. 32.

S ra testę

Vide hæreticã barbariem. Apoc.13.

ra teſte tradebant,nè alibì ſua violentia traherentur: quia non licebat ſiue priuatis,ſiue negociatoribus alicubì tranſire, nisì ſcriptam characteris indicio ſuã miſeri oſtenderent mortem.Quam per reuelationem ſeruo ſuo Iohãni olim oſtenderat Chriſtus, vbì dicit: Nulli licebit aliquid emere vel vẽdere,nisì qui habuerit characterem beſtiæ in fronte ſua & in manu ſua. Nam & Epiſcopi atque preſbyteri illorum cum armatorum manu nocturnis temporibus vicos & oppida circuibant, & ſic deſpicatibus ianuarum aquam gladiumq; geſtantes, animarum prædones intrabant: & quos domì

Inſania hæreticorum.

repererant, alios fortè in lectulis ſoporatos, imbre igneo atque fulmineo reſpergentes,dæmonica vociferatione Chriſtianos ſuos ipſi pariter vocitabant,vt ludum prorsùs ſuæ hæreſeos, quàm aliquam religionem oſtenderent. In quo minùs capaces & ignaui,impletum in ſe pollutionis ſacrilegium putabant: prudentiores verò, nihil ſibi,quod nolentibus atq; dormientibus ingeſtum eſt,obeſſe gaudebãt. Nam & multi eadem hora cinerem capitibus ſuis iniecerunt: alij ſeſe vel quia factum eſt, cilicio lugubri texerunt: nonnulli cœno fœtido liniẽrunt,& linteamina violẽter impoſita per fila conſciderunt,atque in latrinis fœtidisque locis manu fidei proiecerunt.

Cap.33.

Tali violentia,nobis videntibus,ibì Carthagine filius cuiuſdam nobilis annorum circiter ſeptem, iuſſu Cirilæ à parentibus ſeparatus eſt, matre ſine verecundia matronali ſolutis crinibus poſt raptores tota vrbe currente,infantulo clamante vt poterat: Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum . Cui & os obturantes, inſontem infantiam in ſuum gurgitem demerſerunt.Ità de filijs medici venerabilis Liberati,factum eſſe probatur. Nam cùm iuſſu regis cum vxore & liberis ad exilium mitti iuberetur,cogitauit impietas Arriana à parẽtibus filios paruulos ſeparare, quô poſſet per pietatis affectum, etiam virtutem proſternere genitorum. Diſiunguntur tenera pignora filiorum. Qui cùm vellet lachrymas emittere, authoritate vxoria increpatur,

Liberatus medicꝰ vxoris vocibus cõfirmatur.

& in ipſo meatu exitûs ſui ilicò lachrymæ ſiccauerunt. Ait enim ei coniunx : En propter filios Liberate perditurus es animam tuam? Computa eos nõ fuiſſe natos. Nam & ipſos omninò vindicaturus eſt Chriſtus. Nónne vides eos clamantes & dicentes, Chriſtiani ſumus?

Cap.34.

Sed hæc mulier quid in conſpectu iudicum egerit, tacendum non eſt. Nam cùm ipſa & maritus, licèt ſeorsùm, carceris tamen cuſtodia tenerentur, ità vt ſe penitùs non viderent,mandatur mulieri, diciturq; illi: Solue iam duritiam tuam.Eccè vir tuus paruit imperio regis,& noſter factus eſt Chriſtianus. Aitq; illa: Videam illum,& faciam ego,quod voluerit Deus. Educta igitur de carcere, inuénit virum ſuum ſtantem cum ingenti multitudine pro tribunalibus connexum:& verum eſtimans,quod fecerant inimici, iniecta manu apprehendens oram veſtimentorum eius gutturi proxi-

Vide mirabilẽ fœminę zelum.

mam,videntibus omnibus ſuffocabat eum,dicens: Perdite & reprobe, gratiæ Dei & miſericordiæ eius indigne, quarè voluiſti ad modicum gloriari, & in æternum perire? Quid tibi proderit aurum? quid argentum? nunquìd liberabunt te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cuius maritus reſpõdit: Quid pateris mulier? quid tibi videtur? aut quid fortè de me audire potuiſti? Ego in nomine Chriſti Catholicus permaneo, nec amittere potero aliquandò, quod teneo. Tunc hæretici mendacij ſui conſcij & detecti,fallaciam ſuam colorare minimè potuerũt. Et quia ſuperiùs de violentia immanitatis eorum breuiter diximus,hanc plurimi metuentes,alij ſe in ſpeluncis, alij in

Multi fame & frigore pereunt.

deſertis locis viri vel fœminæ,nullo ſibi conſcio,ſeſe claudebant,& ibidẽm, nulla ſuccurrente ſuſtentatione ciborum, fame vel frigore victi, contritum & contribulatum ſpiritum exhalabant, inter hæc afflictionis incommoda inuiolatæ ſecum fidei ſecuritatem portantes. Sic enim Creſconius preſbyter Mizentinæ ciuitatis,in ſpelunca Ziquenſis montis repertus eſt,putreſcente iam ſolutus cadauere.

Cap.35.

Et quia de ſancto Habetdeum præfati iam ſumus, pergit tunc ad Carthaginem, adire cenſuit nefarium Regem, vt conſcientiam ſuam, quam ſemper familiarem Trinitas habuit & amicam, etiam hominibus faceret manifeſtam. Nec eum retinere potuit Antonius,propter verecundiam ſuam. Offert impijſſimo Regi libellum in hac

Epiſcopus Habetdeũ libellum offert Regi.

ſimilitudine verborum: Quid, quæſo, iam cum proiectis habetis? quid cum eis quos exilio relegâſtis, quotidiè dimicatis? Abſtuliſtis ſubſtantiam, Eccleſijs, patria domibusque priuatis,ſola anima remanſit, quam captiuare cõtenditis. O tempora,ô mores: vniuerſus hæc mundus intelligit, & ipſe qui perſequitur, videt. Si fides dicitur, quam tenetis, quid veræ fidei membra tantis perſecutionibus agitatis? Quid vobis cum exilio noſtro? quid vobis cum egenis in ſeculo, quorum eſt vita ſemper in Chriſto? Li-

ſto? Liceat ſaltem gaudere conſortio beſtiarum eis, quos abieciſtis à facie omnium populorum. Dum hęc & his ſimilia Pontifex dixiſſet,ſceleratus tyrannus hoc ei mandâſſe perhibetur: Vade ad Epiſcopos noſtros,& quod tibi dixerint ſequere, quia ipſi huius rei habere noſcuntur per omnia poteſtatem. Sed neque Antonium hæc res ab inſania potuit reuocare, ſciens ſe magìs imperio Regis ob hoc multùm poſſe placere,Habetdeum verè Epiſcopum,gaudentem bono conſcientię ſuę,ad locum exilij maluit remeare. Sed quid ad tot tantasq; impietates reſpondebunt? Si diſputare nitebatur de fide nobiſcum barbara ferocitas & hæreſis Arriana, rationabiliter diſputaret. Sed quandò tenuit rationem, quæ à patre Deo Deum filium ſeparat Saluatorem? Quarè dolis & calumnijs egérunt,& velut ſpiritus tempeſtatis, procella ſui furoris tòtum ſubuertere voluẽrunt? Si diſputatio neceſſaria fuerat Epiſcopalis, quarè ſuſpendia,quarè ignes,quarè vngulæ, ſimul & cruces? quarè Arrianorum ſerpẽtina proles,contra innocentes genera talia tormentorum inuénit, qualia nec ipſe Mezentius exquiſiuit? Dimicauit contra innocentiam cupiditas furoris, & auaritia crudelitatis, vt & animas perderet,& ſubſtantiam harpagaret.Si collatio deſiderabatur,quarè rapinæ rerum alienarum,nõ tantùm ſacerdotum,verumetiam omnium laicorum? Sed illi expoliati lętati ſunt,& rapinam rerum ſuarum cum gaudio ſuſceperunt.Aſſit iam, quæſo,omnis ætas,omnis ſexus,omnisq; cõditio.Aſſit,obſecro, omnis turba Catholici nominis,quæ gremio materno toto orbe geſtatur,quæ ſola germanum commodare nouit affectum, quæ didicit à Paulo magiſtro, & gaudentibus collætari, & cum lugentibus lamentare. Conueniant ſimul ad domum noſtri doloris, & paribus oculis fundamus flumina lachrymarum, quia cauſæ & fidei noſtræ vnum eſt negocium. Nullum volo ad condolendum mecum hęreticum conuenire,qui fortè addere concupiſcit ſuper dolorem vulnerum meorum,& gratulatur quotidiè malis meis. Nolo, nolo ego extraneum,ſed fraternum quæro affectum. Nolo aliquem filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: quia filij alieni ſemper mentiti ſunt mihi, qui inueteraverunt & claudicauerunt à ſemitis ſuis.Iſti dicunt mihi quotidiè: Vbì eſt Deus tuus,dum affligitur populus precioſo agni ſanguine comparatus? Inter quorum opprobria ego ad flagella paratus, cantare non deſiſto Domino flagellanti : Amoue à me flagella tua, quia defeci non à fortitudine manûs tuæ,ſed à perſecutione hæreſis Arrianæ.

Hęc quærũt hæretici. Rom.12. Pſal.143. Pſal.17.

Aduenìant omnes,qui mecũ anguſtæ viæ carpunt iter,& propter verba labiorum Dei vias cuſtodiunt duras: & videant,ſi eſt dolor,ſicut dolor meus. Quoniam vindemiata ſum in die furoris Domini, aperuerunt ſuper me os ſuum omnes inimici mei, ſibilauerunt & fremuerunt dentibus:dixerunt,deuorauimus eã. En iſta eſt dies quam expectauimus : inuénimus, vidimus. Adeſtote angeli Dei mei, qui nunquàm deeſtis conſtituti in miniſterio veſtro, propter eos qui hæreditatem capeſſuri ſunt æternæ ſalutis,& videte Africam totam,dudùm tantarum eccleſiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus deſolatam:tantis ordinibus ſacerdotum ornatam, modò ſedẽtem viduam & abiectam.Sacerdotes eius & ſeniores in deſertis locis & inſulis defecerũt,quærendo ſibi eſcas ad manducandum,& non inueniũt. Conſiderate & videte,quia Sion ciuitas Dei noſtri facta eſt vilis,facta quaſi polluta mẽſtruis inter inimicos ſuos. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius, quia vidit gentes inuadere & ingredi atria ſua,de quibus præceperas,nè introirent eccleſiã tuam. Viæ eius lugent,eô quòd nemo veniat in die feſto. Egreſſus eſt à facie omnis decor & deliciæ, didicerunt vias aſperas ambulare, virgines & iuuenes eius in aulis educati monaſteriorum, abiêrunt in captiuitatem Maurorum,dum lapides ſancti eius diſperguntur, non tantùm in capitibus omnium platearum,ſed etiam in locis ſquallidis metallorum.Dicite Deo noſtro ſuſceptori,& habentes fiduciam ſupplicandi,quoniam tribulatur,& venter illius turbatus eſt à fletu eius:quia ſedit inter gentes,& requiẽ non inuénit,nec eſt qui conſoletur eam. Quæſiuit à Patribus Orientis, qui ſimul contriſtaretur,& non fuit: conſolantem,& non inuenit: dum manducaret in eſca ſua fel, & in ſiti ſua potaretur aceto,ſponſi & Domini ſui paſſiones imitando, qui idcircò paſſus eſt pro ea, vt ſequatur veſtigia eius.Deprecamini patriarchæ,de quorum ſtirpe generis nata eſt, quæ nũc laborat in terris. Orate ſancti prophetæ, cognoſcentes afflictam, quam anteà vaticinante præconio ceciniſtis. Eſtote Apoſtoli ſuffragatores eius, quam vt congregaretis, vniuerſum orbem, aſſcendente in vobis Domino, vt equi velociſſimi curſitâſtis. Præcipuè tu Petre beate,quarè ſiles pro ouibus & agnis,à communi Domino magna

Cap.36. Thren.1. Thren.2. Hebr.1. Thren.1. Pſal.68. Iohan.21.

tibi cautela & ſolicitudine commendatis? Tu ſancte Paule gentium magiſter, qui ab
Rom.15. Hieruſalem vſq; ad Illyricum prædicâſti Euangelium Dei, cognoſce quid Vandali faciunt Arriani, & filij tui gemunt lugendo captiui. Vniuerſiq; ingemiſcite ſancti ſimul pro nobis Apoſtoli. Sed ſcimus, quia indignũ eſt vobis pro nobis orare, quia iſta euenerunt nobis, non ad probationem, quomodò ſanctis, ſed malis meritis ſupplicia de-
Luc.23. bebantur. Sed & pro malis orate iam filijs, quia & Chriſtus orauit etiam pro inimicis Iudæis. Sufficiant caſtigationi, quæ iuſtè illata ſunt nobis, & iamiamq; delinquentibus venia poſtuletur. Dicatur angelo percutienti, Sufficit: iam cohibe manum tuã. Quis ignoret hæc nobis probrorum noſtrorum ſcelera procurâſſe, aberrantibus à mandatis Dei, & in lege eius nolentibus ambulare? Sed proſtrati rogamus, vt non ſpernatis veſtros miſeros peccatores, per eum, qui vos ad Apoſtolicum culmẽ prouexit hũmiles piſcatores.

Horrenda mors impij Hunerici. Tenuit ſceleratiſſimus Hunnericus dominationem regni annis ſeptem, menſibus decem, meritorum ſuorum mortem conſummans. Nam putrefactũ & ebulliens vermibus, non corpus, ſed partes corporis eius videntur eſſe ſepultæ. Sed & ille legis dator & tranſuerſor, ex Donatianorum hæreſi ad eos veniẽs quondàm Nicaſius, in breui ſimili morte perijt.

VITA S. BONAVENTVRÆ CARDINALIS ET EPISCOPI ALBANENSIS, AVTHORE OCTAVIANO DE *Martinis Sueſſano, vtriuſque Iuris Doctore. Eſt Oratio coram Pontifice Sixto IIII. habita in Conſiſtorio. quam in 15. capitula diſtinximus.*

Iulij 13. Cap. 1. IVSTITIA ſuffragiorum, beatiſſime Pater, ad quæ porrigenda deſiderabar, hærentem me concitauit ad indictũ mihi muneris prouinciã, remota cunctatione, capeſſendam. Neque enim me alioquìn fallebat, quàm arduum, quámve anceps munus obirem, poſtulare ex merito ſanctum Romanę ſedis decreto referri in ordinem ſiue catalogum cæleſtium, qui cum Chriſto regnant, Sanctorum, Idq; in hoc tremendo auditorio, ſub adſpectu ſacri reuerendiſſimorum Patrum Senatûs, ac ſapientum Prælatorum & virorum, quibus tua ſanctitas cæleſti ſuperûm dono in ſua maieſtate ſapientiſſimè preſidet: vbì nõ ego modò, qui in actione cauſarum forẽſium noſtri ſeculi ſtylo verſor, verùm & alium quantumlibèt exercitatum, ac deniq; conſummatum oratorem, expauere quidem poſſe credendum ſit. Nam per immortalem Deum, quis tam ſapiẽs aut diſertus quicquã adeò climatum, aut ſtudioſa lucubratione excogitatum hîc proferat, quo maieſtatem loci dicendo vel mediocriter æquare poſſit? Quid porrò tanto ſtudio adinuentum, quod præuiſum ac tritum non fuerit apud tantæ ſapientiæ Patres, ac te ante alios ſanctiſſime Princeps: qui cùm ex multis iam annis diuinarum atque humanarum rerum, ac omnis deniquè Philoſophiæ ſcientiam pleniſſimè edidiceris, velut ſplendidiſſimum ſidus in firmamento, in Dei Eccleſia cæteros illuſtrâſti? Quæ quidem reuoluenti non leuem animo tremorem incuſſiſſe poterant, atq; ab hac actione, qua nulla illuſtrior, penitùs dehortari, nisì iuſtitia meritorum, vt præmiſeram, beati Bonauenturæ, pro quo intercedimus, animum erexiſſet atque confirmâſſet.

Cap 2. Accedebat prætereà, quòd Princeps non profanus pro religioſo, aut indoctus pro literato rogandus erat: ſed tu profectò Pater beatiſſime, qui diuinis obſequijs in beati Franciſci religione ex matris vtero cælitùs deſtinatus, in eadem omnipotenti Deo religioſiùs ſeruiuiſti, ac demùm ad eius principatum ſingularibus tuis meritis vectus, illam ſapienter ac ſalubriter gubernâſti, auxiſti atque ampliâſti: quíve cùm diuinorum myſteriorum ſcientiam per traditiones Patrum fueris nactus, tum verò ex operibus
for.* intelligentiam eiuſdem diui Bonauenturæ, quæ diuino ſpirante lumine edidit, conditoris * diligentiam certiſſimè comparâſti. Ità te nanque par erat, quem conditoris vices geſturum in terris, in illius mandatis commiſſum gregem oporteret erudirẽ. Neque enim illius fauſtè quis vices gerit, quem nõ penitùs nouit: neq; illius porrò mandata rectè alios edocet, quem non priùs luculenter edidicit. Quarè cùm pro diuinæ ſapientiæ Patre, Ordinis Minorum generali Miniſtro, Epiſcopo Cardinali Albanenſi interceſſurus eſ-

ſem apud te beatiſſime Pater, qui ijſdem meritis clarus, ijſdémve officijs glorioſè perfunctus eras, & proindè ad hoc opus, tibi in hos vſque dies diuinitùs ſeruatum, electus, nequaquàm mihi verendum fuit, nè per inſufficiẽtiam tibi negligerer, qui etiam meritus fidelium Paſtor, imbecillitati noſtræ clementiſſimè compati didiciſti. Iamq; ego, qui horrore quodam non ſine titubatione occœperam, perſpecto quàm benigno vultu ac clementi nutu audientiam indulgeas, erectus in ſpem meliorem, fidentior proſequor, tuique ſacri affectûs oraculo meis auribus illud propheticum inſonare videtur: Dilata os tuum, & ego implebo illud. & rursùs: Dabo tibi ſermonem Pſal.80.
benè ſonantem in os tuum, vt complaceas in ore principis. ac proindè obſecro, pari Eſther 14.
clementia velis fauere, dum diuino numine adiutus, ac tuo benigno fauore firmatus, proferam quæ ad ipſius conditoris, Bonauenturæ ac huius ſanctæ Sedis laudem perpetuam cedere poſſint.

Cap.3. Exoraturo à tua Sanctitate, Pater beatiſſime, diui Bonauenturæ canonizationem, ingens mihi ſtudium fuit ſacrarum literarum codices diligentiùs euoluere ad dignoſcendum, quænam rei, de qua agimus, conuenirent. Quibus quidem curioſiùs perſpectis, quantùm colligere potui, duo potiſſimùm inſpicienda ac meritò inquirenda fuiſſe intelligo, vitam ſcilicet & miracula: quæ ſi recitando monſtrauerim, in
In canonizatione quę inquirẽda. hoc viro eſſe comperta, qualia ad canonizationem ſufficiant, tua Sanctitas, cuius arbitrio id ſubijcitur, benignè dignabitur votis ſupplicantium reſpondere. Et quoniam vitæ initium, quod ex religione ſuſcipio, miraculoſum exiſtit, nemo mihi vitio vertet, ſi vitam ante miracula relaturus, alterum cum altero recenſendo permiſceam. Nec rursùs mirabitur, quòd quemadmodùm pleriq; cuiuſpiam memoriã commendaturi, non ego primordijs natalium ac pueritiæ diui Bonauenturæ inſiſtam, aut eo altiùs à parentum ipſius dignitate exordiar. Prohibent nanq; crebra & clariora viri
S. Bonauenturæ patria & parentes. facinora, ab illo in ſtatu perfectiori agitata. Nec tamen omittam, quòd Bonauentura natione Tuſcus, patria Balneoreginus, Iohanne Fidanza & Ritella fidelibus coniugibus ortus, baptiſmatis vnda reſperſus: quæ ex Ioanne Medicinæ magiſtro, & Felice Antonij, qui & ipſi ex illis Maioribus originem trahunt, atque alijs teſtibus Balneoreginis probè comperta ſunt.

Cap.4. Cæterùm prætermiſſa longiore ſerie præmiſſorum, vita indè exordium capiet, vbì relicto mortalitatis ſtatu, mundo moritur, ac omnipotenti Deo meritis beatiſſimi Franciſci victimam ſe perpetuam dedicauit. Glorioſus Deus in ſanctis ſuis, quos ſibi ab æterno prædeſtinauit electos, & ſecundùm neceſſitatem temporis ad ſalutem humani generis producit in lucem: cùm beatum Bonauenturam vas electionis ſibi delegiſſet, ac ſuis obſequijs in religione S. Franciſci deſtinâſſet, quô tamen illius conuerſio poſſet aliquandò à Deo diſponente profecta intelligi, & in illo ſuæ maieſtatis gloria reuelari, eundem in extrema valetudine periclitari permiſit. Cuius ſaluti anxia ſo-
Laborat aduerſa valetudine. licitudine timens chariſſima parens, vbì phyſicorum, quos adhibuit, diligentiam fruſtrà experta eſt, & medelarum vires ad illum leuãdum minùs valere comperit, ſolius
Matris eius votum. Dei opem, quem ſancta timebat, & cui caſtos pueri mores, quos probè vt mater nouerat, intelligebat acceptos, humiliter in ſalutem pueri inuocauit, ac S. Franciſci ſuffragia reuerẽter implorans, illum, ſi ſanum recuperaret, ipſius religioni perpetuò deuouit. Exaudita eſt pro diuina clementia & ſua reuerentia: & ſanitate recuperata, integer puer euaſit, non ſine admiratione phyſicorum, præſertim qui cum ſtatum corporis probè in illo depræhenderant, vt humana ope ægrum leuari poſſe penitùs deſperâſſent.

Cap.5. Idem iam adoleſcens, ac porrò ætate prouecta, cùm religioni maturum ſe, & illi ex parentis voto debitum ſe intelligeret, memorque diuini mandati, per Dauid prophetã humano generi prolati, Vouete & reddite Domino Deo veſtro: anno ſuæ ætatis circiter ſecundo & viceſimo, habitum religionis S. Franciſci deuotiſſimè ſuſcepit, Pſal.75.
Ampleditur S Franciſci inſtitutum. inq; profeſſionis emiſſione beneficium illius his verbis apertè teſtatus eſt: Voto enim pro me languente grauiſſimè ad beatũ Franciſcum emiſſo à matre, cùm adhuc eſſem puerulus, ab ipſis ſum mortis faucibus erutus, & in robur vitæ incolumis reſtitutus. Quod cùm viua memoria teneam, vera nunc confeſſione profiteor: nè tantum beneficium reticẽs, ſceleris arguar vt ingratus. orationemq; ad illum pijſſimè his effundens: Accipe, inquit, pater beate quaſcunq; exiles, meritisque tuis ac beneficijs impa-
Oratio eius. res gratiarum actiones, & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras ſic orando excuſa, vt à malis præſentibus ẽruas, & ad bona ſempiterna perducas.

Cap 6. Igitur vir ſanctus in eadẽm vocatione progrediens, cùm omnis ipſius vita in Dei certa cognitione ac contemplatione verſaretur, ad quam aſſequẽdam per ſacrarum ſcripturarum aſſiduam perlectionem, orationes ac contemplationes intenderet, docente illum Alexandro de Ales, ſacræ paginæ magiſtro, tantam doctrinarũ perfectionem breuì adeptus eſt, vt à ſeptimo ſui ingreſsûs anno, conſono magiſtrorum ſui ordinis iudicio delectus, librum Sententiarum in Pariſienſi vniuerſitate clariſſimè legerit, & cathedram magiſtralem receperit: admirabilis proindè cunctis, quòd tam paruo ſpatio eam ſufficientiam valuerit comparare. Sed admirentur ſanè, qui res humanas ex naturali tantùm curſu, non autem ex diuina potentia metiuntur: quæ duos diſcipulos, literarum prorsùs ignaros, Emaus oppidum contendentes, breui itineris ſpatio comitata, diuinorum ſcientiam pleniſſimè docuit. Idem diuus dona ſancti ſpiritûs pro ſuis aſſiduis meritis conſecutus, magna in dies doctrinæ accrementa recipiebat, quę magis diuinitùs inſpirata, quàm humanitùs acquiſita, videantur. Cumque per tres annos ſequentes cathedram magiſtralem rexiſſet, anno ſuæ ætatis ſecundo & triceſimo, inter primos religione & doctrina in Ordine habebatur. Nanq; illi tanquàm infinitus theſaurus ſcientia erat, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. Et quod notabilius & admirabilius erat in illo, quo magis ſcientia & authoritate emerſerat, eo magis humilitate mentis deprimebatur. Nec, vt plerique literarum ſcientia inflati, vilia miniſteria domeſtica faſtidiebat: ſed qui vix, nec nisi per obedientiam, ægrè tamen, ab illorũ executione coërcebatur, reputantibus Prælatis indignum, ſi non à talibus, vt egregius, ſequeſtraretur, in quo ſancti ſpiritûs gratia habitare perſpicuè cernebatur. Nec tamen vir ſanctus vlla charitatis officia ob literarias actiones prætermittebat: ſed in omnes fratres oculos intẽdens, ſi quem fortè triſtem aut profeſſionis pœnitentem intelligeret, tanta dulcedine in ſermone conueniebat, conſolabatur, monebat ac confirmabat, vt nullus ab eo diſcederet, quin libens cœptum religionis iter proſequeretur. Infirmorum prætereà cura ſuprà, quàm credibile ſit, delectabatur, quóve grauioribus aut contagioſis morbis grauarentur, eo magis ſe totum illorum obſequio applicabat. Quibus officijs cùm maiorem diei partem abſumeret, nõ eo minor erat in publicis lectionibus & interpretationibus ſcripturarum: quæ tanta claritate audientibus intelligenda reddebat, vt ipſe author illorum meritò videri poſſet. In Capitulis verò aut Prouincialibus, aut Generalibus tanta ſapientia ipſius reſponſa dabantur, vt iam generalis Magiſter, perſpecta magnitudine conſiliorum illius, nil omninò graue exequendum putaret, in quo ſancti viri iudicium non anteà explorâſſet. Quibus donis & gratijs illuſtratus, cùm iam in religione eſſet omni merito clarus, defuncto generali Miniſtro, tredecimo ipſius ingreſsûs anno, ex tam multis ſanctis viris, quibus religio in ſua nouitate florebat, vnus omnium ſine contradictione extitit ſubrogatus.

Alexander Aleſius eius præceptor.

Luc. 24.

Sap. 7.

Magna eius humilitas.

Item eius charitas.

Humanitas eius erga morbidos.

Fit miniſter generalis.

Cap. 7. Hîc vir ſanctus accingens ſe grauioribus actionibus, cùm iam religioſi cœpiſſent à fundatoris diſciplina paululùm declinare, vbi monendo, inſtando, caſtigando ac operoſiùs laborando ad meliorem vitæ frugem reduxiſſet, in Capitulo generali, quod primum Narbonenſe tenuit, regulam beati Franciſci reformauit atque expoſuit, Ordinemq; in Prouincias & cuſtodias taxauit, & duas addidit: vbi ſtrenuè decertans, aduersùs venenoſas oppugnationes temeratorum & obtrectatorum, qui in religionem Mendicantium ac ſanctum virum impudentiùs ora ſoluerant, atq; artificioſis calumnijs velitabantur: ſola iuſtitia atq; innocentia tutus, permanſit inuictus, tanquàm qui Integer vitæ ſcelerisq; purus, Nõ eget Mauri iaculis, nec arcu, Nec venenatis grauida ſagittis Fuſce, pharetra: expertus fructum ſanctorũ monitorum Magni Baſilij, diuini interpretis Homerici carminis, vbi Vlyſſem pro meritis ad cælum tollit, aſſerẽs poëtam clara voce teſtatum: O homines, ſit vobis cura virtutis, quæ cum naufrago énatat, & eiectum in litore venerabiliorem oſtendit. Vbi etiam libellum cõtra Minores pernicioſiſſimum, à magiſtro Giraldo de Abbatis Villa, vt putant, per apologiam editum, non minùs eloquenter, quàm ſubtiliter confutauit. Qui etiam Giraldus non longè pòſt, iuſto Dei damnatus iudicio, meritas ſui ſceleris pœnas dedit, ac paralyticus, ac miſeranda lepra reſperſus, plenus ærumnis vitam finiuit.

Reformat Ordinẽ ſuũ.

Giraldus ſcribit cõtra Frãciſcanos & miſerè perit.

Cap. 8. Congregato verò Capitulo generali Piſis, eo authore inſtitutum, vt Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine, vſque ad Epiphaniam continuaretur eodem modo, quo intrà octauam natiuitatis Dominicæ cantatur: & aliæ Rubricæ in Breuiario reformatæ, & aliæ additæ. Idem etiam pijſſimus cultor glorioſæ Virginis matris Ieſu, inſti-

ſtituit, vt fratres populum hortarentur ad ſalutandum eandem, ſigno campanæ audito, quod poſt Completorium datur: quòd creditum ſit, eandem ea hora ab angelo ſalutatam. Tunc tranſlatum fuit venerabile corpus beati Antonij ad prægrandem eccleſiam Paduanam, cuius lingua ſecundo & triceſimo ſui obitûs anno, recens & rubicũda reperta eſt: quam vir ſanctus in manibus deuotè recipiens, ac largioribus lachrymarum imbribus perfundens, talibus reuerenter affatus eſt: O lingua benedicta, quæ Deum ſemper benedixiſti, & alios benedicere docuiſti: nunc perſpicuè cernitur, quanti meriti fueris apud Deum. Cui oſcula deuotè figens, illam honeſtè collocari curauit. Cuius etiam fama permotus tunc Clemens Quartus, vt illum in partem ſolicitudinis traheret, opulentæ Eboracenſi eccleſiæ præfecit: nec tamen aſſequi potuit, vt vir ſanctus eam promotionem acceptaret: qui propoſiti conſtans, in religione maluit permanere, vbi diuitias & dignitates ſibi præpararet in cælis. Cuius conſtantiam Pontifex admiratus, ad illum, Sta, inquit, in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce.

Nota de S. Antonij paduani lingua.

Præficitur eccleſiæ Eboracen. ſed recuſat.

Eccli. 11.

Nunc verò ſe offert numeroſior cumulus diuinorum ſcriptorum ipſius. Cùm Cap. 9. Pariſijs legiſſet primum librum Geneſis, nobile opus, quod de ſeptem viſionibus Bonauenturæ intitulatur, editum eſt. In libros Sententiarum celebria Commentaria edidit, ſecundum & quartũ præſertim, quos etiã metricè eſt proſecutus: & incipiunt,

Scripta viri ſancti.

O fons ſplendoris, vas dulcoris & amoris.

Quibus ob ſublime ingenium authoris ibi inſperſum, Sententię Sententiarum Bonauenturæ, titulus inditus eſt. Super Euangelijs compendioſè & vtiliter ſcripſit: Lucæ præſertim, cancellarij pię matris Ieſu, quam pectori impreſſam, aſſidua meditatione ſemper eſt veneratus. Rursùs contemplatione ſancti Ludouici regis Franciæ, officium de Cruce deuotiſſimum edidit, quod ab Eccleſia, nullo immutato, receptum, in ea ſolennitate vbiquè legitur. Compoſuit & ſolenne officium in honorem beati Franciſci, & de ipſius vita hiſtoriam ſerioſo tractatu primùm, & ſecundò reductoriè annotauit. Compoſuit & libellum de ſex alis Seraphin. In monte Aluerno duo nobilia opuſcula edidit, pijſſimas contemplationes flagrantia: quorum alterum, Itinerarium mentis in Deum: & alterum, In ſeipſum, appellata ſunt. Compoſuit & libellum approbatorium religionis Mendicantium, quod Defenſorium appellant. Compoſuit & libellum de vita Chriſti, ſiue Meditationum paſſionum ipſius, quem Arborem Crucis nominant. Compoſuit & Breuiloquia. Item & Sermones Dominicales ſuper Euangelijs & Epiſtolis per totum anni circulum. Item Compendium veritatis ſacræ ſcripturæ. Item libellum ordinationis ſiue Inſtitutionis Nouitiorum. Item & libellum de Stimulo Amoris. Item & libellum, quem appellãt Pharetram, de authoritatibus principalibus Doctorum approbatorum, quem per Alphabetum proſecutus eſt. Et alia plura opuſcula vſque ad tricenarium numerum, quæ in partibus Galliarum frequentiùs habentur in manibus.

S. Bonauenturam vitam S. Franciſci conſcripſit.

Et cùm beati Franciſci religio, quam annis octo & decem ſancto regimine gubernauit, ipſius monitis & exẽplis in ſolidiori ſanctitatis ſtatu firmata eſſet, & viri claritas ob vitæ ſanctitatem, doctrinæ eminentiã atque operum diuinitatem vbiquè elucęſceret: tum fortè Romana Sedes plurimùm laborabat difficultatibus, quæ in Concilio, quod Lugduni congregabatur, inextricabiles emerſerant, Gregorius tunc Papa X. & reliquus ſacer Senatus, illecti ſtudio viri, quem leuãdis dictis difficultatibus ac vniuerſalis Eccleſiæ regimini intelligebant plurimùm præſturũ, atque ob merita alioquin ſubleuandum, in Cardinalem, quanuis reluctãtem, promouerunt, & quod rarum, ex ipſo initio ob viri excellentiã Epiſcopum Albanenſem. Moxque pertractandis arduis rebus Concilij vnus omnium delectus eſt, deputatis qui illi aſſiſterent, Rothomagenſi & Tripolitano claris Epiſcopis illius temporis: qui & ipſi de religione S. Franciſci ad Epiſcopatum ob meritũ vocati fuerant. In quo Concilio de multis illius ſapientia ſanctè conſultum atque decretum, & Græcorum compoſitæ hæreſes, qui tum præſente Palæologo eorum Imperatore, qui in hoc Lugdunum venerant, liberè ad Romanæ Sedis obedientiam rediêrunt. Ad quorum reductionem miſſi fuerãt frater Hieronymus de Eſculo, & frater Bonagratia Dalmata, Ordinis Minorum religioſi eximij meriti. Quibus cum literis reuerſis, lætus idẽ Gregorius, fratres ac Prælatos, qui in Concilio aderant, in Lugdunenſi Eccleſia conuocauit, vbi vir ſanctus præclaram habuit orationem, propoſito themate, quod legitur Baruch 5. Exurge Hieruſalem, & circunſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente vſque ad Occidentem.

Concilium Lugdunen.

Creatur Cardinalis & Epiſcop. Albanenſis.

Græci Eccleſiæ Romanæ ſubſcribũt.

Cap. 10.

Cap. 11. Succeſſiuè in ea vocatione, pari ſanctitate & operum fructu perſeuérans, cùm in
2. Tim. 4. Dei Eccleſia diutiùs laborâſſet, ità vt cum Apoſtolo iurè dicere poſſet: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo *quarto, & ſuę ætatis tertio & quinquageſimo, hora matutina die
* quinto Obitus beati viri. Dominicæ, quæ menſis Iulij erat tertia & decima, ex humanis ſublatus eſt, & ſanctis Patribus, vt credere debemus, æternùm victurus, redditus. Qua die ipſius venerabile
Celebrãtur ei⁹ exequię. corpus ſepulcro reconditur in eccleſia S. Franciſci Lugdunenſi, cum multis lachrymis & conſternatione fratrum, lamentantium ſe tanti viri ſocietate deſtitui, qui parem ſibi in Dei Eccleſia relinquere non videbatur: Gregorio Pontifice permaximè eum reputante, qui ibidèm publicè teſtatus eſt, Eccleſiam Dei illius morte magnam incurriſſe iacturam. In cuius exequijs primam Miſſam celebrauit frater Petrus Tarentaſienſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & ſermonem habuit propoſito themate, Doleo ſuper te, mi frater Ionatha. Vbi inter cæteras commemorationes gra-
2. Reg. 1. tiarum & donorum, quæ illi Deus dedit, etiam fuit quòd quicunque eum videbat,
Plurimùm cõtulit Græcis reducẽdis eius opa ſtatìm ipſius amore capiebatur, eiusque monita libenter recipiebat, Græci præſertim, quibus reducendis ipſius diuina eloquia & conſilia plurimùm cõtulerunt. Benignus, affabilis, omnibus gratus, & nulli vnquàm ſcandalo, pius, prudens, humilis, pudicus, ſobrius, caſtus atque quietus: quarum virtutum actiones & officia ſemper ſtrenuè executus eſt. Quod etsi nullo alio probante doceremur, ſatis ex diuinis ſuis ſcriptis liquidò patet: quibus tam intenſo affectu ſingula præmiſſa proſequitur, vt nisi per aſſumptum de illis habitum adeò ardenter illis inſiſtere non valuiſſet. Tum verò, quòd Alexandri de Ales præceptoris ipſius teſtimonio mundus ab omni vitio probatus eſt:
Alexandri Aleſij de illo ſentẽtia. qui eius vita & moribus probè cõpertis, de eo dicere ſolebat: Verus Iſraëlita eſt iſte, in quo Adam non pecâſſe videtur. Cuius Doctoris authoritatẽ tanti apud Eccleſiam valuiſſe conſtat, vt de illius dictis aut ſcriptis nefas putauerint dubitare, conſummatumque omnes teſtati ſunt diuinũ oraculum, per beatum Franciſcum de illo editum, futurum eum magnum virum in Eccleſia Dei, religionemque ſuam magna per illum ſanctitatis accrementa recepturum.

Cap. 12. Iam intelligis, Pater beatiſſime, quod & per te planiùs intelligebas, quis qualísve fuerit Bonauentura, de quo agimus, cuius vita & exemplis, beati Franciſci religio illuſtrata, & doctrina, omnis terra repleta eſt. Nunc quod ſecundo loco aggredimur, pari patientia audire digneris, dum refero, quæ memoranda omnipotens Deus in illo, & ipſius virtute in alijs monſtrare dignatus eſt. A re miranda exordior. Bonauentura adhuc in minoribus agens, demiſſæ mentis humilitate potiùs, quàm ex iniuſtitia,
1. Cor. 11. pluribus diebus abſtinuerat perceptione ſacratiſſimi corporis Chriſti, veritus nè ſi illud indignus ſumeret, iudicium ſibi manducaret & biberet. Cumque die quadam in
Adminiſtratur ei ſacra Euchariſtia per angelũ. Miſſa deuotus adeſſet, Deus reſpiciens ad illius humilitatem, particulam conſecratæ hoſtiæ, de manu celebrantis per angelum acceptam, illius ori clementer immiſit. Reſpexit enim ad humilitatẽ ſerui ſui, propter quam beatus ab omnibus gentibus prædicatur. Rursùs cùm intenſo affectu ſtuderet contemplando & annotando vitam
S. Thomas de Aquino. beati Franciſci, glorioſus ſanctus Thomas de Aquino, qui eadem tempeſtate meritis claruit, & Bonauenturæ magna charitate coniunctus fuit, accedens ad illius cubiculum, per foramen oſtij introſpexit, viditque illum in contemplatione raptum, & à terra mirificè ſubleuatum. Tum retrocedens ad ſuos: Sinamus, inquit, ſanctum, qui laborat pro ſancto.

Cap. 13. Simona Lugdunẽſis, beatum Bonauenturam viuentem ſumma deuotione proſequebatur: quæ, ſicut Domino placuit, mortuum peperit. Ad quam euocatus vir ſanctus, expoſito cadauere ante illius pedes, & mater, quæ in lecto coràm ingemiſcebat, & reliquæ mulieres, quæ aderant, ſancti viri opem in ſalutem mortui deprecatæ ſunt. Tum vir ſanctus commiſeratus, manibus atque oculis erectis in cælum, deuotiſſimè
Infantem mortuum S. Bonauentura excitat. orauit. Mox ſigno Crucis ſuper puerum facto, viuentem reddidit matri. Tritum ac frequens apud Lugdunenſe caſtrum villanum, ac toram Prouinciam, quòd mulieres vtero laborantes inuocatus exaudit, & de periculo eximit.

Cap. 14. Iohanna Lugdunẽſis, octo dies continuos vtero diſtenta, atque aſſiduo enixu parturiendi cruciata, deſperauerat de ſalute. Monita à mulieribus, quæ laboranti aderant, ſe ſancti precibus & ſuffragijs commendauit, certum votum pro ſalute recuperanda faciens, & ſtatìm incolumis incolumem peperit. Cõmemorat porrò Author etiam alia multa ſancti viri miracula, quæ nos ſtudio breuitatis omittimus, ac deindè
Parturientẽ liberat. ſubiungit: Sunt præterea & alij innumeri, qui meritis eiuſdem Sancti de varijs doloribus, ægritudinibus ac periculis miraculosè liberari meruerunt: quorum ſingulos ſi recenſere pergam, præſenti operi detrimento potiùs, quàm vſui aut fauori indubiè futurus ero. Hoc tamen loco non cõmittam, vt ſilentio tranſeam ſtupendum ac memorabile quiddam, quod omnipotens Deus ad perhibendum certum teſtimonium ſanctitatis viri, in illius venerabili corpore pro ſua clementia monſtrare dignatus eſt. Dum idem venerabile corpus transferretur ad nouam eccleſiam, ad titulum ſancti Franciſci, Lugduni erectam, centeſimo & ſexageſimo ſui obitûs anno, reliqua corporis parte alioquìn exeſa atque corroſa, caput tamen ſolidum, capillamentum hærens, labia, dentes & lingua, in nullo à vitali ſtatu aut colore demutata, reperta ſunt. Nota de incorruptiõe capitis eius. Erat profectò diuinæ clementiæ, illud os à putrefactione ſeruare, quod ad ſalutem fidelium atque in diuinis laudibus ſemper fuerat operoſum, nec dare ſanctum ſuum videre corruptionem.

Poſſem fortè ineptus videri, ſi ſtudens cœpto, proſequar diem abſumere recenſendo miracula, quorum relationi nec diem, nec certè dies ſufficere ſatis ſcio. Si igitur diuum Bonauenturam in ſuis operibus miraculoſum iam conſtat: ſi infuſam dono ſancti ſpiritûs obtinuiſſe ſcientiam, diuina illius commentaria profitentur: ſi charitatis officia ardentiùs executum, mundanos honores contẽpſiſſe, affectus terrenorum abieciſſe, in perſecutionibus conſtantem manſiſſe, in beati Franciſci ac vniuerſali religione fructuoſum extitiſſe: ſi ſuperna vocatione, vt Paulum, in ſortem Domini mi- Cap. 15. Actor. 9. raculosè conuerſum: ſi diuino beati Franciſci præſagio ſanctum prædicatum: ſi Alexandri de Ales Doctoris irrefragabilis, ipſius præceptoris, ſedula obſeruatione ſanctum compertum ac iudicatum: ſi religioſorum Minorum voto, qui ſanctitate pollebant, vt ſanctior, ſummus Prælatus aſſumptus: ſi Romanæ Sedis iudicio, vt clarus meritis, ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen profuturus accitus: ſi deniquè communi omnium opinione fidelium, ſanctus tenetur & nominatur, & colitur: ſi benignus ſuccurrit quotidiè inuocantibus ſe: poterat ſanctitas tua, etiam nullo petente, ſancto, quod vnum deerat, publicos honores decernere: quanto magis id debes ceſſorum principum votis? Accedunt pientiſſimæ preces ſereniſſimorum ac clariſſimorum, Friderici Romanorum regis ſemper Auguſti, Ludouici Francorum Chriſtianiſſimi, Ferdinandi Siciliæ, & etiam Matthiæ Hungariæ regum catholicorum: qui cùm de republica Chriſtiana benè mereri ſueti ſint, digni certè videri debent, qui à ſanctitate tua tam ſanctam rem impetrent. Rogant præterea illuſtres Duces ac populi, & loco maximi muneris hoc petunt Calabriæ, Venetiarum, Mediolani, Sabaudiæ, & Duciſſæ Calabriæ & Borbonij, Florentini, Senenſes, Peruſini, Lugdunenſis & ciuitas Balneoregij: quæ licèt humilis ſit, tamen clariſſima & Deo gratiſſima videri debet, cui tantum ſidus producere datum eſt. Rogat præterea iſtius Ordinis reuerendiſſimorum Patrum Iohannes de Aragonia, eiuſdem ſereniſſimi regis Ferdinandi illuſtris proles: qui ſanctos, qui in eo Ordine claruerunt, religioſiùs veneratur & colit. Exigit deniquè ſuo iure beati Franciſci ſancta religio, cuius alumnus, vel iuſta petenti deeſſe non potes. Exigit & ipſe ſanctus ex promiſſione, omnipotentis Dei nomine facta ſtrenuè militantibus, quòd illorum laudes cantet Eccleſia. Eccleſiaſtici 44.

Hucuſquè ex Oratione Octauiani de Vita S. Bonauenturæ, omiſſis nonnullis parùm ad vitæ hiſtoriam attinentibus.

DE DIVISIONE APOSTOLORVM, QVAE CELEBRATVR 15. *Iulij, nonnihil inueniet Lector in ſermone Chryſoſtomi, qui infrà habetur* 30. *Iulij.*

VITA

VITA BEATI IACOBI NISIBITÆ EPISCOPI, AVTHORE THEODORETO CYRI EPISCOPO, INTERprete verò Gentiano Herueto, viro doctiſſimo. Habetur in Philotheo, vel ſanctorum Patrum hiſtoria.

Iulij 15.

MOSES ille diuinus legiſlator, qui imum maris fundum aperuit, & inundatione aquarum aridam obruit ſolitudinem, & alia omnia fecit miracula, ſcripſit res geſtas corũ ſanctorum, qui fuêre antiquitùs: non ea vſus ſapientia, quam acceperat ab Aegyptijs, ſed ſplendore gratiæ accepto à ſuperis. Vndenàm enim alioquì Abelis didiciſſet virtutem, & Enoch virtutis ſtudium, & Noë iuſtitiam, & Melchiſedec pium ſacerdotium, Abrahæ vocationem, fidem, fortitudinem, &, quæ ei magnæ erat curæ, hoſpitalitatem, vulgò iactatum filij ſacrificium, & aliorum, quæ ab eo præclarè geſta ſunt, catalogum: & vt in ſumma dicam, diuinorum virorum certamina, victorias, præconia, niſi intelligentis diuiniſque ſpiritûs radios accepiſſet? Hoc mihi quoquè in præſentia opùs eſt auxilio, qui conor eorum vitam ſcribere ſanctorum, qui parùm ante nos & noſtris temporibus claruêre, & velutì quaſdam leges ijs, qui imitari volent, velim proponere. Horum ergò ſunt preces inuocandæ, & incipiendum eſt narrare.

Exod.14. Exod.17. Actor.7.

Moyſes diuinitùs edoctus cõſcripſit vitas patrum teſtamenti veteris.

Cap. 2.

Niſibis eſt ciuitas in confinio regni Romanorum & Perſarum, quæ olìm quidem erat Romanis vectigalis, & eorum parebat imperio. Ex ea ortus magnus ille Iacobus, ſolitariam vitam & quietam eſt amplexus: & altiſſimorum montium occupatis verticibus, in eis vitam egit, vêre quidem & æſtate & autumno vtens ſyluis, & pro tecto habens cælum: tempore autem hyemis, antrum ipſum excipiebat, quod ei paruum præbebat tegumentum. Habebat autem alimentum, non quod cum labore naſcitur & ſeritur, ſed quod ſua ſponte producitur. Nam ex ſylueſtribus colligens arboribus fructus, qui ſpontè naſcuntur, & ex herbis eas, quæ ſunt eſculentæ, & habent inſtàr olerum, ex ijs dabat corpori ea, quæ ſatìs erant ad viuendũ, ignis vſum recuſans. Vſus quoquè lanæ erat ei ſuperuacaneus. Aſperrimi enim caprarum villi, eius vſum implebant. Ex eis ipſi fiebat & tunica, & ſimplex amiculum. Ità corpus affligens, ſpiritale alimentum aſſiduè exhibebat animo, & cogitationis facultatem expurgans contemplantem, & diuini ſpiritûs perſpicuum efficiens ſpeculum, reuelata facie, ex diuini

Niſibis patria S. Iacobi.

Degit ſolitarius.

Cibus eius.

Veſtis aſper ruma.

2.Cor.3.

Apoſtoli ſententia, gloriam Domini ſpeculans, in eandem transformabatur imaginem, à gloria in gloriam, tãquàm à ſpiritu Domini. Hinc quæ ei erat in Deum fiducia, augebatur in dies, & à Deo petens, quæ oportebat petere, ea ſtatìm accipiebat. Porrò autem hinc quoquè futura præuidebat propheticè, & virtutem ad facienda miracula à ſanctiſſimi ſpiritûs accipiebat gratia. Ex his pauca narrabo, & Apoſtolici eius ſplendoris radium ijs, qui neſciunt, aperiam.

Habet donũ prophetiæ & virtutẽ operandi miracula.

Cap. 3.

Vigebat illo tempore in ſimulacra hominum inſania, & inanimæ quidem ſtatuæ diuinum cultum ſibi vendicabant: Dei autem cultus negligebatur à plurimis: contemptui autem habebantur, qui eorum ebrietatis nolebant eſſe particeps, quique perfecta virtute præditi, ea quæ ſunt, diſcernebant: & ſimulacrorum quidem videbant imbecillitatem, vniuerſorum autẽ adorabant opificem. Illo tempore Iacobus venerat in Perſidem, viſurus plantas veræ religionis, & ei quam par erat, curam adhibiturus. Cùm is autem fontem tranſmitteret, puellæ quædam, quæ pannos lauabant, & veſtes pedibus emundabant, nè nouum quidem, & qui decentem præ ſe ferebat grauitatem, ſunt reueritæ habitum: ſed exuto pudore & perfricta facie, & impudentibus oculis diuinum hominem adſpiciebant, neque capita operientes, neque veſtes, quas ſuccinxerant, demittentes. Hoc cùm ægrè tuliſſet homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore oſtendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem eſt execratus, & fluentum confeſtim euanuit: puellas quoquè eſt execratus, & impudentem earum iuuẽtutem caſtigauit, canîs ante tempus inductis. Et ſermonem factum eſt conſecutum, mutatusque eſt nigror pilorum, & ſimiles euaſerunt nuperè plantatis arboribus, quæ vêre circuntectæ ſunt foliis autumnalibus. Eæ autem cùm ſic ſenſiſſent ſupplicium, (Nam & fontis fluenta effugerant, & ſua inuicèm capita intuen-

Venit in Perſidem.

Maledicit fonti & puellis, vt eas Domino lucretur.

intuentes, videbant repentinam illam mutationem) curſu ad vrbem contenderunt, renunciaturæ illud, quod acciderat. Illi autem cùm accurriſſent, & magnũ Iacobum offendiſſent, rogauerunt vt iram compeſceret, & ſupplicium remitteret. Ille autem non diù cunctatus, Domino quidem preces obtulit, fluenta autem rursùs ſcatere iuſſit. Illa verò mox rursùs è ſuis emanârunt penetralibus, iuſti deriuata nutibus. Illi autem cùm hoc impetrâſſent, petebant vt filiarum quoquè ſuarum crinibus color ſuus redderetur. Aiunt autem eum hoc quoquè conceſſiſſe, requiſijſſe autẽ puellas, quæ illam acceperant diſciplinam: & quoniam non venerunt, reliquiſſe ſupplicium, documentum temperantiæ & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum & euidens monimentum. Tale eſt noui huius Moſis miraculum: quod quidem non factum eſt virgæ percuſſione, ſed operationem accepit ſigno Crucis. Ego autem præter miraculum, valdè quoquè miror manſuetudinem. Neque enim vt magnus Eliſeus, impudentes illas puellas vrſis tradidit immanibus: ſed quadam innoxia diſciplina, & quæ dedecoris parùm habebat, vſus, pietatem ſimul docuit & moderationem. Hæc autem dixi, non vt prophetam ſæuitiæ accuſem, (abſit, vt adeò inſaniam) ſed vt oſtendam, quòd cùm eandem haberet virtutem, ea effecit, quæ congruebant Chriſti manſuetudini & nouo Teſtamento.

Reſtituit fontem.

Vis ſigni Crucis.

4.Reg.2.

Cap. 4.

Is cùm aliquandò vidiſſet iudicem Perſam, iniquam tuliſſe ſententiam, quendam maximum lapidem, qui propè ſitus erat, execratus, iuſſit eum conteri & diſpergi, & illius iniquam arguere ſententiam. Lapide autem ſtatìm comminuto in particulas innumerabiles, conterriti fuêre qui aderant: horrore autem plenus iudex, reuocauit quidem priorem, alteram autem iuſtam tulit ſententiam. Et hîc quoquè ſuum Dominum eſt imitatus: qui cùm vellet oſtendere, ſe ſua ſponte ac libentem ſubire paſſionem, & facilè, ſi voluiſſet, punijſſet ſceleratos, non eis intulit ſupplicium, ſed ficum inanimam verbo arefaciens, ſuam oſtendit virtutem. Hanc ipſe quoquè imitans clementiam, non punijt iniuſtum iudicem, ſed ictu lapidis illum docuit iuſtitiam. Cùm his rebus eſſet inſignis, & omnibus amabilis, & in ore omnium verſaretur, trahitur ad munus pontificatûs, & ſuæ patriæ præficitur. Cùm illam autem montanam viuendi mutâſſet rationem, & ciuilem vitæ conſuetudinem non ex ſui animi cepiſſet ſententia, neque cibum mutauit, nec veſtitum: ſed loca quidem erant mutata, vitæ autem inſtitutio nullam accipiebat mutationem. Creſcebant verò labores, & erant longè maiores prioribus. Ieiunio enim, & cubili humì ſtrato, & ſacco, quo induebatur, acceſſerant etiam omninò curæ eorum, qui indigebant: vt de viduis, inquam, eſſet ſolicitus, & prouideret orphanis, & eos, qui iniuriam faciebant, argueret, & ijs, quibus fiebat iniuria, iuſtũ adferret auxilium. Et quid opùs eſt omnia recenſere apud eos, qui nôrunt quænam illis competant, qui hanc ſuſcepêre curationem? Inſigniter autem ille tales amplectebatur labores, vt qui ouium Dominum inſigniter & cuperet, & timeret. Quo autem virtutis opes colligebat maiores, eo maiore ſanctiſſimi ſpiritûs fruebatur gratia.

Magno miraculo cogit iudicem reuocare iniquã ſententiam.

Matth.21.

Creatur Episcopus Niſibis.

Nec victũ, nec veſtem mutat.

Cura pauperum &c.

Cap. 5.

Et cùm aliquandò ei in vicum quendam aut oppidum iter eſſet, (neque enim locum ſatìs teneo) ad eum accedũt quidam pauperes, vnumquempiam ex eis, qui cum eis verſabantur, tanquam mortuum proponentes, & quæ ad illum ſepeliendũ erant neceſſaria, ſupplices ab eo poſtulantes. Ille autem conceſſit quidem rogantibus: Deo autem preces obtulit tanquàm pro mortuo, rogans vt ei remitteret, quæ in vita peccauerat, & eum in chorum iuſtorũ dignaretur admittere. Hæc autem cùm dicerentur, eius, qui tunc mortem ſimulabat, euolauit anima: ſuppeditata ſunt autem corpori tegumenta. Poſtquàm autem parùm proceſſiſſet homo admirabilis, iubebant eum, qui iacebat, ſurgere, ij qui actum compoſuerant. Poſtquàm autem viderũt eum non exaudire, & quod ſimulabatur, id verum euaſiſſe, & in veram faciẽ mutatam eſſe perſonam: ad magnum quidem adeunt Iacobum, ſuppliciter autem obſecrantes, & ad pedes eius prouoluti, & actûs quem temerè agẽdum ſuſceperant, dicentes cauſam fuiſſe paupertatem, rogabant vt ſuum eis remitteret delictum, & ei, qui iacebat, ablatam reſtitueret animam. Domini itaque imitans clementiam, & preces exaudijt, & oſtendit miraculum: vt qui vitam precibus ablatam, per preces iacenti reſtituerit. Hoc autem mihi quidem videtur eſſe ſimile magni Petri miraculo, qui Ananiam & Saphiram ſuffuratos mentitosque morti tradidit. Etenim hic quoquè ſimiliter eius, qui veritatem erat furatus, & mendacio erat vſus, abſtulit animam. Sed ille quidem cùm furtum cognouiſſet, (reuelauerat enim gratia ſpiritûs) intulit ſupplicium: hic autem

Cap. 5.

Fraus pauperum punitur.

Diſce hinc, quàm nõ ſit recẽs, orare pro defunctis.

Excitat mortuum.

Actor.5.

autem actûs argumentum nescíens, obtulit quidem preces: stitit autem vitæ cursum ei, qui simulauerat. Et diuinus quidem Apostolus mortuos à calamitate minimè eripuit: (Salutaris enim prædicationis initia metu opùs habebant) hic autem cùm esset refectus gratia Apostolica, & punijt ad tempus, & pœnam mox remisit. Hoc enim opùs habebat is, qui esset lucrifacturus eos, qui offenderunt.

Cap. 6. Arrius ferit hæresin.

Sedenim & est eundum ad alia, & sunt illa breuiter exponenda. Postquàm enim Arrius, in vnigenitum filium & sanctissimum spiritum maledicti blasphemiæq; pater & opifex, in eum, qui ipsum fecerat, linguam mouens, impleuit Aegyptum tumultu & perturbatione: Constantinus autem Imperator maximus, gregis nostri Zorobabel: (Illius enim instàr, vniuersam piorum captiuitatem reduxit ab exilio: & diuina templa humi disiecta, in altum erexit & excitauit) postquàm ergò is omnes ecclesiarum præsides illo tempore congregauit Niceæ, venit cum alijs magnus quoquè Iacobus, pro veris decertaturus decretis, vt vir fortis & princeps totius phalangis. Romanorum enim imperio tunc parebat Nisibis. Postquàm autem fuit dimissus facet ille conuentus, & vnusquisque in sua est reuersus, redijt hic quoquè, tanquàm vir fortis victoria potitus, exultans propter trophæa pietatis.

Synodo Nicenæ S. Iacobus interest.

Cap. 7.

Cùm autem aliquantum processisset temporis, Imperator quidem magnus & admirabilis excessit è vita cum coronis pietatis. Illius autem filij fuêre hæredes imperij orbis terræ. Tunc Rex Persarum, cui nomen erat Sapores, contemptis filijs, vt quorum potentia non esset patri æqualis, bellum mouit aduersùs Nisibim, magnis & equitum & peditum cópijs. Duxit autem elephantos quoquè quamplurimos, & ad vrbem obsidendam diuiso exercitu, eam circunsedit, & machinas extruxit, vallosque figens, & quod inter eos intercedit, ramis tanquàm cratibus contextis obstruens, iussit militibus, vt aggerem extruerent, & turres contra turres excitarent. Deindè illic sagittarios collocans, & in eos, qui erant super muros, tela iubens mittere: alios iussit inferiùs fodere, murosq; subruere. Postquàm autem omnia illi erant irrita & inania, vt quæ viri diuini dissoluerentur precibus: postremò cùm fluuij præterfluentis, multitudine hominum fretus, fluxum prohibuisset, extructisque muris, & ad retinendum comparatis impedimentis, fluuij plurimũ collegisset, id totum simul immisit in mœnia, eo vsus, tanquàm aliqua vehementissima machina. Ea verò aquæ insultum non tulerunt: sed impetu concussa, in illa parte funditùs corruerunt. Illi verò magnum clamorem sustulerunt, vtpotè quòd vrbs iam esset captu facilis. habitantium enim ciuium magnum numerum ignorabant. Distulêre tamen irrumpere, cùm viderent non posse vrbem adiri propter aquas. Cùm ergò procùl recessissent, vtpotè quòd labor eis esset cessaturus, quiescebant ipsi, & equos curabant. Qui autem vrbem habitabant, ex animo conuersi erant ad supplicationes, magnum Iacobum habentes intercessorem. Qui autem ætate adhuc vigebant, omnes quàm maxima poterant contentione rursùs ædificabant, nec pulchritudinis, nec cõcinnę compagis vllam curam gerentes, sed omnia temerè componẽtes, & lapides, & lateres, & quicquid portabat quilibet: vnaque nocte opus tantum processit, & in tantam creuit altitudinem, vt & satis esset ad arcendum cursum equorum, & hominum asscẽsum absque scalis. Tunc omnes ab homine Dei petunt supplices, vt & in muris se ostendat, & tela execrationum iaculetur in hostes. Is verò exoratus ascendit, & eorum plurima millia contemplatus, à Deo supplex petijt, vt in eos immitteret nubem cyniphum & culicum. Et is quidem dixit: Deus verò emisit, ab eo tanquàm à Mose exoratus. & viri quidem diuinis telis vulnerabantur: equi autem ac elephanti ruptis vinculis fugiebant, huc & illuc dispersi, vt qui non possent illos ferre aculeos.

Rex Persarũ obsidet Nisibim.

Murus ciuitatis rursùm extruitur auxilio diuino.

Precib⁹ suis vir sanctus torũ Persarũ exercitũ debilitat.

Cap. 8.

Cùm itaque vidisset rex impius, & machinas nulli sibi fuisse vsui, & aquæ irruptionem fuisse inutilem: (Murus enim, qui corruerat, rursùs fuerat ædificatus) & omnem exercitum & affligi laboribus, & malè se habere sub dio, & vexari à plaga immissa diuinitùs: vidisset autem diuinum quoquè hominem super muros ambulantem, & coniecisset ipsum Imperatorem ei præesse operi, (Sibi enim visus erat & purpura indutus, & redimitus diademate) indignatus quidem est in eos, qui eum decepissent, & vt bellum moueret, persuasissent, & dixissent non adesse Imperatorem: & cùm eos damnâsset capitis, dimisit exercitũ, & in suam regiã redijt quàm citissimè. Hæc in hoc quoquè Ezechia Deus fecit miracula, non illis minora, sed etiam maiora, vt mihi quidem videtur. Quòd enim cùm corruisset murus, vrbs non capta fuerit, quodnam potest esse eo maius miraculum? Ego autem præter hoc illud quoquè valdè admiror, quòd

4.Reg 19.

quòd cùm vteretur execrationibus, nõ petijt vt fulgura & fulmina è cælo mitterentur, vt fecit magnus Elias, quandò ad ipsum vterque quinquagenarius venisset cum suis quinquaginta. Audiuerat enim Dominum apertè dixisse Iacobo & Iohanni, qui hocipsum conabantur facere: Nescitis cuius spiritûs sitis. & ideò nõ petijt, vt terra eis dehisceret: nec rogauit, vt phalanx igne consumeretur, sed vt animalculis illis sauciaretur: & cùm Dei cognouisset virtutem, tandèm mutata, edisceret pietatem & verum Dei cultum. Tantam habuit hic homo diuinus apud Deum fidutiam, tantam à superis gratiam est consecutus.

4.Reg.1.

Lucæ 9.

Cùm in his quotidiè versaretur, & in rebus diuinis quotidiè crescceret, cum maxima gloria hanc vitam deposuit, & ex his locis migrauit. Cùm autem præterijsset aliquantum temporis, & hoc oppidum ab eo, qui tunc imperabat, regno Persarum esset traditum, exiêrunt quidem omnes, qui in eo habitabant: sui autem defensoris ac principis corpus ferebant, ægrè quidem ferentes & dolentes, quòd transmigrarẽt: canentes autem, celebrantesque virtutem fortissimi victoris. Si ille enim vixisset, ij minimè venissent in potestatem barbarorum. Hæc cùm de viro diuino recensuerim, ad aliam transibo narrationem, rogans vt consequar eius benedictionem.

Cap. 9. Felix eius obitus.

EX EIVSDEM THEODORETI HISTORIAE ECCLES. *lib. 2. cap. 30. nonnulla, quæ historiam obsessæ Nisibis, quæ etiam Antiochia Mygdoniæ dicitur, illustrant.*

Interprete Iohanne Christophorsono.

POstridiè vbi cum omnibus copijs vrbi appropinquabat Sapores, expectabatque per disiectas muri partes in eam ingredi, cùm murum vtrinquè deintegrò ædificatũ, tum laborem à se fruſtrà susceptum videt. Nam diuinus ille vir Iacobus suæ precationis virtute non solùm militum, aliorumq; incolarum confirmauit animos: verumetiam murũ denuò extruxit, & machinis oppositis hostes irruentes repulit. Quas res perfecit non accedendo ad mœnia, sed intùs in sacrosancto templo Deum precibus enixè solicitando. Sapores autem non modò ædificandi celeritate obstupefactus est, verumetiam visione quadam perterritus. Etenim vidit in ipso muro quendam regali planè vestitu amictum, cuius purpura & diadema mirè resplendescebant. Quem Imperatorem Romanum esse suspicatus, minabatur illis mortem, qui nunciârant eum minimè adesse. Qui cùm constanter affirmarent vera esse, quæ dixerant, & Cõstantium Imperatorem esse Antiochiæ, intellexit cùm visionis significationẽ, tum Deum pro Romanis (sic enim aiebat) bellum gerere. Itaq; miser rem indignatus, telum coniecit in aërem: non quòd putabat Deum se posse ferire, quem sciebat corporis expertem, sed quòd impetũ insaniæ suæ sustinere non potuit.

Attẽde vim orationis iusti huius.

VITA S. RAINELDIS VIRGINIS ET MARTYRIS, SORORIS BEATAE GVDILAE, PER F. *Laur. Surium ex quodam MS. codice, mutato stylo comprehensiùs descripta, numero capitum ad marginem adiecto.*

IVLII 16.

BEATISSIMA Raineldis (quidam Reinildem vocant) nobilissimis orta natalibus, patrẽ habuit Vuirgerum, magna dignitate multisque opibus pollentem, & tum Deo, tum hominibus charum: cui coniunx fuit Amelberga cumprimìs nobilis & illustris, non minùs moribus, quàm corporis pulchritudine ornata & conspicua, sanctis dedita operibus, castitate venerabilis, atque omni integritate & honestate prædita. Ex ea verò filium susscepit Emebertum, quem etiam Adelbertum appellant, sanctæ Camerancensis ecclesiæ pastorem beatissimum: cuius gesta plena virtutibus & miraculis, in eadem ecclesia hodieq; florent: & filias, Raineldem & Gudilam. Quæ quidem puellæ, cùm à primis ætatis initijs vitæ castimoniam sectari constituissent, multiq; regni proceres ob nobilitatem & diuitias sibi coniuges eas optarent, illæ malebant corporis seruata integritate, sponso

Cap. 1. Eius parẽtes.

Emebertus Episcopus Cameracẽsis.

T immor-

immortali totis viſceribus adhærere,quàm ſpõſos admittere corruptioni obnoxios, Et cùm iam adultæ ad Dei potiùs,quàm hominum cõſilia & voluntatem ſe accommodarent, vitamque ab omni ſeculari vanitate & leuitate immunem ducere nitebantur,etiã parentib.cæleſtis regni amore viſum eſt mũdo nunciũ remittere,& face-
Luc.14. re quod Dominus Ieſus admonet:Niſi quis renũciauerit omnibus quæ poſſidet, nõ
Matth.19. poteſt meus eſſe diſcipulus.Hoc igitur præſtare cupientes,vt poſſent centuplum recipere,quod Dominus promittit ità faciẽtib.& vitã æternam poſſidere, Vuirgerus ſacræ religionis habitum induit:Amelberga verò coniunx eius,ab S.Autberto Cameracẽſi Epiſcopo ſacrum velamen accepit,Chriſtoq; ſe totã dedicauit. Manſerunt autem pleræq;facultates eorum Raineldi & ſorori eius:quibus cùm permulti potentes homines moleſti eſſent,& eas procarẽtur,illæ ad eundem beatum Autbertum confugerunt,Chriſtumq; ſponſum expetentes, ſacro velamine ab illo donatæ ſunt.

Cap.2. Sacrũ accipit velamẽ Raineldis, & viuit ſanctiſsimè. Igitur ſancta Raineldis,præclara Chriſti virgo, ſicut ab ineunte ætate bonis moribus ſeſe componere,caſtitati ſtudere,diuinis operibus ſedulam nauare operam contenderat:ità iam totis viribus eò connitens,incredibile memoratu eſt,quanta ſe affecerit inedia,quàm aſſiduis ieiunijs & orationibus corpuſculum ſuũ macerârit. Nunquam à Dei laudibus promẽdis eius ceſſabat lingua:nõ diebus,non noctibus à pſalmis & hymnis canticisque ſpiritualibus vel colloquijs diuinis vacandum ſibi putabat. Erga pauperes Chriſti ſemper ſolicita & attenta, quẽadmodùm eos veſtiret &
Matth.6. alimentis reficeret,nè qua re indigerent miſeri, ſummoperè curabat. Et vt præcepto Euangelico paréret,non cogitabat de craſtino: ſed omnia indigentibus pro Chriſti
Humilitas eius. amore diſtribuens,nihil ſibi præter tenuem vitæ ſuſtẽtationem retinebat. Seruis & ancillis ſuis crebriùs ipſa ſeruiebat,quàm illorum miniſterijs vteretur,ità vt etiã illis recumbẽtibus officioſè inſeruire non recuſaret.Ad nudum corpus vtebatur cilicio, Crucem Domini,carnis mortificatione,iugiter in ſuo corpore circunferens: liben-
Luc.10. terq; ſermonibus diuinis & ſcripturæ ſacræ inſtitutionibus,cordis admouebat aures, Mariæ ad pedes Domini reſidentis partem optimam eligens.

Cap.3. Nudis pedibus ſemper ingreditur. Cumque in dies magìs ac magìs carne edomanda ſpiritum roboraret,nudis ſemper pedibus virgo tam nobilis & tenera incedebat, poſtrataque ad preces, non rarò noctem diemque ſanctum opus illud continuabat.Cibum vix vnquàm, nisi ſemèl in die capiebat,idque parciſſimè,modico pane hordeaceo &aqua contenta. Lectum
Eius cibus. Lectus. fericis pãnis & magni pretij operimentis inſtratum, vt habet nobilium conſuetudo, planè reſpuebat, in cinere & cilicio ſe reponere geſtiens. Sed cùm nihil præter Chriſtum habere concupiſceret,cum ſancta ſorore ſua Gudila Lobienſe cœnobium adijt beatiſſimo Petro Apoſtolorum Principi omnia ſua oblatura. Pulſans autẽ fores monaſterij,audiuit à fratribus loci illius,ex quo die fundatum eſſet illud monaſterium, nunquàm licuiſſe fœminis in illud ingredi. Id vbì ſancta virgo Gudila audiuit,indè receſſit.At ſoror eius Raineldis pro templi foribus ſeſe proſternens, omnipotentem Deum tres continuos dies, nihil interìm aut edẽs aut bibens, pijs precibus & lachry-
Diuinitùs aperiuntur fores monaſterij. mis pulſare non deſtitit, donèc ille,qui nunquàm deſeruit ſperantes in ſe,ſigna potẽtiæ ſuæ mirabiliter declarauit. Nam tertia nocte,cunctis fratribus quieſcẽtibus, oſtia monaſterij diuina virtus aperuit, &nullo mortalium manus admouente, ſigna ſuos dedêre ſonos. Excitantur ergò fratres, concurrunt vndiquè, & ſanctam virginem in crucis forma coram imagine Saluatoris proſtratã cernũt,ſciſcitantur ex ea,quid actũ
Sap.11. ſit,aut qua ratione intrò ingreſſa ſit.Reſpondet illa:Vos quidem parùm humani,me peccatricem intromittere noluiſtis: at ille, ſine cuius benignitate nec formica viuit, cuius miſericordia angeli viuunt in cælis,cuius ſapientia omnia fecit in pondere,numero & menſura,qui ſeipſum Deo patri ſacrificium obtulit pro totius mũdi ſalute, qui peccatoribus ob admiſſa peccata cum gemitu & lachrymis veniam poſcentibus nunquàm defuit, huius templi ianuas mihi peccatrici patefecit,& ſua virtute patefacto aditu, me, ſicut videtis, huc introduxit.

Cap.4. His auditis, Abbas monaſterij cum fratribus ad pedes illius prócidit, & vt pro ipſis Dominum deprecaretur, cum lachrymis rogauit. At ſancta virgo, cùm ſe inuicèm benignè &comiter ſalutâſſent,humili corde & mẽte promptiſſima, vt erat Deo deuota &valdè religioſa,poſitis humì genibus, ad veſtigia eorum prouoluta,orabat vt tantorum patrum precibus commendari apud Dominum mereretur.Deindè honorificè & cum multa deuotione ab eis ſuſcepta, animi ſui propoſitum illis explicauit,

uit,& * Sanctas cum quinq; villis & ad eas attinentibus,beato Petro Apoſtolo donauit,vt per eum ad cæli palatia introduci mereretur. Accepta indè benedictione à patre monaſterij & fratribus,inanis gloriæ & humanæ laudis fumos vitare, & maioris certaminis curſum conficere volens,ad ſanctam ciuitatem Hieruſalem,vno tantùm famulo vnaque ancilla contenta,profecta eſt. Vbì biennio ſingula quæque loca, in
It Hieroſolymam. quibus Saluator verſatus fuerat,perluſtrauit,àc ſi ipſum Dominum in corpore præſentem haberet.Delectabatur ſanè eo labore, & tanquàm vberrimis refecta epulis, corpus ſuum, quantùm humana imbecillitas ferre poterat, excruciabat.

Cap.5. Septennio indè euoluto, precioſiſſimis aucta ſanctorum reliquijs, parte quadam ſepulchri Dominici,&ligni Crucis,veſtisque beatiſſimæ matris Dei,alijsq; multis,ad patriam reuertitur,* Sanctas ingreditur,à familia &cunctis loci eius indigenis cum ſumma exultatiõe excipitur.Deincèps verò ità vixit, vt humanum modum excedere videretur. Nam velut in ecſtaſi poſita, terrenis omnibus proculcatis & cæleſtibus inhians,miraculis quoquè &virtutibus coruſcans, rerum diuinarum contemplationi vacabat. Cùm autem propter hominum flagitia Dominus Barbaros fœuire permitteret, illi in Gallias irruentes,multos trucidârunt, flammisque omnia vaſtantes,magnam Chriſtianis cladem attulerunt.In ea rerum perturbatione alijs ſe in ſpe-
Alijhos Hũnos,alij Normannos fuiſſe volunt. cus,alijs in montium cauernas abdentibus, nobilioribus verò &potẽtioribus in municipia & fortiſſima caſtella ſe recipientibus, hæc Chriſti virgo nec minis impelli, nec amicorum blandimentis eò adduci potuit, vt locum, in quo diem claudere extremum conſtituerat, deſereret. Dicebat autem ijs, qui eam abire compellebant: Si ego cauſa illius, qui vt me totumque mundum ſeruaret, capi, ligari, conſpui, alapis cædi,flagellari,ſpinis coronari,denique ad Crucem affigi ſe permiſit, miſeram hanc & momentaneam vitam perdere reformido:quid ille dicturus eſt mihi,cùm in ſede
Attẽde martyrij deſyderium in virgine. maieſtatis ſuę ſederit,& coram illo ſignum ſanctę Crucis,in qua paſſus eſt, ſub totius mundi conſpectu vſqueadeò ſplenduerit,vt non magìs peccata, quæ confeſſione & pœnitentia abolita non fuerint,abſcondi queant,omniumq; notitiam fugere,quàm intrà vas vitreũ aqua lutulenta: cùm iuſti oẽs in vnitatẽ fidei & agnitionẽ filij Dei,
Ephes.4. in virũ perfectum,in mẽſurã ætatis plenitudinis Chriſti occurrerint,& in gloria Dei patris ſicut ſol in virtute ſua fulſerint: cùm deniquè electi ad gloriã, reprobi ad pœnas vocati fuerint: quid tum, inquã,dicturus ille mihi eſt,ſi hanc vitam miſeram,&
Matth.13. quæ vix vnius horæ ſpatium referre videatur, pro eius amore contemnere nolim? Hæc illa dicente, cæteri quidẽ omnes fugæ ſe mandârũt:ipſa verò ſola permãſit cum duobus magìs ei familiaribus, Grimoaldo Subdiacono & Gundulpho miniſtro.

Cap.6. Irruentibus igitur Barbaris, virgo Chriſti ſancto ſpiritu plena, &in ſponſi ſui amore ſolidata,cum illis, quos diximus, more ſuo ad preces confugit, & coram altari in
Barbari eã crudeliſsimè tractãt. ede beatiſſimi Quintini martyris in Crucis forma ſe poſtrauit:vt ſicut ille ſui redemptoris fidelis teſtis fuit martyrij palmam referẽdo,ſic ipſa apud martyris memoriam eiuſdem teſtimonij Chriſti particeps effici mereretur. In ipſam verò ædem irrumpebant Barbari, inſtàr immaniſſimarũ belluarum, humanum ſanguinem ſitientes, arreptiſque ſanctæ virginis capillis circunquaquè eam trahebant, fuſtibus & flagellis eam cædentes, tundentes calcibus, & colaphos ei infringentes,multisque iniurijs,lu-
Pſal.30. dibrijs & plagis crudeliſſimis eam afficientes. Tum illa Domino hilari mente pſallebat: Benedictus es Domine Deus omnipotens, pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui donâſti mihi peccatrici,nõ meritis meis, ſed gratia vnigeniti filij tui,id quod ſemper amaui,quod toto pectore ab infantia concupiui. Non enim confundentur in ęternum, qui ſperãt in te,nec derelinquis ſperantes in te: porrò humilias eos,qui ſua virtute gloriantur. Tu es enim Deus benedictus in ſecula ſeculorum, amen.

Cap.7. Compellentibus indè Barbaris,vt ceruicem extenderet,flexo poplite virili animo ſuſtinebat ferientis ictum,præ gaudeo lachrymans,&has fundens preces:Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, quòd me dignatus es in ancillarũ tuarum numero computare vel vltimam, quodque merui pro tui nominis honore plagis & contumelijs affici, & curſum mei certaminis in te conſummare. Accipe ergò nunc ſpiritum meum. His dictis,ceruicem porrexit carnifici,& capite cęſa,ad Chriſtum euolauit. Por-
Capite trũcatur, cùm Grimoaldo hypodiacono. Gundulphus quoq; occiditur. rò beatus Grimoaldus Subdiaconus itidèm capite plexus eſt: Gundulphus verò tribus in eius cerebrum adactis clauſis,vitam finiuit.Ea cæde peracta,volebant ſatellites ſatanæ templum inflammare, & cum illo pariter ſanctos martyres comburere: ſed meritis beatæ Raineldis impediti, nullo modo id conſequi potuëre, coactique ſunt, re infecta, cum ignominia abire.

Cap. 8. Cæsa est Christi sponsa Raineldis cum socijs duobus decimoseptimo Calen. das augusti: cumque iam recessissent cruētissimi latrones, oues Christi, quas sua immanitate in fugam compulerant, paulatim sese colligentes, quotquot eorum manus euaserant, domum se receperunt, inuentaque sanctorum corpora necdum humata, terra condiderunt in templo suprà memorato. Postea volente Deo glorificare martyris suæ memoriam, & ostendere fidelibus suis, quanti apud ipsum meriti esset, cuidam paralytico septem annos membrorum dissolutionem perpesso, reuelatum est, vt ad sanctæ virginis tumulum se curaret deportari. Fecit ille, vt erat in visione iussus, & simulatquè tetigit eius monumentum, adeò plantę eius & cętera membra omnia confirmata sunt, vt nunquàm eo morbo laborâsse videretur. Itaque multi febribus alijsque diuersis vexati morbis, eius auditis miraculis, & è propinquis & longinquis locis ad eius sepulchrum aduolârunt, Deique beneficijs & sanctissimæ martyris adiuti meritis, Deum glorificantes, cum exultatione ad suos recedebant incolumes. Multi cæci & claudi, reddita luce & ingrediendi facultate, cum ingenti gaudio domum redibant. Longum verò esset singulatim commemorare, quanta per eam Dominus populo suo beneficia præstiterit: & certè veremur, nè lectori fastidium adferamus. Eorum autem certa indicia, pendentibus cereis oculis, manibus, pedibus, alijsque membris humanorum corporum, à quibus eius meritis morbi depulsi fuêre, eo in loco in virtutis eius testimonium permanserunt, donèc propter peccata plebis, ecclesia illa exusta est. Porrò anno Christi octingentesimo sexto sacratissimum corpus eius eleuatum est, & sub trium vicinorum Episcoporum præsentia, cum magnis Cleri psallentis, & populi laudibus, in theca argentea repositum est.

Ad eius tumulum sanatur paralyticus.

Itē plures alij.

Corpus eius in theca argentea reponitur.

Cap. 9. Non multis indè labentibus annis, cuiusdam nobilissimi viri filius studio literarum accensus, * Sanctas oppidum ad Rheni ripam situm, vbì natus fuerat, deserens, vbì in hanc regionem venit, * Sanctas Brabantiæ ingressus, & à quodam docto presbytero hospitio benignè exceptus est. Cumque aliquandiù discendi causa apud presbyterum illum adolescens morari constituisset, & quòd benè moratus videretur, libera ei data esset facultas quotiès vellet in templum ingrediendi, nocte quadam, custodibus somno oppressis, effracta theca, caput sanctæ Raineldis cum libello, in quo eius gesta scripta erant, furatus abscessit. Sed cùm ad paternas reuertisset ædes cum sacris pignoribus, quanto se scelere obstrinxisset, quantique esset meriti virgo, cuius abstulisset caput, ciues eius loci latére non potuit. Nam mox à dæmone arreptus, tam immaniter vexatus est, vt vix in illo spiritus relictus videretur. Ea re valdè consternati parentes eius, quòd ipsis vnicus esset filius, cum multis lachrymis, deuota mente & demissis precibus diuinam misericordiam anxiè implorârunt, vt sanctissimæ virginis meritis vnicum pignus ipsorum sanare dignaretur. Promiserunt autem Deo, se in honorem ipsius & sanctæ Raineldis monasterium virginum ædificaturos, si salus filio instauraretur. Eo nuncupato voto, iuuenis pulso dæmone reualuit, & deincèps Deo deuotus vixit: parentes autem eius monasterium viginum propè * Sanctense oppidum in prædio suo * Elchina condiderunt, atque ibì Dei seruitio deuotè se mancipantes, cursum vitæ feliciter exegerunt. Rogemus nos, vt sanctæ virginis adiuuantibus meritis gloriosis, ad eius societatem pertingere mereamur: præstante Domino nostro IESV Christo, cui cum Patre & spiritu sancto est honor & potestas & imperium per infinita secula seculorum, Amen.

Vexatur à dęmone sacrilegus.

Horū liberatur ex voto parentū.

SANCTI

SANCTI ALEXII VIRI DEI VITA, EX SIMEONE METAPHRASTE.

17. Iulij

EVIT vir pius Romæ, nomine Euphemianus, diuis Arcadio & Honorio Imperatoribꝰ, Senator magnus: cui tria erant seruorū millia, qui zonis aureis & vestimentis sericis induebantur. Nullos autem susceperat filios, quoniam vxorē habebat sterilem. Optimus hic erat vir. Ternas domì suæ mēsas instruebat pro viduis, & pupillis, & peregrinis, & pauperibus, & ægrotantibus. Ipse verò hora nona cum monachis peregrinis panem edebat. Et si quando minùs in pauperes benignus & misericors extitisset, prostratus in faciem suam, dicebat: Non sum dignus, qui ambulem in terra Dei mei. Huic erat vxor Aglais nomine, mulier nobilis ac timens Deum, & erga pauperes benigna ac liberalis. Quæ cùm esset sine liberis, Deum orabat, vt sibi filium largiretur, in quo vir eius cōquiesceret, & animum oblectaret. Et recordatus est eius Deus, largitusque est ipsi filium, vt senectutis solatium haberet. Et baptizauerunt eum, imposueruntque illi nomē Alexio. Quem, cùm sex esset annorum, Grammaticę rudimētis imbuendum, & historiæ Ecclesiasticæ cognitione, atque arte oratoria erudiendum curârunt. Itaque doctissimus euasit.

Euphemiani hospitalitas insignis.

Alexius admouetur literis.

Verùm cùm adoleuisset, Matrimonio, inquit Euphemianus ad coniugem suam, coniūgamus charissimum filium nostrum. At illa prócidit ad pedes eius, Cōfirmet, inquiens, Deus id, quod dixisti. Nuptias celebra dulcissimi filij nostri, vt videam ex eo prolem, & lætetur animus meus: & adhuc egenis & pauperibus auxiliabor. Puellā igitur ei regij sanguinis desponderunt, & coronârunt eos in templo S. Bonifacij, adhibitis venerandis sacerdotibus: totumque diem hilariter vsque ad vesperam transegérunt. Tunc Euphemianus: Ingredere, inquit, fili ad sponsam, & cognosce coniugē tuam. Qui in thalamum ingressus, eam in sella sedentem inuénit, annulumque suū & caput baltei, in velo purpureo inuoluta, ei tradidit: Accipe, inquiens, hæc atque serua: & Deus erit inter me & te, donèc illi placebit. Et in cubiculum suum ingrediens, ex proprijs diuitijs sumpsit: & ad portum descendens, nauem inuénit, in eamq; conscendit, ac Laodiceam peruénit. Cumque è naui egressus esset, agasones reperit, quibus se itineris comitem adiunxit, donec Edessam Mesopotamiæ vrbem, vbì Domini IESV imago seruatur non manufacta, quam ipse dedit Abagaro in vita sua, peruénit. Hic omnia bona sua vendidit, pauperibusque distribuit. Atque vestimentis vilibus indutus, & in vestibulo templi Dominæ nostræ Dei genitricis manēs, si quid accipiebat, id egenis senibus nutriendis impēdebat. Et cùm faciem quidem in medio brachij demissam teneret, cor eius Deo vacabat.

Valedicit sponsæ, & peregrè abit.

Viuit pauper apud Edessam.

Mater autem die, quæ celebratas nuptias cōsecuta est, in cubiculum suum ingressa, fenestram clausit, saccumque strauit ac cinerem, atque ibì iacebat: Non surgam, inquiens, priùs, quàm didicero, quid filio meo vnigenito factum sit. At nurus ad socrū conuersa: Neq; ego, inquit, à te discedam, & turturem imitabor: quæ solitudinis amās, quandò maritus eius, quem vnicū habet, captus est, mœrens eum in conuallibꝰ quęritat. Sic ego forti animo feram & expectabo, dum audiam, quid viro meo, qui preclaram viuendi rationem elegit, acciderit. Pater autem, cùm post nuptiarū diem filius non inueniretur, omnes ferè seruos ad eum quærendū dimisit. Quorum è numero cùm quidam Edessam peruenissent, ei minimè ab ipsis cognito eleemosynam dederunt. Ipse verò & agnouit eos, & gratias egit Deo, qui se dignū fecisset, vt eleemosynam à seruis suis domesticis acciperet. Serui autem redeuntes, Domino suo nunciauerunt, se filium eius non inuenisse.

Mater & vxor eius flent.

Accipit eleemosynā à seruis paternis.

At Alexius, cùm decem & septem annos in vestibulo ædis Dominæ nostræ Dei genetricis trāsegisset, Deoque gratus esset, imago ipsius beatæ Virginis sic ædis custodem est allocuta: Introducito huc virum illū Dei, qui dignus est regno cælorū: nam oratio eius, sicut incensum, ascendit in conspectu Dei, & spiritus sanctus super eum requiescit. Introductus igitur, cùm celebris omnibus fieret, ipse vt humanam gloriā fugeret, Tarsum Ciliciæ ad sancti Pauli templum ire decreuit, vbì nemini notus foret. Sed naui conscensa, vi tempestatis Romam appulit. Itaque: Viuit, inquit, Domi-

Diuinitùs eius sanctitas declaratur.

nus Deus meus, nõ ero cuiquam grauis: ſed domũ patris accedam, cùm ſim omnibus ignotus. Cùm igitur patri è magno palatio multis comitantibus redeunti occurriſſet, Serue, inquit, Dei, benignitatem exerce in me abiectum & pauperem, domiq; tuæ admitte, vt de micis, quæ cadunt è menſa tua, cum ſeruis tuis domeſticis edam: Et Deus ſanctus benedicet temporibus tuis, & ſi qui tuorũ peregrinantur, eos tibi reddet incolumes. Audita peregrinorum mẽtione Euphemianus, lætus, quòd eiuſmodì pauperi factus eſſet obuiàm, & filij ſui vnigeniti recordatus, cõuocatis ſeruis ſuis: Quis, inquit, ex vobis huic pauperi vult deſeruire, & liber erit omnibus diebus vitæ ſuæ, atque etiam hæreditatem accipiet è domo mea? Eum in veſtibulo domûs cõſtituite, vt quotieſcunquè ingrediar & egrediar, illum videam. Nulla eũ re menſæ meæ defraudate.

In domo paterna viuit ignotus.

Cùm autem veſpera adueniſſet, & ſilentium eſſet, quidam è ſeruis eum affligebant, quidam alapis cædebant, alij vellebant capillum: alij ſordes in caput eius effundebãt. Ipſe verò hæc diaboli opera fieri conſiderans, omnia patienti & læto animo ſuſtinebat. Quodam autem die cùm Archiepiſcopus ſacra faceret, & ſacrificio diuus Imperator intereſſet, audita eſt vox diuinitùs, dicens: Venite, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quamobrèm timor & admiratio cunctos inuaſit. Et ceciderunt in facies ſuas clamantes: Miſerere noſtrî, Domine. Secũdò autem audita eſt vox extari, dicens: Quærite virum Dei, & orabit pro Roma, & res proſperè cedet. Die autem paraſceue è corpore egredietur. Eo die igitur ſummo manè cùm omnes in ſancti Petri templum conueniſſent, vt intelligerẽt, vbinàm vir ille Dei eſſet, arcanæ vocis monitu dictum eſt, vt in ædibus Euphemiani virũ Dei conquirerent. Tũ ſacratiſſimus Imperator ad Euphemianum: Tantum, inquit, munus domì habebas, & nobis id nõ ſignificaſti?

Multa patitur à ſeruis paternis.

Matt. 11.

At Dei vir cùm ſciret vitæ ſuæ finem appropinquare: Affer huc, inquit miniſtro ſuo, frater chartam & atramentum. Scripſitq́ue totam vitam ſuam, & arcana, quæ inter ſe & patrem ac matrem ſponſamq́ue ſuam interceſſerant, & quicquid ei dixerat in thalamo, cùm illi dedit annulum aureum, & caput baltei in velo purpureo inuoluta. vt à parentibus agnoſceretur. Decreuit igitur diuus Imperator, vt Euphemiani domus peteretur, ibiq́ue vir Dei quæreretur. Euphemianus autem ſeruis ſuis iuſſit, vt ad ſuſcipiendum Imperatorem domum ornarent, & ſcamna ſellasq́ue diſponerẽt. Sponſa verò ſtans in ſolario ſpectabat, quid ſibi vellet ea perturbatio, & quæ dicerentur ac fierẽt. At Alexij miniſter ad dominam ſuam: Num, inquit, hic pauper eſt vir Dei? Magna profectò & præclara ſigna in ipſo perſpicio. Quolibet enim Dominico die ſancta myſteria ſuſcipit, cibusq́ue eius tenuis, & potus duæ ſunt aquę vnciæ. Ad hæc quidam è ſeruis affligunt eum, nonnulli alapis cædunt, alij vellunt capillos, multi ſordes in caput eius effundunt, quæ ille perfert æquo animo.

Moriturus nomen ſuũ ac vitæ ordinem ſcripto pandit.

Nota abſtinentiam.

Interìm Euphemianus accedens, Alexium, cui neque vox, neque auditus erat, alloquebatur: retectaq́ue eius facie, tanquàm Angeli ſplendidam vidit. Cumq́ue defunctum eſſe, & chartã manu continere animaduertiſſet, conatus eſt eam tollere, ſed non potuit. Itaque veniens ad Imperatorem: Inuentus eſt, inquit, is, quem pietas veſtra conquirit: ſed ceſſit è vita, & chartam manu tenet, quam nobis dimittere non vult. Tunc diuus Imperator lectum in medio ſecreti cubiculi ſterni iubet, in eoq́ue ipſum collocari. Archiepiſcopus autem, & diuus Imperator conſurgentes, ceciderunt in facies ſuas, atque dixerunt: Da nobis chartam, vt videamus, qui ſis, & quid ſibi velint ea, quæ in charta conſcripta ſunt. Et confeſtìm chartam ipſis tradidit, quam Aëtio ſacroſanctæ Eccleſiæ Cancellario legendam dederunt. Dum autem legeretur, magnum eſt ſilentium conſecutum. Sed cùm ad eum locum peruentum eſſet, vbì de parentibus, deq́ue ſponſa fiebat mentio, & quemadmodùm ipſi annulum aureum, & baltei caput in velo purpureo conuoluta tradidiſſet, tunc Euphemianus excitatus canos diuelle, & curſu ad venerabile corpus contendere, atque illud complecti, & magna cum affectione oſculari, ac dicere: Heu me miſerum, domine mi, cur ſic mecum egiſti? Cur hanc animo meo afflictionem inuſiſti? Cur mihi te, cùm in paterna domo eſſes, meq; triſtem ac mœſtum cerneres, non aperuiſti?

Poſt obitũ agnoſcitur à ſuis.

Mater autem tanquàm læna è viuario ruens, ſciſſis veſtibus, cælum obliquis oculis ſuſpiciebat, & turbam precabatur, vt ſibi locum daret. Date mihi, ô viri, dicebat, vt ſpem meam adſpiciam. Date mihi locum, ô viri, vt membra contingam mea. Date mihi locum, ô viri, vt vnigenitum meum amplectar. Et accurrens, proiecit ſe ſuper precioſum corpus filij ſui, & amanter illud oſculabatur, Hei mihi, inquiens, domine mi, cur nobis ità feciſti, vt affligeres animam noſtrã? Videbas nos in patria domo dolentes, & te nobis non patefeciſti? Hei mihi, quid faciam? Quò circunſpiciam? Sponſa verò lugubri veſte induta, currens prócidit ſuper venerandum ſponſi ſui corpus: Hei mihi, inquiẽs, mi turtur ſolitudinis amãs tot annos propter te vixi ſolitaria, & hodiè vidua relinquor, nec habeo ampliùs, quem morer, quem expectem. Porrò Archiepiſcopus & Imperator iuſſerunt, lectum circungeſtari: ſed populus ità premebat, vt moueri nõ poſſet. Tunc iuſſit auguſtiſſimus Imperator, vt aurum argentumq; proijceretur, quò populus ad colligendam pecuniam diuerteret. Verum nemo fuit, qui aurum curaret: ſed omnes ad venerandas reliquias concurrebant. Si quis enim eas tantùm adſpiciebat, ab omni malo liberabatur. Surdi audiebant, muti loquebantur, mundabantur leproſi, dæmones fugabantur.

DE S. ALEXIO CONFESSORE. 223

Nota ſolo reliquiarũ eius conſpectu tot edita miracula.

Sacras igitur reliquias in ſancti Petri templum geſtârunt, vbì diebus ſeptem ei iuſta, parentibus & ſponſa præſentibus, celebrârunt. Imperator autem arcam è marmore & ſmaragdo faciendam curauit, in eaque corpus ſanctiſſimum poſuit XVI. Cal. Aprilis, Archadio & Honorio Imperatoribus, Innocentio autem primo Põtifice. Porrò ex arca ipſius oleum ſuauiſſimum emanauit, ex quo ſi quis accipiebat, quicquid poſtulabat, obtinebat à Deo: Cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

MARTYRIVM SANCTI MARTYRIS ATHENOGENIS, EX SIMEONE METAPHRASTE.

EMPORE Diocletiani Imperatoris magna erat inſania aduersùs Chriſtianos, adeò vt venirent in periculum, qui cunque ex Deo piè viuebant. Conturbabatur itaque vniuerſus orbis terrarum, ſæua dominante inſania. Plurimiq́ue ex propinquis etiam ſe inuicèm tradebãt ad mortẽ, pater filium, frater fratrem, amici amicos, propter metũ Imperatoris. Ingreſſus eſt autem quidam Præſes in ciuitatem Sebaſteam, nomine Philomarchus, qui iuſſit canere tibicines, & cymbala pulſari ante ipsũ, & ſacerdotes idolorum geſtantes coronas peragere ſacrificia. Pro tribunali autem ſedens, dixit per præconem: Audite ciues, & quicunque eſtis inſignes, edictum Imperatoris, & accedentes ſacrificate dijs. Clamauit autem vniuerſa populi multitudo, dicens: Chriſtiani ſumus, nec idolis ſacrificamus. Et Tyrannus multam ſupplicio affectam ſuſtulit de medio. Sancti verò propter Chriſtum paſſi martyrium, acceperunt brauium ſupernæ vocationis.

Iulij 17.

Etiam propinqui inuicem ſe produnt.

Apud Sebaſteam multi Chriſtiani cædũtur.

Accedẽs autem ad Præſidem quidam Cornicularius, nomine Nicolaus, dixit: Domine Præſes, eſt vir quidam nomine Athenogenes, qui eſt Chorepiſcopus, & in errorem inducit propemodùm vniuerſum orbem terræ. Pedachthone autem habitat in monaſterio. Cùm hoc autem audijſſet Præſes, miſit milites, qui eum comprehenderent. Qui cùm veniſſent, in monaſterium, & iuſtum illum non inueniſſent, apprehẽſos eius diſcipulos duxerunt Sebaſteam. Videns verò eos Præſes, iuſſit abduci in cuſtodiam, & diligenter cuſtodiri. Dixit autem militibus: Eorum quoquè Ducem mihi venemini. Ipſis verò circunſpicientibus, an ſanctum inuenirent alicubì, aduenies ſanctus Dei in monaſterium, non inuentis fratribus, it in oratorium. Flens autem dicebat ei, quæ illic ſtabat, Cruci: Vbì ſunt fratres, quos tibi commendaui? Quis conſuetas preces Deo mecum emittet? Vbì ſunt pulchri rami oleæ? Nihil ſcio, cur hoc mihi factum ſit. Erat autẽ ſanctus animi anxius. Deambulante verò ipſo in ambulacro, occurrit ei cerua, quam pauloantè aluërat, & accurrẽs oſculabatur iuſti manus. Accedens autem quiſpiam dixit ei: Vbì eras, domine, quãdò tui capti ſunt diſcipuli? Præſes enim miſſis militibus iuſſit ipſos abduci in ciuitatẽ Sebaſteam, vt ſubeant martyriũ.

Crucis effigies, apud veteres.

Cùm autem audijſſet ſanctus, affectus eſt lætitia. Suſpiciens verò in cælum, cœpit dicere: Ago tibi gratias, Domine Ieſu Chriſte, quòd generoſos tuos ramos vocâſti ad regnum cæleſte. Conuerſuſq́ue ſanctus, benedixit ceruæ, eaq; Deo commẽdata, profectus eſt in Sebaſteam ciuitatem ad fratres ſuos. Cùm acceſſiſſet autem ſanctus, eſtitit ex aduerſo Prætorij, cœpitq́ue dicere: Cur meam diripuiſti eccleſiam, Tyranne? Videat Deus, in quibuſnam verſetur malis, & ſuam iram in te aggrauet. Statìm verò fuit Sanctus accerſitus ad Præſidem, eiq́ue dictum eſt: Eccè adeſt, qui quæritur, Athenogenes,

Athenogenis cõſtãtia

Includitur in custodia

nogenes,& multùm queritur de vestra claritate.Starìm autem iussit Præses sanctum conijci in custodiam, vbì etiam erant eius fratres incluſi propter Deũ. Cùm eos autem vidisset sanctus, valdè est lætatus, & dixit eis: Pax vobis impleatur, & Dei gratia sit vobiscùm,filioli mei: Quoniam Deo grati effecti estis,ipse vos vocauit ad cæleste prandium. Estote ergò viri fortes,& nè extimescatis minas tyranni. Dei enim gratia cràs consummabimini,& eritis cum Angelis choros ducentes in paradiso,perpetuò exultantes,& assiduè Dominum cælestem glorificantes.

Confortat suos discipulos.

Sequenti autem die sedens tyrannus in tribunali,iussit ad se adduci sanctum Athenogenem, & decem eius discipulos,& dicit eis: Sacrificate dijs ex edicto Imperatoris. Sin autem non paruëritis, cogetis me vos varijs tormentis affectos de medio tollere, vt eos, qui ante vos perstiterunt in hac mala opinione, & mali malè periêrunt. Respondens verò sanctus Athenogenes,dixit Tyranno: Quos tu quidem dixisti perijsse, non periêrunt,sed sunt in cælo,choros ducetes cũ Angelis.Præses dixit:Nè mihi laborum molestiam exhibeas Athenogenes,sed breuiter cum tuo conuentu mihi crede,& dijs sacrifica, nè malè pereatis.Respondens autem sanctus Athenogenes, dixit Tyranno:Canis inique & impudentissime,non terres nos tuis minis. Fac quod voluëris.Parati enim sumus omnia pati propter Christum. Tunc iratus Præses,iussit decem huius sancti suspensos cædi discipulos. Sancti autem dicebant, cùm torquerentur:Nos ad flagella sumus parati propter Christũ immortalẽ. Non te negamus, Domine.Cum autem magis magisq; vidisset Tyrannus constantẽ & immutabilẽ,& quæ nulla mouebatur pœnitentia,tolerantiã, iussit eos ensi subijci. Consummatiq; sunt sancti in bona confessione,& gloriosè venerunt in paradisum.

Decẽ eius discipuli flagellantur,

Decollãtur

Accersito autẽ sancto Athenogene,ei dixit Tyrannus:Vbì est Christus tuus,quem dicis Deum?Cur non tuos discipulos liberauit è meis manibus?Iussit verò illũ quoque ligno pendentem cædi.Pendens autem sanctus, dicebat:Gloria tibi Deus,quòd me dignum censueris, qui pro tuo torquerer nomine.Dicit autem Præses:Cur non te quoq; eripit Deus tuꝰ è meis manibus?Martyr verò dixit: Et me liberat,& me liberabit,ô inique,ab improbo tuo artificio. Iussit autẽ Præses eum de ligno deponi,atque in verberari in cauernis laterũ.Sãctus verò Christi athleta cùm grauiter torqueretur,dicebat:In te,Domine, speraui:saluum me fac in tua misericordia. Facta est autem vox Dei ad eum,dicens:Confide,electe mi,& noli timere.Ego enim sum Dominus Deus tuus,qui te custodio. Quicunq; autẽ hanc vocem audiêrunt, contremuerunt.Qui verò eum torquebãt lictores,obtorpuerunt,non valẽtes moueri.Philippus autem assessor Principis,dixit:Nõ dixi tibi,Præses,eos esse magos? Hunc quoque à nobis citò tolle de medio.Tunc iussit Præses eum quoque ensi subijci . Sanctus autem Martyr rogauit Præsidem,dicens: Rogo te, ô Præses,iube me abduci in monasterium,& illic consummari.Præses autem iussit sic fieri.

Athenogenes cæditur.

Diuinitùs confirmatur.

Gladio pcuti iubetur.

Cùm verò duceretur sanctus,prompto & alacri animo sic canebat:Deus vltiõum Dominus,Deus vltionum liberè egit. Postquàm autem appropinquauit monasterio, occurrit ei cerua, & adorauit ad eius pedes. Dixit verò ei sanctus: Priuata es fratribus : eccè priuaris eo quoquè, qui te aluit. Concedat Deus omnium seculorum, vt neque tu,neque semen tuum veniatis in potestatem venatorum:sed sit semen tuum ferens genus suum in memoriam nostram, vt id consummetur ad Dei gloriam. Flens verò cerua,ecciddit ad eius pedes. Cùm eam autem signâsset sanctus martyr, dixit ei : Vade in pace. Cùm verò appropinquâsset monasterio, orauit dicens: Domine Deus meus, suscipe in pace animam meam, & dignare me esse cum meis fratribus in omnia secula, vt glorificemus sanctum nomen tuum. Da autem Domine Deus meꝰ ei, qui nostram peragent cõmemorationem,perpetuã tuam benedictionem:& omnibus,qui te inuocabunt propter me,Domine, da gratiam: & siue in casu inuenti fuerint, siue in magna necessitate, siue in terribili iudicio, aut in malis somnijs,& inuocauerint nomen sanctum tuum in nomine famuli tui,præbe eis Domine tuam misericordiam,& imple eorum petitiones. Eo autem orantè,fit vox Dei ad eum,dicens,Gaudeas mi athleta Athenogenes,mi electe:hodiè mecum eris in paradiso cum tuis discipulis.De gratia verò,quam à me petijsti,eccè dedi tibi tuas petitiones.Quicunq; me inuocauerit per nomen tuum, & in qua domo lecta fuerit tuî cõmemoratio,liberabitur ab omni afflictione & necessitate, & eius peccatorũ inducã obliuionem.Vos autem,electi mei, eritis defensores omnium viduarum , orphanorum,nutrimentum, hospitum refugium, prouisio pauperum, medici ægrotorum, fuga-

Pſal.93.

Orat pro sui memoriam habituris.

fugatores malorũ spirituum. Cùm verò ad eum facta esset vox Domini, ense fuit percussus sanctus Athenogenes: Et sic suum spiritum tradidit in multa pace.

Plectitur capite.

Passi sunt autem hi sancti martyrium in Sebastea, tempore Diocletiani Imperatoris. Depositi verò fuerunt in Pedachthone. Peragitur autem memoria sancti Athenogenis, & eorum ,qui fuerunt cum ipso, Martyrum,mensis Iulij xvij. iuxta Romanorum supputationem . Cerua autem accedit in memoria sanctorum martyrum,offerens Deo donum hinnulum.Et cùm legitur sanctum Euangelium,eum offert videntibus omnibus, oratq́ue sua flectens genua, & relicto suo hinnulo,abit in pace in locũ suum. Consumitur verò hinnulus in gloriam Dei& in honorem sanctorum martyrum.Decertârũt autem ij sancti imperante Diocletiano,in nos autem regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui gloria & potentia in secula seculorum, Amen.

Insigne miraculum.

VITA S. PHILASTRII EPISCOPI BRIXIENSIS, PER S. GAVDENTIVM EIVS SVCCESSOREM *conscripta. Habetur in libro vetusto sacrarij ecclesiæ Brixiensis, estque sermo habitus in anniuersario die solennitatis illius.*

CHARISSIMI,nos hodiè memores promissionũ Christi,honorẽ debitũ beato patri nostro Philastrio tãquàm verè viuenti deferimus. Est enim Patriarcharum filius & socius in fide, & æmulator conuersationis : quorum synceritati similimus, æqualem Christum viuere Deo pronunciat, incredulitatem Sadducæorum valida perscriptione refellens,dum dicit illũ, qui nũcupatur Deus Abrahæ &Isaac & Iacob, non esse Deum mortuorum, sed viuorum. Omnes, enim, inquit, illi viuunt. Et certè scriptura diuina mortuos asserit eos fuisse in Christo, iuxta conditionem carnis, quanuis in senecta bona prædixerat esse sepultos, sicut extantia demonstrant sepulcra. IVLII 18.

Matth. 22.

Quod igitur beato Petro licuit audenter dicere de patriarcha Dauid, quia mortuus fuerit&sepultus, cùm sciret eum prophetica fide vitam præsumpsisse post mortem. quippè dixerat: Viuet anima mea,& laudabit te,&cætera huiusmodi: Liceat & nobis audẽter dicere ad vos de filio Patriarchæ legitimo, summoque sacerdote Philastrio, quoniam mortuus quidem est & sepultus, & sepulcrum eius est apud nos: sed vita eius in Christo est apud Deum.Itaque cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & iste cum ipso apparebit in gloria. Legitimum verò eum esse filium beatissimi Abrahæ, fidei atque operum testantur exempla. Credens enim Deo fide plenissima, exijt & ipse de terra sua, & de cognatione sua & de domo patris sui: & sequebatur verbum Dei, ab omnibus seculi impedimentis exutus. Ac propterea cito assequi meruit, quod sequi studuit expeditus.

Actо. 2.

Pſal.115.

Coloſſ.3.

Relinquit omnia S. Philastrius.

Exercens nanque continentiam singularem, peruigil in scripturis sanctis, Dei sapientiam concupiuit, portionem suam Christum reputans Dominum: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ cælestis absconditi.Quibus cùm repleuisset desiderium suum desideriorum cælestium vir, & per impositionem manûs presbyterij, dispensator fuisset diuini sermonis electus, negligere gratiam Dei omninò passus non est. Sed circumiens vniuersum penè ambitum Romani orbis, Dominicum prædicauit verbum, Pauli Apostoli idoneus imitator existens. Sancto enim spiritu plenus, non solùm contra Gentiles atque Iudæos, verum etiam contra hæreses omnes, & maximè contra furentem eo tempore Arrianam perfidiam, tanto fidei vigore pugnauit,vt etiam verberibus subderetur,& in corpore suo stigmata Domini nostri Iesu Christi portaret. Nam & in Mediolanensi vrbe idoneus olìm custos Dominici gregis fuit, Arriano repugnans Auxentio, priusquàm beatus eligeretur Ambrosius. Romę etiam non exiguo tempore moratus,multos & publica & priuata disputatione lucratus in fide est. Sed neque per vicos & castella diuersarum præteriens regionum, prædicare verbum Dei vnquàm destitit fidelis Christi discipulus.

Coloſſ.2.

Arrianos acriter oppugnat, & ab illis verberatur.

Post

Venit Brixiam. Post illos itaque circuitus animarum plurium salutares, Brixia eum rudis quondam, sed cupida doctrinæ, promeruit. Scientiæ quidem spiritalis ignara, studio tamẽ discendi laudabilis. Excidit cõtinuò imis ab stirpibus horrentem syluis diuersi erroris bonus agricola, & aratro doctrinæ pronus incumbens, inuertit crudam totis viribus terram, squallentemque humum sulcis assiduis in noualia fœcunda conuertit, affatim semina vitalium mandatorum gremio eius insinuans.

Psal. 103. Plantauit quoquè vineam, cuius lætaretur ex fructu: quoniam vinum lætificat cor hominis. Oleas etiam pacis agrestibus indidit oleastris, & asperitati pomorum syluestrium, germina pinguedinis ac suauitatis inseruit, vt haberet Apostolicus vir aliquem & in vobis fructum, sicut & in cæteris gentibus. Et iste quidem consumma-
Luc. 10. ti operis nunc apud Deum fructibus gratulatur. nam dignus est operarius mercede
2. Tit. 2. sua: & laborantem agricolam oportet primò de fructibus sumere. Ego autem mini-
ma eius pars, omnibus votis exopto, vt agrum, benè à patre cẽsitum, & non satis idonea successione susceptum, quoquomodò tueri prævaleam. Zelum fidei eius, & magnitudinem laborum pauloante perstrinximus.

Virtutes eius. Iam reminiscamur, charissimi, vehemens ille ardor animi, quantam possederit in sanctis moribus lenitatem: Illa celsitudo scientiæ, quãta fuerit humilitate sublimis: Illa cælestium rerum peritia, quàm fuerit ignara terrestrium. Erat enim humanę gloriæ nescius, & acer diuini honoris exactor: non quærens quæ sua essent, sed quæ Iesu
Phil. 2. Christi. Amicitias seculi & officia mundana contemnens, seruitiò Dei iugiter adhæ-
Matth. 6. rens, inter humana colloquia iugiter occupatus: nimirùm ibi cor eius erat, vbi thesaurus. Illud etiam quale est, quòd cùm operosa quæq; huius seculi ac preciosa despiceret, vilium rerum pauperrimos venditores misericordi ambitione profusus emptor augebat? Parùm scilicet computans, quod professus egentibus largiretur. Erat idem sanctus ira breuis, indulgentia facilis, patientia supremus, humanitate deuincens. In corripiendo districtus, in relaxando absolutus, liber in agendo. Omni ætati & conditioni & sexui stupenda benignitate communis, ac tum humilibus quibuscunque coniunctior. Ipse quoq; in illo habitu vestium, tota erat vilitate mundissimus. Gratus sine industria, contemptibilis sine fuco, & planè qui ipso nil curante, mentis eius panderet puritatem.

Festus dies S. Philastrij. Pauca hæc de virtutibus hominis Dei breuissimo sermõe memoraui, nè dies iste, quo ad superna migrauit beatus Philastrius patronus noster, cuius hodiè festa celebramus, tristi silentio inglorius præteriret. Nam cùm multa meritorum eius præconia, quatuordecim iam per annos solennitatis huius cultum renouans, auditui vestro intulerim, plura quæ prædicari adhuc possunt, intacta perspicio. Quintodeci-
Obitus eius. mo autem Kalendarum Augustarum exuit hominem & migrauit ad eum, quem dilexit. Tam digni igitur memoriam sacerdotis debito affectu veneremur, vt ipsius quoquè suffragio bona, quæ poscimus, faciliùs impetremus: Largiente Dei filio sempiterno, cui est omnis honor, virtus & gloria, cum patre & spiritu sancto in omnia secula seculorum, Amen.

ITEM DE EODEM BEATO PHILASTRIO PER BEATVM RAMPERTVM QVADRAGESIMVM EPISCOPVM BRIXIENSEM.

Est Tractatus de translatione S. Philastrij, extatque in sacrario Brixiensi, in peruetusto MS. codice. capitula margini adiecimus.

Cap. 1. Altaria antiquitus in honorem sanctorum dedicata. TRiginta Brixiẽses sunt Episcopi, quos meminimꝰ, qui in altari nomini beati Philastrij dicato, & super caput eiusdem posito, preces Missarum celebrauerunt, & diem transitûs eius venerãtes, ab omni terreno opere Brixiensem populum abstinere iubẽtes, reuerenter honorauerunt. Hi sunt, tertius ab eo & secundus à Gaudentio Paulus, deindè Theophilus, & Syluinus, & Gaudiosus, Optatianꝰ & Vigilius, & Ticianus, Paulus, Cyprianus, Herculanus, Honorius, Rusticianus, & Dominator. Itemq; Paulus, Paterius, Anastasius, & Dominicus, Felix, & Deusdedit: Item Gaudiosus iterùm, Rusticianꝰ, Apollinaris, Andreas, & Theodaldꝰ, Vitalis & Benedictus, Ansoaldus, Cunipertus, Amfridus & Petrus, venerabilis memoriæ Episcopi: Quorum ordine & meritis nouissimus ego Rampertus indignus Episcopus

Episcopus Brixiensis sanctæ Ecclesiæ, dum officij assiduitas, & abundantia luminaria in eo venerabili loco non essent, quo beatissimæ memoriæ Pilastrij corpus iacebat, non de meis pauxillis præsumens meritis, sed in Dei seruitio, tanto patri honorabiliori famulatu seruire cupiens, consultis vniuersis sacerdotibus meis, ieiunijs & orationibus interuenientibus, anno Dominicæ incarnationis octingentesimo trigesimo octauo, indictione prima, sexto Idus Aprilis, nõ sine timore fodiẽdo, eis iunctis sacerdotibus, de quorũ vita credulus eram, venerandũ corpus reperiẽs, maximo cum timore, vtputà tam venerabilem glebam tam immeritus contingens, eleuaui, collocãs in feretri locello. Deindè quinto Idus Aprilis, congregato Clero, stipantibus vtriusque sexûs immodicis cateruis, maximi cum horrore timoris, summaque reuerentia, idem corpus transtulimus in matrem ecclesiam Hyemalem nostram Brixiẽsem, penes altare sanctæ Dei genetricis Mariæ, vbi præscriptorum Pontificum erat sedes. Et hoc diuina prouidente gratia, non sine miraculo (vt instantia produnt exempla) gestum à nobis est. En quantã reuerentia apud priscos erga sacras reliquias.

Cap. 2. Vbi quarto Idus Maij, coaduñata Ecclesia, officijs & ieiunijs cum orationibus præeuntibus, maxima cum deuotione, in marmoreo recondentes antro, sepeliuimus: vt vbi modò pontificum sedes aderat, ibi tanti patris & Pontificis iaceret corpus: quô sedes honore, & populus deuotione, & Clerus suffragio, eiusdem meritis interuenientibus, Christo in omnibus fauente potiretur. Speramus enim sanctorum meritis nos omnium foueri, & maximè eorum, quorum amplectimur corpora, quorumque vel natiuitas, vel habitatio fuit cum patribus nostris. Eorum quippe vel dogmate instruimur, vel exemplo martyrum corroboramur, Quanuìs enim homines, quorum nobis vita vel passio cognita est, dum viuerent in hac ærumnosa procelloſi fluctuatione pelagi, præ omnibus nostrates imbuerint sanctis dogmatibus, mirificisq; exemplis, cosq; suis suffragantibus iugibus precibus tutati sint, supernam implorando clementiam, tamen eosdem defunctos pro nobis non minùs speramus, eorum intercedentibus meritis, nostros esse sub diuinæ pietatis protectione patronos. Fouemur Sanctorum meritis.

Cap. 3. Quanuìs igitur certum sit, diuinorum præsentia exempla miraculorum, superna radiasse prouidentia in nostri venerabilis papæ translatione, eorum tamen scriptionis necessitate, nostra plebs eget. Hæc etenim passim affatimque euadens, ægri vulgi turba vndiquè conueniens, & percepta sanitate rediens, mille prædicat vocibus. Hęc vicinorum villæ locorum, quarum infirmi varios secretosque habentes languores, inter tantam multitudinem venerabile corpus adeuntes, procurante Dei misericordia, meritis quoquè eiusdem sancti promerentibus, eorumq; fide suffragante, de suis inualetudinibus conualescentes rediêrunt, fama nobis renunciante, eis supernum narrant miraculum, qui eorum pridiè nouerant infirmitates, & tot testes miraculorum DEI existunt, qui priùs nouerant ægros, nisî ægrotantium titubans fides officiat. Sed quia suorum testium, & nostrûm generaliter debitus imminet obitus, pro futurorum hominum ignorantia, quorum fidei affectionem erga nostri patris obsequia studiosam futuram esse speramus, atque audire ardentissimam, non solùm linex fama generationisque narrante, sed etiam scriptura à nobis, quibus Deus hoc videre concessit, promulgata testante, saltem pauca de pluribus miraculis, quæ Christus misericorditer gessit, confluentibus cateruis ad feretrum beati Philastrij confessoris, amatoris & prædicatoris sui, veracitur & compendiosè scribere optimum credimus. Deus operatur miracula per sanctos, vt veritatem fidẽ in nobis confirmet.

Cap. 4. Cùm igitur, vt à nobis prædictum est, plurimis vtriusq; sexûs instructi phalangibꝰ, priùs sanctificato Clero, sacrisq; vestibus induto, effosso clandestino antro, quod fermè centum lustris beatissimum habens occuluit corpus, attoniti super reuelatione, sanctissimum charissimumq; thesaurum, in sacerdotum humeros reuerenter detulissemus, ad domũ sanctæ ac semper Virginis Mariæ, summa cum deuotione peruenimus. Clero verò necdùm ad eius venerabilem aram pertingente, iam primis de populo sacras valuas aulæ tenentibus, sacerdotibus quoquè, qui obsequium vehiculi circa feretrum succidui famulantes præbebant, infra templi limina septimo fermè gressu fortuitù subsistentibus, eo præcipuè voto, quô veniens deuotus populus transiret sub feretrum, postmodùm nec de loco, quo steterant, vadere quentibus, territa plebe & ingeminatè Domine miserere, clamitante, incredibilis ineffabilisque sonitus cælitùs increpuit. Cuius sonitûs tot testes sumus, quotquot tunc illic fuimus. Quo momento fragore sonitûs exterrita quædam mulier, habens aridam dexteram, Ingens sonitus diuinitùs auditur.

Creberrimum apud maiores nostros, Crucem se consignare.

dexteram, & ità rigidam & deorsùm defluxam, vt foret inualida cõtingere os aut pectus suum, ilicò extendens eam, signum Crucis Christi fronti notauit sub nomine Trinitatis summæ, ipsi gratias agens, qui est benedictus in secula, qui est mirabilis in sanctis suis. O quàm mirabiliter gessit, introëunte sancti sui corpore in ecclesiam, benedictus Deus. Etenim hìc septimus Episcopus Brixiensem Ecclesiam Christo tunc prædicando congregans, sanctum dogma custodiuit, & arescentem dexteram fidei Catholicæ Ecclesiæ, pullulãte sinistra Arrianæ perfidiæ vbique, quantũ potuit, reformare mirificè studuit. Nunc verò circiter septem introëuntium sacerdotum corpus eius portantium, in Ecclesia reformauit, pariterque Christianæ mulieris aridam dexteram.

Cap. 5.

Sed priùs introëuntibus nobis Brixiam, & iam partem aliquam ciuitatis cũdo tenentibus, in subiectu sumpti feretri laudibus Altitonãtis aëra pulsando, inter eos infirmos, qui producebantur, quatenùs imitatores Apostolorum transeunte loculo, vel vmbra eius obumbraret quẽquam eorum, est cuecta quædam triennis languida, quam bilis tabo sic madefecerat, vt in lecturli sui iacẽs strato, nõ se posset aliquo modo in alterum vertere latus, neque cũ vna vectrice quomodolibet, nisì grauiter tantùm, poni. Quæ dum sensisset obumbratione feretri quãdam auram suæ saluti salubrem, cœpit vectricibus innuere, easq; exposcere consulens, vtì illò eam portarent, quò sanctum deducebatur corpus, cuius consultus ad nos illatis petitionibus annuentes, præbuimus assensum. Deportata itaq; prope feretrum, iacuit in basilica sanctæ Dei genitricis perennis Virginis Mariæ, vbi beatissimi corporis deposueramus feretrum. Et dum quotidiè sese meliùs habere profiteretur, omnipotenti grates referens, eumq; exorans, vt sancti eius interuenientibus meritis, sibi tribueret restaurationem sanitatis: die sexto conualescẽs erexit sese, & accepto baculo, cœpit huc & illuc templi ambitûs testudinẽ perambulare, non egens solito comitis vectricisq; suffragio. Et deincèps iugiter in melius restaurata, sospitatis suæ gliscens, sine comitis sustentatione & sine quolibet vectricis iuuamine domum redijt. O mirabilis laudabilisq; medicina Dei, qui in principio cuncta simul creata materie, per sex dies in propriũ vniuscuiusq; formæ produxit opus, sextoq; die ad imaginẽ suam formauit hominẽ, cuius filiam languidam, quam potuit modò in ictu oculi saluam facere, dispositi arcano suo arbitrio, paulatim membrorum reformatione recreando vigorẽ, prope corpus idonei testis sui, patris nostri Philastrij iacentem, die sexto aduentûs eius, ad pristinum reuocare statum salutis. Quod medici per triennium arte sua cauti facere nequiẽrunt, hoc perfecit omnipotens Trinitas, quam intemeratam vbiquè prædicauit Philastrius: Pro cuius fidei ardore ab Arrianis flagris, corpori suo in flagellando mentia stigmata notata sunt. Quorum vulnera nunc Dei prouidentia conficiũt medicinam salubrem salutemq; cupientibus necessariam.

Curatur ad eius feretrũ paralytica.

Gen. 1.

Philastrius ab Arrianis flagellatus.

Cap. 6.

Post illam beatissimi patris nostri glebæ repertionem delationemq;, custodibus in excubando ergà venerandi pignoris loculum deputatis, turba languentium immodica conueniebat, superni numinis præstolans afflationem. Dum quadam die Dominica absque arbitrio quidam de subiectis custodum inter iacentia languentium corpora transiret, & iuxta altare puellam paruulã iacentem cerneret, & nescius languoris eius, vt surgeret imperauit, ilicò surrexit, vna manu aram tenens, altera patri gaudendo innuens, vulgari voce aiebat: Atta, Atta, dà mihi fustem, vt ambulem. Viso pater miraculo, non acquiescens precibus filiæ, sed palmis in cælum expansis, voce qua poterat, subitò, licèt procaciter, tamen omnipotenti gratias ingeminans, aiebat: Domine tibi gratias, Domine tibi gratias. Qua voce territi custodes, cucurrerunt ad eum, inquirentes causas gratiarũ actionum. Qui testans respondit: Hæc puella, quam altare tenere videtis, mea est filia, septem annos à natiuitate habẽs, quæ nũquàm, nisi modò, super pedes constitit suos, & insuper quærit à me fustem, vt pergat. Tum vnus de circunstantibus currens, reperto baculo, dedit gaudẽti puellæ, & cœpit circa aram deambulare. Quam nos eadem hora ad orãdum in ecclesia conuenientes, deambulantem circa aram vidimus. Et deincèps in melius proficiscens cœpit puella cum baculi sustentatione huc & illuc insolitum gradatìm suum tentare gressum, nobis cũctaque plebe misericordi Deo gratias agentibus, qui nõ solùm animã, sed etiam corpore sanat sperantes in se. Eugè incompræhensibilis & immensus, qualiter inter plura, quæ compræhẽdi possunt miracula, istud est mẽsus miraculum sua dispositione, plenus septiformi spiritusancto, diuidens singulis prout vult? Qui dedit Philastrio spiri-

Puella septennis quæ nunquàm ambulauerat, sanatur.

spiritum scientiæ prædicandi, concessit & huic puellæ septem annos habenti, & iuxta corpus prædicatoris sui iacenti, restaurationem compagum pedum atque crurium & feminum eo die, cui ipse sua resurrectione nomen indixit. Et vt detur intelligi, superna id fieri gratia, primò manum cælo extendit debitam: deindè quasì descẽdens, totum corpus: post hæc, pedum sanat iuncturas. Et notandũ quòd pedes puellæ, manusque curauerit iuuenculæ. Quid aliud, nisì quòd ipse hoc mirabiliter egit, qui mirabiliter fecit hominem, mirabiliùs redemit? Qui dedit humanæ naturæ in puerilibus annis gressum, & iuuenilibus exercitium operis, ipse puellæ reformat gressum, & iuuenculæ manum aridam restaurauit. 2. Cor. 12.

Cap. 7.

Velutì etenim in edito sermone à Præsule Gaudentio, vitæ scilicet beatissimi Philastrij Pontificis, legitur fuisse eum omni ætati & conditioni & sexui stupenda benignitate communem, immò humilibus coniũctiorem quibusque: ita nunc omnibus languentium ætatibus (meritis suis suffragantibus, Christo mediante) profuit & sexibus. Nam inter languentium iacentes cuneos deductus est à genitore suo ità colobus puer, vt sine vectore suo nequiret consistere aut ambulare, & dum fide parentis & sua comitatus, iuxta feretrum beatissimi Philastrij frequẽtans, diuinæ misericordiæ præstolaretur opitulationem, cœperunt neruorum habenæ & fibrarum hiatus, feminis crurisque sui Domino restaurante, reformari, vsque dum conualescens super pedes constitisset suos, & solus suũ tentaret paulatìm, opitulante diuino suffragio, gressum insolitũ, ità vt aulæ mœnia sine cuiuslibet iuuamine, grates opifici suo referens, peragraret. Tum vnus presbyter noster, quem custodibus præposueramus, accersito genitori suo inquit: Fili, nè mentiaris, sed confitere nobis veritatem causæ languoris huius pueri, tui filij, vtrùm à natiuitate, an posteà femur aruit suum? Qui Deum testans, eique grates cum lachrymis gaudendo referens, confitebatur: Hic filius meus solito humanæ naturæ more in infantia sua à Deo recepit gressum, quo vsus est per aliquot annos. Sed cùm quodã die propria animalia foràs de domo mea truderem, cœpit, me nolente, causa mei amoris hic post me currere. Quo cursu accidit ei dolor summitatis femoris, & post paulum in poplitem & crus defluens, sic effectus est colobus, vt iam per biennium nullatenùs vadere quiret, nisì modò interuenientibus meritis (quod firmiter credo) domini sancti Philastrij, Dei misericordia nobis miserante. Quàm bonus Israel Deus his qui recto sunt corde: cuius congressu eius feminis cõpago emarcuit, & suì prosapia claudicauit, aduentu tenùs filij Dei. Sed qui per semetipsum & missos suos colobam Israeliticam plebem reformauit, quæ à recto tramite deuians claudicauerat, is ad reformationem fidei nostræ, meritis beatissimi Philastrij, colobum puerum erigens, piè sanitatem afferendo reformauit. Iacob enim omni tempore vitæ suæ claudicauerat, quoniam genus eius in præceptis legalibus secundùm literam, quæ occidit, non secundùm spiritum, qui viuificat, viuendo, colobum vsque ad perfectionem Euangelicæ gratiæ mansit. Puer autem iste originalibus per baptisma exutus sceleribus, sub gratia doctrinæ Euangelicæ degens, eo tempore, quo ad lachrymas cum parẽtibus ibat ad frequentatã ecclesiam, circa sanctissimum feretrum venit, & fide comitante, cooperantibus meritis præfati vatis, diuina medente misericordia, habetur incolumis. λοκοβδς mutilus. Claudo gressus reformatur. Psal. 82. Gen. 32. 2. Cor. 3.

Cap. 8.

Sed cùm pluribus diuinitùs passìm circa venerabilẽ redolentibus vrnam miraculis, reminiscendo nonnulla recolamus, & difficillimum sit omnia nostro cõprehendere stylo, saltem quoquomodò, velutì in marginibus pelagi sarculo pauxilli ingenioli collatis lapillis aggerẽ aggregando, scropea forma riuulũm, quem prata bibere optemus, educere libet & id notare, quatenùs diuersa in eo facta mirabiliter æterni coruscauerint opificis. Collatum igitur inter cætera est (vt ità dixerim) notissimum nostratis adolescentis cadauer, ac inter capedinem reclinatum, carentis equidem, excepto gustu, humani corporis sensibus, soliti scilicet iacere in lecto bigis imposito, parentibus semiuiuo aurigæ famulatu vtentibus, & animalium suffragantium in iter agendo. Non solùm eo ardore, quò alimoniam peterent, sed magìs, vt id nato meritis sanctorum omnipotentis gratia euenìret, quod contigit ei; qui ab introëuntibus in templum gratia orationis beatissimis Petro Apostolorum principe & Iohanne, eleemosynam petiuerat. Isti autem cum grabato, à parentibus arbitrio opificis sui circa vrnam deserto, vt operis operator curã gerat parentis lachrymosi, & longi oneris odiosi redeuntis, solers industria miserentium custodum toto corpore desti tuto adhibita est in cibando, & ad ea quæ necessè habuit inuehendo, & maximè in oran- Act. 5.

do pro ipſo, quin & pro omnibus ibidèm ſitis infirmis. Quarè decreueramus conſul. tu & conſenſu boni arbitrij noſtrorũ conſacerdotum, quotidiè ſuper ipſis ſupernam petere medelam. Is enim corporeis ſenſibus ità defunctus erat, vt viſu nil diſcernere, ore non nisì alio inferente mandere, pedum greſſu neutrorum vadere quiret, manũ nullam ſuã, cuiuſquámve vtilitati habilem gerens, ità vt etiam quidam delirãtes * ei irriderent, credentes eum animæ tantùm, corporis minimè iam conſequi poſſe ſanitatem. Sed eius clementia ipſum miſerante, apud quem nõ eſt impoſſibile quicquam, corroborando corda fidelium inſtruendoque titubantium, atque vt aliorum miraculorum teſtis efficeretur, meritis, vt credimus, interuenientibus beatiſſimi Epiſcopi Philaſtrij, pro cuius reuelationis teſtimonio ipſum credimus vſque ad id tempus in languore defluxum, vt eius in eodem manifeſtaretur gloria, cuius fidei prędicator per vrbes orbis fidus permanſit Philaſtrius, ſuperna luce viſum, & afflatu loquelam, medelaq; tactum cum greſſu: ſic priuſquàm venerabilia oſſa ſepelirentur, à Domino per ipſum accepit, & in eccleſia eius habetur incolumis, vt gradiatur oculis comitantibus clauſtra eius, & queat ori cibum, & fronti inferre Crucis vexillum, linguaque fidem & orationem promere Dominicam, & quicquid ſibi neceſsè eſt pronunciare. Cuius miraculi tot teſtes ſumus, quot Brixiæ eodem tempore degimus, & priùs languidum nouimus. Qualiter autem priùs languidus ſeſe habuerit, non ſolùm Brixienſes, ſed etiam à Ticino vſque Venetiam, omnes oſtiarij religioſorum locorum, & domus proximæ Flamineis teſtari, ſi memoria retinent, poſſunt.

Salus rẽditur penè omnibus ſenſibus deſtituto.

Cap. 9. Luc. 10.

Attentè nunc meminiſſe iuuat, & credere datur, quòd is, qui dicente Domino, inter Hieruſalem & Iericho ſemiuiuum repertum, indita medela, ſtabulario, vt curam ſui haberet, commendauit. Quique ob commiſſum protoplaſti necis conditioni deuinctum genus humanum, iudicium deceptori, miſericordiam decepto diuidens, pietate gratiæ ſuæ eripuit, quod pòſt diſcipulis curandum commiſit, à quibus origo paſtoralis curæ emerſit, per vniuerſam eccleſiam mária terrasque repleuit. Cuius officij honoriſque curam beatiſſimæ memorię Philaſtrius Epiſcopus ſuſcipiens fideliter ſolerterq; exercuit, & Domino Deo noſtro fide immaculata plebem bono exercitio roborauit, modò ad loculum fidelis famulatoris iacẽtem toto corpore debilem, parentibusque deſertum, per omnes corporeos ſenſus, ità moderans reſtaurauit, vt ſibi, non mundo, viuat. Aperuit enim oculos eius, vt duces gradientis fiant, non vt mũdanam conſpiciant vanam gloriam: patefecit aures, quò vtilia intelligant, non vt detractionis ſuſurrones audiant. Soluit verò linguã eius, vt fidem profiteatur, & quæ deliquit, quod hominis eſt, cõfiteatur, & ſibi neceſſaria quęrat: ſed ità parte altera ligatam eam reliquit, vt ad maledicendum & ad detrahendum prorumpere nequeat. Extenditur autem eius arida brachia, ad proprium corpus alendum & tutandum, ſed rapinę habilia non ſint. Artuum ſiquidem inferiorum ita compages reformauit, vt ad ſibi neceſſaria vadere queat, ſed ad malum currere debilis, colobusque perſeuéret. O Philaſter ſolers ſtabularie, meritis tuis & gratia opificis noſtri, in ſtabulo, vbì corpus tuum iacet, ità ſemiuiuus euaſit, vt ſpeculũ humano fiat generi. Datur enim, ni fallor, intelligi, vt ſenſus noſtros inſtàr præfati languidi moderemur, vtentes eis in neceſſarijs vtilitatibus, tam interioris, quàm exterioris hominis, ita moderãdo, nè exuberent ad quæque mala perficienda. O admirabilis humani generis opifex, qui in reſtauratione languidi noſtri nos inſtruis ità corporis vti ſenſibus, quò valeamus intemeratos cuſtodire ſenſus interioris hominis, & ſimiles prudentium fieri virginum.

Cur ſenſus reformati homini ijs deſtituto.

Matth. 25.

Cap. 10.

Duorũ aridæ manus ſanantur.

Omnia ſiquidem, quæ diuina immenſitas in translatione ſui confeſſoris peregit, comprahẽdere cùm difficile ſit, ſaltem vnum, quod poſt diem ſepulturæ eius geſtum eſt, ad memoriam charitatis fidelium reducere, ſicutì poſſum, conabor. Nona enim die poſt reclinationem venerabilis glebæ in præfatæ hyemalis eccleſiæ ſepultura, vna eademque hora mirabiliter in languidorum turba, duorum adoleſcentum aridæ manus extenſæ ſunt. Quos ſubiecti præpoſitorum cuſtodes, ſcientes priùs manus aridi-tate eſſe defluxos, dum vidiſſent ad quæque vellent extendere, percontando geminum reperientes miraculum patefecerunt. Statuentes eos coràm, dixerunt vulgari locutione: Nónne videtis ſideratos noſtros, manus extendere, quas tam hodiè, quàm herì & priùs contractas vidimus? Hoc non ſolùm ipſi cuſtodes & cæteri ibidèm ſiti, ſed etiam vicini & noti eorum, quià per longum tempus manus aridas habuerunt, teſtati ſunt. Atque ea die quoniam crediderunt omnipotentem hoc facere poſſe, non propriis præſumentes, ſed beatiſſimi Philaſtrij Epiſcopi meritis, Dei medela ſeſe ſanos eſſe.

effectos profeſſi ſunt. Vndè præ gaudio lachrymoſa eccleſia, multimodas Deo retulit grates, quoniam ſaluat ſperãtes in ſe. Solerter tamen exiſtimo nobis neceſſarium eſſe ſcrutari, quantum humanus, Domino largiente, capit ſenſus, huius qualitatem miraculi, quia credimus pro totius Eccleſiæ inſtructione hoc geſtum. Vndè notãdum eſt, quòd fide comitante, duobus ſimul aridæ manus reformatæ ſunt. Per fidem, quam habuerunt in Domino, promeruerunt ſaluari duo ſimul: quo docemur, cõfidere & ſperare in Domino, & diligere proximũ. Per manuũ reſtaurationem monemur, vt cum dilectione Dei & proximi bona indefinẽter exerceamus. Hic enim numerus vi & natura ſecundus tetragonus eſt, qui per ternariũ conficitur, & in ipſo reſoluitur. Nónne ter tres, nouem faciunt? & nouenarius diuidi æquè non poteſt, nisì in tribus ter? Vndè docemur Trinitatẽ credere in vna diuinitate, & ab ipſa nos eſſe formatos, & per ipsã iuſtè reſolui. Eccè in ſecundo tetragono, in ſecunda noſtri Epiſcopi ſepultura docemur cum dilectione Dei & proximi bonis operibus farti, credere patrem & filium & ſpiritum ſanctum, vnum eſſe Deum: Qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Miraculum myſticè interpretatur.

Cæterùm nè quis æmulus obijciat, & ſi quis deſiderabilis indagator abs quolibet noſtrùm ſtipuletur, vtrùm abſq; quoquam miraculo clanculùm ſopita antro membra tanti vatis fuerint, an priùs quiddam omninò geſſerit ibidèm is, cui ſemper exti-tit fidelis Angelus teſtando, dicere pro pluralitate cuncta quis queat, cùm à diuerſis hoſtibus linearis narratio, in Italiam irruentibus barbaris & Gotthis & Longobardis cæteriſque, obliterata fuerit? Sed nè deſidia noſtra quaſi muta priora tempora liquiſſe videamur, pauxilla de pluribus, partìm ratiocinando, partim vt ipſi nobis retulerũt, qui colloquio quondàm eorum ſunt vſi, qui aut in die annuali feſtiuo eius viderant, aut ad ſepulcrum ſenſerant omnipotentis prouidentia. Miraculum vel ſolatium intentè mi chariſſime confrater, quicunque percontator extiteris, conſidera: qualem eum in Arrianorum nefandæ procellæ temporibus, ſanctiſſimæ memoriæ Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus eſſe intellexit, qui ſibi eum collegam habebat: quantique meriti vicini Epiſcopi eundem eſſe exiſtimabant, ſi quartus * Pergamẽſis Epiſcopus in epitaphio tertij Epiſcopi, hoc eſt, pdeceſſoris ſui (ni fallor) meminiſſe ſtuduit, quod Ambroſius ipſum Epiſcopum, Philaſtrius conſecrauit Diaconum? Cuius vitæ ſanctitatisq; eum ſapuit Epiſcopus Gaudentius ſucceſſor ſuus, qui per quatuordecim annos, forſan & plus, diem tranſitûs eius feriatum ducebat, populo ſiquidem de eo ſermonem faciens, itèm triginta poſt eum Brixienſes Epiſcopi?

Philaſtrius collega S. Ambroſij. for. * Bergomenſis.

Cap. 12. Eccè quo modo ſit per ſanctorum ſepulcra, antiquitùs altaria erigebãtur.

Quibus putas cauſis, meritorum miraculorumque eius conſcij fuerint, qui impoſito altari ſuper ſepulcrum eius, diuina myſteria celebrabant, annualem feſtum diem tranſitûs eius recolentes? Præceſſor nanque noſter, hoc eſt, venerabilis memoriæ Petrus Epiſcopus, tantæ venerationis eum eſſe monſtrabat, vt anhelus mœroris ſui, teſtaretur ſeſe tempore preſbyterij ſui ità fuiſſe febribus anctũ, vt nulla potio, nullumq; vnguẽtum eripere eum à febri quiuerit, cùm etiam ipſe peritus fuerit artis ipſius. Sed cùm poſt aliquod tempus ad ſepulcrũ beatiſſimi Philaſtrij veniſſet, & ibidèm Deum efflagitâſſet, vt meritis ipſius intercedentibus ſibi ſanitas tribueretur, ſic de oratione ſanum ſe profitebatur erexiſſe, vt nullus rigor acceſſionis eum vltrà tetigerit. Sed & rhythmicum hymnum, quem in eius honorem Gaudentium Epiſcopum cõpoſuiſſe ferunt, cantare de ipſo ſedulè conſuecuerat.

Presbyter incurabili febre liberatur.

Cap. 13. Sed & temporibus ſanctæ memoriæ Anſoaldi Epiſcopi, dùm quidam cuſtos tituli ſancti Petri, qui ſitus eſt in caſtro maiori, in ſuburbano fundo poſſeſſionis ipſius tituli, cógnomento Baronica, depoſitionem beatiſſimi Philaſtrij non ritè celebrans, tantumque diem in honorans, familiam ſuam in area laborare coëgiſſet, ità vt fatigati ſuo ſudore, flagellis triticùm à paleis excuterent, dicentes, Sancti Philaſtrij feſtum eſt, requieſcere ſolitò debemus: & ipſe magis, vt operi inſtarent, minans terreret eos, ilicò correptus à ſpiritu, per aream vexari cœpit amens. Qui ab attonitis famulis ſuis captus & vinctus, & inſolito more turpiter ad præfatum titulum deductus eſt, & tandiù catenis eſt vinctus, donèc ſeſe, in honorando tantam feſtiuitatem, profeſſus eſt deliquiſſe, & teſtis proprij delicti, & beatiſſimi Philaſtrij honoris effectus eſt.

Vide pœnã violantis feorias S. Philaſtrij.

Cap. 14. Poſt aliquod autem huius temporis ſpatium quidam diues Brixienſis eodem die feſto depoſitionis beati Philaſtrij, in ſuburbanum caſale ſuum, quod vocatur Caloniola, pro fœni collectione operarios incautè miſit, & iam ſicco fœno, & pantìm plauſtris, partìm aggeribus aggregato, tam procelloſa coruſcatio ſubitò, tamque præceps affuit, vt inſtàr pulueris, omnis collectio diei ipſius ab oculis eorum elapſa

Item alterius.

fuerit,intantùm vt nec vnus manipulus remãsisset.Vnde factũ est,vt prædictus dies
post hæc annuam festiuitatem sancti Philastrij venerabiliter obseruaret,& iacturam
Psalm.10. suam profitẽdo,testis nostri fieret Præsulis. Cui enim Dauid cecinit, Misericordiam
& iudicium cantabo tibi Domine, & qui iusto iudicio hostẽ humani generis repro-
bauit,& vt pia misericordia condolens, suam degeneratam creaturam,id est,huma-
num redimeret genus, formam serui assumpsit, hoc est, omnipotens æternus Deus,
qui in vna eademq; essentia,omnipotentia, æternitate,diuinitate,carente initio & fi-
ne,auctione & diminutione,variatione atque diuisione,& gignens,& genitus,& pro-
cedens,hoc est,pater,& filius, & spiritussanctus, cuius consilio persona geniti,huma-
nitate perfecta est,quam misericorditer suspenso iudicio cum nostratibus,sic & in o-
mnibus,& cum omnibus in hac re mirabiliter egit.

O dilectissimi Brixienses, quorum vnum febribus afflictum, mente humiliatum
eripuit:alium scienter arroganterque peccantem, in sese corripuit: tertium, vtpotè
popularem hominem, ignoranter forsan peccantem, in rebus suis afflixit, hoc est,in
materie commissi: quoniam vnus oratione obtinuit, quod fide credidit:alius verò,
quia instanter vi cogẽs,nec famulo Dei honorem, nec suis cessit misericordiam,tur-
piter publiceque intrinsecùs correptus, pura tenùs professione est, vt sibimet fieret e-
mendatio,& alijs exemplum: Tertius verò,qui vtpotè precio operarios conduxit,&
sobria voluntate famulos misit, extrinsecùs damnum passus est, Nam totum illud
amisit, quod in illicito tempore operari nixus est,cum materie siquidem sua.

Habebat enim viridia gramina,& sine peccato sicca, vt oportet,habere poterat:sed
quia illicitè siccare voluit, ipsam funditùs amisit materiam, disponente vel permit-
tente prouidentia Domini nostri Iesu Christi, cuius amator fuit Philastrius,& cuius
amorem nos cunctos oportet quærere. Qui substantialiter & coæternaliter & æqua-
liter indiuisè viuit & regnat cum patre & spiritu sancto per omnia secula seculo-
rum, Amen.

DE S. FRIDERICO EPISCOPO TRAIECTENSI ET MARTYRE, EX QVODAM INSIGNI *eiusdem ecclesiæ MS. Codice: sed F. Laurentius Surius mutauit stylum. numero capitum margini adiecto.*

Iulij 18. SANCTVS Fridericus natione Friso,nobilis quidẽ fuit genere,sed nobilior sanctitate.Is in primis ætatis initijs & teneris annis Angelicam potiùs, quàm humanam in terris visus est vitam degere. Libenter enim se adiungebat ad viros Deum timẽtes, & ludos pueriles prorsùs respuebat: ad ecclesiam prompta animi alacritate properabat, & quicquid ibi lectum aut cantatum esset, intentis auribus accipiebat: domumque reuersus, matri suæ, si quid intellexisset,referebat.Ea res lætitiam matri attulit, adeò vt inuito patre eum patribus quibusdam commendârit literis imbuendum, quos etiam tum muneribus, tum precibus solicitans obsecrabat, vt eum sanctæ religionis semitam & peccati deuitandi rationem docerent. Interea nocturna quadam, eaque cælesti visione si bi admoneri visa est, vt puerum indè ablatum, sancto Ricfrido Traiectensis ecclesiæ antistiti commendaret. Et mox ingenti perfusa gaudio, quòd Deo puerum curæ esse videret, licèt reluctante patre, eum Traiectum adduxit, & memorato præsuli commendauit. Is verò spiritu prospiciens, illum se post decessum suum habiturum in cathedra successorem, ceu filium & hæredẽ liberalibus pariter & Ecclesiasticis curauit disciplinis accuratè instituendum. Proficiebat igitur in melius Fridericus, & semper in virtutum scala ad gradus sublimiores contendebat. Nam cælestibus auctus benedictionibus, cùm adolescens sanctissimus etiamnum in scholis ageret,officium suum non prætermittebat,sed cunctis tum maioribus,tum minoribus luculenta promebat dogmata. Si quem intrà domum Dei risu aut iocis dissolutum vidisset, blandè suauiterque admonebat, vt ab ijs sibi temperaret:simul erudiens eum,quem admodùm diuinum cultum exercere deberet.

Cap.2. Multos verò necdum originis culpa absolutos, catechesi instituebat: & præco lucis sem-

Iulij 18. Cap. 1. Sanctissima eius puericia.

Literis imbuitur.

Commẽdatur episcopo Traiectẽsi.

eis sempiternæ,quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ, tetros ex eis dæmones profligabat. Ad annunciandum populis Euangelium Dei semper paratus erat,memor scripturæ, dicentis: Clama,nè cesses:quasi tuba exalta vocẽ tuam, & annuncia populo meo scelera eorum. Audiens eum sapiens, cuadebat sapientior, & eo loquente,ori suo digitum imponebat.Cùm ergò sic manũ misisset ad aratrum, vt nõ respiceret retrò,vt regno Dei esset aptus, Subdiaconus ordinatus est. Eum gradum adeptus, vigilijs, orationibus, & perpetuis ieiunijs pro Christi nomine cœpit affligere corpus suum,humanamque gloriam pro nihilo ducere, pulchrè tenens illud Dauidicum: Cùm interierit homo non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria eius.Facultates porrò suas per manus inopum & miserorum transmisit in cælum,nè vel ærugine, vel tineis corrumperentur, vel à furibus effoderentur. Atq; ità in cælesti illo repositorio semper habebat defixũ cor suum,vbì se suos nouerat thesauros condidisse. Erat planè verus Israëlita, cuius in spiritu nullo inerat dolus, ex cuius ore nullum vnquàm auditum est mẽdacium. Lædebat neminem, nec cuiquam fraudem fecit:nullũ odio prosecutus est:nemini fecit,quod sibi nollet fieri. Ad communionem corporis & sanguinis Domini,sacrorũ portitor vasorum, mundum & castum se seruabat,& ab omni carnali immunditia liberũ,quemadmodùm illis, qui eius sunt ordinis,per Prophetam præcipit Dominus: Mundamini, qui fertis vasa Domini.

Ioban.1. Esa.58. Ordinatur subdiaconus. Psalm.43. Multa vitæ innocentia. Esa.52.

Postquàm autem egregius vir factus est Diaconus, quantoperè in cultu & seruitio Dei nocte ac die desudârit,nullus vnquàm pro dignitate explicare valebit. Erat,iuxta Apostoli doctrinam,pudicus,non bilinguis, non multo vino deditus, non turpe lucrum sectans,ineptas fabulas deuitans,seniores non increpans,minores non contemnens,habens fidei mysterium in conscientia pura: exemplum se præbens fidelibus in verbo, in conuersatione: in charitate, in fide, in castitate,in patientia,in humilitate, in temperantia,& omni morum integritate:gradũ sibi acquirens bonum & fiduciam multam in Christo Iesu. Tantus illi inerat ardor spiritus sancti, vt nec aduersis frangeretur,nec extolleretur prosperis. Cernens autem Ricfridus Episcopus tot eum virtutibus instructum,ingenti afficiebatur gaudio, quòd talem esset habiturus successorem:iussitque eum secundum à se locum obtinere, sacerdotio cum initians,quanuis inuitum.Mox autem nomen eius,diuina id agente prouidentia, per omnem terram adeò diuulgatum est,vt etiam regias penetraret aures,& ab omnibus ceu vir Apostolicus honoratus sit.Porrò Ricfridus antistes, vir omni bonitate conspicuus,leni correptus febre,iam multa ætate grauis, terræ reddidit corpus,cælo spiritũ, Angelorum legionibus stipatum. Eoque humato honorificè, Clerus & populus, instinctu sancti spiritus permoti, nullũ alium se aiunt eligere aut velle Episcopum, nisi Fridericum, hominem multa veneratione dignum.

Cap.3. Fit Diaconus. 1.Tim.3. 1.Tim.5. 1. Tim.3. 1.Tim.4. Sacerdotio innitiatur. Obit Ricfridus Episcopus.

Interìm Ludouicus rex,Caroli Magni filius,in quandam Rheno propinquam vrbem peruenit cũ Iudith coniuge sua consecranda: quam, nè ab Episcopis anathemate feriretur, in Gallijs apud se retinere non audebat. Is Ricfridi obitu comperto, per legatos suos mandauit Traiectensis ecclesiæ senioribus, vt Fridericũ sibi Episcopum deligerent,& electum cum summo honore ad ipsius palatium adducerent: nescientes iam omnes Traiectenses id antè decreuisse, quod & ipse & primates eius percuperẽt. Sed simulatquè vir Dei isthuc percepit, se tanto honore indignum proclamauit, nec debere se hominem sceleratum,aliorum pontificem fieri. Populo autem contra asseuerante,neminem illo magìs idoneum inueniri,quem sibi vellent præfici: vir Dei ingemiscens obstupuit,& coram omnibus illachrymans,ait: Cùm sim homo peccator,quo pacto ouium Christi possim pastor effici? Quid ità me vultis habere rectorẽ, qui regere non didici,quiq; me,omnium infimum facilè agnosco? Quæso ab hac sententia cessate,& ad alium me digniorem oculos animosq; adijcite.in me enim nihil, quod Deo gratum sit,comperietis. Paulo autem,vt nõstis,affirmãte, oportet, Episcopum esse irreprehensibilem,sobrium, prudentem,ornatum,pudicũ, hospitalem,doctorem:non vinolentum,nõ percussorem,sed modestum:non litigiosum,non cupidum,non neophytum,suæ domui benè præpositum. Ego verò, qui domui meæ præesse non noui, quo modo Ecclesiæ Dei diligentiam habebo? Qui peccati trabem ex oculo meo educere nequeo, qua ratione ex aliorum oculis festucam euellam?

Cap.4. Vide quàm recusset Episcopatum. 1.Tim.3. Qualis debeat esse Episcopus.

Cùm hæc atq; alia consimilia dixisset,missi denuò sunt ex palatio Regis viri potentes,qui dicerent ei,si quidem velit Regis gratia frui,vt quamprimùm cum maioribus natu ad ipsum properet. Tum ille confestìm surrexit, dicensque non esse Regis iussa negli-

Cap.5. Regibus est parendum.

negligenda, sed parendum eius voluntati, ad Regis aulam proficiscí cœpit. Sperabat enim se apud Regem effecturum, nè Traiectẽsibus, tanquàm indignus, Episcopus daretur. Vbi ad palatium peruenit, Ludouicus Rex postquàm eum cõspicatus est: Gratus, inquit, mihi est aduentus tuus serue Dei: & cùm osculatus eum esset, orauit, vt in appositа sede ipsi assideret. Deindè cunctis aulæ proceribus accitis, Rex Traiectenses percontatur, quem velint habere antistitem, polliceturque se illum ipsis daturum, quem cuperent. Respondẽrũt omnes vno ore: Nos hodiè profectò nullum eligemus alium, nisi hunc, qui adest, dominum Fridericum. Eum nos nouimus, quippe à puero apud nos versatum, & quæ Deo sunt grata, hactenùs sectatum. His dictis, Rex præcepit beato viro, vt veste sacerdotali indutus, ordinandus accederet: addens, eam esse Dei voluntatem, vt id fiat, quod omniũ animis sederet, nec se vllo pacto debere obluctari. At vir Dei lachrymabundus surrexit, Regemque pronus adorans, Precor, inquit, domine mi rex, nè istis assentias in eo, quod postulant: sed eligant, te iubente, sanctiorem aliquem, & ego, si id feceris, quicquid iure hæreditario possideo, libens tibi tradam. Non enim potest esse pastor idoneus, qui irruente lupo, nec se, nec gregem tueri potest. Ego verò quinam gregem Dei aduersùs lupos conseruare potero, qui nec à meipso quidem illos arcere nóui? Timeo sanè vir probrosus plebis sanctæ fieri Episcopus, cùm quod infirmum est, solidare: quod ægrotum, sanare: quod confractum, alligare: quod abiectum, reducere: quod perditum, requirere nesciam. Horrendum est, teste Apostolo, incidere in manus Dei viuentis, cuius ista apud Prophetam minitabunda vox est: Væ pastoribus, qui pascunt semetipsos. & itèm: Eccè ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & sanguinem pereuntis in die tribulationis exigam ab eis.

Mirè detractat munus antistitis.

Heb. 10.

Ezec. 15.

Hæc illi prolixè prosequenti, Rex per nomen Christi adiurato pedũ tradidit, & coram se Episcopum eum ordinari præcepit. Tum ille cernẽs nulla ratione se posse subterfugere, mœstus ad templum se contulit, multa militum caterua sequente, ibique tales Domino preces gemebundus obtulit, manibus in cœlum sublatis: Domine Deus omnipotens, qui in Trinitate perfecta dominaris & regnas: cui secreta omnia patent, qui scrutaris renes & corda: tu scis, quòd inuitus cogor pontificis munus exequi. Non enim sic ego sum corpore & animo constitutus, qualem tu me velles. Interìm nihilo minùs credo, pijssime & amantissime Deus, te volente isthuc fieri. Itaque totis tesciebus rogo, quoniam tibi soli peccaui, & malum coram te feci vsque in præsens, vt delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas mihi condones, malorum præteritorum des veniam, à futuris serues: vt ad viam veritatis reductus, nocte ac die possim meditari & scrutari legem tuam, facereque quod tibi sit gratum & acceptum. Sana me Rex æternæ gloriæ, medice medicorum, medicina malè habentium, instaurator eorum omnium, qui sperant in te: saluum me fac, & saluus ero: quia tu es laus mea, lux mea, pax mea, spes & gloria mea, pulchritudo & beatitudo mea, refugiũ meum, vita & fortitudo mea, consolatio, illuminatio & corona mea: qui viuis & regnas per omnia secula seculorum, Amen. Misericors & miserator, qui neminem vis perire, sed omnes saluos facere: pœnitet me criminum meorum, quæ hucusquè admisi aduersùm mandata tua. Itaq; recipe me pœnitentem, & de tua misericordia confidentem. tua enim vox illa est: Viuo ego: nolo mortem peccatoris, sed vt magìs conuertatur & viuat. Exorabilis Domine, exaudi me deprecãtem, sicut audisti latronem à cruce pendentem, & propè serò pœnitentem, & largire mihi spiritum sapientiæ & intellectùs, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, & spiritum timoris tui. Pone verbum tuum in ore meo, vt docere possim populum tuum pro voluntate tua, & fac me fortem & constantem in cæremonijs tuis: vt tuæ protectionis vallatus armis, omnes meos gregisque tui mihi crediti visibiles & intiisibiles vincam hostes. Cõfirma me in omni opere bono, & dirige gressus meos in semitis tuis: & non veniat mihi pes superbiæ, neque manus peccatoris moueat me. Pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis, nè ex eis egrediatur verbum mendax in conspectu tuo, sed quod omni tempore placeat tibi. Custodi gregem tuum rex regum & domine dominãtium, & pastor pastorũ, cui ego iam præficior pastor criminosus: nè quã lupus rapax ouem ex illo rapiat & dilaniet, sed tua sancta dextera semper illum foueat ac tueatur. Tu scis Domine, quarũ ego rerum indigus sim, & quid petere abs te debeam. Præsta tu id mihi, quemadmodùm ego spero, & confidò tibi.

Cap. 6. Cogitur fieri Episcopus.

Attende deuotã eius orationem.

Ezech. 18. Luc. 22.

Esaiæ 11.

Cap. 7. Vix precem hanc absoluerat, cùm eccè Rex cum alijs superuénit Episcopis, eumq; curauit

etrauit ordinandum cum multa celebritate. Quas verò laudes & grates Clerus & populus, eius consecratione mirificè exhilarati, Domino egerint, paucis dici non possit. Peractis omnibus, quæ ad eam rem pertinerent, Imperator Clerum & quotquot illic aderant nobiles & ignobiles, ad suum inuitauit conuiuium, & pro amore sancti viri diem illum haùd secùs atquè insignem solẽnitatem, cum multa lætitia ad vesperam vsque exegit. At sanctus Episcopus, memor beatæ Cæciliæ, quanuis corpore videretur interesse epulis, spiritu tamen cum Domino epulabatur, hos secum versiculos tacitè reuoluens: Ciba me Domine pane vitæ, & aqua sapientiæ, vinoque compunctionis pota me: quoniam dedisti metuentibus te significationem, vt fugiãt à facie arcûs. Peracto prãdio, more suo vacabat eloquijs diuinis, peccatorum suorum remedia poscens à Deo. Nec paruipẽdendum sibi existimabat onus pontificium, in ipsius humeros coniectum.

Cõsecratur Episcopus.

Inter epulas studet compunctioni. Psalm. 59.

Altera luce Imperator secum animo voluens, propter illicitum matrimonium fieri posse, vt quandoquè ab Episcopo Friderico cõmunione priuetur: iussit cum accersiri, & coram Episcopis, qui aderant, eum demulcendo sic allocutus est: Dominus te insacerdotem magnum elegit charissime, tanto muneri idoneum te sciens. Oro igitur, vt perseueret in te studium adhortandi & verbum Dei prædicandi apud feroces maritimas gentes. Est sanè insula Vualacrana, tibi, vt reor, satìs cognita, in qua proh dolor, quod nupèr ad nostras peruenit aures, passìm sibi matrimonio iungunt neptes suas, aut etiam, quod est deterius, sorores, vel ipsas quoquè matres suas. In illa autem insula, vtì satis constat, antecessores tui strenuè laborârunt: quod verò ipsi excolere non potuêre, tibi proculdubiò absoluendum reliquerũt: Adiuro igitur te per Deum viuum & verum, vt si quis siue nobilis, siue ignobilis, siue Dominus, siue seruus, diues vel inops, à Christiana religione aberrans, eiusmodi se facinoribus contaminârit, vbì primùm id resciueris, corrigas illum. Quòd si reprehensus abs te, non se ad meliorem frugem receperit, & te vel Ecclesiam non audierit, à communione fidelium authoritate tibi tradita illum separes, sitque ceu ethnicus & publicanus, donèc vera pœnitentia conuertatur ad Dominum, qui semper paratus est misereri.

Cap. 8. Corrupti mores insulæ Vualacranæ.

His ab Imperatore dictis, vir sanctus ingemuit, aitque ad illum: Grauiter quidem me obstringis Domine Imperator, sed quæso, dic mihi, num salua tua gratia facturus sum, quod hortaris. Tum Imperator, quasì iam de se securus. Non solùm, inquit, salua mea gratia id feceris, sed si voluëris, me quoquè ea in re adiutorem habebis. Mox vir sanctus, plenus spiritu Dei & memor sermonis, à Domino ad Ieremiam dicti: Probatorem dedi te in populo meo robustum: & scies, & probabis vias eorum: ad Imperatorem se inclinans, ait: Dic mihi, oro, Domine Imperator, si sit edendus piscis, à capiténe, an à pedibus incipiendum est? si fabrica construenda, à parietibúsne, an verò à fundamento inchoandum? Imperator facilè aduertens, quorsùm ista spectarent, non sine admiratione respondit: Piscis pro meo iudicio rectiùs à capite primùm editur, atque indè ad caudam vsque proceditur. Fundamentum quoquè priùs collocandum est, deindè parietes extruendi, alioquì sine dubio collapsuri. Rectè, inquit vir sanctus, mi Domine, locutus es. Et eccè Dominus te voluit esse caput & fundamentum Ecclesiæ suæ, vt bonum omnibus de te exemplum præbeas. Itaq; à capite mihi sumendum est initium, vt ab illo exclusis vitijs, & fundamento probè collocato, per corpus ad caudam, Deo me adiuuante, pro viribus pertingam, & parietes in sublime promoueam. Tu ergò mi Domine stare te existimas: sed quanuis grauem iam ruinã feceris, vide tamen, ne grauiùs cadas. Habes coniugis loco Iuditham tibi sanguine propinquam, Guelphi Bauarorum Ducis filiam: quam si non repudiaueris, & dignam Deo egeris pœnitentiam, iam antè prædíco tibi imminere regno tuo immane excidium, completumque iri in te sermonem illum Saluatoris: Surget gens contrà gentem, & regnum aduersùs regnum. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parẽtes, & morte eos afficient. Quæ quidem si in tua tempora non inciderint, poteris securus vti frui isthac fœmina. Sin autem inciderint, non poteris habere ambiguum, non fuisse gratas Deo nuptias istas. Scriptum est enim: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius. & iterùm: Anima, quæ fecerit quippiam ex istis, peribit de medio populi sui. Et Salomon in Prouerbijs: qui adulter est, inquit, propter cordis inopiam perdet animam suam. Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur: quia zelus & furor non parcet in die vindictæ. Et Apostolus scribit Corinthijs.

Cap. 9. Ier. 6.

Hũc Guelphum quidam vocãt primũ Comitem Altorffensem Luc. 21.

Leuit. 18.

Prouer. 6.

1.Cor.6. Heb.13. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque facit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. itemque alibi: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Et reuerà etiamsi coniūx tibi legitima foret, Domine Imperator, nec tuo sata sanguine, at nihilominùs illud Apostolicū animaduertere debes, quod

1.Cor.7. Repræhendit illicitas Ludouici Imperat. nuptias. ille diuinitùs tradit: Qui habēt vxores, quasi nō habentes sint. Quid verò beatus Gregorius in Canonibus dicat, quæso nè molestè feras, si cōmemoremus. Si quis, inquit, duxerit neptem in coniugio, anathema sit. Itaque si vis æternos gehennæ cruciatus euadere, & vita frui sempiterna, vera ductus pœnitentia, sperne isthuc cōiugium, & ad Dominum conuertere, vt det veniam tibi. Vana est enim huius mundi gloria, & omnis caro fœnum.

Cap.10. Cùm hæc diceret vir sanctus, & multi etiam pontifices eius sententiam confirmarent, atque ad abolendum tam inuisum matrimonium, permulta sacrarū literarum testimonia proferrent, neq; ea tamen Imperator ità, vt par erat, animaduerteret, rursùs vir Dei sic eum compellauit: Nos quidem, Domine Imperator, secundùm Apo-

1.Pet.2. stolum, Deum timere debemus, eiusque seruare mandata: te autem honorificare, & in rebus bonis consentire tibi: mala autem non modò non approbare, sed etiā corri-

Ezech.3. gere, dicente scriptura: Si non fueris locutus, vt custodiat se impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem verò eius de manu tua requiram. Nos igitur si tibi peccatum tuum non indicaremus, neque id repræhenderemus, tu ab illo te non reuocares, nec connitereris redire ad vitam, nosque vnà tecum propter silentium nostrū æternis ignibus addiceremur. Quamobrèm nobis ex officio incumbit, spiritalibus consilijs sanare peccato laborantem.

Cap.11. Vix sermonem hunc beatus Episcopus absoluerat, & Imperator erubescens, ad tempus doluit, defixisque humì luminibus, illachrymās dixit: Peccaui, & deflexi à recto itinere: agnosco erratum meum, vestroque me iudicio submittēs, libenter quod

Imperator lachrymatur, agnoscens culpā suam. à me perperàm gestum est, corrigam. Respondit Deo dignus Episcopus Fridericus: Id si tu ex animo feceris, cum Domino redibis in gratiā, qui, vt tuipse dixisti, misericors

Matth.7. est, & semper paratus misereri: eritque tibi pater, & tu illi filius, si tamen ab illo retrò non recesseris. Noli ædificare domum tuam super arenam, sed potiùs super petram: nè irruente imbre, & ventis flantibus, & flumine inundāte cadat, & fiat ingens ruina illius. Nos verò non cessabimus orare pro te & postulare, vt implearis cognitione voluntatis Dei, & ambules dignè coram illo, per omnia placens ei. Tu autem tenta te

Rom.2. Apoc.22. ipsum, & proba num sis in fide. Reddet proculdubiò iustus iudex in illo tremendi iudicij die vnicuique iuxta opera sua. His tandèm confectis, cum cæteris pontificibus Imperator beatum virum vocauit ad prandium: ac deindè cum summo honorè à se

Accipitur honorificè à Traiecten. S. Friderico. Traiectum dimisit. Cumque ad Rhenum ventum esset, eius regionis Clerus & populus, qui domì remāserat, in vnum collectus, illi ruit obuiàm, Deoque pro optato pastore gratias agens immensas, ad castrum cùm cum dignis laudibus deduxit, atque in templo beatissimæ matris Dei, vbì cum socijs conditus est martyr Bonifacius, in Episcopi sede eum collocauit. At ille suo more ad singulas sanctorū aras precaturus accessit, & eodem die sacrificium offerēs, cùm ad populum concionatus & ei benè precatus esset, peracto ministerio, domum abire permisit.

Cap.12. Mansit autem in eodem castello diù satis, populum docens, ità vt quicquid illic vetusti erroris relictum erat, diuinis eloquijs extirpārit. Non efferebatur animus eius

Eccles.5. Vacat operibus misericordiæ. pontificia dignitate, sed conuenienter scripturæ diuinæ, quanto erat maior, tanto se magis humiliabat in omnibus. In præstandis eleemosynis æquè, vt anteà, fuit largus, ad suscipiendos peregrinos semper paratus, captiuis & compeditis liberandis deditissimus. Visitabat infirmos, nudos vestiebat, cunctis se affabilem & amabilem exhibebat, vigilijs & orationibus delectabatur, cum Propheta septiès in die laudem Domi-

Psalm.118. no dicebat. Semper vno & eodem erat animo: odij & iræ planè expers, pacis verò & concordiæ studiosus, morum integritate nulli secundus. Quicquid in muris templi, fratrum domicilijs & in parietibus castri collapsum fuerat, instaurauit, & religiosioribus quibusdā clericis & laicis, nè quid erroris aut perturbationis existeret, asseruandum commēdauit. Deindè diœcesim suam visitare cupiens, ad insulam supradictam

It in insulā Vualachranam. studio euangelizandi primùm iter intendit suum: salutatisque fratribus domûs, nauim conscēdit, & prospero cursu ad Vualachranam appulit. Egressus autem in terram, ad ecclesiam se contulit, iubens interìm in aprici gramine campi suum figi tentorium. Eum verò vt eius insulæ habitatores conspexêre, multi, quibus senior erat mens,

mens, vndiquè ad eum confluere, & eo, quo par fuit, honore eum excipere cœperūt: porrò complures ijs, quæ antè diximus, polluti flagitijs, iam arma sua aduersùs eum expediebant, tanquàm prælium inituri, aiebantque se, si quid ipsis molestiæ attulisset, illum planè trucidaturos. Id vbì sanctus Episcopus accepit, sanctam omnibus synodum indixit, excōmunicationis sentētiam intentans illis, qui nollent ei interesse. Illi verò minas eius floccipendentes, in sua peruersitate permanserunt. Porrò soli senio-

Indicit synodum. res ad sanctam venêre synodum, & eam, quam decebat, in omnibus obedientiam declarārunt. Beatus autem antistes vt vidit illorum obstinatos animos, seque illis conuertēdis frustrà nauare operam, cum lachrymis obsecrabat senes omnes illic præsentes, vt ad destruenda incesta illa connubia pro sua virili opem ferrent, Dominoque talenta duplicata referre curarent. Non recusârunt illi, sed rogarunt refractarios illos, nè tam barbaros se exhiberent, sed ab Episcopo, cuius curæ essent cōmendati, veniam peterent, suamque culpam faterentur & agnoscerent: nè, si secùs facerent, Dominus totam insulā vel peste, vel fame, vel hostili incursu perderet, quòd pastorem

Attende quanti sit ponderis oratio iusti iustius. ipsis præpositum despicere viderentur. Interìm Episcopus cum Clericis in ecclesia Deum rogabat gemitibus inenarrabilibus, vt illorum cordibus adspiraret sanam mentem & voluntatem agendi pœnitentiam, & in operibus bonis eis præstaret constantiam, nè post susceptam emendationē rursùs instàr canum redirēt ad vomitum. Nō despexit Deus preces serui sui. Proxima enim luce illo cum Clericis de scripturis diuinis colloquia miscente, ex pagis vndiquè ad eum accurrêre permulti, ex animo petentes veniam, & dignā se acturos pœnitentiam pollicentes. Tum vir sanctus mirificè exhilaratus, in sanctum ingressus est conuentum, dixitque eis, non posse illos dignam agere pœnitentiam, nisi fœda priùs connubia discinderēt & execrarentur, iuramentoq; confirmarent, se ea nunquā repetituros. Id postquàm omnes deuotis ani-

Multi priùs refractarij, in insula se corrigunt. mis fecêre, agendamq; pœnitentiam suscepêre, vir Dei aliquot dies mansit illic, docens illos ea, quæ Dei sunt. Cùm autem indè esset abiturus, magnæ sanctitatis presbyteros apud illos reliquit, qui plebem in officio retinerent: atq; ità cunctis valefaciens, inter eundum suas visitauit parœcias: cunctisque rectè constitutis, Traiectum venit, & aliquandiù illic moratus est. Deindè concionando & ecclesias ædificando, totam suam perlustrauit diœcesim, Dominoque suo non postremus agricola, vineam egregiè instaurauit, familiæq; eius, cui erat præfectus, cibum suo tempore ministrauit: vt

Matth.25. Luc.12. ab eo veniente vigilans & ità faciens, talentumque sibi traditum duplicans inuentus, ab eo constitueretur super omnia bona eius, & in eius gaudium introduceretur.

Cap.13. Imperator autem vbì didicit omnia prosperè cessisse beato viro, nihilque in ea insula diabolici erroris resedisse, non ausus fuit diutiùs apud suam Iuditham illic hærere: sed in Gallias proficiscens, salutauit eam, & dixit: Hunc nobis in nostro negocio aduersantem Episcopum, si potes aut vllis flectere precibus, aut muneribus excæcare, nè id quæso intermittas. Sin minùs id potes, minis eum expugnare contende. Fecit

Iuditha Imperatoris coniunx, frustrà virū Dei expugnare contendit. illa, vt erat iussa, & modò precibus eum pulsans per epistolas, modò innumeras offerens diuitias, sanctum virum, qui in nullis sperauit pecuniæ thesauris, eò conabatur inflectere, vt sua authoritate ipsis faceret potestatē in damnato coniugio permanendi. Sed cùm ille sæpè recusaret, idque sine Pōtificis maximi & aliorum præsulum iudicio fieri non posse assereret, Imperatrix bile pércita, amoreque insano obcæcata, etiam iniussa secuta est Imperatorem, multisque nominibus Deo charum pontificem accusauit, iam animo pertractans, qua eum posset ratione quandoquè tollere è medio. Iam verò nō contenta, vt fertur, cum Imperatore præter fas concumbere, etiam Bernardum quendam, quem è sacro fonte Imperator susceperat, adolescentē Deum

Gen.39. timentem, vt quondàm Aegyptia mulier Ioseph patriarcham, sæpè ad fœdam secum explendam libidinem prouocabat. Illo verò recusante, & adulterij immane esse crimen asseuerante, Iuditha excandescens, veritaque nè tanta eius turpitudo ad alio-

Iudithæ in Bernardū calumniæ. rum notitiam deduceretur, omni spurcitia & dolo plena, iuuenem insontem crebrò apud Imperatorem detulit, quòd vi ipsam opprimere conatus esset. Vbì id cognouit Bernardus, voluit se innoxium declarare, idque coram Imperatore & duobus filijs eius Lothario & Ludouico, qui tum erant in Theodonis palatio: sed nemo erat ausus cum illo singulare inire certamen. Porrò vt beatus Fridericus Episcopus isthuc

1.Reg.15. rescisset, multùm doluit, & instàr Samuelis Saulem lugentis, ardentissimis precibus rogabat omnipotentem Deum pro Imperatore & perfidiosa coniuge eius, vt illis sanam mentem largiretur.

Per

Cap.14. Huius vitā quære Tomo 3. Iunij 12. die.

Per id tempus sacerdos quidam Odulphus nomine in Oreschot morabatur, vir sanctissimus & nobilis genere, patrem habens Bodgisum, concionator egregius, diuinarum scripturarum lectioni deditus, bonorū operum cumprimìs studiosus. Is quadam nocte fessa membra in lectulo reponens, per visum angelum Domini multo lumine cōspicuum sibi adstantē vidit, & talia roseo ore verba promentem: Surge serue Dei, & ad Traiectense castrum propera, māsurus illic cum cæteris famulis Christi, & beato Friderico Episcopo strenuam nauaturus operam in habendis ad populum concionibus, vbicūquè illi visum erit. Ea visione perterritus vir Dei Odulphus, nocte surrexit, & itineri res necessarias parauit, memorque sententiæ Saluatoris, Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit: relictis omnibus, Dominum est secutus, & post triduum Traiectum peruenit. Processit autem in occursum eius Fridericus Episcopus cum Clero, & tanti viri aduentu exhilaratus, cum multo gaudio & honore eum excepit. & post preces ad Dominum in templo fusas, in Australi parte castri dedit ei hospitium satis cōmodum, cum adiuncto illi viridario. Ille verò talem se præbuit bonis confectādis operibus, vt tanquàm lucerna coram Domino lucens, omnibus resplenderet, ità vt tam à Pontifice Friderico, quàm fratribus, pater monasterij vocaretur.

Matth. 19. Odulphus presbyter venit Traiectum.

Cap.15. Frisones Arrianizāt.

Ea tempestate Frisones, malo dæmone id agente, tam malè de sacrosancta Trinitate plerisq; locis sentiebant, vt Sabellij Arrijq; hæreses ab inferis excitatæ viderentur. Sanctus Episcopus ea re percepta, animo commotus est, multumque flens & eiulans, citò ad eos profectus est, & pagos atque villas, eos docens, peragrauit. At proh dolor neque per seipsum, neq; per socios suos ferocem illam gentē corrigere potuit: & cùm animi dubius esset, quidnam agendum foret, tandèm accepto consilio Traiectū misit legatum, qui S. Odulphum rogaret, vt quanta maxima posset celeritate ad ipsum in Frisiam contenderet. Eo nuncio accepto, vir Dei præ martyrij desiderio lætus efficitur, & tanquam ad epulas inuitatus, iucundo animo se dedit itineri, & Staueram, vbi Episcopus erat, peruénit. Eo viso, Episcopus mirificè lætatus, cùm eum osculatus esset, cùm illo pariter totam regionem prædicando perambulauit. Erant enim ambo gladio spiritus, quod est verbum Dei, armati, populumq; illum ferum & belluinum vitali alimonia pascētes, breui tempore in agnos mutârunt, & ad Catholicam fidem reuocârunt. Scripsit autem beatus antistes in chartis de S. Trinitate quædam, easque misit sacerdotibus paroeciarum diœcesis suæ, vt si repullularēt errores, crebrò populis prælegerentur palàm. Aeternus est pater, æternus & filius, æternus & spiritus sanctus. Distinctio enim in personis, vnitas cognoscitur in natura. Omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens & spiritus sanctus. Trinum quidem nomen, sed vna virtus & potentia. Filius à patre incompræhensibiliter genitus: Spiritus sanctus à patre & filio ineffabiliter procedens: potestas non accidens, sed perpetua & individua manēs: summitas sociabilis, regnum sine fine, gloria sempiterna. Quæ sola creat, sola peccata dimittit, & cælorum regna concedit.

Fridericus & Odulphi eos conuertunt.

Symbolum S. Friderici.

Cap.16. Idem habet Abbas Regino in Chronicis.

Murmanus rex vexat Franciam.

Insuper ad placandam sacrosanctam Trinitatem, Orationem de ipsa compositam pro salute plebis quotidiè ter, nempè manè, meridiè & vesperì iussit recitari. Porrò beato Odulpho, ex consilio Cleri & fidelium eius loci laicorum, quanuis inuito, Stauerensem ecclesiam curādam commisit: cunctisque rectè & ordine constitutis, Traiectum se recepit. Vt autem impleretur beati viri prophetia, anno salutis octingentesimo tricesimoquinto Murmanus Britonum rex regnum Francorum inuasit, Imperatori arma inferens, quòd propter fœminam deflexisset à recta via, Deique præcepta & legem neglexisset. Erat eius Murmani ingens exercitus, vrbesque ac viros & pagos in Gallijs cepit & vastauit, atque innumeros trucidauit, multisque auctus spolijs, nullo accepto incommodo, in sua se recepit. Imperator quidem magnis coactis copijs illum insecutus, cum eo conflixit non semèl, sed infeliciter, permultis è suis desideratis proceribus. Tandem amplissima ei offerens munera, pacem ab eo petijt, & hostem sibi cōciliauit. Nec latuit populum, cur permisisset Deus ea calamitate affici sanctam Ecclesiam suam, & iam de illicito Imperatoris coniugio multum in eo murmur audiebatur. Anni verò illius circulo euoluto, Imperatrix Bernardū, cuius antè meminimus, ad se euocauit, licèt nolentem, vt eius animum placaret, stimulanteq; eam turpi amore, cum imperatore eum in gratiam reduxit, tanquàm miserta illius, & plerunq; illum apud se detinuit. Ità fiebat, vt crebra eaque varia & inania inter ipsos colloquia habe-

haberentur, quæ tandèm adeò feruntur iuuenis animū corrupisse, vt cum Imperatrice Iuditha dormierit. Ea re in vulgus sparsa, Pipinus, Imperatoris ex Irmingarde Imperatrice filius, magno animi mœrore affectus, cum Iesse Ambianēsium Episcopo & Hilduuino Archicapellano, & Magfrido ac Eleazaro Abbate, atq; Godefrido alijsq; permultis regni primoribus Imperatorem adijt, multa ei obiecit, & reginam adulterij accusauit. Imperatore verò nihil respondente, sed toruis eos oculis adspiciente, atque caput agitante, illi reginam Iuditham viabstulerunt, & in monasterium velatam detruserunt, domumq; abiērunt. Sed post menses non adeò multos Imperator Iuditha recepta, Nouiomagiū profectus est, & cum multis alijs etiam Iesse Episcopū captum, qui in cordis simplicitate Iuditham velauerat, vt ad meliorem frugem ea se reciperet, à sua sede remouit, cogens Episcopos, vt eum exauthorarent: quæ res cūctis bonis displicuit: porrò alios in carcerem coniecit, alios exilio mulctauit.

Iuditha accusatur adulterij. Truditur in monasterium, sed id Imperator atrociter vlciscitur.

Vbì Gregorius Pontifex Romanus id comperit, multùm doluit, profectusque ad Imperatorem, durè eum obiurgauit, admonuitque vt cum coniuge resipisceret, veniamque illis suppliciter petentibus, ieiunium & pœnitendi formam præscripsit: Episcopis verò tum præsentibus, tum absentibus Apostolica authoritate præcepit, vt ipso recedente, Imperatorem & prophanam coniugem eius admonerent, & spiritalibus eloquijs pascerent: & si negligerent satisfactionem ipsis impositam, non alio quàm ethnicorum & publicanorum eos haberent loco, & perpetuo plecterent anathemate. Tum verò Imperator denuò se prosternens, fassus est peccatum suum, in omnibus morigerum fore promisit, Pontificemq; Gregorium vt pro se & regni sui statu Deum deprecaretur, orauit, multisque eum regijs muneribus affecit. Sed Pontifex nihil illis muneribus transuersùm actus, sed prudētiam serpentis & columbæ simplicitatem retinens, Imperatorem propter ea, quæ diximus, repræhendit, multaq; tum ei, tum proceribus eius sanctorum pignora, quę pro illorum salute secùm attulerat, clargitus est: & cum saluberrimis de vita æterna adhortationibus eos instituisset, vltrò citroq; valedicto, cum suis Romam reuersus est. Sed nō diù pòst Imperator redijt ad vomitum, & auxit etiam peccatum suum. Interìm Episcopi Germaniæ & Galliæ, memores præcepti Pontificis, per seipsos coràm, & per epistolas eum absentes orabant, nè ità se generet. At ille palàm eos odio prosequebatur, inprimis autem Fridericum Episcopum, qui diuino spiritu repletus, aperuit ei facinus suum, nec quicquā reticuit, quòd æquitas dici postularet, atque præ cæteris vrgebat eum, vt sese corrigeret, non odio vllo aut liuore ductus, sed diuino ipsum timore stimulante, nè vnà cum illo periret: dixitque ei: Non licet fœminæ sacrum acceptum velamen abijcere: idque confirmabat sententia Zachariæ Pontificis sanctissimi, ità scribentis in Epistola ad Gallos: Qualicunque modo mulier, permitttente canonicè viro suo, aut eo defuncto, velum sanctum acceperit in caput aut spontè, aut inuita, in eo permaneat omninò, nec dimittat.

Cap. 17. Gregorius Papa pœnitentiam indicit Imperatori.

Imperator redit ad vomitum.

Odit Fridericū Episcopum, ipsum arguentem.

Porrò anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tricesimooctauo, conuenêre filij Imperatoris, & communicato cum Episcopis, Ducibus & proceribus consilio, propter ignominiosum illud coniugium, & quod summi Pontificis iussa cōtemsisset, in quendam occultum locum cum includere decernunt, donec agat præscriptam pœnitētiam, & Deum sibi propitium reddat. Id postquàm gestum est, Iuditham ab Episcopo Iesse velatam, in Italiam ablegârunt, mortis ei minas intentantes, si indè reuerti aut aufugere aussa esset. Verumenimuerò nō multò pòst Ludouicus Imperatoris filius, ea patris fortuna commotus, collectis quotquot potuit Francis, Imperatorem vixdùm inchoata pœnitēntia è custodia eduxit, & Aquisgrani honorificè in eius sedem reposuit & palatium. Mox verò Imperator Ebbonem Rhemensem Archiepiscopum, virum sanè religiosum, vt potest animaduerti ex scriptis eius, iussit compræhendi, & ab Episcopis, quos ad id compulit, sine causa deponi. Deinde legatos misit in Italiam, qui Iuditham indè aducerent, venientemque summo cum honore & gaudio excepit: sed timens Episcopos, cum ea rursùs, relicta Francia, in oppidum quoddam Rheno adiacens profectus est, deincèps quotidiè in eorum conuiuijs citharis & lyris, & tympanis, & tibijs personantibus.

Cap. 18. Ludouicus Imperator à filijs includitur.

A Ludouico filio liberatur.

Ebbonem Episcopum deponi curat.

Cernens igitur beatus Episcopus Fridericus induratum esse pectus illius, per epistolam significauit ei, nisi resipisceret, se illum excommunicaturum. In ea epistola multas habuit sanctorum Patrum sententias, & inter cætera scribit in hanc sententiam: Quandoquidèm Christi seruum te dici & haberi vis, quid ità seruos eius, Anselmum Mediolanensem, Vuolfoldum Cremonēsem, Theodulphum Aurelianensem, Iesse

Cap. 19. Episcopi, quos Ludouicus vexauit.

Ambia-

Ambianensem, Ebbonem Rhemensem antistites sine vlla ratione condemnâsti? An verò id iussit, vt faceres, ille, qui per prophetas suos dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei? & rursùs: Nunquid vos vltionem reddetis mihi? Et si vos vlciscimini cõtra me, citò velociter reddam vicissitudinem super caput vestrum. Nôsti Apostolum dicentem: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat aut cadit. Tu certè non vis nisi à te iudicari seruos tuos. Si quis alius id attentet, stomacharis & pœnas ab eo repetis. Quod igitur tibi fieri non vis, cur tu id facere Domino domino. rum non dubitâsti? Pessimè quidem fecisti, non enim ab hominibus, sed à Deo iudicandi sunt summi sacerdotes, nec à prauæ vitæ hominibus lacerandi, sed potiùs à fidelibus tolerãdi. Præterea in conuiuijs vestris quotidiè sunt cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & opus Dei nõ respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Quam obrèm vindicabit Deus in vobis seruos suos, & dilatabit infernus animã suam, & os suum, nisi resipueritis, aperiet, in cuiq; vos descendetis, & sublimes vestri deprimẽtur oculi, eò quòd posueritis amarum in dulce, & dulce in amarum.

Zach 2. Ioel 3. Rom. 14. Isaiæ 5.

Huiusce modi verbis Imperator magìs etiã in virum Dei ira inflammatus, de eius nece tractare cœpit, reginæq; ad eam semper instiganti id negocij dedit, vt eam confi. ceret. Atque ità in Gallias proficiscens, profanam Imperatricem apud Rhenum reliquit, vt eam cædem acceleraret, ac deindè ipsum incunctanter sequeretur. Multas igitur illa beato viro molita insidias, cùm eum nec precibus, nec amplissimis promissionibus flectere posset, quadam æstate illo Traiecti, paucis retentis militibus, more solito cum fratribus degente, atque illic suum præstolante obitũ, quem impendére sciebat, Imperatrix sub dies Caniculares conuocatis vndiquè ad se illis, quos sibi & Imperatori fidos nouerat, ità locuta est: Quanta præ cæteris Episcopis molestia & me & Imperatorem Fridericus Præsul afficiat, vos latére non puto. Itaque modis omnibus oratos vos velim, quos alioquì nostrà capessere iussa par est, vt me de illo vlciscamini, idque arte quadam, nè res innotescat, vndè vobis ingens possit creari periculum. Eius facinoris amplissimam à nobis mercedem expectabitis. Displicuit is sermo omnibus religiosis & probis viris: sed duo superbi & cupidi iuuenes promiserunt reginæ se eam rem curaturos, modò velit præmium polliceri. Vbì id illa promisit, & omnes iurârunt se Episcopo minimè indicaturos, illi cùm sicas accepissent, Traiectũ se contulerunt. Quò cùm peruenissent, dixerunt se habére in mandatis à regina, quæ Episcopo cuperent indicata. Quod vbì Episcopo ad sacrificandum sese præparanti significatum est, ille ingemiscens, erectis sursùm oculis & manibus, Deo prolixè gratias egit, quòd tempus optatæ mortis adesset. Deindè ad adstantes vultu angelico conuersus, Scio, inquit, quid isti velint: sed expectare eos iubeo, donèc peractũ sit sacrificiũ. His dictis, è cathedra pontificia surgens, Missam cum multa deuotione celebrauit, & post lectum Euangelium sermonem habuit ad populum, obitumq; suum obscurè & tectè prædixit, nè illos mœrore afficeret, à quibus se haud aliter atquè patrem nouerat amari. Ait enim, se illo die escam sempiternam cum sanctis in cælis à Domino percepturum: porrigensq; eis corpus & sanguinem Domini, omnibus valedixit, & pastor fidelis pastori bono Domino nostro Iesu Christo oues ipsi commissas commendauit. Vidisses tum clerum & populum omnem præ dolore lachrymantem, nec tamen scientem quid hæc sibi vellent, quæ ab Episcopo fiebant. Absoluto sacrificio, sic vt erat vestitus, in oratorium sancti Iohannis Euangelistę, vbì eius sarcophagus erat, ingressus, exclusis omnibus præter vnum Capellanum suum, sanctorũ omnium cum lachrymis & suspirijs patrocinia implorauit, & deindè eos, qui ad ipsum missi erant, iussit introduci. Illis intrantibus, Capellano suo præcepit, vt retrò altare Saluatoris ambularet, nec rediret, donèc ab ipso esset accitus. Cumq; iam soluts esset cum sicarijs illis, eosque trepidantes cerneret, ait ad eos: Facite, quod iussi estis, intrepidi. Ego enim aduẽtûs vestri causam sciui antè, quàm vos huc veniretis. Id vbì illi audiêrunt, cùm eum vltrò mortem expetere viderent, in extis eum sicis suis percussêre, atque irridiculè vicissìm dixerunt: Vlta se est de te regina nostra.

Ecce dolũ Herodianũ

Adultera Imperatrix mercede sicarios conducit, qui S. Fridericũ occidant.

Constantia sancti viri.

Cæditur à sicarijs.

Cap. 20.

At martyr Dei quibus poterat viribus vulnera compressit, nè sanguis & intestina effluerent, dixitq; sicarijs illis, vt properè abscederent, nè comprehderentur. Illis celeriter aufugientibus, post aliquantam moram accersiuit vir beatus Capellanum suum, iussitq; vt ex muro contemplaretur, num illi nuncij Rhenum traiecissent, & qua vterentur celeritate, ipsi renunciaret. Fecit ille, vt iussus erat, reuersusq; ad Episcopum, vt cum vidit in facie mutatum, penè exanimatus quæsiuit, quid haberet, aut quid.

Cap. 21.

S. Fridericus prędicit obitũ suũ.

quidnam ipsi accidisset. Tum vir sanctus rogans cum, nè perturbaretur, Percussus sum, inquit, fili mi. Aduoca fratres & commilitones meos, accersi populum Dei, vt reddant me, vndè egressus sum, terram terræ, orentq; vt spiritus meus, licèt indignus, dirigatur ad Dominum, pro cuius legibus & amore sanguis meus hodiè fusus est. Id postquàm ille audiuit, euellens capillos suos & flens, miserabiles dabat voces. Vbì autem cæteris indicauit, quis planctus, quæ lamenta illic extiterint, nemo pro dignitate explicare queat. Tandèm sancto Odulpho, beati viri cooperatore, cum Clero & populo aduenientes, simulque omnibus clamantibus, Cur nos pater orphanos derelinquis? glorioſus martyr cum lachrymis prophetico spiritu dixit: Fratres & filij mei charissimi, si qua mihi pars est cum sanctis in cælo, non vos relinquam desolatos, sed pro vestra salute & incolumitate perpetuus ero intercessor. Sed noueritis tamen propter Imperatoris, coniugisque & procerum eius peccata, totum regnum, Danorum incursione vastatum iri, & propter iniquitates nostras etiam hanc vrbem & diœcesin pœnas luituram. His ægrè prolatis, cùm populo benè precatus esset, viuus in tumulum intrauit, psalmodiasque, quæ in funere cãtari solent, ipse inchoans, dixit: Placebo Domino in regione viuorum. Deindè crebrò repetens versum hunc, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, cælum supinus intuebatur. Et cùm dixisset, Hæc requies mea in seculum seculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam: Domino spiritum reddidit. Clericis autem corpus eius humantibus, tanta odoris suauitas totam compleuit ecclesiam, vt præsentes omnes nihil ambigerent beatorum spirituum illuc multitudinem aduenisse, quæ sancti martyris animam ad cælos cum triumpho deduxisset. Quò nos quoquè per eius merita perducat, qui viuit & regnat in infinita secula seculorum, Amen.

Prædicit clades regni ex Barbarorũ incursione.

Animam agit.

Eodem autem anno propheticus beati viri sermo cœpit impleri. Nortmanni enim cum magna classe mare ingressi, ad oppidum Dorestadum, quod nunc Vuyck vocant, olim tam amplum, vt ferantur in eo quinquaginta & quinque ecclesiæ fuisse, appulerunt, vastatumque flammis exusserunt, & cum opima præda etiam multos captiuos abduxerunt. Ac deindè omni regione populata & vexata, abiêrunt. Non multis verò interiectis annis reuersi, Traiectum vi ceperunt, cæsis omnibus eius loci incolis. Indè factum est, vt post obitum Alfrici, qui fuit pater beatissimi Friderici martyris & Lutgeri Episcoporum, cunctis ex agro profligatis, Traiectum planè desertum & euersum permanserit, vsque ad Baldrici antistitis tempora: quibus etsì non paria pristinis, noua tamen & bona sunt mœnia instaurata. Porrò Germaniæ & Galliæ Episcopi, comperta cæde immerita beati Friderici, vno animo in Imperatorem & Iuditham insurgentes, dixerunt dignos eos esse, qui regno pellerentur, & anathemate percussi, melioribus cederent, qui populum Dei regere, non iugulare, scirent, eiusque legem & cæremonias seruarent. Quod vbì Imperator didicit, multùm anxius & perturbatus, verebatur nè ab ipso ad filios deficerent, ipsoque pulso, illos eligerent. Iurauit igitur cum regina in conspectu omnium, se ab Episcopi Friderici cæde prorsùs immunes esse, & neque consilio, neque voluntate sua eam perpetratam: ipsos autem sicarios, qui eum peremissent, nullibì posse reperiri. Tum verò Episcopi, qui conuenerant, domum abiêre, missisque militibus, vbiquè inquiri illos homicidas iussêre. Illi igitur certam sibi necem impendére videntes, accepta à Iuditha mercede tanti sceleris, è regno in regnum profugi ferebantur, donèc subitaria extincti morte, in tartarum demigrârunt. Imperator autem homicida & periurus, dum filium Ludouicum trans Rhenum persequitur, subitò correptus morbo, & in nauim delatus, in insula iuxta Ingelnheim vita functus est. Posteà Metim translatus, in S. Arnulphi basilica tumulatus est, resque ipsa declarauit, licèt Pius vocatus fuisset, qualis factis fuerit. Quid autem Iudithæ acciderit, aut quo pacto è vita excesserit, cùm non sit literis annotatum, pro incomperto habetur. At beatus Fridericus martyr multis fulsit virtutibus, vt hodieque fulget, ipsumque inuocantibus & medicum & medicinam se exhibet.

Nortmannorum irruptio in Gallias.

Traiecti vastatio.

Traiectum instauratur

Percussores sancti viri subitò moriuntur.

Obitus Ludouici Imperatoris.

Cap. 22.

Cap. 23.

Sunt verò permulti etiamnùm superstites vtriusque sexûs homines, qui testentur temporibus Baldrici pij antistitis id contigisse, quod iam relaturi sumus. Vir quidam profanus post ędituum res & omnes veteris ecclesiæ thesauros curabat. Is coram hominibus ità se comparare nouerat, vt agnus putaretur, cùm esset reuerà lupus rapax, clàm auferens, nesciente domino eius, dona, quæ ad aras offerebãtur, & cereos truncans sceleratè & flagitiosè absumens, qui in venerabili monasterio ob effugandas

Vide hominem sacrilegum & impium.

noctis tenebras ponebantur. Idemipſe perſæpè medijs noctibus immania in templo perpetrabat ſacrilegia, veſtesque ſacras, quibus quotidiè ſacrificium Miſſæ perageba-tur, in ſacello ſancti Iohannis Euangeliſtæ, vbi beatus Fridericus quieſcit, in lecto ſuo ſibi ſubſternebat, ſanctorumque monumenta impudentiſſimè ventris ſui excremen-tis & lotio adeò contaminabat, vt quicunque eò vellent orandi cauſa ingredi, acce-dere præ horrore non poſſent. Interìm nocte quadam dormienti ſacer pontifex Fri-dericus appáret, vultu & veſte mirificè radiante, ſequebanturque eum Alfricus & Ludgerus, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſerant, atque in eodem ſacello humati erant, multa etiam ipſi luce conſpicui, manibus tenentes pedum, vt ſolent antiſtites. Ita-que beatus Fridericus pedo ſurſùm adducto hominem illum, potu obrutum, in pe-ctore percutit, expergefactoque dicit: Quid ità frater hîc ſupinus ſtertis? Cur auſus es ſacras veſtes tibi ſubſternere, & noſtros tumulos tam fœdè conſpurcare? Effer hinc lectum tuum, & locum repurga: quæ ſanctis furatus es, reſtitue, agens pœnitentiam; ceſſa impiè agere, & ad Deum, à quo receſſiſti, te conuerte. Quòd ſi ità non egeris, vitam hanc cum tormentis amittes, & ibis in ignem ſemper arſurum. Talia vt ille ac-cepit, luce perterritus, timuit quandiù eos vidit: ſed illis recedentibus, pulſo timore, non nisì phantaſmatis loco habuit viſionem illam. Manè ſurgentem æduus inter-rogat, num quam ea nocte viſionem viderit. Reſpondit ille ſe tres vidiſſe angelos, qui eum iuſſerint deincèps extra templum dormire: at ignorare ſe, num res vera fue-rit, an phantaſma, quo permulti illudantur. Quòd autem de ſacra veſte, de ſacrilegio, de ſacrorum tumulorum pollutione eſſet reprehenſus, id ſubticuit, timens pœnas, ſi æduus reſciret.

Iuſſit igitur herus eius, id eſt, æduus, vt ſi denuò apparérent, de illorum nomini-bus perquireret. Ille verò non ſolùm nullas Deo gratias egit pro ea ipſi oblata viſio-ne, ſed etiam in ſuis flagitijs perſeuérans, cùm ſe potu ingurgitâſſet, media nocte rur-ſùm ſolus ſuum repetijt lectulum. Mox verò dormitante eo, & penè adhuc vigilan-te, iterùm adſunt tres Epiſcopi, quos diximus, conſimili habitu: & ſtomachabundus beatur martyr Fridericus pedo illum cædit, dicitque ei: Cur auſus es venire contra iuſſa noſtra? cur non ſolùm celare ea herum tuum, ſed nec exequi voluiſti? Sed colli-ge te tandèm, & cum lachrymis confitere peccata tua, & bonis operibus nouum quendam baptiſmum tibi effice, qui priorem tuis ſacrilegijs perdidiſti. Si aliter feceris, & facinus tuum confeſſus non eris, certa te mors manet. Domino quoquè tuo, ſicutì petijt, nomina noſtra indicato hoc pacto: Fridericus, & eius frater Alfricus, & Ludgerus paſtor probus. His dictis, ea viſio diſparuit. At miſerum illum nullus cor-ripuit tantæ viſionis metus & horror, ſed permanente ſatana in eius pectore, indura-tum eſt cor eius: ducensque ea omnia, quæ audierat, pro nihilo, ebrietate obrutus, obdormiuit. Orto autem ſole, ædituo expoſuit viſionem & nomina ſanctorum: ſa-crilegium autem ſilentio preſſit, nec voluit confiteri. Tum verò ædituus ſecum admi-rans, dixit: Cauc, nè quid fortaſsis in ſanctos Dei admiſeris, vndè tibi ſempiternum immineat exitium. Si enim talis eſſet animus tuus, qualis eſt frons tua, equidem puto non fuiſſe iuſſuros illos, vt è templo exportares lectum tuum. Nec ſcio tamen, vtrùm vera ſint, quæ narras. Sed nè quis meo iuſſu perijſſe te dicat, effer lectum tuum, & præ foribus templi cubato, donèc è pontifice noſtro cognoſcam, quæ ſit eius hac in re voluntas & ſententia. Sed ille propedièm periturus id negligens, plus ſolito potauit, & media nocte in templum dormitum abijt. Quid autem ea nocte geſtum ſit, neſci-tur: ſed ſub auroram cùm nemo ad preces Matutinas pulſaret campanas, fratres oſti-olum ex cardinibus leuantes, cùm introò ingreſſi eum excitare vellent, inuenerunt miſerum iam ardentem, & lectum eius igne ſulphureo abſumptum: ſacellum autem lotio & ſtercore illius contaminatum. Id illi conſpicati, non dubitârunt ea cauſa fu-iſſe cælitùs inflammatum: conuocatisque omnibus eius loci habitatoribus, extra oppidum eum extulerunt ſepeliendum: cumque portaretur, è cadauere eius ignis inſtàr fulgetri procedebat, perſpicuè declarans, quàm immaniter in beatum Frideri-cum & eius ſucceſſores peccâſſet.

Poſt eum diem nemo in illo oratorio vel templo venerabili hactenùs cubare auſus fuit: ſed ſtrato ante fores lectulo, cuſtos dormiebat, benè obſeratis oſtijs. O felices illos, quibus beatus hic martyr cordi eſt. Felices illos, qui ſibi apud Deum talem pa-rant interceſſorem. Securus æternam expectat vitam, qui tantæ ſuauitati inhæret. Feliciter nauta obtinebit portum, qui hunc ſibi curauerit adhibere gubernatorem.

Diſce hinc num ſancti ignorẽt res noſtras.

Celat impi-us peccatũ ſuum.

Cap. 24.

Vide quàm ſit periculo-ſum celare peccata & vitam non emendare.

Ecce diuinã vltionem in hominẽ ſa-crilegũ & ſa-cra propha-nantem.

Cap. 25.

Sapiens

Sapiens viator eſt, qui eò fruitur ductore. Prudenter bona omnia exequetur, qui eius vult veſtigijs inſiſtere. Qui de facultatibus ſuis eum honorârit in terris, centuplum cum ſanctis in cælis recipiet. O Traiectenſis ciuitas, tu felicior & ſanctior multis: de tuis apud Dominum Ieſum ſemper lætare patronis. Pugnat aduersùs hoſtes tuos in-numerabilis cælorum exercitus. In quibus precioſus martyr & pontifex Fridericus, diuino accinctus gladio, nocte & die te non deſinit fortiter tueri: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & imperium ſempiternum, Amen.

Anno Chriſti 1362. 28. menſis Iulij, à Folkero Epiſcopo Gibeletenſi, Vicario in Pon-tificalibus Traiectenſis Epiſcopi, è ſarcophago beati Friderici caput extractum auro-que & argento incluſum eſt, ad gloriam & laudem omnipotentis Dei, & ipſius ſancti viri maiorem venerationem & honorem.

MARTYRVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS CHRISTI MAVRICII, ET SEPTVAGINTA *militum, qui erant etiam eius diſcipuli: ex Simeone Metaphraſte. Capitula ad marginem adiecimus.*

MARTYRVM memoria, eſt oſtenſio pietatis in Deum: & mentis, quæ tenetur amore ſapientiæ, cum Deo con-iunctio: materiæ commixtio cum rebus expertibus ma-teriæ: & pax impatibilitatis, quæ refrenat animi pertur-bationes. Quis enim venerandum & diuinum eorũ cer-tamen mentis intuens oculis, non erit remotus à carne & à mundo, conculcatam intelligens eorũ carnem pro-pter ſuam in Deum pietatem? Non enim caro his con-cupiſcit, neq; puluis terræ rebellat contra Dei imaginem. Sed ſapienter ducebatur id, quod eſt deterius, guberna-tum ab eo, quod eſt præſtantius, & habens mentem, quæ dimoueri non poterat à meta cæleſti. Tale certamen aliquandò proponitur ſeptua-ginta martyribus, quorum precioſum & Chriſti amantem ſanguinem, Apameenſium excipiens ciuitas, ſanctum & Deo gratum emiſit ſacrificium, pro precioſo vnguento, totum corpus Chriſti, nempe ſanctam eccleſiam, in eorum ſanguine inungens.

Cap. 1. Paſſi ſunt hi martyres mẽſe Iulio, ſed incertũ quo die.

Maximianus enim inprimìs impius & iniquus Imperator, quanlibet, quantunùs magnam, crudelitatem contendens ſuperare, ſtudebat vt omnes, qui ſubiecti erant eius imperio, offerrent execrandis & immundis ſimulacris: vt per eorum adoratio-nem & deorum, qui falsò nominantur, falſam religionem, ſuo imperio acquireret præſidium & magnificentiam. Cùm hoc ergò facere ſtatuiſſet, ipſe ſeipſum ad hoc ſedulum & induſtrium conſtituit miniſtrum. Non enim ſuſtinebat iubendo ſcribere ad locorum Præſides, vt Imperatores qui cum præceſſerant, vt idolorũ cultús curam gererent: ſed ipſe impigrè & diligenter obibat orbem terræ, effectus velox miniſter altarium dæmonum, ſperans infelix per ſuum aduentum ſe effecturum, vt qui defece-rant ab eius ſuperſtitione, & acceſſerant ad veritatis Chriſti cognitionem, transfuge-rent ad errorem ſuorum immundorum & execrandorum deorum. Tali ergò animo Romam relinquens Maximianus impius Tyrannus, & per Orientis partes iter faciẽs, peruenit Apameam, quæ eſt metropolis ſecundæ prouinciæ Syrorum. Quo in loco idolorum ſacerdores ad eum accedentes, accuſabant Chriſtianos, dicentes ei: O di-uiniſſime Imperator, cùm dij nobis dederint loquendi libertatem apud tuam pieta-tem, deferimus ad tuam inuictam potẽtiam, quòd vnuſquiſque eorum, qui ſunt apud nos, cum timore & deſiderio honorat maximos & patrios deos: maximè autem Io-uem patrem deorum, & Apollinem admirabilem, qui ſunt alijs dijs ſuperiores, & imperium tuæ poteſtatis valdè conſeruant & tuentur. Mauricius autem & qui ſunt eum eo ſeptuaginta milites tuæ potẽtiæ, in altum elati honoribus tuis & muneribus, & qui ditia & magnifica dona ex te perceperunt, deos habent contemptui, & aduer-ſùs magnum tuum & inuictum imperium exercent tyrannidem, abducti ab errore Chriſtianorum.

Cap. 2. Maximiani ſtudiũ erga cultum dæ-monum.

Accuſatur Mauricius & milites eius.

Cap. 3. Ardet Imperator mẽte magis q̃ fornax.

Hæc ergò cùm audiſſet tyrannicus Imperator Maximianus, animo valdè fuit iratus, & præcordijs incenſus, & mente magis arſit, quàm fornax: præcipuè cùm acceſſet, quòd in ſuo exercitu tales eſſent milites. Et cùm diem obſeruâſſet inſignem, & locum inueniſſet aptum ad populi ſpectaculum, in medio portarum ſeptentrionalium metropolis Apamenſium, quæ dicitur Vicinia Amaxica, & iuſſiſſet illic parari iudicium, iuſſit duci inclytos martyres. Cùm in alto autem tribunali impius ſediſſet tyrannus Maximianus, concurriſſet verò vniuerſa ciuitas & omnis ætas ad eos ſpectandos, adeò vt nec virgines quidem, quæ degunt in thalamis, remanſerint in ſuis habitaculis, duxerunt ſatellites ſeptuaginta Chriſti milites. Quos cùm adſpexiſſet Imperator, dixit eorum Duci: Nos ſperabamus, ô Maurici, quòd noſtris fruentes donis, & alimento educti imperatorio, primosque honores & dignitates à nobis conſecuti, inſiſteretis veſtigijs noſtræ tranquillitatis, & eos, qui conarentur reſilire à noſtra deo grata * legione, fortibus factis & omne genus doctrinis conuerteretis ad ſanitatem, quod ægrotaret curantes, & quod claudicat corrigentes, & quod bellum gereret pacificantes: & vt ſemèl dicam, quicquid ſe non ex noſtro haberet inſtituto, tanquàm inimicum & hoſtile ſubijcientes. Sed de vobis, vt videtur, contrarium accepimus. Non ſolùm enim non conuertiſtis eos, qui aduersùs noſtram rebellârunt religionem, ſed etiam ipſi aduersùs deos noſtros omnipotentes tyrannidem exercentes, & qui eis ſunt conſtituti honores & ſacrificia ac libamina abolentes, alijs fuiſtis duces ad barathum interitûs: ſi vera ſunt, quæ de vobis ad noſtras aures peruenerunt.

Cap. 4. Præclarum S. Mauricij ſponſum.

Dixit ſanctus Mauricius: Imperator, quæ à nobis exercetur tyrannis aduersùs deos, qui ſunt nullo ſenſu præditi, nobis validam acquirit victoriam à vero Deo, & coronam gloriæ. Non enim aſpernamur & nihilifacimus Deum, qui nos finxit, vt ſtulta eſt tua traditio: ſed glorificamus eum, qui eſt ſolus verus Deus, qui fecit cælum & terram & mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Improbos autem & immundos dæmones & qui hominibus afferunt exitium, quæ ſunt ſurda & cæca ſimulacra, & nullo ſenſu prædita, non conuenit deos vocare ô Imperator. Dixit Imperator Maximianus: Cùm honorem à dijs ſis conſecutus, & militiæ primum locum ſortitus ô Maurici, eis pulchram refers gratiam. Dixit ſanctus Mauricius: Nunquàm honorem accepi à dijs veſtris, neque volo eos honorare. Quis enim vnquàm ex hominibus, qui Dei habet cognitionem, ſuſtinuerit honorare materias nullo ſenſu præditas? Sed quibus non eſt
Pſal. 48. mens, quę rectis gubernatur rationibus, propterea quòd iumentis comparati ſint inſipientibus, & ſimiles facti ſint eis, ij lapides & ligna in deos referunt, mentemque eis tribuunt, & honorant tanquàm deos. Dixit Imperator Maximianus: Quoniam primas partes obtinuiſti in ordinibus noſtrę adminiſtrationis, ô Maurici, id tibi magnam præbuit confidentiam, & effecit audaciorem: adeò vt ſplendidè & citra vllam conturbationẽ reſpondeas noſtrę ſerenitati. iubetque, eo ſeparato, reliquos interrogari, & blandè eis dicit Imperator: Quis vobis tantam fecit iniuriam, ô fratres, vt deficeretis à dijs ſeruatoribus: accederetis autem errori hominum, qui adorant hominem Crucifixum tanquàm vnum homicidam? Non enim ſic vos erudijmus, neque in tali doctrina eduximus.

Cap. 5. Conſtans vox militũ ſeptuaginta

Tunc verè beati Theodorus & Philippus, tanquàm ex ore ſanctorum ſeptuaginta martyrum, dixerunt Imperatori: Nos, ô Tyranne Imperator Maximiane, tantum abſumus ab errore, vt te quoquè optemus liberari ab errore, à quo nos quoquè fuimus
1. Cor. 1. liberati, vnum & ſolum adorantes verum Deum, patrem omnipotentem, & vnigenitum eius filium Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia: & ſanctiſſimum eius ſpiritum, qui nobis inſpirauit cognitionem & intelligẽtiam, vt confitearis quidem Trinitatem, quæ eſt eiuſdem eſſentiæ: abomineris autem immundam tuam religionem: & hanc quidem abijcias, quæ eſt ad tempus, militiam: Deo verò milites, qui eſt Rex exercituum. Dixit Maximianus Imperator: Video ô Philippe te ſenectutem quidem habere reuerendam: intelligentia autem multùm cedere iuuenibus. Confuge ergò ad deos, & ſis bonus conſiliarius reliquis tuis militibus de dijs adorandis, vt maiora dona & honores à nobis conſequaris. Dixit ſanctus Philippus: Notum tibi ſit, ô Imperator, me non futurum malum conſiliarium ijs, qui
Matth. 18. ſua ſponte deducti ſunt ad timorem veri Dei. Scriptum eſt enim: Væ ei, per quem malum venit. Dixit Imperator Maximianus: Lenitas noſtræ patientiæ te audaciorem effecit, ô Philippe. Nolite ergò in his inſiſtere, nè iuſtas pœnas in vos iritetis, & cuadatis

euadatis exemplum noſtræ indignationis, audentes nominare hominem, qui à vobis eſt relatus in deos. Reſpondentes verò ſancti ſeptuaginta Martyres, dixerunt tyranno Imperatori: Vanæ & inanes minæ, ô Imperator, tuæ abominationis, virtutem nobis ex alto largiuntur. Non enim ingreditur aut inhabitat metus tormentorum in bona mente & ſtabili eorum, qui diligunt Dominum. Conſtantia ſanctorum martyrum.

Cap. 6. Habitu militari & zonis priuantur.

Tunc Maximianus Imperator valdè iratus, iuſſit auferri à ſanctis ſeptuaginta militibus habitũ militiæ, & eis abſcindi zonas, & deindè ſic eos ad ipſum adduci cum magna ignominia. Cumque hæc magna celeritate effeciſſent ſatellites, dixit eis Tyrannus: Videte, à quali gloria & honore excidiſtis, & quale vobis obtigerit dedecus & contemptio propter veſtram inobedientiam. Sancti dixerunt Tyranno: Etiamſi tu, vt exiſtimas, nos exuiſti habitu militiæ, & abſcidiſti zonas noſtras, eſt Deus noſter in cælis, quẽ colimus, qui nos induit veſtibus & zonis incorruptæ & æternæ eius gloriæ, quam ipſe non es dignus videre aut audire propter ſatanam patrem tuum, qui in te loquitur & operatur. Tunc valdè iratus Tyrannus, dixit Sanctis: O execrandi & indigni deorum beneuolentia, vos veſtram ignominiã vobis conciliâſtis. A nobis enim honore affecti, maximos deos affeciſtis contumelia, & noſtram contempſiſtis amicitiam. Decæterò accipite conuenienter veſtris factis. Reſpondentes autem ſancti, dixerunt Tyranno: Imperator, hæc militia tua, vt quæ nihil ſit, præterit: & qui adeſt honor, eſt tibi dedecus: quoniam oblitus es Dei, qui hanc tibi dedit poteſtatem. Vana verò & inanima ſimulacra, quæ te nihil iuuant, quòd ea non cognoſcant eum, qui ipſa honore afficit aut cõtumelia, in deos ſtolidè, vt qui planè ſenſu careas, refers. Dixit Tyrannus: Propter noſtri imperij clementiam vobis parcens, & volens vitam vobis eſſe ſaluam, adhuc vos patior. iuſſitque eos tres dies includi in carcere, vt caperent conſilium, quod eis expediret. Chriſtiana planè vox. Carceri mãcipantur

Cap. 7. Cùm autem ſatellites implêſſent iuſſum Imperatoris, & eos in cuſtodia incluſiſſent cum collaribus, Sancti dixerunt inter ſe: Fratres chariſſimi, paremus omnes noſtras animas ad orationem, & intensè oremus benignum & clementem Deum noſtrum, vt det nobis ſapientiã & cognitionem per ſanctum Spiritum, & injiciat in os noſtrum, quid reſpondeamus Imperatori: vt admiretur ipſe quoquè Tyrannus veritatem noſtræ fidei. & ſe ad precandum conferentes ſancti ſeptuaginta Chriſti Martyres dixerunt tanquàm ex vno ore & vna anima: Domine Ieſu Chriſte, Deus omnipotens, cuius poteſtas æterna, & regnum non interibit, mitte ad nos ſanctiſſimum tuum Spiritum, & nos per eum érudi, vt in ipſo exultemus & lætemur, & vincamus erroris nequitias, & extollamur in vera tua fide per ſanctum Spiritum, qui loquitur in nobis,
Matth. 10. conuenienter tuæ veræ & à mendacio alienæ promiſſioni, & pro à nobis ablata mundana dignitate, efficiamur milites in ſancta tua ciuitate, & adſcribamur in numerum ciuium cum omnibus tuis ſanctis, qui tibi à ſeculo rectè in fide placuerunt. Quoniam tu es ſolus Deus, & te decet gloria & potentia in ſecula, Amen. Orant Deũ pro auxilio.

Cap. 8. Completis autem tribus diebus, præſidens rursùs Maximianus, in eundem locum portæ Amaziceæ rursùs concurrente vniuerſa ciuitate, accerſijt ſanctos. Sancti verò martyres acceſſerunt tracti à miniſtris, & ſteterunt ante impium. Iniquus autem Imperator minas temperans clementia, dixit eis: O viri, diſcite tandèm quid vobis expediat: & accedentes, dijs ſacrificate, & vitam accipite, & non mortem acerbam. Dixerunt ſancti martyres: De hoc bonum conſilium cepimus ô Imperator. Audi attentè, & nè nos ampliùs cogas, aut vim nobis vllam afferas. ſtatuimus enim odio habere hanc vitam, quæ eſt ad tempus: diligere verò mortem propoſitam, propter Chriſti deſiderium. Per ipſum enim vitam æternam ſperamus lucrifacere. Decæterò ergò fac breuiter in nos, quod vis. Nos enim non negamus Deum noſtrum, neque dæmones tuos vnquàm adorabimus. Nam in condemnatione huius mortis, quæ eſt ad tempus, liberamur ab æterna condemnatione. Hæc cùm dixiſſent ſancti Martyres, videns Tyrannus in medio eorum adoleſcentem, dixit ei: Dic adoleſcens, quod eſt tibi nomen, & cuias es genere? Dixit adoleſcens: Nominor quidem Photínus, à vera luce accepto nomine. Sum autem miles Chriſti, qui pudore affecit patrem tuum ſatanam. Et ſum genere quidem Romanus: filius verò & carnalis & ſpiritalis Mauricij clariſſimi. Ex eo enim ortus, & ab eo accepta Dei cognitione, in Chriſti fide ſum educatus. Quem tu negans ô Imperator, comparatus es iumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis. Photíni adoleſcẽtis fortitudo.

Dixit Tyrannus: Stultus es adoleſcens, & ſunt tua verba ætate digna. At iam diſce, Cap 9.

quod est tibi conducibile: & accedens, sacrifica maximo Ioui, & parce tuæ iuuentuti. Dixit adolescens: Propterea quòd non facio, quod vis, neque sacrifico simulacris, dicis me stultum esse. Nam quòd attinet quidem ad fidem Domini mei Iesu Christi, valdè sapio. Tunc dixit Tyrannus rursùs Sanctis: Quousquè importunitatē vestram sustinemus ô miseri, & tormēta differimus ex benignitate incomparabili? Sacrificate ergò dijs, nè in vos armetis iustitiam. Dixerunt sancti Martyres Tyranno: Sceleste & administer immundorum dæmonum, Si quid ingenij habeas aut scientiæ, didicisti à Photino nostram fidem & vires nostras. Si enim ille, cùm sit ætate iuuenis, pudore affecit impiam tuam mentem & nullo sensu præditam per synceram suam fidem, & Christi cognitionem: quanto magis nos contendemus tormenta omnia sustinere, vt pudore afficiamus patrem tuum diabolum, & placeamus Christo nostro & Deo?

Cæduntur crudis boū neruis martyres.

Tunc iratus Tyrannus, iussit sanctos verberari crudis boum neruis: & cœperunt ministri eos cædere, donèc carnes eorum discerpserunt: & cùm valdè emanaret eorum sanguis, Sancti sursùm adspicientes in cælum, clamabant Christo supplicantes, vt eis vires adderet, & leuaret eorum labores. Qui cùm audijsset intensam eorum precationem, ad eos accessit potestate, quæ non cadit sub adspectum, & alleuauit labores tormentorum, & confirmauit corda eorum in charitate in ipsum.

Cap. 10.

Cùm defessi autem essent tortores, Tyrannus dixit Sanctis: Cognouistis ô audaces homines & temerarij, quàm sit mihi facile vitam vestram perdere? Decęterò ergò dijs sacrificate, nè acerbiora tormenta sentiatis. Sancti verò respondentes, dixerunt Tyranno Imperatori: Hoc cognosce ô impie & aliene à vero Deo nostro, quòd quomodò tu Christi charitatem non sentis & eius splendorem, propter tenebras quę

Non sentiunt tormēta.

mentem tuam operiunt ex errore dæmonum: ità neque nos tormenta tua sentimus, propterea quòd mens nostra sit illuminata à fide & charitate Christi Dei nostri. Excogita ergò, ô Tyranne & insane canis, alias in nos nouas machinas tormentorum. Sitit enim mens nostra, & desiderat, quæ est ex Christo, charitas, per tuam in nos sententiam, contemplari Deum viuum & regnantem in secula. Hæc cùm audijsset Tyrannus & valdè fuisset iratus, iubet accendi rogum maximum, & in eum iaci sanctos martyres. Cùm implēssent verò satellites acerbum & inhumanum eius iussum,

Sponte eunt in ignem.

sancti sua sponte accesserunt ad rogum, se inuicèm adhortantes, vt ad ignem tanquàm ad aquam accederent: neque vllam ducentes rationem carbonum exustionis, magno & constanti spiritu dixerunt Tyranno: Nos, ô Imperator, considerantes cæcitatem tuam & sensūs egestatem, lapidei tui cordis miseremur, quòd fueris minister erroris improborum & immundorum dæmonum, non valens respicere, aut cognoscere Deum cæli & terræ, qui tantam nobis fortitudinem dedit & tolerantiam. Quis enim absque diuina refrigeratione, aduersùs omnia exedentem flammam decertauerit? Qui autem spiritu feruent & Deum induerunt, ignis consumens illos, qui sicut tu sunt impij, nequaquàm pios lædere poterit. Flammæ enim non est à natura ingeneratum, vt consumatur à flamma, quæ est ad tempus, & in quam cadit interitus. Quamobrèm frustrà laboras, ô stolide Tyranne, qui nos, qui Christi conflagramus charitate, igne contendis consumere. Nos enim ignis candefecit, sicut candefit argentum.

Ignis eos non læsit, sed probauit.

Cap. 11.

Cùm omnes autem, qui audiebant, propter hæc verba admirarentur, Tyrannus, qui ab initio erat vas interitūs, perseuerauit velle sanctos perdere, & neque persuasus fuit verbis glorioſorum martyrum, neque rebus ipsis fuit obstupefactus. Quamobrèm iubet eis rursùs palis affixis, ferreis vnguibus latera fortiter cædi. Cùm ergò sancti & generosi martyres hoc quoquè certamen strenuè decertarent, & omnes admirarentur Imperatoris amentiam & furorem, præclarus martyr Mauricius dixit Tyranno: Non sentis tuam imbecillitatem & miseriam, ô immunde & profane Tyranne, quòd Photinus paruus hic adolescens tui imperij fregerit audaciam? Talia enim & tam multa subijsse tormenta, est tui crudelissimi imperij confractio. Quomodò ergò vniuersam nostram phalangem frangere poteris, qui à tantillo adolescente fueris superatus? Propter hæc verba ira percitus sceleratus Maximianus, & ardentibus eum intuens oculis, & stridens in eum dentibus, & volens sanctum & beatum Christi martyrem Mauricium acerbè vlcisci, iubet spiculatori, vt ante oculos patris filium conficiat & occidat. Eo itaque præsente, & filium adspiciente, eius caput abscidit spiculator.

Ferreis vnguibus eorū latera cæduntur.

Photinus decollatur.

Cap. 12.

Cùm ergò hoc modo beatissimi Photini caput venerandum fuisset amputatum, isque

isq; pulchrè & gloriosè migrâsset ad Dominum, dixit præclarus Mauricius: Nostrum desiderium impleuisti, ô Tyranne, & decæterò firmum & stabilem habemus cursum cælestem. Quis enim ex nostra multitudine sustinebit superari à Photino Christi milite, qui migrauit in cælum, & pudore affecit patrem tuum diabolum? Ad hæc maiori studio & contentione tormētorum in nos excogita cruciatus, & nihil à te prætermittatur eorum, quæ probāt, an firmam & immobilem fidem Christo seruemus. Quandò autem vidit Maximianus sanctos Christi martyres prompto & alacri animo perpetientes, & rectam suam fidem non deserentes, conuocato suo belluino & inhumano Senatu, cum eis cōsultabat, quēadmodùm sanctos martyres morte afficeret acerbissima, per quos terrorem afferret Christianis, qui erāt in toto orbe terrarum, & efficeret, vt deficerent à sancta & nulli affini reprehensioni religione Christianorum. Tunc cùm ipsi multa consultâssent, & alius alia dixissent: quidam ex ijs, qui in senatum conuenerant, qui erat radix acerbitatis, & fructus nequitiæ, & cuiusuis alterius mali-

Consilium iniquissimū filij diaboli

tiæ & iniustitiæ arbor feracissima, consuluit Tyranno, dicens: Imperator, hic mensis est tempus maximi æstūs: (erat enim tunc mensis Iulius) situs est verò extra ciuitatem versùs occidentem inter duos, qui propter eam siti sunt, fluuios & lacum, locus positura quidem planus, fœno autem plenus & infinita alia materia: quem, qui in eo loco habitant, vocant Rogam, propterea quòd sit vesparum ac crabronum acerbum habitaculum, quos meridie ne facilè quidem potest aliquis transire sine periculo. Iube ergò eorum corpora vngi melle, & in eo alligabuntur animalcula, vt in hoc cruciatu sentiant interitum grauiorem tormentis omnibus, quæ præcesserunt, & cognoscant, non esse maledictis incessendos inuictos nostros & æternos deos.

Cap 13.

Hæc ergò cùm dixisset pessimus & sceleratissimus ille senator, eius consilium placuit Imperatori & vniuerso Senatui, & iubet Imperator eos tradi huic supplicio.

Immanissimæ crudelitatis supplicio subditur Sancti.

Cùm itaq; meridiem obseruâssent ministri iniquitatis, & tempus quietum, in quo, flatu ventorum carentia animalia, corporibus, quæ incidunt, grauem & molestam efficiunt perforationem, catenis vinctos deduxerunt sanctos in priùs dictum locum: & cùm obijssent & elegissent locum humidum, situm prope fontem perēnem & limosum, ex quo enasci solent limosæ lacunę & voragines, vbi etiam solet degere multitudo eiusmodi animalculorum, melle quidem vngunt sanctorum veneranda corpora: lignis autem eos vehementer alligant in eo loco, iacientes etiam venerandum corpus inclyti martyris Photini ante faciem patris sui benedicti Mauricij, reputātes se ex eo ei maius allaturos supplicium. Hæc ergò cùm fecissent, quamprimùm recesserunt, vtqui venenatorum animalculorum minimè ferrent impetum. Cùm itaq; sancti de-

Vide diuturnum cruciatum.

cem dies & noctes hoc intolerabile & acerbū pertulissent supplicium, sublatis ad Deum oculis, Dominum precati sunt, dicentes: Domine Deus noster, qui nos creâsti ad imaginem & similitudinem tuam, & deduxisti nos ad agnitionem tuæ veritatis & diuinitatis, & vnigeniti tui filij, & sanctissimi & viuifici spiritūs, apud te nostras animas deponimus, & rogamus vt eas colloces cum omnibus sanctis, qui tibi placuerūt à seculo. Quoniā te dileximus, & te desiderauimus ex toto animo nostro, & pro te nosipsos ad mortem tradidimus. Tu es enim Deus solus benignus & clemens, & te decet gloria in secula, Amen. Hęc cùm dixissent, Deo tradiderunt beatas & diuinas animas,

Felicissimè decedunt.

& sic dignati fuerunt coronis decertationis.

Cap. 14.

Sceleratus autem & tyrannicus Imperator Maximianus, etiam post mortem ira

Sancti quāmuis vita excesserint, Deo viuūt.

scens semper viuentibus martyribus, (Deo enim viuunt, qui ex Deo emigrârunt, etiamsi hinc excesserint) cùm audiuisset eos emisisse animas, iubet abscindi venerāda & sancta eorum capita, & iaci in eundem locum. Pessimi verò ministri scelerati Imperatoris, cùm è ligno deposuissent venerandas & glorioſas eorū reliquias, non veriti sunt amputare colenda eorum capita. Cùm ea autem abscidissent, vbiq; per illam sylua proiecerūt ac dissipârunt. Quidam verò fratres fideles, noctù cum magno timore accedentes, collegerunt veneranda eorum capita & sanctissima & honoranda eorum corpora, & cum eo, quo par est, honore, & multo ac suaui odore, diuinaque psalmodia, & intensis precibus, in terra fodientes, deposuerunt ipsa in eo loco, vbi decertauerunt præclari & fortes Christi milites. In quo etiam appárent tanquàm luminaria in mundo. Quorum nos quoquè omnes dignemur esse celebris cōuentūs participes & gratiæ, vno animo & consensu fruētes, quæ ab eis proficiscitur, curatione: In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potentia, cū patre & sancto spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

DE SS. IVSTA ET RVFFINA, AVTHORE IO. HANNE MALDONATO. CONSENTIVNT MS. *codices, & antiquissima Martyrologia.*

19. Iulij.

IVSTA & Ruffina vitam agebãt Hispali pudicè ac sanctè, mercimonio fictilium vasculorum victum quæritantes, pauperum mendicitatem sua illa tenuitate iuuãtes, *succedentia tempora diuinis laudibus impendentes, cùm hostis ille humani generis truculentus ac ferus medius interuenit, honestumq; viuẽdi modũ perturbauit ac sustulit. Quædam siquidem matronæ Salambonem (sic Venerem Babylonij vocant) circunferentes, vas in eius sacrorum vsum à sanctis fœminis postulârunt. Illę facere se nolle dixerunt, causantes, Deum Christianos, non lapides, venerari. Pessimę tũ fœminę, dimisso simulacro, vasa pleraq; confregerũt. Quarè Iusta & Ruffina, integerrimę quidẽ matres familiâs, factũ pessimũ improbantes idolũ confregerũt, ac omninò deformârunt, mediã in viã prouoluẽtes. Quod adeò plebem cõcitauit, vt cõprehensæ mox traherentur ad præsidem Diogenianum. Qui Christianas esse cognoscẽs, eculeo extendi, ferreisq; vngulis laniari præcipit: pòst tetro carceri mancipatas, nouis exquisitisq; modis cruciari. Productæ tandèm ad præsidem, dijs supplicare litareque iubentur. Illæ Christo eum honorem deberi contendunt. Cumque per cautes & montium prærupta post Iudicem nudis pedibus ductæ, non mouerentur, Iusta tandèm in carcere vitam dedit. Corpus in puteum missum, à Sabino est Episcopo sublatum, sepulturaque traditum. Ruffinæ, pleno Deum ore fatenti, gula est fracta, corpusque combustum: sed à Sabino ossa collecta, cum Iustæ reliquijs Hispali sepulta sunt.

*for. succisiua

Salambonẽ Babylonij Venerem dicunt.

SS. Iusta & Ruffina diré cruciantur.

Iusta in carcere obit.

Ruffina iugulatur.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI ARSENII, EX SIMEONE METAPHRASTE. CAPITVM NVMERVM *ad marginem adiecimus.*

19. Iulij. Cap. 1.

NON solùm res gestæ virorum bonorum & virtute præditorum prosunt ijs, qui tenentur studio boni & honesti. Nam eorum quoquè sermo ad suadendum & admonendum accommodatus, magnã ijs animæ affert vtilitatem: vt qui immittat velutì quendam virtutis stimulum, ad eius studium paulatìm prouocans & incitans, quomodò clarè se habere ostenduntur res diuini patris Arsenij. Non solùm enim eius vita laboriosissima & studiosissima, si vel nudè tantùm sic memoretur, iuuat eos, qui virtutem concupiscunt: sed etiam sermo, quem ille habuit, adhibito studio, perindè àc aliquid memoriæ mandandum, aut egregium dictum, potest reuerà multùm conducere ijs, qui sunt attentiores. Dicantur ergò res illius, & scriptis rectè mandentur: & quæcunque priùs ad exercendum conscripti, & paterni libri sparsìm posita habebant, ea nunc simul collecta, & velutì partes ac membra coniuncta ac compacta, & in vnum corpus conformata, piorum credantur auribus. Res enim eius valdè decantantur, & sunt celebratæ ab omnibus: pulchrisque ac præclaris eius rebus non solus est plenus insignis ille mons Scetes, vbì ille illustria peregit certamina: sed etiam vetus Roma, ex qua scilicet dicitur esse ortus, & etiam hæc ciuitatum regina Roma noua, in qua ille priusquàm vitam subiret monasticam, non obscuros nec euanidos, sed vel sole clariores, quãdiù in hac vita mundana versabatur, virtutis effudit radios: qui non solùm resplendebant, sed ijs etiam, qui erant ad virtutem frigidiores, calorem immittebant, & ad eam parandam incitabant.

Res gestæ præclarorũ virorũ quãtum afferat vtilitatis legentibus.

Arsenius & Romæ & Cõstantinopoli celebris.

Cap. 2. Admirabilis ergò hic Arsenius, qui, vt fert eius nomen, nihil muliebre, nec ignauum & abiectum attulit ad labores virtutis, sed omninò maximè masculus, in primisque

misque generosus & strenuus in his apparuit, patriam quidem habuit Romam veterem, vt iam antè diximus: Græcæ autem fuit disciplinæ particeps non mediocriter, nec tanquàm aliud agendo leuiter, nec ità vt solùm gustârit, & vsque ad eius vestibulum peruenerit, sed etiam interiùs processerit, & intrà ipsa adyta penetrauerit, præclarisque & splendidis rebus illius fuerit exatiatus. Vt qui non vnam solam artem obierit & scientiam, & ad eam vsque solam suum stiterit impetum: sed per omnes ingressus, vsque ad summum peruenerit animi magnitudine & ingenij celeritate, & nihil sibi deesse studuerit. Sed neque eô, quòd doctrinæ & eloquentiæ operam daret in iuuentute, ideò exercendæ virtutis nullam curam habuit. Atq; hoc quidem decantant & veteres sermones: testatur autẽ & vita, quæ est posteà consecuta. Nam domûs quoquè fundamentum non est admodùm ad sciendum difficile, nec est arduum ijs, qui fecêre periculum, ex ædificio & tecto id cognoscere. Omninò enim principia & iacta vitæ fundamenta, talis quoquè finis consequitur. Si quid autem præter hæc factum fuerit in nonnullis, id omninò rarò fit, & præter consuetudinem. Nec plantæ quoquè poterunt cognosci non difficiliter, quæ fructum sunt laturæ. Ille autem cùm Græcam postremò doctrinam contempsisset, & nihilifecisset, diuinitùs inspiratæ scripturæ totum se dedicat, & ei vni nauat operam: vt qui præter vitam puram & generosam, voluerit quoq; doctrinam habere generosam, similemque apertissimè obtineret splendorem, & ex vitę institutione, & ex eruditione. Propter hæc ergò eum quoquè diaconum ordinat Romana Ecclesia. Idq; facit illa, non magìs seruans ordinem graduum, quàm honorem prębens dignum virtuti. Ipse verò apertè ostendit, se pręstitisse vitam dignam sacerdotio. Atque erat quidem apertè hic Arsenius insignis in sacrato ordine: quem non minùs vita sua ornabat, quàm ipse ab eo ornabatur: & verè ostendebat se esse dignum vnguenti receptaculum.

Totum se dat sacræ lectioni.

Ordinatur Diaconus.

Cap. 3. Postquàm autem Theodosius primus, qui nõ tempore, inquam, & ordine, sed moribus primas partes obtinuerat, post Valentẽ illum impiũ, vir maximè pius ascendit ad sedẽ imperij: is reliquę suæ vitę consequẽter se gerens, & in hoc quoq; sibi similis, de suis liberis multùm fuit solicitus, vt nec cernerentur insolentes & immoderati, & non doctrina culti & disciplinis liberalibus, iuuentute & regia indole multùm ad hoc conferente. Quærebat ergò curatorem, præceprorem & magistrum, cui hos in manus traderet. Volebatque eum non solùm vita præclarum iure proposita ad imitandum, sed etiam qui ad summum doctrinæ peruenisset, non solùm externæ, verùm etiam nostræ, & huius potiùs, quàm illius, & ad informandas & effingendas iuuenũ animas maximè idoneum, ad moresq; rectè componendos ac moderandos, & ad se extollendi deijciendique modum imponendum, & ad contemperandam magnificentiam cum moderatione animi affectionum. Sic quærens & pulsans non est fraudatus suo desiderio: sed inuénit eũ, qui erat in omnibus optimus & probatissimus. Is autem fuit, qui erat in omnibus egregius, Arsenius. Quomodò verò inuénit? Ardẽs & vehemens rei amor persuadet Imperatori, vt scribat etiam ad Gratianum, qui tunc veteris Romæ tenebat dominatum, & vt ei virum mandet inquirẽdum. Is verò Ecclesiæ Romanę Præsuli (Papam cum solent vocare) eum committit inquirendum. Is autẽ cùm (vt est in prouerbio) omnem mouisset lapidem, inuénit eum, qui omninò nolebat inueniri, mundo autem & mundi splendori fastuiq; vale dixerat: tenuiter autem & minimè curiosè sub Deo viuebat cum vna sorore, & ei soli suam vitam permiserat. Docet ergò Papa de eo Gratianum, & de eo significat, cùm ipse res illius pulchrè antè didicisset, & quòd is talis esset, qualem cùm diuinus vidisset Theodosius, & examinâsset accuratissimè, laudaret qui eũ misissent, & de suis liberis cessaret esse solicitus. Cæterùm ipse quoq; cùm eum vidisset & conuenisset Gratianus, & eam quam par est, fecisset coniecturam, assensus est ijs, quæ de ipso dicebantur.

Quales magistri & præceptores sint quærendi ad instituẽdam iuuentutem.

Cum sola sorore viuit Deo & sibi.

Postquàm ergò hæc ille audiuisset, accersit statìm diuinum Arsenium. Cumque vidisset vultum modestum, & virtutis in ipso cognouisset apparére vestigia, pudicosque & stabiles oculos, & quos sæpè in terram solebat defigere, totumq; viri habitum admodùm honestum, & qui à vita philosophica nihil omninò discrepabat: Deindè cùm etiam verba audijsset, quę non inconsideratè profundebantur, neque multiplicabantur ad ostentationem, sed quę potiùs optimè superabant silentium: vt quæ progrediendi quidem solam causam haberent interrogationem, & tamẽ sic quoq; parcè proferebantur, & deindè rursùs facilè cedebant silentio. Hæc, inquã, cùm audijsset & vidisset Gratianus, valdè est lętatus, & tacere minimè sustinuit: sed diuino protinùs Arsenio,

Cap. 4.

Valdè placent eius mores Gratiano Imperatori.

senio, Sicut audiuimus, inquit, & vidimus: nihil discrepat à tua fama, neq; omninò est dissimile, nec quod ea sit minus: immò verò quæ audiuntur, cedunt ijs, quæ cernũtur oculis. Restat ergò, vt quod magnus desiderat Imperator, ad finẽ perducatur, & tu ad ipsum venias, & tuæ fidei eius credantur liberi, & tu sis eis vitæ exemplar, sisque egregius præceptor, non verbis solùm, sed rebus magìs docens. Hæc dixit Gratianus, cum vnà quoq; cum eo esset Papa, & suffragaretur ijs, quæ dicebantur. Renuebat autẽ magnus Arsenius propter insignem humilitatem, dicens, eos in ipso eligendo errâsse iudicio, nec se esse talem; qualem vult Imperator. Et alioquì, inquit, est longũ tempus, ex quo Græcas contempsi disciplinas. Ex quo enim sum in Ecclesiasticum relatus catalogum, & promotus sum in Diaconũ, renunciaui illis omnibus, meq; eorum omnium apertè subijt obliuio: adeò vt eriã si maximè velim, sit mihi difficile suscipere docendi prouinciam: nec ea est rectè successura. Cùm hæc ab admirabili dicerẽtur Arsenio, illi nõ ignorantes causam cur renuceret, nempe modestiam, & quietis amorem minimè tolerabilem, persuadent ei vel nolenti viam ingredi, propemodùm cogẽtes, non tamen priùs, quàm (vt erat honestum) res fororis ordinâsset, virginibusq; & quæ vitam pudicè & honestè agebant, traderet virginem.

Eius insignis humilitas.

Cap. 5. Venit Constantinopolim ad Theodos. Imp.

Postquàm autem ad hanc vrbem regiam ille procedens peruẽnit, & hoc resciuit Imperator: cumq; literas, quæ Romæ datæ fuerãt, priùs quæsijsset & legisset, quarum ipse Arsenius vnum erat argumentum, & longę laudes Arsenij: deindè etiam cum accersijsset, eiusq; vultum vidisset & habitum, & verba audijsset, nõ secùs quàm Gratianus, deprehensus est & ipse affici, ea scilicet, quæ cernebantur, eorum quæ scripta fuerant, ducens esse signaculum. Atq; primùm quidem Deo egit gratias, qui eius voluntatem noluerit esse irritam: sed effecerit vt id quod volebat, consequeretur. Deindè

Theodosius ei suos liberos tradit erudiẽdos.

cùm suos adduxisset liberos, commendat Arsenio, ipse ei dicens: Post hæc eris potiùs pater eorum, quàm ego: quandò benè esse, est magìs proprium & magìs paternum, quàm esse solummodò. Eos magni tui ingenij committo excellentiæ, Deum inspectorem & testem simul adducens, vt ij mihi tales per te euadant, quales ego volo & opto: sintq; ipsi expressissima imago tuorum certaminum, & sermonum, & morum: & patris spiritalis euidentes conseruent characteres, nulla, ô Domine Deus, eos iuuenili corrumpente cupiditate, aut offundente tenebras. Ità tibi tua prosit in Deũ spes, mihi amicissime Arseni: da, vt gaudeam inculpata eorum educatione, & Deo agam gratias. Cæterùm hoc quoquè tuo animo insideat, nec hoc præceptũ negligas: propterea enim hæc tibi mando his præsentibus. Nolo tuam virtutem attendere Imperatoriam eorum dignitatem, aut tanquàm filios meos respicientem, eis metum non incutere. Volo enim eos esse tanquàm filios tuos & discipulos, & tibi esse subiectos, & morem gerere, tanquàm patri germano & magistro. Quòd si quid præter hæc fecerint, (quod absit) ipsi se insimulabunt, vt qui sint à nobis passuri, quæ cordi sibi non

Esa. 3.

erunt: & fructus operum suorum, vt diuinus Esaias dicit, ipsi comedent. Sic dixit, & scholæ literariæ domum iubet esse propè suum cubiculum: vt sic eos frequentiùs conueniens, socordiam, quæ iuuenes sequi solet, repelleret, nihilque non videret &

Magnos honores accipit ab Imperatore.

audiret ex ijs, quæ ab ipsis rectè aut secùs fierent. Arsenium autem maximo apud se dignatus est honore & familiaritate. Primùm enim eum esse decreuit ex ordine senatorio, & patrem non solùm filiorum suorum, sed suum quoq; esse & nominari. Quod quidem factum apud eos, qui rectè iudicant & sentiunt, maiori afficiebat honore Theodosium, quàm Arsenium.

Cap. 6.

Diuinus itaque Arsenius, acceptis filijs Imperatoris, qui vocabantur Archadius & Honorius, de eis summè erat solicitus, & maximam eorum curam gerebat. Aliquandò quidem eos excipiens magnificis Græcæ doctrinæ epulis: aliquãdò autem, & multò magìs etiam scripturarum, quæ cum delectatione habent etiam vtilitatem, lautis implens ferculis: nonnunquàm autem etiam suæ linguæ, tanquàm hymettio aliquo melle, suauibus impertiens admonitionibus. Quorum omnium plura & copiosiora ea fuerunt, quę erant pro ipsorum patre & Imperatore, eos dèducentia ad veram beneuolentiam, & acriorem, quàm sit seruorum. Suggerebat etiam in subiectos curam & benignitatem, docens beneuolentiam esse in imperio firmiorem & stabiliorem, quàm metũ. Adhæc suadebat, nè sibi magnoperè placerẽt de diademate, nec de purpura: sed magìs esse proprium ducerent ornamentum, disciplinam & virtutem. Illa enim sæpè malorũ & sceleratorũ fuerũt Imperatorũ, & quod est deterius, nec quandiù quidem vixerunt, ijs manserunt, qui se de ijs iactabant, & se magnificè circunspiciebant.

ciebant. Hæc autem sunt tantùm bonorum: nec solùm sunt cum eis toto vitę tempore, sed etiam quę extingui non possit, conseruant eorũ memoriam, & quæ simul cum toto seculo extenditur. Et talia quidem erant monita, quæ diuinus Arsenius dabat filijs Imperatoris. Sed non adolescentibus vtebatur, vt discipulis, neq; cum eis stãtibus sedens ipse loquebatur, vt iusserat Imperator: sed contrà, simul & Imperatoriam obseruans authoritatem, & quæ sibi erat amica, conseruans moderationem.

Stans docet filios Imperatoris.

Verùm cùm Imperator præter spem in scholam accessisset, & sic vidisset quidem pueros in sedibus considere: illum autem stare, & cum eis differere, id non leuiter tulit, & verbis grauioribus animum tetigit Arsenij, ei obijciendo & quod priùs dederat mandatum, & exprobrãdo, quòd id minimè seruâsset. Is autem illi dixit cum qua par fuit reuerentia: Ô Imperator, rebus rectè vti oportet, & cum recta distinctione eis ea, quæ conuenit, tribuere, nempe adolescẽtiæ quidem doctrinam & admonitionẽ, Imperio autem honorem. His verò magis irritatus Imperator: Quis autem, inquit, eos elegit Imperatores? nunquìd tu, qui etiam consequenter eis honorem tribuis? Quæ cùm dixisset, ab eis quoq; abstulit insignia Imperij: & diuinum quidem Arsenium vel inuitum in throno collocauit: illos aũt sic nudatos adduxit in eius conspectum. Deindè etiam illud præclarum & Imperatore dignum est elocutus: Si se quidem ità instituerint, vt sint digni Imperio, hoc est, perfecti in doctrina, legibus, & Dei voluntate, poterit illis Deus tradere Imperium compositum & constitutum ad vtilitatẽ eorum, quibus imperabunt. Sin minùs, melius est eos sic viuere, quàm imperare stultè & periculosè. His auditis, admiratus quidem est diuinus Arsenius piam mentem Imperatoris, & eum existimauit beatum inter Imperatores: Ipse autem curam gessit puerorum, vt iussit Imperator, eis potiùs vtens, vt decebat rectorem, quàm vt Rhetorẽ: adeò vt ille quidem sederet honorificè, & sic doctrinam traderet: ipsi verò adstantes audirent, quæ dicebantur. Verumenimuerò cùm in has curas incidisset Arsenius, ægrè ferebat, vt qui esset ab ocio remotus, & esset huiusmodi, vt curas summo haberet odio, & alioquì à tumultu & strepitu esset alieniissimus. Quinetiã cathedra & ipse thronus, gloriaq; splendor & dignitas, grauiter conturbabant Arsenium, vt quæ ab ipso iam abiurata fuerant, & quæ ab instituto suo & amore, quẽ iandiù parturiebat, admodùm discreparent. Vitam enim monasticam, & à gloriæ fastu alieniorem amabat vitam. Propterea ergò & precibus vsus est ad Deum vehementissimis, vt præberet causam & honestam occasionem se relaxandi à vinculis præsentibus. Et precatus quidem est Arsenius: Deus autem surda aure eius preces minimè præterijt, sed optima, sicut ipse rectè nouit, ei ratione prouidit. Hic verò fuit modus:

Cap. 7. Id indignè fert Imperator.

Cogit sedere Arsenii, filios suos stare.

Vox digna Imperatore.

Non paruum aliquod delictum commiserat Archadius Imperatoris filius, & quod non merebatur veniam: flagris eum cecidit castigans diuinus Arsenius. Ille non tulit hoc leuiter, iniuriam potiùs, quàm castigationem hoc esse arbitratus. Ipse certè indignabatur, iram apud se alens, & præceptori suo mortem moliens. Cùm itaque quendam haberet spatharium, qui ei ministrabat, quique ei videbatur benè velle, dignusq; esse, cui sua secreta communicaret, ei aperit quæ in animo habebat, incitatque vt quibus possit modis, de medio tollat Arsenium. Hæc in animo versans Archadius, Deum latére non potuit, qui erat Arsenij custos fidelissimus. Hæc ergò duo validissima immisit in mentem spatharij, & Arsenij virtutis reuerentiam, (vir enim erat pietati deditus) & ingentem metum Imperatoris. Accedens ergò, arcanum detegit Arsenio. Deindè etiam ei suadet, vt se clanculùm è regia subducat, & astris, vt dicitur, viam signet. Neq; enim aliter, inquit, eris securus minarum. Erat autem hoc, vt diximus, diuinæ prouidentiæ, quæ mirabiliter procurabat, vt consequeretur ea, quæ desiderabat, & quietè deduceretur ad vitam monasticam. Deum itaq; rogat vehementer Arsenius, vt euadat insidias, & salutem animæ omninò assequatur. Ei sic precanti, vox quædam supernè resonat, dicens: Arseni, fuge tumultus, & salutem assequéris. Hæc cùm ille audisset, quæ erant iucundissima, & voluntati suæ cõgruentia, nihil cunctatur, nec moratur: sed statìm illas quidem vestes & superbum amictum exuit: eum autem, qui pauperi & inglorio conueniebat, indutus, citò processit ad litus, nauemque nactus (nec id sine Dei numine) quæ parata erat nauigare Alexandriam, eam ascendit, & illic seruatur quam celerrimè. Deindè quod etiam parturiebat desiderium, ad finem properans deducere, & alioquì spei Imperatorię omnem amputãs occasionem, statìm tondet comam capitis, & cum ea, si quæ adhuc remanebant, reliquiæ curarum humanarum. Monasticũ verò induit amictum, & scopum, qui conuenit monachis, & ad Sec-

Cap. 8. Castigat Archadiũ Arsenius, & ille necem ei parat.

Notæ factæ sunt ei insidiæ Archadij.

Arsenius cęlitùs audit vocem.

Clàm fugit ex aula.

Fit monachus.

tum,

tem, de qua iam priùs diximus, (erat autem mons valdè excelsus, & quietæ vitæ cõueniens) rectà proficiscitur, scq; inserit in numerum patrum, qui illic se exercebant. Atque ille quidem ità se habebat.

Cap. 9. Cùm autem Imperator illius fugam non tulisset silentiò, sed multi, vt est consentaneum, sæpè ad eum quærendum mitterentur, omnes solitudines, insulæ, spelunceæ, petrarum fissuræ, atq; adeò ea ea etiã, quæ sunt sub terris, quærebantur. Nusquàm autem apparebat, nec inueniebatur Arsenius, Deo eum occultante, vt dixit diuinus Dauid,
Psal. 26. in occulto sui tabernaculi, & eum suis alîs fouente. Sic per totam vitam magni Theodosij latuit Arsenius. Postquàm autem post decessum patris Archadius successit Imperio, ei significatur vbinàm sit Arsenius, & quamnam vitam agat, Angelicam scilicet & cælestem. Eum certè literis quoquè salutat, quæ magnam habebant submissionem & moderationem. Quæ verò literis continebantur, hæc erant: Vehementer rogabat sanctum, vt suis precibus opem ferret imperio, vt id ità regeret, vt Deo erat gratum. Præcipua autem epistolæ causa erat insidiarum enunciatio, propter quas etiam eniuè
Archadius Imperator offert ei tot Aegypti vectigalia, sed renuit. rogabat, & eum placare contendebat, donum etiam liberale & magnificũ offerens. Hoc autem erat totius Aegypti vectigalia: & honesta causa, vt ea pauperibus ab ipso distribuerẽtur, & sacris monasterijs, quibus deerant, quæ erant necessaria. Sic scripsit Archadius, & obnixè rogauit, vt rescriberet. Arsenius verò ea accepta epistola, rescribere quidem minimè annuit: sine scriptis autem ei significauit: Deus, dicens, sit nobis omnibus propitius, & condonabuntur peccata. Pecuniæ autem distributio nequaquàm ad me pertinet, qui iam sum mundo mortuus. Mortui verò nulla est actio. Sed sic quidem à mundo discessit Arsenius, & cooptatus est in numerum monachorum, qui erant in Scete. Cum quibus se exercens, & cum eis cõtendens, nulli sustinuit esse secundus in virtutis sudoribus, sed potiùs vel primas obtinuit. Neque enim erat eiusmodi, vt qui labores anteà non gustâsset, nec in eis esset versatus. Neque enim Scete & habitus monasticus eum primùm cognouit laborantem in ijs, quæ ad virtutem
In ipsa aula quã sanctè vixerit. pertinebant: sed anteà curam gesserat, vt honestam Deiq; voluntati congruentem vitam ageret. Quinetiam splendor vestis & magnificentia nihil in se habebant, quòd cor ex eis vllam acciperet voluptatem. Erat enim Dei metu alligatus, & virtutis curam gerebat, & assuuerat laboribus: adeò vt ex sententia beati Dauid, licèt degeret
Psal. 140. in tot & tãtis tumultibus, & tanta multitudine, Singularis ego sum, audacter diceret. Ea ergò ratione, vt pauloantè significauit oratio, primas haud ità multò pòst obtinuit. Verùm enimuerò etsi ità se haberet Arsenius, existimabat se omnium vltimum: cumq; esset plenus omni eruditione, videbatur esse quidam rusticus & indoctus, &
1. Cor 2. Cap. 19. præ se ferebat nihil scire, nisi, vt dixit Paulus, Iesum Christum, eumq; crucifixum.

Cùm autem ad summum virtutis peruenisset, & præter alia esset quoq; exornatus maxima discernendi facultate, quæ iudicatur aliarum esse præstantissima, conuenientibus aliquandò monachis, (mos enim erat ipsis, cùm certis temporibus soli esse intermisissent, simul conuenire, & de vtilitate animæ sermones agitare. Hoc autem est, vel quedam laborum mutatio ad recreãdum animum, nec superuacanea, nec inconducibilis:) postquàm fuerunt omnes simul congregati, rogatus est ab eis Arsenius aliquem incipere sermonem, qui aliquam afferret vtilitatem. Is autem patribus potiùs
Oratio eius ad monachos. obediens, quàm aliquid faciens ad ostentationem, neq; volens ostendere doctrinam,
Scopus Monachi. quam collegerat, & alioquì expedita quadam & simplici vtens oratione: Fratres, inquit, & patres, omnem rem, quam quis aggreditur, præcedit causa aliqua & scopus, propter quem agitur. Causam verò, cur nos ex mundo fugerimus, nullam aliam dixerimus, nisì vt purgemus animam, & quæ eam consequitur, salutem adipiscamur. Studendum est ergò nobis, vt nos purgemus pro viribus, & maximè interiorem hominem, vbì & maius est bellum, & victoria difficilior. Multi enim sunt, qui, quòd attinet ad carnis pollutionem, & peccati operationem, magnam ostenderunt continentiam, & vsi sunt ieiunijs & alijs afflictionibus. De pollutione autem cogitationis, & perfecta purgatione nihil omninò cogitauerunt, etiamsi sit præceptum non de purOcculta vitia extirpanda. gatione solùm carnis pollutionis, sed etiam spiritûs. Quinetiam multis quidem curæ fuit, vt fugerent fornicationem aliasq; voluptates: vt autem vitia occultiora, nempe inuidiam, gloriæ cupiditatem, nimiam de se persuasionem, pecuniarum amorem, & quę est omnium pessima, superbiam: vt has, inquam, effugerent perturbationes, pauci admodùm curârunt. Ea ratione hi dimidiam habent purgationem, vel potiùs maiori & præstantiori parte manent impurgati, suntq; veluti statuæ, quę sæpè quidem extrinsecùs

trinsecùs auro vel ære refulgent, interna autem plena sunt immunditia, & quauis alia vilissima materia. Ab his ergò non manifestis vitijs nos vel maximè studeamus expurgare. Porrò autem hoc quoq; nos non lateat, ô fratres, quòd noster inimicus diabo-
Sub specie boni fallit satan. lus, multis & varijs vtens machinis, nos conatur decipere, & boni prætextu in mala impellere: vt verbi causa, suggerens hospitalitatem, & consequenter fratrum, qui accedunt, gratam & benignam exceptionem, efficit, vt simul comedãt & compotent. Causa autem est bonum charitatis, deindè sic paulatìm suffurans & attrahens, imprudẽtes nos trahit, vt ventri seruiamus, & deindè nos ad satietatẽ libidinibus polluit & voluptatibus. Alijs rursùs submittens in animum eleemosynam & benignitatem, & in pauperes beneficentiam, immittit amorem pecuniæ, & in furorem impellit auaritiæ. Alijs autem multorum vtilitatem tanquàm escam porrigens, efficit vt silentium & quietem relinquant, tanquàm rem inutilem, & vt cum multis quidem mundanis habeant consuetudinem, & nonnunquàm etiam cum mulieribus incautè hoc faciant persuadet, tanquàm qui iam eò peruenerint, vt sint impatibiles: & sic miseros red-
Multiplices dæmonum insidiæ dit libidinosos, & seruientes animi perturbationibus. Alijs nullam exhibens molestiam, & vt à nullo capiantur vitio, insidiosè procurans, extulit in superbiam, & sic facilè præcipitauit. Nonnunquàm autem faciens, vt à bellando abstineant, & maximè ij, qui ad suscipienda exercitationis certamina se paulò antè exuerãt, decepit, efficiens, vt essent securi, & de nulla re soliciti. Ex quo factum est, vt cùm eos iniecerit in socordiam, & vt labores negligerent effecerit, repentè eos inuaderet tanquàm expugnatu faciles & inermes: & sic maxima tempestate eorum mentem labefactaret & conturbaret, & sæpe etiam in vitiorum profundum immergeret. Alios rursùs cùm vt sibi fiderent persuasisset, vt qui iam ad maiorem peruenissent mensuram, suggessit vt eis crederentur aliorum cogitationes, vitiorumque & bellorum annunciationes. Quibus cùm nondùm rectè sua vitia abluissent, primùm quidem recordationem & informationem eorum, quę audiuerunt, immisit non absque animi perturbatione. Deindè verò etiam miserè impulit ad carnis pollutionem. Quoniam ergò tentatoris insultus sunt tam varij, tamque multiplices, & tam difficiles ad deprehendendum, nobis quoquè multa custodia sobrietateque opùs est, & ad bonum attẽtione: vt ab ipso illuminati, imprudentes malo tanquàm bono non vtamur, & non animaduertentes in noxia incidamus: sed vigilemus & sobrij simus, considerantes vndenàm, & quandò, & quomodò ille facit insultus: & in nullo offendamus, propterea quòd animum minimè adhibuerimus.

Cùm hæc & alia his similia diuinus disseruisset Arsenius ad monachos, qui erant Cap. 11. congregati, humilitate adhuc magìs vtebatur, & seipsum reputabat tanquàm qui nihil sciret, & id alijs præbebat existimandũ. Optimè autem nórat insultus dæmonum, vt qui fuerat examinatus à multis eorum tentationibus. Cumque aliquandò ad eius cellam aduenissent dæmones, (hoc autem narrauit monachus Dauid, vir qui cum hoc beato plurimùm fuit versatus, & in multis monasticis studauit laboribus) multisque afflictionibus & visionibus eum vexarent, & molestia afficerent: ipse quietè tolerabat, se nihil pati præ se ferens: sed hoc tantùm submissè dicens, vt significatum est ex ijs, qui ipsi ministrabant & assidebant: Deus, nè relinquas me: quoniam nihil boni
Dæmones vincit humilitate, valdè ab eis vexatus. fecerim coram tuis oculis: sed secundùm tuam bonitatem da mihi ô Domine, vt bonæ vitæ attingam principium. Sic autem res mundi est aspernatus, & nihil omninò esse duxit, vt nihil ex ijs, quæ ad hanc vitam pertinẽt, sustineret omninò adspicere: po-
Vilitas vestium eius. tiùs verò velutì vicem rependens, & se directò opponens splendoribus & vestibus, quibus indutus fuerat cùm esset in palatio, tam contemptis & tam vilibus vteretur indumentis, vt in ijs nihil differret à paupere rustico, laceris pannis & contritis indu-
Euagrius monachus. to. Sed ille his vilibus & abiectis magìs exultabat, & in his sibi placebat: vt qui mundum internum, & qui non cernitur, sibi vendicaret, & seipsum potiùs, quàm res suas vellet ornare. Externæ autem eruditionis, quæ tanta contentione petitur, elegantia ab eo adeò nihili ducebatur, vt cùm quidã monachus nomine Euagrius, qui de Græca valdè se iactabat doctrina, quoniam Arsenij sapientiæ fecerat periculum, de Aegyptijs interrogâsset monachis: Quomodò ij, dicens, cùm sint indocti & rudes, sunt tot & tantis insignes virtutibus: nos autem, qui sumus non paruam doctrinam consecuti, ne mediocria quidem rectè gerere possumus? diuinus respondit Arsenius: Nos qui-
Tacitè irridet Euagrium. dem, qui alienis scilicet confidimus laboribus & disciplinis, ideò ex bonis tanquàm proprijs non facilè possumus fructum aliquem percipere. Ij autem, qui sunt in solis

proprijs occupati laboribus, meritò proprios quoquè fructus colligunt. Hoc verò dixit, tacitè irridens Euagrium, qui non rectè de Græca gloriabatur sapientia. Erat verò eius tam insignis humilitas, vt ne agrestiores quidem eum puderet rogare, & ex eis vtilitatem accipere pro viribus. Cumque aliquandò cum vidisset quispiam rogantem & percontantem quendam monachum Aegyptium de cogitationibus, is miratus, causam est scisitatus. Ille verò respondit: Non nego me esse doctrina mediocri præditum. Huius autem, inquit, rustici illiteratam planè insciti am fateor me nondùm didicisse: Eam, quæ fit ex Deo, actionem & cogitationē tacitè innuens per hanc responsionem. Non solùm autem erat dignus, qui adspiceretur ab ijs, qui propè erant, & causa vtilitatis ijs, qui ad ipsum veniebant: sed etiam nō pauci procùl venientes, tenebantur magno desiderio videndi Arsenij, & se eius linguæ epulis recreandi. Illius enim virtutis fama totum orbem peruaserat, & aures omnium impleuerat. Propter quam causam ex Alexandrinis quoq; multi ad eum venerunt, adeò vt illeipse quoq; Theophilus, Archiepiscopus inquam, rem magnam arbitratus, & viæ labores negligens, venerit vnà cum præside ciuitatis: eumq; roganit, vt sui sermonis vtilitatis eos faceret participes. Is autem cùm parumpèr tacuisset, deindè respondit: Et si quid vobis dixero, promittitis vos id esse seruaturos? Ipsi verò protinùs sunt assensi. Is autem: Vbì, inquit, esse Arsenium audieritis, hoc est vobis cauendum, nè velitis ampliùs cò venire. Placuit eis dictum, nec eis fuit molestum eius silentij desiderium, vt qui eius modestiam ex eo pulchrè didicerint. Cæterùm cùm posteà Archiepiscopus quæsijsset ad eum venire, & per quendam esset scisitatus, an, si veniret, ei aperiret ostium: Si véneris, inquit, aperiam. Quòd si tibi aperuero, clarum est, fore vt alijs quoquè multis aperiam. Restat autem, vt ego hinc longè recedam. Hæc cùm audijsset Archiepiscopus, nihil tale ab eo posteà petijt.

Egregia humilitas S. Arsenij.

Theophilus Alexandriæ Episcopus eum inuisit.

Vide quàm cupiat nesciri.

Roganti verò cuidam monacho, vt sermones ab eo audiret vtiles: Pro viribus, inquit, contende, vt quæ est intrà te & in mente tua operatio, Deo placeat, & sic vinces externa vitia: hoc ei significante Arsenio, quòd nisi ea ità fiat, vt Deo placeat, sunt omninò inanes & inutiles labores corporei. Cùm ij autem sunt tales, excitatur bellum vitiorum carnalium. Admonenti verò eos, qui accedebant, & ea differenti, quæ faciunt ad salutem, ei mos erat quoquè eis dicere: Si sicut oportet Deum quæsierimus, is veniet, & à nobis omninò videbitur: & si eum per mundam vitam detinuerimus, is nobiscum permanebit. Ad eum accedens aliquis alius ex patribus senioribus, ait: Me opprimunt, ô pater, cogitationes sic mihi suggerentes: Quoniam fieri non potest, vt ieiunes & labores propter senectutem, sunt saltem tibi visitandi ij, qui laborant & ægrotant. Nam hoc quoquè est signum non obscurum charitatis. Ad hæc autem diuinus Arsenius: (Non erant enim ei ignotæ malæ artes & fraudes dæmonum) Vade, inquit, comede & bibe, nec recusa deincèps esse somni particeps: tantummodò nè in animum inducas, vt à tua cella recedas. Aliquandò autem rogatus, quomodò oporteret versari in regione externa: Si contigerit, aiebat, monachum regionem ingredi externam, aut ciuitatem, hoc est principaliter cauēdum, nè alicui notus euadat, vt cum nullo omninò liberè loquatur, nec familiaritatem cum vllo ineat. Hoc si fuerit seruatum, omninò ei maximè proderit. Alius monachus, nomine Marcus, virtute clarus, cùm sciret quàm esset solitarius Arsenius, & auersaretur hominum consuetudinem: Cur nos quoquè fugis, rogauit? Nam ipse quidem omninò nihil læderis ex nostra consuetudine & collocutione: nos autem potes iuuare plurimùm. Cui diuinus Arsenius: Deus, inquit, nouit, multùm à vestra pendeo charitate. Sed quid agam? Non possum me diuidere Deo & hominibus. Est enim facilius ei placere, quàm illis. Angelorum enim millibus & deciès mille millibus vnus est scopus & vna voluntas, vt Deum laudent, illiusque mandatis seruiāt. Hominibus autem alijs alię sunt voluntates, scopique & instituta diuersa: & ideò est eis, vt dixi, placere difficilius, quàm Deo. Humanis autem afflictionibus vsqueadeò erat superior, & necessitatibus fortior Arsenius, vt non solùm fami & siti non facilè cederet, sed etiam somnum valdè superaret, quo nihil violentius, neque ad opprimendam & morti tradendam carnem est validius.

Cap. 12. Aliquot præclaræ eius sententiæ & institutiones.

Non debet monachus inire familiaritatem cum secularibus.

Cùm itaq; totas noctes peruigilaret, & intentus esset precibus, vbì iam manè venisset, nè corpus haberet omninò dissolutum, & ad quanuis actionem defatigatum: Adesdùm aiebat, serue nequam, somno tanquàm seruo vtens. Deindè cùm parùm dormitâsset, rursùm statim surgebat, & rursùs ad Deum inceptas persequebatur orationes,

Cap. 13. Somno vtitur breuissimo.

tiones, dictitans ijs, qui aderāt: Monacho ad somnum vna hora sufficit, si sit egregius athleta. Solebat autem Arsenius aliquandò quidem patrū actionibus, aliquandò autem etiā sermonibus iuuare proximos. Aliquandò verò suas narrare actiones & contemplationes sub persona alterius, nè eum inuaderet vitium arrogantiæ. Cuiusmodi est id, quod est propositum. Dicebat enim: Quidam senex monachus in sua cella sedens, audiuit supernè vocem dicentem: Adesdùm, & ostendam tibi quomodò se habeant opera hominum. Surrexit ergò & exijt, & ducentem sequens Angelum, ambulabat. Cùm autē is, qui apparuerat, in quodam loco substitisset, ei Aethiopem ostendit ligna scindentem, quibus alligauit quidem onus non facile ad tollendum humeris. Cùm autem alligâsset & conaretur tollere, non potuit propter põdus. Is verò alia quoquè adijciebat. Deindè cùm eum paululùm traduxisset, ostendit rursùs alium, qui ex quodam lacu aquam hauriebat, & eam in perforatū canalem infundebat: ex eoq; effluebat aqua, & dispergebatur. Prætereà ostēdit ei templum maximum, in quo duo viri equis insidentes, & maximum quoddam lignum transuersum inferentes, sic quidem conabātur statim per portam ingredi: sed non poterāt, quoniam, vt dixi, lignum ferebant obliquè: neuter autem volebat id ex altera parte dimittere, & sic introducere. Horum solutionem aperuit is, qui seni apparuerat, sic dicens: Qui lignum quidem portant, ij sunt qui propriæ confidentes iustitiæ, ad viam humilitatis omnem sibi obstruunt aditum: & ideò, vt foris maneant, & vt à regno cęlorum arceantur, ij sibi causa sunt. Qui verò fundit aquam in canalem perforatum, bona quidem facit opera, ieiunat, orat, benefacit: sed cùm ea nolit ità facere, vt fiant solùm coram Dei oculis, sed studet etiam videri ab hominibus, & ideò frustrà operatur, & mercede quæ debetur, priuatur. Qui autem ligna scindit, & onus conficit, is est qui multis quidem grauatur peccatis. Pro eo autem, quòd ea deberet resecare pœnitentia & diligentia, ostenditur alia potiùs addere. Hæc dicens diuinus Arsenius, quodcunque vitium, quod cuiq; auditorum afferebat molestiam, absque vllo dolore & tacitè curauit. Nō solùm autem hoc modo fictis personis consueuit curare, sed etiam quod verè ab alijs factum fuerat, tanquàm ab alijs factum narrabat, quandò ad vtilitatem redibat narratio, cuiusmodi est etiam illud.

Angelus ei ostēdit hominū opera & studia.

Monachus quidam senex (aiebat) qui vixerat in Scete, actione quidē vel valdè mirabilis, educatus autē in simplicitate & ignoratione, non mediocriter peccabat circa mysterium diuini sacrificij. Dicebat enim ille & asserebat, quòd quem participamus diuinum panem, non est ipsum corpus Christi & Dei nostri, sed traditur in quadam figura & imagine. Quod quidē nonnulli alij senes, qui audiuerāt, & senis propter hanc absurdam opinionem miserti fuerant, ad eum vadunt, alienam hanc sententiam alicui attribuentes, & ei dixerunt: Audiuimus de quodam monacho, qui errabat in iudicio de sacris mysterijs, & existimabat illud non esse corpus Christi, sed in illius figuram panem, qui sumitur, benedici & tradi à sacerdotibus. Ille autem nihil celans: Ego sum, inquit, & in hac persisto sententia, nec possum dimoueri. Illi verò non dimisērūt, sed multis & validis argumentis conati sunt seni persuadere, affirmantes illud ipsum esse Christi corpus: Similiter autem vinum quoquè, eius viuificum sanguinem & intemeratum. Nam etsi, aiebant, esset panis & vinum, precum tamen inuocatione, & diuini aduentantis spiritūs benedictione, mutantur in illud ipsum corpus & sanguinem Christi. Estq; caro & sanguis Domini, qui à nobis sumitur. Qua de causa sacerdotem quoquè dicebant conuenienter voci Domini, scilicet illius personam subeuntem, dicere: Hoc est corpus meum, &, Hic est meus sanguis. Quoniam enim difficiliter fieri poterat, vt qui sumus homines, cruentam carnē sumeremus instàr ferarum, quæ carnem crudam deuorant: prouidit ille ipse, qui participatur, vt per similem & consuetum panem, in hocipsum corpus Domini nō manifestè mutatum, perageretur sacrificium. Vide enim quemadmodùm etiā baptisma eo quidē, quod apparet, est aqua: sed precibus & sacra operatione dignatum, diuino impletur spiritu, & deincèps non est aqua solummodò. Quomodò enim, quod regenerat & transformat eum, qui baptizatur, & reddit perfectè liberum à peccato? Cùm hęc & huiusmodi alia dicta essent à senibus, surdo videbantur cani, quæ dicebantur. Ille enim adhuc erat incredulus, & exigebat solam ex rebus ipsis probationem. Cùm ergò videretur senibus absurdum & admodùm ignaui pusilliq; animi, negligere senem, qui sic labebatur prę simplicitate: ipsi & diligenter orabant, & illum pro seipso orantem assumebant, nè tot labores & sudores exercitationis frustrà videātur suscepti. Deindè cùm transîsset dierum

Cap. 14. Error senis monachi circa Eucharistiam.

Sancti patres illū errorem confutant.

Nota hæretice, & crede randem corporaliter haberi Christũ in Eucharistia.

hebdomada, in templum simul conuenêre. Cumq; sacra perageretur mystagogia, diuinusque panis esset propositus, (ô tuam Christe potentiam & benignitatem) infans visus est eodẽ tempore tribus senibus is panis, qui in sacra mensa erat propositus. Deindè cùm sacerdos ad hoc, vt panem in frusta diuideret, iam manum extendisset, visus est eis Angelus, qui supernè deuolauerat, & gladium in manu habebat. Qui cùm propositum infantem sacrificâsset, deindè eius sanguinem fundebat in calicem, & quandiù sacerdos panẽ in parua frusta frangebat, tandiù quoq; poterant videre Angelum secantem partes ex carne pueri. Cùm autem accessisset is, qui errabat senex, vt esset particeps sacrificij, carnis mundæ & cruentæ apertè fuit particeps. Hoc visum ab illo

Senis error corrigitur.

sene, & illius non sanum correxit iudicium, & effecit, vt Deo offerret gratiarũ actionem cum lachrymis: alijsq; senibus illius correctio fuit argumentum lętitię. Hoc narrauit pulchra lingua Arsenij, quod omninò productum fuit ad magnam vtilitatẽ eorum, qui audiebant.

Cap. 15.

Cùm barbari autẽ aliquandò in Scete fecissent excursiones, alij quidẽ ex patribus conuersi sunt in fugam, & ea ratione euaserunt ex manibus barbaricis: Arsenium autem nullus inuasit metus. Quomodò enim, qui etiã ipsos superabat dæmones, & erat eis formidabilis? Sed sic manens in cella: Si meî, aiebat, Deus curã non gerit, curnàm ego velim viuere? Sic dicens & sentiens, surrexit & transijt per medios barbaros, &

Magna S. Arsenij fiducia in Deum.

nihil mali passus, saluus euasit: cùm eis nullum omninò suî sensum dedisset. Deindè cùm cogitâsset hoc esse effecturum, vt fieret maior alijs, & maiorem aliam à Deo curam consequeretur, mâluit propter modestiam vnà fugere cum alijs: & ad eos abijt. Sed enim hic vir diuinus, etsi esset huiusmodi, vt nulla res mala & absurda eum vinceret, immò verò rebus bonis & ex virtute gestis adeò esset plenus, vt ne verbis quidem possit exprimi: in eos tamen, qui labebantur, magna mouebatur misericordia. Nam

Eius humanitas in fratrẽ furacẽ.

inter montis monachos erat fur quidã, qui & alia, quæ erant apta ad consumendum, quinetiam ipsa vatà auferebat assiduè. Arsenius autem eius malam miseratus consuetudinem, assumpsit eum in suam cellam, & apud eum multis vsus est admonitionibus: nec id solùm, verùm etiam eum consolabatur, dando obolos & vestimenta, cupiens eum hanc improbam dediscere consuetudinem. Sed tamen etsi multis admonitionibus, non secùs àc aqua Aethiops perfunderetur, erat tamẽ Aethiops, & nigredinem minimè exuërat. Furans enim rursùs depræhendebatur, malam sequens consuetudinem. Ea de causa senes quoq; murmurabant aduersùs diuinum Arsenium: illorum, dicentes, debemus ferre infirmitates, qui ducuntur pœnitẽtia, & seipsos conferunt ad correctionem. Cùm autem credebatur, hũc esse immedicabilem, eum potiùs expellere oportet & procùl mandare: vt qui sit valdè pernicios us in cohabitatione. Atque talis quidem erat Arsenij in peccantes misericordia.

Cap 16. Studiosissimus est silentij.

Erat verò ei quoquè admodùm grata quies & silentium, idq; tanto studio sectabatur, quanto aliquid aliud: vt iam sæpè priùs significauit oratio. Ea de causa eorum, qui accedebant, ægrè ferebat congressiones, cum Deo solo assiduè loqui desiderans. Quocircà illius quoquè cella triginta milliaribus aberat ab alijs. Fratrem itaq; quendam, qui procùl venerat, neque sciebat vbinàm habitationem haberet Arsenius, deindè scisc itatus vix eam inuenerat: postquàm eum ad se venientem magnus nouit Arsenius, cœpit petere lapidibus, & ità eum à se repellere: non odio habens fratrem, vt dixerit aliquis, (Quis enim cum alijs illo se gessit meliùs in charitate vtenda in proximum?) sed quietem, vt dictum est, sibi puram conseruans, & per id indiuulsam con-

Frequentes visitationes vitandæ à monachis.

templandi facultatem. Neque tamẽ hoc absolutè faciebat, sed sciebat quosnam quidem oporteret expellere, vt qui possent eius quietem interturbare: quosnam autem admittere, & cum quibus conferre sermonem: & quosnam quidem admittere, sed non cum eis colloqui, sed inter eos exercere silentium: vt patebit ex ijs, quæ his sunt posita capitibus. Frater verò tristis admodùm, quòd eum non potuisset conuenire, mentem quoquè putabat Arsenio esse læsam, & ideò eum etiam iaculari lapides. Cùm ad se rursùs alios venire resciuisset, statim dixit eis, qui vnà conuersabantur: Interrogate eos, & discite quanam de causa venerint. Cùm verò interrogantes intellexissent eos ire Thebaidem propter aliquod suum negocium, & id renũciauissent Arsenio, is velutì arrepta occasione, nè interrumperetur silẽtium: Quoniam, inquit, non propter me venerunt, nec me, inquit, videbunt: sed vbì se apud vos refecerint, deindè cœptum iter persequantur. Quandò autem propter barbarorum incursiones deserta fuit Scete, ipse quoquè egressus est vnà cum alijs patribus: Perdidit, dicẽs, mundus quidem

quidem Romam, Scetem verò monachi. Hęc dicens, & lachrymas emittebat ex oculis, & vehementer dolebat, ardens quietis desiderio. Sciebat enim, quòd translationes, & ex alijs locis in alia transmigrationes, reuerà sunt monachis ipsa mors, & eorum, quæ ex quiete comparârunt, bonorum dispersio & interitus. Sępe numerò enim eos, quos nolunt, conueniunt, & vident quæ non oportet, & audiunt quæ non decet. Hoc autem pulchrè testatur Arsenij amor quietis. Nam cùm ille ad quosdam accessisset monachos, prope quos erant quędam arundines, quę vento leuiter agitabãtur: Quenam, inquit, ô fratres, est hęc agitatio? Ei enim, qui verè amat quietem, ne passeris quidem vox est omninò tolerabilis. Quomodò ergò vos, qui talium motuum sonitu conturbamini, purè poteritis quiescere?

Locorum mutationes exitiosæ monachis.

Cap. 17.

Nec hoc quoq; est minus testimonium Arsenij, quòd ille quietis & silentij magno teneretur amore, & simul etiam puritatis ac synceritatis cogitationũ. Nam cùm ipse circa Canopum versaretur, (est autem hoc vnum ex septem ostijs Nili) venit Roma quædam mulier, ex ij nata, qui erant ordinis senatorij, valdè quidem diues, & valdè etiam pia ac religiosa. Aduentûs autem eius scopus & institutum erat, vt videret Arsenium, & simul quidem, vt assequeretur vtilitatem, & simul eum benignè ac liberaliter, Dei iussa sequendo, acciperet. Ipsa Archiepiscopum Theophilum, qui eam hospitio exceperat, enixè rogabat, vt sancto persuaderet, vt eam suis dignaretur oculis. Ille ergò iuit, & accedens vehementer rogauit. Is verò nõ sustinuit, etiam si Archiepiscopus præter alia quæ adduxit, vt ei persuaderet, illius quoquè longæ viæ laborem proposuisset, & sic scilicet tentaret flectere Arsenium. Non tulit hoc mulier Senatoria. Eam enim incitabat fides, quam habebat in sanctum, & desiderium. Labore certè, & pudore, & omnibus despectis, iter ad eum inijt, volẽs videre. Cùm ergò accessisset ad sanctum, qui agebat extra cellã, se ad eius pedes deijcit. Is verò surrexit iratus, & stans ante eam: Si vis, inquit, meam videre faciem, eam adspice. Metus autem, qui eam inuasit cum pudore, ne permisit quidem, vt eum fixis intueretur oculis. Deindè rursùs adiecit: Non audiuisti vtiquè mea opera: & ideò ad nos veniendi te cepit desiderium. Quomodò autem ausa es tantã sustinere nauigationem, & huc venire? Nescis te esse fœminam, & non licere tibi egredi? Sed hoc, inquit, tibi, vt videtur, venit in mentem, vt rursùs Romam reuertaris, & alijs significes mulieribus, te vidisse Arsenium, & deincèps mare impleas mulieribus, ad nos venire nunquàm cessantibus. Illa verò: Non sinam, inquit, ô pater, Deo mihi opem ferente, huc vllam venire mulierem. Sed nè cessa, quæso, pro me orare, & meî meminisse. Is verò dixit: Deũ magìs oro, inquit, vt tuî memoria de meo corde deleatur. Hoc cùm audijsset illa mulier, graui animi dolore est affecta, eamque inuasit febris, & statuit reuerti Alexandriam. Quod quidem vbì

En & fugit etiã Senato ræ fremitus colloquiu.

Nota hoc responsum.

venisset ad aures Archiepiscopi, venit quamocyssimè ad eam visitandam. Deindè cùm rogâsset, & sciuisset quænam esset morbi causa, eam placidè & leniter est aggressus, dicens: Non oportebat te ità cruciari ijs, quæ audiueras. Non erant enim verba odij, sed cautionis & purissimæ temperantiæ. Neque enim ignoras, qualia soleat malignus bella suscitare propter mulieres ijs, qui Deo seruire constituerunt. Quod ergò tibi dixit senex, ideò dixit. Nam ille quidem non cessabit assiduè orare pro tua anima. Cùm his verbis mulieris curatus esset dolor, ea domum est reuersa. Par est autem admirari huius sancti cautionem & diligentiam. Non est enim incredibile, mulierem à maligno submissam, tantum laborẽ contempsisse, & ad eum venisse, prætextu quidem benedictionis, sed reuerà causa belli & tentationis. Is est enim mos illius, vt cùm per bonitatem irrepserit, suggerat quæ mala sunt. Qua de causa fuit ille Sancti cum ira fremitus, & preces, vt è corde suo illius deleretur memoria.

Consolatur eam Archiepiscopus.

Cap. 18.

Est autem hoc quoquè lepidum, & præclaræ humilitatis Arsenij certum signum, atque etiam non paruam afferens vtilitatem. Scete enim senes dicebant, quòd cùm aliquandò à quodam viro bono facta fuissent fratribus caricarum distributio, solus remanserit Arsenius, qui nihil acceperit, non ex oblitione, vt dixerit quispiam, nec ex contemptu: sed potiùs, quòd is qui distribuebat, erubescebat huius viri dignitatem, non solùm, quæ olim, sed potiùs quæ erat hodiè, tam vili largitione prosequi. Quod cùm magnus ille audijsset, ægrè tulit, & ne venit quidem ad synaxim. Significauit autem senibus, se omninò non fuisse dignum, vt ipse consequeretur cum alijs fratribus benedictionem: & ideò solum fuisse relictum. Quod quidem

Magna humilitas.

ſignificatum ſenibus, iniecit magnam admirationem eius humilitatis. Mittunt ergò Arſenio partem, quæ ad ipſum pertinebat. Quam cùm accepiſſet, & eiecit dolorem, & ſtatim venit ad ſynaxim. Nemo autem ex ijs, qui ſunt procliues ad reprehenſionem, id omninò aut gulæ tribuat, aut puſillo & abiecto animo, quòd propter caricas tantum dolorem acceperit, vt ne ad ſynaxim quidem accederet. Vbi enim ſunt hæc parua Arſenij, & quæ ijs conueniunt, qui ſunt puſilli animi? Sed ſunt, vt dictum eſt, ſigna extremæ humilitatis. Se enim ne minimùm quidem putabat alijs antecellere, ſed eſſe vnum ex multis, vel, vt magis verum dicatur, eſſe omnium vltimum: & ideò tanquàm Dei iudicio deſpectus, & eo reputatus indignus, oſtendit ſe angi animo, quòd donum commune non eſſet aſſecutus. Sed nec ſumma illius in ieiunio tolerantia, inter cætera illius bona prætermittatur. Dicebant enim Daniel, & alij, cum quibus ille verſabatur, cum inediam conſquè protraxiſſe, vt vnum frumenti thallium (oportet enim his vti patrijs nominibus) ei totum annum ſufficeret. Nam aduenientibus aliquibus, tunc dixerunt eum fuiſſe huius alimenti participem. Cùm eſſet autem tempus fructuum, ſolebat ex eis ſolùm guſtare. Simul quidem hoc faciens, vt Deo ageret gratias, & ſimul etiam, vt ſe demitteret. Dixerunt autem hoc quoquè, qui res Arſenij ſciebant accuratiſſimè, eum nunquàm viſum fuiſſe ocioſum: ſed quandò vel paulùm ceſsâſſet à precibus, quæ fiebant diù & noctù, operabatur. Opus autem eius erat catenæ, quæ per ramos palmarum contexebantur. Cùm in eo paululùm fuiſſet occupatus, reuertebatur rursùs ad orationem. Aqua autem, qua palmarum ramos madefaciebat, vt fierent molliores, quæ nunquàm ab illo mutabatur, ſed ſic diù manebat, corrumpebatur, maleſque olebat, & tetra erat adſpectu: adeò vt quidam ex patribus ſenem rogarent, cur hoc faceret, & ei exprobrarent ſocordiam. Is verò: Cùm, inquit, ſuaueolentia & aromatibus priùs ſim vſus, odoratûs damnum modò corrigo contrarijs. Quomodò verò tetrum odorem prioribus vnguentis & bonis opponebat odoribus: ità etiam ſuperfluis poſſeſſionibus, quod eſt inſtàr magnarum diuitiarum, nempe nil poſſidere, & nihil omninò habere: adeò vt cùm aliquandò ægrotaret, & lucerna opùs haberet, quoniam nihil habebat, quod pro ea emenda ſolueret, petitum acceperit, & ità emerit, quod erat ſibi vſui.

Admiranda eius inedia.

Nunquàm eſt ocioſus.

Ferè perpetuò eſt in precibus.

Contraria ſunt cõtrarijs corrigenda.

Sũma eius paupertas.

Cap. 19.

Ad hunc virum admirabilem acceſſit aliquis ex patribus, nomine Marcus, virtute ſummus, qui diligenter rogauit: Num bonum eſt, dicens, nullam in cella habere conſolationem? Vidi enim, inquit, quendam ex fratribus, qui parua quædam, quæ habebat, olera, ipſa quoquè euellebat radicitùs. Is autem bonum quidem eſſe aſſeruit, ſed ſi omninò referatur ad virtutis habitum, atque adeò ad vniuſcuiuſque menſuram. Nisì enim perfectiorem habitum fuerit conſecutus, etiamſi illa euulſerit radicitus, is rursùs plantabit alia. Cæterùm qui virtute & vi diſcernendi erat ſummus Arſenius, viſus eſt etiam poſtquàm ad vitam acceſſiſſet monaſticam, veluti quaſdam apud ſe ſeruare reliquias aulicæ arrogantiæ & ſuperfluitatis. In ſedendo enim ſublimem vnum tenens ex pedibus, imprudens ſæpè imponebat alteri. Quod quidem à Græcis dicitur ſedere ἀναβάδην, id eſt, ſursùm erectis pedibus. Hoc viſum à patribus, nequaquàm videbatur eſſe contemnendum: ſed potiùs cum eſſe eius opportunè admonendum, vt id corrigeret. Sed magna viri dignitas & reuerentia eos abducebat ab eo, quod ſtatuerant. Poſtquàm autem hoc quoquè nouit monachus Paſtor, qui erat prudentia ſimul & virtute incomparabilis, vide quàm ſapienter illius excogitat remedium. Cùm ego, inquit ad monachos, acceſſero ad ſynaxim, & vobiſcum conſidens, ſedero in eodem habitu, vobis adſpicientibus videatur hæc res non toleranda: ſed ſtatìm procedatis ad me reprehendendum: & ego ſtatìm cedam, & vt qui perperàm in hac re me geram, me corrigam. Quod quidem factum cùm diuinus intellexiſſet Arſenius, & mente citò agitâſſet, demiſit pedem, & deincèps omninò abſtinuit à turpi hac ſeſſione. Sed vide mihi virum egregium, qui indecorum hunc habitum non ſolùm in ſeipſo correxit, ſed alios quoquè, qui vel quòd non aduerterent, vel, vt meliùs dicam, quòd imbecilli eſſent, ità ſe gerebant, prudenter ſimul & iucundè correxit. Monachum enim Alexandrum, (erat autem hic quoquè clarus inter monachos) cùm quodam aliquandò dolore teneretur, contigit ſeipſum ſupinum porrigere, & ità iacére victum à doloribus. Ad quem poſteà accedens Arſenius: Quis erat, inquit, ille mundanus, quem pauloantè hìc

Quoſdã aulicos ſibi reſeruauit mores.

Paſtor Abbas mira arte corrigit eos.

hìc vidi porrectum ſupinum? Is autem: Et quandò, inquit, eum vidiſti? Diuinus verò Arſenius: Cùm, inquit, de monte deſcenderem. Ipſe eram, dixit Alexander. Sed ignoſce mihi, inquit: dolore enim victus, ſic me collocaui, quàm potui ſcilicet honeſtiſſimè. Moderatè autem ſubridens Arſenius, (erat enim Alexander ei familiaris) Satìs ergò, inquit, veriſimiliter exiſtimaui, mundanum eſſe eum, qui iacebat porrectus.

Frattem quendam ceperat deſiderium videndi Arſenij. Cùm itaque veniſſet in eccleſiam, rogabat, vt magnum illum videret. Illi autem: Paululùm, inquiunt, reſicere, & paulopòſt eum alloquéris. Is verò contendebat, nisì eum videret in præſentia, ſe neque cibum eſſe omninò ſumpturum, neque ſomnum viſurum. Mittunt itaque ex fratribus vnum, cellã indicaturum. Longè enim aberat, vt iam priùs diximus. Et ambo quidem pulſant oſtium. Cùm autem aperuiſſet Arſenius, introduxit & ſalutauit. Deindè verò ſederunt, vtentes ſilentio, nihil neq; ipſis Arſenium, neque Arſenio ipſos alloquentibus. Cùm ergò multum præterijſſet temporis, & nullum verbum ſenex ederet, qui datus fuerat ad cellam oſtendendam: Sed ego, hoſpiti inquit, reuertor. Et ille: Ego quoquè, inquit, te ſequar: fruſtrà enim hìc mora trahitur. Ambo ergò egreſſi, receſſerunt. Rogauit autem hoſpes fratrem, vt eum deduceret ad Moyſem Aethiopem, qui priùs fuerat latro. Venientes verò accepit admodùm hilariter, & excepit hoſpitio, & liberè admodùm cum eis eſt collocutus, refecitque, & ſic remiſit. Dicit ergò frater hoſpiti: Quis ex duobus tibi eſſe videtur virtute ſuperior? Ille verò: Quinos, inquit, hoſpitio accepit & refecit. Auditum eſt hocà quodam ſene, qui erat ex magnis. Is cùm eſſet dubius animi, nec poſſet ſcire, cuinam daret calculũ victoriæ, rogauit Deum, vtid ſibi ſignificaret. Videt ergò in ſomnis duas naues, quæ ferebãtur in fluuio: quarum altera quidem habebat diuinum Arſenium, qui quietè nauigabat, & Deifouebatur ſpiritu: Altera verò Moyſem, & Angelos Dei, qui vnà verſabantur, melleque & fauo eum paſcebant. Cognouit ergò qui viderat, ambos quidẽ eſſe maximi precij apud Deum, ſed maius eſſe ſilentium Arſenij Moyſis hoſpitalitate: quòd cum Arſenio quidem verſabatur diuinus ſpiritus, cum Moſe autem Angeli. Ipſum autem paſci ab Angelis, tacitè ſignificat bonum hoſpitalitatis.

Fratrem cupidè illum inuiſenti prorsùs nihil loquitur.

Cap. 20.

Secùs facit Abbas Moyſes. vterque tamẽ benè.

Aegrotanti verò aliquandò admirabili Arſenio, ſacerdos eccleſiæ vile ſubſtrauit ſtragulum, & capiti quoquè puluinar ſuppoſuit propter morbi afflictionem. Cùm autem vnus ex ſenibus veniſſet ad illum viſitandum, & illum ſic vidiſſet vtentem ſtragulis & puluinari, ei dubitatione commotus eſt animus. Quod cùm deprehendiſſet ſacerdos, & eum ſeorsùm abduxiſſet: Qualis, inquit, erat vita tua, priuſquàm eſſes Monachus? Ille verò: Magna, inquit, me premebat inopia rerum neceſſariarum, egeſtatisque mala me cruciabant. Cui ſacerdos: Sed hic, inquit, quem vides, Arſenius, erat pater Imperatorum, quandò erat adhuc in vita mundana, magnasque habebat opes, & abundabat delicijs, iacebatque in ſumptuoſis & mollibus ſtragulis. Quocircà tibi quidem, qui nunc es inter monachos, eſt facilior vita, & minùs obnoxia moleſtiæ, vt qui ſis à prioribus liberatus anguſtijs. Qui autem ex tantis diuitijs & delicijs ſua ſponte venit ad tantam humilitatem, & nunc eam ſuſtinet, quomodò non eſt dignus, qui habeatur in admiratione? Hæc cùm audijſſet & intellexiſſet ſenex, & ſeipſum condemnauit, & petijt veniam à ſacerdote, propterea quòd non rectè cogitâſſet.

Senex monachus malè ſentiens de Arſenio, corrigitur.

Cap. 21.

Alexandria venerunt quidam aliquandò viſuri beatum illum, qui tunc in petra Stromes degebat. Cùm quibus erat etiam patruus Theophili Archiepiſcopi. Is autem partim quidem, quòd tunc ægrotaret: partim verò, ne alij quoquè ſimilia poſtulantes, eius quietem interturbarent, non proceſſit eis obuiàm venientibus. Illi quod factum fuerat, ducebant eſſe contumeliam, ſtatimque receſſerunt. Poſteà verò barbarorum facta incurſione, illinc tranſiens, habitauit in inferioribus partibus. Quod vbi reſciuit Theophili patruus, venit rursùm eum viſurus. Is verò eum excepit cum magna voluptate & lætitia. Vnus autem ex ijs, qui cum ipſo erant, in animo habens eam, quæ eis viſa fuerat, illius magni velutì contemptionem: Scis, inquit illi, nos priùs veniſſe in Stromem, cùm tu illic ageres? Tu autem, neſcio quanam de cauſa, tuum nobis offerre adſpectum noluiſti. Certè, inquit: Sed vos & panem comediſtis, & aquam bibiſtis. Ego autem nihil horum. Quomodò enim? qui nec ſedere quidem ſuſtinui, donèc conieci vos peruenijſſe in locum proprium, propterea quòd laborem

Non vult videri à patruo Theophili Epiſc.

Poſteà hilariter eum excipit.

propter me passi essetis. Cæterùm sic vos quoquè mihi ignoscite. Sic diuinus Arsenius non absolutè & indiscriminatìm eos, qui accedebant, videbat, & non videbat, sicut priùs dictum est: sed pia consideratione, & diuino quodam iudicio. Cæterùm eorum quoquè, qui sic reuertebantur, & nec eum viderant, nec conuenerant, magnam habebat rationem: vt nunc ostendit ex hac suî excusatione ad eos, qui non viderant.

Cap. 23. Nec hoc quoquè existimo carere gratia & vtilitate. Is cùm suos discipulos aliquandò vocâsset Alexandrum & Zoilum: Quoniam, inquit, dæmones & alijs, & somni cupiditate non cessant me vexare, sustinete vnà mecum hac nocte laborare, & nósse quemadmodùm in vigilando ipse à somno superor. Illius ergò iussu, cùm ei assedissent, vnus quidem à dextris, alter verò à siniſtris, sic permanserunt tacentes, & oculos in eum alternatìm defigentes à vespera vsque ad auroram. Qui quidem alijs declarauerunt, dicentes: Nos quidem vicissìm & dormiuimus, & surreximus: illum autem non sensimus omninò dormitâsse, donèc vidimus splendorem lucis. Circa auroram verò præ se tulit se somno cedere: si quidem re vera erat somnus. Cognouimus eum ter spirâsse, deindè eum sic surrexisse & rogâsse: Dormitaui certè? Cui nos: Nescimus quidem, pater. Ità Arsenij omnia erãt maiora, quàm aut oratio, aut cogitatio ea posset assequi. An enim volens docere discipulos, vt se à somno continerent: an potiùs docere, quòd meditatio & exercitatio dat etiam naturales vincere affectiones, tunc eos aduocauit testes ad vigilandum, nunc mittit dicere oratio. Apertum est autem hoc indicium, vel potiùs velutì quidã gustus totius virtutis Arsenij, & eius, quę ei cum Deo intercedebat, coniunctionis & familiaritatis.

Nota vigilias eius.

Cap. 24. Accessit ad eum quidam senex, volens eum conuenire, & ab eo aliquam vtilitatem consequi. Quoniam autem inclusum inuenit Arsenium, & manentem quietum, non pulsauit quidem ostium, nè ei esset molestus: sed per minimam adspiciens fenestram, videt sanctum totum igneum. Omninò autem is quoquè, qui conspexit, fuit dignus eiusmodi spectaculis. Cùm verò ille posteà pulsâsset ostium, egreditur Arsenius: cumque eum vidisset obstupefactum, rogauit: Quantum est, inquit, tempus, ex quo huc venisti? num quid adspexisti? Ille verò negauit. Sed quod iam quidem dictum est, est in summa testimonium summæ virtutis Arsenij, sicut diximus. Quod nunc autem dicendum est, apertè declarabit, quantùm ille mundum est auersatus, & ea quæ sunt mundi, & quòd ipse, vt dicit Paulus, mundo erat crucifixus, & ei mundus.

Totus igneus videtur.

Galat. 6.

Cap. 25. Venit Roma quidam ex magistrianis, afferens testamentum cuiusdam ex ijs, qui erant genere proximi Arsenio. Hoc cùm in manus sumpsisset senex, erat rupturus, nisì occupans magistrianus, & se ad illius pedes deijciens, eum retinuisset, docens id futurum periculo ei, qui attulerat. Reddito ergò testamento Arsenius: Ego, inquit, ante illum sum mortuus, & non sum amplìus inter viuos. Obstupefaciet autẽ, sat scio eum, qui est auditurus, id quod iam est dicendum. Dicitur enim, quòd cùm vesperè inciperet orare, & post se solem dimitteret occidentem, sic tota nocte staret, donèc Sol rursùs oriens eius vultui illucesceret. Vanæ gloriæ contemptio, amorq; quietis & silentij, vtrisque inerat, Arsenio admirabili, & Theodoro, qui se Pherinæ exercuit. Sed in aditu ad ipsos, maximè autem nobiliorum, Arsenio quidem nec citus, nec facilis erat occursus: Theodoro autem citus quidém erat occursus, ex æquo autem citus etiam recessus. Cùm aliquandò fuisset prope fluuium admirabilis Arsenius, & iam esset nauigaturus, quædam mulier Aethiops appræhendit eius pellem ouillam. Cùm is autem eam grauiter & acerbè repræhendisset, illa: Si monachus es, inquit, Arseni, vade ad montem. Quod quidem verbum non affert nullam alijs vtilitatem. Hoc quoquè cauit Arsenius admirabilis, vt neque in scriptis proponeret quæstiones, neque mitteret: non quòd non posset, (Quomodò enim, cui esset tam facile rectè dicere, quàm dicere alijs tantummodò?) sed silentij assuefactio & odium ostentationis, erant causa eorum, quæ dicta sunt. Et ideò & in ecclesijs, & in congregationibus hoc diligenter agebat, vt nec alios videret, nec ipse videretur ab alijs: sed stabat, & se abscondebat, vel post aliquam columnam, vel post aliquod proiectum, & se separabat ab aliorum congressione, vt qui sibi vellet perpetuò attendere, & mentem interiùs cogere, & ità ad Deum facilè tollere. Mos autem erat Arsenio, hoc sibi carmen assiduè canere: Arseni, cur egressus es? Quod est: Quis fuit tuus scopus, vt re à mundo

Totus est mũdo mortuus.

Odit ostentationem.

à mundo subduceres? An non, vt omninò Deo placeres, non autem ijs, quibus ille te nouit placere? Huius rei curam gere. Quinetiam aliud quoquè ab eo cani solebat: Me sæpè pœnituit dixisse, nunquàm autem tacuisse.

Quid monacho assiduè cogitandũ.

Cùm autem hic vir insignis teneretur amore beatitudinis lugentium, & consolationis, quæ est eis promissa, non cessauit omninò seipsum lugere, & hoc perpetuò facere, & absque vlla intermissione. Quocirca gremio suo suberat pannus, quo abstergebat lachrymas, quæ fluebant ex oculis. Quinetiam cùm Pastor, qui erat insignis inter monachos, hoc adspiceret, dixit: Beatus es Arseni, quòd cùm in hoc mundo tèipsum luxeris, non opùs erit eis, quæ illic erunt, lachrymis. Cuius etiam dicunt Theophilum, qui fuit Episcopus Alexandriæ, cùm vita excederet, fuisse recordatum, & dixisse: Beatus es Arseni. Nunquàm enim cessâsti huius horæ recordari.

Cap 26. Matth 5.

Perpetuò lachrymatur.

Hæc sunt diuini Arsenij magnę reuerà animæ, quæ in hodiernum vsque diem habebant libri patrũ, non certo ordine & serie, sed posita sparsìm & separatìm, vt hic quidem huius, ille verò illius recordabatur: in vnum autem collecta, & quæ vita Arsenij esset & nominarentur, in hodiernum vsque diem nondùm vidimus: quoniam ne inuenta quidem est illius vita ab vllo composita, etiamsì nunc sit composita vnius viri pij, & qui erat eiusdem nominis. Et hoc quoquè fortè factum est ex sententia Arsenij, quod nollet se ne post mortem quidem fieri manifestum. Etenim sicut dum viueret, studuit latére: ità etiam, vt mortuus ignoraretur, studium adhibuit. Quomodò enim se dignum censuit, cuius fieret memoria, & qui apertè cognosceretur, qui ne iusta quidem sepultura se dignum esse statuit? Vt iam est narratura oratio.

Voluit non solùm in vita latére, sed etiam post mortẽ.

Cap. 27. Nam cùm tempus appropinquaret sui ad Deum excessûs, prædicit hoc suis discipulis. Cùm ij autem eo sermone fuissent perculsi, & commoti ad luctus & lachrymas, pater, non secùs àc pater, misertus doloris filiorum: Non sic, inquit, ô filij. Nolite tam pusillo & abiecto animo, & tam turpiter lamentari. Nam nec tempus quidem propè est: & quandò appropinquârit, de eo ego vos reddam certiores. Sed hoc vobis mando, & diligenter præcipio, vt post mortem nulli velitis vllas meas dare reliquias. Sin minùs, scitote quòd vobiscum contendam in iudicio ante Christi tribunal formidabile. Cùm autem illi dixissent, Et quid ergò nobis, & quomodò est faciendum? Alligato, inquit, fune meis pedibus, sic me statìm trahentes, properate in montem abducere. Sic ille vel post mortem effugit cognosci, & omninò dignus censeri nomine. Veritus fortasse, nè honor, qui hìc offerretur, iudicaretur esse remuneratio: & sic illic minuerentur mercedes, quæ præbentur à Deo. Postquàm autem iam adfuit tempus translationis, licuit videre illum ipsum, qui erat pauloantè vel Angelis virtute similis, metu pulsari & opprimi, & ad lachrymas effundendas moueri. Rogantibus ergò discipulis, Et tu pater times mortem? Reuerà, inquit, hic metus, quo nũc me videris affici, nunquàm omninò à me recessit, ex quo factus sum monachus. Hoc cùm dixisset, & præsentibus patribus quàm fieri potuit iucundissimè, quæ in exitu dicsolent, verba esset elocutus, sanctorum Angelorum manibus verè beatam tradidit animam, cùm vixisset quidem inter monachos quinquagintaquinque annos, omnes autem centum & viginti, nulla parte corporis vllo morbo mutilatus, sed id habens integrum, & propter continentiæ labores firmum & sanissimum, promissa barba vsque ad ventrem, gracilior verò & ex abstinentia, & ex laboribus, quibus se exercuit: procera quidem statura corporis, senio autem paululùm incuruatus: multis verò lachrymis ei effluxerant pili superciliorum. Atque mortuum quidem corpus in ipsis, quibus fuerat indutus, vestibus, cilicio, inquam, & pelle ouilla eius discipuli, cùm psalmos pro more ceciniſſent, in quodam loco Stromes deposuerunt. Pro tali ergò vita & tantis laboribus, quænam & quanta reddetur merces? etiamsi dictum sit à sapienti Paulo: Non sunt condignæ passiones huius tẽporis ad eam, quæ est beatis reddenda, beatitudinem.

Vide eximiam viri perfectissimi humilitatẽ.

Sub morte metuit.

Decedit è vita valdè grandæuus.

Vestes eius quales fuerint.

Rom. 8.

Huius vitam, quicunque vult ex Deo vitam agere, studeat quoàd eius fieri potest, habere tanquàm exemplar, & maximè quicunque sunt relati in ordinem monachorum. Huius tenuitatem, & vtensiliũ impedimentorumque omniũ vacuitatem, quietem, taciturnitatem, vanæ gloriæ fugam, à somno abstinentiam, in laboribus ferendis diligentiam: mundum ità auersari, vt ne odorem quidem, vt semèl dicam, sustineret eorum, quæ ad hanc vitam pertinent: mortis ità meminisse, vt ne se putaret quidem viuere, sed se iam referret inter mortuos: adhærere Christo per dilectionem, & sub ipso viuere, & eum omnia ducere, eum & habere patronũ, & ad Deum aduocatum.

Cap. 28.

Qui

Qui multis capti sunt peccatis, & Deum ad iram concitauerunt,& per pœnitentiam sibi volunt eum reddere propitium,confugiant ad benignum, humanum ac misericordem, vt qui apud ipsum magnam sibi parauit coniunctionem & familiaritatem.

Vita monastica verum est martyrium.

Etenim hic cursum peregit martyrij, non eius quod concedit vnus ictus gladij, sed quod perficiunt quinquagintaquinque anni sudorum & laborum,& non dicto citiùs impleti. Eô factum est, vt martyricis quoquè coronis & præmijs dignus fuerit habitus: Cuius intercessionibus nos quoquè mereamur consequi remissionem peccatorum, Christique benignitatem & clementiam, cuius misericordia melior est super vitas: Quem decet omnis gloria, honor & adoratio nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Psal.62.

VITA BEATÆ MACRINÆ VIRGINIS, SORORIS D. GREGORII NYSSAE PONTIFICIS, PER *eundem scripta, Petro autem Francisco Zino Veronensi interprete. Capitum verò numerum ad marginem adiecimus.*

Est Epistola eius ad Olympium monachum scripta.

Iulij 19. Cap. 1.

HOC quidem voluminis genus ex inscriptione epistola videtur esse: sed eius longitudo modũ epistolæ superat, & iustam libri complectitur magnitudinem. Me tamen rei, quam vt literis consignarem, imperâsti, defendit argumentum. Est enim maius & vberius,quàm vt epistolæ terminis concludi possit. Omninò consuetudinis illius oblitus esse non debes, cùm ad vrbẽ Antiochi congressi sumus, quo tempore petebas Hierosolymam, vt monumenta Christi peregrinationis, dum in carne esset, inuiseres, eorumque sermonum, quos varijs de rebus inter nos contulimus. Neque enim congressus ille tacitus esse potuit, cùm prudentia tua multiplicem colloquendi occasionem subijceret. Inter disputandum igitur,vt in eiusmodi congressionibus fit, in mentionẽ probæ cuiusdam mulieris incidimus. Si tamen ex natura mulier à nobis appellãda est,quæ naturę conditione præstantior fuit. Non autem ex alienis sermonibus narrationi fidem faciebat oratio: sed diligenter ea, quorum experientia magistra fuerat,persequebatur, & nihil ferè alieno auditûs testimonio confirmabat. Neque enim virgo, qua de verba faciebamus, genere nobis erat peregrina,vt quæ admirabilia de illa dicẽda erant,per alios cognoscere nos oporteret:sed eisdem orta parentibus,quippe quæ tanquàm fructus primitiarum ex materno vtero prima pullulauerat. Quoniam igitur bonorum historiam esse frugiferam censuisti,nè vitæ illius virginis,quæ ad humanæ virtutis fastigium per sapientiæ studium peruênit, exemplum posteros lateat, néve sine fructu silentio transeat inuolutum,mihi faciendum existimaui, vt tibi parérem, & incomposita simplicique oratione vitam eius quàm breuissimè possem, explicarem.

Ex quàm antiquum, peregrè, proficisci religionis ergô

Cap. 2. Macrina cur sic appellata.

Macrinæ virgini nomen erat, sic à parentibus appellatæ, quòd olim insignis quædam in nostra familia Macrina fuerat,patris nostri videlicet mater, quæ tempore persecutionum pro Christi confessione pugnauerat. Hoc quidem vulgato nomine à familiaribus vocabatur, sed arcanum & reconditum alterum habebat nomen, quo per visum fuerat insignita priùs, quàm in lucem à matre per dolores ederetur. Nam ipsa quoquè mater ea virtute erat,vt consilio Dei sese in omnibus regeret,puramque & integram viuẽdi rationem inprimis diligeret, adeò vt non spontè, sed inuita quodammodò nupserit. Etenim quum vtroque parente orbata, in ipso esset ætatis flore, famaque pulchritudinis multos, vt eam sibi vxorem cuperent, incitaret, & periculum esset, nisi volẽs in matrimonio cuipiam collocaretur, nè per vim aduersi aliquid ei contingeret: (Nam eius forma capti, ad rapinam spectabant) vt saluti consuleret, vitę grauitate spectatum commendatumque virum elegit, primoque partu huiusce facta est mater. Verùm cùm pariendi tempus instaret,somno consopita,manu gestare sibi visa est id, quod adhuc intrà viscera continebat,& quendam humana specie,& forma augustiorem intueri,qui Theclæ nomine filiolam appellauit,Thecle,inquam, illius, inter martyres celeberrimæ. Id autem cùm terrepetens testatum reliquisset, discessit.

Mater S. Macrinæ admodùm religiosa.

Visio eius.

discessit. Ea verò statim somno soluta est, & partu facilè leuata,vt & somno simul excitata sit, & quod in quiete viderat, effectum inspexerit. Arcanum igitur nomen hoc illi fuit. Videtur autem mihi is,qui per quietem apparuerat,eam vocem pronũciâsse, non tam, vt quo nomine appellanda esset, indicaret, quàm vt similitudine nominis idem ostenderet viuendi studium & institutum.

Educatur ergò puellula,& quanquàm propria illi nutrix aderat,tamen in manibus ferè matris enutriebatur. Cùm autem infantiæ ætatem esset egressa, docilem admodùm naturam in perdiscendis puerilibus illis institutis præ se tulit. Quicquid enim ei discendum parentes iudicabant,in eo puellæ ingenium excellebat. Studebat autem mater, vt filia quidem eruditetur,sed non ista tamen externa disciplinarum serie,qua plerunquè ex poëtarum lectione primæ discentium ætates imbuuntur. Turpe enim & indecorum prorsùs existimabat, vel tragicis fœminarum perturbationibus, vndè scribendi principia & argumenta poëtæ sumpserunt, vel comœdiarum fœditatibus, vel pudendis eorum, qui tot ærumnas ad Ilium pertulerant, factis tenerum & benè formatum animum infici,& minùs grauibus de fœminis narrationibus quodammodò coinquinari. Proindè quæ ex diuino spiritu dictata scriptura primæ illi ætulæ faciliora aptioraque videbantur, discenda proponebat. Cumprimis autem Sapientiam Solomonis,idque ex ea potissimùm, quod ad vitam & mores maximè conducebat. Erat etiam psalmorum haudquaquàm ignara, præfinitamque eorum partem statutis temporibus percurrebat. Nam siue surgeret è lectulo, siue ad studia accederet, siue discederet ab eis, siue cibum sumeret,siue à mensa recederet,siue cubitum se conferret,siue ad precandum exurgeret,semper vt bonam,seque nullo tempore deserẽtem comitem, psalmorum habebat cantilenam.

Cap. 3.

Macrina quibus studijs applicuerit animum adhuc puella.

Dum his & similibus institutis educatur, manumque tractanda lana excellenter exercet, ad duodecimum ætatis annum peruenit. Quo quidem tempore iuuentæ flos mirificè splendére cœpit, &, quod admiratione dignũ est, quanuis celaretur puellæ pulchritudo, latére tamen non potuit. Nec in patria quicquam æquè admirabile videbatur, atquè forma & venustas illius, vt ne pictorum quidẽ manus eius decorem assequerentur: & quæ ars nihil non machinatur & effingit, maxima quæque audens, & ipsorum etiam imagines elementorum imitatione exprimens, ea illius formæ felicitatem imitari non posset. Quamobrèm magnum iuuenum, nuptias eius ambientium,examen parentes circunstabat.Pater autem,qui sanè quàm prudens,& in rebus honestis dijudicandis expertus erat, quendam tum genere, tum moribus honestum probatumque adolescentem reliquis prætulit, eique si ad ætatem peruenisset, filiam despondit. Interìm ille magnam de se expectationem concitare, in iudicijsque reos defendendo egregiam dicendi facultatem præ se ferre, atq; ità patri puellæ tanquàm gratum dare sponsalium munus. Quam tamen præclaram spem interrupit inuidia, eum vitæ in ipsa miseranda surripiens adolescentia.

Cap. 4.

Præstãs forma eius.

Despõsitur vni adolescentihonestissimo.

Sponsus ei° obit.

Quæ autem à patre statuta fuissent, puella non ignorabat. nam adolescentis obitu cognouit consilium patris. Itaque iudicium illius connubium vocans, tanquàm id, quod pater decreuerat,effectum esset,in reliquum vitæ tempus apud se manere constituit. In sententiaque permansit constantiùs,quàm ab illa ætate postulabatur. Etenim cùm sæpenumerò parentum ad eam deferrentur sermones, propterea quòd multi erant, qui fama pulchritudinis eius adducti, illam sibi cuperent vxorem adiungere: absurdum & iniquum esse dicebat, sibi non permitti, vt illud coniugium coleret, quo semèl à patre deuincta esset: sed ad alterum cogi respicere, cùm vnum natura sit matrimonium,quemadmodùm vnus ortus & vna mors. Eum verò, cui à parentibus fuisset desponsa,non esse mortuum contendebat, sed spe resurrectionis Deo viuere.Quapropter eum se nõ obijsse,sed pergerè profectum esse iudicare,& nefas fore, si peregrinanti sponso fidem non seruaret. Eiusmodi rationibus repellẽs eos, qui sibi persuadere conabantur, decreuit in eo, quod sibi proposuerat, perstare, ac ne momento quidem temporis à latere matris vnquàm discedere. Quamobrèm ei sæpè dicebat mater, se reliquos liberos in vtero tempore quodam præfinito gessisse, illam verò perpetuò in visceribus suis quodammodò circunferre. Filiæ tamen conuictus, nec laborem matri,nec damnum afferebat. Quin etiam officiosa eius sedulitas multarum ancillarũ instàr erat, & mutua quædam inter eas vigebat remuneratio. Siqui dem altera custodiebat animum filiæ,altera corpori matris inseruiebat,eique in reliquis officijs omnibus ministrabat,vt proprijs etiam manibus matri panem præberet:

Cap. 5.

Respuit planè coniugi.t

Eius pietas & obseruãtia in matrem.

Est matris ergà filiam affectus.

Quæ

Quæ tamen illi præcipua cura non erat. Sed posteaquàm sacris officijs satisfecerat, existimãs id suo vitæ instituto conuenire, ex labore suo matri victum subministrabat. Idque non ei solùm ab ea, sed tribus prętereà principibus præstabatur: quoniam eius possessio in tot gentibus disseminata erat.

Cap. 6. Cùm igitur mater varijs curis distringeretur: (pater enim iam naturæ concesserat) in omnibus laboribus matri se sociam præbebat, & solicitudinum partem ipsa subiens, eam graui molestiarum onere leuabat. Simul autem & matris disciplina vitam ab omni reprehẽsione integram seruauit, cùm in eius oculis semper ageret, eiusdemque testimonio probaretur: & se vicissìm ei magnam ad parem philosophiæ scopum exemplo vitæ suæ ducem præbuit, paulatìm ipsam ad puriorem perfectioremque vitam trahens. Cùm autem reliquæ sorores honestè collocatæ essent à matre, à publicis literarũ gymnasijs, in quibus diù versatus fuerat, reuertitur Magnus Basilius, ipsius Macrinæ frater: quem illa, scientia & eloquentia vehementer elatum existimans, omnesque despicientem dignitates, & fastu superantem eos, qui in magistratu essent, tanta celeritate ad idem sapientiæ studium incitauit, vt mundi posthabita claritate, despectaque eloquentiæ gloria, laboriosum hoc operosumque viuendi genus per paupertatem perfectam amplexus, expeditam sibi ad virtutem viam struxerit. Cæterùm illius vita ac instituta, quibus in omnibus orbis partibus, quæ illustrantur à Sole, celebratus, gloria sua splendorem omnium virtute illustrium obscurauit, longam scriptionem & multum temporis desiderant. Quapropter illuc, vndè digressa est, nostra reuertatur oratio.

Macrina Basiliũ Magnũ ad studium perfectionis incitat.

Cap. 7. Cùm ipsa à se omnem turbulentioris vitæ materiam amputâsset, persuasit matri, vt relicta pristina vitæ consuetudine, elatioreque viuendi modo, quas arte subditas, & ancillas ad vsus proprios adhibuerat, secum eiusdem sortis atque ordinis esse vellet, atque vnà cum illis vitam cum virginibus traduceret. Sed narrationis filum volo parumpèr intermittere, nè rem, qua sublimitas virginis magìs declaratur, silentio transeamus. Ex quatuor fratribus is, qui secundùm Basilium natu maximus erat, Naucratius vocabatur, iuuenis eximijs tum ingenij, tum corporis dotibus præditus. Nam & pulchritudine, & robore, & celeritate, & habilitate quadam ad omnia peragendare liquis præstabat. Qui cùm vigesimum secundum ætatis annũ confecisset, dicendoque publicè tale studiorum suorum specimen dedisset, vt omne audientium theatrum ipsius admiratione commoueretur, diuina quadam prouidentia magno mentis impetu ductus, spretis omnibus, quæ in manibus habebat, ad solitariam & inopẽ vitam se contulit, nihil secum præter seipsum ferens. Secutus est eum è domesticis vnus, Chrysaphius nomine, qui & illum diligebat, & eodem vitæ studio tenebatur. Nactus igitur secessum quendam propter Iridem (Est autẽ Iris fluuius, qui per mediam Ponti prouinciam labitur, ortûs principium ab ipsa ducens Armenia, per regionemque nostram influit in Pontum Euxinum) Apud hunc fluuium nactus adolescens locum quendam, densis nemoribus consitum, & collem dorso præcelsi montis superextenso reconditum, in eo procùl ab vrbanis tumultibus, omnibusque tum militiæ, tum iudiciorum perturbationibus & strepitu constitutus, vitam agebat, seque ab illis molestijs, quibus humana vita vexatur, liberans, senes quosdam simul viuentes, egestate & morbo laborantes curabat, studium & negocium illud putans à suo viuendi instituto non abhorrere. Venando igitur (quoniam ad omne genus venaticæ industriæ solertissimus erat) victum senibus quæritabat, & his laboribus pariter domabat adolescentiam: nec ob id alacri animo maternæ voluntati parére desinebat, si quid ab ea aliquandò mandabatur, duplici studio rectè vitam instituens, vt & labore feruorem ætatis extingueret, & obsequendo matri, recta via ad Deum per diuina mãdata contenderet.

Naucratius frater Macrinæ, insignis iuuenis, vitam cõplectitur solitariam.

Eum sequitur Chrysaphius.

Senes morbidos & inopes sustentat labore suo.

Cap. 8. Sic igitur philosophans, & vita sua matrem beatam reddens, quintum annum exegerat, cùm & temperantia pectus instrueret, & totis viribus matris obsequeretur voluntati, quandò miseræ dolis, vt opinor, aduersarij graue & tragicum vulnus inflictum est, quod calamitate & mœrore totam familiam affecit. Repentè enim adolescens vitæ surripitur, non morbo aliquo, aut solita vlla ratione, immatura morte sublatus: sed cùm ad venationem profectus esset, qua industria senio confectis illis victui suppeditabat necessaria, mortuus domum reportatur vnà cum illo ipso socio, & in omni vita coniunctissimo Chrysaphio. Procùl autem aberat mater, trium dierum itinere ab ea remota calamitate. Quæ licèt in omni genere virtutis perfecta esset, tamen cùm

Obit⁹ Naucratij & socij eius.

cùm tam acerbum nuncium à quodam accepisset, natura, vt par est, superante, collapsa exanimataque, tantùm non simul cum voce spiritum amisit. Ratio enim doloris magnitudine victa, succubuit, ipsaque velutì generosus quidam athleta, improuiso vulnere afflicta iacuit. Hìc magnæ Macrinæ virtus apparuit. Quæ non solùm se inuictam atque erectam seruauit, verùm etiam matris imbecillitatem fulsit atque sustinuit. Nam animum eius grauissimo casu deiectum excitans & recreans inuicto robore suo, ad fortitudinem & tolerantiam instituit. Sic igitur tandèm mater dolori restitit, nec indignum aut effœminatum quippiam admisit, vt vel vociferaretur, vel pallium scinderet, vel eiularet, vel luctuosis clamoribus lamentationes intenderet. Sed ratione sensìm impetus naturę depulit, tum proprijs tum filię consilijs, ægritudini medicinam afferentibus. Tunc enim maximè virginis animus excelsus & sublimis extitit. Etenim quanuìs in ea vim suam natura exerceret, (Erat enim frater, & fratrum charissimus, qui tam acerbo genere mortis extinctus fuerat) tamen natura sublimior facta, rationibus suis matrem subleuabat, exemploque suo ad patientiam & virtutem erudiens perficiebat, vt dolore superior existeret. Quanquàm & eius vita virtute semper excellens, nullum sinebat esse tempus, quo mater propter mœstitiam potiùs angeretur, quàm præsenti bono gauderet.

Macrinæ planè mascula virtus.

Cùm igitur iam & nutriendorum liberorum cura, & educationis atque collocationis eorum esset solicitudine liberata, & molestiæ domesticæ maiore ex parte inter ipsos filios diuisæ forent: author, vt dictum est, matri virgo fuit, vt ad sapientiæ studium & puram viuendi rationem sese conferret, eamque à reliquis omnibus rebus, & pristina consuetudine ad propriam humilis abiectæque vitæ moderationem adduxit, vt in ea virginum multitudine eadem cum illis conditione viueret, vnaque mensa, simili lectulo, pari denique & æqua rerum omnium, quæ ad vitam pertinent, ratione vteretur, omni ex ipsarum vita dignitatis differentia sublata. Quamobrèm talis erat vitæ ordo, tantaque in sapientiæ studio præstantia, & tam grauis viuendi disciplina, vt nulla describi possit orationis facultate. Quales enim sunt animi, qui corporis vinculis soluti molestijsque liberati, ex hoc vitæ carcere auolauerunt: talis erat earum vita, quippè quæ ab omni rerum humanarum vanitate aliena, ad Angelorum vitæ similitudinem proximè accedebat. Non ira, non inuidia, non odium, non suspicio inter eas cernebatur: omnis honoris, gloriæ & aliarum id genus inanium rerum cupiditas, omnis fastus & superbia, & reliqua similia vitia indè reiecta erant. Delicias suas in temperantia collocabant: gloriam suam in eo putabant sitam, quòd notæ essent nemini: diuitias, quòd nihil possìderent, quodque terrenas omnes copias tanquàm puluerem à corporibus suis excussissent. Nullum autem non inane studium esse ducebant, quod in hac vita curanda colendaque poneretur. Sola illic rerum diuinarum vigebat cura, perpetuumque precãdi studium, & assidua psalmorum decantatio, quæ nullo vnquàm tempore, nec die, nec nocte, intermittebatur: vt in ea re & opus ipsarum pariter, & quies consisteret. Quænam igitur humana dicendi vis hanc viuendi rationem explicare queat? Erat ipsarum vita inter humanam cælestemque naturam interiecta, vtriusque particeps, vtrique finitima. Etenim quatenùs ab humanis perturbationibus se vindicârat, hominis conditione præstantior erat. Quatenùs autem in corpore cernebatur, & hominis continebatur figura, & sensuum instrumentis vtebatur, Angelicæ & corporis experti naturæ cedebat. Ausit forsitan aliquis etiam non inferiorem esse contendere. Quandoquidem cum carne viuentes, ad similitudinem vacantium corpore Potestatum, onere corporis non premebantur: sed excelsa & sublimis erat earum vita, quippè quæ alto erectoque animo cum cælestibus illis Potestatibus versabantur. In hoc viuendi instituto non paruo tempore vixerant, cùm assiduis inuentorum bonorum accessionibus, sapientiæ studium augentes, ad maiorem animi munditiam appropinquarent.

Cap. 9. Persuadet matri, vt petat monasterium.

In carne spiritualiter viuere angelicum est.

Ad hunc autem tam præclarum scopum assequendum magno erat adiumento frater quidam, eodem ex vtero editus, qui Petrus appellabatur, in quo pariendi dolores finierat mater. Hic enim vltimus à parentibus susceptus est filius, qui simul & natus, & orbus fuit. Quo enim tempore ipse in lucem edebatur, pater è vita decessit. Hunc, quæ inter liberos erat natu maxima, qua de instituta hæc est oratio, paulò post eius ortum ab vbere nutricis sublatum, ipsa statim enutrijt, excellentique disciplina educauit, sacris institutis à puero ipsum erudiens adeò, vt nihil ocij concesserit, quo posset studijs inanibus vacare. Nam illi se & patrem, & magistrum, & custodem, & ma-

Cap. 10. Petr⁹ à Macrina sorore, sanctissimè instituitur à teneris annis.

Nota sanctimonialium miram sanctitatẽ.

trem,& ad optima quæq; consultricem,præbuit: talemque reddidit,vt antequàm excederet è pueritia,in tenero illo ætatis flore ad excelsum philosophiæ gradum asscenderit. Ea quidem erat ingenij bonitate, vt ad omnia artium genera, etiam quæ manibus exercentur,perdiscēda natus esse videretur. Quarè nullo duce perfectam eorum peritiam est assecutus,quæ cæteri multo tempore, & labore discunt à præceptoribus. Is ergò studiorum externorum occupationes aspernatus, & ingenium ad omnes bonas disciplinas percipiendas aptum habens, semperque respiciens ad sororem,quam sibi tanquàm totius boni scopū proposuerat;eos ad virtutē progressus fecit, vt in reliqua vita Magno Basilio virtutis præstātia nihilo inferior fore iudicaretur. Tunc autem sorori & matri erat instàr omniū, & vnà cum illis ad angelicam illā vitam contēdebat.

Nota,ingenij vis quæ fuerit in Petro.

Cap. 11. Petrus multos alit pauperes.

Cùm autem quodam tempore graui laboraretur inopia & fame, multique famæ beneficentiæ excitati,vndiquè confluerent ad eum recessum, quem incolebant, tantum industria sua cibariorum pauperibus subministrauit, vt aduentantium frequentia locus ille non solitudo videretur esse,sed ciuitas. Interìm senex admodùm mater, in vtriusque filij manibus moriens,migrauit ad Deum. Cuius, quæ benedictionis vox fuerit illius,qua erga liberos vsa est, commemorare non erit alienum. Nam cùm de absentibus singulatìm amanter mentionem fecit,vt nullus esset expers benedictionis; tum præcipuè præsentes ipsa precibus suis obtulit Deo. Etenim cùm ei ex vtraque parte lectuli aduersi assiderent,altera manu vtrunque tangens, hisce verbis postremis Deum allocuta est: Tibi, Domine,& primitias & decumam dico fructuum vteri mei. Primitiarum enim locum hæc mihi obtinet primogenita: decumæ verò, extremus hic decimus filius. Tibi autem lege vtraque debentur, & tua sunt munera. In hanc igitur primogenitam meam,& hunc decimum veniat sanctimonia: oratione perspicua designans filiam & filium. Ità benedictioni simul & vitæ finem statuit, cùm prius mandâsset filijs,vt se in sepulcrum paternum inferrent. Id illi,vt iussi fuerant,cùm præstitissent,in reliquum tempus ad sapientiæ fastigiū, semper cum anteacta vita pugnantes,& præterita benefacta posterioribus superare studentes,contendebant.

Moritureorum mater.

Cap 12. Basilius fit Cæsareæ Episcopus.

Intereà insignis inter sanctos Basilius, magnæ Cæsareæ declaratus est antistes,& mysticis sacrificijs suis fratrem consecrans, ad sacram presbyterij dignitatem promouit. Atque hic rursùs eis vitæ cursus ad grauiora sanctioraque dirigebatur, cùm sacerdotij dignitas,sapientiæ studio coniuncta,cumularetur. Pòst autem annis octo transactis,& nono inchoato, per totum orbem celeberrimus Basilius ab hominibus ad Deum concessit, communem patriæ & Ecclesiæ luctûs occasionem præbens. Hanc calamitatem cùm ad Macrinam rumor detulisset, animo illa quidem non potuit in tanto detrimento non commoueri. (Quî enim sororem non tangeret dolor,quo ipsi quoquè inimici afficiebantur?) Attamen vt aurum diuersis aiunt fornacibus explorari, vt, si primam euaserit,in altera dijudicetur,& rursùm in extrema omnes eius materiæ commistæ sordes eluantur: exquisitum autem optimi auri indicium esse,si per omnes transiens,nihil emittat sordium: sic ei contigit, vt varijs molestiarum casibus explorata,præstantis illius animi probitate,nihil vsquàm in ea sordidi, nihil adulterini reperiretur. Ac primò quidem periculum factum fuerat in obitu alterius fratris: deindè in matris funere, quandò commune generis decus Basilius decessit. Sterit igitur tanquàm inuictus pugil, nullo calamitatum impetu labefactata. Erat post hanc iacturam nonus mensis, aut paulò ampliùs, cùm Episcoporum concilium indictum est Antiochiæ,cui nos item interfuimus. Sed posteaquàm domum quisque suam discessimus,antequàm annus præteriret,mihi Gregorio cupiditas incidit, vt sororem inuiserem. Magnum enim interceserat temporis interuallum, quo mutuo inter nos conspectu non potueramus frui, prohibentibus tentationum molestijs, quas ab hæresis principibus patria pulsus, vbiquè sustinueram. Nam dimetienti mihi temporis spatium,quod interìm fluxerat,dum eiusmodi perturbationibus congressus noster impeditur,octo plùs minùs annorum videbatur. Cùm igitur multum itineris iam confecissem, nec ampliùs quàm vnius diei via restaret, visio mihi per quietem manifestum eorum,quæ erant euentura,indicium ostendit. Videbar enim mihi manibus gestare martyrum reliquias,ex quibus splendor elucebat,qualis è leui speculo, si aduerso soli opponatur,egreditur: quo quidem luminis fulgore oculi mei perstringebantur. Hoc autem visum mihi ter occurrit eadem nocte, nec planè, quid portenderet,conijcere poteram. Solicitus itaque animo agitabam,obseruabamque, vt eius significationem exitu iudicarem.

Eius obitus

Concilium Antiochenum.

Gregorius Nyssenus multa ab hæreticis passus.

Eius visio.

Cùm

Cùm iam ad secessum, in quo illa angelicam cælestemque vitam degebat, appropinquans,familiarium quendam interrogaui primùm de fratre, an adesset: quo respondente,illum quarto iam die discessisse cognoscens, eum altera nobis via prodijsse obuiàm,tum etiam de magna illa percontatus sum. Cumque ille respondisset,eam morbo quodam laborare: maiore incensus studio, quod reliquum erat viæ, festinanter arripui. Nam timore etiam quodam perterritus animus,futurum præsagiebat.Sed cùm ad locum accederem,conuentus hominum (fama enim me iam adesse fratribus prænunciauerat)ex locis,in quibus habitabant,ad nos confluxit. Nam honoris gratia amicis obuiàm procedere consueuerunt. At virginum chorus ad ecclesiam modestè nostrum aduentum expectabat. Verùm cùm fecissemus & precandi, & benedicendi finem,atque illæ inclinato priùs capite benedictioni, honestè discedentes abissent ad loca sua, nec vna quidem earum apud nos relicta esset, facilè id, quod erat, conieci,non esse inter eas ipsarum ducem: & precedente quodam atque ostium aperiente,sacram illam domum,in qua inerat illa magna,ingressus sum. Vehementer autem tum ægrotabat. Neque verò in lecto, aut strato quopiam, sed humì quiescebat, subiecta sacco tabula,& altera caput eius sustinente tabula, quæ puluinaris loco insigni figura collum eius subibat,& ceruicem ipsius in se decorè recipiebat.

Episcopalis benedictio antiquitus vsitata.

Nota lectū & puluinar Macrinæ.

Cùm igitur vidisset me prope fores esse,sese in cubitum erigens, accurrere illa quidem non potuit, (nam febri defecerant vires) sed tamen solo manus affigens, seque, quantùm poterat,ex humili lectulo promouens, honorem habuit,quem mihi obuiās præstare non poterat: sed ego accurrens, manibusque susc̄ipiens, humì deiectam excitaui,& cubili solito restitui. Hîc illa manibus ad Deum sublatis: Gratias, inquit,tibi ago,Domine Deus,qui & hoc mihi largitus es,nec quod optabat animus meus,ei denegâsti: sed impulisti seruum tuum,vt me tuam ancillam inuiseret. Ac nè quam animo molestiam adspergeret,gemitum molliebat,& celare difficultatem spirandi conabatur,seque ad hilaritatem omni ratione reuocabat, iucundi sermonis & ipsa quærens occasionem,& nobis interrogationibus suis materiam præbens. Sed cùm series ipsa sermonis nos ad mentionem de Basilio perduxisset, mihi quidem commotus est animus,& præ mœstitia vultus concidit,& ex oculis lachrymæ defluebant. At illa tantum abfuit,vt eadem perturbatione nobiscum deijceretur,vt ex Basilij memoria sublimioris philosophiæ materiam arripiens,ea disputârit,rerum humanarum causas exquirens,& occultam in rebus aduersis prouidentiam Dei dicendo aperiens, & quæ pertinent ad vitam futuram, tanquàm diuino spiritu afflata, percurrens, vt animus meus dictis illius excitatus,& eius oratione in cælestibus adytis constitutus, extra naturam hominis positus esse videretur. Ac quemadmodùm Iob,vt in eius historia legimus,quanuis totum corpus,vlceribus vndiquè putrescentibus, sanie contabesceret, sensum ad dolorem ratiocinādo non demittebat: sed corpore quidem sentiebat dolorem,animo verò ad propriam actionem nihilo factus erat imbecillior,nec sermonem altioribus de rebus institutum interrumpebat: sic in magna illa cernebam. Etenim licèt febris omne robur ipsius exiccâsset,& corpus eius tanquàm rore quodam frigefaciens,ad mortem compelleret: mentem tamen expeditam, & tanquàm morbo illæsam, in rerum sublimium contemplatione detinebat. Quòd nisì vererer,nè in immēsum oratio protraheretur, ordine cuncta persecutus essem, quomodò dicendo prouecta sit,vt & de hominis animo disputaret,rationemque vitæ huius in carne percurreret,& quem ad finem homo,& quomodò mortalis,& qua de causa immortalis, & quæ hinc ad alteram vitam resolutio. Quæ quidem omnia, tanquàm vi spiritûs rapta,sapienter distinctéque declarauit, oratione ipsius facilè tanquàm aqua ex aliquo fonte defluente,& sine vllo impedimento per pronum delata.

Iob 2. &c.

In morbūdo eius corpore inuicta bilis animi vis.

Facto autem dicendi fine, Tempus est, inquit, pater, vt pāulispèr quiescas, & corpus cures: quippè qui de via longâ fessus sis. Ego autem quanuis in eius adspectu & sermone tam grauibus de rebus vehementer vereque conquiescerem: tamen, quoniam sic ei gratum erat,nè non in omnibus magistræ parérem, in hortis proximis gratum quoddam diuersorium instructum nactus, sub arbustorum vmbra quiescebam: sed nullam ex rebus iucundis poteram oblectationem percipere, cùm animus intùs rerum tristium expectatione premeretur.Nam eorum,quę per quietem adspexeram, ænigma ex præsentibus explicari videbatur. Spectaculū enim propositum,verè Martyris sancti reliquias referebat, quæ peccato quidem mortuæ, inhabitante spiritûs gratia splendescerent. Et hæc cuidam eorum,qui antè somnium meum audiuerant,

Cap.13.

Cap.14.

Macrinæ fortissimus animus.

Cap.15.

exposui. Cùm autem demissiore animo tristia expectaremus, illa nescio quomodò cogitationes nostras conijciens, misit qui lætiora denunciaret, iubens nos bono esse animo, & meliorem de se spem concipere. sensisse enim, morbum in melius verti. Hęc autem non ad nos decipiendos dicebantur, sed ex vero, licèt eo tempore nos id ignoraremus. Reuerà enim tanquàm cursor aliquis aduersario superato, & iamiàm stadij metam attingens, & ad præmium appropinquans, victoriæque coronam adspiciens, tanquàm voti iam compos effectus sit, lætatur, sibique & amicis lætum victoriæ nuncium affert: sic illa quoquè affecta, meliora de se iubebat sperare. Iam supernæ vocationis præmium spectans, ac tantùm non illa Apostoli verba de se etiam dicens: De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex, quandoquidem bonum certamen certaui, & cursum consummaui, & fidem seruaui. 2. Tim. 4.

Cap. 16. Ad bonorum igitur nuncium recreati surreximus, vt ijs præsentibus freueremur. Erant autem hæc varia, & lætitiæ plenus apparatus. Nam hucusquè studio Magna illa descenderat. Verùm cùm rursùs in eius conspectum veniissemus, non permisit inaniter tempus consumere: sed à pueritia sua memoriam eorum repetens, quæ contigerant, tanquàm de scripto omnia recensebat, neque illa prætermittens, quæ de parentum nostrorum vita recordabatur, quæque vel ante vel post ortum meum euenerant. Narrationi autem is erat propositus finis, vt Deo gratias ageret. Ipsorum enim parentum vitam, non tam opibus claram & illustrem, quàm diuina benignitate auctam cumulatamque demonstrabat, cùm propter confessionem Christi, patris genitores fuissent oppugnati atque vexati: auum autem maternum indignatio regia sustulisset, omniaque illius bona alijs dominis distribuisset. Attamen adeò per fidem creuisse, vt eo tempore nullus eis clarior extiterit. Rem autem familiarem, quamuis pro numero liberorum multiplici ratione fuisset diuisa, tamen eum cumulum diuina clementia suscepisse, vt parentum opes, singulorum filiorum sors superauerit: sibi autem ex æqua in fratres partitione reliquum fecisse nihil, sed omnia manibus sacerdotis diuino mandato dispensâsse, & Deo suppeditante talem sibi fuisse vitam, vt neque tunc iuxta præceptum manibus desierit laborare, neque ad hominem vnquàm respexerit, aut in cuiusquam beneficentia honestè viuendi spem collocauerit. Quinetiàm vt nunquàm petentes repulerit, sic dantes nunquàm quæsiuisse: cùm Deus occulta quadam ratione paruos labores suos tanquàm semina ad fructum multiplicem benignitate sua perduceret. Sed cùm proprios ego labores, quos sustinueram, recenserem: primùm, cùm à Valente Imperatore propter fidem fuissemus in exilium pulsi: deindè, cùm ecclesiarum perturbatio nos ad certamina & sudores euocaret: Non desines, inquit illa, diuinorum beneficiorum immemor esse? ingrati animi vitium non cohibebis? non comparabis parentum rationibus tuas? Atquì si quantùm pertinet ad hanc vitam, ea re gloriamur, quòd claro genere nati & honestis orti parentibus sumus, pater quidem illis temporibus & iuuenis eatenùs floruit, vt inter ciues & in iudicijs eius gloria consisteret. Pòst autem eruditio quidem ipsius se longiùs extulit, fama tamen Pontum non est egressa. Satìs enim illi fuit in patria clarum esse. Tu autem, inquit, ciuitatibus, populis, nationibus celebris es. Te ad ferendum auxilium, te ad res constituēdas ecclesiæ mittunt, & Dei munus non adspicis? nec talium bonorum causam agnoscis? Parentum enim preces te ad hoc fastigium tollunt, nihil aut perexiguum ad eam rem opis habentem domesticæ.

Eius sub inortē memorabilis narratio.

Gregorius Nyssenus à Valēte pulsus in exilium.

Cap. 17. Nota hæc de vespertinis precibus. Hęc illa cùm persequeretur, diem equidem producilongiùs optabam, nè dulci sermone aures nostras desisteret oblectare: sed cantantium vox me ad gratias agendas vespertinas vocabat. Quamobrèm cùm me ad ecclesiam dimisisset, rursùm Magna illa precibus ad Deum accessit. Ac nox quidem ità transacta est. Cùm autem diluxisset, mihi quidem ex indicijs manifestum erat, diem illum ei huius vitæ terminum fore, cùm quicquid in natura virium inerat, febris consumpsisset. Sed illa cogitationis nostræ respiciens imbecillitatem, præclaris illis sermonibus effundens, quod reliquum erat afflictæ animæ, in summa spirandi difficultate nos à tristiore spe abducere conabatur. Tum verò animus meus præsenti spectaculo varijs afficiebatur modis. Nam & natura ipsa me, vt par est, ad mœstitiam impellebat, cùm non sperarem ampliùs me talem vocem auditurum, sed quamprimùm communem gloriam nostri generis ex humana vita migraturam putarem, & mens ex ijs, quæ videbat, erat tanquàm numine afflata, eamque verè ex communi natura excessisse arbitrabatur. Etenim cùm extremum quidem spiritum duceret, in spe migrationis nihil noui sentire, neque timere

mere in ipso vitæ exitu: sed animo excelso de hac vita iudicantem, quoàd animam ageret, philosophari, mihi non hominis ampliùs videbatur, sed cuiusdam Angeli, qui diuina prouidentia formam subijsset humanam, nec vlla cognatione aut necessitudine cum hac vita mortali coniunctus esset: atque ità nihil indecorum admittens, sinè perturbatione permaneret, carne ad proprias affectiones non attrahente. Itaq; mihi videbatur diuinum illum & purū sponsi cęlestis amorem, quem in animi arcanis absconditum aluërat, tunc ijs, qui aderant, ostendere, & cordis affectionem indicare, ad eum, quem desiderabat, festinans, vt corporis vinculis liberata, celeriter illum conueniret. Verè enim ad virtutem cursum intendebat, cùm nihil eorum, quæ iucunda sunt in hac vita, oculos eius ad se conuerteret. In ipso mortis agone vt se gesserit.

Cap. 18. Iam maxima diei pars præterierat, & sol ad occasum appropinquabat. At illa mentis alacritatem non remittebat: sed quo magis ad exitum appropinquabat, eo clariùs sponsi intuens pulchritudinem, maiore festinatione ad amatum contendebat, non ampliùs nos præsentes, sed illum ipsum alloquens, quem defixis oculis contemplabatur. Nam lectulus eius ad Orientem vergebat. Desinens igitur nobiscum loqui, precibus deincèps loquebatur cum Deo, manibus supplicans, & tenui voce ità submurmurans, vt quæ dicebantur, mediocriter à nobis exaudirentur. Talis autem erat precatio, vt dubium non esset, quin funderetur ad Deum, & ab illa Deus audiretur. Tu, * inquibat, Domine, mortis metum nobis abstersisti. Tu effecisti, vt huiusce vitæ finis, veræ nobis esset principium vitæ. Tu nostra corpora ad tempus somno tradis, rursumque è somno suscitas extrema tuba. Tu terram nostram, quam manibus formâsti, tanquàm depositum terræ committis, & quod ei dederas, rursùm repetis, quod in nobis mortale atque deforme est, immortalitate & gratia decorans. Tu nos ab execratione peccatoque liberâsti, vtrunque pro nobis effectus. Tu draconis capita collisisti, qui per voraginem contumaciæ faucibus hominem corripuerat. Tu portis tartari confractis, & debilitato, qui mortis habebat imperium, nobis ad resurrectionem aditum patefecisti. Tu ad hostis perniciem, & vitæ nostræ securitatem dedisti signum metuentibus te, notam sanctæ Crucis. Aeterne Deus, cui addicta sum ex vtero matris, quem ex totis viribus dilexit animus meus, cui & carnem & animum ab adolescentia mea ad hoc vsque tempus consecraui: Tu mihi adhibe angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerij, vbì quietis est aqua, in sinus sanctorum Patrum. Tu qui flammeum fregisti gladium, & paradiso reddidisti hominem, qui tecum cruci suffixus erat, & ad misericordiam confugerat tuam, memento etiam meî in regno tuo. Siquidem & ego crucifixa sum tecum, configens timore tuo carnes meas, & ab iudicijs tuis metuens. Nè separet me chaos illud formidandum ab electis tuis. Nè impediat inuidus iter meum. Nè reperiantur ante oculos tuos peccata mea, si propter naturæ infirmitatem collapsa, aut verbo, aut opere, aut cogitatione peccaui, condona id mihi tu, qui habes in terra dimittendi peccata potestatem, vt refrigerer, & in corporis spoliatione ante conspectum tuum inueniar non habens maculam in forma animi mei. Sed sine repræhensione & labe suscipiatur animus meus in manibus tuis, tanquàm incensum in conspectu tuo. Hæc dicens, oculis, & ori, & cordi Crucis signum apposuit. Lingua verò paulatìm febri penitùs exiccata, verba ampliùs non exprimebat, & vox implicabatur. Quarè sola labiorum dilatatione, & manuum motu, eam precationi incumbere cognoscebamus. Precatio eius in supremo spiritu constitutæ. Gal. 3. 2. Cor. 5. Psal. 73. Luc. 23. Nota antiquissimum morem Crucē se consignandi.

Cap. 19. Cùm interìm vesper aduenisset, & lumen illatum esset, illa oculorum orbem explicans, & ad splendorem respiciens, ad vespertinam gratiarum actionem pronunciandam promptum animum prę se ferebat: sed voce deficiente, corde & manuum motione proposito satisfaciebat, & ad interiorem affectionem labra commouebat. Absoluta autem gratiarum actione, manum ad faciem signandam admouit, & voti finem adesse declarauit, & magnum quendam ac profundum spiritum ducens, precationem simul & vitam terminauit. Cùm igitur nec spiraret ampliùs, & iacéret immobilis, ego memor eorum, quæ in ipso primo congressu mihi mandauerat, dicens se velle, vt manus mea sibi oculos clauderet, & solitum ori suo præstaret officium: sancto vultui dolore languentem manum adhibui, nè mandatum eius negligere viderer potiùs, quàm quòd eiusmodi officium oculis eius esset necessarium: quippe qui, quemadmodùm fit in somno naturali, palpebris decorè contecti erant. Et labra itidèm clausa, manusque venustè pectori cohærentes. Totus deniquè corporis situs ea dignitate compositus, vt ornantium manu non indigeret. Meus autem animus dupliciter angebatur, Abit è corpore ad cōcupitū diù Saluatorē.

gebatur, tum ob ea, quæ cernebam: tum ob luctuosas virginum voces, quibus aures meæ circunsonabant. Hactenùs enim illæ quiescentes, se fortiter gesserant, animoque dolorem incluſum continentes, fletûs impetum compresserant, obseruantes eam, verentesque, quanuis corpus eius iam conticesceret, nè increparentur: aut si qua vox contra præscriptum erumperet, nè magistra ex ea re molestiam caperet. Vbi verò silentio dolor non potuit amplius coërceri, non aliter, quàm si victos earum animos quidam ignis exureret, ſtatim in acerbum & incredibilem luctum proruperunt: adeò vt ratio mihi non consisteret amplius in proposito: sed tanquàm alicuius obruta torrentis impetu, cederet perturbationi, seque totam lamentationibus daret. Aequam autem ac iustam mihi dolendi lugendique causam habere virgines videbantur. Non enim se consuetudine, aut gubernatione quapiam humana, aut alijs eiusmodi rebus, quas in calamitatibus suis homines grauiter ferunt, orbatas dolebant: sed tanquàm ab ipsa in Deum spe, & animorum salute seiunctæ essent, plorabant. Hæc in lamentationibus suis conquerebantur, dicentes: Extinctum est lumen oculorum nostrorum: erepta est lux, quæ animis nostris in itinere præcedebat: disiectum est vitæ nostræ præsidium: sublatum specimen integritatis: abscissum concordiæ vinculum: contritum imbecillium firmamentum. Te duce nox erat nobis diei loco, vitæ tuæ splendore illustrata: Iam verò vel dies in tenebras conuertetur. Grauiùs autem præter cæteras luctum intendebant, quæ matrem ipsam & nutricem appellabant. Erant autem illæ, quas penuriæ famisque tempore in alimentorum largitione proiectas in vijs sustulerat, alueratque, & ad castam atque incorruptam viuendi rationem informauerat.

Eius morte summè dolent sacræ virgines.

Item pauperes quos in vita alluerat Cap. 20.

Verùm posteaquàm animum tanquàm ex profundo quodam angore collegi, in sacrum illud caput intendens aciem oculorum, quasi reprehensus ab ea propter inconditum illum tum ultruantium strepitum, magna voce clamans: Ad hanc, inquam, respicite virgines, & præceptorum eius recordamini, quibus ab ea ad omne decus & honestatem estis institutæ. Diuinus ille animus vnum nobis lachrymarum tempus præscripsit, id fieri iubens, cùm vacaretis precationi: quod nunc etiam potestis efficere, lamentationis clamorem pia psalmorum decantatione commutantes. Hæc, quàm maximè poteram, clara voce dicebam, vt superarem strepitum conquerentium. Deindè cohortatus sum eas, vt in proximam domum secederēt, relictis duntaxàt aliquibus, quarum opera libentiùs illa, dum viueret, vtebatur. In earum erat numero quædam fœmina nobilissima, diuitijs, & genere, & corporis forma, atque alijs nominibus illustris, in ipsa adolescentia constituta. Hæc viro cuidam honestissimo in matrimonio collocata fuerat, sed breui tempore cum illo vixerat. Quarè coniugio liberata, viduitatis suæ custodem & magistram magnam Macrinam elegerat, & cum virginibus plurimùm versabatur, vt ab eis rectam & ex virtute viuendi rationem edisceret. Vestiana illi erat nomen: Pater Araxius vocabatur, vnus è numero senatorum summi consilij. Ad hanc ego: Nunc quidem, inquam, inuidiosum non erit, si defunctæ splendidiorem adiecerimus ornatum, & puram illam immaculatamque carnem clarioribus vestimentis induerimus. At illa intelligere respondit oportere, quidnam illi sanctæ in hoc genere probatum foret. Nihil enim à nobis geri fas esse contra voluntatem ipsius. Omninò autem, quod Deo gratum acceptumque esset, idem ei iucundum futurum.

Vestiana fœmina nobilissima.

Cap. 21.

Erat quædam præfecta virginum choro in ministerij gradu, nomine Lampadia, quę sententiam eius de funerum pompis se planè scire dicebat. Hæc à me his de rebus interrogata, (fortè enim intererat consultationi) cum lachrymis respondens: Integrè & purè viuendo, inquit, sancta sibi ornamentum parauit, quod & vitam ipsius decoraret, & sepulturam. Nam quod ad corporis ornatum spectat, nec dum viueret accepit, nec in hunc vsum reseruauit. Quarè ne si velimus quidem, ampliùs licet, cùm ad hanc rem non suppetat apparatus. Nihílne, inquam, reconditum est, quo iusta & exequiæ possint adornari? Quid, inquit illa, reconditum narras? Quicquid reconditi est, in manibus habes: eccè pallium, eccè capitis tegmen, & trita pedum calceamenta. Hę sunt opes, hæc supellex. Nihil præter id, quod cernis, in arculis aut thalamis conditum latet. Vnam diuitiarum suarum cellam nouerat, thesaurum, cælestem: illic omnia collocauit, nihil reliquit in terra. Tum ego: Quid, inquam, si ad funus ornandum ex ijs, quæ mihi parata sunt, aliquid proferam, num inconsultè factum existimabit? Id præter sententiam eius futurum, se non arbitrari, respondit. Nam etsi, inquit, viueret, duabus de causis non repudiaret honorem tuū, vel propter sacerdotij dignitatem, quam semper venerata est: vel propter naturæ necessitudinem. neque enim alienum duceret

Nota summam Macrinæ paupertatem.

ret id, quod à fratre esset. Idcircò manibus etiam tuis corpus vt curaretur, mandauit. Cùm igitur ità visum esset, & sacrum illud corpus tegi vestibus oporteret, studium inter nos diuidentes circa ipsam, alius aliud cogitabamus. Et ego quidem iussi cuidam ex meis, vt vestem afferret: Illa verò, qua de mentionem fecimus, Vestiana proprijs manibus ornans sanctum illud caput, cùm eius ceruici manum submisisset, Eccè, inquit, ad me respiciens, quale è collo sanctæ monilis ornamentum pendet. Et hæc dicens, solutis ponè vinculis, prætendit manu ferreum Crucis signum, & annulū quendam ex eadem materia. Quæ quidē vtraque cordi semper adhærebant. Et ego: Communis, inquam, sit hæc possessio. Ac tu quidem habeas Crucis insigne: mihi autem hæreditas annuli satis erit. siquidem in huius etiam pala Crux erat impressa. At cum mulier intuens, rursùs ad me, In deligendo, inquit, non aberrâsti. Etenim excauatus est annulus sub ipsa pala, ibique de ligno vitæ particulam conditam habet, quod superadiacens pala simili nota significat.

Eccè tibi ferreū Crucis signum, quod illa semper ad pectus habuit.

In ferreo annulo particulam S. Crucis gestauit.

Cæterùm cùm tempus posceret, vt castum corpus veste tegeretur, quod quidem officium ex Magnæ mandato ad me pertinebat necessariò, cumque præsens esset, ac simul contrectaret ea, quæ mecum magnæ illius hæreditatis particeps fuerat, Nè prætermiseris, inquit, intueri rei admirādæ ab hac sancta perfectæ magnitudinem. Quidnam istuc est, inquam? At illa pectoris partem denudans, Vides hoc, inquit, tenue & obscurum sub collo signum? (Videbatur autem puncto simile, tenui acu confecto) simulque lucernam propiùs admouit ad locum mihi demonstratum. Quidnam, inquam, admirandum, si tenue signum in hac parte est? & hoc, inquit, diuini auxilij in magnam Macrinam monumentum, in eius corpore relictum est. Etenim cùm acerbè intumuisset olim hæc pars, & periculum esset, nè tumor secandus esset, aut nè latiùs serpens malum, fieret immedicabile, si ad loca cordis appropinquâsset, rogauit sæpiùs & obsecrauit mater, vt medici manum admitteret: & eam nanque artem à Deo pro salute hominum ostentam esse. Illa verò cùm aliquam corporis partem alienis oculis aperire morbo ipso grauius iudicaret, ad vesperam, cùm solitā matri proprijs manibus nauâsset operam, in sacellum sanctissimum ingressa, totam noctē prostrata, curationum Deo supplicauit, &, quæ ex oculis defluebat, aquā cum terra commiscens, lachrymarum lutum, morbo medicamentum adhibuit. Matri autem exanimatæ, hortantique vt medico vteretur, sibi ad expellendum morbum satis esse respondit, si manu sua mater ipsa locum sancto signo muniret. Quum igitur mater in sinum eius manum intulisset, vt eam partem signaret, signum quidem egit, morbus autem abijt. Sed hæc parua nota, loco horribilis tumoris apparuit, & ad finem vsque permansit, vt esset, quem admodùm arbitror, diuinæ opis indicium, quo ad agendas gratias Deo continenter moueretur.

Cap. 22.

Vide pudicitiam.

Vide efficaciam signi Crucis.

Posteaquàm studio nostro finem imposuimus, & ex domesticis copijs corpus exornauimus, non decere dixit ministra illa, corpus ad sponsæ similitudinem ornatum ante virginum oculos poni. Sed est, inquit, mihi ex vestræ matris vestimentis nigrum pallium, quod rectè, vt ego quidem sentio, poterit superinijci, nè externo & aduentitio isto vestitûs ornatu, sacra hæc pulchritudo illustretur. Quæ sententia cùm valuisset, & pallium adiectum esset, ipsa tamen in amictu pullo, diuina, vt arbitror, potentia & hanc corpori addente gratiam, ità splendebat, vt quemadmodùm in quiete visum ostenderat, radij quidam ex eius pulchritudine planè elucere viderentur. Interim dum hæc agebamus, & virginum cantu lamentationibus commisto resonabat locus, fama nescio quomodò vndiquè diffusa, omnes finitimi ad funus confluxerūt, adeò vt concurrentes vestibulum non caperet. Cùm igitur nocturna peruigilatio, vt in Martyrum celebritate, canendis psalmis perfecta esset, & crepusculum aduenisset, confluentium vicinis è locis omnibus virorum & mulierum multitudo, psalmorum decantationem fletibus interpellabat. Ego autem quanuis propter calamitatem animo essem consternatus, tamen ex rebus præsentibus, quoàd fieri potuit, operam dedi, vt nihil in tali funere desideraretur. Itaque confluentē populū in genera distribuens, mulierumque multitudinē admiscens virginum choro, virorū autem turbam adscribens monachorum cœtui, vnum quendam ex vtrisque studui aptum concinnumque, tanquàm in psalmos canentium congressu, ex communi omnium concentu aptè coniunctum ordinem constituere. Verùm cùm paulatim progrederetur dies, & locus præ confluentium multitudine angustus redderetur, surgens qui ei regioni præfectus erat Episcopus, Araxius nomine, (aderat enim cum vniuersa

Cap. 23.

Splendor corporis eius exanimis.

Vigiliæ in celebritate martyrum.

Araxi⁹ Episcop⁹ venit ad eius exequias.

multitudine sacerdotum) præcepit, vt sensim præcederet tabernaculum. Nam & satis longum viæ interuallum intercedebat, & multitudo alioquin ob motum incitatiorem impedimentum attulisset. Deindè omnes, quos in munere suo obeundo ministros habebat & adiutores, vt sua præsentia corpus decorarent, cohortatus est.

Cap.24. Cùm autem hæc ità constituta studiosè gererentur, ego feretrum subiens, illũ adhuocaui, vt alterã partem sustineret: posteriores verò feretri partes subiêrũt alij duo de Clero insignes viri. Sensim igitur procedebatur, cùm & qui præibãt, pedetẽtim incederent, & nos itèm gradatim sequeremur. Etenim cùm frequens populus feretrum circunstaret, nec tam mirabili & sacro spectaculo posset expleri, non erat facile nobis iter facere. Ex vtraque autem parte præcedebat non exiguus diaconorum ministrorumque numerus: qui omnes ordine progredientes, accensos cereos manibus

Accensi cerei gestãtur ad funus.

gestabant. Quæ quidem pompa non carebat mysterio, cùm à principio ad finem vsq; decantatio psalmorum eadem voce, triplicij; canentium ordine, sicut ille trium puerorum cantus, absolueretur. Porrò cùm inter secessum & sanctorũ martyrũ ædem,

Canuntur psalmi. Dan.3.

in qua parentum etiam corpora quiescebant, septem octóve intercederent stadia, totum propè diem in eo spatio conficiendo consumpsimus. congredientium enim multitudo, quæ assiduè magis augebatur, non sinebat nos ex sententia progredi. Sed vbi intrà fores templi constitimus, demùm, depositò feretro, nos ad precationẽ conuertimus. Quæ quidem precatio populo luctûs materiam præbuit. Silẽtio enim psalmis canẽdis impositò, cùm sacram illam faciem virgines adspexissent, & parentũ iam esset patefactus tumulus, in quem illã decreueramus inferre, vnaque earum nos post eam horam diuinum illud caput non ampliùs inspecturos, perturbatiùs exclamante, & reliquis deincèps virginibus eadem vociferatione subsequentibus, incondita quædam confusio rectè constitutum & sacrum illum psalmorum cantum est consecuta. Nam virginum luctu fracti, omnium animi commouebantur. Itaque nobis nutu silentium imperantibus, & præcone præeunte, & solitas Ecclesiæ voces inclamante, vix tandèm populus se ad precandum composuit.

Cap.25. Leuit.18. Cæterùm conuenienter facto precandi fine, me timor quidam inuasit, cõsiderantem præceptum illud, quo prohibemur patris aut matris turpitudinem aperire. Et quomodò, inquam, hoc ego iudicium effugiam, si in parentum corporibus videro communem humanæ naturæ turpitudinem, cùm verisimile sit, ea collapsa dissolutaque, ad turpem & inconditam peruenisse deformitatem? Hæc autẽ mihi cogitanti,

Gen.9. formidinem auxit indignatio Noë: cuius historia me, quid facto esset opùs, admonuit. Priusquàm igitur corpora nostris oculis essent exposita, pura sindone operta sunt. Nam cùm operculum esset sublatum ex vtraque parte summa, linteum iniectũ est: quo linteo contectis parentum corporibus, ego & regionis Episcopus ille, cuius mentionem feci, sacrum illud corpus è feretro tollentes, iuxta matrem apposuimus,

Sepelitur Macrina iuxta matrẽ. Cap.26.

atque ità votum vtriusque compleuimus. Vno enim consensu semper orauerant Deum, vt corporibus post mortem copularentur, vt quæ inter ipsas fuërat in vita cõiunctio, ne in ipsa quidem morte dissolueretur.

Cùm autem iustis legitimè peractis recedendum esset, prostratus ad tumulum & puluerem osculatus, tristis & lachrymans discedebam, cogitans quanto bono vita esset orbata: cùm mihi in ipso itinere vir quidam illustris in re militari, qui in ciuitate Ponti, cui nomen Augustæ, dux exercitûs erat, audita calamitate, atque ægrè ferens, cum subditis humaniter obuiàm processit. Erat enim mihi & sanguinis, & amicitiæ necessitudine coniunctus. Hic mihi de ipsa miraculum narrauit, quod vnum adiungens historiæ, faciam scribendi finem. Etenim cùm lachrymis modum adhibentes, colloqui cœpissemus, ille ad me, Audi, inquit, quale quantumque bonum migrauit è vita: atque ità sermonem exorsus est: Magna mihi, vxorique meæ quondàm cupiditas incidit videndi Virtutis Gymnasium. Sic enim, inquit, locum illum, in quo beatus ille animus degebat, appellandum arbitror. Nobiscum autem erat filiola, cuius oculum ex pestilenti morbo calamitas occupârat,

Petrus frater S. Macrinæ præfectus virorum, Macrina verò virginum.

adeò vt obducta tunica circa pupillam, contractoque albore, fœdum esset miserandumque spectaculum. Diuinam igitur illam domum ingressi, ità separati sumus in eo sapientiæ vacantium loco, vt ego quidem diuerterem, vbi habitabant viri, quibus præerat Petrus frater tuus: illa autem intùs, vbi erant virgines, cum sancta Macrina versaretur. Hîc cùm aliquantulùm essemus commorati, tempus esse duximus, vt discederemus. Iamque discessum adornabamus, cùm vtrinq; nobis humana quædam

dam vis illata est. Nam & frater tuus mihi iubebat, vt manerem, & studiosorum mensæ particeps fierem: & beata illa non dimittebat vxorem meam, sed filiolam in sinu gerens, non priùs illam se reddituram aiebat, quàm mensam appârasset, & nos philosophiæ diuitijs accepisset. Puellulam autem exosculatus, & admouens os oculis eius, vbi pupillam affectam vidit: Si hoc mihi, inquit, concesseritis, vt apud nos esse velitis, gratiam vobis tali honore non indignam referam. Ecquam, inquit puellulæ mater? Est mihi, respõdit Magna, medicamentum, ad curandum hunc oculum, appositum. Quæ quidem promissio cùm mihi à quodam ex virginum conclaui nunciata esset, libenter mansimus, posthabita, quæ nos vrgebat, proficiscendi necessitate.

Cùm igitur conuiuium, quod Petrus humanitate & gratia sua condiuerat, habe- Cap. 27.
retfinem, vxorque nobis à sancta Macrina omni conuenienti iucunditate recreata remissa esset, lætitia & gaudio pleni, nos in viam dedimus. Et quæ vtrique nostrûm contigerant, inter eundum narrabamus: ego quidem quæcunque in virorum cõclaui vel videram, vel audieram, recensebam. Et illa vicissim tanquàm ex historia singula repetens, nihil omninò, quantumuis paruum, omittendum existimabat. Itaque cùm non aliter, quàm ex scripto tanquàm in altera lance appendens, ordine cuncta percurreret, iamque ad eam peruenisset partem, quæ curationis oculi promissionem continebat, narrationem intermittens: Quidnam, inquit, egimus? quomodò negleximus promissum ipsius? collyrium, inquam, illud, quod nobis promiserat? Cumq; ego itèm negligentiam incusarem, iuberemque vt celeriter aliquis ad illud poscendum excurreret, infans interìm, quæ in manibus nutricis erat, matrem respicit: etiam mater ad eius oculos aciem intendens, Negligentiæ, inquit, nostræ desinas succensere. Eccè tibi bona fide solutum, quod illa promiserat. Veram enim morbo- Oculũ malè affectum sanauit S. Macrina.
rum medicinam, quæ precibus fit, nobis exhibuit, cuius ea vis fuit, vt ne vestigium quidem morbi in oculo relictum sit: adeò diuino illo medicamento planè curatus est. Atque ità loquens, filiolam suscipiens, mihi in manus tradidit. Tunc ego miracula, quæ in Euangelio narrantur incredibilia, cogitatione complectens, Quid mirum, inquam, è manu Dei cæcos videndi potestatem accepisse, quandò nunc eius ancilla per fidem in ipsum præstat illas curationes? opus enim cernimus, haud multò miraculis illis inferius. Hæc ille mihi dum narrat, singultus vocem eius intercepit, & subsecuta est copia lachrymarum. Atque hæc quidem à milite.

Quæ autem ab illis, qui simul cum ea vixerunt, quique omnem illius vitam planè Cap. 28.
perspectam & cognitam habebant, acceperim, huic narrationi attexenda non cen- Multa eius miracula propter incredulos noluit scribere Gregorius.
seo. Plerique enim pro eo, quantum ipsi possunt efficere, credunt ea, quæ dicuntur. Quæ verò audientis superant vires, tanquàm à veritate remota, mendacij suspicionibus insectantur. Proindè mirandam illam in penuria & fame agriculturam prætermitto. Quomodò in pauperum vsus proiectum frumentum, nec dum distribueretur, nec post imminutum sit, sed eadem mensura numeroque permanserit, aliaq; his longè magis admiranda, morborum curationes, expulsiones dæmonum, & veras futurorum prædictiones: quæ quidem omnia ijs, qui diligenter explorârunt, vera esse constat, licèt fidem superare videantur, nec fieri potuisse iudicentur ab ijs, qui carni magis addicti sunt, qui nesciunt proportione fidei munerum fieri distributionem: & parua quidem dari habentibus paruam fidem, magna autem illis, qui ingenti fide præditi sunt. Quamobrèm nè offendantur, qui ad credendum diuinis muneribus sunt imbecilliores, sublimiora illius miracula silentio præterimus, satis esse existimantes, ijs, quæ dicta sunt, eius historiam concluisse.

MAR-

MARTYRIVM SANCTAE ET EGREGIAE ET CVRATIONVM VIRTVTE PRAEDITAE MARTYRIS

Marinæ, quam Latina Eccleſia Margaritam vocat. Habetur autem in Simeone Metaphraſte. capitula margini adiecimus.

20 Iulij. Cap. 1.

NIHIL æquè lætificat & exhilarat animã bonam & fidelem, vt quod victoria potitorum athletarum legitur martyrium: & eo magis delectat auditorem, quo meliorem habuerit compoſitionem, aptamque & probabilem narrationem, & ea recenſentem, quæ & perſecutoris improbitati, & eorũ, qui decertabant, animi magnitudini, quin etiam eius quoquè, qui vnà decertabat, Chriſti potentiæ apta ſint & conuenientia. Sit nanque oportet omni ex parte eiuſmodi, vt & nihil habeat offenſionis, & rem rectis auribus oſtendat credibilem.

Sanctorum hiſtoriæ quædam ab impijs contaminatæ.

Etenim ſcire oportet, non paucas ex ijs, quæ martyrũ res geſtas cõtinent, narrationibus, ab initio fuiſſe adulteratas, vt quæ à gentilibus fortè, aut ab hæreticis, & profanis, & veritatis intelligentia priuatis viris corruptæ, & aut nugis & vaniſſimis ineptijs ſordidatæ ac conſpurcatæ, & euidentiſſimis dæmoniorum doctrinis, prauæq; ac ſceleratæ mentis execrandis figmentis profanatæ, & ad Chriſti & Sanctorum eius contumeliam compoſitæ fuerint. Et ideò fidem decæterò adeò labefactant, & tantum ei detrimenti afferunt, vt propterea ne veriſſimis quidem deincèps aſſentiatur: ſed aut omninò ea reijciat ac repudiet, aut, vt quæ ſint dubia, deſpiciat, & ea minoris faciat. Quomodò etiam egregiæ virginis & Martyris Marinæ quadam hoſtis noſtri contumelia fuit adulteratum martyrium, veræ per paſſionem eius narrationi, tanquàm puro frumento, à communi omnium inimico iniectis zizanijs: illo, inquam, dæmone, qui illic fingitur fuiſſe in medio eius certamine, & illius vocibus: adeò vt qui audiunt, attendentes quàm ſit ridicula & abſurda dictio illa dæmoniaca, dubitent de ipſo quoquè martyrio egregiæ victricis Marinæ. Etenim quidam adhuc viuos Ieſu martyres inuaſit, & eos morte afficiendi inſatiabili tenebatur deſiderio, nihil mirum, ſi poſtquàm exceſſerunt ad Agonothetam, & ſunt pronunciati victores, eorum gloriæ conetur inſidiari per impios, qui falſa loquuntur, admiſcens mendacia ſanctorum rerum geſtarũ commentarijs. Inanes ergò omnes fabulas & nugas, tanquàm maligni ludibria, illius myſtis abijciens, ſolis autẽ veris præclaræ huius martyris tam in verbis q̃ in factis decertationibus ſub ea, quæ cõſiſtit, veritate illuminãte, mentem adhibens, breuemq; orationẽ, & quæ nihil ſuperuacanei contineat, componens, ſic magnæ & præcipuum nomen ſortitæ Marinæ ordine proſequar decertationem.

Cap. 2. S. Marinæ patria & parentes.

Hæc ergò beata puella Marina, fuit quidem ex ciuitate Antiochia Piſidiæ: parentibus autem, quòd ad corpus quidem attinet, claris. Filia enim erat Aedeſij, qui fuit illis temporibus vel maximè inſignis ſacerdos idolorum. Cùm autẽ eſſet vnica, quoniam matrẽ citò mori contigerat, extra ciuitatem ad quindecim milliaria tradita fuit alenda eius nutrici. Cùm verò ætate creſceret, & honeſtate morum, intelligentiaque & prudentia ſuprà ætatem proficeret, & honorificè à ſua nutrice aleretur & educaretur, audiuit verbũ fidei Chriſti, & id ſtatim in ſua defixit cogitatione. Quæuis enim bona anima promptè ſuſcipit eos, qui de bono ſunt, ſermones, & eo citiùs, quo eſt meliori ingenio prædita, aut fide acriori. Marina ergò cùm eſſet adhuc admodùm iuuenis, mollisque & delicata adoleſcentula, vt corpore ſpecioſa & omni ex parte pulchra, ità etiam mente & anima valdè bona, poſtquàm ſolum audiuit Deum bonum, & qui verè eſt & viuit, pro ſalute hominum ex puella coniugij experte natum hominem, crucifixumque & ſepultum fuiſſe, & reſurrexiſſe, & cùm ad cælos hominũ naturam ſuſtuliſſet, eam conſenſu paterno honoraſſe, ſtatim corde credens, ore quoq; eſt confeſſa ſe eſſe Chriſtianam. Et ſic indies in Dei filium confeſſione & fide proficiens, optabat Chriſti confeſſorum effici particeps & ſocia.

Fidẽ Chriſti confitetur.

Cap. 3. Aedeſius eius falſo nomine pater.

Atque Aedeſius quidẽ, qui falſo nomine appellabatur eius pater, eam propterea auerſabatur & abhorrebat. Ea autem Deum cæleſtẽ colens ſupra omnia, eos, qui propter eum torquebantur & interficiebantur, valdè venerabatur, & cordis propoſito eorum miſerens, vnà cum eis dolebat, & vnà patiebatur. Oportebat autem deincèps ipſam quoquè ſicut verbis & cogitatione, ita etiam factis Chriſtũ glorificare. Oportebat

fidem quoquè eius tentari & probari: & cùm proba apparuiſſet, ſimul cum regni filijs commiſceri. Etenim quæ ſicut granum ſinapis cæleſtem ſementem ſuſcepit anima, non patitur non in magnam augeri altitudinem, adeò vt cæleſtes quoq; virtutes in ea habitent. Olybrio ergò, qui tunc erat Præſes Orientis, viro audaci, crudeli & cædem ſpiranti traditur hæc beatiſſima adoleſcens, vt tentaretur. Non enim pijs & bonis, ſed impijs & malis filijs diaboli, filij Dei omninò traditi & accenſi, & per tolerantiam vincentes aduerſarium, ſic in exultatione, quæ dici non poteſt, & gloria, patri cæleſti offeruntur. Hæc ergò pulchra virgo Marina, à partibus Aſiæ Antiochiam versùs contendente Olybrio, ab eo in tranſitu conſpecta (contigerat enim, vt tunc exiret beata ad gregem paternum adſpiciendum) cùm eximia ſua pulchritudine eum obſtupefeciſſet & ſauciâſſet, ſtatim capta fuit à parricidæ manibus. Simulatquè enim eam adſpexit ſæuus ille Præſes, eam vxorem ducere habuit in animo. Cùm autẽ eam propè ſtitiſſet, nomen & conditionem eius & religionẽ ſciſcitatus eſt. Ipſa verò cùm Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt ſibi eſſet adiutor, liberator & redemptor inuocâſſet, aperto ore dicit: Nomine quidem mihi à parentibus impoſito vocor Marina: cùm ſim autem nata ingenuis parentibus, glorior me eſſe ancillã Domini mei & Dei & ſeruatoris Ieſu Chriſti, qui fecit cælum & terram. Cùm ſic audiſſet Olybrius, & ſtatim ex prima reſponſione puellæ eſſet admiratus prudentiam, & anxio fuiſſet animo, vt eſt conſentaneum, denunciat ſequentibus eum ſatellitibus, vt eam ſibi ſeruarent honorificè.

Olybrius Præſes eam vult habere coniugem.

Cap. 4.

Poſtquàm ergò fuit intrà ciuitatem Antiochenam, & dijs ſuis pro more ſacrificauit, & laudes, vt mos eſt, in honorem victoriæ Imperatoris celebrauit. Cùm autẽ manè ſurrexiſſet, & tota ei aſſiſtente ciuitate in tribunali præſediſſet, iubet ſanctam ſiſti Marinam. Cùm ea autem eſſet ingreſſa, & conſtanter ſtaret in medio, ipſe in eius vultum defixis oculis, & eius formæ venuſtate reſolutis præcordijs, corde verò ab eum obſidente amore incenſus & liquefactus, ſic dixit Olybrius: Sciunt omnes dij, ô pulchra puella, ſcias autem tu quoquè, me moueri miſericordia tuæ teneræ ætatis, & tui delicati corporis. Quamobrèm rogo te, mihi morem gere, & dijs ſacrifica, meliusq; tecum agetur, quàm cum omnibus tuis æqualibus. Pecuniarum enim & poſſeſſionũ tibi immẽſæ accedent diuitiæ. Eris autem clarior & illuſtrior, quàm omnes fœminæ ciuitatis. Sancta autem Marina dixit: Ego, quæ didici Deo cæli vero & viuo, & vnigenito eius verbo rationalem cultum & ſacrificium laudis in ſancto ſpiritu perpetuò offerre, deos, quos non nóui, neque placabo ſacrificijs, cùm ſint inanimi & nullo ſenſu præditi, & quorum nihil interſit, honorentúrne, an contumelia afficiantur: neque quæ meo effectori debetur, adorationem rebus tribuam inanibus. Præſes dixit: Rursùs rogo te, Marina, mihi morem gere, & adora deos inuictos, hoc apertè ſciens, quòd ſi meum audiueris conſilium, eris mihi vxor honoranda & dilecta, & iam coram tota ciuitate te mihi accipiam coniugem: & ego quidem ero tibi in perpetuam laudem & lætitiam: tu autem eris mihi in iugem ſpiritûs recreationem, voluptatemque & delectationem. Quòd ſi non parueris, ſcias fore, vt in multas incidens afflictiones, igne & ferro conſumaris.

Blanditur eĩ diabolꝰ filius.

Conſtãs reſponſum Sanctæ Marinæ.

Dixit ſancta martyr: Ne exiſtimes, ô Præſes, te meæ in Chriſtum fidei rationem inflexurũ, aut blanditijs emolliturũ, vt te ſequatur. Sum enim ancilla Domini mei Ieſu Chriſti, qui pro me ſuſtinuit voluntariã paſſionem & crucẽ. Si ergò ille pro me, omninò ego quoquè pro ipſo debeo mori. Nè putes ergò me eſſe minis perterrefaciendã. Adſum tibi ad omnia tormenta, ſupplicia & mortes, impauida & interrita. Habeo enim, qui me confirmet et roboret, et ignominia afficiam omnes tuas machinas.

Contemnit cruciatus omnes.

Cap. 5. Cædiꝰ virgis.

Tũc ira plenus Præſes Olybrius, iubet ſanctam virginẽ Marinã humì extẽſam virgis cædi immiſericorditer. Cùm eius autẽ corpus dilaniaretur, & ſanguis quidẽ terrã rigaret, propter ipſam verò totus adſpiciens illachrymaretur populus, dictitaret autẽ præco: Marina, dijs ſacrifica, & ne tantã perdas pulchritudinẽ inconſiderata perſuaſione: ipſa manſit firma, & minimè cedens. Etenim cùm oculos in cælum ſuſtuliſſet, & mente Dominũ contẽplaretur, & rogaret, vt ei ferret auxiliũ, æquè abſq; vllo ſenſu ferebat plagas, àc ſi alius pateretur. Deindè ad Præſidẽ conuerſa, dicebat: Quæcunque à patre tuo diabolo tibi ſuggeruntur, in me fac quamprimùm. Habeo enim Chriſtũ, qui me roborat et confirmat, neque timebo mala, quoniam ipſe mecum eſt ſemper.

Non ſentit plagas.

Cap. 6. Fuſtinis laniatur.

Cùm itaque ira ebullijſſet Olybrius, ferreis eam laminis cõcluſam, & clauis affixã, eculeum iubet ferreis cædi fuſcinis. Cùm diù autẽ laniaretur, & flacceſceret pulchritudo corporis,

corporis, auertit quidem ab ea faciem Olybrius,& vultum operuit chlamyde, nè videret: vix tandèm verò tortores reprimens, iussit vt ea abducerētur in custodiā. Cùm illic ergò seorsùm fuisset egregia illa martyr, mente quidemper preces à se excedens, & ad Deum erecta,clamabat: Domine Deus excelsorum,à cuius facie labant omnes cælorū virtutes, & omnes principatus & potestates horrēt & cōtremiscunt, omnisq; creata, quæ in te continetur, natura omnipotente tuo nutu alteratur, & tua voluntate recreatur & renouatur: Tu Domine altissime, respice è supercælesti tuo throno super me inutilem & indignam tuam ancillam, quoniam sum deiecto animo, & humiliata nimìs: quandoquidem speraui in te, & ad te meipsam conieci. propter nanque nomen tuum sanctum & terribile hæc patior. Intuere, ô sancte, attende mihi sapienter, & recrea hoc meum, quod effluxit, corpusculū, & renoua meam animam, eamque tuere & conserua ad regnum tuum supercæleste: quoniam te adoro, & rego tuam omnipotentem virtutem & potentiā, audensque à te supplex peto: Da mihi Domine Deus meus, vt ipsis oculis possim videre inimicum meum, qui me exalto oppugnat: & ostende mihi eius mala machinans & auersandum caput: & vt ipsè à meis conculcetur pedibus, & vt tanquàm lutum platearum comminuatur & despiciatur, præsta, ô omnipotens, vt in me quoquè glorificetur sanctissimum & terribile nomen tuæ bonitatis & clementiæ in secula seculorum, Amen.

Oratio eiꝰ quàm fuerit efficax.

Cap.7. Diabolus specie draconis ei appáret.

Hæc sancta martyre Marina orante in carcere, repentè fit magnus terræmotus: & eccè ipse diabolus susceptа forma & specie terribilis draconis,qui colore quidem apparens varius & multiplex, multis autem, ijsque sæuis serpentibus per totum corpus cinctus & circundatus: & corpore quidem edens execrādum sibilum, tetrum autem emittens odorem & intolerabilem, Sanctæ oculis adstitit. Celeriter autem eam circuncursans, maximum ei attulit timorem & perturbationem: vasto autem oris hiatu eam circumiens, existimabatur eam integram esse deuoraturus. Illa verò mente firma & stabilis, & vt quæ ad Deum omni ex parte intueretur, interrito & constanti animo precibus, quæ dici non possunt, & intensissimis cordis vociferationibus mente rapta ad altissimum,& simul signo Crucis signata, disruptum quidem vētrem draconis visa est videre ante suos oculos: illinc autem animaduertit se exire integram & illæsam. Nam quæ eius vitam administrabat virtus sancti Spiritûs, ei & inimici ostendit sæuitiam, vt postulauerat, & præbuit, vt ab eo statìm liberaretur & redimeretur.

Virt⁹ S. Crucis.

Cap.8. Visio S. Marinæ.

Præter opinionem ergò, quæ nulli culpæ erat affinis, martyr Christi Marina à sæuo illo & pernicioso serpente liberata, videt magnam lucem refulsisse in custodia. Crux autem à terra in cælum vsque peruadens, ostendebatur,tanquàm fons illius luminis: supra Crucem verò conspecta fuit alba columba & tota pura,lucidos emittens splendores, Trinitatis, vt mihi videtur, mysterium apertè ostendente visione. Nam per lucem quidem erat ostendi apertè paternam gloriam: per Crucem autem, Crucifixum significari vnigenitum: per columbam verò, conspiciebatur sancti Spiritûs diuinitas, quæ & ancillam Dei alloquebatur, & consolans animum addebat, dicens: Aue Marina, ratione prædita Dei columba, quòd vicisti malignum, & bono adhæsisti. Aue & lætare, & delectare ex toto corde tuo, filia supernæ Sion: quoniam venit dies, in qua pro tuis meritis ornata victoriæ coronis,& intelligentem Dei requiem cum prudentibus ingressa, apud sponsum & regem tuum habitabis. Simul autē hæc de cælo eam alloquebatur, & caruncula renouabatur, & rore spiritûs omninò curata, à plagis fuit omninò mundata. Maxima verò exultatione & lætitia beata repleta: Benedicam te, Domine,magna voce confitebatur: laudabo te, Domine Deus meus, & glorificabo nomen tuum, quòd fecisti mecum res admirabiles. Extollam te, Domine, & te laudabo, quòd meæ miseriæ sis misertus, & me visitaueris,& meum corpus curaueris & animam,& me non tradideris in manus inimicorum: sed etiam defectoris & pernicioſissimi draconis vastam speciem ostenderis ancillæ tuæ,& eum in chaos infinitum cum venenatis,qui eum sequebantur, serpentibus & dæmonijs, ad abyssos amandaueris,& eos in profundū inferorū damnaueris,& eorū terrorē,vt bonus Deus,procul à me abieceris. Et nunc spiritu lætans & exultans in Deo seruatore meo, rogo tuam summè bonā benignitatē, vt me digneris tua per lauacrū regeneratione, & aqua sancti tui baptismatis: vt quomodò sancto tuo spiritu & sanguine decertationis,ità etiam aqua baptismatis expiata & consummata, digna fiam ingressu tuorū sanctorū. Quoniam tu solus verè sanctus, & in sanctis requiescens, & glorificatus simul cum Patre principio carente, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Eā alloquitur Spiritus sanctus.

Sanatur eiꝰ plaga diuinitùs.

Rogat per aquā baptismatis renasci.

In

In his sancta virgine & martyre Marina per totam illā noctem exultante,& Deum glorificante, manè surgens Præses, & in tribunali ante totam ciuitatem & populum præsidens, iubet sacrā sisti virginem. Cùm vidisset autem eam adstare totam sanam, & lætò vultu Olybrius,& esset admiratus, sic dixit: Vides, ô Marina,quemadmodùm magni dij tuī curam gerunt, qui tuæ miserti pulchritudinis, te sanam reddiderunt à tuis vulneribus? Aequum est ergò, vt tu quoque pro accepto beneficio referens gratias, eis sacrifices, & eorum, sicut tuus pater,constituta sacerdos, sacerdotio fungaris, & eos cólas. Sancta Marina dixit: Mihi quidem fas non est nec honestum, vt vero relicto & viuo Deo,qui mortuos viuificat,deos colam,qui nō viuunt, & ijs sacrificem. Te autem maximè decuerit, fueritque sanctissimum, vt abstinens ab errore in rebus huiusmodi, verum Deum agnoscas, qui corporibus medetur & animis: & ei soli oferas sacrificia & cultus spirituales.

Cap.9.

Tunc Præses iubet,vt ei nudatæ,lampadibus pectus vratur,& latera. Cùm diù ergò vreretur, & supplex tacitè preces emitteret ad Dominum nostrum Iesum Christum in corde suo,dolores facilè sustinuit. Cùm eam autem de ligno deposuisset,iussit magnum lebetem afferri in medium, & eum aqua repleri, & Marinam vinctā in aquam immitti,vt in ipsa suffocaretur. Cùm id autem celeritate maxima factum esset,sancta Martyr vincta, & in vas aquæ iniecta,exclamauit magna voce: Domine Iesu Christe, qui eduxisti vinctos in fortitudine, qui soluisti vincula mortis & inferorum, & eos, qui habitabant in sepulcris,excitâsti tuæ potestatis nutu omnipotēti: Tu Domine altissime, adspice ad ancillam tuam, & rumpe vincula mea, & fiat mihi hæc aqua in vitam æternam, & in supplemētum baptismatis à me desiderati, ad depositionem quidem veteris hominis,& qui corrumpitur secūdùm desideria deceptionis: indumentum verò & amictum noui,qui secundùm Deum creatur in veritate & iustitia. Sic orans,iniecta est sancta illa adolescentula in vas illud plenum aqua. Cùm primùm aūt ingressa fuit lebetem,eccè fit magnus terræmotus: & rursùs prima columba coronam ore tenens, volauit ipsa hora super aquā,& ingens ignis columna,& Crux super eam, eadem qua prius figura apparuit beatæ: Et columba quidem cùm tetigisset sacrum caput Martyris,& repentè sursùm volasset,sedit super ipsam Crucem. Quæ etiam athlete tam placida voce est allocuta: Pax tibi, dicens, ancilla Dei. Nunc conside, cælestem accipiens coronam à manu altissimi. Simul autem atque hoc dixisset,ipsa quoque soluta à vinculis,& ex qua emergens, cùm, quæ explicari non potest, exultatione spiritûs diuinissimi magnificans laudabat Trinitatem, vt citra medium baptizata, & mirandum in modum ab ipsa illuminata.

Cap.⁹. Vruntur pectus & latera eius.

Pſalm.67.

Ephe.4.

Mergitur in aquam, & regenerat⁹ sancto spiritu. caput eius attingente⁹

Illic dicitur fuisse factum miraculum valdè admirabile, mihi quidem & omnibus pijs valdè credibile: nempè alas quidem suas expādisse, tanquàm ijs,quæ fiebant,exultātem,diuinam illam columbam, conspectam super illam lucidam, quæ apparebat, Crucem. Cùm in voce autem erupisset,apud sanctam martyrem,audientibus omnibus,sic fuisse locutam: Huc adsis nunc, ô sponsa Christi Marina,in supernis mansionibus: & accepta corona incorruptionis,in dilectis Dei tabernaculis cum primogenitis filijs patris choros ducens & lætans, requiesce in seculum.

Cap.11.

Vox fit diuinitùs ad illam.

Hanc tanquā Dei vocē cùm totus populus exaudijsset, & obstupuisset, statìm Christo credidérunt viri simul & mulieres in magna multitudine: & seipsos quoque esse Christianos magna voce exclamauerunt, paratos verò se quoquè esse mortem subire pro Christo. Erant autem virorum quidem,vt aiunt,ad quindecim millia,& multæ mulieres. Qui quidem omnes Christum esse verum Deum & regem confitentes, deos autem, & dæmones,& eos,qui ipsos colebāt, Imperatores aspernántes,& nihili facientes,neci fuêre dediti. Totum enim,qui erat in eius potestate,exercitum in ipsos immittens Olybrius, omnes interfecit, tanquàm oues ad occisionem se dantes propter fidem in Christum. Atque hi quidem sic suo sanguine baptizati & expiati, Deo offerebantur.

Multi interficiuntur Christiani.

Cap.12.

Hæc autem cùm impius vidisset Olybrius,pronunciauit capitis sententiā in agnam Christi Marinam. Cùm ea ergò abducta fuisset extra ciuitatem, in eo loco,in quo interempta fuerat ea,quæ dicta est, multitudo, vnus ex militibus apprehēso eius supellumetali, & ense stricto: Extende,inquit,collum tuum,& tunc accipiè à Deo tuo desideratum brauium victoriæ: sed memento(rogo te)meī serui tui,quādò fueris in regia cælorū. Reuerà enim vidi hodiè innumerabilem Angelorū Dei multitudinem, te in orbem circunsistentes,& tuam custodientes sanctitatem. Sancta autem dixit: Su-

Oratio S. Marinæ ad populum.

ſtinè, ô fili, parumpèr, vt adſtantes parùm alloquar, & precer: & ſic implebis id, quod tibi fuit imperatum. Cœpit itaq; alloqui eos, qui aderant: Fratres, dicens, & amici, rogo vos, tanquàm indigna altiſſimi ancilla, audite prudenter hanc meã modicam verborum ſuaſionem. Tranſcendentes ergò omnem creatam naturam eorum, quæ videntur, agnoſcite patrem luminum, & vniuerſorum creatorem & Deum. Agnoſcite autem eius quoquè vnigenitum Deum verbum, Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum: & ſanctum & viuificum ſpiritum. Non eſt enim aliud nomen, in quo poſſit aliquis eſſe ſaluus. Neque eſt vllus alius Deus, nisì vnus, qui in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto conſideratur, & adoratur in ſecula, Amen.

Cap. 13. Hæc cùm eſſet martyr locuta ijs, qui aderant, ſuſtulit in cælum cordis oculos, & ingemitibus inenarrabilibus clamauit ſpiritu: Principij expers, immortalis, carens tempore, increate, qui non potes comprehendi, infinite, & qui non potes inueſtigari, Domine Deus vniuerſorum, & vniuerſæ creatæ naturæ, tam quæ videtur, quàm quæ intelligentia percipitur, opifex & adminiſtrator, & Saluator omnium, qui ſperãt in te: ago tibi gratias, quòd me ad hanc horam deduxeris. Benedico tibi, quòd appropinquauerim coronæ tuæ iuſtitiæ: laudo & celebro tuam inenarrabilem benignitatem & clementiam, quòd tibi viſum ſit me cooptare cum electis tuis filijs. Et nunc, Domine Deus miſericordiæ, omnipotens, omnia intuens, adſpice ad me miſeram & abiectam, & exaudi meam deprecationem, & imple meas petitiones ad laudem & honorem & gloriam ſanctiſſimi & adorandi tui nominis. Et nunc Domine Deus meus, omnibus, qui propter te mei corporis tabernaculum, quod pro te decertauit, ſunt veneraturi, & omnibus, qui ædificabunt oratoriam domum in nomine ancillæ tuæ, & ſacrificia ſpiritalia, oblationesque & preces tibi in ea offerent, & omnibus, qui ex fide deſcribent martyrium meæ decertationis, legentque & meminerint nominis ancillæ tuæ, da eis, Domine ſancte, bonorum amator, & animarum amice, remiſſionem peccatorum: propitiationem & miſericordiam eis ſuppedita pro menſura eorum fidei: neque eos tangat vltrix manus, non mala fames, non peſtis execranda, non graue flagellum: neque eis eueniat alius immedicabilis animæ & corporis interitus. Omnibus autem, qui in fide & veritate domui meæ, aut nomini meo adhærebunt, & glorificationem & laudem tibi Domine offerent, & ſacrificiũ in memoriã ancillæ tuæ, & per me ſalutem petent & miſericordiam, largire eis, Domine, affluentem bonorum copiam: quoniam ſolus es bonus, & benignus, & dator omnium bonorum, in ſecula ſeculorum, Amen.

Preces eius ſub mortẽ, quibus liquet quàm ſit gratum Deo ſanctos inuocare, & in eorũ memoriam eccleſias exſtruere.

Cap. 14. Chriſtus ei apparet. Hæc ea apud ſe precante, eccè rursùs factus eſt magnus terræmotus, adeò vt non pauci ex ijs, qui illic ſtabant, humì ceciderint: quinetiam ipſe quoque miles, qui volebat ei caput amputare. Ipſe autem Dominus cum multitudine ſanctorum Angelorũ exercitûs, ità vt mente poſſit percipi, aſſiſtens: Bono animo eſto, inquit, Marina, & noli timere, quoniam exaudiui preces tuas, & quæcunque petiiſti, impleui, & ipportunè implebo, ſicut tu petiiſti: Et nunc ideò tibi apparui, vt te ad me è terra recipiam. Tuque es beata, quòd meminiſti peccantium, quodque coram me pura apparuiſti, & apud me gratiam inueniſti. Quamobrèm erit tua merces copioſa in cælis.

Capite cæditur. Tunc beata Marina impleta gaudio & lætitia, conuerſa dicit militi: Agedùm fac deincèps frater, quod tibi eſt imperatum, vt mihi facères. Ille autem correptus tremore, nolebat enſem in eam tollere. Ipſa verò cum adhortans, & ei animum addens, vix perſuaſit beatiſſima virgo, vt caput ſibi amputaret.

Sic præclara virgo & martyr Marina, cùm decertationis curſum pulchrè peregiſſet, legitimumq; & perfectum & admirabile ſubijſſet martyrium, quomodò magno dedecore affecit inimicum, ità etiam inſigniter Chriſtum glorificauit. Cuius beatam & ſanctam animam, per ſanctos archangelos gloriosè ſublatam, ſupercælestis & quæ intelligentia percipitur, Dei domus, quæ eam ſuſcepit, habet intùs pro nobis aſſiduè orantem Chriſtum Dominum noſtrum: Quem decet gloria in ſecula ſeculorum,
Amen.

COM-

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM MAGNI PROPHETAE ELIAE THESBITAE: EX SIMEONE

Metaphraſte. capitum numerum margini adiecimus.

Iulij. 20. iuxta Metaphraſten. Cap. 1.

ALIQVANDO quidem duodecim tribus Iſrael erant ſimul inter ſe, nec poterãt à ſe inuicem diuidi, vt quæ erãt beneuolentiæ vinculo colligatæ, & cedentes Dei præceptis. Nam cùm poſt Moſem & Ieſum Naue, & qui poſt illos fuerũt, populi Iudices, Dauid Propheta eis vnctus eſſet in Regem, & ad Solomonem filium, is regnum traduxiſſet, vſque ad illum tribus manebat indiuiſæ, vna nequaquàm diuulſa ab altera: ſed vnaquaque conſeruante eam, quam ab initio elegerat, concordiam. Poſtquam autem eius filius Roboam patris regnum ſuſcepit, &, vt qui eſſet iuuenis, & nõ ſatìs nobilis prudentiæ, ijs, qui eius parebant imperio, inſolenter eſt vſus, non tam ad ſe attrahens, quàm abſtrahens & auellens, ab illo fuerunt tribus diſruptæ, & aduersùs eum inter ſe inſurrexerunt. Nam cùm decem earum defeciſſent, & Hieroboam ſeruo Solomonis adhæſiſſent, cum eo habitârunt Samariam, ſolas duas tribus habitare relinquentes Hieruſalem. 3. Reg. 12.

Iſte Hieroboam primò fecit peccare Iſrael.

Is autem cùm eos inueniſſet moribus diſſolutos, ventriq́ue, & ijs, quæ ſunt ſubter ventrem, ſeruientes, inſtituit quidem ad omne genus intemperantiæ, exercuit autem ad omnem impietatem. His cùm & templum conſtruxiſſet, & in eo duas iuuencas poſuiſſet, vt quæ manibus facta erant, facilè poſſent colere, vt qui ad ea erant propenſi: eis ſtatìm adfuêre præmia malorum, dum & obſidetur ab accolis & finitimis, & à Babylonijs & Perſis ſunt euerſi, & ſuis motì ſedibus, & paſſi quæ ſunt omniũ grauiſſima. Interìm autem etſi facerent ea quæ ſunt peſſima, non eos tamen omninò reliquit bonus Deus: ſed & eos ſua dignatus eſt curatione, & manum præbuit adiutricem. Quinetiam deſupèr eis dabat reſponſa, & futuri prædictiones: & quod eſt maximum, ad eos mittebat Prophetas & Prophetías, vt aliquo quidem modo eos ad ſe captos traheret. Sedenim cùm ante alios, & cum alijs Prophetam miſiſſet Eliam, iuſſit eum videre & inſpicere, & vlciſci ea, quæ ab ipſis fiebant. De quo nos quoque oportet pauca dicere, vt plurimùm eius verbis vtentes, & ijs, quæ ille loquebatur diuino zelo accenſus. 4. Reg. 17.

Cap. 2. Hęc eadem habet Epiphanius.

Ergò is quoque adſit orationi, & nobis proponatur argumentum, & maximè cùm ſit eius dies, quem iam celebramus, & quem anniuerſarijs laudibus honoramus. Hic ergò vir ſacroſanctus & diuinus, cùm eſſet ex tribu Aaron, & natus in Arabia, tempore ortûs ſui, quo eſt in lucẽ editus, viros candidis veſtibus indutos vidit eius pater, & eum in igne ligantes faſcijs, & dantes flammam ignis, qua veſceretur. Quod cùm dixiſſet ſacerdotibus, ij dixerunt eum magnum futurum Deo puerum, vt qui futurus eſſet ſemper luce plenus, & iudicaret Iſrael in rhomphæa & igne: qui etiam ab eis appellatus eſt Thesbites, quòd eſſet domus, quæ ſorte obtigerat ſacerdotibus, in qua is habitabat, virtutem exercens ab adoleſcentia, & flammeam efficiens animam per ignem ſpirantem ſancti Spiritûs gratiam.

Cap. 3. Nemo autem omninò contradicet, eum virum fuiſſe tantum & talem, qui poſſet & flammam, & rhomphæam, & ignem, & aquam, aliaq́ue admirabilia & habere apud ſe, & ad alios, cùm vellet, immittere. Horum autem ſingula explicabit oratio. Poſtquam poſt Hieroboam & eos, qui deincèps in Samaria conſecuti ſunt, Reges, Achab accepit imperium, vir moribus prauus, & ab impietate poſſeſſus, cui coniuncta erat mulier, quæ ei erat par improbitate, vel etiam ſuperabat: (Mulieri nomen erat Iezabel) Ambo verò ſtudebant & diuinos Prophetas malis affligere, & eos, qui erant in illorum poteſtate, deterioribus aſſuefacere, vt qui à via recta iam olìm declinâſſent, zelo diuino repletus Elias, q etiam reuerà & dignè hoc nomine fuerat vocatus, talia Achab liberè loquitur: Viuit Dominus Deus exercituum, coram quo adſto, ſi erit his annis ros & pluuia, nisì per os meum. His enim iratus Deus vniuerſorum, tres annos & dimidium pluuiam è cælo retinuit, imbris defectu terram exiccans & immittens famem omnium grauiſſimam. Hinc ſuum Prophetam honorans, cælum claudendi aut aperiendi, & pluuiam continendi, aut demittendi, ei dat poteſtatem. Qui etiã illa

3. Reg. 16. Iſta Ieſabel fuit filia Regis Sidoniorum.

3. Reg. 17.

Achab dixerat ex poteſtate, quæ poterat facere, & quæ propter virtutis magnitudinẽ à Deo acceperat. Deindè illo relicto, ob diuinum reſponſum accedit ad torrentem, qui erat ad Orientem ex aduerſo Iordanis. Vade enim illuc, audit à voce ſuperna,& illinc bibe aquam: vt præcipiam coruis,& alimentum ad te afferant. Certè corui,animal valdè gulæ deditũ,& longè rapaciſſimum, panes quidem manè Dei iuſſu, veſpere autem carnem ad Prophetam afferebant.& erat ei ſufficiens deincèps alimentum, vt cui nec obſonium, nec aqua deeſſet ad potum.

Ibidèm Eliam paſcunt corui.

Poſtquàm autem aliquot pòſt diebus torrens, cuius aquam bibebat, eſt exiccatus, rursùs reſpondens, tanquàm amicus amico, dicit Dominus ſeruo: Vade hinc in Sareptha Sidoniæ: & illic incides in viduã,à qua aléris: & nullo opùs habebis ex ijs, quæ ſunt neceſſaria. Ille autem cùm veniſſet, (ſciebat enim vocanti parére in omnibus) ligna inuenit colligẽtem viduam,& cocturam panem ſubcineritiũ. habebat enim ſolum pugillũ farinæ,& modicùm olei in lecytho, quibus & ipſa,& filij parcè vti volebant. Quam etiam alloquens: Mihi, inquit, primùm, ô mulier,appone hunc panem, & modicum olei lecythi. Deindè tibi & filijs appones,quæ remanſerint. Neque enim tibi decæterò hydria farinæ deficiet, neque olei lecythus minuetur, donèc fuerit deſuper pluuia ſuper terram. Et fecit quidem vidua,ſicut ei præceptum fuerat, benignè priùs Prophetã conuiuio excipiens,& ſecundò ipſa & filij veſcentes eo, quod remanſerat. Quæ quidem ſtatìm accipit admirabilem mercedẽ hoſpitalitatis, videns vaſa plena & redundantia. Quod enim dictum fuerat à Propheta, ſtatìm peruénit ad effectum valdè mirabiliter. Quid deindè conſequitur? In morbum incidit filius viduæ: & paulò poſt ſubit animæ defectionem. Quem cùm repẽtè mater vidiſſet mortuum, toto animo perturbata: Quid hoc eſt? clamabat ad Prophetã. Cur huc es ingreſſus, vt mea peccata reuocares in memoriam, & morte afficeres meum filium, ô homo Dei, qui mihi & viduitatis,& omnium erat ſolatium.

Cap. 4. Ibidèm. Farina & oleum non minuũtur. Ibidèm.

Elias autem petijt,& accipit mortuum: & cùm eum ſuſtuliſſet, ponit in eo, in quo manebat, cœnaculo,& eum componit in lecto. In quem cùm ter inſufflâſſet, hanc ad Deum facit inuocationẽ, dicens: Domine Deus meus, conuertatur anima huius pueri ad ipſum. Et ſtatìm (O magnã Prophetæ gratiam) is qui fuerat mortuus, viuebat,& mouebatur, iucundiſſimũ ſimul & admirabile matri factus ſpectaculũ. Multi ex illo tempore dies præterierant, & factum eſt verbum Domini rursùs ad Eliam, cùm iam eſſet elapſus famis annus tertius, iubens vt & veniret in conſpectũ Achab,& futuram pluuiam ei ſignificaret. Nam qui natura eſt clemens, eorum qui patiebantur erat motus miſericordia: & ſuum iam incitat Prophetã, nè eos videat ampliùs malis affectos: ſed de magno zelo aliquid remittat,& eos benignè adſpiciat & recreet. Qui iuſſu Domini alloquitur Achab, cum priùs eſſet allocutus *Abdiu, qui cum eo etiam res admiſtrabat,& qui multos ex prophetis, quos perſequebatur Iezabel, occultabat in ſpelũcis terræ. Quem cùm vidiſſet Achab, quam in eum conceperat, parturiens acerbitatem: Túne is es, qui peruertis Iſrael? ei dixit apertè. Atquì oportebat, ſi nihil aliud, certè propter nimis diuturnam & admirabilem pluuiæ ceſſationem, habere eum ad Deum ſupplicantem, qui poteſt pluuiam è cælo pluere, ad quod etiã venerat,& quod ſcilicet erat ſignificaturus. Sed ipſe, cùm eſſet inflatus eius in illum animus, apud illũ ſtatìm eſt vſus verbis aſperioribus. Ad quem Propheta ſermones opportunè conuertens: Non ego, inquit, ſum qui peruerto Iſrael, ſed tu & domus patris tui, qui vniuerſi, Domino & Deo relicto, poſt Baalim (erat autem hoc execrandum idolum) ambulâſtis. Sed enim hoc tibi ſit curæ, ſi te vlla Dei ſubit cogitatio, vt huc deducas & congreges quadringentos eos, qui numerantur, Prophetas ad inuocandum Baal. Quinetiam alios nemorum ſeu excelſorum, qui præter hos dicuntur. Numerantur autẽ ipſi quadringẽti & quinquaginta, qui ſunt etiam perpetuò ſocij menſæ Iezabel. Cura autem, vt hi omnes veniant in montem Carmeli, vt ipſe quoque cognoſcas, qua de cauſa conuenerint.

Excitat puerum mortuum. 3. Reg. 18. Iſte Abdiu, aliàs Abdias quartus eſt inter prophetas minores. Multi pſeudoprophetæ Iſabelis.

Achab autem, cùm ſic viſum eſſet, omnes illic congregat. Cum quibus etiam conuenit magna populi multitudo, auditura ſermones Prophetarum. Quibus Elias ardenti zelo dicit: Quandiù vos vtriſque tibijs claudicabitis? Si Dominus eſt Deus, & ipſum ſcitis colere, ambulate poſt ipſum: Sin autem Baal ipſe eſt,& cum colendũ ſtatuitis, poſt eum ſimiliter ambulate. Populus autem ad hæc nihil reſpõdit. Quos cùm vidiſſet nihil loquentes, illis rursùs intulit: Eccè ego ſum relictus, vt vos quoq; ſcitis, ſolus: ſunt verò quadringenti, qui ſunt apud vos, prophetæ Baal. Præterea autem ex-

Cap. 5.

celſorum

Cap. 6.

celſorum quoque quadringenti & quinquaginta, vt iam antè dixeram. Duo boues ad nos deferantur, & ipſi quidem vnum accipiant ad ſacrificium, & eum ſecent membratìm, & ſeorsùm ponant ſupra ſtruem lignorum. Alterum autem cùm ipſe membratìm conſcidero, imponam ſtrui lignorum, ignem nequaquàm accendens. Vnuſquiſque ergo noſtrùm Deum ſuum inuocet, & qui in igne * exaudiet, is ſcilicet erit Deus. Viſuḿque eſt hoc verbum vtile toti populo. Atque illi quidem quomodò ab Elia iuſſi fuerant, cùm ſacrificâſſent bouem, qui ſorte obtigerat, ſuper ſtruem lignorum poſuerunt abſque igne. Qui quidem & deos ſuos, & Baal inuocabant, vt inferretur ignis in ſacrificium, & ipſum conſumeret. Fuerunt autem à manè vſque ad meridiem, inuocantes ſtulti eos, qui ſunt inanimi. Fuerunt econtrà illi, ſicut reuerà erant, ſurdi,& nullo ſenſu prædíti. Quos etiam ſubſannans Elias, dicebat: Dij veſtri dormiunt, & vos oportet magìs clamare, vt videatis num ſint intellecturi, aut è ſomno excitandi. Quibus etiam voces extollebantur altiùs, & furore incitabantur, & ſe incidebant gladijs.

* exaudiet. Elias irridet pſeudoprophetas.

Poſtquàm autem apud illos nihil erat, nisì riſus & ludificatio, (Quid enim eis profuiſſent ij, qui inuocabantur, qui ſint ſtatuæ, & reuerà lapides?) Tunc Elias dixit populo: Venite etiam huc ad me, & Dei mei cognoſcite potentiam. Et omnibus ad ipſum collectis, accepit duodecim lapides, conuenienter numero duodecim tribuum, & ex ipſis extruxit aram. Deindè ei ligna impoſuit, ſcindens etiam holocauſtum in partes. Quoniam verò erat effecturus ſacrificium magìs admirabile, aqua locum impleuit, & inferiùs in profundo,& circuncircà, & ſuper ligna, & vbiquè eam dimittens fluere. Quid is enim? Accipite, inquit, mihi quatuor hydrias aquæ, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Et dixit: Secundò hoc facite. Et ſecundò hoc fecerunt. Et rursùs: Tertiò hoc facite. Et tertiò fecerunt. Et erat deindè aqua, tanquàm mare fluens circum altare. Tunc Elias oculis in cælum ſublatis tam ſensùs, quàm mentis, clamauit: Domine Deus meus, Deus Abrahæ & Iſaac & Iſrael, exaudi me hodiè in igne, vt hic quoque agnoſcat populus, quòd tu es Deus ſolus, & ego tuus cenſear eſſe ſeruus, & tuum nomen inuocans. licebat autem ſtatìm videre (ô arcanum miraculum) ignẽ deſupèr deſcendentem, & omnia penitùs conſumentem. Tunc enim holocauſtum, & ligna, & aquam, quæ erat circuncircà, & alia omnia exédit. Porrò autem lapides quoquè, & puluerem, & ſi quid aliud inuénit, elixit, & verè oſtendit non eſſe ſolummodò ignem, cui aquæ repugnâſſet natura, ſed diuiniorem quandam potentiam & maiorem, quàm vt ignis eſſet operatio.

Cap. 7. Ignis cæleſtis abſumit holocauſtum Eliæ.

Quod cùm vidiſſet totus populus, prócidit in faciem,& clamauit: Verè Dominus eſt Deus: ipſe eſt ſolus. Quibus etiam iubet Elias, vt comprehendant falſos illos prophetas, daturos ſupplicium. Ijque ilicò eos comprehenderunt. Quos cùm deduxiſſet ad torrentem Ciſon, omnes omninò de medio ſuſtulit, igne diuino inflammatus corde propter deceptores. Et ipſi quidem talia præmia acceperunt. Elias autem tunc dixit Achab: Aſſcẽde,& ſecurus veſcere. etenim iam aderit ſonus pluuiæ quam ego venio vt tibi ſignificem, & quã videbis deorsùm deſcendere. Et ille quidem aſſcendit, vt comederet, maxima lætitia affectus propter nuncium. Propheta autem aſſcendens Carmelũ, & ſe in terram inclinans confert ad precationem, poſita facie inter genua. Porrò autem puero quoquè præcipit, qui cum eo erat, vt aſſcenderet ſuperiùs & adſpiceret viam, quæ tendit ad mare. Qui cùm aſſcendiſſet, tunc quidem nihil vidit eorum quæ expectabat videre, pluuiam, inquam, in nubibus. Et rursùs iubet ei, vt rediret ſeptiès ad eandem viam. Et iam cùm ſeptiès redijſſet, videt nubem cõdenſari,& aquam è mari extollere. Tunc enim ſignificat Achab per puerum, vt vehatur curru, & deſcendat in ciuitatem, nè eum apprehendat, quæ futura eſt pluuia. Cùm primùm autem hoc dixiſſet, cælum denſabatur nubibus, contenebrans, & aquam emittens vehementem, & terram, vt ità dixerim, ſitientem pinguefaciens & abundè irrigans. Quamobrèm emittebat Achab lachrymas præ gaudio, Elia ante eum proſiliente, & ſuos lumbos fortiter obſtringente. Et ſic quidem pluuia poſt tres annos, & alium dimidium, per Prophetæ interceſſionem delata eſt in terram.

Cap. 8. Nota cædẽ pſeudoprophetarum. Oratiõibus Eliæ dedit Dominꝰ terræ pluuiam poſt 3. ãnos cũ dimidio.

Iezabel autem nè ſic quidem deſiſtit ab improbitate, neque vitium omninò dimiſit: quoniam neque Aethiops nigrorem, aut Pardus varietates. Sed etiam poſt factum miraculum iraſcebatur Prophetæ, & cô magìs, quòd intellexerat ſuos prophetas fuiſſe ab eo interfectos. Ei enim inſidiabatur, & moliebatur ei malefacere, minitans ſi eum acciperet, fore vt eum morte de medio tolleret, & ſicut eorum, qui ab illo fuerãt

Cap. 9. 3. Reg. 19. Iezabel mi natur ne cem Eliæ.

interfecti, illius poneret animã. Quid ergò Elias? Timet mulierculam, (Sic enim de eo traditur) vt humanam ostendat naturam esse perturbationi timoris obnoxiam, neque ipse aliud, quàm sit, existimetur propter diuina signa, quæ fecerat.

Ibidèm. Quo tempore venit Bersabee, quæ est terra Iuda, & ambulat iter vnius diei per illam solitudinem. Cumque fuisset defessus ex itinere, sedit humi, velutì cum Deo miserè expostulans, & dicens: Accipe, Domine, à me animam meam: quoniam non sum melior, quàm patres mei. Quem cùm corripuisset somnus, dormit ieiunus prope quandam arborẽ. Et eccè quidam eũ tetigit, (Angelus autem Domini missus fuerat) & dicit ei: Surge, & comede quem ad caput vides subcineritium panem: iuxta quem est etiam vas aquæ, quam bibas. Ille verò surrexit, & comedit ea, quæ erant apposita: & conuersus, rursùs obdormijt. Rursùs secundò Angelus: Surge, inquit, & iterùm comede. grandis enim tibi restat via, quam es confecturus. Qui cùm iam comedisset, & firmus valensque euasisset, permansit de cæterò ieiunus totos quadraginta dies, donèc venit ad montem Horeb, illic diuersaturus, & Deum compellaturus. Cùm enim iam illuc venisset, factum est protinùs ad eum verbum Domini: Quid tu hîc agis, Elia? velutì eum prouocans ad respondendum. Ille verò: Zelans, inquit, zelatus sum pro Domino, quòd te dereliquerunt filij Israel: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt, & relictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt eam à me auferant. Rursùs autem, quæ audita fuerat, vox ei dicit: Cràs egrediéris, & stabis in monte coram Domino. Eccè ergò transibit Dominus: & eccè spiritus validus, dissoluens montes & conterens petras. Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: & post ignem vox auræ tenuis, & illic Dominus.

Apparet ei angelus.

40. dies ieiunus pmanet Elias.

Visio Eliæ,

Cap. 10. Hæc cùm audijsset Elias, & à se velutì discessisset, (nam vel parua Dei visio potest mentem sede sua dimouere, nedùm talis Dei aduentus, & præsentia, seu operatio) vultu operto egreditur, & stat in ostio speluncæ. Et vox rursùs extitit, quæ ei respondebat, dicens: Quid tu Elia? sicut priùs. Ille verò interno adhuc zelo incensus, eadem recensет, quæ priùs fuerat persecutus: altarium, inquam, destructionem, Prophetarum euersionem, se solum fuisse relictum, seipsum quoque fuisse propemodùm cum alijs interfectum. Cuius animi ægritudinem consolans, qui est dies in misericordia: Nè putes, inquit, te solum esse relictum, neque mansisse solum à malo intactum. Qui enim apud me manent, numerantur septem millia, qui genu nunquàm flexerunt ante Baal, & nec animo, nec corpore tribuerunt simulacris adorationem.

3. Reg. 19.

Postquàm autem quæ audita fuit vox, ad alia conuertit prophetam, nempe & ad vngendum Regem Azaëlem illum, & Iehu, quinetiam Eliseum in Prophetam, qui etiam illi erat comes futurus: ipse ea executurus, quæ ei imperata fuerant, abijt eò profecturus. Atque Eliseum quidem inuénit cum bobus arantem: erant enim ei duodecim iuga. In quem cùm iniecisset pallium, ex ouilla pelle confectum, is statìm omnibus relictis, & domo, & agris, & bobus, illum est secutus, ministrans in omnibus, totus toti adhærens.

Eliseus, relictis omnibus, adhæret Eliæ.

Cap. 11. Non parùm deindè temporis præterierat, & rex Achab mente insatiabili, vineam Naboth petijt sibi dari ad faciendum hortum olerum. Ille verò non dedit, & quòd eam hæreditatem haberet à parentibus, & quòd tanquàm aliquid magnum, eam possideret vineam. Ille verò animi affectus ægritudine, vxori Iezabel renunciat id, quod factum fuerat. Illa verò, vt quæ sciret & dolos struere, & insidias componere: Nè sit tibi curæ, dicit marito. Ego enim te dominum vineæ efficiam, & medebor omninò dolori, quem ex ea rẽ accipis. Scribit autem libellum nomine Achab, & eius obsignatum signaculo: quem mittit ad eos, qui habitabant cum Naboth. Continebant autem ea, quæ scripta fuerant, vt & ipsi ieiunarent, & in medio populi sedere facerent Naboth. Deindè aduersùs eum duos falsos testes producerent, quòd is Deum & regem benediceret (quod quidem videbatur eis esse execrandum) deindè vt lapidibus appeteretur, & mortis subiret supplicium. Et mali quidem vicini, Iezabelis consilio & actum composuerunt, & Naboth interemerunt, eum obruentes lapidibus. Postquàm autem impudens hæc audiuit fœmina, marito dicit: Surge, & esto hæres vineæ: mortuus est enim Naboth, qui tibi non cõcessit, quod volebas. Achab autẽ cùm resciuisset interfectum fuisse Naboth, dolore affectus, & disrupit tunicam, & se sacco induit, seu verè, seu fictè. Non enim recessit ab ea, quam desiderauit, vinea: sed statìm profectus est, vt eam possideret, & cædem omninò sibi ascriberet, quæ iam propter vineam perpetrata fuerat.

Benedicere pro maledicere in scriptura vsitatiſ. Naboth. iniqua cædes.

Sed.

Sedenim Dominus statìm dixit Eliæ Thesbitæ: Dic hæc Achab, ei factus obuiàm: Quoniam occidisti, & quæ non est fas, possedisti, scias quòd in quo loco linxerunt canes sanguinem interfecti, tuum quoquè lingent. Quinetiam in eo lauabuntur meretrices. Et alia præterea, quæ Propheta singulatim persequitur. Qui quidem cùm ei occurrisset, ille, vt qui nôsset cur venisset: Num inuenisti me, inquit, inimice mi? Ei autem dicit Elias: Inuéni, quoniam malum fecisti in conspectu Domini, & prouocâsti eum ad iracundiam. Quamobrèm exterminaberis, & eris desertus simul cum domo tua, adeò vt omnes intereãt, & nullus relinquatur, qui mingat ad parietem. Quinetiam tuum cadauer canes & cæli volucres simul edent, & pascẽtur deuorato sanguine. Eadem autem, quæ tu, patietur quoquè Iezabel: Nam præter alia, in propugnaculo exedetur pariter à canibus, vt sit eius supplicium omnibus manifestum.

Cap. 12.

Vltionẽ diuinam prædicit Elias Achab.

Et Propheta quidem hæc dixit Achab: ille autem cùm audijsset, & corde fauciatur, & suam rumpit tunicam, corpus quoquè affligens ieiunio, & se sacco cingens: quæ erant omnia signa internæ animæ compunctionis. Dicit itaque Dominus Eliæ: Vidisti quomodò compunctus sit Achab à facie mea? Non inducam ergò malum in diebus eius, sed in diebus filij eius. Quem, cùm ipse quoquè malus fuerit, & quæ sunt deteriora, facere elegerit, cuestigiò etiam consequetur iustitia.

En qd possint operà pœnitẽtiæ. 3. Reg. 22.

Non multum intercedit temporis, & moritur Achab. Imperium autem suscipit eius filius, qui vocabatur Ochozias, vir impius, & qui Baal habebat pro Deo. Qui etiam cùm in morbum incidisset, misit ad eum scisitatum, an à morbo conualesceret: quinetiam ad Myan deam Accaron, vt ex ea sciret, an sanitatem esset perfectè recuperaturus. Quod Deus ægrè ferens, iubet Eliæ, vt dicat ijs, qui ab illo missi erant: Quoniam rex vester, Domino Deo derelicto, misit ad inanima de sanitate interrogaturus, sciat fore, vt nec liberetur ab ægritudine, neque descendat ab eo lecto, in quo nunc iacet: sed in eo moriatur, & abrumpat animam, suæ improbitatis colligens manipulos. Cùm his autem Elias in via occurrisset, & quæ Deus dixerat, ad verbum renunciâsset, ij reuersi omnia dixerunt Ochoziæ, nihil celantes eorum, quæ dicta fuerant. Ille verò cùm de eius figura & forma, & zona esset scisitatus, cognouisset autẽ esse Eliam, mittit statìm quinquagenarium cum ijs, qui ei parebant, vt eum comprehenderent, & ad ipsum deducerent. Ille autem cùm venisset & solum in monte offendisset: O homo Dei, inquit illi, Rex te vocat: Descende. Propheta autem: Si homo Dei, inquit, ego sum, descendens ignis de cælo, comedat te cum eo, qui te sequitur, populo. Et protinùs ignis inuadens iussu viri iusti, omnes simul consumpsit. Ochozias autem rursùs alium misit quinquagenarium: qui cùm ipse quoquè renunciâsset Prophetæ ea, quæ Rex iusserat, easdem quoquè subijt pœnas, vt qui ipse quoquè fuerit ab igne consumptus. Sed Rex insipiens, adhuc in suo cœpto perseuerabat: necdùm eius coërcebatur voluntas. Quocircà nec destitit quidem tertium mittere quinquagenarium. Qui cum metu accedens ad Prophetam, illius apprehensis pedibus, petijt veniam, quòd nolens cò venisset, & ei significauit, quòd eum Rex accerseret, supplex perens, nè easdem pœnas lueret, quas priores, nec diuinitùs immissi & ardentis ignis fieret materia. Propheta autem iussus ab Angelo descẽdere ad Regem, venit ad eum, illæso conseruato quinquagenario. Cui etiam dixit, vt res se habebat: Quoniam Deum quidem dereliquisti, à Baal autem petijsti auxilium, idolo inanimato, & prætereà scisitatus es muscam Accaron, quæ ipsa quoquè est molestum animal, quæ oritur ex stercore, scias fore, vt non descendas de lecto, in quo æger decubuisti: quod etiam tibi nupèr significaui: sed morte in illo moriaris, vt etiam tibi sit supplicium ineuitabile. Et eius quidem fuit talis vitæ exitus.

Ignis deuorat duos quinquagenarios.

Muſca, dea Accaron.

Tribuum autem, quæ erant in Samaria, Rex fuit eius frater Hieroboam, ad quem etiam translatum est imperium. Sedenim Elias, qui abhinc versabatur cum Eliseo, quem etiam, vt dictum est, diuino responso vnxit in Prophetam, erat deincèps cum illo, sub eodem tecto simul, & eodem vtens vitæ genere, & omninò inseparabilis. Cùm autem esset igneos currus mox ascensurus, & cum eo, quod deorsùm deprimit, pondere ad superos venturus & assumendus, iam tandèm transiens Galgala, & in Bethel venturus, & cum se solo & deo versaretur, iubet Eliseo manere in Galgalis. Ille verò non parebat ei, neque ab eo recedebat: eius enim sermones eum ceperant, & planè vinctum tenebant. Quamobrèm inuitus quidem, sed eum tamẽ secùm assumit Elias. Qui cùm ambo venissent in Bethel, & dies aliquot in eo loco simul versati essent, rursúque

Cap. 14.

4. Reg. 2.

susque statuisset Elias ire Hiericho, iterùm præcipit Eliseo, nè veniat cum ipso. Ille autem, sicut priùs, parére noluit, fuitque firmo & constanti animo, vt qui sentiret se futurum quodammodò dubium & ancipitem, si se sensisset separari à magistro. Quo circà cùm is nesciret, quid ageret, concedit vt secùm rursùs veniret: quos etiam sequebantur alij quinquaginta. Ij verò erant filij Prophetarum. Postquàm autem Elias ap-
Elias palli. o diuisit a. quas Iordanis. propinquauit Iordani, qui eò, quòd esset maximus fluuiorum, & instàr maris inundaret, nō poterat transmitti: eum cùm percussisset pallio, & in duas partes diuisisset, sibi & Eliseo iter reddit expeditum, & aridam facit eam, quæ est humida. Qui postquàm traiecit, Pete, ait Eliseo, quod vis tibi faciam, priusquàm à te assumar. Ille autem dicit ei: Fiat duplex spiritus tuus super me. Is verò dixit: Fuisti durus in petendo: pro eo, quod est: Fuit magna & difficilis tua petitio, & quæ non facilè potest concedi: attamē si víderis me assumi, erit tibi sicut petijsti, nè sit tua fides hebetior. His autem adhuc
Elias curru igneo vehitur in cælū. ambulantibus, & simul colloquentibus, eccè currus igneus & equi ignei, & diuiserūt eos à se inuicèm. Et cùm currum ascendisset Elias, assumptus est in cælum in commotione, & quò nemo alius ascenderat cum corpore. Coniunctam enim carnem non amisit, sed adhuc cum ea viuit.

Cap. 15. Cùm eum autem vidisset Eliseus ascendentem: Pater mi, clamabat, pater mi, currus Israel, & auriga eius. Et non vidit ipsum ampliùs: & dolore affectus, appræhendit vestimenta sua, & ea discidit. Elias verò pallium suum ad eum ex alto deiecit, vt vel ipsum videns, acciperet consolationem, & per ipsum faceret, quæ vellet. Postquàm
Rursum pallio Eliæ diuiduntur aquæ Iordanis. enim illud accepit, reuersus stetit in margine fluuij. Et cùm non posset traijcere, percussit aquas pallio, imitans magistrum, & aquis statìm diuisis, per aridam transit in humida, sicco pede præteriens Iordanem. Quem cùm, qui erant in Hiericho, sic vidissent transmisisse, dixerunt: Requierà quieuit spiritus Eliæ super Eliseum. Scit enim ille vel assumptus magna largiri ijs, qui ei germanè & syncerè adhærent. quoniam illeà Deo accepit omnium maxima, & quæ nullus alius. Cui enim concessum fuit cælos claudere, aut aperire? Cui aquā cōtinere, aut vnquàm deferre in terram? Cui aqua excitare ignem ad sacrificium, & id cū aqua consumere? Quis alio igne binos vrit quinquagenarios ad arguendum scelus? Quis ardenti zelo interficit Prophetas dedecoris, propter ea, quæ colebant, simulacra? Quis (nè multa dicam) Deum vidit in aurate-
Cap. 16. nui, cùm inedia se priùs attenuâsset? Hæc enim omnia sunt solius Eliæ, & eius, qui erat in eo, spiritûs.

Quæ sunt autem maiora, prætermisit oratio, nè videretur dicere, quæ sunt incredibilia, & à vulgo minimè admittenda. Qui ne in hodiernum quidem diem mortis fecit periculum, sed assumptus manet expers senij, qui, vt arbitror, vnà versatur cum Angelis, quorum incorruptionem & materiæ vacuitatem per puram vitam est imitatus. De quo maximè à Dauide quoquè dictum est, Longitudine dierum eum esse
Psal. 90. impletum, & Dei salutare ei esse ostensum.

Matth. 17. Etenim is etiam cernitur in transfiguratione vultum Dei nudum adspexisse, stans facie ad faciem. Porrò autem etiam in fine seculorum, quandò Dei aduenient perfectum salutare, ipse Deum veniētem prædicabit ante alios, & alijs ostendet scilicet, &
Malac. 4. Matth. 17. multis diuinis signis diem, qui est occultus, confirmabit & patefaciet. Cui nos etiam parati occurramus hunc diem habentes admirabilem, nobis complanantem eam, quæ ad illum ducit, semitam, & ad cælestia deducentem tabernacula: In Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria & potentia nunc & semper in secula seculorum, Amen.

VITA

VITA S. VVLMARI ABBATIS ET CONFESSORIS, APVD BOLONIAM FRANCIAE QVIESCENTIS, conscripta per monachum monasterij eiusdem S. Vulmari Bolonienſis. ſtylum alicubi mutauimus.

SANCTVS Vulmarus in inferioribus Galliæ partibus, haùd longè à maris litore in pago Bolonienſi in villa Syluiaco nuncupata, ex Christianis atq; inclytis parentibus est editus. Pater eius Vulpertus, mater autem Duda, frater verò Vualmarus dicebatur. Sed præfatus vir sanctus Vulmarus tempore iuuentutis suæ coniugem duxit nomine Historaldam, quæ priùs erat desponsata alteri viro nomine Vuilmaro. ac propterea apud Francorum principē grauiter Dei famulus accusabatur, cuius imperio & iussu, priori sponso Historalda reddita est. Sanctus verò Vulmarus postquàm reliquit coniugium, petijt monasterium quod in pago Hannonienſi ad Sambrā fluuium situm est, diciturque Altimontis, vbi tunc monasticus ordo florebat. Susceptus verò à Rectore eius cœnobij, demandatum sibi ab illo satìs vile & abiectū ministerium obedientiæ causa in se recepit, vt quod circa pascendos boues, & ligna ad fratrum officinas importanda versatur. Quod munus prompto certè animo executus est. Sed postea, instigāte eum spiritu Dei, ad ludū literarum perrexit, ac sibi alphabetum exarari postulauit. nam anteà illiteratus erat. Indè reuersus, dum quodam die de more pergebat ad syluam, tabellam alphabeticam arripuit, quam manu gestans lectitabat, bobus ipsum cum vehiculo sequentibus. Qui cùm intētus esset suæ lectioni, substitit parumpèr vehiculum, quo resumpto inceptum peregit opus, ligniſq; eidē impositis ad fratrū cellas diuexit.

Cap. 1. Iulij. 20. Parentes S. Vulmari. Vxorem duxit, sed statim eam dimittit. Fit monachus.

Postquàm verò sanctum eius studium Abbati innotuit, ab hoc ministerio absolutum, literis nauare operam præcepit, altero in eius locum subrogato. Deindè adscriptus in clerum, nihil solitæ humilitatis deposuit, sed horis nocturnis, cùm se fratres quieti dedissent, omnium purgabat calceos, mundat: sque suis restituit locis. Cumq; id operis indesinenter continuaret, obstupefacti sunt omnes vehementer, ac inito cōsilio totā rem suo indicauerunt Abbati. Porrò Abbas nōsse percupiens quisnam tantæ humilitatis obiret officium, quadam nocte, in dormitorio vbì cubabat, calceos suos sordibus commaculatos dimisit. Quos cùm Vulmarus more consueto auferre vellet vt mundarentur, ab Abbate deprehensus est. Qui semèl atque iterùm interrogatus quisnam esset, tacuit: Verùm compulsus à præsidente suo, tādèm, Ego sum, inquit, Vulmarus filiolus tuus. Tūc ait Abbas ad eum: Fac quod vis. Ille verò, assumptis calceis, consuetum summa deuotione peregit opus.

Cap. 2. Fit Clericus. Præclara humilitas eius.

Intereà Dei miles in agone huius vitæ viriliter contendens aduersùs vitia & concupiscentias, ac de virtute in virtutem progrediens, omnibus tanquàm lucidissima lampas radios bonæ operationis administrauit, Deo seruiens cum omni mansuetudine & humilitate. Quocircà succedente tempore, dignus sacerdotali munere ab Abbate & fratribus acclamatus est. Sacerdotio igitur initiatus, ob vitæ meritum ab omnibus cum magna reuerentia prædicabatur. Sed vir Dei laudes hominum non ferens, timensque per huiusmodì adulationes se aliquandò æterno brauio priuādum (Sicut de quibusdam in Euangelio dicitur, Receperunt mercedem suam) in eremum aufugit, nihil secùm ferens nisì sacerdotalia vestimenta & bipennem.

Cap. 3. Fit presbyter, sed vt hominum laudes vitet, petit eremum. Matt. 6.

Postquàm igitur egressus est de monasterio, perrexit recto tramite ad partes Aquilonares, veniensq; in pagum qui Mempisco antiquitùs dicebatur, vbi erat immanissima sylua, ibidèm cauam arborem conspicatus est, in qua tres dies delituit nō solùm humano orbatus solatio, verum etiam omnis cibi, & potûs expers. Tunc pius & misericors Deus, qui nunquàm deserit sperantes in se, sed dat omnibus escam in tempore oportuno: misit Angelum suum ad quendam eius loci virum fidelem, qui in visione eum increpabat, dicens: Tu quidem hìc delicias tibi præparas, & seruus meus illa in eremo periclitatur fame. Expergefactus ille, visionem suæ pandit vxori: attamen testatus est, se ignorare locum, quò deferendi erant cibi, atq; vbi Dei famulus moraretur. Cui vxor eius respondit: Fac, inquit, quod tibi iniunctum est diuinitùs. Dubium non est, quin Angelus Dei bonus comitabitur te, & deducet ad destinatum locum: ego verò pa-

Cap. 4. Iste locus nō lōgè distat à Castello, oppidulo Flādriæ. Psal. 144.

rò parabo cibos,tù interìm aſcende equum, & freno remiſſo quocũqttè voluẽrit eat, quia Dominus perducet te ad locum vbi eius famulus cõuerſatur. Optemperat vxoris conſilio maritus,& rectà peruenit ad arborem,vbì ſeruus Domini Ieſu Chriſti ſedens orationibus vacabat:quem vt vidit, Túne es, inquit, ſeruus Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui mihi præcepit tibi afferre prandium?Qui reſpondens, Licèt indignus,ait, tamen ſeruus Ieſu Chriſti ſum, éique quantum valeo militare deſidero : & gratias agens pro accepta annona, ſurrexit, & cum hoſpite ſuo vnà cibum ſumpſit.

Iuſſu angelico per quẽdam virum paſcitur.

Cap.5.

Poſteà ille idem vir ad Dei famulũ ait : cùm Dei ſeruus ſis & verè ei militare deſideras, veni mecum,& tribuam tibi fundum hæreditatis meæ, vbì monaſterium conſtruas,atque ad ſeruiendum omnipotenti Deo monachos congreges.Sanctus autem Vulmarus primò renuit: verùm poſteà eius precibus & ſanctæ deuotioni acquieſcẽs, cum eo profectùs eſt : acceptaq; hæreditatis eius portione,cõdidit monaſterium,plurimosque ad inſeruiendum Deo ſibi attraxit. Deindè vir memoratus ei filium ſuum commiſit, vt eum tam literis quàm virtutibus imbueret, ac in omnipotentis Dei ſeruitio educaret.Poſthæc reliquam hæreditatis ſuę portionẽ illi adiecit. Adiuncti ſunt etiam S. Vulmaro prænominati viri fratres germani, alijsque quamplurimi viri illuſtres, ſuas eidem monaſterio tradentes poſſeſſiones.

Conſtruit monaſterium.

Multi ſanctum eius inſtitutum amplectuntur,

Cap.6.

Cùm itaq; bonum ille certamen certaret, & fidelẽ Chriſto Domino nauaret operam, cœpit multis clarere virtutibus & ſignis. Qua de cauſa multi tam ex longinquis quàm ex propinquis regionibus permoti fideles,ad eum confluebãt, ac ſumma reuerentia amplectebantur. At ille humanos honores declinans,nè quam illi elationem animi adferrent,ad pagum Bolonienſem,in quo natus fuerat, ſe clàm ſubtraxit. Ingreſſus autem ſyluam, quæ vno tantùm miliari ab eius diſtabat patria,& iure hæreditario ad ipſum ſpectabat, cœpit in ſanctiſſimæ Dei genetricis Mariæ & beatiſſimi Petri Apoſtoli honorem ædificare eccleſiam. Quò cùm illum inuiſendi gratia complures vtriuſque ſexûs conuolarent homines,verbo Dei eos reficiebat,& ſub regulari habitu regebat : diù noctuque ſeruiens Deo in vigilijs,in ieiunijs, in frigore & nuditate, in orationibus,atque in multa patientia.

Reuertitur Bononiam, ac in vicina ſylua aliud condit cœnobium.

2. Cor. 6. & 11.

Quodam tempore ambulabat eiuſdẽ S. viri germanus frater Vualmarus nomine per memoratum nemus, reperiebatq; anachoretam Chriſti ante ſuum tuguriũ ſtantem ac manualibus inſudantem operibus, ignorans quia germanus eius eſſet, qui interrogabat eum, dicens:Quis es tu? & vndè venis,& quid híc agis?Eremita autẽ Chriſti non ferens illum diutiùs in tali ignorantia cõmorari, germanũ eius ſe eſſe profeſſus eſt. Ille verò ex fratris reſponſo hilarior effectus, Eamus, inquit,& deſcẽdamus ad paternas ædes & ſalutemus matrem noſtram & conſolemur eam,quæ longo tempore tuam doluit abſentiã.Sanctus verò Vulmarus fratris monitioni non acquieſcens, dixit:Non ibo. Tu verò & ipſa quàntùm poteſtis, aliquã annonæ conſolationẽ mihi impendatis : & ego quantum prævaleo in conſpectu Dei omnipotentis memor ero veſtrî . Qui cùm reuerſus domũ hæc ſuæ enarrâſſet matri, illa de filij ſalute multùm gauiſa eſt, & exindè cibaria eidem procurauit deferri.

Cap.7.

Monachorum eſt,aliquandò manualibus vacare operibus.

Recuſat inuiſere matrem.

Quodã tempore cùm prænominatus Vualmarus ſuo fratri cibos deferret, & eum ſolito loco nõ inueniret:cœpit magnos emittere eiulatus,& acclamare Vulmarum. Ille verò fratri occurrens,Nè inquit,frater mi tales ampliùs edas clamores.Tunc ſuſpendens in quadam arbore ligneam tabellam cum malleo, iuſſit victualia deferenti decæterò tabellam percutere,& hoc ſignò fratrem euocare.Hæc enim in perpetuam rei memoriam cum prædicto malleo in eius cœnobio conſeruatur.

Cap.8.

Tabella lignea loco nolæ.

Cap.9.

Confluebant ad ſanctum Dei vtriuſq; ſexûs complures homines, ſub eius ſacro inſtituto militare cupientes, quos ille omnes benigniſſimè ſuſcepit, ambroſia cæleſtis diſciplinæ depaſcens,ac nectare diuini amoris inebrians: Semota tamen habitatione virorum à manſionibus mulierum, quibus ſanctiſſimæ conuerſationis Bertannam Abbatiſſam neptem ſuam præfecit,eandem inſtruens,quomodò concredito ſibi ſanctimonialium gregi curam gerere debeat, nè ab intuiſibili lupo fidelium caulas circũcurſitante aliquæ ſuffocentur, ſe per maternas eius exhortationes in fide,caſtitate,ac omni opere bono confirmentur. Ipſe verò paſtor erat monachorum, non mercenarius: ſed eius inſequendo veſtigia qui de ſe ipſo ait, Ego ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Mercenarius autem veniente lupo fugit & dimittit oues.

Conuẽtum monialium inſtituit.

Iohan.10.

Cap.10.

Anno incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo octogeſimo octauo, quandò prænominatam Baſilicam in honorem S. Mariæ virginis & beati Petri Apoſtoli idem vir Dei extruxerat, venit ad eum Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum, iam in Britannia factus catechumenus, vt ab eo in fide Ieſu Chriſti magis inſtrueretur & confirmaretur.Dixitque ei: Audiui te virum eſſe ſanctum. Duo igitur abs te peto, vt me fluctuantem animo in fide confirmes, & quæ ſit animæ meæ ſalus edoceas: ſimul etiam ores pro me Dominum Deum,nam meæ orationes valdè frigent. Cùm ergo vir Dei audiſſet regem,& ei benè precatus eſſet; ille diuinitùs permotus,profectus eſt Romam, atq; illic ſacrũ baptiſma ſuſcepit.Idem verò Rex triginta ſolidos maioris monetæ, viro Dei reliquit ad vſum prænominatæ eccleſiæ. Qui poſteà plenus operibus bonis, Deoque diù noctuque ſeruiens, feliciter ex hoc ſeculo migrauit ad Chriſtum.

De Ceadualla vide Bedam lib.4. cap.12.15.& 16. lib.5. ca. 7.hiſtoriæ gentis Anglorum.

Idem Rex Romæ baptizatur. cõſentit Beda.

Hic paſtor bonus, commiſſis ouibus diligentiſſimè inuigilans, ſolebat frequenter prætactas viſitare & conſolari moniales ; nam deerant illis aliquandò alimenta corporalia.Sed vir ſanctus pabulo euangelicæ exhortationis priùs eas enutriens : Quærite, ait, primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & omnia neceſſaria adijcientur vobis. Quid ſolicitæ eſtis? Iactate cogitatũ veſtrũ in Domino, & ipſe vos enutriet. Quod ità ſæpiùs noſcitur euenìſſe. nam priuſquàm eius ſermo finiretur, quidam ſuperuenientes deuotionis cauſa,tabellam memoratam pulſabant,ac cibos abundantiſſimè defebrant,quibus illæ enutritæ,gratias Domino egerunt,qui non deſerit ſperantes in ſe.

Cap.11.

Matth.6.

Pſalm.54.

Alio autem tempore fur quidam,praua ductus cupidine,abſtulit equum viri Dei. Qui cùm totà nocte errabundus vagaretur,nec poſſet attingere locum,quò tendebat: manè verò alterius dicì antè portã monaſterij inuentus eſt equo inſidens, de quo nec perſe deſcendere valuit,nec ab alio deponi.Quod cùm duo ex diſcipulis viri Dei animaduerterent,apprehenſum duxerunt ad Abbatẽ ſuum;qui corripiens eum, ac monens nè ampliùs tale ſcelus perperraret, propiùs acceſſit, & eum ab equo leuauit, libe-rumq; dimiſit. Tunc longè lateq; diffuſa eſt ſanctitatis eius fama, ac permulti ad eum veniebant, eulogias ac permulta munuſcula eidẽ offerentes. Ille verò omnes in Dei ſeruitio confirmans,quæ attulerant bona,proprijs manibus pauperibus erogabat.

Cap.12.

Fur quidã proditur diuinitùs.

Benignitas viri Dei in pauperes.

Deindè quantas miles Chriſti fathanæ paſſus ſit inſidias,quàm viriliter colluctatus ſit aduerſùs propriam carnem,quas tolerauerit malorum perſecutiones,quantam famem,frigora,aliasq; plurimas incommoditates pertulerit, lõgum eſſet attexere. Deniquè multo iam ſenio grauatus, in moleſtã corporis infirmitatem incidit:accitisq; ad ſe fratribus, ſuum obitum prædixit.Poſtquàm autem hæc ad notitiã ſanctimonialium peruenerunt, quæ non longè ab eo loco morabantur, rogabant,vt ſe inuiſendi copiam ipſis faceret. Verùm ille plenus ſpiritu ſancto proteſtabatur, quòd nunquàm híc eſſet eum viſura aliqua mulier. Eadẽ nocte feliciter obdormiuit in Domino . Factusq; eſt planctus magnus & vlulatus virorum & fœminarum in eodem cœnobio, propterea quod tanto paſtore orbarentur.

Cap.13.

Prædicit ſuũ obitũ.

Feliciter obit mortẽ.

Deniquè impoſito eius ſacro corpore pro more iſtius regionis ſarcophago, accurrebant moniales illæ, cupientes vel defunctum videre, quem viuum non meruerunt viſitare: Sed nebula corpus eius obtegente, non nisì luminaria & faces quæ funus antecedebant,ac turbam quæ ſequebatur, conſpicere potuerunt, loculo in quo ſacrum illud pignus quieſcebat,ſub illarum aſpectum prorsùs nõ veniente: ſicut ipſe ſanctus adhuc in viuis prædixerat, non ſe vnquàm viſurum fœminam . Sepultum eſt autem beati viri corpus cum multa reuerentia apud Boloniam, vbì multis coruſcat miraculis.Obijt verò 13.Calendas Auguſti.

Cap.14.

Nebula eius corpus obtegitur, nè à monialibus videatur.

Præterea quamuis permulta Dominus,per ſancti ſui Vulmari merita, operatus ſit ad eius ſepulcrum miracula, dimiſſis plurimis ad vitandam prolixitatem , pauciora perſtringam:quoniam adhuc oculati teſtes ſuperſunt, qui ea ſe vidiſſe affirmãt.Quidam clericus Andeboldus nomine, paralyſi vexatus, ità vt quatuordecim annorum ſpatio,nullo ſui corporis membra fungerentur officio,diuinitùs admonetur,vt Baſilicam ſancti Vulmari inuiſat. Qui manè conſurgẽs, venit Boloniam in profeſto ſancti Michaëlis Archangeli, quod tunc in diem ſabbati inciderat : nocteque ſequente, dum fratres eius monaſterij matutinas decantarent laudes, ille ad ſepulcrum ſancti Dei orationibus vacabat,atque ità miſeratione diuina priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt, & remeauit ad propria.

Cap.15.

Miracula ad eius tumulum.

Sanatur paralyticus.

Alius quidam clericus Marcfridus nomine, qui eccleſiæ ſancti Martini pontificis præerat,conuocatis famulis ſuis ad ſecandum fœnum iuxta flumen quoddam regionis illius, quo die feſtiuitas beati Vulmari à populo ſolẽniter celebrabatur: illi aiũt:

Cap.16.

Hodiè

Attende vindictam Dei in violatorem festi eius.

Hodiè nobis minimè licet operari, quia festum sancti Vulmari est. Ille verò auaritiæ studens superbè respondit: Colant eius festa qui volunt, vos autē sine dilatione iniunctum vobis implete seruitiū. Verùm omnipotens Deus, volens declarare, quanti esset meriti, cuius festa celebrabantur, tanta aquarum immēsitate fecit excrescere vicinum alueum, vt sua inundatiōe, iam tertiò superficiem terræ operiret, & omne fœnum ad litus maris vsque proijceret. Præfatus verò clericus horrore nimio perculsus, quandiù maneret in viuis, se festum sancti Vulmari celebraturum deuouit. atq; ità diuinæ pietatis dispensatione emendatus est.

Cap. 17.

Alio item tempore tertiodecimo Calendarum Augusti, cùm festiuitas sancti viri coleretur, quidam rusticus ab amico suo admonitus vt secum ad tanti viri solennitatem ascenderet, ire contempsit: sumptoq; vehiculo ad vicinam syluam pro lignis deferendis perrexit. Iterùm cùm is ibidem solus esset eo tempore quo sacra Missarum solennia agerentur, subitò tanta tempestas exorta est, tot fulgurum coruscationes & infesta tonitrua, vt extremam vitæ suæ horam adesse crederet. Qui cùm huc illucq; discurreret, vt sub aliqua arbore saluaretur: ramorū fragor interitum illi minitabatur. Sed & vehiculum quod ad syluam deferebat, ante oculos eius confractū est. Tandèm in se reuersus, clamauit in cælum, Dei misericordiam, ac sancti Vulmari crebris vocibus exorans clementiam: simulque professus est, se omnibus diebus vitæ suæ (si ei Dominus per sancti sui merita vitam concederet) eius festa deuota mente velle venerari. Nec mora, reddita aëris serenitate, domum incolumis peruenit, confracto tamēpræfacto vehiculo. Quis non intelligat, pro contemptu sancti viri eum fuisse castigatum, ac rursùs per eius merita misericorditer liberatum?

Item in alium.

Cap. 18.

Hoc quoquè silentio prætereundum non est, quod ego ipse & complures alij prosijs oculis conspeximus. Quodam tempore in natali sancti Martini Turonensis Episcopi, cùm inter diuina Missarum solennia sanctum legeretur Euangelium, quidam peregrinus surdus ac mutus, nostrū orationis ergò ingressus est monasteriū, cuius diuina largiente clemētia ac sanctissimi Vulmari interuenientibus meritis, vinculū linguæ eius solutum & aures apertę sunt: ità vt is (ô stupendum miraculum) qui ab infantia hoc laborabat incommodo, apertè loqueretur & ad interrogata responderet. Solebat idem nobis referre seriem suæ curationis & ordinem. Videbat enim quendam virum, cùm sacrum legeretur Euangeliū, canitie & vultu venerabilem, & manu baculum ferentem, ad se accedere, qui insufflabat in auriculam eius, & linguam extrahebat. Quo facto, æger obriguit: & seipso in terram deiecto, sanguis per os & nares eius copiosè manauit. Post hæc terribilem emisit vocem, ità vt qui adstabat populus, crederet eum suis orbatum sensibus. Aſt postquàm omnes intellexissent diuinā clementiam erga eum operatam, vna voce benedixerūt Deum, qui per S. Vulmari merita tales dignabatur operari virtutes.

Surdus & mutus videt & loquitur.

Cap. 19.

Eodem ferè tempore quidam puer, ex grauissima infirmitate percussus paralysi, ità vt per annum penè integrum ambulare nec sursùm se erigere valeret, vel ad momentum in scamno sedere, cui dum opportunitas adesset quoquàm eundi, instàr ranæ manibus se ad terram sustentans, debilia membra post se trahebat, ad Basilicam sancti viri adductus est. Qui in oratione prostratus, preces omnipotenti Deo pro sua sanitate profudit: & exauditus est. Nam cùm vespertinalis ageretur oratio, de terra, in qua pronus iacuerat, surrexit, atque ilicò omnibus videntibus ad altare deuenit, ibique orans, Deo & beato Vulmaro pro sua curatione gratias egit. Et exindè omnia eius membra ità solidata sunt, acsi nullam vnquàm essent passa læsionem. Interea plurimi, diuersis temporibus, à sua infirmitate pristinam sanitatem nobis adstantibus recipere meruerunt, largiente Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum,

Amen.

Paralyticus curatur.

COM-

COMMENTARIVS DE SANCTO PROPHETA DANIELE, ET DE SANCTIS TRIBVS PVERIS,

Simeone Metaphraſte authore. Capitula margini appoſuimus.

VM Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum ciuitatem Hierusalem bello cepiſſet, & magnam illinc prædam egiſſet, & plurimos abduxiſſet bello captos, & ſplendidè ac magnificè reuerſus eſſet Babylonem, ſui imperij ſedem, nobiliſſimos pueros Iudæorum delegit, & ſibi ad ſuum attribuit miniſterium. Inter quos erant etiam quatuor ex ijs, qui à rege Dauide ducebant originem: pulchri quidem ſpecie corporis, pulchri autem ſpecie quoquè animæ, ingenumque & liberalem adſpectum pulchrè ex vtriſq; oſtendentes: qui etiam ad Ezechiam & Ioſiam viros iuſtiſſimos genus proximè referebant. Cùm illos ergò * excidiſſet, & prouidiſſet vt ex menſa regia alerentur, tradit pædagogis, vt in externa ſapientia & ipſa Chaldæorum doctrina pulchrè erudirentur. Ex his vnus quidem vocabatur Daniel: qui ipſum verò ſequebatur, Ananias: & tertius Azarias, & alius Miſaël. Mutatis autem eorum nominibus, Danielem quidem vocat Baltaſſar, Ananiam Sidrach, Azariam verò Miſach, & Miſaëlem nominat Abdenago. Quos quidem & rex amabat, & benignè admodùm eos adſpiciebat, eorum laudans indolem: & quòd non ſolùm valebāt ingenio ad diſciplinas, ſed eis quoquè magnum adferebat ornamentum ſolertia & modeſtia. Sed ſic quidem erat rex affectus in pueros.

Iulij 21. ſecundùm Latina Metatheſiologia. Cap. 1.

Dan. 1.

Daniel cum ſocijs ex Davide Rege duxit originem.

* excepiſſet

Mutat eorū nomina Nabuchodonoſor Rex.

Diuinus autem Daniel non ſolùm erat laudator virtutis, ſed eam etiam diligenter exercebat. Et ideò aſperitate vitæ corpus affligebat, & ciborum menſæ regiæ non ſolùm recuſabat eſſe particeps: ſed alijs etiam cognatis, tribus, inquam, pueris ſic ſuaſit vt facerent. Cùm vtriſque ergò viſum eſſet, ab omnibus abſtinere animatis, & veſci ſolùm ſeminibus & oleribus, accedentes ad Aſchanetum archicunuchum, cui erat commiſſa eorum cura à rege, eum rogārunt, vt quæ ab ipſo rege ad eos afferrentur, ipſe accipiens conſumeret: pro eis autem præberet legumina & dactylos ad nutrimentum, & ſi quid aliud vellet ex inanimis. In hac enim vitæ ratione dicebant ſe eſſe educatos ab initio, aliam verò deſpicere. Ille autem dicebat ſe eſſe quidem paratum inſeruire eorum voluntati: ſed timere, nè id rex reſciſceret ex corporum gracilitate & vultûs pallore. Neceſsè enim eſſe, vt eis ſimul mutentur corpora & colores cum ratione victûs: & maximè, nè cùm alij pueri ſint bonæ habitudinis, ipſi ſint ei cauſa periculi & ſupplicij. Cùm itaque cautione hac in re vteretur Aſchanes, ei perſuadent pueri illi egregij, vt decem dies hæc illis præberet experiendi cauſa: & ſi non mutaretur quidem eis corporum habitus, ſineret in eis perſeuerare. Sin autem viderit diminutos, & alijs ſe habentes deteriùs, eos ad priorem victûs reducat rationem, & faciat vt fuit ei imperatum. Cùm verò eo alimento vtentes nihil offenderentur, ſed & corpora eorum melioris eſſent habitudinis, quàm aliorum, & adſpectu pulchriora, adeò vt qui eos videbant, putarent Danielem quidem & tres alios viuere in omnibus lautitijs & delicijs: alios autem pueros veſci parciùs, nec eis ſuppetere ea, quæ ſunt ad vſum neceſſaria.

Cap. 2.

Daniel corpus caſtigat

Daniel cum ſocijs regijs epulis anteponit legumina.

Ex illo tempore, cum reuerentia, Aſchanes quæcunque quidem è ſua cœna, vt ſolebat, ad eum mittebat Rex, ipſe accipiebat: quæ prædicta ſunt verò, eis ſuppeditabat. Illi autem, vtpotè quòd eis animæ propterea euaſerant mundæ & aptæ ſuſcipiendas diſciplinas, omnem citò didicêre doctrinam, tam quæ erat apud Hebræos, quàm quæ apud Chaldæos: maximè verò Daniel, qui cùm iam eſſet ſatìs doctrina proiectus, ſtudium quoquè poſuerat in iudicio ſomniorum: eique Deus manifeſtè apparebat: à quo cùm eius mens informaretur, ex futuris multa euidenter prædixit. Secundus annus præterierat, ex quo capta fuerant Hieroſolyma, & Rex Nabuchodonoſor ſomnium videt admirabile, cuius euentum in ſomnis ipſe Deus ei ſignificauit. Ille autem cùm ſurrexiſſet è cubili, & ipſius ſomnij eſt oblitus, & illius, quam à Deo habuit, coniecturæ. Chaldæis ergò protinùs accerſitis, tam qui erant inter Magos eximij, quàm qui periti diuinationis, dixit eis ſe vidiſſe ſomnium, & quid ſignificaueritt:

Cap. 3.

Victûs tenuitas facit ad ſuſcipiendam eruditionem.

Dan. 2.

Vidit ſomnium Nabuchodonoſor Rex.

uerit: porrò accidisse, vt eorum obliuisceretur, quæ viderat: & iubebat eos dicere quodnam esset somnium, & quænam esset significatio. Illis verò dicentibus fieri non posse ab hominibus, vt, nisì ipse exposuisset visionem, coniecturam enunciarent: ipse mortem minatus est sapientibus, nisì ei & visionem reuocarent in memoriam, & coniecturam simul enunciarent. & statim iussit eos omnes interimi, cùm pronunciâssent se non posse facere id, quod iussi fuerant.

Cap. 4. Cùm hoc intellexisset Daniel, iussisse Regem omnes occídi sapientes: inter hos autem se quoquè cum cognatis venire in periculum, accedit ad Arioch vnum ex Regis satellitibus, & rogat, vt ei dicat causam, propter quam Rex tam improbè iussisset occídi omnes sapiẽtes Chaldæos & Magos. Cùm verò de somnio ex eo intellexisset, & quòd iussi à Rege hoc ei declarare, qui fuerat oblítus, dixerunt se non posse: & propterea Rex ira motus, eos morte damnauit: rogauit Arioch, vt intraret ad Regem, & peteret Magis vnam noctem, & in ea hanc differret interemptionem. Dicebat enim se sperare, fore vt cùm in ea Deum orâsset, somniũ cognosceret. Et ille quidem hæc Regi quàm primùm renunciauit. Ille autem cupiens scire, quænam esset visio, & quænam esset eius significatio, iubet sustineri Magorum interemptionem, donèc sciret, quidnam dicturus esset Daniel, & quænam esset eius virtus. Hic ergò beatus cùm tota nocte cũ cognatis ad se secessisset, tota nocte Deo supplicauit, vt Magos seruaret & Chaldæos, cum quibus ipse quoquè simul erat periturus, & liberaret ab ira Regis, aperiendo ei visionem, cuius Rex erat oblítus. Deus autem simul & misertus eorum qui erant in periculo, & volens suum Prophetam reddere glorioſum, ei significat somnium, & aperuit coniecturam: & cùm protinùs Daniel hæc Azariæ & cæteris aperuisset, eos, qui vitæ spem abiecerant, & in mortem suam defixerant cogitationem, immutat & reddit lætiores & animo alaciores.

Danieli diuinitùs reuelatur somnium Nabuchodonosor.

Cap. 5. Cùm Deo autem cum eis egisset gratias, qui misertus fuerat eorum ætatis, & esset dies, accedit ad Arioch, & rogat, vt eum ducat ad Regem. Dixit enim, se ei velle somnium significare, quod ei accidit vt nocte videret præterita. Ingressus verò, primùm se excusauit, nolens alijs Chaldæis videri sapientior: & quòd cùm nullus illorum potuisset inuenire somnium, ipse id esset dicturus. Non enim per experientiam, neque quòd sit subtilioris & solertioris ingenij, hoc accidit: sed nostrî, inquit, misertus Deus, qui veneramus in mortis periculum, mihi pro mea anima & eorum, qui sunt eiusdem gentis, precanti, & somnium aperuit & eius expositionem. Non minorem enim nostri doloris, quàm tuæ gloriæ curam gerebam, ô Rex, qui viros tam bonos & tam honestos, iniquè mori iusseras, cùm nihil petijsses, quod esset humanæ sapientiæ: sed hoc ab eis exegisses, quod erat solíus Dei opus. Tibi ergò ô Rex cogitanti, quis post te esset mundo imperaturus, volens Deus significare, tale ostendit somnium. Visus es tibi videre magnam statuam stantem, cuius caput quidem contigit esse aureum: humeros autem & brachia, argentea: ex ære verò, ventrem & femora: tibias & pedes, ferreos. Deindè lapidem vidisti abruptum à monte, incidere in statuam, & eam compræhendere ac conterere, & nullam eius partem relinquere integram: aurum autem & argentum & æs & ferrum vel puluere fieri subtilius: & statuam quidem vento spirante dispersam fuisse in aërem: lapidem verò adeò creuisse, vt videretur vniuersa terra ab eo fuisse repleta. Atque somnium quidem, quod ipse vidisti, fuit tale. Eius autem coniectura hoc modo se habet: Aureum quidem caput, te significabat, & qui ante te fuerunt, Reges Babylonios. Duæ verò manus & humeri, à duobus Regibus dissoluendum esse vestrum principatum, à Persis, inquam, & Medis. Illorum autem principatum destruet quidam alius ex occidente, ære indutus. Is est Alexander Macedo: & eum faciet alius cessare, viribus ferro similis. Superabit autem omninò propter ferri naturam. est enim is fortior auro, argento & ære. est verò id potentissimum Romanorum imperium. Significauit autem ei etiam de lapide, dicens: Lapis qui fuit scissus sine manibus, est Christus. Illud verò, Sine manibus, prædixit eum sine coitu esse nasciturum ex vtero à labe alieno.

Solus Deus nouit cogitationes hominum.

Interpretatio somnij regij.

Cap. 6. Nabuchodonosor autem cùm hæc audiuisset, & hoc esse, quod ei apparuerat, somnium intellexisset, stupuit Danielis ingenij magnitudinem: & protinùs parua omnia, & ipsum regnum, & imperij magnitudinem esse ducens, surgit è throno, & Deo paribus illum afficit honoribus. Prætereà verò ei quoquè sui dei imposita appellatione, eum totius regni effecit curatorem. Quinetiam eius cognatos, qui erant ei virtute pares, Azariam, inquam, & cæteros, creat principes Babylonis: quos paulopòst

Maximis honoribus à rege afficitur Daniel.

pòst contigit propter inuidiam incidere in periculum, cùm Regem offendissent hac de causa: Rex ille Babylonis, felici rerum successu, & infinitis diuitijs, & multitudine carum, quas * subiunxerat, gentium, in superbiam elatus & valdè inflatus, & propemodùm propter leuitatem se deum esse visione appræhendens, propemodùm se vel deos eo ipso die putabat posse fingere, & suarum manuum opera deos contendebat efficere. Hinc factum est, vt cùm auream constituxisset statuam, sexaginta quidem cubitorum altitudine, sex autem latitudine, eam statuerit in medio campo Babylonis, qui vocatur Deera. Et cùm esset eam consecraturus, ex tota terra, cui imperabat, conuocauit primos satrapas. Dederat verò eis quoquè signum, vt non tam temerè, nec absque aliqua ratione ei honorem tribuerent: sed tanquàm signo dato accedentes, cum magno metu adorarent. Fuit autem tale signum: Quandò, inquit, audierint tubam, hoc magna voce significantem, tunc oportet, inquit, procidentes adorare statuam: eos verò, qui hoc non fecerint, continuò injici in fornacem ignis ardentis. Vt enim esset ei maius & clarius certamen pro statua, iubet fornacem ex diametro distantem, pice, sarmentis, naphtha & stuppa accendi è regione statuæ: vt si quis conuincereturiussui Regis non assentiens, in fornacem statim conijceretur.

* for. subiunxerat vel subiecerat,

Dan. 3.

Aurea statua Nabuchodonosoris.

Cùm omnes ergò, vt iussi fuerant, iam resonante tuba adorarent statuam, hi tres soli recusârunt hoc facere, vt sacra docent eloquia: vt qui patrias leges transgredi minimè sustinerent, & Deum dedecore afficere, & simulacro offerre adorationem. Hinc factum est, vt apud iniquum Regem accusarentur. Accedentes autem, qui eos accusabant, Rex, dixerunt, ij, quibus à te datum est imperium regionis, Sidrach, inquam, hic, Misac, & Abdenago, neque omninò sustinent adorare imaginem, neque tuis iussis obediunt. Hæc cùm illi dixissent, ij statim producti sunt ante tribunal regium. Quid ergò deincèps est consecutum? Ille quidem rogauit, an vera essent, & nollent auream statuam adorare cum alijs. Dicebat enim se non credere hæc esse vera. Illi verò magno & excelso animo dixerũt, se nullum alium habere, nisì solum Deum in cælis: qui nos potest, ô Rex, eripere ex hac fornace ardente, & ex tuis manibus. Certò enim scias, quòd nos deos tuos non colemus, & auream, quam posuisti, statuam non adorabimus. His tyrannus non minùs ira accensus, quàm fornax ardens, iubet iratus viros robustos, Azariam cum cæteris, vinctos cum vestibus & tibialibus, ità vt erant, in fornacem injicere. Et illi quidem statim in ignem inicti, diuina prouidentia conseruantur illæsi, & admirabiliter ac contra opinionem manifestum effugiunt periculum. Non enim eos omninò ignis attigit, neque eos vlla affecit molestia. Sed cùm vnà cum eis descẽdisset & Angelus, statim quidem à circumpositis relaxantur vinculis: aura autem rore adspergens, eis euasit ignis, & tanquàm in thalamo in média flamma stantes, laudabant Deum vniuersorum: Benedictus es, dicentes, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile & glorioſum est nomen tuum in secula: & quæ deincèps sequuntur in cantico. Eos verò, qui ipsos accusabant, Chaldæos, & multos alios ex Assyrijs, ignis excurrens perdidit & interemit. Sic gloria & honore coronare nouit Deus eos, qui reuerà nomen illius glorificant. Sic fide dignus est, qui promisit, quòd etiamsi per ignem venias, non comburéris, neque ardebis. Atque hæc quidem sic habuerunt, & tres pueri degebant in fornace, laudantes Deum vniuersorum.

Triũ puerorum magna animi virtus.

Mittitur in fornacem.

Dan. 3.

Esa 43.

Rex autem rem admiratus, statìm quidem surgit è throno: dubitabat autem, quomodò tres ab eo coniecti in fornacem, nunc cernantur quatuor, qui nihil omninò graue aut molestum sensêre. Adspectus verò quarti est similis filio Dei. & statìm accedens ad ostium fornacis, Sidrach, inquit, & Misac, & Abdenago, serui Dei altissimi, exite & venite. Illi autem salui egressi sunt & intacti, cùm ne in vnum quidem pilum dominatum obtinuisset ignis.

Cap. 8.

Nihil læsi sunt ab igne

Hæc cùm vidisset Rex, miraculi vel potiùs miraculorum summam stupens magnitudinem, nempe quòd & tali igne fuerint superiores, & quòd non solùm superiores, sed nec eorum quidem pilus, res, quæ facilimè flaccescit & marcescit, tanta flamma effluxerit: & prætereà, quòd cùm essent vincti, continuò fuêre soluti: & quòd cùm adhuc essent in fornace, auditi sunt canentes: quod quidem ijs, qui sunt in flamma, ipsa statìm oris apertione mortem solet afferre protinùs: & quòd ille ignis, qui in eis propriæ est oblítus naturæ, in Chaldæis, qui erant circa fornacem, fuit verus & perfectus ignis, & nec in loco quidem manens, sed egrediens & saliens, & eos, qui digni erant, comburens facilimè. Postquàm ille vidit hæc omnia, statìm humì cecidit, &,

Benedictus es Domine, magna voce clamauit, Deus Sidrach, Misac & Abdenago: qui misit Angelum suum, & liberauit sanctos suos pueros ab igne, & à malis conseruauit illæsos. Deindè etiam edit decretum: Quicunque, dicens, non adorabit Deum Sidrach, Misac & Abdenago, interibit, & illius bona omnia prædæ erunt. Ipsos autem beatos pueros maiori, quàm priùs, honore afficiens, iussit Iudæis captiuis præesse.

Rex edit decretum adorandi Deum triũ puerorum.

Cap. 9.

Non multum interceſſit temporis, & rursùs alia visio Regi appáret in somnis. Videbatur sibi videre arborem magnam & admirabilem, quæ radices quidem egerat in terra: creuit autem & valdè fortis euasit, & altitudo eius cælum attingebat, & speciosis erat comata folijs, & plena erat multo fructu: omnes verò bestiæ agri & volucres in ea habitabant. Deindè vox quoquè quædam repentè ex alto extitit, quæ iubebat arborem excindere, solùm autem dimitti germen radicis. Fuit itaque exeísa, & eius folia repentè effluxerunt: & quæ erant in ea, omnes animantes & volucres, citò receſſerunt. Atque fuit quidem hoc somnium. Rex autem è somno excitatus, Magis rursùs vocatis narrat id, quod visum fuerat: & simul rogauit, vt dicerent quidnam significaret. Atque aliorum quidem nullus potuit statùm inuenire significationem, & aperire Regi quidnam esset futurum: Daniel verò solus hoc coniecit: & euénit, sicut is prædixérat. Dixit enim: Tu es arbor quam vidisti ô Rex. Non multò pòst autem éxcides ab imperio. hoc enim significabat sectio. Deindè etiam vitam ages simul cum feris, & fœno pascéris sicut bos: cumque sic septem annis vixeris in solitudine, imperium rursùs accipies. hoc enim sibi vult vox illa, Sed germẽ radicum dimittẽs. Propterea ô Rex, tibi meum placeat consilium, & iniquitates tuas eleemosynis redime, & peccata tua in miserationibus pauperum: & fortaſsè in tuis delictis exercebitur lenitas & patientia.

Cap. 9. Aliud regis somnium. Dan. 4.

Daniel id interpretatur.

Optimum Danielis cõsilium.

Cap. 10.

Atque hæc quidem posteà euenerunt, & finem acceperunt, sicut dixerat Daniel. Cùm enim dictos septem annos versatus esset Rex in solitudine, neque vllus esset ausus regnum aggredi, Deum precatus, vt suum regnum reciperet, cum successione potentiæ excelsam rursùs mentem induens, in regnum reuertitur: & cùm regnâsset quadraginta tres annos, excedit è vita: vir in rebus gerendis acer & vehemens, & eorum, qui ipsum præcesserunt, Regum longè felicissimus. Post decessum autem Nabuchodonosoris, eius filius regnum susçipit: qui statim Iechoniam Regem Hierosolymorum, quem pater Nabuchodonosor captiuum duxerat Hierosolymis, soluens è vinculis, habuit inter amicos maximè necessarios: ei donans multa munera, & honore afficiens inter eos, qui erant in regno Babyloniorum. Nihil enim boni Iechoniæ omninò ostenderat pater Nabuchodonosor: sed eum in vinculis tenebat & affligebat, etsi Iechonias fecerat rem humanissimam, & dignam multis laudibus, vt qui seipsum tradiderat cum vxoribus & liberis, & toto genere manibus Babyloniorum, nè vrbs ab hostibus capta euerteretur: vt hæc leges apud Iosephum narrantem singulatim. Cùm autem is quoquè è vita decessisset, postquàm regnâsset octodecim annos, eius filius ei succedit in imperio: quod cùm tenuisset quadraginta annos, è vita excedit. Deindè Balsasar quoquè eius nepos fit hæres imperij. Non multum intercessit temporis, & Cyrus Rex Persarum, & Darius Medorum, expeditionẽ susçipiunt aduersùs Babylonem. Cæterùm cùm regnum accepisset Balsasar, & accidit nouum quiddam & prodigiosum.

4. Reg. 25.

4. Reg. 24.

Cap. 11. Dan. 5. Balsasar dũ abutitur sacris vasis, diuinitùs punitur.

Accumbebat ille, cœnans in magna domo, & facta ad conuiuia regalia, cum suis concubinis & amicis. Ipse autem, cùm sic ei visum esset, præ magna arrogantia iubet è suo templo afferri vasa Dei, quæ Nabuchodonosor eius auus cùm rapuisset Hierosolymis, ijs nequaquàm vsus fuerat, sed in suo templo piè deposuerat. Hic verò inconsiderata & à ratione aliena inductus audacia, eis vtebatur: & dum biberet & maledicam linguam moueret aduersùs excelsum, ex pariete videt manum procedentem, & in muro syllabas inscribentem. Conturbatus verò à visione, Magos simul & Chaldæos, & quotquot erant Babylone eius generis, qui poterant signa & futura conijcere, statim conuocauit, ex illis volens discere ea, quæ scripta fuerant. Dicentibus autem Magis, se eorum nihil intelligere, Rex valdè anxius, & magno animi dolore oppressus, propter hanc rem inopinatam & valdè admirabilem, publico præconio breuì edixit per totam regionem, se ei, qui has literas & quidnam significarẽt, esset declaraturus, pollicens esse daturum torquem aureum, & vestem gestandam purpuream, sicut solent ferre Reges Chaldæorum, & præterea tertiam partem sui imperij.

imperij. Cùm hoc publico præconio sic fuisset promulgatum, adhuc quidem magìs concurrebant Magi, & contendebant inuenire, quid sibi vellent literæ. Nihilominùs autem stabant dubitantes.

Cap. 12.

Interea Regem angore animi plenum videns eius auia, cœpit repetere, & de Daniele Prophera ei significare, quę illius auo, Nabuchodonosori, inquam, propter ea, quę viderat arcana, ei exposuerat. Est quidam, dicens, qui fuit ductus huc è Iudęa captiuus, nomine Daniel, vir egregius ad inuenienda arcana, & quæ sunt soli Deo cognita: qui Regi Nabuchodonosori, cùm nullus alius posset dicere de ijs, quæ quærebat, omnia pulchrè significauit, & edidit in lucem ea, quæ quærebantur. Si eum ergò accersiueris, id quod scire cupis, mox inuenies. Ille verò eum celerrimè accersijt: & cùm dixisset, quæ de ipso & de eius audiebat sapientia, & quòd diuinus sit cum eo spiritus, & sit ad inueniendum solus vel maximè idoneus ea, quæ non veniunt alijs in mẽtem, rogabat vt ei diceret & solueret ea, quæ scripta fuerant: etiamsi sit, inquit, iniucundum & asperum quod à Deo significatur. Hoc ergò si feceris, dabo tibi purpuram, qua te induas: & torquem aureum, quem collo tuo imponas, & tertiam partem mei imperij, futuram præmium & honorem tuæ sapientiæ: vt ex ipsis euadas longè clarissimus, & ab omnibus suspiciendus.

Cap. 13. Daniel regis munera respuens, ei explicat scripturam.

Daniel autem rogabat quidem, vt sibi sua haberet munera: virum enim sapientem & diuinum non esse capiendum muneribus: se verò gratìs velle iuuare eos, qui opùs habeant. Declarat autem ei ea, quæ scripta fuerant, nempe vitæ exitum: quòd nec ijs quidem, quę auus eius Nabuchodonosor passus erat, supplicijs propter suàs in Deum contumelias, ipse didicerat esse pium, & vltra modum humanæ naturæ non sumere spiritus: sed quòd etiam cùm Nabuchodonosor mutatus esset in vitam ferinam propter ea, quæ impiè gesserat, & post multas preces & supplicationes misericordiã esset consecutus, & redijsset ad vitam humanam & ipsum regnum: & propterea Deum, vt qui omnem haberet potentiam, & hominum curam gereret, vsque ad mortem laudaret, ipse eorum est oblitus: & Deum quidem multis insectatus est maledictis, vasis autem eius vt sibi ministraretur, effecit simul cum pellicibus. Hæc ergò videntem Deum ei esse iratum, & per ea, quæ scripta sunt, ei præsignificare, qualis sit futurus vitæ exitus. Significabant autem hæ literæ, Manel Thecel Phares. hoc verò dicebat lingua Latina significare: Tempus vitæ tuæ numerauit Deus, & in libra appendit: & ablatũ regnũ tuum diuidet Medis & Persis. Cùm Regi sic dixisset Daniel, quænam significarent hæ in muro literæ, Balsasar quidẽ angore & animi dolore fuit oppressus propter aspera illa & tristia, quæ ei significabãtur. Neque tamen ei tãquàm Prophetæ malorũ, non dat ea munera, quę fuerat pollicitus, sed prębuit omnia: quam minatus quidem erat regni euersionem, definitæ esse necessitatis, sed non eius, qui præ dixit, esse reputans: ea autem, quę promissa fuerant, implere, boni esse viri iudicans, iustique & veri.

Iubet Rex licèt tristis Danieli dari munera.

Cap. 14.

Præterfluxit breue spatium temporis, & captus fuit ipse & ciuitas, sicut prædictum fuerat à Daniele, cùm Rex Persarum in ipsum duxisset exercitum. Sed Balsasar quidem sic è vita excedit: Darius verò, qui Babyloniorum dissoluit principatum, qui erat etiam filius Astyagis, regni sexagesimũ secundum annũ transegerat, quandò cepit Babylonem. Qui etiam admirabilem hunc Prophetam secum accipiens, tanquàm rem aliquam magnam & preciosissimam, duxit in Mediam, magnum suum in eum studium ostendens & obseruantiam. Daniel ergò cùm esset in tanto honore & existimatione apud Darium, & ipse eius sermones acciperet, vt qui haberent aliquid diuinum, in eum quoquè excitata est inuidia ab ijs, qui primas partes ferebant in Media. Ei enim inuidebant Satrapæ, videntes eum esse in maiori existimatione, & esse maius in eum Regis studium, & haberi in maiori apud eum honore. Quærentes autem calumniæ occasionem & accusationis, minimè inuenicbant. nullam enim eis præbebat causam. nam neque à pecunijs vinci poterat, & omnem quæstum despiciebat. Hinc factum est, vt cùm nihil possent inuenire, quod de eo dicentes apud Regem, de eius honore possent aliquid detrahere, alium modum quærerent, quo eum depellerent à Regis beneuolentia. Videntes ergò Danielem ter in die precantem, arbitrati sunt se inuenisse occasionẽ, per quam sint ei allaturi exitium: & accedentes ad Darium, ei renunciant, visum esse omnibus eius Satrapis & principibus, vt nullus ex omnibus spatio triginta dierum vllam omninò petat petitionem, neque à Deo, neque ab homine, nisi ab ipso Rege. Qui hanc autem legem fuerit transgressus, in lacum leonum inijciatur.

Dan. 6. Inuidẽt satrapæ Danieli. Quærũt occasionem eundem interimedi.

Cap. 15. Rex verò non intelligens eorum malignitatem, nec ſuſpicans eos hæc eſſe machinatos aduersùs Danielem, ceſſit eorum ſermonibus. Et alij quidem omnes cauentes, nè transgrederentur ea, quæ eis imperata fuerant, quieſcebant: Daniel autem hoc minimè curabat: ſed ſicut ei mos erat, ſtans orabat. Hinc cùm eum obſeruâſſent Satrapæ, & apparuiſſet ea, quam in ipſum ſtudebant accipere, occaſio, ſtatim venerunt ad Regem, & accuſârunt Danielem, vt qui ſolus transgrederetur ea, quæ fuerant imperata. Nam cùm nullus, aiebāt, alius auderet deos orare, Daniel hoc non vult facere: & ſimul tanquàm legis transgreſſorem, volebant eum ex lege iaci in lacū leonum. Confidens autem Darius, fore vt Deus eum eriperet, & à feris nihil graue pateretur,

Daniel mittitur in lacum leonū.

iuſſit eum alacri animo ferre quod acciderat: & in lacum iniecto Daniele, cùm obſignâſſet Rex lapidem, qui erat ſitus in aditu loco oſtij, receſſit, totam noctem inſomnis transigens, vt qui premeretur cura de Daniele.

Cap. 16. Cùm autem poſtquàm dies eſſet, ſurrexiſſet, venit ad lacum: & cùm ſaluum inueniſſet ſignaculum, quo reliquerat obſignatum lapidem, aperiēs, nominatim vocauit Danielem, & rogauit, an adhuc eſſet ſaluus. Cùm ille verò infernè audiſſet, & dixiſſet

Manet illæſus.

ſe nihil moleſtum eſſe paſſum, iuſſit eum extrahi è lacu. Cùm vidiſſent autem inimici Danielem nihil mali fuiſſe paſſum, Non fuit, dicebant, iſte conſeruatus propter Deum & propter eius prouidentiam, ſed quòd leones eſſent cibo ſatiati. Hoc illi quidem dicebant, victi ab inuidia. Rex verò odio habens eorum improbitatem, iubet quidem multas carnes obijci leonibus: cùm ij autem fuiſſent ſatiati, eos in lacum inijci, qui odio habebant Danielem: vt ſciret, an propter ſatietatem eos non tangerēt leones. Planum verò factum eſt Dario, fuiſſe diuinam manum, quæ ſeruauit Danielem, cùm

Aemulos eius leones deuorant.

iniecti fuiſſent Satrapæ. Nulli enim eorum omninò pepercerunt: ſed eos omnes vnguibus & dentibus protinùs diſcerpſerunt & deuoraueruut, perindè acsi fame laborarent & alimento egérent. Cùm ij ergò interijſſent, qui Danieli parauerant inſidias, Rex Darius ſeipſum oſtendens virum prudentem & parentem veritati, rebusque apertis & contra quas nihil dici poterat, miſit per totam regionem, laudans Deum, quem adorat Daniel: & eum ſolum dicebat eſſe verum, & qui in omnes obtinet dominatum. Habebat autem Danielem in maiori honore, quàm vllum alium, oſtendens eum eſſe primum ex amicis. Simul verò cum eo erant etiam cognati: Azarias, inquam, cum cæteris, in quos & par erat ſtudium Regis, & in pari eos honore habebat.

Cap. 17. Cùm is autem eſſet inſignis & ſplendidus, extruxit in Medicis Ecbatanis, turrim,

Turris elegantiſſima in Ecbatanis à Daniele conſtructa.

pulcherrimum quoddam ædificium & factum admirabiliter, quæ in hodiernū vſque diem conſeruatur: ijs autem, qui vident, videtur nupèr fuiſſe conſtructa, atque adeò eoipſo die, quo illam adſpicit vnuſquiſque. Tam recens eius pulchritudo, & quæ minimè conſenuit tanto tempore, cernitur. Sepeliuntur verò in hac turre Reges Medorum & Perſarum: & is cui ea eſt commiſſa, eſt Iudæus ſacerdos. hæc ab Ioſepho Iudæo ad verbum conſcripta ſunt. Quoniam autem non ſolùm fuit admirabilis in ſoluendis aliorum ſomnijs, ſed longè admirabilior in ijs, quæ ille ipſe vidit, operæprecium eſt hîc quoquè eorum meminiſſe, & oſtendere, quàm eſſet eius mens pura & Deo digna.

Cap. 18. A magno hoc propheta, cùm adhuc degeret Balſaſar in terra Chaldæorū, viſi ſunt

Viſio Danielis. Dan. 7.

quatuor venti cæli in mare irruere, & quatuor magnæ beſtiæ ex eo aſſcendere, quæ ſignificabant quatuor magna regna. Quarum vna quidem viſa fuit tanquàm leæna, & eius pennæ tanquàm aquilæ. ea ſignificabat regnum Chaldæorum. Vrſa autē ſecunda, quæ in ore tria habebat latera: cui vox quoquè audiebatur, dicens: Surge, come-

Expoſitio viſionis.

de carnes multas. ea ſignificabat regnum Medorum & Perſarum. Et tertia, Pardus: quæ etiam oſtendebatur habens quatuor pennas volucris ſupra ipſam: & in ea quoquè beſtia cernebantur quatuor capita. Regnum Græcorum per eam ſignificabatur. Quorum potentiſſimos Reges vidit poſteà in forma arietis & hirci. Darium quidem tanquàm arietem, in omnibus terræ partibus cornu petentem: Alexandrum verò tanquàm hircum in eum inſurgentem, & viribus ac impetu conculcantem & proſternentem. Quartam autem beſtiam vidit terribilem & ſtupendam, & mirandum in modum fortem: cuius ferrei quidem dentes, vngues autem ænei. Ea verò ſuperabat omnes, quæ ipſam præceſſerant, viribus & audacia: excedebatque & comminuebat, & reliquas conculcabat pedibus. per hæc docens manum Romanorum, quæ iamdiù tenet imperium. In cuius capite animaduerti, inquit Propheta, decem cornua: & aliud

aliud quoquè paruum, quod inter ea naſcebatur, & tria ex prioribus euellebat radicitùs. Iam enim in ipſo fine Romani imperij, quod ſecatur in multos principatus, dicit quidem fore, vt decem Reges ſimul exurgant. hoc enim ſignificabat viſio decem cornuum: tria autem ex his regnis à paruo illo cornu diſſolui, quod cernebat habere

Antichriſtus ſubiugabit ſibi Reges terræ.

oculos hominis, & os magniloquum, & ſuperaturum eſſe vitium omnium vitiorum, quæ fuêre à ſeculo. quæ quidem aperrè ſignificant Antichriſtum.

Cùm ſic ergò in viſione valdè fuiſſet admirabilis Propheta, vidit etiam quoſdam Cap. 19. thronos intelligentes poſitos & ſupramundanos: & Deum gloriæ, tanquàm anti- Ibidem. quum dierum, præſidentem: qui eô, quòd ſit ante ſecula, ſic videti voluerit videri: cuius etiam indumentum erat album, ſicut nix: & capillus eius cernebatur tanquàm lana pura. Nihil enim obſcurum, nihil triſte, nihil ſordidum apud veram & magnam & primam lucem. Quinetiam thronum quoquè eius dicit apparuiſſe, tanquàm flāmam ignis, & rotas ignem emittentes, & fluuium ignis ante eum fluentem, & horrenda omnia & terribilia, & admirabilia omnia, & quæ Deum decebant. Mille enim millia, Vidit Daniel ſimilitudinem filiū hominis & Dei. inquit, & deciès mille millia ei aſſiſtentes, piè admodùm miniſtrabant. Deindè cum nubibus tanquàm filium hominis, filium Dei dixit ſe vidiſſe venientem, & eum ad patrem vſque euntem, & tanquàm ab eo dilectum, cum eo honorificè ſedentem, & ei vniuerſam poteſtatem & regnum omnium dari & honorem. Quinetiam libros ei eſſe apertos, & occulta ei eſſe manifeſta, & omnia adſtare nuda & detecta: & aliorum quidem aboleri poteſtatem & imperium: illam autem peſſimam beſtiam & improbi- Antichriſtus poſtq̄ mouit bellum Sanctis, mittitur in tartarum. tate incomparabilem, quę mouit bellum aduersùs ſanctos, & os habuit, quod magna & ſuperba loquebatur, deletam & tranſmiſſam ad ignis conflagrationem, qui nunquàm extinguitur. Deindè verò maieſtatem & vniuerſorum regnum datum ſanctis in æternum.

Neq; verò hæc ſolùm (ô beatam viſionem) vidit Daniel: ſed orans quoquè poſteà, Cap. 20. & verbis confeſſionis placans eum, qui eſt ſummè bonus: Eram, inquit, deincèps Su- Dan. 8. ſis, quæ eſt metropolis Perſidis, & poſtquàm egreſſus ſum in campum cum familiaribus, eccè factus eſt magnus terræmotus: & fugientibus ijs, qui mecum erant, relictus ſum ſolus. Et eccè quidam ſtans me tetigit, & fecit ſurgere: & quæ ciuibus erant euentura poſt multas generationes, myſticè enarrauit. Is autem erat magnus ille & primus Alia viſio Danielis & eius interpretatio. cæleſtium poteſtatum Gabriel. Qui etiam ſibi, cùm ſurrexiſſet, ſignificauit fuiſſe magnum oſtenſum arietem, cui multa quidem enata erant cornua: habebat autem vnum altius. Et hæc quidem cùm adſpexiſſet, ait ſe vidiſſe in occidente hircum, qui indè ferebatur per aërem: conſligentem verò cum ariete, & bis cornu petentem, ipſum humì proſtrauiſſe & conculcâſſe. Deindè vidiſſe hircum, cui magnum cornu naſcebatur in fronte: quo fracto, germinâſſe quatuor, verſa ad ſingulos ventos. Ex ipſis autem exortum eſſe aliud quoquè breuius: quod is qui oſtendebat, dicebat fore vt creſceret, & eius gentem bello inuaderet, & ciuitatem vi caperet, & quæcunque ſunt legis, tolleret: idque diebus mille ducentis & nonagintaſex. Hæc quidem ſe vidiſſe in campo, qui eſt Suſis, ſcripſit Daniel: Deum autem eorum, quæ adſpexerat, viſionem dicebat ſic ſibi declarâſſe. Nam arietem quidem dicebat ſignificare regna Medorum & Perſarum: cornua autem eos, qui erant regnaturi. Ipſum verò cornu vltimum, ſignificat ipſum vltimum Regem. Dicebat enim fore, vt is præſtaret cæteris, & diuitijs & gloria & alio ſplendore. Hircum autem, ſignificare futurum ex Græcis Regem quendā, qui bis cum Perſa conſligens, eum pugna vinceret, & vniuerſum aſſumeret principatum: ſignificari verò à magno cornu, quod eſt in frōte hirci, primum Regem. Deindè etiā ortum quatuor Regum, cùm ille exceſſiſſet: vniuſcuiuſqeu autem eorum conuerſione ad quatuor climata terræ, deſcribi ſucceſſores poſt mortem primi Regis, & ſignificari factam ab eis diuiſionem. Futurum autem alium quoquè quēdam ex ijs Regem, vultu quidem impudentem: idoneum verò ad intelligenda problemata: qui & dolo multos interimet, & ſtabit ad interitum multorum: bellabit autem aduersùs gentem, & eorum leges fortiter diſſoluet: quinetiam templum quoquè ſpoliabit, & delebit rempublicam, & prohibebit tres annos fieri ſacrificia. Hæc quoquè ſic facta ſunt, & ad effectum peruenerunt, Antiocho videlicet regnante, qui fuit cognominatus Epiphanes.

Prædixit autem ipſa Daniel multis antè generationibus, cùm Deus ei ea oſtendiſ- Cap. 21. ſet, & vt ſcriberet effeciſſet: vt & qui ea legunt, & conſiderant ea, quæ eueniunt, & Danielem admirentur propter honorem, quo fuit dignus à Deo iudicatus: & inue-

Epicureorũ stult⁹ error.

niant Epicureos hac in re valdè errare, qui & prouidentiam è vita expellunt, & Deum non censent rerum humanarum curam gerere: neq; à beata essentia, & in quam non cadit interitus, ad hoc vt vniuersa permaneant gubernari omnia, carentia auriga & curatore. Mundum autem vniuersum dicunt sua sponte ferri: sic malè sentientes & dicentes apertè stolidi, & nescientes, quòd ne nauis quidem in portu seruari potuerit, defecta gubernatore & nautis. Sed quis in rebus honestis fuerit adeò socors & ignauus, aut auditores tantæ damnârit negligentiæ & somnolentiæ, vt non aliorum etiam meminerit Prophetæ huius admirabilis, quæ & possunt afficere admiratione, & magnam afferre vtilitatem animis auditorum?

Cap. 22. Bel simulacrum Babyloniorum. Dan. 14.

Erat enim tunc apud Babylonios simulacrum, quod in magno habebatur honore. Ei nomen erat Bel: cui etiam tanquàm deo constructum erat templum & ara, eique suppeditati fuerant largi sumptus: & circa illũ erat frequens turba sacerdotum. Sumptus verò specie quidem ac prætextu suppeditabantur idolo: reuerà autem ab eius sacerdotibus latenter consumebantur. Id ipse quoquè Rex colebat. is erat Cyrus, qui

Cyrus Rex Dario successit in regno.

Dario successerat. Qui etiam, similiter atquè Darius, honorem conseruans in Danielem, eum habebat cõuictorem & gloriosissimum omnium suorum amicorum. Hinc etiam factum est, vt ei suaderet, vt Bel coleret tanquàm deum viuentem. An non vides, inquit, quòd similæ quidem artabas duodecim quotidiè, oues autem nõ pauciores quàm quadraginta comedat? vini verò sex totas ebibat metretas? Est hoc error manifestus & apertè deceptio, ait Dei Propheta. Nam quod intùs quidem, est lutum, æs autem extrinsecùs, neque potest esse, neque bibere. Irascitur hæc audiens Cyrus: & statim vocat sacerdotes. minaturque mortem, nisi Bel comedentem ostenderint. Illi verò, Mensæ cibos, aiunt, appone: nos autem egrediemur: & clauibus ac signaculis obserata ianua, redi die sequenti: & nisi omnia consumpta inueneris, nos digni erimus supplicio: Sin minùs, Daniel, qui & de nobis, & de ipso deo est mẽtitus. Atq; Cyrus quidem statim, sicut dixerant, cibos apposuit: Daniel autem, eis imprudentibus, cinere templi solum conspersit: & cùm sic ambo clausissent & obsignâssent, recesserunt. Sequenti verò die accedentes, vident vestigia mulierum & virorũ & puerorum in cinere. Qui etiam capti, ostendunt occultos aditus, per quos nupèr ingredientes,

Fallacia sacerdotũ Babyloniorũ

consumebant ea, quæ apponebantur. Hæc cùm Rex vidisset, ira simul repletur & pudore: & vlciscens sacerdotes propter eam, quæ ad hoc vsq; tempus latebat, fraudem, eos omnes interimit: Templum autem & Bel præbuit euertendum Danieli.

Cap. 23.

Cùm Daniel Babylonijs hoc præclarum primùm ostendisset factum, quod nullo eorum, quæ propter intelligentiam & ingenij acumen in admiratione habentur, est inferius, deindè etiam secundum adijcit. Nõ solùm enim isti nullo planè sensu prediti,

Babylonij colunt draconem.

nullo sensu præditum Bel colebant: sed etiam magnum quendam draconem, qui in domo quadam delitescebat, tanquàm deum colebant. Hoc opus est eius, qui intelligẽtia percipitur draconis, abducere quidem à Deo vniuersorum: persuadere autem, vt adhæreant bestiæ nequissimæ. Tentatur ergò in hoc quoq; Daniel à Cyro: & iubebat, vt eum adoraret tanquàm verè comedentem & bibentem & viuentem deum. Non potes enim, aiebat, dicere hunc non esse deum viuẽtem. Ille autem, Dominum,

Act. 17.

inquit, meum adorabo. Is enim est solus verè viuens, per quem viuimus & mouemur & sumus. Hic verò serpens est draco venenatus & malus, qui scit quidem nocere, nemini autem potest prodesse. Quòd si velis scire eum etiam esse mortalem, & in quem natura cadit interitus, non autẽ deum, permitte, ô Rex, & ego eum occídam sine gladio & virga. Cùm verò ei Rex in hoc annuisset, & picem simul & adipem & pilos coxisset hic vir admirabilis, & deindè etiam offas fecisset, demisit in os draconis. Ille

Draconem interficit Daniel.

autem cùm comedisset, confestim rumpitur. Hæc cùm grauiter tulissent, quicunque ex Babylonijs erant superstitiosi & falsæ religioni dediti, ad Regem accesserunt & petiêrunt Danielem. erant enim reuerà instigati à dracone, qui non cadit sub adspectum, & aduersùs Prophetam magnum furorem conceperant, & iam parturiebant. Accedunt ergò ad Regem, dicentes: Trade nobis Danielem. Sin minùs, te occidemus. iam enim nobis ex tuis factis euasit manifestum, te quoquè ipsum eadem sentire, quæ Iudæi. Eum itaque tradit Rex in manus eorum, non iubens alioquì nec vo-

Iterũ Daniel obijcitur leonibus.

lens, tradit tamẽ. Illi verò cùm eum accepissent, rursùs demittunt in lacum leonum. Jj erant septem numero, quibus & duo corpora & duæ oues singulis diebus erant deputatæ ad eorum alimentum. Sex autem totis diebus, quibus iustus fuit cum eis inclusus, relicti sunt omninò ieiuni & omnis alimenti expertes: vt fame quidẽ oppressi, & omni

& omni alio nutrimento carentes, etiamsi Propheta haberet aliquam virtutem, quæ eorum arceret impetum, at fame certè impulsi violentiùs, maxillas celeriter in eum immitterent ac discerperent. Quid ergò Dominus? Traditne feris animam, quę eum confitetur? aut seruat quidem ex ore leonum, relinquit autem eum fame moriturum? aut alimentum quidem præbet ad esum, sed per alienigenam aliquem & incircuncisum? Multum ab est: sed vt per omnia omnipotentes eius vires & ineffabilis misericordia fieret manifesta, diuina quidem manu obstruuntur ora leonum, vel potiùs ipsi seipsos comprimunt ac contrahunt, angulos subeuntes, & nec sacrum corpus omninò audentes attingere: sed tanquàm quidam satellites beneuoli ac fideles, suum Regem custodientes, & quos nec famis quidem meminisse sinebat, qui eos vrgebat, metus.

Nota insigne miraculũ: leones sex diebus manẽtes ieiuni, nõ lædunt Danielem.

Erat autem alius quidam Propheta in Iudæa. is erat sacer Habacuc, quem scio satìs omnibus esse notum. Is ergò, cùm panem in disco comminuisset & ius ei immisisset, abibat vt ferret ad messores. erat enim tempus æstatis. Angelus autem Domini ei apparuit, & iussit eum id ferre Babylonem ad Danielem. Cùm is verò ignorantiam, & esse maximum quod intercedit spatium, & quàm difficile esset imperatũ, adduceret, protinùs Angelus comam capitis apprehendit, & momẽto temporis impetu ducentis spiritus expansus stetit super lacum: & appellauit Dei vinctum, & dixit: Accipe hãc cœnam, quam Deus ad te misit, tuî magnã curam gerens. Hæc Habacuc. Magnus autem Daniel in contritione spiritus & humilitate animæ, Meminit verò meî Deus, respondit. Fidelis vox est reuerà famuli, quomodò bonus quoq; Dominus eius curam gerit. Deindè, cùm accepisset, comédit: ipse autem Habacuc, cùm eadẽ rursùs virtute illud immensum transuolâsset spatium, (ô celeritatem, ô diuinam pernicitatem) momento temporis ità suo fuit loco restitutus, vt nondùm præterijsset hora prãdij messoribus. Atq; hoc quidẽ cùm sit planè solius Dei opus & eius immensæ potentiæ, maius ex se habet miraculum, quàm vt id possit assequi sermo vel cogitatio. Atq; sex quidem dies sic transiêrunt, Danielem in lacu conseruantes. Cyrus autem septimo die abijt, vt amicum iam lugeret mortuũ. Cùm verò despexisset, & vidisset ipsum sedentem in lacu illæsum, magna voce laudauit Deum rerũ admirabilium, & magìs quàm priùs Darius: & illum quidem illinc quamprimùm extraxit: eos autem, qui ei temerè inuidebant, continuò demisit deuorãdos à leonibus. Sic etiam in gentibus cognoscitur Deus iudicia faciens, vt in operibus manuum ipsorum comprehendantur peccatores, prouidens modo ineffabili. Fuit ergò posteà Daniel & Regis conuictor, honoremque & gloriam apud ipsum est consecutus supra omnes eius amicos.

Angelus Habacuc repẽtè perducit Babylonẽ, cibũ Danielì afferentẽ.

Cyrus Rex laudat Deũ Danielis.

Pſal. 9.

Sed & rursùs admirabilis Daniel cõsueta faciens, & perseuerans in ab initio cœpta abstinentia, rursùs talibus dignus est habitus contemplationibus. Fui enim, inquit ille, tres dierum hebdomadas ieiunans. panem enim desideriorum non comédi, & caro & vinum non intrauit in os meum: & vnguento non fui vnctus, donèc impleti essent dies trium hebdomadum, & vicesimo & quarto die primi mensis, ego sedebam prope magnum fluuiũ Chobar: & sustuli oculos meos, & vidi. Et eccè vir indutus sacra stola, & lumbus eius accinctus auro Hophatz: & corpus eius tanquàm Tharsis, & vultus eius tanquàm adspectus fulguris: & oculi eius tanquàm lampades ignis, & brachia eius & tibiæ tanquàm adspectus æris resplendentis, & vox verborum eius tanquàm vox turbæ. Hæc vidi, & virtus mea defecit à me, & gloria mea conuersa fuit in interitum: & continuò cado in terram, & eccè manus me tangens, & erexit me super genua mea: & attende, inquit, ad me Daniel, vir desideriorum, & sta in statione mea: Quoniam nunc ego missus sum ad te: Quoniam à primo die, quo dedisti cor tuum, vt humiliareris coram Domino Deo tuo, ego vẽni ad te: & Princeps regni Persarum stetit contra me viginti & vnum diem. Et nunc esto vir fortis & robustus, quoniam ego sum tecum. Hic multa quidem futura, qui apparuit angelus, Prophetæ mysticè enunciat, de regno Persarum & eius euersione: & ad quos erat deuenturum. Deindè etiam de Regina Austri, quæ quidem posteà finem acceperunt, & scripta sunt in libris, qui vocantur Machabæorum.

Dan. 10.

Alia visio Prophetæ.

Non ex his autem solis, sed etiam ex alijs, Daniel apparuit magnus, in contemplatione & admirãdus intelligentia. Et vt alia omittamus, quod de Susanna factũ est iudicium, quod diù antè fecit, cùm esset adhuc iuuenis, quidnam reliquit intelligentiæ, quo id possit superare? Quæ quidem cùm fuisset marito fidelis, morte autem esset damnata ex iniquissima calumnia eorũ, qui illã impudicis adspexerant oculis, & erat

Cap. 26. Daniel adhuc iuuenis liberat Susannam.

Dan. 13.

similia

Gen. 39. similia paſſura ijs, quæ Ioſeph paſſus eſt, qui illum tunc eripuit, is eam quoq; admirabiliter ſeruat per Danielem: qui ſapiente iudicio ſeniorum conuicit malignitatem, & eos magis morte dignos oſtendit, & vt mortem paterentur effecit.

Cap. 27. Cùm tanta eſſet intelligentia, tanta gratia & tam magnis dignus eſt habitus contemplationibus: cumq; ipſa Dei arcana, & duplicis verbi aduentûs myſteria ſpiritu eſſet contemplatus: quinetiam quæcunq; ſunt alijs pluris facienda, & quæcunque ſunt euentura in fine ſeculi, & eam, quę tunc erit, afflictionem, & hominum ex terrę aggere reſurrectionem, & ſanctorum gloriam, & impiorum ignominiam, quæ nunquàm deſinit, & Dei profunda, quantùm poteſt is, qui eſt carne indutus, per ipſa ſcrutantem

Obit mortẽ S. Daniel. ſpiritum cognouiſſet, deindè vinculo ſolutus, terra terræ lubenter tradita, ad Deum, quem deſiderabat, vir deſideriorum abijt, cum his tribus & amicis pueris & Prophetis perpetuò conuerſans, & nec à nobis quidem, quod ad defendendum & adiuuandum attinet, abſcedens: Ad gloriam Patris & Filij & Spiritûs ſancti, ſupernaturalis & diuinæ Trinitatis: Quam decet honor & adoratio in ſecula ſeculorum, Amen.

VITA S. PRAXEDIS VIRGINIS, PER ADONEM ARCHIEPISCOPVM TREVIRENSEM COLLECTA. HAbetur in eius Martyrologio ſub XII. Kalendas Auguſti.

Iulij 21. ROMAE natale S. Praxedis virginis. Hæc cum ſorore ſua beata Potẽtiana, à ſanctiſſimo patre Pudente, qui fuit edoctus in fide à beato Apoſtolo Paulo, in omni caſtitate & lege diuina erudita, poſt tranſitum parentis, vigilijs & orationibus, atq; ieiunijs aſſiduè vacans, omne patrimonium ſuum ſimul cum prædicta ſorore ſua S. Potentiana, in ſuſtentatione pauperum & Chriſti ſanctorum erogauit.

A patre ſuo inſtruitur in fide catholica.

Sacros fontes in eccleſia erigere, Apoſtolici inſtituti eſt. In titulo verò, quem pater eorũ Pudens, nomine beati Paſtoris dedicauit, vnà cum conſilio beati Pij Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi, fontem Baptiſmi conſtruere ſoror & ipſa ſtudent, vt familia earum die ſancto Paſchæ baptizaretur. Quos ad nonaginta ſex numero manumiſſos, beatus Pius aquis ſalutaribus abluit.

Cõmẽdatur virgo ex martyrum ſepulturis. Indè poſt innumera pietatis opera, poſt multorum martyrũ ſepulturas, inter quos beatum Simetrium preſbyterũ cum alijs vigintiduobus, apud titulum ſupradictum manibus ſuis ſepeliuit, qui per martyrij palmam ad regna cælorũ tranſierant: eadem beatiſſima virgo migrauit ad Dominum, coronam iuſtitię receptura, duodecima Calendas Auguſti. Sepulta eſt in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria, iuxta ſororem ſuam atque ſanctum patrem Pudentem poſita.

PETRI DAMIANI SERMO DE SANCTA MARIA MAGDALENA.

Iulij 22. HODIE miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, & multitudo miſerationum Domini in peccatricem fœminam

Luc. 7. refuſa eſt. Filius enim Virginis, peccatricis & menſtruatæ manibus attrectatur, Deumque & Dei filium mulier infirmata contingit. Tangit pedes mundi atque mundantis immunda, & ad veſtigia creatoris mulier criminoſa procumbit. Tranſit in affectum cordis præuaricatrix, & redit ad cor, atque magnitudinem ſcelerum, lachrymarum multitudo condemnat. Diſſimulat pietas tangentis officiũ, & obſequiorum inſtantiam remuneratorius ille Maieſtatis oculus felici dedignatione nõ inſpicit. Oſculatur Maria pedes Chriſti frequentibus oſculis, & oculis inundãtibus veſtigia Redẽptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit & irrorat vnguẽtis. Videt, & inuidet ſingularitatis amator, & vtrunq; redarguit Phariſæi iactãtia, illũ ignorantiæ, præſumptionis illã. Sed deliberans Prouidẽtia ſuſpendit iudiciũ, dum affectat obſequiũ, & inuectiuam retinet præparatã, donèc Marię ſacrificium in holocauſtũ pertranſeat.

Luc. 15. Gaudent Angeli ſuper peccatrice pœnitentiã agente, & odoris fragrãtia cæleſtis ille conuen-

Rom. 5. cuentus aſſpergitur, ſaluantemq; & ſaluandam totam miſericordiæ dulcedo procingit. Vbì abundauit peccatum, ſuperabundat gratia, & numeroſitatem criminum præponderans pietas intercludit.

Pſal. 50. Quàm magna multitudo dulcedinis tuę, Domine, in peccatricis cõfeſſione? quàm iuſta repræhenſio in Phariſæi ſuperbia & abuſione? Enumeratur obſequentis obſequium, & per obliquum tangitur indignantis iniquitas, tota literali cohærẽtia Simonis inuidiam impugnante. Et quia vbì ſpiritus Domini, ibì libertas, dimittũtur illi peccata, quæ multùm diligit: immò immittuntur illi, qui multùm negligit. Non erat ſatiatus ab vberibus ſponſæ, nec induerat compaſſionis affectum legem relegens, quæ miſericordiam neſcit, nouit iuſtitiam. Lex dura, duris & lapideis promulgata, parata percutere, neſcia miſereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex vinum durum & acidum, de botris amariſſimis eliquatum, conſecratum feritati, deriuatum Iſraëli, Saluatori propinatum. Vinum, de quo dentes bibentium obſtupeſcunt, non de genimine vitis illius, quod Saluator bibit nouum in

2. Cor. 3. Luc. 22. regno Patris ſui. Verè meliora ſunt vbera ſponſæ vino iſto. Quænam autem ſunt illa?

Cant. 1. Procedat in medium Paulus Apoſtolus, & vbera felici lacte manantia nobis aſſignet. Gaudere, inquit, cum gaudentibus, & flere cum flentibus. O quàm breui ſermuncu-

Rom. 12. lo totius religionis depinxit inſigne, tam eleganti clauſula propoſuit pietatem, æquitatem ſtatuit, ſubmouit inuidiam. His vberibus mater Eccleſia lactat proficiẽtes, perfectos nutrit. Gaudere, inquit, cum gaudentibus.

Faceſſat hinc ſecularis plauſûs inſania, & lætitia mundialis abſcedat: quia non eſt

Eſa. 48. gaudere impijs, dicit Dominus. Nunquìd illorum os gaudio repleri æſtimas, qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis? Vel illi, qui laudibus adulatorijs rapiuntur, diuinæ iubilationis agnouêre lætitiam? Nunquìd, qui veſtiuntur pur-

Luc. 16. pura & byſſo, & epulantur quotidiè ſplendidè, gaudium & lætitiam obtinebunt? Abſit, vt in terra ſuauiter viuentium, gaudiorum inueniatur materia, cùm tantis alternationibus tanta mundi facies immutetur, vt eleuans allidatur, & reſpiret alliſus. Sed eſt gaudium continua ſuî iucunditate firmiſſimum, quod perfectus animus de ſe-

Gaudiũ firmiſſimũ ſecura ſibi cõſcientia. cura ſibi cõſcientia pollicetur. Mens enim à mundi huius aſſpergine purè preſſeque deterſa, & in diuinæ contemplationis acumen totum deſiderij ſui figens affectũ, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima ſua in Deo ſuo. Talis anima minas aſpernatur, neſcit timorem, ſpem falſam eludit, & omnium ſcandalorum immunis, in pace in

Pſal. 118. idipſum dormiens requieſcit. Pax multa diligentibus legem tuam, (ait iuſtus) & non eſt illis ſcandalum. Nouerat enim, quia lictores non perſequũtur martyres, ſed coronant. Cum huiuſmodi gaudentibus gaudet Apoſtolus, & vt abundantiùs gaudeant, tota ſecuritate promittit. Hoc gaudium plenum & certum eſt, tantoq; certius idem, quanto viciniùs circa identitatem imprimitur. Hæc eſt mãmilla congratulationis, de qua lac exhortationis effunditur, quo nutriuntur perfecti, vt cùm auulſi fuerint à lacte iſto, epulentur ab introitu gloriæ Dei.

Secunda eſt, Flere cum flentibus. Nunquìd Apoſtolus præcipit flere rerum amiſſionem, intermiſſionem voluptatum, filiorum mortes, morborum inſtantiam, grauitatem inopiæ, potentiam fortioris? Abſit. Plorandi enim ſunt, qui taliter plorãt. Reli-

Religioſus luctus. gioſa enim triſtitia aut alienum peccatum luget, aut proprium. Beati, quorum luctus in hac intentione verſatur, quia conſolatoriam poſſunt expectare dulcedinẽ. Quàm

*for. imbu- leni & dulciſſimo ſpiritu *imbibitus eſt ſpiritus illius, qui nouit in ſpiritu lenitatis peccantes inſtruere, ſuſpendere vindictã, & affectuoſis officijs inuiſcerare ſibi peccatorem, donèc vitæ reddatur. De hac compaſſionis mãmilla lac conſolationis effunditur, & hoc lacte paſcit Apoſtolus illos, qui ſolido cibo veſci non poſſunt. Amator in-

1. Cor. 3. nocentiæ, pacis amicus, patientibus compatiens, & congaudens gaudentibus, perfectionis metam, curſu conſummato, contingit. Hęc ſunt verba lacteis irrorata liquoribus, meliora vino, melle dulciora, miſericordiam ſonantia, redolentia pietatem, fragrantia, inquit, vnguentis optimis. Digna prorsùs vbera, de quibus eliquatur vnguentorum infinitas, odorata diffluxione ciuitatem Dei viuentis circunquaquè reſpergens. Hæc ſunt vnguenta, quæ Regina Saba attulit in Hieruſalem, de quibus dicit ſcriptura: Non ſunt allata vltrà aromata tam optima, quàm ea, quæ dedit Regina Saba

3. Reg. 10. Salomoni. Quàm excellenter appoſuit optima Spiritus ille ſubtilis, qui totam ſibi libri huius rapit poſſeſſionem. Eſt enim vnguentum bonum, quod Maria pedibus Sal-

Luc. 7. Ioan. 12. uatoris infudit. Eſt & melius, quod eadem, ſi tamen eadem, ſuper caput recumbentis effudit.

effudit. Est & optimum, quod & ipsa præparauit toti corpori Christi. Primũ vnguentum contritionis est, de recordatione peccatorum, de spiritu contrito & contribulato descendens. Hoc infunduntur pedes illius, qui ambulat super pennas ventorum. Mar.16. Psal.17. Hîc adorat Maria in loco, vbi steterunt pedes eius. Steterunt, inquam, quia validissima amoris manu pedem vtrunque retinuit, donèc vtrunque perungeret, & audiret Luc.7. criminum remissionem, dimissionem in pace. Remittuntur, inquit, tibi peccata, & vade in pace. Magnam prorsùs miseriam magna misericordia diluit & abstergit: & hoc quidem festinanter, quia sine vllo interuallo coniunguntur & lachrymæ peccatricis, & indulgentia Saluatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur, vt & de præterito non sit solicita, secura de futuro.

Pedes Iesu, Misericordia & Iudicium.

Pedes isti sunt misericordia & iudicium, quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indesinenter attendens, non statìm tepidioris vitæ quietem exoptet? Cùm enim recogitat vniuersitatis Dominum, formam serui pro seruis susc̃ipere, triginta & tribus annis operari salutem nostram in medio terræ huius, capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filijs hominum: statìm deceptoria spe sibi blanditur & alludit, gaudet obuersari misericordia & miserationibus, iudicium nescit, ignorat iustitiam, & punienda æxistimat non puniri. Fallitur, qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat: qui totum de misericordis pietate præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quòd credit. Rursùs cùm abducit os, & iudicij pedem crebrioribus osculis intertangit, subcutitur carnis animæque substantia, & vtriusque hominis statum vehementior aura percellit. Horrendum est enim in Heb.10. manus Dei viuentis incidere, offendere creatorem, nescire Dominum, recalcitrare Matt.10. Heb.10. Dominantis imperio, qui habet potestatem corpus & animam mittere in gehennam. Terribilis certè, sicut ait Apostolus, quædam expectatio iudicij, quandò ignis in conspectu eius exardescet, & virtutes cælorum mouebuntur, & vacillantibus conscientijs, latitudinem mundi validissimus ignis aduret. Nihil prorsùs terribilius, quàm videre latronis officinam plenam sanguine, cumulatam opprobrijs, tormentis vndantem. Quis hæc diutiùs cogitans, non statìm contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosiùs incumbẽdum, nè pietatis intuitum ferocia iudicantis occludat. Vtrunq; igitur inungat pedem, animæ pœnitentis affectus: & nunc misericordiam amplectens, nunc iudicium osculans, contribulati spiritûs offerat holocaustum.

Vide Mariam iudicij pedem fortiter attendentem, dum nobilis & lascina mulier conuiuantium faciem non attendit, sed extenso corpore prouoluitur pedibus Maiestatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis iaculo vulnerata: sed & misericordiæ pedem labijs impressioribus osculatur, in cuius spe firmiter inhæret vestigijs accumbentis, donèc audiat: Remittuntur tibi peccata tua. Sanè preciosum vnguentum, quo non solùm terrena domus, sed etiam cælestis adspergitur. Vilissimæ autem sunt species, de quibus conficitur, & magna eorum copia intra nostros hortulos poterit inueniri. Peccata igitur nostra, plantata in conscientijs nostris, quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species eius sunt. Ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ, macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne suppositio, & in aheno disciplinæ concocta, vnguentum exhibent preciosum, & acceptum pedibus Saluatoris. Compendiosè autem illud confecimus, sapienti rerum occasionem penitùs relinquẽtes. Et licèt materia videatur indignior, interìm tamen bonum est vnguentum istud, quod domum replet, penetrat cælos, Angelos lætificat, & beatæ ciuitati lætitiam refundit & gaudium. Hoc est sacrificium iustitiæ, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus. Psal.50.

E peccatis nostris confici vnguentum.

Vnguẽtum deuotionis.

Secundum vnguentum est deuotionis, de recordatione beneficiorum Dei. Prorsùs dignissima huius vnguenti compositio, & in istius comparatione, prioris est conspersio vilipendẽda. Eius enim species de cælesti paradiso allatæ sunt, & in terra filiorum hominum nequeunt inueniri. Virtutes enim diuinitùs collatæ, & in mortariolo cogitationis, pistillo diligentissimæ meditationis intritæ, & exultationis oleo superfusæ, suffuso igne iustitiæ, & humilitatis aheno decoctæ, vnguentum faciunt & odore & virtute mirabile, quod solum super caput Domini recũbentis possit effundi, & exhiberi reuerentiæ Maiestatis. Sed & hoc recollegimus breuiter, illis, qui multa de paucis * esculpere cognouerũt, verborum multitudinem reseruãtes. Notanda tamen

Vnguẽtũ ex virtutibus.

men vtriusq; differentia, & secundi sublimitas attendenda: quia illud est Deo sacrificium spiritus contribulatus, & istud sacrificium laudis, quod honorat Deum. Pedes Psal.49. igitur vngimus Redemptoris, cùm de peccatis compungimur: vngimus caput, cùm Vnguentũ compunctionis. de collatis virtutibus, virtutum largitori gratias cumulamus. Interstitij tamen moro- siras inter pedes esse debet & caput: quia profectò difficilimus & præsumptuosus saltus est, à vestigijs ad verticem Domini transuolare. Neque enim eadem, quæ vnxit pedes, vnxit caput: cùm illa meretrix, hæc nihil horum feciss̃e legatur, secundùm illud: Prou.12. Verte impios, & non erunt. Vnxit ergò Maria sanctum Dei verticem, profectò iam dilecta, iam familiaris effecta: longeq; peccatricis illius euoluta contagijs, quam infelix ille septenarius confundebat.

Porrò si duo præmissa vnguenta tantæ dignitatis sunt, vt alterum pedibus, alterum capiti complaceat Dominantis, illud tertium, quod optimum est & superexcellens, vbinàm inuenire poterimus? Sed absit, vt sponsa veritatis, à veritate dissentiat, & tale aliquid habere se iactitet, quod habere non possit. Est ergò tertium pietatis vn- Vnguentũ pietatis. guentum, quod est super omnia aromata, morbis omnibus & periculis salutare, Marc.16. quodque nulli vnquàm pesti inueniatur inefficax. De ipso nanque sic legitur: Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Vidésne in prima capituli fronte propositum, quòd nõ vna, vel duæ, sed tres vix sufficiunt ad emendum tantæ compositionis vnguentum? Intelligis, quia non pedes, aut caput, sed totum Crucifixi corpus sibi vendicat ista confectio? Confectio sine dubio preciosa, quæ toti sufficiat corpori creatoris. Et attende, quia vnguentum pedibus infusum adeò diffissima lenitate suscepit, vt Pharisæum murmurantem parabo- Luc.7. lica prolixitate conuinceret, & retorto sugillaret exemplo. Sed & de refuso super caput eius vnguento discipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus esse prote- Matt.26. stans, & tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc verò tam salubre, tamq; mirificum in mortuo corpore suo voluit expendi, quod viuo vtiq; reseruabat. Duo enim corpora habet Christus: vnum, quod susc̃epit in Virgine: alterum Duo Christi corpora. Ecclesiæ, quod charius habet benignitas redimentis. Deniquè illud pro isto morti exposuit & tormentis, addictus Cruci, vinctus cum sceleratis, morte turpissima condemnatus. Poterimúsne tam salubrem confectionẽ conficere? Vniuersæ miserorũ mi- Vnguentũ ex miserorũ miserijs. seriæ tam animarum, quàm corporum, oculo pietatis inspectæ, species eius sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis pistillo cõfractę, & delinitę charitatis oleo, succenso compassionis igne, & in aheno perseuerantiæ despumatæ, vnguentum faciunt ipsis etiam Angelis admirandum.

Sunt viri diuitiarum in domo Domini virtutum: vestigemus, an apud eos huiusmodi habeantur vnguenta. Primus occurrit mihi Paulus, sicut vbiq; solet, totus præ- 2.Cor.11. senti delibutus vnguento. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Felix anima, facta sibi tanquàm vas perditum, vt omnium miserias in sua conscientia colligaret. 2.Cor.9. Totum se toti corpori Christi donauerat, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret. Sed & ille vir simplex & rectus, & timens Deum, vide quomodò non secundùm hominem, immò verò secundùm hominem, & (quod verius est) supra hominem ambulabat. Oculus, inquit, fui cęco, & pes claudo: pater eram pauperũ, & cętera: quę sic Iob 29. cum hoc vnguento perunxerãt, vt de misericordiæ thalamo largiùs irroratus exiret. Samuelem recolo, qui non semèl, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saul: & 1.Reg.15. cùm sciret illum ab oculis diuinitatis longiùs elongatum, non cessabat tamen compassio, quæ condolentis animum irrepserat, fundens lachrymas, etsi non profuturas, pias tamen. Dauid parricidam filium continua deploratione plorabat, plorans in eo 2.Reg.18. non carnis necessitudinem, sed fidei destructionem. Cerne quomodò Ioseph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres iam non ante fratrem, sed ante dominum assi- Gen.43. stentes, consc̃ij proditionis, homicidij rei, fratricidij succensores. Videns eos Ioseph, & omnium iniuriarum immemor, dulcissimis fletibus inundatur, & pietatis adeps, qui intus latitat, foràs per oculos emánat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracũdiæ non reseruat, reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem. Penè oblitus sum Moysem, adeò sacri huius liquoris rore perfusum, vt totus ex eo superfundatur & profluat. Peccat Israël, & Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori: sed dissimulat Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi Creator omnium, & feriendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysem fecit. Dimitte me, inquit, vt irascatur Exod.32. furor meus contra eos, & faciam te in gentem magnam. Respondit Moyses: Si dimit-

tis,Domine,dimitte:alioquìn dele me de libro,quem ſcripſiſti. Obſtupenda profectò dulcedo.Et principatum gentis reſpuit alienæ,& de libro viuẽtium deleri deſiderat, nisì peccantibus dimittatur offenſa. Hæc ſunt vnguenta propitiationis & miſericordiæ,quæ à ſponſæ vberibus eliguntur, infirmitates omnes fugantia, profugantia paſſiones. Felix Maria vnxit pedes Ieſu: felicior eadem caput vnxit Authoris: feliciſſima,quæ rorem vnguentarium toti Chriſti corpori præparauit.

Iohan.12. Conſidera, quàm vehementiſſimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Chriſtum Regem: Domine,inquit,ſi tu ſuſtuliſti eum,dicito mihi,& ego eum tollam. Quem eum dicis, Maria,cùm de nullo feceris mentionem,ad quem relationem facias? Putásne quòd in omniũ cordibus ità verſetur memoria dilecti tui, ſicut & in conſiſtorio cordis tui? Et ego,inquit,tollam eum. Mira res. Hominem perfectæ ætatis,virum,cuius corpori vix centum libræ ſufficiunt vnguentorum,tenerrima mulier portabis & tolles? Ardẽs & affecta locutio,quę de puritatis amore refuſa,promittit quod implere non poteſt: nihil enim amanti difficile eſſe videtur. Quis deſperare debeat, tanta peccatrice non ſolùm veniam,ſed gloriam conſequente? Ipſa hodiè intercedat pro peccatis noſtris, & placatum nobis reddat iudicem noſtrum, ſponſum ſuum,qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum,Amen.

DE BEATA MARIA MAGDALENA, EX AVREA ROSA SYLVESTRI PRIERATIS, VIRI DOCTISSIMI, *profeſſione Dominicani: In expoſitione Euangelij feriæ V. intrà octauas Paſchæ.*

Iulij 22.

VM anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimoſeptimo deuotionis gratia antrum, in quo pœnituit B.Maria Magdalena, & ſacras eius reliquias apud S. Maximinum viſitâſſem, oſtẽſum eſt mihi pluriès ſacrum & venerabile caput eius,grande valdè,& totum vndiquè ad os vſq; denudatum, excepta ea parte frontis, quã Saluatorem omnium diximus tetigiſſe. Ibì enim pellis adinſtàr quaſi Aethiopiſſæ, ſeu cadaueris iandiù occiſi, clarè apparet, & in pelle duæ foſſæ duarũ extremitatum digitorum: quarum altera multo eſt reliqua euidentior atq; profundior, & ſub pelle caro ad albedinem declinans. Oſtẽſi ſunt & in vitrea ampulla eius capilli,non omnes, ſed qui pedes Chriſti terſêre: necnon & ampulla vitrea, plena terra habẽte colorem medium inter rubeum ac nigrum,quam in paraſceue beata Magdalena ſub cruce collegit: quę,vt omnes mihi ſine hæſitatione affirmabãt, ſingulis annis in die paraſceues, perlecta paſſione, euidenter & clarè ebullit,acsì ibi videatur ſanguis ebullire. De qua quid ſentiendum ſit,aliàs. Vidi & brachium eius magnum & cerei coloris. Oſſa verò eius in capſa argentea recluſa, videre non potui. Alabaſtrum quoquè vnguenti nardi ſpicati piſtici precioſi, monſtratum eſt mihi Maſſiliæ in eccleſia S. Victoris.

Reliquiæ S. Magdalenę apud S. Maximinum in Galijs.

Veſtigia digitorũ Chriſti manẽt in capite Mariæ Magdalenæ.

Cùm verò diligentiùs de omnibus prædictis veritatem ſcrutari voluiſſem, Chronicam huius ſententiæ reperi. Carolus rex Siciliæ ſecundus,& Comes Prouinciæ,circa annum Domini milleſimum,ducẽteſimum,ſeptuageſimum nonum, bello nauali cum rege Aragonum congreſſus,victus & captiuatus eſt, & apud Barcinonem moriturus,diro carceri mancipatus. Cumq; omni humana ſpe deſtitutus,indubitatã mortem expectaret in breui,à magiſtro Guilielmo de Tonnais, Ordinis Prędicatorũ,confeſſore ſuo monitus eſt,vt Magdalenam,quæ in terris ſibi ſubiectis prędicauerat, pœnituerat & obiẽrat,in auxilium aduocaret. Qui ſtatìm firma ſpe de meritis eius concepta, ieiunio & confeſſione & lachrymis ei ſe commendauit. Eccè autem in ipſa vigilia feſtiuitatis beatæ Magdalenæ nocte adſtitit ei matrona pulcherrima, Carolum voce ſonora & proprio nomine vocans, preces eius exauditas commemorans, & vt ſe velociùs ſequeretur, indicans. Cumq; pro captiua familia ſua ille precaretur: Sequere,inquit,me,& te ſequentur tui omnes. Sic autem factum eſt. Poſt paululùm verò cùm æliquantiſpèr proceſſiſſent,illa firmato gradu, & ſe inuocatam Magdalenam eſſe commemorans: Scis,ait,vbì ſis modò? At ille: Intrà muros,inquit,adhuc ſumus Barcinonis,ſi non fallor. Falleris, inquit: ſed iam es intrà terminos tui principatûs,& prope Narbonam ad * milliare vnum. Sunt autem inter Barcinonem & Narbonam tres magnę dietę,& triginta ampliùs * milliaria. Tunc ille perfuſus lachrymis: Quid, inquit,ô domina,gratũ rependere pro tanto beneficio poſſum? Dicam, inquit. Cùm inſtante bello quodam corpus meum de meo ſepulcro ſublatum, & loco eius aliud ſuppoſitum fuiſſet, vt fallerentur inimici, ſi meum corpus abſportare voluiſſent, ità factum eſt. Vndè adhuc eo in loco iacent reliquię meę,alijs loco earum ſublatis. Illuc perge,& eas talibus ſignis inuenies. Nam eo in loco vitis eſt,quã ſequens, de ore meo prodijſſe videbis: & ibì eſt caput meum totum nudum, excepta ea carne, quam Saluator mũdi in horto tetigit,cùm eius volui tenere veſtigia. Capilli omnes interiẽrũt, exceptis ijs,qui Ieſu Chriſti pedes tetigêre. Iuxta caput eſt ampulla plena terra madefacta ſanguine Chriſti,quam ſub cruce collegi,& ſemper,quoàd vixi,in memoriã Domini mei ſeruaui. Cùm hæc inueneris, honore digno eleuabis, & locum meæ mortis & meæ pœnitentiæ fratribus meis,id eſt,Prædicatoribus trades. Ego enim prędicatrix & Apoſtola fui. Conuentui loci,in quo deceſſi, reditus pro centum fratribus aſſignabis,vt ſemper ibì vigeat ſtudium generale. Et his dictis,diſparuit.

*leucam
*leucæ

Capilli qui Chriſti extersêre pedes,manent ſalui.

Carolus rex Siciliæ capitur.

Liberatur p B.Mariam Magdalenã

Ille verò, facto iam die, Narbonam cernens, in eo loco, in quo Magdalena diſparuit, Crucem figi iuſſit, quæ vſq; in præſens, Crux de leuca, dicitur: & S. Maximinum adiẽs,omnia per ordinem reperit,& iuſſa perfecit. Nam cùm in illis duobus locis monachi habitarent,eis contributionem fecit, & loca illa fratribus Prædicatoribus tradidit, aſſignans reditus ſuper gabellis ciuitatis Nicienſis & alijs, iuxta præcepta Magdalenæ. Templũ verò reliquijs eius regium incepit, ſed nõ plenè perfecit. Profectus verò ad regnum, monaſteria duodecim vel plura Ordinis eiuſdem Prædicatorum fabricauit atq; dotauit: in quibus de Magdalena vſque hodiè memoria quotidiè agitur: ac tandèm morieṅs, cor ſuum Ordini eidem legauit, quod vſq; hodiè in conuentu S. Dominici de Neapoli, in eburnea pyxide reſeruatur, illudq; anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimoquinto proprijs luminibus inſpexi. Igitur mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Et poſt pauca:

Carolus Siciliæ rex multa extruit monaſteria Prædicatorum.

Pſal.67.

Ex his autem perſpicuum credo, quantùm Prædicatorum Ordinem Magdalena diligat & magnipendat: quia ſcilicet Prædicatores ſuos fratres appellauit, & eis theſaurum ſuum, id eſt, ſua loca ſuasque Reliquias commendare curauit. Quin & Magiſtro generali eiuſdem Ordinis tunc apparuiſſe dicitur, dum Carolum è carceribus exemit, dicens: Vos elegi theſauri mei cuſtodes atque cultores. Propter quod etiam ipſe Carolus tantùm Ordinem dilexit, vt ſuæ ſcilicet liberatrici ſe conformem efficeret. Sed quia de Magdalena ſermo nobis exorſus eſt, vt tanto amori pro viribus & vices & grates referam, nonnulla alia, quæ legi, recitabo. Nam anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo ſanctã baumam, ſeu Italicè balmam, id eſt,antrum,in quo Magdalena pœnituit,quidam mercator Tuſcus deuotionis gratia viſitauit. Hic indè ſic diuino ſuccenſus amore regreſſus eſt, vt ebrius amoris ſpiritu, verba eius relegenti videatur extitiſſe. Hic regreſſus in patriam,ſuæ viæ itinerarium vulgari metro confecit, pulcherrimè veridiceque deſcribens & loca, & reliquias omnes,quæ in S. Maximino, in Maſſilia & Arelate & Auinione, & reliquis locis vicinioribus continentur,iuxta ea, quæ oculis noſtris inſpeximus. Se quoquè præſente, fratrem Eliam Ordinis Prædicatorum, qui Magdalenæ longo tempore, id eſt, annis octoginta ſex,in ſancta bauma ſeruiẽrat, multa, quę ſubinferam, reuelâſſe,& poſt paululùm vitam finiuiſſe, teſtatur.

Mõs in Prouincia apud quem vixit Magdalena

Igitur viſitatis reliquijs & ſpelunca, dum conſolatus mercator diſceſſum meditaretur,fratres,apud quos gratiã fortè inuenerat, eum beati patris Elię ſermone ampliùs conſolari voluẽrunt. Cumq; manibus fratrũ beatus pater Elias delatus fuiſſet, (Nam totus contractus, nil ferè præter linguã habuit vitã participans) viſos peregrinos dulciter ſalutauit,ac fratri ſe deferenti ait: Ad locũ meum me deportes,quia ſecreta Dei volo reſerare, quæ tacui. Locum verò ſuum dixit eum, in quo ad orationem in ſpelunca ſuper petra,in qua,nocte Magdalena quieuit,ſtare conſueuerat. Pro hoc verò ſciendum eſt,montẽ eſſe in Prouincia, ab Oriente Niciam, ab Occidente verò Maſſiliam,à Meridie mare, & à Septentrione habentem Auenionem. Hic ad altitudinem trium millium paſſuum aſſurgit,& deindè iubam ſeu criſtam gerit lapideam,ab Occidente in Orientem decem millibus paſſuũ & eo ampliùs extenſam: quę ab Occidente ſic præcisè cernitur,vt murum vaſtiſſimum dixeris. Nam adinſtàr ferè duarum præ-

celsarum turrium eleuatur. In rupis huius radice spelunca est eleuata, quantumcunq; magnus, immò maximus, iactus est lapidis, ore prospicens Occidentē, & clibani formam præ se ferens. Ante os spelunce est breue spatiolum: intùs verò ad læuā intrantis & ad spelunce medium, lapis à solo surgens, in cumulum eleuatur, & paulatim ac sensim versùs interiora spelunce euanescit: inter quem & extrema spelunce, fons pulcherrimus patet, frigidissimus tactu, & gustu dulcissimus, nunquàm deficiens, & nunquàm patenter adextrà prosiliens. Super eo lapide Magdalena & contemplationi & quieti nocte vacabat, vt communis est fama, & imago ibi quasi Magdalenæ apertis oculis quiescentis, beato Maximino authore, reposita testatur. Vndè cùm tota spelunca interdùm guttulis generati humoris humectetur, lapis ille solus, vt dicitur, omni tempore immunis ab iniuria stillicidij conseruatur.

Huc igitur dum pater Elias fuisset delatus, sequentibus peregrinis, & ad lachrymas sanctitatis eius adspectu concitatis, ait: Fratres, dies venit & hora mihi diù expectata mortis. Igitur quę ad beatę Magdalenę gloriam & vestræ salutis augmentum enarro, percipite. Cùm beatæ Magdalenæ seruiturus, desertum istud & rupem horridam petiissem, exacto hîc mense, solitudinem fastidiens, pœnitui, & discessum tacitus cogitaui. Quadam igitur nocte cogitationibus agonizans, subitò instār crucis montem hunc lapideum in partes quatuor diuisum inspexi, atque mihi quatuor mundi partes, Oriens, Occidens, Meridies & Septentrio, patuēre, & cælum sursùm abyssusque deorsùm. Igitur timore perterritus, in terram excors cecidi. Cumque verbis quibusdam dulcibus eleuatus, spiritum collegissem, toto corde Magdalenam in auxilium aduocaui. Hæc statim adfuit tam sereno & radianti vultu, vt in eam intrēdere non posiem, operta capillis, & nuda brachia, ac pedes floribus redimita, dicens: Inconstans ac rudis, te propter apertus est mons, & te propter ego adsum: & per me, modò velis, anima tua in æternam vitam dirigetur. Tu hinc à meo seruitio discedere cogitâsti: sed audi, quæ dicam, & demùm age, quæ libet. Vt nôsti, inquit, è Ierusalem Massiliam multi, Deo volente & naue subuehente, deuénimus. At vbi Massilia & pars non parua regionis, Iesu Christi fidem susccpit, tātum circa nos humanus fauor & inquietudo creuerunt, vt hominum consortia fugere cogitarem. Rapta verò diuinitùs, sub huius antrifui ore depositа. Cumque hincindè per locum mihi à Deo paratum lumina direxissem, draconem, quem mea soror Martha occidit, repentè inter lucem & tenebras adspexi, cuius horrorem sufficienter exprimeret nemo. erat bubalo maior. Vidi & omnis generis viperas. Subitò me apparente in spelunca, & draco & viperea multitudo excitantur in me, oculis & sibilis suum furorem præ se ferentes. Nam viperæ quidem innixæ caudis, pectoribus assurgebant: sed draco omnibus immanior ità me conterruit, vt timerem eius adspectum, immò nec ferre possem, quæ mortem non timebam. Heu me, tunc inquio, Iesu mi: nisì mihi statim adsueris, aut deuorabor, aut præ pauore spiritum efflabo. Cōtraxit tunc subitò draco caput, quasi me non curaret: sed denuò statim extenso ac dilatato vastissimo gutture, & concussis alis, me deuorandā inuasit. Cumq; iam deglutiendam in sua ora traxisset, quia lingua nō poteram, sic sum profundo & securo corde locuta: Dulcis amor Iesu, tristém ne ac solam in deserto post innumera tua dona me draconis escam effecisti? Tunc subitò Angelus de ore draconis eductam me allocutus est, dicens: Beata, quæ fidem tenes ac draconem calce percutiens: Egredere, inquit, hinc draco, & omnes viperæ tecum. Atrepentè se dedit draco & reliqua turba præcipitem, & volans ac peditans desertum adiuit, in quo illum mea soror Martha superauit. Igitur Angelus Michaël spiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuersus, totam baumam lambens, immundas ac fœtidas viperarum fæces absumpsit, & locum omnem mundum ac redolentem effecit. Deindè verò ad me conuersus: Deus, inquit, quem tantùm ô Magdalena concupiscis & semper habes, te vult hunc locum lachrymis irrigare profusis, vt futuris seculis exemplum pœnitentiæ perpetuò fias.

Remansi eo disparente perterrita, & loco lustrato, hominibus inuium ascensum descensumque, rupe vetante, cognoui. Tunc amoris dulcedine in lachrymas resoluta, me ad terram prostraui, adorans ac dicens: Gratias tibi, Christe amor, quòd me omni mea affectione replēsti: sed oro, fontem in rupe hac exhibeas deprecanti. Crepuit statim sub meis oculis immane hoc saxum, & quas cernis Elia, aquæ è duro silice scaturiēre. Cumque ante ipsum limpidissimum fontem genu flexo, Christo gratias agerem, eccè plùs quàm mille spiritus vidi in speluncæ dextera stetisse, verba suauissimi

Narratio F. Eliæ fide dignissimi de B. Magdalena.

Apparet Maria Magdalena F. Eliæ, ferię ac ordinē ei pandens trāslationis suæ.

Magdalena diuinitùs transfertur in locū desertum.

Maria Magdalena à draconе & viperis per angelum liberatur.

Magdalena exemplum pœnitētiæ.

Fōs ad preces eius scaturit è rupe.

uissimi amoris Hebraica lingua decantantes. Cùm igitur postremò subintulissent, non expedire animæ tam assiduam orationum frequentiam, eleuatis oculis, plenum aërem extra speluncam ex similibus inspexi. Igitur cùm eos dæmones suspicata, Iesum, nimiùm territa, acclamâssem, repentè cum suis militijs Angelus Michaël adfuit, dicens: Adsum Magdalena: nè timeas. Deniquè malignis spiritibus congressus, eos omnes in fugam compulit, ità clamantes: Non eris tamen ideò beata tu, quæ orationibus vacas in antro. Crucem igitur in ore speluncæ Angelus erexit, dicens: Caue nè extimescas in posterum: quia custos tuî est altissimus. Igitur ante Crucem eo disparente cùm iacuissem, orationi, timore nimio exiccatis visceribus, instare attenta non prævalens, collectas duas radices in ipso ore speluncæ & lotas comedēs, aquam de fonte bibi, post quam humanum aliquid non gustaui. Crucem deindè complexa, ea die ac nocte sequenti orans, orto sole, visum ad Crucem ipsam leuaui, coloris, vt videbatur, crystallini, & radijs fulgentibus coruscam. Cumque in me vehementissimi amoris flammam persensissem, eccè tam læta & iubilans Angelorum turba adfuit, vt æternam vitam in hoc antro credidisses. Repentè igitur ab his ad infernalia loca delata, pœnarum genera & punitorum turmas inspexi. Cumque ad loca Purgatorij ventum esset, tanta dulcedine me spiritus deuoti circunsteterunt, vt mihi viderer esse in patria, & cum magna teneritudine dixerunt: Ora pro nobis Magdalena nostra. Quibus ego: Vtinàm, inquio, vestra voluntas per me impleatur. Animaduerto, quantum vobis auxilij sit opportunum. Deindè verò ad Crucem iterùm repositæ mihi Angelus ait: Quanto tempore tuus ac noster amor Iesus in terris te propter euixit, tanto tu quoquè in hac spelunca moraberis.

Rapitur Magdalena ad locū inferni & purgatorij.

Steti igitur, eo disparente, ad Crucem orans, & Christum salutem meam contemplabar. Omni autem euoluto die, Angelorum adfuêre militiæ, & me tam sublimem in aëra sustulerunt, vt cælestes audiuerim resonare melodias. Quod abindè citra septiès semper intrà diē & noctem fecerūt. Frigus ac gelu, diuino igne succēsa, iam non curabam. Cumq; meæ vestes paulatim vetustate deciderent, paulatim quoquè diuina pietate mei creuêre capilli: ac demùm cùm semicinctia è rupe deiecissem, sese adeò diffuderunt, vt à me lapidibus succedendi gressum præpedirent. In ipsa verò Cruce mysteria Christi cuncta videbātur. Ibi Annæ ac Ioachim historias: ibi Mariam Iesum meum mihi pariētem: ibi Crucifixi tetrum liuorem, ibi pium cruorem, ibi dura vulnera, ibi Crucem ac mortem eius dabatur intueri, & eundem regredientem ab inferis, & cæli sidera penetrantem. Cumque his cibata ferculis, nocte dieque flerem, cùm lauandi vultûs gratia fontē petiissem, obuiū mihi humana forma Iesum me his verbis alloquentem vidi: Te propter Maria loca ista constitui. Circunstabāt cælestes militiæ regem suum, florum serta gestantes, & oliuarum palmarumq; ramos tenentes in manibus. Et eccè resplenduit subitò assumpta humanitas, & seipsum adinstār sui, cùm esset in monte Thabor, Saluator transfiguarauit, adeò vt me oculos inflectere tanta maiestas compulerit. Me quidem ad vultum dilectum oculos attollere dulcis amor inflammabat, sed minimè valui. Cumque mecum multa contulisset, illapsus est cælo: & quoàd vixi, centiès ac deciès me in spelunca pro sua pietate visitauit. Itaq; Elia tibi consulo teq; rogo, vt in hac rupe Christi laudes exoluas, quô te ad vitæ portum randèm adducam. Sterilem locum sola ac nuda ego adiui: tu verò fratrum habes solatia, & victui vestituique abundanter opportuna. Igitur de perseuerantia cogita. His dictis, ab oculis meis, inquit Elias, Magdalena euanuit, & ego in hanc vsq; horam omnes homines prædicta celaui. His dictis, post horulam beatus ille pater expirauit, statimq; ipsæ campanulæ, in ea rupe suspensæ, nullo hominum mouente, iubilâ runt. Omnia hæc ex dicto libello fideliter assumpsi.

Quotidiè crebrò in aëra sublimitur ab Angelis.

Crux mirifica Magdalenæ exhibetur.

Christus ei appāret.

Matt. 17.

Sæpiùs à Christo visitatur.

Mirabitur autem fortassis vir animalis, diuinam pietatem peccatricem animam tam præclaris donis extulisse: sed si viderit, qui eiusmodi est, prædicantem Christum, & fortè lasciuientem in sermone Mariam, subitò diuini sermonis iaculo percussam, sui pectoris arcana lachrymis & singultibus reserare: si viderit repentè agitatam doloribus, & amore liquefactam, torques, armillas, dextralia, margaritasque deponere, & effusis comis, lugubres assumere vestes: Si, inquam, viderit hanc Iesu Christi tenuisse vestigia, & hæc lachrymarum flumine lota exiccare capillis, & cordialibus oculis ac miserandis vocibus misericordiam suis sceleribus implorare: si à maculis absolutam, in pace Christi pietate remissam: si prædicantem vbiquè Christum, & Mariam comitantem: haurientem quidem Christi doctrinam, sed substantiam effundentem:

Cāpanæ ad obitū P. Eliæ ipsorte sua sonant.

Si hanc viderit pauperem ac itinere fatigatum Saluatorem mundi excipere domo,
fouere vnguẽtis,dapibus recreare,& discipulorum eius turbam suis facultatibus sus-
Iohan.19. tentare: Si propinquis, immò & discipulis fugientibus, carnifices inter intrepidam
Cruci adstitisse, cruentam sanguine, lachrymis infusam, aërem eiulatibus adimplen-
Mar.15.& 16. tem: Si contemplari sepulcrum, & vnguenta parare: si mulierem fragilem sexu, no-
ctis tenebras & arma custodum non extimuisse, (ô vim amoris immensam)quin dile-
Iohan.20. ctum extinctum quæreret in sepulcro: si postremò hanc viderit vacuo sepulcro colli-
gatam,& nulla iam prẽter lachrymas habere solatia,videbit pariter diuinã pietatem,
hanc ab extremo in extremum non nisì per opportuna media deduxisse. Quæ enim
crimina possent tot gemitibus,tot lachrymis,tanto ardore nõ esse abolita? Si animas
sceleratissimas baptismalis vnda, sanguinis Christi operante virtute, pulcherrimas,&
in oculis Dei optimi maximè splendentes restituit: quid in Maria sanguis Christi,è
Cruce stillans,effecit? Mirari igitur magìs oportet ignauiam hominum atque socor-
diam, qui in Maria Christi pietate perspecta, subitò quanuis atroces, quanuis scelesti
Rom. 5. & flagitiosi,non atteruntur,vt vbi superabundauit delictum,superabundet & gratia?

Franciscus Petracha,visa Mariæ spelunca & lapideo cubili,huius beatæ peccatricis
considerans pœnitudinem,compunctus ait:

Franciſci Petrarchæ Carmen de B. Magdalena.
Dulcis amica Dei,lachrymis inflectere nostris,
Atque humiles attende preces,nostræque saluti
Consule: nanque potes.nec enim tibi tangere frustrà
Permissum,gemituque pedes perfundere sacros,
Et nitidis siccare comis,ferre oscula plantis,
Inque caput Domini precioſos spargere odores.
Luc.7.
Nec tibi congressus primos à morte resurgens,
Matt.26. Et voces audire suas,& membra videre,
Mar.16. Immortale decus,lumenque habitura per æuum,
Nequicquàm dedit ætherei rex Christus Olympi.
Videratille Cruci hærentem,nec dira pauentem
Iohan.19. Iudaicæ tormenta manûs,turbæque furentis
Iurgia & insultus,æquantes verbera linguas:
Sed mœstam intrepidamque simul,digitisque cruentos
Tractantem clauos,replentem vulnera fletu,
Pectora tundentem violentis candida pugnis,
Vellentem flauos manibus sine more capillos.
Matt.26. Viderat hæc,inquam,dum pectora fida suorum
Diffugerent, pellente metu.Memor ergò reuisit
Te primam ante alios: tibi se priùs obtulit vni:
Mar 16. Te quoquè,digressus terris,& ad astra reuersus,
Iohan.20. Bis tria lustra cibi nunquàm mortalis egentem
Rupe sub hac aluit,tam longo in tempore solis
Diuinis contentam epulis,& rore salubri.
Hæc domus,antra tibi stillantibus humida saxis,
Horrifico tenebrosa situ,tecta aurea regum,
Deliciasque omnes,ac ditia vicerat arua.
Hìc inclusa libens,longis vestita capillis,
Veste carens alia,ter denos passa Decembres
Diceris: hìc non fracta gelu,nec victa pauore:
Nanque famem,frigus,durum quoquè saxa cubile,
Dulcia fecit amor,spesque alto pectore fixa.
Hìc hominum non visa oculis, stipata cateruis
Angelicis, septemque die subuecta per horas,
Cælestes audire choros,alterna canentes
Carmina,corporeo de carcere digna fuisti.

MAR-

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS PLATONIS, AVTHORE SIMEONE

Metaphraſte. Numerum capitum ad marginem adiecimus.

Iulij 22. vt habent Latina Martyrologia. Cap. 1.

NON sum noua dicturus de Galatis, neque aliena ab ijs, qui Ancyram habitant:nec dicam incredibilia de confessore,& eo,cui verbum Dei fuerat cõmissum. Stultè enim fecerunt Galatę,vt consueuerant: fuit autem Plato reuerà sanctissimus, qui sibi Dei creditam habebat sapiẽtiam: & ea passus est à Galatis, quæ confessoribus pati iubet lex Christi.Eum enim captum sæui & immisericordes coniecerunt in carcerem,vt qui verbum Dei annunciaret,& violaret leges Imperatoris. Acerbè ergò & inhumanè ijs eum affecerunt supplicijs, quæ non fas est ipsam humanã sustinere naturam, grauem ostẽdentes insolentiam, & in belluinam conuersi crudelitatem. Fortiter autem ferebat venerandus & purissimus Platonis animus, vt qui afflictiones omnes & calamitates propter Christũ ferre esset meditatus. Nam non eandem, quam is, qui erat eiusdem nominis, Plato exercuerat philosophiam,nec erat in eadem doctrina philosopharus: sed erat quidem præstantissimus in omni verbi sapientia: fide autem antecellebat ijs,qui vnquàm fuerunt.

S. Plato cõijcitur in carcerem & dirè cruciatur.

Cap. 2. Hic ergò beatus Plato multos quidem ex ijs, qui Ancyram habitabant, affecit beneficio: multos autem verbo illuminans, fecit Christo credere: & multos ex ijs, qui à potentioribus opprimebantur calumnijs, liberauit ab iniurijs. Pro ijs verò, quibus ipsos affecerat beneficijs, * iustæ pœnæ ab eo exactæ sunt: aut potiùs seipsum iubens tradidit,fortique & excelso animo tulit calamitates. Erat enim eius semper ad Deum scopus, cuius etiam fuit imitator. Quamobrèm cùm abduceretur, confidens ibat ad supplicium. Vicarius autem Agrippinus cum aperrè præsedisset in Iouis basilica,iussit sisti Martyrem. Apparitor autẽ dixit: Stat ante tuum tribunal, domine. Dixit Agrippinus: Cùm totus orbis terræ degat in lætitia, cur es in tali & tanto errore cõstitutus? Dixit sanctus Plato: Vos estis,qui in errore degitis: & reliquistis Deum,qui fecit cælũ & terram cum toto eorũ ornatu:& excisos colitis lapides & ligna putrida,opera manuum hominum. Dixit Agrippinus: Iuuenilis tua ætas te facit temerarium, & efficit, vt sis valdè insolens. Dic ergò mihi, cuiusnam es religionis,& cuius cõditionis & ciuitatis: & quod est tibi nomen. Sanctus dixit Plato: Si velis scire cuiusnã sim religionis, sum Christianus. Dixit autem Agrippinus: Dic nomen,quod tibi fuit impositum à parentibus. Nam ipse quoquè scio te esse Christianum. Iussit verò Imperator nullum hominem vocari Christianum. Dixit sanctus Plato: Si velis scire cuius sim religionis, iam dixi tibi me esse Christianum. Si autem vis etiam scire nomen mihi tributum à parentibus,dicor Plato:& sum quidem Christi seruus ab vtero matris meæ: sum verò ciuis huius ciuitatis.Nunc autem sum captus & ad te adductus,tanquàm pius & Christi seruus. Quamobrèm mors est mihi proposita propter Christum, quam oportet me à te expectare. Fac ergò citò,quod scis & statuisti.

Sistitur ad tribunal.

Cap. 3. Vicarius dixit: Non expedit tibi, ô Plato, crucifixi nomen habere in mente. Nam qui eum confitentur,iubet Imperator tradi morti acerbæ: eos autem, qui ipsum negant,donis maximis afficere.Quamobrèm tibi consulo,vt pareas legi Imperatoris,& hoc lucrifacias, nè mortis acerbæ facias periculum. Respondens autem dixit sanctus Plato: Ego pareo meo Regi, cui etiam milito: mortem autem, quæ est ad tempus, eligo, vt sim hæres regni æterni. Dicit Vicarius: Considera ô Plato, quidnam sit tibi conducibile,nè malè pereas. Dixit sanctus Plato: Curabit Dominus ea,quæ sunt mihi conducibilia. Dixit Vicarius: Nôsti Plato iussà Imperatoris, quomodò iubeant intemeratæ eius leges omnes Christianos aut dijs sacrificare, aut vita priuari. Tu ergò quomodò audes hæc iussa euertere, & per inobedientiam eos etiam, qui tibi parent, euertis? Dixit sanctus Plato: Cognoui iussa Dei mei, sicut iubent eius intemeratæ leges & viuifica præcepta, nempè dæmonum mysteria euertere, & ei soli seruire. Neque enim est tibi nouum &alienũ,excogitare tormenta:neque rursùs mihi,mori pro pietate.Tu enim iam multos sustulisti de medio propter hanc confessionẽ:qui morte

Constantia Platonis.

Impiæ leges Imperiales.

deuicta, iustitiæ acceperunt coronam aduersùs diabolum.

Cap. 4. Agrippinus autem cùm hæc audijsset, vt qui esset sæuus & belluinis moribus, & aduersùs athletas pietatis supra modum efferatus, velutì quendam cædis reum, aut alcuius alterius magni criminis conuictum, postquàm ipse ab initio didicisset eius in Dominum nostrum Iesum Christum virtutem & fidem firmam & immobilem, iubet extensum sæuè cædi neruis bubulis. Quod cùm quamprimùm factum esset, & quatuor milites sanctum verberarent multas horas, & defessi essent, alij autem duodecim milites ad id mutati essent, ne vlla quidem inuenta est macula in corpore sancti Platonis: adeò vt omnes quidem obstupefacti, supra modum admirati fuerint, & à se discesserint: ipse autem alacriùs & constantiùs perseuerauerit in confessione Christi, & per multas afflictiones contenderit ingredi in regnum Dei, in quem non cadit interitus.

Immaniter cæditur neruis boum.

Nihil lædi-tur.

Act.14.

Cap. 5. Dixit Agrippinus: Ego tibi consulo vt amico, vt mortem quidem declines, ad vitam autem accedas. Dixit sanctus Plato: Rectè admones, ô Agrippine. Fugio enim mortem æternam, & ad vitam me confero sempiternam. Dixit Agrippinus: Dic cacodæmon, quot sunt mortes? Dixit sanctus Plato: Duæ, vna quidem ad tempus: altera verò æterna. Ità etiam duæ vitæ: vna quidem breuis: altera verò sempiterna. Dixit Agrippinus: Dijs sacrifica, & declina cruciatus. Dixit sanctus Plato: Fac citò, ô Agrippine, id quod tibi videtur. Ego enim nunquàm sacrifico. Neque enim ignis, neque crux, neque ira bestiarum, neque ablatio membrorum nobis persuadentà Deo viuo deficere. Neque enim diligimus, quod nunc est, seculum: sed, qui pro me est mortuus & resurrexit, Christum.

Duplex Mors. Idem Vita.

Cap. 6. His auditis, Agrippinus iussit eum reduci in carcerem: sequebatur autem multa turba Christianorum, propter eius sanctam & gloriosam confessionem. Fortis autem & magnanimus Christi Martyr Plato iussit sibi fieri silentium: & postquàm ipsi cessârunt à tumultu, voce sublata dixit eis: Viri qui Christum diligitis, & estis amatores veritatis, non leui de causa adeo hoc certamen: sed propter effectorem cæli & terræ & omnium, quæ sunt in eis. Nè vos ergò conturbent, rogo, ea quæ fiunt. Multæ enim sunt afflictiones iustorum, & ex eis omnibus liberabit ipsos Dominus. Adeste decæterò, & confugiamus omnes simul ad portum, qui nullis agitatur tempestatibus, nempe Christum, & ad petram, quam magnus dixit Apostolus: Petra autem erat Christus. Nè ergò cedamus, ô dilecti, periculis, quæ suscipiuntur pro pietate: cùm sciamus, quòd passiones huius temporis non sunt dignæ, quæ conferantur cum gloria, quæ est in nobis reuelanda. Hæc ergò cùm dixisset Christi Martyr Plato, & turbis, quæ aderant, addidisset animum, & mentem eorum confirmâsset, ingressus est carcerem lætus & Deum glorificans. Ingressus autem, humì fixis genibus, Dominum precatus est, sic dicens: Domine Iesu Christe, omnium creator & opifex, & qui tua prouidentia curam geris vniuersorum, qui omnibus tuis famulis tolerantiam largiris & victoriam, mihi quoquè humili & abiecto largire ad finem vsque tolerantiam: & emitte Archangelum tuum Michaëlem, vt me liberet à fallâci & malitioso serpente Agrippino: vt cognoscant omnes, non esse deos, qui fiunt per manus hominum: sed te solum esse Deum, qui es patiens & multæ misericordiæ, & glorificatus in secula, Amen.

Reducitur in carcerē.

Pſal.33.

1.Cor.10.

Rom.8.

Oratio eius pro Dei auxilio & victoria.

Cap. 7. Septem autem pòst diebus præsidens Agrippinus Vicarius in basilica ex aduerso Iouis, iussit sisti Martyrem. Dixit verò apparitor Vincentius: Qui non pâret Imperatorum legibus, & vestris iussis repugnat, Plato, qui est defensor impiæ Christianorum religionis, stat ante tuum tribunal domine. Tunc Vicarius iussit diuersa & varia tormentorum genera ante ipsum statui: lebetem æneum, sartagines ferreas, candentes crates, manus ferreas, catapultas, acutos obeliscos, vncos, rotas, & multa alia terribilia: existimans infelix se per hæc esse territurum Martyrem, vt dijs eius sacrificaret: præcipuè autem Apollini, qui pellit ad interitum. & dicit ei: Ego quidem charissime Plato, contemplans tuam iuuenilem ætatem, & parcens flori tui corporis, & sciens parentum tuorum nobilitatem, tibi consulo priusquàm rursùs incipiam te torquere, vt gustatis sacrificijs seruëris, & sis nobiscum: hoc quoquè sciens, quòd nullus vnquàm vixit ex ijs, qui mihi non paruerunt: quomodò rursùs nullus ex ijs, qui mihi paruerunt, ei à me promissis bonis fuit priuatus. Ergò tu quoquè, ô optime Plato, si voluëris me audire, tanquàm patrem proprium, bonum tibi dantem consilium, habeo vnicam fratris mei filiam, eam tibi dabo in matrimonium, valdè

Index vult terroribus frangere Platonem.

Vertitur ad blanditias.

valdè magnam ei tradens dotem, & te meum proprium vocabo filium. Beatus autem & reuerà fortis athleta Christi Plato, ridens dixit: Miser & hominum inimice, fili diaboli, & administer satanæ: si vellem iungi matrimonio, & ducere vxorem, & degere in deceptione, implicatus fumo huius mũdanæ vitæ, dignarérne vel in rerum mearum solicitudine accipere vxorem fratris tui filiam, aut tales habere ancillas, qualis est filia fratris tui, aut ea etiam meliores, vt ego eam ducam vxorem? Tunc satanæ scholasticus & administer patris eius diaboli, plenus omni vitio & repletus omni genere improbitatis, non secùs àc draco quispiam aut leo cædem eructans, grabatum iussit afferri æneum, & in ipso deponi Martyrem: & sic ignem accendi, & fieri magnum aceruum prunarum, eumque aspergi oleo & resina & bitumine & cera, & eum cædi virgis subtilissimis: vt à plagis & igne nudata eius viscerum structura, ei intolerabile tormentum efficiat.

Respuit nuptias S. Platonis.

Igne & virgarũ ictibus crudelissimè torquetur S. Plato.

Cùm diù autem cæderetur Martyr, dixit Sophronius Commentariensis: Infelicissime, páre magnificentissimo & maximè suspiciendo Vicario, & dijs sacrifica, & nè malè moriaris, lucrifac. Quid contradicis? Non vides parata propter te tormenta? Dixit S. Plato: Ego totum meum corpus propter Christum tradidi. Cur ergò non desistis ô satanę scriniarie, & inimice veritatis? Te ipsum admone, vt ab errore desistas. Ego enim scio, quid mihi expediat, & nunquàm auertar ab hac confessione. Dixit Agrippinus: Quis est Christus, quem dicis? Non potest te viuum eripere è meis manibus non sacrificantem. Nunc ergò vis malè mori. Scias autem, quòd qui fuit crucifixus à Iudæis, non potest te seruare, etiamsi præstigijs tuis valdè confidas. Sin autem magno deo Apollini sacrificâris, & tuo sacrificio cum tibi placâris, potest te ab hoc, qui te detinet, candentis ignis grabato & dolore eripere. Sanctus autem Plato dixit: Nunquàm sacrificabo, nec Apollini, nec reliquis dijs tuis. Nam qui Apollo dicitur, pellit ad interitum: & omnes, qui in eum credunt, eodem peribunt interitu. Vis autem scire, ô stulte & graui corde, delire & mente capte, quòd non sunt dij, qui fiunt per manus hominum, sed aurum, & argentum, & ligna, & lapides formati varijs & diuersis coloribus? Qui oculos habent, & non vident: manus habent, & non palpant: pedes, & non ambulant: aures habent, & non audiunt: nares habent, & non odorantur. & vt semèl dicam, sunt opera fabrorum, & aurificum, & tornatorum, & lapicidarum. Isti enim, quos tu deos esse dicis, quomodò non possunt alicui benefacere, ità nec possunt vnquàm lædere eos, qui timent Dominũ. Sunt enim nullo sensu præditi, vobis similes: & non sentiunt, nec cùm eis offertur sacrificium, nec cùm libamen, nec cùm eis vllus alius exhibetur cultus. Deus autem, qui omnia fecit, & cælum extendit tanquàm pellem, & terram fundauit super aquas, qui potest animam & corpus perdere in gehenna: ipse in omnes dominatum obtinens, rationalia & incruenta suscipit sacrificia, quæ ex puro corde ei offeruntur: & quomodò non est absurdum, vt nos relicto effectore vniuersorum, sacrificemus lignis & lapidibus ratione carentibus, qui creati sumus ad Dei imaginem?

Cap. 8.

Pſal.113.

Pſal.103.

Matth.10.

Dicit Agrippinus: Miserere tuî decæterò ô miser: & si nolis sacrificare, dic solùm: Magnus est Apollo: & iubebo te auferri ab hoc graui ignis, quo vexaris, cruciatu, abique sospes & noster amicus. Sanctus autem dixit Plato: Absit, vt ego ità meî misereat, vt meo parcens corpori, & parua accepta, vt tu censes, relaxatione, cum anima vadam ad gehennam ignis. Dixit Agrippinus: Rectè facis infelicissime, tibi mortem afferens, te hac suauissima volens luce priuare. Dixit Plato: Pro Christo mori, conciliat mihi regnum cælorum: non mihi autẽ solùm, sed etiam omnibus, qui ipsum timent. Ego verò tibi dico, quòd non possunt vincere, qui cum Deo conantur bellum gerere, & pietatis athletas diuersis tormentis subijciunt: quomodò rursùs nec qui Christum habent opem ferentem, possunt malos homines & Deo inuisos vincere propter insignem eorum malitiam. Quamobrèm dico tibi Tyranne, quòd neque vita, neque mors, neque gladius, neque fames, neque periculum, neque altitudo, neque profundum, neque vlla alia res creata potest nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Ea de causa tu magìs debes mihi parére, pollicenti fore, vt fruaris non rebus aliquibus caducis, & in quas cadit interitus, sed regno cælorum & vita æterna: quam habent, qui ad ipsum conuertuntur, vndè aufugit dolor, tristitia & gemitus. Fac ergò, vt vana sit spes, quam in te habet diabolus, & discede ab hac insania, & rationali accepta dignitate, cognosce quisnam sit, qui omni carni vitam largitur. Sic enim eris admirabilis, traductus ab hac impro-

Egregiè pręfidi martyr respondet.

Rom.8.

Eſa.35.

improbitate & ab errore, qui affert animæ exitium. Eos enim excipit, qui mouentur
1. Tim. 2. pœnitentia, Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui vult omnes homines ſaluos fieri, &
Ezech. 18. venire ad agnitionem veritatis: qui non vult mortem peccatoris & impij, ſed vt
conuertatur & viuat, ductus pœnitentia.

Cap. 10. Agrippinus autem his auditis, furore pércitus dixit: Amentiſſime, & à dijs aliene, & inimice Imperatorum, & legum euerſor Imperatoriarum, eouſquè proceſiſti in-ſaniæ & amentiæ, vt ad me vſque tuum errorem extenderes, & me à deorum bene-uolentia conareris abducere, & ad religionem Crucifixi traducere? Dixit ſanctus Pla-to: Scio ego ô Tyranne, quòd tu non páres meis admonitionibus: ſed me vocas pla-num & præſtigiarorem, quæ quidem tu es: quoniam te admonui & conſului id, quod eſt tibi vtile. Cæterùm ſic meî quoquè memineris, quandò venerit tempus: quo tem-pore cum lachrymis recordaberis meæ admonitionis, nec ea tibi quicquam prode-rit ô infelix, ſed in tartari profundo ibis ad ſupplicium æternum. Fac ergò citò id, quod vis. Cordis enim tui oculos ità excæcauit diabolus, vt non adſpicias ad lucem Dei cognitionis: ſed intuearis ad tenebras, vbì eſt paratus ignis æternus tibi & patri
Nota rẽ ad-miratione dignam. tuo ſatanæ. Cùm tres autem horæ interceſſiſſent, & ipſe depoſitus fuiſſet ex grabba-to, corpus ità reſplendebat ſancti & beati Platonis, perindè atquè ſi ipſe exiſſet è bal-neo, & ſuauis quidam odor tanquàm vnguenti precioſi ex eo egrediebatur. Habebat enim Chriſti verum lauacrum, & precioſam & veram cognitionem, per quam bono odore implebat eos, qui aderant: & tota quæ circunſiſtebat, turba Deum glorifica-bat propter fortitudinem & tolerantiam beati Platonis, adeò vt ipſi dicerent: Verè eſt magnus Deus Chriſtianorum. Tam multis enim tormentis ſubiectus à crudeli & immiſericordi Iudice, non negauit ſanctum & terribile nomen Chriſti: ſed in præcla-ro perſeuerans animi inſtituto, vicit inſaniam Præſidis.

Cap. 11. Agrippinus autem poſtquàm ei intolerabile & tale tormentũ attuliſſet, dixit: Non tibi perſuaſit, ô Plato, grauiſſimum tormentum, quod tibi fuit illatum, vt dijs ſacrifi-cares? Sed ſi nolis ſacrificare, ſolùm nega crucifixum, & te dimittam. Dixit ſanctus Plato: O cor peruerſum, & mens extincta, & anima malis tradita, & quæ nihil cogi-tat, quod Deum deceat. Quid eſt, quod dicis? Qui mihi tot beneficia conciliauit, Ser-
Attẽde ſan-ctam marty-ris in dicen-do libertа-tem. uatorem Chriſtum negabo propter te, ô crudiuore & vindex ſimulacrorum, rerum-que inanimarum & mutarum defenſor, & patrone erroris, vt reddar miſer, tibi ſimi-lis & iniquus? & non ſufficit tibi ſolùm eſſe talem, ſed eos etiam, qui iam relati ſuntin numerum militũ Chriſti, vis eſſe ſocios tuæ impietatis, in eadem via interitûs ſtudens eos ſupplantare, qui recta via ingrediuntur? Diſcede à me, qui operaris iniquitatem. Statuiſti enim alios quoquè ad eam trahere. Confido autem in Deo meo, quòd non faciet ſanctum ſuum videre interitum. Dixit Agrippinus: Quoniam tuî ſum miſertus, euaſiſti inſolens ac contumelioſus, ſtulta loquẽs & emotæ mentis. ego autem te citò
Ítem eius in Deum fi-ducia. tam grauibus afficiam ſupplicijs, vt ex teipſo mihi dicas: Da mihi, vt ſacrificem. Egre-gius autẽ Chriſti athleta Plato dixit: Chriſtus eſt Deus, & non eſt ſanctum eius nomen negandum. Non eſt æquum, vt ego relinquens fontem viræ, colam dæmonia & libem lapidibus, quorum quidem mater eſt ars. Si enim non fuiſſent artes inuentæ ab homi-nibus, non eratis deos habituri, ſed planè eratis futuri ſine dijs. Tunc Agrippinus multa ira repletus propter fidutiam & dicẽdi libertatem Martyris, ſurrexit è throno ſuo: & quamciriſſimè indutus ſibulatorio, iubet ſphæras accendi ferreas, & poni in
ſphęrę ignes eius mam-millis appli-cantur. eius mammillis. Miniſtri autem ſatanæ citò fecerunt ea, quæ iubebantur. Sphęrarum autem ignis fuit tanta vehementia, vt non ſolùm apparérent eius latera, ſed etiam corrumperetur interna eius viſcerũ ſtructura, vt per nares eius & cerebrum emiſſus fuerit fumus ex calore ei per ſphæras accenſo.

Cap. 12. Beatus autem Plato, qui iam à multis reputatus fuerat eſſe mortuus, dixit Agrippi-no: Parua ſunt tua tormenta, ô potor ſanguinis, & beſtijs moribus ſimilis, & ſæue ca-nis, ſi conſideretur ira tua & immanitas. Ira tua erit parua, tormenta autẽ tua ſint ma-gna. Nam per tormenta, quæ mihi intentas, cognoſces potentiam Chriſti, qui mihi fert auxilium. Apparitor autem veniens prope ſanctum Platonem, dixit ei: Páre ô ho-mo iuſſis Imperatoris, & dijs ſacrifica, & lucrifac, nè malè moriaris. Non potes enim
Inuictus S. martyris animus. mortem effugere, niſi ea feceris, quæ à me tibi dicta ſunt. Qui autem erat verè ma-gno & excelſo animo & verè Chriſti Plato, apparitorem quidem non paruis incef-ſens contumelijs, ei os obſtruxit tanquàm malo conſiliario: interrito autem ſpiri-tu & animo immobili, & mente non perturbata, oculos in cælum extollens, dixit: Dorſum

Dorſum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas: faciem autem meam non Eſa. 50.
auerti à dedecore ſputorum. Nè diſceſſeris à me Domine, quoniam afflictiones pro-pè: nè forte dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum? Tibi ergò placeat, ô Domine Ieſu Pſal. 78.
Chriſte, vt ego famulus tuus, perfectè aduerſarij effugiens tyrannidem, cum audacia & fidutia ſiſtar ante tuum tribunal terribile, hoc pulchro confecto certamine. Te enim decet & in eccleſijs & in omni loco tuæ dominationis gloria, honor, potentia & maieſtas, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. & cùm multi audijſſent, Amen, motus eſt locus baſilicæ: & ne ſic quidem intellexit miſer Agrippinus, quòd Chriſtus
Chriſtus ei fert auxiliũ. ei ferret auxilium, ſed dixit ei: Impie, cur es adeò emotæ mentis, & non parcis tuo corpori, cùm id videas varijs modis tam acerbè cruciari? Páre ergò mihi, & ſacrifica dijs intemeratis, nè malè moriaris. Sanctus Plato dixit: Dixi tibi ſæpè, quinetiam nunc tibi dico, me eſſe Dei cultorẽ, nec vt eius decreta deſeram, me poſſe in animum inducere, nec vt eos adorem, qui temerè nomen habent deorum, ſunt autem adul-terina & execranda ſimulacra. Sed non ceſſabo in dies aſſiduè Deo meo procidere & eum orare, vt ſalutem ab eo conſequar. Tu autem Agrippine Tyranne, vanis affi-xus ſimulacris, & à patre tuo ſatana priuatus mente, quæ te trahebat ad Dei cognitio-nem, & totus redactus in eius poteſtatem, & ad viam vitæ nolens aſſcendere, in æter-num punieris à Deo, qui mihi fert opem. Quem contumelia afficiens, eius ſeruos varijs tormentis ſubijcis, exiſtimans te mutaturum eorum bonum in Deum propo-ſitum.

Agrippinus dixit: Vide Plato, quàm multa ſiui te nugantem ſtulta dicere. Sed etsì Cap. 13.
ſis indignus noſtris ſermonibus propter tuam audaciam & cor immutabile, audi quod tibi dico: Sæpè audiui multa eiuſmodi ab ijs, qui confitentur Galileum, nec vl-lus receſſit viuus à meis manibus, nisì perſuaſus ſit & ſacrificârit. Si ergò non vis mihi morem gerere, & dijs ſacrificare, vide quid ſis paſſurus. Te enim multa manent tor-menta, ſi non audieris me tibi conſulentem. Sanctus autem Chriſti Martyr Plato di-xit: Infelix & inhumane, & homines habens odio, & auctor ac princeps omnis ini-
Præclara vox marty-ris. quitatis, à Deo aliene & miniſter ſatanæ, & hęres ignis gehennæ, & digne omni ſuppli-cio, non me terrẽt tua verba, nec minæ mihi perſuadent. Meus enim Dominus Chri-ſtus pro me ſuum effudit ſanguinem, vt mundũ redimeret ab omni iniquitate: quan-to magìs nos peccatores debemus pro ipſo mori, vt vel per hoc grati & beneficij me-mores conſpiciamur Domino noſtro Ieſu Chriſto?

Vicarius autem Agrippinus cùm hæc audiuiſſet, & magno furore eſſet pércitus, Cap. 14.
Cæditur lo-ris. iuſſit eum cædi loris, dicens: Videamus an Deus ſit ei opem laturus, in quo ſperans, imperatorias conſtitutiones contemnit & noſtra iuſſa? Sanctus autem Plato, his au-ditis, dixit: Impudentiſſime & ſceleratiſſime canis, nouorum tormentorum inuentor & excogitator Agrippine: conuenienter enim tuo animi ſtudio & inſtituto fuit ab initio tibi nomen impoſitum. Es enim agreſtis quidam lupus, & effrenatus tanquàm equus indomitus, eos præcipitans, qui ſequuntur impudentem & ſceleratam tuam mentẽ. Miſer & infelix, es ne adeò ſtultus & inſipiens, & excæcatus à patre tuo ſata-na? Non vides, quẽ admodùm Chriſtus mihi in prioribus adfuit tentationibus: & nũc quoquè adeſt, leuans meos labores, & curans plagarum notas, quæ à te mihi impri-muntur: & vt ſemèl dicam, nunquàm relinquit eos, qui ipſi ſeruiunt? Fac ergò quam-
Deus nun-quàm relin-quit ſperan-tes in ſe & ſeruientes ſibi. celerrimè ea, quæ tuo ſedent animo: vt per tormenta, quæ mihi inferuntur, & indi-gnas plagas, cognoſcas Chriſtum mihi opem ferre, qui à tua, quæ cum Deo pugnat, lingua nunc afficitur contumelia. Ego enim ſemper habens opem, quæ ab eo mihi ferrur, non timebo tuas minas, neque varios tuos cruciatus.

Miniſtri autem ſatanæ citò fecerunt imperata, & quamprimùm tanquàm inani-Cap. 15.
mam eum tangentes ſtatuam, ſancti membra conſcindebant immiſericorditer, inci-pientes ab humeris. Sanctus autem Plato dicebat: Expectans expectaui Dominum, Pſal. 39.
& intendit mihi. Omnes autem, qui eum adſpiciebant, ægrè ferebant propter ei illa-tum cruciatum. Erat enim Agrippinus ſupra modum inhumanus & planè ferus. Egregius verò Chriſti athleta Plato, tanquàm turris quædam, quæ pulſatur, incon-
Videtur quaſi in ſomnis tor-queri. cuſſus manens & immotus propter ſuam fidem in Chriſtum, in ſomnis quodammo-dò torqueri videbatur. Hoc enim tormentum non formidans, neque ab eo obſtupe-factus, non ſolùm puſillo & abiecto animo non ceſſit: ſed ſe oſtendens magnanimũ, lorum vnum è ſuo latere euulſum ex ijs, quæ lictores ex eius corpore abſcindebant, proiecit ante tribunal Iudicis, dicens: Inhumaniſſime & omnibus feris ſæuior, eſtò,

estò, cor tuum est adeò excæcatum, vt Deum nõ agnoscas, qui ad suam nos fecit imaginem: quomodò non misereris corporis, eisdem, quibus tu, obnoxij perpessionibus, quod membratim conscinditur: sed tibi est voluptati membrorum meorum dissectio? Hæc autem dico, non vt qui fugiam mori pro pietate, sed crudelitatem tuam & inhumanitatẽ reddam omnibus manifestam. Ego enim propter Christum meum lubenter patior omnia mala, quæ mihi à te inferuntur, & lubenter sustineo dolorum acerbitatem, vt in futuro seculo æternam inueniam requiem. Tu autem, ô crudelissime & immanissime, accepta pelle mei corporis, eam habe testem tuæ impietatis, quæ te mittit ad æternum, & quod nunquàm desinit, supplicium, cum simulacris tuis & dæmonibus.

Cap. 16. Vide sæuissimũ Tyrãni supplicia

Dixit Agrippinus: Cur es insipiens, & odio habes tuum corpus, ô Plato, & non curas, quòd intestina tua per tua latera feruntur cum stercore: sed adhuc nunc quoquè es nullo sensu præditus? Præter hæc autem non contentus ijs, quæ dicta sunt, non cessâsti nunc deos incessere cõtumelijs, & venerandum meum iritare iudicium. Sanctus Plato dixit, subridens: Si ego, qui tot cruciatus & supplicia sum à te passus, contumeliosus vocor & maledicus: tu qui ea mihi infers, num & factis debes dici paricida, & verbis maledicus? Dixit Agrippinus: Deos & Imperatores iam sæpè multis affeciſti contumelijs, & adiram me non parùm prouocas. Scio autem te hoc facere, vt te quamprimùm occídam. Ego autem tibi tormenta inferam acerbiora, & te per partes consumam, nisì mihi paruëris, & intemeratis dijs sacrificaueris. Sanctus Martyr Christi dixit Plato: Sæpè tibi dixi, & rursùs dico, & non cessabo dicere: Nè minare verbis, sed re ipsa in me ostende tormenta: vt cognoscaris faciens voluntatem patris tui satanæ & tui Imperatoris. habes enim, vt priùs dixi, potestatem mei corporis, animæ autem Deus.

Ô egregium Christi athletam.

Cap. 17.

His auditis, dixit Agrippinus: Iam experientia cognouisti per tormenta, quòd nec Philosopho quidem Platoni pepercissem propter deorum beneuolentiam, timens iussum Imperatoris. Sanctus Dei Martyr Plato dicit: Cognouisti iam tu quoquè ô Tyranne experientia per tormenta, quæ mihi à te sunt illata, quòd corpori meo non parco propter pietatem in Deum meum, timens iussum Regis cælestis. Agrippinus autẽ cùm hæc audiuisset, & fuisset magno furore percitus, iussit eum in ligno suspensum tandiù cædi, donèc omnes eius carnes simul cum sanguine in terram effundantur. Præco autem magna voce clamabat: Sacrifica Plato, & soluéris à vinculis. Cùm verò sanctus Plato negaret se sacrificaturum, iussit Tyrannus vncis ferreis eius genas discerpi ac laniari. Adeò autem sunt laniatæ, vt facies hominis non cerneretur amplius, propterea quòd essent eius ossa planè nudata.

Immanissimè verberatur.

Genæ lacerantur vncis ferreis.

Cap. 18.

Postquàm autem iussit Agrippinus eum de ligno deponi, dixit ei: Infelicissime, quid decæterò expectas, cùm sit tota tua caro excoriata, & nudata sint ossa? Morem mihi gere, & cessa ab hac vana philosophia, & dijs sacrifica, & nè persistas in hac verborum contentione, nè malus malè pereas. Dixit Martyr: Quid expectas, ô Tyranne, à me aliud audire, nisì fidem Domini nostri Iesu Christi? Carne enim mea excoriata & nudatis ossibus, adsum, vt vides, cum maiore audacia. Si ergò tibi restat aliquid aliud, quod mihi debet fieri, fac citò quod vis. Tunc impius Agrippinus Martyris admirans fortitudinem, iussit eum rursùs suspendi in ligno, & vehementer eius cædi vlnas & femorũ eius latitudinem. Ità fecerunt lictores, eum cædentes spatio trium horarum. Dixit autem sanctus Christi Martyr: Leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium meum. Auxilium meũ à Domino, qui fecit cælũ & terram. Dixit Agrippinus: Impie & à beneuolentia deorum aliene, quoniam dedi tibi fiduciam, non te punio, vt par erat, audes nunc loqui, violãs iussum Imperatorum? Liba ergò dijs, & te dimittam. Dixit sanctus Plato: Si nos, qui piè Deum colimus, punimur, vt qui existimemur impij: vos qui Deum abhorretis, & corpus, quod est ijsdem, quibus vos, obnoxiũ perpessionibus, immisericorditer & indignè cæditis: quomodò dãnabimini in iusto Dei iudicio, in die, in qua iudicabit Deus occulta hominũ? Dixit Agrippinus: Fero te loquentem audacter & confidenter: miserere, ô charissime Plato, tuæ florentis ætatis, hoc enim tibi dedit fortuna, quæ est eiusdem nominis. adspicio enim te talem esse futurum, qualis ille fuit sapientissimus Plato. Nam cùm fuisset princeps philosophiæ, deorum dogmata constituit. Quamobrèm benignè tecum loquor, & consulo vtilia, benignus in deos: & leges suscipias, quas ipsi tulerunt Imperatores, & meis pareas admonitionibus. Si mihi autem non paruëris, scias apertè, fore vt ego te cogam hoc facere

Eius vlnæ & femora cædũtur diutissimè.

Pſal. 120.

Rom 2.

Plato philosophus deorũ dogmata fabulosa cõstituit.

facere diuersis & acerbis supplicijs, vt qui falsò sis appellatus Plato: eius, inquã, nomine susceptο, qui inter homines maximam sibi parauit philosophiam, cùm tu in deos ingratus euaseris.

Christi autem verus ac germanus miles Plato dixit: Valdè magnũ solœcismũ admittis ô Agrippine, errans in veritate. Nam cùm pater tuus satanas ab initio fuerit pernicioſus, meritò tu quoquè, qui es eius minister, facis ei similiter, & te in eius exerces actionibus. Dæmonum enim fortunã inuehis in homines Christianos, qui nec ferre quidem possunt audire aliquid eiusmodi. Sum ergò eiusdem quidem nominis, cuius Plato: sed non sum ijsdem moribus præditus. Quos enim mores non coniungunt, ne nomen quidem eos cõciliat, neque locus copulat, nisi solùm pietas. Quamobrèm nulla in re ei similis sum Plato, præterquàm in solo nomine: hoc autem mihi piam mentem nunquàm poterit lædere. Et ego quidẽ exerceo eam, quæ est in Christo, philosophiam: illius autem philosophia, est apud Deum meum stultitia. Scriptũ est enim: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum abolebo. Nam deorum dogmata, quæ ille, vt dicis, posuit, sunt falsæ & fictæ fabulæ, quæ adumbrantur deceptione dæmonum, qui animis afferunt interitum, & verborum astutia vestras mentes excæcantes, abducunt à simplicitate fidei, quæ est in Christum.

Cap. 19.

1. Cor. 1. Esa. 29.

Postquàm autem cessâsset loqui Martyr, eius quidem respõso obstupefactus Agrippinus, mansit mutus, non valens ei respondere. Cùm autem paulopòst iussisset eum de ligno deponi, aggressus est eum rursùs blandis verbis admonere, sic dicens: Ego decæterò ô Plato, quòd ad te quidem attinet, sum planè animi dubius, nec scio quid debeam facere. Qui itaque te multis affeci cruciatibus, nec quicquam effeci, & adhibui blanditias, & hoc nihil profuit: nunc statui aliquot dies tibi cõcedere. Fortè cùm ſicagnoueris id, quod est tibi vtile, hanc tuam relinques peruicaciam, & accedes ad deos, qui vniuersum orbem terræ administrant: & liberaberis à grauibus tormentis, quæ te circunsistunt. Hæc cùm dixisset, iussit eum reduci in custodiã, iubens Commentarienſi quotidiè ei dare vnciam panis & potum aquam, & prohibens, ne ab vllo videretur. Verebatur enim, nè quis ex ijs, qui ad ipsum attinebant, ei daret alimenta; ignorans stultus, quòd non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo, quod exit per os Dei. Sanctus autem Plato transẽgit decem & octo dies in custodia: & vt in ipso quoquè impleretur id, quod scriptum est, Iustus ex fide viuet: noluit à Commentarienſi panem omninò aut aquam accipere. Sciebat enim, quòd qui Danieli misit nutrimentum, qui erat in medio leonum, ipse ipsum quoquè nutriet in custodia. Postquàm autem custodes eum viderunt nihil sumere, veriti nè interiret à fame, cum hortabantur, dicentes: Comede ô homo, nè fortè veniamus in periculum, si tu nolis quicquam gustare eorum, quæ tibi à nobis offeruntur. Beatus autem Plato dixit: Nè existimetis, ô fratres, me moriturum propterea, quòd non comedam. Vos enim nutrit panis, me autem verbum Dei permanens in æternum: & vos quidem sa tiant carnes, me autem puræ preces. Vos lætificat vinum: me autem Christus, vera vitis patris, qui non cadit sub adspectum. Vos expectatis audire laudem ab hominibus: ego autem vocem Dominicam in die iudicij, qua dicet redẽptor mundi Christus: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum ante mundi constitutionem.

Cap. 20. Rursùs nititur eũ blanditijs subuertere.

Rursùs in carcerẽ adducitur.

Deut 8. Habac. 2. Dan. 14.

Nihil comedit in carcere.

Iohan. 15.

Matth. 25.

Post dies autem aliquot præsidens Agrippinus in basilica, iussit sanctum Platonem adipsum duci è custodia. Cùm autem ductus esset, dicit ei: Pare mihi decæterò, & dijs sacrifica, & lucrare, nè malè moriaris. Dixit sanctus Plato: Mihi viuere, Christus: & pro ipso mori, & lucrũ & gloria. Fac ergò mihi citò, quod velis. ego enim nũquàm sacrificabo simulacris inanimis. Tunc cùm vidisset Agrippinus fidem eius immutabilem, tulit in eum sententiam, vt caput ei amputaretur. Cùm ergò eum accepissent lictores, abduxerunt extra ciuitatem in loco, qui vocatur Campus. Stans autem sanctus Martyr, rogauit spiculatorem, vt ei parùm spatij concederet ad orandum. Qui sublatis in cælum suis oculis, Dominum orauit, dicens: Ago tibi gratias Domine Iesu Christe, quòd sancto tuo nomine protexisti me seruum tuum, & dedisti mihi gratiam, vt perfectè cursum conficerem pro te susceptι certaminis. Et nunc rogo te, susscipe in pace animam meam: quoniam es benedictus in secula, Amen. Tũc cùm collum suum extendisset, dixit spiculatori: Fac ô amice id, quod fuit tibi imperatũ. Spiculator autem eum gladio percutiens, abscidit eius sanctum caput: & statìm tradidit Domino suum spiritum. Preciosæ autem & sanctæ beati Platonis reliquiæ, acceptæ à Christianis, depositæ fuerunt in eodem loco, qui dicitur Campus. Consummatus autem

Philip. 1.

Caput ei amputatur.

tem fuit ſanctus & glorioſus Chriſti Martyr, Plato beatiſſimus, menſis * Nouembris decimooctauo, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui gloria & potentia in ſecula ſeculorum, Amen.

VITA S. VVANDREGISILI ABBATIS A QVODAM EIVS, VT EQVIDEM SENTIO, PROPE *æquali conſcripta, capitulis ad marginem adiectis.*

PROLOGVS.

AD ſummam Dei laudem & honorem de beati Vuandregiſili Abbatis vita laudabili & ſancta conuerſatione tractaturi, ſancti ſpiritûs gratiam, qui etiam in rebus minimis inuocandus eſt, imploramus: vt qui eum in cõtemptu ſeculi & ſuîipſius abnegatione præuénit & proſecutus eſt, ipſe nos quoquè in hac recitatione præuenire dignetur & ſubſequi, & efficiat nos idoneos tantæ hiſtoriæ relatores. Nihil enim dignum Deo dicitur ſine eo, neque etiam ipſe ſine ſe inuocatur: cuius nimirùm dona ſunt, ſi quis mereatur omnipotentis opera denunciare, & ipſum in ſanctis ſuis magnificare Deum. Et primùm quidem hũc Dei dilectum, exemplar nobis & ſpeculum proponamus, & formam in eo Apoſtolicam, & vitam in terris Angelicam veneremur, atque inquantùm poſſibile eſt, boni æmulatores idipſum imitemur. Cùm enim magnum ſit & valdè bonum, Sanctorum merita prædicare, & extollere virtutes, ipſas vtiquè virtutes ambire, atque imitando acquirere, reuerà optimum eſt & præcellens. Vtrunque tamen & cælitùs datur, & diuinitùs inſpiratur: illiusque adminiſtratio eſt, gratìs qui gratiarũ diſtributor, dat ex eis, quibus vult, & diuidit ſingulis, prout vult. Nunc igitur quæ ad communem ædificationem pertinent, quæque deuotis auditorum animis prodeſſe ad imitationẽ poſſunt, de vita & meritis tanti Comitis, tamque glorioſi principis aggrediamur: cætera, quæ mundi fuerunt, geſta videlicet fortia, ad terrenam dignitatem atque ſecularem militiam pertinentia, quanuis inclyta & relatu digna in memoria æterna, nos tamen ſilentio præterire decreuimus, geſtis tantùm ſpiritualibus ex parte recitandis calamum applicantes: vt iamnunc ad ea, quæ religio beati viri & ſanctitas expoſtulat, manus laborare incipiat & calamus, de ortu eius & generis nobilitate, quod de ſanctis magnisque viris plerunquè requiritur, breuiter annotando.

Pæclarum eſt, Sanctorum prædicare virtutes: præclarius, imitari. 2. Cor. 12.

VITAE HISTORIA.

Iulij 22. Cap. 1.

PRęclarus atque glorioſus vir Domini Vuandregiſilus, cognomento Vuando, ortum inclytæ natiuitatis in Virdunenſi regione ex nobilibus atque religioſis parentibus eo tempore, quo ſceptra regni Francorum fortis rex Dagobertus honeſtè gubernabat, habuiſſe dignoſcitur. Deniq; genitor eius Vualtchiſus nomine, ex nobiliſſima proſapia ortus, conſobrinus fuit * Pipini excellentiſſimi principis Francorum. Et vt eiuſdem ſancti viri claram originem altiùs promam, cùm eſſet à nobiliſſimis ac ditiſſimis parentibus editus, non minùs nobilem ſe ſplendidæ vitæ moribus ac piæ conuerſationis aſſiduis exẽplis prębebat. Cumque adoleſcentiæ polleret ætas in annis, ſub iam dicto rege Dagoberto militaribus geſtis ac aulicis diſciplinis, quippe vt nobiliſſimus, nobiliter educatus eſt. Et creſcentibus ſanctæ vitæ moribus, cunctis mundanarum rerum diſciplinis imbutus, ab eodẽ rege Dagoberto Comes cõſtituitur palatij. Quo gradu paululũ adminiſtrato, ardore patrẽtum honoribus plurimis, vt ſeſe habet ſecularis rei dignitas, valdè ſublimatus, etiam diſpoſitioni rerum plurimarum non multò pòſt manciparatur. Suſcipiensque hoc officium, exercebat cum pietatis ſtudio adminiſtrationem ſibi commiſſam.

Eius pater Vualtchiſus.

Educatur apud Dagobertũ regẽ in rebus militaribus.

Fit Comes Palatij.

Cap. 2. Matth. 22.

Mente ſemper cæleſtia tractans, optima principũm iuſſa magnificè adimplebat, reddens, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Eratque líber ad arguendũ eos, humilis ad obediendum: Regi Apoſtolico iuſſu ſubiectus, Chriſto deuotus. Erat in fide firmus, in bonis operibus promptus, in ſermone veriſſimus, in iudicio iuſtus, in conſilio prouidus, in bonitate conſpicuus, in charitate præclarus. Arguebat ſubiectos

1. Pet. 2.

iectos clementer, tolerabat patienter. Erat in eo in cunctis operibus diſcretio, & imitabilis erga omnes dilectio. Euoluto autem tempore, parentum hortatu, licèt inuitus, quandam ſibi deſpondit puellam, nobiliſſimis natalibus procreatam: ſolenniquè more caſtas celebrans nuptias, virginei floris immaculatum adeptus eſt torum.

Catalogus virtutum eius.

Cap. 3. Cum ſpõſa nobiliſſima ſeruat corporis integritatem.

Deniquè ſuadebat ſuæ coniugi virginitatem integram cuſtodire, caſtitatisque munere angelicarum virtutum promereri conſortium. Illa verò hac prudenti admonitione roborata, ac ſuperno illuſtrata lumine: Quæſo, inquit, nobiliſſime virorum, vt quæ ore promis, explere properes actu, & temetipſum à ſeculi curis exuas, meque famulam tuam caſtris committas Regis perpetui. At ille exultans eius laudabili deuotione, gratiarum actiones bonorum omnium inſpiratori hilariter perſoluit. Fit itaque ex vtraque parte, magnificè Chriſto donante, ſaluberrimus caſtitatis conſenſus. Ipſe Clericatûs habitum ſumpſit, ac coniugem ſuam velo piæ religionis opertam, ſanctimonialium monaſterio ilicò tradidit ſociandã. In quo viriliter, ſuîmet cuſtos, callem imitabilis vitæ peragens, triumphũ Domino reportauit: taliſque eius enituit conuerſatio, vt ad declaranda ipſius merita, plurimæ à Domino per eam patratæ dicantur virtutes.

Fit Clericꝰ: ſponſa, ſanctimonialis.

Cap. 4.

His ità ſe habentibus, ad ſancti viri opera & virtutes enarrandas ſtylum vertamus. Cùm adhuc in laico habitu degens, iter carperet ſtipatus obſequijs ſuorum, diuertit in locum quendam ſuo itineri congruum: vbì ſeditioſum vulgus in iniuriam ſancti viri totis furoris facibus exarſit. Nam ſtoliditate & rabie barbarica concitati, nihil ſenſuà belluis diſcrepantes, in virum Dei cum turba irruunt ſuorum: vbì nõ minimum humani ſanguinis fuſum fuiſſet, niſì interceſſio ipſius & virtus Chriſti miſericorditer adfuiſſet. Ipſe enim ab illo ꝓpoſcit auxilium, cui dicitur: Tu es refugium meum à tribulatione: orationem pro gladio ſumens, clypeum diuinæ miſericordiæ poſtulauit. Nec defuit diuinum, vbì humanum deerat, auxilium. Deniquè turba prauorum hominum ità ſtetit immobilis, vt propiùs accedere non valeret, Chriſti ſcilicet retenta virtute. Statimque ipſa concertatio & rixa in admirationem intuentibus vertitur, ità vt oratione viri Dei ſoluerentur pariter & ſaluarentur, ac pacati abſcederent, qui ſeditioſi aduenerant. Nec mirum videri deber, quandò illic filius pacis aderat, quòd litigantes omnipotens Deus eius cauſa ad concordiam reuocauit. Exindè cœpit magis magisque diuino igne ſuccendi, atque contemplatiuæ vitæ alta rimari, Deumque glorificare ſimul & laudare, dicens illum ſuper omnia toto niſù diligendum, qui vbicunquè iuſtè fuerit inuocatus, præſens ſit exauditor, ſecundùm illud prophetæ dictũ: Cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar à vobis. Adeò verò ſeipſum propria diſciplina coërcebat, vt iam quaſi futuram olìm paſtoris ſpeciẽ ſuis in geſtis præſignaret, vt irrepræhenſibilis in templo Chriſti præpararetur ſacerdos. O perfectiſſimum laicum, cuius imitatores ipſi eſſe ſacerdotes deſiderabant. O mentẽ ab omnibus prædicandam, cui non fuit aliud viuere, niſì Chriſtum cum dilectione timere, & cum timore diligere.

Pro pacibus ſtit tumultuantes.

Ierc. 29.

Cap. 5. Viuit in monaſterio.

Poſtquàm autem, vt ſuperiùs indicatum eſt, ipſe vir ſanctus mundi huius oblectamenta deſeruit, optabat in ſancto cœnobio diuinæ inſiſtere philoſophiæ, ac monaſticæ regulæ venerabilem animum tradere informandum. Ac primùm in loco, qui dicitur Mons Falconis, cum viro ſancto, nomine Baltfrido, non multum temporis habitauit: cuius actus & vitam in geſtis de eo ſcriptis, ſi qui nóſſe velint, facilè reperient. Erat autem idem vir Domini Vuandregiſilus, ſtatura mediocris, quæ honeſtam non excederet formam, oculis vigilantibus, facie candida, manibus prolixis, omniq; corporis forma decorus pariter ac iucũdus. Qui omnes facultates ac prædia ſua partim monaſterijs perpetim poſſidenda tradidit: partim precium ex ijs accipiens, indigentibus larga diſtribuit manu. Sicque exutus ſeculi curis atque impedimentis, líber & nudus cum hoſte verſuto certare contendit. Deniquè hoſtis inuidus, eius inſuperabilem conſpiciens deuotionem, nitebatur omnibus modis impedire pios eius actus & ſtudia. Ac primùm Regis animum & procerum illius aduersùs eum commouit, ſcilicet vt auulſus à ſancto loco, habitum compelleretur recipere ſecularem. Sed ipſe indeſinenter precibus inſiſtens, diuinis armis inimici euacuabat molimina.

Forma corporis eius.

Diſtribuit omnia ſua bona monaſterijs & pauperibus.

His temporibus Rex inclytus Dagobertus, amator videlicet Dei ac Sanctorum, eccleſiarum atque monaſteriorum venerabilium ſtrenuus fautor pariter & fundator, ac proprij regni fortiſſimus defenſor & propagator inuictus, ſceptra Francorum

Cap. 6.

præclarè moderabatur, hostibus vndiq; suæ ditioni subactis. Et quia præfatus vir Domini in eius aula nutritus, & suis fuerat olim ministerijs assciscitus, nitebatur ei è suorũ consilio molestiam inferre, quòd sine eius permissu habitum mutâsset, ac monastice se religioni mancipâsset. Itaque eum accersiri quamprimùm iussit in aulam suam. Ipse autem auxilio Dei fretus, qui ei semper opitulari præsens solebat, reminiscens etiam illius Apostoli Petri: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti, licèt nolens quidẽ, in palatio sese exhibuit obtutibus regis. Cùm autem iussus regias, licèt animo reluctante, properaret ad ædes, ante fores palatij quendam pauperculum subitò offendit cum vehiculo, quod ei sola erat domus, luto immersum. Cumque omnes miserum præterirent, aut etiam aliqui comprimerẽt, intellexit vir sanctus mercedem sibi ex hoc reseruari, si indigenti atque humì depresso misericordiam exhiberet. Cernens etiam crudelitatem, quam operabantur tumidi, de equo, cui sedebat, cum grauitate descendit, & pauperi manum porrigens, simul cum plaustro eum de luto leuauit. Tunc quidam stolidorum perspicientes, vt de sublcuatione iacentis cœnosum gestaret amictũ, vanæ gloriæ & temeritati, more inuidorum Pharisæorum, deputabant. Ille verò soli Deo placere desiderans, vituperia improborum floccipendit, sed humilis humilem magistrum imitabatur, qui in Euangelio dicit: Si patremfamiliâs Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Cùm sic autem illatum sibi pro pietate opprobrium æquo animo excepe-ret, extemplò cælitùs niuco est indutus amictu: id est, Angelus vestem illius diligẽter emundans, candidiorem, quàm antea fuerat, reddidit. Posteà autem perueniens in domum regiam, stabat in conspectu Regis & procerum illius, quasi agnus in medio belluarum. Porrò Dominus custos & rector omnium placentium sibi, ab hostium læsione eum tutum ac munitum vbiquè reddebat: omnibusque liquidò patefactum est, eum fidelissimum Dei esse famulum, qui cunctam huius mundi gloriam pro expectatione calcâsset futurorum. Et præcepit Rex, vt nemo illi molestus esset, sed pro voto animi sui diuinis seruiret mandatis, & propositi sui obseruantiam, nullo resistente, seruaret. Sicque regia authoritate securus, de reliquo ad dilectæ habitationis locum reuersus est.

1. Per. 2.

Officiosè suam operã navat pauperi.

Matth. 10.

Angelico ministerio eius vestes mundantur.

Dagobert' rex eũ vindicat ab æmulis.

Cap. 7.

Quo loco non multò pòst occasione quadam relicto, in Elisgangium commigrauit territorium, vbì & monasteriũ struxit pro temporis opportunitate in possessione propria. Ibì nanque beatus Vrsicinus requiescit venerabiliter humatus. Monstratur verò eo in loco vsq; in præsens viri Dei Vuandregisili grabatus, vbì quieti mẽbra dare post prolixã vigiliarum instantiam & afflictionem solitus erat. Illic nanque ieiunijs, vigilijs & orationibus frequẽter insistens cælestis tyro, fortissimus efficitur miles. Quòd si nonnunquàm diuinis vacantem laudibus somnus importunus Dei hominem oppressisset, nudis pedibus & simplici veste tantùm contentus, super humum stare, ac poplitibus flexis orare solitus erat. Tali laboris afflictione detentus, adeò fuit attenuatus & exhaustus, vt vix membra confecta posset erigere. Cernens autem hostis antiquus insuperabilem viri Dei constantiam, ad tentamenta forriora ilicò se conuertit excitanda, plurimasque ei inquietudines & visibiliter, & per soporem sæpiùs ingessit: ità vt in effigies bestiarum, aut volucrum, siue serpentium se illudendo transformaret, & eius adspectibus terribilem se præsentaret. Vir quoquè Domini intelligens illius multimoda nocendi argumenta, suggestionesque lethiferas, per sanctæ Crucis vexillum, & rigidam abstinentiam ingemque orationem, diuino per cuncta fultus solatio, conatus eius irritos viriliter efficiebat.

Extruit monasterũ, & in eo moratur.

Infestatur à dæmone.

Arma eius contra dæmones.

Cap. 8.

Sed cùm anguis lubricus se conspiceret à viro Dei vbiquè superari, adhuc maiora inquirit & adhibet artium suarum exitio sa machinamenta. At contrà in viro Dei tantus inerat fidei feruor, & insatiabilis erga Dei cultum ardor, vt quo plures ille sua calliditate ipsi irrogâsset molestias, eo crebriores sibi optaret afferri. Cùm nocte quadam vltra solitum somno indulsisset vir Dei, ilicò adfuit hostis, & illudens, ait: Te vigilantior hac nocte fui. Tunc vir Dei: Non dubito, inquit, in ruinam aliorum & cumulum tuæ damnationis te vbiquè esse peruigilem. Sed certè domabitur caro, quæ me ad hanc impulit torporis inertiam. Exurgens itaque à desidia somni, accipiebat armaturam Dei, taliaque promebat: Tu quidem, qui idemipse es semper custos tuorum, non dormitans in æuum, indigno famulo tuo miserator adesto. Cumque per id tempus hyemis asperitas esset, sub diuo in medio niuium & glaciei, Dauidicam cælestemque musicam, flens & longa trahens suspiria, Domino deuotissimè depromebat.

bat. Sed & adeò in ieiunia incumbebat, vt tota hebdomada, exceptis prima & quinta sabbati, escam minimè sumeret. O quàm magnificum & laudatissimum bellum, quod indesinẽter probatissimus Domini miles gerebat aduersùs hostẽ antiquum. Verè dignissimum, in quo Dominus habitaret, templum, ieiunijs mundum, orationibus comptum, puritate conspicuum, vigilijs exornatũ. Cuius quidem in mente virtutum omnium decorem, & valdè sobrium sibi Sapientia collocauit domicilium.

Mira ineffabilia eius.

Quadam nocte iuxta morẽ cilicio obuolutus, in cella dum ad refocillandũ quieti membra dedisset, Angelico ductu in monasterium, quod vocatur Bobium, situm in Italia, perducitur, ostensæque sunt ei eiusdem loci habitationes. Expergefactus autem à somno, intellexit hoc oraculum diuinitùs agi, seque ad hoc commoneri, vt ob gratiam vitæ contemplatiuæ atque arctioris continentiæ semitam explorandam talia inuiseret loca. Memor itaque Dominici præcepti, quo ait: Nisì quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: surgens reliquit omnia, quæ oneri sibi videbantur, quatenùs ab vniuersis exutus, mandatoum Dei tutiùs curreret viam. Adunatoque fratrum omnium cœtu, orat vt imminenti itineri, eorum intercedentibus precibus, iuuamen cunctipotens clementer tribueret. Sicque valedicens eis, cum tribus pueris & asello dispositum arripuit iter: ouansque peregrinationem optati laboris aggressus, Alpium iuga transgreditur, atque Italiam ingrediens, ad Bobiense cœnobium, velutì reuelatione didicerat, accedit: quod beatus pater Columbanus Scotici generis, laudabilibus gestis florens, cùm à Rege Theodorico Gallia expulsus esset, atque ab Agilulpho Longobardorum Rege Italia magnificè susceptus, eius permissu ædificauerat. Quem locum veterum traditione * Bonæum nuncupabant, propter riuum eius nominis illic manantem, amnemque alium, quem Trincam vocant: ad quem olìm Annibal hyemans, hominum, equorum, elephantorum damna non minima sensit. Hunc ergò locum beatus pater Vuandregisilus adiens, qui à discipulis præfati Columbani tunc temporis incolebatur, aliquantisper inibì commoratus est. Cùm autem vidisset cuncta loci eius habitacula, apertissimè intellexit, anteà sibi à Domino diuinitùs hæc fuisse monstrata. Cognouerunt que habitatores loci probatissimum Christi esse militem, & eius fructuosa deuotio atque nobilissimæ stirpis origo, cunctis est subitò patefacta: multaque præsagia futurorum ei Dominus ibidèm monstrare dignatus est, posteris intimanda.

Cap. 9. Spiritu perlustrat Bobiense monasterium.

Luc. 14.

Venit ad Bobiense cœnobium.

*Bobium

Morante autem eo illo in loco, incidit ei sancta quædam cogitatio, vt ad limina Apostolorum Romam proficisci deberet: Christoque duce, quod piè tractauit, deuotè compleuit. Deniquè cœpto itinere sancta lustrando loca, ad eandem conuolauit celeberrimam vrbem, votaque sua omnipotenti Deo ciusque beatissimis Apostolis deuotè obtulit, dicens cum Psalmista: In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Sicque in visu admonitus, vt Galliarum repeteret rura, iter conuertit ad Alpes. Remotior enim volebat conuersari, & peregrinam pro Christo ducere vitã non mediocriter appetebat, si Dominus votis eius annueret. Disposuerat nanque in Hyberniam insulam nauigare, sed diuina pietas hoc magnificum munus, ob multorum instructionem, Galliarum populis reseruauit. Cùm autem nõ modico fudore, tamen delectabili, Alpibus transcensis, arua iam tereret Gallica, causa hospitij monasterium petijt, cuius est vocabulum *Romanis, situm vltra saltum Iurensem. Pater ergò loci venerabiliter & monasticè eum susccpit, ac debitum præbuit obsequium, vt eius vitæ præscribit laudabilis Canon. Cognouitque vir Domini religionem monasticam inibì pollere, deditque operam, vt monachorum iungeretur sodalitati. Amplexus autem obedientiam, per decem fermè annorum curricula sub institutione regulari, felici deuotione Domino militauit. Ibì solis ieiunijs & orationibus, multorum excedens metas hominum, vacare cœpit, & iugum Christi, quod ferentibus leue est, in se recipere, semetipsum sibi abnegando, ac crucem suam tollendo, Christum totis viribus sequi conabatur: in virtutũ videlicet culmina per humilitatem assendens, mansuetudinem sectans, modestiam, atque sobrietatem & lenitatem æquè in omnibus seruabat. Execrabatur deniquè vir Dei, præcipuus religionis amator, discordiæ vitium, arrogantiæ ac elationiss supercilium. Erat ipse cunctis humilior, charitatis officijs præueniens cunctos: tardus ad loquendum, & velox ad audiendum: custos scilicet oris sui, hilaris vultu, maturus moribus. Obedientiæ quoquè ac subiectioni ità promptum se exhibebat, vt iussionem patris, quasi diuinitùs imperatã, cum omni synceritate quamprimùm exequeretur. Meditatio eius semper

Romã proficiscitur.

Psal. 55.

Decem annis hæret in monasterio quodam, viuens sanctissimè.

viribus defixa erat: & vbicunquè esset, mandata Dei scrutabatur accuratè,& instanter perficiebat. Tale nimirùm erat beati viri studiũ, talisque in eo florebat religio. mortificabat enim membra sua, quæ sunt super terram. Nudus nudam amplectebatur Crucem, atque mortuus iam mũdo,aduena terris, viuebat Deo. Cuius exemplis & lubribus plurimi negligentes ac tepidi prouocati,arduum illius arripuerũt iter,atque ad opus sublimium virtutum, ipso sancto opitulante, æternæ vitæ soliciti, consurgũt.

Coloſ. 3.

Cap. 11. Visio ei cælestis exhibetur.

Eo ergò in loco viro Dei commoranti cælestis adest visitatio. Nam cùm quadã nocte attentissimè precibus insisteret, diuinis auribus offerendis,in cellula sibi constituta,talique negocio apta, incomparabilis suauitatis odore simul & claritate locus ille cælitùs repletur,voxque ad eum huiusmodi perlata est: Serue Christi, in timore Domini deuotissime,pax tibi semper multiplicetur. Certa bonum certamen, & his semper insiste operibus, quæ per me gerulum quotidiè offeruntur Domino. Quia non ocio torpentibus, sed in fide currẽtibus & peruigili instantia attentissimè Christo militãtibus, vitæ ianua patet æternæ, iam tibi à Domino reseratæ, vt cum iustorum collegijs, gaudijs fruaris æternùm duraturis. Nepos quoquè tuus Godo, pro quo crebrimis precibus aures Domini solicitas, vestigia imitabitur tua, cunctisque huius mundi vanitatibus derelictis, vt strenuus miles ad castra Christi deuotissimè conuolabit. His auditis, vir Domini humì prostratus, arctissimè orationi incubuit, non se in corde suo extollendo, quòd cælesti visione visitari meruisset: sed humilians se fegilem ac peccatorem fatebatur, & quòd dignus non esset, peccatorum næuis fœdatus, vt cælesti oraculo magnificaretur. Hæc de viro Dei reuelatio ostensa fuerat cuidam seruo Dei, in ipso loco degenti, qui & nobis narrare solitus erat. O quantis præconijs efferenda est tam excellens virtus, quantisque laudibus celebrãdus est homo ille, qui sic à Christo meruit mirificari. O felix mortificatio seruorum Dei: quæ dum spontè agitur in membris corporis, conciues efficit angelorum. O amplectenda modis omnibus arcta & angusta via, per quam vir Domini Vuandregisilus ingressus, cælestis aulæ habitator effectus est.

Orat & exauditur pro Godone nepote suo.

Nota hinc Authoris ætatẽ & fidem.

Cap. 12. Audoënus Episcopus Rothomagensis.

His porrò diebus glorioſus confessor Domini Audoënus, anno tertio Clodouei Regis, filij Dagoberti, sedem vrbis Rothomagensis adeptus, verbum salutiferæ prædicationis suis ciuibus administrãs, fidei catholicæ fautor pariterque præceptor, barbaricas atque indomabiles eorum mentes nectare Euangelicæ doctrinæ debriabat, atque docilem subiectamque,ad credendum quondàm asperam, gentem docebat, sedulisque exhortationibus Dominum Iesum Christum esse colendum, innumeris assertionibus demonstrabat. Cuius cognita ab omnibus vita, atque laudabili deuotione comperta, admonitus etiam in visu, vt occidentalia Galliæ reuiseret loca, de supradicto,Romanis,monasterio cum licẽtia patris egressus, iter carpere cœpit,quod ad Belgicam deducit Galliã, peruenitque ad celebrem vrbẽ Rothomagensem,summa reuerentia à venerabili antistite Audoëno exceptus. Qui memor prioris coniunctionis & societatis, nobilissimæque eius originis, sed & piæ ac Deo dignæ religionis, aliquandiù cum secum in vrbe tenuit, & secundi ordinis honore ampliauit, Subdiaconum eum creans valdè reluctantem, sicut & processu temporis Leuitici ministerij onus ei imposuit. Quo feliciter administrato, non multò pòst ad sacerdotium,licèt reuitens, iussu eiusdem beatissimi præsulis Audoëni, à venerabili Autmaro pontifice vrbis Taruannæ consecratus est. Deindè post acceptum sacræ benedictionis munus, studiosè explebat ministeriũ sibi impositum, humilitatis tramitem in omnibus tenens. Erat nanque non minimùm idoneus & aptus huic sacrosancto ministerio. Quamobrèm præfatus gloriosus præsul in vrbe secum perpetìm retinendum censuit, quia mellito eius delectabatur alloquio, quo eum crebrò recreabat & grauitate fouebat. At verò ipse egregius Dei cultor districtiorem desiderans ducere vitam,cremi secreta plurimùm ambiẽs, mundanos toto nisu fugiebat semper honores,vt apud Christum posset mereri cælestes. Itaque omni conatu tanto negocio opportunum inquirebat locum: aut si id fortè vetante mundi turbine, votis eius nõ obtingeret,saltèm vt sub Christi iugo & onere eius placido,regularem vitam promptissimus sequeretur, vt per eum, Christo duce, multorum promoueretur salus.

Eum inuisit S. Vuandregisilus.

Fit Subdiaconus, pòst Diaconus, indè sacerdos.

Iſtius Autmari vita habetur tomo 5. posti die natiuitatis Mariæ virginis.

Cap. 13.

Cùm autem talia voluerat animo, contigit, vt largiente Erchinoaldo præfecto, immodicam soli partem acciperet, quo Fontanellæ cœnobium, vnà cum venerando nepote suo Godone,vt rudis habitator construeret. Quem veterum traditio, ob riuum in eo loco fluẽtem, hoc nomine vocitabat. Monstrabantur nanque in eodem loco

loco vestigia,immò ruinæ ædificiorum,priscorum accolarum industriâ olim extructorum,sed exterorum hostium feritate belluina solo funditùs æquatorum. Et in ipso quidem loco magìs lustra ferarum,quàm hominum habitatio, tunc temporis videbantur. Hunc ergò locum vir Domini Vuandregisilus,atque ipsius nepos venerabilis Godo,à prædicto patritio sibi donatum, studuerunt cum nonnullis ipsis fauentibus, repurgare, superuacanea quæque euellendo. Deindè verò etiam iacere fundamenta,vt iuxta prophetiam Esaiæ,in cubilibus,in quibus habitabant dracones, orire-tur viror calami ac iunci: videlicet fructus bonorum operum ibì nascerentur, vbì priùs bestiæ commorari & habitare consueuerant. Cœptum est autem hoc opus ab anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quadragesimoquinto,sub die Calendarum Martiarum,Indictione tertia, qui erat annus Clodouei Regis vndecimus, obtinente sedem Romanæ Ecclesiæ beatissimo Papa Martino. Tam verò solerti studio, tantaque industria perfectum est, vt penè illo in tempore venerabilibus cœnobijs æquaretur. Est autem hoc cœnobium situm in territorio Rothomagensi, distans à memorata vrbe millibus fermè decem & octo: porrò à fluuio magno Sequana, spatio passuum circiter octingentorum.

Construit Fontanellense monasterium.

Esa. 35.

Sed quia mentionem fecimus Erchinoaldi præfecti,libet de eo aliquid dignum scribere. Is enim post transitum bonæ recordationis Dagoberti Regis, præfecturæ ordinem ac curam maximam regni Francorum,etiam cum filio eius Clodoueo & * Baltilde Regina,nobiliter administrauit. Erat nanque insignis bonitate ac elecmosynis largissimus,atque ex materna origine beati viri consanguineus. Postquàm autem excessit è vita Clodoueus Rex,remãsit Baltildis Regina cum tribus filijs,Clotario, Childerico ac Theodorico. Equibus Clotarius,qui maior natu erat,fastigium adeptus est regni,rexitque populum Occidentalium Francorum annis * quatuordecim: & quod pater eius inchoauerat,prædictum locum pijs largitionibus ac priuilegijs suæ authoritatis deuotè studuit augumentare. Terminos etiam ipsius loci, prout voluntas venerandi patris Vuandregisili erat, deuotissimè auxit. Ibique residens vir Domini, cœnobium, multorum fretus solatio, construere cœpit. Ad cuius famam plebs vndiquè concurrere,& cultui religionis dicare curabant prædia plurima, ità vt multis confluentibus,monachorum numerus ad trecentos excresceret. Accurrebant vndiquè nobilium liberi,& spretis seculi oblectamentis, & præsentium pompa facultatum contempta,æterna cupiebant cum tanto patre præmia adipisci. Aedificauit autem in ipso loco vir Domini basilicas egregio cultu,numero quatuor,in honorem videlicet principis Apostolorum Petri, simulque doctoris gentium Pauli, sanctique Laurentij ac Pancratij martyrum Christi: & cùm huic operi insisteret,misit antedictum nepotem suum in vrbem Romam, propter pignora beatorum Apostolorum ac martyrum Christi: vt ædificatis basilicis,in promptu haberet reliquias sanctorum, quorum nomini & reuerentię dicare dispoſuerat.Qui votis pij patris libentissimè parens,Romam abijt, Vitaliano Papa eodem tempore gubernante sedem eiusdem Ecclesię: atque ab eo susceptа plurima Apostolorum & martyrum Christi pignora,vnà cum benedictione Apostolica rediens,secum detulit,codicumque sacrorum copiam non minimam: prosperoque cursu itinere acto, ouans reuertitur ad virum Dei: cunctaque, quæ attulerat, idem vir Domini venerabiliter susceptit. Accersito etiam sanctæ recordationis Audoëno præsule, præfatas, quas ædificauerat, ecclesias vt consecraret, simulque pignora,quæ Godo cum eius authoritate Romæ impetrauerat, Christi imponeret aris,supplex exorat. Quod ità à prædicto præsule confestim constat fuisse impletum. Locus autem ipsius cœnobij tam fertilis, tamque iucundus extitit, vt cùm quis illuc aduenerat,inter pomorum nemora & hortorum amœnitates virentium, in hæc protinùs libéret ei prorumpere verba: Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel,vt valles nemorosæ, vt paradisi iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus,quasi cedri propter aquas.

Cap 14. Erchinoaldus præfectus insignis.

* Blitilde

* alij quatuor tantũ habent.

Trecenti monachi Fontanellen.

Multas ab vrbe accipit sanctorũ reliquias.

Itẽm sacros codices.

Reliquiæ aris impositæ.

Num. 24.

Adiutor prætereà huius operis & cooperator insignis, Vuaningus vir illustris extitit,qui viro Dei plurima prædia felici munere ad vsum seruorum Christi deuotè contulit,filiumque suum, Desideratum nomine, sub regimine prædicti patris in eodem loco monasticæ disciplinæ & Christi militiæ tradidit vacaturum. Erat is Vuaningus dittissimus, & multimoda cœnobiorũ habitacula in possessionibus proprijs construxit. Ex quibus vnũ est, quod vocatur Fiscamnum. Quo in loco dum moraretur,excessum mentis subitò passus est,ostensæq; sunt ei pœnæ damnatorum,& felicitates iustorum,

Cap. 15.

Vuaningus vir illustris multa condidit monasteria.

audiuit-

audiuitque diuinitùs, viginti annorum ſpatio ipſum victurum, idque impetrâſſe à Domino ſanctam Chriſti martyrem Eulaliam, cui precibus ſe ſedulis commendare ſolitus erat. Sed & ipſa Chriſti martyr ei appárens, commonuit vt in prædicto prędio, quo morabatur, monaſterium conſtrueret, & de ſua ſtirpe nulli regendum committeret. Qua reuerſa ad ſuperos, virum Dei Vuandregiſilum accerſiuit, & ordinem ei viſionis expoſuit: ſimulque à febre, qua premebatur, eius precibus curatus, optatam recepit ſoſpitatem, prædictumque cœnobium, vt monitus erat, ilicò conſtruere cœpit.

Cap.16. Hildemarcha ſanctiſſima abbatiſſa.

Erat tunc temporis apud Burdegalim vrbem virgo Chriſti Hildemarcha, cuius dam monaſterij ſanctimonialium ſanctiſſima gubernatrix: ad quam quidam vir Dei, monachus ac diaconus, nomine Sindardus, cùm propter vtilitatem ſeruorum Dei in illas partes mitteretur, cauſa hoſpitij declinare ſolitus erat. Cui illa intimauit, in viſu ſe eſſe commonitam, vt tellurem adiret Rothomagenſem, virumque Dei Vuandregiſilum inuiſeret, atque ſub illius regimine diuinis paréret edictis. Quæ, ſicut in eius ſcribitur geſtis, ad Chriſti famulum peruenies, ab illo ad illuſtriſſimum virum Vuaningum perducta eſt. Is verò prædictum cœnobium Fiſcamnum per teſtamenta tradens beato Vuandregiſilo, eius ſuaſu eidem religioſiſſimæ virgini tradidit gubernandum. Cuius vitam ac laudabilem conuerſationem libellus, qui de eius ſcribitur actibus, liquidò narrat. Quod idcircò ſcribendum putaui, vt poſteris intimaretur, ſub iure & regimine prædicti patris idem cœnobium nuperrimè fuiſſe. Porrò Sindardus Chriſti famulus, pignora S. Saturnini Toloſæ vrbis Epiſcopi & martyris, viro Dei detulit, ſed & ſancti confeſſoris Amantij Redonenſis præſulis: in quorum honore duas condidit baſilicas, quarum vna, quæ in veneratione martyris extat, eſt ſita in vertice ardui montis, vinearum quondàm fertilis. Altera verò, quæ in nomine confeſſoris eſt condita, diſtat ab ipſo principali cœnobio paſſus ſexcentos. Monſtrabantur interſtitium iſtius baſilicę grabati & ſedes, vbi beatus pontifex Audoënus & ſanctus confeſſor Philibertus, dum virum Dei inuiſerent, requieſcere ac conſedere ſoliti erant. Quorum oratio non alia erat, quàm de regno Chriſti, de paradiſi delicijs, & de gehennæ ſupplicijs: de iuſtitia quoquè, fide & charitate, & patriæ ſalute: ſimulque de illecebris reſpuendis, & pace omnibus prædicanda. In quibus cellulis prædictus vir Domini monachos conſtituit, qui diuinis inſiſterent ſeruitijs: quia vnius cœnobij ſepta tantam conuerſorum turbam non facilè potuiſſent continere.

Eccè quomodò olim Baſilicæ in honorē ſanctorū conſtruebantur & conſecrabantur.

Cap.17. Patratum poſt hęc miraculum per virum Dei, referre dignum duxi ad gloriam eius, qui gratiam ſubminiſtrat, & honorem illius, qui efficit miracula. Anno quarto regiminis viri Dei, qui erat Clodouei Regis decimuſquintus, cùm ipſe vnà cum fratrum cœtu operi manuum vacaret in valle antè dicta ad plagam orientalem, vbi fons oritur amnis Fontanellæ, Betto quidam, cuſtos regij ſaltûs, quem fratres à loco, in quo ipſi operabantur, migrare compulerant, vitam ſolitariam ducere cupientes, liuoris peſte corruptus, ſimulq; dæmone plenus, viro Dei occurrit, lanceaq; eum traijcere voluit: ſed maleuolam animam vltio diuina citò anteuertit. Nam dextera, quam aduersùs virum Dei leuauerat, torpente, ante pedes eius humì defixa ſtetit: ipſe verò à dæmone arreptus, ante viri Dei veſtigia ruit. Quem cernens famulus Chriſti debita vltione percuſſum, die illo & nocte ſequente apud ſe retinuit. Die autem illuceſcente, eum ad ſe accerſiuit, Deoque fauente, ſuis orationibus illum curans, ſanum ad propria remiſit. In eodem verò loco baſilica à viro Dei in honorem ſanctiſſimę matris Chriſti condita eſt, vbi interuentu eius plurima quotidiè, Deo iubente, fiunt miracula.

Betto dum vult virum Dei confodere, diuinitùs punitur.

Cap.18. In prædicto nanque cœnobio viro Dei cum ſuis commoranti, cùm nulla alimentorum ſolatia adeſſent, Baltfridus Cellarius id ei indicauit. Cui ille: Poteſt, inquit, conditor rerum ſuis in deſerto famulis parare menſam, qui multiplicatione quinq; panum ſatiauit hominū quinque millia. Euénit, quem admodùm dixerat vir Dei. Monuit nanque Dominus per viſum * Blitildē Reginam, vt famulo ſuo intrà cremi vaſtitatē conſiſtenti neceſſaria miniſtraret. Quæ expergefacta, onuſta vehicula ſeruo Dei dirigit. At ille gratias bonorū omniū largitori agit, qui ſolita benignitate ſeruis ſuis ſemper conſolator adeſſet. Percepta verò benedictione, illi, qui alimēta attulerant, ſuo itinere reuerſi ſunt. Porrò anno decimoquinto regiminis ſui, vir Dei Clotariū tertium Regē acceſſit, & priuilegiū regiæ cōfirmationis ſuper area dicti cœnobij liberaliſſima datione accepit. Celebrata ea fuit in territorio * Caſtriēſi in loco illo, quē Palatiolum vocant.

*Baltildem Regina per viſum admonita, annonam mittit viro Dei.

Cap.19. Porrò vir beatus iam in vltima poſitus ætate, quandò iter agere conſtituit, non

non poterat equo vehi, ſed vehiculo ferebatur, quod aut muli, aut equi traherent. In prædicto autem territorio illo degente, quidam vir illuſtris nomine Hartbamus, filius illuſtris Erinberti, ad conuerſionem veniens, tribuit eidem glorioſo patri prædium quoddam nomine Butionem, in quo eccleſiam ædificauit, habitacula ſeruorum Dei inſtituit, & famulaturos diuinæ clementiæ monachos inibì collocauit. Seruus autem Chriſti Hartbamus in magnæ religionis obſeruantia vitam, authore Chriſto, finiuit, permultaque prædia eidem venerabili patri deuotè largitus eſt. Eius pater Erinbertus, cùm magnis febrium angoribus teneretur, precibus ſanctiſſimi viri ſoſpitati priſtinæ redditus eſt, atque perid tempus prædium Virtlaicum, ſitum in pago Cellan ſuper amne Eura, eidem patri deuotè donauit, in ipſa largitione damnationem æternam imprecans ijs, qui id prædium inuadere auſi eſſent. Gaudebat enim ille vir benigniſſimus, quòd bona ſua poſſet largiri Chriſto, faciens eum terreſtrium rerum ſuarum compotem, vt ille eum faceret bonorum cæleſtium cohæredem: ſciens quòd patrimonium Deo creditum, nec reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit, nec aliqua calumnia forenſis euertit: pariter intelligens ſcriptum eſſe, eam hæreditatem benè recondi, quæ Deo cuſtode ſeruetur.

Erinbertus liberatur febre.

Cap.20. Sed his omiſſis, quæ ſua multitudine dicendi facultatem vincunt, ad viri Dei virtutum pertexenda opera reuertamur. Ex largitione illuſtris viri Vattratonis ad amnem Vuitlanam, in honorem principis Apoſtolorum oratorium conſtruxit, quod Monaſteriolum appellauit, vbi monachorum Deo militantium conuentum collegit. Redundabat in diſcipulos fructus doctrinæ eius, quandoquidem quod ſermone docebat, factis explebat. Nullus apud eum vel mœrore tenebatur, vel immodica lætitia eſferebatur. Erat gratus omnibus, ſingularis ſeruoris, ſpecialis alacritatis, eximiæ charitatis erga pauperes & peregrinos. Nouerat & ſuperbis reſiſtere, & humilibus ſubditus eſſe: parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Sapientibus digna exhibere, ſimplicibus myſtica referare. Fortis erat in aduerſis, ſobrius in proſperis: tētatus in omnibus, diſcretus in cunctis. Erat hoc illi ſtudium & labor indefeſſus, vt recto itinere ſubditi ipſius ingrederentur: ex profectu enim filiorum, laus & merces cumulatur parentis. Nonageſimum ætatis annum iam ſupergreſſus, ità fuit virilis, vt in labore manuum iuuenes antecedere videretur. O virum prærogatiua meritorum digniſſimum, qui per contemplationis ſtudium ſterilis effectus, pro educatione tamen atque exemplo filiorum, multimodæ ſe ſeruituti placidè ſubdebat, imitans Apoſtolum, qui ait: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Sicque per occidentem eius laudatiſſima peruolabat fama, vt putares Apoſtolorum adeſſe tempora: ità vt perituri ſeculi ſpretis delicijs, nobilium multitudo virorum communia cum omnibus poſſideret omnia. Si quiſquam proprium aliquid vſurpare tentâſſet, à cæterorum remotus conſortio, pœnitudinis ilicò vltione plectebatur. Sed & omnes Caletorum populi, ità bruti ac belluis ſimiles ante aduentum illius in hac regione fuerant, vt præter Chriſtianæ fidei nomen, virtus religionis penè abolita in illis locis haberetur. Agebat nanque vir venerandus ſtudio indefeſſo, vt quæcunque peragraret loca, verbis Euangelicis condiret vniuerſa. Et ità per eius monita & prædicationem ſunt conuerſi, vt qui anteà diripiebant aliena, poſteà largirentur propria, ac idolorum confringerent ſtatuas, quas dudùm ritu profano venerabantur: pieque ac ſponte ſe ſubderent Chriſti diſciplinæ, qui antè rebelles, non dignabantur audire. Tantusque honor ac deuotionis affectus excreuerant circa ſacerdotes ac monachos, vt ſi contigiſſet alicui ex ordine plebeio eos obuiàm habere, quanuis potens perſona, Chriſtum in eis adoraret ac veneraretur.

S. Vuandregiſili factis explebat quod ore docebat.

Magnū roborat in ętate decrepita.

1. Cor. 9.

Conuertit multos populos.

Qualis ollim reuerentia erga ſacerdotes & monachos.

Cap.21. Spiritum quoquè prophetiæ diuinitùs illi collatum non dubitamus, ità vt quę ventura eſſent, plurimis indicârit. Notum ſanè eſt, crebrò illum prædixiſſe futura, quæ poſteà conſtat eueniſſe. Blitildi nanque reginæ, relictæ Clodouei Regis, obitus trium filiorum ac ſucceſſiones expoſuit. E quibus Clotarius, qui maior erat natu, * quartum decimum regni annum agens, conſortijs ſubitò caruit humanis. Deindè Childericus temerè ab inſidiatoribus interemptus, à præſenti ſublatus eſt vita. Tertius Theodoricus matri ſuperſtes, regui ſuſcepit gubernacula: completaque in illis eſt prophetia viri Dei. Hæc quidem pauca miraculorum inſignia cum bona venia lectoris in præſens ſufficiant, breui in comptoque relata ſermone. Veniendum eſt, ſauente Chriſto, ad ea, quæ vbertim cunctipotens virtus, ſpiritu ipſius patroni ſublato ad cælum, apud oſſa ſanctiſſima geſta referuntur in terris. Deniquè indubitanter retinemus,

Prædicit obitū triū regum.

* quartum

tinemus, ipſius meritis, vt frequentiùs inculcatum eſt, animæ languores in permultis eſſe curatos, ad laudem & gloriam eius, qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Iohan.15. Cap.22.

His ità ſe habentibus, vertantur articuli ad id commemorandum, quemadmodùm beatus ille meruit de ærumnis exilij præſentis eripi, atque ad cæleſtis beatitudinis gloriam transferri. In vltimo ſenio conſtitutus, vtporè nonageſimumſextum annum agens, Domino ſępiſſimè ſupplicans, aiebat: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata eſt: addebatque: Ieſu benigne, verbum patris æternum, de hac conualle plorationis eripe me, & tuis fac quantocyùs dignum apparére conſpectibus. Exaudiensque Dominus dignas eius preces, immiſit ei vltimam, immò ſalutiferam ægritudinem, vti camino præſentis ſeculi ceu puriſſimum examinatus aurum, digniſſimus cæli fieret hæres. Tribus diebus totidemque noctibus in exceſſum mentis rapto, ianua cęli aperta monſtrata eſt, & iucundo adſpectu frequenter oculos aperiens, cælum intuebatur. Cernentes quoquè diſcipuli, ſanctiſſimi patris beatiſſimam diſſolutionem, lætabantur quidem de eius digna remuneratione, ſed triſtabantur plurimùm de abſentia corporali: atque inter mœſta ſuſpiria & fluentes lachrymas, querulis aiebant vocibus: Quid facturi ſumus, quòd nos tam citò deſeris pater? Verbum immortalitatis à te audire cupimus, & aſſueta admonitione tua corrigi optamus. proſtratique humì fundunt vberes fletus, orantque Deum, vt antequàm viam ingrederetur iuſtorum, eius alloquio fouerentur. Itaque omnipotens Deus, videns ſummum illorum dolorem, quem pro ſui paſtoris deceſſu patiebantur, famulorum ſuorum precibus aures ſuæ pietatis accommodat: permittitque, vt inclytus dux tum tyrones, tum veteranos milites dulcibus recrearet ſermonibus, multaque futura eis prædiceret, quæ poſteà res ipſa comprobauit.

Pſal.119. Videt apertum cælum ſub morte.

Percontantibus indè monachis, poſt ipſius feliciſſimum tranſitum, quem ſibi præficere deberent, tale fertur dediſſe reſponſum: Aeternus, inquit, rerum conditor, qui vobis locum conceſſit opportunum, quo ſibi plebs ſua famuletur in ſecula, ipſe vobis, chariſſimi filij, poſt paruitatis meæ deceſſum, dignum ac deuotum miſericorditer tribuet rectorem. Duo ſunt tamen in præſentia veſtra chariſſimi mei filij, qui viciſsìm poſt meæ fragilitatis deceſſum in regiminis ſuccedent locum. Erat nanque vnus vocabulo Lantbertus, vir eximiæ religionis & generis, ortus in territorio Taruanenſi, qui poſt beatum Geneſium præſulatum Eccleſiæ Lugdunenſis ſuſcepit: Alter verò vir Domini Anſbertus, qui beato Audoëno in pontificatu ſucceſſit eccleſiæ Rothomagenſis. Quorum vitam atque virtutes libellus, qui de eorum ſcribitur actibus, luculenter narrat. Atque ij ſucceſſores fuêre in regimine prædicto ſanctiſſimo viro. Sub horum regimine ſanctiſſimi Patres, beatus Vulfrānus præſul Senonum & prædicator gentis Friſonum, necnon vir Deo dilectus Erenbertus Toloſæ vrbis pontifex, & ſanctus anachoreta & preſbyter Condedus, Britannia inſula ortus, monachicum amplectentes habitum, ad caſtra Dei fulgida deuotiſſimè connolârunt. Reliquiæ quoq; eorum in eodē loco debito ſeruantur honore: vbi & gloria virtutum pollent, ſicut in eorum pleniſſimè ſcribitur geſtis. Inter reliqua autem prędictus vir Domini, exhortationis & confortationis verba, diſcipulis ipſi adſtantibus valedicens, hæc intulit, vt cœptum non relinquerent iter, ſed melioribus actibus quotidiè perſeuerando ſe confirmarent, attentiusque ſua monita retinerent, & opere perficerent: vt videlicet vnitas, charitas atque humilitas in eorum radiarent cordibus, nullaque diſſenſionis aut liuoris peſtis, eorum vnquàm ſerperet in mentes: ſicque ſtatûs illorum iura, & religionis claritudo per cunctas perpetìm durarent ætates.

Cap.23. Lantbertus epiſcopus Lugdunen. Ansbertus epiſcopus Rothomagenſis.

Hac breui vltimaque coram eis oratione celebrata, quia glorioſum beatę conſummationis tempus inſtabat, vt terrena corporis ſarcina terris cōmendaretur, & cæleſtis ſpiritus celſa conſcēderet, viatico percepto, poſt paululū conticuit. Cumq; hoſtis conſpiceret inuidus remunerationis eius inſtare horā, propter eum cruentus adſtans, pauores illi multiformes ingerere nitebatur. Quē in tali conſtitutū agone audiêrunt circunſtātes fratres in ſpiritu ſanctæ trāſlationis dicentē, ſe fonte lauacri Chriſti tinctum, dæmonemq; ſe impedientem diuinitùs effugatum. Vocauit etiam tertiò nominatim quendā virum iuſtum, nomine Agathonem, cuius olìm laudabilē vitam ac conuerſationem notā habuerat. Ex qua & ſubſequēti reuelatione liquidò colligitur, in eius trāſitu multitudinem adfuiſſe Sanctorum. Nam & quodā diſcipulo eius, viro magnæ religionis, eādē hora ſuauiſſima audita fuerat cæleſtis cātilena: qui etiā percontabatur ex fratribus, vtrùm ille dulciſſimus ſonus eorū penetrâſſet aures. Sed & ipſe vir Domini adſtan-

Cap. 24. Accipit Euchariſtiam moriturus. Morienti multi adſunt ſancti.

adſtantibus ſibi imperauit, vt cum pſallentibus iunctis pſallerent vocibus. Quinam ſint illi, inquiunt, nos neſcimus: tu verò, cui olìm, vt credimus, ianua vitæ patet æternæ, optimè id nôſti. Ille verò iucundo adſpectu lætabatur in Domino, gratias agens Deo, quòd cęli ianuam ipſi reſerâſſet. O virum omni laude digniſſimum, in cuius trāſitu cæleſtis exultat chorus, omniumque virtutum ſupernarum gratulatur exercitus: cui cæli ianua pateſcit, & Abrahæ ſinus lætantem excipit. Multitudo proindè monachorum, quorum erat numerus fermè trecentorū, in tanti patris tranſitu diuinas laudes decantaturus aderat: hilaris quidem pro gloria, quam ſpreta Aegyptia ſeruitute, olim adibat promiſſam: ſed graui affecta mœrore, quòd præclaro deſtituebatur patrono.

Cap.25. Signo Crucis ſe munit dum excedit è vita.

Hac diſcipulorum caterua vallatus, ſalutiferæ Crucis ſigno ſe muniens, vndecimo Calendas Auguſti nexibus terrenæ corruptionis abſolutus, animā cælo reddidit, conſortijs iuſtorum ſociandam, & æternę felicitatis gloria fruituram. Illic nunc choris intereſt angelorum, hîc fulget claritate virtutum: Illic interpellat pro famulis voce ſupplici, hîc eos virtute tuetur ſublimi: Illic petit, hîc præſtat: Illic vota fundit, hîc votis reſpondet. Interfuit autem in hoc eius ſancto tranſitu inclytus eccleſię Rothomagenſis pontifex Audoënus. Sepultus eſt primùm in eccleſia beati Pauli Apoſtoli, in qua requieuit annis 40. Poſteà autem à ſancto Baïno Epiſcopo vrbis Taruanæ, & Fontanellenſis cœnobij abbate tranſlatus eſt in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli: atque ità integer ab omni corruptione cum veſtimentis, quibus indutus fuerat, repertus eſt, quaſi eodem die fuiſſet ſepulturæ traditus. Actum eſt hoc anno Dominicæ incarnationis 729. regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui poteſtas & imperium permanet in ſecula ſeculorum.

Trāslatum eſt eius corpus à Baïno Epiſcopo Taruanen.

Requieuit ſanè venerandus, & cum omni magnificentia nominandus beatiſſimus Pater & ſacerdos Domini Vuandregiſilus, anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimoquinto, Indictione octaua, anno nono pontificatūs Vitaliani Papę, porrò tertij Clotarij anno regni vndecimo. Peregit autem felici & glorioſa conſummatione curſum præſentis vitæ annis circiter nonagintaſex: è quibus in ſacro regimine expleuit decem & nouem annos, mēſes quatuor, dies viginti & vnum. Sepultusque fuit in eccleſia S. Pauli annis quadraginta. Sanctus verò Præſul Anſbertus, annis vndecim: inclytusque pontifex Vulfrannus, annis fermè nouem.

DE S. APOLLINARI RAVENNATVM PRIMO EPISCOPO ET MARTYRE SANCTISSIMO, EX VETVſtis MS. codicibus: quibus adſtipulantur antiquiſſima Martyrologia. Stylum opportunis locis nonnihil expoliuit F. Laur. Surius, adiectis margini capitibus.

Iulij 23. Cap.1. S. Petrus venit Romā.

IN diebus Claudij Cæſaris Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti Nazareni, Romam venit cum multis Chriſtianis, ei miniſtrantibus. Vt autem eſt vrbem ingreſſus, ad Synagogam Iudæorum ſe contulit, indicauitque eis ſe quoquè Hebræum eſſe, & à Iudæa propter fratrum charitatem eò aduenisſe. Cumque per multos dies cum illis conferret ſermones, adferebat identidèm de nomine Ieſu, dicens eum verè eſſe filium Dei, qui ſaluum fecerit omne humanum genus: ſimul exponens, quanta opera & virtutes feciſſet in Iſraël conuenienter vocibus Prophetarum. Itaque multi ex illis agentes pœnitentiam pro ſua ignorantia, prædicante Petro, crediderunt in Dominū Ieſum: nec Iudæi ſolùm, ſed etiā Romani excipientes verbū, gauiſi ſunt, quòd viſitâſſet Deus genus humanū, mittens filium ſuum, qui mundum renouaret: credentesq; in Ieſum, baptizabātur. Poſt multū verò tēporis ait beatus Petrus Apoſtolus Apollinari diſcipulo ſuo: Quid hîc ſedes nobiſcū? Eccè eruditus es de omnibus, quę fecit Ieſus: Surge, & accipe ſpiritū ſanctum, ſimulq; Pontificatū, & proficiſcere ad vrbē Rauennatiū. Multus illic populus eſt: prædica eis nomē Ieſu, nihil reformidās. Conſtat enim apud te, verè eū eſſe filiū Dei, qui mortuis vitā reddiderit, & ægris verbo attulerit medicinā. Tādèm poſt multa, cùm precatus eſſet beatus Petrus, manus impoſuit capiti eius, dicēs: Mittat Dominus noſter Ieſus Chriſtus angelū ſuū, qui

Multi Iudęi & Romani credunt.

S. Petrus Apollinarē Rauennam:

qui præparet iter tuum, & quæ poſtulaueris, annuat. Et oſculans eum, dimiſit à ſe.

Cap.2. * Aſtaricum habent Codices MS.

Cumque non longè abeſſet Rauenna beatus Apollinaris, manſit apud quendam militem * Aſiaticum, nomine Irenæum. Is vbi reſciuit ex eo vndè veniſſet, & quid vellet, ait ad eum: Habeo, ô hoſpes, filium oculorum lumine orbatum: ſi qua virtus eſt prædicationis tuæ, adhibe illi curationem, vt videat: & ego ſequar Deum tuum, credens in eum. Mox ad ſe puerum adduci alacriter iubet Apollinaris, cunctisque videntibus, qui illic aderant, non niſi Crucis ſignum in oculos cæci expreſſit, & ait: Deus qui loco non clauderis, ſed vbiquè es, infer cognitionem filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti in hanc ciuitatem: nec ſolùm hos oculos corporis illumines, ſed etiam interiores in hac vrbe degentium oculos aperias, vt celeriter illis cognoſcentibus Ieſum Chriſtum filium tuum eſſe ipſorum Deum, locus hic mihi cum magna efficacia docendi tribuatur. His dictis, vidit cæcus, & aduolutus pedibus beati Apollinaris, vna cum parentibus ſuis in Chriſtum credidit: pariterque baptizati ſunt in fluuio non longè à Rauenna.

Cæcus cruce ſignatus videt.

Cap.3. Tecla Tribuni Rauennaten. vxor.

Matrona verò quædam, Tribuni militum coniunx, Tecla nomine, multis annis grauiſſimo laborabat morbo, qui omnem medicorum induſtriam eludebat. Accidit autem, militem Irenæum adeſſe Tribuno: & cùm ſermo ortus eſſet de coniugis mala valetudine, Ireneus ait: Eſt apud me peregrinus quidam, qui filium meum nullo adhibito medicamento curauit: ſi permittis, vbi eum viderit vxor tua, mox reualeſcet. Tribunus dixit: Vndè ille huc aduénit? Reſpondit Ireneus: Ab vrbe Roma. Tribunus ait: Eſt igitur natione Romanus? Reſpondit Irenæus: Equidem ignoro: ſed mihi tamen potiùs Græcus eſſe videtur. Tribunus dixit: Clàm eum perduc in domum meam, vt comperiam vera eſſe, quæ dicis. Cùm ergò beatus Apollinaris Rauennam eſſet ingreſſus, circunſignans ſe, ait: Deus, qui operaris cum magiſtro meo Petro, operare etiam mecum, vt clarificetur nomen tuum, & fiat voluntas tua. Vbi in ædes Tribuni vénit, officioſiſſimè ſuſceptus eſt, aitque ad eum Tribunus: Benè adueniſti medice: & quid dulcius æſtuanti, quàm frigida aqua? Beatus Apollinaris reſpondit: Requieſcat in vobis pax Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti. Tribunus dixit: Ecquis ille eſt, de quo loqueris? Apollinaris reſpondit: Filius Dei viui, qui mundum perditum inſtaurauit. Tribunus ait: Vt video, Galilæus es tu. Apollinaris reſpondit: Etiam. Tribunus dixit: Nôſti curationes? Reſpondit vir ſanctus: Nihil ſine nomine Ieſu. Tribunus ait: Et quæ eſt virtus in Ieſu? Apollinaris reſpondit: Conuoca huc milites tuos, & cunctis videntibus cognoſces veritatem Domini mei Ieſu Chriſti. Illis collectis, ait Tribunus: En vxor mea multos annos decumbit, & medicina omnis ei officit. Si qua verò in te virtus eſt, exere nunc eam. Apollinaris dixit: Aperiat Deus oculos cordis veſtri, vt videntes mirabilia eius, credatis in eum. Tum appræhendens manum mulieris: Surge, inquit, in nomine Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti, & crede in eum, nec quenquam putes illi parem. Mox illa ſurrexit ſana, exclamauitque: Non eſt alius Deus præter Ieſum, quem prædicas. Videntes id milites & Tribunus, obſtupefacti dixerunt: Reuerà hic Deus eſt, qui talia facit. Poteſt autem etiam ille in bellis ferre opem, ſi diligatur. Credidítque Tribunus cum vxore & filijs & familia, & omnes baptizati ſunt. Multi quoquè alij, qui illic aderant, fidem Chriſti complexi ſunt.

Vxorē Tribuni clinicā ſanat Apollinaris.

Cap.4. Multi credunt.

Habitauit autem beatus Apollinaris Rauennæ in ædibus Tribuni, & quotidiè veniebant ad eum multi è populo, quos ille ſecretò docebat, dicens, vt crederent in Ieſum, Deum cæli & terræ: credentesque baptizabantur. Multi quoquè nobiles tradebant ei filios ſuos, vt ſacris literis ab eo erudirentur. Ijs autem, qui iam in Chriſtum credebant, Miſſas & baptiſmata faciebat in domo Tribuni cum diſcipulis ſuis. Itaque intrà duodecim annos, duos ordinauit preſbyteros, Adhæretum & Calocerum: Marcianum verò nobiliſſimum virum, & Leucadium Philoſophum, Diaconos fecit: & ſex clericos conſtituens, cum illis diù noctuque Domino pſalmos cantabat. Crescente autem fama eius, & quòd annunciaret Ieſum, multique in Chriſtum credidiſſent, iam latére non poterat. Nunciatum eſt ergò de illo Saturnino Duci, qui eum adduxit ad Pontifices Capitolij Rauennatis, interrogauitque ex eo, quid ſibi vellet. Reſpondit vir ſanctus: Chriſtianus ſum. Dux ait: Et quis eſt Chriſtus? Apollinaris reſpondit: Filius Dei, per quem creatura omnis viuit, in cælo, terra & mari. Dux ait. Illéne ergò te miſit ad nos, vt euertas cultum deorum noſtrorum? An ignoras ſacrum nomen Iouis, qui magnus eſt habitator Capitolij vrbis huius, cui te oportet ſupplicem fieri? Beatus Apollinaris reſpondit: Quis ſit ille habitator, neſcio, nec templum eius nóui.

Nota quomodòin primitiua eccleſia Miſſæ ſint celebratæ, & pſalmi decătati.

Pontifices

Pontifices dixerunt: Veni ergò, & vide magnificum fanum, mirificéque exornatum. Videbis illic inuictiſſimi Iouis ſimulacrum. Cùm ergò in Capitolium intrâſſet beatus Apollinaris, ſubridens ait pontificibus: Hæc tam multa aurea & argentea ornamenta rectiùs in pauperum vſus erogarentur, quàm coram dæmonibus appendantur.

Tum verò pontifices, facta in eum impreſſione cum populo, immani eum cæde mactauerunt, eiectumque extra vrbem ad mare, ſemiuiuum reliquerunt. At diſcipuli eum colligentes, in cuiuſdam viduæ Chriſtianæ domo abſconderunt, curam ei adhibentes. Et poſt menſes ſex vir nobiliſſimus Bonifacius ciuis Cluſenſis ſubitò obmutuit, nec ei permulti medici remedium adferre potuerunt. Indicatum eſt ei, famulum Dei Apollinarem adhuc viuere, & apud viduam latitare. Miſit ille ad eum vxorem ſuam, orans vt ipſum inuiſere nè grauaretur. Venit vir ſanctus ad domum eius, & puella è familia eius, à malo dæmone arrepta, exclamauit: Recede hinc ſerue Dei viuentis. Alioquì faciam te colligatis pedibus trahi extra hanc vrbem. S. Apollinaris dixit: Obmutéſce diabole, & exi ab ea, nec vltrà in homine loquaris. Ille quamprimùm ab ea receſſit. Vt autem peruénit beatiſſimus Apollinaris ad Bonifacium, vidit eum mutum iacentem, & ait: Domine Ieſu Chriſte, qui clauſiſti os hominis iſtius, nè deincèps ab idolis ſuis opem poſceret, reſtitue ei linguæ officium, vt inuocet benedictum nomen tuum, & credat te eſſe Deum viuentem in ſecula ſeculorum. Cumque à Chriſtianis dictum fuiſſet, Amen, eadem hora ſoluta eſt lingua eius, & laudabat Dominum, dicens: Non eſt alius Deus præter eum, quem prædicat beatus Apollinaris. Eodem die homines ampliùs quingenti crediderunt in Dominum Ieſum, agentes gratias Deo & beato Apollinari ſeruo eius, per quem illuminati eſſent.

Cap. 5. Crudeliter cæditur.

Eijcit dæmonem.

Muto redditur facultas loquendi.

Non multi autem interceſsêre dies, cùm gentiles quidam à diabolo inflammati, tenuerunt eum, & diù fuſtibus cæto interdicere volebant, nè nominis Ieſu aliquam faceret mentionem. At ille iacens in terra, clamabat eum verum eſſe Deum, qui ſua ſponte pro hominum ſalute pati voluërit. Sed hoc illi teſtimonium non ferentes, beatiſſimum virum cëogerunt nudis plantis calcare prunas. Tum verò multo ille magìs de Chriſto teſtificabatur. Id impij homines ferre non ſuſtinentes, eum extra vrbem eiecerunt, dicebantque ei: Tametsì curationes adhibere nôſti, tamen vide, in vrbem noſtram nè ingrediaris. Iacebat igitur beatiſſimus vir extra muros, & continēter nomen Ieſu prædicabat: multique è ciuitate Deum timentes, veniebant ad eum, & miniſtrabant ei. Non enim paruus illic erat Chriſtianorum numerus, maximè nobilium. Habebant autem Chriſtiani tugurium non longè à mœnibus, in quo ille Miſſas faciebat: baptizabat autem in mari, in nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti.

Cap. 6. Cæditur fuſtibus.

Calcat nudis plantis prunas ardentes.

Poſt plurimos autem annos vir beatus ſe contulit in Aemiliam, atque illic ſecretè docuit populos, quos verbo attrahere potuit. Interea autem Calocerus preſbyter gubernabat Eccleſiam, quæ erat Rauennæ, clàm multas faciens virtutes in nomine Ieſu Chriſti. Non diù pòſt ab Aemilia reuerſum beatum Apollinarem, Chriſtiani Rauennates cum ſummo gaudio exceperunt. Per id tempus Rufus patritius & exconſul, habebat Rauennæ filiam vnicam malè valentem. Vt cognouit autem de beato Apollinari, mox ad ſe illum accerſiuit, vt filiæ opitularetur. Poſtquàm autem vir Dei cum clericis ſuis in domum eius intrauit, confeſtim filia eius mortua eſt. Eius obitum beatus Apollinaris ex lamentis familiæ didicit. Dixit autem ad eum Rufus patritius cum lachrymis: Vtinàm in domum meam non veniſſes. Dij enim magni irati ſunt, & noluerunt curare filiam meam. Tu verò qua ratione illi poteris curationem admouere? Flebant autem omnes, qui aderant. Dixit igitur beatus Apollinaris ad Rufum: Conſtanter age patritie, & iura mihi per ſalutem Cæſaris te permiſſurum, vt puella ſequatur Saluatorem ſuum: & citò cognoſces virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Rufus patritius reſpondit: Scio puellam mortuam: quam ſi ſtantem & loquentem videro, laudabo ſanè virtutem Dei tui, nec prohibebo, quò minùs ſuum illa ſequatur Saluatorem. Interìm omnes amarè lugebant. Tum vir ſanctus benè confidens in Domino, acceſſit & tetigit puellam, dicens: Domine Ieſu Chriſte, Deus meus, qui magiſtro meo Petro, Apoſtolo tuo, id præſtitiſti, vt poſſit impetrare à te, quicquid velit: tu excita puellam hanc, quæ eſt creatura tua. non enim eſt alius Deus præter te. & reſpiciens ad puellam, ait: Surge, & confitere creatorem tuum. Confeſtim illa ſurgens, magna voce dicebat: Magnus eſt Deus, quem prædicat Apollinaris ſeruus eius, & nullus eſt extra eum. Ea hora magno gaudio affecti ſunt Chriſtiani omnes, quòd magnificatum eſſet nomen Domini Ieſu. Baptizata eſt autem puella cum matre, & ex

Cap. 7. Docet in Aemilia.

Ad vitam reuocat puellam mortuam.

Ee familia

familia promiſcui ſexûs trecenti vigintiquatuor. Sed & alij multi gentiles crediderunt in Chriſtum, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Cap. 8. Porrò Rufus patritius timens Cæſarem, occultè diligebat beatiſſimum Apollinarem, & miniſtrabat ei. Filia verò eius conſecrata eſt Chriſto, & virgo permanſit. Perlatum eſt igitur ad Cæſarem, virum quendam Antiochenum, magicis artibus in Rauennam inuexiſſe nomen Ieſu, magnamque turbam hominum obedire illi, ipſam quoque Rufi patritij domum. Cæſar illi mittens ſucceſſorem, ſcripſit ad vicarium Meſſalinum, vt hominem temerarium Apollinarem aut dijs faceret obſequentem, autin exilium iuberet longinquum deportari. Meſſalinus ergò in prætorio coram ſe ſiſti iubet beatum Apollinarem, dicitque illi coram ſacerdotibus Capitolij: Quis vocaris? Reſpondit vir ſanctus: Apollinaris. Meſſalinus dixit: Vndè huc aduenisti? B. Apollinaris reſpondit: Ab Antiochia. Meſſalinus ait: Quam artem profiteris? Apollinaris reſpondit: Chriſtianus ſum, & Apoſtolorum Chriſti diſcipulus. Meſſalinus dixit: Ecquis eſt Chriſtus? Apollinaris reſpondit: Filius Dei viui, qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Meſſalinus ait: De illóne Chriſto tu dicis, qui ante annos non multos, dum ſe filium Dei diceret, à Iudæis interfectus eſt? Certè ſi Deus ille fuiſſet, nec mori potuiſſet, nec vexari contumelijs. Sed cùm ſuperbè ſe gereret, pœnis affectus & è medio ſublatus eſt. Quo igitur pacto tu illum in deorum numero reponas, nos non videmus. Beatiſſimus Apollinaris reſpondit: Is, de quo loquimur, Chriſtus & Deus erat, & eſt, eritque ſemper. Sed volens ille hominum genus à ſeruitute demonum liberare, exinaniuit ſemetipſum, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Virgine, quę virum non cognouit vnquàm. Meſſalinus vicarius dixit: Auditum eſt hoc apud nos, ſed difficulter poteſt credi. Beatiſſimus Apollinaris ait: Audi iudex, quæ à me dicentur, animo virili. Deus manebat in corpore, faciebat ſigna & miracula in mundo. Quòd verò à Iudæis tentus & crucifixus eſt, id caro ex virgine ſumpta patiebatur: diuinitas autem manſit omnis perpeſſionis expers & immortalis: quæ etiam carnem ipſam tertia die excitauit, & multis appárens Chriſtus, aſſcendit in cælum, vndè deſcenderat Deus. Tantam autem in ſe credentibus largitur virtutem, vt in nomine eius dæmones eijciant, ægrotos ſanent, mortuos in vitam reuocent. Meſſalinus vicarius dixit: Tu mihi perſuadere non poteris, vt ego deos ſequar ignotos, qui à Senatu recepti non ſint. Sed hac poſtpoſita vanitate, accede ad Capitolium, & manibus tuis pone thura magno deo Ioui tonanti, vt poſſis viuere. Nam alioquì per ſalutem Cæſaris, diuerſis excruciatum pœnis in exilium te mittam. Beatiſſimus Apollinaris dixit: Tu nequaquàm mihi perſuadebis, vt ponam thura dæmonibus: ſed Domino meo Ieſu Chriſto offeram ſacrificium laudis & ſuauitatis.

Phil. 2. Luc. 1. Marc. 16.

Cap. 9. Tum verò exclamantes Pontifices, dixerunt: Ignoras Iudex hunc ſibi pontificis arrogâſſe titulum, vt ſub noſtro nomine ſeducat turbas? Sed tu inquire in eius temeritatem & arrogantiam. Vicarius ait ad officium: Exuite eum, & cædentes fuſtibus, dicite: Reſipiſce, & immola dijs. Sed ille dum cæderetur, clamabat: Chriſtianus ſum: fac, quod tibi viſum erit. Interìm vnus è pontificibus dicit Meſſalino: In eculeo ſuſpendatur, vt diù tortus, honorem habeat dijs immortalibus. Beatiſſimus Apollinaris, his ſubiectus tormentis, dicebat: Dominum Ieſum Chriſtum confiteor eſſe Deum viuentem, non alium aliquem. Meſſalinus ait: Quid præmij pro his ſupplicijs expectas? Beatus Apollinaris reſpondit: Scriptum eſt: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et ſi quis in Chriſto mortuus fuerit, viuet. Hæc eſt remuneratio Chriſtianorum. Tum vniuerſi, qui illic aderant Chriſtiani, glorificabant Deum cæli, cùm hæc ex Apollinari audirent, quòd fortior ipſe eſſet in perferendis pœnis, quàm alij inferendis. Meſſalinus tortoribus ait: Rursùs verberetur, & in plagas aqua bulliens infundatur: deindè ſub pręconis voce ducatur ad nauim, vinctus graui pondere ferri, & in Illyricum eat exulatum. Interìm arripitur à diabolo vnus è tortoribus, qui in Chriſti ſeruum præ cæteris ſæuierat, & ſubitò expirat. Cùm autem eleuatus eſſet S. Apollinaris, dixit Meſſalino: Impijſſime, cur non credis in filium Dei, vt poſſis vitare æternos gehennæ cruciatus? Tum indignatus Meſſalinus, iuſſit os eius lapidibus contundi. Ea immanitate commoti Chriſtiani, irruerunt in gentiles, & breui ſpatio ampliùs ducentos trucidârunt. Volebant verò etiam Meſſalinum interficere. At ille perturbatus, incluſit ſe: porrò beatiſſimum Apollinarem, grauiſſimo ferri pondere adhibito, iuſſit in horridum retrudi carcerem, & in ligno extendi, nec quicquam ei miniſtrari, vt ſic deficeret. Angelus autem Domini nocte ad eum veniens, videntibus

Cæditur fuſtibus.

Torquetur in eculeo.

Matt. 10. & 24.

Iterùm verberatur.

Os eius lapidibus cõtunditur.

Horrido carceri traditur.

tibus cuſtodibus, eſcam ei dedit, & cùm eum corroborâſſet, receſſit. Quarto indè die audiens Meſſalinus eum adhuc viuere, clàm iniectis ei catenis, naui impoſitum, in exilium iuſſit deportari. Secuti ſunt autem tres è Clero eius, qui illi miniſtrârunt. Eccleſiam, quæ erat Rauennæ, intereà gubernabant preſbyteri & diaconi: creſcebatque numerus Chriſtianorum.

Mittitur in exilium.

Cap. 10. Nauigantibus verò illis mare, ſubitò orta eſt tempeſtas, & naui confracta, ad litus eiectus eſt beatus Apollinaris cum clericis ſuis & duobus militibus: cæteri in mari periêrunt. Dixeruntque milites illi beato Apollinari: Domine pater, quò ibimus, aut quid faciemus? Reſpondit vir ſanctus: Baptizamini in nomine Ieſu Chriſti, & viuetis. Illi quamprimùm propudiatis idolis, baptizati ſunt in nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti. Indè à loco in locum commigrantes, in Mœſia prædicabant verbum Dei, ſed nemo eos recipiebat. Cuiuſdam verò primarij & magni viri frater lepra infectus fuit. Eo viſo, dixit beatiſſimus Apollinaris: Vis ſanus fieri? Reſpondit ille: Volo. Beatus Apollinaris ait: Crede in Dominum Ieſum Chriſtum. Reſpondit ille: Qui me ſanum fecerit, is erit Deus meus. Tum beatus Apollinaris inuocans nomen Domini Ieſu, tetigit eum: & eueſtigiò curatus eſt: reiectisque ſimulacris, credidit in Dominum Ieſum, & baptizatus eſt: manſitque vir ſanctus apud eum diebus permultis. Deindè Danubij litora terens, multos ad Chriſtum adduxit. Vbì autem dicêre gentiles hoſtem eum eſſe idolorum, de eius nece cogitabant. At ille profectus in Thraciam, manſit illic dies multos. Erat autem in quadam ciuitate idolum, à quo per id tempus nullum potuerunt habere reſponſum. Cumque multa illi offerrent, ægrè tandèm ab eo impetrârunt, vt diceret: Neſcitis diſcipulum Petri Apoſtoli Ieſu Chriſti Roma huc veniſſe, meque, dum prædicat Ieſum, ligâſſe? Is ſi hinc profligatus non fuerit, nulla vobis reſponſa dare potero. Facta ergò inquiſitione, repertus eſt beatus Apollinaris, interrogatusque ab eis, quid illic ageret, dixit ſe Chriſtianum eſſe, & pro Chriſti nomine à Rauenna eò extruſum in exilium. Itaque nudatum veſtibus, diù fuſtibus verberârunt: perductumque ad mare, cum ſocijs naui in Italiam ituræ imponi curârunt, dicentes eius regionis præfecto, ſatiùs eſſe eum remitti eò, vndè veniſſet, vt illos potiùs euerteret, quàm apud ipſos aboleret cultum deorum.

In Mœſia prædicat Chriſtum.

Sanat leprosum.

Moratur diù in Thracia.

Fuſtibus verberatur.

Cap. 11. Itâ ergò poſt triennium vir ſanctiſſimus Rauennam reuerſus eſt, & à Chriſtianis cum ſumma exultatione exceptus, Deum laudantibus, quòd eis ſuum patrem & Doctorem reſtituiſſet. In ipſo autem itinere multa per eum Dominus miracula effecit. Multo indè lapſo tempore, cùm Chriſtianis Miſſas in Cyrenæi Senatoris poſſeſſione faceret, repentè orta ſeditio eſt in vrbe propter eum, irruentesque in eum furentes populi, vinctum in forum pertraxerunt, cædentes eum, & plagas ei imponentes. Viſo autem illo, dixêre Pontifices Capitolij: Non eſt hic dignus, vt præſententur magno deo Ioui, quippè cui non ſemèl illuſerit. Sed ducatur ad Apollinis templum, ibique cognoſcat virtutem deorum immortalium. Illis ergò cum ducentibus, multi nobiles viri, tam ethnici, quàm Chriſtiani, vnà cum populo ſequebantur eum. Dicebant autem gentiles: Videamus, num ad ſanitatem redierit homo iſte. Ingreſſus verò templum beatus Apollinaris, vt vidit Apollinis ſimulacrum, ait ad circunſtantes gentiles: Iſténe deus eſt, per quem futura prædicitis? Reſponderunt illi: Nimirùm ipſus eſt, & quidem primus inter deos, & cuſtos vrbis huius. B. Apollinaris ait: Non ſit illi vnquàm benè: ſed eo profligato, cuſtos hîc cõmorantium Chriſtianorum erit Dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt verus Deus. Cumque orâſſet vir ſanctus, ſimulacrum diſſolutum eſt, & templum dæmonis euerſum. Id conſpicati ethnici, clamabant: Senex impius tollatur è medio, qui omnia diſſipauit. Chriſtiani autem gratias agebant, dicentes: Reuerà hic Deus eſt, qui talia efficit per patrem noſtrum Apollinarem.

Redit Rauennam.

Cædítur à populo.

Templum Apollinis euertit precibus.

Cap. 12. Commoti verò gentiles, tradiderũt eum Thauro iudici, vt illum occideret. Is congregatis in prætorium cunctis nobilibus vrbis eius, ità compellauit eum: Oramus te, nè celes nos, qua virtute iſthæc facias, & vbinàm conuentus agas & miracula efficias, vt tanta turba te ſequatur? Beatus Apollinaris reſpondit: Virtus alia non eſt, nisì Domini noſtri Ieſu Chriſti. Domum autem Dei habemus in cordibus noſtris. Si tamen etiam fabricam requiris, non eſt procùl ab vrbe: vbi Chriſtianis proponimus diuina eloquia. Thaurus dixit: Habésne adiutores aliquot? B. Apollinaris reſpondit: Habeo ſanè permultos. Thaurus dixit: Eſt aliqua in te virtus diuinitatis? B. Apollinaris reſpondit: Iam dixi tibi, eſſe ſupernam virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Thaurus ait: Habeo filium ab ipſa natiuitate cæcum. Inuoca nomen eius, quem à

ſuis crucifixum aſſeris,& aperi oculos huius, planeq; credemus, verè eum eſſe Deum. Sin minùs id feceris,pro tuis ſceleribus igni te comburemus. B. Apollinaris reſpondit: Veniat in medium cæcus. Venienti dixit vir ſanctus: In nomine Ieſu Chriſti aperi oculos tuos,& vide. Continuò ille apertis oculis vidit. Stupefacti ea re proceres omnes,qui illic aderant,dicebant: Profectò Deus is eſt,qui talia perpetrat. multiq; ex eis crediderunt in Dominum Ieſum. Thaurus autem iudex ëruit eum è manibus vulgi,& nocte miſit eum in prædium ſuum,tanquàm illic cuſtodiendum. Vbi manſ annos quatuor. Erat is locus ſexto ab vrbe milliario, confluebantq; eò Chriſtiani omnes,& ab eo inſtituebantur.Si quis ad eum veniſſet æger,ſanus recedebat,quacunque fuiſſet infirmitate detentus.

Cæco reddit lumen, in præſentia Iudicis & procerum.

Cap. 13. Porrò Veſpaſiano Imperij habenas moderante, Pontifices Capitolij inuidioſè de eo retulerunt ad illum. Cuius relationis hæc erat ſententia: Si Apollinarem impoſtorem,contra regni tui & populi Romani ſalutem docentem, non interfeceris, Romanas cæremonias peſsùm premet. Non enim parua multitudo ab eo ſeducta, quotidiè in iniuriam deorum immortalium bacchatur. Magicis enim artibus ille templa euertit. Sed ſi ſolus iam affecta ætate erit vita priuatus, Romanum nomen incolumne permanebit. Perſcripſit ergò Veſpaſianus Imperator, vt ſi quis dijs irrogâſſet iniuriam, aut ſatisfaciat, aut vrbe pellatur. Non enim æquum eſt, inquit, vt nos deos vindicemus: ſed ipſi ſe de inimicis ſuis vlciſci poſſunt, ſi iraſcuntur. Ea iuſſione perlata Rauennam,Demoſthenes vir illuſtris & patricius, ſed planè ethnicus, beatum Apollinarem ſibi exhiberi præcepit. Venit ille,& cùm multo ſenio preſſus & diuerſis pœnis & afflictionibus confectus ſtaret coram iudice, gentiles clamabant: Nihil ex eo inquiras. Nos enim omnes ſcimus Chriſtianum eum eſſe, & euerſorem templorum. Aut puniri eum iubeto,aut procùl extra hanc vrbem expellito,nè nos pereamus. Demoſthenes patricius dixit: Dic mihi antique impoſtor, cuius conditionis es? Beatiſſimus Apollinaris reſpondit: Equidem non nego coram gloria tua, ſed planè confiteor Chriſtianum me eſſe, & à Petro Apoſtolo eruditum,& ad hanc feliciſſimam vrbem miſſum,vt per nomen Ieſu Chriſti ſalutem conſequantur credentes in eum. Demoſthenes patricius dixit: Quid multa? Iam tempus eſt, vt miſſa vanitate tua, dijs ſatisfacias. S. Apollinaris ait: Ego meipſum ſacrificiũ offero Deo pro ſalute filiorum meorum,quos mihi acquiſiui. Tibi autem dico: quiſquis non receſſerit à cultu deorum veſtrorum,& adorauerit Deum cæli,terræ & maris,qui cum Domino Ieſu Chriſto regnat in æternum, is perpetuis gehennæ flammis concremabitur. Qui autem crediderint & baptizati fuerint, habebunt requiem ſempiternam, & diuitias inæſtimabiles.

Reſponſum Veſpaſiani Imperatoris.

Marc.16.

Cap. 14. Tum furore pércitus iudex, tradidit eum cuſtodiendum Centurioni, occultè Chriſtiano,vt interìm cogitaret,quibus eum ſupplicijs perderet.Centurio itaque perduxit eum * Cluſàm in domum ſuam,& poſt dies paucos dixit ei: Domine pater, noſti tam citò mortem oppetere,cùm vita tua nobis neceſſaria ſit. Egredere noctù, & abi in vicum, vbì ægri morantur, donèc furor populi conquieſcat. Sicque media nocte dimiſit eum,vt fugeret. Sed vbì res innotuit dæmonum cultoribus, inſecuti ſunt eum, & appræhenſum non longè à porta tandiù cecíderunt, donèc putarent extinctum. Porrò ante lucem collectus à diſcipulis, perductus eſt in vicum, vbì leproſi degebant, & ibì inter Chriſtianos decumbens, ſeptem dies ſuperuixit,admonens eccleſiam, nè à fide Chriſti diſcederet,ſimul annuncians, multas imminere pro Chriſti nomine perſecutiones: ſed tandèm poſt plurimas tentationes etiam principes ad fidẽ Chriſti acceſſuros, omniaque deorum ſimulacra euerſuros,& toto orbe terrarum hoſtiam à Chriſtianis Deo viuo liberè oblatum iri. Addidit etiam: Qui permanſerit in fide Ieſu Chriſti,vita viuet,& non morietur. His & alijs multis eos inſtituens ſermonibus, vita functus eſt beatiſſimus martyr & Epiſcopus Ieſu Chriſti Apollinaris, & ſepultus eſt extra muros * Cluſenſes in arca ſaxea à diſcipulis ſuis.Ea verò arca propter metum gentilium ſub terram miſſa eſt. Gubernauit eccleſiam ſuam annis octo & viginti,menſem vnum, dies quatuor. Paſſus eſt ſub Veſpaſiano Auguſto, X. Calendas Auguſti: Regnante Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum,Amen.

alij * Claſſem legunt, ſed vtrũque vt ſuſpicor, mendoſè.

Eius prophetia.

Feliciſsimè moritur.

* Claſſenſes

PETRI

PETRI DAMIANI SERMO I. IN FESTIVITATE S. APOLLINARIS.

HODIERNA die,fratres chariſſimi,ad iucundum nimìs ſatisq; delectabile ſpectaculum venimus,& glorioſæ palęſtrę certamen oculis fidei contemplati ſumus. Vidimus enim vnum ciuem ſupernæ Hieruſalẽ pro Rege ſuo ſtrenuè ad bella procedere,& innumerum Babyloniæ vulgus vnanimi conſpiratione contra vnum caput ferociter dimicare. Vidimus militem Chriſti contra mundũ triumphale vexillũ Crucis inferre, vidimus econtrà amatores mundi pro dilecto ſuo contipatis cuneis obuiare. Illi enim vndiq; circunfuſi diuerſa tela conijciũt, ſagittas emittunt,machinas erigunt: & vt vallum Chriſti irrumpere valeant, omnia præliandi argumenta componunt: hic autẽ enſe verbi ſpiritalis accinctus, lorica fidei indutus, ſpei galea præmunitus, ſub patientiæ ſuæ ſe clypeum colligit, & hoc contra omnes bellicæ tempeſtatis ictus vigilanti oculo circunducit. Illi ignem adhibent: ſed iſte immenſę charitatis ardore ſuccenſus,incendia exterioris flãmę non ſentit.Illi bullientibus aquis dilacerata membra perfundunt:iſte largo ſancti Spiritũs imbre diuinitùs refrigeratur,cantans cum Propheta: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Illi virgis cædunt, ſudibus frangunt, eculeo ſuſpendunt, in carcerem mittunt, poſtremò catenatum in exilium dirigunt: iſte verò in arce mentis conſtitutus,quicquid erga ſe agitur,ſub ſe fieri quaſi alius quidam eminùs intuetur,dicens cum Paulo: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. & iterùm: Licèt exterior homo noſter corrumpatur, is tamen, qui intùs eſt, renouatur de die in diem. Id enim,quod in pręſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ,ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Cuncta ergò hoſtium iacula facta ſunt beato Apollinari glorioſè vincendi materia. Et vndè illorum crudelitas dejicere nititur,indè iſtius patientia ad ſtandum firmiùs roboratur. Sanctus enim vir interperſecutionum bella depræhenſus, quò duriùs telorum grandinem inhorreſcere conſpicit,eò cautiùs vndiquè ſcutum ſuæ grauitatis opponit.Et quò violentiùs pugnę impetus videt ingruere,eò magìs ſe ſtudet & in vires colligere,& ad agendum fortiter excitare. Vbiquè paratus aſſiſtit, vbiquè vigilanter intendit, & venientibus vndiquè gladijs imperturbatus occurrit.

Iulij 23.

Epheſ.6.

Pſal.65.

Eſa. 43.

2 Cor.4.

Ibidem.

Quia verò, fratres mei, beati Apollinaris agonem, palæſtram ſuperiùs nominauimus,vtrum nam congruè poſitum ſit,ſi placet,paulò ſubtiliùs inquiramus. Palæſtrita quippe nudus luctatur: & beatus Apollinaris mundanæ poſſeſſionis indumento nudus fuiſſe cognoſcitur. In ſpectaculo autem ciuiũ huiuſmodi lucta proponitur,& beatus Paulus de ſe alijsque Chriſti bellatoribus congruè teſtatur, dicens: Spectaculum facti ſumus Angelis & hominibus.Solet autem pueris oleum,quod videlicet Chriſma ab eis dicitur, à campiductoribus tribui, vndè eorum debeant omnia corporis membra perũgi: ſanctus verò Petrus Apoſtolus beati Apollinaris non dicam campiductor, ſed ductor, ſancti Spiritũs eum vnctione perfudit, cùm ad certamina perſecutionum miſit. Vt enim in ſancta geſtorum illius narratur hiſtoria, ait beatus Petrus Apollinari diſcipulo ſuo: Quid ſedes nobiſcum? Eccè eruditus es de omnibus, quæ fecit Ieſus. Surge,accipe Spiritum ſanctum,ſimulque Pontificatum, & perge ad vrbem,quæ vocatur Rauenna.Quod enim dicit,Accipe Spiritum ſanctum,& perge,tale eſt àc ſi diceret: Oleo membra perfunde,& bellum viriliter conſere. De hoc enim ſancti Spiritũs oleo per Prophetam dicitur: Computreſcit iugum à facie olei.De hoc & per Pſalmiſtam canitur: Inueni Dauid ſeruum meum,oleo ſancto meo vnxi eum.

1.Cor.4.

Spiritus ſanctus rectè oleum dicitur.

Eſa.10.

Pſal.88.

Mos verò eſſe campiductorum ſolet, vt priùs certaturi diſcipuli membra peruideant, videlicet quàm latum validumque ſit pectus, quàm ſani plenique tumeant lacerti,quàm ſubterpoſitus venter nec mole grauet, nec extenuatione debilitet: & ſi cuncta bellico vſui apta eſſe perſpexerint,mox eius ſegnitiem dura ſcueritate corripiunt, & deſides adhuc animos in amorem laudis accendunt & hortanter inſtigant, & nè formidare debeat,ſuam ipſius coram eo fortitudinem laudant. Sic nimirùm beatus Apoſtolus quaſi ante ipſum arenæ veſtibulum alumni ſui membra conſiderat, & vt ſe ad congrediendum præparet,verbis ſuaſoriæ adhortationis inflammat.Quid eſt enim dicere,Quid ſedes nobiſcum? Iam depone deſidiam, vt poſt peractam victoriã peruenias ad coronam? Et quid eſt dicere,Eccè eruditus es de omnibus,quæ fecit Ieſus, nisì omnes tui corporis artus iam perfecto vigent robore, nihilque tibi ſupereſt, nisì vt timore

Qualis eſſe debeat miles Chriſti.

more postposito incipias dimicare? Vndè aptè subiungitur: Prædica eis de nomine Iesu, & nè formidaueris: tanquàm diceret: Ex iussionis meæ authoritate congredere, brachia confere, vt communem vtriusque Regis possis victoriam de triumphatis hostibus reportare. Percurre impiger stadium, vt ad propositũ victoribus mercaris pertingere brauium. Non dubites arripere pugnam, de qua nobilem referes, authore Deo, victoriæ palmam. Ego tibi præcipio, qui potestatem ligandi non solùm in terra, sed & in cælestibus habeo, ego te ad pascendas oues Dominicas mitto, qui ouile totius sanctæ Ecclesiæ iniuncta mihi cura custodio. Prærogatiua ergò magistri sit discipulo audacia præsumendi, & mittentis authoritas sit fiducia missi.

1. Cor. 9.

Eccè primatũ beati Petri Apostoli.

O beate Apostole, quàm libenter, quàm alacriter motum tuę diuersitatis intueor, & nunc te debilem, nũc fortissimũ pulchra varietate contemplor. Debilem, inquam, negando magistrum: fortissimum verò, pro eiusdẽ magistri confessione mittendo discipulum. Non times discipulo Rauennam multarũ vrbium dominam assignare, qui tibimetipsi expaueras vnius sacerdotis ancillam. Non metuis illum in procellosos fluctus turbulentissimæ ciuitatis solum mittere, qui cum ipso Creatore mariũ, super marinas vndas expaueras ambulare. illi nanque dictum est: Aquilonem & mare tu cresti. Cùm enim dixeris: Domine, iube me venire ad te: nisì statim expauisses, mergi viquè non cœpisses: nisì in naui fidei aliquam naufragij vndam pertulisses, nullatenus ex ore Veritatis audisses: Modicæ fidei, quare dubitasti? Nec mirum, tibimetipsi maris tunc formidâsse periculum, qui pro cadẽ mentis infirmitate, Magistrum & Dominum tuũ nolebas Crucis subire paribulum. Cùm enim tibi diceret, quòd pro redemptione humani generis crucifigendus esset, protinùs respondisti: Absit à te Domine, propitius tibi esto Domine, nè fiat hoc. Quid est, beate Apostole? Nunquìd vis clauderelocum, vndè nostræ redemptionis est precium exiturum? Nunquìd vis fontem restringere, qui prauitatis nostræ descendit maculas emundare? Eccè iam nôsti illum proculdubiò Deum esse, & tamen dissuades mortem subire. Nisì enim Deum crederes, Propitius tibi esto Domine, non dixisses. Concordat quidem fides discipuli cum assertione Magistri. Potestatem, inquit, habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam. Sed qui fide stas, infirmitate iaces: quem fides erigit, timor stecnit. Qui ergò Magistro Crucis timueras mortẽ, & tibimetipsi pelagi profundiratem, nunc dilectum discipulum non dubitas mittere inter persecutorum furentium rabiem. Cur hoc, nisì quia completum est in te quod per coapostolum tuum dicitur: Quia timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem? Iam enim iterùm audieras à Domino: Simon amas me? Et respondens: Domine, tu scis quia amo te: ilicò audisti: Pasce oues meas. Dixerat iterùm Dominus: Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos. Sicut ergò te Dominus dilexit, cùm pro pascendis ouibus suis inter scandala persecutorum misit: sic & tu discipulum diligis, cùm pro eisdem ouibus ad martyrium dirigis.

Matth. 14.

Matth. 16.

Iohan. 10.

1. Iohan. 4.

Iohan. 21.

Iohan. 15.

Sed libet, fratres mei, hæc Apostolica verba subtili indagatione discutere, & quomodò canonica ecclesiasticæ censuræ authoritas in eligendis præpositis vnam vbiquè teneat regulam præuidere. Dicitur enim beato Apollinari: Quid sedes nobiscum? Eccè eruditus es de omnibus, quæ fecit Iesus. Rursùs idem Apostolorum princeps cùm in loco Iudę alium subrogare voluisset Apostolum, vt neophytorum reprimeret prauitatem, dixit: Oportet ergò ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum existis. Hinc idem ipse gentibus Christum euangelizans aiebat: Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquàm surrexit à mortuis. Hinc ipse Dominus in Euangelio cùm de mittendo sancto Spiritu Apostolis loqueretur: Ille, inquit, testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis: tanquàm diceret, idcircò idoneum de me testimonium perhibebitis, quia quicquid alios docueritis, longæ conuersationis assiduitate ipsi anteà didicistis. Audiant neophyti, audiant elati, & quasi folles vento arrogantiæ & igne cupiditatis inflati, quia non volunt discere quod sciant, & in schola Christi antè inhiant in cathedra præsidere, quàm ferulã sentiant: Dumque inordinato ordine non per ostiũ, sed aliundè ad regiminis iura prorumpunt, non se pastores esse, sed & fures, & mercenarios patenter ostendunt: qui prodesse non curant, sed præesse flamma perniciosissimæ cupiditatis anhelant. Hi profectò non præferuntur, vt

Act. 1.

Act. 10.

Iohan. 16.

Attende, quàm sit nepharijs ambire dignitates, præcipuè: nepotis personis.

Iohan. 10.

Christi ouile custodiant, non vt gregem Dominicum pascant, sed vt miseram carnem suam in lasciuijs & cupiditatibus molliter nutriant: dumque se proximis prælatos esse considerant, cæcam mentem in superbiæ cornibus exaltant. Audiãt ergò qui eiusmodi sunt, & vel curent se ab hac præsumptione compescere, vel nouerint se à corpore sanctæ Ecclesiæ iam, etsì nõ apertè, verè tamen radicitùs præcisos iacere. Eccè beati Apostoli, super quos quasì solidissimas bases, sancta fundatur Ecclesia, non nouitium, non indoctum, sed illum ordinant, quem in doctrina & sanctæ conuersationis studio perspexerint esse maturum. Hoc quærit Petrus in Matthia, cùm eligit in Apostolatum, hoc in Apollinare cùm promouet in Episcopatum. Quod ergò Dominus prouiderat in Apostolis, hoc Apostoli considerant in Apostolicis viris.

Qui sint assumendi ad præsulatum.

Illud etiam prætereundum non est, quòd beatus Apostolus osculans discipulum, emisit eum à se. Hìc antiquorũ patrum consuetudo recolitur, & in nouo seculo verum Patriarcharum antiquitas reparatur. Eccè Isaac iterùm filium osculatur. Eccè Iacob iterùm benedicitur, & Patriarcha à Patriarcha ex authẽticæ traditionis ordine consecratur. Illi dictum est, Accede ad me, fili, vt benedicat tibi anima mea: isti dictũ est, Surge, accipe Spiritum sanctum. Illi dictum est: Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei: isti verò dicitur, Mittat Dominus noster Iesus Christus Angelũ suum, qui præparet iter tuũ, & quæ postulaueris, annuat tibi. Sic & Iacob Ephraim, & Manasse filijs Ioseph osculum præbuit, cùm eos interreliquos Patriarchas constituens benedixit. Hinc etiam Ecclesiasticus mos inoleuit, vt Pontifices his, quos consecrant, osculum tribuant. Hinc, fratres, hinc rogo colligite, beati Apollinaris quanta sit celsitudo, qui vt Apostolus ad arcem Pontificatûs eligitur, vt Patriarcha solenniter ordinatur, qui & ab illo, & non diuerso modo prouehitur, à quo & Apostoli promouentur. Videtur ergò in illo & Apostolica dignitas, & Patriarchalis sublimitas: quia & Apostolico ore prouehitur, & Patriarchali solennitate consecratur. Vndè fit, vt cùm cæteri, qui pro testimonio veritatis supplicia passi sunt, martyres nuncupentur: hic quia nõ solùm passus, sed etiam ad martyrium ab Apostolo tam nobiliter est electus, Apostolicus martyr iure dicatur.

Nota patrũ traditiones in Ecclesia seruari.

Gen. 27.

Gen. 48.

Martyres vnde dicantur.

Inter hæc vos, fratres charissimi, ad vosmetipsos redite, actus vestros solicita examinatione discutite, & qui laudes martyris libenter auditis, laudabilẽ vitam habere curate. non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Illi enim dignè sanctos laudibus efferunt, qui laudabiliter viuunt. Et hi fortiũ virtutes vtiliter audiũt, quos audita præconia ad amorẽ imitationis accẽdut. Cęterùm quid prodest si alios constitutos in sublimibus videas, ipse verò in præceps ad ima descendas? Quid prodest fortium bellatorum triumphos extollere, si ipse non erubescas quotidiè terga hostibus dare? Quisquis ergò gaudes fortiter egisse martyres Christi, corripe & ipse arma inter milites Christi. Desunt exteriùs hostes? Verte manus in te, & multos seditiosos inuenies ciues. Domа superbiam, iugula iracundiam, extingue libidinem, reprime auaritiam, occide inuidiam, & vt breuiter cum Apostolo cuncta complectar, crucifige carnem tuam cum vitijs & concupiscentijs. Hoc est fortiter agere, hoc est viriliter dimicare. Nam quid iuuat si circa vallum te non obsideant acies persequentium, & intrà vrbis mœnia grassetur barbaries vitiorum? Vis autem adhuc apertiùs discere, qualiter in pace sanctæ Ecclesiæ valeas martyrium inuenire? Audi attentè, intellige diligenter. Cor vigilet, oculus cùm dormitat. Quod enim dico, breuissimum est. Ascende igitur tribunal mentis, & temetipsum pertrahe ad iudicium quæstionis. Cogitatio accuset, animus iudicet, pœnitens cõscientia velut carnifex feriat, lachrymarum riuus tanquàm vulnus erumpat. Sic sic per martyrij similitudinem, ad veram peruenies martyrũ dignitatem, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & gloriatur per infinita secula seculorum, Amen.

Vides vbi quę laudabilem vitã requiri.

Eccli. 15.

Gal. 5.

Attende, quomodò ad martyriũ spirituale peruenìatur

EIVSDEM SERMO SECVNDVS VNDE SVPRA.

Festum sancti Apollinaris Episcopi & martyris.

Apostolici martyris glorioſa solennitas, fratres charissimi, alacrem fecit vestræ deuotionis adesse conuentũ. Vndè dignũ est, vt cõmuni vobiscum lætitia pariter exultemus, & totam hanc diem in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus expendamus. Meritò hodiè profusis gaudijs totus vbiquè terrarum orbis exultat. Meritò sancta Ecclesia, dispositis fideliũ choris, dulcisonas melodiarum voces alternat. Gaudeat Antiochia, quæ talem meruit gignere filium: ex-

Duo hic ad nota, ſanctos ciuitatum eſſe patronos, & illorũ cor porib' ipſas ſanctificari. Epheſ 2. 1 Pet. 2.

ultet Roma, quæ talem potuit habere diſcipulũ, præcipuè verò iubilet vrbs Rauenna, quæ tantum meruit referre patronum. Quæ enim erat dæmonum anteà delubrũ, per hunc cæleſtium ſenatorum facta eſt capitolium: ibì enim iam martyrum corpora requieſcunt, ibì multorum ſanctorum patrocinia reconduntur. Quæ ergò priùs malè fœcunda in filijs ſuis multas ſtipulas germinabat inferno, iam per Dei gratiam multos ciues parturit cælo: vt iam populo illius non immeritò dicatur: Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. & per Petrum: Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Reges enim ſumus, quia Crucis vexillum in fronte portamus. Sacerdotes autẽ iure dicimur, quia Chriſmatis vnctione linimur. Iuſtè ergò egregia illa metropolis de beati Apollinaris feſtiuitate ſpecialiter gaudet, per quem olim profana & ruſtica, facta eſt nunc ſacerdotalis & regia. Cui cum Romanis arcibus adeò communis eſt dignitas, vt illa mater, iſta dicatur congruè filia: quod enim illa in cæleſti clauigero, hoc totum iſta poſſidet in diſcipulo: & quod illi prærogat Apoſtolus, hoc etiã iſti martyr Apoſtolicus.

S. Apollinaris ſpiritualis Romæ filius.

Si enim Conſtãtinopolitana ciuitas, quia Romanos in ſe tranſtulit ciues, ſecunda Roma eſt nuncupata: quanto magìs hæc, quæ tantum Principem de Roma ſuſcepit, ſecunda Roma eſt appellanda? Nunquidnam glorioſius eſt ſuſcipere Quirites de Romana curia, quàm habere martyres de Romana Eccleſia? Ex ea igitur parte, qua Roma carnalis eſt, carnales genuit: ex ea verò qua ſpiritualis eſt, ſpiritualem ex ſe filium procreauit. Quod enim natum eſt de carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Quòd autem tantum ciuitati illi tribuimus, vt Romæ ſimilem eſſe dicamus, ad laudem Dei referimus, non fauores hominum affectamus. Nam ornatus habitationis, decus eſt habitantis: & honor militis, gloria eſt Imperatoris.

Iohan. 3.

Libet autem, dilectiſſimi, pulchrum diuinæ diſpenſationis ordinem ſtudiosè perpendere, & quàm mirabiliter omnipotens Deus regionis illius tenebras illuſtrare decreuerit indagare. Sicut enim matutinus lucifer ab ortu ſurgens ſolem præcedit, ità beatiſſimus martyr ab orientali plaga progrediens, nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui verè eſt ſol iuſtitiæ, primus Rauennæ finibus introduxit. Et quàm benè ſibi lucifer nomen congruit, qui primum aduentûs ſui miraculum de lumine fecit? Nam mox vt in ſuburbano eſt receptus hoſpitio, cæco Irenæi militis filio lumen reddidit, & ſic de parẽtum cordibus infidelitatis tenebras effugauit: nam dum illi oculos reddidit frontis, iſtis multò fœlicius lumen aperuit cordis. Rectè ergò dicitur, quia ſicut lucifer in orbem, ità beatiſſimus vir ſuam eſt delatus in vrbem. Quot autem ibi ſupplicia ſuſtinuerit, quot mortium tormenta percurrerit, ille quidem perferre mirabiliter potuit, referre quantalibet linguæ noſtræ facundia non valemus. Cæditur, vritur, vulneratur, eculeo tortus per mẽbra cuncta diſcerpitur: ſed quò magìs caro tormenta concutitur, eò mens in Deum fixa firmiùs roboratur, & quaſi igne ſucceſſa materies, quò plùs aduerſitatũ ventis impellitur, eò in amorem Dei ardentiùs inflammatur. Sanctus quippe vir dum forìs tolerat turbinem perſecutionis, intùs recurrit ad arcem mentis, & indè cuncta ſub ſe ire deſpicit, inter quæ tranſire corporaliter etiam ſemetipſum cernit. Minas non metuit, tormenta alacriter patiendo contemnit. Hinc enim per Salomonem dicitur: Iuſtus quaſi leo confidens abſq; terrore erit. Hinc ab eo iterùm ſcriptum eſt: Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit. Iam quippe ſpiritus ad alta ſuſpenſus in hoc ineffabiliter gaudet, dum ſibi cumulari gaudia per tormẽta videt. Pœnis fouetur, incendio refrigeratur, fame reficitur, inopia dilatatur, & id maximum lucrum deputat, ſi grauem de paſſione Domini ſarcinam portat, tantumque ſibi minui timet de præmio, quãtum ſibimet ſubtrahi conſpicit de tormento. Quid plura? Iterùm cæditur, iterùm cruciatur, ad extremum quoquè nudis plantis ſuper ardentes prunas ſtare cõpellitur: ſed dum vterque pes ſuppoſito igne comburitur, lingua in confeſſione Chriſti liberiùs relaxatur. Segnior quippe fuerat ignis, qui exteriùs incendebat, quàm qui interiùs inflammabat, tanquàm alter coqueretur, & alter loqueretur, alius verba ederet, alius verbera ſuſtineret: & reuerà alter, Veritate atteſtante quæ ait: Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et vt triumpho beatiſſimi martyris ipſa contraria elementa concorditer ſeruiant, dum ignis potentiori igne contemnitur, caro quæ vſta fuerat, aquis bullientibus elixatur, ſicque in odore ſuauitatis Domino duo ſacrificia ex vna fiunt victima.

Cæcũ illuminat in ſuburbijs Rauennę ciuitatis.

Matth. 10.

Multa patitur Rauẽnę.

Prou. 25.

Attẽde eius conſtantiã.

Agè agè reſponde mihi, turba frenetica, & ab ipſis furioſis meritò deridenda. Quid furis? Quid fæuis? Quid cruentis dentibus & lupina rabie debaccharis? Nunquid ſpe-

ſperas ſupplicijs Chriſti militem cedere, & à ſancto propoſito mentem poſſe mutare? Non eſt huiuſmodi mens in Deum fixa, ignorat in bello perdere militiam Chriſtianam. Neſcit prælior noſter rigore molleſcere, neſcit gladios formidare, immò quò magìs impetitur, eò robuſtior inuenitur. Eià percute, incende, coque, gyra, regyra, diuelle à viſceribus viſcera, imprime vulneribus vulnera. Apollinaris noſter ſi diſcutitur, idem ipſe qui fuerat, inuenitur. Non poteſt iam Chriſtum in loquẽdo negare lingua, quem cætera patiendo confeſſa ſunt membra. nam ſi fictile ſui corporis vaſculũ, dum adhuc ſanũ eſſet, pro conſeruãdo fidei theſauro lacerari permiſit, quantò magìs tunc pro iam quaſſato & fracto, tam precioſum theſaurũ perdere formidabit? Tu ergò, tu miſerabilis turba agonothetã Chriſti dum deijcere moliris, dum ſuperare niteris, inſuperabilem reddis. Tu facis, vt corpus ſuum ille deſpiciat, & ex eo egredi tota animi alacritate contendat, & dum nouis & exquiſitis ſupplicijs eum mirabiliter crucias, vt mirabilem facias martyrem elaboras: tua enim ſtulta ſapientia fecit, quòd hodiè nomen beati Apollinaris tam clarum & celebre per ora fidelium currit. Seruiſti nẽpe, dum ſeuiſti, & auxiſti palmã, dum exaggeras pœnam: nam quid non ad victoris gloriam vecors ingeniũ tuum reperit, quandò in honorem tranſierũt triumphi ipſa etiam inſtrumenta ſupplicij? Sed adhuc diligentiùs laceratum corpus exanima, adhuc ea ipſa, quæ confecta ſunt, membra retracta, coque, diſcerpe, iacta, cæde, verbera, percute, iam de toto corpore inuictiſſimi martyris quid aliud niſì plagas poteris vulnerare? Bulliat aurũ, non minuitur: cædatur adamas, non ſecatur. Iam deniquè ille ad cæli culmen anhelat, iam mente in ſublimibus habitat: nihil doler, nihil timet, niſì, ô perſecutores, ſolam pietatem veſtrã, quæ ſi ei tribuitur, ab ipſo impietas crudeliſſima deputatur, & ſi tela veſtra ad eius vultis interiora pertingere, ſola illum pietate ferite. Tunc enim grauiter indignamini, ſi miſeremini: tũc multùm laceratis, ſi parcitis, & vt ità dixerim, tunc parcitis, cùm punitis.

S. Apollinaris auro & adamanti cõparatur.

O robuſtiſſimum pectus, quod nulla queunt tela perfodere, nulla poſſunt ſpicula penetrare. O munitiſſimum Chriſti vallũ, quod non impacti arietes diruunt, nulla machinarũ armamenta conuellunt. Quanta hunc retributionis gloria nunc extollit in ſummis, quẽ tanta tribulationis aduerſitas preſſit in imis? Nunc enim cum ignitis beatorum ſpirituũ cœtibus emicat, cum trabeatis ſenatoribus curiæ cæleſtis exultat, cum patriarchis in aureo ſublimiter ſolio inthronizatus, cum purpuratis martyribus mirabiliter coronatus, cum his omnibus ſtola indutus gloriæ ineffabiliter emicat, & ante Imperatorem ſuum melodum alleluia perenniter iubilat. Quò, te precamur, martyr beatiſſime, vt nos manus tuæ orationis erigat, quos reatus noſtri pondus inferiùs grauat, quatenùs qui hîc tuæ virtutis præconia referre gaudemus, illic tuę beatitudinis partem aliquam ſentiamus: Per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Legãt hæc, qui mendacijter atleruit, ſanctorum animas poſt mortẽ non recipi cælo.

EIVSDEM SERMO TERTIVS VNDE SVPRA.

AVdiuimus hodiè, fratres chariſſimi, inſuperabilẽ Chriſti militis fortitudinem, audiuimus triumphalem Apoſtolici martyris paſſionẽ. Mirabilis in perſequentibus pugna, mirabilis in perſecuto victoria. illi enim ad expugnandum Chriſtianę militiæ ſtrenuum bellatorẽ, non ſolùm ferrea arma corripiunt, ſed ignes, aquas, ligna, lapides, & vniuerſa penè elementa armorum materiam faciunt, & in præliandi argumenta conuertunt. Iſte verò quò acriùs impugnatur, cò robuſtior inuenitur: & quò magìs corpus per tormenta diſtenditur, eò magìs fides augetur. Inſuperabilis deniq; miles eſt, cui virtus ex vulneribus creſcit, ex minarũ terroribus animoſitas ſurgit. Noua & inaudita pugna eſt, vbì peregrinus expugnat vrbem, incola ciuitatẽ, vnus populũ, imbellis cuneũ, inermis aciem, perſona deijcit legionẽ. Mirabilis & ſtupẽda victoria eſt, vbì viuit qui occiditur, ſurgit qui deijcitur, vincit qui ſuperatur, & poſtq̃ mortuus fuerit, omnẽ aduerſæ partis aciẽ ad ſui Imperatoris ſigna conuertit. Vbì mors euaditur, cùm ſubitur: vita incipit, cù finitur. Nouũ litigiũ, vbì iudicio pſidet populus, & vnus deducitur iudicandus: vbì vnus innocẽs accuſatur, multorũ damnabiliũ cẽſura depromitur, vbì iuſtus vapulat, reus dãnat.

Attende quot & quãta ſuperarit tormenta.

Corporalis mors, principium vitæ animæ nouæ.

Sed inter omnes beati Apollinaris non dicã iudices, ſed carnifices, nõ Præſides, ſed tortores, tua, Meſſaline, crudelitas luporum excedit rabiem, leonum exuperat feritatem. Nam poſt cruentorum verberũ cædem, poſt patentium vulnerũ multitudinem,

poſt

Post eculei appensionem, post aquarum feruentium vstionem, os eius saxo contundi Præcipis, & nouo tormẽti genere verba verberibus punis. Eccè artifex sæuitia tua per effusam fellis amaritudinem noui te supplicij fecit authorem: & cæcatus per iracundiam mentis oculus illud excogitando nouo supplicio præuidet, quod sano consilio conspicere vix valeret. Et reuerà quid tibi reliqua membra fecerant cùm laniabas, cùm cruciabas, cùm torquebas, cùm omnia immaniter & lupinis morsibus depascebas? Ore te offenderat, ore te obiurgauerat, ore frontis tuæ inuerecundiam confutabat. Muta membra nil fecerant. Cur ergò, quod non admisit culpam, sustinet pœnam? quod non læsit, cur læditur? quod non deliquit, cur vindicatur? Si vis ergò in reum districtæ sententiæ tuum proferre vigorem, verbum examinetur, verbum iudicetur, verbũ verberibus torqueatur. Et quid plus dicam? Anima linguæ, quæ peccauerat, ipsa moriatur. Sed quid prodest, si in eum exerceas vindictam, in quo vindictæ nequeas compescere causam? Si enim contuderis os carneum, est qui interiùs fabricet aliud, quod quidem possis audire, sed nulla valeas animaduersione punire, ille vidélicet, qui discipulis suis dicit: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui nõ poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri: ille, inquam, qui dicit: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Luc.21.

Matth.10.

Sed iterùm in carcere horrifico clauditur, grauissimo catenarum pondere compeditur, in ligno extenditur, omni alimentorum sustentatione priuatur. Ad constringendum quidem omninò carcer sufficeret, etiam si catena deesset: ad puniendum autem sufficeret ignis pœna, etiam si famis cessaret inopia. Sed cui terrena esca subtrahitur, cælestibus epulis enutritur. Et victus, quem iudicis impietas negat, Dei largitas administrat. Et quod non tribuit carcerarius, minister hominis factus exhibet Angelus. Angelus enim Domini nocte veniens ad eum, videntibus custodibus, pauit & confortauit. Quàm delicioſa fame affligitur, qui cælestis promptuarij dapibus satiatur, cui cælum fit cellarium, cælestis promus exhibet ministerium. Quàm feliciter miser est, qui dum terrenis eget impendijs, Angelicis fulcitur obsequijs, cui xeniũ diuinitùs mittitur, angelitùs ministratur.

Cælitùs de pascitur sanctus Apollinaris.

Sed ô quàm pulchrum spectaculum, & quanta spectantium admiratione dignissimum, cùm tam strenuè dux Imperatorẽ sequitur, martyr Regẽ imitatur. Quis enim posset ab illius spectaculi visione satiatus abscedere, si ad videndũ quod nõ videbatur, clarum mentis oculum potuisset habere, cùm cerneret inuictissimum bellatorẽ Christi, in carceris horrore conclusum, quem tam alacriter expectabat splendidissima aula regni cælorum? cùm adspiceret ciuem cæli cum tanto triumpho de exilio ad patriam reuocari? cùm videret Christi militem, tam potenter deuicto mundo, regna siderea penetrantem? Veruntamen adhuc differtur, adhuc in exilio retinetur, vt redeundi ad patriã magìs ac magìs desideriũ augeatur: non enim cessat adhuc cruenta bestia totis malitiæ suæ viribus circa Christi martyrẽ insanire. Nam eccè iterũ catenatus, sicut de carcere trahitur, in naui ponitur, in exiliũ mittitur: deinde tempestas oritur, nauis frangitur, nautæ omnes naufragio moriũtur, beatus martyr cum tribus suis clericis & duobus militibus liberatur.

Eripitur à naufragio.

Quid est hoc, Messaline? Cur iterùm vesanis? Cur iterùm deciperis? & amisso rationis consilio, quid irrationabiliter facias non attendis? Eià rogo, dic mihi, quis potest exulem in exilium mittere, quis peregrinũ peregrè destinare? Antiochenus potest de Rauenna in exiliũ dirigi? Orientalis de occiduis finibus deportari? Sed dum facis exulem, significas ciuem. Et cùm iure postliminij reuersus fuerit, in vrbanæ conditionis titulos, quibus deportatus fuerat legibus remeabit. Et certè si vir sanctus exilium timuisset, Rauẽnam vsque de Antiochia non venisset. Postremò quẽ longiùs ire compellis, cur catenarũ nexibus non absoluis? Si vis tenere, cur mittitur? Si vis mittere, cur ligatur, maximè cùm catenæ tuæ non magìs nexibus ligent, quàm põderibus grauent? Econtrà vbi mare detumescit, tu inflaris: vbi ventus vim tẽperat, tu spiras: vbi Eurus cessat, tu sufflas: quem procella metuit mergere, tu nõ dubitas in eculeo subleuare: quem frigida vix audet vnda perfundere, tu non times aquis feruentibus elixare. Furor tuus omniũ beluarum excedit sæuitiã. Stoliditas tua ipsam insensibilium rerum exuperat ignorantiam. Interroga nautas tuos, discè furores tuos. Eccè vbi ipsi vix tandèm laborando solutis brachijs pereunt, nostri ligati iacendo, & absque vlla molestia sui laboris, euadunt. Milites autem, & si non pereunt, tibi tamen funditùs pereunt. Nam iure dicendi fideles transfugæ, vtpotè venientes ad fidem, abiuratis Præsi-

Sæuitia Messalini in Christi martyrem quanta fuerit.

Præsidis armis, sequuntur militiam exulis. Aiunt enim ad eum milites: Domine pater, quò ibimus? quid faciemus? Quibus ait: Baptizamini in nomine Iesu, & viuetis. Qui iamìm renunciantes idolis baptizati sunt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritũs sancti.

Nos autem, fratres dilectissimi, qui veritatem iterũ, Deo aũthore, recognouimus, qui tot virtutum insignia præ oculis posita ad exemplum imitationis habemus, studeamus ad illam beatitudinem omni desiderio tẽdere, in qua iam nouimus triumphatores mũdi de laborum suorum remuneratione gaudere. Eorum vestigia teneamus in via, quorum societatem habere desideramus in patria. Profectò illic erimus quod sunt, si hìc fuerimus quod fuerunt. Nam si compatimur, & conregnabimus: si commorimur, & conuiuemus. Et si complantati facti sumus similitudini mortis Domini, similes & resurrectionis erimus. Non ergò diuidamur in itinere, si iungi volumus in peruentione: non abhorreat momentaneæ potionis amaritudinem bibere, qui ad perpetuæ incolumitatis dulcedinem desiderat peruenire. Qui vult adscribi inter milites Christi, nunc se accingat viriliter ad conflictum, vt post peractam militiam, beatæ quietis accipiat nuncupatum: nunc se præparet congredi, vt meritò valeat post victoriam coronari. Non enim coronabitur, nisì qui legitimè certauerit. Nam delicatus est miles, qui priùs vult vincere quàm incipiat dimicare, qui vult sine pugna victoriam, aut sine victoria anhelat ad palmam. Srultus autem agricola, qui vult turgentes vuarum botros de vite suauiter carpere, & negligit propaginũ surculos laboriosè plantare: cupit implere frugibus horreum, non curans excolere inhorrescentẽ vepribus agrum. Sic, fratres mei dilectissimi, angustam nobis expedit & asperi laboris viam cum sanctis in hoc seculo carpere, si postmodùm volumus ad eorum gaudij latitudinem peruenire. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Proculdubiò autem à vestigijs Christi exorbitat, qui angustam fugiens, latitudinis viam calcat. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Eccè beatus Apollinaris, cuius hodiè nobis festiua dies illuxit, non terrenos honores voluit, non fallaces diuitias congregauit, non mundi gloriam petijt, non transitoriæ possessionis prædia dilatauit: propinquos spreuit, patriam dereliquit, semetipsum quoquè funditùs abnegauit. Ad extremũ quoquè per ferrum, per gladios, per tela, per ignes, per nouas & innumeras mortes regna siderea penetrauit. Sic in sanctis luce clarius manifestatur, quod per Veritatem in Euangelio dicitur: Quia regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.

Sãcti in cælis iam de sua remuneratione gaudent.

2.Tim.2.

Rom.6.

2.Tim.2.

1.Iohan.2.

Act.14.

Matth.11.

Neque tamen hoc dicimus, vt illi solummodò cælestibus digni præmijs habeantur, qui persecutorum gladijs feriuntur. Sæpè enim multi perfectæ & laudabilis vitæ viri, toto mentis desiderio ad martyrij voluerunt culmen attingere, sed quia diuina prouidentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt remanere, qui etiam si nequaquàm fuerint per martyrium cõsummati, à martyrij tamen gloria minimè sunt alieni. Nam & sancti Apostoli beati Apollinaris, Adheritus videlicet, & Calocerus, Matianus, & Eleuchadius, licèt nequaquàm carnificũ gladio sint perculsi, à martyrij tamen desiderio nullatenùs creduntur fuisse extranei: sed omnipotens Deus, qui eos ante secula clementer elegit, in quo voluit ordine profunda consilij sui dispensatione constituit: quæ quanùs sit nobis occulta, nullo modo tamen credi debet iniusta: quãuis sit incõprehẽsibilis, nullo modo tamen cẽsenda reprehẽsibilis. Architectus cùm parietẽ domûs ædificat, alios lapides in imis æqualiter cõstruit, alios in summis artificiosa sublimitate cõponit. Sed dum illi superiùs eminent, isti inferiùs iacent, cõcordi diuersitate vnum simul complent. Sic peritus artifex cùm aurea vel argentea vasa componit, alijs diuersas sculpturas & imagines imprimit, alia verò solummodò polita ex studio derelinquit: vt dum in his, hoc est simplicibus, naturalis color clariùs rutilat, in illis verò anaglyphi sculptoris ingenium ars studiosa commendat, spectantium oculos pulchra ad se rerum varietas trahat. Indumentorum quoquè regalium alia videntur conchylij vel muricis sanguineo rubore perfusa, alia verò niuei coloris nitore candentia. Sed dum ex propria qualitate inter se admodùm differunt, vnam tamen dignitatem de eo, quod communiter contegunt, corpore Regis trahunt. Sic nimirùm omnipotens Deus, dum electos suos ad vnius felicitatis gradum prouehit, Ecclesiæ suæ corpus per varia membrorum lineamenta distinguit. Hinc est enim, quod per Apostolum dicitur: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdã autẽ Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autẽ Pastores & Doctores, ad consummationẽ sanctorũ in opus ministerij in ædificationẽ corporis Christi. Sed licèt varia sit diuersitas transcun-

Duo sunt martyrij genera: corporale scilicet, & spirituale

Varia ecclesiæ membra

Ephes.4.

euntium, vna tamen est via, per quam transitur, illa nimirùm, quã Veritas se sequentibus sternebat, cùm diceret: Angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediantur per eam. Hanc viam ipse Dominus tenuit, per hanc quicunque eum sequi voluerit, incedere iussit. Hanc viam sancti martyres omni studio tenuerunt, antequàm ad martyrium pertingere meruissent. Angustam quippè viam perfectè tenere est, voluntates proprias in omnibus frangere, & maioris imperio humiliter obedire. Quisquis autem per proprij arbitrij latitudinem defluit, pedem mentis ab angustæ viæ semita declinauit. Sed tanto per hanc suum iter plenius dirigit, quanto se arctiùs in ligno clauis obedientiæ crucifigit.

Matth.7.

Angustam viã perfectè tenere, quid sit.

Sed quandò ad ædificationem nostram, dilectissimi, huius tam præcipuæ virtutis exemplum ponere volumus, quia de nullo citiùs occurrit, hunc, de quo agitur, beatũ Apollinarem ad medium deducamus. Vt enim iam audistis, in ipso gestorũ illius naratur exordio, quia beatus Petrus Apostolus ait Apollinari discipulo suo: Quid sedet nobiscum? Eccè eruditus es de omnibus quæ fecit Iesus. Surge, accipe Spiritum sanctum, simulque Pontificatum, & perge ad vrbem, quæ vocatur Rauenna: multitudo enim populi illic moratur: prædica eis de nomine Iesu, & nè formidaueris. Et paulopòst subiungitur: Et osculans eum, emisit à se. Perpendite, fratres mei, quàm libera in magistro præcipiendi authoritas, quàm deuota in discipulo obediendi humilitas: quàm promptus ille fuit ad imponendum imperij iugum, quàm iste paratus extitit ad submittendum obedientiæ collũ. Ille iussionis suæ feueritatem blandiendo non temperat, iste tanti laboris sarcinam non recusat. Solent mũdana eloquentia eruditi, locutionẽ suam rhetorici coloris suauitate componere, & quæque difficilia, cùm volũt, blandis & exquisitis verbis leuia demonstrare: vt si quandò graue aliquid imperant, auditorem ad sua vota conuertant. Beatus verò Apostolus non blanda verba composuit, non rei euentum prosperum repromisit, sed rem difficilem simpliciter imperauit. Inter hæc illud etiam ad mentem redit, quod Dominus Abrahæ, dissimile quidem, sed non dissimiliter iussit: Tolle, inquit, filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum. Sufficeret nanque Domino dicere, Tolle filium tuũ, sed adiungit, Quem diligis Isaac: vt reducta patri ad aures dilectione filij, probaretur in animo quantus viueret amor Dei, quatenùs audita dilectio filij paternum pectus accẽderet, sed rursùs exuperante diuini amoris flamma, semetipsum obedientię gladio mactans, in ara cordis veriùs immolaret. Hoc etiam modo beatus Apostolus, cùm discipulo suo diceret, Perge Rauennam, àc si terrorem sibi vellet incutere, protinùs addidit, Multitudo enim populi illic moratur.

S. Apollinaris Rauennam mittitur.

Gen.22.

Poterat autẽ beatus Apollinaris magistro suo verbis huiusmodi respondere: Multitudinem populi dicis, & vnum cõtra multitudinem dirigis? Multa esse hostiũ agmina ipse nõ negas, & vnũ inermem hominem contra eos mittere non formidas? Quomodò pugnabit nuda lingua vnius hominis aduersùs armatas manus aduersarię multitudinis? Quid poterit imbellis peregrini persona aduersùs tot frementium ciuium agmina? Non benè coæquatur pugna, vbi ex vna lingua iaciuntur verba, & ex innumeris manibus incutiuntur verbera: vbi hinc emittuntur sermones, inde euolant vectes. Saltèm vnum mihi socium dares, solatium tam irremeabilis peregrinationis, vel etiam ipsius prædicationis adiutorem impénderes. Nam & ipse magister tuus Dominus Iesus Christus, cùm vos ad prædicandum mitteret, semper, prout opùs erat, vobis solatium adhibebat. Euangelista quoquè, qui illũ septuagintaduos destinâsse ad prædicandum narrat, non vnum, sed binos ante faciem suam misisse pronunciat.

Luc.10.

Hæc & multa huiusmodi excusationis verba beatus martyr potuisset obtendere, si indomita cernice mentis iugum voluisset obedientiæ detrectare. Veruntamen non restitit, non contradixit: sed mox vt iubentis accepit imperium, omninò credidit necessarium, quod sibi per os magistri ab ipso Domino cognouit iniunctum. Et vt per omnia in virtute obedientiæ beatus Apollinaris Abrahæ similis videatur, sicut illi Deus præcepit dicens: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi: qui nihil hæsitans paruit: Sic & iste mox vt verba Apostolicæ iussionis accepit, protinùs ad obediendum spe certa animum roborauit. Et quod docturus erat verbo, operis præmonstrauit exemplo. Hoc denique studuit humiliter exhibere subiectus, quod iustè accepturus erat & ipse prælatus. Et, sicut de Domino legitur, priùs cœpit facere, & postea docere: vt in semetipso expertus disceret, qualiter accepta potestatis authoritate, alijs imperaret.

Nõ est præcepris Superiorum cõ tradicendũ sed simpliciter obediẽdũ, quia Dominus per eos loquitur.

Gen.12.

Act.1.

Sed

Sed quàm pulcher diuinæ dispẽsationis ordo cognoscitur, si huius rei dignitas pro sui merito studiosè pensetur. Nam qui ab Adam primùm inobedientiæ vitium malè instructi didicimus, primam obedientiæ virtutem ab hoc beatissimo martyre edocti sumus. Et sicut ille inter cætera vitiorum germina primã inobedientiam, nõ loquendo, sed præuaricando, carnalem sobolẽ docuit; ità iste inter alia documẽta virtutum, in primis obedientiã, non lõquendo, sed faciendo, filios spirituales instruxit. Qui ergò inobediendo à supernæ patriæ sublimitate cecidimus, ad hanc versis vestigijs per obedientiam de exilij nostri deiectione redimus. Hinc est enim, quod per Veritatem dicitur: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eijciam foràs. Qui enim ad primum Adam veniunt, ab intimis exire per inobedientiam discunt. Secundus verò Adam factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, in eo, quòd ad se venientibus exemplum obedientiæ tribuit, eos à paradisi gaudijs non expellit.

Iohan.6.

Phil.2.

Ad hæc gaudia, dilectissimi, redire festinemus, non passibus pedum, sed bonorum profectibus operum. Nondùm seculum fortasse reliquimus, nondùm abrenũciatorum more vnum prę cunctis, cui obedire debeamus, elegimus, hanc tamen virtutem, per quam præcipuè ad cælum reditur, obedientiam dico, habere cum Dei adiutorio possumus. Neq; enim de renunciatoribus Saul fuerat, qui ab irato cõtra eum Samuele audiebat: Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & nõ potiùs vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimæ. Quisquis ergò perfectè vis hanc habere virtutem, esto obediens Deo, nec tamen sis inobediens proximo. Vis audire qualiter obedias Deo? Caue quod prohibet. neque enim vnum sine altero valet esse perfectum. Vis etiam audire qualiter obedias proximo? Cùm te frater tuus videt in aliquod vitium delabentem, & corripit te in bono opere tepidum, & ad feruorem te verbis charitatiuæ exhortationis accendit; si non resistis, si nõ contradicis, sed humiliter audis, & te ad id, quod vocaris, accingis, mox reditũ tuum ad patriam, vndè inobediens deiectus fuerãs, per virtutem obedientiæ reformabis. Hoc itaq; modo etiam si non valeas pro Deo mortem subire, vales tamen vitam Deo amabilem ducere. Magnum quippè est mori pro Christo, sed non est inferius viuere Christo. Vtrũque enim in statera Paulus æqua lance pendebat, cùm diceret: Siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domini sumus. Dicis mihi: Non possum inuenire martyrium: Exhibe te martyrio dignum, & martyrij consequéris procul dubiò præmium. Non potes sanguinem fundere, potes temetipsum pœnitentiæ telo percutere, & in cordis contritione mactare. Præparetur ad feriendum iugulus, non deerit remunerator, etiã si defuerit gladius. Deest carnifex, qui ceruicem exteriùs feriat: adest Iudex, qui bonæ voluntati præmiũ reddat. Gloria enim in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Amen.

Si per bonorum profectus operã ad paradisi gaudia redimus, profectò sola fides nõ sufficit ad salutem, vt dicunt hæretici.

1. Reg.15.

Rom.14.

VITA S. LIBORII EPISCOPI ET CONFESSORIS, GRAVITER ET BONA FIDE CONSCRIPTA, VT *testatur author ipse, cuius nomen MS. Codex non habebat: Claruit autem is Author circa annum Christi noningentesimum.*

QVANVIS multifariàm modisq; ineffabilibus supernæ bonitatis erga salutem humani generis pia dispẽsatio cognoscatur, in hoc tamen maximis videtur claresscere indicijs, quòd Ecclesiæ suæ in hac mortali conuersatione pro æternæ vitæ præmio laboranti, tales eruditores defensoresq; prouidit, quorum doctrinis & exemplis informari, quorum meritis & intercessionibus possit in perpetuum adiuuari. Omnib⁹ enim, qui in procinctu fidei positi, agone militiæ Christianæ contra spiritales nequitias iugiter colluctãtur, quid vtilius esse credatur, quàm illorum imitandas præ oculis habere virtutes, qui in eodem agone legitimè certantes, perpetuam adepti sunt victoriæ coronam? Quid felicius, quàm eorum precibus muniri, quibus cuncta, quæ petierint, præstanda veritas ipsa promittit? De his enim loquimur, qui verè in Christo manentes, eiusque in se verba manere

Iulij.23. Cap.1.

Ephe.6.

Iohan.14.

facientes,illud conſecuti ſunt præmium, quod ipſe promiſit, dicens: Quodcunq; vo-
Iohan.15. luëritis petetis, & fiet vobis. Hoc equidē licèt ad Apoſtolos ſpecialiter dictum ſit, per-
tinet tamen nihilominùs etiam ad alios quoſque excellētia ſanctitatis inſignes, illos
præcipuè, qui Apoſtolorū tam meriti, quàm officij ſucceſſione ſublimati, perenni re-
fulgent gratia ſacri præſulatūs. Ij nanq; tanto faciliùs à Deo quælibet impetrāt, quāto
ei & per puritatē conuerſationis,& per ſublimitatē ſacri ordinis appropinquant. Nec
dubium, quin plurimùm illorum preces apud Dominum valeāt: quorum ipſe pote-
Matth.18. ſtatem tātum in cælo terraq; valere conceſſit, vt quicquid hìc ligarent, maneret ibi li-
gatum: quicquid hìc ſoluerēt, eſſet protinùs ibi ſolutum. Præterea illorum officij di-
gnitatem ipſe inhabitator & cōſecrator eorum ſpiritus ſanctus oſtendit, qui per pro-
Malach.2. phetam Malachiam loquitur, dicēs: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem
requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituū eſt. Hinc in Apocalypſi Iohan-
Apoc.1. nis, eccleſiarum preſules nō nisì angeli vocantur, ſignati per ſeptem ſtellas, in Chriſti
dextera demōſtratas: Sunt enim ſtellæ, quia virtutibus radiant: angeli, quia mandata
Epiſcopi ſtellæ. Angeli. diuinæ iuſſionis annunciant. Conſtat igitur, eos nō parùm tranſcendere modum in-
firmitatis humanæ, quos totiès ſcriptura ſancta nō dubitat Angelos appellare. Ipſorū
Luc.24. verò in eccleſia principes & primi propagatores, Apoſtoli fuêre, qui poſt glorioſā Do-
Actor.2. mini noſtri Ieſu Chriſti ad cælos aſſcēſionem, iuxta promiſſionē ipſius, ſancti ſpiritus
infuſione roborati, & ſcientia omnis veritatis inſtructi, in diuerſas mundi totius pe-
nè profecti ſunt regiones, verbum ſalutis annunciantes vbiquè, & tam miraculorum
Pſalm.18. ſignis, quàm prædicationum hortamentis, id in breui efficientes, vt, quemadmodùm
egregius olìm Propheta præcinuit, in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines
orbis terræ verba eorum. Ex eorum igitur ſalutaribus cælestibusq; doctrinis, quas ab
ipſo fonte veritatis largiter hauſerant, Eccleſiaſticorū ordinum regula, diuini cultūs
inſtitutio, & tota catholicæ religionis obſeruatio ſumpſit exordium.

Cap.2. Poſt quos multi per orbem eccleſiarum præſules, illorum in omnibus veſtigia ſe-
cuti, & eorum non minùs virtutum gratiam, quàm ordinis dignitatē adepti, eandem
tenuerunt in fide ſynceritatem, in moribus ſanctitatem, in doctrinæ ſtudio vigilan-
tiam: qua & fideliū mentes corrigerent, & infidelium mentes ab errore cōuerterent.
In quo plures eorum tātum Domino placuiſſe noſcuntur, vt clariſſimis vſquè hodiè
Liborius antiſtes Ce. nomanorū. miraculis coruſcare videantur. Ex quorum collegio gloriоſo vir magnificus & incō-
parabilis extitit ſanctitatis Liborius, eccleſiæ Cenomanicæ præſul, cuius modò pro-
poſuimus vitam & tranſitum breuiter cōmemorare: vtile ac fructuoſum fore legen-
tibus arbitrati, eius vitam actusque cognoſcere, quem ſequendo, poſſint in diuina ſer-
uitute proficere. Eius etenim vita nihil aliud erat, nisì quoddam cælestis conuerſatio-
Matth.5. nis indicium, Chriſtianæ religionis exemplum, virtutis ac fidei documentum. Vnde
quoniā ipſe Dominicum illud impleuit præceptū: Luceat lux veſtra corā hominibus,
vt videant opera veſtra bona,& glorificent patrem veſtrū, qui in cælis eſt: nobis in vitę
mortalis errore degentibus enitendum valdè ſolerti imitatione videtur, vt qui vitio-
Bona fides hiſtoriæ huius. rum & ignorantiæ tenebris obſcuramur, lucifluis bonorū eius operum radijs illuſtre-
mur. Nec nos quiſquam exiſtimet in eius laudibus à veritatis aut moderationis trami
te deuiare, cùm nulla, nisì à veracibus ſcriptis ſeu relatiōibus comperta, proferamus,
nec eum dignè à mortali lingua poſſe laudari, ipſe cū quo nunc immortaliter regnat,
Deus viſibili palàm oſtenſione declaret. Teſtatur nanque, cunctis eum virtutibus atq;
omni vitæ merito acceptum ſibi fuiſſe viuentem, dum defuncti reliquias euidentiſſi-
mis miraculorum ſignis frequenter glorificare nō deſinit. Ex quo datur intelligi, hac
cum gratia nequaquam in præſenti vita caruiſſe, quanuis indè ſpecialia literarum in-
dicia qualibet ex cauſa non habeantur. Siue enim, quod familiaris ſanctis omnibus
ſemper humilitas perſuadet, vt ea, quę ſibi ante humanos oculos laudi & gloriæ vide-
ri valent, celari abſcondiq; deſiderent, hoc ipſe præ cæteris obtinuerit: ſiue geſta ſi-
gnorum virtutumq; illius deſcripta quidem pleniùs, ſed caſu quolibet poſterorū no-
titiæ ſubtracta fuerint: ſiue aliud quid cauſæ fuerit ignorantes, liquidò tamen credi-
mus, eiuſdem ſancti ſpiritus gratiam qui totiès ante eius ſacroſancta pignora præcla-
rum ſui chariſmatis donum, operationem ſcilicet virtutum, ad ipſius demonſtranda
merita exhibere dignatur, eidem quoq; in carne poſito minimè defuiſſe. Non tamen
Geſta præ- ſulum Ce- nomanorū. deſunt etiam certa de eius meritis apicum monimenta. Habentur etiam geſta ponti-
ficum eiuſdem, cui præfuit, eccleſiæ Cenomanicæ, ſimplici eloquio & abſque omni
nævo figmenti, fideli narratione contexta: in quibus non plena alicuius eorum vitæ
ſeries

ſeries replicatur, ſed quis cui ſucceſſerit, cuius meriti fuerit, quot annis eccleſiā rexe-
rit, breuiter etiā annotatum. Huius verò ſacri ac precioſiſſimi viri Liborij etiā tranſi-
tus ex hac valle lachrymarum ad ſocietatem ſemper verè beateq; gaudētium ciuium
ſupernorum, quo contigerit ordine, latiùs indicatur. Extāt & aliæ de eius ortu & vita
literæ ſtrictim exaratæ, de quibus omnibus vtiliſſimis quibuſq; & veraciſſimis narra-
tionibus deſloratis, hìc eas, prout diuinitùs facultas datur, paucis explicare conamur.

Hic igitur ex Gallis originem ducens, & parētum non ignobili ortus proſapia, cla- Cap.3.
riſſimam patriam ſuorum claritudine meritorum ampliùs illuſtrauit. Nanq; ab æta- Gallus fuit & nobilis genere.
te primæua, maturum in bonis actibus cor gerebat, neque illecebris voluptatum car-
nalium, vt ætati lubricæ moris eſt, animo cedens, neque vitio leuitatis indulgens. Ad-
eò verò ſeſe humilem & quietum & tremētem ſermones Domini exhibebat, vt me- Eſaiæ 66.
ritò ſuper illum ſancti ſpiritūs gratia requieuiſſe credatur, quæ illum ad ſacerdotij di-
gnitatem ac diſpenſationem ſacramentorum Dei, ad regimen fidelis populi nutrie- Ingens eius diſcendi ar- dor.
bat. Hæc etiam illius animo flagrātiſſimum diſcendi ſtudium inſpirauerat, quatenùs
cæleſtium fluentis arcanorum, quæ multis erat quandoque largiter ructaturus, ipſius
primùm præcordiorum intima ſalubriter implerentur. Neq; vnquam peruerſo quo- Priùs didi-
rundam more priùs voluit docere, quàm diſcere: ſed tāquàm futurum ſe doctorem cit, quod poſteà do- ceret.
præſaga mente aduerteret, cunctarum ferè ſibi vtilium ſcientiam ſcripturarum ſata-
gebat intentus auditor acquirere, quas poſtmodùm, quibus opùs eſſet, valeret facun-
dus præceptor ingerere. Nec deerat ſagacis ingenij vigor, largam bono ſtudio effica-
ciam ſubminiſtrans: magnamq; in teneris adhuc annis præclaræ indolis flores ſpem
ſuauiſſimorum fructuum præbuêre, quos abundanter conſtat poſteà proueniſſe. De- Eſt omni- bus charus.
nique ſimul cum proceſſu temporis, probitatis ac ſophiæ proficiens incrementis, ità
in breui maturitatem virilis ornabat ætatis, vt acceptus apud omnes, & tam honore,
quàm amore, dignus haberetur. Nec mirum, quippè quem nulli clatio proteruum,
nulli aſperum liuor, nulli cōtemptibilem fecit ignauia: ſed humilitas etiam infimis
coaptaret, charitas cunctis exhiberet affabilem & conformem, induſtria demonſtra- 2.Tim.2.
ret eum eſſe vas vtile in domo Domini, ad omne opus bonum paratum.

Poſtquàm autem tam vitam, quàm habitum ſeculare, cæleſtium præmiorum in- Cap.4.
tuitu dereliquit, & verè à Domino in ſuam electus ſortem, Clero aſſociatus, ac officijs In Clerum aſſciſcitur.
eſt functus eccleſiaſticis, ampliùs totum ſe diuino cultui viſus eſt mācipare. Studebat
nanque, quantum fragili carnis ſarcina circundatus potuit, cunctos actus cogitatusq;
ſuos ad rationis normam dirigere, circunſpectus ac prouidus, docilisq; & cautus exi-
ſtere, aduerſa vel proſpera æquanimiter ferre, animum ſupra temporalis periculi me- Habes formā, ad quā ſe, qui in Clero ſunt, debeant cō- ponere.
tum fortiter agere, nihilq; nisì quod eſſet ante ſuperni examinatoris oculos fœdum,
peccati ſcilicet maculas formidare: habere de Dei bonitate fidutiā, ſecuritatem, con-
ſtantiam, tolerantiam, firmitatem. Præterea nil appetere pœnitēdum, in nullo legem
moderationis excedere, ſub iugo rationis cupiditatem moderari vel domare. Hinc
modeſtus & abſtinens, caſtus & honeſtus, parcus & ſobrius ante Deum & homines
permanebat. Iam verò in illo propoſitum æquitatis iuſtitiæq; ſeruādæ, quis vnquàm
dignè valeat explicare? Quis eius circa innocentiam, humanitatem & concordiā ſtu-
dium, quis erga pietatem & religionē enarret affectum? Omnis eius animi meditatio,
à rebus vanis & caducis remota, circa ſalutem animæ ac ſtatum vitæ perpetuæ verſa-
batur. Proindè quia tantus in eo cæleſtis iubaris ſplendor celari diù non potuit, ſan-
ctitatis eius ità rumor excreuit, vt totius inclytæ ciuitatis Cenomanicæ populi ad hūc
ſibimet eligendum pontificem, vnanimiter corda conuerterēt. Nec dubium, quin ſe Creatur Ce- nomanorū antiſtes.
beatos fore arbitrarentur, qui talem habere paſtorem ac præſulē mererentur: cui ad
docendum ſuppeteret linguæ diſertitudo, ad doctrinam exemplis formandam vitæ
rectitudo, ad exorandum pro ſubditis Deum meriti magnitudo. Vndè cū memoratæ Pauatius Epiſcopus Cenoma- norum.
vrbis populum antiſtitis ſui Pauatij viri ſanctiſſimi obitus ingēti, vt par erat, mœrore
afficeret, cōſolabatur tamen huius cōcorditer electi probitas, & firmata de illo apud
omnes fidutiæ certitudo, quòd nemine ſacerdotum Chriſti eſſet futurus inferior.
Quinimmò antiquā Iſraeliticæ gentis gratiam ſibi præſtitā gratulabantur: quia ſicut
illis quondàm, ablato & ad cælū rapto Eliæ propheta ſanctiſſimo, Eliſeus duplici eius 4.Reg.2.
ſpiritu repletus ſucceſſit: ità ſpiritales beati Pauatij virtutes, in ſucceſſore Liborio re-
præſentandas, aut etiam duplicandas fore ſciebant. Quapropter gaudentibus cunctis,
Eccleſiæ Chriſti regimen, ad quod olìm erat diuinitùs præordinatus, iuxta morem
canonicum aſſumpſit, regulariter pontifex ordinatus.

Cap.5. Suscepto verò sacerdotio, nihil ex studio sanctitatis, quã priùs exercuerat, dereliqti sed tanquã lucerna super candelabrũ posita, ità ille diuina luce repletus, quo in eminentiore constitutus est loco, eo latiùs in domo Dei collatæ sibi gratiæ notitia refulgebat. Neq; illum tantæ dignitatis honores solitæ religionis mutare fecerant mores, nec ecclesiasticorũ occupationes negociorũ quicquã ex quotidiana diuinæ laudis & placationis seruitute prętermittere coëgerunt. Quinimmò tanto eam instantiùs adaugere curauit, quãto iam nõ suæ solius, sed multarũ animarum salutis causa rectè se viuere debere sciebat: quibus frustrà videbatur præesse, si non studeret etiam monitis exemplisq; prodesse. Ob hoc igitur, nullius momenti spatiũ ociosè transigere volens, semper erat vtilibus intentus actibus, nunc lectioni diuinarũ scripturarum operã impendens, nunc orationi prolixiùs incumbens: interdùm etiã rerum exteriorũ dispositioni, prout suo conueniebat officio, prudenter consulens atq; prospiciens. Assiduè verò vigilijs & ieiunijs castigabat corpus suum, & in seruitutẽ redigebat, nè alijs prædicans, ipse reprobus inueniretur. Erat enim prædicationis studio valdè intentus, & tanquàm se nõsset gerere officiũ Apostoli, dicentis: Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare: atq; ab eodẽ audiret: Prædica verbum, insta opportunè, importunè: ità ipse quotidiè modis omnibus auditores suos ad vitæ rectitudinẽ prouocabat. Cuius præcepta & monita id maximè populo grata & amabilia faciebat, quòd eius vitam in nullo doctrinæ contrariam deprehendebant: sed quod illis sectandum asserebat, euidenter in eius moribus agnoscebant. Verbi gratia: qui elationem velut initium omnis peccati cauendam penitùs ab illo sæpè didicerant, nullum eius indicium in illius actibus, & habitu, in vultu, in gestu corporis, in sermonis vsu sentire potuerunt. Audiebant ab eo: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi: videbant eum verè pauperem spiritu, nunquàm nisì in Domino gloriari. Audiebant ab eo, quòd inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarũ. &; Putredo ossium, inuidia. Videbant eum affectu beneuolentiæ gaudere cum gaudẽtibus, flere cum flentibus: aliorum prospera vel aduersa, sua æstimare. Audiebant ab eo: Ira enim viri, iustitiam Dei nõ operatur: videbant eum, omnem ostendentem mansuetudinem ad omnes homines. Audiebant ab eo: Seculi tristitia mortem operatur: videbant eum esse hilarem datorem, quem diligit Deus. Audiebãt ab eo, auarum esse idolorum seruitorem: videbant eum rerum suarum erogatione largiflua thesaurizare sibi thesaurum in cælo. Deindè si quis eius parsimoniam, strenuitatem castitatemq; attenderet, non alijs ad fugiendam vitiorum corporalium labem admonitionibus indigeret.

Honor in illo nõ mutat mores optimos.

Eius exercitia.

1.Cor.9.

1. Cor.2. 2. Tim.4.

Vita ornat doctrinam.

Tob.4.

Galat.5.

Sap.2. Prouer.19. Rom.12.

Iacob.2.

2.Cor.7. 2. Cor.9. Ephes.5. Matth.6. Luc.12.

Cap.6. Ità pius gregis Dominici pastor, commissis sibi ouibus adhibita cura duplici, exhortationibus scilicet & exemplis, iter ad æternæ vitæ pabula quærenda, & spiritualium morborum dira contagia vitanda demonstrans, tantum ex eis lucrum acquisiuit, vt quod voce Dominica per Malachiam dicitur, de illo conuenienter valeat dici: Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & in æquitate ambulauit mecùm, & multos auertit ab iniquitate. Verè enim multos ab iniquitate conuertens, & rectitudini vitæ fideiq́ue restituens, inter sanctos Ecclesiæ Christi doctores præclarum obtinet locum: quorum multimodã gratiam & infinitam meriti excellentiam ipse verus eiusdem Ecclesiæ sponsus, in Canticis canticorum multiplici laude prosequitur: nunc eos ipsius sponsæ collum, monilibus assimilatũ vocans: nunc tigna cedrina & laquearia cypressina cognominãs. Interdùm labia, vittæ coccineæ, propter prædicationem passiõis Christi, similia, seu fauum dulcedinis verbi Dei stillantia: nonnunquàm turrim Dauid, ob constantiæ firmitatem, eos appellans: Aliquandò verò ibidèm, ob nutrimentum paruulorum, quibus lacte opùs est, mammæ dicuntur. Aliquandò fauo simul & vino: aliquandò decori turris eburneæ comparãtur: Plerunquè portæ Ecclesiæ nuncupantur: & propter variã vtilitatem, firmitatem, prouidentiam, contemplationem, dentium & oculorum nomine designantur. Præterea ipsi sunt sexaginta fortes, Salomonis lectulum ambientes: ipsi columnæ argenteæ, sacri eloquij nitore fulgentes. Quarum omnium similitudinum si quis mysteria perscrutetur, profectò inenarrabilem huius sanctæ Ecclesiæ doctoris & eius similium gratiam dignitatemq́ue reperiet, cùm satis indicent hæc pauca, de pluribus ex illo cæleſti epithalamio sumpta, quòd nihil his illustrius, nihil pulchrius in sponsæ laudibus decantandum spiritus sanctus inuenit. Qui etiam de eisdem per Danielem ità loquitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasì splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasì stellæ in perpetuas æternitates. Sed quoniam huius clariſſi-

Malac.2.

Multos à vitijs & erroribus reuocat.

Cant.1.2.4. 5.7.

Item Cant. 7.4.7.3. Doctores Ecclesiæ prædicantur.

Dan.12.

clariſſimæ stellæ in erudiendis subditis feruorem pariter & splendorem ostendimus, quibus virtutum radijs in alijs quoquè rebus effulserit, monstrare curemus.

Habuit vir sanctus hoc præ cæteris tum temporis pontificibus, religionis & Dei amoris indicium speciale, quòd omnia, quæ ad eius laudem iugiter celebrandã & ecclesiastici cultûs officium pertinent, totis nisibus amplificare, prouehere atq; adornare contendit: & exceptis his, quæ sibi suisq́; ad quotidiani victûs & vestitûs necessaria, quibus solis contentus erat, vix sufficere poterant, necnon & his, quæ ad egentium & inopum sustentationem larga manu solebat expẽdere: reliquos omnes redditus episcopalium possessionum, omnes quarunlibet rerum census, qui sibi ex omni sua diœcesi debebantur, vel si quid ex fidelium donationibus conferebatur, ad exhibendum ecclesijs cõgruentem ornatum, & noua quæq́; oratoria in locis, quæ ad hoc opportuna videbãtur, construenda deputauit. Quorum constructionẽ primùm diuinæ seruitutis multiplicandæ intuitu aggrediebatur: dehinc etiã plebium cõmoditati pariter & saluti prospicere piè meditabatur, vt ad ecclesias cum suis sacerdotibus propè positas facilè confluere, orationum studijs assuescere, regenerationis gratiam consequi, documenta sacræ legis audire, cælestium sacramentorum celebrationibus interesse, atq; omnia Christianæ religionis iura discere & exercere valerẽt: Nec quenquam vllius molestiæ seu occupationis impedimentũ exindè reuocaret, quò vniuersos ad salutem animarum quærendã ipsa loci opportunitas inuitaret. Hac igitur intentione præter illas, quæ à suis prædecessoribus fabricatæ fuerant, decem & septem sacris ædibus nouiter constructis & dedicatis, suam parochiam ità omnẽ illustrauit, vt in qualibet eius parte populo degenti aliquam orationis domum vicinam esse constaret. Locorum verò, in quibus eas construxit, hîc nomina ponere dignum ducimus, quò religiosi operis memoria firmior, & fides certior habeatur. Vnam itaq́; ædificauit in Colinno, alteram in Syluiaco, tertiam in Raudatio, quartã in Campogenesto, quintam in Conedaco, sextam in Aciaco, septimam in Aloncianno, octauam in Sangunno, nonam in Sabonario, decimam in Bona, vndecimam in Lucia, duodecimam in Lugduna, tertiamdecimam in Marsone, quartamdecimam in Paliaco, quintamdecimam in Magitto, sextamdecimam in Nouiliaco, septimamdecimam in Comnis. Quibus ritè perfectis & decenter adornatis, ac sacerdotũ & inferioris ordinis clericorum iugi prouidentiæ commendatis, obseruandum omninò censuit, nè qua ibidèm legitimis horis die noctuq́; sacrorũ intermissio fieret officiorũ, quibus sanctæ & indiuiduæ Trinitati debitæ gratiarum actiones & laudes referrentur. Deindè vt vnitati & concordiæ totius populi cõmissi consuleret, atq; omnia illius diœceseos loca Deo dicata, cum vniuersis ad se pertinẽtibus antiquæ & principali suæ sedis ecclesiæ, velut vni capiti & matri omnium, subdita monstraret esse debere, decreuit vt illuc ex reliquis omnibus ecclesijs per annos singulos census persolueretur, certus scilicet numerus librarum cæræ atque olei, prout illis offerendi facultatem suppetere sciebat. Aequum tamen omnibus eisdem locis debitum imposuit: hoc est, vt ex vnoquoq́; redderetur vna ceræ libra, & olei duæ, præterid, quod custodibus præfatæ principalis ecclesiæ dari constituit. Ex quo verè sancta & religiosa intentio beati viri satis appáret, quòd non sibi aurum vel argentũ, seu quodlibet earum rerum, quæ mũdum amantibus præciosa, ipsi verò velut cælestia desideranti omninò erant contẽptibilia coacernauit: sed ea magìs ecclesię dari cõstituit, quæ ad luminaria iugiter in ea concinnãda copiam darent. Nam quoniam ipse fuit templum veri luminis, hoc est, spiritûs sancti, etiam corporalis lucis ornatum manufactæ domui Dei noluit vnquàm decesse.

Cap.7. Cultûs diuini promouendi, quã fuerit studiosus S. Liborius.

Noua oratoria cur extruerit.

Septemdecim ædificauit ecclesias.

Loca, in quibus sacras ædificauit ædes.

Vult vt in suis ecclesijs quotidiè diuina celebrentur officia.

Vult perpetuò in Ecclesijs luminaria arderc.

Manſit autem in Episcopatu annos quadraginta & nouem: in quibus feciſſe legitur ordinationes nonaginta & sex: ordinâsse verò presbyteros ducentos decem & septem: diaconos centum septuagintasex: subdiaconos nonagintatres: reliquorum quoquè graduum ministros, quantum sacris officijs congruum & sufficiens esse videbat. Prætereà habuit bonum testimonium etiam ab his, qui forìs sunt: ità vt hoc quoquè specialiter de illo referant scripta, quòd studuerit Deo in omnibus dulciter famulari, & in rebus ecclesiasticis Deo & hominibus bonis oppidò placere. Vndè liquidò patet, sic eum religionis constantiam ante Deum seruâsse, vt tamen proximorum oculos non offenderet: sic humano forìs placuisse iudicio, vt diuinis obtutibus non displiceret in occulto. Ità per omnia verus Dei cultor illi meritò Pontifici comparatur, quem sine querela Domino seruijsse euãgelica laudat historia: nisì quòd hic tanto præstantioris fuerit sacerdotij præsul, quanto figuram veritas, quanto legem vete-

Cap 8. Diuturnus eius episcopatus & ordinationes.

Luc.1.

Heb.9. rem noua Christi gratia transcendit. Illo deniq; præsulatu functi, animalium cruores immolabant: huius sacerdotij primus author & pontifex, per proprium sanguinem introiuit semèl in sancta. Et tamen in officio dispari fuêre pontifices isti, sanctitate pa-
Luc.1. res, ambo euangelica laude digni, ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mã-
datis & iustificationibus Domini sine querela.

Cap.9. Cùm autem diuinæ maiestati complacuit, post tam diuturna tot annorum certa-
mina, victorem hostis antiqui, militem suum æterno prẽmio glorificare, anno quin-
quagesimo Episcopatûs sui corporis eum molestia ità fatigari permisit, vt ad esse sibi
diem exitûs sui non dubitaret. Quj annus illi verus extitit iubileus, quem in eodẽ nu-
Leuit.25. mero annum remissionis appellans, vnumquenque in eo redire ad familiã, & ad pos-
sessionem suam lex diuina præcepit. Nam & ipse quô minùs se dubitaret ad requiem
tendere, post septem septimanas annorum, ex quo cõstitutus est super familiam Do-
Matth.5. mini, adhuc in terris positam, ad eam, quæ in cælis est, lætus vocari meruit: vt posside-
ret terram, quam mansuetis & mitibus veritas repromisit.

Cap.10. Eodem tempore sanctus Martinus Episcopus Turonensem regebat ecclesiam, vir
S. Martinus Turonens. Episcopus ei contem-poraneus. Apostolicis clarus omninò virtutibus: Cui inter illa, quibus assiduè frui solebat, An-
gelicæ collocutionis mysteria, etiam hoc ex diuina reuelatione præceptum est, vt ad
vrbem Cenomanicam pergeret, atque ibidèm in infirmitate positum Dominum vi-
sitaret. Vndè animaduertẽs, hanc Domini infirmitatem de aliquo membrorum suo-
Matth.25. rum intelligẽdam, de quibus ipse dicturus est in iudicio: Infirmus fui, & visitâstis me:
cœpit ilicò festinus ad memoratam pergere ciuitatem. Cui cùm iam appropinquans,
iuxtà vineam quandam iter ageret, vidit eminùs in ea stantem clericum gradu sub-
diaconum, Victurium nomine, operi quidem, quodcunq; ibì agendum erat, studio-
siùs insudantem, sed nihilo minùs frequentatione psalmodiæ laudes decantantem.
Victurius S. Liborij discipulus. Hic erat discipulus sancti Liborij, atque in ipsa suæ continentiæ mentisque & habitûs
humilitate, bonæ institutionis magistri optimi clarum præbebat indiciũ. Quem in-
S. Martinus Victurium prædicit fo-re Episco-pum. tuens sanctus Martinus, reuelante sibi spiritu sancto hunc esse futurũ ibì Episcopum,
his eum verbis salutauit, dicens: Aue noster pontifex. Dehinc illi baculum suum de-
dit, atque ità conuerso gradu, in vrbem properauit. In qua inueniens sanctum & verè
Deo dilectum præsulem iam in extremis positum, & cælesti tantùm gaudio, quò itu-
rus erat, intentum, cum ineffabili ab eodem lætitia susceptus est. Hîc verò necesse
S. Martinus venit ad S. Liborium. est, vt noster sermo deficiat: quia neminem dignè constat posse referre, quàm diuina,
quàm spiritualia, quàm cælestia fuerint eorum colloquia, cum qua se exultatiõe mu-
tuò viderint, quo mẽtis affectu suam ad tempus separationem ferre potuerint. Erant
enim ambo Christi militum excellentissimi duces, ambo crebris de diabolo trium-
phis glorioſi. Sed alteri iam reddendum erat præmium sempiternum, alteri aliquan-
diù differendum, & adhuc pro castris Dei fuerat decertandum.

Cap.11. Migrat ad cælos S. Li-borius. Igitur beatus Liborius, præsente sibi tanto consolatore, suarumq; exequiarum pro-
uisore, decimo Kalendarum Augustarum die lætus migrauit ad Dominũ. Cuius ve-
nerabile corpus sanctus Martinus cum honore cõgruo ad ecclesiam extra vrbem po-
sitam duci, & in ea sepeliri fecit: quam primus eiusdem sedis antistes, Iulianus nomi-
Iulianus primus Epi-scopus Ce-nomanorũ. ne, construxit, & in honore duodecim Apostolorum dedicauit. Decebat enim, vt qui
Apostolorum in terra successor, & in cælis esse meruit consors, in eorum quoquè ec-
clesia cõmuni cum illis memoria coleretur. Sequenti verò die vir Dei Martinus po-
pulum omnem, qui ad tanti viri exequias copiosus nimìs & innumerabilis conuene-
rat, & internum amorem erga pastorem suum largissimis lachrymarum fontibus te-
Multa ad sepulcrum S. Liborij miracula. stabatur, in ecclesiam conuocans, sanctæ admonitionibus doctrinæ consolabatur,
cisque præfatum Victurium ordinauit Episcopum. Tradunt quoquè literæ superius
memoratæ, multa quidem sanctum Liborium in hac vita fecisse miracula, sed multo
plura postmodùm ad sepulcrum eius fuisse diuinitùs ostensa, licèt ob multitudinem
suam, nominatìm expressa non sint. Quod nos facile credimus ex his, quæ oculis no-
stris vidére meruimus; postquàm ad nos sacrum translatum est corpus, sicut adiuuã-
te Domino, sequeus huius operis textus enarrabit. Nam quoniam ipse verè fuit or-
ganum spiritûs sancti, per ipsius nunc operationem ante eius reuerenda pignora vir-
tutum signa sæpiùs ostenduntur: curationes scilicet debilium, salutes languentium,
expulsiones immundorum spirituum: præstãte ipsius gratia, qui est fons & origo bo-
norum omnium, Deus & Dominus noster: qui in Trinitate inseparabili viuit & re-
gnat per infinita secula seculorum, Amen.

DE

DE TRANSLATIONE SANCTI LIBORII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Cap.1. Hic Biso fuit 4. Epi-scopus Pa-derbornẽs. DEscriptis superiori libello vita & transitu præciosissimi confessoris Christi atque pontificis Liborij, nunc secundùm tuam, Biso præsul egregie, iussionem, ad exponẽdam seriem translationis eius sacra-tissimi corporis, & ostensa per eius merita virtutum insignia pro concessa diuinitùs facultate, stylum mentemque conuertimus: ex-citante studium nostrũ pensatione solicita, qualiter vobis obtem-perare, quantum deferre debeamus, maximè cùm eorum officij di-gnitate sublimatos, quibus diuina voce dicitur: Qui vos spernit, me spernit: non dubi- Luc.10. tetur, vos minimè sine Dei contemptu posse contemni. Proindè ad retexendas cum laude debita virtutũ operationes, per quas sancti spiritûs gratia solet electorum me-rita declarare, eo, quo te præcipiẽte huic operi insistere debuimus, nullũ opportunius tempus occurrit: appropinquante videlicet sacra solennitate aduentûs eiusdem spi-ritûs paracleti, qui beati Liborij & in hac vita manentis inhabitator appáruit, & nunc ipsius sanctitatis per miracula index & glorificator existit. Cuius nos ad susceptum opus auxilium haudquaquàm inefficacibus votis inuocaturos speramus, præsertim cùm non aliud, quàm quod ipse aduenientes, mentibus, quas repleuit, ad proferendum Actor.2. inspirauit, Dei scilicet magnalia loqui, & ipsum mirabilem in sanctis suis monstrare conemur. Sed antequàm ad rei gestæ ordinem veniamus, causam translationis me-moratæ atque exordium constructionis ecclesiæ, quæ tanto cælitùs illustrari meruit thesauro, referre breuiter congruum arbitramur.

Cap.2. Carol. Ma-gnus do-muit Saxo-nes. Igitur vbì primùm glorioſæ memoriæ Carolus Imperator concertatione longis-sima & varijs prælioru̇m euentibus, cum gente Saxonum exactis, illos ferro edomitos Christi fidem susc̃ipere fecit, suoq̃ue addidit imperio, clarum ilicò dedit indicium, qua fretus intentione, tam diuturnum laborẽ infatigabilis ferre potuerit. Siquidem, vt in libello vitæ ipsius legitur, triginta & tribus continuis annis bellum cum eadem gente gessit. Qua tãdèm partìm armis, partìm liberalitate, per quam maximè Primo-rum eius animos sibi deuinxerat, superata, totum exindè suum ad hoc contulit stu-dium, vt pro tantarum saluatione animarum populi, post tot secula cultum dæmo-num relinquentis, fructum sui laboris ex Dei remuneratione consequeretur. Et vt se magìs Christianæ religionis, quàm regni sui dilatandi causa, tantæ rei difficultatem Multas in Saxonia ec-clesias ex-truit. aggressum ostenderet, ecclesias per omnem regionem illam, ad quas rudis in fide po-pulus confluere doceretur, & sacramentis cælestibus initiari consuesceret, sub quan-ta potuit celeritate construi fecit, atque parochias diligenti ratione suis quasque ter-minis seruandas designans, quia ciuitates, in quibus more antiquo sedes Episcopales Saxonia ci-uitatum in-ops. constituerentur, illi penitùs prouinciæ deërant: loca tamen ad hoc, quæ & naturali quadam excellentia & populi frequentia præ cæteris opportuna videbantur, elegit. Tùm verò vix reperiebãtur, qui barbaræ & semipaganæ nationi præsules ordinaren-tur. Cuius interdùm ad perfidiam relabentis cohabitatio, nulli clericorum tuta vide-batur: cui ecclesiasticum officium, & quicquid ad rerum diuinarum pertinet cultum, non solùm deërat, verùm ignotum omnimodìs erat. Quocircà vnamquanque prædi-ctarum põtificalium sedium cum sua diœceſi singulis aliarum regni sui ecclesiarum præsulibus commendauit, qui & ipsi, quotiès sibi vacaret, ad instruendam, confirmã-damq; in sacra religione plebem eò pergerẽt, & ex Clero suo personas probabiles cu-iuscunque ordinis, cum diuerso rerum ecclesiasticarum apparatu, ibidem mansuros iugiter destinarent. Et hoc tandiù, donèc annuente Domino salutaris illic fidei do-ctrina conualesceret, & ità diuini vsus ministerij proueheretur, vt proprij quoquè in singulis parochijs dignè & fidutialiter possent manere pontifices.

Cap.3. Paderbor-nensis ec-clesiæ enco-mium. Inter omnia verò loca, constituendis principalibus ecclesijs in hac, de qua loqui-mur, prouincia designata, Paderbornensis sedes speciali quadam dignitate præcellit, habens ampliſſimã circunquaq; planitiem, nemorum tamen frequẽti & varia diuer-sitate sufficienter ornatam, agros vberes & frugum omniũ feraciſſimos. Cui adiacet à læua in ipso mœnium prospectu syluа, multis passuum millibus in longum latumq; diffusa, adeò pecorum & armentorum pascuis, apiumq; seruandarũ vsui opportuna, vt illi non dissimilis videatur regioni, quam sacræ literæ vocant terram lacte & mel-le manantem. Accedit ad ornamentum loci saluberrimorum fontium, intrà ipsum Deut.6. 11. 26.

oppidum in vnum pariter alueum confluentium, incomparabilis tam ſpecies, quàm numeroſitas: intantùm, vt eorum latitudini & amœnitati ſimiles eſſe alibì minimè compertum habeamus. Nec deſunt hincindè & alia flumina, vtilitatum, quæ ab his petuntur, largiſſima. Aër ibidèm & aura placidior, & licèt in frigido terrarum tractu, naturali gratia temperatior, citiùs, quàm in alijs illarum regionum partibus, maturitatem cunctorum fructuum afferre conſueuit. Prætereà pagus ipſe, vt & noſtra memoria, & veterum relatio teſtatur, viris omni nobilitate generis animiq; ſemper insignibus abundabat: vt non eſſet dubium, quin patria ciuibus, & ciues patriæ congruerent, ac ſibi vtraque viciſsìm ornamento forent. Et hæc quidem pauca de pluribus, hinc à nobis non ex ſuperfluo dicta animaduertet, qui Chriſtianiſſimi principis ex hoc quoque in Deum deuotionem comprobabit, quòd ea, quæ ex tanta locorum amœnitate iure belli acquiſita, ſub ſua potuit tenere ditione, diuino magìs ſeruitio, quàm ſuis deputauerit vſibus. Tamen interdùm, pro varijs gentis eiuſdem vtilitatibus generale placitum habiturus, illic populi conuentum fieri iuſſit, & hac ibidèm cauſa aliquandiù ſolebat immorari.

Paderbornam vocat pagum.

Nota Caroli Magni religionē & deuotionē.

Cap 4. Leo Pontifex venit Paderbornam.

Nam & vir ſanctiſſimus & verè Apoſtolicus Papa ſedis Romanæ, Leo nomine, iniuſta ciuium odia perpeſſus, illic eum adijt, pro ſedandis contra ſe ortis ſimultatibus imperialem opem quæſiturus. A quo cum ingenti, vt par erat, honore ſuſceptus, religioſum eius ac ſalutarē Chriſtianitatis dilatandæ ſtudium nobiliter inchoatum, Apoſtolica authoritate firmauit, atq; in eccleſia tunc ibidèm nouiter conſtructa quodam altare conſecrās, adorandas in eo reliquias protomartyris Stephani, quas ſecum Roma detulerat, collocauit, fidutialiter id principi promittens, quòd oratorium illud, tanti martyris patrocinio munitum, nō vlteriùs paſſurum foret iniuriam, quam ipſo referente, priùs ei contigiſſe cognouit: vt videlicet ob incolarum loci perfidiam & odium in religionem Chriſtianam, aliquotiès igni traderetur. Et ob hanc maximè cauſam eaſdem reliquias ibì rogatu Imperatoris recōdidit, non ſine effectu congruo fidutiæ ſponſionisque ſuæ, cùm nihil tale poſtmodùm illic perpetratum eſſe, certiſſimum ſit.

Conſecrat illic altare.

Nota de reliquijs B. Stephani.

Cap. 5.

Hoc igitur ordine Paderbornenſis eccleſiæ ſedes epiſcopalis tam Imperatoria ſanctione, quàm Apoſtolicæ benedictionis authoritate primitùs conſtituta, ob cauſam ſuperiùs memoratam, commendata fuit aliquādiù tuitioni præſulum cuiuſdam caſtelli orientalis Frāciæ, quod ſermone barbaro Vuirtziburg appellatur. Sub quorum regimine ſtatus rerum ipſius parùm proficere potuit: quippè cùm loca ipſa longa inter ſe terrarum intercapedine diſtarent, & præfatos præſules rarò hanc nouellam eccleſiam inuiſere, vel occupatio permitteret, vel commoditas ſuaderet. Neque enim ibì deerant negocia, quibus procurādis inſiſterent, neque huc pergendi laborem paruum faciebat itineris longitudo. Ibì res neceſſariæ ſufficientes erant & ordinatæ: hìc & tenues, & cum difficultate nouiter ordinandæ. Quocircà meritò vtilius viſum eſt, hanc ſedem ſuum per ſe habere antiſtitem, qui nō alibì occupatus, hìc tantùm agendis rebus præſens inſudaret. Erat tunc temporis in Clero Vuirtziburgenſi vir magnæ humilitatis atque modeſtiæ, Hathumarus nomine, de gente noſtra, hoc eſt, Saxonica oriundus: qui cùm adhuc puer eſſet, belli tempore Carolo Imperatori obſes datus, illic ſeruari iuſſus eſt. Vbì poſteà tonſuratus, ac ſtudijs literarum traditus, in virum perfectum moribus & eruditione profecit. Hic ex præcepto principis primus eſt Paderbornenſis eccleſiæ ordinatus Epiſcopus. Poſt cuius ordinationem paucis annis tranſactis, idem glorioſiſſimus princeps ab hac luce migrauit. Cuius incomparabilem in omni virtutum gloria præſtantiam licèt libellus de vita eius conſcriptus pleniſſimè referat, nos tamen hìc aliquid de eo vel breuiter dicere, ipſius in nos beneficij magnitudo ſuadet. Quem arbitror noſtrum iurè Apoſtolum nominari: quibus vt ianuam fidei aperiret, ferrea quodammodò lingua prædicauit. Qui cùm totiès victoria potitus, quotiès in procinctu poſitus, multas ſibi gentes, multa regna ſubiecit: conſtat tamē eum glorioſiſſimè etiam de diabolo triumphâſſe: cui tot animarum millia, priùs ſub eius tyrannide captiua, in conuerſione noſtræ gentis eripuit, & Chriſto Domino acquiſiuit. A quo illum hoc recipere præmium & cōfidimus, & optamus, vt fruatur in cælis Apoſtolorum conſortio, quorum functus eſt in terris officio.

Paderbornenſis Eccleſia, aliquandiù Epiſcopis Herbipolēſibus commendata.

Hathumarus primus Epiſcopus Paderbornenſis.

Carolꝰ Magnus Saxonum Apoſtolus. Eius laudes.

Cap. 6.

Vt verò ad propoſitum redeamus, defuncto Carolo, Hathumaro quoquè Epiſcopo non longo pòſt tempore ab hac mortalitate ad perennem, vt credimus, vitam aſſumpto, ſucceſſit ei vir egregius, nomine Baduradus; qui & ipſe ex hac regione nobili ortus proſapia, ex eiuſdem eccleſiæ Clero electus eſt. Qui præclaræ morum nobilitatis, magnanimitatis & induſtriæ merito, familiaritatem regiam intimè conſecutus, tantæ dignitatis locum promeruit, vt ei non minor facultas, quàm voluntas amplificandæ, prouehendæ atque adornandæ eccleſiæ ſibi commiſſæ ſuppetere videretur. Tunc verò, tanquàm ad hoc ſibi datam diuinitùs excellentiam animaduerteret, nihil ſui laboris ſtudijſque ſubtraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus, quæ ibidèm ad diuinæ laudis augmentum, ad vtilitatem Chriſtiani populi nouerat pertinere. Hæc illi cura prima imminebat, eccleſias per omnem parochiam ſuam ſub celeritate conſtruere: principalem verò baſilicam ingenti decore & grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis varijs adornare, augmentare Clerum, diſciplinam monaſterialem inſtituere, pueros tam nobiles, quàm inferioris conditionis, in ſcholam congregatos, in diuinæ legis eruditione nutrire: Quod eius laudabile ſtudium ità felix profectus comitabatur, vt verè illum ad hoc à Deo præſignatum, & rudimentis eius loci cælitùs conceſſum dicere valeamus.

Baduradus 2. Epiſ. Paderbornen. egregius.

Multas eccleſias in ſua diœceſi conſtruit.

Cap. 7.

Quia verò rudis adhuc in fide populus, & maximè plebium vulgus, difficilè poterat ab errore gentili perfectè diuelli, latenter ad auitas quaſdam ſuperſtitiones colendas ſeſe conuertens: intellexit vir magnæ prudentiæ, quòd ſi præcipui alicuius ſancti illic corpus allatum, miraculorum, vt fieri ſolet, oſtenſione & gratia ſanitatum ſuadente, multitudo plebis inciperet venerari, & ad eius patrocinia confluere conſueſceret, nulla re eam faciliùs ab infidelitate poſſe reuocari: præſertim cùm verbis doctorum de diuina virtute non credentes, tamen his, quæ oculis viderent, quę beneficiorum vtilitate ſentirent, fidem derogare non poſſent. Prętereà cunctis fidelibus ibidèm manentibus, vel eò conuenientibus magnæ hoc apud Deum interceſſionis ſolatium, maximam eidem loco tuitionem & gloriam allaturum fore nō dubitans, ad id obtinendum ſedulæ cogitationis curam intendebat. Et quoniam à Deo, qui eſt fons bonitatis, quicquid optatur boni, & maximè rem tantam nouerat expetendam, indicto ieiunio, & celebrata ſupplicatione publica, cum omnibus ſibi commiſſis, ab eius clementia demonſtrari ſibimet poſtulauit, quónam ordine pro adipiſcenda re deſiderata deberet inſiſtere. Vndè fidem eius benignè reſpiciens, dignatus eſt ei reuelare, quòd ad Cenomanicam vrbem Galliæ rem diù optatam petitum ab Epiſcopo loci mittere deberet: ibì dandum votis eius effectum proſperum fore. Ex hac reuelatione indubia ſpe animatus, accelerare negocium ſtuduit. Epiſcopus qui præfatam vrbem eo regebat tempore, Aldricus nomine fuit. Ad hunc ergò cum conſenſu & præcepto Cæſaris Ludouici, nuncios deſtinandos elegit, ex Clero quidem ſuo probabiles perſonas, & in ſacris ordinibus religioſam vitam ducentes: necnon & quoſdam laicos nobiles, quorum fidem & induſtriā ad tale opus idoneā nouerat. Clericorum verò, quibus id negocij commendatum eſt, præcipuus erat quidam preſbyter, Ido cognomine, qui omnem ſuæ profectionis hiſtoriā & ſigna, quæ in ea diuinitùs oſtenſa perſpexerat, partìm viua voce intimata, partìm literis breuiter annotata, ad noſtram fecit venire notitiam.

Vide quid ſentiēdum de ſanctorū reliquijs & interceſſione.

Diuinitùs iubetur epiſcopus petere ex Gallijs ſacras reliquias.

Igitur anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo trigeſimoſexto, Indictione xiiij. cùm præfatus Ludouicus tertium & vigeſimum in imperio annum ageret, legati Paderbornēſes de Saxonia profecti, ad vrbem Cenomanicam quarta kalendarum Maiarum die venēre: inſinuantesque Epiſcopo cauſam, pro qua miſſi fuerant, benignè ab eo ſuſcepti, Dei nutu, vt credimus, ſine mora petita impetrauerunt. Sequenti nanque die conuocans omnem Clerum, præſente ſuo quoque coëpiſcopo, Dauid nomine, tractare cum eis diligenter cœpit, qualiter miſſorum de tam longinqua regione venientium, religioſis precibus decēter in hoc poſſet annuere, vt ſanctì alicuius integros, vt petebant, artus accipere mererentur. Erat ibidèm ſanctorum corporum magna copia: inter quæ ſancti Liborij quondàm præſulis ciuſdem vrbis præcipuè glorificatum miraculis habebatur inſigne. Quod cùm Epiſcopus præfatis nuncijs dare diſponeret, reniti primò cœpêre plurimi, dicentes ſe illis pignoribus precioſius nihil habere. Tandèm vix omnium impetrato conſenſu, aſſumptis ſecùm ſacerdotibus & cuiuſcunque gradûs clericis, ſacri miniſterij veſtibus ornatis, miſſos quoquè, qui ſanctos artus accepturi erant, adeſſe præcipiens, proceſſit ex vrbe ad eccleſiam, in qua ſacratiſſimum beati Liborij corpus digno cum honore conditum habebatur. Erat autem eadem eccleſia iuxta ciuitatem poſita, & in honore duodecim Apoſtolorum dedicata, quam primus eiuſdem ſedis præſul, nomine Iulianus, condi-

Cap. 8.

Ex reuerentiâ priscorũ Christianorum erga sacras reliquias.

condidisse fertur. Ad hanc itaque memoratus Episcopus, denunciato priùs ieiunio, cũ sacro illo comitatu humiliter ac deuotè, vt ad tale opus decebat, perrexit, vicissim psalmos, litanias, hymnosq; decantans. In quã cùm ipse & plures secùm, sacros artus de mausoleis leuaturi, conuenissent, mirũ dictu, sensêre cuncti inæstimabilis odoris suauitate totam domum repentè completam. Quj dissimilis odoramentis omnibus, quæ in terris vel natura vel arte fiunt, clarum cælestis cuiusdam præsentiæ dedit indicium. Ità enim omniũ, qui aderãt, mentes magìs quàm corpora ineffabili iucũditate immutauerat, vt velut in ecstasi positi, & aliarũ rerum oblíti, tantùm ibì manendi delectatione tenerẽtur. Nec dubium, quin ipse tunc fuerit in medio multorũ fidelium, in suo nomine congregatorũ, qui paucis quondàm discipulis tantã suę visionis dulcedinem præbuit, vt primus eorũ diceret: Domine, bonũ est nos hîc esse. Nec erat incongruum, vt eorum meritis odoris fragrãtia testimonium daret, cum quibus Apostolus dicit: Christi enim bonus odor sumus Deo. Erant autẽ in eodẽ loco aliorum quoque membra sanctorum, in sarcophagis honestè recõditorum, maximè Episcoporũ ciuitatis illius. Ex quibus tunc simul cùm beati Liborij mẽbra de tumba leuata, in feretro locãda componebãtur, prædictus odor nunquàm defuit: quô minùs dubitaretur illi operi ministerium præbuisse, quo cœpto, inchoauit: quo finito, non diutiùs mansit.

Matth. 17.

2. Cor. 2.

Vide odorẽ è sacris reliquijs.

Cap. 9. Cæca recipit lumen.

Dum hæc in templo agerentur, forìs quoq; aliud signũ eádem contigit hora. Nam mulier quædam ab annis plurimis cæca, in conspectu populi, qui satìs frequẽs profo. ribus stabat, interuentu ipsius, cuius corpus interiùs ad efferendum parabatur, lumen recepit. Et quoniam eius tam prioris ærumnæ, quàm nouæ sanitatis omnes ferè, qui aderant, testes erant, adeò multitudinis animos res gesta commouit, vt omnes simul in laudem Dei, elata in excelsum voce, prorumperent. Quod audientes qui cum Episcopo erant intra clausas oratorij ianuas, statimq; miraculo quolibet populum in tantæ gratulationis clamorem excitatum intelligentes, & ipsi pro viribus diuinæ pietati gratias agere, ac præ gaudio flere cœperunt. Cumque suas vtrinque voces, qui intùs & forìs erant, recognoscerent, vno omnes affectu mirabiliter inspirati, in tantum erupêre planctum, vt vix quisquam continere lachrymas posset. Sed Episcopus videns cantum diuinæ laudis fletu exigente intermissum, cœpit rursùm antiphonas & psalmos sanctorum gloriæ congruos cum Clero psallere: atque ità confusæ multitudinis clamorem compescuit. In ipso verò momẽto, priusquàm illud sacratissimum corpus de ecclesia, in qua sumptũ est, efferretur, etiã tertio signo eius declarata sunt merita. Denique vir quidam horribiliter longo tempore vexatus à dæmonio, & multis iam famatãtæ miseriæ factus notissimus, quippè qui per multas ecclesias & monasteria ductus, nusquàm suæ remediũ calamitatis accepit: tandèm cum matre propria veniens ad ecclesiam, in qua sacer ille thesaurus adhuc inter sacerdotũ manus habebatur, cõfestim ità purgatus est, vt nc signum quidem vltrà talis pertulerit passionis. Tum verò antistes, nè quam nuncijs memoratis moram faceret, eodem die venerandum illud corpus cum omni reuerentia suis & sacerdotũ manibus deportari fecit in vrbem, ad principalem suæ sedis ecclesiam, vt hoc ibì coram populo his, qui accepturi erant, honorificè cõmendaret. Comitabantur verò, nec vsquam deerant, velut præsentis Dei virtutis, sanctum suum mirificantis, indicia. Nam vbì primùm ecclesiæ, quam diximus, illatum est, ingressus pariter quidam claudus vtroque pede, & multis in hac debilitate detentus annis, mox vt caput ad orandum inclinauit, recepit integram sanitatem.

Dæmoniacus sanatur.

Claudo redit vsus pedum.

Cap. 10. Mutus loquitur.

Transacto deindè paruo diei spatio, mutus quidam, diuturno inutilis linguæ damnatus silentio, subitò, sibi vocis organa sentiens restaurata, omnipotentis Dei misericordiam, eiusque confessoris & pontificis Liborij patrocinium plano coram omnibus sermone laudabat. Sed cùm ità coruscantibus supernæ gratiæ beneficijs celebremus ageretur dies, postremò maiori quoquè miraculo nouum fidelibus gaudium, noua data est materia gratulandi. Licèt enim omnia Deo sint æquè facilia, magis tamen solemus mirari, cùm dantur noua & nunquàm habita, quàm cùm amissa restaurantur. Hic eadem rursùs fiunt, quæ naturali ordine priùs facta fuerant: ibì mira Dei virtus tribuit, quod natura negauit. Vir quidã ab ortu natiuitatis intantùm à genibus deorsùm debilitatus, vt tibiæ cum pedibus arefactæ, graciles & contortæ, omnem ambulandi vsum penitùs denegarent, in prędicta ecclesia ante venerãda S. Liborij pignora deportatus est: atq; ilicò viuaci vigore neruis venisq; infuso, & dissolutis ante compagibus solidatis, recto gressu cœpit incedere. Quo cognito, fit ingens admirantis atque gratulantis populi circa eum concursus. Certatìm omnibus videre cupientibus, quod

Reformatur gressus ab vtero ambulare nescienti.

quod paulò antè nunquam se visuros arbitrabantur. Neq; enim velut infirmis aut titubantibus vestigijs gradiebatur, sed coram omnibus, qui eum nunquàm antea sanis terram plantis tetigisse nouerant, celeri motu currens & exiliens, Christo Domino ciusq; sancto confessori gratias referebat: Agebat hoc nimirùm ipse per successorem Apostolorũ, qui per ipsos quondàm Apostolos eodem modo claudum à natiuitate, simili gratia sanari cõcessit. His ità gestis, cùm inclinata iam die Dominicæ noctis ap- Actor. 3.
propinquaret exordium, præcepit Episcopus Clerum omnem ad vigiliarum solẽnia maturiùs conuenire, vt his statìm peractis, primo diluculo præfatis nuncijs optatum munus accipientibus, redeundi ad patriã opportunitas optata daretur. Conuẽnit aũt pariter laicorũ grandis numerus, quos ostensa priori die miracula ad q̃renda sanctorum pignorũ patrocinia ingenti delectatione inuitauerant. Cumq; propè finito matutinæ laudis officio, auroræ ortus illucesceret, lux lucis & fons luminis illuminauit ciuem vrbis eiusdem, qui cæcus genitus, vsq; in diem illum coæuam sibi eam miseriã tolerabat. Sed qui in Euangelio legitur per semetipsum hominem à pœna simili liberâsse, hunc quoque per electum membrũ suum à tenebris diuturnæ noctis eripiens, ignotam priùs lucem videre concessit.

Cæcus à natiuitate videt. Iohan. 9.

Cap. 11. Dæmon ab obsesso pellitur.

Eadem hora eodemq; in loco, id est, in ecclesia coram Clero diuina carmina concinente, multisq; alijs fidelibus adspicientibus, arreptus quidã à dæmonio, vexari miserrimè cœpit. Diù nanq; ab eo torqueri antè solebat: sed tum interuentu eiusdem cõfessoris, expulso hoste nequissimo, sospitatem mentis recepit, nec deindè vllum in se larualis phãtasmatis sensit horrorem. Ità illius diei exordio geminata lætitia cælitùs illustrato, infinitam populi multitudinem sexûs vtriusq; atq; omnis conditionis & ætatis, tam ex ea regione, quã ex vicinis vrbibus tantorum signorũ latè circunuolans fama contraxit. Celebratis verò Missarũ solennijs, accelerabat Episcopus sanctũ illud corpus his, qui ad patriam secùm delaturi erant, commẽdare, ipsumq; cum honore debito ex vrbe deducere, antequã aduenientes turbarum immensitas, eorum iter impediret. Ornatur itaq; clerus omnis, sacerdotalibus & ecclesiasticis indumẽtis, eleuatoq; feretro sanctorum pignorum in humeros sacerdotũ, sonantibus quoq; signis omnium per vrbem ecclesiarum, ac præcuntibus, qui sanctæ ac viuificæ Crucis vexilla, sanctorumq; Euangeliorum libros & sacras reliquias in aureis argenteisq; recõditorijs cum aromatibus præferebant, deducitur cum ingenti cunctorum veneratione, cum psalmis, hymnis & antiphonis in oratorium S. Vincentij, situm iuxta portam vrbis, per quam egressuri erant. Prosequebatur autem maxima multitudo plebis: sed non minor ibidèm obuiauit, quæ signorum rumore audito, vndiquè confluebat.

Campanæ omnes pulsantur iam olim.

S. Crucis vexilla.

Tum verò nõ leuis oritur contra præsulẽ populi querimonia, clamãtibus plurimis, magni se patrocinij tuitione priuari, ablato à se corpore tanti confessoris, cuius intercessione solerent ab omni aduersitate muniri. Hoc suæ regionis vnicum post Deum fuisse tutamen, hunc honorẽ maximum, hanc gloriã singularem. Timere se meritò posse, nè translatis eius venerãdis artubus, pariter nominis eius in breui veneratio memoriaq; neglecta, indignos eos ipsius interuẽtu apud Dominũ faceret. Arbitrari sese, pastoris potiùs officio cõuenire, sanctorum pignora ad munimentũ gregis sibi commissi vndecunq; adquirere, quàm eorum, quæ haberent, pretiosissima quæq; in alias mittere nationes. Cõmotus aliquantùm his vocibus antistes, & maximè lamentantis turbæ acclamatione, tandèm facto silentio, populũ in eádem ecclesia S. Vincentij ità breuiter allocutus est: Nõ est, inquiens, æquum, fratres, quenquã vestrũm putare, me intantùm aut cõmissæ mihi solicitudinis, aut vestræ simul meæq; salutis oblítum, vt hæc nostri perpetualis patroni pignora sine certa ratione ex hoc loco transferri permitterem. Si enim, cùm apud nos sanctorũ corpora Deo miserante satìs abundẽt, illi populo, qui nupèr ad fidem vocatus, & eorum aut parùm, aut nihil penitùs habens, à nobis huius suæ necessitatis solatium humiliter postulat, omninò assensum præbere dedignamur, fatendum est, nos Euangelici Apostolicíq; præcepti contemptores, contra ius charitatis fraternæ, claudere à fratrib⁹ viscera nostra. Absit verò hic error procùl à cordibus vestris, vt putetis electos Dei iam cum ipso regnantes, ibì tantùm, vbì corporaliter eorum habentur reliquiæ, intercessionis suæ præstare beneficium posse. Quin potiùs credendum, eius patrocinium in hac ecclesia, quam in carne positus fideliter rexit, & in qua finem vitæ mortalis accepit, omnibus piè quærẽtibus in perpetuum non defuturum. In illo enim populo, nouiter ad Deum conuerso, nouos sibi seruitores & veneratores acquiret, ad quos corporali præsentia suorũ pignorum accedet:

Cap. 12. Videanti. qui populi deuotionẽ erga Sanctos.

Exhortatio Episcopi ad populum.

cedet: sed à vobis spiritalis eius protectio nunquàm recedet. Sciendum quoque, quòd
Rom.13. serenissimus Imperator idipsum fieri præcepit. Cuius quicunq; potestati resistit, Dei nimirùm ordinationi resistit. Prætereà luce clariùs ostensum est, Dei pariter & huius ipsius sancti patroni nostri Liborij placere voluntati, vt ad illam, in qua cum summo cunctorum desiderio expectatur, regionẽ adueniat. Quod si non ità esset, ab inchoato herì istius translationis exordio, vsque ad hanc horam tanta nequaquam miracula coruscarẽt. Cùm enim placatus potiùs, quàm iratus, Deus dona cælestia largiatur, quisnam existimare potest, quòd si hoc opere offenderetur, tantis illud signorum beneficijs illustrâsset? Quocirca fratres ab hac intentione desistite, nè diuinæ dispositioni comprobemini palàm resistere voluisse.

Cap.13. Cùm his & multis alijs admonitionibus, & maximè Dei nutu sedata plebis commotio quieuisset, præcepit pontifex eos, qui per totum biduum, à varijs debilitatibus, seu ab immundis spiritibus liberati fuerãt, in vnũ congregatos, ad conspectum multitudinis nouiter aduenientis adduci: vt eorũ omnem & pristinæ calamitatis, & nouæ reparationis historiam pandẽs, diuinam clementiam faceret ab omnibus vnanimiter collaudari. Vbi primùm verò populus coadunatum illud recèns sanatorum agmen adspexit, & quos nudiustertiùs diuersis passionibus affectos, iam tunc sanissimos esse cognouit, subitò ex omni parte infinitæ multitudinis vox magnæ gratulationis exoritur. Nec datur vllus Episcopum loquentem audiendi locus: sed nemine tacente, nemine alium expectante, pro se quisque, qua poterat, Deum voce laudabat.
Immensæ Deo laudes & grates ob morbidos curatos red dũtur à populo. Cumque etiam clerus, Episcopo incipiente hymnũ, Te Deum laudamus, & quædam alia tantæ lætitiæ conuenientia decantaret, immensæ illius iubilationis sonus, inexplebili supernæ laudis delectatione, in longum diei spatium protelatus est. Quo tandẽm finito, aduocatis Baduradi sæpè memoratis Episcopi missis, beatæ memoriæ Aldricus antistes preciosissima illa, quæ suprà diximus, pignora coràm omni Clero & populo commendauit sub obtestatione grauissima, vt cũ digno semper honore tractarentur, nec eis vnquam omnis reuerentia cultûs ecclesiastici à quolibet Episcopo
Paderbornẽsibus datur corpus S. Liborij. Paderbornensi & Clero suo quolibet tempore subtraheretur. Dehinc inter vtriusque ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornensis congregationis firmata charitate perpetuæ fraternitatis, ad patriam, eis redeundi licentiam dedit. Quos tamẽ vna cum multitudine extra ciuitatem aliquãdiù prosecutus, cum paucis suorum redijt: quoniam à tam glorioso comitatu vix quisquam nisi inuitus separabatur.

Cap.14. Et illi quidẽ, annuente perspicua Dei clementia, voti sui se compotes effectos summopere gratulantes, kalendis Maij ab vrbe Cenomanica profecti, cum omni studio ad patriam festinare contendunt. Cuius itineris gloriam ac lætitiam quis dignè valeat enarrare? opportunum tamen credimus, viam omnem celeri stylo percurrere, annotatis tantùm locis, in quibus præcipua sunt, eademq; certissima gesta miracula. Nam omnia, quæ sacrum illud iter cælesti quodam lumine illustrârunt, ne illorum quidem aliquis, qui præsentes fuerunt, dicere aut memoria potuit retinere. Illis itaq; proficiscentibus, prædicta die iuxta locum, vulgò Pontleuua nominatum, securus eò quidam ex familia, pertinẽte ad seruitium ecclesiæ ipsius S. Liborij, quem & sensum audiendi, & sermonis vsum nunquàm habuisse magna pars populi nouerat, dominũ suũ vt suí misereretur, quia voce nõ poterat, gemitu & lachrymis precabatur. Cumq; crebrò caput inclinatum, expansæ manus, leuati modò ad cælum, modò ad sacrum
Surdi & muti sanatio. feretrum oculi, satis internum eius affectum indicarẽt, nec iam præ lassitudine sequi longiùs posset, tandèm à pœna secùm genita relaxatus, eo primùm die cœpit & audiri loquens, & loquentes audire.

Cap.15. Indè cœpto itinere properantes, cùm ad ecclesiam quandam, S. Medardi memoria celebrem, propinquarent, ibi in via quædam mulier à longa infirmitate curata est, quam per omne tempus vitæ suæ priùs tolerâsse ferebatur. De qua id quanuis incredibile, multorum tamen relatione asserebatur, quòd nullũ alimenti genus vnquam gustare potuerit: sed cochlearũ more, suo victitans succo, noxio tantùm aleretur humore. Quod nequaquã affirmãtes, id tantũ dicimus, quod verũ nouimus, eam ad sanItem mor-bidę mulieris. cti Liborij patrocinium & venisse languidam, & redisse incolumem. Hinc ad basilicã S. * Symphorij aduenientes ibidèm sunt recepti hospitio, vbi noctem illam splendor pietatis diuinæ clarè fecit illucescere. Nam fœmina quædam, diù malignorum spirituum se vexantiũ, miserabile receptaculũ facta, ad sæpè memorati confessoris implorandum pro ea suffragium, in ecclesiam adducta est. Finitis verò matutinis ex more vigilijs,

* Sympho-rianiputo legendum.

vigilijs, cùm facto iam silentio plebs egressura esset, cœpit subitò horrorem dirę vocis emittere, vlulare, mugire, sibilare, ac per omnia belluinos imitari sonos: vt nisi præsens videretur, nihil minùs quàm mulier putaretur. Terrore cuncti, qui aderant, simul & miseratione permoti, teneri eam, & ad sanctorum feretrum propiùs inLiberatur dęmoniaca uitam trahi, fecerunt. Deindè vnanimes pro illa preces fundentes, citò exaudiri meruerunt. Denique statìm à dæmonum violentia liberata, sobria mente ac voce gratias & laudes Deo referens, euntes eos indè diù cum populo sequebatur.

Exindè festinato cursu monasterio S. Sulpitij appropinquantes, vident eminùs adCap .16. ducimendicum quendam in vehiculo, qui miserabiliter toto penè contractus corpore fuit. Nam & pollices vtriusque manûs erant in medium palmæ incuruati, & reliqui digiti supra ipsos pollices extensi, ità eos stringebant, vt vngues radicibus palmarum hærerent infixi. Reliquum corpus adeò velut in sphæram rotundatum videres, vt genua pectori, summitates pedum renibus iungerentur. Sed quanto eius fuerat miserabiliorpœna, tanto secura est mirabilior medicina, Interuenientibus nanquebeati Liborij meritis, cuius opem integra fide implorabat, erectis in momento ac Miserabilister cõtracta, fanatur mirabiliter. sanatis omnibus simul membris, prosilijt de paruo illo, quo vehebatur, curriculo, & celeriter ad loculum sacri corporis currens, ibidèm se in terram prostrauit, cum ingenti affectu corde simul & ore gratias agens. Mirari populus, Deumque sublatis in cælum vocibus collaudare, quòd non videretur circa viuentem hominem amplioris virtutis opus sub cælo fieri potuisse. Pergentes verò ad ecclesiam quandam, in honore S. Petri Apostoli dedicatam, subitò dæmoniacum, qui eos aliquandiù sequebatur, conspiciunt in via media cecidisse. Ad quem erigendum cùm aliqui ex plebe cucurrissent, iacuit omninò sine motu aliquo, vt ab omnibus esse mortuus non dubitaretur. Post paululum tamen erectus ad sedendum, cœpit sensìm quasi reuiuiscere: Dęmoniacus penè mortuus curatur. & sequenti die coram populo laudes Saluatori suo rependens, sanus apparuit, acsì nunquàm à maligno spiritu fuerit vexatus.

Proindè cùm tantis diuinorum beneficiorum donis, velut cælestibus radijs micantem viam læti carperent, quę plus quotidiè gaudij, quàm fatigationis offerret: contiCap. .17. git, vt ad ciuitatem Carnotensem, satìs amplam & populosam, deuenirent. Cuius vrBernuinus Episc. Carnoten. bis Episcopus, Bernuinus nomine, iam tunc ætate simul & moribus valdè maturus, collectis ex more presbyteris, eo tempore synodum in vrbe celebrabat. Cui cùm nunciatum esset, qualiter & quo ordine assumptum Cenomanis corpus prefati confessoris, suæ iam vrbi appropinquaret, statìm cum omni illo sacro sacerdotum collegio, totóque Clero suo & populo processit in eius occursum, atque cum hymnis & cantiEt hìc notá priscã deuotionem. cis spiritalibus illud deuotissimè extra vrbem longè progressus excepit, iussitque vt deferretur per viam, quę ducit extra muros ciuitatis ad oratorium, in quo sancti Carauni membra requiescunt. Cumque cateruatìm sequenti grandi multitudine ad memoratum locum honorificè duceretur, sonantibus signis per totam vrbem, & populo excelsa ad Deum voce proclamante, vt tantam sibi gratam esse deuotionem Dominus declararet, multa ibidèm per beatum Liborium fieri signa concessit. Ex quibus vnum præcipuum hoc loco memorare decreuimus, reliqua, vitandæ prolixitatis causa, intermittentes. Puella, quæ ab exordio miserandæ natiuitatis, membris ferè omnibus curua, & velut in globum contorta, nunquàm vel mentum à genibus leuare, vel plantas pedum à femoribus remouere valebat, ante loculum sanctorum cineMirè cõtracta restituitur. rum deportata, singulorum officia membrorum cum integerrima sanitate suscepit. Sed quoniam breuis illa vestis, qua contractum priùs corpusculum facilè tegebatur, iam erectè stanti non sufficiebat, quin ex parte nuda videretur: citissimè fideles quiq; (nam in ecclesia coram Clero & populo res gesta est) raptis fœminarum facitergulis Facitergulis, pro sudarijs. eam contexêre, donèc allatis sibi congruis indumentis vestiretur. Ibi ergò cum spiritali lætitia noctem illam transigentes, primo manè optatum iter arripuêre

Cap .18. Isthuc nescio vndè habeat Author de etymologia ciuitatis Parisiensis. Ercanradus Episc. Parisiensis. Appropinquantes verò Parisiensi ciuitati, quam fluentis Sequanæ cinctam, Iulius Cæsar condidisse, & ob similitudinem insulæ maris, Isius nominatæ, Parisius fertur appellâsse: simili modo ab Episcopo loci illius Ercantado nomine, omnique populo, vltra pontem stratum super memoratum fluuium occurrente, suscepti, & in principalem eiusdem vrbis ecclesiam deducti sunt. Erat autẽ dies Dominica. Cumq; Missarum ibidèm solennia celebrarentur, deducebatur in medium fœmina quædam, de vicinia eiusdem loci oriunda: quæ cum pœna grauissima nata, in eadem præteritum vitæ suæ tempus exegerat. Muta enim à natiuitate & surda, tertio insuper tormento

subiacebat, q videlicet mente capta, spiritu agitabatur immundo. Hęc in conspectu omniũ ad Missas circumadstantiũ vehementer anxiari cœpit & sudare: postremò in pauimentum ruit. Post celebrationem mysteriorum ad mansionem deportata est, & ad vesperum rursùs in ecclesiam delata. Ibì cum multis alijs pernoctabat. Statimq; vt albescente polo roseum auroręq; iubar illuxit, lux magnæ misericordiæ Dei, effugatis ab ea tenebrosis tortoribus, & auditûs illi & vocis facultatem condonauit. Obstupuêre magnoperè cũcti, qui aderant, videntes eam in vno momento ità immutatam, vt & vacua esset à dæmone, quo plena erat, & plenum haberet membrorum officium, quo vacua fuerat.

Dæmoniaca surda & muta, redit ad sanitatẽ

Cap. 19.

Euntibus autem illis iuxta montem martyrũ, cùm essent iam à dextro latere insignis monasterij sancti Dionysij, occurrit ibidèm seruulus quidam de familia eiusdem martyris, quem & sacerdotes & cuiuscunq; gradûs clerici, necnon & plures laici, contestati sunt ab exordio natiuitatis suæ auditûs pariter & loquelę vsu penitùs caruisse. Qui appropinquans sacris pignoribus, vbì vidit plures è populo pro sua quenq; facultate in honorem sancti Liborij, ad eius loculum iactare munuscula, & ipse quoq; satis deuotè aliquid de vestimẽtis proprijs illuc offerre nitebatur. Cuius extemplò aditus intercessione, apertis auribus & soluto vinculo linguæ, in eadem hora Dei laudes canentem populum audiuit, & ipse simul cum gaudio decantauit. Interìm festinantes cum summa alacritate iter suum peragere, deuenerunt ad villam, quæ Gebaloha nominatur. Vbì sicut anteà multorum fides & deuotio remunerata, sic etiam quorũdam contumacia digna est correptione castigata. Contigit nanq; ibidèm, vt fluuiolũ quendam transire deberent. Quò cùm proximarent, hi qui sanctum feretrum portabant, quatuor, qui posteriora eius tenebant cornua, recto tramite per vadum aquæ incedere volebant. Totidem autem reliqui, priorem eius partem gestantes in humeris, pontem magìs, per quem transirent, quærere se velle asserebant, in tam præclaro sanctorum obsequio calceamenta sua madefacere dedignantes. Qui cùm ad pontem quendam venissent, & venerabilem thesaurum secùm portãtes, super eum transirẽt, repentè rupto sub pedibus eorum instrumẽto lignorum, omnes illi, qui in vado vel pedes intingere aspernabantur, ex alto cadentes, in profundo flumine submersi sunt: meritis tamen sanctorum artuum, quos ferebãt, illęsi euasêre. illud verò sacratissimũ feretrum ab ea parte, qua ab illis, antequam caderent, tenebatur, mirum dictu, nemine cõtingente, in aëre pendebat immobile, donèc accurrere possent, q illud accipientes, ad vadum reucherent: atq; ità demùm, cœpto itinere, perrexerunt.

Surdus & mutus, audit & loquitur.

Puniuntur parùm religiosi.

Nota rem miram.

Cap. 20.

Ex quo loco non longum iter emensi, consuetum virtutis Dei testimonium ad cõprobanda merita electi sui videre meruerũt, Idipsum tamẽ, quod factum est, quo appelletur nomine, non satìs occurrit. Euentum fuisse dixerim? sed non solet res talis casu euenire. Miraculum nominem? sed id non magnoperè quisquam admirabatur. Quis enim velut nouum miretur, quod sæpiùs intuetur? mulier à dęmonio liberata est. Magna Dei pietas, magnum confessoris eius meritum, rem alibì raram, in illo itinere fecit esse vsitatam. Quæ tamen mulier tunc à valdè diuturna vexatione saluata, (nam quindecim annis ea laborauerat) haudquaquàm ingrata suo extitit Saluatori. Cùm enim esset de castello, quod Bauaca nominatur, non infimis orta natalibus, relicta patria & parentibus, Deo & sancto Liborio se, dum viueret, seruituram deuouit. Secutaque sancta pignora vsque ad locum, in quo hactenùs requiescũt, in eorum seruitio reliquum vitę suæ spatium transegit. Circa hæc eadem loca & alia plurima sunt in via ostensa miracula: sed nobis festinantes illos ad patriam stylo prosequentibus non vacat in singulis immorari.

Dæmon pulsus à muliere.

Cap. 21.

Cùm ad Rhenum fluuium peruenissent, erant in sancto illo comitatu prouinciarum occidentalium populi infinitæ multitudinis: qui de longinquis locis illuc secuti, iam necessariò reuerti ad propria debuerunt. Occurrit verò nõ minor mortalium numerus ex nationibus, orientalem eiusdem fluminis ripam incolentibus, & maximè Saxones nostri: quorum confinia non longè ab amne memorato distant. Ipsi enim nupèr aduocati, audita tantorum fama signorum, gregatim ex suis vndiquè locis eò confluxêre. Stabant igitur in vtroque litore turbæ innumerabiles, diuerso nimìs affectu sese inuicèm contemplantes. Siquidem suscepturis precio sum illum thesaurum quantum gratulationis & gaudij, dimissuris verò quantum mœroris & gemitûs hora illa attulerit, quis vnquàm exprimere poterit? Denique statìm vt sancti corporis baiuli nauem introiêrunt, vniuersa plebs, quæ diutiùs sequi non valebat, vnanimiter

Saxones dicit, quos nũc Vuestphalos vocant.

sese in terrã prosternens, cũ ingenti gemitu & intenta supplicatione beati Liborij se patrocinio commendabat, testes quodammodò affectûs sui largos lachrymarũ imbres effundens. Pari modo & hi, qui in citeriore litore expectabant, terræ aduoluti, sacra pignora cum omni, quo poterãt, honore suscipientes, & gratias agentes Deo, læti cum laudibus deduxêre.

Vide hic rursùs antiquã deuotionem.

Igitur ingressi Saxoniã, præ nimia sibi obuiante turba vix gradũ mouere poterant. Totis tamen nisibus iter accelerantes, tandèm die tertio, id est, quinto Kalendarum Iuniarũ, quo tunc sacra Pentecostes solennitas agebatur, ad desideratam diù Paderbornensem ecclesiã peruenerũt. A qua cùm adhuc tribus distarent millibus, iuxta fluuiũ quendam Hedraha vocatum, ob immẽsam multitudinẽ, quę vsq; ad memoratũ locum sequi non poterat, in medio campo Missarũ celebrauêre solennia. Quæ antequàm finirentur, in codẽ loco quinq; pariter homines à varijs debilitatibus liberati, causam immensæ admirationis & lætitiæ tantã Dei virtutem videnti populo præbuêre. Insuper eadem hora in sæpè memorata Paderbornẽsis monasterij ecclesia, cui talis gloriæ decus per tanta terrarum spatia afferebatur, contigit quoddã clarum valdè miraculũ, velut insigni præconio beati Liborij aduentũ annuncians. Nam puer quidam, de eadẽ oriũdus parochia, qui à die natiuitatis suæ surdus erat & mutus, ibidèm auditum pariter percipere meruit & loquelam. Agebat hoc nimirum diuina disposition, vt in die aduentûs ipsius tot signa coruscantia indicio essent, eundem locũ ad hoc fuisse cælitùs electum, vt tãti confessoris corpore illustraretur. Quod cùm innumeris vndiq; stipatũ turbis, monasterio paulatìm appropinquare cœpisset, Episcopus quidem nequibat occurrere, (nam apud palatium tunc morabatur) sed tamen Clerus omnis cum vniuersis ecclesiastici cultûs ornamentis processit obuiàm, sequẽte populo, q vel de longinquis venerat, vel ex eodẽ oppido & vicinis locis illuc ad audienda Missarum solennia in tanta festiuitate fuerat congregatus. Cũq; sibi nõ paruo ab opido interuallo vterq; populus, sequentiũ videlicet venerabile corpus atq; excipiẽtium, obuiâsset, hi qui occurrerunt, ter cuncti simul solo ꝓstrati, summa illud cum veneratione susceperunt. Cũq; Clerus in hymnis & confessionibus Deum benediceret, & spiritualium carminũ melodiam, sanctorum laudi congruã, cõcineret, populus verò Kyrieeleïsõ ingeminaret, cum ineffabili iubilo erectis ad Deũ mẽtibus singulorũ, nihil eius laude dulcius videbatur: ità vt in huius vitæ exilio similitudinẽ quandã beatitudinis, quę in patria speratur, pregustâsse viderẽtur, de qua dicitur: Beati q habitãt in domo tua Domine: in secula seculorũ laudabunt te. Quẽ illis tantũ diuinæ laudis amorẽ, eius meritis credimus inspiratum, in cuius tũc exequiarũ honorẽ fuerant cõgregati: quoniã & ipsius sola in cælis beatitudo, vita & gloria, non nisì laus Dei est, in cuius charitate perfecta ad tantũ ipse sanctitatis culmen ascendit. Itaque cùm sensìm magìs ac magìs in altum sublatæ populi voces attollerẽtur, etiã circũquaq; gaudentium, psallentiũ, Deo gratias agentiũ & iubilantium illi in voce exultationis per totã viciniã sonit⁹ intonaret, cũ tali honore sacratissimũ corpus in ecclesiam delatum, & in loco, in quo hactenus requiescit, collocatum est. Vbì quantis postmodũ miraculis effulserit, quanta sanitatum dona præstiterit, alibì dicenda reseruamus, hîc præsenti libello terminum imponentes.

V morbidi reualescũt.

Puer surdus & mutus curatur.

Ecclesia Paderbornensis olim monasterium.

Kyrieeleïsõ

Pſal. 83.

S. Liborij corpus in ecclesia Paderbornẽsi conditum.

Hæc deniquè secundùm tuum præsul venerande pręceptum, nostrumq; ꝓpositum de his, quæ in translatione eius gesta sunt, non quidẽ vt voluimus, & tantę rei conueniebat, sed vt potuimus & scientia suppetebat, describere curauimus: non magnipendentes in sermonũ qualitate reprehẽdi, dum tantùm integrę veritatis fide seruata, diuinę operationis insignia silentio tegi nequaquã permitteremus. Nostri enim ꝓpositi necessitas admonet, vt in huiusmodi operibus nobis iniũctis id omnimodìs elaboremus, vt si nos imperitia facit ineloquẽtes, deuotio tamẽ ostendat obedientes. Nec infructuoso nos sudore laborâsse confidimus, si alicuius lectoris hæc in manus sumere dignantis, vel cuiuscũq; audiẽtis animus in laudẽ largitoris tantarũ virtutũ fuerit excitatus. Meritò nãq; laudes illi & grates toto corde referimus, qui nos inter tot ęrũnas seculi laborãtes, tantorũ patronorũ suffragijs tueri dignatur. Qui ꝓ visibiles corporũ curationes ad internã nos animarũ salutẽ quęrendã ꝓuocantes, spem tribuunt ꝓ eorum exẽpla & intercessiões pueniendi illuc ex hac valle lachrymarũ, vbì absterget Deus omnẽ lachrymã ab oculis sanctorum. Quò qui iam sanctum suum Liborium feliciter perduxit, nos quoq; licèt indignos, eius interuentu venire concedat: qui in Trinitate perfecta vnus & verus viuit & gloriatur Deus per infinita secula, Amen.

Cap 23.

Sanctorum patrocinia nos tuentur

Apoc. 7.

VITA S. BIRGITTÆ VIDVÆ, MVLTIS REVE LATIONIBVS CLARISSIMAE. HABETVR HAEC VITA

etiam typis iampridèm excusa, & suffragatur ei Bulla Canonizationis eius vt vocant, edita à Bonifacio eius nominis IX. Pontifice maximo. Stylum in gratiam Lectoris mutauit passim F. Laur. Surius, omissis nonnunquàm breuitatis studio, quæ ad historiam non multùm attinerent. adiectoque ad marginem capitũ numero.

Iulij 23. Cap. 1. Illustris eius prosapia.

SANCTA Birgitta in regno Suediæ orta, non tantùm parentes habuit nobiles, & tum coram Deo, tum coram mundo potentes, verumetiam auos, proauos & abauos excellentes, legem Dei feruenter inquirentes, & peregrinationes suscipientes, cæteraq; pia opera auidissimè exequentes. Omnis enim cognatio eius & stirps, vti etiã beati Tobiæ, bonam vitam & sanctam conuersationem sectata est: adeò vt tam Deo, quàm hominibus, & cũctis habitantibus terram, accepti & chari essent. Auus enim, & proauus atq; abauus patris eius, exemplo Abrahæ & aliorum priscorum patrum, peregrini esse voluërunt in hoc

Tob. 14.

Gen. 12.

Ecclc. 44. mundo, tametsi erant diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Nam sacramenta Dominicę passionis ad memoriam reuocantes, peregrè profecti sunt in ciuitatem sanctam Hierusalem, & ad alia loca, quæ Christus Iesus corporali præsentia sua illustrauit, idque non sine multo sumptu & labore. Eorum autem & exitum & introitum Dominus misericorditer custodiuit. Sed & pater S. Birgittæ Birgerus, in illorum vestigijs insistens, multa loca Sanctorum, putà S. Iacobi, & alia circa mare Australe, deuotissimè inuisit, paratus etiam vlteriùs proficisci ad terram sanctam, nisi Apostolicæ sedis consilio, propter causas rationi consentaneas, retardatus fuisset. Idem ipse singulis sextis ferijs peccata sua solebat humiliter cõfiteri, sæpissimè his vtens verbis: Ità me qualibet sexta feria comparare volo erga Deum, vt quicquid cæteris diebus ille mihi præstiterit, ferre ęquo animo possim. Memor erat sententiæ illius: Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.

Pietas patris eius.

Ecclc. 5. Fecit consimiliter filius eius, quoàd vixit, qui etiam post confessionem secretò acerrimis flagellis cædebat corpus suum, vt paratus in flagella, Christum flagellatum in suo glorificaret corpore, & cum vitijs & concupiscentijs iugiter crucifigeret carnem suam.

Cap. 2. Mater eius multas condit faceres ædes.

Mater quoq; beatæ Birgittæ, Sigridis, nobilis & religiosa fuit, cuius pater sanguine regio procreatus erat, diligens decorem domûs Dei, ità vt multas extruxerit ecclesias, & pro magnificentia suæ amplissimos reditus dotis nomine eis assignârit. Porrò ingressus beatæ Birgittæ spõsæ Christi, in hunc mundum, fuit quasi diluculum diuinitùs præparatus. Nam cùm adhuc materno gestaretur vtero, accidit vt mater eius in quodam maris sinu naufragium faceret: cumq; multi vtriusq; sexûs submergerentur,

Euadit mortem. Dux regni Hẽricus, frater regis Suedię, videns illam in periculo versari, modis omnibus, quibus potuit, eam viuam ad litus perduxit. Eádem autẽ nocte illi adstitit persona quædam, veste luculenta induta, dixitq; ad eam: Salua euasisti propter bonum illud quod habes in vtero. Itáq; nutri illud pro Dei amore, sciens specialiter id tibi diuinitùs esse donatum. Nata autem puella, sacerdos quidam vicinioris ecclesiæ, vitæ in-

Visio sacerdotis. tegræ & prouectæ ætatis, qui posteà factus est Episcopus *Aboënsis in Suedia, inter orandum nocte vidit nubem lucidam, & in nube sedentem virginem, in manu sua librum habentem. Admirans igitur, audiuit vocem eiusce modi: Nata est Birgero filia, cuius vox mirabilis toto orbe audietur. Ab ipso autem ortu suo triennium ferè permansit elinguis infantula, nec vllum edidit sermonem. Sub finem verò triennij tam perfectè loqui cœpit, vt iam non infantium balbutientium more, sed contra eius ętatis vsum, absolutè sua verba enunciaret.

Cap. 3. Intereà mater eius eleemosynis & bonis operibus semper dedita, morbo corripitur, & aliquot diebus antè prædicit obitum suum. Cumq; iam esset migratura à corpore, maritum suum & alios eius morte dolentes, ità compellat: Quid ità doletis? Suffi-

ciat hucusq; prorogâsse vitam. Gratulari potiùs mihi debetis, quòd ad potentiorẽ Dominum euocata sum. Indè accitis filijs, cùm omnibus valedixisset, obdormiuit in Domino. Ea defuncta, filiola eius Birgitta, à patre tradita est nutrienda materteræ suæ, matronæ insigni prudentia & religione. Et cùm septennis ferè esset, vidit quodam tẽpore euigilans, eregionè lectuli sui altare, & super illud Dominam indutam vestibus splendidis, & in manu ferẽtem coronam magni precij, ipsiq; dicentem: Birgitta, veni. Surgenti illi & ad aram properanti, dixit Domina: Vísne habere coronam hanc? Illa annuente, imposuit eam capiti eius, ità vt sentiret puella caput suum tanquàm circulo quodam ambiri. Sed cùm ad lectulũ redijsset, visio illa disparuit, cuius tamen nunquàm potuit obliuisci.

Visio S. Birgittæ adhuc septennis.

Deinde ad annum ętatis decimum accedens, instàr purissimi lilij, totius honestatis candorem retinens, & à radice labentis mundi, ad cælestium pulchritudinem sese erigens, munditiam animi & corporis, ceu thesaurum absconditum cõseruabat. Abundauit in ea totius forma virtutis: sobrietas cum modestia, simplicitas cum verecundia, humilitas cum obedientia, iucunda conscientia, hilaris patientia, charitas indefessa. Decimo ætatis anno cùm audiuisset in templo concionantem de passione Domini, nocte sequente vidit in somnis Christum, quasi eádem hora crucifixum, sibiq; dicentem: En vt excruciatus sum. Illa existimans eádem hora recèns id factum, ait ad eum: Ecquis isthuc tibi fecit Domine? Christus respondit: Illi qui me contemnunt, & charitatem meam negligunt. Tum illa ad se reuersa, vsque adeò fuit affecta erga passionem Christi, vt eius mysteria rarò sine lachrymis ad memoriam potuerit reuocare.

Cap. 4.

Nota virtutes teneræ puellæ.

Alia visio eius, de passione Domini.

Cùm duodennis iam esset, cum puellis suis coætaneis acu pingebat ex serico & auro. Animo autem anxia, ità vt operi intendere non posset, oculos mentis ad Deum referebat. Eccè autem visa est illi assidere virgo quædam ignota, eam in eo opere adiuuans. Interrogata deindè, quænam ipsi assedisset, respondit se neminem vidisse. At matertera eius opus, quod tum præ manibus habuerat, non ab illa tam tenera puella, sed diuinitùs potiùs elaboratum considerans, inter reliquias fideliter illud asseruabat. Nocte autem quadam eadem matertera in eius cubiculum latenter ingressa, inuenit eam, cęteris dormientibus, in silentio clàm ante lectum suum, nudam adorare cum lachrymis Crucifixum. Suspicata autem, leuitate quadam puellari id fieri, virga eam percussit, sed ea in minutissimas partes dissilijt. Admirans igitur, dicit ad eam: Quid egisti Birgitta? Num te docuerunt fœminæ preces quasdam fallaces? Illa cum lachrymis respondit: Non, domina mea: sed surrexi è lecto, vt laudarem eum, qui me semper solet adiuuare. Scisciante matertera, quis ille esset, respõdit: Crucifixus est, quem pridèm conspexi. Ab illo ergo die matertera eius cœpit eã & amare impensiùs, & ampliùs venerari.

Cap. 5.

Orat nocte coram Crucifixo.

Non diù pòst ludens cum puellis Birgitta, vidit diabolum tanquàm centimanum & centipedem, horrida specie deformem. Perterrita igitur, cucurrit ad lectulum suum, humiliter se Christo commendans. Vbì rursùs ei teter ille spiritus appárens: Nihil possum, inquit, nisi permittat Crucifixus. Animaduertens autem pater eius, quòd virgo iam nubilis, & tanta morum elegantia spectabilis, ceu altera quædam Esther, posset generi suo magnum adferre splendorem & dignitatem, & instàr parui fontis in maximum excrescens fluuium, plurimis aquis redundare: ipsam licèt summoperè in virginitatis proposito permanere cupientem, cuidam adolescenti diuiti, illustri, cordato & prudenti despondit. Erat is Nericiæ princeps, & Vlpho de Vlphaso dicebatur. Vixerunt autem pariter annum vnum & eo ampliùs pudicè, & continenter, ọbnixè rogantes Deum, vt si ei visum esset, vt inter se concumberent, talem ex ijs prolem procrearet, quæ ipsius seruitio manciparetur. Postquàm autem iam inter se conuenerant, semper in Quadragesima, & diebus solennibus & qualibet sexta feria, à carnali copula abstinebant, & tum illa clàm induta vestibus, extra lectum cubabat in pauimento vel assere, tapete instrato. Porrò ambo simul, adspirante spiritu Dei, matrimonium honestissimè coluerunt, & tam Deo quàm hominibus chari, in venusta morũ integritate & maturitate fœlices habuêre progressus. Filios suos Birgitta cum multa solicitudine & diligentia educauit: eosque ceu aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, vnguibus castigationis & sanæ doctrinæ, radijs solis iustitiæ obiecit, adhibens illis præceptores, qui eos in fide & moribus instituerent. Apparuit quandoquè ei beatissimus Iohannes Baptista, & ait: Quandoquidem

Cap. 6.

Horridissima specie ei appáret satan.

Esther 10.

Nubit Vlphoni, & toto anno viuunt conuenter.

Deut. 32.

Apparet ei S. Iohannes Baptista.

plorâsti,quòd filius tuus offendit me,non ieiunans in vigilia festi mei, mallesq; eum seruire mihi, quàm regia dignitate excellere:idcircò ego illum adiuuabo, & armis meis communiam.

Cap.7. Loca,leuitates,& personas omnes,vndè posset aliqua nota adspergi, declinabat, semperq; honestas ancillas & comites omni morum honestate cõspicuos apud se retinebat,nè cuiquam obtrectandi occasionem præberet.Et quia à primis ætatis initijs diuina erat gratia perfusa,diuini amoris calore incensa, sursùm toto desiderio fereba

Ociũ summoperè vitat. tur in Deum, & ardentissimè cælestia meditabatur.Nè quam autem satanæ tentandi materiam offerret, ab ocio valdè abhorruit,bonisq; & sanctis exercitijs semper vacãs, nunc operi manuum incumbebat cum famulabus suis, diuino cultui & proximorum vtilitati profuturo : nunc Sanctorum vitas & Sacra Biblia, quæ Gotthico idiomate sibi scribenda curârat, legebat : nunc ecclesiarum limina terens, diui-

Ecclesias & sacra loca visitat. nis officijs libenter intererat: nec pepercit labori corporis: sed suaue & delectabile illi videbatur, pedibus suis ire ad monasteria & ecclesias cathedrales, tum ob indulgentias siue condonationes promerendas, tum ob audiendas doctorum virorum conciones. Ieiunijs quoquè, vigilijs & orationibus feruenter intenta, docebat carnem parére spiritui: atque à delicatioribus escis abstinens, ea cautione id faciebat, vt à marito & alijs non aduerteretur. Semper autem interdiù ad corpus, & noctù, absente marito, veste dura & aspera vtebatur.

Cap.8. Iam verò: infirmorum, morbidorum & pauperum felix & inclyta mater, eleemosynas largissimas præstabat. Habebat autem magnas ædes pauperibus deputatas,& in ijs fœminas, quæ illorum ministerio semper occuparentur. Sed & ipsa cum multa humilitate non rarò illis inseruiebat, lauans & osculans pedes eorum. Quandoquè in partu ea periculosè laborante, matrona quædam, alba serica veste induta,ad eam ingrediebatur, singula iacentis membra palpans. Cumque rursùs egrederetur,illa

Pauperum magnam curam gerit.

B.Maria adest parturienti. mox sine vlla difficultate peperit. Non dubium, quin beata Maria fuerit, sicut postea per reuelationem ei indicauit. Maritus autem eius, cùm esset vir strenuus & potens, & ex præcipuis Regis consiliarijs, perspecta tanta eius virtute & gratia, illius sacris & salutaribus delectabatur sermonibus & consilijs, ità vt spretis omnibus mundanæ vanitatis honoribus & pompis, ab aula Regis prorsùs se subduceret, suauique iugo Domini se totum humiliter submittens, quicquid esset æquum & iustum, quicquid bonis moribus & honestati consentaneum, in gloriam & laudem Dei efficaciter exequi conaretur. Didicit verò etiam à beata Birgitta legere preces horarias beatissimæ matris Dei. Ambo igitur feruentes spiritu, vt

Suscipit peregrinationes cum marito ad sanctum Iacobum. se liberiùs à mundi vanitatibus expedirent, è patria sua exeuntes, non sine multo labore & sumptu, profecti sunt in Hispaniam ad Sanctum Iacobum: & tandèm multis peragratis Sanctorum locis, cùm iam essent in reditu, maritus cœpit apud

S. Dionysius ei apparet Atrebati. Atrebates pessimè valere. Increscente autem morbo, cùm beatam Birgittam magni tenérent angores, Sanctus Dionysius eam consolatus est, ità dicens: Ego sum Dionysius, qui ab vrbe Roma in Gallias véni prædicare verbum Dei. Tu ergò, quæ me singulariter amas, scire debes, per te velle Deum mundo innotescere, teque meæ curæ commissam esse. Cuius rei hoc habebis signum, quòd maritus tuus iam non morietur. Transactis indè aliquot eo in loco diebus, vidit in spiritu admiranda quædam, quemadmodùm itura esset Romam, & Hierosolymam,& è corpore migratura.

Cap.9. Rursùs aliquot euolutis diebus, cùm vir eius conualuisset, in patriam rediêrunt, ipsaque Deo dilecta maritum suum sanctis adhortationibus perfectè ad Deum con-

Maritus ei fit monachus. uertit, & tum precibus, tum exemplis suis, eum ad perpetuæ continentiæ studium perduxit. Cumque votum ille nuncupâsset Deo, quòd monasticum vellet vinendi genus arripere, septem liberis procreatis, diù seruata continentia, in monaste-

Ad secũdas nuptias nõ accessit vsa consilio Apostolico. 1.Cor. ca. 7. rio Aluastra Ordinis Cistertiensis, feliciter à vita decessit. Eo defuncto, sancta & pudica matrona ad secundas nuptias non accessit, sed mundo valefaciens, facultatibus suis inter proles distributis,habitum mutauit & vitam. Fecisset autẽ maiora, nisi peregrinari diuinitùs iussa fuisset. Vidisses deindè eam ceu alteram Iudith, virtute ca-

1.Tim.5. stitatis insignẽ, erga proximum officiosam, piam erga Deum:& quẽadmodùm Apostolus docet, quasi verè viduam & desolatam, spem suam in Domino collocantem.

Raptæ in ecstasi loquitur Dominũ Cùm aũt quodam tẽpore plùs satìs anxia esset de mutatiõe statûs sui, vt Deo liberius seruire posset,mẽtis ecstasin passa,vidit nubem luculentam,& ex nube vocem audiuit ipsũ

ipsi dicentem: Ego sum Dominus Deus tuus,qui tecum loqui volo.Tu eris sponsa mea & canalis meus.Ijs verbis illa territa,quòd putaret illusionem esse, rursùs audiuit:Noli timere,quia ego sum conditor omnium,nõ impostor:nec tua vnius causa loquor, sed propter salutem multorum.Audi ergò,quę ego loquor, & deindè refer ea ad magistrum Matthiam,qui sua experientia didicit spiritum veritatis ab illusionis spiritu

Doctor Matthias spiritalis pater S. Birgittæ. discernere.Is Matthias vir magna fuit in Deum deuotione, & Sacræ Theologiæ Doctor celebris : cui beata Birgitta in omnibus obediuit,quemadmodùm ei tum diuinitùs præceptum fuit,cùm cælestes primùm cœpit habere reuelationes. Specialiter verò à Deo hoc illa obtinuit, vt annis viginti octo, postquàm eas habuit reuelationes,* nunquàm profecta fuerit, nunquàm alicubi hæserit, nisi mouente eam spiritu Dei.

* for. nusquam

Cap.10. Instituit autem nouum monasticum ordinem, & regulam siue Canonem ex ore

Nouus ordo S.Birgittæ ex ore Christi institutus. Christi ipsi dictantis conscripsit,quem monialibus cœnobij * Vuastenæ seruandum reliquit.Interim propter subitariam vitæ mutationem & habitûs vtilitatem à nobilibus, vitam eius non alio, quàm insaniæ loco habentibus, contemnebatur : sed eis illa dicebat:Nec propter vos incepi,nec propter vos desistam. Statui autem apud animũ meum verba tolerare.Orate vos pro me,vt perseuerare queam.Non enim ignorabat, sicut malam conscientiam non sanant laudantium præconia, ità nec bonam lædere vituperatium conuicia.

Cap.11. Triginta annis ab obitu mariti vestibus lineis vsa non est,nisi duntaxat in capitis ve-

Cilicio vtitur. laminibus:sed aspero induta cilicio,carnem suam excruciabat. Ante lectum suum iusserat poni tapetum simplex vel pallium,& puluinar exiguũ pro capite : sicque cubare solebat. Interrogata, quînam sic somnum capere posset in acerrimis frigoribus,

Non sentit frigus præ ardore nimiarum quibus eæ regiones Aquilonares rigent ? respondit : Ego tantum intrà me sentio ardorem & frigus externum me non valdè anxiam habeat. Nocte & die toties flectebat genu, toties sese inclinabat & osculabatur humum, vel Venias, vt dici solet, capiebat, vt mirum videretur tam nobilem & teneræ habitudinis matronam, tantos posse perferre labores.Sextis ferijs consuetum ardentis cerei guttas ignitas in nudam deponere

Veritas capere, est terrã deosculari, loco pedũ Iesu Christi carnem, ità vt vulnerum vestigia relinquerentur: quæ si sua sponte ante proximã sextam feriam nonnihil curata essent,suis vnguibus ea lacerans,renouabat,ne corpus eius vulnerum afflictione vacaret.Habebat etiã nodosa & asperrima ligamina ad corpus suum,quę neq; noctù,neque interdiù à se remouit. Qualibet sexta feria propter Saluatoris passionem,& felleum potum, ipsi in cruce oblatum, amarissimã herbam quandam ore retinebat:idque itidèm alijs quoquè diebus faciebat,si quod verbum inconsideratè protulisset. Et quia spreta mundanæ lætitiæ falsa pulchritudine cor eius

Attende ei humilitatẽ. intolerabili mortis Christi acerbitate perfusum erat,non absurdè dicere potuit cũ illa præclara vidua Noëmi:Nè vocetis me pulchram,sed vocate me amarã : quia amaritudine valdè repleuit me omnipotens.Obedientiæ verò studiosa fuit,vt nullibi esse

Ruth.1. voluerit sine præceptore.In faciendа confessione humilimam,& ad quæuis ipsi iniuncta promptissimam, se exhibuit. Ab infantia pro more habuit, singulis sextis ferijs

Crebrò confitetur. confiteri peccata sua.Sed sæpiùs,eo minimè contenta,quolibet die crebrò confitebatur etiam leuicula verba & cogitationes.

Cap.12. Ex obedientia in domibus, monasterio Aluastræ vicinis & contiguis morabatur, non vt aboleret canonẽ monasticum illis fratribus præscriptum,nec vt nouum quendam morem,cùm ipsa esset mulier,eò inueheret:sed vt opus Dei mirabile eo in loco certiùs ostenderetur.In illo monasterio frater quidam fuit ex ijs, quos conuersos vocant,Gerekinus nomine,qui intrà annos quadraginta nunquàm è monasterio egressus fuit: sed die ac nocte vacans orationi, eam à Domino obtinuit gratiam, vt no-

Gerekinus conuersus sanctissimus. uem Angelorum ordines inter orandum quasi continenter videret, & sub eleuatione sacræ hostiæ Christum in forma pueruli crebrò conspiceret.Cùm autẽ sancta Birgitta ad illud veniisset monasterium, illic moratura, hic frater secùm tacitus admirabatur, dicens : Cur hæc domina in monachorum cœnobio residet, contra regulam nostram, nouam huc cõsuetudinem introducẽs?Raptus igitur in spiritu, audiuit vocem perspicuè dicentem:Noli mirari.est enim hæc amica Dei,atq; ea causa huc venit, vt in hoc monte flores colligat,è quibus multi etiam vltra mare & in extremis orbis partibus degentes,accipient medicinam:putà Teutones,& alij in Oriente, Occidente & ad Austrum morantes.Ità in hac reuelatione id præsignificatũ est, multos in hisce locis vlctitantes, aduersùm exitialia peccatorum vulnera habituros medicinam,

ex dictis S.Birgittæ. Prætereà vidit idem frater beatam Birgittam à terra eleuatam, & de ore eius tanquàm flumen egrediens, dictumque est illi: Hæc mulier à finibus terræ veniens, innumeris gentibus propinabit sapientiam. Et hoc erit tibi signi loco, quòd ipsa indicabit tibi finem vitæ tuæ, exultabisque in aduentu & sermonibus eius, citiusque complebitur desiderium tuum, vt non videas mala, quæ illaturus est Deus domui isti.

Cap. 13. Visiones cuiusdam, de reuelationibus S.Birgittæ dubitantis.

Prior quidam Dominicanus ægrè poterat adduci, vt beatæ Birgittæ reuelationibus fidem commodaret. Is cùm aliquandò dormiret, vidit ignem à cælo in eam descendere. Stupefactus ea visione, putabat sibi illudi. Itaq; expergiscens, rursùs obdormiuit, viditq; ignem illum ex ore S.Birgittæ prodeũtem, multos circa illam stantes inflammare: simulq; audiuit vocem dicentem: Quis prohibere potest ignem hunc, vt non egrediatur? Ego enim Deus omnipotens mittam hunc ignem ad Orientem & Occidẽtem, ad Aquilonem & Austrum, & incendet multos. Deinceps Prior ille credidit reuelationibus S.Birgittæ, easq; tuẽdas suscepit. De hoc fratre habetur sexto libro Reuelationum, cap. 30. Duobus ferè expletis annis in memorato monasterio, Christus iussit S.Birgittam laborem peregrinationis suscipere, dicens ei familiariter: Proficiscere Romam. illic enim plateæ sunt auro instratæ, & Sanctorum sanguine rubricatæ: ibi propter condonationes siue indulgentias, quas promeruêre Sancti, compendio venitur ad cælum. Manebis autem illic, donèc videas summum Pontificem & Imperatorem. Quod quidem ita euenit, misitq; illa vtriq; reuelationes, ipsi præstitas de reformatione Ecclesiæ. Hoc Christi mandato accepto, illa vtpotè obedientissima, non vllas nectit moras, sed confestim aures parat auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, totamq; se intùs colligit, vt mandatum conficiat imperantis. Egressa igitur è paterno solo, crebris est diuinitùs recreata consolationibus: cumq; Romam venisset, cũ summa deuotione & multa assiduitate, nec mediocri labore visitabat loca Sanctorũ, nec facilè colloquia miscens inter eundum, nisi fortè interrogata esset: & tunc verbis paucissimis scisciranti satisfaciens.

Nota Christi de Roma testimoniũ.

Cap. 14. Studiũ paupertatis eius.

Paupertas voluntaria adeò illi cordi fuit, vt omnes res & facultates suas cuidam commiserit dispensandas: & quotiès aliquid indè vel in suos, vel aliorum vsus cõuerti cuperet, cum summa humilitate in nomine Iesu Christi, id sibi dari petierit, perindè ac si nunquàm eas possedisset. Solebat autẽ in eiusmodi petẽdis rebus aliorum, qui cum ipsa erant, vtilitatem suæ anteferre, & propriam celans indigentiam, orare vtilis præberentur necessaria, licèt ipsa plùs cæteris ijs careret: vtì sic proximum purè diligeret propter Deum. Post annos aliquot iussa est ire Neapolim & in Siciliam. Fecit illa, & à Regina Siciliæ multisq; nobilibus, propter vitæ eius sanctitatem & synceritatem multis est aucta & honorata muneribus & xenijs. Visitatis autem in Sicilia Sanctorum locis, Neapolim venit: vbì moram fecit, & instàr purissimi speculi, virtutum de se exempla omnibus exhibuit, intrepideq; doctos pariter atq; indoctos verbis & exemplis ad viam veritatis reuocauit. Reuelationem quoquè ipsi factam de populo ciuitatis illius, ipsi Archiepiscopo, doctis Theologis, alijsq; & clericis & laicis sapiẽtibus exponens, absq; metu quenlibet reprehendit.

Honorificè accipitur in Sicilia.

Cap. 15. Post annos multos, cùm Romæ solito feruentiùs Sanctorum limina visitâsset, vnigenitus Dei filius præcepit, vt iret Hierosolymam. Prætexente illa incommodam valetudinem & ætatem, Dominus respondit: Ecquis est naturæ conditor? Ego addam tibi vires: ego prospiciam de itinere: ego te ducam & reducam in locum hunc: deniq; ego ero custos tuus, quocunquè perrexeris: nec dimittam, donèc compleuero vniuersa, quæ dixi. Veniens Hierosolymam, mira audiuit à Domino de statu regnorum, de natiuitate & passione eius, & de vocatione gentium. Dicebat ei Dominus: Verba mea diù antè annunciari & audiri debent, sed posteà sequentur opera & signa. Nóuerisitaque, multos necdùm editos in hanc lucem, hæc mea verba recepturos: & beati, qui audient verba mea, & ea opere perficient. Post obitum tuum complures verba mea, quæ tu scripsisti, complectentur, & suauiter ea sequentur. Porro loca omnia, in quibus pro peccatoribus pati voluit Dominus Iesus, ipsa deuotissimè visitauit, & quasi columba nidificans in foraminibus petræ, suauitatem vulnerum eius meruit degustare, & diuinis intrinsecùs visitationibus crebriùs illustrari. Antè autem, quàm à Hierosolyma rediret, febri & stomachi infirmitate laborare cœpit, eamq; terra & mari inter labores & dolores suos integrum annum patientissimè tulit.

It Hierosolymam.

Visitat sacra loca Hierosolymis. Cant. 2.

Cap. 16. Vbì Romam redijt, morbus increuit, & tandem illius vi extincta est. Cumque immineret

mineret dies obitûs eius, quinq; diebus antè rursùs apparuit ei Dominus Iesus ante altare, quod erat in conclaui eius, iucunda facie & corporeis eius oculis visibilem se præbens, eiq; dicens: Ego sic tibi feci, quemadmodùm sponsus solet, subducens se ad tempus à sponsa, vt ardentius desideretur. Non visitaui te diuinis consolationibus, quandoquidem tempus erat, quo probareris. At nunc probata satìs, procede & prepara te. Tempus est enim, vt sicut pollicitus tibi sum, coram altari meo monastico habitu induaris, & deinceps non modò sponsa mea, sed etiam monacha & mater in Vuasthena voceris. Attamen scias te corpus hìc Romæ posituram, donèc veniat ad locum ipsi præparatum. Placet Deo, parcere tibi à laboribus: accipit ille voluntatem tuam pro opere. Deindè subiunxit. Quinto ab hinc die manè sumptis sacramentis, conuoca singulatim, quas tibi indicaui, & facienda illis demanda: atq; ità venias ad monasterium tuum, id est, in gaudium meum. porrò corpus tuum in Vuasthena reponetur. Ex his licet animaduerti, beatam Birgittam, dum esset in corpore, monastico habitu indutam non fuisse, neq; illius Ordinis vestibus, quem ipsa instituit: sed emigrantem à corpore, à Christo sponso suo accepisse eiusmodi habitum incorruptibilem, sicut ei in reuelationibus suis promiserat. Itaq; pingitur plerunq; vt monacha. nam tametsi non fuit monacha, dum vixit, attamen petijt veste eiusmodi indui, qua nunc vtuntur moniales Ordinis eius: sed eam accepit in cælis.

Christus ei apparet, antè mortem.

Deus bonã voluntatẽ pro opere accipit.

Die quinto sub ortum Solis Christus iterum ei appárens, consolabatur eam. Missa celebrata, perceptisq; sacramentis, inter manus earum, quas paulò antè diximus, spiritum reddidit pijssimo Saluatori, quem toto pectore amauit. O ineffabilem increatæ Sapientiæ benignitatem, eos, qui ipsam concupiscunt, præoccupantem, vt illis prior hilariter se ostendat. O sponsę singularem gloriam, quam sponsus in fide & misericordia sibi desponsans, verbis blandissimis consolatur. O fœlicem nimium, quę post multiplices toleratos labores & miserias, iam sedet in pulchritudine pacis & requie opulenta. Fœlix obitus eius, non obscuris argumentis declaratus est. Quidam enim bonæ & venerabilis vitæ vidit quendam parari lectum, & à personis albis vestibus indutis, ferri in sublime: dictumq; est illi admiranti: persona illa, quam in hoc lecto vides, spõsa Dei est, quæ in mundo contempta à multis, nunc transit de morte in vitam sempiternam. Eadem autem hora illa obijt: porrò corpus eius summa cum laude ad monasterium S.Laurentij deportatum, & illic honorificè sepultum est. Obijt anno salutis millesimo, tricentesimo, septuagesima tertio, decimo Kalendas Augusti. Anno autẽ proximo, post multorum miraculorum coruscationem, & ossium eius subitã & vltra modum mirabilem purgationem & exiccationem, ab vrbe Romana, multis in iti nere editis miraculis, ad monasterium Vuasthenæ duodecimo Iulij die cum ingenti populorum frequentia & gaudio per sanctam filiam eius Catharinam translata est: vbì miris signis & multiuarijs miraculis eã ornat & illustrat Dominus Iesus Christus. Præstatur cęcis visus, surdis reformatur auditus, muti loquuntur, paralyticis membra dissoluta confirmantur: & vt paucis multa expediam, morbidi omnes, deuotè illic Christum inuocantes, meritis sponsæ eius ab eo curantur.

Cap. 17. Felicissimè exit è corpore. Sap. 4.

Translatio eius.

Multa ad eius sepulchrum miracula.

Cap. 18. Id vbì innotuit Imperatori, Regibus, Reginis, prælatis & principibus, multisque diuersarum nationum Christianis, apud Romanos Pontifices multis modis institerũt, vt dominam Birgittam in Sanctorum album referrent. Deniquè ad Bonifacium nonum re tota deuoluta, cùm is deintegrò accuratissimè in eius vitam & gesta inquiri curâsset, ad eius canonizationem, vt vocant, solenniter se contulit, eamq; de consilio & consensu Cardinalium & prælatorum omnium, qui tum in Romana curia erant, Sanctorum catalogo adscripsit. Multum & operæ & sumptuum posuerat filia eius Catharina, id vt fieret. Cùm sint autem innumera ferè miracula beatissimæ Birgittæ, nos pauca duntaxàt annotabimus.

Sanctorum Catalogo adscribitur.

Cap. 19. Eunte illa ab Vrbe Roma Hierosolymam, Latinus de Vrsinis, pro magna ergo illã benevolentia & animi deuotione, extra Vrbem non paruo itineris spatio illam deduxit. Postquàm ergò Hierosolyma Romam redijt, cum confessario suo domino Petro adijt eius domini Latini ædes: cumque in eas ingressa esset, manu ad nares admota, nihil loquebatur. Scisciranti illi ab eius confessario, quid id sibi vellet, quòd nihil loquens, manum naribus applicaret, responsum est: Te non tam rectè animo constitutum inuénit, atquè tum eras, cùm à te recederet. Admiratus dominus Latinus: Ecquid, ait, designaui? Verum quidem est, habuisse me litem cum quibusdam subditis meis. Ibat quandoquè sancta Birgitta Romæ cum filia sua Catharina, & Petro Confessario

fessario,& Magno capellano, ad ędes Iordani de Marino, volēs inuisere eiusdem Iordani vxorem. Quą presente, tantum ex actibus eius sensit fœtorē, vt vix ferre posset. Admirante ea causa non mediocriter Magno, quem diximus, & è Petro confessario eius percontante, quid hoc sibi vellet, illæ respondit: Nóueris pro certo, quandocūq; coram ea quispiā mortifero peccato obnoxius stat, aut loquitur fruadulēter, aut quo Deus offendatur, illam mox sentire immodicum sulphuris fœtorem.

Valdè ei fœtent peccato mortifero obnoxij. Cap.20.

Cùm esset sancta Birgitta in quadam Cypri vrbe, postquàm Hierosolyma discessit, fama illic ferebatur, habere eam certas quasdā reuelationes de Cypri regno. Erant autem per id tempus in Cypro monachi quidam, carnales potiùs quàm spirituales, inflati scientia, & spiritu vani. Ij irridebant & detrahebant beatæ Birgittæ tanquàm fieri non posset, vt per eiusmodi sublimes reuelationes loqueretur Deus cum indocta muliercula. In ijs erat frater Simon Dominicanus Confessarius Principis Antiochiæ patrui regis Cypri, qui insignis Theologus & astronomus habebatur, nōsset quę cursus siderum & planetarum, sed non seipsum. Is venit ad domum, in qua erat beata Birgitta, non rectè tum corpore valens. Cœpit itaque sub ouina specie verbis blandis eam compellare, præsente domino Alphonso & alijs, percontariq; ex ea de gratia cælestium visionum, quas ipsa diuinitùs haberet. Illa columbina simplicitate respondit ad omnia humiliter & simpliciter: sed interim tantum fœtorem ab illo profici sci sentiens, vt vix posset subsistere. Ipsa quoquè, si quod verbum incautè protulisset, aut parùm aliquid in factis suis seculariter se gessisset, ingentem fœtorem sulphureum & magnam amaritudinem in lingua & gutture suo sentiebat. qua de re mira habentur in Reuelationibus eius. Prædixit verò mala euentura Cypro & eius ciuitati Famagustæ propter hominum peccata, quæ etiam postea, vt prædixerat, acciderant.

Simon quidam Theologus arrogans, malè de ea sentit.

Sancta prædicit mala euentura Cypro.

Cap.21.

Circa Ecclesiam Lateranensem Romæ multos conspiciens peregrinos, vnum ex ijs vidit tenentem puerum infirma valetudine, & eleemosynam petentem: dixitque ei: Quomodò ausus es tenere hunc puerum, quem tu, cùm sit Iudæi filius, furatus es? Audiens ille, obstupuit, & in pedes se coniecit: retentus est autem à circunstantibus peregrinis, dixitque palàm cunctis audientibus, puerum illum Iudæum esse, & secū furatum esse. Accepit autem S. Birgitta puerum ad se, curauitque eum baptizari. no Christi millesimo tricentesimo sexagesimo. In regno Suædiæ militem quendam à dæmone liberauit. Dicebatur is Iohānes Scoberinus, & apud Ostrogotthos iuri dicundo vel sontibus puniendis præerat. Roganti S. Birgittæ pro Algotio Dominicano, Sacræ Theologiæ Doctore, qui iam senex orbitate oculorum & calculi doloribus cruciabatur, respōsum est: Ille stella micans est, nec expedit sanitate corporis obscurari animam eius. Certauit, & cursum consummauit: nihil iam superest, nisi vtà me coronetur. Et hoc tibi signum erit, quòd ab hac hora mitescent dolores corporis eius. Iam enim anima eius prorsùs ardet igne diuini amoris. Non diù pòst Theologus ille è vita decessit.

Arguit quędam furti.

Sanat dæmoniacū.

Cap.22.

Proficiscēs quandoq; S. Birgitta à Rege Suediæ, venit ad Aluastræ monasterium, inuenitq; filium suum, quem iampridèm ęgrotum reliquerat, in extremis agentē. Luxit igitur multùm, ęp tam diuturno ille morbo teneretur, verita propter peccata parentum eius id accidere. Apparuit autem ei satan, & dixit: Quorsùm attinet, mulier, tantam te vim lachrymarum profundere? Debilitas ea re aciem oculorū, nec quicquam efficis. Putas tum lachrymas tuas cælos penetraturas? Eadem hora etiam Christus in humana specie ei appārens, dixit: Huius pueri ægritudo non habet causam suam ex astris, vt stulti asserunt, neq; à peccatis eius, sed ab ipsius naturæ conditione, & vt insigniùs in cælis coronetur. Sicut ergò hucusquè dictus est Benedictus filius Vlphonis: ità deincèps vocabitur filius lachrymarum & precum, & ego iam finem imponam angoribus eius. Quinto indè die auditus est velut auium cantus gratissimus inter pueri lectum & parietem, & ille felicissimè decessit. Dictum est autem diuinitùs ad S. Birgittam: En, quid possint lachrymæ. Iam filius lachrymarum abijt ad requiem inconcussam & incommutabilem. Potest hinc animaduerti, quàm molestæ sint dæmoni lachrymæ piorum, ex diuino amore nascentes.

Lachrymæ Sanctorum molestissimæ dæmonibus sunt.

Felix obitus filij eius.

Cap.23. Lætatur obitu filiæ suæ.

Habuit S. Birgitta filiam sanctimonialem in monasterio Risabergensi. Eam vt dicit ex nuncio mortuam, mirificè lætabatur, aitque ad Dominum: O Domine Iesu Christe, ô amor meus: benedictus tu sis, quòd vocâsti eam antè, quàm mundi laqueis implicaretur. moxque surgens, & ad templum abiens, tam multas fudit lachrymas & traxit

traxit alta suspìria, vt etiam ab alijs posset audiri. Dicebantque illi: En, vt plorat filiam suam. Apparuit autem ei Christus, & ait: Mulier, quid ità ploras? Etsi enim ego noui omnia, tamen harum lachrymarum causam ex te audire volo. Respondit illa: Equidem nō ex causa ploro Domine, quòd filia mea defuncta est: immò verò ea causa lætor potiùs. Si enim vixisset diutiùs, maior illi apud te ratio reddenda fuisset. Sed hoc lugeo, quòd eam non institui conuenienter mandatis tuis, & quòd superbiæ exempla ei de me præbui, & remissiùs correxi peccantem. Christus ait: Illa mater, quæ plorat peccata filiæ suæ, & instituit eam, quātùm optimè nouit, ea vera est mater charitatis & lachrymarum: & filia eius, filia Dei est propter matrem. Quæ autem genetrix lætatur filiam suam ità se comparare, vt solent mundo deditæ, nec curat eam bonis moribus imbuere, sed id solùm expetit, vt fiat sublimis in mundo, ea non germana mater est, sed nouerca. Itaque propter charitatem & bonam voluntatem tuam, filia tua compendiò pertinget ad coronam.

Attēde, quę sit vera & germana mater, & quæ non.

Puer quidam decem annorum, nomine Esau, nepos magni Seneschalli Reginæ Siciliæ, Neapoli degentis in aula eiusdem Reginæ, hectica febre adeò fuit cōfectus & exhaustus, vt medici de tota vita eius planè desperarent. Eum mater eius Lapa duxit ad S. Birgittam, suppliciter eam deprecans, vt puerum tāgeret, aut saltem Crucis signum illi imprimeret. Mox illa puerum tetigit, & tactum repentina salus consecuta est.

Cap.24.

Febrem hecticam pellit à puero.

Carolus miles, filius S. Birgittæ, Romam è Suedia venit anno salutis millesimo, tricentesimo, sexagesimo quinto. Vt aūt in ædes fuit ingressus, in quibus mater degebat, ascendēte eo in solariū, mater eius è cubiculo suo egrediens, vidit illum corpore nō rectè valere. Tetigit itaq; pectus eius, quędam orationis verba pronuncians. Confestim ille multum vomuit sanguinem, ità vt loqui nō posset, & restitutus est. Diù pòst proficiscens S. Birgitta Hierosolymam, prædixit se vnum præcipuè charum è comitibus suis perdituram. & ità factum est. Cùm enim venisset Neapolim, filius eius Carolus, miles egregius, morbo correptus, desijt esse in humanis. Etsi autem præsens moriēti aderat mater eius, nihil tamē se loco mouit, & neq; voces querulas, neq; lachrymas fudit: sed cum admirabili patientia & reuerentia gratias agebat Deo. Et licet tū Regina ipsa, tum multi principes regni Neapolitani, & ciuitatis primarij viri ac fœminę omnes cum multo planctu corpus eius ad sepulcrum cum illa deducerent, nunquàm tamē illa fleuit, sed cum gratiarum actione animam eius commendabat Deo. Fuit ea res non mediocri admirationi tam Reginæ, quàm cæteris omnibus, quòd tām in principe fœmina animi fortitudinem viderent.

Sanat filiū.

Carolus insignis filius eius decedit.

Cùm autem S. Birgitta esset Hierosolymis, quidam Franciscanus, qui erat Reginæ Cypri à secretis, & cùm S. Birgitta à Famagusta Hierosolymam venerat, humiliter eam rogauit, vt pro ipso Dominum instanter deprecaretur, quō certum ipsi modum & rationem ei seruiēdi ostenderet. Oranti S. Birgittæ Christus apparuit, & quadam ei reuelatione ostendit, quemadmodùm S. Franciscus regulam à Christo acceperit, & vt primi fratres eius secūdùm illam sanctè vixerint: atque vt diabolus cum Ordinem contaminārit: postremò quæ gloria maneat in cælis regulæ illi conuenienter viuentes, quæ pœna apud inferos illam transgredientes. Hanc reuelationem cùm ille Franciscanus legisset, mox vbi Famagustam redijt, libros, vasa argentea & aurea, aliaque ornamenta & pecunias suas distribuit pauperibus, deincèps victurus in sanctæ regulæ obseruantia. Dicebatur is Antonius ab Aragonia: posteà verò factus est guardianus in Bethleem. Habetur hæc reuelatio lib. 7. ca. 20. & eam obtulit dominus Alphonsus Gregorio XI.

Cap.25.

Reuelatio diuinitùs ei facta.

Fuit etiam beatę Birgittæ diuinitùs facta reuelatio de Abbate quodam, cuius erat vita exitiosa. Dixit ei Christus minitabundus: Tu Abba debebas esse speculum monachorum, & eccè caput es meretricum. Debebas esse exemplum pauperum & sustentator inopum: & eccè ex eleemosynis magnum te dominum exhibes, potiùs habitans in castris, quàm in monasterijs. Debebas esse doctor & verus pater fratrum tuorum: & tu illorum seductor es & vitricus. Te in delicijs & pompa versante, illi afflicti murmurant tota die. Sed nisì respueris, deponam te de castris, & nec cum infimis fratribus tuis habebis consortium, nec ad patriam, vt tibi persuades, redibis tuam, nec in meam ingredieris. Ea quidem omnia posteà illi Abbati ità acciderunt.

Cap.26. Habetur in Extrauagātibus reuelat. Cap. 105.

Attendant hunc locū Abbates huius temporis.

Cùm esset S. Birgitta Romæ, & quodam die propter statiōem loca sacra inuiseret, casu inuénit pauperculam fœminam quandam è regno Noruegiæ, ante sanctæ Praxedis ecclesiam solam iacentem propè, semimortuam. Miserta illius, cœpit tentare ex multa

Cap.27.

Eius in fœminā pauperculam

perculã humanitas.

ex multa humilitate, num posset ipsa eam ferre ad domum hospitalem S. Antonii. Sed cum non posset, voluit vt dominus Magnus capellanus eius iuuaret ipsam: atque ità ambo simul deportârunt eam ad domum illam: cuius præfecto numerauit ipsa pecuniam, vt curam eius gereret. Interìm crebrò visitabat eam, donèc eatenùs curata fuit, vt iam commodè posset per vrbem ingredi. Posteà verò cùm eam acciuisset ad ædes suas, re accuratiùs inuestigata, comperit eam laborare morbo comitiali. Itaque feruenter pro illa orans, ad collum eius piè admouit aliquot lapillos sui, vt vocant, rosarij, ad quos preces dicere solebat. Mox illa reualuit, nec vnquàm eum morbum deincèps experta est, licèt diù superuixerit.

Ecce Vim Rosarij et granorũ eius quæ hæretici abijciunt.

Monachus quidam Ordinis Cistertiensis, Robertus nomine, præ immodica abstinentia mente captus fuit. Oranti pro eo S. Birgittæ Christus apparuit, dicens: Homo conductus fuit, vt vineam coleret: cumque haberet multorum dierum negotium, illeductus cupiditate pecuniæ, vt totam mercedem vno die lucraretur, vsque adeò se confecit labore, vt in morbum grauem incideret. Tum verò magna ex parte vinea mansit inculta, cùm ille laborem nullum ferre posset. Sed opere cessante, merces ei persoluta non est. Ità accidit huic Roberto, pro quo tu deprecaris: veruntamen hoc incommodo is liberabitur, quod etiam euénit posteà.

Cap. 28.

Habuit S. Birgitta cursorem, quem dæmon arripuit, sed ea illum ab homine profligauit. Ità in regno Suediæ fœminam dæmoniacam ipsi oblatam, pristinæ sanitati, cùm ei Crucis signum impressisset, restituit. Expulit etiam dæmonem è domo quadam, multa aduentantibus responsa dantem, multaque prædicere conantem, hominumque res occultas prodentem. Quidam per incantationes capiebat multos pisces. Eum S. Birgitta hortabatur, vt à nefario opere cessaret. Sed ille spernens admonitiones eius, mortuus inuentus est. Fratrem etiam quendam, ex dæmonis tentatione immodica fame laborantem, curauit. Capellanum suum, grauissimè dolentem caput, tactu suo sanauit. Multa alia & in vita, & in morte, quæ propè fidem excedere videntur, operata est, quæ vitandæ prolixitatis causa omittimus.

Cap. 29. Pellit dæmones ab obsessis.

Cùm S. Birgitta Romæ degeret, Catharina filia eius permissu mariti, qui erat cognatus regis Suediæ, Romam venit anno Christi millesimo, tricẽtesimo, quinquagesimo, qui Iubileus erat. Venêre cum illa multæ aliæ dominæ & peregrinæ & familia magna, vt possent Romę obtinere condonationes siue Indulgentias Iubilei, & vt ipsa matrem suam inuiseret. Cùm iam aliquid lapsum esset temporis, nec Romæ quicquã sciretur de obitu mariti Catharinæ, S. Birgitta diuinitùs edocta de morte eius, ait ad illam: Filia mea, nóueris è vita excessisse virum tuum, Elige igitur aut secundas nuptias, aut viduitatem. Sic enim diuinitùs iussa erat tentare illam, quòd esset iuuencula nobilis, potens & opulenta in regno Suediæ. Illa, audiens obisse maritum, viduitatẽ complexa, statuit matri adhærere.

Cap. 30.

Multi è Suedia veniunt Romam propter condonationes.

DE S. CHRISTINA VIRGINE ET MARTYRE, EX ADONIS TREVIREN. ARCHIEPISCOPI MARTYROLOGIO.

Iulij 24. Christina, iubente patre, direè cæditur.

APVD Italiam in Tyro, quę est circa lacum Vulsinum, natale S. Christinæ virginis: quæ in Christum credens, deos aureos Vrbani patris sui præfecti contriuit, & pauperibus distribuit. Ob hoc, iubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onusta, in carcerem coniecta est.

Torretur ignibus.

Post hoc cùm diutissimè & crudelissimè dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem proiecit. Cumq; alligata rotæ, igni suppositio, & fuso desupèr oleo torreretur, erũpens flamma mille gentilium interfecit. Iterùm carceri tradita, Angelo visitante, sanata est & refecta.

Multis supplicijs afficitur.

Deindè cum magno saxi pondere in lacum Vulsinum iactata, Angelico præsidio liberata est. Quam successor patris eius Diõ multis iterùm supplicijs afflixit: sed orante illa, simulacrum Apollinis, quod Dion adorare videbatur, in fauillam subitò redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conuersa sunt. Nouissimè successor prædicti Iulianus, post fornacem candentem, vbì quinque diebus illęsa permansit, post serpẽtes à venefico immissos, sed Christi fide superatos, post abscissionem linguæ, sagittis eam cofigi præcepit: sicque martyrij cursum consummauit.

Sagittis cõfecta obit.

VITA

MARTYRIVM ET TRANSLATIONEM S. IACOBI MAIORIS, *& aliorum Apostolorum, eleganti stylo descripsit F. Ioachimus Perionius, monachus Cormœriacensis, ad quem Lectorem remittimus. Is floruit sub Iulio tertio, cui suum libellum Parisijs impressum dedicauit.*

VITA ET MARTYRIVM S. CHRISTOPHORI, PER F. LAVRENTIVM SVRIVM EX DIVERSIS *compendio descripta.*

CHRISTOPHORVS illustris martyr, ex Cananæa fertur duxisse originem. Diuinitùs autem à Christo illuminatus, in Lyciam venit eo animo, vt Christum passìm confiteretur & prædicaret. Id vt posset efficaciùs, preces ad Deum continenter fundebat. Cùm esset autem statura corporis procérus, passìm omnes in illum oculos conijciebant. Virgam gestabat manu: quam cùm in terram defixisset, & illa repentè non sine ingẽti miraculo vireret, multi sua nomina Christo dedêre. Confirmabat Christus prædicationem fidelis serui sequentibus signis. Iam fama sancti viri peruenerat ad Dagnum, qui per id tempus in Lycia rerum potiebatur. Is molestissimè ferebat Christum Iesum illic annunciari. Misitigitur milites, qui Christophorum ad ipsum adducerẽt. Postquàm aduenit beatus vir, à fide eum auertere nitebatur Dagnus. At sanctus Christophorus & spiritu & corpore magnus, fidem suam præclarè confitebatur & nomen: dicens se anteà quidem Adocimum, id est, reprobum, dictum fuisse: nunc verò Christiana religione initiatum, Christophorum appellari. Et rectè sanè dictus est Christophorus, qui Christum sacra prædicatione Euangelij cunctis cum expetentibus adferret.

Iulij 25.

Venit in Lyciam.

Multos conuertit.

Christophorus quare dictus sit.

At prophanus homo Dagnus, gentilissimi tenebris & erroribus occæcatus, Christi religionem stultitiam vocitabat, Christophoro egregiè respondente, eam demùm veram esse stultitiam, cæca, surda, & muta dæmonum simulacra adorare: illam veram esse sapientiam, illum solũ Deum colere & adorare, qui cælum, terrã, mare & omnia, quæ in eis sunt, creârit, qui nos quoquè condiderit, & ab æterno igne possit liberare. Abductus indè est in carcerem Christophorus, donèc apud se tractaret Dagnus, quo supplicij genere eum tolleret è medio. Et primò quidem id illi consultissimum visum est, vt duæ ad eum meretrices in carcerem intromitterẽtur, quæ cum ad res venereas prouocarent, & ità faciliùs ad idololatriam deuolueretur. Sed simulatquè in carcerẽ venêre impudicę fœminę, adeò sunt diuinitùs exterritę & illuminatę, vt & facinus suum agnoscerent, orarentq; Christophorum, vellet pro ipsis Dominum deprecari. Respondit Christophorus se libenter Dominum rogaturum, modò ipsæ velint, repudiato impuro Ioue & Apolline, Christi religionem profiteri. Illis prompto animo assentientibus, Dagnus quid actum esset percepit, accitasque Nicetam & Aquilinam, (sic enim vocabantur) iubet dicere rem totam. Dicunt illæ intrepidè. Dagnus præcipit, vt in fanum ducantur, & idola adorent. Veniunt in templum, irtident dęmonum statuas, vt quæ nec ratione, nec sensu, nec vita præditæ sint: nec hoc contentæ, zonas in caput Iouis inijciunt, & illum magnum dęmonẽ trahunt per templi pauimentum, pedibus benè largiter eum cõculcantes. Irascente magistratu, respondebant illę, non se deos conculcare, sed ligna & lapides. Et ô miseros, inquiebant, deos illos, qui se à fœminis patiuntur in solum deturbari. Cùm ea autem constantia niterentur, grauissimis affectæ cruciamentis, adextremùm capite punitæ sunt.

In carcerẽ intromittũtur ad eum duæ meretrices.

Meretrices conuersæ irtident dæmonum simulacra.

Ante illas Dagnus etiam viros quadraginta, Christophori doctrina conuersos, capite cædi iusserat. Indè iubetur fortissimus Christi miles Christophorus sisti rursùs coram Dagno: sed cùm inuicta animi virtute in verbo gratiæ perstaret, nec ab illo vellet vlla ratione deficere, cui in baptismo iurârat, multiuarijs est pœnis crudelissimè excarnificatus. Interìm plerique nobiles credebant in Christum, & cùm Dagnum obiurgarent, citò Christi martyres effecti sunt, sanguine pro pietate effuso. Iussit verò

Viri 40. per S. Christophorũ conuersi, decollantur.

S. Christophori multiplices pœnæ.

tyrannus in caput S. Christophori galeam ignitam imponi, cùm priùs atrociter esset virgis cæsus. Deindè ad scamnum ferreum, quod corporis eius staturam æquabat, alligari, ipsumque scamnum, multo supposito igne inflammari, simulque beatissimum martyrem exuri, & corpus eius feruenti oleo perfundi: illo interìm dicente ad tyrannum: In nomine Iesu Christi tormenta tua non sentio. Tandèm modo admirabili liberatus, Christum populo prædicauit, & multos ad Christi ouile traduxit. Fuit id valdè inuisum Dagno, iussitque sanctum virum ad palum alligari, & milites sagittis eum conficere: sed inanes sagittarum ictus erant, mansitque ab illis vir sanctus prorsùs illæsus. Adextremùm caput illi præcisum est, cùm priùs rogâsset Dominum, vt vbicunquè humatum esset corpus eius, ibì nec grando, nec ignis, nec fames, nec pestis noceret. Testantur antiqui manuscripti codices, ad hominum millia octo & quadraginta, beati Christophori prædicatione in Dominum credidisse. Testatur verò etiam antiquissimũ Græcum Martyrologium, S. Christophorum pro Christi confessione capite punitum. Præfatio quoquè Ambrosiana præclarè huius beatissimi viri meminit, cuius verba huc adscribemus:

Capite cæditur.

48000. hominum conuertit.

Christophoro tantæ virtutis cumulum & doctrinæ gratiam Domine contulisti, vt quadragintaocto millia hominum, de gentilitatis errore ad Christiani dogmatis cultum coruscantibus miraculis reuocaret. Quique Nicetam & Aquilinam, publico lupanari longo tempore sub meretricia sorde famulantes, ad castitatis habitum reuocauit, easdemque coronam percipere edocuit. Prætereà inter igneum rogum ferreo scamno constrictus, nimium calorem non timuit, atque per diem integrum omnium militum sagittis transfigi non potuit. Cæterùm vna ex his, carnificis oculum collisit: cui tamen beati martyris cruor, mixtus terræ, lumen restituit, & corporis cæcitatem tollendo, illuminauit & mentem. Nam & apud te veniam impetrauit, atque vt morbos & infirmitates repellat, suppliciter obtinuit. Hactenùs Ambrosius.

VITA ET MARTYRIVM S. CVCVPHATIS,

EX VETVSTIS MS. LIBRIS, MVTATO PASSIM STYLO

per F. Laur. Surium, descriptum. Authoris nomen non habent Codices: sed consentiunt antiquissima Martyrologia. Numerus capitum ad marginem adiectus est.

PRAEFATIO AVTHORIS, STYLO MVTATO.

Psal. 67.

Psal. 49.

GLORIOSOS Sanctorum triumphos laude & prædicatione efferre, & scriptis ad posterorũ notitiam transmittere, multis modis probatur esse vtilissimum ac cumprimis salutare: maximè quòd in illorum gloria ille celebratur, qui mirabilis in Sanctis suis, illustri militum suorum certamine ab hoste triumphato victoriam reportat. Cuius laus vsquèadeò salutaris est, vt in ea singulari quodã priuilegio iter sit, quo pertingatur ad societatem angelicam, & salutare Dei Iesum Christum Dominum nostrum, qui caput est membrorum fidelium, id est, omnium electorum suorum. Tum etiam ex cognitione inuictæ & insuperabilis constantiæ martyrum Christi, tepidæ mentes nostræ, conscię fragilitatis suæ, ingemiscunt, & ad pœnitentiæ lamenta sese feruenter excitant, quòd prauis operibus propter viles, momentaneas, prorsusque inutiles voluptatum carnalium illecebras illum offenderunt, cui beati martyres per immanissima tormenta fidem, amorem, & obedientiam conseruârunt: simul etiam diuinę gratię adiutorium per multa hortamenta sibi proponentes, ad eorum imitationem se accendunt.

Sanctorum historiæ tepidas hominum mẽtes ad pœnitẽtię lamenta excitant.

Huc accedit, quòd fidelis mens quos plura & acerbiora pro Christo supplicia pertulisse intelligit, eos maiori etiam in cælis honore potiri, & proindè etiam faciliùs, si quid petant, obtinere, scriptura teste, nouit: quosque propinquiùs fonti pietatis & totius misericordiæ Saluatori nostro, (quanquàm ipse propè sit omnibus inuocantibus ipsum in veritate) velutì singulari quodam priuilegio inhærere confidit, eos propensiores etiam esse & paratiores ad humilitatis nostræ exaudienda suspiria, diuinaque clementiæ offerenda, & dignissimis precibus suis commendanda haud sanè inaniter credit. Vndè etiam repudiata omni segnitie & desidia, cùm cuiuslibet eorum martyria & agones percipit, eos obsecrat, sibique quibuscunque potest officijs conciliare contendit. Indè verò fit, vt & illos habere propitios mereatur: cùm absurdum, immò & impium sit, existimare eos, qui suis persecutoribus & ingratis beneficia pietatis impenderint, ipsos inuocantibus benignitatis suffragia negaturos, vt sacrosanctis eorum intercessionibus id impetrent, vt & hîc vitam transigãt in studijs Deo gratis, & posteà omnis pœnæ expertes, ipsorum consortijs adiuncti, gloriam obtineant sempiternam.

Psal. 144.

VITAE HISTORIA.

BEATI Cucuphatis clarissimi martyris tanta sunt meri- Iulij 25.
ta, tanta in certamine fortitudo, vt humanam, eorum Cap. 1.
inprimis fidem videatur excedere, qui non credunt diui Marc. 9.
næ potentiæ, & omnia possibilia esse credenti. Ortus fuit S. Cucuphatis patria.
in Scyllitana vrbe nobilissimis parentibus, & inter suos singulari magnificentia opulentissimis natalibus. Sed ille fide & moribus longè se nobiliorem præstitit. Erat in eadem ciuitate Felix quidam, æquè illustri prosapia. Cum illo profectus est Cæsaream, quæ est ad Mauritaniæ litus sita, vt liberalibus literis operam nauaret. Vbì autem peruulgata fama compererunt, persecutionis immanitatem nimiò æstu feruere in Oriente sub satanæ administris Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, illi cùm multis nauibus, non mediocris precij mercibus & opibus onustis, in Occidentem profecti sunt, mercatorum præ se habitum & formam ferentes: vt erant reuerà negociatores Domini nostri Iesu Christi. Cumque Barcinonem appulissent, repererunt vsqueadeò dictorum principum impietatem vsquequaquè malè grassari, vt nec in occiduis Orbis partibus supereesset ciuitas, municipium, vicus vel possessio, vbì non esset statutum idolum: cui quisquis nollet thura ponere, illi fas non erat quippiam emere, nec beneficium vel cõmodum aliquod aut accipere, aut conferre. Itaque animaduertentes deuoti cultores Dei, tempus iam aduentare, quo virtus Dei & Domini nostri Iesu Christi manifestaretur, breui tempore in lachrymis seminârunt, vt in gaudio sempiterno meterent: cœperuntque operibus pietatis & elemosynis, quibus sedulò assuêuerant, etiam largiùs præstandis vacare, fide, castitate, sobrietate, mansuetudine, eximia charitate, erga omnes benignitate, denique virtutum omnium splendore ceu clarissima cæli luminaria coruscare, omniũ se mentibus & amori officiosissimè insinuare: tum quoquè verbum salutis priuatìm & per domos ad ipsos confluentibus prædicare, donèc res suas omnes, quas eò attulerant, misericordiæ officijs impendissent, atque ità ad extremum, Dominum Iesum publica voce confitentes & annunciantes, seipsos, vt rei declarauit euentus, superimpénderent.

Iulij 25. Cap. 1. Marc. 9. S. Cucuphatis patria.

Felicis huius martyrium 1. Augusti refertur.

Sæuissima Christianorum persecutio sub Diocletiano.

Felix & Cucuphas vacant operibus misericordiæ.

Porrò communicato inter ipsos consilio, beatus Felix Gerundam abijt, & illic pro Christo sanguinem fudit. Cucuphas autem Barcinone vrbe populosissima remanẽs, præter constantissimam & insuperabilem veræ fidei prædicationem, etiam miraculis egregiè ornatus est. Non enim potuit diù in tenebris latére tantum lumen. Denique ità in omnium gratia curationum excreuit, vt nemo fideliter ab eo petens aduersùm quosuis morbos & molestias remedium, non sine mora in nomine & virtute Domini nostri Iesu Christi id consecutus sit. Dæmones etiam solo expulit verbo, & virtutem Christi confitentes, à credentium finibus exturbauit. Audiens verò hæc Galerius proconsul, milites misit, qui eum ad ipsum adducerẽt: ac deindè ad tribunal assistẽti dixit: Ecquod numen colis rebellis insanissime, qui, vt audio, inuictissimorum principum iussa contemnis, & maximorum deorũ omnipotenti maiestati cultum impéndere non vis? Respondit sanctus Cucuphas cum ingenti constantia: Itáne mortalium omnium insipientissime ea me iubes simulacra adorare, eosque deos colere, qui non veri Dei voluntate, sed fraude & versutia malorum dæmonum & stultissimorum tuique similium hominum vecordia & amentia inuenti & conflati sunt? Ea responsione incredibili mentis furore inflammatus proconsul, tortoribus ait, vt donèc spiritum ab illo extorquerent, non cessarent atrocissimè illum flagellare.

Cucuphas Barcinone multis claret miraculis.

Accedunt igitur per vices duodecim milites, & exquisita crudelitate ità eum flagellis laniant, vt dirupto corpore viscera eius cõspicerentur. Tum vir sanctus magna voce clamauit: Domine Iesu Christe, qui omnia tuo præcepto fundâsti, qui me de

Cap. 3. Flagellis crudelissimè cędirur.

limo fragili ſolidam ſubſtantiam & rationalem creaturam finxiſti: præſta mihi ſeruo tuo, vt virtutem tuam intelligens, hæc propter te & poſſim & ardenter concupiſcam tolerare, qui cernis omnia, & pro ſancto nomine tuo cum diabolo & miniſtris eius, & cum ipſius quoquè carnis meæ doloribus me certantem vides. Oſtende virtutem tuam incredulis, qui nomen tuum perſequuntur: vt videntes mirabilia tua, credant & conuertantur: aut certè pereant, & deſtruantur. Porrò impijſſimum Galerium, qui tanta rabie ſæuit in ſeruum tuum, ſi non eſt prædeſtinatus ad vitam, diuino citiùs gladio interfice. Cùm hæc dixiſſet, & milites viderent viſcera eius in terram profuſa, &c.

Galerij proconſulis interitus.

citate percuſſi ſunt, & Galerius Proconſul cum omnibus idolis ſuis, quibus electum Chriſti martyrem ſacrificare cogebat, repentè conſumptus eſt. Ipſe verò martyr, viſceribus intrà ventrem reſtitutis, dicto citiùs operatione diuina ſanatus eſt.

Cap. 4.

His ità geſtis, expanſis in cælum manibus, dixit: Gratias tibi ago omnipotens Deus & mundi Saluator, qui es ab æterno, & permanes in omnem æternitatem: qui in te credentium preces non deſpicis, qui cùm ſis vbiquè totus, mihi hîc adeſſe dignaris: qui ea manu potentiæ, qua me primò plaſmâſti, iam denuò omnipotēti gratia inſtaurâſti, tuique nominis hoſtes perdidiſti.

Multi Chriſtum confitentur.

Tum verò populus omnis dedit laudem Deo, & toto pectore voces in cælum tollens, dixit: Tu es verus Deus, quem ſanctus Cucuphas colit: tu es Deus, neque eſt alius extra te, qui facis hæc mirabilia: tu es Deus viuus & verus, regnans in ſecula ſeculorum, Amen.

Cap. 5.

Tunc ſanctus Cucuphas ſilētium indicens, cùm ceſsâſſent eiuſmodi populi clamores, ait: En voſipſi videtis, quàm admirandas res faciat verus Deus, quem ego prædico vobis. In illum ergò credere debetis, & illum adorare. Itaque fratres mei abijcite idola, hominum manibus facta, quibus nec vox, nec auditus, nec guſtus, nec ſenſus vllus, nec vlla virtus ineſt: quæ nec ſibi poſſunt conſulere, & ſuî cultores mittunt in ignem æternum. Interea perlata ſunt hæc ad Præſidem Maximianum, qui iuſſit, vt ſacratiſſimum Domini teſtem, attrociſſimè vinctum, coram ſe ſiſterent. Itaque Niloximus & Hactraximus, viri & poteſtate & crudelitate cæteris, qui erant in officio, inſigniores, grauiſſimo catenarum pondere fatigatum, ad Maximianum Præſidem perduxerunt: dixitque ei Præſes: Vndenàm es tu? inquilinus ne, an peregrinus & alienigena? S. Cucuphas reſpondit: Quid ſciſcitaris de patria & genere meo, quæ tibi Deus indicare noluit? Maximianus ait: Quem tu ergò Deum colis? S. Cucuphas reſpondit: Quid ità ſub dubio de Deo interrogas, quasi aut plures dij ſint, aut Deus ipſe diſſectus ſit? Equidem alium Deum non nóui, præter eum, qui eſt Deus viuus & verus: qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, quem corde credo, & ore

Conſtantia S. martyris.

confiteor, atque omni ſtudio prædico. Maximianus dixit: Si verus eſt Deus, quem tu dicis, veniat nunc, & eripiat te de manibus meis, & de ſupplicijs tibi præparatis. S. Cucuphas dixit: Quæ verò mihi parata ſunt ſceleſtiſſime? Ego & te, & patrem tuum diabolum, cum omnibus exquiſitis ſupplicijs, quæ mihi vt ſatanæ adminiſter irrogaueris, irrideo, ijs planè inſulto, & per virtutē nominis Domini Ieſu Chriſti ea deſpicio. Maximianus ait: Video, miſer, multa te eſſe animi pertinacia, qui etiam maleficis artibus tuis deos noſtros cōtriuiſti. S. Cucuphas ſubridens, dixit: Putaui, miſer aliquam ſaltem in te ſcientiæ particulā reſidere: ſed, vt video, ſummæ dementiæ es & extremæ inſaniæ: qui cùm dereliqueris, velis nolis, Deum tuum, dæmonum ſtatuas adoras, iſque, ſecundùm ſcripturæ diuinæ imprecationem, ſimilis factus es, quorum dux eſt diabolus princeps veſter: putasque minis frangere te poſſe ſeruum Dei.

Pſal. 113.

Cap. 6.

Aſſatur in craticula. Pſal. 16.

Tum Maximianus, ſatanico furore correptus, iuſſit beatum martyrem in craticula aſſari, & ambuſtum, ſinapi & aceto perfundi. Sed ſanctiſſima hoſtia, inuictiſſimus Chriſti miles, pſallebat: Exaudi Domine iuſtitiam meam, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labijs doloſis, & reliqua vſque in pſalmi finem. Cumque Pſalmum abſoluiſſet, ità eſt ſanitati redditus, acsi nihil perpeſſus eſſet: pœnarum autem adminiſtri, ab igne conſumpti ſunt. Poſtquàm hæc Maximianus audiuit, furorē furori adiungens, præcepit Chriſti athletam ferro onuſtum ſuis adſpectibus præſentari, dixitque illi: Multa vis eſt præſtigiarum tuarum: ſed per deos magnos, atrociſſimis ego tormentis te interficiam. S. Cucuphas reſpondit: O virulenta lingua diaboli, quid ità procaciter abſque opere minaris? Age, quod acturus es: prorsùs enim nullius apud me ponderis ſunt minæ tuæ.

Sanatur diuinitùs ab vſtione.

Cap. 7.

Iuſſit ergò Maximianus ignem copioſum extra vrbem accendi, vt ſanctum Dei martyrem concremaret. Cumque eum officiales conieciſſent in ignem, ſublatis in cælum oculis, dixit: Adeſto nunc mihi Domine Ieſu Chriſte, qui in ardenti fornace tribus fidelibus pueris tuis adfuiſti, & in te credentibus, æternos & intolerabiles gehennæ ignes tuo ſanguine extinxiſti, ad quos ire non metuit impijſſimus præſes Maximianus: qui perſpecta modò potētia, ità ignis omnis extinctus eſt, vt nec tepor quidem incēdij ſupereſſet, & vir beatiſſimus ab omni flammæ vapore illæſus & intactus, in has diuinæ laudis voces erupit: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Vbi id vidit Maximianus, pudore affectus, dixit cuſtodibus: Ferro vinctum reducite eum in cuſtodiam, donèc excogitemus noua genera pœnarum.

Dan 3. Ignis illi præparatus extinguitur

Pſal. 65.

Retruditur ergò ſanctus Dei martyr in carcerem, & grauiſſimo ferri atque catenarum pondere oneratur. Cumque veſperi ingrederetur in carcerem, pſallebat: Dirigatur, Domine, oratio mea ſicut incenſum in cōſpectu tuo: eleuatio manuū mearum ſacrificium veſpertinum. Clauſo autem oſtio carceris, tantus in eo ſplendor refulſit, vt eo conſpecto, cuſtodes carceris crediderint in Chriſtum. Poſt multam verò fidei doctrinam, beatus Cucuphas gratias agens Deo: Satia, inquit, Domine Ieſu animas eſurientium & ſitientium ſanguinis tui recreatione. Hæc ſancto martyre orante, manè admodùm tranſmiſſis aparitoribus, Maximianus eum ſibi iuſſit præſentari, dixitq; ad eum: Adhuc perſeuéras in inſania tua, nec vis redire ad ſanitatem? S. Cucuphas reſpōdit: Te planè obtinet inſania, qui patris tui diaboli iuſſa capeſſis, nec vis cognoſcere verum Deum: tecumque pariter hanc multitudinem perdis. Ijs verbis grauiſſimè commotus Maximianus, dixit militibus: Cædite eum virgis ferreis & taureis, vt exterminetur caro eius. Dum autem cæderetur, ſuſpiciens in cælum vir ſanctus, cum multis lachrymis dixit: Gratias tibi ago, omnipotens Deus, Domine Ieſu Chriſte: appropinquabit enim mihi gratia tua. Exaudi Domine preces ſerui tui, & pudefac impijſſimum Maximianum: vt omnes, qui credunt in verum Deum, videant mirabilia tua, & corroborentur in fide ſua. His dictis, vox cælitùs audita eſt: Quicquid petieris, dabitur tibi ſecundùm fidem tuam. Tum beatus Martyr ità orauit: Confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis. Corrobora cor meum, & da vires ſeruo tuo ad ſuperanda tela omnia nequiſſimi hoſtis. Ego enim cognoſco te verum Deum. Quòd ſi iuſto iudicio tuo periturus eſt Maximianus, fac vt celeriter intereat cum patre ſuo diabolo & omnibus dæmonum idolis. Iuſſerat autem Maximianus ornari aras, vt dæmonibus ſacrificia offerret cum pontificibus. Cumque aſſenſo curru eò tenderet, in medio foro nutu Dei in terram décidit, crepuitq; miſerè, & extinctus eſt. Porrò idola, quibus volebat immolare, pariter collapſa, & in puluerem redacta ſunt.

Taureis cæditur.

Præſes Maximianus perit.

Cap. 9.

Quæ vt vidit populus, ſumma vocis contentione dixit: Magnus eſt Deus Cucuphatis, & verus eſt Deus Chriſtianorum, eorumque potētiſſimus liberator. S. Cucuphas ait: Tibi laus Domine Ieſu Chriſte, tibi gratiarum actio, tibi omnis debetur honor & adoratio. Tibi Deus omnipotēs gratias ago, te intùs & foris glorifico, qui incredulos euertis, & te diligentes extollis. Tum Ruffinus quidam, qui ciuitati præeſſe videbatur, ità populum affatus eſt: Quid ità à paterna religione & cultu degeneratis, & hac perfidia generi veſtro ignominiam affertis, relictis magnis dijs, ignotum adorantes? Reſpōderunt omnes: Cur nos hortaris illos colere, qui non ſunt dij, ſed opera manuum hominum? Aequum eſt, in illum potiùs nos credere, illumque adorare, quem S. Cucuphas confitetur & colit. Ait autem Ruffinus ad Chriſti martyrē Cucuphatem: Improbiſſime, cur tantæ multitudini perſuades deos maximos blaſphemare, & neſcio cuius Chriſti nomen confiteri? S. Cucuphas reſpondit: Nos confitemur viuentem, & adoramus immortalem: vos autem illos adoratis, quibus nec vox, nec auditus eſt, perituri hauddubiò cum illis in iudicio ſempiterno. Tum Ruſſinus ait ſpiculatoribus: Nunquàm hunc rebellē ſuperabimus, nisì gladio in illum animaduertamus. Dictauit ergò hanc in eum ſententiam: Cucuphatem aduersùs principes noſtros rebellem, & dijs magnis ſacrificare contemnentem, gladio feriri iubemus.

Mortis ſententia pronunciatur in martyrē.

Cap. 10.

Ea lecta ſentētia, ſpiculatores cum extra vrbem abduxerūt ad locum, qui *Tianus dicitur, octauo ab vrbe milliario, vt illic cum capite punirent. Orauit cum eos S. Cucuphas, vt breue precandi ſpatium ipſi præberent. Illis annuentibus, humì ſe proſternens, dixit: Deus omnipotens, Domine Ieſu Chriſte, qui feciſti omnia in virtute tua, & regnas cum patre & ſpiritu ſancto: fac miſericordiam cum me ſeruo tuo, & ſuſcipe animam meam in pace. Scis enim Domine, quòd toto corde deſideraui te. His dictis,

Capite punitur. caput ei amputatum est. Porrò Christiani rapuerunt corpus eius, & cum digna veneratione sepeliêrunt octauo Calendas Augusti. In eo autem sepulturæ eius loco virtus Domini nostri Iesu Christi per sanctum suum martyrem petentibus benignas præbet aures, & pijs precibus præstat effectum in laudem & gloriam nominis sui: Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Cap. II. Passus est beatus Cucuphas pro gloriosa confessione nominis Christi, & sepultus
Corpº eius transfertur. apud Barcinonem octauo, vt diximus, Calendas Augusti. Indè verò posteà trâslatum est venerabile corpus eius à Fulrado reuerentissimo & religioso Abbate cœnobij sanctorum martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij 14. Calendas Martij, in Cellam eiusdem cœnobij, quam idem Fulradus in suo proprio munificentia diuæ memoriæ Caroli Imperatoris cõstruxit, & patrono suo eximio Dionysio tradidit: quæ quidem
* aliâs Vogaso sita est in saltu * Vosago, diciturq; Lebraha. Vbi cùm aliquandiù ità, vt allatum erat, inhumatum iacuisset, religiosi patris & eiusdem monasterij Abbatis Hilduini expeditiori consilio, solerti studio & ingenti desiderio (vt erat Dei & sanctorum eius amator & cultor) in crypta ad pedes beatissimi Dionysij sociorumque eius, quam idem Hilduinus in honorem Dei, & sanctæ atque intemeratæ eius genitricis & sanctorum omnium extruxerat, Dominicæ incarnationis octingentesimo tricesimoquinto, octauo Calendas Septembris, humatum est.

VITA S. GLODESINDIS VIRGINIS, CVIVS AVTHOREM QVIDAM CODICES HABENT QVENdam Bernardum Abbatem, alij Arbertum monachum. Stylum, vbi visum est, nonnihil mutauit F. Laur. Surius.

PRAEFATIO AVTHORIS.

MVLTA iandiù prece sanctitatis vestræ, sorores in Christo charissimæ, me paulò immoderatiùs perurgente, nè quid vestræ negarem dilectioni, id demùm effecit, quòd id, quod petebatis, non modò honestũ, sed etiam omninò pium & religiosum est: idque me perpetuò recusare, cùm indignum, tum verò etiam periculosum sentiebam. Etsi enim pares tantæ rei vires me putabam adferre non posse: at rursùm animum subibat, quo difficiliora suscipiuntur propter charitatem, quæ non sua, sed quæ proximorum sunt, cogit spectare, eo faciliores per eamipsam successus obtineri. Neque in ijs rebus, quæ Dei sunt, verendum est illi, qui eas curandas suscipit, illum propter ipsum operanti defuturum: modò nè fide vacillet. Cogitis itaque, vt sacratissimæ virginis Christi Glodesindis, cui deuotas continenter excubias defertis, quæ conuersationis initia, qui totius sequẽtis vitæ actus, quis demùm è vita excessus fuerit, quantùm ex scriptis, quæ ad nostram ætatem qualibuscunque literis annotata habẽtur, colligi liceat, stylo prosequi attentem. Quod sanè tam longo tempore, tam multa instantia flagitantibus vobis cùm indecorum sit abnuere, ope eiusdem præstantissimæ virginis, Deo puro spiritu inhærentis, tum vestris quoquè fretus orationum subsidijs, etsi non sine rubore quodam, vt qui proprij ingenij tenuitatem agnoscam, ocyùs iam tandèm absque longis ambagibus narrationi me accingam.

VITAE NARRATIO.

Iulij 25. EMPORIBVS * Childerici Francorum Regis in Gallia Belgica virgo Domini Glodesindis egregijs orta natalibus, patre illustrissimo, eodemque Duce clarissimo, qui Vuintro dicebatur, matre Gudila, non impari generis nobilitate: ab ineũte ætate multa virtutum dote insignis, multisque de se castitatis exempla præbitura, vita & moribus clara enituit. Cumque in parentum domo in puellaribus annis integrè & omni cura ac studio esset educata, vbi tempus aduenit, quo ad nuptias traderetur, iuueni cuidam, Oboleno nomine, à parentibus ex more sponsa decernitur: sed Christo illam vbiquè protegente, non minùs

Parentes S. Glodesindis.

Despõsatur Oboleno adolescenti nequissimo.

minùs corpore, quàm animo, intacta seruatur. Et ô miram semper Dei miserentis erga electos eius benignitatem & custodiam. Cùm post desponsationem iuuenis virginem, vt fit, à parentibus accepisset, domum eam cum grandi frequentia, nuptias paraturus, abducit. Sed quia sancta virgo cælesti sponso iam corpus & animam suã consecrauerat, non sine nutu Dei iubente Rege euocatus iuuenis, ad palatium eius cum festinatione contendit. Vbi cò peruénit, multis ei nefarijs illatis criminibus, Rex graSpõsus eius capite punitur. uiter in eum commotus, arctæ eum custodiæ iussit tradi, & integro anno, ità vt dignus erat, carceris squallore confectus, eductus tandèm, lata in eum sententia, capite plexus est. Ità sancta virginitas, dum totis viribus carnalem respuit voluptatem, cunctamque gloriæ temporalis pompam pro nihilo ducit, Domino Iesu Christo, quem omnibus rerum labentium præferebat illecebris & oblectamentis, pro ipsa decertante, cui vni, vt semper optauerat, corde & corpore inhærebat, læta & victrix de corruptione triumphat.

Sed neq; sic tamen aduersæ potestatis defecêre doli & machinæ. Pater, nece sponsi prioris accepta, puellam venerabilem rursùs compellit cogitare de nuptijs. Illa verò, quæ iam sponsum Christum ipsis animi medullis imbiberat, modis omnibus re- Respuit alterum sponsum. cusat, nec animum semèl virtuti addictum, qualibet inductione ad consensum inclinari sustinet. Iam aduentabat dies, quem parentes nouis nuptijs præstituerant, & sancta virgo præ eius specie, quem oculis interioribus incorruptibilem, immarcescibilem, immortalem contemplabatur, nouum sponsum, post paululum putredinem & vermem futurum cogitans, patre piè contempto, ad Dei & sanctæ matris Ecclesiæ perfugium se recepit. Erat patri eius soror memorandæ sanctitatis, * Rodindis nomi- *Rothilda ne, apud Treuiros propter religionis famã celeberrima. Ad eam pater volebat Glodesindim secum adducere, vt vel eius persuasione animus puellæ emollitus, paternis non detrectaret parére consilijs. Sed quid contra lumen æternitatis cæca molítur instãtia? Sancta virgo, posthabitis paternis iussis, Metim Mediomatricum vrbem, populis, potentia & antiquitate memorabilẽ, profecta est. In ea vrbe basilica habetur beatissimi protomartyris Stephani, multis miraculorum signis illustris. In eam ancilla Christi, cùm iam res propè ad vim spectaret, ingressa, intrà altare & confessionem, vbi Fugit Metim, & intrà ecclesiam latitat. cum eiusdem præclari martyris sanguine, plurimorum Sanctorum reliquiæ cõtinentur, se profugam abdidit. O seculis omnibus castitatis studium meritò efferendum. Quò enim fluxa mortalitas, natura per peccatum vitiata trahente, captiua descẽdit: hoc puella, spiritûs vigore ipsam fortiter retinẽte, quasi immanis præcipitij voraginẽ perhorrescens, cùm non pateret alia euadendi via, fugæ præsidium captauit. Nec sanè infimæ sortis, non egeni aut quilibet è plebe erant, qui cogerent. Nimirùm Dux præpotens pater erat, qui & ipsis locupletibus terrori esset, & eum cohors minax & terribilis stipantium satellitũ comitabatur. At virgo pudica mori paratior, quàm florem virginitatis & clarissimæ integritatis splendorẽ prodere, nec minis concussa, nec blandimentis illecta, tanquàm in portu tutissimo interrita manebat. Discãt virgines Exemplum imitabile virginitatis cõseruãdæ. præsenti exemplo, non pulcherrimum ipsis esse maritalibus implicari vinculis: nec possessionum amplitudine, nec seruorum ancillarumque gregibus, non ornamentorum diuersi generis apparatu, non quorumcunq; obsequentium cuneis delectentur: maximè quòd sciant hæc omnia varijs casibus non sine multo dolore, si sint amata, posse eripi, nec quicquã ex ijs sequi aut comitari à corpore excedentes, morte omnia dissipante. Quinpotiùs beatę integritatis, Deo angelicisq; agminibus vnicè charę, prę omnibus mundi huius vilibus & caducis oblectamentis, sancto & immaculato ferantur desiderio, illius eximia pulchritudine illectæ.

Sed vt cœpta prosequamur, parentes puellam fugientem cuestigiò insecuti, tum Parentes eã persequuntur fugientem. eius facto obstupefacti, tum ira inflammati, præsertim quòd sponsalium administri se delusos cõquesti, acrioris doloris stimulis vrgerentur, ancillam Christi ex sacro pergij loco omni arte adhibita extrahere conabantur. Itaque fit iugis ante fores ædis sacræ pernoctatio, intenta diù noctuque obseruatio, vt qualibet fortassis oblata facultate, vi eam possint abducere. At puella venerabilis, robusto spiritu animoque obfirmato immobilis perseuérans, sacrosancto adhærebat altari, nec vlla indè ratione vel puncto temporis aliquatenùs potuit auelli: & quod dictu mirum est, sex perDiuinis alimentis recreatur. tuos in ecclesia dies permanens, nõ modò nusquàm egressa est, sed etiam omni prorsùs cibo potuque abstinuit. Verùm is, qui dat escam omni carni, & implet omne animal benedictione: famulam suam humanis frustratam, diuinis, recreauit alimentis, Psal. 135. & 144.

camque precibus assiduis cælo intentam, angelica refectione sustẽtauit. Intercà tam constanti fide perseuerantiæ suæ remunerationẽ exigente, lux gratissima diuinæ consolationis repentè emicuit, quæ omnem illam mœroris nubem dissiparet. Instante enim iam die septimo, qui erat Dominicus, vir quidam vultu angelico, duobus pueris formosissimis sequentibus, sub omnium conspectu aduenit, partemq; altaris, qua virgo sacratissima pudoris tuendi causa celabatur, rectà ingressus, velamen, quod est sanctæ religionis specimen, cunctis cernentibus, in eius caput imposuit. Moxque cum duobus pueris ab eorum oculis sublatus, rei magnitudine & nouitate omnium animos obstupefecit, atq; adeò propè mẽtis inopes effecit, vt neq; proloqui quicquam, neque quinam aut vndè illi essent, qui eò aduenerant, scisciscitari possent. Cùm verò ea visione ablata, ad se redijssent, & sanctam virginẽ ità velatam conspicerent, facilè animaduerterunt angelos illis apparuisse, totumque, quod viderant, diuinitùs fuisse. Itaque non se vltrà opposuêre virgini, sed ad eius vestigia humì prostrati, omni feritatis tumore in supplices gestus mutato, pro irrogatis iniurijs veniam petiêrunt. Nec verò apud eius animum, cui spiritus pietatis & Rex mansuetudinis præsidebat, difficilis fuit ea veniæ impetratio: sed confestim perindè ac si nihil esset perpessa molestiæ, inintegram cum parentibus & cæteris gratiam redijt.

Diuinitùs ei sacrũ velamẽ imponitur, & ità ceſsãt ei molestiã exhibere parentes.

Attendant hîc virgines, & castitatis thesauro discant nihil Deo gratius, nihil angelis familiarius. Virginitati Christus inter omnia adest discrimina: spiritus cælestes, vt sponsæ Imperatoris sui, deuotissimi obsequuntur. Ea sola agnum vbiquè sequitur, immaculata immaculatum: quantoque ei arctiori necessitudine coniungitur, tanto in precibus suis propensiùs exauditur. En quàm præstò huic ancillæ suæ gratia illa inæstimabilis adfuit. Verè propè est Dominus omnibus, qui obtriuerunt cor: & properantes eum salutare ipsius. Quo verò ore tum eam putas in laudes sui erupisse creatoris? aut cuiusmodi voce hymnum inæstimabili cum iubilo fudisse, cùm oculos illius lucis inuisibilis tam placidè in se cõiectos, & aures illas secretissimas voci suæ tam celeriter admotas, tamq; facili via preces suum habuisse effectum cognouit, idq; adeò, vt angelum Dei sub ipsis mortalium oculis ad se exhilarandam & consolandam præpotenti maiestate aduenisse gratularetur? Nimirùm iam sponsa cælestis Regis effecta, prophetica exultatione dicere poterat: Induit me Dominus vestimẽto salutis, & indumento iustitiæ circundedit me. Itemque voce vniuersę Ecclesię, ex vtroq; sexu collectæ, vni capiti suo dicere gratulabũda: Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento (vel mundo.)

Virginitas q̃ sit grata Deo & angelis.
Apoc. 14.
Psal. 33.
Psal. 84.
Esa. 61.
Ibid. iuxta 70.

Cùm ergò, vt diximus, sancta virgo visceribus pietatis affluens, cunctis ipsi paulò antè infestis libenter ignouisset, & parentibus deincèps comiter se submisisset, ad supradictam amitam suam * Rothildam, magnæ probitatis fama insignem, quamtum, cùm de secundis nuptijs ageretur, fugerat nõ mente contumaci, sed pudori metuẽs: in gratia percepta non minimum fidutiæ gerens, Treuiros spontè contendit. Ibi verò pro modo conuersationis tempore non multo exacto, cunctis bonorum morum studijs ad cælestis disciplinæ & æqui ac honesti præscriptum pleniſsimè imbuta, vrbem propter diuina patrocinia ipsi amicam Metim repetijt, atque illic quamprimùm vitæ arctioris institutum, cui iampridèm sanctus eius spiritus toto pectore inhiabat, ancillarum Christi grege collecto, magno studio complexa est. Est intrà eius vrbis mœnia locus quidam, hæreditario iure tunc parentum eius ditioni subiacens, religioso viuendi instituto admodùm opportunus. Eum sancta virgo dono dari sibi petijt, diuinis vsibus applicandum. Non est negatum ei, quod petijt, moxq; puellarum Dei monasterium, in hunc vsq; diem insigne, multa operis elegantia constructum, sed elegantiori virtutum decore præclarè gubernauit. In quo vsque ad centenarium numerum Christo famulantes collegit, quibus etiam omni sedulitate inuigilauit.

*Rotlindẽ, *Rodindẽ,

Construit monasteriũ & multis illic præest virginibus.

Quæ verò eius ibì deincèps in sancto certamine conuersatio fuerit, quæ omnis generis spiritalis profectûs accessio quotidiana, quo disciplinæ rigore seipsam continuerit, & cæteris, quibus dux cælestis itineris facta erat, in se, quod sequerentur, exhibuerit, sicque eis potiùs, quàm sibi, vixerit: id ego sanè cogitandum alijs relinquere, quàm scripto prosequi, mâlim. Nam attentiùs consideranti perspicuum fit, sanctã virginem ob oculos cordis semper versantem cælestem illam & angelicam visitationem, non minùs opere exteriori strenuam, quàm spritu feruentem, fuisse. Deniquè cùm monasterium illud totidem annis, quot diebus in mirabili inedia in ecclesia duranerat, feliciter gubernâsset, Deo hominibusque chara, vita quoquè & miraculis insignis, in propositi

proposito sanctitatis cursu fideliter peracto, coronam iustitiæ perceptura à Domino, sponsoque diù desiderato in cælesti thalamo sociãda, immaculata ab hoc seculo migrauit. Totum vitæ suę spatium triginta annis fertur confecisse. Nec id quicquam sanctitati eius derogare debet, cùm quicquid fructuum annosæ senectuti fuerit accessurum, nihil indè breuì consummata iuuentus diminuerit. Vt enim in Sapientiæ libro habetur, Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Quin potiùs magno Dei munere, iusti in æternam quietem recipiendi, mundo prouidè subtrahuntur, nè videntes mala, quæ fiunt sub sole, aut ab internis retardentur delicijs, aut vitijs mortalis vitæ, quorum ipse quoquè noxius est conspectus, contactu assiduo corrumpantur. Raptus est, inquit Sapientia, nè malitia mutaret sensum eius, aut fictio deciperet animam illius. Funus virginis debito honore curatum est, & ex more ab ea in illo monasterio iamindè ab initio instituto, ad sanctorum Apostolorum basilicam haud procùl ab vrbis mœnibus versùs meridiem exportatum, atque illic in crypta admodùm depressa ad sinistrum latus depositum est. Ità enim ipsa viuens iusserat, quòd per id tempus sanctarum eius loci puellarum cœmeterium in Apostolorum ecclesia esset, & necdùm corpus glorioſissimi confessoris Christi Arnulphi, quem post multa indè tempora magnis vitæ & virtutum insignibus enituisse constat, eadem ecclesia augusto, vt nunc cernitur, tumulo susceptisset. Vndè etiam posteà nomen illi ecclesiæ impositum est, nec vllius alterius Sancti, præterquàm ipsius beati antistitis, apud vulgum illic memoria notata est. Manſit autem sacræ virginis venerabile pignus annis circiter vigintiquinque in eodem loco humatum, spiritu inter præmia æternitatis, omni iam temporis mutabilitate subacta, illi, qui verè solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, adhærente, vitaque immortaliter & immutabiliter cum illo perfruente, cui immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Abit in cælos, septimo regiminis sui anno.
Sap. 4.
Ibidem.
Ex hoc loco conijcio, in principio historię mẽdosè legi Childericũ regem.
1. Tim. 3.

HISTORIA TRANSLATIONIS CORPORIS BEATISSIMI GERMANI EPISCOPI PARISIENSIS, PER *monachum quendam monasterij eiusdem S. Germani, qui eam ex ore Caroli Magni Imperatoris scripsisse asserit.*

PER AEPRECIVM reor nequaquàm silẽtio præterire, qualiter beatissimus Germanus venerabilem corporis sui trãspositionem præeuntibus voluit signis ostendere. Etenim cùm ducẽtis circiter vel eo amplius annis in portico ecclesiæ beati Vincentij leuitæ & martyris, iam quidem basilica facta, sanctũ eius corpus iacuisset humatum, anno xxiij. quo Carolus Pipini senioris filius regni Francorum tenebat monarchiam, venerabilis vir Lantfredus præfati monasterij pater, diuini spiritûs incitamento succensus, qualiter tanto patrono condigna deberet augeri veneratio, vt videlicet eius sanctissima membra infra maioris ecclesiæ aulam transferri debuissent, tacita cœpit mente tractare, atque deuoto non destitit corde rimari. Sed quoniam pijs semper conatibus impedimenta huius se mundi obijciunt, eiusdem negocij dilato tempore, à suprascripto principe legationis causa in Aquitaniam mittitur. Intereà Carolus moritur; idem verò Abbas ab Hunoldo ipsius Aquitaniæ patricio quasi explorator tribus semis annis inuitus detinetur. Sed tandèm substituto in regno Pipino minore, firmataque inter regna pace, Lantfredus absoluitur: qui reuersus, annis ferè duodecim in restauratione monasterij, quod eo absente dissipatum fuerat, occupatur.

Iulij 25.
Carol. Martellus Franciæ monarcha.
Lantfredus monasterij S. Germani Abbas.
Pipinus minor Francorum Rex.

Sed licèt his & alijs causis præpeditus, tamen nè deuotionis pristinæ posset obliuisci, recentibus & admirandis beati Germani rursùs cœpit miraculis admoneri. Siquidem anno sequenti, ex quo Apostolicę sedis Põtifex Stephanus ingressus Gallias, excellentissimi Pipini, quem idem vnxit in regem, contra gentem Longobardorum Romanã sedem crudeliter opprimentem expetiuit auxilium, cuidã fœminæ huiusce-modi ostẽsa est visio. Putabat enim se quasi causa orationis noctis tẽpore ad ecclesiã beati

Fuit hoc sub annum 754.
Visio cuiusdã fœminæ.

beati perrexisse Vincentij. Vbì dum veniens clausas ecclesiæ ianuas reperisset, ante fores orationi procumbens, audiuit psallentium multitudinem infra eandem ecclesiam resonantem, atq; omnem humanæ iocunditatis cantilenam modulationis suauitate superantem. Cumque tanti miraculi auditu attonita, quid hoc esset, cuperet agnoscere: subitò quasi cuiusdam pręclari adspectûs pueri ministerio conspicit ecclesiæ sibi ianuas aperiri, tantique splendoris luce eandem repleri, quæ etiam diei vinceret claritatem. Quam cùm ingressa fuisset præcedente se puero, respicit in partem sinistram eregionè sepulcri beati cõfessoris Germani: & eccè multitudo virorum angelicis vestibus indutorum, inter quos etiam præfulgidi adspectûs conspicit virum, niuea senectutem canicie præferentem, cui quasi recognito ait: Sanctissime domine Germane, multum, inquiens, iam temporis est, quo hæc quæ video seruus tuus Lantfredus fieri desiderabat. Et ille: Scio, inquit. nam hodiè viginti anni sunt, ex quo ego illi, vt hinc me transferre deberet, ostendi. Tu autem vade & dic ei, quoniam voluntatis eius deuotio omnimodis mihi placet, at verò exequendi operis tarditas valdè per omnia displicet. Et si me hinc vel tandèm transferre deliberat, retrò beati Stephani altare me ponat. Quam visionem mulier dum Abbati & fratribus retulisset, duobus indicijs veram fuisse probârunt: siue quia numerum annorum sola Abbatis retinebat memoria, seu quia omni congregationi, quòd in altari quoquè sanctæ Crucis beati Stephani reliquiæ essent, adhuc manebat incognitum, quas tamẽ postmodùm sagax inquisitio prodidit.

Locum in quẽ trãsferatur suum corpꝰ S. Germanus designat.

Tunc sæpedictus Abbas gloriosissimum Regem Pipinum adijt, & tam ea quæ sibi præcedenti tempore ab ipso sancto fuerant ostensa, quàm etiam illa quæ nupèr ipsi fœminæ fuerant reuelata, fideli studuit narratione suggerere. Audiens autem hæc gloriosissimus & Dei cultor Rex Pipinus, gaudio gauisus est magno: conuocatisque vniuersis regni sui præsulibus, eis mysterium sibi reuelatum innotuit, qualiterque tantum perficere negocium debuisset, solerti ab eis indagine perquisiuit atq; tractauit. Deindè quomodò illud expleuerit, licèt ipse non viderim, tamen multis qui viderunt narrantibus agnoui. Ex quibus omnibus vnum mihi in hoc opere excellentissimum authorem ponere placuit, dominum videlicet Carolum gloriosissimum Imperatorem, qui tunc puer septennis operi pij genitoris interfuit, & ea quæ ibì vidit, admiranda memoria retinebat, necnon & admiranda facundia diligentissimè fatebatur. Cuius vtiquè verbis maiorem vt decuit fidem adhibui, quàm si ea quæ dicebantur ipse vidissem. Vndè tot ferè tam Episcoporum quàm Abbatum, siue etiam reliquorum totius regni nobilium hæc eadem audientes, hactenùs testes existunt, quot penè magnitudo eiusdem ecclesiæ, vbì hæc stans loquebatur, capere poterat. Aiebat nanque (vt verbis ipsius eloquar) ad omnem circunstantium multitudinem: Videtis ô populi condignum decorem huius ecclesiæ. Reminiscor certè illius temporis, quo nihil horum ornamentorum, auri scilicet & argenti, excepta hac cruce, hûc fabricatum erat. Dominus itaque Germanus in illa adhuc crypta quiescebat. Et parùm quidem illud, quod ibì habebatur, pro magno computabatur. At vbì ipso sancto demonstrante genitori meo placuit, vt hûc in hac orientali parte huius basilicę tumulare condignè satageret: libet mihi narrare, vidisse me ibì talia miracula, qualia postèa nec vidi, nec anteriori tempore de aliquo sanctorum facta relegi.

S. Carolus Magnus ad huc puer trãslationi S. Germani interfuit.

Caroli Magni Imperatoris, de translatione eius narratio.

Adueniente nanque bonæ memoriæ genitore meo vnà cum proceribus regni sui, adest optata dies: aperitur terra, leuatur cum omni facilitate ipsum sanctum corpus cum suo sepulcro diligenter clausò, atque pariete ecclesiæ perforato, intrà aulam huius occidentali in parte cunctis exultantibus reponitur: ibique reliquum diei & sequentis noctis officium dignè celebrantes, crastinum præstolati sunt diem. Nec mora, adest primo manè diuæ memoriæ genitor meus, ego quoq; germanusq; meus pedisequi ipsius cunctiq; proceres ipsius regni, cupientes cœptum opus ad finem honestum vsq; perducere. Vectes autem præparati sunt lõgissimi, quibus superpositum deberet sanctũ corpus à multis efferri, non propter ponderis grauedinẽ, quod iã experti erant à paucis posse portari: sed propter religiosum obsequiũ, quòd gaudebat se vnusquisq; vel alijs portantibus vectes contingere posse. Tum aũt religiosè accedens ipse genitor meus & primates electi ab ipso, apprahenderunt sepulcru, volẽtes perficere opus inchoatũ: sed ità multorum manibus leuare nitentiũ perstitit immotum, acsi radicitùs terris teneretur affixũ. Et cùm ab his diù diuersis machinis labor fuisset sine effectu expẽsus, cœpit ipse genitor meus omnesque optimates illius contristari, seque

Manet immobile corpus eius nec vult à Rege eleuari.

seque metipsos vehementer reprahendere, quarè eum de loco quem sibi viuens ad pausandum elegerat, in quo tot annorum curriculis iacuerat, leuare præsumpserint: vocanturq; Episcopi, & interrogati dixerunt: Scit, ô gloriosissime Rex, serenitas vestra, beatissimum Germanum Episcopum esse, ideoque nobis rectum videtur, & hoc ipsum sanctum delectari putamus, vt ab Episcopis sanctum eius corpus transferatur. Omnibus autem hoc consilium collaudantibus, & multa prece hoc ab eis fieri deposcentibus, remotis cęteris, accedunt Episcopi, conanturque à terra leuare eum: sed nihilominùs ipsos vectes apprehendentes, aliquandiù frustrà laborantes, impossibilitatem suam omnibus patefecerunt, sepulcro immoto manente. Cunctis autem impossibilitatem ipsum leuandi expertis, rursùm cõsuluntur Episcopi: dixeruntque, Certum est nobis, ô pijssime Rex, beatum Germanum se hinc ad designatum locum transferri velle: tamen quia nec celsitudo vestra, nec humilitas nostra id perficere potuit, opinamur quòd ipse sanctus seruientes sibi in hoc monasterio fratres de baiulatione sui corporis honorare velit, quo eos semper rectiùs & amabiliùs in sanctitate ipsi seruire delectet. Assensi sunt omnes, iussiq; accesserunt ipsi monachi ad sancti tumulum, volentes eum à terra leuare: sed nulla arte id facere valentes, diù multumque inaniter laborantes fatigati, impossibilitatem suam & opere & voce fatentes cesserunt.

Similiter nec ab Episcopis.

Nec à monachis.

Pijssimo autem genitore meo flente, cunctisque optimatibus ipsius vehementer contristatis, extitit quidam qui diceret: Si dignetur clementissimus dominus noster Rex audire verbum ex ore tantilli serui sui, causas huius impossibilitatis puto me veraciter narraturum. Est in hoc pago Parisiaco villa vestra vocabulo Palaciolum, & in circuitu ipsius sunt villæ istius monasterij constitutæ: ipsi autem Fiscalini vestri ob fortitudinem celsitudinis vestræ valdè sunt insolentes & temerarij, & multa mala contra hunc locum perpetrant, videlicet homines & pecora cædendo, & occidendo, vineas & messes prata & syluas deuastando, atque in alijs modis familiam huius ecclesiæ persequendo & affligendo. Ideoque spero quòd hanc à larga munificentia vestra hic beatissimus his impossibilitatibus exposcat antistes. Quo audito, piæ recordationis genitor meus, stupore attonitus magno, ait: Verè iusta est in hac parte tribulatio nostra, & pia extat beatissimi Germani circa nos admonitio: quia dum nos valdè fuimus intenti hoc opus ocyùs consummare, non auaritia nobis, sed oblitio hunc mœrorem, quem perpessi sumus, noscitur induxisse. Et ponens vadium suum super sanctum tumulum, Accipe, inquit, ô beatissime Germane villam nostram Palaciolum cum omnibus appendicijs suis, tibi familiæque tuæ hactenùs inimicam, amodò autem & deincèps perpetualiter profuturam: tantùm vt sacri corporis tui portitor dignus existam. Simulque cum hac voce mittentes tam ipse quàm optimates ab ipso electi manus ad feretrum, tanta cum celeritate ac facilitate leuârunt, acsi nihil in se ponderis haberet. Viso autem tanto miraculo, tam Episcopi quàm reliqui clerici, quàm magna poterant voce, Te Deum laudamus, te Dominum cõfitemur, præcedentes sanctum feretrum iubilare cœperũt. Sed quis dignè referre queat lætitiam atque alacritatem totius populi, quomodò vnusquisque gaudendo certabat humeros sancto feretro supponere? Multi autem quibus hęc facultas minimè dabatur, magnum sibi lucrum ducebant, vel extremam partem vectium manu contingere posse. Alij verò quibus & hoc minimè suppetebat, vel vestes portantium se contingere posse gaudebant.

Fler Pipinus Rex.

Attende q̃ sit nefariũ ecclesiasticas res deuastare, & abalienare.

Rex tradit villam Palaciolũ nomine S. Germano perpetuò possidendã.

Transfertur corpus eius.

Attẽde populi deuotionẽ erga sacras reliquias.

Ventum erat ad fossam in orientali parte huius ecclesiæ, quæ præparatà tantum onus expectabat suscipere: & eccè altera nascitur difficultas. Nam vectes super quos sanctum delatum fuerat corpus, ob longitudinem suî & breuitatem cryptæ, ipsum sarcophagum fossæ aptari prohibèbant. Iuuat ergò paululùm sistere, donèc quid facto opùs sit plenius possit videri. Consenserunt omnes, vt vectes à superiori parte inciderentur, quatenùs ipse sarcophagus fossæ coaptari possit. Sed his obstitit genitor meus, dicens: Vereor nè dum secundùm vestram sententiam vectes reciduntur, sanctum sepulcrum his superpositum in aliquo, quod absit, lædatur: tutius ergò consilium exindè quærere oportet. Et illo hæc dicente, nullo hominum tangente, sed cunctis in verbo Regis suspensis, repentè motus est sarcophagus de vectibus illis, & celeri lapsu, cunctis stupentibus & præ timore ora tenentibus, depositus in fossam sibi præparatam. In ipsa autem motione tantus odor miræ & inexpertæ suauitatis de ipso sepulcro euaporauit, totamque hanc

Attẽde miraculum.

hanc ecclesiam repleuit, vt omnes inibi consistentes, quasi in ecstasi à dulcedine illa conuersi, per dimidam ferè horam nec aliquid sibi colloqui, nec se inuicèm respicere possent. Tum demùm quasi de sopore euigilantes, vt data est copia fandi, inter se mutua cœperunt allocutione admirando conquirere quid sibi actum esset: respicientesque ad fossam, ipsum sepulcrum quod minutatim fractum esse timebant, vident sanum & integrum, tam ordinatè atque decenter compositum, vt nulli esset dubium hoc ministerio Angelorum fuisse peractum. Cunctis verò stupentibus, ego vtpotè pueriliter ludens, casu ipsam fossam insilij, vbi mox primum dentem de ore meo mutaui.

Ecce quid acciderit Carolo Magno in hac trãslatione.

EPISTOLA VENERABILIS HAIMONI MONACHI, *in miracula eiusdem sancti pontificis.*

Eccles 1. Dan.12.

STudiosis in Christo pijsque lectoribus, sempiterna salus & pax perennis à Iesu omnium dominatore dominantium. Quoniam non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu: siquidē pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia: hunc libellum miraculorum domini nostri Germani, elucentibus permicantem insignibus, per aliquorum manus minimè dubito reuolendum. Hæc priscorum temporibus Danorum, Ragenarij scilicet eiusq; sociorum, meritis ipsius sancti pontificis superno fauore mundo concessa, ad aures vsq; serenissimi Caroli digna passim relatione peruulgata fluxerunt. Quibus ille gauisus, veluti eorum preciositate se regnante munificentior redderetur orbis, mandauit ea solerti diligentia notari, atq; ecclesiastico iure catholicis paginis aggregari. Tunc nanq; memorati sancti præsulis cœnobio præerat dominus & Abbas vir venerabilis Ebronius Pictauensis ecclesiæ sedis Episcopus. Hic regali censura iniunctum sibi negocium quodò perficeretur incumbens, duobus hoc delegauit agendū eiusdem nostræ congregationis fratribus, maturitate pariter ac scientia prouectis. Qui pro sui quisq; sensûs vbertate seorsùm scribentes, ediderunt exindè singuli singula opuscula: quod vtrunq; à præfato domino antistite Ebroino alijsq; recitātibus approbari placuit, sed alterum alteri vtcunquè præferri. Idcircò mansit amborum inusitatus labor vsque ad tempus domini Gozlini eiusdem loci præcipui patris. Quod cùm sibi iam aliquorum quidem post tempus annorum ità compertum fuisset, præcepit mihi non vt sapientiori, sed vt manuali potiùs fratri, quatenùs vnum è duobus coadunarem corpusculum, tantùm vt si qua prorsùs inuenirem superflua reciderem, quæue minùs compta, florentioris styli venustate, nihil extra veritatē faciens, polirem. Quod ego fateor non viribus nisi cælitùs datis, aut ingenio tumens arripui, sed magìs obedientia tanto primati debita fidens, suscepi: merebarq; mihi noxam criminis, si iubentis dominij iussa prosequi negligerem.

Miracula S. Germani Episcopi iussu Caroli Regis conscripta.

Ebroin⁹ Episcopus Pictauiensis & Abbas S. Germani.

PROLOGVS HAIMONI MONACHI IN *librum primum miraculorum beati Germani.*

SIcut laude dignos credimus eos, qui gesta vel miracula sanctorū, quæ diuina virtus per eos operari dignatur, ad ædificationem fidelium scribere satagunt: ità absque dubio scimus culpari illos, qui pro desidia ac torpore mentis ea literis tradere ad profectum negligunt posterorum. Iam veluti à somno quotidiè ad amorem Dei studiumque benè viuendi excitantur plurimi legentes in libris facta sanctorum patrum, eorumque acsi præsentia sacra cernentes miracula. Proindè vnusquisque talenti donum habens, timeat, nè fortè audiat quod ille malus seruus, qui acceptam pecuniam, ac malè humo defossam, ad dominū sine vsuræ lucris reportare non formidauit. Et hoc non solùm sponte agendū, verumetiam & cùm iniungitur, summoperè iniungentis est imperio parendum. Plura quidem ac stupenda dignaque relatu omnipotens Deus per eundem antistitem præteritis nostrisque dignatus est patrare temporibus, quæ ob inertiam silentio sunt pressa, atque per incuriam scriptorum omissa. Tunc verò ea quæ nouiter cunctarum rerum conditori gratia eiusdem sanctissimi viri placuit operari, auxiliante Domino & ipsius sancti iuuantibus meritis, iubente domino Rege, Ebroino antistiti eiusque monasterij rectori, licèt incompto atque inerudito, veraci tamen ac fideli sermone læti conamur

Matt.25. Luc. 19.

conamur perstringere, & vt veraciter sunt gesta, atque etiam in populo Nortmannorum iam vulgata, tam præsentibus quàm futuris legenda relinquere.

LIBER PRIMVS MIRACVLORVM SANCTI *Germani Episcopi Parisiensis præcipui.*

ANno incarnationis Dominicæ octingentesimo quadragesimo sexto, Regis autem præcellentissimi Caroli sexto, cùm regnum Francorum post obitum Ludouici Imperatoris varias diuisum esset in partes, & peccata populi crescerēt, sanguisq; sanguinem tangeret, Deo permittente, flagitijs quidem exigentibus actum est nostris, vt exteræ nationes è proprijs egrederētur sedibus, videlicet gens Danorum, qui vulgò Nortmanni id est Septentrionales homines appellantur, & superbo tumentiq; corde cum valido nauium apparatu Christianorum fines intrarent. Qui huc illucq; furentes, atque cum magna superbia cūcta gyrantes, ceperunt vastando diuersas insulas maris, donèc nemine sibi resistente fluuium Sequanæ ingressi, Rothomago sorte incredibili applicarent. Cumq; in eadem ciuitate aliquantispèr demorantes, regionis principes (quod absq; ingenti contritione cordis effari nequimus) ad bellandum pigros timidosq; aduerterēt, exeuntes à nauibus longè lateq; diffusi, cœperunt vtriusq; sexûs multitudinē trucidare, captiuare, villas, monasteria, ecclesiasq; depopulando cremare, totamq; suæ libidinis immēsitatem cum omni crudelitate in populum Dei debacchando exercere, quoūsq; ad locum qui vocatur Caroliuenna, ventis velisq; suæ malignitati iusto Dei iudicio secundantibus, vltra spem securi nauigando peruenirent. Tunc gloriosus princeps Rex Carolus, quia propter subitāneum eorum assensum ex toto non poterat, cōuocata aliqua exercitûs sui parte, venit primùm ad monasterium Macharij Dionysij, vt eius orationibus fultus, securiùs contra Dei suosq; pergeret hostes. Deniq; vt erat, vti adolescens animo armisq; strenuus, ad supradictum locum pugnaturus accessit, paratus non solùm dimicare, sed etiam pro fide proq; defensione sanctæ Dei Ecclesiæ laudabiliter mori. Cuius aduersarij cognoscentes aduentum, diuerterunt ad alteram prædicti fluminis ripam, vbi quædam parua tantùm pars populi erat. Quibus confestim in fugam versis, in insula quadam eiusdem fluuij ad opprobrium Christianorum plùs minùs centum xj. captiuos fudibus suspenderunt, multosque alios per domos & arbores confixerunt, atq; nonnullos per villas camposq; miserabili insecutione trucidātes peremerunt: ipsoq; sanctissimo Paschalis festiuitatis sabbato Parisius peruenietes, vacuam penitùs ipsam vrbē quondàm populosam, & omnia in circuitu illius monasteria suis habitatoribus deserta repererunt. Timor siquidem & metus vniuersos inuaserat, vtpotè merito iniquitatis diuino enudatos auxilio, atq; ideò mundanæ defensionis destitutos solatio. Quis rogo non doleret antequàm bellum committeretur, fugatum exercitum: antequàm iaceretur sagitta, confossum, ante scuti allisionem ignominiosè subactum? Vniuersorum nanque ordo penitùs in ecclesia confusus, atq; à bonitatis studio permutatus, hoc ipsa priuatione boni vsque ad exitij fomitem digna satis vltione promeruerat. At pius pater iustus delinquētium semper corrector, correctorumq; clemens susceptor, nō hoc intulit, vt nos ob innumera delictorum nostrorum pondera crudelis damnaret, sed vt per immēsam benignitatis suæ largitatem afflictos emēdaret. Tunc proh dolor sanctissimum beati Germani corpus de suo effossum sepulcro, in possessionem quādam eiusdem ecclesiæ, quæ Cumbis dicitur, delatum est. Sed quę facūdia quisve sermo exponere posset, qualis dum hæc agerentur quantusq; in eadem ecclesia extitit luctus? Senes itaq; ac iuuenes, pueri flebāt & infantes, vtpotè nemo sese à lachrymis temperare valēs. Similiter & aliorum corpora sanctorum in eodem pago degentium extumulata, atque per diuersa sunt loca deportata, exceptis membris duntaxàt Macharij Dionysij, sociorumq; eius martyrū. Quæ licèt à suis fuerint abstracta sepulcris, propter tamen Regis præsentiam non sunt tunc ad alia loca transire compulsa. Statuerat quippè, populo videlicet à se labēte, vt veliam dicti martyris monasterium defenderet, eo quòd diuæ memoriæ genitor illius eum cùm esset paruulus eidem sancto speciali traditione commendâssēt.

Cap. 1. Post mortē Ludouici Pij Gallia in partes diuisa, magnas passa est clades.

Attende tyrannidem Nortmannorum in Christianos.

Deus tēporaliter suos castigat, vt ab æterno supplicio conseruet.

Defertur S. Germani corpus in villā Cumbis asseruādum.

Hoc intereà iuxta narrationis ordinem inseratur, quod dum sanctum eius moueretur corpus, cunctipotens Deus dignatus est ostendere. Nam dū in effossione ipsius,

Cap. 2.

& quomodò portari deberet, vnanimes intenti essemus, cereis pro reuerentia accensis, casu accidit vt vnus, quem puer incautè tenebat, è manibus ipsius labens ruet, totoq; priuatus extingueretur lumine. Quem cùm à solo idē puer cū omni velocitate leuâsset, lumen amissum ab altero mutuare cupiens, meritis tāti patroni actum est, vt statim in manibus eius cereus extinctus illuminaretur. Quod quidem mirum, necab re tamen ducimus, si ibidèm ignis diuinus resplēduit, vbi quanuis lugubrè filius venerabatur lucis. Vndè qui aderant vniuersi gratias Deo referentes, atq; præclara pontificis merita collaudantes, cœperunt magis magisque in psalmodijs Deique laudibus esse deuoti, quousquè opus licèt triste consummaretur honestè.

Cereus sancti viri meritis sponte accessus est.

Cap 3. Sequana fluuius per mediū ciuitatis Parisiensis trāsiens.

Num visio illa, quæ ab aliquibus ipsius monasterij fratribus eadem nocte qua beatissimū eius corpus effossum est, antequàm aurora subsequentis appareret diei, ostensa est, vt nō dicatur omitti debet? Cùm ergò ad fluuium Sequanæ sua quæq; ad naues ferētes, prima ipsius noctis vigilia quidā perrexissent fratres, indeq; ad monasterium iam remearent, apparuit eis, secumq; etiam comitantibus famulis, tam immēsus claritatis splendor super eam ecclesiæ partem, qua ciusdem sanctissimi viri corpus positum erat, vt claritati æquaretur diei, eademq; ecclesia velutì igne suppositò videretur cremari. Qui cùm intrà se nimiùm mirarentur, & eorum corda huiuscemodi cōsideratione stupefacta hærerēt, visio paulatìm deficiens disparuit: peruenientesq; ad monasterium, sciscitati sunt si aliquis fratrum ea hora cum lumine super ipsam fuisset ecclesiam. Nemine tamen qui fuerit reperto, cognouerunt visionem angelicam diuina virtute meritis sancti patratam, qui sua migratura ossa piosq; cineres talis sibi claritatis concessa gratia inuisere curauisset.

Visio alterius monachi & quid talis visio præsignabat.

Lux cælitùs visa, supra sanctas reliquias.

Illud quoquè insigne miraculum, quod ante biennium quàm hæc acciderint, cuidam monacho ipsius monasterij ætate & moribus grandæuo ostensum est, minimè oportet silere. Cuius exēpla actusq; eximij si sequantur, plurimùm prodesse poterūt ad salutem. Vidit idem quadā nocte positus in sopore beatū Germanū quasi suo egredientem de sepulcro, expeditum atq; ad iter agendū præparatū. Qui velutì sciēs eundem esse beatū Germanum Dei famulū, interrogauit humili voce, quò tali processu ire disposuerit. At ille migraturum se ex eodem loco respōdit. Qui rursùs animo quidē timēti interrogans, ait: Domine & si tu hinc abieris, nos tātilli tui seruuli quid postcà faciemus? Cui quasi tristi vultu & cum magno mœrore, vt eidem fratri videbatur, ait: Et vos ex isto migrabitis loco. Attamen verè cognoscas, quoniam ego reuertar, vosq; miseratione diuina simul cum tempore disposito remeabitis. Quam visionem verissimam fuisse, ea quæ consequenti fine sunt completa, declarârunt.

Cap. 4.

Visio cuiusdā monachi

Cap. 5.

Necillud, quod cuidam in eadem ecclesia reuelante Christo patefactum est, silentio premere debemus: quoniam dum prædicantur talia, excitantur audientium corda ad melliflua sanctorum deposcenda suffragia. Quidam verò religiosus eiusdem monasterij frater, cùm alij completorio peracto festinarent ad requiem, quò fessa post diei laborem corpora lectulis reclinarent, sese ille ante sepulcrum beati Germani peculiaris orationis causa proiecit. Cumque diù cæli ac totius mundi Dominum pro suis exorans delictis, opem beati Germani cæterorumque sanctorum intento corde fidelis cunctis deposceret, (iam enim frequens paganorum rumor ad nostras certissimè percrebuerat aures) ante ferè quindecim dies aduentûs illorum hæc mirabilis sibi ostensa est visio. Nam ab oratione qua iacuerat surgens, aperto vidit oculis (vt olìm totum mundum Pater Benedictus) sepulcrū beatissimi Germani velutì patefactum, ipsumque sanctissimum corpus indiruptis vestibus indutum, atque ministerio vt fuerat diuino in ipso sarcophago ordinatè compositum, quem admodùm ipse pòst paululùm omnesque qui simul adfuimus dolendum inspeximus. Sic Dominus suo dilecto sanctusque Germanus ostendere voluit, quod in breui, peccatis nostris facientibus, erat implēdum: nec visio priùs quàm visionis sequentia omnibus panditur.

Cap.6.

In memorato deniquè Caroliuennę loco, ipsi Nortmannorum populi se victores seque superiores esse conspicientes, dum adhuc morarentur, exeuntes è nauibus, cellam nostram, quæ contra vel secus eundem locum posita est, cursu propero festinantes intrauerunt: vndè miraculum, quod illic tunc factum comperimus, optimum si narretur putamus. Nanque in eadem cella ecclesijs Apostoli Petri almique Germani ignem terque quaterque supponere nitentes, cùm defecissent, eas incendere amborum meritis non valentes, clausira eiusdem cellæ tandèm egressi, horreum

Nortmanni non valent incēdere S. Germani ecclesiam,

horreum quod ibì erat iuxtà positum intrauerunt, ex quo tantus flammarum globus aëris alta petens assendit, qui quasdam arbores vltra etiam iam dictam cellam virentes incenderet, ipsas verò ecclesias intactas integrasque vt erant relinqueret. Cùm insuper ventus australis validissimè flaret, totumque ferè incendium eandem in partem proijceret, ilicò septentrionalis eregionè spirans intumuit, atque in alterius partis latus australem mira conuersione reflectens, omnem vim ardoris pariter retorsit. Ità mirabilis Deus, qui per famulos suos secum fulgentes in cælis, semper mira communi pietatis gratia operatur in terris.

Ignis ingēs vicinus eidē nihil nocet.

Cùm igitur sabbato Paschali diffusa nauium classi Parisius, vt suprà dictum est, peruenissent, in crastinum cùm suos iam sol lucifluos emitteret radios, propria totum illustrans lampade mundum, è nauibus prorumpentes, ipsam ciuitatem, vt præmisimus, vicinaque suburbana absque habitatoribus repererunt: Ingressique monasterium beatissimi Germani, Dei fanum residuumque ecclesiæ quod securitatis damno remanserat apparatum cōtaminare, pollutisque manibus cœperunt destruere. Sed quia Domino miserante necibì virtus defuit ciusdem sanctissimi patris, minimè debent reticeri, quæ tunc illic totius mundi creator ad laudem sui nominis gratia ipsius pontificis ostendere dignatus est miracula. Quæ, quia nemo nostrûm interfuit, penitùs ignorabamus: posteà tamen à fidelibus missis Ludouici Beuuariorum Regis Kobbone videlicet alijsque quos ad principem Nortmannorum Horich nomine legationis causa direxerat, ea cognouimus. Qui nobis illa fideliter narrauerunt, quem admodùm ipsi intestati sunt coram Horich, qui præsentes ex parte viderunt, atque ex parte ab ipsis qui tunc in ipsa ecclesia quandò hæc gesta sunt simul aderant Christianis audierunt. Nam cùm trabes ecclesiæ miserrimus ille populus, quia erant abiegnæ & idcircò habiles nauigio, incidere tentauisset, tres ex maligno eorum numero ante altaris crepidinem beati Stephani inualidi totius virtutis robore ruentes ceciderunt, atque confracti incredulas Deoque odibiles animas, alijs timore perculsis, exhalantes, perpetuas descenderent ad vmbras, vbì edax vermis eorum non morietur, & nimius eorum ignis non extinguetur.

Cap. 7.

Vindicta Dei in deuastatores ecclesiæ S. Germani.

Esa. 66.

Cumque illud Dei templum à trabibus ità cassatum, totumque simul depopularetur monasterium, accidit vt vnus eorum etiam apud eos nefandissimus, ad confessionem domini Germani strictum gladium polluta gestans manu (mira quidem dicentur) deueniret, columnamque marmoream, quæ ibidèm orantibus ad dexteram sita erat, tredeciès totius corporis annisu velutì capulans hostem percuteret: cui continuò manûs dexteræ, qua columnam ipsam inciderat, virilitas euanuit, vt post primum diem, quem admodùm idem Kobbo vidit, qui & eas incisiones nobis ignorantibus præsens ostendit, vsque ad infelicem eius ex hac vita decessum semper immobilis aridaque & vt fuerat extensa permaneret. Manubrium verò ferri ità manui compaginatum inhæserat, vt nunquàm ab ea aliquo ingenio vel arte, nisì cum cutis parte auelli potuerit. Qui tamdiù nimia vexatione compatientis corporis cruciatus est, donèc miserrimam finiret vitam, plenus indignationis & iræ manibus dæmoniorum deuectus ad tartareas sedes Cocyti fœtidumque lacum auerni.

Cap. 8.

Alterius vastatoris manus manet immobilis & arescit.

Operæprecium fore credimus, si & illud magnum narretur miraculum. Igitur dum ipsum sanctissimum oratorium à crudelissima impiè violaretur turba, tanta subitò nebulæ est densitate repletum, eiusdemque obscœni violatores ità diuini iudicij cæcitate perculsi, quatenùs id metu ac tremore nimio pauefacti linquere cupientes, vix ostia vel fores per quas intrauerant inuenire valerent. Sicque in oberrando diutiùs fatigati, tandèm erumpentes quantocyùs effugerunt, tali ab illo die tantoque peruasi terrore, quo nec ausi vlteriùs essent quacunque fœditate ipsam contaminare ecclesiam. Insuper & ità dysenteriæ morbo exindè, vt est vulgatum, sunt afflicti, vt dum quotidiè morerentur, nullus ex tanta multitudine se putaret euadere. Intereà simulato languore, legationis causam dirigunt ad præcellentissimum Regem Carolum, vt eos cum pace fideles suscipiens, ad propriam, dato regni tributo, redire permitteret patriam. His ità placitis, Rege quidem nolente, principibus tamen quibusdam, vt fatebatur, muneribus læsis, Ragenarius dux eorum cunctique principes ad Regē, qui tunc in monasterio Macharij Dionysij residebat, adducuntur, per deos perque omnia, quibus maximè se protegi & saluari putabant testantes, numina vel arma, quatenùs nequaquā vlteriùs vel sui regni * nisì fortasse auxiliatores intrarent aut contingerent. Qui ità dimissi, atq; pro suî euasione quam minimè spe-

Cap. 9.

Violatores templi cęcitate & incurabili afflictū morbo.

Dimittũtur à Rege, sed omnes ex prædicto morbo pereunt.

rauerant gauisi, per iter quo venerant, accepta auri argentiq́ue summa imposita, lati rediêrunt. Sed reuertentes, morbo quo in prædicta ecclesia perculsi fuerant, quotidiè deficientes cruciabantur, cruciatiq́ue nequissimas miserabiliter animas expirauerunt, nemine quos secum habebant Christianorum huiusmodi plagam sentiente. In quibus omnibus Dei est consideranda potentia, eiusq́; pietas amplectenda, qui tam misericorditer saluat innocentes, tamq́ue terribiliter sanctos suos mirificando punit profanos.

Cap. 10.

Quod in eadem ecclesia, postquàm maior pars fratrum ab exulatu reuersa fuit, gestum est, silentio premere non debemus. necdùm enim sanctissima beati viri ossa ad proprium fuerant reportata sepulcrum. Vna nanque noctium custodibus eiusdem ecclesiæ dormientibus, antequàm fratres ad referendas Deo laudes more solito excitarentur, auditur ab eisdem coram altari sancti Stephani strepitus demoniorum ingens, velutì hominum multitudo ad aliquid putaretur discurrens. Qui confestìm surgentes, & cum lumine totam ecclesiam circumeuntes, cùm neminem reperirissent, intellexerunt fraudem fallaciamq́ue dæmonum fuisse: qui nimirùm dolebant se expelli à sanctis sedibus templi, in quo, dum à perfidis permissum fuerat polRelinquiæ sanctorum expellũt dæmones à suis templis.

lui, haud dubium quin aliquantulùm iuxta illud, Et pilosi saltabunt ibì: intrandilicitum habuerint. Postquàm autem sacri eius cineres relati, atque suo loco Christo fauente sunt restituti, nil tale in eadem basilica ipsius sanctitate promerente auditum est.

Cap. 11.

Siquidem Ragenarius dux authorq́ue totius memorati mali ante præfatum Horich Nortmannorum principem cum ingenti superbia veniens, ostendit ei quod secum hinc asportauerat aurum argentumq́ue multum, dixitq́ue quòd opinatissimam Parisius ciuitatem captam haberet, quodq́ue mansionem Germani senis, quæ in eadem terra decentissima habetur, intrâsset, insuper & quòd omne Caroli regnum sibi ratione tributi subjugatum haberet: Horich autem dum talia non crederet, iussit iam dictus Ragenarius partem incisæ trabis monasterij diui Germani seramq́ue portæ Parisiacæ vrbis ante eum in testimonium adduci. Prætereà retulit ei quàm bonam quamq́ue fertilem, vtì omnibus repletam copijs inuenisset terram, populum verò

Sancti viri mortui plus habẽt virtutis, q̃ viuentes in carne.

eam incolentem ad dimicandum pauidum ac timentem. Referebatq́; dicens, quòd maiorem ibì mortui quàm viuentes haberent virtutem, nullumq́ue sibi inuenerint resistentem præter Germanum senem mortuum. Hæc cùm diceret, tremens ilicò ac pauens corruit in terram, atque terrifica cœpit voce clamare, Germanum coràm assistere, eumq́ue se baculo quem manu gestabat grauiter flagellare. Quod videntes

Ragenarius diuinitùs castigatur.

Horich videlicet vniuersiq́ue sibi adstantes ipseq́ue Kobbo Ludouici Regis illuc directus legatus, ex hoc quod acciderat stupore nimio permoti, admirati sunt. Idem verò Ragenarius sic humiliatus ac repentè contritus, aliorum manibus citò sublatus recessit: qui maximis per triduum tormentis ignominiosè afflictus, præcepit tandèm vnam auream sinæ similitudinis statuam fieri, atque per eundem Kobbonem Germano seni deferri, spondens se si euaderet Christianum deincèps futurum, Deumq́ue Christianorum indubitanter crediturum. Sed quia non erat ex ouibus Christi, idcircò quod petebat obtinere non meruit. Ità prorsùs inflatus, quemadmodùm nobis idem Kobbo manifestum fecit, ac totus turgidus extitit, vt nec auditus, nec visus, nec odoratus vel gustus in eius corpore mortis tempore discerni

Miserè periit.

potuerit. Sicq́ue diffusis ad postremum visceribus medius crepuit, vitamq́ue miserrimus inanem finiuit. Statua verò sacris oblationibus indigna, à quibus delegata fuerat retenta, velutì immundissima à mundissimo cordium inspectore refutata remansit.

Cap. 12.

Sed adhuc qualiter qui residui fuerant ex hac defecerunt vita prosequendo narremus. Ab eo sanè die quo monasterium almi præsulis Germani ingressi sunt, donèc pœnaliter cuncti interirent, ità vt diximus turgenti sunt, Kobbone teste, viscerum inflatione perculsi, quatenùs omnis eorum cœtus etiam in patria quotidiè moriens periret, præter quos Horich posteà iussit occidi. Timens etenim ipse eiusq́ue optimates & populus pariter vniuersus huiusmodi morte pessima damnari, præcepit omnes

Reliquiæ violatorũ prænominatorum, omnes miserè pereunt.

qui residui erant, exceptis paucis fuga lapsis, quos nec mortis credimus euasisse exitium, decollari, eorumq́ue capita, velutì satisfaciens morbo, Christiano qui captiuus illic erat populo tradi. Nam ità clades ingrassata Deo permittente sæuiebat in plures, vt penè quicunque morbidum tangeret, eodem extemplò attactus morbo & ipse

ipse deficeret. Insuper iussit cunctos captiuos qui Christianitatis vocabulo censeren-

Captiui oẽs Christiani dimittũtur liberi.

tur in regno suo perquiri, eosq́ue cum libertate & honore absque alicuius contradictione in suam patriam reuerti. Qui etiam hæc & alia vltrà quàm sint inserta dicebant. Nos tamen ea, quæ à videntibus percepimus, solummodò ponere disposuimus, magnum satìs habẽtes quòd victoriam quam populi multitudo communi obstante crimine ex inimicis habere non potuit, beatus Germanus inclytus meritis, glo-

Victoria S. Germano adscribitur.

riosus miraculis, apud Deum tali donatus triumpho obtinere promeruit.

Cap. 13.

Quia verò duce Christo hucusquè signorum dulcedinem sequentes processimus, nunc ordinem quo ipsius beatissimi corpus relatum sit, dicere aggrediamur: his prǫmissis quæ in villa Cumbis accedentibus infirmis eius meritis donata cognouimus; quæ quo magìs narrantur, eo ampliùs iuuat à piæ narrationis tramite non discedere. Igitur cùm quidam puer Dagoẽnus nomine ex familia eiusdem monasterij, surdus &

Quidã puer à paralysi, cæcitate & mutitate curatur.

mutus, omniumq́ue membrorum officio destitutus, ad præfatam villam auxilio parentum deportatus fuisset, ità est subitò meritis ipsius glorioſi pontificis pristinæ redditus sanitati, vt & loqueretur pariter & audiret: & qui paralyticus deuectus manibus venerat alienis, ouans ac lætabundus tribus in se miris ostensis, proprijs iam cœpit ire vestigijs. Nanque à terra post paululùm incolumis surgens, cum magna cordis alacritate illis qui aderant aiebat: Eccè eccè adest beatus Germanus, per quem me totum, Deo gratias, agnosco curatum.

Cap. 14.

Nec illud omitti debet, quod Christus ad laudem & gloriã famuli sui largiri dignatus est, quod etiam audientibus proficere credimus. Fuerunt itaque in eadem villa duæ puellæ longo tempore sic febribus valdè vexatæ, vt vix iam pedibus incedere valerent, quibus nec vlla medicinæ ars eatenùs potuit subuenire. Quæ cum fidutia magna ad eandem ecclesiam in qua sanctissima eius membra posita erant pergentes,

Duæ puellæ à febribus sanantur.

petiêrunt à custodibus, vt saltem sub tanti pontificis venerabile corpus eis transitus præberetur. At illi fidem illarum plenam considerantes, permiserunt eis sicut humilipetierant prece pertransire. Nec fides præmiũ distulit: ità sanè ipsius corporis transito feretro, ab eadem mox infirmitate curatæ sunt, vt nullam exindè molestiam per idem tempus vlteriùs paterentur. Ergò mirabilis Deus in sanctis suis, qui non solùm eos in præsenti gratiarum donis mirificat, verùm & post mortem tantis beneficiorum muneribus, eorum meritis languentibus præstitis, miraculorum glorificat signis.

Cap. 15.

Posthæc verò cùm eius sacratissimum corpus à supradicta villa Cumbis ad monasterium reportaretur, quid tunc in via actum sit, manifestare placet in populis. Tanti

S. Germani corpꝰ ad ꝓpriũ locum reportatur.

deniquè præsulis beatissima membra monachis cum laudibus & hymnis ad proprium referentibus locum, contigit vt cereus qui præferebatur, validissimo flante vento, etiam in laterna in qua positus erat, extingueretur: dumq́ue cum equo quis ad vil-

Cereus extinctus, cælitùs denuò accenditur.

lam propter ignem quo rursùs debuisset accendi ire voluisset, cælitùs effulsit, vt omnibus qui aderant tanquàm extinctus non fuisset in eadem laterna rutilans appareret. Vndè ad huius rei testimonium in eodẽ loco Crux à fidelibus lignea ponitur, vt quod ibì tunc gestum est, quodq́ue priusquàm ad monasterium peruenireturgeminatum miraculum, à transeuntibus futurisq́ue non ignoretur generationibus.

Cap. 16.

Ventum est autem, non paucis sanatis infirmis, cum magnificentia & honoris obsequio ad Theodasium eiusdem sancti villam: vndè sequenti die comitantibus rursùm virtutum prodigijs gratanter egressi, venerunt psallentes rectoq́ue itinere gradientes vsq; ad vicinum fluuium: quo trãsimisso, venerabilis præsul & Abba ipsius monasterij dominus Ebroinus obuiàm venit, multiq́ue vtriusque sexûs diuersi gradûs & ordinis cum crucibus & cereis reliquoq́; sanctissimo apparatu. Plebs quoquè ciuitatis villarumq́ue circunquaq; non modica cum omni alacritate ac deuotione cordis vniuersi currentes. Nam clerici magna cum voce Deũ laudantes, singultu interdùm quatiẽte psallebant. Populi autem nunc præ immenso gaudio lachrymas fundentes,

Attẽde populi deuotionem in reportatione S. corporis.

nunc verò præ cordis iubilo exultantes, innumeras Deo gratias referebant. Nec vberior mœstitiæ fletus in transmigratione, quàm lætitiæ extitit in reuersione. Præfatus itaque antistes alijq́ue ad hoc delecti sacerdotes nobilesq́ue viri sanctissimum eius corpus proprijs humeris vicissìm gestantes, reliquis omnibus ante & post feretrum cum laudibus & hymnis tripudiantibus, baiulantiumq́ue vestes attingere festinantibus, ad propriam deportauerunt ecclesiam. Cumq́ue ad primam monasterij portam peruenissent, cœperunt hymnum, Te Deum laudamus, te Dominum cõfitemur, cę-

lo resonante ante ipsum decantare, ponentes eum super altare sancti Stephani in eadem ecclesia principalem: vbi tamdiù mansit, donèc translationis eius festus dies, qui octauo Calendas Augustas celebratur, adueniret. Tunc accedens memoratus Abbas dominus Ebroinus Episcopus, tulit illũ & collocauit in suo sarcophago, cum metu & nimia diligentia, benedicentibus vniuersis qui aderant ac laudãtibus Deum.

Dies trãslationis eius.

Cap. 16. Deniq; postquàm eius sanctissimum corpus in suo est collocatum sepulcro, illam visionem silentio præterire non debemus, quæ cuidam fratri nostro in eodem cœnobio quadã nocte reuelata est. Videbatur enim illi in sopore posito, omnes fratres ipsius monasterij stantes in choro vestibus indutos solẽnibus, loquentes ad inuicem quasi de his quę acciderant malis: respicientesque contra orientalem eiusdem ecclesiæ partem, viderunt beatissimum Germanum velutì in habitu militari ante altare sancti Stephani galeatum atque mirificè loricatum stantem, & vtì ex campo certaminis armigeratum fessumq; veniẽtem: adspiciensq; cunctos interrogauit vsitato gentis nomine vbì essent, vel quò abissent Nortmanni ipsius templi violatores, patriæ dissipatores, qui sua aliorumq; sanctorum membra effodi compulissent. Cui humilitàs vt decebat responsione dixerunt, quia recessissent. Tunc venerabilis pater: Benè, inquit, & Deo gratias respondit. Deindè in sedili quod ibì ante memoratum altare paratum erat, vt eidem videbatur fratri, residens, vocauit eos, iussitq; vt sese ad deponendum ea quæ portabat arma militaria iuuarent. Intereà quod adspiciebatur defecit. Nos verò tali habitu taliq; visione prefiguratum animaduertimus, quod iam veraciter factum esse cognoscimus, vltionem dũtaxàt à sancto viro ex inimicis cælitùs reportatam. Cuius interrogatio, eorum perditionis declaratio fuit. In armorũ quoquè deponendorum adiuuatione colligimus, quòd eum, immò nosmetipsos benè viuendo adiuuare debeamus, nè talia nobis aut illi pro nobis vltrà proueniant.

Visio cuiusdã monachi

Arma S. Germani victoriam præfigurabant.

Cap. 17. Nunc igitur paulispèr considerare libet, quàm metuenda sint omnipotẽtis Dei iudicia, quantaq; sit longanimitas atq; iustitia pijssimi creatoris nostri. Verè terribilis in consilijs suis, patiens & æquissimus in vniuersis operibus. Qui si iratus seruis suis negligentibus fuerit, citò illis pœnitentibus placatus reconciliabitur, atque visibilibus siue inuisibilibus prostratis hostibus, pacem contritis corde cum victoria dabit. Sic de populo Israëlitico sæpè legimus, sic nostris temporibus frequenter audiuimus, sicque in nobisipsis eius pietatis gratiam experti sumus. Ipse est enim Deus repellens & destruens, irascens & miserans, commotorumque contritiones sanans. Attendendum etiam, beatissimus Germanus quantùm sit glorificandus, quantumq; venerandus, qui sic misericorditer iuuat ad se cum fiducia confugientes, sicq; terribiliter iustis (quod est fatendum) meritis percutit aduersantes. Et quia longum ac difficile est per singula eius virtutes retexere, maximè cùm & antequàm nasceretur ità dilectus gratusque Deo, vt Iohannes in vtero matris exultans, inuentus sit, cui virtus miraculi famulatrix extitit: placet in eius laudem hoc in loco paucis ludere versibus, sitq; prioris libelli finis:

Pſal. 59.

Hier. 1.

Luc. 1.

Hic est Germanus, voluit quem mater in aluo
Perdere, præsumptis haustibus atriferis:
Sed quia vitali fuerat respersus oliuo,
Non potuit sanctum commaculare malum.
Nam fuit egregia genitus de stirpe parentum,
Qui quondàm terris nunc super astra nitet.
Optat enim fragili si quis dum carne manebat
Nôsse qualis fuerit hic, sua gesta legat.
At cælos postquàm conscendit quanta per ipsum
Gesserit Omnipotens, promere lingua nequit.
Linquitur hoc illi, bibulas qui solus arenas
Ac pelagi guttas dinumerare valet.
Hortor enim cunctos, maculat quos actio vitæ,
Huius opem precibus poscere sæpè pijs.
Debilis ad cuius venit si turba sepulcrum,
Indè means redijt sana, fauente Deo.

Multi debiles ad eius sepulcrum curantur.

Cui nunc & semper gratias agamus, qui nos meritis huius fidelissimi sui præsulis de tot tantisque malis eripuit, quique nobis quotidiè innumerabilium donorum beneficia eius suffragijs præstat, faciẽs magna & mirabilia sine numero: Cui sit honor & potestas,

potestas, decus & imperium per infinita secula seculorum, Amen.

PRAEFATIO IN LIBRVM SECVNDVM, PER *eundem Haimonum monachum.*

QVia prioris libelli metas optatum propinquantes portum, Christo sermonis vela regente, attigimus: acceptum ducimus ea modò miraculorum subnectere signa, quæ posteà Dominus per eiusdem põtificis merita glorioſa dignatus est pandere. Illa quoquè quæ rursùs in ipsius sancti nostraque peregrinatione sunt facta, non incongruè addenda censerentur, nisì fortè pudoris esse viderentur: scilicet qui castigationis diuinæ posthabitis eruditionibus, tẽpus emendationis necnon & fructum correctionis paruipẽdentes, ad hoc iterùm prolapsi sumus, vt longiorẽ demũ exultationẽ dignissima expulsione patereмur. Sed absit vt vel nostra tacendo inaccusata pallietur iniquitas, aut cælestis qua sanaremur nobis clementer adhibita quo non præconetur, reticeatur benignitas, vel etiam tanti pontificis humanæ saluti largita virtutum gratia immemorata transiliatur.

LIBER SECVNDVS MIRACVLORVM *beati Germani Episcopi Parisiensis.*

SANCTI verò corpus dum reuectum atque ordine suprà digesto in suo loco est restitutum, accessit ex pago Oximensi quædam paupercula mulier, nomine Hirmintrudis: hæc per nouem annorum curricula contractionis calamitate oppressa, de loco ad locum nisì aliorum manibus delata, nequaquàm incedere valebat. Cumque eam Dominus per glorioſum antistitem Germanum curare voluisset, nocte quadam superueniente vidit duas sanctimoniales virgines præclaris vultibus coram se assistere, deferentes sibi panem & lac, signum futuræ sanitatis, hortantesque vt comederet. Molestia nanque infirmitatis fatigata obdormierat. Cumque comedisset ex his quæ attulerant, dixerunt illi: Surge, & quomodocunquè potes Parisius ad sepulcrum beati Germani ire festina, cuius munere noscas te ex propria corporis debilitate curandam. Quæ longo ægritudinis vinculo de sua desperata salute, putauit se vano somnij phantasmate deludi: idipsum & parentes quibus hæc retulerat dicebant. Sed alia iterùm nocte prædictæ virgines eidem apparentes cum quadam indignatione, blando quidem sermone eam allocutæ, dixerunt: Gaude, in proximo est enim vt cureris. Et quarè quò tibi præcepimus non isti? Vade igitur saltèm nunc, nec moram feceris. Porrò expergefacta mulier auxilio tandèm fratris asello leuatur, sicque ante tumulum tanti patroni delata exponitur. Permissa itaque est in atrio eiusdem ecclesiæ ipsa nocte requiescere: sed priusquàm mediæ noctis spatium transmitteretur euigilans, quasi quodã medicamine delibutã, per seipsam aggreditur ecclesiam, fratribus iam ex more vigiliarũ solennia celebrantibus. Intereà membra sibi malè cohærentia cœperunt resolui, atque in antiquũ mox officium reuerti. Quæ pro anxietate cordis corporisque relaxatione magnas instituit voces emittere, vt omnes qui aderamus audiuimus: factoque manè, illi Domino beati Germani precibus miserante, proprijs cõcessum est ambulare vestigijs. Sicque per iter quo venerat redijt, omnibus bonum sibi largitum narrans.

Cap. 1.

Visio cuiusdam mulieris paralyticæ.

Mulier paralytica restituitur integritati.

Nec illud præterire debemus, quod simili modo contigit factum miraculum. Nam inter cæteros ex diuerso properantes, venit quidam iuuenis ex pago Baiocassino, vocabulo Hildemodus, qui ità renibus contractus tribus continuè extiterat annis, vt eo ipso dolore genuum ac tibiarum seu pedum priuaretur officio. Itaque multa venerabilium sanctorum circuiens loca, quò pristinam illorum suffragijs recuperaret sospitatem, à nullo prorsùs destinatus est sanari. Supradicta autem sanctissimi pontificis imminente translationis celebritate, à quodam venerabili viro per soporem est admonitus, vt monasterium eiusdem sanandus adiret. Qui nihil de visione dubitans, eo die qui eandem præcessit solennitatem nono Calendas Augustas cum ascellaribus venit, ante sancti patris sepulcrum iaciens se pronus in terram. Cumque diutiùs pro suî recuperatione Deum beatissimumque præsulem intentissimè exoraret, subitò cœpit coram oculis omnium illic adstantium membra prolixa ægritudine torpentia gemens extendere. Nec mora, statim nanque surrexit benedicens Deum,

Cap. 2.

Quidam iuuenis contractus, & renum dolore vexat⁹, sanatur.

ſanctumque glorificans Germanum: & non ſolùm ipſe, verùm & qui præſentes eramus, omnisque frequentia populi quæ conuenerat, pariter benedeximus Domino, qui talia meritis ſui confeſſoris dignatur concedere.

Cap. 3. Illud quoquè quod diuina bonitas eodem veſpere ad famã nominis tãti viri oſtendere voluit, reticeri non debet, quin inter cętera narretur miraculorum inſignia. Fuit quidam puer vt putabatur duodennis, de pago Aurelianenſi & familia beati patris Benedicti, qui de matris vulua in lucem renibus contractus ac genibus proruperat, necaliter vllo modo moueri poterat, nisì manibus nitens ſemiualidum promoueret corpuſculum. Inſupèr & ità ab ineunte ætate officio loquendi priuatus adoleuerat, vt in ore ipſius lingua potiùs ſtrepitũ quàm verborum exprimeret ſenſum. Qui cùm ad beati Caronis martyris ſepulcrum, quod iuxta oppidum ſitum eſt Carnotenum, à quolibet gratia pietatis deportatus fuiſſet, interuẽtu ipſius ſancti Caronis pedes eius, contractione genuum perſeuerante, à poſterioribus ſolummodò ſunt diſiuncti. Indè

Itèm alius. verò ad patrocinia almi patroni noſtri quandoquè perductus, obtentu miſericordiæ permiſſum eſt ad ſancti pontificis confeſſionẽ manere. Cumque iaceret fratribus iam in eccleſia veſperè pſallẽtibus, cœperũt mox nerui atque nodi à neceſſitate contracti corporis reſolui, necnõ & ad vſum ambulandi diuina miſeratione per beati viri ſuffragium aptari, qui cum fide venienti impetrare potuit, quod natura vitiata negauerat.

Cap. 4. Non eſſe debent etiam (quod longè à fidelibus ſit) oneri, quæ Chriſtus ſuis ſanctis amicis dignatur largiri. Nam qui geſta virtutesque eorum, qui iam cum Domino in cæleſti regnant Ieruſalem, audiri renuit, ipſe ſibi proculdubiò teſtis exiſtit, quia nondùm ad illorum perfectè ſuſpirat conſortium. Contrà verò qui recolit, legit vel audit, ille vtiquè licèt in terris adhuc poſitus, conciuem tamen illorum ſe euidenter eſſe demonſtrat in excelſis. Igitur ex quadam poſſeſſione ipſius beati viri, quæ in pago Pinciacenſi ſita Prunidus dicitur, fuit quidam homo nomine Adoardus, ità oculorũ priuatus lumine, vt illi continua nox eſſet, nec quicquam lucis haurire poſſet. Hic ad ſancti pontificis feſtiuitatem manibus, vtpotè cæcus, aliorum perductus, ad ſacra Miſſarum ſolennia inter reliquos qui conuenerant deuotus adſtabat. Et eccè ſubitò antequàm euãgelium legi inchoaretur, cœpit ab eius oculis magnus quaſi lachrymarum fluxus

Cæcus meritis S. Germani videt. mirum in modum manãre: cumque diù hoc ageretur, & ipſe riuulorum fontẽ de ſuis maxillis crebra manûs adhibitione detergeret, ſuperno mox reſpectus intuitu, incipit paululum ſplendoris inſpicere. Deindè gratias agens, toto deuotionis affectu ſolo proſtratus, obnixè precabatur, vt ſibi iam partìm reſeratũ lumen pleniùs redderetur. Nec eius ſunt preces apud altiſſimum cordis inſpectorem ſanctumq; caſſatæ virum. Statìm nanque exauditus priſtinum recepit viſum, Miſſarumque peracta ſolennitate, venit iam clarè videns ante polyandrum beatiſſimi confeſſoris glorificans Deum, qui ſibi eius precibus per tot annorũ curricula luminis ademptã reddiderit dignitatem.

Cap. 5. Vt igitur caſtigantis nos ineſtimabilis diuinæ bonitatis miſeratio euidentiùs prędicetur, ea quæ rursùs in eiuſdem ſancti ac noſtra peregrinatione, vt meminimus, ſunt facta miracula, proſequamur, & ſi nõ ſermone verborum copia phalerato, virtutum tamen ſpecioſitate colendo. Non poſt multos deniquè annos iteratis ſæpiùs malis,

Normannorũ altera incurſio. ſuſcitauit nobis Deus ſæuiſſimam earundem gentiũ perſecutionem, qua nos meritò affligeret, afflictosque vt pietatis pater ad emendationem compelleret. Nam quem-

Proſpera in eleuationẽ: aduerſa, ad vitæ emendationẽ nos reuocant. Eſa. 28. admodùm proſpera à recto tramite per mentis elationem aliquandò deuiant, ità & aduerſa per contriti cordis humilitatẽ ad noſtrî nos cuſtodiam reuocant. Sola enim vexatio intellectum dat auditui. Huius itaque perſecutionis orto flagello, ſanctorum circunquaquè iacentium corpora non ſolùm à ſepulcris inſtaurato dolore effoſſa, verumetiam & ad proprias ſunt poſſeſſiones hac illacq; deuecta. Cumque paratum fuiſſet quo ſanctiſſimi corpus Germani ad ſuperiùs dictam villam Cumbis iterùm ferri deberet, illud nos quod tunc ibidèm geſtum eſt miraculum dicere iuuat. Quidam autem noſtrûm nomine Adalarius monachus & ſacerdos ſic per tempus continuo renũ fatigatione debilis factus extiterat, quòd nullo modo per ſe, vel ad modicum,

Quidã frater debilis reſtituitur ſoſpitati. nisì vno & præſertìm duobus ſuſtentatus baculis incedere valeret. Quibus adductus venit ad eccleſiã inter reliquos gemẽs, accedensq; ad ſancti præſulis corpus iam ad ferendũ feretro aptatum, ſtuduit vnus, nec tardior quidẽ eſſe portantium: & hoc diuino ſuffragãte auxilio, precibus ſancti ſubleuatus, relicto immò (vt ipſe poſteà aiebat) oblito baculorum officio viciſsìm peregit, vſque dum ad præfatam Cumbis villam vinculo infirmitatis ſolutus pertingeret. Quo in loco beati corporis gleba ſuperaltare

tare venerandum expoſita, ipſe gratias agens, ad omne quicquid voluit ſanus euaſit.

Deindè contigit poſt aliquod deuolutum temporis ſpatium, vt illuc quiſpiam dæ- Cap. 6.
monio plenus adduceretur, quem quatuor fermè viri tenere vix poſſent. Maligna quippe vigebat virtute, eratque ex ipſius ſancti familiæ colonis, atque de villa ſuprà memorata Prunido. Aduenit ergò manibus violentorum impulſus, tergiuerſatione reluctante hoſtis, iuſti præſentiam nimiùm formidantis. Itaque multas illi adiurationes iuxta conſuetudinẽ exorciſmi quidam noſtri fecerunt, dantes inſupèr ei hauſtum aquæ benedictæ. Sed vt in eo potiùs apoſtolici viri præfulgens meritum panderetur, vniuerſis ab eo tandèm quieſcentibus, acceſſit vltima eiuſdem exorabilis medicina: Dæmoniaqua depulſa callidi peruaſoris morbida fœditate, omnis in eo incolumitas ſenſûs vi- cus liberatur.
gore reſtituto informatur. Iniquiſſimo ſiquidem habitatore proiecto, liber exiuit captiuus ab angue, remanſitque non ſolùm quatuor ſed vno minùs homine valens.

Adducitur & quædam fœmina vtranque manum geſtans aridam. Hæc olìm pro Cap. 7.
qualibet adhæſibili infirmitate ad ſanctæ Mariæ baſilicam, quæ ibì propè ſita eſt, annuale votum iuxta ſuæ paupertatis modulum ex dimidij denarij quantitate conſtituerat: ſed aduenięte Dominicæ Reſurrectionis die, emit indè blanda diei ſubripiente occaſione edulium carnis atque comedit, paruipendens melius non vouere, quàm Eccles 5.
poſt votum vota non reddere. Statimque vt ſole clauſo gratia ſoporis, cubilis ſui ſecreta petiuit, ità manibus voti violatricibus ea in nocte cõtrahitur, quemadmodùm emortuo in eis operandi officio, palmarum intima vngues producti penetrare viderentur. Quæ manè facto veniens, dum ante altare in quo ſanctum quieſcebat corpus Contractæ manus cuiuſdam mulieris ſanantur.
ſtatuta fuiſſet, ſic poſt modicum emendato delicto, vt fuerat priùs ſana regreditur, nec glorioſa Domina glorioſum dedignata eſt Germanum conſortem ſeu reparatorem ſui habere miraculi.

Vt autem taceamus de reliquis ea tempeſtate per eũdem ſanctum in eodem loco Cap. 8.
patratis miraculis, dicatur nunc illud de quodam cæco mirabiliter curato, qui dum alieni greſsûs ſolatio fuiſſet attractus, ſuam illic per dies exorando præſtolabatur ſalutẽ. Nam & ſolitus erat, alia neſcio quadã intercurrente infirmitate, multas crebriùs quàm ſubitas cum gemitu doloris effundere voces. Vndè aliquandò quaſi importunus, & qui eccleſiæ ſilentijs eſſet inquietus, à quibuſdam correptus, nimìs mœrens aliorsùm ire diſponens receſſit: deſtinauitque animo vt ad quandam eccleſiam in villa Ruoilo in ipſius ſancti honore dedicatam, quia propè erat, diuerteret, ibique dum tempus ſuî veniret miſerendi maneret: quod cùm præuio ſe ducente feciſſet, antequàm eiuſdem baſilicæ ianuam intraret, lumen oculorũ recepit. Moxque tanta Cæcus videt.
cælitùs ſibi data viſitatione iocundus, ad eundem ſanctum videns laudesque vociferans Cumbis reuertitur. Fuit itaque gaudium fratribus vniuerſisque inibì conuerſantibus, atque per omnes circunquaquè non modica admirationis lætitia. Hi ergò à quibus exaſperatus receſſerat pœnitẽtes, aiebant ſe & alios tali facto commonitos, ad pauperum debiliumque importunitates patientes eſſe debere.

Hinc Elagiam generoſi ſanguinis fœminam inter reliquos illuc veniſſe ſanandam, Cap. 9.
ſimulque ſanatam redîſſe videamus. Hæc ità ſuffocationis moleſtia per prolixi temporis curſum elanguerat, vt nec ſaltèm diuinis intereſſe aliquandò cupiens officijs, dũ ſolius tantùm legeretur Euangelij lectio, durare pedibus ſtando valeret. Neq; hãc Dominus pijs ſancti carere voluit beneficijs. Quæ diebus plurimis alieno portatu Matrona quędam debilis & languens curatur.
ſubuecta, eam in qua ipſius erat corpus frequentans eccleſiã, cũ cereis necnon & alijs oblationibus pijſſimum ex animo venerabatur patronum. Cumque terminus, quo eius deuotionis labor remunerari deberet, diuinitùs iam prędixus incumberet, ſtatìm cæleſti perfuſa medicamine, tanta corporis valentia ante ſancti corporis præſentiam donatur, quatenùs Deo ipſique beatiſſimo gratias agens reparata ſaluti exultans rediret.

Dignum ducimus, quod in ſequẽtibus rhythmo continetur, recolendũ interſerere Cap. 10.
miraculum. Nortmanni verò apud eundem locum qui dicitur Oſcellus, in quadam Nortmanni rursùs Pariſios veniũt ſpoliandi cauſa.
Sequanæ inſula reſidentes, Pariſius ſæpè dum prorsùs placebat, nauali excurſu venie- bant. Redimebãtur ergò omnia in circuitu vicina monaſteria, nè illorum ſæuitia impoſitis ignibus cremarentur. Studebantq; prætereà viciſsìm equis, quatenùs aliquos nobiliũ gratia pecuniæ capere poſſent. Vndè velutì ex mitiſſimi viri domini Ludouici Abbatis redẽptione non modicum & incõparabile acquirebant lucri negocium. Et quotieſcunque tale quid agere diſpoſuiſſent, diſſimulabant ſe multis diebus antè nullatenùs

latenùs quoquàm ire, nè cui illorum furtiuus innoteſceret aduentus. Proindè decreuerant mutua ſilentiq́ conſideratione Pariſius, ſiue ad noſtrum aliquandò percurrere locũ, omnesq́; ibidèm ſub malefida ſecuritate cõmorantes inſperatè decipere. Reſtiterãt ſiquidem in eodem monaſterio, qui ipſum cuſtodirent, fratres ferè viginti. Quibus matutinale orto iam crepuſculo Paſchalis ſacroſanctæ feſtiuitatis officium celebrãtibus, aſſunt Nortmanni, qui Paraſceue die equis aſcenſis iter arripuerant veniendi. Quos quidam noſtrorum equites præuenientes, eorum eis quanuis ſerò malignum nunciauerunt aduentum. Illis autẽ non credentibus ſed magis laudibus diuinis inſiſtẽtibus, pagani ſine mora inſequentes venerunt, cunctosq́; vt erant in eccleſia circuncinxẽre pſallentes. Tunc quod magnum fuit declinandi ſubſidium, clauſis in eorum oculis eccleſię portis, omnes ſeſe in quæquę latibula vel putcos immergentes abſconderunt, quo non ex omnibus nisì vnum equo fidentem, tanti præſulis ſuffragantibus meritis, interficerent. Itaque fugientibus ante conſpectum eorum ibãt: nec aliter inquàm veriſſimè, nisì vt quidam illorum ante enudatos etiã gladios, cùm eſſet dies, illæſi tranſirent. Quibus ità angelica cælitùs adminiſtratione ſaluatis, interfectis pręnũcijs atq; alijs in circuitu & in medio monaſterij ex familia plurimis, omnia velutì ſpurciſſimi inuaſores quæque in eccleſia vel extra inuenerant diripientes, cum prouentûs exultatione cellaria fratrum igne ſuppoſito reuerſi ſunt. Tunc vniuerſi de qualibuſcunque quibus ſe abdiderant egreſſi latebris, concurrente etiam hincindè populo ciuitatis, ſubuerterunt tandèm ſpiritûſancti gratia ignis ardorem, iam ad cuncta conſumenda ſpatia altiora petentem. Neque, quod poſteà noſtris iteratò contigit delictis, locus tunc penitùs crematus diſperijt.

Conferuantur fratres in choro pſallentes S. Germani meritis.

Monaſteriũ S. Germani iteratò liberatur ab incendio.

Cap. 11. Cæterùm vt ſit memoria iuſti cum laudibus, ad ea quæ in Nouigento villa noſtra ſuper Matronam fluuium ſita, dum ibì moraretur dumq́ue indè reuerteretur, facta didicimus, dicẽdi, ſed non ad cuncta vertamus ſermonem. Nam ſi eamus per ſingula, exuberans erit modus in pagina. Contigerat ergò terrore paganorum, vltra Pariſius iam & caſtelli Milidonis terminos excurrentiũ, ſanctiſſimũ corpus ab Acmando, quò nuper delatum abiẽrat, illuc tranſferri. Homo igitur ex eadem villa ità infirmus per annos vt vix incedere poſſet, totoq́ue corpore nulla ſibi ſubueniente medicina debilitatus aduenies, candelam ſecum detulit, munus fidei, precium ſanitatis. Sed antequàm illam accendere conatus, quod cœperat peregiſſet, quæſitum, videntibus qui aderant vniuerſis, è cælo reſpectus donum percepit. Ergò ſi regni cælorum ineſtimabilis magnitudo cuiuſlibet quãtitate precij emi poteſt, multomagis verò fide ſanitas corporis. Tantum enim Chriſtianus accipit, quantum credit. Confeſtim ſiquidem oblato munere ſanatur, atque domûs ſuæ limina gaudens reuiſit.

Quidam infirmus ex oblatione cãdelæ vniſ ſanatur.

Cap. 12. Erat ibidèm ſanè cõcurſus infirmorum hincindè confluẽtium plurimus, quorum cauſas vt ſic breuiter colligam, cæci gaudebant videntes, claudi ambulantes curati, diuerſi febricitantes atque plurimi varijs corporũ contagijs liberati, gratias agebant lætantes. Singulisq́ue largiebatur remedij gratia, prout digni inueniebãtur medicantis clementia: ità quoquè duntaxàt, vt qui veſperè debilis aduenirет, manè facto ſepiſſimè incolumis exiret. Inter quos quidã puerulus de pago Stampinſi inſanus defertur, habebat enim cõtractione neruorũ membra damnata. Qui à matre deportatus, deprecatur ipſa obnixè, vt ſe cum puero ea nocte in eadem baſilica, in qua ſancti præſulis corpus venerabatur, manere liceret. Deindè hora eiuſdem noctis aduenientę, vt putabatur, iam media, puer matre neſciente ſolus aſſurgens, per eandem eccleſiam, pedum cohæſione vtcunquè ſoluta, ambulare tentabat. Euigilat mulier, gaudetq́ue de nati viſa ſalute, ſicq́ue ipſa atque ſequẽti nocte eodem in loco tranſacta, totus poſt biduum ſoſpes effectus, genitrice iocunda receſſit.

Plurimi à ſuis infirmitatibus liberantur.

Puer inſanus & contractus ſoſpitati reſtituitur.

Cap. 13. In eadem deniquè Nouigento villa quæ & quanta fuerint, vt paulò ſuperiùs retulimus, ſanitatum chariſmata, eius bonitatis munere aduenientibus exhibita, ſine crimine fatemur nos ignorare. Quàm verò fuerint innumera, ille qui dedit cooperator pijſſimus ſolus nouit Ieſus. Ideò ad id quod ardet animus tranſeuntes, eius reuerſionem mente hilari exponere feſtinemus. Fratres igitur qui illic aderant ſanctiſſima eius corporis membra cuſtodientes, vnà cum ipſo loci ruinas ſaltèm inuiſere feſtinantes egreſſi, Nortmannis iam amico pacis fœdere regno eductis, iter reuerſionis læti ſuſcipiunt, fuitq́ue eis in reuertendo naualis congruus apparatus. Vndè Matronæ fluuium pariterq́ue Sequanam enauigantes, venerunt citra Biberis ac Sequanæ confluentia portum facientes: eductumq́ue ſanctiſ-

ſanctiſſimum corpus è naui, excepimus illud multi vtriuſque ſexûs & ordinis ibidèm congregati, vt miraretur, vix clericos ad eum tollendum accedere poſſe. Nam ex ſui quòdàm epiſcopij domo Canonici primi vtì pontifici aſſiſtẽtes, exceptionis peregêre miniſterium, huius antiphonæ cõgruam iubilantes melodiam: O quàm venerandus es egregie Germane confeſſor, qui terrena tempſiti, & cęli ianuam lætus petijſti: modò victor fulges in virtute cæleſti, ideoq́ue ſupplices te exoramus, vt intercedas pro nobis ad Dominum Deum noſtrum. Factaq́ue geniculatione ac oratione Dominica, & Miſſa pro vniuerſis ſolẽniter dicta, ex monaſterio ſancti Petri necnon & beatæ Genouefæ virginis religiosè accedentes clerici eundem ſequentes ordinem, cœperunt ſancto humeris ſuſcepto corpore hanc pſallere antiphonam, dicentes: Iſte eſt Germanus pontifex maximus, qui per ſupernam gratiam diuina dans miracula, promiſſa ſumens munera, viuit perenni gloria. Deindè nos vtì decebat ſeruulos corruentes, ſalutationis nouum habentes hymnum, verenter affuimus: ſurgentesq́ue à ſolo, quo digniſſima eius reuerentia proſtrati iacueramus, poſt orationem & Collectam iam cuidam contractæ fœminæ ac cæcis duobus collato ſanitatis beneficio, quo vnaquæque videlicet exceptio proprio decoraretur miraculo, ità concrepantes intulimus:

Inita pace cũ Nortmãnis, corpus eius ad propriũ rursùm defertur monaſterium.

Contracta ſanatur. Duo cæci vident.

Cap. 14. Authoris hymnus in laudẽ ſancti decantatus.

Aue præſul benedicte, aue nunc pijſſime
O Germane, venerande pater & eximie,
Plebis temet cum fideli, comitatus agmine
Veni iam veni benigne, redi paſtor optime,
Oues proprias require, ac paci reſtitue,
Nec triſtari vltrà ſine de ſublato pignore.
Deplorabat te ceſſiſſe dominum Lutetia,
Se plangebat & lugebat caruiſſe gloria,
Quam applaudet recepiſſe iam tua præſentia.
Heu quàm flebant ac gemebant ſerui tui monachi,
Et caterua populorum cuncta nimìs propria,
Cùm fuiſſes exul loco à tuo ſanctiſſime.
Quis illorum ſermo valet planctus fari cordium,
Atque ſimul expedire fletus amariſſimos,
Quòd ſacerdos pulſus eſſet impiè?
Qui ſi ceſſit feritati paganorum rigidæ,
Necnon loco, vel vltrici flammæ, tamen affuit
Votis dignis famulorum præſens in periculis.
Vndè iuuat nos adire illud dictu nobile
Quod ſtupendum & mirandum inferat miraculum,
Pro quo dignæ confeſſori referantur gratiæ.
Itaque dum illuceſcit Paſchæ dies ſplendida,
Dumq́ue laudes celebrarent matutinas monachi,
Circundantes ſe paganos miro ludunt ordine.
Nam vt cunctos gloriantur ſe cepiſſe miſeri,
Vtq́ue gyro mox vallârunt omnes ferè proximo,
Te præſtante liberantur propè capti ſeruuli.
Dumq́ue nullus ſeſe putat habere ſuperſtitem,
Gladiatam euaſiſſet qui Danorum aciem,
Omnes ſe de locis mergunt abditis incolumes.
Cerneres tunc lachrymãtes non loquentes inuicèm,
Dum de necis quaſi fauce ſe viderunt ſurgere,
Vota ſolùm cordis dabant tacita digniſſimè.
Vnus tantùm præpeditur cæcæ mortis obice,
Atque telo perforatur hoſtis velociſſimè,
Nè tanto ſummus careret pontifex libamine.
Salue clemens, hinc precamur, ſalue præſul agie,
Omnem clerum te colentem cum deuoto populo
In præſenti mereamur vti pace commoda:
Hincq́ue celſi paradiſi regnum nobis obtine,
Quò tecum ſimul pſallamus Patri laudes Domino,
Atque toti Trinitati conſonantes angelis:

Sanctus

Sanctus ſanctus ſanctus Dominus Deus exercituum,
Cæli tuæ pleni manent atque terra gloriæ.
Oſanna qui benedictus in excelſis venerat.
Gloria ſit Deo Patri atque laus altiſſimo,
Honor virtus & poteſtas Ieſu Chriſto Domino,
Dignitas & vnus apex ſit quoquè paracleto. Amen.

Quo ad finem vſque ità completo, fuimus iam licèt exaduersò proximi partim adultæ necnon & permultùm diſſipatæ ciuitati, cuius demolita facies nos omnes in dolorem adducēs, competenter exegit pſallere: Adſpice Domine quia facta eſt deſolata
Tren. 1. ciuitas plena diuitijs, ſedet in triſtitia domina gentium, non eſt qui cōſoletur eam niſi tu Deus noſter. Multi nanque canentes, plures verò cernebantur plorantes. Sicque proceſſimus in pratum vſque, quod ſub ipſo eſt monaſterio. Eramus verò mœrentes, quòd poſteaquàm propriam intraueramus tellurem, nullas vt anteà oſtēſas nouera-
mus virtutes. Sed eccè ſubitò ex tanta populi multitudine vnus procurrens acceſſit: habebat enim cauſa pœnitentiæ in brachio ferri circulum, vt ſolet fieri arctiſſimè obuolutum. Iamque tempus increuerat, ex quo illi caſu propriam occidenti matrem huiuſmodi pœna acceſſerat. Qui vociferans & tanti viri pietatem ſibi adiutricem expoſtulans, vt manum ad feretrum, quo ſancti ſacrum baiulabatur corpus, pallium
Attēde ſtupēdum miraculum. ſaltèm deſupèr contingere cupiens protēdit, illicò ferrum de brachio exiliens, miran-
dum crepuit, ità vt in aëra ſurſùm euolans videretur à multis. Quæ res nos vniuerſos hilariores efficiens, nonnullos etiam in lachrymas præ gaudio mouit. Sed & caro armillæ huiuſmodi aſperitate in profundum exeſa, quod geſtum erat precioſum pardebat miraculum.

Cap. 15. Aduenerat & quædam mulier adiumentis fidei comitata, quæ à cunabulis ità nuncupata dicebatur Electa: hæc prorsùs, vt nobis quaſi eadem adhuc infirmitate dolens aicbat, ità per amorum decem curricula manûs dexteræ ariditate contabuerat, quòd nullo modo vel ad os eam porrigendi poſſe habuerit. Accedens itaque cœpit magnę humilitatis precibus ſupplicare, quemadmodùm ſibimet tantùm ſub eiuſdem ſancti
Cuiuſdam fœminę aridæ manus curatur. corporis feretro, vt eramus in ambulando, tranſitus concederetur. At vbì vix intro-
Item cæcus quædam. miſſa (erat enim compreſſio populi multa) tranſiſſet, ſic illius aridæ manûs debilitas extemplò curatur, quatenùs omni recepto vigore, ſolitū propriæ actionis exerceret officium. Hanc nanque vidimus incolumem: Et Meroldum qui venerat cæcus, nec non & Aldegundem videntes.

Cap. 16. Peruenimus ergò pſallentes, nimia laſſitudine ac ſolis ardore fatigati, hora quaſi ſexta ad monaſterij ianuam. Annus autem circuli reſurgentis Chriſti octingēteſimus ſexageſimus tertius, dies verò menſis quartodecimo Calendas computabatur Auguſti. Tunc hymno, Te Deum laudamus te Dominum confitemur, incepto, intrauimus eccleſiam, deponentes eiuſdem ſacroſanctum corpus ſuper ipſum in quo priùs iacuerat ſepulcrum. Deindè concinentes Antiphonam, Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius & qui timentis eum, puſilli & magni: quoniam regnabit Dominus Deus noſter omnipotens, gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei. Facta oratione ac pro omni qui cōuenerat cœtu peracta Miſſarum celebritate, intulimus illud in ſancti Symphoriani cryptam, vbì primùm migrans quieuerat, atque poſt eiuſdem
Iſte Carol⁹ cognomine caluus multa monaſteria reſtauratuit. ſancti martyris altare in præparato ſibi tumulo venerandum poſuimus. Vndè cuoluotis temporum ſpatijs atque monaſterio iam ex parte reædificato, adueniēs glorioſus ſemperq; pius Rex Carolus, eiusque regniq; conſors Richildis regina, ſimulque pater & paſtor noſter dominus Ganzlinus Abbas & Ingeluuinus Epiſcopus, alijque præſules ſiue regni ſui principes, retulerunt eadem ſanctiſſima membra cum laudibus & hymnis ad proprij locum ſepulcri: Vbì auxiliante Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſocia ſpiritûs ſancti gratia, multi vſque hodiè venientes, eiuſdem ſancti pontificis meritis ſanantur infirmi, ad gloriam & laudem ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis in ſecula ſeculorum, Amen.

MAR

MARTYRIVM S. HYACINTHI, EX MS. CODICIBVS, QVIBVS ADSTIPVLANTVR ANTIQVISS.

Martyrologia. Stylum nonnihil hincindè elimauit F. Laur. Surius.

SANCTVM Hyacinthū Luxurius tradidit Leontio conſulari. Eum ergò intromiſſum ſub præconis voce interrogauit Leontius: Ecquis vocaris? Reſpondit ille: Hyacinthus dicor. Leontius conſularis ait: Seruus es, an ingenuus? Hyacinthus dixit: Seruus ſum. Conſularis Leontius ait: Cuiuſnam? Hyacinthus reſpondit: Domini mei Ieſu Chriſti. Leontius dixit: Domini noſtri Imperatores iuſſerunt, vt qui nolint ſacrificare dijs, eos diuerſis pœnis & ſupplicijs afficiamus. S. Hyacinthus ait: Pœnæ veſtræ diuerſæ eſſe poſſunt, æternæ eſſe non poſſunt. Itaque cùm non tam diuerſa ego ſupplicia timeam, quàm æterna: nec te audio iubentem, nec tuum principem comminantem. Hodiè enim ira veſtra & exardeſcit, & euaneſcit: & cùm eritis vita functi, deincèps nihil eritis. Tum Luxurius exclamans, dixit ad Leontium: Audis Hyacinthum cum principum iniuria verba iactantem, & adhuc ceſſas eum pœnis ſubdere? Leontius conſularis reſpondit: Ecquænam in eum ferenda ſententia eſt? Luxurius ait: Vt comburatur igni, & deindè corpus eius in torrentem præcipitetur. Beatus Hyacinthus dixit: Me quidem igne concremâſti, at aqua, quæ me regenerauit, quasi filiū ſuum ex ſe renatū ſuſcipiet: ipſaque mox martyrem me efficiet, quæ priùs fecit Chriſtianum. Te autem, Luxuri, hodiè comedet coluber, vt cognoſcat omnis hæc regio, quòd vindicet Deus ſanguinem ſeruiſui, quem tu iuſſiſti ignibus concremari, & pro tua libidine in aquas iactari. Iulij 26. Egregiumi reſponſum martyris.

Cùm ergò in ignem miſſus eſſet beatus Hyacinthus, illo quidem die nec ignis, nec aqua illi potuit præualere: ſed confeſtim extinctus eſt ignis: aqua verò, in quam coniectus fuit, ad litus incolumem eiecit, in quo Luxurius iacebat, totus inflatus ab ictu ſerpentis. Equo enim ſedens, ſolus properabat ad ſumendum prandiū in villa. Cumq; arborem præteriret, inter collum & capitium tunicæ eius coluber illapſus, ventrem eius ſuis morſibus lacerauit, ad cor eius pertingens. Iacens verò ità tumefactus, priuſquàm ſpiritum redderet, vidit oculis ſuis iuxtà aquas deambulantem martyrem Chriſti, & ità pſallentem: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Nunciantur hæc conſulari Leontio, & ille mittit ſpiculatorem cum permultis militibus, vt eum comprehendant, capitalem in eum ſententiam ſubitò pronuncians. Duxerunt ergò eum milites non longè ab vrbe, illicque eum gladio percuſſerunt. Porrò matrona quædam religioſa, Iulia nomine, veniens ad vrbē Romam, nocte cum ſeruis ſuis collegit corpus eius, & inprimis honorificè ſepeliuit in prædio ſuo, quod erat in eodem loco: vbì etiam cubiculum ſibi conſtruxit iuxta ſepulcrum beati martyris: vbì conſequuntur beneficia omnes credentes in Chriſtum: qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen. Ab igni & aqua nihil læditur. Luxurium lacerat coluber. Pſal. 65. S. Hyacinthus capite plectitur.

DE BEATISSIMA ANNA, CHRISTI AVIA

OPVSCVLVM CONSCRIPSIT IOHANNES TRITTENHEMIUS Abbas, *ad quod lectorem remittimus. Extat de eadem etiam Sermo Fulberti Epiſcopi Carnotenſis, ante quingentos annos conſcriptus. Nemo mirari debet, de matrona ſanctiſſima tam parùm inueniri, cùm vix pauca de incomparabili virgine Maria eius filia, multisque alijs præcipuis Sanctis habeamus.*

DE SEPTEM MARTYRIBVS, QVOS DORMIENTES VOCANT, EX GREGORIO TVRONEN. *De gloria Martyrum Lib. 1. cap. 95.*

Iulij 27. ratio

SEPTEM germanorum, qui apud vrbem Ephesum requiescunt, hæc est * historia: Tempore Decij Imperatoris, cùm persecutio in Christianos ageretur, septem viri comprehensi sunt, ducti coram principe. horum nomina hæc sunt: Maximianus, Malchus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Iohannes, Serapion: qui diuersis verbis tenti, vt cederent, nequaquàm acquieuerunt. Imperator verò pro elegantia eorum, nè in momẽto perirent, spatium tractandi indulget. At illi in vnam se speluncam condunt, ibique per multos dies habitauerunt. Egrediebatur tamen vnus ex eis, & comparabat victus, & quæ necessaria erant, exhibebat. Reuertente autem Imperatore in eandem ciuitatem, isti petiêrunt à Domino, vt eos ab hoc periculo dignaretur ẽruere: factaque oratione, prostrati solo, obdormiêrunt. Cumque Imperator didicisset eos in hoc antro morari, nutu Dei iussit os speluncæ magnis lapidibus oppilari, dicens: Ibi intereant, qui dijs nostris immolare nolnerunt. Quod dum ageretur, quidam Christianus in tabula plumbea nomina & martyrium eorum scribens, clàm in aditu cauernæ, priusquàm oppilaretur, inclusit.

Eorum nomina.

Obstruitur os speluncæ in qua sancti martyres latuerũt

Hæresis Sadducæorum tempore Theodosij iunioris.

Post multorum verò annorum curricula, cùm, data ecclesijs pace, Theodosius Christianus obtinuisset imperium, surrexit hæresis immunda Sadducæorum, quinegant resurrectionem futuram. Tunc quidam ciuis Ephesius, dum caulas ouibus secus montem ipsum facere destinat, ac lapides diuoluit ad coaptanda earum septa, ignarus quæ agerentur introrsùm, patefecit ingressum eius: non tamen cognouit arcanũ, quod habebatur intrinsecùs. Dominus autem immisit septem viris spiritum vitæ, & surrexerunt: putantesque, quòd vna tantùm nocte dormissent, miserunt puerũ vnũ, qui cibos emeret. Cumque veniens, supra portam ciuitatis vidisset Crucis gloriosa signaculum, audîssetque per Christi nomen iurare populum, obstupuit: prolatisque nummis, quos à tempore Decij habebat, à mercatore comprehenditur, dicente sibi, Quia absconditos antiquitùs thesauros reperisti. At ille negans, deducitur ad Episcopum ac iudicem ciuitatis. Cumque ab his argueretur, compellente necessitate, absconditum mysteriũ reuelauit, & deduxit eos ad speluncã, in qua viri erant. Cumq; ingrederetur Episcopus, inuenit tabulam plumbeam, in qua omnia, quæ pertulerant, habebantur scripta: locutusque cum eis, nunciauerunt hæc cursu rapido Imperatori Theodosio. At ille veniens, adorauit eos pronus in terra: qui tali colloquio cum eodem vsi sunt principe:

Euigilant 7. fratres.

Theodosius Imp. cum eis loquitur

Surrexit glorioso Augusto hæresis, quæ populum Christianũ à Dei promissionibus conatur auertere, vt dicant non fieri resurrectionem mortuorum. Ergò vt scias, quia omnes, iuxta Apostolum Paulum, repræsentandi erimus ante tribunal Christi, idcircò iussit nos Dominus suscitari, & tibi ista loqui. Vide ergò, nè seducaris, & excludaris à regno Dei. Hæc audiens Theodosius Imperator, glorificauit Dominum, qui non permisit perire populum suum. Viri autem iterùm prostrati in terram, obdormiêrunt. Quibus cùm Theodosius Imperator sepulcra ex auro fabricare vellet, per visum prohibitus est, nè faceret. Viri autem vsque hodiè palliolis sericis aut carbasinis cooperti, in ipso loco requiescunt. Quod passio eorum, quam Syro quodam interpretante, in Latinum transtulimus, plenius pandit.

2. Cor. 5.

Obdormiunt in Domino.

DE

DE IISDEM EX SIMEONE METAPHRASTE, QVI HANC HABET INSCRIPTIONEM: *Commentarij septem adolescentium, qui Ephesi dormierunt. Capitula ad marginem adiecimus.*

Iulij 27. Cap. 1.

TENENTE Decio Romani Imperij principatum, accidit, vt ipse ex Cartagenna ciuitate in Ephesum, multo furore pércitus, descenderet. Tunc omnis finitima regio in eam vrbem conuénit, vt vanis & falsis dijs immolaret. Eorum verò, qui Christi fidẽ sequebantur, ecclesiæ dispersæ sunt. Christiani enim tam sacerdotes, quàm laici, metuebant tyranni adspectum. Qui cùm ingressus esset Ephesum, animo elato in media vrbe cœpit idola erigere: cumque illis totus esset addictus, præcepit vrbis optimatibus, vt vanis illis dijs secum vnà victimas offerrent. Iraque victimarum sanguine loca illa replebantur, & omnes turbæ vndiquè ad idolorum, quæ erant Ephesi, celebritatem confluebant. Fama enim per fines illius regionis diuulgabatur, quòd scilicet victimarum nidor ex vrbe media in altum prosiliret.

Feruor Decij Imp. erga cultum dæmonum.

Cùm igitur diem festum suorum deorum Decius ageret, atque ipsius iussu vniuersa multitudo ob eam celebritatem ad templa idolorũ, quæ erant Ephesi, ex omnibus locis impigrè conflueret, ac dijs libaret, cumque tota illa vrbs sacrificia redoleret, fideles homines tristes erant, ijdem & ab idolorum cultoribus opprimebantur. Itaque partim persequentium ora fugiebant, nè comprehendi possent: partim sese occultabant. Tribus autem diebus posteà Imperator edictũ proposuit, vt Christiani omnes caperentur: quo tempore gentiles ac Iudæi vrgebant milites. Passìm igitur Christiani homines trahebantur ad turbas, quæ in vnum locũ conuenerant, vt vnà cum Imperatore idolis sacrificarent. Tunc nonnulli tormenta formidantes, excidebant à fide, & coram turba illa miseri ad idolorum sacrificia decidebant. At qui ex animo Christi fidem sequebantur, cùm audirent aliquos lapsos fuisse, illorum casum magnoperè dolentes, miserorum hominum animas lugebant, qui propter metum ad idolorum sacrificia delapsi fuerant. Quicunque verò ex eorum numero in Christi fide stabiliores inuenti sunt, mentem atque cogitationem firmam conseruantes, neque tyranni minas extimescentes, sed nequissimi diaboli tela suis corporibus libenter excipientes, cruciatus omnes forti animo perferebant.

Cap. 2.

Christiani fugã & latebris se tuentur.

Christiani quidam deficiunt.

Itaque sanctorum martyrum carnes multis varijsque tormentis lacerabantur, ità vt ex illorum vulneribus multus sanguis deflueret. Quorum corpora in vrbis mœnibus ac turribus suspendebantur: capita verò palis affixa, erigebantur ante portas. Itaque corui, vultures, & eiusmodi aues, mœnia illa circundantes, sanctorum martyrum carnes dilaniabant. Quæ res Christianis hominibus mœrorem afferebat. Tale tantumque certamen propositum erat his, qui Christi fidem confitebantur. Tales erant minæ terroris plenæ, omnibus planè formidolosæ: tales ærumnæ, lapides ferè ipsos commouentes. Sanctorum martyrum cadaueribus vrbis plateæ coarctabãtur. Flebant autem fideles, quòd sancta illa corpora in terris deiecta, viderent à volucribus lacerari. Quæso, quodnam facinus tantoperè dolendum? Quæ cædes sic immanis & acerba? Tunc Christiani homines, manibus in cælum erectis, precabantur Deum, vt eriperentur è manibus Tyranni. Patres filios, filij patres abnegabant. Calamitates ipsæ amicissimos viros à se vicissìm disiungebant. At * Maximilianus, Iamblicus, Martinus, Iohãnes, Dionysius, Exacustadius & Antoninus, simul versantes, omnesque pariter in Christi fide stabiles, & Christi passiones in corporibus suis gestantes, cùm viderent quæ quotidiè contra Christianos efficerentur, fletu, gemitu, ieiunijs ac precibus assiduè se communiebant. Erant autem illustrium virorum & optimatum vrbis filij.

Cap. 3. Multi atrociter cruciantur.

* Maximianus &c.

Vide vt se communiãt aduersùs persecutionem.

Cùm verò Imperator turbas Gentilium ad inanium idolorum sacrificia congregâsset, tunc sancti viri, quos paulò antè nominauimus, in vnum locum conuenerunt, simulque ad Christianorum ecclesiam ingressi, prostrauerunt se in terram, & pluere capita sua conspergentes, ante Deum gemitus & lachrymas effundebant. Quod cùm facerent, obseruati sunt à speculatoribus quibusdam, quòd scilicet tempore il-

Cap. 4.

lo, quo ſacrificia dijs offerebantur, ipſi ad Chriſtianorum eccleſiã ſecederent. Cumq; ſinguli diligenter exquirerentur, vt dijs ſacrificarent, acceſſerunt qui homines illos obſeruauerant, & Imperatori dixerunt: Viuas, Imperator, æterno tempore. Tu eos, qui longè abſunt, cogis ſacrificijs præſtò eſſe, & qui propè ſunt, contemnunt Imperium tuum, & iuſſa tua pro nihilo faciunt, Chriſtianorum obſeruantes religionem. Erat autem * Maximilianus ipſe Præſidis filius, item alij cumprimis illuſtres in exercitu. Tunc Decius Imperator ira pércitus, illos ad ſe vinctos duci iuſſit. Quibus ductis, Quarè, inquit, non permanſiſtis nobiſcum, vt dijs ſacrificaretis, qui totum orbem terrarum ad ſibi obediendum conuocârunt? Accedite igitur, & debitum dijs ſacrificiũ offerte, quemadmodùm omnes facere conſueuerunt. Tunc * Maximilianus reſpondit: Habemus, Imperator, Deum in cælis habitantẽ, cuius gloria cælum & terra plena eſt, cui ſacrificium confeſſionis noſtræ offerre ſoliti ſumus, atque noſtrarum orationum libamine coram Deo exultamus omni tempore. Nos enim nidorem ac fumum veſtrorum ſacrificiorum iſtis idolis non offerimus, quandoquidem noſtras animas labefactare nolumus.

Accuſatur apud Imperatorem.

*alijs Maximianus, primus inter martyres.

Cap. 5. Militares zonæ auferuntur 7. martyribus.

His auditis, Decius non ampliùs loqui voluit, ſed iuſſit militares zonas ab eis auferri. Cuius rei cauſam eſſe dixit, quòd deorum potẽtiæ aduerſarios ipſos deprehenderat. Præterea illos à deorum munificentia repellendos, atque ab Imperij militia procùl arcendos eſſe decreuit, quòad opportunè de illorum religione inquirere poſſet. Non enim æquum videri ſibi, aiebat, illorum iuuentutẽ tormentis conſumi: itaque miſericordia motum, temporis ſpatium ſe illis concedere, vt intereà reſipiſcerẽt, ad deos reuerterentur, & viuerent. Hæc dixit Imperator, & præcepit ferreis vinculis illorum colla exui, atque à ſuo conſpectu remoueri. Tunc Decius in alias vrbes profectus eſt, vt faceret quæ in animo habebat, eo tamen conſilio, vt Epheſum repeteret. Itaque ſanctis viris, quos diximus, conceſſum fuerat ab Imperatore, vt per aliquot dies liberè verſari poſſent.

Cap. 6.

Cùm igitur opportunum tempus inueniſſent, & in Chriſti fide perſeuerare conſtituiſſent, iuſtitiæ operibus incumbebant: cumq; aurum & argentum ex paternis facultatibus collegiſſent, pauperibus multam pecuniam diſtribuerũt: & inter ſe conſilium ineuntes, viciſsìm ſe his verbis adhortabantur: Secedamus parumpèr ab hac vrbe, & ſubeamus ſpeluncam illam magnam, quæ vergit ad Orientem. Illic quietè venientes, Deum noſtrum attentis & aſſiduis precibus oremus, vt tales effici poſſimus, qui ante Tyranni adſpectum conſtanter ſtare valeamus: neque deſinamus Dei gloriam collaudare, vt Deus ipſe ope ſua nos adiuuet, quò rectam eius confeſſionem ſeruemus, coronamq; illam incorruptam his paratam, qui eius fidem cuſtodiunt, & Chriſtum agnouerunt, accipere poſſimus. Itaque cùm tantum argenti ſumpſiſſent, quantum illis ad ſumptum ſatis eſſe poſſet, aſcenderunt in ſpeluncam in monte ſitã, (mons Ochlon appellatur) quo in loco multos dies tranſegérunt, Deum ipſum orantes, & ſalutem animarum ſuarum ſemper ab eo poſtulantes. Iamblico autem, qui omnibus alijs erat natu minor, & obeundis miniſterijs aptior atq; expeditior, impoſitum fuit negocium, vt in vrbem deſcenderet, & ſi quid fieri opùs eſſet, ipſe faceret. Erat autem iuuenis ille valdè prudens. Itaque cùm ad vrbem deſcendebat, nè agnoſci poſſet, veſtem mutabat, & vnus aliquis è numero mendicorum videbatur: cumque pecuniam ſecum haberet, partem aliquam pauperibus diſtribuebat: dabat etiã operam, vt ſubauſcultaret, quidnam de Imperatore diceretur.

Abdũt ſe in ſpeluncam 7. martyres.

Iamblicus natu minor eorum œconomus.

Cap. 7.

Poſt aliquot dies redijt Imperator Decius in vrbem Epheſum: & ſtatìm iuſſit optimates cum his, qui Achillidem ſequebantur, & alijs, qui erant illic, ſacrificia vanis idolis offerre: de falſis enim dijs ſuis erat valdè ſolicitus, cùm eorum vanitatem non cognoſceret. Quamobrèm Chriſtianæ fidei ſectatores timore magno afficiebantur. Hæc cùm Iamblicus audiuiſſet, egreſſus eſt ex vrbe, paucos panes ſecum ferens, & ad montis ſpeluncam, vbi erant ſocij, reuerſus eſt. Narrauit Iamblicus, quæ in Tyranni palatio ad eius ingreſſum audiuerat, & quemadmodùm quæſiti fuerãt & ipſi, vt vnà cum alijs ciuibus, præſente Imperatore, ſacrificarent. His auditis, timuerunt illi, & multo cum gemitu ac lachrymis Deum precati ſunt. Appoſita eſt igitur illis menſa, & panes, quos Iamblicus emerat, vt cibum ſumerent, & ad Tyranni certamen ſuſtinendum promptiores fierent. Conſedêre igitur in media ſpelunca, & ſole occidente cibum ſumpſerunt. Cùm verò triſtes ſederent, & inter ſe colloquerentur, dormire cœperunt: erant enim eorum oculi propter mœrorem grauati.

At

At clemens & benignus Deus, qui ſeruis ſuis ſemper prouidet, fecit illos mortis genus quoddam obire, vt per eos miracula quædam opportuna fierent. Itaque cùm ſopore omnes correpti eſſent, in terra iacentes obiêrunt, animas ſuas Deo reddẽtes, & diuinam gloriam concelebrantes. Argentum autem, quod habebant in ſuis marſupijs, apud illos eo in loco, in quo iacebãt, remanſit. Poſtridiè manè Imperator inter optimates iuſſit iterùm ſeptem illos adoleſcentes requiri. Qui cùm non inuenirentur, ad optimates conuerſus: Magnoperè, inquit, doleo propter adoleſcentum illorum calamitates, eô quòd illuſtribus & claris parentibus orti ſunt. Opinor enim illos, arbitratos imperij noſtri maieſtatem ſibi valdè iratam eſſe, propter pietatis noſtræ religionem ab eis violatam, aufugiſſe. Sed Imperij noſtri benignitas non ſuccenſet his, qui reſipiſcunt, & ad deorum noſtrorum clementiam animos reducunt. Hæc dixit Imperator. Cui optimates reſponderunt: Quòd ad illos adoleſcentes pertinet religionis deſertores, Imperij tui maieſtas nequaquàm doleat, neque reſipuiſſe illos arbitretur. adhuc enim in priſtina ſua ignorantia perſeuérant, & vt audiuimus, eo ipſo tempore, quod ipſis præſcriptum fuit ad mutandum conſilium, pertinaciores facti, obſtinatam voluntatem retinent. Itaque argentum & aurum pauperibus per vrbis plateas diſpoſitis diſtribuerunt, neque ampliùs quiſquam eos vidit. Si placet igitur maieſtati tuæ, parentes illorum capiantur, & tormentis cogantur dicere, vbinàm eorum filij lateant.

Cap. 8. Obdormiunt in ſpelunca.

Hæc audiens Imperator, ira pércitus iuſſit adoleſcentum parentes accerſiri. Quos cùm præſentes vidiſſet: Et vbinàm, inquit, ſunt filij veſtri, Imperij & iuſſorum noſtrorum contemptores? Propterea vos etiam inſolentiæ ipſorum cauſa interfici iubeo. Tunc illi dixerunt: Precamur te, benigniſſime Imperator, vt noſtram cauſam audias. Nos Imperij & Maieſtatis tuæ iuſſa non violauimus, neque propitia deorum numina deſeruimus. Quarè igitur nos illorũ, qui deſertores ſunt, cauſa moriemur? Quòd verò ad argentum & aurum pertinet, illi à nobis pecuniam ſubripuerunt: quam cùm pauperibus diſtribuiſſent, aufugerunt in montem, & ibi deliteſcunt in ſpelunca. Siue igitur viuant, ſiue mortui ſint, nos ignoramus. Hæc audiens Imperator, viros illos dimiſit, & multùm ſecùm cogitabat, quidnam faceret adoleſcentibus. Benignus autem Deus in eius mentem iniecit, vt ſpeluncæ illius aditum lapidibus obſtrueret, quô ſanctorum martyrum corpora ſepulta illic iacerent, neque ſanctæ reliquiæ amouerentur, ſed vſque ad reſurrectionem ipſam ſeruari poſſent.

Cap. 9. Martyrum parẽtes capiuntur, & coguntur prodere filios.

Imperator iubet obſtrui os ſpeluncæ.

Decius ergò Imperator ſententiam contra illos adoleſcentes talem pronunciauit: Quoniam noſtris edictis parére noluerunt deſertores adoleſcentes, & noſtrorũ deorum numen contempſerunt, propterea & ipſi benignitate noſtri imperij priuentur, neque ampliùs in conſpectũ hominum appareant. Quamobrèm ſpeluncæ aditus ſaxis magnis obſtruatur, & ſigillorum munimine imprimatur, vt viui obruantur, & in eiuſmodi carcere moriantur. Exiſtimabat enim tam Imperator, quàm tota ciuitas, adoleſcentes illos adhuc viuere. Theodorus verò & Barbus, qui fuerant à cubiculo Imperatoris, & miniſtri admodùm fideles, cùm eſſent & ipſi Chriſtiani, propter perſecutionem ſeſe occultauerant. Tum inter ſe ità dicebant: Scribamus martyrium ſeptem adoleſcentum in plumbeis tabulis, quoniam propter Chriſti fidem mortui ſunt, & martyres facti ſunt. Quæ autem ſcripſerimus, in æreis loculis reponamus, & loculos ipſos ſigillo munitos, inter lapides, qui ſunt in eo loco, ponamus: (fortaſsis enim Dominus ante nouiſſimi aduentûs diem Martyres viſitabit) vt ſi quo tempore ſpelunca hæc patefacta & ſanctorum martyrum corpora in apertum prolata fuerint, ex literarum monumentis illorum facta diſci poſſint. Fecerunt igitur Theodorus & Barbus, quod inter ſe communicauerant.

Cap. 10. Decij in illos ſententia.

Theodorus & Barbus martyrium illorum cõſcripſerunt in tabulis plumbeis.

Temporis interuallo mortuus eſt Decius Imperator, & tota ætas illa interijt. Succeſſerunt autem Imperatores ſuo quiſque tempore, quoàd Theodoſius Imperator ſceptrum tenere cœpit. Qui cùm religioſè & Chriſtianè imperaret, ſurrexerunt quidam hæretici, qui negabant mortuorum reſurrectionem, quam Chriſtus ipſe in ſua ſancta Eccleſia firmiter credi voluit. Milites enim quidam idolorum cultores, cùm in palatio Imperatoris verſarentur, apertam perſecutionem aduersùs aliquos apud Imperatorem commouerunt. Quinetiam Epiſcopi quidam rectas Dei ſemitas peruertere cupientes, in eccleſijs multarum præuaricationum erant authores. Quorum princeps & malorum omnium caput habebatur Theodorus Aeginẽſium Epiſcopus, ſimul cum ijs, quos ſecum habebat: qui me nominari quidẽ debent, cùm Dei Eccle-

Cap. 11. Hæretici reſurrectionem negantes exiſtunt ſub Theodoſio.

Theodorus pſeudoepiſcopus.

siam persecuti fuerint. At Imperator Theodosius in dies magis perturbabatur ac dolebat, cùm sanctarum ecclesiarũ fidem fluctuantem videret. Itaque à Deo ipso eius mali curationem poscebat. Erant enim, qui dicerent mortuis hominibus consolationem nullam futuram. Alij affirmabant corpus vetustate consumptum, ipsum quidem consolationem nullam habiturum, sed solam animam immortalis vitæ participem futuram. Eiusmodi homines vanis opinionibus decepti sic errabant, neque animaduertebant infantem puerum nunquàm in ventre matris fuisse sine carne, neque carnem è vulua exijsse sine anima vitali. Item claudentes mentis oculos, sacras literas non considerabant, in quibus scriptum est: Audient qui sunt in monumentis, vocem filij hominis, & viuent. & alio loco: Et multi de ijs, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium: cùm illud etiam in eis scriptum inueniatur: Eccè ego aperiam sepulcra vestra, & educam vos de sepulcris vestris, populo meus. Hæc sunt diuinarum literarum testimonia. Sed hæretici homines à recta vitæ semita deuiantes aberrabant, & fidei synceritatem obliquis suarum animarum cogitationibus peruertebant.

Errores sub Theodosio.

Iohan. 5. Dan. 12.

Ezech. 37.

Cap 12. Imperator igitur Theodosius eam rem molestè ferebat, ob idque mœrore afficiebatur. Verùm cùm clementissimus Deus neminem velit à fidei via errantem perire, fecit, vt resurrectionis mysterium omnibus patefieret. Immisit enim in mentem cuiusdam hominis, qui dicebatur Adolius, eius montis & speluncæ dominus, vbi sancti martyres dormiẽrant, vt ouile quoddam suis pecudibus construeret. Eius igitur serui vnà cum his, qui operi faciendo vacabant, lapides pro ædificio ex eius speluncæ ostio reuoluebãt. Tunc Domini nostri Iesu Christi iussu sanctis illis viris, qui in spelunca dormiẽrant, vita restituta est, & vox illa, quæ Lazarum è monumento excitauit, eadem & sanctis martyribus vitæ spiritum restituit. Surrexerunt igitur, & Deum laudantes consederunt, &, quemadmodùm quotidiè consueuerant, se vicissim salutabant, quoniam nullum in eis signum existebat, ex quo mortuos se fuisse iudicare possent: nam & vestes tales erant, quales & anteà, quàm obijsſent: corpora etiam ipsa florebant, hilaritatem præ se ferentia: deniquè tales erant, vt si pridiè vesperi somnum cœpissent, & postridiè manè experrecti fuissent. Adhuc & de idolorum superstitione soliciti, à Decio Imperatore se inquiri existimabant: ob idque multa cura affecti, vertebant oculos ad Iamblicum procuratorem, & ab eo denuò quærebant, quænam pridiè vesperi audiuisset de ipsis in ciuitate. Quibus Iamblicus respondit: Quemadmodùm vobis dixi herì vesperi, & nos vnà cum reliquis ciuibus quæsiti fuimus, vt dijs immolaremus corã Imperatore: qui, nisi eius iussui obtemperauerimus, tormenta se nobis allaturum constituit. Quid autem facturus sit, nescio.

Adolius aperit speluncã

Iohan. 11. Reuiuiscũt dormiẽtes.

Credebant se vna tantùm nocte dormisse.

Tunc respondit * Maximilianus: Agitè, fratres, parati simus prodire in conspectũ Imperatoris illius terribilis & veri Dei Iesu Christi, neque timeamus mortalem istum Imperatorem. Tu verò, Iamblice, da operam, vt paretur nobis cibus ad horam constitutam. Accipe argentum, ingredere in vrbem, eme panes multos: pauci enim fuerunt, quos herì vesperi attulisti, ob idque esurimus. Eadem opera discas, quid Decius Imperator de nobis decernat. Cogitabant enim se nocte superiore cubuisse, & postridiè manè experrectos fuisse. Tũc igitur benè manè surrexit Iamblicus, & argentum sumpsit ex loculis, quemadmodùm consueuerat. Erat autem moneta illa vetere nota impressa, quæ partim quadraginta, partim sexaginta nummorũ precio pendebatur veterum Imperatorum tẽporibus, cùm sancti viri, de quibus verba facimus, priùs viuebant. Præteriẽrant autem trecenti & septuagintaduo anni, ex quo dormierant vsque ad eum diem, quo resurrexerunt.

Cap. 13.

Emittitur Iamblicus ad emendos panes.

Diuturnus somnus.

Cap. 14. Cùm igitur illuxisset, exijt Iamblicus ex spelunca, & vidit lapides ante speluncam positos, atque obstupuit: nihil enim de lapidibus illis cognouerat. Descendens autẽ de monte, timebat deambulare. Itaque in via totus trepidabat, metuẽs in vrbem ingredi, nè quo modo agnosceretur, & ad Imperatorem Decium vinctus duceretur: quippe ignorabat eius tyranni ossa in sepulcro putrefacta esse. Cùm verò in vrbem ingrederetur, & venerandæ Crucis signum ante vrbis portas erectum vidisset, sic obstupuit, vt à mente ferè exciderit: atque in quancunque partem oculos vertisset, rerũ nouitate perculsus, magis obstupescebat. Accessit ad aliam vrbis portam, & illic etiam Crucem ipsam supra muros erectam vidit. Cumque omnes portas obijsset, venerandæ Crucis figurã locatam adspiciens, præ stupore mutus factus est. Itaque cùm ad primam illam portã se contulisset, ità secum loquebatur: Quidnam hoc est? Herì vesperi

Vide antiquissimum ✠ Crucis vsum.

vesperi huius Crucis signum in latibulis seruabatur, & nunc apertè in ipsius vrbis foribus erectum videmus. Veréne hoc video, an spectri alicuius illusione decipior? Cùm hæc diceret, & Crucis figuram vbiquè fixam videret, animo magis confirmato, invrbem aperto capite ingressus est. Cumque longiùs progrederetur, audiuit multos per Iesũ Christi nomen iurare. Quarè magis perculsus, Quid hæc sint, inquit, ignoro. Herì vesperi nemo liberè Christum nominabat, & nunc tam multis linguis Christi nomen celebratur. Rursùs secum ambigens, dicebat: Fortassè vrbem Ephesum non video, quoniam eius ædificia omninò mutata sunt, & ipsius lingua, alia quædam est Christum edocta: quod in nulla alia vrbe fieri vidi, nisi in hac sola. Progressus igitur, quæsiuit à quodam ciue, quo nomine vrbs illa vocaretur. Ephesus, inquit ille, hæc vocatur. Non credidit Iambicus, sed secum cogitans: Deceptus, inquit, certè sum, locorum oblitus, totaque mente aberrans. Exeundum igitur mihi est ex hac vrbe, nè magis errem.

Putat se alicuius spectri illusione deceptũ, Iamblicus.

Cùm ergò solicitudine magna teneretur, & illinc exire vellet, priùs voluit panes emere, & argentum sumpsit, vt precium daret. Qui verò panem vendiderant, cùm monetam illam magnam & diuersam vidissent, mirati sunt, & vicissìm eam sibi ostendebant. Per manus igitur tradita, moneta illa per omnes, qui panem vendebant, transijt. Qui vicissìm in aurem insusurrant es, & Iamblicum intuentes, dicebant: Verè homo iste thesaurum inuénit, veterem illum quidem, & multis ab hinc annis reconditum. Iamblicus cùm illos susurrantes videret, cœpit timere: existimabat enim se ab illis agnosci, & Decij imperio tradendum esse. Cùm verò multi accessissent, & eius formam nequaquàm cognoscere possent, in medio foro illum detinebant. Itaque turbæ multæ confluxerunt, & sermo hic per totam ciuitatem vulgatus est, adolescentem quendã comprehensum fuisse, qui thesaurũ inuenerat. Turbæ autem ad eum congregatæ, dicebant: Homo iste peregrinus est, neque vnquàm illum vidimus. Hæc dicebant, & intentis oculis magis magisq; ipsum intuebãtur. Volebat Iamblicus causam suã agere, quòd falsum esset, quod de thesauro inuento dicerẽt: sed stupore detentus, id facere non poterat. Cumq; omnes turbas circũspiceret, neminem agnoscebat, & nemini notus erat, licèt claro & illustri genere apud vrbem Ephesum natus esset. Quapropter admiratione maxima detinebatur, quòd pridiè vesperi omnibus notus fuisset, & postridiè manè neminẽ agnosceret omninò & ipse ignotus. Dabat operam, vt inter turbã illam, patrem vel aliquem ex fratribus inueniret, neq; quenquã videbat.

Monetæ veteris figura ciuib⁹ Ephesinis testimoniũ dedit veræ resurrectionis

Cap. 15.

Tunc ea res per totam vrbẽ vulgata, vsque ad Episcopi aures peruénit. Diuina quoquè prouidentia factum est, vt eius vrbis Proconsul illa ipsa hora veniret ad Episcopum. Qui dum diceret de thesauro, quem ab adolescente illo inuentum cogitabat, ea res fecit, vt mortuorum resurrectio patéret omnibus. Iusserunt enim tam Proconsul, quàm Episcopus, adolescentem illum benignè tractatum custodiri, & ad se duci cum argento, quod secum habebat. Cùm igitur Iamblicus ad ecclesiam traheretur, putabat ad Decium Imperatorem se trahi. Itaq; huc & illuc circunspiciebat, vt aliquẽ suorum videret, vel cõsanguineorum, vel eorum, quibus notus fuerat. Adolescentem ità circunspicientem turba, vt insanũ aliquem, irridebat: itaq; violentiùs ad ecclesiam impellebat. Iam verò Proconsul & Stephanus Episcopus monetam illam in manus sumptam inspicientes, admirabantur. Tunc Proconsul Iamblicum interrogans: Vbinàm, inquit, est thesaurus, quem inuenisti? Moneta enim hæc è thesauro subrepta est. Minimè, inquit Iamblicus, thesaurum inuéni, quemadmodùm me vos insimulatis. Illud vnum certò scio, ex paternis meis pecunijs argentum hoc esse, eius monetæ nota impressum, quæ huic vrbi consueta est. Sed certè miror, neque cogitare possum, vndenàm tentatio hæc mihi acciderit. Ad hæc Præses: Vndenàm, inquit, es! tu? Illi autem respondit Iamblicus: Ex hac vrbe, vt opinor, ego sum. Quo patre natus? inquit Præses. Est ne aliquis, qui te agnoscat? Veniat, & testimonium dicat pro te, & credemus tibi. Protulit Iamblicus patris & fratrum suorum nomina: neque quisquam nouerat, quos diceret. Tum Præses: Vera, inquit, non sunt, quæ dicis. Hæc audiens Iamblicus, perplexo erat animo, nec habens quid responderet, silebat. Quem cùm ità perplexum ac tristem vidisset: Fortassè, inquit, insanus est. Alij dicebant: Nequaquàm insanus est, sed insaniam simulat, vt pericula effugiat. Acerbioribus verbis Præses eum increpans: Qua ratione, inquit, te ferre possumus, aut tibi credere, argentum hoc ex paternis pecunijs ad te peruenisse, cùm moneta hæc ex inscriptione & nota significet, quòd trecentis & octoginta annis ante nos fuerit, ac priusquàm Decius imperaret, neque vlla ex parte similis sit illi, quæ nunc in vrbe impenditur? Num

Cap. 16.

Iamblicus trahitur ad Episcopum & Proconsulem.

Durè accipitur à Proconsule.

parentes ità veteres,& ante trecentos annos genitos habere potes tu, qui adoleſcens es? An putas te ſic aſtutum eſſe,vt ſenes & Epheſinæ vrbis ſapientes decipias? His de cauſis iubeo te in vincula conijci, & flagellis verberari, donèc confitearis, vbinàm ſit theſaurus iſte.

Cap.17. Hæc audiens Iamblicus, & timens, faciem in terram proſtrauit, & his verbis illos affatus eſt: Precor vos, vt mihi non grauemini dicere, quod quæſiẽro: omnia enim liberè vobis confeſſus fuero. Decius Imperator, qui erat in hac vrbe, viuit ne, an non? Ad hæc Stephanus Epiſcopus: Non eſt, inquit, fili, qui hodiè in hac regione Decius Imperator nominetur. Tunc Iamblicus: Venite,quæſo,mecum,& oſtendam vobis in ſpelunca montis Ochlon ſocios meos,vt ab illis diſcatis verum eſſe, quod dico. Certè ſcio ab Imperatore Decio nos illuc fugiſſe: quem Decium & ego heri veſperi in vrbem Epheſum ingredientem vidi. Sit autem nec ne vrbs iſta Epheſus, neſcio. Tunc Epiſcopus Stephanus in eam cogitationem veniens, quòd Deus per iuuenem illum aliquid eis reuelare vellet: Eamus,inquit,& videamus. Statimque Epiſcopus & Proconſul cum optimatibus & turbis multis aſſcenderunt in montem ad ſpeluncam,quam Iamblicus antecedens demonſtrauit. Dum autem Epiſcopus,& qui cum eo erant, ingrederentur in ſpeluncam, in eius oſtio arculam quandam æream inuénit Epiſcopus, inter duos lapides poſitam, & duobus argenteis ſigillis impreſſam: quam coram Præſide & optimatibus aperiens, duas plumbeas tabulas in ea inuénit, in quibus ſcriptum erat, à Decio Tyranno fugiſſe Maximilianum Eparchi filium, Iamblicum, & reliquos adoleſcentes, & ipſius Decij Tyranni iuſſu ſpeluncę illius aditum obſtructum fuiſſe. Erat & eorum martyrium in earundẽm tabellarũ latitudine conſcriptum. Quo lecto,admiratione affecti ſunt, & Deũ ipſum, qui tãto miraculo adoleſcẽtes illos proſecutus fuerat, ſummis vocibus collaudárunt.

Arcula ærea continens martyrium 7. dormientium.

Cap. 18. Ingreſſi verò in ſpeluncam, ſanctos illos ſedentes inuenerunt: quorum facies inſtàr luminis effulgebat. Ad eorum igitur pedes ſe abijcientes,eos venerati ſunt,& Deo gratias egérũt,qui tanti miraculi ſpectaculum ipſis cõceſſerat. Cæterùm ſancti martyres de omnibus,quæ ſub Decio facta fuerant, eos docuerunt. Statìm verò Epiſcopus & Proconſul miſerunt literas ad Imperatorem in hanc ſententiam: Celerrimè iubeat maieſtas tua huc áliquos venire, & videre miracula, quæ Deus oſtendit Imperij tui tempore: quandoquidem futuræ in extremis temporibus reſurrectionis ſignum noſtra ætate mundo ipſi præmonſtratum eſt,in ſanctorum virorum corporibus,quæ nunc reſurrexerunt. Ea regauiſus eſt Imperator,& Dei gloriam laudabat. Quinetiam ad eum locum ex vrbe Conſtantinopoli cum multis hominibus profectus eſt: eique tota ciuitas Epheſina obuiàm proceſſit. Illicò autem ab Epiſcopo,Proconſule & optimatibus deductus,in ſpeluncam ingreſſus eſt: cumq; adoleſcentes ſalutâſſet & amplexus eſſet,flere cœpit: & Dei gloriam celebrans,toto animo exultauit. Cui Maximilianus vir ſanctiſſimus: Ex hoc,inquit, tempore Imperium tuum propter fidei tuæ ſtabilitatem firmum erit,& Ieſus Chriſtus filius Dei viui cuſtodiet ipſum in nomine ſuo ab omni tentatione. Mihi credas,tuî cauſa fuiſſe nos à Deo ipſo exuſcitatos.

Theodoſius venit Epheſum ad 7. dormiẽtes.

Cap.19. Rursùs obdormiunt in Domino. Imperator,& Epiſcopus,& tota turba hunc ſermonem audientes, mirum in modum lætabantur. Sancti verò martyres cùm ſua capita in terram declinâſſent,& Deum precarentur, dormiêrunt, & ità diuino nutu ſuos ſpiritus Domino tradiderunt. Imperator igitur iuſſit ſeptem aureas arcas componi, quibus ſeptem illorum iuuenum corpora conderentur. Nocte verò illa iuuenes in ſomnis apparuerunt Imperatori,eique dixerunt,vt in ſpelunca,in qua fuerant ſupra terram, eos requieſcere ſineret. Quamobrèm Imperator vſque ad hodiernum diem illic eos eſſe voluit. Deindè magnus Epiſcoporum cœtus illic conuénit,& diem feſtum celebrauit,virosque beatiſſimos,vt ipſorum dignitas poſtulabat,debitis honoribus omnes proſecuti ſunt. Ad hæc Imperator illius regionis pauperibus multa dedit, & qui erant in carcere, eos dimitti iuſſit. Quo facto, Theodoſius lætus redijt in vrbem Conſtantinopolim multo comitatu. Omnes autem exultantes, Chriſtum Deum noſtrum collaudabant,ſanctos ſuos mirè glorioſos efficientem: Cui conuenit gloria, honor & adoratio nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Attendant hunc locum noui Saddu-cæi.

VITA

VITA ET MARTYRIVM SANCTI ET INSIGNIS MARTYRIS PANTELEEMONIS, EX SIMEONE

Metaphraſte. Latina Martyrologia Pantaleonem vocant. Simul etiam habetur hic martyrium Hermolai, Hermippi & Hermocratis martyrum. numerum capitum margini addidimus.

Iulij 27. Cap.1. VM idolorum caligo diffuſa eſſet per totum orbem terræ, quandò Maximianus tenebat ſceptra Romani Imperij, tunc cognitus fuit Nicomediæ admirabilis & magnus inter martyres Pantelẽemon. Ex ea enim ſui generis ducebat originem: & vocabatur quidem Pantoleon: erat autem filius Euſtorgij, opibus quidem inſignis, impietate autem clarioris. Erat enim deditus ſuperſtitioni gentilium,& ardenti zelo in eam erat incenſus. Erat verò illi mater fidelis,quæ,quòd ad religionem attinet, cum marito pugnabat ex diametro: & benè affecta erat Eubula (id enim erat ei nomen) in res Chriſtianorum. Cùm à tali ergò matre & magiſtra bonus educaretur filius, corporali ſimul & ſpiritali eius priuatur nutrimento, lege mortis & communis naturę, imperfectam & immaturam agens ætatem, cùm parùm, proh dolor, eſſet vſus materna illa curatione.

Patria & parentes S. Pantaleonis.

Immaturus obitus matris eius.

Cap.2. Poſtquàm autem vidit pater eum per ætatẽ eſſe aptum diſciplinis, tradit Grammatico: deindè præceptoribus & inſtitutoribus. Poſtquàm verò fuit in Græcis ſatìs doctus diſciplinis, docetur medicinam, in ea arte illo tempore viro excellentiſſimo, nomine Euphroſyno, traditus in diſciplinam. Ille autem celeritate ingenij, tanquàm auis quædam ſecans aẽrem, magna facilitate omnia peruaſit, parùm indigens eorum, qui eum adiuuarent, laboribus, propter vires ingenij. Sicque breuì æquales omnes à tergo reliquit. Erat autem & moribus modeſtus, & ſermone iucundus, & pulchritudine inſignis, Quæ quidem faciebant, vt cum magna voluptate eſſet in ore omnium, & haberetur ab omnibus in admiratione: adeò vt ipſe Maximianus, cùm illum aliquandò vidiſſet (ventitabat enim in Regiam, ſequens magiſtrum) non ſilentio prætericrit: ſed eum accerſens, de ipſo inquiſierit, cuiuſnam eſſet filius, & vndè, & alia rogauerit: quin etiam præceptori mandauerit, vt eum, quàm citiſſimè fieri poſſet, in omni exerceret medicina; eius enim moribus & flore virtutis delectabatur, & ſtatuit illum habere in regia.

Adhibetur literis, inde medicinæ.

Maximianus Imperator vult eũ habere in ſua regia.

Cap.3. Illo autem tempore quidam ſenex religione Chriſtianus, nomine Hermolaus, erat abſconſus in quadam domuncula cum alijs Chriſtianis. (Id enim faciebat metus Imperatoris.) Qui cùm videret Pantoleonem euntem ad præceptorem, & externa teſta animaduerteret celari margaritam, conſiderans quiſnam eſſet eius inceſſus, quis motus, quis adſpectus, quanta eſſet eius oculorum ſerenitas & tranquillitas: Hæc,inquam, cùm ille videret, &, ſicut generoſum quendam equum ij, qui tenent harum rerum ſcientiam, etiamſi ſit adhuc pullus, iudicant fore optimum: aut ex tenera adhuc planta arborem aptam ad fructum: cognouiſſet per ſpiritum fore, vt Pauli ſententia cerneretur vas electionis, magni ducebat & plurimi hoc faciebat, ſi talem illam venatus eſſet animam. Cùm eum itaque prætereũntem aliquandò accerſiſſet, rogauit, vt ingrederetur in illam, in qua latebat, domunculam. Ille autem ingreſſus eſt. Quem cùm propè feciſſet ſedere, rogauit de genere, & parentibus, & cuiuſnam eſſet religionis, & deincèps ſingula. Pantoleon verò ſtatìm omnia refert, vt rei habebat veritas: & quòd mater quidem iam eſſet mortua, quæ erat religione Chriſtiana: pater autem viuens ſit mortuus, Gentilium ſequens ſuperſtitionem. Deindè cùm adieciſſet ſenex: Tu autem, bone fili, cuiuſnam vis eſſe partis, & vtrius religionis? Pantoleon verò: Mater quidem, inquit, cùm eſſet adhuc ſuperſtes, ſuaſit, vt aſſentirer eius religioni. quod quidem mihi placebat: Pater autem, vt qui ſit fortior, cogit me religioni ſuæ dare operam: vult enim me referre in numerum Palatinorum. Quænam verò eſt ea, cui ſtudes, diſciplina? ait ſenex. Aeſculapij, inquit, & Hippocratis, & Galeni. Nam hoc quoquè viſum eſt patri meo. Quinetiam ipſe nobis affirmauit magiſter, quòd ſi eam accuratè didicero, potero curare omnem morbum humanum, & eam, vt fortiorem, obijcere cuiuis affectioni. Hermolaus autem ex illius verbis occaſione accepta & ſemine, tanquàm pulcherrimũ nactus receptaculum, cœpit

Venit ad Hermolaum ſenem Chriſtianũ.

2. Tim. 2.

pit diuinum fidei fluentum in id effundere: Crede mihi, dicens, ô optime adolescens, vera dicenti. Hæc Aesculapij, Hippocratis & Galeni parua sunt, & parùm possunt prodesse ijs, qui eis vtuntur. Quinetiam dij ipsi, quos colit Maximianus, sunt vana omninò fabula, & leuiorum mentium deceptio. Vnus autē solus verus Deus est Christus: in quem si credideris, eius sola inuocatione omnes morbos solues & fugabis: qui cæcis quidem lucem, mortuis autem vitam, leprosis dedit purgationem: qui eos, qui à Maximiano adorantur, dæmones solo verbo & iussu expulit ab hominibus: cuius etiam vestimenti fimbria, cùm eam solùm tetigisset mulier, statìm stitit canales sanguinis, qui duodecim annos integros fluxerat. Et quid opùs est, res illius dicere? perindè enim est, àc arenam, stellas, & aquæ guttas dimetiri, eius miracula enumerare & magnalia. Et nunc quoquè adest suis adiutor inexpugnabilis, consolans in molestijs, dilatans in afflictione: in rebus, inquam, aduersis, & ijs, quæ præter nostram voluntatem accidunt, preces minimè expectans, sed præueniens ipsum quoquè motum cordis. Qui etiam ijs, qui ipsum diligunt, maiora quàm ipse fecit, præbens facienda miracula, donat deindè vitam, quæ nullum habet finem.

Hermolaus ei Christum prædicat.

Matt. 9.

Cap. 4. Credit in Christum.

Hæc verba cùm Pantoleon, tanquàm bona terra corde accepisset & abscondisset, credebat, & vera esse iudicabat, & ab eis omninò pendebat, & suauiter in eis meditabatur, & dicebat Hermolao, se ea sæpè audiuisse à matre, & vidisse eam orantem, & Deum, quem ipse prædicat, inuocantem. Volebat autem hæc quoquè suo magistro significare. Quotidiè ergò ibat Pantoleon ad senem, & se pulchris his fluentis oblectabat, & ad veram fidē paulatìm confirmabatur: & ad magistrum quotidiè vēnitans, non priùs domum redibat, quàm suas aures oblectâsset verbis senis. Aliquādò itaque reuertens à præceptore, cùm parùm à via propter vsum aliquem declinâsset, videt infantem morruum, quem momorderat vipera, & ipsam belluam prope eum stantem, & velutì ostendentem, quisnam cædem fecisset. Eum ergò, cùm id vidisset, inuasit timor, & secetlit paululùm. Deindè cùm rursùs seipsum collegisset, est reuersus, & stetit iuxta puerum. Iudicabat enim hoc esse sufficiens signum eorum, quæ senex dixerat, si vera essent. Surget enim, inquit, puer eius verbo, & id patietur bellua, quod ipsi fecit. Hoc ei in mentem venit, & precibus petiuit, & simul visus est infans viuus, & bellua mortua, & quæ apud eam erat, ea, quæ intelligentia apprænditur, bellua multò magìs perdita & enecta.

Mortuum puerum excitat.

Cap. 5.

Cùm ad perfectionem ergò fidei in Christum sic peruenisset Pantoleon, statim adspexit in cœlum externis & internis oculis, & Deo, qui eum vocauerat à tenebris interitûs ad lucem veritatis, benedixit cum multa animi tranquillitate. Deindè cùm ferre non posset lætitiam, ad senem accedit Hermolaum, & exponit id, quod acciderat, & venerandū ab eo petit baptismum. Ille autem (sciebat enim quidnam cuinam largiatur) in hoc libenter inseruit, & eum, qui erat luce dignus, diuino perficit baptismate. Cùm verò septē dies mansisset apud senem, poculētis ipsius verbis cor eius irrigatur, & pinguefit anima, venterque diuinis impletur fluminibus. Sicque vixit sub bono spiritu, multis conseruatus vtilitas & illuminatio. Cùm fuisset autem dies octauus, venit ad patrem. Ille verò: Vbì eras, inquit, fili prioribus diebus, & me coniecisti in magnam animi ægritudinē? Nunquìd tibi accidit aliquid præter expectationem? Is verò: Ad quendam, inquit, ex ijs, qui versantur in aula regia, graui morbo laborantem, profecti eramus ego & magister, & quoniam is erat gratus Imperatori, & dignus cuius magna cura gereretur, non erat omninò facile nobis illinc recedere, sed perpetuos septem dies illic fuimus præsentes, donèc ille sanitatem puram est consecutus. Hæc dixit, non dicens mendacium, sed mysticè verba dispensans in iudicio œconomiæ, non autem mali alicuius consilij causa.

Baptizatur ab Hermolao.

Mysticè verba dispensat.

Cap. 6.

Itidèm cùm sequenti quoquè die venisset ad magistrum Euphrosynum, (quoniam ille quoquè eadē interrogauit) ad eum simili vsus est excusatione: Pater, dicens, emit agrū, & me eum iussit accipere, à quo non est mihi ocium discedēdi, donèc eius omnia attentè inspexero, & ijs, quibus oportet, curam illius tradidero. Est enim magni precij, & qui cum nulla alia potest conferri possessione. Hoc verò dicebat, tacitè innuens gratiam diuini baptismatis. Porrò autem magnum adhibebat studium & diligentiam, vt patrem ab errore abduceret, & efficeret, vt pietati assentiretur, eum, qui ipsum genuerat secundùm carnem, ipse per spiritum studens regenerare. Quocircà nunquàm cessauit ipsum sapienter aggredi, & proponere interrogationes, quæ non facilè solui possent, & sic eius in falsos deos superstitionem conari dissoluere. Quanam enim de causa,

Multā nauat operam patri cōuertendo.

causa, dicebat, ô pater, qui ab initio quidē stabant, nūc adhuc stant, sedendi nunquàm memores? Quicunque autem rursùs sedent, sic manent perpetuò, & nunquàm visi sunt surgere? Hæc & alia similia pater audiens, hæsitabat in eorum solutione, & iam in sua de dijs opinione labascebat, & erat ancipitis sententiæ. Quod quidem videns Pantoleon, Christi nomen magnis laudibus efferebat, & magnas ei agebat gratias, quòd patrem suum saltèm reddidisset dubitantem, & (quod diuinus ait Osee) cor diuidentem. Quocircà nec eum videbat, vt solebat, frequentia & opima offerentem sacrificia.

Osee 10.

Cùm itaq; primò voluisset conterere & destruere patris simulacra, quæ in eius cubiculo erant multa, se continuit. Is enim honorare patrem magni faciebat. Dicebat enim: Ego eum potiùs inducam persuasione, lenitateque & mansuetudine efficiam, vt Christo credat: & sic ambobus ea licebit deijcere. Et ideò is, qui patrem præcepit honorare, illius magnā amplectens pietatem, aptam præbuit occasionem: quæ fecit, vt eius pater planè & placidè crederet: & procurauit, vt ille magnā sibi pararet mercedem. Hæc cùm cogitaret Pantoleon, accedunt quidam, cæcum, qui manu deducitur, adducentes. Cùm fores autem pulsâssent, rogabant, an adesset Pantoleon medicus. Cùm verò adesse intellexissent, expectabant. Ille autem cùm audijsset, cum maximo studio egreditur, patrem quoquè simul assumens. Cùm autem vidisset cęcum, rogauit quonam opùs haberet. Ille verò: Luce, inquit, qua sum priuatus, & qua nihil est hominibus iucūdius. Misericordia ergò motus meæ calamitatis, da, nè sic viuam imperfectè, & velutì ex dimidio: sed videam solem, videam cælum. Nam nos quidem sic viuentes, nihil differimus ab ijs, qui sunt apud inferos. Et cùm facultates omnes medicis præbuerimus, modicum quoquè lumen, quod erat nobis reliquum, amisimus: hoc solum à præclaris illis medicis assecuti, quòd cum facultatibus luce quoquè simus priuati. Pantoleon autem: Cùm alijs, inquit, medicis tuas dederis facultates, & nullam acceperis vtilitatem, si rursùs adspexeris, quid mihi dabis? Ille verò: Quæ sunt, inquit, reliqua ex meis facultatibus, exoluam prompto & alacri animo. Deindè Pantoleon: Donum quidem, inquit, lucis per nos tibi dabit pater luminum: Tu autem, quæ mihi es pollicitus, vade, & da pauperibus.

Cap. 7.

Exod. 20.

Offertur ei cæcus curādus.

Hæc cùm audijsset pater, cum à cœpto abducebat: Noli, dicens, ô charissime, nè tu etiāirridearis. Quid enim plus poteris, quàm priores medici? Pantoleon autē: Nemo, inquit, ex alijs medicis scit hunc hominem tractare, vt ego sum tractaturus. Multum enim interest inter eos, & eum qui nos docuit. Cùm putâsset autem pater eum hæc dixisse de Euphrosyno: Illum quoquè, inquit, fili, audio in hoc curando suam adhibuisse diligentiam, & nihil profecisse. Pantoleon verò: Expecta, inquit, pater, & ipsa res indicabit. Hæc cùm dixisset, & cæci oculos tetigisset, & magnum Christi nomen vocâsset, & ab ipso precibus petijsset illius curationem, statìm illi quidē oculorum, patri autem soluit tenebras impietatis, & effecit, vt apertè confiteretur pietatem: vel potiùs cæco duplicem dedit medelam. Carnis enim & animæ cæcutiebat oculis, vt qui esset adorator idolorum, & per lucē iam corpoream apertos cordis habuisset oculos. Ambos ergò, cùm credidissent, diuino dignatur baptismate, & refert in numerū fidelium. Sed non eousquè sisti poterat Eustorgij studium pietatis, vt qui esset pater magni Pantoleonis: sed apertissimè ostendens se errorem habere odio, cùm contriuisset idola, quæ erant in cubiculo, ea iacit in fossam, vt quæ essent obliuione & profundo verè digna.

Cap. 8.

Cæco restituit visum, & pater eius credit.

Pater eius sua conterit idola.

Haud ità magnum intercedit spatium, & moritur pater Pantoleonis. Moritur autem morte corporis: nam à morte animæ iam erat omninò liberatus per fidem & diuinum baptismū. Quocircà Pantoleon cùm inuenisset tempus opem ferre voluntati, famulos quidē liberat à seruitute, & eis satìs dedit pecuniæ: alia autē habuerunt manus pauperum. Deindè eos etiam, qui erant in carceribus, & qui tormentis vexabantur & morbis, circumiens curabat, & ea præbens, quæ erant necessaria: vt non solùm morbi videretur medicus, sed etiam egestatis. Qua ex re quidnam accidit? Vniuersa ferè ciuitas, cùm alios iussisset valere medicos, accedūt ad Pantoleonem, & ab eo liberantur ab ijs, quos vnusquisque habebat, morbis: vt qui sibi quoq; opem ferentem haberet boni spiritus gratiam. Hoc eum apud medicos in magnā vocat inuidiā: & cùm aliquandò præteriret, qui priùs fuerat cæcus, cuius videndi facultatis restitutio erat opus pietatis Pantoleonis, ægrè ferebant, & inter se dicebant: Non est hic cæcus, qui nostrā arguit artem, vt quæ nihil ei profuerit? Quis est ergò is, qui eum curauit, & qui

Cap. 9.

Facultates suas elargitur pauperibus.

Multorum curat morbos.

potest

poteſt talem præbere medicinam? Cumque eum aduocâſſent, rogabant. Ille autem non celauit eum, qui fuerat medicatus.

Cap. 10. Poſtquàm verò intellexerunt eum fuiſſe Pantoleonem, Euphroſyni diſcipulum: Magni, aiũt, magiſtri magnus eſt reuerà diſcipulus. Sic ignorantes de Chriſto prophetabant. Atque quærebatur quidem à medicis occaſio propter inuidiam, vt de eo deferunt apud Imp. traherent apud Imperatorem. Cùm autem inueniſſent ex confeſſoribus quendam ab ipſo curari, accedentes ad Maximianũ, dixerunt: O Imperator, quem tu iuſſiſti omni ſtudio diſcere medicinam, vt eſſet tuæ potentiæ vtilis, is, vt videtur, & metum & beneuolentiam tuam parùm curans, obit eos medicans, qui ſunt in deos contumelioſi, & eadem, quæ illi non ſolùm ſentiens, ſed alios quoquè ad eadem colenda attrahens, cui nisi citò vitam ademeris, tibi non paruam afferes moleſtiã, vt qui multos quidem videas ab illo abduci à deorum ſacrificio, Chriſto autem adſcribi Aeſculapij curationes. Cùm hoc dixiſſent, ad fidem faciendam eorum, quæ dicta fuerant, rogabant, vt accederet is, qui aliquandò fuerat cæcus: eum autem curârat Pantoleon. Poſtquàm verò auditi ſunt, & is adſtitit: Quomodò, dixerunt, Pantoleon tuos curauit oculos? Ille autem: Chriſto, inquit, inuocato: idque cùm nec breue quidem tempus mecum eſſet moratus, vt aliqua cogitatio artis nobis poſſet in mentem venire: ſed inuocationem propemodùm præceſſit viſio oculorum. Tibi autem quid videtur? inquit Imperator: Chriſtum eſſe dicis, qui te curauit, an deos? Qui verò curatus fuerat: Imperator, inquit, huius rei iudicium eſt rebus ipſis permittendum. Hi quidem, quos vides, medici cùm pro me multùm laborâſſent, ſibi quidem profuerunt, vt qui meas attonderint facultates: mihi autem nihil, immò verò etiam obfuerunt, vt qui modicam lucem, quam habebam, corruperint. Quemnam ergò oportet exiſtimare adiutorem? Aeſculapium ne, qui à multis fuit vocatus, & nihil profuit: an Chriſtum, qui à ſolo Pantoleone inuocatus, charam mihi lucem ſtatìm donauit? Hoc, ô Imperator, quonam modo aliter dixerim? Nam hoc ipſum eſt, vel cæco, vt dicitur, euidens.

Adſcribit curationem Chriſto cæcus qui fuerat.

Cap. 11. Ad hæc Maximianus cùm non haberet, quod diceret, & quodammodò ſoloiuſſu ei poſſet perſuadere: Noli, inquit, te ſtultè gerere, & ne Chriſtum quidem omninò nominare: apertè enim dij tibi lucem donârunt. Is autem ad veritatem, non ad poteſtatem, omninò adſpiciens, & liberiùs loquens, quàm cęcus Euangelij: Tu, inquit, te ſtultè geris, qui eos, qui ſunt cæci, vocas datores lucis, quibus conſimiliter tu quoquè cæcus permanes, qui talia opinaris, & non potes intueri ad lucem veritatis. Propter hæc Tyrannus fuit ira incitatus. Quomodò enim omninò aures, quæ emarcuerunt & corruptæ ſunt aſſentationibus, aſperiorem, quæ ex veritate dicitur, ſuſtinuerint oratio-

Iohan. 9.

nem? Statimque vera eſſe iudicans, quæ ei priùs dicta fuerant à medicis, iubet amici Chriſti caput amputari, pœnam veritatis ei mortem inferens, & inuitus efficiens, vt pulchras Chriſto referret gratias, qui eum curauerat, nempe confeſſionem. Bonus autem Pantoleon ne ſic quidem neglexit ea facere, quæ tempori & rebus conueniebant. Sed cùm martyris corpus emiſſet ab ijs, qui interfuerant, id cum patre ſuo ſepelit, vt qui per ſuam in Chriſtum confeſſionem, eum ſibi proprium eſſe duxiſſet, & coguatione ſanguinis eum reputâſſet longè coniunctiorem.

Cæci à Pantoleone curati caput amputatur.

Cap. 12. Pſal. 108. Deindè Imperator ad ſe accerſijt Pantoleonem. Ille verò cùm abduceretur, labris canebat pſalmum tempori conuenientem: Deus, dicens, laudem meam nè tacueris: quoniam os peccatoris & doloſi in me apertum eſt. Locuti ſunt aduersùm me lingua doloſa, & verbis odij circundederunt me, & oppugnauerunt me gratis. Pro eo vt me diligerent, calumniabantur: ego autem orabam. Et reddiderunt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Sed ſer mihi opem, Domine Deus meus, & ſaluum me fac ſecundùm tuam miſericordiam. Induantur, qui me calumniantur, confuſione, & amiciantur, tanquàm diploide, ignominia ſua: Seruus autem tuus lætabitur in te. Cùm finita autem eſſet eius precatio, ſtetit coram Rege, aut, vt meliùs dicam, non coram illo, ſed coram immortali, & eo, qui eſt in æternum. Coram eo enim verè ſtabat, & mente conuerſabatur. Cui ille primùm placidè & benignè: Non bona ſunt, ô Pantoleon, ea quæ de te audiuimus, à te magnum quidem eſſe contemptui habitum Aeſculapium, & alios, qui ſunt apud te, deos: in illum autem Chriſtum, qui malè perijt, te tuam ſpem poſuiſſe, & eum ſolum Deum nominare. Quanquàm non ignoras omninò, quam ego te benignis adſpexerim oculis, quemadmodùm, cùm ego te in meam adſciuiſſem familiam, præceptori tuo Euphroſyno diligenter mãdauerim, vt te quamprimùm faceret in medicina præſtantiſſimũ, vt mihi ea in re poſſes eſſe vſui. Tu autẽ *. Sed

Siſtitur Pãtoleon coram Imp.

Sed omninò homines multa falſa dixerint & inania. Et ideò te accerſij, vt illa, quæ à me ſunt audita, arguãtur eſſe vana, & inuidorum alioquì hominum calumnia: & maximis dijs, vt par eſt, offeras ſacrificium.

Cap. 13. Præclarè reſpondet Tyranno.

Ad hæc Pantoleon: Facta, inquit, ô Imperator, ſunt verbis magìs credibilia & fortiora, & ante omnes quidem res alias præcedere oportet fidem & veritatem. In Deum autem pietas, quo eſt excelſior, eo maiori perfectione & abſolutione indiget. Atque is quidem, qui à me colitur & adoratur, cælum fecit, terram conſtituit, mortuos ſuſcitauit, cæcis viſum reddidit, leproſos curauit, paralyticos erexit: idque ſola voluntate & verbo. Qui autem à vobis dicuntur & coluntur dij, neſcio an aliquid tale fecerint, aut poſſint omninò facere. Et ſi velis, id nunc re ipſa experiamur. Accedat huc aliquis ex ijs, qui laborant immedicabiliter, & quorum curationem deſperat ars humana & manus. Accedant autem etiam, qui ſunt apud vos ſacerdotes. Deindè ab eis quidem ſunt primùm dij illorum inuocandi: à me autem is, quem colo. Et qui nominatus morbum fugauerit, is Deus ſolus reputetur & colatur: alios autem in malam rem amandemus, eos magna obruentes obliuione. Placuerunt hęc Imperatori. Erat enim hoc Dei & diuinæ eius prouidentię conſilium, vt ſic recta fides vel apud ipſos inimicos eſſet citra controuerſiam, & in aperto magìs vinceret veritas.

Cap. 14. Subſannat inanem laborem ſacerdotum idolorum ſanctus Pãtoleon. Pſal. 101.

Adducitur itaque in medium vir paralyticus, qui iam longo tempore decumbebat in lecto, & qui propemodùm non poterat magìs moueri, quàm qui eum tenebat lectus. Cùm itaque acceſſiſſent vanorum deorum ſacerdotes, & ij, qui verſati fuerant in medicina, alij quidem Aeſculapium, alij verò Iouem, alij autem Dianam, alij verò alios deos inuocabant, amentes ijs rebus ſupplicantes, quæ mente & ſenſu carent, & maximè in re tam magna, & quæ vſquequaquè ſuperabat naturam. Erat enim æquè difficile, & ipſum conualeſcere, & videri illorum deos ſenſu & ratione præditos. Quænam enim adeò muta & leuia poſſunt alijs vllam præbere curationem? Ergò nec præbuerunt: ſed cùm multa petijſſent ij, qui dicti ſunt, hoc ipſum, quod erant, nempe lapides, ijs, qui rogabant, apertè apparuerunt. Rogantes autem videns Pantoleon, inanem eorum laborem decorè ſubridendo, ſubſannauit. Poſtquàm verò ipſe quoquè iuſſus fuit inuocare, tollit quidem in cęlum oculos, cum ijs autem extollit vocem, Et, Domine, inquit, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Nè auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In qua die inuocauero te, celeriter exaudi me: & oſtende ijs, qui te ignorant, & eos, qui non ſunt, deos colunt, te omnia poſſe, ô Rex tua potentia. Nihil eſt autem, quod à te non poſſit fieri. Sic dixit: & cùm tetigiſſet manum eius, qui iacebat, dicit: In nomine Chriſti, qui erigit eos, qui ſunt confracti, eſto ſanus, & ſanè vtere membris tuis. Dixit, & verbum effectus eſt conſecutus: neque ampliùs lectus paralyticum, ſed eius pedes ſuſtinebant, audacter ingredientem, & propemodùm exilientem, & ſtatim cum magna voluptate domo egredientem.

Pſal. 101. & 144. & 145. Sanat paralyticum.

Cap. 15. Multi credunt in Dominum.

Neque verò ad eum vſque conſtitit curatio, ſed ipſe quidem corpore, multi autem alij animo paralytici, & morbo impietatis eneruati, cùm vidiſſent quod factum fuerat, ſurrexerunt & erecti ſunt: & poſtremò priori errore condemnato, verum Deum coluerunt. Sic enim Dominus & illuminat cæcos, & ſcit erigere confractos. Atque ſceleratos quidem ſacerdotes & medicos, qui ſua ſponte erant immedicabiles, non ſubijit lumen veritatis: ſed cùm à malis rebus liberari non poſſent, vt qui eſſent ijs diù aſſuefacti, accedentes ad Maximianum, ad iracundiam prouocârunt eum aduersùs ſanctum: Si ſiueris illum viuere, dicebant, & dij ſimul tibi peribũt & ſacrificia: & apertè fabula, noſtra videbitur religio & ſacra orgia: Chriſtiani autem nos profusè ridebunt, & res illorum magìs florebunt, & erunt noſtris multò validores. Hæc cùm dixiſſent, ille facilem eis aurem præbuit, & paruit. Sanctum itaque accerſit Imperator, & tanquàm eſcam benignitatis ei Imperator porrigens admonitionem: Crede mihi, inquit, Pantoleon, & dijs offer ſacrificium. An non vides, quòd quibuſcunque non eſt perſuaſum, vt facerent quod dictum fuerat, ij grauiſſima ſupplicia & mortem habuerunt incredulitatis remunerationem? Horum eſt teſtis, qui nuperè miſerè vita priuatus eſt, Anthimus ille ſenex. Ego autem curam gero tuæ iuuentutis, neque volo te tam malè perire. Scito enim, fore vt te multa & grauia excipiant ſupplicia, ſi eandem ſequaris inobedientiam.

Pſal. 144. & 145.

Anthimus martyr.

Cap. 16. Et blãdientem & ter-

Pantoleon verò, vitans quidem admonitiones, tanquàm apertam fraudem, minas autem contemnens, tanquàm ipſis ſomnijs imbecilliores: Nè exiſtimes, inquit, ô Im-

rentem Tyrannum cõtemnit.

perator, fore vt me persuadeas admonitionibus, nec vt me minis terreas. Quid enim me vel ex bonis mundi capiet, vel terrebit ex rebus terribilibus, qui non solùm mortem contemno, sed eam etiam optandam arbitror propter Christum? Pro eo autem tormenta tantum abest vt extimescam, vt etiam magnum damnum existimem, si non sint plura & grauissima, & in ijs clementiam quauis crudelitate duco esse grauiorem. Egregium certè Anthimum, non vt tu miserum, sed valdè etiam beatum esse iudico, & eius mortem cuiuis vitæ præfero: quòd tali fine talem ornauit senectutem, & canitici alborem sanguine cruentauit martyrij. Quòd si ille, qui erat tam proiectæ ætatis, adeò fortem & constantem se ostendit, me, qui sum adhuc iuuenili ætate, quæ non oportet grauia sustinere, vt ijsdem, quibus senex, coronis dignus habear? Non ergò persuadebis, non expugnabis, non nos ab hac abduces confessione: non per sacra mihi & diuina signa, quibus ego factus sum certior de veritate. Patriam enim pudore affecerim, & matris, quæ me peperit, pietatem, à qua in ijs, quæ ad pietatem pertinent, pulchrè priùs fui informatus, & cum qua in æternis tabernaculis propero requiescere. Hæc dixit Pantoleon, & paucis ostendit, qualem virum offendisset is, qui de sceptris & throno se iactabat. Quamobrèm cùm nesciret, quanam posset ratione persuadere, expertus est per tormenta: quod erat potestatis, non autem sapientiæ & prudentiæ.

Cap.17. Multis afficitur supplicijs. Christus ei appãret.

Et primùm quidem in ligno fuit appensus, & ferreis martyr laniabatur vnguis. Prætereà autem ignis quoquè lampades lateribus eius admouebantur. Ille verò non plagis & vlionibus, sed ei, qui potest opem ferre, attendebat, & oculos in cælum tollens, orabat: & ideò statim adfuit liberator, & Christus appárens in habitu Hermolai senis, eum verè ac germanè consolabatur & recreabat: Ego enim sum tecum, dicens, in omnibus, in quibus propter me patiens, te fortiter geris. Quòd autem adesset, non procùl abfuit probatio. Nam simul laxatę fuerunt manus lictorum, extinctę quoquè sunt lampades, & à castigãdo abstinuit Imperator, & planè dubitabat quid ageret. Iubet ergò eũ demitti de ligno, non quòd misereretur, sed potiùs quòd planè nesciret, quid ageret. Deindè propiùs accedens: Quænam est, inquit, ô Pantoleon, ars præstigiarum, quę tibi extinxit lampades, & satellitibus vires & vigorem abstulit? Ille autem, Meæ, inquit, præstigiæ est Christus, qui etiam adest mihi hæc operans. Si ergò, inquit, maiora tibi tormenta infligam, quidnam facies? Quid aliud, inquit martyr, quàm ipse quoquè maiores consequar remunerationes? Audiuit ímprobitas, & voluit experiri. Neque enim bonis nouerat credere, neque abstinebat à malis. Iussit ergò afferri lebetem ferreum, cui inerat plumbum, ipsumque igne infernè succendi, & in eum athletam inijci. Postquàm autem diligenter factum est, quod iussum fuerat, cùm duceretur martyr ad supplicium, rursùs orationem tanquàm ad extinguendum comparatam, & consolationem, quę satis possit eum refrigerare, sumit in ore, & eam in terribili illo cecinit lebete: Exaudi Deus vocem meam, dicens, dum oro ad te: à timore inimici libera animam meam: Protege me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Sic orauit, & rursùs in forma sancti senis Hermolai Christus ab eo visus est, & lebetem vnà cum eo est ingressus, & ignis protinùs est extinctus, & plumbum in naturalem mutatum est frigiditatem. Et rursùs oratio, & psalmus opportunè ab eo canebatur: Ego ad Deum clamaui, & Dominus exaudiuit me. Vesperè & manè & meridiè narrabo & annunciabo, & exaudiet deprecationem meam.

In plumbũ liquidũ immittitur.

Psal.63.

Psal.53.

Cap.18. Manet pertinax Imperator in suo errore.

Arque ex ijs quidem, qui aderant, alios omnes cepit admiratio: solus autem Imperator validè in suo hæsit errore: qui apud se cogitabat, quonam suplicio Christi puniret martyrem, & aut eum à pietate traduceret, aut malè vita priuaret. Cùm autem consulerent, qui aderant, vt in profundum maris iaceretur sanctus, (Nam etiam post decessum, Christianis eius inuidebant reliquias) audiens Imperator est persuasus, & iubet grauissimum lapidem eius collo alligari, & sic in mare immitti. Curæ autem fuit ministris, vt citò id, quod eis imperatum fuerat, exequerentur: Deo verò, vt manum præberet adiutricem ei, qui propter ipsum patiebatur. Quod quidem etiam factum videre licuit. Nam illi quidem cùm ad mare venissent, & eius collo lapidem alligâssent, in profundum transmittunt. Christus autem cùm in priore Hermolai forma rursùs apparuisset, effecit, vt lapis quidem, non secùs atquè folium arboris, mari supernataret: illum verò, non secùs atquè magnum priùs Petrum, manu deducens, fecit pedibus ambulare super fluctus. Ipse enim, qui redimebat & seruabat, ipse erat, cuius in mari viæ, & in multis aquis semitæ & vestigia, vt diuinus ait Dauid, non sunt cognita.

Missum in mare Christus eripit.

Matt.14. Psal.76.

ta. Ingrediebatur ergò Pantoleon illle admirabilis, & iam erat in litore, laudem contexens ei, qui seruauerat, dignam pia illius anima, & rebus admirabilibus. Quem cùm sic vidisset saluũ præter spem Imperator: Quid hoc est, inquit, Pantoleon? mare quoquè tuis superâsti præstigijs? Ille autem, Etiam mare, inquit, fecit, quod iussum est à Domino. Ei etenim cedit mare & terra, & quæcunque sunt, ei magis cedunt, quàm tibi Imperatori, qui nunc ad tempus seruiunt.

Cap.19. Diuersi generis feræ producuntur ad deuorãdum martyrem.

Ad hæc Tyrannus, volens potiùs malè persuadere, quàm benè persuaderi & salutariter, iubet omne genus feras produci aduersùs virum egregium. Quæ cùm adductæ essent, & illum propè statuissent, partìm quidem ei metum incutiens, partìm autem fingens se moueri misericordia, & in omnem se partem versans, vt persuaderet: Hæ, inquit, ô Pantoleon (ei feras ostendens) adductæ sunt propter te & tuum interitum. Si tuî ergò vlla mouéris misericordia, (ego enim tuæ curam gero formæ & ætatis) velis persuaderi, & videri esse prudens & cordatus, vt qui possis vitam morti præferre, lætitiam doloribus, ignominiæ gloriam & delicias. Cui sanctus: Si antequàm essem expertus Dei, quam meî suscipit defensionem, à tuis verbis non potui persuaderi: nunc ex quo sum tantum consecutus auxilium, persuadebor? Cur me ferarũ crudelitate perterrefacere quæris, ô Imperator? Qui enim satellitum tuorum ad torquendum paratas manus inutiles effecit & imbecillas, & ignem reddidit frigidum, & plumbum in aquam transmutauit, & ipsum mare constrinxit compedibus, poterit omnihò feras quoquè mansuefacere, & eas nobis efficere ouibus mansuetiores.

Cap.20. Prou.28.

Cùm ergò non párens Christi martyr, esset pugnaturus cum bestijs, vt qui leuius esse reputâsset, tradi bestijs, quàm adorare dæmones, confluxit quidem vniuersa ciuitas ad videndum id quod fiebat, tam pulchrum scilicet iuuenem, & corpore & animo præstantem, qui nihil mali fecisset, malè passurum, & feris tradendum bestijs. Abductus est autem iustus confidens vt leo, sicut canitur, & nihil molle ac remissum intuens, aut quod moueret ad misericordiam. Quomodò enim id erat facturus, cùm rursùs in conspectum veniret Hermolaus, & iuberet eum esse bono animo? Deindè cùm bestiæ iam cum athleta essent congressæ, sic iubente Tyranno, qui aderant quidem, putabant fore, vt sanctus statìm discerperetur, perindè ac si non esset qui seruaret & eriperet: sed de viro pio non sic statuerat is, qui dicit: Altissimum posuisti refugium tuum: Non accedent ad te mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Et, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Itaque nec spem fefellit eius, qui crediderat. Tantum enim abfuit, vt feræ sancto malefacerent, vt eæ propemodùm ne feræ quidem viderentur. Feræ, dixi, immò nec, vt semèl dicam, animantia ratione carentia, & vi intelligẽdi priuata: sed tanquàm prudentia, & ex numero eorum, quæ sunt ratione prædita, cum magna reuerentia accederent ad martyrem, suauiter blandientes, benignaque & medicante lingua pedes tangentes: & alioquì inter se contenderent, quænam prima ad eum accederet, & non priùs recederet, quàm martyr ei manum imposuisset, & ei benedixisset.

Pfal.90. Feræ mansuescũt martyri, eíque blandiuntur.

Cap.21. Tyrannus sæuit in bestias.

Licebat ergò videre rem maximè nouam, & longè iucundissimam, homines quidem mutatos in ferarum sæuitiam, rursùs autem videri feras, tanquàm ratione præditas, & credi humanam habere mansuetudinem. Ij certè, qui aderant, admirati id quod factum fuerat, clamabant: Magnus est Deus Christianorum, qui quidem est solus & verus: &, Dimittatur iustus. Quid igitur? Qui verè erat ferus & crudelissimus, Imperator iram infert in bestias, & omnes statìm tollit de medio, perindè ac eis inuidens prudentiam, & non potens ferre earum repræhensionem. Illæ autem cùm sic essent interfectæ, multos dies manserunt à nullo comesæ ex carniuoris, Deo in hoc quoquè athletam honorante, & ad pietatem alios hortante: adeò vt cùm hoc stultus resciuisset Imperator, eas iusserit infodi, sic multis fidẽ confirmans. Sic ergò dubitans Maximianus: Quid faciam, dicebat Pantoleoni? Iam enim, vt videtis, multos abduxit à deis. Illi autem: Fiat, aiunt, rota, & ea in altum locum feratur. Deindè cùm ei fuerit alligatus Pantoleon, per decliue mittatur. Accidet enim omninò, vt cùm deorsùm feratur, ipse per partes & membra cõteratur, & sic malus malè pereat. Et hæc quidem illi prompti ad malum inueniendum, & qui nihil æquè benè faciebant, àc lædebant. Deus autem, qui semper protegit eos, qui illum diligunt, ne nunc quidem deserit Pantoleonem: sed eum rursùs defendit, sicut charum filium.

Paratur ei rota ad cõterendum eundem.

Atque interìm quidem mansit in carcere, donèc constructa esset rota. Cùm verò ea esset iam constructa, rursùs concurrente magna multitudine, vtpotè quòd Imperator

Cap.22.

rator ipse adesset spectator, alligatur martyr rotæ, & ipse desuper per declive dimittitur. Et illi quidem psalmus mouebat labra, & preces, quæ potentem vocabãt ad auxilium. Ille autem protinùs aderat, eum confirmans: & ad ostendendam præsentiam, rumpebantur vincula, martyr relaxabatur, & erat ab omni malo integer. Rota autem non tam contra illum, quàm pro illo acta, occidit multos infideles: & sic fit pœna vltrix eo modo, qui dici nequit: & cognoscitur Deus iudicia faciens, & Deus vltionum liberè agit. Propter hoc timor inuasit ciuitatem, Imperatorem admiratio. Et cùm esset adhuc crassus vitio, nec posset lucem suscipere veritatis, rogauit sanctum: Quid hæc sibi volunt? & quousquè ex nostro populo alios quidem à dijs abduces, alios autem morti dedes, vt horum quidem detrimentum patiamur, illos autem etiam nobis habeamus aduersos? Deindè etiam rogauit, quemnam habuisset doctorem, & ex quo didicisset Christianissimum.

Divina virtus mirè liberat martyrem. Psal. 9. Psal. 93.

Cap. 23. Christi verò martyr confidenter confitetur Hermolaum, vt qui non posset eum celare, qui non erat angulo dignus & obliuione, sed luce. Cùm autem iussisset, vt ei produceretur in conspectum, minimè distulit martyr, vt qui didicisset experientia, qualis esset apud eum lingua & ingenium, quæ faciliùs capere possent, quàm capi. Abiens ergò ille iussus simul cum tribus militibus, quibus credita fuerat eius custodia, venit in domum, in qua latebat diuinus Hermolaus. Quem cùm ipse adspexisset: Cur huc venisti, fili, & quanam de causa? rogauit. Ille verò: Te vocat, inquit, Imperator, domine mi senex. Is verò dixit, se hoc scire, quoniam adest tempus patiendi & moriendi pro Christo, vt ipse ei significauerat illa nocte. Postquàm ergò illi constiterunt ante Imperatorem, ille rogauit, quisnam esset, & quod esset ei nomen. Is verò & nomen dixit, & non celauit se esse Christianum. Deindè cùm rogâsset Imperator, an etiam secum alios haberet Christianos, ille, cùm esset verax, dixit, Hermippum & Hermocratem, quos habebat. Cùm eos ergò iussisset etiam sisti cum Hermolao, vbi affuerunt: Vos estis, inquit, qui Pantoleonem à cultu deorum abduxistis? Illiautem: Eos, inquiunt, qui ipso digni sunt, Christus scit ad lucem vocare. Imperator autem: Missis, inquit, nugis, si vultis ab hac priore culpa absolui, & ijs, qui à nobis amantur, & primos honores à nobis consequuntur, annumerari, efficite vt ei persuadeatur dijs sacrificare. Illi verò: Quomodò, inquiunt, hoc fecerimus, qui primùm nobis persuaserimus Christum non deserere, nec surdis simulacris offerre sacrificium? Hæc dixerunt, & sensus & mentis oculos in cælos sustulerunt. Sic precantibus autem appáret Saluator: & totus statim locus agitatur & mouetur.

Hermolaus adducitur ad Imperatorem. Item Hermippus & Hermocrates.

Splẽdidum fingit mendacium Imperator, vt subuertat martyrem.

Cap. 24. Emotæ autem re vera mentis Imperator dicebat, deos indignatos mouisse terram. Cui martyres prudenter admodùm & fortiter: Si contigerit ipsos quoquè deos nos, inquiunt, vnà cadere? Nondùm finita erat oratio, & quidam ex ministris Imperatoris accessit ad illum, nuncius calamitatis: Dij, dicens, ô Imperator, ceciderunt, & contriti sunt. Sic illi terribiles & terram quatientes, iacebant in terram deiecti tristi casu, ijs, qui non erant æquè cæci & planè lapides, ridiculi. Atque alius quidem, qui vel patùm habuisset prudentiæ, & non ei sola forma obstaret, nè apertè crederetur esse pecus, Deum verum agnouisset, & qui posset hæc facere. Sed non ille: qui quantùm melior euasisset, & quantam vtilitatem ex pietate percepisset, statim ex rebus ipsis aperit. Statim enim tres illos sanctos, postquàm eos multis affecisset supplicijs, damnat capitis. Magnum autem Pantoleonem interim mittit in carcerem. Atque martyrum quidem sic interfectorum corpora curæ fuit Christianis tollere, & ea, vt par erat, sepelire.

Post multas pœnas decollantur.

Cap. 25. Pantoleonem autem cùm Imperator vocâsset è carcere: Putásne, inquit, te posse viuum meas manus effugere, si non accedens priùs dijs sacrificaueris? idque cùm doctor tuus Hermolaus, Hermippusque & Hermocrates id, quod bonum est, mutati iam didicerint, & dijs sacrificium obtulerint, qui etiam à nobis obedientiæ acceperunt remunerationem, vt sint primi in palatio? Si ergò tu sacrificaueris, eorum pulchram imitatus mutationem, tunc videbis, Pantoleon, quàm ego, qui sum grauis in puniendis ijs, qui non párent, sim liberalis & munificus in benefaciendo ijs, qui párent. Hoc autem dicebat malignè & malitiosè (quod attinet, inquam, ad sanctos) ad illi persuadendum. Quomodò enim, quos iam antè interfecerat? Sed vt inescaret eum, qui à Deo illuminabatur. Quamobrèm neclatére potuit: sed, Eos ipse quoquè videam, inquit, ô Imperator, ante tuam adstantes faciem. Maximianus autem nondùm cessans fraude agere, (posuit enim ipse quoquè spem mendacium, vt dicam cum magno

Esa. 28.

magno Esaia, & statuit se mendacio tegere) Non adsunt hîc, dixit, sed aliqua necessaria de causa missi sunt à nobis in aliam ciuitatem. Martyr autem: Vel inuitus, inquit, verum dixisti, cùm diligas mendacium: sunt enim nunc in cælis, degentes in ciuitate Dei.

Sancti degunt in cælis.

Cùm verò nullum non mouisset lapidem, lapidum adorator: videret autem eum nihil de sua remittere constantia, & neque cedere assentationibus, nec verborum suasionibus, nec donorum promissis, nec suppliciorum minis, neque aliquo alio ex ijs, quæ vel delinire, vel perterrere possunt, abduci à pietate, vbi eum adhuc flagellis vehementer cecidisset, non quòd speraret se aliquid posse efficere, sed vt expleret suam animi libidinem, vt gladio mortem subiret, eum condemnat: & deindè post mortem pulchrum corpus igni mandari: is, inquam, condemnat, qui æterno igne verè erat dignus. Ducebatur itaque athleta ad locum consummationis, commissus manibus lictorum. Quò quidem cùm venisset, & esset eius animus plenus gaudio, (sciebat enim exquibus afflictionibus quales eum essent excepturæ voluptates) psallebat hoc Dauidicum: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam: Dominus iustè concidet ceruices peccatorum. Deindè facit hîc quoquè Deus miraculum non minus prioribus miraculis. Oleæ enim plantæ eum alligant, collum autem eius quidam ense ferit. Statim autem ferri quidem conuersa est acies ceræ similis: mansit autem collum sicut erat ab initio, sectionis nullum penitùs habens signum.

Cap. 26. Psal. 128.

Flagellis diutè cæsus, capite punitur Pantaleon.

Ea de causa tremor inuasit occisores, & accedentes ei fiunt supplices, quem priùs existimabant ne dignum quidem esse apud eos viuere: cuius etiam pedes speciosos prehensantes, quid non dicebant, quid non faciebant, audaciæ petentes veniam, & in Christum fidem apertè confitentes? Ille autem non solùm, quòd ad se attinet, remittit, sed etiam eis à Christo perfectam petit remissionem. Quamobrèm vocem quoquè audijt de cælis confirmantem, consummanda ea, quæ petiuerat: eumque non amplius esse vocandum Pantoleonem, sed Panteleemonem. Res autem, dicebat ea vox, nomini conueniet. Plurimi enim per te consequentur misericordiam. Hanc vocem cùm ille audijsset, & de ijs, quibus dignus erat habitus, certior factus esset: conuersus, iussit lictores facere, quod eis imperatum fuerat. Illi autem renuebant, & iudicabant hoc esse minimè tolerandum. Cùm verò instaret martyr, vt facerent, quod à Tyranno eis imperatum fuerat, apertè dubitantes, & quid facerent ignorantes, seipsos vtrisque diuidunt, nempe pietati, & sancti viri iussui. Et cùm omnia priùs membra essent deosculati, quamque eum reuererentur & colerent, satis testati essent, beatũ eius caput deindè ense amputant vicesimoseptimo Iulij. Quod quidem, vt arbitror, non potuissent, si ille non annuisset, vt qui nollet à martyrij magna dignitate excidere.

Cap. 27. Diminutus ei nomen mutatur.

Suntque rursùs miracula miraculis consequentia, eo, qui glorificabatur, glorificante eum, qui propter ipsum hæc pati delegit. Lac enim fluxit protinùs pro sanguine, & planta oleæ, cui fuerat alligatus, conspecta est tota fructu onusta. Quod quidem cùm venisset ad Tyranni notitiam, iubet plantam excindi, & corpus martyris igni tradi, sicut etiam priùs iusserat. Atque milites quidem, qui crediderant, non amplius reuersi sunt ad Imperatorem, eum condemnantes magnæ crudelitatis, & quod Magi Herodi fecerunt, imitantes: Deum autem, & eius martyrem perpetuò glorificabant. Quinetiàm cùm quidam fideles conuenissent in eoipso loco extra ciuitatem, in quo martyr subijt consummationem, sacrum illud corpus in suburbano cuiusdam scholastici (erat autem ei nomen Adamantius) sacrosanctè deponunt: in gloriam patris, & filij, & spiritûs sancti, cui est vna diuinitas, & regnum: Cui conuenit honor & adoratio in secula seculorum. Amen.

Cap. 28. Nota insignia miracula.

Matt. 2.

VITA SANCTORVM VRSI ET LEVBATII ABBATVM, AVTHORE S. GREGORIO TVRO. *nenſ. lib. de Vita Patrum, cap.* 18.

Iulij 28.

EGIFFERI vatis oraculũ, cùm de Principio principium fandi ſumpſiſſet, & Dominum extendiſſe cælos dextera maieſtatis fuiſſet effatus, ait: Et fecit duo luminaria magna, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli, vt præeſſent diei ac nocti, vt lucerent in firmamento cæli. Sic & nunc menti humanæ, ſicut priorum ſanxit authoritas, luminaria magna dedit, Chriſtũ ſcilicet, & Eccleſiam eius, quæ luceant in tenebris ignorantiæ, & illuminent ſenſus humilitatis noſtræ: ſicut Iohannes Euangeliſta de ipſo Domino ait: Quia hic eſt lux mũdi, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Poſuit etiam in eo & ſtellas, Patriarchas videlicet, Prophetas, Apoſtoloſque, qui vel doctrinis nos erudiant, vel mirabilibus ſuis illuminent, ſicut in Euangelio ait: Quia vos eſtis lux mundi: &, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cælis. Hi enim Apoſtoli meritò pro tota accipiuntur Eccleſia, quæ non habens rugam aut maculam, impolluta ſubſiſtit, ſicut ait Apoſtolus: Quia ipſe ſibi exhibuit Eccleſiam mundam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſcemodi. Ex horum ergò doctrina & vſque ad noſtra fuerunt tempora, qui in hoc ſeculo, quaſi aſtrorum iubar, non ſolùm meritorum radiantes luce, verum etiam dogmatum magnitudine coruſcantes, orbem totum radio ſuæ prædicationis illuſtrauerunt, euntes per loca ſingula prædicando, ac monaſteria ad diuinum cultum locando, docendoque homines à curis ſecularibus abſtinere, & relictis tenebris concupiſcentiæ, Deum verum ſequi, per quem facta ſunt omnia: ſicut de Vrſo Leubatioque Abbatibus fidelium fratrum relatio ſignat.

Duo luminaria myſticè.

Iohan. 1.

Item Stellæ Matth 5.

Epheſ 5.

Igitur Vrſus Abbas, Cadurcinæ vrbis incola fuit, ab ineunte ætate religioſus, & in Dei amore deuotus. De quo egreſſus loco, Bituricum terminum eſt ingreſſus, fundatisque monaſterijs apud Tauſiriacum, Oniam atque Pontiniacum, ſtabilitisque Præpoſitis ſanctitate honorificis & prudendibus, ad Turonicum territorium in locum, quem Senapariam vocitari priſcus inſtituit author, acceſſit, ædificatoque oratorio, monaſteriũ ſtabiliuit, & commiſſa Leubatio Præpoſito ſumma regulæ, monaſterium aliud ſtatuit, quod nunc Locis vocant, ſitum ſcilicet ſuper fluuium Angerem in receſſu montis, cui nunc caſtrum ſupereminet, ipſo nomine vt monaſterium vocitatum. Illic adiuncta congregatione, ſtatuit apud animum ſuum, nè vltrà alium proficiſceretur in locũ: ſed in eo cum omni congregatione manibus proprijs operari, & victum à terra in ſudore vultûs exigere: illud fratribus inter reliqua prædicationũ dona commendans, quod Paulus Apoſtolus ait: Labora manibus, vt habeas, vndè poſſis tribuere neceſſitatem patientibus. Et illud: Quia qui non laborat, nec manducet. Dedit autem ei Dominus gratiam curationum, ità vt inſufflatis energumenis, protinùs dæmonia eijcerentur à corporibus obſeſſis. Sed & alias per eum Dominus dignatus eſt operari virtutes. Erat autem abſtinens à cibis & potu, indicens monachis ſine ceſſatione auertere oculum & cogitationem ab omni luxuria.

Vrſus cõdit monaſteria

Præficit S. Leubatium voi monaſterio.

Epheſ 4. a. 1 heſ 3.

Claret miraculis.

Abſtinentia S. Vrſi.

Dum autem hæc ageret, ac fratres molam manu vertentes, triticum ad victûs neceſſaria comminuerent, pro minuendo labore fratrum, viſum eſt ei, molendinum in ipſo Angeris fluuij alueo ſtabilire. Itaque defixis per flumen palis, aggregatisque lapidum magnorum aceruis, excluſam fecit, atque aquam in canale collegit, cuius impetu rota fabricæ in magna volubilitate verti cœpit. Hoc opere laborem monachorum releuans, atque vni fratrum delegans curam, opus neceſſarium implebatur. Hanc autem fabricam Sichlarius quidam Gotthus, qui magno ab Alarico Rege amore diligebatur, æmulus monaſterio concupiuit, dixitq; Abbati: Dona mihi hoc molendinum, vt ſit ſub ditione mea, & quod voluëris repenſabo. Cui ille: Cum grandi, inquit, labore hoc paupertas noſtra ſtatuit, & nunc non poſſumus ipſum donare, nè fratres mei fame pereant. At ille: Si vis, inquit, ipſum bona voluntate tribuere, gratias ago: ſin autem, vi ipſum auferam, aut certè faciam aliud, cuius excluſis aqua retrorsùm conuerſa, rotam tuam verti ampliùs non permittam. Abbas reſpondit: Non facies, quod Deus

Sichlarij deteſtanda cupiditas.

us nõ voluërit: nam à nobis ipſum penitùs non accipies. Tunc Sichlarius feruens felle, ſimilem fabricam infrà adaptauit. Cumque aqua retrorsùm conuerſa, ſub huius operis rotam inundans, gurgitem feciſſet, reſtitit prorsùs, nec omninò verti potuit, vt conſueuerat. Venit igitur cuſtos eius ad Abbatem media (vt ferunt) nocte, illo in oratorio cum fratribus vigilante, & ait: Surge Abba, deprecare attẽtiùs Dominum: reſtitit enim rota molendini ab inundatione canalis alieni, quod Sichlarius fecit. At ille hæc audiens, miſit confeſtim fratres ſingulos ad monaſteria illa, quæ ſtatuerat, dicens: Proſternite vos in oratione, & non ſit vobis opus aliud, donèc iterùm ad vos dirigam. Sed & ipſe non egreſſus ab oratorio, deprecans Dominum attentè, ac præſtolans aduentûs eius miſericordiam, ſic fecit per integros duos dies, totidemq; noctes. Tertia iam illuceſcẽte die, acceſſit iterùm monachus ille, qui cuſtos fuerat, nuncians rotam fabricæ ſuæ iuxta conſuetudinem priorem in ſumma verti velocitate. Egreſſusque Abbas cum fratribus de oratorio, accedit ad litus, conſpiciensque versùs molendinum, quod Sichlarius fecerat, non reperit: accedensque propiùs ad litus, & fundum aluei intuens, nullum indicium de eo accepit, non quicquam ligni, nõ lapidis, non ferri, nec vllius * vnquàm genus indicij potuit oſtendi, niſi quòd conijci potuit ipſo, quo fabricatum fuerat, loco virtute diuina abſorptum, atque ab oculis hominum ablatum. Tunc miſit nuncios ad fratres, dicens: Requieſcite iam à labore, quia vltus eſt Deus iniuriam fratrum noſtrorum.

Nota virtus precũ eius & fratrum.

* vſquàm

His & talibus virtutibus præditus, conſummato curſu vitæ, migrauit ad Dominũ. Ad cuius tumulum poſteà & energumeni ſanati, & cæci illuminati ſunt. Poſt eius verò obitum Præpoſiti, qui per monaſteria erant, Abbatum officium, Epiſcopis largientibus, ſuſceperunt. Sed & Leubatius apud Senapariam monaſterium, quod intrà terminum Turonicum erat, Abbas inſtituitur, in ſumma ſanctitate ac ſenectute perdurans: ibique obijt ac ſepultus eſt.

Obitus eius

Itemque S. Leubatij.

CERTAMEN SANCTI MARTYRIS CALLINICI, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE. *Capitula margini appoſuimus.*

VM ſimulacrorum inualeſceret inſania, & omnia exederet & corrumperet, malis quidem dæmonibus diuinus honor attribuebatur: Deo autem creatori & opifici vniuerſorum neque animum volebant adhibere, qui erant dediti impietati, neque ei, quem par eſt, honorẽ tribuere. Nam cùm mutilatis eſſent animis ij, quibus obtigerat vt fierent ad Dei imaginem, veritatis quidem lucem auerſabantur, conniuentes oculis ad eius, qui illos fecerat, agnitionem: currebant autem ad tenebras erroris, neque volentes illuſtrari ſplendore ſuæ gratiæ, neque omninò contrà intueri, & adſpicere vbiquè diffuſum radium cognitionis. Nam cùm multam & tenebricoſam effudiſſet malignus in homines ignorationem, & eos omninò in ſuam redegiſſet poteſtatem, à vero quidem & ſolo Deo diſiunxit & abduxit: ſurda autem & muta ſimulacra turpiſſimè perſuaſit colere & adorare: vt ſic eos omninò expugnaret & ſubiugaret. Sed qui nos cuſtodit & ſeruat Dominus, nõ conceſſit ei, vt omninò ſuum in nos impleret odium: neque ſe adeò impudẽter gereret, vt nos omnes conculcaret. Multi enim eum vicerunt, & omnes eius vires perdiderũt. Domini enim amore inflãmatis eorũ animis, & totis eius, qui eſt potẽs, charitate cõfirmatis, ad bellũ gerendũ aduersùs inimicum ſtrenuè & audacter proceſſerũt, omnibus quidem membris lacerati, & carnis compagibus reſoluti, recreationẽ autẽ ac delicias ea, quæ magnos dolores afferũt, tormenta exiſtimantes: quos adhuc certaminũ ſanguine diſtillantes accepit Chriſtus Agonotheta. Purę nanque ei oblati ſunt hoſtię, & victimæ voluntariæ. Propter quæ communis ſuperatus inimicus, cecidit admirabili quodam caſu illis ſpectantibus. Cum eo congreſſus magnus quoquè athleta, & corona redimitus Callinicus, cuius luctam & certamina in præſenti proſequitur oratio, vſqueadeò deriſit ea, quæ ſunt eius terribilia, vt tanquàm infantẽ prima ſtatim lucta proſtrauerit, & humì affixerit. Sed eius quidem egregij viri omnia ſingulatim dicere & referre nec vlla poſſet oratio, nec quæ ab eo geſta ſunt, auditione fuerunt accepta

Iulij. 29. Cap 1. Moralium miſerorum cæcitas & impietas.

Diaboli ſuperbia & malitia.

Martyrum præclara virtus.

S Martyrũ hoſtiæ ac victimæ, cauſa inimici dæmonis.

ab omnibus, vt possint omnia proferri ab omnibus. Quædã autem pauca, & quæ eorum, qui audiêrunt, minimè fugiunt memoriam, (etenim interfuerunt quidem, cùm decertaret martyr, & viderunt nonnulla eorum, quæ fiebant) præsenti oratione tradẽtur memoriæ. Sic enim & nostro satisfaciemus desiderio, & athletæ afferemus breuem laudem martyrij.

Cap. 2. Callinicus à puero Christianus.

Hic ergò diuinus & magnus Callinicus in bona, & omniũ rerum fertili Ciliciæ regione natus, fuit præclarè educatus, Deum quidem omnium Saluatorem & effectorem ab infantia confitens & honorans: simulacra autem, nullo sensu prædita & planè surda, abhorrens & habens odio. Qui cùm etiam vellet pietatem vbiquè dissem-

Multis Christum annũciat.

inare, vsus est multis & longis peregrinationibus, vitam quidem dignam religione exercens, vitæ autem institutũ exornans religione. Fidem enim in Christum non solùm in sinu ferre, sed etiam publicè prædicare, pium esse existimans, cognitus fuit à multis magister veritatis: quos perindè ac quidam magnes trahebat ad seipsum, & auertebat ab errore. Ab eius enim, tanquàm alicuius Sirenis, dulcissimo verborum capti sono ij, qui audiebãt, statim deducebantur ad fidei agnitionẽ, pulchra ei effecti præda.

Cap. 3.

Cùm verò multos vicos & ciuitates obiens, peruenisset Ancyram Galatiæ ciuitatem magnam, & populo frequentissimam, (erat autem verbum diuinum in ea explicans & diuidens) & multi ex ijs, qui tunc illic erant, fuissent eius doctrinæ participes, accensa est ab aliquibus in eum inuidia & odium inconsideratum. Qui enim diuinas insolenter despiciebant admonitiones, & auersati quidem erant veritatem, tanquàm

Matth. 13.

terra autem petricosa semen verbi non admittebant, fidei præconem accusant apud eum, qui tunc erat Præses ciuitatis, virum quidem plenum impietate, plenum item

Sistitur coram Præside, nomine Sacerdote.

ira & crudelitate. Ei autem erat nomen Sacerdos. Ad quem cùm productus esset athleta, & venisset in eius conspectùm: Quid, inquit audax & arrogans Præses sancto, aduersùs tantam potentiam audes solus ex alijs te insolenter gerere, idquè cùm lis aduena, & nõ nostrâs, omnibus se submittentibus, & dijs sacrificia offerentibus, & eos studentibus habere benevolos ac propitios, per quos nobis donantur, quæcunque sunt optima & pulcherrima? Sed tu quidem non solùm non accedis dijs sacrificaturus, & eos placaturus: sed eos etiam ab instituto dimouens, qui volunt accedere, verbis ad inducendum accommodatis decipis, neque corporis fretus magnitudine, neque authoritate vlla aut dignitate. Cui martyr Christi sic mansuetè respondit & placidè.

Cap. 4. Egregium eius responsum.

Ego quidem me fateor esse hominem specie humilem & pusillum: circunfero autem in hoc meo vase fictili preciosum meum thesaurum, & margaritam Christum Dominum meum & Saluatorem Iesum, cuius sum seruus: cui proiectus sum ab vtero, qui est mihi diuitiæ, gloriatio & virtus, per quæ sunt mihi delectabilia & longè iucundissima, quæcunque sunt in vita aspera & molesta. Non est ergò mirum, ó Præses, si cùm talis sit mihi Dominus, contendo & decerto, vt & ipse me à vitij rubigine expoliam, me integrum & syncerum, quoàd eius fieri potest, conseruans, & quemadmodùm ab errore idolorum eos, qui sunt decepti, auellam, & adducam ad veritatem.

Iacob. 5.

Qui enim abducit peccatorẽ ab errore viæ suæ, (vt dicunt diuinitùs inspirata eloquia) seruabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Atque vtinàm tu quoquè à me persuadereris præsentem quidem relinquere deceptionem, ad veritatis autem lucem accedere. Tũc enim re vera cognouisses, quid sit vniuersorum quidem Deus & Dominus: quid autem, quæ sunt apud vos simulacra, quæ reuerà sunt animæ exitium & interitus.

Cap. 5.

Hæc cùm mala audijsset anima, & quæ ea, quæ sunt honesta, habet odio, quæ contineri non poterat, ira fuit repleta, & sanctum toruè intuens: Mihi, inquit, videris mortem vitæ præferre iucundissimæ, & ideò aduersùs deos verbis vsus es insolẽtibus,

* for. vano

& amentiam tuam significantibus, hæc puerilia & inania contexens, & * vno spiritu proferens: sed scias futurum, vt nihil horum tibi prosit, neque te aliquis ex meis manibus eripiat, nec is quidem, quem tu profiteris Deum & Saluatorem. Omnia enim tua membra contrectabo, & quodcunque est acerbum, tibi inferam supplicium: vt

Magna eius constantia.

ipsa scias experientia, quantum sit malum non parére ijs, qui dominatum obtinent, & quàm multis sint pœnis obnoxij ij, qui deos subsannant, & eorum cultum repudiant. Quem martyr audaciùs fixis intuens oculis: Noli, inquit, differre, nec protrahere: sed citò para omnia tormentorum instrumenta. Veniant flagella, ensis, ignis, rotæ, & quæcunque alia excogitata fuerunt ad supplicia. Est enim mihi vnũ solũ terribile & formidandum, nè quid timeatur plusquàm Deus, & ab ea, quæ illic est, seperet beatitudine. Alia autem omnia, quæ meo corpori intuleris, voluptatem mihi potiùs reputabo, quàm cruciatum, propter meum in Deum amorem.

Tunc Præses cùm desperâsset fore, vt mutaretur, iubet ei totum corpus cædi ner-

Cap. 6. Nervis cæditur.

uis crudelissimis. Qui cùm cæderetur, clamabat præco: Agnosce deos, Callinice, & eos inuoca, vt te ab hoc tormento eximant. Ille autem tam leniter plagas accipiebat, vt ne videretur quidem omninò pati: tantum abest, vt concideret, aut flecteretur, ad Deum solum totam mentem dirigens, & ei constanter agens gratias, pro quo hæc pati delegerat. Et quo magis videbat corpus sanguine diffluere, eo magis sub-

Subsannat & irridet suos flagellatores.

sannabat eos, qui verberabant, quòd non plures & vehemẽtiores ei plagas inferrẽt. Sunt eæ enim, inquit, longè minores & imbecilliores, quàm ego expectaui, & quàm sim tolerare paratus. Propter quæ maiori furore percitus Sacerdos, iubet eum pendére à ligno, & ferreis laniari vngulis. Quem cùm etiam circunstetissent lictores agre-

Ferreis laceratur vngulis.

stes & crudeles, scrutati sunt totam compagem corporis, nulli corporis parti parcentes. Dixisses eum habere naturam lapidis, aut aliquam aliam eorum, quæ sunt dura & repugnantia, cùm vidisses eum nulla affici molestia, nec vllo frangi dolore. Sic eum mutauit eius amor in Christum, vt eius, quam habebat, obliuisceretur naturæ. Tantum enim abfuit, vt summo tormento succumberet, vt voce libera irrideret & ludificaretur Tyrannum. Qua de causa videbatur hic quidem inexpugnabilis, ille autẽ pudore affectus, & sola quadam inani se exultatione iactitans.

Cùm autem omninò desperâsset stolidus, ad hoc vltimum conuersus est supplicii, Cap. 7.

quod solus, vel cum admodùm paucis excogitauit & inuénit: quod quidem erat lignum eius furiosæ & amentis animæ. Nam cùm crepidas clauis acutis confixisset, iu-

Clauis confixi calceis ei adhibentur.

bet alligari pedibus martyris, & imperat ijs, qui eum abducebant, lictoribus, vt tractus iniret viam Gangram vsque. Vt autem maiores & acriores ei afferrentur dolores ex perforatione clauorum, cùm alios lictores collocâsset in equis perniciss imis, cogebat ante eos currere athletam clauis cõfixum. Omninò vel ad solum spectaculum fractus esset omnis animus, ne apertis quidem oculis hæc ferens adspicere. Sed non ille immanis, & corde planè lapideo aut natura, est vllo modo commotus, aut dolorem reputauit insuperabilem: sed tanquàm ijs, quæ gerebantur, insultans, præsidebat superbus, impiam suam animam implens talibus spectaculis. Qui etiã iussit lictoribus, vt simulatquè dictam ascendissent ciuitatem, vehementissimam fornacem accenderent, & sanctum in eam injicerent: vt etiam, qui illic sunt, aiebat, viderent eius inobedientiam, atque contumaciam: quoniam in ea quoquè ciuitate multos, vt accepimus, abduxit à cultu deorum.

Ille ergò magnus Christi athleta per hanc viam ductus laboriosam, habebat super-

Cap. 8. Vide vim diuinæ gratiæ.

nam gratiam cum confirmantem & sustentantem: à quo etiam perficiebatur cursus celeriùs, quàm ab illis equis, quãtunuis pernicibus. Nam perindè leuis, ac si fuisset ad cursum expeditus, cum illis ferro alligatis percurrebat crepidis, psallens illa Dauidis: Psal. 39. Expectans expectaui Dominum, & attendit mihi. Et eduxit me à lacu miseriæ, & à luto fœcis. Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Et illud: Dominus illuminatio mea & Saluator meus quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, Psal. 26.

à quo trepidabo? Postquàm autem currens peregit sexaginta stadia, & peruénit ad quendam locum, qui dicebatur Matrica, facit in eo quoddam insigne miraculũ. Nam cùm lictoribus, qui eum abducebant, linguæ siti horrerent & æstu immodico, (erat enim mensis Iulius) & propter viæ molestiam propemodùm deficerent, & nec aqua alicundè appareret, qua sitim sedarent, & se exanimatos recrearent, & nec alia inue-

Laborãt siti grauissima lictores.

niretur ratio, qua malo afferrent remediũ, omni spe abiecta, ad solum sanctum conuersi sunt, ad eius pedes prouoluti, & hæc ei dicentes cum lachrymis: Nè recorderis nostrorum malorum, ô sancte, nec veniant in mentem nostræ in te contumeliæ. Sed eorum omnium oblítus, fer nobis opem periclitantibus, & da aquã sitientibus animabus, & quæ sunt vi æstûs liquefactæ: consumptus enim est nobis humor naturalis. Defecit, vt vides, virtus: æstus imminet capiti. Nos omnia simul opprimunt mala, quæ tuum est solius mutare & curare.

Hæc dicentibus lictoribus tenui & imbecilla voce, eorum mouetur misericordia

Cap. 9.

vir maximè misericors: & cùm se conuertisset ad preces, inuocauit Deum, qui iniuriarum & malorũ obliuiscitur, nè eos despiciat tanta oppressos necessitate: sed misereatur, & aquam eis bibendam præbeat, sicut olim populo, qui erat in solitudine, & eos consoletur, qui sunt adusti siti. Simul autem cum sancti inuocatione & precibus (ô mira-

E petra suis hostibus à Deo aquam impetrat.

(ô miraculum) aqua ex quadam petra effluens, & tanquàm ex fonte copiosè scaturiens, & lictorum torrida ora refrigerauit, repleta illo nouo & copioso fluento, quod posteris est conseruatum plenum & perenne. Non enim defecit fluens ab eo tempore, & nunquàm est cõsumptum. Talis fuit martyris ad Deum fidutia & virtus. Ità eos, qui glorificant ipsum, Deus glorificat. Qui enim Solem suum oriri facit super iustos & iniustos, & nutrit omnes tam malos, quàm bonos, quid mirum, si his etiam viris, licèt sint moribus sæui, & cædes spirantes, abundè suppeditârit suam misericordiam? Qui cùm etiam, vt diximus, abundè bibissent ex illa aqua, quæ affluxerat, & suos recreâssent ac erexissent animos, perrexerunt iter facere, sequente eos quoquè martyre. Quod cùm totis septuaginta stadijs confecissent, Gangram peruenerunt, sicut eis imperatum fuerat.

Matth. 5.

Cap. 10.

Cæterùm lictores non lubentes quidẽ, (habebant enim ante oculos Martyris beneficium) sed victi metu eorum, qui obtinebant dominatum, (habebãt enim animos molles & flexibiles, & hiantes ad ea sola, quæ videbantur) festinârunt facere id, quod iussi fuerant, eos maximè incitante martyre, vt abiret celeriùs ad eum, quẽ cupiebat. Quocircà cùm fornacem succendissent, & sanctum propè statuissent, iam lætantem & exultantem in eam iniecerunt. Qui cùm etiam vltimis verbis Deum laudâsset, & in certaminis consummatione egisset gratias, in manus Domini tradidit spiritum, & ad eam, quæ illic est, transijt beatitudinem, vigesimonono mensis Iulij.

In fornace reddit spiritum.

Sed tu quidem, ô beate, martyrum decus & ornamẽtum, sic è vita egressus, & præmiorum stigmatibus decoratus, nunc purus sedes cum Christo sponso purissimo, in hoc te oblectans & exhilarans, & corona gloriæ ab eo coronatus. Memento autem nostrî quoquè deincèps, qui te colimus, & hoc sacrum tuum festum celebramus: & da nobis, vt æquabiliter & sine vlla offensione transigamus vitæ asperitatem: vt cùm non obruti enatauerimus ex hoc mari tentationum, in portum quietis appellamus, ipsum habentes gubernatorem tuis intercessionibus Dominum nostrum & Saluatorem Christum: Quem decet omnis honor & adoratio in secula seculorum, Amen.

Festus dies eius.

VITA SANCTI ET IVSTI EVDOCIMI, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE. SED NVMERUM CAPITUM MARGINI ADIECIMUS.

29. Iulij. Cap. 1.

EVDOCIMI, qui conuenienter suo nomini ex Deo laudem est assecutus, vitam bonum est exponere. Hinc enim simul voluptas & vtilitas non redit solùm ad expositores, sed multò magis ad auditores: non solùm quòd se ostenderit vehementem amatorem virtutis, & quod est honestum, statim elegerit ab ineunte ætate: cum multis enim alijs fuit hic vitæ zelus ei communis: sed quòd in illo præcipuum & penè singulare, vel omni, vel magna ex parte excelluit, eius in mundo fuit supra mũdum vita: & quòd cùm viueret in medio tumultuum, & harum rerum instabilium, quæ omnibus tempestatibus sordibusque plenæ sunt, puram & tranquillam, & minimè inquinatam suam conseruauerit animam: & ostenderit esse timidi & pusilli animi, mundi fugam persequi, & adiutrice vti solitudine, perindè àc si quis in maris tranquillitate nauigans, & absque vllis fluctibus ventisque vehementibus, velit vocari peritus nauigationis, & intelligens eorum, quæ ad mare pertinent. Quoniam ergò illius vita est exemplar sufficiens, cùm omnibus, vt semèl dicam, qui virtutis studium sibi vendicant, tùm ijs, qui in mundo viuunt, & mundo (vt cum diuino Paulo dicam) vti solùm, non abuti eligunt: dicantur res illius, & virorum bonorum animis apponatur mensa diuina, & obsonia, quæ nunquàm consumuntur.

Solitudo portus tutissimus.

1. Cor. 7.

Cap. 2. Eudocimi parentes illustres.

Sanctus ergò Eudocimus genus quidem duxit ex Cappadocibus, piorum parentum pia soboles. Quorum alter quidem Basilius, Eudocia autem nomine, quæ genuerat, erant genere insignes, opibus abundantes, illustresque authoritate. Patriciorum enim dignitate clarus erat Basilius. Cùm tam præclaros autem generis fontes haberet filius, non tam visus est nobilis ex parentibus, neque tantam ex eis accepit gloriã, quantam ipse præclaris suis factis ex se nobilitatem suis attulit parentibus. Nam filios quidem

Nobilitant bene facta virum.

quidem, qui ex claris orti sunt parentibus, permultos inuenies: parentes autem talium filiorum, qui in medio mundo vitam nulli reprehensioni affinem transegérunt, admodùm paucos. Ille ergò doctrinæ & disciplinis iussus attendere, magnum in his posuit studium, non verberibus, non terroribus, non aliquo alio indigens ex ijs, quæ possunt puerilem ad res honestas excitare socordiam: sed ipse erat sibi stimulus ex propensione & animi alacritate ad ea, quæ bona sunt. Multò autẽ magìs inuigilabat lectioni diuinorum eloquiorum, & assiduè in eis versabatur, adeò vt ipse quoquè caneret cum diuino Dauide: Exultabo ego super eloquia tua, vt qui inuenit spolia multa. Et: Quàm dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea est. Propteerà ei reputatum est supra millia auri & argenti, iuxta diuinum prophetam, dico Dauidem. Et Dei eloquia dulcia gutturi eius fuerunt, & supra mel ori eius.

Dat operã literis.

Psal. 118.

Ibidẽm.

Vacabat autem diuinis templis, & assiduè ad ea veniebat. Et cùm eius æquales & familiares dediti essent venationibus, & equorum cursibus, & alijs adolescẽtum studijs, ille ea ægrè ferebat, & ab eis minimè mouebatur, & nulli cedebat ex ijs, quæ iuuenilibus blandiuntur cupiditatibus. Iucundè verò & lubenter versabatur Eudocimus, aut in domo orationis, aut in lectione diuinorum eloquiorum, per quæ studebat seipsum reddere templum Deo dignum, vt qui nihil ostenderet iniucundum, nihil turpe ex deformitate animi perturbationum, & in eas collato studio. Non res aduersæ, non secundæ, non aliquid ex ijs, quæ animum possunt aut efferre, aut deprimere, fuit satis validũ ad eum à suo instituto dimouendum: sed dexteris & sinistris armis (vt dicit Paulus) dexterè vtebatur, & ea materiam faciebat philosophiæ. Quinetiam cùm viam sæpè ingrederetur, tam quæ ferebat ad regiam, quàm quæ in vllum alium locum, mentem simul & linguam habebat intentam operi: hanc quidem canentem psalmos Dauidis, illam autem attendentem, & quæ dicebantur intelligentem, & iubenti ipsi Dauidi parentem. Non enim id ei, quod multis, vsu veniebat, qui psallunt quidem, sed non intelligunt: quique cùm ijs, quæ dicunt, ipsi priùs pugnãt, & re ipsa apertè contradicunt, cùm procùl ab ijs, quæ dicuntur, aberret eorum animus. Temperantiam autẽ, quæ verè publica est, & pulchritudine alias excellit virtutes, sic amauit, & ab ea ità apertè est superatus, vt eam in vita sociam, & quæ secum habitaret, delegerit, & audacter cùm Iob diceret non hoc solùm: Oculum meum non est cor confecutum: sed etiam, quod illo est maius, pactum fecisse cum oculis, nullo modo intellexisse super virginem: & vsqueadeò vitauerit cum muliere colloqui, vt soli matri non esset prohibitum ad eum accedere, quã in magna habebat veneratione: vt qui non solùm maternis, sed virtutis etiam cederet legibus: Præter eam autem nulli licebat mulieri cum eo omninò loqui, aut ad eum adire.

Cap. 3. Studium & conuersatio eius.

Iob 31.

Ibidẽm.

Cum temperantia verò coniunxit etiam eleemosynam, cum pulcherrima eam, quæ est maximè hilaris: adeò vt illius quidem lumine illustraretur facies, huius autem oleo corpinguefieret, esset que & mundus & misericors: adeò vt altitudo, quæ procedit ex puritate, ad proximum (vt par est) ex consensu se inclinãs, in tuto esset. Tam splendidè autem attendebat eleemosynæ, & eam ità amplectebatur, vt nõ solùm superfluis, sed etiam necessarijs se piè gereret: & non parcè seminaret, sed in benedictionibus: & non solùm pecunijs, sed etiam carnibus, si ex ijs pauperibus dari posset auxilium, minimè parceret, idque admodum hilari, promptoque & alacri animo, motus dilectione in Deum & proximùm. Fructus enim charitatis, est in fratrem misericordia, adeò vt ipse promptior esset ad dandum, quàm ille ad accipiendum, qui opùs habebat misericordia: & cùm dedisset, ipse magìs lętaretur, & plùs se iuuari crederet, quàm is, qui acceperat, quomodò res verè habebat. Maiores enim sunt diuinę gratiæ, quàm humanæ, quas ipse larga manu emebat largiùs illinc scaturientes. Et, vt semèl dicam, orphanorum erat pater Eudocimus, curator viduarum, indumentũ nudorum, panis esurientium, animarum, quæ ægritudine grauabantur, solatium.

Cap. 4. Eleemosynę valdè est deditus.

Itẽ cæteris misericordię operib⁹.

Is cùm & ab Imperatore honores, & quæ est ad tempus, gloriã assequeretur propter virtutem, nihil ex eo lædebatur, vt cuius nec calor animæ tepesceret, neque ad crẽsum spiritualem fieret impetus hebetior: sed potiùs eam quoquè Deo asscribens gratiã, hinc sumebat occasionẽ maioris in ipsum desiderij, & eum colẽdi promptiùs & alacriùs. Certè cùm esset electus, vt præesset parti exercitûs Cappadocũ, & moraretur circa id, quod vocatur Charsianum, gerebat magnam curã populi: vt qui non solùm de eis esset paternè solicitus, sed eas etiam, quæ erant inter se inuicèm, vt solẽt, controuersias solueret, nullam in partem propendente trutina iustitiæ: & iudicans orpha-

Cap. 5.

Fit præfect⁹ militũ Cappadociæ.

Esa 1. orphanum (vt dicam cum Esaia) & viduam iustificans, & omnibus idem appárens per-
æqualem in omnes beneuolentiam. Et quid opùs est, vt dicam singula? Erat virtute
Obtrectationes ferre non sustinet perfectus Eudocimus: erat insignis charitate in deum, & insignis charitate in proximum. Quamobrèm eius exitium & interitum, proximo, inquam, clanculùm detrahere, adeò odio habebat, vt non solùm ipse nihil tale faceret, sed etiam si alius vellet facere, minimè sustineret non honestis verbis aures præbere: &, quòd ad se attinet, illas quoquè conseruaret peccatis superiores.

Cap. 6. Illum sic viuentem, piumque vitæ institutum exercentem, & rectè se gerentem communis in regione aliena finis occupat, cùm esset trigintatres annos natus, & necdùm quidem canis capillos albefecisset, multorum autem canos superaret prudentia. Malè autem habebat Eudocimum, non quòd absolutè moreretur, vt qui per totam vitam id esset meditatus, & quam cùm egisset vitã, quænam fors esset eum consecutura: & alioquì cùm esset sapiens, non ignorabat omninò, qualis esset lex interposita: nempè quòd cùm accepisset principium, necesse esset finem quoquè consequi: quamobrèm non eum cõturbabat corporis separatio: sed quòd cùm matrem non vidisset charissimam, longè esset peregrinatus. Quomodò autem est mortuus? est enim hoc simul philosophiæ & vtilitatis particeps. Aegrotabat quidem vir ille, & morbus eum iam eò deduxerat, vt vltimum ageret spiritum. Ipse verò cùm suos accersijsset familiares, primùm quidem diligenter mandauit, & eos iureiurando adegit, vt eum mandarent sepulcro sic indutum, & nequaquàm in ipsum obseruarẽt, quæ solent in mortuis. Deindè cùm omnes iussisset extra fores egredi, ipse solùm in-
Oratio eius ante mortẽ. clusus, dat se orationi. Oratio autem erat, (audita enim fuit à quodam, qui prope fores auscultabat) vt eius ad Deum excessus esset obscurus, & nulli cognitus, quomodò etiam tota ferè eius vita nulli euasit manifesta. Cùm verò alia quoquè adiecisset oratio-
Psal. 30. Eius è vita excessus. ni, & egisset gratias, & postremò dixisset, In manus tuas commendo spiritum meum: verè sanctam emisit animam. Quidam autem ex ijs, qui sepulturæ eius inseruiebant, magis rusticè, quàm piè, in hoc mandato exequendo affecti, nõ solùm cum vestimentis & calceis, quibus erat indutus, sed etiam cum stragulis, in quibus iacebat, in lignea capsa sic impositum, humì condũt eum, qui nihil habebat dignum tenebris, nube omninò solem, aut lignum modio, aut potiùs, si mâuis, in cella penaria pretiosissimum thesaurum, & qui non potest consumi. Sed ille sic quidem fuit conditus: Deus autem non passus est eum latére, sed eum reddit manifestum causa multorum vtilitatis. Sic autem facit:

Cap. 7. Dæmoniacus fit liber ad tumulũ eius. Vir quidam à spiritu vexabatur dæmoniaco, Elias nomine, cùm post mortem sancti non multi dies præterijssent. Repẽtè accedit ad sepulcrum, multa quidem dicens, multa autem faciens, quæ solet facere nequitia dæmonum in damnum humanæ naturæ, quæ desupèr bello ab eo appetitur. Dæmone quidem moto à sancto, aut à Christi potiùs virtute, vt eum manifestum faceret & honoraret: mouente autem & torquente, & maxima tempestate hominem conturbante, cùm tanquàm mortuum Eliam humì iecisset, sceleratum illud dæmoniũ statìm abijt, vt quod fuerat homini velutì quædam disciplina, & medicamentum ad expianda peccata ijs, quæ Deus nouit,
Item alij morbidi. iudicijs. Atque Elias quidem sic fuit liberatus à dæmone: Deus autem non eousquè fecit consistere sui serui gloriam: immò verò cùm tanquàm tuba valdè clamans, in multos esset dispersum miraculum, multitudinem eorum, qui laborabant varijs morbis, vocauit ad sepulcrum, sepulcrum, inquam, ex quo admirabiliter multis scaturiebat vita & curatio.

Cap. 8. Ex his verò vnà mulier, quæ habebat filium, cuius solutæ erant manus, quique eas ferebat non secùs atquè lapis ac statua, cùm ardenter accessisset ad sepulcrum, non
Oleo lucernæ eius sanantur quidã debiles. longa opùs habuit mora, non negocijs, non diebus: sed cùm primùm venit, ei opem tulit ad liberandum à morbo filium, oleum sumptum ex lucerna beati sepulcri: quo cùm illa filij manus vnxisset, vidit statìm eum totum illæsum, & vtentem manibus sũ mul liberis, & suo fungentibus officio. Alius autem puer eodem quidem modo affectus, in hoc verò solo differẽs, quòd priori quidem manus, ei autem pedes erant immobiles: Is ergò simili fide oblatus, similem quoquè consecutus fuit curationem. Nam cùm is quoquè vnctus esset in pedibus oleo lucernæ, protinùs exilijt, & fuit causa magnæ gratiarumactionis, quæ offerebatur ipsi sancto, qui curauerat, & Deo, qui præbuerat gratiam curationum.

Cap. 10. Rursùs autem mulier vexata à dæmone, liberata est à maligno spiritu eam vexante,

te, cùm solùm accessisset ad sepulcrũ, & pulchrè didicisset, quemadmodùm lux per-
Dæmoniaca liberatur. sequitur tenebras, & quàm sit terribilis, bonus & gratus seruꝰ malo seruo & fugitiuo, propter eam, quæ ei cum Domino intercedit, coniunctionem & familiaritatem. Porrò autem alij quoquè mulieri, quæ graui morbo laborabat, fuit mirabilis curatio so-
Nota de puluere sepulcri eius. lus sepulcri puluis sumptus cum fide, deindè aqua conspersus, aut, vt meliùs dicam, eius lachrymis, & impositus parti corporis, quæ malè se habebat. Et ideò cũ seminâsset in lachrymis feruentis in Deum fidei, mesluit exultationem curationis. Nõ paucis quoquè alijs malè affectis, qui longè aberant, fide autem nõ erant longè, hic puluis adcos allatus, visus est aptum in omni morbo medicamentum, & quod multis quoque alijs modis erat iucũdissimum. Nam cum eo, quòd curabat certissimè, habebat etiam celeritatem, & cum celeritate, molestiæ vacuitatem, & cum molestiæ vacuitate, quòd nulla erat omninò soluẽda merces, & nihil penitùs damni accipiebatur. Deficiet me tempus & oratio: defectæque erunt manus scriptionis operi seruientes, si voluẽrimus omnia compræhendere, quæ & priùs ille, vbì fuit sepultus, & nunc huc quoquè translatus facit miracula.

Cap. 10. Descriptio translationis corporis eius. Quoniam autẽ translationis meminit oratio, de ea quoquè tractandum est, quemadmodùm facta sit, & quænam fuerit causa, quòd illius corpus sepultum in finibus Charsiani, sit in hanc regiam translatũ ciuitatem. Magna & velox eius miraculorum fama in omnes partes peruadebat, & implebat aures omnium: & natura quidem sic habebat, nunc autem velocior quoq; facta est propter rei nouitatem. Vbì enim speranerit quispiam, hominem in mundo viuentẽ, & qui populi susceperat administrationem, & qui singulis horis tantis agitabatur fluctibus, posse per se quiescere, & interiorem hominem habere nulla vexatum molestia, illæsosq; & manifestos in se conseruare typos Dei memoriæ, & eius metu cor custodire mundum ab omnibus sordibus? Nam pietatem quidem exercere, & amplecti honestatem, virtutisque aliquantisper & Dei meminisse mandatorum, in multis fortasse inuenies ex ijs etiã, qui in mundo viuunt. Non enim eos omninò virtute nudabimus, & tanquàm propriam possessionem eis solis tribuemus, qui sunt à mundo separati. Sed ad tantam impatibilitatis & virtutis esse eucctum altitudinem, vt consequatur quis gratiam & splendorem miraculorum, id eorum solùm dixeris, qui mundo & mundanis omnibus multam salutem dixerunt, & solitudines magis, quàm ciuitates, & deserta, & longè esse remotum ab amicis propter Christum sunt amplexi, corumq; paucorum: siquidem paucorum nouimus eam, quæ est pro viribus, perfectionem.

Cap. 11. Cùm sic ergò fama eius mortis & miraculorũ esset dispersa, eius parentes (eis enim adhuc viuẽtibus est mortuus) & maximè mater, quæ maximo & germanissimo amore, vt filios solent matres, cum prosequebatur, magnum ignem habebant in visceribus, simul quidem & vt filium desiderantes, & cupientes conspici parentes eius, qui adeò clarus erat miraculis. Mater ergò nõ ferens cordis impetum, arbitrata, esse quid
Attende piũ matris affectum erga filiũ. paruum & nihili faciendum, & non satìs firmam piæ matri excusationem viæ longitudinem & senectutis imbecillitatem, horum omnium nullã ducens rationem, profecta Byzantio ad id, quod iam priùs diximus, Charsianum incredibili perueuit celeritate. Deindè cùm adspexisset eorum multitudinem, qui assiduè accedebant ad sepulcrum, & donum, quod assequebantur, qui multis & varijs laborabant morbis & affectionibus, & quàm celerem adipiscebantur curationem, ipsorum, inquam, malignorum spirituum, morborumq; & affectionum, vt qui perindè ac si horribilem terrorem, & accedere non permittentem, eis incutiat sepulcrum, non possint permanere: vel potiùs vt hostes quidam & inimici, qui fortis Imperatoris ne possint quidem ferre conspectum, sed eos, quos ceperunt, statìm dimittant, & in fugam se conijciant. Hæc cùm illa vidisset, & sepulcro fuisset circunfusa, iucundè & canorè deflebat, partìm quidem filium lugens vt mortuum, partìm autem vt ex Deo viuentem, & tantis dignatum miraculis admirans: & vt quæ ipsa quoquè gratia & gloria frueretur, & eo nomine gloriaretur.

Cap. 12. Fili, voce dicebat altiore, fili, lux æterna meorum oculorum, fili arcanum quoddã & ineffabile bonum parentibus: vndenàm tibi hæc clara & magna lux curationum? Vndenàm copiosa fluxit gratia spiritûs? An sunt hæc omninò piæ vitæ remuneratio, & occultorum laborum? An potiùs nõ solùm remuneratio, sed arrha & prooemium bonorum, quæ te post hæc manent? Sum ego reuerà beata inter matres, quæ digna sum habita, quæ essem & vocarer mater talis filij. Non tibi ampliùs contexto lamen-

tationes maternas tanquàm filio, sed tanquàm Dei amicò hymnos cano spirituales. Non ampliùs te voco filium, & fructum ventris mei, sed filium Dei per gratiam, non
Iohan.1. ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed reuerà natum ex Deo. Quem cum ipsa genuerim carnaliter, ab ipso rursùs viciſsim generor spiritaliter. Nec erubesco eum vocare patrem, cuius verus pater est ille cælestis: cognati autem, Angeli & sanctorum omnium chori, bonorum operum communione, & æqualitate remunerationis. Cu-
Mater ad sepulcrum eius orat. ram gere parentum, quibus est grauius tuî desiderium, quàm senectus. Atquì, ô charissime, pulchrè carnali tuæ matri referes gratiam pro datis alimentis, si spiritali tuo patri tuis intercessionibus eam reddas familiarem. Pulchrè quoquè patri tuo referes gratiam, quòd te ad hoc, vt esses, produxerit, si ad eius senectutis & imbecillitatis requiem sinus Abrahæ petieris. Hæc nunc à te contendunt & patris canities, & matris in partu dolores, & vbera, quæ tu, qui es omni ex parte perfectus, suxisti, cùm esses adhuc infans. Curam gere parentum, curã gere cognatorum. Lætabitur, sat scio, Deus, quem tu honorandum censes in parentibus, quos iubet illius præceptum honorare,
Exod.10. vtpotè quòd per ipsos honor ad illum feratur. Nam & primus omnium est pater, & opifex, & causa, vt ad hoc, vt sint, producantur.

Cap.13. Illustre miraculum in eius corpore exanimi & vestibus. Hæc dixit, & iubet tolli lapidem, & capsam trahi extra monumentum. Quod cùm factum esset, vbi ea iubente, apertus est loculus, cernitur miraculum, & ad videndum diuinissimum, & ad dicendum iucundissimum, & ad ea, quæ præcesserunt, confirmãda validissimum. Decem & octo menses præterierant post mortẽ, & qui tot ante dies erat mortuus, nullum habuit signum, non corporis fluxionem, non compagis solutionem, non carnis consumptionem, non nigrorem, non aliquid, quod esset euanidum, aut quod emarcuisset, & esset liquefactum: sed totus videbatur recens, perindè àc si nupèr eum reliquisset anima. Propemodùm videbãtur esse membra cum motu, genæ cum rubore, labra cum flore, ôs cum anhelitu. Existimâsses, te eum omninò videre non mortuum, sed potiùs dormientem, aut seipsum colligentem, & diligentiùs aliquid meditantem. Porrò autem ipsæ tunicæ, ipsæ vestes stragulæ adeò erant integræ & illæsæ, & nullo detrimento affectæ, (quòd attinet ad sepulturã) atquè si fuissent positæ in arca, & diligenter custoditæ. Est mortuis corporibus ex se quid iniucundum ac tetrum. Est vestibus quoquè, quæ longo tempore iacuerunt, & alijs eiusmodì malus quidã odor, & qui offendit odoratum. Illic autẽ nihil eiusmodì, sed bonus odor, & gratia & delectatio, tanquàm non aliquod sepulcrum & loculus, sed hortus esset apertus. Probantur ea, quæ dicta sunt, & quòd corpus esset adhuc integrum & recens, ex hoc, quod sequitur:

Iulij.14. Hæc sunt sanè admiratione digna. Quidam monachus, Ioseph nomine, sacerdos, & qui pietati studebat, cùm tũc adesset, subiectis manibus, & amplexus mortuum, conabatur erigere. Ille autem cedebat, & videbatur parére, & seipsum tradere. Erectus itaq; fuit vir ille admirabilis, articulis & compagibus rectè inter sese habentibus. Quod cùm vidisset presbyter, & metu esset repletus, rogauit, vt permitteret ea auferre, quibus erat indutus. Ipse autẽ rursùs paruit, & manus remisit presbytero & pedes, vt ijs vteretur vt vellet. Exuit ergò eũ sacerdos tunica, & eum altera induit. A pedibus verò amouet nõ solùm calceos, sed ea etiam, quæ intùs erant ex serico imposita pedibus. Hæc ergò omnia tam facilè fecit, & citra vllum laborem, perindè àc si ille opem ferret sacerdoti, & se traderet, vt eo commodè vti posset. Deindè cum rursùs reclinat in ea, qua prius erat, figura: adeò vt id totum diuino factum sit consilio, quòd sic sepultus fuerit, vt erat anteà: vt vel ex hoc esset manifestum omnibus, quòd post sepulturam manserit corpus potentius interitu & dissolutione. Quod quidem visum multis dæmonibus & morbis causa fuit, vt fugerent: & meritò: si enim etiam cùm esset abscõsum, erat eis terribile, postquàm appàruit, quomodò non esset eiusmodì, vt non posset omninò sustineri?

Cap.15. En quanti olim fiebãt sacræ reliquiæ. Quid post hæc est consecutum? Contendebat mater, sacro sublato corpore, domũ reuerti. Hæc enim, dicebat, stella ex meo ventre orta est. Qui autem in ea habitabant regione, contendebant non concedere, vt id aggrederetur. Nam etsi, dicebant, ex te processit illa stella, cernitur tamen apud nos occidisse. Quomodò ergò eum à nobis auferes, qui miraculorum tales ostẽdit radios? Ex te pulcher quidem germinàuit palmes, sed apud nos produxit botros miraculorum, & ei placit, vt nos frueremur musto gratiarum & curationum. Non erat Deo difficile, si vndè processit, eum voluisset illuc rursùs diuertere. Nè videaris ergò repugnare iudicio Dei & voluntati, neq; nobis diuinas gratias inuideas. Nè nos fonte priuaueris, qui non nobis solis, sed etiam com-

communiter omnibus est ad fruendum propositus. Ad gloriã tibi sufficit, quòd eius mater apparuerit, de cuius etiam mortuo corpore tanta est contentio. Nos priùs ex hac expelles patria, quàm hoc bono nobis à Deo dato nostram priues patriam. Illa postquàm hæc audijsset, sciens esse sibi aliquod sapientius capiendum cõsilium, quie-
Ioseph sacerdos clã aufert thesaurũ corporis eius. uit. Deindè autem cùm iussisset omnes valere, domum reuertitur. Ille verò pius inprimis monachus & sacerdos, de quo priùs diximus, cùm remansisset, & dierum multitudine omnẽ expulisset suspicionem, & in eo custodiendo effecisset custodes socordiores, noctù ingressus, diuinum suffuratus est thesaurum, & cum furto aufugit. Sed odor miraculorum ostendit vnguentum, quod celabatur, & morborum curatio fuit furti accusatrix.

Cap.16. Dæmoniacæ sanatio. Mulier enim quædam, dum is in via ferretur, & qui eum ferebant in quodam, vt est consentaneum, vellent loco requiescere: illa, inquàm, cùm à maligno vexaretur spiritu, in loculum irruit, & grauiter insilijt, & velutì à magno fluctu fuit exagitata. Deindècùm sanctum turpissimis esset insectata maledictis, nõ illa quidem omninò, sed quicam inhabitabat, quem aduersarium dixeris, fortis ille ab eo percussus recessit, abiens in loca, ad quæ à Deo fuerat condemnatus. Illa autem sana domum rursùs est reuersa. Non longum tempus interceſserat, & virgo quædam præfecta monasterij, quod vocabatur Mantineum, cùm secreto quodam & graui morbo laboraret, & non posset graues, quos sentiebat ex eo, ferre dolores, cùm resciuisset illud mortuum vitam afferens corpus afferri, & magna fide & animi ardore ei facta obuiàm, tãquàm viuenti & audienti sancto, ad loculum ei morbum dixisset, ardentis fidei mercedem, celerem inuenit curationem. Eiusmodì miracula faciens, & eam à Deo gloriã adipiscẽs, Byzantium tandè perducitur. Byzantium tandèm introducitur corpus parentibus iucundissimum, mortalibusque vilissimum, malis spiritibus potẽtius, ægritudinibus & morbis validius, medicamentum verè inexpugnabile: neque valens solùm aduersùs vnum morbum, sed, vt semèl dicam, resistens omnibus.

Cap.17. Mater ergò læta tali reditu filij, & simul caput in Christo tollens, splendoremque & magnificentiam in tempore ostendens, argenti magno sumptu capsam induit: nõ solùm id faciens, tanquàm in gratiam filij, sed eum etiam studens honorare, tanquàm Dei amicum: vt illud quidem esset naturæ, hoc verò pij animi, & mẽtis Deum amantis. Cùm sic ergò capsam argento parentes optimi circundedissent, hoc verè sacrum templum deponunt in pulchro templo, quod ipsi Deiparæ construxerant, commu-
Parẽtes capsam corporis eius argento vestierunt. nes hominibus effecti benefactores, dato dono, quod extenditur in sempiternum: per quem dæmones fugantur, morbi soluuntur, & Deus in omnibus, & per omnia glorificatur. Quoniam eum decet omnis gloria, honor & adoratio, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

VITA S. LVPI TRECENSIS EPISCOPI GRAVITER CONSCRIPTA. HABETVR IN ANTIQUIS MS. CODICIBUS. *Stylum F. Laur. Surius passim elimauit.*

Iulij 29. BEATISSIMI & Apostolici viri, antistitis Lupi vitã vel breuiter cõmemorare operęprecium est. In eius enim præclaris operibus multiplex sese dicendi materia offert. Ortus est in Leucorum oppido, nobili inprimis familia, patre Epirochio. Quo ex hac luce subtracto, traditus est Alistichio patruo suo, multa generis nobilitate æquè conspicuo. Eius opera scholis adhibitus, rhetorum studijs est imbutus. Deinde verò iam apprimè eruditum, florentis eloquij fama per regiones diuulgauit. Iuncta autem ei est matrimonio Pimeniola, sancti Hilarij Episcopi Arelatensis soror illustris memoriæ, quæ in ipsa iuuentute sensùs maturitate pollens, pudicitiæ semper amore flagrabat. Cùm iàm septimus cõiugij annus
Patria & pater S. Lupi. Traditur literis. Ducit vxorem. Posteà continenter viuunt. voluerentur, instigante Domino, ad conuersionem mutuis adhortationibus contulerunt. Itaq; superni spiritũs vigore incitatus Lupus, ad animi cultum transferens vestium splendorem, relicta paterna domo, cunctisque mundanæ cupiditatis vinculis dissipatis, Euangelicæ perfectionis feruẽs desiderio, eximiæ claritudinis & virtutis virum beatum Honoratum alacri animo statuit inuisere. Erat is Abbas primæ habitationis Lirinensis monasterij.
Beatus Honoratus Abbas.

Vbi ad eum perueníet, eius institutioni ceruicem vltrò subdens, Dominicæ seruitutis suaue iugum mansuetissimis humeris accepit, omnigenis vigilijs & ieiunijs seseaficiens. Cumque annum vnum illic egisset, magno fidei calore regressus est ad vrbem Matisconensem, vt ea, quæ ipsi remanserant, pauperibus elargiretur. Et eccè deimpro. uisò ad vrbis Trecensis Episcopatum rapitur. Fuêre autem hęc eius promotionis primordia, vt ciuibus suis viam salutis semper concionibus sacris explicaret, & imperitos populi sensus diuina lectione instrueret. Porrò clèrum quoquè suum, gratia præeunte, habenis iustitiæ strenuè moderabatur.

Fit Episcopus S. Lupus.

Exacto verò biennij spatio, cùm esset pollens ingenio, clarus eloquio, sanctitate pręcipuus, cum S. Germano, totius perfectionis & gratiæ spiritalis pleno, contra hæresin Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est. Qui vno spiritu iuncti, & pari voluntate concordes, terribiles oceani fluctus, tẽporibus hybernis inexplorato mari se committentes, orationum gubernaculis mitigârunt. Inter ipsas autem vndarum minas cùm ad tutam stationem appulissent, crebris virtutum signis aduentûs sui nuncios præmittebant. Ad vrbis enim cuiusdam mœnia vt propinquârunt, omnes se illis obuiàm effudêre, quibus ipsi admirandis signis admirationi fuerunt. Erant verò sine intermissione intenti ad capiendos homines: eaque causa ægris curationes adhibebant, spiritus immundos palàm ex obsessis eijciebant. Denique omnes ad sanæ fidei confessionem ab errore reuocârunt, cùm iam totam ferè Britanniam Pelagiana pestis occupâsset.

It in Britãniam contra Pelagianos, cum S. Germano.

Faciunt multa signa.

Non longa post tempora Hunni erumpentes & per omnem Galliã diffusi, partim simulatæ pacis arte tentabant vrbes, partim vi expugnabant. Vbi ad Trecensem insesto agmine venêre ciuitatem, patentibus campis sitam, & nec armis munitã, nec muris, solicitus pius antistes, ad vsitata se recipiens præsidia, solis ad Deum fusis precibus, supernæ opis auxilio eam defendit. At immanis ille & ferus Attila, fidem sancti viri altiori sensu suspiciens, pro sua exercitusque sui salute & incolumitate secũ eum vult proficisci ad Rhenum vsque, pollicens vbi èò ventum sit, se ipsum dimissurum. Mox copia offertur ab eo loco reuertendi, non negatur reditus, iter quoquè indicatur: orat tyrannus obnixè sanctum virum, vt velit pro ipso Dominum deprecari, interpretevsus Hunigasio. Reuersus autem vir Dei, vt vidit se desperatiõe suorum turbatum, ad montis perfugium Latisconem cæteris solertior festinauit, vt cò transferret plebem, quam orationum suarum suffragijs discrimini subiacentem inter excidia publica & hostilia arma defenderat. Illud perfugium distat ab vrbe milliaribus quinque & quadraginta. Manens verò illic biennij spatio, offensus raritate suorum eò venientium, Matisconem sibi censuit expetendam. Illuc eunti quædam mulier iuxta * Alisiam, corpore prostrata in aggere publico, se paralyticam magna voce significauit. Oranti pro ea vir sanctus, & mox sanitati se restitutam sensit.

Hunni vastant Gallias.

S. Lupus precibus suã tuetur vrbem.

* Basilicam

Sanat paralyticam.

Cùm iam autem in Matisconensi prædio degeret, circa horam sextam oblata est ei puella, ex dæmonis infestatione linguæ officio destituta. Confestim signum crucis illi imprimens, & media nocte pro more surgens, psalmodia absoluta, inuocato nomine sacrosanctæ Trinitatis, loquendi facultatẽ ei impetrauit. Etsi verò ex plurimis gestis eius pauca iam perstrinximus, at operæpreciũ tamẽ videtur vitæ eius historiam breuiter pertexere. Annis plùs minùs viginti, lectuli quietem nescíens, in tabula cubauit. Vestis eius perpetuò cilicium fuit. Præter illud, vnius tunicæ vsu semper contentus, in orationibus alternis noctibus peruigil perdurabat. Biduanis ieiunijs defatigato corpusculo, libidinis incentiua prosternens, fletibus ora, semper in futura intentus, indefessè rigabat. Iugi etiam districtione & seueritate sabbatum omne non nisi panis hordeacei esu transmittebat. Nec sacræ immemor legis, census suos pauperibus captiuisque redimendis humanissimè impendebat, sciens eleemosynis cælorum nos posse regna mercari. Permultos, quos nouerat desperatione teneri, celeri visitatione refouebat: atque in ijs clarissimum virum Claudium, filium spectabilis Germaniani, quem iam deficiente membrorum vigore, obtinebat vicinæ mortis pallor, hiatusque frigidi indicabant robur extinctum. Eum ferè exanimem intrà corpusculi hospirium oratione retinebat, iamque morientem reuocabat ad vitam, in viscera refuso, qui iam abscesserat, calore vitali, languentibusque venis suos motus recuperantibus, & spem viuendi ipso etiam vultu promittente.

Item mutã.

Eius cubile. Vestis. Vigiliæ. Ieiunia.

Eleemosynæ.

Penè mortuum restituit.

Nec minoris miraculi res est, vno eodemque tempore & alibi ostendisse virtutem. Nã clarissima materfamiliâs, germana soror sancti & venerabilis presbyteri Rustici, quam

quam lethalis iampridèm vexabat defectio membrorum, ità vt decem mensibus neque pes, neque manus suum faceret officium, ab illo visitari peroptãs, vt eum venientem intuita est, precibus adiungens lachrymas, palmas vtrasque extendit, dicens: Si uis, potes me sanare. At ille bis terque in preces incumbens, lachrymarum imbre perfusus, compellauit ægrotam. Ea verò mox sublata voce clamauit, nihil se dolere, iam absc essisse languorem omnem. Cumque omni cibi appetentia hactenùs caruisset, quam primùm sibi petijt alimoniam apportari.

Item paralyticam.

Iam illud singularis gratiæ beneficiũ, quod ei inter mundi proceres diuinitùs collatum fuit, non patitur solicitudo silentio præteriri. Omnes quidem gentium Reges ei præstabant reuerentiam, sed specialiùs tamen à Rege * Gebauulto eximia ei fuit exhibita obedientia. Nanque Brionẽses, quos olim captiuos abduxerat Alemannorum immanitas, literis à beato viro acceptis, non illectus cupiditate, nõ præda hominum captus, non auri pondere nec precio victus, sed regia dignitate sublimis, libertati restituit, hostili seruitute absolutos, & nimiæ iam dominationis acerbitate pressos, tanquàm deuotus reipublicæ minister, in eum statum, quem legibus omnes amiserant, reuocauit, pristina dignitate donatos.

Reges oẽs cum venerantur.

Multos autem habuit vir beatissimus præclara virtute discipulos, insigni miraculorum gloria illustres. In S. Polychronio, Virdunensis ecclesiæ Episcopo, gratia curationum præfulsit, ità vt religatis post tergum manibus, dæmonibus imperaret, priusque sensum perciperent obsessi, quàm corporum suorum collisionem. S. Seuerum, Treuirensi ecclesię ordinatum Episcopum, primæ Germaniæ gentibus prædicantem, non ambigimus inter Apostolos suum habere consortium. Sanctum quoque Albinum, Catalaunensem antistitẽ, diuturnæ sanctitatis prærogatiua eminentem, nõ debemus taciti omittere, quàm ille crebrò permultis locis dæmones ab hominibus profligârit. Nec immeritò dum tantorũ virorum celebramus præconia, eximij magistri laudes depromere videri debemus. Successit autẽ ei dignus illo honore sacerdos Camelianus, eius morum imitator. Iam annis quinquaginta & duobus S. Lupus gloriosæ memoriæ antistes, sacerdotio functus erat, cùm vitæ præsentis debitum persoluẽs, spiritum misit ad superos, dignis in terra laudibus celebrãdus. Indè ergò nunc nobis, quò sublimis euectus est, præsidium impendat: Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est gloria & potestas per omnia secula seculorum, Amen.

Eis aliquot insignes discipuli.

Diuturnus valdè Episcopatus eius & obitus.

VITA S. VVILHELMI EPISCOPI BRIOCENSIS IN MINORI BRITANNIA, AVTHORE GODEFRIDO CALUO BITURICENSI ARCHIEPISCOPO, EI MULTÙM FAMILIARIS FUIT. CAPITUM NUMERUM AD MARGINEM ADIECIMUS.

PROLOGVS AVTHORIS.

SCRIPTVRVS vitã beati antistitis Vuilhelmi, inhabitatorem eius inuoco Spiritum sanctum: vt qui ei virtutes largitus est, mihi ad narrãdum eas sermonem tribuat, & de sua clementia vires præbeat, quas mea imperitia denegat. Licèt autem in me non abundet scientia, nec suppetat facundia ad huiusmodi sancti viri miranda opera, prout deceret, depromenda, inductus tamen tam deuotione, qua ipsi sancto ex pluribus beneficijs & suffragijs per eum receptis obligor, quàm requisitione quorundam virorum valdè solennium, quibus obtemperare ex charitate compellor, ipsius gesta, non quidem omnia: quia non omnia didici, aut scire potui: sed aliqua, quæ partìm in eius domo & societate exístens, oculata fide perspexi: partìm à quibusdam viris fidedignis auditu percepi, ad Dei & sanctissimi viri gloriam explanare conabor, sermone quodã licèt rudi ac simplici, breui tamen admodùm & veraci. Vt autem quæ sequuntur, facìliùs se offerant inquirenti, septem infrà positis capitulis sunt distincta. Agitur enim primò de ipsius nobili origine & sanctæ vitæ inchoatione. Secundò, de orationis gratia, & eius ad diuina reuerentia. Tertiò, de mira ipsius sapientia, & scientia, & discreta prudentia. Quartò, de eius feruida charitate, vitæ austeritate & pietate. Quintò, de ipsius profunda & admiranda humilitate. Sextò, de eius felici obitu & cõsummatione. Septimò de mirabili eius canonizatione & translatione.

VITAE HISTORIA.

Iulij 29. Cap. 1. Iob. 7.

Luc. 1.

Carnis integritatem seruauit.

1. Pet 5.

SANCTVS Vuilhelmus à primæuo iuuentutis suæ flore senile cor gerens, nulli voluptati animum dedit: sed sciens militiam esse vitam hominis super terram, in sanctitate & iustitia coram Deo seruire disposuit omnibus diebus vitæ suæ. Qui in carne ambulans, non secundùm carnis desideria militauit, sed eā spiritui seruire coëgit. Quod in suo obitu cuidam confessori suo, cui cordis arcana tanquàm domestico committebat, reserauit, dicēs: Frater, agē gratias pro me Deo, qui me vsq; hodiè mundum à peccato carnis per suam gratiam custodiuit. Veruntamen humani generis inimicus, qui & eo, quòd à iusto contemnitur, magis ad scandala prouocatur, tanquàm leo rugiens, quęrens quem deuoret, per mulierum astutias ipsum seruum Dei corrūpere pluriès attentauit. Cùm enim idem adhuc iuuenis, & in minori officio constitutus, in domo cuiusdam diuitis fuisset hospitatus, mulier quædam fornicationis spiritu stimulata, radios igneos in ipsum Dei virum procaciter vibrabat. Non enim solùm Deo sanctitatis merito, sed etiam cunctis eum videntibus corporis elegantia, verborum facūdia, & conuersationis gratia placens erat. Postquàm autem immundus spiritus cor illius mulierculæ sallaciter occupauit, donèc conceptum in animo virus peccati effunderet, non quieuit.

Impudica mulier eū infestat.

Die verò cedente tenebris, cæteris dormientibus, captato noctis silentio, perrexit ad beati viri cubiculum dormientis, & ad latus eius se proiecit coluber tortuosus. Porrò vir Dei ad tactum mulieris insolitum excitatus, non solùm scelus abhorruit, verùm etiam de lecto statim, quasi de medio ignis exiliens, à facie colubri se abscondit: sicut patriarcha Ioseph, qui fugit oblatam libidinem, pallio derelicto. Verè ergò beatus Vuilhelmus, qui inuentus est sine macula: qui potuit transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & non fecit. Alio quodam tempore, cùm B. Vuilhelmus pontificali officio fungeretur, quædā nobilis mulier de territorio Briocensi, tam viri, quàm amicorū auxilio viduata, super debitis & alijs negocijs in Episcopi curia plurimum vexabatur. Tandē quid ageret, nesciens, ex muliebri nequitia cogitauit, quòd si posset amore polluto pontificis gratiam obtinere, suos faciliùs aduersarios superaret, & causam suam fauore iudicis fine prospero terminaret. Quadam igitur die deductum in

Gen. 39. Eccle. 41.

Item alia.

partem Episcopum cœpit blandis sermonibus & plenis illecebris ad commiscēdum secum in obscœno libidinis prouocare. Sed vir Dei spiritu sancto p̄munitus, causam eius & intentionem cordis sordidam intelligens, tale fertur mulieri dedisse responsum: O mulier infelix, cur pastorem tuum, pontificem, patrem & dominum, huiusmodi verbis seducere voluisti? Et excutiens manu tunicam lineam ante pectus, qua more pontificis vtebatur, quasi de sinu cordis ignem excluderet, cum indignationis indicijs hæc adiecit: Vide misera, quia Dei Episcopus sum & sacerdos. Tuncincrepationis viri Dei stimulis sauciata, pallio cōfusionis operuit vultum suum, & tacta dolore cordis intrinsecùs, de domo protinùs est egressa. Sic tanquàm aurum in fornace probauit Dominus sanctum suum, & sicut holocausti hostiam accepit eum merito castitatis.

Sap. 5.

Præter hæc castitatis insignia, aliud in eius obitu virginitatis apparuit argumētum. Nam cùm corpus eius à ministris ecclesiæ lauandum digna cum reuerentia tractaretur, illius membra inferiora non pudenda, sed quasi puerilia sunt inuenta. Virginitatis ergò aureola decoratus, qui cum mulieribus nō est coinquinatus, meritò sequitur agnum Dei. Non solùm autem lumbos præcinxit fortitudine castitatis, verùm etiam lucernas ardentes tenuit in manibus per opera charitatis. Ipse enim tanquàm pater pijssimus pauperes nutriebat, miserorum miserias releuabat, & cætera pietatis opera misericorditer indigentibus exhibebat. Nec satìs erat sibi, quòd per bursarium pauperibus ministrabat: quinimmò de bursa, quam ad hoc portare consueuerat, ipsemet indigentibus manum misericordiæ porrigebat. Tanto siquidem circa pauperes ardebat compassionis affectu, quòd quandò ciborum reliquiæ dabantur pauperibus congregatis, ipse per fenestram aliquam super dantes & accipientes intuitum dirigebat, nè quispiam eleemosynā defraudaret, néve pauper aliquis læderetur, vel expers muneris remaneret. Si verò multitudini pauperum non sufficerent eroganda, defectum protinùs suppleri faciebat.

Apoc. 14.

Benignitas eius in miseros, & pauperes.

Tem-

Tempore quodā caro, cùm B. Vuilhelmus videret fame pauperes cruciari, totum bladum suum eis exposuit dispergendum. Sed cùm inter tantos minimè sufficeret, præsertim cùm vsque ad messem magnum adhuc temporis spatium superesset, precibus suis Canonicorum bladum accepit mutuò, pauperibus erogandum. Verè beatus est iste sanctus, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris: sed sicut iucundus homo miseris miserans sua Domino commodauit. Sic enim in villicatione sua fidelis extitit, quòd omnibus ferè necessitati pauperū distributis, vndè testamētum faceret, nihil omninò supereſſet. Mâluit enim in cælo thesaurū sibi creditum collocare, vbì nec erugo, nec tinea demolítur, nec fures effodiunt, nec furātur: quàm in terra cum seruo pigro Domini sui pecuniam occultare, aut alienis relinquere deuorandam. Sic lucerna beati Vuilhelmi nō solùm luxit exteriùs ad Dei gloriam: verùm etiam arsit interiùs in affectu, cuius ardor fuit in ipso tripliciter ordinatus, ad Deum scilicet, seipsum, & proximum. Nam in amore Dei totus, deuotis precibus vacando, exardescebat cū propheta, dicente: Concaluit cor meum intrà me, & in meditatiōe mea exardescet ignis. Quanuìs enim cum Martha circa curā reginimis multis negocijs esset occupatus: illud tamen Mariæ necessarium, diuinis sermonibus vacans & deuotis orationibus, nullatenus omittebat. Præter enim horas Canonicas & alias orationes consuetas, diebus singulis Psalterium, quod sciebat cordetenùs, lectitabat. Iterùm quo ad seipsum, arsit in eodem igniculus charitatis, de quo dicit Dominus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisì vt ardeat? Ignis enim incinerat & consumit. Deus autem noster ignis consumens est. Cuius ardor beati viri animā per humilitatem incinerauit, corpus per fragilitatem attenuans, vtráq; pari fœdere Dei seruitio mancipauit, sicut in Leuitico scriptum est: Vtranque partem consumpsit ignis. Beatus verò Vuilhelmus quanto maior erat, eo magìs humilis apparebat, & humilitatis opera faciebat. Nam aliquandò ad sufflādum ignem pro calefaciendo cibo pauperum, caput suum dicitur inclinâsse.

Cap. 2. Magna liberalitas in caritate annonæ. Eccle. 31. Matth. 6. Matth. 25. Psalm. 38. Luc. 10. Quotidiè legit Psalterium. Luc. 12. Heb. 12.

Die quadam ad domum eius, nuncius quidam venit, commodato postulans bladum in vas pro muliere paupere, in puerperio decubante. Nam pro huiusmodi pijs operibus vascula talia reseruabat. Cumque causam eius itineris Episcopus didicisset, nec quisquam de suis famulis, præter Capellanum, præsens esset, nec negauit ei, nec distulit quod petebat, sed cum adiutorio Capellani sui vas, quod blado plenum erat, euacuans, imposuit in humeros nuncij proprijs manibus ad portandum.

Cap. 3. Vide humilitatem.

Quadam autem nocte lectus cuiusdam monachi in Episcopi cubiculo factus erat: cumque vadēs dormitum Episcopus, lectum monachi prope terram cerneret, suum verò propter Pontificalem excellentiam ac reuerentiam loco superiori: non est passus inferiorem se iacére monachum: immò fecit iterùm lectum sterni, & alterum alteri coæquari. His & alijs huiusmodi meritis & exemplis beatus iste Vuilhelmus Pontifex exaltationis æternę gloriam est adeptus. Non solùm autem cor eius incinerauit ignis Dominicę charitatis, sed & corpus per pœnitentiam cremauit. Quanuìs enim suæ, necnon & aliorum dignitatibus vel meritis deferēdo, magna sæpè conuiuia præparari faceret, seruata tamen modestia, semper parùm gustans de carnibus, reliquum in eleemosynam pauperibus erogandum reseruabat.

Cap. 4. Aquā bibit. Sæpè cubaa humi. 2. Cor. 11. Humanitas in fœminam miseram.

Aqua pura vel cum vino mixta largiter vtebatur, quanuìs à pluribus vinum & pinguia diligere putaretur. Præterea cum lectus eius, sicut decebat Pontificem, sterneretur, & serui crederent ipsum super mollia quiescentem, spreto cubili, terræ duritiam ad orandum & dormiendum sæpiùs eligebat. Quantùm verò ad proximū, in eo charitas igneſcebat. Nam quotiescunque desolatum aliquem vel afflictum cerneret, aut infirmum, infirmabatur & ipse secundùm illud Apostoli: Quis infirmatur, & ego nō infirmor? quis scandalizatur, & ego nō vror? Die insupèr quadā, dum ipse beatus vir staret in medio domūs suæ, quædā hydropica ac paupcula mulier eleemosynā postulans stetit ante eum. Erat aūt infirmitate sic inflata, quòd vix corpus suū capere poterat tunicæ latitudo. Quā intuens pius pater, qui super afflictos pia semper gestabat viscera charitatis, præcepit eleemosynā ei dari: necnon de theriaca, quā habebat, poculum ei ministrabat, piè credens ipsam per antidotū huiusmodi posse consequi sanitatem. Accepto poculo, mulier abijt via sua. Hora prandij memor fuit episcopus illius, & ferculum suum, de quo parùm gustauerat, per nuncium illi misit. Quam per vicos & plateas nuncius diù quærens, tandèm inuénit in lectulo passione nimia laborantem, & fini suo eam appropinquantem. Quod cùm Episcopo retulisset, timēs ille,

nè per theriacam,quam ei miniſtrari iuſſerat, mortis periculum incurriſſet, oraturus pro ea ad Dominum, in eccleſiã feſtinauit: vbì flens largiter & rugiens à gemitu cordis ſui, reum ſe mortis eius humiliter accuſando, tandiù miſericordiam Domini inuocauit, donèc nunciatum eſt ei,quòd mulier ſurrexit, & ab infirmitate ſua dimiſſa penitùs eſſet. Quod Epiſcopus audiẽs,fecit eam præ gaudio ſibi præſentari. Quam videns ſanitati plenariè reſtitutam, admirans vix credere potuit, quòd hæc eſſet, quàm quasì mõſtrum viderat ipſo die. Quis autem dubitet, mulierem hanc de portis mortis,ſancti viri fuiſſe precibus & meritis reuocatam?

Nota vim precũ eius.

Cap. 5.

Alio quodam tempore, cùm ex preſſura præliorum, quæ inter Francos & Britones agitabantur,ducatus Britanniæ turbaretur, & Briocenſis ciuitas, irruentibus in eam alternatìm hoſtibus,dãnis multis & iniurijs grauaretur,beatus Vuilhelmus, tãquàm bonus paſtor, cum fletu magno per ciuitatem circumiens, diſperſas oues conabatur paternis affectibus, cõſolari Sæpè etiam prædonum in medium ſe magnanimiter ingerens, animã ſuam pro ouibus ſuis ponere non formidabat. O quotiès in ipſum ouiculas protegentem, viri ſanguinum manus ſacrilegas iniecerunt, & in ceruicem eius vibrantes gladios, ipſum minis & contumelijs affecerunt? Ipſe verò cùm hæc omnia pateretur,non comminabatur, ſed tanquàm agnus manſuetiſſimus, ſorde tacito patientiam ſeruabat. Et ſi quandò propter clericorum inſtãtiam neceſſitas ipſum compelleret ferre excõmunicationis ſententiam in maleficos & prædones, nè remiſſius & negligens videretur, cum dolore cordis & multis lachrymis vim clauium exercebat, cùm malefactores huiuſmodì ſententiæ gladio feriebat. Quanto charitatis ardore dilexit proximos,qui ſic luxit, vt Dauid & Samuel, inimicos? Sic virga ſancta de radice Ieſſe, quod interpretatur incendium,procedebat. Nam virga correctionis,de incẽdio debet egredi charitatis. Ezechiel autem loquens de quatuor animalibus,de igne vidit in ſpiritu fulgur egrediens. Ex igne verò fulgur egreditur, cùm excommunicationis ſententia,nõ ex ira vel odio,ſed ex charitate profertur.Intereà graui perſecutione per tyrannorum malitiam in eccleſia Britannica ſequente,B. Vuilhelmus zelo iuſtitiæ viriliter inflammatus,ferocitati tyrannicæ reſiſtere ſatagebat. Quam ob cauſam minis & iniurijs ab ipſis tyrannis & eorũ complicibus eſt adſtrictus: nihilominùs tamẽ murum ſe pro domo Domini,quantum poterat, opponebat. Renuens igitur in præiudicium libertatis Eccleſiaſticæ principum acquieſcere voluntati, cõpulſus eſt exire Britanniam,& in exilium proficiſci. Sed vir iuſtus, tanquàm leo confidens in Domino, ſciensq; quòd dignitas nominis Chriſti omnia poſſidet in omni poſſeſſiõe, & quòd omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor: damna, minas, exilium & contumelias propter ſpem æternæ beatitudinis ſuſtinuit patienter. Nam Dominus dicit: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Obijcit ſe periculis, p ouibus ſuis.

2 Reg. 1. 1. Reg. 15.

Ezech. 1.

Pellitur in exilium.

Matth. 5.

Cap. 6.

Tunc temporis verò Pictauenſis Epiſcopus,continuis laborans infirmitatibus,impotens & debilis erat factus, ità quòd officium ſibi competens exercere penitùs non valebat: qui beatum Vuilhelmum, obſtinatæ perſecutionis impetum fugientem venerabiliter ſuſcipiens & deuotè,gregis ſui curam ipſi committere dignum duxit. Beatus igitur Vuilhelmus, aſſumpta cura vicaria Pictauenſis diœceſis, ibì per annos aliquot ſanctiſſimè conuerſatus in his, quæ ad ſuum officium ſpectabant, ordines celebrando, eccleſias dedicando,altaria conſecrando, pueros confirmãdo,necnon & alia pontificis officia ſolicitè miniſtrando,apud Deum & homines gratioſum ſe exhibuit & famoſum. Cùm autem placuit Deo ferocitatis hoſtium impetum eneruare, relictis ouibus alienis,bonus paſtor ad oues proprias, ob ipſius abſentiam nimiùm deſolatas,reuerſus eſt cum gaudio valdè magno. Circa curam iſtam propriarum ouium, non ſolùm ſpiritualiter ſanctæ conuerſationis exemplo & doctrinæ pabulo: verùm etiam temporaliter humanæ neceſſitatis ſubſidio, ſicut dictum eſt,ſolicitè vigilabat. Hoc enim triplici cibo præcepit Dominus Petro ſuisq; ſucceſſoribus paſcere plebem ſuam. Et quãùis gregis ſui curam præponeret omni negocio temporali, fabricã tamẽ Briocenſis eccleſiæ cathedralis, ſi poſſet in pace viuere, proponebat cõſummare iam inceptam. Circa quod opus cùm die quadam vigilantiùs cogitaret, ſpiritu propheti. co repletus, dixit: Certè viuus vel mortuus ædificium huius eccleſiæ conſummabo. Dominus autem ipſius prophetiam proceſſu temporis adimpleuit.Nam cùm ipſe viuens feliciter, victurus in perpetuum, præſentis vitæ curſum feliciter conſummãſſet, corpus eius ſanctiſſimum in eccleſia cathedrali digna fuit cum reuerentia tumulatum. Quod cùm ibidèm duobus annis,antequàm coruſcaret miraculis, tanquã lapis precio-

Pictauenſis Epiſcopi ſuſcipit operam vicariam.

Redit ad ſedem ſuam.

Iohan. 21.

Felix obitus eius.

precioſius latuiſſet, Philippus Epiſcopus ſucceſſor eius ſtuduit nihilo minùs fideliter ipſius propoſiti circa fabricã eccleſiæ fieri proſecutor. Oportebat aũt pro fundamento quærendo ſecũdùm diſpoſitionem operis, corpus beati Vuilhelmi de loco in quo poſitum fuerat, transferri. Factũ eſt aũt, cùm ad effodiendum theſaurũ illum Clerici cum populo conueniſſent,ipſum corpus cum omnium membrorũ integritate mirabiliter eſt repertum, & quaſi precioſiſſimis fuiſſet aromatibus conditũ,optimo odore eos,qui aderãt,adimpleuit:ità vt ex cõuerſatione, quam viderant,& mirabilibus,quæ videbant, ipſum proculdubiò crederent eſſe ſanctum,cùm corruptibile corpus, quod quidem per biennium in ſepulcro latuerat,cernerẽt incorruptum. Quid aliud dicere poterant, nisì quod à Domino factum eſt iſtud,& eſt mirabile in oculis noſtris? Mirabantur prætereà,nec mirum, quomodò cadauer hominis, quod tandiù iacuerat ſub terra,odoris ſuauiſſimi redolentia ſpecies aromaticas ſuperaret? Sed ille,cui integer à peccato ſeruiẽrat carnis, ex incorrupti inuentione corporis ſanctitatis ipſius lucernã de ſub modio ſuper cãdelabrum exaltari diſpoſuit, vt luceret omnibus, qui in domo ſunt, odor ſuauitatis ex ipſo Domino,ſuauiter omnia diſponente, mirificè procedebat: vt qui vitæ in vitam bonus odor fuerat,bonus odor ſanctitatis, odorem miraculorum prodigijs diffunderet vſquequaquè. Ab illo enim die cœpit crebrioribus coruſcare miraculis, per quæ ſanctitatis eius notitiam, nõ ſolùm per vniuerſam Britanniam,verùm etiam per circùm adiacentes & remotas prouincias Dominus dilatauit: Quotquot itaq; diuerſis oppreſſi languoribus eius tumulum viſitârunt, ſalutis ab eo beneficia fidenter poſtulantes, recuperata ſanitatis optatæ gratia, lætantes ad propria ſunt regreſſi. Quamobrèm cateruatìm currunt vndiquè populi, cernere cupientes, necnon in ſeipſis experientes miracula, quæ per eum mirabilis in ſanctis ſuis Dominus miſericorditer operatur. Quorum eleemoſynis & deuotis oblationibus eccleſia, quam ſanctus in vita vel poſt mortem dixerat ſe ſtructurum, opere precioſo ſuſcepit complementum, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei.

Corpus eius poſt bienniũ inuenitur incorruptum.

Pſalm. 117.

Miraculã ad tumulũ eius.

Cùm igitur beatus Vuilhelmus tot & tantis miraculorum radijs,nõ ſolùm Britanniam,verùm etiam diuerſas mundi prouincias illuſtraret, Philippus bonæ memoriæ Briocenſis Epiſcopus, ſucceſſor eius, indignum arbitrans, ſi tantum lumen intus vel ſubtus modium celaretur,ad dominum Papam Innocentium 4. Lugduni tunc temporis reſidentem, cum firmiſſimis miraculorum teſtimonijs & teſtibus propter huiuſmodi negocium properauit. Quibus auditis rumoribus,exultans in gaudio Præſul ſummus, miraculorum inquiſitionem Cardinali cuidam committere dignũ duxit. Sed quod accidit ipſa die,propter huiuſmodi negocium aſſignata, non minùs eſt miraculo deputandum. Nam præter teſtes idoneos, quos adduxerat dictus Epiſcopus Briocenſis,alij quamplurimi de alijs mundi partibus ſubitò confluxerunt,de ſanctitate Beati Vuilhelmi probatiſſima perhibentes, eò quòd tam in ſe, quàm in alijs, ipſius inuocata ſuffragia pro diuerſis infirmitatibus ſenſiſſe firmiter aſſerebãt. Probatis itaque miraculis,& in ſummi Pontificis audientia recitatis, necnõ ab eo & cunctis Cardinalibus alijsq; eccleſiarum prælatis, qui aderant, approbatis, idem ſummus Pontifex de communi fratrum conſilio Vuilhelmũ Briocenſem Epiſcopum in ſanctorum catalogo,meritis eius exigentibus,decreuit firmiter conſcribẽdum,& celebri memoria venerandum. Ipſius autem ſancti mirabilia,pauca tamen, quia non poſſet aliquis ſingula quæque ſcripto explicare,breuiter enarrabo.

Cap. 7.

Refertur ab Innocentio 4. in numerum ſanctorum.

Sequuntur miracula.

Mulier quædam Briocenſis diœceſis,quæ tribus & eo ampliùs annis per totum corpus fuerat hydropiſi ſic inflata, quòd ſanitatem poſſe cõſequi nullatenùs credebatur: facto voto,ſuper beati Vuilhelmi tumulum,quarto Calendas Auguſti,die videlicet, quo beatiſſimus confeſſor migrauit à ſeculo, requieuit: & poſt horam diei primam, cùm diuinum officium in eccleſia cantaretur, quaſi de ſomno euigilans, ſublato tumore,beati Vuilhelmi meritis reſtituta eſt ſubitò priſtinæ ſanitati.

Hydropicæ curatio.

Homo etiam quidam languidus apud ſanctum Briocum ante ianuam alterius hominis iacebat in ſterquilinio, ſic contractus,quòd pro victu ſuo quærendo per villam ſuper palmas & genua ſe gerebat. Cuius paſſioni mulier quædam compatiens, dixit ei: Alane,in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti voueo te beato Vuilhelmo, qui ſuis meritis & precibus tibi conferet ſanitatem. Et apprehendens cum ad manus mulier & eius filius, ſuper pedes ſuos erexerunt. Qui protinùs conſolidatis membris, ad eccleſiam cum multis eum ſequentibus,& Deum in beato Vuilhelmo laudãtibus, iter arripuit,

Item contracti.

arripuit, omnipotenti Deo gratias referens & suo sanctissimo confessori.

Mulieris horridus morbus pellitur.

Alia insuper mulier tantam lateris corrosionem patiens, quòd intestinis ferè patentibus, cum horrore magno fœtorem nimium emittebat, per vnam noctem super sepulcrum sancti requieuit. In crastino verò circa horam primam multis præsentibus, ab hac horribili passione sic extitit liberata, quòd nulla remanserunt prædictæ passionis vestigia.

Cùm prætereà puer quidam, velut annorum octo, circa ripam ludens cuiusdã fluminis, in ipsum subitò cecidisset, populis clamantibus, pater eius præ dolore cucurrit ad locum citiùs quærens eum: Quem cùm multis eum iuuantibus minimè reperisset, ingeminatis clamoribus cœpit insanire. Adstans verò populus ei compatiens, dixit: Voue filium tuũ sancto Vuilhelmo, ad cuius inuocationẽ Deus miracula operatur. At ille consilio eorum vix intendens præ dolore, protinùs sic clamauit: Sancte Vuilhelme, confessor Domini benedicte, tibi meum filium voueo & commẽdo. Vix votum finierat, & eccè puer sub aqua mortuus est inuentus, & de profundo fluminis extractus. Quem mortuum pater inspiciens, iteratò clamare ad beatum Vuilhelmum cœpit lachrymabiliter, & eum inuocare, dicẽs: Sancte Vuilhelme, redde mihi filium meum viuum, quem mihi ostendere dignatus es sic defunctum. Mater autem pueri tunc temporis ad beatum Vuilhelmum profecta peregrè pro eodem puero, quia eidem infirmitas quædam acciderat, ad eius tumulum nocte præcedenti aderat. Dum igitur pater voto & orationi deuotus existeret, in conspectu adstantium statim est puero vita restituta.

Mortuus puer reuiuiscit.

Alius insuper puer quasi annorum trium de Dolẽsium finibus, in quoddam fossatum cecidit, per quod faciebat mare transitum. Vbi cùm parentes eius cum dolore quærentes filium, annuente Domino, peruenissent, resupinum in aqua puerum reperierunt, & de fouea extraxerunt. Cumque in eo nullum vitæ comperissent indicium, ipsum cum clamore valido & dolore vouerũt beatissimo confessori. Ad cuius inuocationem puer aquam euomens cum sanguine, respirauit.

Item alius puer.

Rursùs homo quidam per sex annos & ampliùs duo foramina in ventre habuerat & habebat, adeò perniciosa, quòd quicquid per os suum secundùm viam nutrimenti sumebat in corpus, relictis naturæ purgatorijs locis, per illa duo foramina turpiter emittebat. Qui ante Vuilhelmi tumulum requiescens, ad inuocationẽ eiusdem sancti, à tam enormi passione curatus est. Cuidã etiam mulieri est candidior solito mãmilla subitò restituta, quam sibi præ nimio infirmitatis dolore miserabiliter amputauerat.

Sanantur vitia corporis teterrima.

Viro prætereà cuidam est repentè consolidata ruptura, per quam ipsius viscera ad spectibus hominum horribiliter offerebant. Quædam rursùs puella, cuius adeò pedes & tibiæ vlceros æ erant ex quadã passione, quam medici fistulam nuncupãt, quòd ei sola tibiarum abscissio, nè per eam, synceram corporis partem corrumpi contingeret, pro consilio præstolabatur, ad plenum est à prædictis vulneribus liberata. Alia quoquè puella, ignis incendio intercepta, fuit in medio carbonum reperta. Cui eiusdem sancti meritis ignis, vim suæ virtutis oblitus, nullũ impressit vestigium læsionis.

Alia miracula.

Quædam puella liberatur ab incendio.

Quadam etiam die, cùm quidam nautæ peregrè profecti ad beatum Vuilhelmum, per mare vellent ad propria remeare, facta est tempestas in mari valida, adeò vt ruptis funibus fractisq; remigijs, fluctus nauiculam operirent. Qui nimirùm de vita desperantes, beatissimi Vuilhelmi auxiliũ inuocando, dixerunt: O beate Vuilhelme, confessor Domini glorioſe, succurre nobis in supremo mortis periculo constitutis. Statimque ad eius inuocationem sani nautæ, cum nauicula fluctibus operta, ad portum prosperum sine humano remige peruenerunt. Quid plura? Per beati Vuilhelmi confessoris glorioſissimi merita restituit Dominus cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum: sicut probant baculi, lectiq; lignei, quos ante sepulcrum eius salutis beneficia consecuti, redeuntes ad propria, reliquerunt. Possessi à dæmone liberantur, paralytici reparantur, quamplurimi vi febrium laborãtes, sanitatem celerem consequuntur. Hæc & alia multa & magna mirabilia, quorũ non est numerus, præsertim cùm illius miracula finem non habeant, per beatissimum confessorem suum Vuilhelmum Dominus omnipotens operatur: ad laudem & gloriam nominis sui, Amen.

Nautæ è periculo eripiuntur.

SS. ABDON ET SENNES, QVORVM NATALIS INCIDIT *in* 30. *Iuly diem, habentur in* S. *Laurentij martyris historia.*

BEATI

BEATI PETRI DAMIANI SERMO DE SANCTO RVFFINO MARTYRE.

NOSTIS, fratres charissimi, sicut ex Catholicæ fidei magistro didicistis, quia in vltimæ discussionis examine, omnes simul & peccatores & iusti ante tribunal æterni Iudicis cum suis sunt corporibus exhibendi, Apostolo testante, qui ait: Omnes nos oportet manifestari ante tribunal CHRISTI, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et reprobi quidem ad hoc, vt quia hîc cum carne simul & anima Conditoris sui præcepta calcauerint, cum eádem illic vtraq; substantia sententiam iustæ damnationis excipiant, atque vtrobiquè deincèps suppliciorum amaritudinem sentiãt, qui dum viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque deseruiebant. Electi autem, vt quia carnem suam nunc cum vitijs & concupiscentijs crucifigere non desistunt, cum ipsis suis corporibus, quibus videlicet tanquàm tabernaculis in diuina militia vsi sunt, ad supernæ claritatis gloriam prouehantur: vt soluto militiæ cingulo, vnum tunc interior & exterior homo sentiant quietis perpetuæ municipium, qui ad vnum peruenêre per communia bella triumphum: & quibus vna fuit pugna, eadem sit nihilominùs & corona. Istud planè erit sabbatum nostrum, ille septimus legis annus, ille veraciter Iubileus. Sabbatum quippè feriatum esse præcipitur, & æterna per illud requies figuratur. Sub eiusdem quoquè quietis æternæ vel resurrectionis designandæ mysterio, in septimo anno libertas redditur. In Iubileo autem tubis clangitur, vt vnusquisque ad possessionem propriam reuertatur. Canet enim tuba, sicut dicit Apostolus, & mortui qui in Christo sunt, resurgent. Ad possessiones ergò proprias omnes tunc reuertũtur: quia in illo vltimo resurrectionis die vnusquisque proprium corpus recipit, in quo, dum præsentem vitam duceret, habitauit. Tunc Adam, tunc Noë, tunc omnes antiqui patres, immò omnium mortalium animæ ad amissam carnis suæ terram redeunt: quia recepta corpora sua in perpetuum possidebunt, & perducti in libertatẽ filiorum Dei, iam securè gaudebunt omnes, seruili vinculo corruptionis humanæ soluti. Cùm ergò sanctorũ corpora tantæ futura sint dignitatis, vt & coronam vitæ perpetuæ, & immortalitatis stolam cum suis animabus sint communiter receptura: quid mirum, si nunc omnipotens Deus apta illis loca prouideat, & eorum tumulos non passìm, vel per casum fieri, sed ex suæ voluntatis electione disponatẽ? Enimuerò & illud sæpè non ociosè quæritur, Cur Abraham, qui se ex parte corporit puluerem esse confitetur & cinerem, tam ambitiosam sepulturæ suæ prouidentiam habuit, vt ex omni peregrinationis suæ latitudine solam Hebron, Chananitidis, videlicet regionis, eligeret, in qua etiam non parua summa speluncam sibi duplicem compararet. Iacob quoquè filios, & Ioseph fratres suos obtestãtes adiurant, vt eorum ossa ad eandem speluncam post obitum transferant. Quid est ergò, quòd sancti viri, qui & præsentem, & omnem mundi gloriam sublimi mentis arce despexerant, tam cupidè, tam anxiè, tam studiosè de loco, vbi eorum conderentur cineres, litigabant, nisi quia per Prophetiæ spiritum nouerant, Saluatorem mundi illic de suo semine nasciturum, & sanguinem, qui mundi peccata dilueret, in illa specialiter regione fundẽdum? sicut per Psalmistam dicitur: Quia Deus noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ. Quod nimirùm quanquàm de ipso Domini corpore specialiter possit intelligi, de regione tamen illa quoquè, vbi pati dignatus est, quæ certè mundi meditullium est, non incongruè dici videtur. In Chananæa igitur terra sancti Patres nostri tumulos elegerunt, vt indè illi mererentur quandoq; resurgere, vbi ille videlicet surrectionis author Christus, primogenitus viuorum & mortuorum, in se dignatus est resurrectionis gloriam declarare. Et quid ampliùs dicam de honore, quem bonorum remunerator Deus sanctorũ suorum corporibus exhibet, quandò ipse Deus omnipotens Moysi corpus dignatus est sepelire, & Elisei cadauer mortuum legitur suscitâsse? Immò, vt verum fatear, quod in carne viuentibus sanctis minimè contulit, hoc sæpè diuina dispensatio mortuis prærogauit. Quod in Abdo scilicet viro Dei liquidò perpenditur, quem viuentẽ quidem leo potuit occisurus inuadere, sed cadauer eius nequaquàm permissus est aliquatenùs violare. Preciosa nimirũ in cõspectu Domini,

30. Iulij.

2. Cor. 5.

Gen. 18.

Gen. 24.

Gen. 49. & 50.

Psalm. 73.

Terra sancta mundi meditulliũ dicitur.

Deut. 34.

4. Reg. 13.

3. Reg. 13.

Psalm. 115.

Notent hęc modernitẽpore hęretici quibus curæ nõ est, quo loco sepeliantur.

mini, mors sanctorum eius. Non ergò mirum, si diuina dispensatio congrua Sancto. rum corporibus loca distribuit, & ea nunc quasi quoddam depositum terræ commẽ. dat, quæ postmodùm in regnis cælestibus tranferẽda restituat. Sed iam propter quod ista præmisimus, de beati Ruffini miraculis breuiter aliqua perstringamus.

Beati igitur huius martyris corpus de suburbio Assisiensis oppidi, vbi antiquitùs fuerat positum, intrà mœnia postmodùm fuit gentilis impetûs terrore translatũ. Labrum autem lapideum, in quo prædictum corpus antè iacuerat, per longum tempus extra muros fuerat derelictũ. De quo nimirùm inter populum & Hugonem, eiusdem tunc sedis Episcopum, grauis est orta seditio. Episcopus siquidem ad ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis, quæ eius loci prima sedes est, deferendum esse censebat, co. nimirùm consilio, vt quòd mater Ecclesia corpus martyris non haberet, quodam saltẽ vacui sepulcri solatio compensaret. Econtrà populus asserebat, inter sacras reliquias & proprium tumulum diuisionem fieri nõ debere, nec humanis nunc adinuentioni. bus permutandum, quod ab ipso glorioſi martyris cõsummato triumpho videretur diuinitùs institutũ. Taliter igitur hinc atque indè certantibus, labrum mœnibus vr. bis infertur, & ab vtrisque simul partibus ad biuij cuiusdam compitum peruenitur. Illìc itaque cùm fautores Episcopi ad sanctæ Mariæ, reliqua autẽ pars populi ad beati Ruffini basilicam sacrum vasculum pertrahere molirentur, his atque illis in diuersa nitentibus, crescente iurgio, eò vsque processum est, vt furentes arma corriperent, &

En quantus in pisco populo amor reliquiarum.

mutuos inter se ictus, amissa placidæ mentis ratione, miscerent. Vibratis itaq; gladijs, cominùs vtrinque concurritur, & acres ardentibus animis ad infligenda mutuò vul. nera debacchantur. Sed ô prædicãda diuina clementia, quæ humanis miseretur erro. ribus, & sæpè nostris prauis voluntatibus ità obuiat, vt ad bonos exitus ipsa etiã malè cœpta perducat. Quid multis morer? Nullus illic vulneratur, nulla deniq; nec tenuis quidem gutta sanguinis funditur, atque vt mirabilibus adhuc mirabiliora succedant, sexaginta ferè viri ex parte Episcopi prædictum vasculum ad Ecclesiam beatæ Mariæ conabantur attrahere, sed nullis illud nisibus de loci sui fixa potuerunt statione mo. uere. Illi igitur cùm iam præ lassitudine fracti, omninò deficerent, & vehiculum lapi. dis funditùs desperarent, tunc ex altera parte vix septem homines vrnã corripientes, ad S. Ruffini basilicam tanta illam permissi sunt celeritate peruehere, vt nõ lapidem, sed palearum potiùs viderentur fasciculum deferre. Ilicò populi clamor exultantis attollitur, gratiarũ actio fautori Deo læta persoluitur, & quia pius Deus vnum cum populo suo senserit, ab omnibus alacriter diuulgatur. Tunc denique probatum est, verum esse quod dicitur: Vox populi, vox Dei.

Accessit autem ad rei certitudinẽ & presbyter quidam, ab ipso videlicet beato Ruf. fino ad Episcopum missus. Nam cùm præfatus Episcopus aduersùs eos, qui sibi restite. rant, non leuiter commotus esset, atq; illi pararent sibi dignè satisfacere, & deuota il. lum humilitate placare, presbytero, quẽ diximus, per visum beatus martyr apparuit, eiq; dixit: Vade, & dic Episcopo, si me non vult offendere, satisfactionem quamlibetà populo non recipiat: sed gratis ei puram sui amoris & benedictionis gratiam reddat:

Videan sãcti nesciant res humanas.

Mea siquidem hoc gestum est voluntate, vt vasculum illud ad meã deferretur eccle. siam, quatenùs meum in eo corpusculum denuò recõdatur. Nouerit etiam, quia nisi ego illis tumultuantibus interfuissem, meq; eorum telis oppositissem, magna homi. num strages fusa iacéret. Sed cùm Episcopus adhuc hæsitãs, ne his quidem verbis pre. sbyteri fidem accommodare disponeret, eccè quidam, qui contractus fuerat, gaudens

Contracti sanatio.

& exultans eodem die à beato sc Ruffino fatebatur erectum, sibiq; ab eodem beato martyre hoc mandatum perhibebat iniunctum, vt hæc ipsa cuncta per ordinem, quæ presbyter asserebat, ipse quoq; nihilominùs Episcopo nunciaret. Tandèm Episcopus omni scrupulo dubietatis amoto, quod sibi imperatum est, incunctanter exequitur, atq; in gratiam suo populo donatis offensionibus fœderatur. Sed nè apud aliquẽ fortassis Episcopus nœuum' repræhẽsionis incurrat, quia ab ecclesia sua ad horam disce.

Gen. 29.

dens, contra Dei iudicium sentiebat, Isaac ad memoriã reducendus est, qui non Esau, à se videlicet electum, sed Iacob potiùs, ab vxore suppositum benedixit. Et illic ergò carnalis vxor, & hìc spiritualis spõsa viris suis in propriæ sententiæ diuersitate præua.

1. Cor. 1.

luit: quia qui mundi infirma elegit, vt confundat fortia, Deus vtrique consensit. Pro.

2. Reg. 7.

pheta quoque Dauid construere templum voluit, sed hoc illi superna dispositio non permisit. Inter Paulum quoquè & Barnabam pro Iohanne quodam legimus interue

Acto. 15.

nisse dissidium: propter quod tamen nõ solùm vtriusque Apostoli nõ imminutum est me-

ritum, sed ipse quoquè discipulus ab Apostolicæ disciplinæ linea non errauit. Non ergò mirum, si nunc homo aliquandò insciusà veritate dissentiat, cùm & ipsis Apostolis & Prophetis humanitùs aliquid accidisse, scripturarum authoritas probet. Sed hæc aliàs. Nunc ad proposita redeamus. Porrò eodem die, duo cæci ad alta- Cæci vidẽt. re beati martyris illuminati sunt. Sed & alius debilitatus membris & gibberosus, Gibberosus erigitur erectus est, & saluti per omnia restitutus. De quibus porrò miraculis, duntaxàt quid factum sit, nobis referre sufficiat, nè si qualiter facta sint singula, per rei gestæ ordi- nem referre contendimus, auditores fortassè (quod absit) lacinioſi styli prolixitate grauemus. Ipsa quoquè miracula enumerando persequi cuncta negligimus, sed ve- lut ex magno quodam flumine cyathum haurientes trahimus, quem super mensam Christi conuiuantibus salubriter propinemus: nè mentis stomachus ingurgitatione grauari, sed sobrio potu tantummodò sitis possit auferri. Ad alia igitur adhuc enar- randa miracula, quæ per eundem beatissimum martyrem diuinitùs sunt ostensa, per- gamus:

Peridem itaque tempus vir quidam non ferendæ vesaniæ crudelis & rigidus, pau- perculæ mulieri de sui iuris agro chartulam fecerat, quam tunc cum magni furoris impetu contumaciter requirebat: vndè & bouem sibi, & vnam securim violenter abstulerat, robur videlicet domesticæ facultatis, & spem regendæ familiæ. Quod illa præ dolore non ferens, cum contribulati amaritudine spiritûs ecclesiam beati Ruffi- ni festinanter ingreditur, ante altare prosternitur, atque vt sibi in tantæ calamitatis articulo subueniret, lachrymabiliter deprecatur. Quid plura? Adest tandèm diuina misericordia, & mox vt ab oratione consurgit, iacére in pauimento securim suam ante pedes attonita conspicit. Ilicò mœror nimirùm in lætitiam vertitur, & digna Nora non nouerit Sanctos res no- stros. Deo gratiarum actio à cunctis, qui aderant, vnanimiter exhibetur. Sed eccè raptor negocium adhuc suæ peruersitatis exequitur, & præfatæ mulieri, nisi monimentum redderet, supplicium comminatur: qui tamen mox vt securim tam mirabiliter red- ditam didicit, confusus & obstupefactus expauit, bouem reddidit, pœnitentiam egit, atque omnem querelam, quam eatenùs aduersùs eam habuerat, sedata animi feri- tate, sopiuit.

Prætercà duodecim fures inuicèm conspirantes, in domum cuiusdam rustici hosti- liter irruerunt. Qui ligantes eum primò, deindè boues & cætera domûs animalia di- ripientes, protinùs abiêrunt. Intereà rusticus lachrymabiliter vociferabatur, & ge- mebundus aiebat: O sancte Ruffine, adspice miserum, releua calamitate depressum, nec placeat tibi, vt prædones & nequissimi homines meæ facultatulę paupertate di- tentur. Ad hanc ergò vocẽ (mira res) cùm iam raptores animalia prosequentes, duo- Boues furtò ablati, per 12. milliaria peragrãtes, in suam eam lam vterò reuersi sunt. decim milliarijs ferè transmissis procùl abîssent, eccè omnes, qui direpti fuerant, gre ges, balantes & mugientes accurrũt, & intrà caulas se solito more recipiunt. Sicque factum est, vt & illi quæ præ manibus habere videbantur, repentè sublata congeme- rent: & iste quæ deflebat amissa recipiens, versis vtrobiquè vicibus, exultaret. Visis itaque tot virtutibus, & tam euidentibus miraculorum signis, prædictus Hugo, vene- rabilis eiusdem sedis Antistes, de parua basilica, in qua sanctum corpus fuerat antè receptum, magnam construxit ecclesiam, & iuxta possibilitatem sumptûs, non igno- biliter decorauit. Deindè beati martyris corpus in ipso alueo, qui certaminis materia fuerat, condidit, & cum magna totius diœcesanæ plebis frequentia altare desuper consecrauit. Porrò autem quanti illic deincèps cæci fuerint illuminati, quanti à dæ- Multa mi- racula fiunt monibus erepti, quanti ex varijs languoribus liberati, perlongũ est vel apicibus tra- dere, vel sermone proferre.

His itaq; transactis, cœpit non parua inquisitio fieri, quo die inuictissimi triumpha- toris Christi Ruffini deberet martyrium celebrari. Nullis siquidem apud eos extanti- bus historiæ monimentis, sola erat eatenùs annuæ dedicationis solẽnitate contenti. Tandèm authore Deo, reperta passionis historia, constituit venerabilis Pontifex iux- ta tenorem videlicet, quem literæ testabantur, vt tertio Calendas Augusti eiusdem glorioſi martyris festiuitatis coleretur. Nonnulli verò aduersùs Episcopum inuidiæ facibus accensi, & vesaniæ spiritu implacabiliter incitati, tumultuabantur, onerosum esse dicentes, populum geminatis vnius sancti solennitatibus feriari, superstitiosum- que esse domesticis adinuentas studijs festiuitates nouiter introduci: ad summam, non fabricatum hoc religionis amore, sed ardore pecuniæ. Præsertim autem quidam proterui homines, qui à vocabulo loci, quem incolunt, Insulani vocantur, ipso præ-

claræ festiuitatis die irreuerenter abutentes, cœperunt cum suis mulier eulis non modò textrinis operibus audaciter insistere, verumetiam ruralibus exercitijs liberiùs insudare. Sed protinùs illos sententia diuinæ animaduersionis vlciscitur, & flagellis eruditi, ad cor redeunt, qui cor habere in prosperitate noluerunt. Vt eis aptissimè congruere videatur, quod per Prophetam dicitur: Redite prævaricatores ad cor. Illud etiam: Et nunc ignis aduersarios consumit. Nam casas eorum repentè flamma corripuit, & non solùm domestica quæque, sed & quæ in agris erant, omnia globis inextinguibilibus conflagrauit, adeò vt infelices illi in extremis iam periculis constituti, ad amnem hincindè confluerent, & in ipsum gurgitis alueum accensa quæque iactarent. Sed vt perspicuè probaretur hoc non casum, sed diuini furoris esse indicium, quicquid mergebatur, extingui non poterat. Miro itaque modo elementū illud vires sui iuris & partim tenebat, & ex parte perdiderat. nam & liquida erat aqua, vt immersa quæque fluctu dehiscente reciperet: & quodammodò humida non erat, vt ardentia extinguere posset. Sed quid minimis immoror, cùm & ipsa hominum membra flamma prosiliens occupauerit, & extinctionis remedium, quocunquè se verterent, inuenire nō valerent? Tandèm vstulati, fumigati, & in modum torris combusti, cum magnis vlulatuum stridoribus ad beati Ruffini altare cōfugiunt, indulgentiam petunt, & commissi piaculi decæterò emendationem per pœnitentiam pollicentur. Precibus igitur beatissimi martyris ab incendij doloribus liberati, incolumes ad propria sunt reuersi. Ab illo itaque tempore absque vllo cunctationis obstaculo, beati Ruffini martyrium colitur, & die, quam prædiximus, cum magnæ deuotionis instātia ad eius ecclesiam à populis vndiquè conuenitur.

Esa. 46. Obserua vltionem in violatores festi.

Elemētum aquæ vires suas naturales reprimit.

Illud quoquè prætereundum esse non arbitror, quòd viri quidam trabem de sylua operosis exercitijs lenigatam, ad beati Ruffini vectare ecclesiam conabantur: quibus nimirùm quidam Perusinorum violentiam ingerentes, lignum hostiliter extorserūt. Sed cùm raptores arborem instātissimi conatūs anxietate protraherent, & iamiamque Perusinis mœnibus vno vix interiacente milliario propinquarent, repentè veliculum hæsit, nullisque virium nisibus impelli vlteriùs potuit. Intereà cōtigui quique homines ad auxilium confluunt, non pauci etiam iugati boues adduntur. Ordinant diligentiùs machinam, inuicèm exhortantur, in robur se colligunt, armos objiciunt, vociferanter impingunt, lignum tamen immobile permanet, àc si fixum radicibus teneretur. Demùm magistra necessitas docuit, quod cæca hominum prauitas ignorabat. Mens nanque eorum perpetrati criminis conscia, licèt serò, liquidò cognouit, quia qui de beati martyris substantia rapinam fecerant, meritò illis diuina virtus obstabat. Mutato itaque repentè consilio, Assisium versùs ilicò vehiculum dirigunt, & accelerandi facultate percepta, beatissimo martyri, quod superbè rapuerant, humiliter reddunt.

Pœna sacrilegij.

De sanctos visionis suæ cibo reficit.

Agamus igitur Saluatori nostro Christo gratias, & digna laudum præconia referamus: qui dum per ciues supernę Hierusalem talia nobis beneficia prerogat, tanquàm per exiguas micas ac tenues, ad plenum nos conuiuiū mensæ cælestis inuitat: & dum illos iam post laborem quiescentes in patria vbertìm satiat, nos etiam in huius peregrinationis itinere, quasi quibusdam ciborum reliquijs vtcunquè sustētat: immò qui illos solido suæ visionis cibo reficit, quandò nos signorum suorum lacte tanquàm paruulos nutrit, donèc occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: Qui cum Deo Patre & Spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Ephes. 4.

EIVSDEM HYMNVS DE IPSO SANCTO RVFFINO, BREVITER EIVS MARTYRIVM COMPRÆHENDENS.

Cæditur os lapidibus &c.

Mittitur in caminum.

MAgnum Ruffini meritum turba canat fidelium,
Quo mundi victor extitit, & liber astra petijt.
Bellator inuictissimus præbet ora lapidibus,
Sed verbis grando verberum non indidit silentium.
Plumbatis indè cæditur: iamiàm obisse creditur:
Sed qui putatur mortuus, surgit in arma promptiùs.
Detruditur in clibanum, furentem flammis ignium,

Cami-

Caminus sed incendij, fit nemus refrigerij.
Nam flammis crepitantibus clarus immersit Angelus,
Ad cuius mox imperium perdit vires incendium.

DIVISIO HYMNI.

Certat martyr egregius, vt leo vinci nescius:
Cuncta pœnarum genera mente calcat intrepida.
Saxum collo suspenditur, sic fluctibus immergitur,
Quem aqua Christo genuit, per hanc ad ipsum peruenit.
Nunc carnis liber onere, rubro vestitur podere,
Corona plexus capite de precioso lapide.
Te martyr alme petimus mentis pronæ visceribus,
Nos tua soluant merita, quos nostra grauant debita.
Sit Patri laus ingenito, sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili maiestas summa Flamini,
AMEN.

Mergitur in aquas.

MARTYRIVM SANCTARVM MAXIMÆ, DONATILLAE ET SECVNDAE VIRGINVM, AVTHORE *Adone Archiepiscopo Treuirensi.*

APVD Aphricam ciuitate Tuburbo Lucernariæ, natalis sanctarum virginum Maximæ, Donatillæ & Secundæ: quę persecutione Gallieni sub Anolino iudice passę sunt. Qui interrogatione facta, distulit audientiam, & beatas virgines sorores Maximam & Donatillam, ad ciuitatem Tuburbitanam perduci iussit: quibus nec panem, nec aquam subministrari præcepit, sed aceto & felle potare. Videns autem beatissimarum fidutiam, exarsit in ira, & iussit vt vrgerentur ambulare. Iulij 30.

Aceto & felle iubentur potari.

Tunc erat quædam puella in superioribus domūs suæ constituta, annorum duodecim, nomine Secunda: cui dum multæ nuptiarum conditiones offerrentur, omnes contempsit, & vnum Deum dilexit. Hæc accensa spiritu Dei, cùm videret commartyres suas Maximam & Donatillam transeuntes, (fuit enim in superioribus domūs eius mœnianum, vbì stabat) & sanctarum virginum pulchritudinem oculis fidei consideraret, cogitauit & decreuit ad similem gratiam peruenire, &, nè aliquis prohiberet, honestè descendere. Vtque omnia impedimenta vitaret, nec opes, nec nationem suam contemplata est, nec patrem carnalem curauit: sed relictis omnibus, vnum authorem castitatis Deum quæsiuit, quem inæternùm possedit & tenuit. Cùm ergò egrederentur beatæ martyres & procederent, Secunda festina clamabat post eas: Nolite me dimittere: veniam vobiscum. & simùl cum eis in ciuitatem Tuburbitanam ingressa est. Alia die, hora tertia Anolinus proconsul pro tribunali consedit, & Maximam & Donatillam sibi præsentari præcepit, & ad tormenta elidi. Et cùm cæderentur, iussit calcem super plagas earum spargi & fricari. Deindè in eculeo extendi & torqueri, & statuam ad libādum offerri. (alij codices legunt, statuam ad bibendum offerri) Deindè in craticula & ad carbones igneos sterni, prunasque ardentes super comam capitis earum adijci. Postmodùm in theatro ad delubrum deponi, & ab hominibus conculcari.

Secundæ puellæ ex mia virtus.

Dirè cruciantur.

Tunc ex officio dictum est, esse cum eis puellam aliam, nomine Secundam: quam suo iudicio Anolinus proconsul applicari præcepit. Cumque adesset, ait: Christiana es, an pagana? Secunda dixit: Christiana sum. Statìm Anolinus cum Maxima & Donatilla ad bestias eam damnauit: easque ferro vinctas ad spectaculum populi adduci præcepit. Quæ cùm inducerentur, in media arena osculatę sunt se inuicèm, vt martyrium pace complerent. Vrsus ferocissimus ac sæuissimus ilicò eis laxatus, in mansuetudinem versus, earum vestigia linxit potiùs, quàm momordit. Iratus Anolinus, quia se furente, bestias mites vidit, locutus cum concilio, sententiam ex tabella recitauit: Maximam, Donatillam & Secundam, in superstitione sua perdurantes, quæ diuersas pœnas pertulerunt, & bestijs obiectæ sunt, & dijs nostris sacrificare noluerunt, gladio

Damnātur ad bestias.

Vrsus mansuescit.

Cæduntur gladio. animaduerti iussi. Maxima, Donatilla & Secunda dixerunt: Deo gratias. & consummatæ sunt 3. Calend. Augusti.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI CHRYSOSTOMI *Encomium sanctorum duodecim Apostolorum.*

Iulij 30. vt vult Metaphrastes.

MERITO hodiè quoquè aduentu sancti spiritûs impleta est hæc sagēna Piscatorum, nobis rationis compotibus piscibus in eam nostra sponte insilientibus. Sermo enim verbi, qui erudijt illiteratos, & eos, qui erant tardæ & impeditæ linguæ, linguis acuit igneis, traduxit eorum artem ad id, quod est diuinius, dicens: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Dixit: Venite post me, & mutati statim sunt in id, quod est melius. Duodecim electi sunt athletæ, & nullus eorum mansit non coronatus. Vna enim gratia erat omnibus socia certaminis, & cum eis concurrebat, & vniuscuiusque victoriam reddebat magis probatam. Solus miser Iudas seipsum à tali chorea separauit, cùm osculo lupis ouem ostendisset, & triginta argenteis vendidisset Dominum, cuius sanguis emit mundum.

Matth.4. Apostoli omnes saluantur.

Iudæ proditio causa interitûs. Matth.26.

Sed ô beatum & præclarum vestrum, ô Apostoli, cœtum, quòd omnia facti estis omnibus Dei gratia: non arundine, sed sermone greges hominum peritè capientes. Vos enim estis immobiles columnæ rectæ fidei, sceptra Ecclesiæ, & huius maximè Pastoris vigiles defensores, morbi humanitatis gratuiti medici, & nostræ ad Deum pœnitentiæ susceptores misericordes. Cùm enim essetis velutì quædam animatæ incudes, dum verberaremini, eos, qui verberabant, fabricati estis ad agnitionem. Hinc Petrus Romam accipit in disciplinam, Paulus illinc mundo annunciat Euangelium. Andreas corrigit Græciæ sapientes. Simon Barbaros Deum docet. Thomas baptismatè dealbat Aethiopes. Iacobi cathedram honorat Iudæa. Marci thronum, quæ est ad Nilum, complectitur Alexandria. Lucas & Matthæus scribunt Euangelia. Iohannes, qui vel post finem adhuc tractat Theologiam, tanquàm viuus curat Ephesum. Bartholomæus erudit Lycaonas ad temperantiam. Philippus faciens miracula, seruat Hieropolin.

Esa.60.

Petrus Romæ docuit, alij Apostoli diuersis locis.

Non cessant omnes omnibus vbiquè benefacere. Puluerem immortalem reliquerunt in sepulcris: nunc quidem pij cultores, paulopòst autem sedētes mundi Iudices. Cùm huic appropinquâsset claudus, reuersus est sanis & integris pedibus. Cùm in illum incidisset paralyticus, iussus est ferre grabatum. Alius vocabat mortuos: illi verò ei statim obtemperârunt. Alterius autem vmbra sola fugabat morbos. Alterius inuocationem exhorrebant dæmones, & eorum sudaria distillabāt medicinam. Erant enim discipuli illius, cuius fimbria furto surrepta contactu eius, quæ sanguinis laborabat profluuio, exiccauit rubrum mare sanguinis.

Act.3.

Act.5. & 19.

Matth.9.

Sed ego reuertor ad principes Apostolorum, & memini vocis illius propheticæ: Eccè quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Inchoet ergò Petrus orationem, quoniam is quoquè fuit conductus prior in vinea Domini. Petrus gregis boni pastoris ouis primogenita. Petrus qui ex lacu transijt in cælum: Qui relictis nautis, dignus fuit habitus, vt loqueretur cum Angelis: Qui relicta naue oneraria, gubernandam assumpsit Ecclesiam: Qui electus est clauiger cælorum, & in terra accepit potestatem ligandi & soluendi: Qui est velox ad vocationem, & in fide minimè dubitans, & magistri feruidus defensor in omnibus: Qui dixit, Tu es Christus filius Dei viui. Qui vnà cum Domino mori proposuit, & vsque ad atrium Caiphæ vnà vadit cum redemptore. Qui etiam negans, fuisti dignus venia: & pœnitentia ductus, admirabilis. Neque enim tam fuisti reprehendendus propter negationem, quàm beatus censendus propter pœnitentiam.

Psal.132.

Matth.16.

Ibidem.

Matth.26.

Attendat peccator quisque pœnitentiam S. Petri.

Nobis enim fuit errans quoquè vtilis, quòd cùm citò fleuisset, obruit delictum: & parùm labefactatus, inuentus est in æternum fundamentum fidelium. Si enim consideraueris, ô dilecte, id quod tunc erat tempus, non inueneris in Petrum magnam cadere

dere reprehensionem. Quandò enim sol fugiebat, cælum abscondebatur, terra mouebatur, petræ frangebantur, vt quæ ferre non possent contumeliam eius, qui creauerat, tunc primus cæspitauit, tunc princeps negauit, & ratione vacuum diei nūcium, inuenit statim probationem eius, quæ prædicta fuerat, negationis, Priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Sed cùm primus negâsset, primus cucurrit ad sepulcrum: primus vitæ datorem vidit resurrexisse à mortuis, cùm è Maria didicisset, & quod ei non erat ausus dicere Angelus, qui sedebat supra lapidem.

Iohan.20. Luc.24.

Sed post eum in medium veniat Paulus sapiētissimus orator orbis terræ, qui factus est ex lupo agnus, ex spinis botrus, ex zizanijs frumentum, ex inimico amicus, ex Hebræis manens firmus ac stabilis: Qui apud illos Saulus cædem spirans & minas, apud nos autem Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus: ex blasphemo Theologus, ex persecutore Euangelista, ex prædone gubernator, ex proditore miles. Qui cum Petro Romam sortitus est ad sepulcrum, & cum eo hanc quoquè Sichem non despiciebat: Qui in Beniamin fuit frater Ioseph, & in Thecla, & filijs pater, & magister: Qui ante Damascum cæcus, & in vnaquaque ciuitate oculus prædicationis: Qui è cælo est vocatus, & raptus fuit in cælum: Qui adspexit paradisum, antequàm hinc abiret, & victoriæ coronam accepit adhuc luctans, & rursùs, vt dicit, ei debetur. Quid enim dicit? Quam reddet mihi Dominus in illo die. Paulus qui ex vltimis primus: Qui ex abortionibus vir perfectus: Qui etiam persequens est suauis, & dum patitur persecutionem, dulcis: Qui est Romanus, & Pharisæus, & omnia omnibus factus propter fidem.

Actor.9.

2.Cor.12.

2.Tim.4.

Christus enim, qui dixit Petro, Oportet te pati: de Paulo etiam dixit, Quàm multa oporteat eum pati pro nomine eius: vt ille quidem crucifixus, hic autem truncatus capite, cùm vnam fidem prædicauerint, vnum cursum cōsummauerint, in vno sepulcro habitauerint, sint veri testes resurrectionis eius, qui passus est & mortuus, & resurrexit eo modo, quo nouit, & venit in sinum patris, quem quidem nunquàm reliquit.

Iohan.21. Actor.9.

Quos ipse Dominus alloquitur propheticè: Circundate hāc nouam Sion, & comprehendite eam: hoc est, seruate, confirmate & munite precibus, vt quandò in tempore irascar, & mouebo vniuersam terram, adspiciens vestrum, quod non desinet, sepulcrum, & quæ vestra sponte simul propter me fertis stigmata, vincam iram clementia, & propter hanc vestram percipiam intercessionem. Sacerdotium enim & regnum quandò videro lachrymans, statim tanquàm misericors inflector ad misericordiam, & memini illius meæ vocis: Protegam hanc ciuitatem propter Dauid seruum meum, & Aaron sanctum meum. Qui quidem cùm sicut vos fide essent concordes, & voluntaria humilitate texissent authoritates, & vestitu ostendissent animi abiectionem, multas mihi obtulerunt myriadas discipulorum, me ferentes, & à me mundo petentes placationem. Dixi enim: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis. Domino sit gloria in secula seculorum, Amen.

Psal.47. Petrus & Paulus inuocādi pro conseruāda fide.

Esa.37.

Matth.7.

DE SANCTO FABIO MARTYRE CÆSAREENSI, EX ADONE TREVIRORVM *Archiepiscopo.*

Iulij 31.

AEsareæ passio S. Fabij martyris: qui cùm ferre vexilla præsidialia recusaret, primùm diebus aliquot in carcerem trusus est. Deindè productus, sistitur ante tribunal. Interrogatus semèl & iterùm, in Christi confessione perdurat, & mox à furibundo iudice capitali sententia condemnatur. Post hæc inhumatum corpus custodiri iubetur: quod post triduum reticulo insutum, in maris profunda, seorsùm caput, seorsùm cadauer, immergitur. Sed Domini virtute rescisso reticulo, membra capiti reuocantur, & scapulis ceruix cum indicijs passionis adiungitur. Atque ità suæ integritati redditum corpus, vnda blandiore ad Caternitanum litus euectum, & condigno cultu à fidelibus in basilica tumulatum est.

Caput ei amputatur.

Insigne miraculum.

VITA SANCTI GERMANI EPISCOPI ANTISIODORENSIS, AVTHORE CONSTANTIO *presbytero.*

Epistola Constantij presbyteri ad sanctum Patientem, Lugdunensem Episcopum.

Obedientię præstantia.

DOMINO beatissimo Apostolico, & mihi in æternum patrono Patienti, Constãtius peccator. Meritò inter omnes virtutes obedientia vendicat principatum, quæ facit plerosque tentare, quod nequeunt. Et ideò dignæ deuotionis laude habendi sunt, qui considerata suî impossibilitate, iubentibus obsequuntur. Itaque papa venerabilis, dum & sanctum virum illustrare virtutibus suis desideras, & profectui omnium, miraculorum exempla largiti: imperâsti sæpissimè, vt vitam sanctissimi Germani Episcopi obumbratam silentio, qualicunquè stylo vel præsentibus, vel posteris traderem. Quod dum audacter aggredior, præsumptionis reum esse me sentio: sed date veniam. Nam penè est, vt etiam iudicium vestrum quædam culpa respergat, qui tantæ materiæ relatorem magis dignum debuissetis eligere. Sed quia vterque charitati operam damus, dum & vos me putâstis posse, quod nequeo, & ego authoritati vestræ libens páreo, orate vt ministerium meum gratiam, quam suî merito non potest obtinere, vestra incercessione mereatur. Vale longùm in Christo, meique semper memor beatissime præsul.

Item eiusdem Epistola ad sanctum Censurium Antisiodorensem Episcopum.

DOMINO beatissimo, & mihi Apostolico honore venerabili Censurio papæ, Constantius peccator.

Prima mihi cura est, pudorem conscientiæ humilis custodire: cuius cancellos si in aliquo fortè transgredior, iubentum magis culpa, quàm mea est. Itaque vt vitam gestaque beatissimi Germani Episcopi vel ex parte perstringerem, fratris vestri sancti antistitis fecit authoritas. Cuius præceptioni, si non vt debui, vt potui tamen, paruî. Cumque obedientia mea ad beatitudinis vestræ notitiam peruenisset, vt iteratò in temeritatem prorumperem, præcepistis iubendo, vt paginula, quæ adhuc intrà secreti vicinia tenebatur, longiùs me authore procederet, essemque ipse reatûs mei quodammodò accusator & proditor. Manifestè enim condemnatio in me manebit, si verborum meorum abiectio doctorum afferatur auditui. Reiecto itaque pudoris velamine, obtemperans iussioni, transmisi vobis impensæ deuotionis obsequium, pro fidutia charitatis deposcens, vt duplici me fauore tueamini: quatenùs & legentum examen euadam, & ministerium meum per intercessionem vestram domini mei sancti Germani sensibus intimetur.

PROLOGVS EIVSDEM AD LECTOREM.

PLERIQVE ad scribendum, solicitante materia vberiore, producti sunt, dum per multiplices sensus locupletari creduntur ingenia. Sed mihi illustrissimi viri Germani antistitis vitam gestaque vel aliqua ex parte dicturo, incutitur pro miraculorum numerositate trepidatio. Et sicut solis splendor, humanis illatus obtutibus, hebetata oculorum acie lumen confundit ex lumine: ità animi mei infirmitas oblatum præconiorum cumulum, quem implere non potest, expauescit. Sed rursùs intrà sedem pectoris mei contentio alterna confligit: Hinc resistit impossibilitas conscientiæ: illinc commemorare aliqua vel proferre, & religionis contemplatio, & innumerabilium miraculorum exempla compellunt, quæ agnitioni vel profectui omnium impiè per obductum silentium subtrahuntur. Idcircò mâlui verecundiam meam negligere, quàm virtutes diuinas vsqueadeò oblitione veterascere. Excusat materia Dictorẽ, & cui verborũ abiectio displicuerit, sensus placebit. Nec vereor * persuasorẽ me huiusce ministerij iudicandum. Tanta enim temporum fluxêre curricula, vt obscurata per silẽtium vix colligatur agnitio. Et verè mâluiſſem

* perua-sorem,

mâluissem relatores tantorum bonorum alios potiùs, quàm me, fuisse: quia quicunq; illi, me fuerant digniores. Quod quia non contigit, me mâlo esse, quàm neminem.

VITAE LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Iulij 31. Patria.

GITVR Germanus, Antisiodorensis oppidi indigena fuit, parentibus splendidissimis procreatus, & ab ipsis infantiæ rudimentis, studijs liberalibus institutus. In quo doctrinæ collatio cũ ingenij vbertate consentiens, eruditissimum duplicato bono, id est, naturæ & industriæ, reddiderunt. Atque vt in eum perfectio literarum plena conflueret, post auditoria Gallicana, intrà vrbẽ Romam iuris scientiam plenitudini perfectionis adiecit. Deindè tribunalia præfecturæ, professione aduocationis ornauit. In quo actu dum multiplici laudis luce resplẽderet, sublimem genere, diuitijs & moribus, sortitur vxorem. Quem quidem togæ præconijs præmienten, protinùs res publica ad honorum præsumpsit insignia, ducatûs culmẽ & regimen per prouincias conferendo. Erudiebatur profectò diuinitatis occulto iudicio, nè quid perfectionis deesset Apostolico pontifici mox futuro. Parabatur eloquentia prædicationibus, iuris doctrina iustitiæ, vxoris societas ad testimonium castitatis.

Magna eius eruditio.

Fit aduocatus.

Ducit vxorem.

Dux constituitur.

CAP. II.

EO nanq; tempore territorium Antisiodorẽsis vrbis visitatione propria gubernabat. Cui mos erat, tyrũculorum potiùs industrijs indulgere, quàm Christianæ religioni operam dare. Is ergò assiduè venatui inuigilans, ferarum copiam insidijs atq; artis strenuitate frequẽtissimè capiebat. Erat autem pirus arbor in vrbe media, amœnitate gratissima, ad cuius ramusculos ferarum ab eo deprehensarum capita, pro admiratione venationis nimiæ, dependebant. Quem cœlebs vir, eiusdem tunc ciuitatis Amator Episcopus, his frequens compellabat eloquijs: Desine, quęso, vir honoratorũ splendidissime hæc iocularia, quæ Christianis offensa, paganis verò imitanda sunt, exercere. Hocopus idolatriæ culturæ est, non Christianæ elegantissimæ disciplinæ. Et licèt hoc indesinenter vir Deo dignus perageret, ille tamẽ nullo modo admonentise acquiescere voluit, aut obedire. Vir autem Domini iterùm atq; iterùm eum hortabatur, vt non solùm à consuetudine malè arrepta discederet, verumetiam & ipsam arborem, nè Christianis offendiculum esset, radicitùs abstirparet: sed ille nullatenùs autem placidam applicare voluit admonenti. In huius ergò persuasionis tempore, quadam die Germanus in prædia sui iuris ex vrbe secessit. Tunc beatus Amator opportunitatem opperiens, sacrilegam arborem cum caudicibus abscidit. Et nè aliqua eius incredulis esset memoria, igni concremandam ilicò deputauit. Ossilla verò, quę tanquàm trophæi cuiusdam certaminis vmbram dependentia ostentabant, longiùs à ciuitatis terminis proijci præcepit. Protinùs autẽ fama gressus suos ad aures Germani retorquens, dictis animũ incendit, atq; iram suis suasionibus exaggerans, ferocem effecit, ità vt oblitus sanctæ religionis, cuius iam fuerat ritu atque munere insignitus, mortem viro beatissimo minitaret. Et nè ei aliquo modo quorundã Christianorum conuentus furenti resisteret, turbam suorum secum adunans, ciuitati improuisus aduénit. Hæc omnia, dum à quibusdam cognita, Amatori sanctissimo panderentur, ait: Ego indignum me esse iudico, testem fieri fuso sanguine Saluatori: hoc est, quod Græciappellant martyrem. Diuina ergò reuelatione suæ discessionis tempus agnoscens, & Germanum sibi futurum successorem prævidens, Heduam profectus est, vbì Iulius reipublicæ rector ac Galliæ gubernator præsidebat.

Amputat arborẽ, quæ erat offendiculo.

S. Germanus minatur S. Amatori mortem.

CAP. III.

TVnc Simplicius, vir summæ simplicitatis atque charitatis, eiusdem ciuitatis Episcopus, rumore aduentûs eius præuentus, ei cum ordine clericatûs, necnon & cum Iulio præfecto, officij sui turmis stipato, ire obuius non neglexit. Quem ritè salutatum, atq; debitæ venerationis assentatione puriùs honoratum, ad Heduam ciuitatem perduxerunt. Ex hinc postera die sanctus Amator ad prætorium Iulij se velle ingredi asserit. Cuius aduentum Iulius cognoscẽs, citus in occursum eius profectus est,

Nota priscorũ erga Episcopos reuerentiã.

& quemadmodùm decebat, fidelissimum Dei cultorem obsequijs intrà tectũ induc-
cit, & more Christianissimi filij, ipsius se postulat benedictionem suppliciter promere-
ri. Suppleta ergò oratione, sic sacerdos reuerentissimus præfectum alloquitur: Finem
meum, Domino mihi innotescente, cognoui. Et quia non est alter, qui regimen san-
ctæ Ecclesiæ susciпiat, nisì illustrissimus Germanus, sicut mihi Dominus Deus meus
reuelare dignatus est, posco celsitudinem tuam, vt licentiã tribuas mihi roganti, eun-
dem Germanum tonsurare. Cui præfectus: Licèt, inquit, necessarius sit atque vtilis
reipublicæ nostræ, tamen quia Deus sibi illum elegit, sicut tua beatitudo testatur,
contra Dei præceptum venire non possum. Tunc voti compos, cum lętitia suæ est ite-
rùm redditus ciuitati.

Reuelatur S. Amatori Germanum futurũ Epi-scopum.

CAP. IIII.

IN quam cùm venisset, præcepit vniuersum populum in atrium domûs eius adesse.
Qui cùm venissent, his eis concionatus est affatibus: Animo attentiores estote, filij
dulcissimi. Est operæprecium vestris sensibus alligari, quæ meæ mentis recessus partu-
riunt. Deo reuelante, diem transitûs mei de seculo euidentissimè scio atque cogno-
ui. Propterea hortor vnanimitatem vestram, vt diligentiùs perscrutantes, ex cœtu ve-
stro virum firmissimum eligatis, qui speculator sit domui Dei. Illi autem hoc audien-
tes, conticuerunt, & nullus eorum ei verbum respondit. Tunc ille videns, quòd o-
mnes silerent, iter direxit ad sanctam ecclesiam, in cuius comitatu omnis congeries
profecta est populorum. Subeunte autem illo ecclesiam, cùm & populus ingredi vo-
luisset, ità eum allocutus est, dicens: Exonerate, filij charissimi, iaculis manus, & arma
ab humeris vestris reijcite, & sic domum Dei ingredimini: quoniam hæc domus est
orationis, non Martis statio petulantis. Illi verò hæc audientes, dicto citiùs quicquid
chalybis gestabant, forinsecùs posuerunt. Tunc beatus Amator videns Germanum
illustrissimum nihil oneris truculenti portantem, præcepit ostiarijs, ecclesiæ fores vt
clausтris aperirent. Ipse verò glomerata secum turba Clericorum atque nobilium,
inijciens manus, Germauum appræhendit, & inuocato nomine Domini, cęsariem ei-
us capiti detrahens, habitu religionis, reiectis secularibus ornamentis, cum promo-
tionis honore induit, talibus eum verbis exhortans atque confirmans: Satagere te
oportet, frater charissime & venerabilis, quô incontaminatum atque immaculatum
custodias honorem tibi commissum: quia me decedente, tibi omnipotens pastorale
commisit officium.

Prędicit die obitûs sui adesse.

Germanus ab S. Amatore tonde-tur, & in cle-rum adsci-scitur.

CAP. V.

DEindè verò incipit beatissimus Amator obitûs sui incitamentis vrgeri. Et licèt
fuisset ægritudine saucius, nunquàm tamen omisit prædicationibus populum
confirmare, & dicere: Filioli, hanc Dominus meus, à quo hucusque fueram peregri-
nus, animam meam susciрiet: obsecro, vt vnanimes atq; concordes fratrem Germa-
num loci mei faciatis adipisci officium. Cui omnis turba consentiens, ad confirmati-
onem persuasionis eius respondit, Amen: non tamen sine lachrymis, neque sine do-
lore. Omnis nanque ætas atque ordo vel sexus lamentationibus afficiebatur, quia ta-
lem amittebat pastorem. Erat tamen in eis inter hæc solatij genus, quòd non dissimi-
lem forent recepturi pontificem. Igitur Calendarũ Maiarum quarta feria acriùs cœ-
pit corporis dissolutione fatigari. Sed nec sic quieuit etiã inter dolores à salutari prę-
dicatione, sed omnibus salubrem admonitionem inculcans, ità loquebatur: Prohi-
bete lamẽta sonare, vetate populos flere. Ibì profectò luctuosæ voces emittẽdæ sunt,
vbì meliori deterior fuerit successurus: hîc verò incassùm lachrymas funditis, vbì
optimis meliora succedunt. Istius nanque vobis prędestinati pontificis nõ solùm vita
proderit, verumetiam mors. Hoc dicens, præcepit se ad sanctam ecclesiam prouehi,
vt ibì spiritum datori redderet, vbì die ac nocte eidem consueuerat profiteri. Progre-
ditur cum eo dextra læuaque frequens populi multitudo. Prędcedit clericorum cho-
rus, matronarum caterua subsequitur. At vbì ecclesiam est ingressus, pontificalem
thronum assendens, ferè hora diei tertia emisit spiritum. Et continuò chorus san-
ctorum, quod est ad dicendum mirabile, successit, & spiritum eius cum hymnis &
laudibus in specie columbæ vehebat ad cælum. Hoc multis cernentibus & narranti-
bus est confirmatum.

Rogat po-pulũ S. Ama-tor vt reci-piat Germa-nũ sui loco.

B. Amator in cælos re-ficiscitur.

CAP. VI.

EXindè ad locum, qui appellatur Autricus, ad sepulturam deducitur. Vndè dum
redeunt, ecce prospiciunt quendam hominem paralyticum, qui iam triginta an-

nis ipso morbo detinebatur, ceruicibus hominum baiulari. Erat autem ex territorio
Biturico, quẽ sanctissimi Amatoris opinio de locis proprijs vehi ac peregrinari com-
pulerat. Accedunt hi, qui portabant, propiùs, viri Dei sospitatem inquirunt, cogno-
scunt ipsius esse, quam cateruatìm ex vrbe viderant proficisci, funeris pompam. Tũc
languidus exorat, vt vel aquis paululùm frui mereretur, quibus perfusum fuerat illius
sacratissimum corpus. Hoc comperiens reuerentissimus Germanus, tunc presbyter,
admirans fidem illorum, iussit ex eádem aqua paralytici membra perfundi. Mox au-
tem, vt deliburi corporis lympha ægroti est membris allata, protinùs languor omnis
discessit, & membrorum compages morbida resolutione ilicò carens, suis est conso-
lidata medullis, atque neruis vigentibus reparata.

Nota vim aquæ, qua perfusũ fuit corpus S. Amatoris.

CAP. VII.

TVm subitò diuina procedit authoritas, quam consensus vniuersitatis exequitur.
Nam clerici omnes, cunctaq; nobilitas, plebs vrbana vel rustica in vnam venêre
sententiam: Germanum Episcopum omnium vna vox postulat. Bellum ciuile indici-
tur potestati. Cuius subiectio facilis fuit, cùm etiã ab his, quos pro se parauerat, vince-
retur. Suscepit sacerdotium inuitus, coactus, addictus: sed repentè mutatur ex omni-
bus. Deseritur mundi militia, cælestis assumitur. Seculi pompa calcatur, vxor in soro-
rem ex coniuge mutatur, substantia dispensatur in pauperes, paupertas ambitur.

S. German⁹ coactus su-scipit Epi-scopatum.

CAP. VIII.

IAm verò enarrari non potest, qua hostilitate vim sibijpsi conciuerit, quę ve suppli-
cia corporis sui persecutor induerit. Breuiter tamen, iuxta veri fidem, vniuersa per-
stringam. Ex ea verò die, qua sacerdotij sumpsit exordium, vsq; ad terminũ vitę, tanta
obstinatione & tabe corporis animam suam pauit, vt nunquàm panem frumẽti, non
vinum, non acetum, non oleum, non legumen, nunquàm vel salem ad vsum condi-
endi saporis acceperit. Sanè die resurrectionis vel natiuitatis Dominicę, potiones sin-
gulæ sumebantur: in quibus ità vini sapor aquis nimijs diluebatur, vt aceti austeritas
solet largis permixtionibus temperari. In refectionibus primùm cinerem prælibauit,
deindè panem hordeaceum sumpsit, quem tamen ipse excussit & moluit. Et cùm hic
cibus grauior ieiunijs indiceretur, nunquàm nisì in vespere: interdùm tamen in he-
bdomada media, plerunquè die septimo, ponebatur.

Nota mirã vitæ auste-ritatem.

CAP. IX.

INdumentum, cuculla & tunica indiscretis fuêre temporibus. Nam neque hyeme
accessit adiectio, neque æstate leuamen admissum est. Quod vtrunque tam diù vsui
fuit, nisì fortè donatum est, donèc attritione nimia solueretur, cilicio semper interiùs
inhærente.

Vestes eius qualos fue-rint.

CAP. X.

STatiũ verò lecluli sui trabeculę dolatiles ambiebant, iniectos cineres vsq; ad mar-
ginem continentes. Qui tamen quotidiana impressione densati, incõsecti soli du-
ritiam præferebant. Stratum omne, subiecto cilicio & superposito vno tantùm sagu-
lo, fuit. Caput ab humeris per ceruicis confinium nulla subleuauit adiectio. Ità pro-
nus prostrata per terrã membra damnauerat. Noctibus nunquàm vestitum, rarò cin-
gulum, rarò calceamenta detraxit. Redimítus loro semper, & capsula sanctorum re-
liquias continente. Iugis gemitus, oratio perseuerans. Longũ enim tempus somnum
capere inter tormenta non poterat. Dicat quisque quod senserit: cæterùm absolutè
definio, beatum Germanum inter tot cruces longũ traxisse martyrium. O quàm prę-
clara Dei nostri virtus & pietas, qui famulũ suum in via veritatis fideliter gradientem,
duplici remunerauit donatione, vt & pręteriti, si qui fuerant, decoquerentur errores,
& celeriter defæcata sanctitas præstaretur. Quiq; præteritis forsitan peccatis tenebа-
tur obnoxius, inciperet fœnerator esse virtutum.

Lectus ei⁹.

Nullum ha-bet cerui-cal.

Redimítur sanctorum reliquijs.

CAP. XI.

HOspitalitatem peculiari obseruatione seruauit: omnibus enim, sine vlla exce-
ptione personæ, domum præbuit. Et conuiuium ieiunus pastor exhibuit, pedes
omnibus, manibus suis lauit, Dominicæ institutionis minister & custos.

Eius hospi-talitas.

CAP. XII.

ITaque vir beatissimus, quod est difficilimum, inter frequentias populorum, solitu-
dinis vitam & eremum in seculi conuersatione seruauit. Qui duplicem viam Chri-
sto ad profectum religionis instituens, in conspectu Antisiodorensis oppidi, interpo-
sito Icauna flumine, monasterium collocauit: vt ad fidẽ catholicam populi, ad con-
grega-

Extruit mo-nasterium.

gregationem monachorum & ecclesiasticam gratiam raperentur, præsertim cùm tali pontifice vel magistro, accedentibus miraculis, fides succensa ferueret. Et vt ad tentamenta virtutum crescentibus meritis veniretur, non præsumptionis, sed misericordiæ principium fuit.

CAP. XIII.

ERat illo tempore vir bonis moribus, Ianuarius nomine. Qui cùm princeps prætidiali militaret officio, exactos à prouincialibus solidos ad iudicem deferebat. Is cùm causa visendi eum ex itinere diuertisset, sacculum perdidit quem ferebat. Nullo; de circunstantibus intuente, casu is reperit, qui vexari inimica infestatione consueuerat. Tandemq; in se reuersus, damnum viator agnouit. Implet questibus ciuitatem, & à beatissimo sacerdote non aliter, quàm si ipsi tradidisset, pecuniã requirebat. Quam in Dei nomine reformãdam, quasi verus debitor, repromisit. Ea tum dies sabbati fuit, qua per totam vrbem solicita indagatione percucurrit. Et cùm nihil indicij fuisset inuentum, post triduum is, qui solidos requirebat, lachrymans genua sacerdotis amplectitur, contestans * appetiturum se supremæ mortis occasum, nisi pecunia fuisset inuenta. Indicit Episcopus patiẽtiam, pollicetur securitatẽ. Nec multùm pòst, priusquàm proderetur admissum, exhibere secretè ad se vnũ ex his, qui patiebantur, præcepit. Fortuitù is, qui furti author fuerat, præsentatur. Quem cùm districta examinatione discuteret, dicens fieri non posse, vt admissũm facinus lateret, inimico, per quem praua fieri consueuerant, imperat, vt veri fidem celeriter fateatur. Sed neque spiritus crimen ac malitiam, quam commiserat, denegauit. Tum verò pia commotio sacerdotis produci inficiantem præcepit in populum. Nec mora: Missam celebraturus egreditur. Præmissaque in plebe salutatione solẽni, in oratione tota corporis strage prosternitur. Statimque infelix inimici & captiuus pariter & minister in sublime suspẽditur: ecclesia eius clamore completur, plebs vniuersa turbatur. Et quasi flammis circundatus, cum voce maxima nomen inuocat sacerdotis: crimen, quod commiserat, confitetur. Tandemq; vir beatissimus ex oratione consurgẽs, accedit ad podium, euocat æstuantem, omnia discutit, vniuersa cognoscit. Solidi de latebris proferuntur, clamor popularis attollitur, & vnà Germani meritum, & diuinitatis potentia prędicatur. Eodemq; miraculo & deceptus pecuniam, & obsessus recepit sospitatem. Plures quidem iam antè curauerat, sed semper secreti obumbratione notitiam suppressit. Hoc verò factum ideò memorabile, quia publicum fuit.

Ianuarius amissam pecuniam ab Episcopo requirit.

Oratione Episcopi pecunia inuenitur.

Mira efficacia precum eius.

CAP. XIIII.

QVodam tempore cõspiratione terribili beato viro quoddam bellum dæmones intulerunt. Quem cùm multiplici infestatione tentatum, indutum fidei lorica inexpugnabilem reperissent, conceptam machinam ad plebis excidiũ contulerunt. Nam primùm paruuli, deindè maiores natu, repentè tumefactis intrinsecùs faucibus, interibant: sic vt irruente morte, ægritudinis spatium vix triduo traheretur. Ità more furentis gladij populus delebatur: nihil humana prouisio conferebat opis. Et penè serò plebs trepida ad diuinum præsidium per antistitem decucurrit. Qui protinùs oleum benedixit, cuius tactu ità intrinsecùs tumefacta tabescebat infirmitas, vt meatus peruius statìm & anhelitum & cibum deficientibus ministraret, tantaq; celeritate remedium cæleste succurrit, quanta irruerat illata pernicies. Quod admissum malignorum spirituum infestatione contigisse, vnus ab obsessis, dum à sancto viro purgatur, euomuit, omnesque in fugam versos eius oratione confessus est.

Multi moriuntur è plebe eius.

Oleo benedicto pellit morbum.

CAP. XV.

ERat autem familiare beatissimo viro, alternis vicibus nunc ecclesiã, nunc monasterium, quasi dux cælestiũ militum, visitare, vt certantibus studijs æmulantes, ad perfectionis gloriam prouocaret. Quadam vice occupatione detentus, cùm ad monasterium rogaretur, excusauit aduẽtum. Nec multò pòst absolutus morarum nexibus, insperatam fratribus suî præsentiam deferebat. Contigit, vt hora eadem in monasterio vnus ex his, qui pati consueuerat, vexaretur. Qui subitò cũ summa voce proclamat: Germanus ad flumen est, sed sine nauigio non potest transmeare. Diù Abbas fidem dictis negauit, dum & nequam spiritum fallere, & illum non adesse, quia excusauerat, iudicauit. Cumque in eadem vociferatione persisteret, missus vnus ex fratribus, veridicum fuisse dæmonem nunciauit. Nauigiũ mittitur, transit sacerdos, & cum ea, qua solebat, gratulatione suscipitur. Incũbit sine mora orationi: congregatio tota prosternitur. Cùm subitò per inane aëris, inuisibilibus nexibus hostis religatus appẽditur,

ditur, & id tantum morarum fuit, dum de oratione consurgeretur: nihilque aliud deprecatus est, quàm vt cũ aliqua corporis debilitate discederet. Quo interdicto, fœda relinquẽs vestigia, cum eo, quo erat dignus, fœtore discessit. Hoc itaq; monasterium, ex sequens magistri, semper virtutibus floruit, & sanitatum miraculis longè lateque refulsit. Qualiter sanè Mamertinus ab idolorum cultura conuersus, diuina reuelatione percepta, beatum virum eodem cœnobio degentem expetiuerit, commodũ huic operi videtur inserere. Quod tamen eiusdem Mamertini verbis meliùs censuimus inmandum. Verùm ob quenq; cupidum plenæ narrationis, libellum de hac ipsa reuelatione ex ordine editum, hîc ponere disposuimus.

Dæmonem eijcit.

Monasteriũ eius quale fuerit.

Reuelatio sancti Corcodemi, & qualiter Mamertinus ad baptismum peruenit.

CAP. XVI.

QVanta sit diuinæ misericordiæ pietas, quantamque bonitatis eius generi humano patientia gratiam largiatur, nemo Christianorum ignorat. Ità igitur suarum manuum figmentum diligit, vt ad declarandam operis sui in eo doctrinam, indifferenter omnium bonorum malorumq; referet linguas. Quid nanq; interest inter horum seruorum Dei reuelationem, & Apostolorum, ignorantibus gẽtibus, manifestationem? Hi igitur, quorum vitam innotescẽdam auribus ratum duximus populorum, dum ipsi soli Deo, qui eam largitus fuerat, in notitia esset: humanã verò penè omnem creaturam latuisset, à pagano medelam vulneris quærente, nescientibus panditur, & Pauli Barnabæque gentibus ignota spiritualis prudentia, per immundum spiritum publicatur. Igitur cùm hi Deo placiti diuturno tempore in suis lucifluis iacuissent sepulcris, per Mamertinum, qui eorum nunc spirituale narrat negocium, in omnium cognitionem deuenerunt. Eram itaque ego ipse, inquit Mamertinus, idolis seruiens, & Iouis templi vel cæterorum falsorum deorum frequentissimus cultor, ità vt nullo modo vel tempore possem simulacris eorum euelli. Et cùm eorum instantissima deuotione nefandas statuas venerarer, cæcitatem vnius oculi pertuli, & ariditatem manûs promerui. Eram ergò & debilitatus corpore, obsecundans stationibus nefandis, & quasi reatûs mei incursu, ipsis iratis plagatus fuissem, crebriùs eis lachrymosas preces effundens, rogabam vt delictis meis veniam tribuissent. Cumque hoc continuatis momentis tristior perpetrarem, eunte me ad præfatum dæmonum habitaculum, obuius mihi fuit quidam Sauinus nomine, tonsus capite, & vestibus religiosis amictus. Quem dum percõrarer, quis & vndè esset, vel quò pergeret, & propter hanc causam interrogationum adinuicèm sermocinaremur, ait præfatus vir: Vndè tibi talis accidit morbus, vel cuius religionis es tu? Cui ego: Cultor sum deorum maximorum, Iouis, Mercurij, Apollinis, vel omnium numinum. Propterea indifferenter aras eorum lachrymans pulso, vt mihi reconciliati, quæ abstulerunt indignati, reforment propitij. Hæc audiens ille, respondit: Erras, nesciens veritatem: propterea talibus malis inuólueris, & crudeliter flagellaris. Illi si alicuius scientiæ vel intellectûs regerentur doctrina, non perpetuò cæci, muti, surdi, odore priuati, gressibus impediti, manibus truncì, ferro aut plumbo inhærerẽt colligati. Nónne ipsi sunt, de quibus sacratissima canit scriptura: Os habent, & non loquentur: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & nõ ambulabunt: non clamabunt in gutture suo: neque enim est spiritus in ore ipsorum? Et subsequitur, de vobis loquens Propheta: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Vides pœnam statuarum cultoribus prœparatam? Vides comparationem veridico ore prolatam? Festina igitur, si vis amissi oculi visionem, & aridæ manûs sanitatis percipere viriditatem, obedire meis eloquijs. Est enim in ecclesia Antisiodorensi vir sanctissimus, nomine Germanus, cuius ego sum clericus, timens Deum & recedens à malo: cui seipsum Christus facie ad faciem demonstrat, & per eum inenarrabiles ostẽdit corporum sanitates. Si vis ergò sanus fieri, relicta seruitute idolorum, qua es miserabiliter irretitus, ipsius tibi præsentiæ posce præsidium. Quo audito, agens gratias, rogaui præfatum virum, vt iter mihi, quo ad eum, de quo indicauerat, Episcopum possem peruenire, ilicò demõstraret. Ille autem lætitia plenus, propter quod me suis vidit obedire præceptis, antetulit gressum, & de alto aggere, quod est, * monte Matogene, ostendẽs planitiem viæ, reuertitur. Ego verò perseuérans, lætus iter carpebam. Erat autem eodem die tempestiuus imber ab ortu solis vsq; ad occasum. Et licèt fuissem madida veste grauatus, nequaquàm tamen restiti fatigatus. Ecce autem labenti iam die hora penè vndecima, aduentante nocte, factę sunt tenebræ, pluuia-

Sauinus clericus eũ arguit erroris.

Psal. 113.

Tempestiuus, pro, tẽpestuoso.

pluuialibus imbribus mixtæ,ità vt nullus posset nec sui itineris comitē adspicere. Vix tandèm perueni ad cœmeterium, in quo sancti Amatoris Episcopi dicebant esse corpusculum. Et quoniam imbres vibrato fulgure iugiter descendebant in terram, ce,pi anxiari & nimiùm esse solicitus: quia non inueniebam, in quo me reciperem habiculo. Crebris ergò micantibus ignibus exæthere, parua cellula ostēditur oculis meis, in qua vnus erat sarcophagus. Quid plura? Ingredior obliqui aëris flāmis perterritus. Requiescit super sarcophagum S. Corcodemi

Tunc non inueniens, vbi requiescerem, super ipsum me iactaui sarcophagum, ignorans quis in eo requiesceret sepulcro. Ingresso autem me, repentina lux in eodem habitaculo ità per sudum refulsit, vt existimarem solis radios reducis terram suo tempore illustrâsse. Supponens ergò capiti meo sportam, quam baiulabam, & lateri bacVisio offertur Mamertino.

lum, vtpotè lassus atq; nimiùm humectatus, somno indulsi. Intēpesta verò nocte cuigilans, respexi iuuenem vestibus dealbatum, in præfatæ cellulæ vestibulo, in qua iacebam, lucisluè illustratum. Ego verò insolitam latiùs maiestatem adspiciens, territus me supra illam, in qua dormiebam, prostraui memoriam. Eram autem intrà me orās, Inuocat Christum adhuc paganus.

timore perterritus, & dicens: Deus Christianorum, cui est purè deseruiens Germanus Episcopus, cuius ego sanctitatis atque operis bonitatem nunc sequor, ērue me de tali, in quo tremebundus iaceo, citò terrore. Me talia prosequente, adolescens, quem ante ostium stare præuideram, emittit vocem dulcisluam, dicēs: Sancte Corcodeme, sancte Corcodeme Leuita Christi. His auditis, beatissimus vir Corcodemus de sepulcro, supra quod procubueram, respondit: Scio qui sis, & vocem tuam audio: tantùm dic, quid me velis Florentine frater. Surge, inquit, velociter. Beatus Peregrinus Episcopus cum cæteris fratribus, pro nocturnis excubijs celebrādis, in ecclesia sunt congregati: propterea te quoquè sanctus Amator admonet, vt venias, & interfis sancto conuentui. Tunc beatus Corcodemus ait: Regredere citiùs dulcissime frater ad sanctum ac beatissimum Episcopum, mea reportans mandata. Hac igitur nocte non possum de hoc tabernaculo egredi, quoniam hospitalitatem præbui alicui peregrino. Scio enim, quæ hîc sit obsidens turba catulorum, & insidias hospiti præparans, quò, me egresso, miserum deuoret ac dilaniet. Et si egressus fuero, venenosos in eum dentes infiget. Me suis Deus excubijs non fraudat: quoniam sunt mecum fratres subdiaconi duo, id est, Alexander & Iouianus, necnō & Iouinianus lector. Ergò obsecro te, vt sanctis Episcopis hæc, quę tibi locutus sum, referas, & ab his impetres mihi veniam. Antefatus igitur iuuenis, accepto responso, egressus est. Me autem tanta cognoscentem mysteria, medullitùs formido inuasit: indè soporifero cesserunt languida somno membra. Et eccè in ecstasi raptus, adesse existimabā rursùs iuuenem, priusquàm galli cantarent, ad ianuam, & clamâsse rursùm eo nomine, quo antè clamauerat. Et illo iterùm respondente, & interrogante quid vellet, tunc ille dixit: Sancti Episcopi Peregri-

Missæ votiuæ in primitiua Ecclesia.

nus & Amator, priusquàm discedant, Missas sunt votiuas celebraturi: & propterea quoquè miserunt inuitare, vt ministerium tui officij peragas. Si verò formidas propter præfatum hospitem, aiunt, vt vice tua Alexander ei custodiam præbeat. Sed & illud iusserunt, vt tecum Iouianum subdiaconum & Iouinianum lectorem, qui alleluia decantent, adducas. His peractis, videbam egoipse aperto sepulcro egredièrem ex eo virum, adspectu miræ pulchritudinis decoratum, & vestimentum eius niueum tanquàm byssum. Illo egresso, quemadmodùm videbam, reperit tres ante ostium stantes in veste candida, & salutauit eos, nomine vnumquenque vocans. Tunc dicit Alexandro: Reuerentissimi antefati Episcopi Peregrinus & Amator, iusserunt me vsque ad eos venire. Qui iterùm iusserunt te huic cellæ præponi, propter hospitem conseruandum & custodiendum à catulis, matre & filijs septem, qui ad necem eius deliteſcunt. Post hęc rursùs contemplabar, quemadmodùm tenuerit dexteram meam reuerētissimus diaconus, & dixerit: Veni nobiscum hospes ad Missas. Pergentibus itaque nobis, vidi quinque stantes ante crepidinem altaris, speciosissimis indutos stolis, & videbam me interrogantem beatissimum Corcodemum, qui essent illi, qui coram altario

Peregrinus Episcopus & martyr.

assistebant. Et dixit mihi: Ille, qui in medio stat, est sanctus Peregrinus Episcopus & martyr, cum quo à Romana vrbe ego quoquè missus sum imperio Papæ Sixti. Illi duo, qui dextro adhærent lateri, sunt Amator & Marcellianus Episcopi. Qui sinistro, Elladius est & Valerianus sanctissimi, qui beatissimo Peregrino gradatim successerūt. Discedens igitur à me Perspicuus Diaconus, ipsorum est redditus vultibus. Tum demùm quasi me coram audiebam sanctum Amatorem Episcopum dicētem diacono: Præbe silentium frater, quò possimus, remoto strepitu, votorum compotes fieri. Festinat

festinat enim Peregrinus frater ad proprium habitaculum Baugiacum reuerti, & oportet nos propter eum paulò * temperiùs sacrificium consummare. Indicto itaque silentio, & catechumenorum denunciata discessione, ego mirabar intrà me, tantę nouitatis contemplans mysterium. Non tamē ausus fui post catechumenorum denunciationem ad locum, vbi Missæ celebrabantur, pedem attollere: sed videbar mihi in eodem loco, in quo reuerentissimus me diaconus constituerat, stare. Ità videbatur mihi interrogâsse diaconum beatus Peregrinus, ac dixisse: Quis homo hic est, qui te- Missio catechumenorū sub Missa.

cum hanc basilicam est ingressus? t Erespondisse diaconum: Hic est hospes meus, cuius me custodia, nè vestris dudū parérem imperijs, retinebat. Ego iterùm velut indignum videbam me stare iuxta ipsos, & non solùm per vultum, sed & vestium qualitate discretum, admiranśque dicebam: Cur hi niueis sunt vestibus omnes induti, & ego nigris induor tegumentis? Cùm hæc & talia mecum ruminâssem, vox delata est in aures meas, ad Corcodemum diaconum ex ore Episcoporum emissa: Segrega frater hospitem tuum à nostris cœtibus, & foràs ab ecclesia expelle: quoniam indignus est gratiæ particeps esse, propter quod idolis Iouis deseruit. Quorum quasì præceptis deseruiens, pellere me foràs sæpedictus diaconus nitebatur. Tunc cadere quasì ad pedes eius, & his eum affatibus exorare videbar, & dixi ad reuerentissimum diaconum: Amice Dei, deprecor te, vt apud præsentes Episcopos intercedas, vt mecum misericordiam faciant, & ritum dæmonum, quo teneor obligatus, disrumpant. Ad quam supplicationem motus, videbatur me eis præsentâsse, & ab illis accepto mādato, mihi manum imposuisse. Post impositionem iterùm manûs, videbam me sanctis Episcopis præsentatum, & instructum ab eis, quæ amplecterer, & à quibus cæremonijs separarer. Et rursùm audire me putabam Episcopos, quemadmodùm delegauerint sancto diacono, dicentes: Amantissime frater, reduc tecum hospitem, & mone illum, vt Lucifero exorto, fratri repræsentetur Germano: quia ipsi est à Christo Deo directus, vt per eum omni plenitudine spiritualis gratiæ impleatur. Deindè videbā meipsum supplicare illis, & ipsos me alloqui, & exhortari ad perficiendam in me doctrinam fidei. Videbam etiam illis discedentibus, præfatum diaconum tenentem manum meam, & restituentem me ad suā, de qua eduxerat, cellulam. Ità videbam, priusquàm ingressi essemus cellulā, procidere me ad pedes eiusdem diaconi, & ità dixisse: Nè, quæso, irascatur dominus meus, si adhuc locutus fuerit in conspectu tuo famulus tuus. Qui quasì respondebat: Dic, quæ te remordēt, cum fiducia. Et ego: Obsecro te, quot temporum lapsa sunt curricula, ex quo in hoc habitaculo requiescis? Qui respondit: Post martyrium beatissimi Peregrini die tertio passionis eius, non quidem eo tempore, de seculo migraui. Optaueramus quidem participes fieri passionis ego cum fratribus meis, sicut fueramus vnius quoquè baiulatores mandati: sed non post multum temporis Imperator est ordinatus, doctrina Christiana refulgēs, qui persecutione remota, cūctas clausas ecclesias patefecit, & eis catholicos præpositos ordinauit. Propterea non potuimus, quæ voluimus, cōsequi. Fratres autem mei erant hi: Marsus presbyter, Alexander & Iouianus: & sepultus sum in hoc loco ab ijsdem fratribus meis. Ipsi autem, vt mihi diuinitùs reuelatum est, confessores obiērunt. Iouinianus verò lector, Deo procurante, martyrium consummauit. Cumque hæc omnia in excessu mētis vidissem, sopore fugato, experrectus sum, & continuò gallus cantauit. Ego autem memor mei, ostenso mihi signaculo frontem muniui. Tunc ego planctigerum eiulatum emittens, supra sepulturam tanquàm super aram procubui Dominicam. Quam irrigans lachrymis, preces fundebam, & dixi: Domine Deus Israel, qui in altis habitas, & humilia respicis, & alta à longè cognoscis: præter quem non est alius Deus: qui ob reparationem generis humani in terram venisti, & cum hominibus conuersatus es: cuius nutu ac misericordia ego indignus in hac nocte meæ saluatiōis secreta nósse promerui, concede mihi, vt celeriùs famuli tui Germani cōtempler adspectum, * cui me recto itinere perduxisti. Completa oratione, prostratum corpus erexi: & cùm aciem oculorum ad basilicam sancti Amatoris dirigerem, adspexi lucem immensam intùs forisq; fulgentem, ità vt crederem, repulsa noctis caligine, sui temporis metas solem continuò repleuisse. Dehinc ex eodem itèm loco vox canora atque hymnigera ad meos est auditus delata. Continuò ego in eodem, quo audiēram, loco substiti, quousquè quę cantabantur, audirem. Prima ergò antiphona, quæ ad aures meas venerat: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriātur in simulacris suis. Sę- Pſal. 96.
cunda hæc erat: Saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te. Tertia: Beati Pſal. 85.

Mamertinꝰ destimatur S. Germano Episcopo vt ab eo instituatur.

Psal. 31. quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et cùm hæc audissem, reuersus sum ad me, prostrauiq; me septiès in supradicto sarcophago, orans & dicẽs:
Psal. 118. Deus sancti Corcodemi, suscipe festinantem ad te, & nè confundas me ab expectatione mea. Tua enim pietate & gratia ad hoc delatus sum habitaculum, per quod meorum contagia cognoui errorũ. Rursùs consurgens, illuc ad ipsam basilicam eleuaui meos obtutus, & audio iterùm antiphonam, meæ saluti atq; conuersioni consonam:
Psal. 19. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. His sanctæ affatibus cõfortatus, tertiò me in oratione prostraui. Terna igitur obsecratione perfecta, surgẽs videbam eam, quam priùs videram, lucem ablatam à facie oculorum, in quibus antè fulserat, & repentinæ illicò tenebræ circunsepserunt me. Ego tamen iam
Vide q̃ solenne in prima Ecclesia. mysterio edoctus, fronti meæ Dominicum infixi vexillum. Dum hæc geruntur, vulgaris lux terris reddita radiauit. Mox iterùm atque iterùm salutis meæ characteres confirmans, sancto hospiti grates exoluens, ad ducem cælestis Imperatoris citiùs properaui. Exploranti ergò, vbì sanctissimus Germanus Episcopus eo die habitaret, incolæ
Cruce se cõsignare. ciuitatis dixerunt: Non est hîc. Monasterium habet proximum, & illuc frequẽtissimè gratia visitationis cymba portatur. Tunc deprecatus sum eos, qui mihi indicauerant, vt ad ipsum monasterium ducentem viam demonstrarent. Qua arrepta, quò tendebam, peruẽni: & me paululùm ante ostium immorante, subitò vir beatissimus Germanus egreditur: quem, prócidens in terram, adoraui. Ille autem non euentu, sed ad-
Excipitur à S Germano humanissimè. monitus, egredìebatur in occursum meum. Deus enim omnium conditor reuelauerat famulo suo & meã necessitatem, & quorum fuissem ad eum iussione directus, sicut posteà comperi. Curuatus ergò solotenùs, obsecrabam virum Dei, vt me benediceret. Qui extenta manu, eleuauit me, dicens: Habe fidutiam: nè terrearis. & apprehendẽs mentum meum, osculatus est me. Cui ego: Nè facias vir sanctissime, quoniam adhuc ab osculis arãrum dæmonum, os meum non est mundatum. Cui sanctus Germanus: Agnoui ego nocte transacta, ab omnibus illecebris te mundatum fuisse. Quo
Aeneid. 3. vers. 48. audito, obstupui, steteruntq; comę, & vox faucibus hęsit. Tunc egregio viro inhęrente manui meæ, pariter ad monasterium ingressi sumus. Ego verò intrà meipsum mouebar, dicens: Quis huic indicauit, quæ clàm gesta sunt noctis præteritæ spatio? Et me talia cogitante, introducit me in cellulam suam, & sedens, dixit: Obsecro fili, vt quæcunque gesta sunt, & ad tuam notitiam nocte præterita peruenerunt, mihi innotescere non demoreris. Tunc ego incipiens, à prima origine vsque ad eundem profectum
Mamertin⁹ S. Germão, quid viderit, exponit. meî, singulatìm expositi, reticens de turba catulorum. Mox ille ait: Nónne obsecrauite, vt omnia narres, & nihil mihi de ostensis tibi mysterijs celes? Et cur partem, penè cuncta miraculis excedentem, mysterij reticuisti? Prosequere & expone nobis inlidias, quæ te circumadstabant catulorum. Ego verò hæc audiens, dixi: Quid narrem domino meo puluis & cinis? Vbì diuinitùs fit allocutio, cessèt incognita mortalium linguarum narratio. Video enim te Deo plenum, & cùm sis localis, vbiquè quæ agũtur, cognoscis. Ille subridens, dixit: Verè quicquid propter te actum est à viris venerabilibus Episcopis vel à diacono, cognoui, & præsens fui. Nè formides: fides tua te saluum fecit. Hæc audiens, declinans me in faciem, ingemui, & apprehendens genua eius, reliqua, quæ ad perficiendam fidei Christianæ potentiã superfuerunt, rogaui vt per eius dexteram implerentur. Tunc demùm pari comitatu ad ciuitatẽ processimus. Ingressis autem nobis in ecclesiam, vocatis clericis & quibusdam laicis, dixit mihi: Repete, quæso, quæ dudùm in monasterio, me interrogãte, narrâsti, vt & hi audiant, qui ignorant. Cui ego, tremulus & timore prostratus, respondi: Quid dicam, quod non beatitudo tua antè præsciat? Et Episcopus: Propter adstantes dixi tibi, nõ propter me. Ego autem iterùm repetẽs omnia, illis quoq; innotui. Qui infinito gaudio exhilarati, Deo laudes & gratias referebant, dicentes: Gratias tibi Deus, quia hoc tibi vas electionis ante mundi constitutionem prædestinâsti, per quod virtutis tuæ virtutes omnibus & sine fine demonstrares. Tunc beatus Episcopus inducit me in locum, vbì remissio fit
Mamertinus baptizatur. omnium peccatorum, & de more sacerdotali aquis benedictis baptismum mihi tradidit, replẽs circa me & in me vniuersa officia gratiæ spiritualis. Ad quem ego: Domine, sicut animæ recessus salvâsti, ità & corporis debilitata membra restitue sanitati. Da solitam lucem vtrisq; patentibus oculis adspicere, & geminis manibus consueta ope-
S. German⁹ eius oculos & manus sanat oleo. ra attrectare. Hæc audiens antistes, dixit mihi: Credis hoc me posse in te operari? Respondi: Credo domine, & propterea ad tuam profectus sum pietatem. His auditis, accepto oleo cõsignans oculum atq; manum, officijs propijs repulso morbo, restituit sanitati.

sanitati. Hi qui adfuerant videntes, rursùm opera Dei laudauerunt, quæ per virũ probatissimum atq; sanctissimum Germanum fiebant Episcopum. Tunc ait turbæ, quæ cum eo erat: Pergamus cum hoc homine ad locũ, in quo hospitatus est nocte, & videamus, si adhuc serpens ibì est cum catulis septem. Qui dixerũt: Quicquid præcipis, fiat. Ego autem exiens de medio eorum, præcedebam, illis cum Episcopo subsequentibus vsq; ad locum. Cumq; venissemus ad locũ, oratione celebrata, dixit Episcopus: Dic mihi iuuenis, vbì vidisti adstantẽ virum vestibus niueis circundatum? Et ego: Domine, hîc in vestibulo. Iterùm dicit: Super quod sepulcrum inclinatus es nocte? Ego autem digito ostẽdens, mõstraui sepulcrum. Tunc sanctus Episcopus dixit: Remoue-
Ostendit S. Germanus Mamertino à quibus fuisset catulis præseruatꝰ. te lapidem de hoc sepulcro, vt interiora eius inspiciamus. Remoto itaque lapide, visi sunt serpentes octo: primus immanissimus, cæteri verò septem paulò inferiores. Visis ergò hominibus, ille coluber capite erecto circunspiciebat omnes, plùs tamen Germanum Episcopum. Cui præfatus vir: Serpens nequissime, adhuc non deserens calcaneum humani generis, audes post præuaricationẽ tuam & deuictionem, gyros super membra reuerentissimi Corcodemi tuos extendere? Viuit Dominus, quoniam morte cum omnibus tuis fueras dignus: sed quoniã obedîsti præfati fratris imperio, & abstinuisti veneniferos voratus tuos à præsentis hospitis corpore, egredere sospes,
Nota quid possint Sancti adhuc mortales. & vlteriùs vbì conuersatio hominum est, recumbere non audeas. Sit autem habitaculum tuum syluestre gremium, vel eremi vastitas. Quos autem itineris tui in circuitu habitatores repereris, nè noceas aut lædas. Nõ ego, sed Christus per me tibi imperat. Tunc serpens, velut iniquitatis suę mole grauatus, submissò capite, septiès suarum spirarum tendens volumina, tanquàm valedicens & gratias agẽs beatissimo Germano, pectoris tractu graditur: cuius post tergum turba minor sequitur. Visa enormitate corporis eius, cuncti trementes beatissimi Germani comites fugam arripiunt. Stabat tamen ille immobilis, fidutiam habens beatissimæ sanctitatis. Tunc redarguens populum fugientem, dixit: State, & videte mirabilia Dei, quæ operatur in nobis indignis. In ipso autem tractu æstimatus est serpens habere longitudinem cubitorum
Serpẽs 7. cubitorum. septem. His miraculis ostẽsis, illa cellula beati Corcodemi diaconi, quæ propter dẽsitatem vepriũ, nulli nisì tantùm antistiti Germano fuerat nota, facta est Deo operãte omni sexui cognita: & nõ sòlùm omnium notitiã promeruit, sed & culturam. Omnes igitur ex hoc tempore eidem cellulę votiuam gerentes deuotionẽ, alacriter frequentabant. Mamertinus igitur, per quem, & in quo Deus virtutum suarum ostenta depalauit, videns hæc, non solùm à gentilitate & errore, sed etiã à cæcitate ac ariditate clementissimè liberatus, & à serpentum morsibus Dei nutu ereptus, consecrauit se mo-
Mamertinus fit monachus. nasterio sancti Germani Episcopi ità deuotè, vt nusquàm ex eo foràs egrederetur, nisì forte eiusdem Episcopi aut imperio, aut comitatu illectus. Cuius sancta conuersatio ità doctrina spirituali floruit, vt defuncto Archimãdrita Alogio, qui eum monachum fecerat, ipse hæreditariæ sanctitatis eius officium suscepisset.

CAP. XVII.

QVodam enim tempore, cùm hyeme iter ageret, & diem totam in ieiunio ac fatigatione nimia duxisset, commonetur, vt, cogente vespere, quocunquè succederet. Erat eminùs domicilium absque rectis, iampridèm sine habitatoribus semirutum, quod etiam per incuriam vulgaris habitatoris arbusta contexerant, vt penè esset melius, noctem sub nudi aëris rigore durare, quàm in illo periculo & horrore succedere: præsertim cùm duo senes, propter infestationẽ terribilem, hancipsam domum inhabitabilem prædixissent. Quod vt vir beatissimus comperit, horrentes ruinas
S. German⁹ intrepidus moratur in loco infesto. quasì amœnitates expetijt, ibique inter multiplices, quæ quondàm fuerant, mansiones, inuenta vix vna est, quæ instàr haberet habitaculi. Illic claues & sarcinulæ & paucissimi comites collocantur, quibus breuis cœnula esui fuit, Episcopo penitùs abstinente. Deindè alta iam nocte, cùm vnus ex clericis legendi susceperat officium, ille ieiunio & fatigatione confectus, sopore superatus est. Tunc subitò ante os legẽtis adstitit vmbra terribilis, & paulatìm sub oculis intuentis erigitur. Parietes etiam saxorum imbribus colliduntur. Tunc verò deterritus lector, præsidium sacerdotis implorauit. Qui statìm prosiliens, effigiem terribilis imaginis intuetur, & præmissa obsecratione
Spectrũ terribile mox illi submittitur. nominis Christi, imperat, vt quis esset, quídve illic ageret, fateretur. Qui protinùs terrifica vanitate deposita, voce humili more supplicantis eloquitur, se vel comparem suum, authores fuisse multorum criminum, insepultos iacére, & ob hoc inquietare homines, quia ipsi quieti esse non possent. Rogat, vt pro eis Dominũ precaretur, qua-

Attende, q̃ sit piũ mortuos sepelire & pro ijs Dominum deprecari.

tenùs recepti, requiem mererẽtur. Ad hæc vir sanctus indoluit, imperatq́ue, vt locum ostenderet, quo iacérent. Tum verò, cereo præcedente, dux vmbra progreditur, & inter difficultates maximas ruinarum, intempesta nocte locum, in quo proiecti fuerant, indicauit. Vt verò mundo redditus est dies, circunctos incolas inuitat, hortaturq́ue operis maturator assistens. Rudera tumultuariè superiecta ad tempus, rastris aululis purgantur. Inueniuntur corpora fusa sine ordine, ossa ferreis adhuc nexibus illigata. Ad legem sepulturæ fossa dirigitur, membra exuta vinculis, linteis ambiuntur. Humus superiecta componitur, oratio intercessionis impenditur, obtinetur defunctis requies: ità vt post eandem diem, sine vllo terroris indicio, domicilium frequentato habitatore floruerit.

CAP. XVIII.

NEque illud omittẽdum videtur, quòd in eodem itinere post dies aliquot, noctis cæcitate compulsus, mediocrium personarum successit hospitio. Nam id maximè, ambitum fugiens, requirebat. Cumq́; in diuino opere solito pernoctãret officio, lux orta est, nullis gallorum cantibus nunciata, cùm earum auium copia in ijsdẽ domibus non deesset. Causam nouitatis explorat: agnoscit multum iam tempus esse, quo tristis taciturnitas naturale galliciniũ damnauisset. Ab omnibus exoratus, mercedem mansionis exoluit. Acceptum enim triticum benedictione conduit. Quo pastæ auiculæ, auditus habitantium vsq; ad molestiam frequentatis fatigabant. Ità virtus diuina etiam in rebus minimis maxima præminebat.

Nota vim benedictionis.

CAP. XIX.

S. Germanꝰ & Lupꝰ Episcopi mittũtur in Angliã ad extirpandam Pelagianã hæresim.

EOdem tempore ex Britannijs directa legatio, Gallicanis Episcopis nunciauit, Pelagianam peruersitatem in locis suis latè populos occupãsse, & quamprimùm fidei catholicæ debere succurri. Ob quã causam Synodus numerosa collecta est, omniumq́ue iudicio duo præclara religionis lumina vniuersorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus, Apostolici sacerdotes, terram corporibus, cælum meritis possidentes. Et quanto laboriosior necessitas apparebat, tãto eam promptiùs heroës deuotissimi susceperunt, celeritatem negocij fidei stimulis maturantes.

CAP. XX.

QVibus territorium Parisiacæ vrbis itineris continuatione permeantibus, vicus quidam, cui Metodori vetustas vocabulum indidit, fatigationi eorum humanitatem hospitij ministrauit. Ciues loci, tantorum virorum agnito superuentu, permixta vulgi multitudine, obuiàm procedunt, benedictionem expetunt, debitam sanctis venerationem impendunt. Cumq́; beatissimus Germanus confluentem multitudinem salutaris verbi hortatione refoueret, ad medium circũstantis populi longè porrecto intuitu, puellam quandam Genouefam nomine, inter adstantes eminùs conspicatur. At vates diuinus, nescio quid in ea cælestẽ & angelicũ auspicatus, è proximo hanc iubet suis sisti conspectibus. Obstupuêre omnes, intentisq́; animis propheticam de puella sancti viri sententiam expectabant. Cuius caput venerabilis pontifex sacri oris exosculatione demulcens, inter castos amplexus, quibus esset orta parentibus, vel quo conferetur nomine, ab adstantibus scisciatur. Mox puellæ edicitur nomen: parentes quoq; euocati, in præsentiam adducuntur Episcopi. Interrogati de puella, suam esse filiam profitentur. Tum Germanus, vt erat ipsius semper diuinitatis conscius, prophetico intonans spiritu, tali electam à Deo puellã præconio extulit, in hunc modum virginis genitores affatus: Beatos, inquit, vos dies illa fecit, qua tantæ prolis vos contigit esse parentes. Cuius ortus natiuitatis, ipsis quoq; Angelis lætitiam peperit salutarem. Erit enim precioſi apud Deum meriti, ac spiritualis perfectione propositi, ipsis etiam viris aliquatenùs imitanda.

De S. Genouefa virgine quid vir Dei restatus sit.

CAP. XXI.

PLurima quoq; alia, quæ prolixitas explicare non patitur, in laudem virginis prosecutus, tandèm versus ad puellam, iterata hanc benignitate complectitur, teneros q́ue annos, qua tantus vir poterat, affabilitate consolatur. Atque inter deosculantis lenia, blandimenta, nè sibi animi sui secretum pandere erubescat, hortatur. Percontatur, si vitæ sanctimonialis cælibatum velit suscipere, ac Christi sponsalitio titulari. Illa tanti sponsi nomine delectata, titulum virginitatis amplectitur, seq́ue huius professionis iandudùm adstringi desiderio profitetur. Exorat, vt si id dignum ipse duceret, sanctitatis eius benedictione voti sui compos redderetur. Rursùs in amplexus virginis sacerdos incumbit, & vt constantis esset animi, exhortatur. Interea gressum

Votũ virginitatis conseruandæ in primitiua Ecclesia.

suum diuerrit ad ecclesiam, maximo populorum agmine prosequente. Ibiq́; inter diutissimos psalmorum concentus, ac prolixam orationis continuationem, beatus Germanus dexteram super caput virginis indefessè tenuit. Expleta solenniter oratione, cibum vnà cum gratiarum actione sumpserunt. Tum commendans eam parentibus, in crastinum redire præcepit. Subeunte diluculo, maturè adest Genouefa. At beatus Germanus, vtrùm pridianæ professionis esset adhuc memor, virginem percontatur. Illa spiritu animata diuino, cõstanter se suæ sponsionis reminisci fatetur, atque in eius obseruantia perpetuò se manere decernere. Vt autem id fieri posset, superno auxilio quàm maximè & beati patris intercessionibus indigere. Atq; vt ipsam diuinitatẽ cerneres amborum votis cuidẽtissimè fauere, Germanus vultum in terrã defixit. Moxq́; æreum nummum diuina, vt credo, allatum sententia, impressione Crucis exsculptum inspexit, inspectumq́; protinùs à terra collegit. Quem loco muneris Genouefæ tradidit, atq; semper collo suspẽsum ob suî memoriam ferre præcepit. Hoc, inquit, me recedente, pignus mei amoris præ oculis iugiter gestare memento. Cæterùm vniuersa alia mundialis pulchritudinis ornamenta, auri gemmarúmve compacta fulgoribus, nunquàm tuis vel collo vel digitis inseri patiaris. Habeant hęc, quę seculo militant: tu, quæ sponsa Christo adscripta es, ornamenta spiritualia concupisce. Ità fatus, virgini valefecit, atque vt suî semper esset memor, admonuit. Commendansq́ue eam iterùm parentibus, iter quod ceperant, perrexerunt.

Interdicit S. Genouefæ, Deo se virginẽ dedicanti, omnia mũdi ornamẽta.

CAP. XXII.

HI itaque Oceanum mare, Christo ducẽ & authore, conscendunt, qui famulos suos inter discrimina & tutos reddidit, & probatos. Ac primùm de sinu Gallico flabris leuibus nauis in altum prouecta deducitur, donèc ad æquor medium perueniret: vbi porrectis in longum visibus, nihil aliud videretur, quàm cælum, & maria. Nec multò pòst occurrit in pelago legionis inimica vis dæmonum, qui tantos ac tales viros pertendere ad recipiendam populorum salutem, liuidis iniquitatibus inuiderẽt. Opponunt pericula, procellas concitant, cælum diemq́ue nubium nocte subducũt, & tenebrarum caliginem maris atque aëris horrore congeminant. Ventorum furorem vela non sustinent, & Oceani moles fragilis cymba vix tolerat. Cedebant ministeria victa nautarum, ferebatur nauigium oratione, non viribus. Et casu dux ipse vel pontifex, fractus corporis lassitudine, sopore resolutus est. Tum verò quasi repugnatore cessante, tempestas excitata conualuit, & iam nauigium superfusis fluctibus mergebatur. Tunc beatus Lupus omnesq́ue turbati, excitant seniorem, elementis furentibus opponendum. Qui periculi immanitate constantior, Christum inuocat, Oceanum increpat, & procellis sæuientibus causam religionis opponit. Statimq́ue assumpto oleo, in nomine Trinitatis leui aspergine fluctus sæuientes oppressit. Collegam commonet, hortatur vniuersos: oratio vno ore & clamore profunditur. Adest diuinitas, fugantur inimici, tranquillitas serena subsequitur. Venti contrarij ad itineris ministeria vertuntur, nauigium famulatrix vnda prosequitur. Decursisq́ue immensis spatijs, breui optati litoris quiete potiuntur. Ibiq́ue conueniens ex diuersis partibus multitudo, excepit sacerdotes, quos venturos etiam vaticinatio aduersa prædixerat. Nunciabant enim sinistri spiritus, quod timebant. Qui imperio sacerdotum dum ab obsessis corporibus detruduntur, & tempestatis ordinem, & pericula, quæ intulerant, fatebantur, victosq́ue se eorum meritis & imperio non negabant.

Horrida maris tempestas.

Dormit S. Germanus in naui.

Vide mirã sancti viri virtutem.

Pelluntur dæmones ab obsessis.

CAP. XXIII.

INtereà Britannorum insulam, quæ inter omnes est vel prima, vel maxima, sacerdotes Apostolici raptìm opinione, prædicatione, virtutibus impleuerunt. Et cùm quotidiè irruente frequentia stiparentur, diuinus sermo non solùm in ecclesijs, verumetiam per triuia, per rura, per deuia diffundebatur: vt passim & fide catholici firmarentur, & deprauati viam correctionis agnoscerent. Erat in illis Apostolorum in ſtàr gloria & authoritas per conscientiam, doctrina per literas, virtutes ex meritis. Accedebat præterea tantis authoribus assertio veritatis. Itaque regionis vniuersitas in eorum sententiam prompta transiërat. Latebant abditi sinistræ persuasionis authores, & more maligni spiritûs, gemebant perire sibi populos euadentes. Adextremùm, diuturna meditatione concepta, præsumunt inire conflictum. Procedũt conspicui diuitijs, veste fulgentes, circundati assentatione multorum: contentionisq́ue subire aleam maluerunt, quàm in populo, quem subuerterant, pudorem taciturni-

Magnos fructus fecit in Anglia.

tatis incurrere,nè viderentur ſe ipſi ſilentio damnauiſſe.Illic planè immenſæ multitudinis numeroſitas,etiam cum coniugibus ac liberis excita cõuenerat. Aderat populus ſpectator futurus & iudex:adſtabant partes,diſpari conditione diſſimiles.Hinc diuina authoritas,indè humana præſumptio:hinc fides,indè perfidia:hinc Chriſtus, indè Pelagius author. Primo in loco beatiſſimi ſacerdotes præbuerunt aduerſarijs copiam diſputandi, quæ ſola verborum nuditate, diù inaniter & aures occupauit, & tempora.Deindè antiſtites venerandi torrentes eloquij ſui cum Apoſtolicis & Euangelicis tonitruis profuderunt. Miſcebatur ſermo proprius cum diuino, & aſſertiones violentiſſimas lectionum teſtimonia ſequebãtur. Conuincitur vanitas,perfidia confutatur: ità vt ad ſingulas verborum obiectiones reos ſe, dum reſpondere nequeunt, faterentur.Populus arbiter vix manus continet:iudicium cum clamore teſtatur.

Suſcipitur diſputatio cum Pelagianis.

Hæretici confutantur.

CAP. XXIIII.

CVm ſubitò vir tribunitiæ poteſtatis cum coniuge procedit in medium, decẽ annorum filiam cæcam ſinibus ingerens ſacerdotum : quam illi offerri aduerſarijs præceperunt. Sed illi conſcientia puniente deterriti, iungunt cum parẽtibus preces, & curationem paruulæ à ſacerdotibus precantur.Qui expectationem populi & inclinatos aduerſarios intuentes,orationem breuiter fundunt.Ac deindè Germanus plenus ſpiritu ſancto,ſanctam inuocat Trinitatem,& protinùs adhærentem lateriſtio capſulam,cum ſanctorum reliquijs collo auulſam,manibus comprehendit,eamque in conſpectu omnium puellæ oculis applicauit. Quos ſtatim euacuatos tenebris,lumine veritatis impleuit.Exultant parentes,miraculo populus contremiſcit. Poſt quam diem ità ex animis hominum perſuaſio iniqua deleta eſt, vt ſacerdotum doctrinam ſitientibus deſiderijs ſectarentur.

Nota hæc de reliquijs Sanctorum.

CAP. XXV.

COmpreſſa itaque peruerſitate damnabili,eiuſque authoribus cõfutatis,animisque omnium fidei puritate compoſitis, ſacerdotes ad beatum Albanum martyrem,authori Deo per ipſum gratias acturi,properabant. Vbi Germanus, omnium Apoſtolorum diuerſorumque martyrum reliquias ſecum habens, facta oratione iuſſit reuelli ſepulcrum,precioſa ibidẽm munera conditurus:arbitrans opportunum,vt membra ſanctorum,ex diuerſis regionibus collecta,quos pares meritis receperat cœlum, ſepulcri quoquè vnius teneret hoſpitium. Quibus depoſitis honorificè atq; ſociatis,de loco ipſo, vbi beati martyris effuſus fuerat ſanguis, maſſam puluerisſecum portaturus abſtulit. In qua apparebat, cruore ſeruato, rubere martyrum cædem, perſecutore pallẽte. Quibus ità geſtis,innumera hominum eodem die ad Dominum conuerſa eſt turba.

Hæreſis ex Anglia profligatur.

En quanti facit vir tãtus etiã puluerem martyris.

CAP. XXVI.

INdè dum redeunt, inſidiator inimicus caſualibus laqueis præparatis, Germani pedem lapsûs occaſione contriuit,ignorans illius merita,ſicut Iob beatiſſimi,afflictione corporis propaganda. Et dũ aliquandiù vno in loco infirmitatis neceſſitate conſtringitur,in vicinia,qua manebat, caſuale exarſit incendium. Quod conſumptis domibus,quæ illic paluſtri arundine tegebantur, ad habitaculum, in quo idem iacebat, flabris ſtimulantibus ferebatur.Concurſus omnium ad antiſtitem conuolauit,vt eleuatis manibus periculum,quod imminebat, euaderet. Qui omnibus increpatis,moueri ſe fidei præſumptione non paſſus eſt. Multitudo omnis deſperatione perterrita, obuiàm occurrit incendio. Sed vt potentia Dei manifeſtior apparéret, quicquid cuſtodire tentauerat turba,conſumitur:quod verò iacens & infirmus defenderat,reſeruatur.Hoſpitium ſancti viri expaueſcens flamma tranſiliuit, vltrà citraq; deſæuiens,& inter globos flammantis incendij,incolume tabernaculum,quod habitator incluſus ſeruabat,emicuit. Exultat turba miraculo, & victam ſe diuinis virtutibus gratulatur. Excubabat diebus ac noctibus ante tuguriũ pauperis turba ſine numero, hi animas curari cupientes,hi corpora.

Iob 2.

Flamma nõ audet attingere ſancti viri hoſpitium.

CAP. XXVII.

REferri nequeunt,quæ Chriſtus operabatur in famulo, qui virtutes faciebat infirmus. Et cùm debilitati ſuæ remedij nihil adhiberi pateretur,quadam nocte candentem niueis veſtibus vidit ſibi adeſſe perſonam,quæ manu extenſa iacentem videretur attollere,eumq; conſiſtere firmis veſtigijs imperabat. Poſt quam horam ità fugatis doloribus recepit priſtinam ſanitatem, vt die reddito, itineris laborem ſubiret intrepidus.

Diuinitùs curatur eius pes læſus.

CAP.

CAP. XXVIII.

INtereà Saxones Pictique bellũ aduersùs Britones iunctis viribus ſuſceperunt,quos eadem neceſſitas in caſtra contraxerat. Et cùm trepidi partes ſuas penè impares iudicarent, ſanctorum antiſtitum auxilium petiẽrunt. Qui promiſſum maturãtes aduentum, tantum ſecuritatis ac fidutiæ contulerunt, vt acceſſiſſe maximus crederetur exercitus. Itaque Apoſtolicis ducibus Chriſtus militabat in caſtris. Aderant etiam Quadrageſimæ venerabiles dies, quos religioſiores reddebat præſentia ſacerdotum, intrãtum,vt quotidianis prædicationibus inſtituti,certatim ad gratiã baptiſmatis conuolarent. Nam maxima exercitûs multitudo vndã lauacri ſalutaris expetijt. Eccleſia ad diem reſurrectionis Dominicæ frondibus contexta cõponitur,& in expeditione campeſtri inſtàr ciuitatis aptatur. Madidus baptiſmate procedit exercitus, fides feruet in populo,& contempto armorum præſidio,diuinitatis expectatur auxilium. Interea hæc inſtitutio vel forma caſtrorũ hoſtibus nunciatur. Qui victoriã quaſi inermi exercitu præſumẽtes,aſſumpta alacritate feſtinant. Quorum tamen aduentus exploratione cognoſcitur. Cumque emenſa ſolennitate Paſchali,recens de lauacro maior pars exercitûs arma capere & bellum parare tẽtaret, Germanus ducem ſe prælij profitetur. Elegit expeditos, circunieĉta percurrit, & è regione, qua hoſtium ſperabatur aduentus,vallem circundatã editis montibus intuetur. Quo in loco nouum cõponit exercitum,ipſe dux agminis. Et iam aderat ferox hoſtiũ multitudo, quam appropinquare intuebantur in inſidijs conſtituti.Cùm ſubitò Germanus ſignifer vniuerſos admonet,& prædicit,vt voci ſuæ vno clamore reſpondeant: ſecurisque hoſtibus, qui ſe inſperatos adeſſe confiderent, Alleluia, tertiò repetitum, ſacerdotes exclamant. Se quitur vna vox omnium,& eleuatũ clamorem repercuſſo aëre montium incluſa multiplicant. Hoſtile agmen terrore proſternitur, & ruiſſe ſuper ſe non ſolùm rupes circundatas,verumetiã ipſam cæli machinam cõtremiſcunt. Trepidationiq; iniectæ vix ſufficere pedum peruicitas credebatur. Paſsìm fugiunt,arma proijciũt,gaudentes vel nuda corpora eripuiſſe diſcrimini. Plures etiã timore præcipites,flumen,quod ſensìm veniẽtes tranſiẽrant,deuorauit. Vltionem ſuam innocẽs intuetur exercitus,& victoriæ præſtitæ ocioſus ſpectator efficitur. Spolia colliguntur expoſita, & prædã cæleſtis victoriæ miles religioſus adipiſcitur. Triumphant põtifices,hoſtibus fuſis ſine ſanguine: triumphat victoria fide obtenta, non viribus. Compoſita itaque opulentiſſima inſula ſecuritate multiplici,ſuperatisque hoſtibus, vel ſpiritualibus, vel carne conſpicuis : quippè qui viciſſent Pelagianiſtas & Saxones,cùm totius * numero regionis reditum moliuntur. Tranquillam nauigationem merita propria & interceſſio Albani martyris parauerunt,quietosque antiſtites ſuorum deſiderijs felix carina reſtituit.

Quadrageſimæ venerabiles dies.

In fugam compellit hoſtes, dum Alleluia clamat cũ ſuis.

* for. 'mœrore

CAP. XXIX.

ITaque reditu venerabilium ſacerdotum exultant Galliæ, gaudent eccleſiæ, dæmones contremiſcunt. Certè expectatio propriæ ciuitatis beatum Germanum votis duplicibus ambiebat, quam & apud maieſtatem diuinam, & inter mundi procellas ſeruare conſueuerat.Tributaria enim functio prẽter ſolitũ, & neceſſitates innumeræ, ciues ſuos quaſi pupillos orbatos parente, depreſſerant. Recipiunt præſidium deſtituti, cauſas agnoſcit, mœroribus cõgemiſcit. Et pro quiete vel requie quæſiturus remedia ciuitati, poſt marina diſcrimina labores terrenæ expeditionis ingreditur. Itaque Gallias illuſtraturus, paruiſſimo comitatu & exigua euectione progreditur, qui pro largiſſimis theſauris Chriſtum ferebat in pectore.

Reuertũtur Epiſcopi in Gallias.

S. Germanus mœroribus ciuium ſuorum congemiſcit.

CAP. XXX.

OPereprecium puto mandare memoriæ, etiam eius iter clarum fuiſſe virtutibus. Necdùm territoriũ ſuæ ciuitatis exceſſerat,viam leniter carpens,eratque imminente iam veſpera dies pluuius,cùm ſubitò comitatui ſuo nudus pede, cucullo vacuus,minis expeditus,viator acceſſit, cuius etiam nuditati condoluit. Qui doloſè inhærens contubernio, iungitur manſioni, & inter innocentes occupatosq; cuſtodes,qui Deo,non animalibus,vigilabant,mumentum,quo ſenior vehebatur,prædo nocturnus arripuit. Die reddito,amiſſio euectionis agnoſcitur. Et vt ſacerdoti animal non deeſſet,vnus ex clericis in peditem mutatur ex equite. Dum itaque agitur iter, circunieĉti comites intuentur beatum virum extra morem, conceptam lætitiam vultûs obumbratione velantem. Quod cùm ab omnibus videretur, vnus ex reliquis authoritate concepta, cauſam lætitiæ percontatur. At ille inquit: Paululùm remoremur: quia infelicis illius labor & irrridendus eſt, & dolendus, quem mox videbitis æſtuantem.

Prætor homicidis nequam, qui furto abstulerat iumẽtum viri Dei.

Cumque delapsi animalibus substitissent, paulopòst eminùs intuentur peditem post se manu captum animal deducentem. Qui breuì adiungitur: dum accelerat, immoratur. Statimque vestigijs prouolutus, crimen quod commiserat, confitetur, & ità totius noctis spatio irretitum esse se retulit, vt longiùs prodire non posset, nec euadendi viam aliam reperisset, nisì vt abductum animal reformaret. Ad hęc vir beatus: Si hesterna, inquit, die nudo tibi tegimen dedissem, furandi necessitas non fuisset. Quod deest, accipe: reforma, quod nostrum est. Itaque confessor criminis pro pœna commissi non solùm veniam, verumetiam præmium cum benedictione susceptit.

CAP. XXXI.

Matth. 5. Vult latére sed nõ valet

QVærebat vir Deo plenus secretum & abiectionem oculi, cùm virtutibus prodetur, in quo verè Euangelica sententia probatur, ciuitatẽ supra montem positam latére non posse. Vitabat suorum solatia, extraneorum declinabat occursus: sed obscurari non poterat maiestatis luce circundatus. Nam vici omnes, municipia, ciuitates, quotquot sese per itineris eius tramitem porrigebant, in occursum cum coniugibus ac liberis conuolabant. Et continuatum plerunquè agmen, dum occurrentes iungebant, prosequentibus cohærebant.

CAP. XXXII.

Vxor ante sacerdotiũ, postea soror.

PRæteriri silentio impium puto, in Alisiensi loco quantum virtutis absens operatus est. Erat illic presbyter, Senator nomine, natalibus nobilis, religione nobilior. Coniux illi Nectariola nomine, similis sanctitate: quos præteriens, pro studio antiquæ charitatis expetijt. Aduenienti præparant mansionem, & quanto maior personæ aderat, tanto minor impenditur apparatus. Matrona furtìm stramen in lectulo subdidit sacerdotis, quo ille inscius cubitauit. Deductaque nocte oratione vel psalmis, die reddito, iter, quo agebatur, ingreditur. Illustrato hospitio, familia tota gaudebat. Strati reliquias fidelis matrona recollegit & condidit. Accidit post dies aliquot, vt Agrestius quidã benè ingenuus, habens vxorem, filios & parentes, possessio fieret inuadentis inimici, suorumque omnium fletibus, non minùs Germani absentia, quàm infelicis captiuitas lugebatur. Et cùm nihil remedij posset adhiberi, præsumpsit virtutem fidei matrona venerabilis. Stramen conditum profert, quo furiosus circundatus colligatur. Qui per spatium noctis vnius, quasi appositio vallatus incendio, inclamato semper nomine sacerdotis: qui cùm abesset præsentia, virtute non deerat: diuino purgatur auxilio, neque vnquàm posteà in omni vitæ suæ spatio periculum tentationis incurrit.

Nota virtutem straminis, in quo vir sanctus cubauerat.

CAP. XXXIII.

Hilarius episcopus Arelatensis reuerenter excipit eũ.

Itaque sanctus Germanus Arelatum petens, ad Lugdunensium vrbem, Ararifamulante, deuectus est. Vbì certantibus populi studijs, indiscreta ætas & sexus vno occurrit officio. Omnes benedictionem flagitant, tactum requirunt, & quod superest multitudini, releuat vel vidisse. Diuersæ infirmitates passìm benedictione sanantur, prædicationibus ciuitas recreatur. Et licèt festinus abscesserit, sitientem populum tamen doctrinæ fontibus irrigauit. Si itinera eius cuncta percurram, si vniuersa cõmorem, parabit prolixitas congesta fastidium. Sed dabit Dominus veniã, quòd sciens plura prætereo. Itaque aduenientem beatissimum virum vrbs Arelatensis religiosa gratulatione suscepit, Apostolicum instàr sui tẽporis sacerdotem suscipiens. Illustrabatur eo tẽpore ciuitas Hilario sacerdote, multimoda virtute precioso. Erat enim fidei igneus torrens, cælestis eloquij & præceptionis diuinæ operarius indefessus. Qui venerabilẽ sanctum Pontificem affatu, vt patrem, reuerẽtia vt Apostolũ sublimabat.

CAP. XXXIIII.

Febris quartana profligatur.

AVxiliaris etiam tum regebat per Gallias apicem præfecturæ: qui præsentiam sacerdotis duplicata gratulatione susceptit, quòd & insignem virtutibus virum desiderabat agnoscere, & quòd vxor eiusdem longo iam tempore quartano tabescebat incommodo. Ingredienti longissimo præter consuetudinem famulatur occursu, simulque admiratione defigitur. Ità enim dignitas vultûs, sermonis eruditio, prædicationis authoritas stupentis animum compleuerunt, vt meritò fama eum minorem fuisse cognosceret. Inuentus est enim rebus maior esse, quàm nuncijs. Offert munera, ingerit beneficia, ambiturque à beatissimo viro, vt dignaretur accipere, quod tradebat. Incommodum cõfitetur vxoris: qua visitata, ità vis passionis extincta est, vt tremor præcedens & febris subsequens deleretur. Redditaque pristinę sanitati fidelis matrona, remedium cæleste suscepit, quo & corpus salubritate, & anima conualuit

ualuit credulitate. Acceptis itaque ex voluntate beneficijs, optatum leuamen propriæ detulit ciuitati, licèt in se maximum ciuibus & remedium referret & gaudium.

CAP. XXXV.

Nota antiquam deuotionem erga sanctos.

DEniquè dum multa peragraret, & salutaris doctrinæ pabulo audientium corda mentesque reficeret, peruenit quodam tempore ad Briuatensem vicum, vbì sanctissimi Iuliani martyris corpus honorabiliter habebatur humatum. Ibì nanque plebs vicina mœsta pendebat, eò quòd ignoraret diem, in qua beatissimus martyr deberet pro virtutis ac passionis gloria honorari. Factum est autem, dum ibidèm aduentaret, vt scisciteretur ab incolis, quo tempore huius sacra solennia celebrarentur. Atilli se nescire fatentur. Tunc ille: Oremus, inquit, & fortasse nobis hæc Domini potentia reuelare dignabitur. Aduenientе autem noctis tempore, rediêrunt quique ad sua. Tunc idem sanctissimus pontifex more solito in oratione pernoctauit. Redeunte verò matutino tempore ac sole orto, cõuocatis senioribus loci, si cui fortè Dominus aliquid depalauerit, inquit. At illi: Minimè, inquiunt, Domine. Et ille: Quinto Calendarum mensis septimi celebrandam esse scitote solennitatem. Nam vt mihi diuinitùs est ostensum, hac die hic ab infidelibus extinctus, sanctorum martyrum est societati coniunctus. Tunc deuotus qui aderat populus, vota præsuli reddens, optatam refert corporis & animæ medicinam.

Cælitùs ei reuelatur dies natalitius S. Iuliani.

VITAE LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Noui Pelagianiste rursùs exurgũt in Anglia.

INtereà ex Britannijs nunciatur, Pelagianam peruersitatem iteratò paucis authoribus dilatari. Rursumque ad beatissimũ Germanum preces omnium deferũtur, vt causam Dei, quam priùs obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni festinus occurrit, dum & laboribus delectatur, & Christo se gratanter impendit. Cessit tandèm inimici inuidia, victa virtutibus, nec tentare ausus est, quem Dei amicum iam senserat.

CAP. II.

Seuer⁹ Treuirorũ Episcopus itineris comes

ADiuncto itaque Seuero Episcopo, totius sanctitatis viro, qui tunc Treuiris ordinatus Episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat, Parisios iteratò dum expetit, totius plebis plausu, vt tantum virum decebat, excipitur. Benedictionem postulatus, vbertìm omnibus impertitur. Intereà pignoris ibidèm dudùm âse specialiùs commendati non immemor, de puella Genouefa, qualiter se habeat, attentiùs scisciatur. Credo sanctum virum minimè latuisse, quæ & qualia post eius discessum ab obloquentibus virgo beata pertulerat, infamias, probra, criminationes, cunctas postremò, quæ à liuidis manare assolent, simultates. Atque vt eorum irreuocabilem in malo pertinaciam par esset agnoscere, iniquæ mentis virus, & iamdudùm concepta molimina nec in ipsa sancti viri præsentia aliquatenùs potuêre supprimere. Verùm ille, cui meliùs, quàm ipsis suis etiam esset parentibus nota, obtrectantium garrulitate posthabita, ad virginis se diuersorium contulit, atque hanc non sine ingenti stupore intuentium, adeò humiliter salutauit, vt aduerteres eum in illa ipsius diuinitatis, cuius erat templum, præsentiam fuisse veneratum. Et nè aduentus Pontificis beati sacræ virgini nil contulisse videretur, néve eius inter improbos persona inexpurgata remaneret, habito sermone ad populum, prima conuersationis eius auspicia declarans, cuius & quanti meriti esset apud Deum, cunctis euidenter exposuit. In argumentum tantæ rei arentem terram, cui orans superiacere consueuerat, frequenti lachrymarum imbre madentem ostentans. Itaque vniuersorum animis erga innocentem pastorali assertione compositis, iter prematurans inceptum, mare Christo authore conscendit. Ad itineris tranquillitatem elementa consentiunt, nauigium venti, fluctus aëra prosequuntur.

Iniuriæ irrogatæ S. Genouefæ.

Eius sanctitatem prædicat S. Germanus.

Rursùm mare Anglicanũ conscendit.

CAP. III.

Elaphi⁹ vadit ei obuiàm.

INtereà sinistri spiritus peruolãtes per totam insulam, Germanum venire inuitis vaticinationibus nunciabant, intantùm vt Elaphius quidam, regionis illius primus, in occursum sanctorum sine vlla manifesti nuncij relatione properauerit, exhibens secum filium, quem in ipso flore adolescentiæ debilitas dolenda damnauerat. Erat enim arescentibus neruis contracto poplite, cui per siccitatem cruris, vsus negaba-

tur

tur vestigij. Hunc Elaphium prouincia tota subsequitur. Veniunt sacerdotes, occurrit insçia multitudo: confestim benedictio & sermonis diuini doctrina profunditur. Recognoscit populum in ea, quam reliquerat, credulitate durantem. Intelligunt culpam esse paucorum: inquirunt authores, inuentosque condemnant.

CAP. IIII.

Contractũ sanat.

CVm subitò Elaphius manibus aduoluitur sacerdotum, offerens filium, cuius necessitatem ætas & debilitas, etiam sine precibus, allegabant. Fit cõmunis omnium dolor, præcipuè sacerdotum, qui cõceptam misericordiam ad diuinam clementiam contulerunt. Statimque adolescentem beatus Germanus sedere compulit, attractat poplitem debilitate curuatum, & per tota infirmitatis spatia medicabilis dextra percucurrit. Salubrem tactum sanitas festina subsequitur: ariditas succum, nerui officia receperũt, & in conspectu omnium filio incolumitas, patri filius reformatur. Implentur populi stupore miraculi, & in pectoribus omnium fides Catholica firmabatur. Prædicatio deindè ad plebem de præuaricationis emendatione conuertitur, omniumque sententia prauitatis authores expulsi ab insula, sacerdotibus adducuntur, ad mediterranea deferendi: vt & regio absolutione, & illi emendatione frueretur. Quod intantùm salubriter factum est, vt in illis locis etiam nunc fides intemerata perduret. Itaque compositis omnibus, beatissimi sacerdotes ea, qua venerant, prosperitate reuersi sunt.

Hæresis recrudescens in Anglia extirpatur.

CAP. V.

VIx domum de transmarina expeditione remeauerat, & iam legatio Armoricani tractûs, fatigationem beati antistitis ambiebat. Offensus enim superbæ insolentia regionis vir magnificus Aëtius, qui tum rempublicam gubernabat, Eochatich ferocissimo Alemannorum Regi, loca illa inclinanda pro rebellionis præsumtione permiserat, quæ ille auiditate barbaricæ cupiditatis inhiauerat. Itaque genti bellicosissimæ, Regique idolorum ministro, obijcitur senex vnus, sed tamen omnibus, Christi præsidio, maior & fortior. Nec mora, festinus egreditur, quia imminebat bellicus apparatus. Iam progressa gens fuerat, totumque iter eques ferratus impleuerat, & sacerdos noster obuius ferebatur, donèc ad ipsum Regem, qui subsequebatur, accederet. Occurrit in itinere iam progresso, & armato duci inter suorum cateruas opponitur: medioque interprete, primùm precem supplicem fundit, deindè increpat differentem: adextremùm manu iniecta, freni habenas inuadit, atque in eo loco vniuersum sistit exercitum. Ad hæc Rex ferocissimus admirationem proiracundia, Deo imperante, concepit. Stupet constantiam, veneratur reuerentiam, authoritatis pertinacia permouetur. Apparatus bellicus armorumque commotio, ad consilij ciuilitatem, deposito tumore, descendit: tractaturque, qualiter non quod Rex voluĕrat, sed quod sacerdos petierat, compleretur. Ad stationem quietam Rex exercitusque se recipit: pacis securitatem fidelissimam pollicetur ea conditione, vt venia, quam ipse præstiterat, ab Imperatore vel ab Aëtio peteretur. Interea perintercessionem & meritum sacerdotis Rex compressus est, exercitus reuocatus, prouinciæ à vastationibus absolutæ.

Totum Germanorum exercitum sistit vir Dei

CAP. VI.

EXindè Italiam petiturus egreditur, cui id solùm sufficerat, nè vnquàm labore vacuus, quiete frueretur: sed, vt Propheta ait, ambulabat de virtute in virtutem. Nam dum præterit, ex consuetudine pietatis, familiarem suum Senatorem presbyterum iterùm visitauit, à quo illi annorum viginti circitèr muta offertur puella. Cuius os, frontem, vultumq; totum cum'olei attrectatione benedixit. Deindè poculũ conditum præcepit offerri, in quo tres particulas panis proprijs manibus comminutas infudit. Vnamque in os puellæ ipse inseruit, imperans, vt priusquàm acciperet, benedictionis petitionem ediceret. Quam statìm clara voce, antequàm panem sumeret, postulauit. ac deincèps vsus loquendi, natus ex mirabilibus, in reliqua eius ætate permansit. Deindè profecturus, solito affectuosiùs in amicum irruit: os, frontem osculatur. Inhæret amplexibus, & huiusmodi verbis salutatum reliquit: Vale inæternùm, frater charissime: vale animæ meæ portio. Tribuat Deus, vt nos in die iudicij sine confusione videamus. Cæterùm in hac luce mutuo nunquàm fruemur adspectu.

Psal. 83. Visitat dilectum suum Senatorem presbyterũ.

Muta puella loquitur.

CAP. VII.

ERat iter illius comitatu proprio solitarium, sed occurrẽtibus ab hominibus constipatũ, intantùm, vt per omnes aggeres quos in itinere suo illustratos reliquit, vsque

vsque in hodiernum diem vbicunquè aut orauit, aut docuit, oratoria, cellulæ, & signa Crucis elata præfulgeant. Territorium sanè Augustdunense dum præterit, aduenĩeti multitudo indiscretæ ætatis & sexûs occurrit. Qui dum loca sanctorum ex more circumiret, tandèm peruénit ad tumulum sancti Cassiani pontificis. In quo ità diuina virtus apparuit, vt in Pario lapide contrarius color Crucem exprimeret, & salutare signum varietas distincta monstraret. Quod dum Germanus sanctissimus fuisset intuitus, fusis ex more Christo precibus, ait: Quid hîc agis frater glorioſe? At ille statìm è tumulo, cunctis, qui aderant, audientibus: Dulci, inquit, in pace quiete potior, & aduentum redemptoris expecto. Cui Germanus mutua sermonis voce dixit: Quiesce per longum in Christo frater tempus. Vt autẽ diuinæ tubæ cantum, & exoptati clangoris sonum ac sacræ resurrectionis gaudia obtinere mereamur, & pro nobis & pro hac plebe attentiùs intercede ad Dominum nostrum Iesum Christum.

Crucis signum apparet in lapide.

Sancti pro nobis orãt.

CAP. VIII.

MIranda est in sancto viro principalis miraculorum eminentia, cui cuncta imis etiam sepulcris abdita, famulabantur ad votum. Et singula quidem, quæ ab eo mirabiliter sunt gesta, præcipua sunt admiratione suscipienda: Hoc verò eo mirabile, quo infrequens est. Cuius enim animum admiratio non percellat, duos non incelebres viros, quos nulla vnquàm mutui conspectûs alternitas præsentauerat, alterum à viuentibus, à sepultis alterum seruisse colloquia? Vterque nimirùm beatæ illius & supernæ Hierusalem ciuis erat, cuius pars iam cælo fruitur, pars adhuc in terris peregrinatur. Quod factum est, vt is, qui iam patriam obtinebat, exulantem licèt adhuc commilitonem agnosceret, agnitique votis atq; colloquio responderet. Illic in conuentu omnium prostrati parentes in terram, filiam in annis nubilibus obtulerũt, cui debilitas pœnam sæuissimam temporis accessione generauerat. Ab ortu enim natiuitatis suæ ità contractis neruis in palmam digiti curuabantur, vt crescentibus introrsùm nimiè vnguibus, cedente carnis teneritudine, tot inciperent esse vulnera, quot digiti. Et nisi insistenti acumini ossa obiecta aliquatenùs restitissent, palmam totam vlcera interiùs immersa transfoderent. Huius dexteram comprehensam dum attrectat sacerdos, tactûs salubritate benedixit: apprehensosque singulatìm digitos, cedentibus neruis, in vsum flexibilem reuocauit. Redditurque ministerio manus, quæ inferebat sibi ipsa perniciem: insuperè id pietatis adiungit, vt sanctis manibus, directis iam digitis, excessum vnguium ad formam communis consuetudinis resecaret.

Sanatur puella contracta.

CAP. IX.

DEcursis itaque ciuitatibus Gallicanis, dum Alpes, Italiam ingressurus, exuperat, casu artificibus, ex opere mercenario domum redeuntibus, itineris collatione sociatur. Qui dum grauati iniustis fascibus, iuga nubibus inserta conscendunt, torrente obuio tenebantur: qui in illis præruptis præcipitijs neque animalium, neque hominum vestigia fideliter hærere patiuntur. Erat ex illis viator vnus, & claudus, & senior. Huius fascem vir beatissimus humeris suis inter vastos gurgites deportauit, eumque exoneratum, iterato transitu, subiecta ceruice transposuit. Libet hîc parumpèr subsistere, & admiratione tanti viri aliquandiù spatiari. Verè Dominus in sanctis suis potens, verè omnipotens, verè fons benignitatis eius nullis verborum suffragijs explicandus. Cerneres, si adesses, in sancto viro ingenuam quandam spiritûs carnisque palæstram, inuictam dico animi fortitudinem, imbecillitati corporeæ concertantem. Is certè, cuius facies squallida, cuius inediam septimus plerunquè dies pane tantùm hordeaceo recreabat, cuius somnum stratus mollior nunquàm exceperat, quem continui itineris quotidiana fatigatio distrahebat, qui deniquè semetipsum ferre vix potetat, tantam subitò charitatis concepit animo corporeque virtutem, vt nec ponderis quantitate addictus, nec torrentis obuij impetu territus, senem ætate pariter & debilitate grauissimum, fasce priùs transposito, sanctis in humeris vectitaret. Et vt plùs mireris negocium, animaduerte hoc à nobili & clarissima persona patratum, quod nec infimus quisque nostri temporis facere dignaretur. Re enim vera ab operibus misericordiæ alienum se reddere non poterat, in cuius sacro pectore humilitas virtutum mater, charitas quoquè ac misericordia gratissimum cubile collocauerat. Et cùm studiosissimè sui agnitionem abiectione velaret, Mediolani, quis aut quantus esset, celare non potuit.

Nota eximiam humilitatem tanti Pontificis.

Nota admirabilem ei bi abstinentiam.

Venit Mediolanum S. German⁹.

CAP. X.

Erat

Sanctorum solennitas Missæ celebratio.

ERat enim dies sanctorum solennitate venerabilis, qui in vnum plurimos collegerat sacerdotes. Et dum Missa sacris mysterijs celebratur altari, incognitus & improuisus ingreditur. Statimque vnus è populo captiuus inimici, cum ingenti vociferatione proclamat: Cur nos in Italia Germane persequeris? Sufficiat tibi, quòd nos de Gallijs exclusisti: sufficiat, quòd nos & Oceanum mare oratione superâsti. Quid vniuersa perlustras? Quiesce, vt nos quieti esse possimus. Fit admiratio & terror in populo. Quis esset Germanus, dum alter alterum intuetur, inquiritur. Et licèt habitu despicabilis videretur, vultûs tamen dignitate cognoscitur. Cõsultus gradum aut ordinem, non negauit. Episcopi omnes sanctum Dei digna humilitate venerantur. Exorant, vt furiosum, qui nomen eius confessus fuerat, visitaret. Quem non præsumptionis cothurno, sed obedientiæ studio præcepit exhiberi, remotumque in sacrario celebri absolutione purgatum, ad conuentum publicũ reuocauit incolumem. Hoc primum virtutis suæ signum in Italia per famulum suum Christus operari dignatus est. Concurrebat diuersa populi multitudo, benedictionem expertæ sanitatis opperiens: luctisque cum prædicatione miraculis, & animas curabat, & corpora.

Sanat dæmoniacum.

CAP. XI.

EGressus vrbe opulentissima, dum iter sensim horis felicibus carperet, occurrunt pauperes eleemosynam postulantes. Consulit diaconum, quantum esset in sumptibus. tres tantùm aureos esse respondit: totosque statim præcepit erogari. Ad hæc diaconus: Vndè victuri hodiè sumus? Respondens, ait: Pascet Deus pauperes suos: tu quod habes, præsta pauperibus. Diaconus quasi prouidus, duos erogat, reseruat vnum. Dumque iter agitur cœptum, intuentur post se equites concitatos. Qui breui adiuncti, statim desiliunt, & prouoluti genibus, huiusmodi precẽ fundunt: Dominus noster vir spectabilis Leporius, non longè abhinc domicilio fruitur: qui cum familia sua ità implicitus diuerso tenetur incommodo, vt & propria, & suorum infirmitate succumbat. Cuius ad vos lachrymas deportamus: infirmum, si dignum ducitis, visitate. Si verò precem nostram vestræ occupationis necessitas vincit, orationem intercessionis impendite: Mereatur benedictionem, si non meretur adspectum. Ad hæc vir beatissimus, repletus misericordia, & relicto itinere, ea via rectior iudicatur, quæ mercedem boni operis præparabat. Diuertit, reclamantibus suis, & desideratum pe-
tentibus præstat aduentũ, dicens: Nihil mihi prius est, quàm præcepta Domini complere. Tum illi cum exultatione, cum gaudio ducentorum solidorum munus, quod transmissum fuerat, obtulerunt. Deindè conuersus ad diaconem, ait: Accipe, quæ traduntur, & intellige te fraudem fecisse pauperibus. Nam si totum, quod dedi, indigentibus contulisses, remunerator noster trecentos hodiè reddidisset. Contremuit diaconus, secretum reatûs sui innotuisse pontifici.

Vide benignitatem in pauperes.

O præclara sancti viri vocem.

CAP. XII.

INterea gradum accelerãt: peruenitur. Et tanquàm manifesta sanitas fuisset ingressa, ità omnium animos sancti releuauit aduẽtus. Notas profert & exerit medicinas: Christum prostratus exorat, suisque lachrymis gaudia mercatur aliorum. Visitantur domini, visitantur & famuli, ac sine vlla discretione personæ tuguria circumit, cubilia vniuersa perlustrat. Et interposito vnius diei spatio, ità cælestes medicinas obtinuit, vt egrediens die tertia, domũ totam reliquerit incolumitate gaudentem, prosequente eum domino, quem lectulo inuenerat decumbentem. Præcedebat enim venerabilem virum fama laudabilis, exigens, vt nunciati desideretur agnitio.

Multos morbidos sanat.

CAP. XIII.

FErebatur iam per ora Rauennatium populorum, & aduentûs sui moras præuius accusabat effectus. Tandèm diù expectatus excipitur. Prouiderat quidem, vt nocturno ingressus tempore, secreta obscuritate tegeretur: sed desiderantium excubias vitare non potuit. Illic Petrus tum pontifex, Christi ecclesiam Apostolica institutione retinebat.

Petrus Episcopus Rauennæ.

CAP. XIIII.

REgebat etiam Romanum imperiũ Placidia Regina cum filio Valentiniano iam iuuene: qui ità fidem catholicam diligebant, vt cùm omnibus imperarent, Dei famulis sublimi humilitate seruirent. Qui omnes venerabilem sacerdotem certantibus studijs prouido amore suscipiunt. Ambiunt principes, occurrũt proceres, ecclesia cum exultatione amplectitur. Ad diuersorium sacerdotis Regina venerabilis vas argẽti amplissimum, refertum cibis delicatioribus, sine vlla carnis admixtione transmisit.

Honorificè Rauennæ ab Imperat. excipitur.

misit. Quod susceptum, ea ratione distribuit, vt cibos ministris suis traderet: ipse vero vindicaret argentum, remittens loco muneris patinulam ligneam, panem hordeaceum continentem. Quod illa vtrunque cum gaudio ingenti complexa est, quòd & argentum suum transmississet ad pauperes, & illam escam beati viri cum ministerio abiecti vasculi suscepisset. Nam & lignum posteà auro ambijt, & panem multis remedijs & virtutibus reseruauit.

Nota quanti fecit regina vasculũ sancti viri.

CAP. XV.

QVadam die, dum plateam latissimam turbis angustatus ingreditur, carcerem refertum vinctis, supplicia & mortem expectãtibus, præteribat. Qui agnito transitu sacerdotis, vnum clamorem collatis vocibus sustulerunt. Causam requirit, agnoscit: custodes euocat, subtrahuntur. Diuersæ enim palatij potestates, miserorum turbam in ergastuli illius noctes damnauerant. Quò se verteret misericordia, non habebat. Tandèm ad notum recurrit auxilium, & quod difficile erat ab hominibus impetrare, à maiestate diuina deposcit. Gressum diuertit ad carcerẽ, cernuus in orationẽ membra prosternit. Tum verò Dominus noster adstãtibus populis gratiam quam famulo suo tribueret, ostendit. Clausura vinculis & sera constricta dissoluitur: repagula ferrata dissiliunt. Diuina pietas reserat, quod meditatio humanæ crudelitatis arctauerat. Procedit ad libertatem turba de vinculis, exhibens vacua onera catenarum, tenens nexus, quibus anteà tenebatur. Relinquitur carcer innocens aliquandò, quia vacuus: & præcedente pietatis triumpho, turba miserorum gremio ecclesiæ gaudentis infertur.

Carcerem precibus patefacit.

CAP. XVI.

CRescebat quotidiè admiratio & fama pontificis: occurrebant populi, sanabantur infirmi: Christusque gratiam, quam contulerat, dilatabat. Assidebant iugiter obsequentes sex venerabiles sacerdotes: qui non minùs abstinẽtiæ eius cruces sine interpolatione durantes, quàm virtutes assiduas, mirabantur. Hi testes operum illius multis fuêre temporibus.

Abstinẽtiæ eius quanta fuerit.

CAP. XVII.

VOlusiani cuiusdam filius, qui tum patritij Segisuulti cancellis præerat, succensus igne febrium vexabatur: & ità æstuantis vaporis accensio adolescentiæ medullas corpusque consumpserat, vt desperatio conclamata sequeretur. Medici manus & promissa iam subtrahuntur, luctusque solus parentibus reseruatur. Ad beatũ virum spes tarda conuertitur: parentes cum amicis omnibus & propinquis sancti genibus implicantur. Additur etiam intercessio sacerdotum, cum quibus festinus expetijt ægrotantem. Euntibusque occurrit obuius, adolescentem iam mortuum nunciauit, nec esse causam, qua se vir venerabilis fatigaret. Insistunt tamen antistites, supplicant vt cœptum misericordiæ impleret officium. Inueniunt corpus exanime, & vitæ calore repulso, mortis frigore iam frigidum. Depositaque pro animæ requie oratione, remeabant, cùm subitò multitudinis luctus attollitur: inhærent seniores sui manibus sacerdotis, vt pro parentum orbitate & defuncti reditu Domino supplicaret. Diù restitit, sancto pudore confusus: cessit tandèm misericordiæ & charitatis imperio, fidei arma concutiens. Turbas eiecit, mortuoque in oratione prostratus adiungitur. Rigat lachrymis terram, cælo alti gemitus porriguntur, vocat planctibus Christum. Interea mouetur exanimis, & paulatim membris emortuis vitalia reddun-
tur officia. Oculi lucem quærunt, micant digiti. Lingua iam resurgit: vterque consurgit, iste de oratione, ille de morte. Germanus manu alleuat dormientem: residet, respirat, reficitur, respicit, paulatimque vigore concepto, integram recipit sospiratẽ. Redditur parentibus filius, luctus conuertuntur in gaudium, & vno clamore populorum virtus maiestatis extollitur. Continuat Christus virtutes in famulo, & mox recipiendum in requiem, miraculorum laude sublimat.

Mortuum reuocat ad vitam.

CAP. XVIII.

ACholij eunuchi, tum præpositi regalis cubiculi, alumnus, iam iuuenis liberaliter institutus, huiusmodi dæmonio vexabatur, quod per menstruum tempus, redeuntibus incrementis lunaribus, captiuos suos caduca allisione prosternit. Interuentu Reginæ vel procerum, sancto viro præsentatur & traditur. Quem diù examinatum purgare eádem die distulit, cùm soleret furiosissimos dæmones prima manûs impositione depellere. Ità enim miserandi iuuenis medullas & interiora penetrauerat, vt quasi vas proprium certis temporibus possideret. Recludi ergò eum secum

Nota eius in dæmones potestatem.

Dæmonem profligat.

nocte constituit. Tum verò ex interioribus latebris manifestus erúpit, & quasi inter tormenta compositus, tempus índicat, quo ab ineunte ætate ceperat innocentem. Itaque iussus egreditur: purgatusque adolescens, post diem alterum palatio reformatur: Caulam sanè Armoricanæ regionis, quæ necessitatem peregrinationis indixerat, obtenta venia & securitate perpetua, ad proprium obtinuisset arbitrium, nisi tituba. tionis perfidia mobilem & indisciplinatum populum ad rebellionem pristinam reuocâsset. Quo facto, & intercessio sacerdotis euanuit, & imperialis crudelitas circũscriptione frustrata est. Qui tamen pro calliditate multiplici, breuì pœnas perfidæ temeritatis exoluit.

CAP. XIX.

Prædicit obitũ suũ.

GErmanus igitur quadam die, matutinali solennitate perfecta, dum cum Episcopis sermones de religione conferret, mœstissimam protulit mentionem, inquiens: Commendo vobis, fratres charissimi, transitum meum. Videbar mihi per nocturnum soporem à Domino nostro viaticum peregrinaturus accipere. Et cùm causam peregrinationis inquirerem, Nè metuas, inquit: ad patriam, non ad peregrinationem, te dirigo, vbì habebis pacem & requiem sempiternam. Deriuabant intellectu alio somnium sacerdotes, sed ille studiosiùs commendabat extrema dicens: Benè nõui, quam patriam Deus suis famulis repromittit. Factum est, vt post dies aliquot sequeretur incommodum. Quo ingrauescente, ciuitas tota turbatur. Accelerabat transitũ, qui vocabat ad gloriã, & fessum à laboribus Dominus inuitabat ad præmia.

CAP. XX.

Felicissimè decedit beatissimus vir.

REgina Placidia, deposito imperij supercilio, occurrit pauperi, requirit infirmum, tribuens quicquid ab ea beneficij postulat. Peculiariter sanè petijt, quod illa inuita concessit, vt gleba corporis sui parriæ redderetur. Visitantum verò tanta fuit diebus ac noctibus multitudo, quantam aut admisit aditus, aut domus recepit. Tempus omne choris psallentibus tenebatur. Septimo incommodi die ad cælos anima felix & beata transfertur.

CAP. XXI.

*reliquijs

Eius sancta hæreditas diuiditur.

HAEreditas deincèps relicta diuiditur: partem præsumpsit imperiũ, partem vendicant sacerdotes. Et quod fieri de opibus solet, nascitur de exiguitate contentio, dum deest quod capiant. Solius benedictionis hæres capsulam cum *sanctis regina suscepit. Cucullam cum interiori cilicio Petrus Episcopus vsurpauit. Sex verò antistites, vt aliquid monimenti ex successione sanctitatis acciperent, disrumpere quod superfuerat, maluerunt. Vnus pallium, alter cingulum accepit: duo tunicam, duo sagulum diuiserunt.

CAP. XXII.

Funus eius honorificè curatur.

DEindè apparatu defuncti feruent studia conferentium, accusantium cur parua expensa mortuo deberetur. Acholius corpus aromatum constrictione solidauit, Regina vestiuit. Quibus omnibus ritè perfectis, expensis & euectionibus iter instruit Imperator, ministrosque eius copiosa largitione prosequitur. Sacerdotes religionis obsequium, & in præsenti instruunt, & ordinatione præmittunt, vnumque agmen reformatur ad Gallias.

CAP. XXIII.

*Placentiã

Paralytica sanatur ad feretrũ corporis eius.

*LAcentium corpus dum præterit, cæca iam nocte peruenit. Quod in ecclesia collocatum, dum vigilijs sanctæ deuotionis excolitur, matrona quædam loci eius paralysi dissoluta, ità vt nullum membrum suo fungeretur officio, precariò deposcit, vt feretro corporis subderetur: ibique vsque ad lucẽ extenta decubuit. Maturè corpus attollitur: surgit, & mulier viuificata per mortuum, mirantibus populis, proprijs pedibus debitum reddit obsequium.

CAP. XXIIII.

Galli summo studio corpus eius excipiunt.

Nota de luminibus.

EXcipiunt Galliæ patronum proprium famulatu maiori, quippe vbì reuerentiæ iungebatur affectus. Omne hominũ genus diuerso occurrit officio. Alij vias præruptis depositis molliunt, & pontium innouatione continuant: alij expensas ingerunt: alij psalmis intonant: alij colla supponunt. Refulgebat repercusso solis radio, splendorem sibi etiam per diem vindicans luminum multitudo, totoque ministerio charitatis, propriæ redditur ciuitati, vbì sepultus corpore, quotidianis miraculis viuit & gloria.

CAP. XXV.

Ego

EGo duplicem veniam lector à te exposco: Primùm, quòd solœcismis & abiectione verborum aures tuas vulnero: deindè, quòd prolixior pagina videtur parere fastidium. Sed non pigeat recensere, quod Christum præstare non piguit. Qui dum sanctos suos glorificat, nos inuitat exemplo. Et tamen Deum testor, conscium secretorum, me plura de domini mei Germani factis agnita & probata tacuisse. Ex quo reum me esse fateor, supprimendo quod mirabiliter ad profectum omnium diuina virtus operata est: & ideò in scribendo succinctum magìs me arbitror fuisse, quàm nimium. Hoc verò dolendum est.

Fulgida fulgentem Florida florentem Cælica cælestem Splendida splendentem	Germanum	sidera captant. millia plaudunt. carmina cantant. gaudia pangunt.

Sedit autem idem dominus & Apostolicus noster, sanctissimus Germanus in Episcopali cathedra annos xxx. dies xxv. Obijt verò plenus spiritu sancto apud Rauennam Italiæ ciuitatem, pridiè Calend. Augustas, Valentiniano adhuc iuuene imperante cum Placida matre, à quibus ibidèm pro admiratione sanctitatis ac assiduitate miraculorum honorificè susceptus, Domino sibi apparente, obitum suum prænoscens, obtinuit, vt propriæ redderetur ciuitati. Cuius sacratissimum corpus honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus, suam est delatum ad vrbem. Ibique sub die Calendárum Octobrium, à proprijs ciuibus celeberrimo cultu condignè est sepulturæ traditum: vbì innumerabilibus virtutibus pollens, summa excolitur gloria, Amen. Eius sepultura honorificentissima, & innumera miracula.

FINIS IVLII MENSIS

AVGVSTVS.

SERMO IN ADORATIONEM VENERABILIVM CATENARVM ET GLADII, SANCTI ET APOSTOLORVM PRINcipis Petri, *authore S. Iohanne Chrysostomo Archiepiscopo Constantinopolitano. Habetur in Simeone Metaphraste.*

1. Augusti. Dies festus S. Petri ad vincula. Cap. 1.

QVICVNQVE diuino Apostolorũ summi Petri amore allecti, ad eius panegyrim ac diem festum celebrandum parati, & eius diuinis retibus capti, incolumesque seruati, illius Theologiæ lumine illustrati sumus, cõmunem panegyrim hodiè celebrantes, ad eiusdem laudum præconia linguam nostram dirigamus. Multis quidem de causis beati Apostoli Petri memoriam die festo & laudatione dignam esse censemus, nõ minimè autem propter Apostolicæ dignitatis gradum, & Euangelicæ prædicationis cursum ac doctrinam, admonitionesque, quibus in dispersione gentium versantes Iudæos instruebat: illos enim eô maiore cura & solicitudine prosequebatur, quòd ex illis originem duxerat. Quæ omnia eùm ad laudũ materiam suppeditandã idonea esse iudicentur atque assumantur, omninò valent ad Apostolum ipsum summo laudationis præconio extollendum. Sanctum enim ac iustum est, eô quòd ex his, quæ in lege diuina scripta sunt, eum, qui ad salutem nobis conferendam in mundum vénit, tanquàm in speculo quodam perspexerit, summis & meritis honoribus Apostolum ipsum prædicari: omnium verò maximè, quòd in extremis temporibus Deum ipsum

viderit, vnigenitum, inquam, Dei filium ſecum vnà verſantem ac loquentem, & humanæ carnis, qua ſe induit, ſpectandæ, myſterijque cognoſcendi facultatem præbentem: in quo & ſuam Eccleſiam pro diuinæ illius vocis præmio, qua ipſum Dei filium Matt. 16. eſſe prædicauit, ædificaturum ſe prædixit, & cælorum claues eius in ſe fidei arrhabonem ſe illi daturum, & eorum, quæ ab ipſo in terris ligata aut ſoluta fuiſſent, in cælis Iohan. 1. ſententiam confirmaturum promiſit. Adde quòd vocanti fratri, & ad Meſſiã ſequendum inuitanti libenter obediuerit, & vocationem illam ſequens, ad Chriſtum venerit, & Cephæ appellationem, velut quoddam ſuæ in ipſum fidei ſignum atque imaginem acceperit: quodque ex eo tempore totus à magiſtro ſuo pendére, & eius amore inflammatus eſſe cœperit: ob idque beneuolentiæ ardorem multis in rebus acſepè talem oſtenderit, qualem nullus alius ex diſcipulis oſtenderat.

Cap. 2. Hæc etsi tam magna ſunt, vt humanas cogitationes exuperent, & orationis facultate maiora videantur, nõ tamen talia omninò ſunt, vt aditum nobis & viam obſtruant. Ad noſtram enim vſque imbecillitatem & humilem captum ſe demittit omniũ Apoſtolorum ſummus, non ſolùm propter commiſerationem, qua præ cæteris nos homines proſequitur: ſed etiam quòd Magiſtrum ſuum imitatur, qui cùm vſque ad ſeruiformam ſe demiſerit, eo ipſo diſcipulos ſuos edocuit, non elatos, ſed modeſtos Dies feſtus martyrij S. Petri. eſſe, & cum humilibus ſubmiſsè atque humiliter ſe gerere. Hilaris quidem dies ille feſtus eſt, & multo ſancti Spiritûs lumine illuſtris, qui eius martyrium nobis repræſentat, hoc eſt, crucem fixam, & Apoſtolum prompto animo ad eam aſcendentem, manus ad extenſionem vltrò expanſas, & Dominicæ paſſionis imaginẽ præ ſe ferentes, figuram crucifixionis non rectam, ſed capite in terram deuoluto: quæ res eius in Magiſtrum reuerentiam ſignificauit, cùm ſemper ſummus ille Apoſtolus Magiſtro ſuo reuerentiam & primas, vt par erat, conceſſerit, ſuamque humilitatem illius celſitati ſubiecerit, atque eo modo humilia & infima magìs, quàm ſumma & ſublimia optauerit. Nihilo autem hac ipſa hilaritate inferior eſt hodierna celebritas: quippe quæ eorum cauſas præmonſtrat, quæ poſtremò Apoſtolus paſſus eſt, & non minùs, quàm crucis eleuatio, ea, quæ anteà paſſus fuerat, hæc indicat. quarè & crux ipſa iucundior illi fuit, atque cæteris omnibus rebus optabilior. Hic enim dies venerandas Nota quæ hic dicit. eius catenas manifeſtas oſtendit, & earum adorationem proponit, quibus Apoſtolus ipſe deuinctus, multiplices eius, qui eſt malorũ omniũ origo, nodos ac machinas diſſoluit, & quos diabolus adſtrictos teñebat, eos ereptos à morte ſempiterna liberauit.

Cap. 3. Hæc pro diei feſti argumento habentes, cùm crucifixionis cauſam his rebus conciliatam fuiſſe cognoſcamus, & in vno eodemque Apoſtolo tam hæc, quàm illa facta & coniuncta contemplemur, ob id præſentem celebritatem à ſacro martyrij die alienam non exiſtimabimus. Itaque ex vtraque re vnam componentes, orationis laudibus & fidei ardore, quàm maximè poſſumus, hodierno die celebritatem ipſam illuſtremus, eamque vt omni ex parte inſignem & ſacram, atque vniuerſo mundo lumen conciliantem, & Dei voluntatem in Apoſtolo ſuo decorando præ ſe ferentẽ, ſacris cantibus exornemus: hanc denique vt ſancti Spiritûs gratiam & lumen in animas illas, quæ ſunt idoneæ, conferentem pro viribus noſtris laudemus. Ità enim fieri poterit, vt ſi Apoſtolicarum laudum ſumus amatores, illum ipſum, quem honore proſequimur, ad miſericordiam attrahamus, & noſtræ laudationis, quam de illo inſtituimus, adiutorem habeamus. Eius enim linguæ gratiam mihi dari exopto, quam Spiritûs ſancti virtus lumen afferens concinnauit, & cæleſti atque arcanarũ rerũ doctrina ità repleuit, vt gentium nationes multis in locis diſperſas, in propriam ſagenã magnificentiſſimè concluſerit.

Cap. 4. Hoc autem loco, in Apoſtolicarum rerum pelago mentis aciem infigens, totus Eſa. 6. vertigine ac tenebris repletus, & in meipſum cõuerſus, clariſſimi Eſaiæ verba illa pronuncio: Miſer ego, qui impurus ſum, & labia impura habẽs, puriſſimas materias tractem, nulla ope mihi ad hæc ipſa rectè aggredienda ſpem afferente. Quamobrèm ad Apoſtolicæ miſericordiæ perfugium recurrens, tenui hac lingua de eius laudibus dicere conabor. Omitto nunc de eius ortu, de patria & parentibus aliquid dicere. Honeſta quidem illa ſunt, & auditu digna: ſed mentem tamen obruerent, neque ſinerent orationem longiorem de his rebus habere, quæ præſtantiſſimæ ſunt, & quarum memoria vtilis eſt ac ſalutaris. Diuinorum profectò ſignorum Apoſtoli huius, & miraculorum multitudo magna extitit: aliaque omnia, quæ Spiritûs ſancti gratia in illo habitans effecit, tot tantaque ſunt, vt ſi velim ſingula ſcribere, (Decet enim de ipſo dicere

dicere, quod Theologus quidam ſcripſit) noſtrarum orationum vis ſatìs eſſe non poſſit, quanuis ad eam rem tractandam audacter ſe ingerat.

Hic Apoſtolus, poſtquàm vnigenitus Dei filius ſupra humanam conditionem in Cap. 5. paterno ſolio arcano quodam modo conſedit, vnà cum reliquo Apoſtolorum cœtu erat ac viuebat, & communem cum illis Euangelij prædicationem exercebat, ac modò tribunali iudicijsque vnà præſtò erat, modò ignominias & verba vnà cum Act. 5. alijs Apoſtolis à Iudæis ipſis patiebatur: neque vnquàm ab Apoſtolorũ ſocietate aberat, ſed cum illis in ærumnis perferendis communicabat. Liber ille, qui Apoſtolorũ ſcripta continet, multa eius pericula percurrit, in quæ Apoſtolus ipſe incidit, & quibus detentus fuit, multorumque miraculorum mentionem facit, quemadmodùm Act. 12. admirabili quodam modo claudum illum ſanauerit, & Ananiæ ac Saphiræ mortem ineuitabilem ſeueriſſimè intulerit, Tabithamque puellam à mortis ipſius laqueo ereptam viræ reſtituerit, atque Cornelium Centurionem Angeli præſentia edoctum inſtruxerit, & ad Chriſti fidem traduxerit: quemadmodùm per vmbram corporis infirmos homines firmos reddiderit: quot denique ærumnas ſuſtinuerit, quàm ſæpè comprehenſus, & ante tribunalia cõſtitutus, & pro Chriſto ipſo flagellis verberatus gauiſus fuerit, quòd dignus habitus ſit, qui pro nomine Ieſu multas ignominias pateretur. Licet ex eodem libro diſcere, quàm libera oratione apud Iudæos ſæpè vſus fuerit: & Act. 2. quemadmodùm ipſe idiota ex illiterato ore ſermones diuina ſapiẽtia refertos protulerit: vt precibus ſuis terrã cõmouerit, ac turbã, quæ illuc cõuenerat, ad Chriſti fidem attraxerit. Hæc, inquã, & quæcunque alia deinceps paſſus eſt & effecit, cùm multa ſint, vt facilè narrari non poſſint, oratio noſtra ſummatim perſtringens, ad vnum illud periculum enarrandum ſe conferet omnium grauiſſimum, & vitatu difficilimũ. nam in eo effugiendo diuino quodam miraculo opus fuit. Quæ res & multã Iudæorum aduerſus Apoſtolum immanitatem, & diuini auxilij celeritatem declarauit.

Herodes ille eius viri progenies, qui primus Hieroſolymorum Rex fuit, cùm è Iu- Cap. 6. daico ſemine ortum duceret, & Iudaicum cultum teneret, zelo quodam excitabatur ad patrias inſtitutiones ac leges defendendas, easque diſſolui non patiebatur, quæ Apoſtolorum doctrina tolli ac funditùs euerti videbantur. Ille igitur Iudæorum iracundis vocibus inflammatus, vt illis gratum faceret, furorem ac rabiem in Apoſtolos Act. 12. ipſos magìs effundens, primùm Iacobum fratrem Iohãnis gladio interfecit. Quo loco diuinæ literæ eius ferociam atque inhumanitatem eo ipſo ſignificârunt, quòd gladio Apoſtolum Iacobum ab eo interfectum dicunt. Poterat enim alio mortis genere Apoſtolũ interimere, vel cruciatibus morti ſimilibus ſubijcere. Sed vt Herodis mens feris etiam ipſis immanior, Apoſtoli verò Iacobi animus ad cædem illam ſubeundam æquiſſimus cognoſceretur, inſtàr ouis, quæ ad cædem trahitur, gladio interfectus, martyrium perfectè obijt. Ità igitur ſacer Iacobus conſummatus fuit, & martyrij morte Apoſtolicum curſum conſignauit, calicem bibens, quem olim Dei ſapien- Matth. 20. tia illi bibendum prædixerat, & proprio ſanguine baptizandum anteà ſignificauerat.

Cùm autem videret gratum eſſe Iudæis, quod faceret, prætereà & Petrum ipſum Cap. 7. Act. 12. capere aggreſſus eſt. Quem cùm cepiſſet, in carcerem coniecit, & tradidit quatuor quaternionibus militum, qui eum ſeruarent, eò quòd eſſent dies Azymorum, volens poſt Paſcha producere eum populo. Omnibus his hiſtoriæ ſcriptor verbis vſus eſt, vt Herodis in effundendo ſanguine ſtudium, eiusque in patranda cæde voluptatem innueret. Nihil enim, quod iuſtum eſſet, ante oculos propoſitum habebat, nihil honeſtum aut laudabile, ſed quæ nationi ſuæ grata eſſe intelligebat, quæque ad profanam Iudæorum voluntatem alliciendam ſpectabant, ea tantùm ab illo dicebantur & fiebant. Quòd enim Apoſtolum ipſum tenuerit, & in carcere cuſtodiendum tradiderit, mortemque ipſam præſentem conſtituerit, totum hoc eò ſpectabat, vt Iudaicis votis ſatis omninò faceret. Nanque putabant illud futurum, vt ſi Petrum Apoſtolũ de medio ſuſtuliſſent, facilè reliquos Apoſtolos ſuperarent. Ille enim erat, qui contrarias voces emittebat, quique in concilijs, in iudicijs & in ſynagogis cum aduerſarijs Herodes ſimilis ſcribis & pontificibus in nequitijs. certabat, & Ieſu nomen palàm prædicans, inuocato eius nomine, præcipua quædam miracula perficiebat. Licet autem illud cõſiderare, quemadmodùm & Herodes ipſe ſtuduerit ſimilis eſſe ſcribis & Pontificibus, qui aduersùs Chriſtum inſaniam & rabiem effuderunt. Nam ſicut illi dicebant, nè in die feſto Ieſus comprehẽderetur, nè tumultus fieret in populo, vt poſt diem feſtum omninò in crucem acturi: ità & hoc loco poſt Paſcha mortem Petro Herodes inferre conſtituebat. Cùm igitur hi, ad quo-

Cæditur S. Iacobus Apoſtolus gladio. Matth. 26.

rum gratiam hæc faciebat Herodes, eadem ſenſerint, quæ & illi, quos ſuprà diximus, ijſdem & verbis, & operibus aduersùs Apoſtolum vſi ſunt, quibus & aduersùs illius Magiſtrum ſuperiores vſi fuerant.

Cap. 8. In quatuor autem quaterniones militum cuſtodiam diſtribuit, non vno in loco, ſed pluribus, & paulùm à ſe diſtantibus, vt cuſtodia ipſa tutior ac munitior foret: vt ſi fortè Apoſtolus ipſe à vinculis effugiſſet, & cuſtodes, qui propiùs manerēt, latuiſſet, Act. 12. ab alijs depræhendi & capi poſſet. Sed Petrus, inquit, erat in carcere, dormiens inter duos milites, & ligatus catenis duabus: oratio autem fiebat aſſiduè pro ipſo ab Eccleſia. Quænam fuit cauſa, vt tot diebus cuſtodiretur, & non ſtatìm, adhuc furore Iudæorum efferueſcente, & Petri Apoſtoli mortem ſitiente, cædes ipſa Principi Apoſtolorum allata fuerit? Scriptoris quidem ſententia hæc eſt, mortem propter dies azymorum prorogatam fuiſſe, quibus Iudæi ſeipſos purgantes, & ab omni turpi atExod. 12. que inhoneſto facinore abducentes, diem feſtum Paſchæ celebrabāt, puris manibus ſacrificium, quod in lege ſcriptum erat, contrectantes. Sed erat & alia eius rei cauſa. Cùm enim Herodes ipſe infinita rabie contra Petrum Apoſtolum redundaret, pluribus diebus eum detineri voluit, vt diuturniore cruciatu, mœroribus, inquam, ærumnis, catenarum pondere, ac morte, quam à fame ipſa inferendam ſperabat, eorum

Quæ paſſus ſit S. Petrus in carcere. deniquè militum, qui vnà dormiebāt, inhumanitate grauiùs affligeretur. Quot enim per illos dies verba temeritatis & minarum plena, quàm multa conuicia & contumelias credimus à militibus illis in Apoſtolum iniectas fuiſſe, partìm vt cognatorum Iudæorum dogmata peruertentem, partìm vt præceptis regalibus aduerſantem? Modò autem, vt ſeditioſum, & cauſam tumultûs: modò vt Moſaicis legibus contrarium conuiciabantur: nonnunquàm pugnis & alapis eum percutiebant: neque quiſquam illud dubitare poteſt, quin catenis illis vehementiùs ac laborioſiùs Apoſtolum conſtringentes, ità coarctauerint, vt ex omnibus his maiorem doloris ſenſum percipiens, celeriter ab hac vita migraret. Sed omnia illorum ſtudia & facta, inania exiterunt, perindè àc ſi quis in aqua ipſa literas imprimat, vel aërem verberet. Quo enim diutiùs in carcere Apoſtolus detentus eſt, eo firmior atque conſtantior effectus fuit, & acerbis illis ærumnis, quibus vndiquè affligebatur, vt quibuſdam ſtimulis, excitatus & erectus: tantùm aberat, vt rebus his infirmior fieret ac deficeret, vt cuſtodes illi, Apoſtoli Petri iucunda & ſecura hilaritate confuſi, in ruborem conuerterentur.

Cap. 9. Act. 12. Hæc cùm ità ſe haberent, preces ab Eccleſia miſſæ, in cælos penetrârunt. Itaque ſtatìm Angelus illinc miſſus eſt, & in carcerem veniens, illum compleuit lumine, vt Apoſtolorum ſummus miracula, quæ fierent, apertè intueretur. Percuſſo autem eius latere: Surge, inquit, velociter. Ac nè quid abſurdi in Apoſtoli mentem veniret, 2. Cor. 11. (quippè quòd ſatanas etiam ipſe interdùm in Angelum lucis ſe transformare, & figuræ ipſius ſpecie ſenſum ſubripere ſoleat) cùm primùm verba illa prolata ſunt, Surge

Liberatur S. Petrus à vinculis per Angelum. velociter, catenæ è manibus ipſius deciderunt, vt verba ipſa factis confirmarentur, neque potentiam aliquam ex earum numero, quæ Deo ipſi rebelles extiterunt, neque quod viſum fuerat, inane aliquod ſpectrum eſſe crederet: ſed verum & cæleſtem Angelum, viſionem, inquam, veram eſſe ſciret, ac certa fide comprobatam. Hæc cùm ità proceſſiſſent Apoſtolo, quoniam adhuc metu & tremore detinebatur, non ſolùm re viſa dubius atque anceps, verùm etiam qua ratione diſpoſitas militum cuſtodias pertranſiret: quippè qui multa diligentia & cautione, multisque vigilijs in eo cuſtodiendo vtebantur: propterea Angelus: Indue te, inquit, ſandalia tua, & præcingere veſtimento tuo, & ſequere me. Quoniam, inquit, Regis & Iudæorum timore adhuc detentus es, ac eorum militum vigiliæ, qui circunſtantes te cuſtodiunt, horrorem ac ſtuporem tibi attulerunt, ob idque non his, quæ à me dicuntur, fidem habes: tanto te auxilio ac præſidio munitum eſſe facio, ſicque omnem metum à mente tua excutio, vt & pallio ipſo ſine timore aliquo, & ſandalijs indui poſſis. O celerrimum Dei auxilium. O Apoſtoli in Deum fiduciam atque gratiam. O maximas & ex corde ipſo prolatas preces, quæ tanquàm à funda quadam, ab ipſius Eccleſiæ ore prolatæ, atque in cælos emiſſæ, Herodis animum lethaliter vulnerâunt, & Apoſtolorum principem ab eius manibus incolumem eripuerunt. Proh quanta eſt Apoſtolica gratia, & ſpes firma & vera, quibus diuinum numen propitium, & ad audiendum promptũ habens, à mortis laqueo Petrus ipſe ereptus eſt.

Cap. 10. At ſi quis dubitaret, & à nobis illud quæreret, curnàm Apoſtolum ipſum eius Magiſter

Magiſter Ieſus à Iudaicis manibus non eripuit, quo tempore ab illis comprænde-
batur: ſed & vinculis, & cuſtodia, diebus aliquot eum vexari, atque affligi permiſerit: Cur nõ ſtatìm liberatus ſit S. Petrus, cùm comprehenderetur.
qui hoc obijcit, is conſideret, non ità inimicos ipſos fuiſſe miraculum illud cognituros, ſi Apoſtolum ſtatìm, cùm comprænderetur, Dei auxilium eripuiſſet: quemadmodùm cùm eorum manibus detentum, catenis vinctum, & à cuſtodibus cautè ſeruatum, è medijs atque ineuitabilibus illis retibus liberauit. Tunc enim his, à quibus comprænde batur, fortaſsè id veneficio & magicis artibus factum videri potuiſſet, quò minùs ab eis comprænſus eſſet: itaque Apoſtoli miraculum irrideri ab illis potuiſſet. Nunc verò cùm & catenis vinctus, & quatuor quaternionibus militum cuſtoditus, & inter duos milites cubans, omnibusque his rebus paratis, quæ mortẽ condemnatis hominibus afferre ſolent, ità ſuperno auxilio dignus habitus ſit, & contra omnium opinionem admirabilem liberationem aſſecutus fuerit, tanto hoc admirabilius, & contra opinionem omnium fuit, quanto è medijs malis ſeruari maius eſt, quàm illa non attigiſſe.

Cap. 11. At Apoſtolus ipſe vel poſt tanti miraculi potentiam, & Angeli adhortationem neſciebat verum eſſe, quod fiebat per Angelum: ſed videbatur ſibi viſum videre. Adhuc enim arguebatur humanæ naturæ infirmitas, quodque ſupra naturam eo modo, qui explicari non poteſt, efficiebatur, cum naturali ordine ac viribus comparatum, tale perindè, àc ſi inane aliquod viſum eſſet, æſtimabatur. Sed quidnam Angelus ipſe? Quoniam illum vidit adhuc animo fluctuantem, viſioni fidem non habere, neq; quicAct. 12. quam ex ijs, quæ fiebant, re vera factum admirabiliter exiſtimare, primam & ſecundam militum cuſtodiam ità ſine ſtrepitu cum Apoſtolo pertranſijt, vt cuſtodes ipſi eorum tranſitionem ne ſenſerint quidem, diuino nutu ſomno ipſo illorum palpebras detinente, quò minùs factum illud ſentire poſſent. Cùm verò ad portam ferream veniſſent, quæ ad ciuitatem ducebat, illa vltrò aperta eſt, Deo ipſo & hoc loco miraculum faciente, & Apoſtoli formidinem paulatìm ſubtrahente, vt ad ea, quæ deincèps futura erant, promptior fieret.

Cap. 12. Poſteà verò, quàm exeuntes proceſſerunt vicum vnum, Angelus quidem ipſe auolauit, neque ampliùs apparuit: Ille verò cùm miraculi ſenſum cepiſſet, atque conſideraſſet tam ea, quæ priùs in carcere mirabiliter effecta fuerant, quàm quæ nunc ſupra naturam prodigioſè facta viderat, atque hæc cum illis conferens, & vtraque viciſsìm comparans, de viſione ipſa certior factus fuiſſet, quòd videlicet non inane aliquod ſpectrum, ſed verum illud fuerat, quippè quod manifeſto rerum euentu confirmatum videbat: gratias Deo agens, talem emiſit vocem: Nunc ſcio verè, quòd miſit Dominus Ibidem. Angelũ ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Quidnam eſt, quod dicis, Apoſtolorum princeps? Nunc te ſciuiſſe ais? Nunc credidiſti? Nunc gaudes miraculo? Quonàm abijt feruor ille tuus? Quonàm auolauit certa illa ſpes? Quonàm effluxit illa tua vehemens confeſſio? Vbinàm ſunt claues re- Matt. 16. gni cælorum? Vbinàm appellatio, qua Eccleſiæ firmamentum nominaris? Vbì ardens illud deſiderium, & coniunctio ad mortem vſque inſeparabilis? Nunquìd tantæ fidei argumenta, inania extiterunt? An talis & tam multa ſpes in ventos diſſoluta eſt? An non ſenſiſti, quæ à Magiſtro tuo prodigia ſunt effecta? Oblitus ne es maritimæ illius Matt. 14. fluctuationis, quemadmodùm dextera ſua te, qui ſubmergebatis, incolumem ſeruauit? An non aures tuas vocibus illis adhuc habes perſonantes: Qui credit in me, ope- Iohan. 14. ra, quæ ego facio, & ille faciet, & maiora his faciet? Nónne ſcis, quemadmodùm è mo- Matt. 28. numento exurgẽs, cuſtodes ipſos velut mortuos proſtrauit, & ea, quibus monumentum ſignatum fuerat, intacta ſeruauit? Nónne præſens fuiſti, cùm mortuos homines ſuo iuſſu exilire fecit? cùm cæcis hominibus videndi facultatem præbuit? cùm tibi per ſancti Spiritûs aduentum miraculorum potentiam impartiuit? cum in porta ſpecioſa claudum hominem, cùm Aeneam, cùm Thabitam, alterum integrum pedibus, & ad Act. 3. 5. currendũ velocem, alterum diuturno morbo liberum reddidiſti, huius animam, quæ auolauerat, in corpus reduxiſti? Cùm tantorum & talium miraculorum particeps effectus fueris, quorum alia videris, alia ipſe feceris, cùm deniquè multam ipſius Dei potentiam expertus fueris, nunc te ſcire dicis, quod ais: Miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis? Si tot præteritis miraculis adductus non fuiſti, vt crederes, quomodò vni huic credes? Si tantorum miraculorum multitudo veritatis confirmationem non attulit, quî poterit vnum hoc fluctuantes cogitationes tuas ſedare? Maximè, inquit ille: non enim talia ſunt diuinæ potentiæ opera, vt facilè comprænhen-

dantur,& fidem afferant: facilis enim comprænhensio non solùm non auget miracula,sed etiam illa imminuit atque extenuat, & eorum, quæ facilè comprænhenduntur, formas ex animo delet. Quod verò examinatione & varijs cogitationibus sæpè probatum fuerit,plus veritatis, quàm opinionis,ingignit, eô quòd animæ ipsius dubitatio atque infirmitas,ad ea,quæ sensum superant, & ardua sunt, comprænhendenda minimè idonea,post fluctuationem multam & cogitationum varietatem, demùm certam fidem ac veritatem in animos ipsos immittere,atque altiùs infigere solita est.

Cap.13. Act.12. Cùm deindè Apostolus ad eam domum accessisset, in qua fideles homines congregati erant,& ianuam pulsâsset,ab ancilla quidem ipsa, cùm agnoscceretur, nunciatus ijs est,qui intùs erant.Sed quod ancilla nunciabat,tam incredibile videbatur,vt insana esse crederetur,& non Apostolum, sed eius Angelum præsentem vidisse putaretur. Cùm verò patefacta ianua Apostolus ipse ad eos ingressus esset, omnes stupuerunt,insperatam eius liberationem videntes. Tum ille statim narrauit, quemadmodùm ab Herode comprænhensus,& in carcere detentus, & ferreis catenis vinctus fuerit,quodque per Angeli visionem catenæ ipsæ è manibus cecidissent, ipse verò Angelum sequens,eorum,à quibus seruabatur,custodias præteriisset, & portam sponte patefactam transîsset.Quibus rebus perterrefacti,& admirabili narratione illa perculsi, apud seipsos non ampliùs esse videbantur, gaudio cum admiratione coniuncto,& duobus his affectibus illos obsidentibus. Tales enim sunt res,quæ à Deo proficiscuntur : quippè qui neque lætitiæ nimia homines ipsos dissolutiores fieri, neque propter miraculum ad nimium stuporem labi permittit : sed gaudio animum erigit, & ad iucundiorem statum traducit: admiratione autem ac stupore cohibet, nè vlteriùs progrediatur : deniquè vtraque re hominem ipsum in composito statu conseruat.

Nota vnũquẽque hominẽ suum habere custodem Angelum.

In miraculis suis quid Deus efficiat in hominibus.

Cap.14. Hoc loco velim consideres Apostoli mentem ab omni superbia & ambitione alienam, eiusque modestiam animaduertas : quippè qui miraculo illo non ità elatus est,vt ipsum tuba cecinerit,quod fortasse alius fecisset : non præclara illa facta ostentans,supra tecta prædicauit , non prælætitia rem ipsam omnibus velut triũphans prodidit,aut cum peregrinis & notis hominibus ea cõmunicauit : sed manu silentium indicens, his solis,qui in Ecclesia erant, summissa voce factum significauit,per quos Iacobo & ijs,qui cum eo erãt,rem nunciandam curauit : vt cùm audiuissent,qualibus vinculis præter spem ereptus fuerat,magis magisque ad fidei prædicationem incumberent,miraculorum spe corroborati: quique à Iudaica infidelitate ad Christi fidem nupèr conuersi, & diuinæ cognitionis lumine illuminati fuerãt,illi eadem opera confirmari,& si quam de Dei fide in animo latentem dubitationem haberent, abillare uocari possent,& in bonarum rerum perseuerantia firmiores essent. Sed ô animi cæcationem,quæ Herodis mentem corripiens,totum illum ità oppressit, vt obstinato animo miraculorum, quæ per Apostolum effecta fuerant,potentiam non considerauerit. Decebat enim admirabilem Apostoli Petri liberationem ex custodibus, ex catenis, deniquè ex foribus sigillo impresso clausis certa fide prosequi,neque negligentia aliqua factum credere,vt id accideret : sed animo commoueri,atque erubescere,& resipiscere : & si non apertè propter Iudæorum in Apostolum ipsum furorem atque insaniam,saltem animo miraculum illud prodigiosum secum admirari atque obstupescere,& à cædendis custodibus desistere. Verùm ille, vt eius ferocitas atque inhumanitas magis cognosceretur,innocentes homines mortis sententiæ subiecit, idque cùm illi in Apostolo cautiùs custodiendo nihil aberrâssent. Cùm enim Herodes ipse furorem suum in Apostolum effundere,& ferocem animum Apostolica cæde satiare non potuisset, quod proximum fuit, in custodes illos, ità vt erat insanus, mortem intulit.

Modestia S. Petri.

Hæredis cæcitas.

Militesſuos Herodes interficit.

Cap.15. Quòd si Apostolus illos ipsos, qui eius causa condemnati fuerant, miraculo alicuo facto à morte non liberauit, quæstio hæc duobus modis solui potest : Primùm, quòd inhumanè ac ferociter custodes illi aduersùs Apostolum se gesserant: quippè qui vnà cubantes,verborum plagas vinculis acerbiores infligebant, ac nihilo minùs, quàm Herodes,rabiem suam & prauos affectus in beatum Petrum effundebant: deindè verò quòd non solùm aduersùs Apostolorum Principem tanta ferocitate abusi fuerant, (benignitatem enim impetrare potuissent, si in eum solum peccâssent) sed etiam contra reliquos Apostolos eandem rabiem exercuerant, & multos alios fideles homines persecutionum pœnis,& omnigenis cruciatibus subiecerant, ac mortis retia vndiquè eis parauerant. Hac de causa morti addicti sunt, vt veteris & insanabilis

Cur S. Petrus custodes suos à morte non liberauerit.

bilis malitiæ, in qua educati fuerant, pœnas exoluerent. Hoc fuit Petri Apostolorum summi contra diabolum illustre trophæum, hoc miraculorum omnium, quæ in eundem Apostolum à Deo collata sunt, maximè admirabile. Quid enim primùm in hoc Apostolo admirabimur? Eius ne in Christum ardentem beneuolentiam? An reuelationem è cælo à Patre ipso concessam ? An quòd cum Magistro suo mori paratus erat, neque à mortuo auelli poterat ? Quid, quòd post Christi resurrectionem tertiò interrogatus fuit ? Quare non solùm Iesus Christus singularem & summum in se Petri amorem declarauit,sed mortis etiam genus iuuentutis senectutisque nomine præmonstrauit,& eoipso,quòd ab alio cingendus esset, illum capite ad terram verso, in crucem tollendum esse indicauit. Matt.16. Iohan.21.

Hic propter fidei abundantiam cùm reuelationem à Deo & Patre accepisset, Filium Dei viui Christum apertè prædicauit,& duarum naturarum veritatem certa fide testatus est. Hic Magistri desiderio ac beneuolentia inflammatus, cùm Iesus ipse longè anteà se cruciatus passurum indicâsset : Propitius,inquit,tibi sis, Domine : non erit hoc tibi. Quod cùm diceret,quasi humanum quippiam,non diuinum,sentiens,reprænhensus,silere docebatur. Hic è nauigio Magistrum aliquandò repellebat, cùm miraculi magnitudinem obstupescceret : quodque illum à se repelleret,eius rei causam esse dixit,quòd se peccatorem agnosceret. Hic præsens fuit, cùm Christus alia forma in monte apparuit,& tria tabernacula construere se paratum esse aiebat, vt Iudæorum ad inferendam cædem paratos ac sceleſtos animos vitaret. An non hic cum Christo se moriturum promisit, & homicidæ illius auriculam gladio amputauit, in omni re fidei suæ zelum atque ardorem ostendens ? An non hic est,qui nè valdè immisericors & durus esset,in Magistri sui negationem incidere permissus fuit, & fletu multo peccatum purgare ? Quid dicam alia ? Missam facio timiditatem, fugam, duritiem, & eius in sepulcrum ingressionem,mulierum vnguenta ferentium læta nuncia : quemadmodùm etiam Christus ipse illi seorsìm apparuit,& in mare Tyberiadis miraculum effecit:itèm alia quæcunque antequàm passus est, & post resurrectionem, tam non credente,quàm credente discipulo illo,Iesus perfecit. Quæ omnia non frustrà ità dispensabantur: sed (quantùm hominis mente comprehendi,potest) modò Apostoli remissum & infirmum animũ Christo ipso recreante : modò austeram & duram eius mentem leniente,& vtraque re illum docente, neq; aliquid sibi, quod humana infirmitate maius sit,polliceri : neque animo decidere & obstupescentem horrere,quo tempore oportebat in cruciatibus perferendis cum Magistro communicare, & seruitutem discipulo conuenientem ostendere : sed intrà mediocritatis fines consistere, vt & ab inconsiderato feruore,& ab humili atque abiecta timiditate pariter distaret. Matt.26. Luc.24. Iohan.21.

Ego verò non verebor hoc de illo dicere,quòd testis,vt ipse ait, Christi passionum agnoscitur,& eius gloriæ,quæ reuelanda est,cõmunicator : quoniam ad eos Iudæos, qui dispersi erant,congruentes & diuinas admonitiones per epistolas scripsit, quibus charitatem & Christianæ fidei confirmationem suggessit, Christiq; aduentum omninò futurum sperari docuit,ac in illis ipsis & ex hoc tabernaculo nos migraturos esse prædixit : eaque ratione ad zelum,& diuinorum præceptorum obseruationem nos ipsos magis excitat,facitque vt maiore metu ac terrore afficiamur, diluuij, & eorum angelorum,qui peccauerunt,condemnationis exemplum afferens, quos & in tartarea loca detrusos fuisse affirmat. Ad hæc & alterum Christi aduentum significat, quo tempore cælos transituros dicit,& elementa ipsa comburenda dissolutum iri. Hunc vnigenitus Dei filius beatum prædicauit. Hunc Deus ipse ac Pater corona donauit. Hunc paracletus Spiritus sanctum reddidit, & instrumentum quoddam diuinas res spirans effecit. Hunc cælestes Angelorum ordines collaudârunt,& Apostolorũ chorus valdè admiratus,tanquàm os suum,amplexatus est ac celebrauit. Hunc,qui Christo crediderunt, ducem & magistrum sequentes,ad infidelitatis scopulos non offendunt. Hunc ad cælum vsque peruenientem, & valdè illustrem spiritualis Israëlis columnam,& animarum in perfidiæ pelago fluctuantium gubernatorem appellamus. Hunc vt vmbræ legis expulsorem valdè honoramus. Quique nos ad veritatis lumen traduxit, eum laudibus atque hymnis prosequimur. Cap.17. 1.Pet.5. 2.Pet.2. 2.Pet.3. Matt.16. Petrus os Apostolorũ

Verè hic est Apostolorum firmamentum, & sacratus cælorum magister, arcanorum interpres,nutantium confirmator, lapsos erigens, firmos conseruans, pœnitentiæ dux ardentissimus: Petrus deniquè magnum illud orbis terrarum miraculum, Ecclesiæ iactatio,discipulorum decus, & eorum,qui rectè sentiunt,ornamentum,Theo- Cap.18. Nota quæ hic tribuat S.Petro.

logorum

logorum pulchritudo, Christi os, mens cælestis, Trinitatis purissimum tabernaculum, lapsorum reconciliator, honestè viuentium ductor, rectè currentium propugnator, omni cælesti & humana laude, omni præconio dignissimus. Cuius si vmbra & linteamina morbos profugabant, certè catenæ, quæ venerandum Apostoli corpus attigerunt, quanto propiorem tactum habuerunt, tanto abundantiorem miraculorum vim participârunt: catenæ, inquam, illæ omninò venerandæ ac preciosæ, quæ Apostolicum illud ac beatum corpus colligârunt, quæ manus illas miraculorum effectrices adstrinxerunt, quæ diuina gratia ab ipsis repletæ sunt, ex quibus miracula abundè scaturiunt, quæ ægrotos homines à morbis liberant, quæ homines illos sanctos efficiunt, qui cum fide ad eas accedunt: à quibus animarum maculę mystico quodam modo expurgantur, & morbidę influentiæ reprimuntur: quæ denique in aëream celsitatem extensæ, & vsque ad cælos ipsos peruenientes, à Dominico illo & diuino solio, tanquàm ab ancora quadam, extenduntur. Has catenas potentiarum, quæ à Deo ipso defecerunt, princeps exhorruit, & nunc etiam exhorret, ac multo cum timore illas subterfugiens comprimitur. Has aëreas spirituum multitudo metuens ac tremens, iaculisque indè immissis percussa, longiùs profugatur. Non enim ferre potest Spiritûs sancti gratiam, has ipsas catenas obumbrantem, neq; scintillas ex diuino illarum igne exilientes sustinet: sed ab ipsis incenditur atque comburitur. Has composuit Dei Patris Verbum, eiusdem æternitatis & principij particeps, vt eius de Deo confessionis præmium essent. Illas ignitas reddidit carbo ille, ab Esaia anteà visus, & ad Deum intuendum efficacissimus. Spiritus sanctus paracletus suo afflatu ignem, è carbone illo exilientem, ad opus perficiendum maximè idoneum reddidit.

Act.5. Catenæ S. Petri venerandę, & earũ miracula prędicata. Dæmones illas timet. Esa.6.

Cap.19. Quamobrèm licèt ferreæ sint naturæ, diuina tamen gratia & potentia plenæ sunt. Ab his dæmonum praui spiritus illigati enecantur. Ab his princeps mundi huius pertractus, captiuus ducitur, à fidelibus hominibus illuditur, hoc est, ab ijs, qui anteà peccatorum laqueis constricti, soluti & liberati sunt, & mortis retibus anteà circundati, ad vitam transiêrunt. Hæ diuinæ hæreditatis terminos cingentes, & vndiquè munientes, faciunt nè ab hostibus expugnari possint. Eædem Christianorum vertices coronantes, ab illorum hostium insidijs, qui corporeis oculis non cernuntur, intactos seruant. Nam etsi à malignis hominibus pro tormenti genere aduersùs Apostolum sunt adhibitæ, tamen ad eos propellendos, qui malum aliquod inferre volunt, idoneæ sunt effectæ, non magis cruciantes, quàm venerandum illud Apostoli corpus vndiquè seruantes ac munientes. His catenis Apostolus ornabatur, his exultans ac gestiens se oblectabat, & tanquàm regalem aliquem ornatum circunferens, animo exultabat. Has & pœnæ instrumentum cognoscebat, & coronæ multæ conciliatrices existimabat. His & nunc sanctissima, omnique ex parte incorrupta ac pura Christi sponsa Ecclesia, tãquàm splendido monili, & aureo quodam ornatu induta, velut corona quadam ex intactis floribus contexta, decorata est, & ad dexteram sui sponsi partem assistit. Has, inquam, catenas & nos copiosissimus Christi populus hodierno die amplexamur. Has reuerentes veneramur & colimus, & pro animarum emendatione habemus. His omnem sensum & membrum admouentes, illarum sanctitate implemur, & per mentis intelligentiam sancti Spiritûs gratiam in animos ipsos admittimus. Deceret certè, deceret non solùm catenas, quæ manus illas adstrinxerunt, magnoperè venerari: sed etiam indicia omnia, ad quæ Apostoli membra accesserunt, singulatim amplecti ac reuereri, & in illis singulis diem festum ac panegyrim celebrare.

Eccè quantũ iam olim S. Ecclesia catenas has venerata sit

Cap.20. Consentaneum autem & illud fuit eius prouidentiæ, & in nos benignitati, pro quibus laborauit, & quotidiè certamina & pugnas subijt, propter quos catenarum pondere adstrictus fuit, & crucis mortem libenter suscepit: consentaneum, inquam, fuit seipsum his, qui per eum Christo crediderunt, distribuere atque impartiri: & veteri quidem Romæ venerandi sui corporis depositionem ac sepulturam largiri: huic autem regali & nouę vrbi eorum, quę passus est, symbola atque insignia relinquere, & sacratissimi corporis loco, suauissimarũ catenarum munere vrbem hanc afficere. Quas catenas qui in eandem præclaram vrbem venisse crediderit, non aberrabit, neque aliquid Deo & veritati contrarium crediderit. Verus quidem sermo, & in libris ipsis conscriptus ad nos vsque peruenit, non longè ab Herodis Tetrarchæ regia Petrum Apostolum in carcere, sed in propinquo quodam loco militaribus cohortibus obseruatum. Nam illi metuebant, nè Apostolus ipse ab aliquibus solueretur è vinculis, & miraculum

S. Petrus Romę sepultus

raculum fuisse videretur. Illic igitur seruabatur, vt tum propter regalis palatij vicinitatem, tum ob militum custodias & catenas, quibus ipse erat constrictus, nullam effugiendi facultatem haberet. Quoniam verò multi ex ijs, qui Petri Apostoli opera Christo crediderant, in regia illa erant, atque illic viuebant, & Regis ipsius ministeria obeuntes, suam in Christum & eius Apostolum beneuolentiam in animis occultam seruabant, cùm admirabili illo modo Apostoli Petri liberatio per Angeli præsentiam allata est, & Apostolus ipse per portam exijt, quæ ad vrbem ducebat, catenas illas in carcere derelictas, ipsi Herodis ministri, quibus diuinæ cognitionis lumen effulserat, clàm sustulerunt, & apud seipsos velut thesaurum quendam eas conseruârunt. Quod verò à patre suo, vt dicitur, traditum, & de catenis illis narratum sibi quisque acceperat, posteris suis deincèps tradebat, & tuto in loco catenas illas occultas seruabat, quoad & Iudaica natio bello deuicta, captisque Hierosolymis, ad nihilum redacta est, & superstitiosæ idololatriæ cæcitate & errore sublato, Romanorum sceptra ad Imperatores, qui Christi fidem sequebantur, translata sunt. Quibus Christi & Apostolorum facta omni honore prosequi studentibus, hæc etiam Apostoli Petri catena manifesta facta est, & ab illis ad vrbem hanc regiam translata, in Apostoli Petri sacro templo in re optimo reposita est: quam, vt eius ipsius miraculorum effectricem, & veneramur, & amplectimur: hanc enim videntes, illum ipsum mente inspicimus: hanc tangentes, illum à nobis tangi existimamus.

Nota quèadmodùm S. Petri catenæ asseruatæ sint. Vt Constantinopolim translatæ.

Sed quidnam gladius? Neque enim hic despiciendus est, quoniam & ipse Apostolica manu eductus, totam sancti Spiritûs gratiam ac diuitias illinc attraxit. Hoc gladio Petrus, cùm Iesus ipse à Iudæis caperetur, Pontificis seruum percussit, & eius aurem amputauit: qua re suæ in Magistrum fidei ardorem ostendit, suamque in eum, quam in animo accensam habebat, affectionem & beneuolentiam patefaciens, magnum quiddam effecit, non suis viribus fretus, sed Magistri potentiam spectans: per quam auris illa, quæ abscissa fuerat, homini percusso restituta est, vt ex hoc ipso furens illa Iudæorum multitudo, sectæ auris curationem repentè factam videns, resipisceret, & à sua in Christum rabie desisteꝫ, ab eo prodendo abstineret, ac re ipsa eius ipsius, qui prodebatur, vim illam omnipotentem & diuinitatis magnitudinem cognosceret: denique vt Pontifex ipse à seruo illo miraculum factum ediscceret, atque cognosceret eum, qui percussus fuerat, ità celerem curationem minimè assecuturum fuisse, nisi verus Deus esset ille, qui ab eo quæsitus iudicabatur. Aderat autem Apostolo gladius ille, non, vt aliquis diceret, ad proprios vsus, & manuũ opera explenda sumptus, (Quomodò enim hoc fecisset is, qui Magistri sui præceptis obtemperans, non peram, non zonam, non gladium ferebat, sed expeditus, & omni vitæ apparatu liber ab his cognoscebatur, qui eius prædicationem accipiebant?) sed quoniam tempus illud expectabatur, quo Christus passurus erat, & discipulorum de Magistro cogitationes adhuc fluctuantes vacillabant. Partìm enim credebant, partìm non credebant: quapropter neque sublimius aliquid cogitare poterant, neque ad humiliorem omninò & abiectum sensum deueniebant. Illis autem adhuc imperfectioribus tutum non erat Christum apertè significare, & prædicere, quæ passurus esset. Cùm igitur eorum timiditatem Dominus Iesus perspiceret, manifestè, quod futurum erat, non explicauit: sed eorum, quæ passurus erat, mentionem obscurè fecit, dicens: Et qui non habet gladium, emat.

Cap.21. De gladio S. Petri. Matt.26. Luc.22. Malchus & Iudæi ex curatione auriculæ non conuertebantur. Luc.22. Luc.22.

Verba hæc non sunt illis consentanea, quæ anteà dixerat, cùm non peram, non gladium possidendum præceperat. Quid est igitur, quòd gladios nunc emendos esse iubet? Maximè, inquam, ob eam causam, quòd tunc quidem, cùm illis inopiæ semina inferret, vt ad Euangelij cursum conficiendum leuiores & agiles atque expeditos redderet, gladiorum & aliarum rerum possessionem interdixit: hoc autem loco, tempore illo imminente, quo salutaris eius passio futura erat, tacito & mystico quodam modo indicare volebat, non dormiẽdum, neque animo decidendum: sed quasi contra Iudæos armari oporteret, & aduersùs cæsores, tanquàm in acie aliqua contraria standum esse, & ijs resistendum, qui Deum interficere parati erant, eiusque sanguinem ac mortem sitiebant. Nunc non est, inquit, doctrinæ tempus, non curandorum ægrotantium locus, neque miraculorum opportunitas. Armis opùs est, gladijs & huiusmodi propugnaculis ad arma illa repellenda, quibus homicidæ scelestissimi ad meam cædem vtentur. Hac igitur ratione Petrus gladium attulit, cuius licèt feruentem beneuolentiam, & ardens studium Iesus ipse cognosceret, quodque eo gladio

Cap.22. Luc.10.

aurem

aurem illam abſciſſurus erat, non tamen prohibuit nè fieret, vt & eius in Magiſtrum ſuum ardor aperiretur, & curationis opus ad ingratos illos, qui Deum interficere aggrediebantur, redarguendos patefieret. Quòd autem non ad oppugnandum, aut vlciſcendum Dominus Ieſus diſcipulis ſuis gladiorum poſſeſſionem præceperit, ſed ad eorum, quæ paſſurus erat, ſignificationem, licet hoc apertè cognoſcere ex Euangelij verbis, cùm ipſe dicit: Mitte gladium tuum in vaginam: quasi diceret: Non enim propterea iuſſi vos gladios poſſidere, vt illisipſis inuaſores vlciſceremini. Non eſt mihi hoc optabile. Nam ſi deceret, & mihi opem ferri vellem, poſſem rogare Patrē meum, & daret mihi pluſquàm duodecim legiones Angelorum. Sed quoniam voluntariè meipſum ijs tradidi, propterea & gladiorum poſſeſſionem ad ea ſignificanda, quæ paſſurus ſum, vobis indicaui. Si enim permiſi paululùm te, Petre, gladio vti, ob eas cauſas feci, quas prædixi, & vt diſcipulos ad pericula ſubeunda promptos efficerem. Sed conuerte gladium in vaginam, quòd mihi fas non eſt gladijs vti ad imminentes cruciatus auertendos. Nam licèt anteà gladios emendos Dominus præcepiſſet, & diſcipuli ſe duos habere dixiſſent, ſatisque illos eſſe Magiſter ipſe reſpondiſſet, ea reſignificauit paſſionis ſuæ tempus propè eſſe, quasi gladijs vtendum eſſet ad inuaſores repellendos.

Cur Dominus Apoſtolis gladios emere iuſſerit. Matth.26. Iohan.18. Luc.22.

Cap.23. Cur S. Petrus gladium ſuum ſecum ſemper attulerit.

Itá igitur gladiū Petrus poſſidens, ſecum & in prædicatione afferebat, tum vt ſicubi opus eſſet, illo vteretur, tum vel maximè, vt ipſum videns, ad Magiſtri admonitionem memoria tenendam reuocaretur, & eo modo tempus illud, quo Ieſus Crucem paſſus eſt, & ea, quæ poſteà ſecuta ſunt, ſecum cogitaret, inuidiam ſcilicet, odium, inſidias, proditionem, iniuſtum iudicium, iniuſtiorem mortis ſententiam, Crucem, ſepulturam, & reliqua omnia, quæ homicidæ Iudæi facere auſi ſunt. Hæc, cùm gladium illum Apoſtolus videret, contemplabatur: hæc aſſiduè animo reuoluebat: hæc ſecum repetens, meditabatur, gladio ipſo memoriam ſuggerente, & ad prædicationem exequendam illum alacriorem efficiente. Hoc gladio & ad omne periculum pro Chriſto ſubeundum armabatur Apoſtolus, & ad pericula omnia ſuſcipienda, tum vel maximè ad ſacras illas catenas induendas, & iniquorum hominū carcerem habitandum: denique ad crucis martyrium ſubeundum firmior ac promptior effectus eſt. Quamobrèm hic gladius, vt res quædam precioſa, & omninò veneranda, Apoſtolicisque manibus deſeruiens, ac eas tangens, eodem honore & veneratione, qua & catenæ ipſæ in regali palatio, vbi Apoſtolo Petro ſacrum templū erectum eſt, velut ſacratus quidam & cæleſtis theſaurus, in intimo loco repoſitus ſeruatur, vt ſcimus: qui fidelibus Imperatoribus & fidelium virorum multitudini ad ſanctitatem proponi ſolet. Cæleſtem enim gratiam confert, variarum curationum copiam ſuppeditat, ſuī cultores ſalutariter cuſtodit, ſeque amplectentes erigit, animas ipſorum eleuans. Quòd ſi breuis & informis videtur gladius ille, non eſt propterea deſpiciendus. Apoſtolicam enim miraculorum vim & potentiam ſecum continet. Nam hunc Apoſtolus, vt potentis Dei frameam poſſedit, & vt ancipitem gladium cognouit. Sic & aliæ Apoſtolicæ veſtes atque indumenta, multùm illa quidem vilia ſunt atq; abiecta: ſed ſi quis eorum decorem & magnificentiam, quæ mente comprehenditur, inſpexerit, diuina & cæleſti gratia repleta eſſe, & Apoſtolicis miraculis nihilo inferiora inueniet. Sed perindè valet, cùm quis hæc ipſa recordatur, àc ſi Apoſtolum inuocet. Ego & carcerem ipſum, in quo Apoſtolus cuſtoditus eſt, omni præconio dignum cenſeo, quippe qui omni veneratione plenus eſt: dignus enim habitus fuit, qui tantum ſanctitatis domicilium intrà ſe acciperet. Ego & ſolum illud, in quo decubuit, & vinctus dormiuit, ſanctitate decorum exiſtimo, & Apoſtolica gratia refertum.

Vide antiqui populi deuotionē.

Nota hæc de S. Petri gladio.

Apoſtolorū veſtes quales fuerint.

Cap.24. Act.5. Act.19.

Sed dubitat aliquis, num hæc ità ſe habeant: neque hæc tanti eſſe credit, vt gratiam illam, quæ in Apoſtolo fuit, participârint. Perſuadeat huic vmbra ipſa, & ſemicinctia; quorum illa quidem ex corporis oppoſitione ad Solis lucem compoſita, & ab Apoſtolorum Principis tactu longè diſtans: hæc autem à Pauli corpore delata, & diuinam ex illo gratiam participantia, pari & miraculorum effectrici potentia repleta ſunt: quodque admirabilius eſt, per ſecundā participationis conſecutionem, & gratiarum tranſlationem, ſibi adhærentibus impartita, eandem miraculorum potentiam, & nihilo minorem abundè ſuppeditant. Conſiderandum igitur eſt: Si quibus gratia impertita eſt, ea talia ſunt: qualisnam is eſt, qui vim illam impertiuit? Acſi participantes res, talium miraculorum gratiam præbent: quantum exiſtimare oportet eum eſſe, à quo hæc impertita ſunt? Maius enim eſt id, per quod aliquid fit, quàm in quo efficitur:

tur: vt cauſa maior eſt eo, cuius eſt cauſa, cùm ſuperiorem & digniorem gradum contineat.

Si quis autem mihi daret, vt & ſandalia & veſtes, quibus ab Angelo ſe induere iuſſus eſt, ipſe videre poſſem, illa certè apertis vnis exciperem atque amplecterer, & vt cæleſte donum in cordis mei penetralibus conderem. Hunc igitur ſacratum gladium cum ſacris & Apoſtolicis catenis connectentes, Petrum ipſum mente inſpicere nobis videmur: & vtraq; tangentes, Apoſtolum à nobis tangi exiſtimamus, neq; vllo modo ambigimus, eò quòd hæc loco ab Apoſtolo ipſo diſiuncta ſint: ſed & hæc, & illū mente formantes, & per fidem ipſam in vnum copulantes, ad eum ipſum, qui per hæc paſſus eſt, totum referimus. Hæc amplectentes, illum videre nos credimus: atque illum cogitantes, hæc, quæ illius fuerunt, videre nos arbitramur. Itaque non omninò ipſius gratiarum expertes conſtituti ſumus. Nam etsi in vetere vrbe Roma diuerſatur per corporis ſepulturam, quam vrbs illa ſortita eſt: non tamen à nobiſipſis abeſſe vult, quòd pertinet ad illius gladium & catenas. Adeſt enim & apud nos, qui partem hanc vt totum corpus continentes, ab eius coniunctione non ſeparamur: ſed cùm vna eademque ſit gratia, quæ per eius corpus, catenas, veſtes & gladium miracula operatur: nemo dubitauerit, quin præſens ſit in ſingulis, perfectus atque integer, & ijs, qui cum fide accedunt, & hæc amplectuntur, pro diuino eorum deſiderio atque ardore mercedem remetiatur. Hic & vnus eſt, & multis impertitus, non imminuitur: quinetiam totus in ſe manens, omnem & eandem vim oſtendit: & quanuis eorum, quæ paſſus eſt, ſymbolis non in vno, ſed in multis locis diuiſus ſit: idem tamen eſt, qui in Apoſtolica Eccleſia prodigia & miracula ingentia perficit. Itá nihil ex ijs, quæ in ſummo illo Apoſtolo inſunt, inane eſt & actionis expers, nihil gloria & diuinis miraculis vacuum.

Cap.25. Obſeruanda Chryſoſtomi voces.

Tu verò ô Petre, Chriſti Eccleſiæ petra & firmamentum, ſumme Apoſtolorū vertex, qui verus & ardens fuiſti Chriſti diſcipulus: qui præter cæteros orationis libertate apud eum vſus es, viui Dei filium illum prædicando, cuius manibus regni cælorum claues tibi traditæ ſunt, vt quæ à te in terra ligata aut ſoluta eſſent, eadem ligarentur & ſoluerentur in cælis: qui Chriſtum Deum & hominem fuiſſe clariſſima voce prædicâſti: qui ex circunciſione, quæ in lege præcipitur, ad præputium diuinæ fidei cognitionem tranſtuliſti: qui propter Chriſtum omnia dereliquiſti, vnum illum pro omnibus diuitijs poſſidere cupiens, à quo & mortis, & vitæ afferendæ poteſtatem accepiſti: cui Deus cæleſte myſterium reuelauit: qui columna quædā es è terra vſque ad cælos extenſa, eos ducens, qui ad manſiones illas feſtinant: qui rudis & inſcius artificioſam Græcorum orationem expugnâſti: qui diuino Spiritu loquens, & verbo tantùm gentes ipſas in ea conuertens, quæ voluiſti, acerbam illam crucifixionem ſuſtinuiſti, vt nulla in re à Magiſtri cruciatibus diſtares: qui catenas has inſtàr ſcelerati alicuius hominis pertuliſti, & curationum fontem illas reddidiſti: tu, quæſo, adeſto hodiè miſertus noſtrî, & hoc in loco ſpiritu verſare. Adſis huic templo miraculorum promptuario, quod ſancta nominis tui appellatione præcipuè honoratur: in quo venerandas catenas tuas, vt theſaurum quendam, reponi voluiſti: in quo hasipſas, vt precioſiſſimas res, ſeruandas eſſe iudicâſti: vbi catenæ ipſæ propoſitæ, & ab omnibus Chriſti fidem colentibus inſpectæ, miraculorū deriuationes non corporeis oculis, ſed mente ipſa perceptas, abundè à teipſo quærentibus ſuppeditant. His catenis noſtrarum animarum vulnera, quæſo, liges. His tumores & inflationes, à delictis illatas, reſeces, & diuinis medicamentis eas cures. His, vt ſcuto bonæ voluntatis, Chriſti gregem corones. His barbaros ipſos deuincias, captiuos ducas, & ciuitati te veneranti hoſtiles illorum exuuias conferas. Omnium maximè pium & fideliſſimum Imperatorem noſtrum, pro telis militaribus, his catenis armes, munias, cuſtodias, victorijs & trophæis corones, hoſtibus terribilem, & ſubiectis benignum atque optabilem facias: vt pace fruentes ſub eius regno ſimus, & ab eo gubernati, tranquillam & quietam vitam ducamus, veri Dei noſtri gloriam celebrantes, qùem tu in omni re gloriosè & magnificè celebrâſti: quandoquidem conuenit omnis honor & adoratio æterno Patri, cognato Filio, & eiuſdem ſubſtantiæ participi Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Cap.26. Petra Petrus Eccleſiæ. Matt.16. Actor.12.

Inuocat S. Petrum.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS CHRYSOSTOMI HOMILIA IN SANCTOS PETRVM APOstolum & Eliam Prophetam. Habetur in Simeone Metaphraste, in quo cùm nullus certus ei assignatus sit dies, nos hoc loco reposuimus: ac numerum capitum ad marginem adiecimus.

8. Augusti. Cap.1. Martyrum dies festus.

PAVCI hodierno die nostrę cõcioni præsentes sunt. Quenam causa est, quamobrèm id facere debeatis? Martyrũ diem festũ & memoriã celebramus, & nemo nobis occurrit? Sed omninò vię spatiũ segnes illos reddidit: immò verò nõ interuallum vię, sed segnities ipsa eos impediuit. Sicut enim solertem virũ, animo & proposito alacrem, nulla res detinere potest, ità segnẽ & remissum hominẽ omnia possunt impedire. Martyres pro veritate ipsa sanguinem suum effuderunt: & tu ne breuem quidem viam subire potes? Illi pro Christo capita sua exposuerunt: tu verò eiusdẽ Christi causa neq; extra vrbẽ vis egredi? Dominus ipse propter te mortuus est: & tu segnẽ te ostẽdis? Martyrum celebratur memoria: tu verò piger es, & iacentem animum habes, quem oporteret hîc præsentem esse, & diabolum superatum, martyres verò ipsos superantes videre, necnon Dei gloriam celebratam, Ecclesiamque martyrij corona insignitam? Sed istorum excusatio talis est: Peccator, inquit, sum, idcircò festo diei occurrere non possum. Maximè, inquam, ob hanc causam, quoniam peccator es, occurrere debes diei festo, vt iustus efficiaris. At si iustus es, occurre, nè à iustitia excidas. Ecquisnam ex hominibus sine peccato est? Propterea sacrificium & ecclesia, propterea preces acieiunia: & quoniam multa sunt animæ vulnera, propterea medicamenta ipsa inuenta sunt, quæ singulis animæ vulneribus congruentem medicinam afferunt. Habes ecclesiam & sacrificium, quod perficitur: habes patrum orationes, habes Spiritũs sancti donum, & sanctorum congregationem, multaque alia, quæ sunt eiusmodi, quæque possunt te à peccatis ad iustitiam reuocare. Cùm res ità se habeat, tu tamen ad Martyrum preces occurrere noluisti. Dic agè, quam peccati veniam habere poteris? Nihil mali in via positum fuerat, & tamen detentus es, quò minùs ad Martyrum concordiam celebrandam conuenires.

Festi dies ab omnibus celebrandi.

Cap.2.

Sed dices, vnam aliquam ex ijs, quæ huius vitæ sunt, curam te detinuisse. Maius certè hoc crimen est, cùm ne breuem quidem horam Deo ipsi conferre voluëris, vt integram totius diei mercedem reciperes. Peccator, inquis, sum, & non possum facere, quod dicis. Quia peccator es, propterea magis hoc debes. An ignoras eos etiam, qui altari assident, peccatis esse affixos? Carne enim sunt induti, & sanguine atque ossibus compositi. Nos etiam ipsi, in cathedra sedentes, & alios docentes, peccatis quidem complicati sumus. Non propterea tamen de benignitate diuina desperamus, neque duritiem aut inclementiam aliquam Deo ipsi affigimus. Omnes, inquam, homines sumus, ijsdem elementis compositi, neque correptionem recusamus, immensum diuinæ in humanum genus benignitatis pelagus considerantes. Et vobis quidem, si post peccata commissa in ecclesiam ingressi fueritis, non tantum crimen est: sub magistro enim viuitis. Nos verò quanto dignitate præstamus, eo maiori culpæ sumus obnoxij. Aliud enim est, eum peccare qui docetur: aliud, doctorem ipsum delinquere. Non ob id tamen docendi locum recusamus, neque submissionis prætextu ad segnitiem decidimus. Nam & hoc diuina quadam dispensatione factum est, vt sacerdotes etiam ipsi peccatis subiecti sint. Audi, quæso, quomodò res se habeat. Si doctores & sacerdotes ipsi non peccarent, neque vitæ huius affectibus subiecti essent, certè inhumani, & à venia alijs danda essent abhorrentes. Sed propterea ipsos etiam sacerdotes affectibus subiectos esse Deus voluit, vt eorum, quæ ipsi patiuntur, sensum habentes, alijs etiam veniam darent. Ità Deus mundum optimè gubernat, quippè qui & illosipsos, quorum fidei Ecclesiam & populum commissurus erat, permisit peccato subijci, vt à suorum erratorum conscientia admonerentur in alios esse benigniores. Nam si ipsi non pecâssent, nullam peccantibus

Grauiora sunt peccata prælatorum quàm subditorum.

Cur Deus eos permittat cadere.

tibus veniam daturi essent: sed inhumanitate ducti, omnes ab Ecclesiæ copore abscidissent.

Quòd autem res ità se habeat, neque temerè aut coniectura ductum me hoc dicere existimetis, agè rebus ipsis consideratis, probemus quod dicimus. Petro apostolo orbis terrarum Ecclesiæ, & populorum multitudines eius fidei committendæ erant, vel potiùs creditæ sunt illi claues regni cælorum. Quid enim ait illi Dominus? Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo. Erat autem Petrus non mitis, sed admodùm seuerus, & aliquanto durior. Quòd si ad eius naturam illud etiam accessisset, vt nullis peccatis subijceretur, quæso, quam veniam habituri fuissent, qui ab illo docendi erant? Propterea hoc egit Dei gratia, vt paululùm ab ipso descisceret Petrus, & peccato alicui subijceretur, quò ex his, quæ ipse passus fuerat, disceret humanior esse in alios. Sed vide, cuiusmodi peccato permisit subijci Petrum illum, talem ac tantum virum, Apostolorum verticem, fundamentum immobile, petram stabilem, & quæ frangi non posset, Ecclesiæ principem, portum inexpugnabilem, turrim firmam, & quæ non posset concuti. Hic, inquam, fuit Petrus ille, qui dixit Christo: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Petrus ille fuit, qui diuina reuelatione doctus, veritatem confessus, ait: Tu es Christus filius Dei viui. Hic cùm nocte illa, qua seipsum tradidit Christus, staret ad prunas & calefieret, ait illi puella quædam: Et tu cum Iesu Nazareno eras. Tum ipse: Neque scio, neque nóui quid dicas. Hem Petre, modò dicebas: Si oportuerit me mori tecum, non te negabo: & nunc eum negas, & ais: Non nóui hominem istum? Nondùm tormenta, nondùm flagella proposita tibi sunt, sed simplex vilis cuiusdam puellæ verbum audisti, & ad negationem prolapsus es? Negásne Petre? Nulla tibi tormenta, nulla flagella, nullæ plagæ, nullus furor, nulli principes, nulli gladij acuti, nulla iussa, nulla edicta, nulli reges minantes, nullæ denique instantis aut mox futuræ mortis minæ tibi obiectæ sunt: nondùm carceres, & præcipitia, & mare, nondùm aliquid tale terrorem tibi attulit, & Dominum negans, ais: Non nóui hominem istum?

Cap.3. Petro Apostolo, orbis terrarum commissus. Matt.16.

Matt.26.

Matt.16. Matt.26.

Rursùs puella cœpit dicere circunstantibus, quia hic ex illis esset. At Petrus: Non nóui, inquit, hominẽ istum. Quisnam est, Petre, qui te negare facit? Non vnus, inquam, aliquis ex grauioribus, sed fœmina, eaque ostiaria, abiecta & captiua quædam puella, nullius precij mulier. Talis, inquam, est, quæ te interrogat, & tu confestìm negas? O rem nouam & admirabilem. Puella momento temporis illius Petri fidem conturbauit. Petrus illa Ecclesiæ columna ac propugnaculum, puellæ vnius non minas, sed vnicum verbum non sustinuit. Locuta est illa, & ipse statìm quassatus est. Verbum puellæ processit, & columna illa concutiebatur. Illa locuta est, & propugnaculum fluctuauit. Quemnam vidisti, Petre, vt Christum negares? Puellam vilem, & ianuæ custodem contemnendam. Hanc vidisti, & Christum negas? Verùm quanùs Petrus negauerit, humani tamen generis amator Deus peccatum illi condonauit. Nouit enim illum, vt hominem, humanum quiddam passum fuisse: cùm ob eam maximè causam, vt dixi, ipsum peccare permisisset, quòd populorum multitudo illi credenda erat, nè seuerus & innocens, à venia proprijs fratribus impartienda esset alienus. Succubuit igitur peccato, vt delictum suum & Domini veniam considerans, condonaret & alijs benignitatis causa, iuxta dispositionem Deo congruentem. Permissus enim est peccare is, cui Ecclesia credenda erat, illa videlicet Ecclesiarum columna, & portus fidei. Petrus orbis terrarum magister, peccare permissus fuit, vt eius indulgentia, humanitatis argumentum alijs proponeretur.

Cap.4.

Petrum cur labi permiserit Deus.

Sed quamobrèm hæc à nobis dicta sunt? Quoniam & nos sacerdotes in cathedris sedentes, peccatis colligati sumus. Propterea enim non Angelo, neque Archangelo sacerdotium commissum est, (liberi enim illi sunt à peccandi libidine) nè videlicet eos, qui ex populo peccarent, fulguribus transfigerent: sed homini à Deo cathedra hæc commissa est, qui & ipse libidine & peccatis colligatus est, vt si quem peccantem inuenerit, suorum peccatorum conscius, in eum, qui peccat, benignus efficiatur. Nam si Angelus sacerdos fuisset, & aliquem adulterium committentem inuenisset, statìm eum de medio sustulisset, cùm ipse huic libidini subiectus non sit. Si Angelus potestatem accepisset, peccantes homines non doceret: sed in iram mortiferam concitatus, repentè illos perderet. Itaque ob id homini commissa est Ecclesia, quòd sciat se delinquere, & peccata expertus, ijs, qui peccant, veniam dare possit: nè irascente illo, Ecclesia inanis fiat.

Cap.5. Sacerdotiũ cur hominibus, nõ Angelis, commissum.

Cap.6. Sed curnàm tam minutis orationibus de Petro loquens, ad aliam perſonam ſermonem non transfero? Agè in medium proferamus prophetam illum Eliam, terreſtrem Angelum,& cæleſtem hominem,qui humì quidem ambulabat,& ea quæ in cælis ſunt,mente animoque verſabat. Erat trium cubitorum ſtaturæ homo, & per ſublimem aëris regionem perambulabat,& vſque ad ipſa cæli faſtigia protendebatur: ille, inquam,aquarum cuſtos,cuius lingua aquarum fuit theſaurus,& clauis cælorum: ille idiota, & philoſophus: pauper, & diues: pauper,quòd propter Dei charitatem ac ſtudium, relictis terrenis rebus, maiora ſibi comparare ſtuduerit: diues, quòd cæleſtes nubes lingua ſua detinuerit. quippè qui durior erat ad condonandum peccatoribus, ità vt Deum orârit,nè daret pluuiam. Viuit (inquit) Dominus,ſi erit pluuia,niſi per os meum. Quid agis,Elia? Cur ſic pronuncias: Viuit Dominus, ſi erit pluuia, niſi per os meum? Vbinàm ſunt hæretici,qui dicunt,filium Dei orare? Miſer homo & impudens, quid ais? Elias pronunciat,& Dei filius orat? Seruus iubet,& Dominus obſecrat? Neque eum honorem Dei filio tribuis,quem & Eliæ? An non vis parem ſaltem dignitatem Domino concedere & ſeruo? Non orat, neque precatur Elias: ſed veritatis ſermonem proponit,& cælum ipſum claudit. Non orat: ſed quidnam facit Elias? Scio, inquit,quòd me audiat Dominus meus: zelo enim impulſus hoc facio.

Elias aquarum cuſtos & clauis eę lorum dicitur.

3.Reg.17.

Cap.7. O rem nouam & admirabilem. Vidiſti Dominum ſerui benęuolentia ſuperatum? Etenim Elias ipſe multo zelo impulſus hoc fecit. Videbat enim abſurda multa fieri. Videbat vitia ipſa multa cum libertate propagari. Atra ſiquidem nox orbem terrarum oppreſſerat: itaque omnes in tenebris illis offendebant. Erat orbis terrarum naufragium,non aquarũ,ſed intemperantiæ. Propulſata enim temperantia, incontinentia ipſa dominabatur. Virtus expellebatur,& vitia,tanquàm res aliqua legitima,colebantur. Colles, montes, ſaltus & viæ, atque aër tenebris contegebatur. Itaque obfuſcato ſole, cælum erat caliginoſum. Omnis natura propter idolorum culturam coinquinabatur. Ergò tanquàm in nocte aliqua omnes ambulabant,rebus creatis,non tanquàm creatis,animũ adhibentes. Videbant lapidem, & tanquàm Deum adorabant. Videbant ligna,& illa ſimiliter colebant. Altiſſima igitur nox illos oppreſſos tenebat,cùm creatorem deſpicerent,& res creatas venerarentur. In tam multis tenebris ſolus Elias virtutis lucernam tenens,& tanquàm in quodam montis vertice,in ſapientiæ faſtigio ſedens,virtutis quidem facem præferebat,ſed ſplendorẽ præferens,nihil tamen eos iuuabat,eò quòd illorum mens tenebris oppreſſa erat,& idololatriæ ſceleribus detinebatur. Excãdeſcebat igitur Elias,animo diſſecabatur,lamentabatur,& multis verbis illos ab erroribus reuocabat: ſed nemo tamen eum loquentem audiebat. Precabatur,ſed nemo illi obtemperabat. Zelo igitur commotus,illos erudire voluit, vt fame ipſa tabefacti, preces ſuas tandèm ad creatorem transferrent,ac fames pietatis materies illis fieret. Nihil, inquit, aliud homines iſtos erudire poterit,niſi fames: vt vel ſic anguſtijs vndiquè coarctati,ad omnium creatorem Deum reuertantur.

Naufragiũ intemperãtiæ Eliæ ætate,

Zelus Eliæ.

Cap.8. Quid igitur Elias? Viuit Dominus, ſi erit pluuia, niſi per os meum. Prolata fuit vox hæc,& ſtatìm aër mutatus eſt. Cælum æreum factum fuit, non naturam mutans, ſed facultatem ſuam refrenans. Statìm elementa, tanquàm in aliam quandam figuram conuerſa ſunt. Prophetæ oratio, tanquàm flamma quædam,ad terræ viſcera demiſſa eſt,& omnia ſtatìm exareſcebant,omnia vaſtabantur,omnia deſtruebantur: ſtatimque videre licebat herbas ipſas arefactas,itèm arbores ac plantas, tam fructum ferentes,quàm quę fructum non ferunt: tam quæ in campis,quàm quę apud mare conſitæ erant,omnia ſimul arefacta,omnemque ętatem iamiàm deſtruendam,puerorum lamentationem, matrum eiulatum, & deſperationem multam. Vna fuit Prophetæ oratio: ſed vide quàm multa effecerit. Omnes igitur feræ moriebantur, iumenta, pueri, viri, animalia, volucres omnes, deniquè orbis terrarum erat naufragium, & calamitas ipſa totam terram occupârat. Nemo ſeruabatur, ſed vniuerſi propter aquarum penuriam moriebantur: areſcebant plantę,arbores,,fontes,fluuij,ſtagna & paludes,omnia deniquè perire videbantur, & vniuerſale quoddam naufragium vniuerſam terram detinebat: cælumque ipſum ſiccitate claudebatur. Itaque * derentum erat,& naturam omnem mutauerat. Omnia igitur moriebantur, & ira pœnaque à Deo miſſa perdebantur vniuerſa: ſed nihil tamen Elias hæc ipſa curabat. nam præ zelo,tanquàm ebrius, efferueſcebat contra eos, qui Deum non quærebant. Ergò & immatura ætas extinguebatur. Quid agis, Elia? Eſto,iuuenes peccârunt: cur infantes

Cap. 8. Mira eius apud Deum poteſtas.

fantes caſtigantur? Eſto, homines deliquerunt: cur iumenta ipſa vnà cùm illis moriuntur? Tantáne immanitate indutus es, vt homines nihil cures? Non habes vxorem, non infantes: ob id pereũtes homines tibi curæ non ſunt? Quid igitur Deus ad Eliam? Vade,inquit,ad fluuium Corazijn,& præcipiam coruo,vt te nutriat illic. 3.Reg.17.

Libenter hoc loco quæſiuerim ab homine Iudæo, vt oſtenderem ipſi, quemadmodùm lex ea,quæ legis ſunt,euertat,& ipſa ſecum pugnet, firmitatem non habens: quippè quæ non erat veritas, ſed vmbra: nam in lege ipſa continebatur vmbra. Hæc autem noſtra lex ſine dubio continet veritatem: res illæ figuram, noſtræ facta exprimunt. Elias iſte,quem veneraris,quem venturum expectas,quem multa oratione celebras,quem Prophetam appellas: ille,inquam,Elias quomodò à coruo nutriebatur? Coruus in lege impurum animal habetur. coruum, inquam, lex ipſa præcepit impurum eſſe animal: quomodò igitur ab impura volucre nutriebatur? Nam ſi lex ipſa coruum impurum eſſe dicit, omninò qui à coruo nutriebatur, eum quoquè impurum fuiſſe oportet. Sed caue hoc dicas: caue,inquam, hoc ſentias, cùm diuinus Elias à coruo nutritus fuerit. nihil enim ex ijs, quæ à Deo creata ſunt, impurum eſſe exiſtimo. Interuallo autem temporis factum eſt, vt fluuius ille exareſceret. Eliam igitur Deus illinc excitans: Surge, inquit, vade in Sareptha Sidoniorum, & præcipiam mulieri viduæ, vt te nutriat illic. Hoc autem qua diſpenſatione Deus effecerit,velim audias: quoniam videlicet neſciebat Elias, quomodò apud alias nationes res ſe haberet. Cùm enim in vno certo loco ſederet, neque orbis terrarum calamitatem videre poſſet,quomodò omnia arefacta eſſent, paludes, fontes, fluuij, plantæ, arbores,fructus,tam maturi,quàm immaturi: tam quæ ferunt, quàm quæ nullos ferunt fructus: tam quæ apud fontes,quàm quæ apud paludes aquarum: cùm,inquam, hæc ignoraret,& volucrum aliarumque rerum omnium interitum, puerorum mortem,& marrum vlulatus,tantam deniquè orbis terrarum calamitatem neſciret,excitans illum Deus,fecit,vt multam terram peragraret,illinc ad Sidonem vſque proficiſcens,vt cùm vidiſſet Elias,quo pacto res ſe haberent,rogaret deinceps Dominum ſuum,vt pluuiam dare vellet.

Cap.9.

Vetus lex vmbrã,noua veritatẽ exprimit.

Leuit.11. Deut.14.

3.Reg.17.

Excitauit igitur illum ob hanc rationem ad iter tam longum aggrediendum: non quòd non poſſet eum illic nutrire, ſed vt Eliæ oculis calamitatem illam ſubijceret,qua ad pluuiam ab ipſo rogandam alliceretur. Poterat quidem Deus ſine Elia hoc facere: ſed nolebat tamen proprium famulum contemnere, nè malorum conciliatorem Eliam,bonorum autem Deum fuiſſe diceres. Itaque ſeruiſui obſecrationem expectabat. Sed neque ſic ille ad miſericordiam flectebatur: quinimmò duritia quadam vſus, neque cuiuſquam rationem habens, viam illam ingreſſus eſt. Zelo enim (vt prædixi) ebrius erat. Cur,Elia,tanta inhumanitate indutus es? Expecta pauliſpèr, & redarguéris etiam ipſe peccato eſſe obnoxius. Propter eorum peccata, qui terram habitant, ſqualorem à Deo ipſo impetrâſti, cælum clauſiſti, terræ frenum impoſuiſti, & naturæ curſum retinuiſti: neque pro his,quæ fiunt,Deum orare vis? Non multò poſteà & ipſe peccato ſubiectus eſſe redarguéris, benignitatemque ac veniam à Domino impetrabis: vt tu quoquè in conſeruos tuos mitem atque humanum te oſtendas.

Cap.10. Cur Elias miſſus ad viduam.

Sed quamobrèm hodierno die harum rerum narrationem exponendam ſuſcepi? Vt ſcilicet vobis oſtenderem,propterea non vnum aliquem ex Angelorum numero in terris ſacerdotem præfectum fuiſſe,ſed hominem ex homine genitum: nè,ſi peccatorum omninò eſſet expers,peccantes homines ſine miſericordia puniret. Sed propterea homo creatus eſt ſacerdos,vt ex proprijs affectibus diſceret humanæ naturæ conſortibus veniam largiri. Itaque in medium protuli magnos illos viros, quibus cùm populos multos crediturus eſſet Deus,eos peccato ſubijci permiſit: ſed poſteà peccatum illis condonauit,vt ex ijs,quibus ipſi eruditi eſſent, benigni fierent. Primò Petrum tantum illum Apoſtolum adduxi, qui cùm peccare permiſſus fuiſſet, diuina benignitate adiutus,pœnitentia peccatum deleuit. Deindè venimus ad Eliam, cuius erratum iamiàm exponemus,vt & impetratam veniam oſtendamus: quoniam volebat quidem Deus Eliam benignitate vti,ſed ille nolebat. Volebat Deus pluuiam dare, ſed petitionem à ſeruo requirebat.

Cap.11. Cur nõ Angeli, ſed homines facti ſacerdotes.

Cùm igitur totum iter perfeciſſet Elias, venit in Sareptha Sidoniorum, & vidit mulierem viduam ligna colligentem. Quid expectas ampliùs,Elia? Cur accurris ad viduam? Vidiſti paupertatis exordia. Nè interroges quanta ſit eius tenuitas, nihil quæras de his,quæ intrà domum ſunt, cùm paupertatis ingreſſum iam videris. Quid eſt,

Cap.12. 3 Reg.17.

quòd in eius domum introire velis ? Vidisti ligna colligentem, & ab ea nutriri postulas ? Sed habebat ille, tanquàm pignus quoddam, Domini sermonem. Abijt igitur illuc, vt cum vidua loqueretur. Sed quidnam ait ? Da mihi, inquit, paululùm aquæ, vt bibam. Animaduerte sapientiam Eliæ, quemadmodùm non statìm ad maius aliquid petendum venit, sed ad id, quod erat vilius. Non dixit, Da mihi panem : sed, Da mihi aquam. Priùs aquam petijt, coniectura colligens, quòd si aquæ facultatem habuerit, possit & panis facultatem habere. Da mihi, inquit, paululùm aquæ. Abijt vidua, aquam tulit : quam cùm ille bibisset, animũ auxit, & ait : Sume mihi & bucellam panis, vt comedam. Cui respondit vidua : Viuit Dominus, si est mihi panis cineritius, nisì pugillus farinæ in hydria, & paululùm olei in lecytho : quæ cùm confecero, comedam ego & filij mei, & moriemur. Quid ad hæc Elias ? Vade, inquit, & fac mihi subcineritium panem seorsùm, & comedam : & posteà facies liberis tuis, & comedent.

Elias proprio periculo docetur à Domino, misereri.

Cap. 13. Quid ais, Elia ? Esto, panem petis : cur seorsùm & primùm tibi dari vis ? An non gratias acturus esses, si vnà cum filijs viduæ comederes ? Tu vis panem comedere, & eius filios fame necari ? Scio, inquit Elias, quàm copiosa sit Domini mei liberalitas. Hæc ille. Vidua verò, non eius sermone obstupuit, neque tale quippiam absurdum cogitauit, aut dixit : Tu es, qui famem hanc intulisti, & ex reliquijs huius famis à me nutriri postulas ? Non dixit : Tam magnam orbis terrarum partem prætergressus, ad me venisti, vt liberos meos fame corrumperes, ipse author famis existens ? Nihil tale dixit, sed Abraham illum imitata, ingressa est domum, & fecit sicut à Propheta dictum fuerat. Quinimmò licebat videre viduam illam magìs quàm Abraham, hospitalitatis amantem. Ille enim cùm esset locuples, Angelos hospitio accepit : at hæc post famem mortem expectans, Prophetam accepit. Itaque videre licuit naturam contemptam, & hospitalitatem honoratam. Licebat videre eius viscera proiecta, & Prophetam susceptum, cùm integram filiorum multitudinem sepulcro mandauit. Quantùm enim fuit in viduæ proposito, omnes eius filij mortui sunt. Sed Dei benignitate factum est, vt viuerent & incolumes essent.

Gen. 18. Viduæ Sarephanæ insignis hospitalitas.

Cap 14. Eius viduæ encomium. Nescio certè, quibus verbis huius viduæ laudes comprehendam, quemadmodùm seipsam & filios contempserit, & hospitalitatis studiũ secuta fuerit : quemadmodùm eius natura non tabuerit, & viscera non dissoluta sint, cùm videret integram filiorum multitudinem iamiàm fame perituram. Sed illa animum gerens omnibus his rebus superiorem, accepit Prophetam hospitio. Cùm verò Propheta ipse panem accepisset & comedisset, deindèps mercedem retribuit. Hospitalitatis sementem vidua sparsit, & statìm florentem atque copiosam hospitalitatis messem collegit. Quid enim Elias ait viduæ ? Viuit Dominus : hydria farinę non deficiet, & lecythus olei non imminuetur. Facta est viduæ dextera torcular, & sinistra facta est arca, & manipuli fructum in ipsa necessitate reddentes, ac propter Prophetæ dicta viduam illam nutrientes. Torcular & area effecta est domus viduæ. Non imber, non pluuia, non ver, non autumnus, non æstas, non æstus, non ventorum vis, non temporum mutationes, sed verbum vnum ex illius Prophetæ sententia prolatum, abundantem rerum copiam viduæ suppeditauit.

3. Reg. 17.

Cap. 15. 3. Reg. 18. Post hæc (vt orationem concidam) abijt illinc ad Regem Achab. Dicam iam nunc eius rectè facta, vt cùm peccantem videris, discas ex Dei gratia bona omnia proficisci. Sed quidnam Eliæ dixit Achab ? Tu, inquit, es, qui peruertis Israëlem ? Cui Elias respondit : Non ego id facio, sed tu, & domus patris tui. Vidisti liberam Prophetæ orationem, quemadmodùm Regem ipsum redarguit ? Post hæc cùm sederet in monte, venit ad ipsum quinquagenarius, & ait : Homo Dei, descende : quia Rex te vocat. Cui Elias : Si homo Dei, inquit, sum ego, descendat ignis de cęlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deindè venit alius quinquagenarius, & ait : Homo Dei, descende, quia Rex te opùs habet. Si homo Dei sum ego, inquit Elias, descẽdat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Ad hæc venit ad orationis conuentionẽ : cumq; sacerdotes illos infames Baal prouocâssет : Oremus, inquit : & addidit : Facite vos seorsùm altare, & eligite duos boues, & imponite ligna super vnum bouem, & ignem non imponite : & ego idem faciam. Posteà inuocate nomen deorum vestrorum, & ego nomen Dei mei : & qui Deus exaudierit ignem mittendo, hic erit verus Deus. Fecerunt sacerdotes infames altare, & cœperunt inuocare Baal, dicentes : Exaudi nos, Baal, exaudi nos. Cùm verò, multo clamore edito, nemo esset qui exaudiret, (non enim erat vox, neque auditio) expectabat Elias, patientiam retinens, donèc illi orarent. Cùm autem vidisset

4. Reg. 1.

vidisset multam esse illorum moram, & intentos clamores, neque quenquam exaudire, irridẽs illos : Clamate, inquit, quàm maximè potestis : nam fortè dormit deus vester. Post hæc cùm iam meridies esset, & tempus processisset : Concedite, inquit Elias, vt faciam holocaustum meum : cumque fecissет altare, & imposuisset ligna, dixit : Afferte aquam circa altare : Afferte, inquit, bis tantum, & ter tantũ. Fecerũt hoc ministri.

Cap. 16. Erroris quis mos sit. Velim consideres, quarè ab Elia hoc factum sit. Quoniam erroris mos est, veritati propria vitia obijcere. Id quod faciunt meretrices : anticipant enim ipsæ, & ingenuas fœminas meretrices vocant, vt non habeant illæ, quid conuicij obijciant. Propterea etiam in hac re sapienter se gessit Elias. Attende, quæso, quod dicturus sum. Vidi enim ipse, quod dicam. In idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiore altaris parte, & fouea quædam obscura : descendunt autem erroris artifices in foueam illam, & ex foraminibus, quæ diximus, ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ità vt multi decepti, cælestem esse ignem illum existiment. Nè igitur & Elias in suspicionem veniret, quòd & ipse tale aliquid machinatus esset, aquam effudit, vt aqua illa nulla esse infra altare foramina ostenderet. Vbì enim foramen aqua inuenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat necesse est. Impleuit igitur altare, & his verbis Deum orauit : Exaudi me, Domine, hodiè in igne. Exaudisti me in aqua, exaudi me & in igne, Vidisti elementorum aurigam, & gubernatorem Eliam ? Et eccè, inquit, cùm ipse inuocâsset, celeriter ignis descendit de cælo, & consumpsit sacrificium, & lapides, & aquam deleuit ignis. Tunc ille : Comprehendite, inquit, sacerdotes istos infames, & nemo seruetur ex ipsis. Comprehenderunt, & interfecerũt ipsos, quadringentos scilicet & quinquaginta sacerdotes Baal, & quadringentos sacerdotes sublimium montium.

Fraus idolatrarum.

Elias interficit sacerdotes Baal.

Cap. 17. 3. Reg. 19. Audiuit Iezabel vxor regis Achab, quæ facta fuerant, & misit ad Eliam, dicens : Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, nisì cràs ponam animam tuam, vt animam vnius ipsorum. Cùm hæc audiuisset Elias, aufugit. Vbinàm, quæso, est Elias ille talis tantusque vir ? Propositum enim mihi est ostendere, quòd peccato succubuerit. Hoc autem dico, non accusans virum illum iustum, sed salutis materiam tibi procurans : vt cùm sanctos quoquè peccantes víderis, & de sua salute non desperantes, sed diuinæ benignitatis compotes factos, tu etiam si peccaueris, salutem valdè speres. Cùm igitur dixisset Iezabel : Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, nisì cràs ponam animam tuam, vt animam vnius ex ipsis : audiuit Elias, & fugit itinere dierum quadraginta. Pròh facinus. Quanta fuit hæc timiditas ? Mulieris vnius audiuit verbum, & aufugit quadraginta dierum itinere : idque fecit non post vnum, aut alterum, aut tertium diem : sed cùm primùm mulieris sermo ad se perlatus est : ac præ metu nescius quid ageret, tantam fugam corripuit. Quid hoc est, Elia ? Túne ille es, qui cælum clausisti, pluuiam refrenâsti, aëri iussisti, & ignem ex alto euocasti, sacerdotes interfecisti, & Regi Achab dixisti : Tu es, qui peruertis Israëlẽ, & domus patris tui : item illud : Viuit Dominus, si erit pluuia, nisì per os meum : qui deniquè domum viduæ copiosam quandam aream & manipulos effecisti, & eius filium mortuum suscitâsti ? Talis, inquam, tantusque vir, mulieris verbo audito, aufugisti, & mulier vna captiuum te ducit ?

Sentit peccâsse Eliam, dum fugit Iezabelis minas.

Cap. 18. Petrus & Elias arces fortissimæ, à mulieribꝰ vincuntur. Duo illa propugnacula & arces, à duabus mulieribus sunt redargutæ. Petrus puellam extimuit, & Elias Iezabel formidans, in simile incidit peccatum, & fugit itinere dierum quadraginta. Vbinàm est ille feruor tuus, Elia, cùm dicebas : Viuit Dominus, si erit pluuia, nisì per os meum : cùm Achab regem redarguebas, & ignem è cælo euocans, tot & tanta fecisti ? En vt mulieris vnius sermonem non sustinuisti. Vbinàm est illa tua constantia, cùm Dominum rogare noluisti, vt pluuiam daret terræ ? Manifestis enim quibusdam demonstrationibus te prouocabat, quasì illud diceret : Pete à me, Elia, vt terræ dem aquas. Poterat ille quidem id facere sine te : sed nolebat tamen, vt quemadmodùm mala per te iniecta fuerant, ità & bona per te conciliarentur. Tu quidem facinus commisisti crudelitatis plenum : at Deus calamitatem tantam misertus est, quoniam ipse omnium rerum creator & opifex est. Cumque omnium esset curator, volebat ille quidem inhumanitatem tuam lenire, tu verò in illa permanebas. Dicebat ille : Nóui ego præsentem calamitatem, nóui matrum eiulatus, & puerorum vlulatus : video terræ illius, quam ipse feci, speciem immutatam, itaque volo benignè cum illa agere : sed nolo tamen te cõtemnere, & sine tuo consensù pluuiam emittere, nè malorum causa tu sis, & bonorum expers existas. Honoris igitur tui gratia id facio. O summam Domini nostri benignitatem. Hæc quidem

Cur Elias in pusillanimitatẽ inciderit.

Deus faciebat: sed Elias tamen multùm arrogantiæ habebat, quasi ipse peccare non posset. Nunc autem & illum peccato succubuisse ostendimus, cùm hoc Deus permiserit, ac prouiderit: vt quarum rerum indulgentiam ipse impetrauit, eam & in alios exerceret. Fugit, inquit, Elias itinere dierum quadraginta. Cùm vellet Deus declarare, miracula illa, quæ ostensa fuerant, non ab Elia, sed à sua ipsius potentia facta esse, vide quid faciat. Quo tempore Deus ipse operabatur, reges, principes & populi Eliæ succumbebant. Cùm verò Deus abscessisset, etiam mulier vna Prophetæ illi terribilis visa est. Abscessit Deus, & natura humana redargura fuit.

Cap. 19. Sed nihilominùs tamen cùm fugisset Elias diebus quadraginta, & dormiret in loco quodam, venit ad eum Deus, Dominus ad seruum, suam in humanum genus charitatem, vtì creator, exercens. Sed quidnam ait? Sciebat ille quidem, quamobrèm Elias illuc venerat: interrogauit tamen illum his verbis: Quid tu hîc Elia, quid, inquit hîc agis? Hæc dicens, fugam illius innuebat, quasi diceret: Cur aufugisti? Vbinàm est illa tua in loquendo libertas? vt discas viribus tuis non confidere. Respondet Elias, alia in mente habens, & alia dicens: Domine, Prophetas tuos interfecerunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam, vt auferãt eam. Redarguitur à Deo. Quid ad hæc Deus? Statìm illum redarguens: Non propterea, inquit, fugisti Elia: nõ enim tu solus es Baal non adorans. Subiungit autem cum redarguens: Reliqui mihijpsi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Redarguit igitur illum, quòd non ob eam causam fugisset, sed propter mulieris timorem.

Cap. 20. Sic mulier vna talem tantumque Prophetam Eliam fugitiuũ effecit, vt discas, cùm aliquid admirabile feceris, illud non tibi, sed Dei potentiæ tribuendum esse. Vidisti quemadmodùm, discedente gratia diuina, redarguta est natura humana? Fugit enim Elias itinere dierum quadraginta. O timorem nimium, ô formidinis vehementiam. Non vno, aut altero, aut tertio, sed quadraginta diebus aufugit, & ad regionẽ omninò desertam se contulit, non nutrimentum, non cibum aliquem secum ferens. nam tanquàm ebrius præ metu, cætera nihil curabat: sed desertas tantùm regiones sequebatur. Quemadmodùm enim ventus zephyrus, cùm vehementer flat in velum aliquòd, nauigium ipsum cum impetu transmittit: ità mulieris oratio in Prophetam irruens, multo cum impetu ad solitudinem desertam eum compulit.

Cap. 21. Vbì nunc est, Elia, tua illa in loquendo libertas? Vbinàm os illud terribile? Vbi lingua imbrium atque ignis gubernatrix, & quæ elementis imperabat, modò cælum claudens, nè pluuiam demitteret: modò ignem ad sacrificium aduocans? Sed, vt suprà dixi, hæc faciebat Elias, Dei gratia operante: quocircà & à Deo postmodùm redarguitur. Vides quemadmodùm in peccatum, exiguum illud quidẽ, permissus est incidere Elias, vt integram bonitatis formam se indueret? Deincèps enim eruditus est, vt benignus esset, quemadmodùm & eius Dominus: & quam indulgentiam in se fuerat expertus, eandem & in alios ostenderet. Vidistis quemadmodùm Deus permisit in peccatum, quanùs exiguum, incidere columnas illas, propugnacula & turres, nè, si omninò fuissent isti à peccatis liberi, omnes ab Ecclesia exciderent: neque cùm viderent aliquem peccantẽ, immites & inhumani essent: sed suorum etiam peccatorum memores, quam illi à Domino benignitatẽ impetrârunt, eam & ipsi libenter alijs impartirent.

Exiguũ fuit Eliæ peccatum: & ità interpretãda sunt, quæ superiùs videntur duriùs dici.

Cap. 22. Hæc diximus, non vt iustos illos viros reprehẽdamus, sed vt salutis viam vobis præparemus, vtque cùm peccaueritis, de vestra salute non desperetis, viros ipsos memoria repetentes: qui cùm deliquissent, per pœnitentiam honorem non aliqua exparte imminutum, sed integrum, qualem anteà possidebant, recuperârũt. Diximus priùs, quantæ fuerint illorum virtutes, & deindè protulimus peccata illa tenuia, in quæ lapsi sunt. Ergò & tu, quanuis peccator sis, ab Ecclesia abesse noli. Quanuis etiam iustus sis, noli abesse: vt scripturarum cognitione aures tuæ personent, & iustus permaneas, memoria repetens, quæ pertinent ad regnum cælorum, & bona illa, quæ præparauit Deus diligentibus se: quoniam gloria Patri, Filio & sancto, bono & vitæ datori Spiritui in secula seculorum, Amen.

Petrus grauiùs peccâsse creditur quàm Elias.

VITA

VITA ELEAZARI SACERDOTIS, ET SEPTEM FRATRVM MACHABAEORVM, QVIBVS octaua addita fuit, per D. Ambrosium episcopum scripta.

Habetur in lib. eius II. de Iacob & vita beata.

Augusti 1. Ex cap. 10.

NEC te Eleazare prætermittam, vtpotè sacerdotum sacerdos, sed tuis iuuandus oratis, qui genere sacerdos, peritus in lege, maturus æui, cùm oblatus esses Antiocho persecutori, nec tentamentis potuisti capi, nec præmijs inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi. Deniquè à blandimentis cœpit, quia iudicabat tormenta sua posse superari. Erubesco, inquit, canitiem tuam, reuereor senectutem, miror prudentiam: Cur abstinendum bonis epulis putes, quas natura largitur? Relaxa istiusmodi peruicaciam, expergiscere aliquandò, dum adhuc mâlo tibi persuadere quàm extorquere, nè victus supplicijs, facias quod refutas ratione inuitatus. Ad hæc respondit senex: Nos Antioche non intentione ducimur, sed reuerentia legis tenemur, quæ à suilla carne abstinendum præcipit. Pulcherrimam creaturam iudicans, negare tamen non potes quòd potior sit temperantia, quàm voluptas: potior legis obedientia, quàm præuaricatio. Quòd si hoc leue putas, vt carne vescamur suilla: qui in minimis legem contempserit, quomodò in magnis tenebit? Aut si preciosa est creatura huiusmodi, vindicaris: cum eo quod sit pulcherrimum, defraudamur. Abstinentia autem nostra, disciplina est castimoniæ. Discimus enim resecare luxuriam, cupiditates vincere, excludere concupiscentias, delectationibus corporis obuiare. Fortitudinis quoquè exercitium est, pœnis pro lege non cedere. Iustitiæ quoquè insigne atque prudentiæ, vt quod sequendum elegimus timore Dei, morte proposita reseruemus. Quis escam imperet liberis? Quis autem se ridendum præbeat? Quis autem in hoc seruiat, & non ridebitur? Non sum ità senex, vt mihi non iuuenescat animi fortitudo. Suspensus itaque cùm hinc atque indè grauiter verberaretur, nec iam ferrent senilia membra verberum pœnas, lassatis carnificibus atque extensoribus, in terram deflexus, inflexibilem mentem gerebat. Et quidam seu longæuam miseratus ætatem, seu tentamentis circunuenire desiderans, Responde, inquit, tantummodò te manducaturum, nos te escæ eius immunem præstabimus. At ille clamans, Nequaquàm, inquit, contingat mihi vt fiam senex incentiuum iuuenilis erroris, qui hucusquè eram forma salutaris instituti. His ergò ludibrijs vt paululùm viuam lucrabor, & totius vitæ labores addicam, breuis viatico senectutis? Senectus portus debet esse, non naufragium vitæ superioris. Non te negabo lex patria, non abiurabo vos sancta instituta maiorum, nõ decolorabo vos insulæ sacerdotales, non te perfidiæ puluere turbabo canities. Quid multa? Immoriendo tormentis factus est cæteris magisterium perseuerantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum. Beatus igitur, in quo non potuerunt tormenta rationem vincere. An non beatus, qui potuit virtute animi victor esse pœnarum, pietatisque remigio, seruare integram in tantis fluctibus passionem?

2. Mach. 6.

Attende quantæ sit constantiæ S. Eleazari responsum.

Grauiter verberatur.

Magisterium perseuerantiæ S. Eleazarus.

Post ipsum statuti sunt pueri septem cum matre. Insultare licet tyranno, qui dum callidè à sene incipiendum putat, magistrum eligit quo discipulos faceret fortiores, quorum velut puerilem ætatem præmijs prouocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci respondent: Quid nos contemnis vel circunscribis vt pueros? Sed fides cana est, sed valida disciplina. Experire certè, subijce quibus placet pœnis puerilia viscera, non inuenies corda puerilia, nec potentiores erunt tormentorum machinæ, quàm legitimæ obseruationis excubiæ. Quem vicit senectus, superabit æmula senectutis pueritia. Sequimur patrem filij, discipuli doctorem. Collige suppliciorum instrumenta proposita: meditationem patientiæ, non terrorem *inscitiæ afferunt, dum videntur.

Ex cap. 11.

*aliàs, infantiæ

Iussit maximum natu eligi. At ille ridens: Rectè, inquit, naturæ ordinem seruas. Sed cur Dei legem temerandam putas? Et pro pietate quidem omnes maximi

mi ſumus, ſed tamen à me inchoatum gaudeo. Quod quæris tyranne, confiteor, nos ſummo Deo ſeruire, & doces quid agere debeamus? Si tu tanta pertinacia vis extorquere veritatem, cur non omni virtute nos eam tenendam putemus? Quid plura? Adhibentur variarum genera pœnarum. Sed vicit pietas immanitatis furorẽ, exclusa eſt anima, non religio.

Varijs ſupplicijs afficitur primogenitus.

Secundus acceſſit, nec degener fratris munia piæ confeſſionis impleuit. Et cùm detraheretur membrana capitis, reſpondit: Aufertis quidem membranam, ſed habeo galeam ſpiritalem, quam non poteſtis auferre. Et verè hanc galeam nemo auferre poteſt, ſicut poſteà Apoſtolus docuit in eccleſia Domini, quia caput viri Chriſtus eſt, & eius ſumus membra. Rectè puer iſtam diuino ſpiritu doctrinam Apoſtolicam præuidebat. Exuebant immanes beſtię corium capitis, pardalicis feritatibus ſeruiebant. At ille deficiẽs: Quàm dulce eſt, inquit, mori pro religione, quàm ſuauis omnis acerbitas mortis pro pietate: quia manet horum remuneratio laborum. Tua ſunt rex grauiora tormenta, tu tuis vehementiùs torqueris ſupplicijs, quia vides vinci in poteſtate.

1. Cor. 11.

Secundus occiditur.

Et hoc defuncto, tertium ſtatui ſibi iuſſit. Et cùm eum partìm tentaret inſidijs, partìm cuperet terrore percellere, reſpondit ad eum: Non faciam voluntatem tuam, nó ſuccumbam imperio tuo. Per beatam illam fratrum meorum paſſionem & nobilem vitam, non negabo piam germanitatem. Quæ vis adhibeto ſupplicia, quibus magìs vrgeas, hoc proficies aſperitate pœnarum, vt maiora teſtimonia noſtræ germanitatis accipias. Iuſſit itaque ei linguam amputari. At ille exclamans: Victus es, inquit, Antioche, qui organum vocis abſcindi iubes. Confeſſus es te reſpondere non poſſe rationi, maioraque probas linguæ noſtræ flagella, quàm tua verbera. Nos enim tua verbera non timemus, tu noſtræ vocis flagella non potes ſuſtinere. Sed hæc pietatis flagella ſunt, tua flagella perfidiæ. Sed etiam lingua ſublata, grauiùs te ſuo cadens murmure flagellabit. Euadere te putas Antioche, ſi vocem eripias? Et tacentes Deus audit, & magìs audit. Eccè aperui os meum, laxaui linguam meam, abſcinde linguam: ſed non abſcindes conſtantiam, non virtutem auferes, non rationem oblitterabis, non eripies teſtimonium veritatis, non eripies cordis clamorem, Si lingua amputatur, ſanguis clamabit, & dicetur tibi: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me. Audit enim ſanguinis vocem, qui audit internas cogitationes. Tenebræ licèt operiant, & parietum ſepta circundent, non dicat impius, quia nullus ſibi teſtis aſſiſtat, explorat vniuerſa, videt omnia Deus: nec eſt aliquod facinus, quod poſſit latere omnium iudicem Deum, qui cognoſcit vniuerſa antequàm fiant. Quid verba damus? Loquaciora ſunt vulnera: & ſi vulnera tegantur, & ſi abſcondatur cicatrix, non abſconditur fides: nec tamen plaudas, quòd auferendo linguam, confeſſionem laudis eripias. Satìs iam Deum ſermone laudaui, nunc paſſione laudemus.

Tertius abſciſſa lingua loquitur.

Gen. 4.

Eccli. 23.

Et hoc perempto, iuſſit quartum vinciri ad rotam, vt eius vertigine membris omnibus ſolueretur. At ille cùm torqueretur immaniter: Diſſoluis, inquit, corporis membra, ſed adiungis gratiam paſſioni, nec eripis ſolatium morti. Eſt enim vox tonitrui in rota, quia in bono & inoffenſo vitæ iſtius curſu, cæleſte reſultat oraculum, ſicut in Iohanne & in Iacob filijs tonitrui reſultabat. Itaque illud quod legi, nũc manifeſtiùs recognoſco, quia rota intrà rotã currit, nec impeditur. Teres enim vita ſine vlla offenſione in quauis paſſione verſatur, & intrà hanc quoquè rota currit. Currit lex intrà gratiam, & obſeruantia legis intrà diuinæ curriculum miſericordiæ eſt. Nam quo magìs voluitur, plùs probatur. Potius eſt hîc ab impijs aduerſa tolerare, vt ibì à Domino conſolationem inuenire poſſimus. Et iſte conſummans curſum ſuum, abrupit ſpiritum, animamque victor effudit.

Quarti fratris mẽbra diſſoluuntur in rota.

Quintus cùm ſiſteretur, cæſo priùs, eidem iuſſit ignes admoueri, ſubijci incendia. Manabat è vulneribus cruor, & effoſſis vlceribus ſanguis effuſus, ipſos flammarum extinguebat globos. At ille inter ignium crepitus audiebatur, dicens: Gratias tibi Domine, quòd dediſti nobis dicere: Tranſibimus per ignem. Et ſicut alibì idem tuus dicit Propheta: Igne nos examinâſti, ſicut igne examinatur argentum. Adſtabo tibi ſicut aurum purgatus incendio: & ſi quid fuit culpæ, ignis exuſſit. Itaque & iſte tranſlatus à corruptela ad incorruptionem, vitam exhalauit.

Quintus, ignis ſuppliciũ patitur.

Pſal. 65. Pſal. 16. & 65.

Sexto quoquè admota tormenta ſunt. At ille: Noli, inquit, fruſtrà errare, & tuæ hoc adſcribere poteſtati, quòd iſta aduersùm nos exerceas. Noſtrorum hoc delictorum eſt precium, vt peccantes puniamur. Et gratias Domino, quòd hîc à nobis duplicia peccata exiguntur, vt ibì nobis conſolatio deferatur. Gratias autem & tibi, quòd tam durus & immitis es, vt talibus noſtris ſupplicijs Dominus, in quem peccauimus, genti noſtræ propitius fiat. Nos quoquè ableuamus ærumnã, dum fidei paſſionibus delectamur. Et iſte duris & aſperis dilaceratus ſupplicijs, appoſitus eſt ad fratres ſuos.

Sextus grauibꝰ tormẽtis cruciatur.

Supererat iunior ex fratribus, & iam pudebat Antiochum immaturæ ætati ſe ità fuiſſe ludibrio. Itaque dolis eum deſiderans circunſcribere, pollicebatur honores, diuitias, amicitiam ſuam, conſortium ſecretorum. At verò pia mater monebat filium ſuum, dicens & huic ſicut cæteris: Neſcio quemadmodùm in vterum meum introiſtis, neque ego ſpiritum donaui vobis, neque membra formaui, ſed hæc omnipotentis Dei munera ſunt. Putauit Antiochus videns matrem ſolicitam, quòd ſaluti eius timeret, ipſi quoquè ſuadere cœpit, vt filium ab intentione ſua reuocaret. At illa voce patria dicebat filio: Tu ſolus ſuperes fili, ſumma votorum meorum, tu poſtremus clauſiſti partus meos, tu poſtremus conclude gaudia mea. Miſerere meî, quæ te in vtero tot menſium curriculo portaui, nè vno momento confundas ſenectutem meam, nè decolores tot fratrum tuorum trophæa, nec ſacrum eorum comitatum relinquas, nec conſortium deſeras. Te adhuc iſti expectant triumphi. Adſpice in cælum, vndè hauſiſti ſpiritum, ad patrem omnium: adſpice in terram, quæ tibi antè alimoniam miniſtrauit: adſpice ad fratres, qui collegam requirunt: adſpice ad matrem, quæ tibi lac dedit: redde mercedem pij ſanguinis, noli à fratribus, noli à matre diuelli. Temporales opes ſunt, quas promittit Antiochus: temporales honores, perpetua corona quæ à Deo omnipotente defertur. Vos mihi ſeptem dierum lumina dedit Dominus, ſextum iam diem clauſi, & omnium opera bona valdè. Debes mihi fili, vt quæ in illis ſex laboraui, in te requieſcam ſeptimo, tanquàm à ſeculi operibus iam feriata. Itaque proripiens ſe iuuenis, ait: Quid ſuſtinetis? Et multa vociferans, quòd nequaquàm diuelli poſſet à fratrum conſortijs, quorum multò beatiora eſſent funera quàm regis imperia, cùm vrgeret conuicijs regem, & ipſe acerbis excruciatus tormentorum generibus, vitæ huius munus abſoluit.

Conſolatur mater filiũ iuniorem.

Glorioſum eius martyrium.

Nouiſſima mater oblata eſt neci. Quis hanc beatam neget, quæ quaſi ſeptem vallata muneribus, inter corpora filiorum nullum ſenſit mortis incurſum? Quis, inquam, dubitet de eius beatitudine, quæ ſeptem turribus circundata, in paradiſi ſedem caput extulit: quæ ſeptem filijs cincta, ſacratiſſimum Deo chorum, non ſolùm canorum vocibus, ſed etiam paſſionibus, ad concinendas Domini laudes cæleſtibus inuexit altaribus? Quàm bonus fidei partus, quàm tutus portus iſte pietatis, quàm ſplendida lucerna Eccleſiæ, ſepteno fulgens lumine, & octauo vtero cunctis luminibus oleum ſubminiſtrans. De quibus pulchrè dicitur: Date partem illis ſeptem, & illis quidem octo, eo quòd in vtroque numero conſortium gratiæ conſequantur, in lege nutriti, per gratiam coronati, ſeptem tanquàm in ſabbato, octo tanquàm in Euangelio. Pia mater ſupplemento paſſionis adiuncta, quæ in talibus filijs integram pietatis formam & parturiuit & peperit.

Mater nouiſſimè piamitur.

Eccli. 11.

Recurrunt in memoriam ſermones ſanctæ fœminæ, dicentis ad filios: Ego vos genui, ego vobis ſuccum lactis infudi: nolite nobilitatem veſtram perdere. Sic aliæ matres reuocare à martyrio ſolent filios, non vocare. At iſta maternum in hoc ponebat affectum, ſi filijs vitam magìs perpetuam quàm temporalem ſuaderet. Spectabat itaque pia mater filiorum certamina, & quanuis maternorum viſcerum compaſſione quateretur, tamen pietatis ſtudio premebat dolorem. Et offerente Antiocho, cùm poſſet ſalutem eligere filiorum, malebat periculum: compreſſiſque naturæ gemitibus, pœnas filijs optabat augeri, vt mors citiùs appropinquaret. Videmus conuerſa vota matris in filios, nè quem ſuperſtitem derelinqueret, ſed omnes piæ cohæredes mortis acquireret. Sed nec filij minores tali parente, qui ſe inuicèm cohortabantur, qui dicebant vno ſtudio, & quadam animorum acie: Mortis aduerſæ impetum petamus. Tunc enim viuemus, cùm fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinem derelinquat, nemo ſe ſubtrahat prælio triumphali. Non homini, ſed Deo noſtras animas deuouimus: non homini, ſed authori omnium militamus. Talis hæc pugna eſt, vt ille glorioſiùs vicerit, qui crudeliùs occiſus fuerit. Itaque nemo timuit, nemo trepidauit, nullus ad mortem extor fratribus pigrior fuit: ſed omnes, tanquàm ad immortalitatis viam, ità ad mortem

Ex cap. 14.

Vides quòd ſancti viuũt cùm fuerint mortui.

tem per acerba ſupplicia cucurrerunt, & mater conſona cernens filiorum agmina, tanquàm pia anima ſui membra corporis in filijs offerebat, & per artus proprios videbatur ſibi ſubire tormenta. Cadebant filij tormẽtis exulcerati, mortui ſuper mortuos aduoluebantur, corpora ſuper corpora volutabantur, capita ſuper capita execabantur.

Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lamentata eſt, nõ oculos cuiuſquã preſſit, aut ora morientis clauſit, non lauit vulnera, ſciens glorioſiores eſſe, ſi euiſcerati & concreti pariter puluere & ſanguine viderentur, quales ſolent de bello redire victores, qualia ſolent trophæa ex hoſtibus reportare. Non ſuperiacienda velamina, non proſequendas exequias, nisi ſuæ comitatu mortis arbitrata eſt. Quæ cithara dulciores ederet cantus, quàm morientes filij in tam grauibus ſuppliciis ediderunt? Erumpebat enim naturæ gemitus, & inuitus. Spectares peremptorũ cadauera, ſicut fila chordarum audires heptachordum pſalteriũ triumphalibus gemitibus reſultare. Non ſic illecebroſi cantus ſirenum attraherent audientẽ. Illi enim ad naufragium trahunt, iſti ad ſacrificij victoriam. Nec ſic cygnea carmina aures animumque mulcerent. Cygni enim naturæ ſorte moriuntur, iſti moriebantur amore pietatis. Non ſic rauca reſonant ſecreto in nemore columbarum murmura, vt vltima verba morientium cum ſumma ſuauitate reſonabant. Nec ſic luna inter ſtellas refulget, vt inter filios mater: & cùm eos ad martyrium illuminatura deduceret, & cùm amplexata victores in medio filiorum iaceret.

Fortitudo matris quãta fuerit.

O vera mater Adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior: ô indiſſolubile pietatis vinculum, ô verè valida charitas ſicut mors dura, ſicut inferi zelus deuotionis ac fidei. Nulla tantarum diluuia paſſionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluuio totius orbis ſpatijs innocua ferebatur, ità & tu aduersùs fluctus tam grauium paſſionum pietate immobilis reſtitiſti: & cùm poſſes ſalutem filiorum eligere, noluiſti.

Cant. 8.

Quo affectu vos proſequar ſanctæ matris pia pignora? Quo penicillo ſermonis mei deſcribam formæ veſtræ & animarum ſimilitudinem? Steriſtis inter exercitus regios, quibus totus fuit orbis terrarum ſubactus, quos India quoquè in extremi maris ſecreta refugiens declinauit, & ſoli de rege ſuperbo ſine bellico conflictu victoriam reportâſtis. Vicerunt in vobis ſola arma pietatis, dedit pœnas tyrannus, & quia vos non potuit vincere, & quia atroci peremptus eſt morte.

ITEM VITA SS. FRATRVM MACHABAEORVM, PER DIVVM GREGORIVM NAZIANZENVM SCRIPTA.

Et eſt oratio vigeſima in ordine orationum eiuſdem.

1. Auguſti. Feſtiuitas Machabęorũ antiqua.

QVID autem Machabæi? Horum enim præſens eſt feſtiuitas, qui licèt minùs honorantur à pleriſque, quòd non Chriſti certârunt gratia: omnibus tamen veneratione ſunt digni, quòd ob leges paternas fortiter egerint. Cùm enim ante Chriſti paſſiones martyrium ſuſtinuêre, quid facturi erant, ſi poſt Chriſtum perſecutionem pertuliſſent, ac illius pro nobis mortem imitati fuiſſent? Qui enim ſine hoc exemplo tanta eminuêre virtute, quomodò non generoſiores apparuiſſent, ſi cum exemplo periclitati fuiſſent?

Proinde licèt ſermo iſte myſticus ſit & abſconditus, mihi tamen ac omnibus Dei amatoribus admodùm credibilis exiſtit, neminem, qui ante Chriſti aduentum martyrio deceſſit, id ſine Chriſti fide aſſecutum eſſe. Verbum enim, quod poſteà temporibus proprijs liberè prædicatum eſt, ijs etiam, qui mente puri fuerunt, anteà cognitum extitit: quemadmodùm ex multis liquet, qui ante illud honorati fuerunt. Non igitur deſpiciendi ſunt, quòd tales ante crucem extiterint: ſed propter crucem laudandi, ac honore, qui ex ſermonibus prouenit, digni: non vt ijs gloria indè augeatur, nam quo pacto eorum gloria creſcere poſſet, quorum res geſtæ tam glorioſum quid habuerunt? ſed vt glorificentur laude digni, virtutemque æmulentur audientes, memoria, tanquàm ſtimulo, ad ſimilia incitati.

Multi ante crucẽ Chriſti, crucis tormentum experti.

Cæte-

Cæterùm qualéſnam hi fuêre? aut vnde, quáue ſub initium inſtitutione & diſciplina impulſi, ad tantum virtutis & gloriæ faſtigium ſunt progreſſi, vt annuis his feſtiuitatibus ac panegyribus honorarentur? Nam quòd maior quàm rerum viſibilium de eis opinio in omniũ reſideat animis, id liber de ijs conſcriptus, diſcendi cupidis & ſtudioſis oſtendit. Qui etiam docet rationem paſſionibus imperare, dominamque eſſe, ſiue ad virtutem inclinet, ſeu malitiam. Sanè & alios liber ille martyres celebrat, inter quos & horum meminit certaminum. Mihi verò hoc tantùm dixiſſe ſufficiat, Eleazarum primitias tuliſſe inter eos, qui hîc ante Chriſtum ſunt paſſi, quemadmodùm poſt Chriſtum Stephanus. Vir ſacerdos, & ſenex, canus capillis, canus & prudentia, priùs quidem pro populo ſacrificabat, & orabat, nunc autem ſemetipſum hoſtiam obtulit Deo perfectiſſimam. Purgationem plebis vniuerſæ, dextrum certaminis prooemium, adhortatioque loquens & tacens. Adduxit autem & filios ſeptem, inſtitutionis ſuæ indicia, hoſtiam viuentem, ſanctam, beneplacitam Deo, omni legali ſacrificio ſplendidiorem & puriorem. Siquidem legitimum eſt & iuſtiſſimum, vt filiorum præclarè geſta patri referantur accepta. Pueri autem illi genero ſi & magnanimi, generoſæ matris germina generoſa, glorioſi veritatis certatores, Antiochi temporibus excelſiores, Moſaicæ legis diſcipuli genuini, patriarum conſuetudinum obſeruatores diligentes. Numerus apud Hebræos laudabilis, & propter ſeptenariæ quietis myſterium venerabilis, vnum ſpirantes, ad vnum reſpicientes, vnicum vitæ iter ſcientes, vt pro Deo mortem ſuſtinerent, nõ minùs animis fratres quàm corporibus, inter ſe de morte æmulantes. Proh miraculum, tormenta tanquàm theſauros præripientes, ſub magiſtra lege pericula pro alijs ſubeuntes, quæ non magis ingruẽtia formidabant, quàm ceſſantia quærebant, vnum hoc declinantes, ne tyrannus eos punire differret, ac quidam ex eis incoronati diſcederent, inuitique à fratribus ſeparentur, & malavictoria ſuperarent, ac nequaquàm in patiendi periculum inciderent. Mater ibi erat animoſa & generoſa, puerorum ſimul ac Dei amatrix, cuius materna viſcera vltrà naturę dilaniabantur rationem. Nõ quia eam filiorum miſeraretur cruciatus, ſed quòd timore angeretur, ne paterentur. Neque magis deſiderabat abeuntes, quàm optabat vt reſidui alijs adijcerentur. Et horum quidem rationem habebat maiorem, quàm eorum, qui iam deceſſerant. Nam horum certamen anceps erat, at illorum diſſolutio ſecura. Et hos quidem iam Deo conciliauerat, illos autem vt Deus acciperet, curabat.

Annuis feſtiuitatibus & panegyribus honorabantur ſeptem Machabæi.

Laudat libru Machabæorum.

Septenarius numerus olim laudabilis.

Maternus affectus erga filiorum ſalutẽ quantus fuerit.

O anima virilis in corpore muliebri. O ſpecimen admirandum, & magnanimum. O ſacrificij illius Abrahamici, niſi fortè maius quid audendum ſit. Ille enim promptè vnum obtulit, licèt vnigenitum, & qui ex promiſſione erat, & ad quem promiſſio pertinebat: & quod maius erat, quòd non generis ſolùm, ſed & talium ſacrificiorum primitiæ & radix conſtitueretur. At illa totum filiorum populum ſacrificauit Deo, tam matres quàm ſacerdotes, victimis in iugulationem promptis exuperãs, holocauſtis rationalibus, ſacrificijs ſe vrgentibus. Illa vbera oſtendebat, & filijs cnutritionẽ in memoriam perducebat. Canitiẽ prætendebat, ſenectutemq; pro ſupplicatione ſubijciebat: non vt ſalutẽ quæreret, ſed vt paſſionem moueret: nec mortem, ſed dilationẽ periculum eſſe cẽſebat. Nil eam flectebat, nihil emolliebat, nil audaciam eius minuebat. Non tormentorũ inſtrumenta expoſita, non rotę expeditæ, non catapultæ, nõ vngularum acies ferreárum, non enſes, quorum acies etiam ſubigebatur, non lebetes feruentes, non ignis incenſus, non tyrannus minans, nõ populus vrgens, non genus inſpiciens, non membra dilacerata, non carnes dilaniatæ, non ſanguinis riui fluentes, non iuuentus, quæ conſumebatur, nõ mala præſentia, non quæ expectabãtur: ſed & periculi prolongatio, quæ alijs in talibus grauiſſima eſſet ſolet, illis erant leuiſſima: ſpectaculo enim oblectabantur, & paſſionibus ferè moram innectebant. Ita varia tormenta illa, tanquàm nullius eſſent momenti, contemnebant. Quin etiam perſecutoris ſermones multiformes, conuiciantes, comminantes, blandientes deſpiciebant. Quid enim ille non tentabat, vt quod ſperabat aſſequi poſſet?

Inſuper & puerorum ad tyrannum reſponſiones tanta ſapientia ac generoſitate erant referte, vt ſi cuncta aliorum bona in vnum fuiſſent congeſta, parua tamen eſſent, ſi cum illorum fortitudine eſſent collata. Immò fortitudo eorum parua fuiſſet, ſi cũ prudentia eorum in ſermonibus comparata eſſet. Quin & ſolis illis contigit, vt ita paterentur, ac interim contra minas perſecutoris & terrores imminentes adeò ſapienter reſponderent. Quibus tamen pueri generoſi, vel parens generoſior nequaquàm

Sapientia et fortitudo martyrum quanta.

vincebantur. Cùm verò ipſa omnibus ſuperſtes extitiſſet, ac animi dolorem cum amore temperâſſet, pulchram parentationem illis ſeipſam exhibuit. Eos enim ſubſecuta eſt, quos paulò antè præmiſerat: & hoc quonam modo? Spontè ad periculum proceſſit. At cum quali oratione funebri? Pulchri ſanè puerorum ad Tyrannum ſermones exiſtunt, pulchrorumque pulcherrimi. Et cur non? Cum quibus ſe inſtruebant, & Tyrannum feriebant. At matris longè fuêre pulchriores. Primò quidem conſolantes, poſteà verò funebres. Quinam igitur puerorum ſermones fuêre? Bonum enim eſt, vt & vos illorum reminiſcamini, vt quemadmodùm certaminis habetis exẽplum, ità etiam ſermones de martyrij laude in talibus habeatis temporibus. Erant autem aliorum alij, & ſecundùm quod vnumquenque vel perſecutoris ſermones, aut periculorum ordo, aut animæ armabat alacritas, & ſi typo effingere licet, tales erant.

Nobis Antioche, ac circunſtantes omnes, vnus Rex Deus eſt, à quo facti ſumus, & ad quem conuertimur: vnuſque legiſlator Moſes, quem haud prodemus, ſeu offendemus. Non per pericula viri, ob virtutem exantlata, ac miracula multa, etiam ſiJius adhuc Antiochus nobis minaretur, te etiam truculentior. Vna autem nobis ſecuritas eſt, mandati obſeruatio, & vt legem, qua muniti ſumus, haudquaquàm præuaricemur. Vna gloria, omnem aliam gloriam præ illa contemnere. Solæ nobis ſunt diuitiæ, quæ ſperantur. Nihil autem terribilius, quàm à Deo aliquid timere. Cum his conſiderationibus ſumus inſtructi, ac ità armati. Cum tali tibi iuuentute eſt controuerſia. Dulcis equidem mundus hic eſt, dulce & ſolum patrium, necnon amici & cognati, coætaneique, ac templum iſtud magnum & nomine tam celebre, ac panegyres patriæ, & myſteria, reliquaque cuncta, quibus nos ab alijs differre videmur: non tamẽ dulciora ſunt Deo, ac periculis, quæ propter honeſtatem ſuſtinentur. Nec tu hoc cenſeas: Alius nobis eſt mundus longè rebus viſibilibus ſublimior & ſtabilior. Patria alia Hieruſalem ſuperna, quam nullus Antiochus obſidebit. Et quia fortis eſt, & inexpugnabilis, nullam timet deſolationem. Cognati verò nobis ſunt inſpiratio, & qui ſecundùm virtutem ſunt nati. Amici autem, Prophetæ, ac Patriarchæ, à quibus nobis & pietatis eſt typus. Coætanei verò, qui hodiè nobiſcum periclitantur, & fortitudine ſunt contemporanei. Panegyres autem, Angelorum tripudia, myſteriumque vnum magnum, ac maximum, & à multis abſconditum, Deus: ad quem & hæc reſpiciunt myſteria. Deſine igitur nobis parua & indigna polliceri: non enim honorabimur in honeſtis, neque lucrabimur damnoſa, quoniam non tam infeliciter negociamur. Deſine etiam minari: aut contra minabimur: tuam impotentiam, & noſtra argue ſupplicia. Habemus & nos ignem, quo perſecutores puniamus. Exiſtimas tibi certamen eſſe cum gentibus, ac ciuitatibus? necnon regibus effœminatiſſimis? Ex quibus hi quidem vincent, illi autem fortaſſis ſuperabuntur. Verùm nequaquàm eis de talibus periculum imminet. Contra Dei legem aciem inſtruis, contrà tabulas à Deo inſculptas, contra paterna ratiõe & tẽpore honorata, contra ſeptem fratres vnica anima colligatos, ſeptem te trophæis infamaturos. Quos vincere nequaquàm magnum eſt, ab illis verò ſuperari turpiſſimum. Illorum genus ſumus & diſcipuli, quos ignis columna, & nubis in via deduxit: quibus mare diuiſum eſt, & fluuius ſubſtitit, & ſol ſtetit, & panis pluuia deſcendit: quorum manuum extenſiones orationis gratia factæ multa milia in fugam conuerterunt: à quibus feræ ſuperabantur, & quos ignis non tãgebat, ac à quibus reges generoſitatem admirantes, abſtinebant. Dicemus & aliquid tibi cognitum. Eleazari myſtæ ſumus, cuius fortitudo tibi eſt comperta. Prior pater certauit, nunc filij ſuccedunt. Prior abijt ſacerdos, nunc ſubſequentur ſacrificia. Multis nos terres, ſed multo plura ferre ſumus parati. Et quid ô ſuperbiſſime, miniſtuis nobis facere poteris? num perſuadebis? At nihil fortius eſt ijs, qui omnia ferre ſunt parati. Cur moramini lictores? cur cunctamini? Cur mandatum tam egregium expectatis? vbì enſes? vbì vincula, celeritatem exopto. Maior ignis accendatur, beſtiæ efferentur, tormenta augeantur, omnia ſint regia & ambitioſa. Ego primogenitus ſum: primum me ſacrifica. Ego nouiſſimus, ordo mutetur. Sed & è medijs quidam inter primos exiſtat, quo æquis partibus inter nos honoremur. Sed parcis. Expectáſne fortuitum quid, aut contrarium? Sæpè ac iterùm eundem repetemus ſermonem. Neque quaquàm immunda comedemus, nec offeremus. Tu priùs noſtra veneraberis, quàm nos tua colemus. Summa ſermonis: aut crudeliora adhuc excogita tormenta, aut hęc à nobis contemni ſcias. Et hæc quidem ad Tyrannum.

Fides martyrum quãra.

Exo. 13. 14. 16. Ioſ. 3. 10. Dan. 14. 3, 6.

Propter legis obſeruationes paſſi ſunt Machabęi.

At qui.

At quibus interè ſe adhortabantur? qualiaque de ſeipſis ſpectacula exhibebant? quàm fuêre pulchra? quàm ſacra? omnique viſione, ac auditione Dei cultoribus ſuauiora? Ego enim recordatione ſolùm voluptate impleor, ac cogitatione cum certantibus verſor, enarrationeque exornor. Amplectebantur ſe mutuò, & à collis pendebant. Panegyris erat, ac ſi certaminibus initiarentur. Eamus fratres ad pericula, clamabant, eamus, vrgeamus nos dum excandeſcit Tyrannus. Nil nos emolliat, vt ſalute plectamur. Conuiuium nobis propoſitum eſt precioſiſſimum nequaquàm illud neligamus. Pulchrum eſt fratres cohabitare, conuiuium celebrare, ac vna conglobari. Pulchrius verò pro virtute periclitari. Quòd ſi poſſibile eſſet, corporibus etiam pro legibus certâſſemus patrijs: ſed & mors iſta inter laudabilia exiſtit. Verùm quia tempus hoc non admittit, corpora exhibeamus. Etenim ſi nunc haud morimur, num ideò nunquàm occumbemus? num generationi debitum ſuum non reddemus? Ex neceſſitate gloriam faciamus, diſſolutionem cauillemur: quod commune eſt, proprium faciamus, morte vitam comparemus. Nullus igitur è nobis animæ curam gerat, nec puſillanimis exiſtat. Tyrannus poſtquàm in nos incidit, de aliorum tranſgreſſione deſperet, periculis ordinem ipſe ſtatuat, nos nihil in promptitudinis feruore diſſentiamus, primuſque alijs via exiſtat, nouiſſimus verò certaminis ſignaculum. Hoc nobis cunctis pariter infixum ſit, quòd cum perpetua domûs noſtræ laude coronabimur, & quòd perſecutor nullam è nobis partem accipere poterit: vt quemadmodùm de omnibus gloriatur, ità vnica intumeſcat prauitate. Non minùs tranſmigratione, quàm generatione, inter nos fratres apparemus, omneſque tanquàm vnus periclitemur, & pro omnibus ſinguli. Eleazare, ſuſcipe: mater ſubſequere: Hieruſalem mortuos tuos magnificè ſepelito. Si ſepultura carebimus, poſteris noſtra referto: ſed & amatoribus tuis religioſum vnius vtcunque ſepulcrum oſtende.

Fratres Machabæi ſe mutuò ad incundum martyrium hortãtur.

Ecce magnificam ſepulturam.

Et illi quidem talia dicebant & faciebant, & aprorum inſtàr, dentes inter ſe acuentes, in ordine ætatis & promptitudine qualitatis confortabantur, voluptatique ac miraculo erant contribulibus ſuis: terrori autem & ſtupori perſecutoribus, qui cùm totam gentem ſubegiſſent, adeò ſeptem fratrum vnanimitate ſunt ſuperati, vt nec ſpem meliorem haberent de alijs. At mater generoſa, cùm illi virtute tot eſſent ac tales, animal inter legem & magnanimitatem medium, couſque gaudio pariter ac timore perfuſa erat, in medióque duarum paſſionum campo conſtiterat: gaudij, ob virilitatem, & ea, quæ videbantur: timoris verò, propter ea, quæ immine-bant, ac pœnarum immanitatem: & tanquàm auis pullos, cùm ſerpens adrepit, aut aliud quid inſidiatur, circum volabat, circum gemebat, ſupplicabat, ſimul certabat, & quid non faciebat, quod ad victoriam conſequendam deſeruiret? ſanguinis guttas rapiebat, membrorum detruncationes colligebat, reliquias adorabat, cum vno loquebatur, & hunc offerebat, alium verò præparabat. Omnes autem ità alloquebatur: Eugè filij, eugè optimi mei, eugè in corpore conſtituti, corpore ferè caſſi. Eugè legis ac canitici meæ defenſores, necnon ciuitatis, quæ vos aluit, & ad tãtam virtutis gloriam prouexit. Adhuc parùm, & vicimus. Fatigantur tortores. Hoc timeo ſolum: adhuc parùm, & ego feliciſſima inter matres ero, voſque beatiſſimi inter filios. Sed matris deſiderio teneminì? At nequaquàm vos derelinquam. Hoc vobis promitto, non enim ita natos odi.

Adorare pro veneratione in ſacra ſcriptura frequentiſſimum eſt.

Poſtquàm autem defunctos vidit, ac ſecuritatem ex complemento eſt aſſecuta, caput admodùm lætè cum magna ſuſtulit conſtantia, non ſecùs ac ij, qui in Olympiacis vincunt: manibuſque extenſis, magna & ſplendida voce, Tibi, inquit, ô pater ſancte gratias ago, tibi lex magiſtra, necnon pater noſter Eleazare, qui ante filios tuos decertâſti, quòd meorum in partu dolorum fructum accepi, quodque mater facta ſum omnibus matribus beatior. Nihil mundo reliqui, omnia Deo tradidi, theſaurum meum, ſpemque meam ſenilem. Quàm magnificè ſum honorata, quàm abundè ſenectutis mercede perfruor, nutrimenti impenſam vobis filij remitto, cùm ità vos pro virtute decertâſſe video. Omnes coronatos conſpexi, tanquàm benefactores intueor tortores: ſed & parùm deeſt, quin me Tyranno ob ſeruatum ordinem gratias habere fatear, quòd me vltimam periculis reſeruauit, quòd ſobolem meam decertantem vidi, & cum vnoquoque filio depugnaui. Ità enim ſecura cum ſacrificijs digrediar, non comas dilacerabo, non veſtem diſcindam, non carnem vnguibus ſecabo, non luctum inſtaurabo, non

Vide quãta sit diuersitas inter matres corporales & spirituales.

præficas conuocabo, non in tenebris me occultabo, vt aër mecùm fleat, non consola. tores expectabo, non panem luctûs apponam : talia enim ignobilium sunt ma. trum, & quæ carnis tantùm sunt parentes, quarum filij vitam sine digna aliqua fi. niunt relatione. Mihi verò nequaquàm mortui estis ô filij charissimi, sed copio. sum fructum produxistis. Non me reliquistis, sed præcessistis. Non defloruistis, sed solidati estis. Non fera vos rapuit, non vnda absorpsit, non latro iugulauit, non morbus dissoluit, non bellum assumpsit, non aliud quid paruum aut magnum, quod hominibus accidere potest. Flerem equidem, & valdè quidem, si tale quid vobis accidisset. Lachrymis tum ostenderem, quòd filiorum amatrix essem, quem. admodùm nunc lachrymas repello. Parua hæc adhuc existunt. Verè vos deplora. rem, si malè saluati fuissetis, si à tormentis victi essetis, si quis vos superâsset, quem. admodùm nunc superati sunt persecutores. Iam verò superstitibus vobis laus, gau. dium, gloria, tripudia, ac lætitia mihi accrescit. Ego enim post vos immolabor.

Num. 25. Cum Phinea collocabimur, cum Anna glorificabimur: præterquàm quòd ille vnus

1. Reg. 1. erat, nos verò tot scorticidæ, non corporum, sed animarum fornicationem confo. dientes. Et hæc quidem vnum à Deo datum, illumque nupèr genitum: ego autem

Thren. 4. viros septem, eosque voluntarios sacrificaui. Hieremias funebrem mihi supplear ser monem, non lugens, sed mortem laudans beatam. Super niuem splendetis, super lac

Attẽde mar tyrij desiderium in matre. coagulati estis, super Sapphirum compositio vestra, Deo, qui vos nasci fecit, ac mihi tribuit. Et quid ampliùs? Appone & me, ô Tyranne, filijs, si qua apud inimicos gratia est, quo certamen tibi sit venustius. Vtinàm & per omnia trãseam supplicia, vt cruo. rem meum sanguini, & carnes meas seniles illorum admisceam carnibus. Amo pro. pter filios tormenta. Quòd si hoc denegas, puluis saltem pulueri iungatur, vnumque nos excipiat sepulcrum. Nè inuideas æqualis honoris mortem ijs, qui gloria sunt æ. quales. Valete ô matres, valete ô filij, ità enutrite eos, qui è vobis nascuntur. Pulchrũ vobis certandi exemplum præstitimus.

Talia dicebat, ac seipsam filijs adiungebat. Sed quonam modo? Ad rogum

Mater adiudicatur morti. accensum, tanquàm sponsum adcurrit, huic enim adiudicata fuerat: nec ducentes expectauit, nè corpus sanctum & generosum corpora tangerent polluta. Sic Eleaza. rus sacerdotio est perfunctus è cælestibus initiatus, & initians. Ac Hierusalem haud. quaquàm externo, sed proprio emundauit sanguine, diemque nouissimum, mysteri.

Obdormit mater cum filijs in Domino. um quoquè fecit nouissimum. Ità etiam filij iuuentute sunt defuncti, non quòd vo. luptatibus seruirent, sed quòd passiones refrenarent, ac corpora sanctificarent, ad vi. tamque transferrent impassibilem. Sic mater fœcunditate sua fructum accepit, sic vi. uentes adornauit, & cum decedentibus quieuit: Quosque mundo genuerat, illos ob. tulit Deo, ac dolores suos certaminibus annumerauit, partusque consequẽtiam mor tibus manifestam reddidit, à primo quidem filio vsque ad nouissimum, ijs, quæ fuêre certaminis. Et quemadmodùm in aquarum inundatione contingit, sic & virtutem aliam super aliam ostendit, ad passionemque adeò promptior erat periculis corrobo rata prioribus, vt tyranno gratum fuerit, quòd non plurimorum mater esset: immò confusus, & victus discessit, ac primùm tum didicit, quòd non omnia armis subigi possent, cùm pueros inermes adortus fuisset, qui sola pietate armati essent, & qui o. mnia potiùs pati, quàm quæ ille iubebat facere, parati erant.

Iudic. 11. Hoc Iephte sacrificio securius & magnificentius fuit. Nequaquàm enim necessita. te est persolutum, quemadmodùm ibi promissionis feruore ac victoriæ factum est desperatione: verùm oblatio ista spontanea fuit, & quę solùm mercedem haberet spe

Dan. 6. 14. randam. Sed nec Danielis certaminibus hoc fuit ignobilius. Qui cùm in cibum datus

Dan. 3. esset leonibus, manuum extensione feras deuicit. Immò nec in Assyria pueris posteri. us, quos Angelus refrigerabat in igne, quoniam legem seruabant paternã, nec cibum tangere volebant pollutum & prophanum. Quin nec certamen hoc gloria sua mira. culis illis, quæ posteà pro Christo sunt exantlata, inferius fuit. Illi enim, quemadmo. dùm in sermonis dicebam principio, Christi sequebantur sanguinem, & Deus talium certaminum ductor erat, qui tantum ac tam admirandum pro nobis obtulit preciũ. His verò haudquaquàm multa, neque talia virtutis fuêre exempla. Horum virtutem vniuersa admirata est Iudæa, & tanquàm ipsa coronata esset, exultabat ac gestiebat. Certamen enim hoc maximum fuit ex ijs, quæ vnquàm in ciuitate illa fuêre decerta. ta. Necesse enim erat, vt in die illa lex vel solueretur, vel glorificaretur: eratq; res tum quasi sub nouacula posita, & ad vniuersam Hebræorum gentem illorum pertinebãt

certami

certamina. Sed & Antiochus ità stupore est percussus, vt minas verteret in admiratio. nem (nam hominum virtutem & hostes quoquè admirari nôrunt) cùm ira deferbuis set, & res per seipsam fuit expensa, adeò vt infecto negocio abiret, multis patrem Se. leucum, ob honorem genti, necnon magnificentiam templo impẽsam, laudans, mul. tis quoquè Simonem, qui eum adduxerat, inculpans.

Tam sermone quàm opere ostendere conuenit quod est optimum.

Proindè hos nos, ô sacerdotes, matres, & filij, imitemur. Sacerdotes qui. dem Eleazari honorem patris spiritalis, qui tam sermone, quàm opere quod o. ptimum esset ostendit. Mulieres verò generosæ matris illius gloriam, quo verè fi. liorum amatrices esse videantur, ac Christo fœturam suam offerant, nuptiasque per talia sanctificent sacrificia. Filij autem, vt sanctos illos venerentur, ac iuuen. tutem nequaquàm in turpibus consumant affectibus, sed in certaminibus contra passiones initis, & vt contra assiduum Antiochum generosè pugnent, qui contra membra cuncta decertat, illaque multipliciter insectatur. Cupio enim pugiles ha. bere, qui omnis temporis, omnisque sint modi, vniuersum hominum genus, ac æ. tatem omnem, quæ vel palàm oppugnatur, vel cui clanculùm tenduntur insidiæ, illamque veteribus adiuuare narrationibus, adiuuare & nouis, ac vndiquè apiculæ instàr vtilissima colligere in alucarij vnius fœturam & suauitatem: quò tam per vetu. sta quàm noua in nobis glorificetur Deus, qui in filio, & spiritu glorificatur, qui suos cognoscit, & à suis cognoscitur, confessus, & confitens, glorificatus, & glorificans in i. pso Christo, cui sit gloria in seculum, Amen.

ITEM ALIA VITA SANCTORVM SEPTEM MACHABAEORVM, PER D. IOHANNEM CHRY. *sostomum Episcopum Constantinopolitanum scripta. Habetur Tomo primo operum eius.*

Laudat præclaram diem sanctorum Machabæorum.

OVàm specioſa & grata ciuitas nobis enituit, & totius anni diebus splendidior hodierna præfulget, non de vsitatis solis radijs illumi. nata præclariùs, sed de lumine martyrum supra coruscum fulgo. ris micantem illustrata sublimiùs. Multis etenim solibus illustrio. res sunt martyres, & magnis luminaribus clariores. Propterea ho. diè si dici potest, cælo ipso ornatior terra lętatur. Sed in hac com. paratione non attendas cinerem sanctorum corporum, nec fauil. lam reliquiarum carnis, omniaque ossa consumpta temporibus: sed aperi oculos fidei, & vide eos diuina virtute & gratia spiritus sancti amictos, & di. uini luminis claritate radiantes. Hi ergò ipsi de superno solis circulo in terram radij Christo emittente iaciuntur, & à corporibus eorum prosilientes coruscа luce fulgo. ris, sicut speciem Ecclesiæ gaudentis illustrant, ità faciem diaboli inuidentis obcæcãt. Nam vt audaces latronum duces, siue impij sepulcrorum effossores, si fortè dum prę. das aguńt, aut spolia capienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris in. currerint, quam libèt cupidi prædarum: tamen ità agnitis Regis insignibus deterren. tur, vt fugiant, neque cominùs accedere vel attingere audeant. Vndè sibi non com. pendium procedere, sed periculum prouident imminere, si quid indè audeant vsur. pare: Ità profectò & dæmones, qui verè latronum & principes & magistri sunt, vbi coronatorum martyrum corpora viderint posita, longè ilicò à conspectu eorum pa. uidi fugiunt & absiliunt. Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem, & gloriam Christi, qui in agone certantium induta corpora martyrum suorum, sicut arma portauit. Huiusmodi enim armis non angelus, non archange. lus, non vlla alia creaturæ virtus induta est, sed ipse Dominus virtutum, & Angelo. rum, sicut Paulus clamat, dicens: Si experimentum quæritis, prælíantis in me Christi. Precioſa enim sunt corpora martyrum, quoniàm plagas pro Domino susceperunt. Et quia stigmata propter Christum membris suis impressa ferunt, & sicut corona re. galis vndiquè decorata fulgores varios emittit: ità & sanctorum martyrum corpo. ra, sicut precioſis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omni regum diademate precioſiora, & spectabilia redduntur. Et illi quidem secularium spectа. culorum præsides, siue arbitri, quos Græci agonothetas vocant, proponentes certa.

Radij ex Sanctorum martyrum corporibus prosilientes, Ecclesiam illustrant.

2. Cor. 13.

Vulnera sanctorum gemis longè nobiliora.

mina

mina, magnũ muneris ambitum esse existimãt, quãdò iuuenes & robustos luctatores in stadium introduxerint, vnde prima ostentatione miraculũ spectatoribus præbeãt studio. Hoc verò spiritali in agone non ità est, sed omnia è contrario. Agonem enim proponens Christus, non talem, qualem illi terreni agonothetæ, sed horribilem & plenum timoris. Non enim hominum contra homines luctamen, sed hominum aduersùs dæmones pugna est.

Ephes. 6. Tale ergò certamen nobis proponens Christus, non iuuenes exercitatos ad luctamina athletas, sed primæuos adolescentulos, & cum ipsis senem Eleazarum, simulque mulierem anum matrem septem adolescentium vult considerare. Quid hoc noui est? quid paras inutilem & adhuc teneram, in bellum, in arenam vel præliumducis ætatem? quis enim ante hanc diem vidit, vel audiuit mulierem in vltima senectute positam dimicâsse, & terribilem mortis adijsse conflictum? Nemo huiusmodi factum audiuit vnquàm. Sed ego, inquit, admirabile hoc, & nouum, quod neque auditu aliquandò perceptum est, ipsis operibus demonstrabo. Non enim talis agonotheta ego sum, vt certaminis exitum in aliqua certantium virtute constituam, sed ipse assisto luctantibus, & auxilium præbeo, & manum præbeo athletis meis. Et quod ex proprij arbitrij libertate suscipiunt, de bonæ voluntatis affectu, vt pro legibus meis & nomine meo dimicent, id in victoriam ipsis procedere, mei est auxilij.

Ergò cum videris mulierem annis confectam, senio tremulam, baculo indigentem induci, & congressam prælio passionis dissoluere crudelem tyranni furentis insaniam, & de incorporeis virtutibus triumphantem, & diabolo prævalentem, & facilè vires illius concidentem cum potestate maiore: admirare diuini agonothetæ gratiã, obstupesce ad intuendam Christi virtutem, cuius athletæ non corporis robore, sed fidei virtute luctantur. Infirma eorum natura, vel vetus est, sed quæ eos vnxit gratia, potens est. Resoluta sunt corpora senectute, sed solidatæ sunt mentes desiderio pietatis. Non est sensibilis hæc pugna, neque insensibile certamen. Noli ergò istos athletas extrinsecùs considerare, sed ingredere sensu rationabili ad interiorem eorum habitudinem: conspice fidei eorum fortitudinem, vt intelligas, quoniam qui contra dæmones pugnat, non robore corporali, neque valida compage membrorum indiget, nec de ætate iuuenili fiduciam sumit: sed & si tener adhuc adolescentulus in flore primæuo agit, & si senex ad extremas ætatis suæ metas peruenerit, animam verò fortẽ habeat & corroboratam fidem, nihil de ætate, vel modica, vel extrema ab effectu certaminis impeditur. Et quid dico senem & iuuenem, quando etiam mulieres expeditæ ad hæc prælia cucurrerũt, & illustres coronas adeptæ sunt? Nam illi extranei nobis, id est, mũdani agones, & ætatis, & formæ, & generis dignitatem requirunt. Vnde & seruis, & mulieribus, & senibus, & pueris ad eos aditus denegatur: isthic verò apud nos omni personæ, omniq; ætati, & vtrique sexui indiscreta facultate stadium patet, & agonis adeũdi commune ius, & vna libertas est, vt prompta omnibus sine inuidia bonitate, ineffabilem Saluatoris nostri virtutem cognoscas, et Apostolicum sermonem opere cõfirmari videas: Quia virtus in infirmitate perficitur. Quando enim pueri, & senes supra naturam valent, & internis viribus modos ætatis extendunt, euidenter operantis in ipsis gratia manifestatur.

Non robore corporali indiget, q. contra dæmones pugnat: sed spirituali.

2. Cor. 12.

Et vt plenius appareat, quia infirmitas athletarum nostrorum, quæ in exteriori est, clariores faciat esse victores, & senem, & pueros relinquẽtes, infirmiorem ipsis producamus in medium mulierem, illam anum, & septem puerorum matrem. Nam labores partuum non vel modicè huic certamini impedimento sunt. Quid ergò eius prius aut potius mirabimur? Quod ex natura infirmum, aut quod de ætate habuit præ. lijs inutile & immaturum, aut necessariæ compassionis affectum? Mater enim erat, vndè facilè eam potuisset in tormentis viscerum suorum vincere materna pietas, nisi diuina pietatis altior virtus virili fide anile pectus armaret. Magna etenim hæc impedimenta sunt ad eum cursum, cuius intentio summa indiget patientia. Egò verò, & aliud his maius habeo dicere, quo & virilem mulieris fortitudinem, & callidam diaboli versutiam consideretis. Quid autem hoc est, diligenter inspicere debetis.

Attẽde diaboli callidi-tatem.

Immundi dæmonis maligna calliditas, non primam eam traxit in agonem, sed post filios eam duxit in prælium. Qua causa hoc? Ob hoc vtiquè, vt præuenientibus in conspectu eius septem filiorum supplicijs, deijceret sensum eius, cùm virtutem mẽtis in ma-

ã matre fregisset, varia crudelitate propositis ei spectaculis orbitatis suæ, cùm iam eneruatam & consumptam maternis doloribus facilè vinceret, & in ruinam mẽtis impelleret. Nè ergò hoc consideres, quòd illata sibi tormẽta tolerabant: sed illud magìs contemplare, quòd mater per singulos eorum duriores sustinebat dolores. Et hoc q dicitur, benè nõrunt quæcunque pariendi dolores expertæ sunt mulieres, & matres factæ sunt. Nam sæpè & mater, si videat filium suum febribus æstuare, ità perturbatur, vt ardores illius in sua cupiat membra transferri, & mutata in se si possit ægritudinis vice, transfundere in filium sanitatem suam. Ità omnibus domesticis malis eas, quæ de filijs malis acciderint, ærumnas grauiores existimant, & intolerabiles fiunt, quæ matris sunt. Sicut ergò vera in cunctis matribus talis affectio, ità profectò manifestum est, quia mater illa grauiùs in supplicijs filiorum puniebatur, quàm si ipsa pateretur: & maior erat passio in visceribus matris, quàm in corporibus filiorum. Si ergò vnius filij nunciata est ægritudo, auditu solo viscera materna turbantur. Hìc autem non vnum tantùm filiorum chorum vno tempore pariter interfici videns mater, nec absẽs per auditum suscipiens passiones eorum: sed præsens oculis hauriens vulnera omniũ, quos pepererat, quid non patiebatur? Quomodò non excidit mente, vnumquemque horum spectans horribiliùs, & diuersis pœnarum ingenijs cruciari, & per incisiones membrorum tam crudeli, quàm lenta morte consumi? Quomodò tam ferali spectaculo non dissiliêrunt viscera eius, & desumpto corpore anima excussa est? Quomodò non & prima filij passione in ipsos ignes, quibus filius cremabatur, insiluit, vt simile vel deterius filiorum spectaculum compendio mortis euaderet? Nam etsi sapiens esset, sed mater erat: etsi amans Deum, sed carnem portabat: etsi prompta esset fide, attamen fœmineum sexum gerebat: etsi zelo diuinæ pietatis prompta ferueret, sed & maternæ affectionis vinculo memor partuum tenebatur. Si enim nos, qui viri sumus, frequenter cùm videmus reum per forum duci refrenato ore in mortis damnationem, & eum trahente carnifice, de solo eius aspectu frangimur, cùm tamen sufficiẽtem habemus consolationem ex ipsa conscientiæ securitate, qua ab illius pœna mortis discernimur: facilè metiri possumus quid illa pertulerit, quæ nõ reum aliquem & extraneum, & damnatiõe commerita duci videbat, sed septem filios simul in vna die non ista morte consumi, sed varijs laniatos pœnis videbat interfici. Si enim lapidea quidem fuisset, & si viscera adamante compacta gessisset: ità fortè potuisset inconcussa durare, & nihil eorum sentire, quæ & mulierem & matrem perpeti, vis ipsa naturæ pietatisque cogebat. Deniq; cogita, quomodò admiremur Patriarcham Abraham, q filium suum offerens Deo, ipse vinxit in apparatu hostiæ manus eius, pedesque constringens, & eum paterna manu immolandum altari imposuit, & sapienter conferẽs: tunc videbis quanta mulieris huius virtus extiterit.

Maior erat passio matris quàm filiorum.

Genes. 22.

O amarissimum illud, simul & dulcissimum matris spectaculum: ô amarissimum quidem propter naturam affectionis humanæ, & propter ipsorum faciem tormentorum: dulcissimũ verò propter virtutẽ fidei, qua delectabatur domesticarũ spectaculo passionum: quo impiam sacrilegi regis crudelitatem confessio glorioſa vincebat. Vnde fortissima illa mater non frangebatur spectaculo orbitatum suarum, sed confortabatur: quia non profluentem eorum sanguinem adspiciebat, sed magìs ad coronas eorum, quæ texebantur in cælis intenta gaudebat. Non videbat ad receptaculum temporale cauari petram sepeliendis, quia prouidebat æterna ædificari tabernacula coronandis. Non considerabat circunstantes populos, quia videbat adstantes angelos. Oblita est dolores partuum suorum, contempsit naturam sexûs sui, nec memor etiam senectutis, ipsam quoquè naturæ tyrannidem animo superante calcauit: naturæ (inquã) tyrannidem, quæ & bestiarum feritatẽ subigere consueuit. Sæpè enim diffici-les capi beluæ, per amorem tamen suæ sobolis capiuntur. Dum enim natorum suorũ dilectionem vitæ suæ præferunt, ità affectu pietatis incautæ in manus incidunt venatorum: qui priùs catulos eorum venantur, vt per affectionis captiuitatem perueniant ad capturam parentum. Nullum est animal, nec ità infirmum, quod non pro filijs suis defensandis robur assumat: neque ità mansuetum, quod abreptis catulis non irritetur, & aduersùs rapientem quanta potest virtute desæuiat. Sed istam totam ipsam, & per homines rationabiles, & per animalia irrationabilia pari iure porrectam, atque diffusam naturæ tyrannidem fidei virtute dissoluit: & non solùm non insiluit capiti sæuientis tyranni, neque lacerauit faciem eius, vt bestia videns catulos suos diripi: sed tantã magnanimitatem fidelis animi omnem Philosophiam su-

Pia mater propter filiorum salutem, contẽpsit naturã sexûs sui.

pergreſſam monſtrauit, vt immolationem filiorum ſuorum præpararet hortatu ſuo, & ingereret perſecutori. Et cùm adhuc priores punirentur, reſiduos ad æmulationem eorum exhortantibus verbis in palæſtra paſſionis iungebat.

Audiant hæc vniuerſæ matres, & æmulẽtur virilem mulieris huius fortitudinem, & veram circa filios dilectionem, & ſecundùm illam ſeptem martyrum matrem nutriant filios ſuos. Non enim educatio filiorum hęc naturæ eſt, ſed educatio matres facit: hęc enim voluntatis eſt. Et vt diſcas, quia non pariendo tantùm, ſed magis benè nutriẽdo fit mater, audi beatiſſimũ Paulum, quomodò honorificet & coronet viduã: nõ propter partum, ſed propter educationem bonã filiorum, dicens enim: Vidua eligatur non minùs annorum ſexaginta, teſtimonium habens in operibus bonis, vt horum bonorum laudem conſummaret, adiecit: Si filios enutriuit: non dixit, ſi peperit. Quid ergò æſtimabimus illam mulierem pertuliſſe, ſi tamen mulierem iſtam dici oporteat, cùm videret in filiorum membris viſcera ſua cruciari, alterius auulſos à ſuis manibus digitos ſuper prunas ignium ſpargi, & vnius caput clauis cõfigi, alterius capiti cutem detrahi, & totum corpus extracta pelle nudari, & eum qui talia patiebatur ſtantem fortiter, inſuper & ipſi tyranno pœnas æternas voce libera comminantem? Quomodò mater hæc expectans eleuauit vultum ſuum, & os aperuit, & linguã mouit in verba, non in verba materni doloris affectu mollia, ſed verba virtutis: Quomodò nõ receſſit à carne anima eius? Quo modo? ego dicã. Non enim in terrena præſentia intendebat, ſed in futura cæleſtia præparabatur, in his omnibus filiorum ſuorũ prælijs & tormentis vnum timebat, nè cuiquam tyrannus parceret, & inuidia diaboli ſoluto certamine, triumphantium ſcinderetur chorus filiorum eius, nè quis eorum ſine corona maneret. Et quoniam hoc timebat, minimũ eorum, qui iam ſolus agoni ſupererat, tantùm quòd nõ manibus apprehendens in ignem ipſa incenſum impulit: veruntamen pro manibus eum verbis exhortationis impulit, & armauit cum magna trepidatione pietatis, voce patria obſecrans eum, ne callidi perſecutoris ſæuioribus crudelitate blanditijs emollitus, euelleretur à fratribus glorioſis, & concertãtium immarceſcibilem coronam victus amitteret. Nos citra dolorem alienas ærumnas audire non poſſumus, ſed illa proprias & domeſticas paſſiones citra dolorem intuebatur. Hæc non negligenter, neque in ambuſtione audiamus, ſed vnuſquiſq; eorum qui audiunt, in filijs ſuis totam hanc rem ſibi depingat, in corde ſuo proponens virtutem eorum, quę dicimus, de ſuis affectionibus metiatur: quãuis nec ità poſſit, quia naturales paſſiones ſermo non poteſt explicare, experimentis autem tantùm percipi poteſt humanæ affectionis expreſſio.

Attẽde quæ vera mater dicatur. 1. Timot. 5.

Obſecrat filium iuuiorem mater, vt in fide perſeueret.

Quàm benè igitur ad eam matrem congruit ſermo ille propheticus, vt poſt ſeptẽ filiorum coronas dicamus: Tu autem ſicut oliua fructifera in domo Dei. Nam Olympiacis ſpectaculis, cùm innumerabiles ſæpè conueniant luctatores, vnum tantummodò manet corona victorem: iſti verò de ſeptem fratribus ſeptem emicuerũt coronæ. Et quam mihi oſtendis regionem ità fertilem, quem nidum tam numeroſa prole fœtoſum? Nunquìd ſimiles habuit parturitiones mater filiorum Zebedæi? Glorioſa quidem & ipſa Apoſtolorum mater, eſſe duorum tantum. Septem verò martyres neſcio vnquàm vnum protuliſſe vterum, & ipſam eis matrem gloriæ ſociam in conſortio paſſionis appoſitam: & quidem non vna, neq; ſimplici adiectione meritorum atq; virtutum. Nam filij eius ſeptem martyres erant, tantum autẽ corpus matris appoſitũ eſt. Corpus quidem erat vnum, ſeptem verò martyrum legio implebatur in matre. In qua dilata eſt gloria paſſionis, & corona martyrij, in ea omnium virtus & gloria confluebat: quia per vnumquenq; filiorum ſuorum paſſa eſt, & quoniam illos ipſos tales ipſa perfecit: hæc eccleſiam nobis integram martyrum peperit, ſeptẽ filios enixa ſublimiter, quorum neminem peperit terræ, ſed omnes cælo, magis autem Regi cælorũ, cui omnes eos in vitam peperit æternam.

Pſalm. 51.

Mater per vnumquenq; filiorũ paſſa eſt, quos peperit in vitã æternam.

Ergo callidus omnis malitiæ machinator diabolus vltimam eam duxit ad certamen, ea cauſa, quam ſuprà expoſui, vt virtute eius fracta, & in ſpectaculo filiorum per tormenta morientium debilitata, facilè poſteà debellaret afflictam. Si enim ſæpè ſanguinis humani fuſionem videntes homines, conſueuerunt pauore percelli, & non modicæ curationis eguerunt, vt & deficientem vitam reſumerent, & labantem animam reuocarent: tantos illa videns ſanguinis riuos, non ex aliena, ſed de filiorũ ſuorum carne manantes, quod non ſuſtinuit, aut quam perturbationem mente ſuſcepit? Itaque diabolus, vt ſuprà dixi, propter quod eam poſt filios ſuos, quaſi perfractam

Diabolus propria mã chinatione confuſus cecidit.

ſtam orbitatibus, & facilè vincendam in vltimum certamen induxerat, id totum in contrarium ſibi cecidiſſe perſenſit, & muliere per hæc ipſa, quibus vincendam putauerat, vincente confuſus eſt. Maius enim confirmata mater exemplis filiorum, aggreſſa eſt certamen. Quamobrèm per orbitates ſuas non fracta eſt, ſed fortior facta eſt. Non enim iam reliquerat ſibi pro quibus angeretur, vel quibus timeret, nè fortè infirmitate fraudarentur coronis, ſed omnes, ſicutì vnum reponens promptuarium, ad ſupernos præmittens triumphos, & ad inconcuſſa perennis gloriæ regna, gaudebat, confidẽs decæterò, & ſecura cum magnanimi voluntate. Et ſicut coronæ quędam pretioſiſſimis lapidibus compoſitæ eminentem gemmam: ità carnem ſuam choro filiorũ coaptans, ad deſiderabilem Ieſum pullos ſuos, vt aquila ſubſequens euolauit, magnũ nobis relinquens ſolatium atque conſilium, per id, quod in ſemetipſa opere paſſionis probauit, Quod filijs valido ſermone perſuaſerat, vt corroborata anima, & ſublimi ſenſu inſtructa, audeat omnes ingredi paſſiones, & omnia ſiue tormentorum, ſiue diſcriminum viſibilium dura contemnere. Quis enim vir, quæ mulier, quis ſenior, aut quis iuuenis, decæterò veniam poſſit accipere, aut excuſationem habere fragilitatis carnis, & timiditatis humanæ, ſi propter Chriſtum ſibi pericula videat inferri: quã dò mulier ſenectute confecta, & tantorum filiorum mater, & ante tempus gratiæ cõgreſſa, ſuſtinuit multis virorum per idem tempus metu mortis inclinatis in ſacrilegia perfidię, necdũ in Domini Saluatoris aduẽtu extincto peccato, neq; morte deuicta, tantis animis & tanta virtute, tantas propter Deum pœnas ſuſtinuiſſe cernitur, & viciſſe cognoſcitur, vt euangelicam perfectionem in temporibus legis impleuerit?

Vndè hæc ergò omnia cogitantes, & mulieres, & viri, & iuuenes, & ſenes, exemplũ agonis huius, tantorumq; in filijs, in matre luctaminũ, ſicut in tabula, ità in corde veſtro deſcribite, aſſidua vobiſcùm exercitatione meditamini. Contra omnem ſpiritualium inimicorum armaturam illius patientiam proponamus ad inuictæ virtutis exemplum, vt iſthic æmulantes fortitudinem ſanctorum illorũ, ſimiliter illic eorum coronam poſſimus adipiſci. Quantam illi patientiam in periculis corporalibus oſtenderunt, tãtam nos in paſſionibus irrationalibus continentiã demonſtremus: id eſt contra iram & auaritiam, vel inanis glorię concupiſcentiam diuino timore muniti, ſenſibus repugnantes, & conſilia diaboli deſtruentes in nobis. Si enim cupiditatum ignes vicerimus: ſicut illi tyrannidis ignem vicerunt, poterimus iuxta ipſos & matrẽ eorum, pari gloria conſtituti ſimiles haberi. Potens autem eſt Deus vt præſtet nos omnes per eandem fidem ad parem gloriam peruenire: per charitatem & gratiã Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem & cum quo eſt Deo patri regnum, gloria, cum ſpiritu ſancto, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Qui cupiditatum ignes vincit, ſpiritualis martyr eſt.

ADHVC DE MACHABÆIS EX D. BERNARDO ABBATE. EST EPISTOLA EIVSDEM *ſine titulo, 98. in ordine Epiſtolarum.*

QVd oper fratrem Heſcelinum tua charitas à mea paruitate quæſiuit, indè iam ad me ſcripſerat Fulco Sparnacenſis Abbas. Cui ego nil reſcripſi: volens ſi quam fortè ſuper hoc reperiſſem patrum ſententiam, ipſam potiùs ei tranſmittere, quàm nouum vel noſtrum quippiam reſpondere: qua non facilè occurrente, iam quod ſentio ego ſic interìm vtrique reſpondeo, vt quodque fortè rationalibus quilibet veſtrùm ſuper eadem queſtiuncula quãdoquè vel legerit vel audierit, vel certè ipſe ſenſerit, mihi viciſſim impartiri non negligat.

In primitiua Eccleſia timebant ſancti nouã introducere

Quæris itaq; quidnam viſum patribus fuerit, vt ſolis ex omnibus antiquis iuſtis ſingulari quodam priuilegio Machabæis annuam celebritatem pari cum noſtris martyribus veneratione decernerent in Eccleſia ſolenniter exhibendam? Si dixero dignos meritò martyrum gloria iudicatos, quibus nõ impar fuit in martyrio virtus: erit forſitan ſolutum, cur ipſos, ſed necdùm planè cur ſolos, cùm & alios nonnullos ex veteribus pari conſtet zelo pietatis occubuiſſe, nõ tamen pari et tripudio recoli meruiſſe. Quòd ſi illis non immeritò huiuſcemodi negatur ſolennis celebritas, quia nimirũ cp præbuit virtus, præripuit tempus: cur non eadem fuit in Machabęis conſideratio? Siquidem & ipſi pro tempore non ad cæli mox gaudia, ſed ad inferni tenebras deſcenderunt: nè tunc quippè apparente primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus

S.Machabęi ad tempus ad inferna descenderũt Psalm. 23.

tibus regna cœlorum, agno videlicet de tribu Iuda, qui aperit, & nemo claudit: ad cuius introitum cum omni authoritate supernis potestatibus diceretur: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Proinde si in congruum videtur cum gaudio recolere transitum, qui gaudij non fuit: caueatur & in istis. Aut si istos ob suæ virtutis meritum festiuo prosequi fauore placet: cur non itidèm deferetur & illis?

An dicẽdum est vtrosq; quidem in morte communem habuisse cũ martyribus pietatis causam, sed non etiam vtrosq; pariter eandem cum illis adeptos fuisse martyrij formam? Vniuersis nempe tã veteris quã noui testamenti martyribus æquè conuenit, pro iustitia occubuisse: sed interest quòd isti passi sunt, quia illam tenebant: illi, quia non tenentes reprehendebant. Isti, quòd eam non desererent: illi, quòd deserẽtes perituros esse assererent. Et vt breuiter totum in quo differunt, proferamus: hos cultus, illos zelus iustitiæ martyres fecit. Soli ex veteribus Machabæi, quia non solũ causam, sed & formam (vt dixi) noui martyrij tenuerũt, iurè fortasse in Ecclesia cum nouis Ecclesiæ martyribus eãdem consuetæ celebritatis gloriã assecuti sunt. Instàr quippe martyrum nostrorum libare & ipsi dijs alienis, patriamq; deserere legem, immò mandata Dei transgredi cogebantur, renuebant & moriebantur. Non sic Esaias, non sic Zacharias, non denique vel magnus ille Iohannes Baptista ità mortuus est: quorum primus

Matth. 23. Mar. 6. Matth. 14.

serra fertur scissus fuisse, secundus inter templum & altare legitur occisus, tertius in carcere decollatus. Si quæritur à quibus, ab iniustis & impijs. Si qua causa, pro iustitia & pietate. Si quomodò, non tam eas confitendo quàm proponendo. Proponebant veritatem odientibus eam: veritas pariebat eis odium, & odium mortem. Licèt iniusti & impij, non tam tamen in illis pietatem persequebantur, quàm à se repellebant: nec tam in illorum iustitiam ferebantur, quàm propriam tuebantur iniustitiam. Aliud est, aliena inuadere: aliud, defendere sua. Non est idipsum nolle sequi veritatem, & persequi: inuidere credentibus, & increpantibus indignari: obturare os confitentium, & redarguentium stimulos non ferre patienter. Deniquè misit Herodes, & tenuit Iohannem. Quamobrem? Quia Christum prædicabat? Quia vir bonus erat & iustus? Immò propter hoc reuerebatur magìs illũ, & audito eo multa faciebat. Sed quoniam arguebat Herodem Iohannes propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, ideò vinctus, ideò & decollatus est: passus quidem & ipse pro veritate, sed quam zelare videretur, non negare cogeretur. Hinc est quòd hæc ipsa tanti martyris passio, mul-

S.Machabęi Christianis martyribus in confessione persimiles & gloria

torum etiam longè minorum festiuitatibus minùs festiuè recolitur. Profectò si tali ratione & ordine passi fuissent Machabæi, nè vlla quidem fieret de eis mentio. Nunc autem quoniam similes illos fecit martyribus Christianis non dissimilis veritatis cõfessio, meritò eos similis prosequitur & veneratio.

Nec moueat sanè, quòd quemadmodùm martyres nominatìm & ipsi pro Christo minimè passi sunt: quia non interest siue sub lege pro legalibus obseruantijs, siue sub gratia pro mandatis euangelicis quis patiatur. Vterq; enim æquè pro veritate, ac per

Iohan. 14.

hoc pro Christo, qui dixit: Ego sum veritas: pati cognoscitur. Itaq; plus contulit Machabæis in hac parte martyrij genus, quàm virtus: quandò nec hos quidem ex patri-

Festum Machabęorum celebrat Ecclesia.

bus, quos pari constat virtute illo in tempore pro iustitia decertâsse, pari etiam honore concelebrat præsens duntaxat Ecclesia. Puto quod arbitretur indignum quantumlibet laudabili morti, quę Christi mortem præcederet, diem festum impendere, præsertìm cùm ante illam salutiferam passionem, non festiua gaudia, sed claustra tenebrosa quosque morientes exciperent. Sanè Machabæos ideò (vt dictum est) excipiendos iudicauit Ecclesia: quoniam quod eis negabat tempus, contulit martyrij genus. Nec solùm ipsos, sed & qui fortè vitæ iam in carne manifestatæ mortem suã morte præuenerunt, siue morientes in ipsa, sicut Simeon & Iohannes Baptista: siue etiam pro ipsa, sicut Innocentes: quos alia ratione licèt ad inferos & ipsi

Item Innocentum.

descenderint, ritu nihilo minùs solenni veneramur. Et Innocentes quidem, quoniam iniustum profectò fuit innocentiam pro iustitia morientem vlla vel præsenti gloria defraudari. Iohannes quoq; sciens quòd à diebus suis regnum cælorum vim patitur, vndè & clamat: Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cælorum: simulq;

Matth. 3.

videns vitam se protinùs secuturam, mortem lætus excepit. Quod vtiquè ab ipso Domino moriturus scìscitari solicitus fuit, ac certificari meruit. Nam cùm per discipulos cum interrogâsset: Tu es, inquiens, qui venturus es, an alium expectamus? post

Luc. 7.

narrata plura miracula audiuit: Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. In quo

quo nimirùm verbo significauit se Dominus moriturum, & tali morte quæ posset Iudæis esse scandalum, gentibus stultitia. Ad hanc vocem sponsi gaudens amicus sponsi alacri animo præcessit, quò & illum in proximo esse venturum, iam dubitare non potuit. Porrò qui lętus & tam lętus potuit mori, potuit & lætam sibi memoriam promereri. Sed & senex ille tam plenus virtutum quàm dierum, morte iam propinqua vitam baiulans in manibus, aiebat. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Ac si diceret: Securus descendo in carcerem, qui tam præstò meam sentio redemptionem. Et hic ergò, qui cum tã secura iucunditate, & iucũda securitate moritur, meritò in Ecclesia celebrari cum gaudio memoratur. Cæterùm illa qua ratione mors festiua reputabitur, quam nulla gaudiorum festiuitas comitatur? Aut vndè gaudium sumeret moriturus, qui se & ad infernales descendere tenebras certus erat, nec certi quippiam secum ferebat, vn dèin proximo de suũ liberatore consolaretur?

1. Cor. 1.

Luc. 2.

Indè est, quòd vnus sanctorum cùm audiret, Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: conuertit se ad parietem, & fleuit fletu magno, atque ita impetrauit exosæ mortis aliquam dilationem. Hoc denique & miserabiliter plangebat dicens: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Et paulo pòst, Non videbo, inquit, Dominum Deum in terra viuentium: non aspiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis. Hinc & alius quidam: Quis mihi hoc ait tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus: & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Israël quoquè ad filios aiebat: Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Quid in his solennis lætitiæ, quid festiuæ celebritatis apparet? Nostri autem martyres cupiunt dissolui, & esse cum Christo: certi vbicunquè est corpus, illò sine mora congregatum iri & aquilas. Mox, inquam, ibi exultant iusti in conspectu Dei, & delectantur in lætitia. Ibì ibi benignissime Iesu, ibì statim vt de hoc seculo nequam sanctus quisque eripitur, adimpletur lætitia cum vultu tuo, vna ibi vox iubilo resonat sempiterno, vox vna exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Nunquid hoc decantare libebat apud inferos sedentibus in tenebris & vmbra mortis: dum non erat qui redimeret, neque qui saluum faceret: quandò necdum visitârat nos oriens ex alto, primitiæ scilicet dormientium Christus?

Esa. 38.

Ibidem.

Iob. 14.

Genes. 42.

Philip. 1.

Luc. 17.

Psalm. 15.

Psalm. 117.

Psalm. 123.

Christ⁹ primitiæ dormientium.

Meritò igitur Ecclesia (quæ gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus nouit) quos pares iudicat ex virtute, discernit tamen ex tempore: nec pari putat prosequendum obsequio, & transitum ad vitam, & descensum ad inferos. Itaque martyrium facit causa, tempus genusque discernunt. Tempus quippè Machabæos à nouis martyribus diuidit, coniungit antiquis: genus verò nouis aggregat, segregat à veteribus. Et hæ quidem in Ecclesia præmissis ex causis differentiæ obseruantur. Cæterùm apud Deum vniuerso cœtui sanctorum cõmune est, quod sanctus ait Propheta: Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Vndè autem pretiosam dixerit, exponat nobis. Cùm dederit, inquit, dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris. Nec putemus solos martyres esse dilectos, cùm recolamus dictum de Lazaro: Lazarus amicus noster dormit. Deniquè beati mortui qui in Domino moriuntur. Non soli qui pro Domino, sicut martyres, sed & qui in Domino moriuntur, sicut Confessores, profectò beati sunt. Duæ proindè res mihi videntur mortem facere pretiosam, vita & causa: sed ampliùs causa quàm vita. Porrò illa erit pretiosissima, quam & causa commendat & vita.

Roma. 12.

Causa facit martyrem, non pœna.

Psalm. 115.

Psalm. 126.

Iohan. 11.

Apoc. 14.

Vita & causa faciunt mortem pretiosam.

MAR.

MARTYRIVM SANCTARVM MVLIERVM SOPHIAE ET EIVS FILIARVM, FIDEI, SPEI ET *Charitatis, authore Simeone Metaphraste. Capitula ad marginem adiecimus.*

1. Augusti. Cap. 1. Adriani Imperatoris superstitio.

POSTQVAM fuisset salutaris prædicatio vbiq; annũciata, & omnia essẽt repleta cognitiõe Domini, veluti quędã sceleris reliquiæ Adrianus Romanorum administrans Imperium: in falsos deos, qui nominantur, ostendebat plurimam, si vllus alius, superstitionem, alios quidem alliciens blanditijs, alios autem etiam minis territans. Illo autem tempore mulier quædam pia & religiosa, nomine Sophia, clara genere, Itala natione, cùm esset viduata marito, cum tribus filiabus solis vitam agitabat. Ea cùm simul cum virginibus, quæ erant valdè honestæ, & elegantes animo & corpore, Romæ versata esset, non fuit errore seducta, neque ad impij Imperatoris declinauit religionem, factis ipsis pulchrè suam ostendens appellationem, quæ nomen verè sumpsisset à superna sapientia, & dicere-

Re & nomine Sophia, id est Sapiẽtia dicebatur. Iacob. 3.

tur Sophia. Quæ est enim desupèr sapientia, inquit diuinus Iacobus, primùm quidem pudica est, deindè pacifica, modesta, obediens, plena misericordia & fructibus bonis. Eo enim, quod virtutis fructus apud eam agnoscebatur, adaptauit filiabus suis appellationes: & illę rursùs in se ostendebant esse veras: neq; habebant aliquid rami, quod discreparet aut esset alienum à radice.

Cap. 2.

Antiochus præfectus accusat Sophiam & filias.

Cùm autem celebraretur apud omnes & illarũ prudentia & virtus, & in Christum religio, non ferens pater inuidiæ, per inuidos oculos cuiusdam Antiochi, cuius fidei commissa fuerat Præfectura Vrbis, significat Imperatori earum pietatem, & eas defert lingua dolosa impius & verbis odij. Protinùs ergò ille ira percitus inconsiderata, eos, quos solent vocare apparitores, mittit ad eas adducendas. Illę autem cùm didicissent causam eorum aduentũs, cumque corporibus essent inseparabiles, magis etiam coniungerentur spiritu, nihil ostendentes filiæ, quod non cum matre conueniret: vt quæ inueniebantur inter se fraternè consentire, & erant velutì corona sibi æqualis, quę per ipsas & matrem complebatur, alacriter iuerunt. Postquàm autem sederunt pro tribunali Præfecti Vrbis, cùm ipsę eum, qui dixit, non esse timendos eos, qui occidunt corpus, & pollicitus est à se dandam esse sapientiam, Dominum inuocâssent, & se Crucis figura munijssent, omni timore depositio, steterunt cum forti & generoso animo. Iudex autem, coniectis in eas oculis, cùm vultum vidisset liberalem, mentemq; magnã & præclaram, cui ferebat testimonium oculorum & habitũs modestia, mittens fungi munere Iudicis, conuersus est ad admirationem.

Sistuntur coram tribunali. Matth. 10. Luc. 21.

Nota de crucis figura.

Cap. 3.

Cùm autem matrem propè curâsset sistendam, & illas semouisset: Non parua sunt, inquit, ô mulier: quæ aduersùs te deferuntur. Siquidem non parua res est, morum à parentibus traditorum & religionis negatio. Cur ergò Romanorum regionem impleuisti tumultu & dissensione, omnino non esse deos, sed eos esse solùm nomina, quæ rebus ipsis careant, asserens? Dic ergò quamprimùm patriam, genus, nomen & religionem. Illa autem: Primum quidem, inquit, mihi est præcipuum nomen, ex Christo appellari: Sophia autem, est mihi impositum nomen à parentibus. Genus duco ex ijs, qui primos magistratus gesserunt in Italia, in qua etiam sum nata. Inter omnia verò, vt à me dictum est, glorior inuocatione mei Christi & Domini, cui fui oblata continuò ab ortu, & cui obtuli fructum mei vteri: propter quem etiam vénimus in hanc Romanorum ciuitatem, vt cùm rectam fidem vsq; ad mortem conseruauerimus, pulchrum viaticum afferentes, pro Christo susceptam decertationem, & transeuntes à morte in vitam, hæredes simus bonorum, quæ sunt illic promissa.

Præclarum Sophiæ responsum.

Cap. 4.

Horum verborum libertatem, & cum libertate sapientiam admiratus est impius. Vt qui autem iam primo facto periculo esset superatus, tunc quidem distulit virginũ interrogationem: apud quandam autem mulierem ordinis senatorij, nomine Palladiã, iubet eas cum matre seruari, imperans, vt eas tertio die produceret ad examinationem. Illæ autem ocio, quod eis datum fuerat, rectè vtentes, animum adhibebant matri,

matri, quæ eis suadebat ea, quibus erat opùs. Dicebat enim eis: Ego quidem ô dilectæ filiæ, cùm vos secundùm carnem genuissem, omni doctrina & sacris literis erudij. Quoniam autem tempus vos vocat ad certamen, meorum verborum fructus qualis sit, in vobis appareat: & diù à vobis meditatam virtutem, quæ vobis breuì est inferenda, non vincat iniuria: neque erroris imbecillitas re qualibet fortiorem superet veritatem. Mihi est suspecta ætas vestra iuuenilis & tenera: sed non extimescat periculum. Vobis enim opem feret inuictum Christi auxilium. Date ergò meæ senectuti, date, vt vestris certaminibus iuueniliter exultem, firmam & stabilem seruantes vsq; ad finem Christi confessionem: qui & manu coronabit immortali, & quę nõ possunt marcescere, vobis prębebit coronas, post quas in secula choros simul ducetis, & fruemini delicijs, in quas non cadit interitus: & consequemini diuitias, quæ non possunt surripi: &, quæ nunquàm desinit, voluptate potiemini. Est ergò prudentium paruis permutare maxima, instabilibus permanentia, fluentibus ea, quæ non exinaniuntur. Est enim omnium negociorum hoc longè præstantissimum, pauco sanguine emere regnum cælorum. Et hæc quidem Sophia.

Sophia cõfirmat filias suas.

Cap. 5.

Matri autem congruentes filiæ: Tu quidem, inquiunt, ô veneranda mater, nos maternis precibus prosequere, eas nobis præbens bonum tutamen: Dominus autem, qui dixit: Nè soliciti sitis, quomodò aut quid respondeatis, quandò ducemini ad reges & præsides: is omninò, vt qui sit verax, non mentietur: vt qui sit autem potens, promissum implebit, præbens nobis sapientiam, per quam poterimus verè stultam sapientiã & quæ exinanitur, vincere, & aduersùs impietatem apertè trophæum erigere. Cùm tres ergò præstituti dies iam præterijssent, ducuntur sanctæ ad interrogationem. Deindè Iudex cùm esset callidus, & considerâsset quidnã tenerarum adolescentularum animum maximè remittere & emollire posset, eas multis aggressus est blanditijs: &, Cum videam, inquit, ô puellæ, vestram pulchritudinem, & quæ ex hac forma effluit, voluptatẽ, non existimo vos ex humana processisse natura, sed è diuiniore aliqua esse editas, ad eorum, qui vos cernunt, admirationem. Et ideò in vos paternam ostendens benevolentiam, rogo vos, charissimæ, nè amanti patri velitis omninò esse inobedientes: sed primùm quidem cogitate, qua sit ætate mater vestra, cuius necessè est flagelletur senectus, si vos non paruẽritis. Deindè animo versate vestram teneram ætatem, florem pulchritudinis & speciem, quæ non potest verbis exprimi: quam quantùm admiror, tantùm puniam etiam inuitus, si vos non parẽdo molestiam afferentes, me ad irã prouocaueritis. Et tunc, proh dolor, malè peribitis, quandò vos maximè oporterer gaudere, felices esse, diuitijs & gloria, & Imperatoria frui benevolentia, ipsisque temporis & ætatis vos explere delicijs. Sed hæc quidem iudex.

Blanditur puellis verũ sipellis iudex.

Miscet minas.

Cap. 6. Constantia virginum.

Dixerunt autem virgines, Sophiæ germina: Nos neque promissa, quæ tu dixisti, cupimus: neque minas, nec tormenta curamus. Amamus enim bona, in quæ non cadit interitus, & sponsum, qui non perit, humana omnia cõtemnentes. Quòd autem minaris matrem te esse flagris cæsurum, tanquàm hoc modo nos territurus propter naturalem inter nos inuicèm cõsensionem, nescis te nobis, & illi annunciare bonorum perfectionem. Quid enim Christianis potest esse iucundius, quàm pati pro Christo? Etiamsì non haberemus tales, quæ sperantur, remunerationes, quam nõ gloriæ præstantiam superat, pati pro eo, qui nos formauit? Quãdò autem nobis etiam paratum est regnum cælorum, & diuitiæ, in quas non cadit interitus, & perceptio bonorum æternorum, conari nos traducere à nostra sententia promissione bonorum, quæ sunt ad tempus, est aperta insania. Nè fallaris ergò Iudex. Neque enim assentãs trahes, neque puniens nos conuertes: sed tunc maiorem afferes molestiam, si parcens huic, quã tu magnifacis, iuuentuti & pulchritudini, nõ sis graues illaturus cruciatus. Nos enim damno afficies maiorum bonorum remunerationis. Postquàm audiuit Iudex hanc firmam & cõstantem defensionem, statuit eas separare à se inuicèm, & singulatìm eas adducere ad examinationem: vt sic quoquè eas maiore afficeret molestia, & eis vteretur imbecillioribus. Cùm autem interrogâsset de ætate & nominibus vniuscuiusque, & à matre accepisset, vnam quidem vocari Fidem, & iam agere annum duodecimum: alteram autem duobus annis esse priore minorẽ, quæ vocatur Spes: tertiam autem nominari quidem Charitatem, vno autem anno esse secunda minorem: primam iussit primùm produci: &, Sacrifica, dixit, Dianæ, ô adolescentula: Non hoc tibi nouum imperamus, sed quod à nobis quoquè fit iandiù.

Præclara vox.

Aetas Fidei Spei & Charitatis fororum.

Cap. 7.

Illa autem tanquàm eoipso vellet ostendere, eos frustrà ipsas separâsse, volentes ex

Fidei egregiũ responsum.

tribus contextam comminuere catenam, vt qui ignorarent esse ei ex alto audaciam & doctrinam, quonàm scilicet modo oporteat respondere: O vestram, dicebat, quæ in profundum vsque penetrat, cæcitatem, qui tam miserè cæcutientes, alijs etiam vltis esse viæ duces: & cogere vultis, vt procedamus vobiscùm ad eandem viam interitûs. Quisnàm autem homo, si sapiat, persuadebitur à vero quidẽ Deo recedere, cuius manuũ opera sunt cæli & terra, & omnia, quæ sunt in eis: ad opera autem manuum hominum tanquàm ad deos, accedere, & ijs, quæ sunt mentis expertia, & surda, eliget cultum offerre? Fuerit hoc summus stupor, & tam eorum, qui iubent, quàm qui parent, amentia. Fac ergò quod vis, & ijs, quibus vis, nos trade malis. Melius est enim priùs pati omnia, dum sapimus, quàm persuaderi, vt talia faciamus. Quæ dicta fuerãt, replent ira Iudicem: & cùm non posset persuadere, ad vim faciendam se contulit. Iubet ergò ei adimi vestem, & manibus ponè vinctis, eam virgis verberari grauissimis.

Fides cædi. tur virgis acerrimè.

Cùm autem experientia maiorem ostenderet constantiam & vehementiores spiritus, & martyr, non vt quæ virgis cæderetur, sed vt quæ rosis spargeretur, potiùs esset affecta, nè vibicibus quidem in corpore eius apparentibus, incitabatur magis Iudex ad

Excinduntur eius vbera.

crudelitatem, & iubet ei mamillas excindi. Tum licebat in ea videre rem nouam & prodigiosam. Ei enim pro sanguine fluebant riui lactis. Quod quidẽ Iudici maiorem adhuc iram accendebat: & supra candentem focum eam iussit imponi. Sed quomodò ille cùm esset malus, facilè excogitabat supplicia: ità etiam bonus Deus per ea, quæ

Nihil lædi. tur ab igne.

intentabantur, Sanctam non cessabat glorificare. Quod hîc quoquè vsu venit. Nam cùm ignis eam appræhendisset, conseruabat illæsam, amissa propria operatione. Deindè rursùs quoquè illinc sublatam, iubet injici in sartaginem pice accensam & bitumine. In cuius stans medio, constanti & minimè turbato vultu supernum inuocauit auxilium. Et continuò ignis non erat ignis, & ardor mutatus fuit in frigiditatem: adeò vt videretur in roscido prato & in molli herba Sancta requiescere.

Cap. 8.

Sic ergò omnibus, quæ inferebantur, supplicijs martyrem quidem Christi nihil lædentibus, eos autem, qui adspiciebant, mouentibus ad admirationem, nescientes quid nàm ageret maligni minister germanus, in eam mortis gladio inferendæ pronunciat sententiã. Quod cùm esset ei renũciatum, apertũ erat, gaudio plenam esse martyrem.

Hortatur suas sorores ad constantiam.

Quæ matrem est precata, vt oraret pro filia: & sorores est exhortata, vt nõ dubitarent mori pro consequendo brauio æternæ vocationis: Scitis, dicens, cui nomen dedimus & cuius sumus signatæ signaculo. In eius ad finem vsq; persistere confessione, nè ignauia adductæ dubitemus. Vna mater nos genuit, eadem tres aluit, ab vna sumus educatæ tam corporali alimento, quàm spiritali: Sit vnus finis etiam tribus, sororibus sint etiam sororiæ & germanæ voluntates. Sit prima domesticum exemplar ijs, quæ eam consequentur. His verbis confirmatæ sorores, cùm martyrẽ alloquentes, extremum ei vale dixissent, rogârunt vt pro se communem precaretur Dominum, vt sine offensione cursum ci parem peragerent, vt pares quoquè consequerentur coronas.

Cap. 9.

Generosa autem mater, non illiberaliter, neque pusillo & effœminato animo se gerens, sed perindè ac erubescens aliquid facere, aut dicere, quod esset abiectum & indignum tali filia, erat omninò magni & excelsi animi, hanc solùm animo accipiens molestiam, nè videret alias primæ exemplum non assequi, & veniret in periculum, nè vnius solíus, & non trium videretur esse mater germana. Quocircà filiam dignis ver-

Matris ad filiã responsum.

bis prosequebatur: Ego quidem, ô filia, te genui, dicens, & propter te tuli partûs dolores, & te nutriens deduxi ad hanc vsque ætatem: sed nunc accipio mercedem alimentorum, accipio laborum remunérationes, easque multiplicatas. Nam etsi nullus possit parem gratiam referre parentibus, (quomodò enim, cùm ab ijs ipsum, quod sumus, acceperimus?) tu tamen mihi omnia abundãter reddidisti, cùm tu me talis filiæ matrẽ esse ostenderis, & tam magnificè pro Christo decertaueris. Ad quem vade, filia, vade, tuo sanguine pro eo effecta purpurea, quo tuo sponso conspiciéris, quo co-

Fides capite punitur.

ram ipso sistéris, quouis colore & flore colorata speciosiùs. Hæc cùm illa à sororibus & matre audiuisset, porrecta continuò ceruice, ei caput amputatur: & sustollitur ad Christum, qui est caput omnium.

Cap. 10.

Impius autem iudex non ferens ignominiam, ex se partę victoriæ damnum cogitabat ex alijs reparare: multò autem magis per eas quoquè victus apparuit. Continuò ergò accersita ea, quæ erat secunda: Crede mihi, inquit, filia, & cùm maximam deam

Rom. 5.

Dianam adoraueris, læta discede. Illa autem, Spes reuerà, quæ pudore affici non potest: Quomodò, inquit, credidisti me esse sororem præcedentis, cuius iam fecisti periculum:

culum: ità tuo sit etiam animo persuasum, fore vt constantia conspiciar eius soror: & nihil esse omninò nec lætum, nec molestum, quod me ab hac traducat constantia. Hæc cùm ille audijsset, conuertitur continuò ad puniendum, producere interrogationem, inane esse iudicans & superuacaneum. Veste ergò nudatam, iubet ipsam

Spes crudis neruis cædi. tur.

quoquè, sicut primam, crudis boum neruis flagellari. Cùm autem par supplicium sustinens, ei quoquè parem ostenderet fortitudinem, maior ira Iudici est excitata: & iubet fornacem valdè accensam, venerandam excipere martyrem. Sed Deus sororis, eius quoquè curam gerebat similiter. Idipsum autem nunc quoquè accidit, quod in

Dan. 3. Ignis eam non contingit.

flamma Babylonica: nam ingressam martyrem flamma nequaquàm eam tangebat. Propterea ergò Spes emittebat voces, quibus simul & gratias ageret, & supplicaret. Agebat enim gratias, quòd in malis illæsa fuisset conseruata: supplicabat autem propter ea, quæ erant futura, vt in omnibus illius nomen glorificaretur, & pudore afficerentur impij.

Eam ergò non reueritus impius, quã ipse quoquè ignis visus est reuereri, iubet eam

Cap. 11. Vngulis laniatur.

ligno suspendi, & ferreis laniari vngulis. Illa autem tunc quoquè eandem præ se ferebat animi magnitudinem, quam in malis præcedentibus ostenderat. Quamobrèm liberalis quidem gratia illustrabat oculos: membris verò dilaceratis quidam odor suauis aderat. Leniter autem summis labris subridens: Tu quidem, inquit, ô sanguinarie,

Irridet tyrannum.

putas robur meum eneruare supplicijs. Ego autem à meo Christo cõfirmata, confido fore, vt te infirmum reddam & imbecillum, & irritos efficiam tuos conatus, qui cum fœmina bellũ gerere sis aggressus, idq; cùm sim iuuẽcula, & ad opem mihi ferendam nihil habeam paratum, nisì quòd in Deo vero confido. His ad furorem incitatus, iubet lebetem pice & resina plenum, & vehementer accensum Sanctæ subijci. Deo autem de more operante, lebes quidem dissoluebatur tanquàm cera à facie ignis: quod verò in se habebat incensum, repentè diffusum, non paucos perdidit ex ijs, qui circunsistebant, infidelibus. Sed ne sic quidem potuit ille mente cæcus intelligere, quænam

Condemnatur capitali supplicio, Spes.

esset hæc virtus, quæ faciebat miracula. Vndè etsì in omnibus, quæ fecit, supatus fuisset, nescíens tamen quid ageret, in eam mortis per gladium inferendæ, æquè atquè in eius sororem, pronunciat sententiam. Rursùs autem ea quoquè in decessu preces implorabat maternas: postremam autem post ipsam sororem excitabat ad certamina, seipsam pulchrum & certum exemplar præbẽs, & ex eo, quod passa sit, orationem faciens fidedignam. Deindè ad iacẽtes sororis accedens reliquias, eas amplectebatur: &

Honorat sororis sanctas reliquas.

partìm quidem ex eo commota, quòd esset soror, ad lachrymandum attrahebatur à cognatione: partìm autem intelligens martyrem eam esse, quæ iacebat, reliquias honorabat, tanquàm sanctas, & ad gaudium retrahebatur. Quomodò enim propter Sanctam lachrymaretur, ad quam lubenter pari modo mortis iam tendebat? Suscipit ergò ipsa quoquè mortem gladio, & pulchram viam ingreditur, viam verè beatam, & quæ est expetenda quidem omnibus Christianis, sed quam pauci ineunt.

Cap. 12.

Iniquus autem Iudex cùm ad extremã venisset dubitationem, & non posset aper-

Charitatis puellæ mirã constantia.

tam ferre ignominiam, in extrema tamẽ sorore adhuc spe tenebatur. Eum enim mouebat valdè tenera illius ætas, quæ ei existimabatur fore expugnatu facilis. Postquàm autem adhibuit interrogationes, & mouit verba, quæ poterant persuadere: Nè te decipiat, inquit Charitas, ætas mea tenera, vt quæ facilè possit decipi, & à tuis verbis alli-

Dirè extenditur loris.

ci. Te enim docebit mox experientia, me esse ramum eiusdem radicis, & fœtum illius vnius vteri, cuius iam duorum germinum & filiarum fecisti periculum. Non enim, quantùm in me erit, priores pudore afficiam, neque degenerabo ab eadem nobilitate: sed tantum superabo fortitudine, quanto maiorem habeo experientiam, vt quæ Christi auxilium in eis didicerim. Hanc libertatem non tulit sceleratus: sed trahi iubet suspendi Charitatem, & omni ex parte extendi loris, adeò vt membrorum compages vehemẽti illa contentione diuellerentur à naturali sua compositione. Sed Dei virtus, quæ aliarum sororum curã gesserat, cum ipsa quoquè erat, illam illæsam seruans à malis. Accẽditur ergò ei quoquè fornax ex omnis generis materia, cùm is, qui iusserat, priùs vehementi ira fuisset incẽsus. Vides, dicit ille martyri, ignem, qui contra te mouetur. Non poteris aliter minas eius effugere, nisì quod imperatur minimè tergiuersans, effectum reddere studueris. Ego autem te vtar etiã benignìùs. Dic enim solùm, Magna Diana: & statìm ab omni criminatione liberaberis. Illa autem: Absit, inquit, vt vel solo verbo faciam aliquid impium & indecorum, & linguam tali polluam locutione, quæ est aliena à pietate in eum, qui creauit.

Cap.13. Infilit in ignē illæta. Quid deindè? Verbis relictis, fecit, quod ei iubebat ira, & iussit eam iaci in ignem. Illa autem non solùm eos, qui ipsam erant compræhensuri, sed propemodùm ipsum etiam iussum præueniens, in mediam flammam insiluit, tanquàm in aquas calidas & lauacra suauissima. Protinùs ergò flamma quidem diffundebatur, & appræhendebat eos qui circunstabant. Tetigit autem ignis ipsum quoquè Iudicem, tum vt vlciscetur impietatem: tum vt ipse minimè dubitaret, sed vteretur seipso teste diuinæ potentiæ. Sic ergo res quidem impiorum afficiebantur dedecore: glorificabatur autem Deus per suam martyrem. Iudici autem malè se habebat ea pars corporis, quam flamma tetigerat: & mittit quosdā, qui Sanctam adducerent. Qui autem missi fuerant, vident quosdam candidis indutos vestibus, elegāti & honesta specie, qui vel sola forma poterant adducere in admirationem. Qui etiam sæpè visi fuerant cum beata versari in fornace, & simul cum ea preces fundere. Cùm autem eis Sanctam conātibus capere solutæ essent dexteræ, non valentes aliquid ampliùs facere: Egredere clamabāt, ancilla Dei: vocat te Iudex. Quæ etsi ex igne egressa esset illæsa, cùm ei omninò non nocuisset ignis, & impius corpus haberet adhuc semiustulatum, & ex ipso posset intelligere: crassam tamen nubem ferēs in oculis, erat planè insipiens. Propterea in eam rursùs alia induxit supplicia, & iubet eius membra transfigi terebris. Cùm autem martyr habens omninò mentem ad Deum sublatam, parùm aut nihil curaret tormēta, eam morte condemnat. Quod quidem cùm audijsset adolescentula, cuius nō erant pusilli & muliebres spiritus, & reputâsset hoc esse velutì signaculum & firmitatem suæ in Deum confessionis, magnas Deo egit gratias: Ago tibi gratias, dicens, diuina Trinitas, vna diuinitas, vna gloria, vna potentia, quòd te & tuis martyribus meis sororibus dignam me, quæ sum minima, reddidisti. Concede autem, vt mater mea post meum decessum tandiù sit in hac misera vita superstes, vt tuis ancillis iusta faciat.

Lædit̄ Iudex cū aduersarijs ab igne.

Dirum supplicium.

Cap.14. Cùm sic precata esset beata Charitas, admirandæ filiæ mater admirabilis pro ea est precata, nō vt eam videret viuam, & longo tempore viueret, mortē effugiens, & eam solā haberet consolationē & spem senectutis, cùm ab alijs esset deserta filiabus: nihil horum est precata, aut voluit: hæc enim iudicabat esse matrū illiberalis & pusilli animi, & quæ intuentur solū ad id, quod adest, & quod videtur: sed vt conuenienter eius proposito acciperet cōsummationem, & bona facta bonus sequeretur exitus. Quam. Consolatur filiā mater. obrem ad mortem ei addens animum, & ad finem cursûs confirmans: Eugè, dicebat, ô filia, O mei vteri re vera felix planta, O quæ honorauisti parentes, O quæ Deum in tuis glorificâsti membris. Quis non tuam laudabit fortitudinem? Quis non animi robur & constantiam? Vade ad communem Dominum, ad thalamum, in quem non cadit interitus, ad quietem reuerà beatam, laborum acceptura remunerationes. Vt visione apprehendo coronam, quæ dextera Domini porrigitur. Vt video angelos lætantes, & expectantes tuam consummationem. O quibus ego tribus filiabus honorati Trinitatem: Qualia dona, quales ci obtuli suffitus? Tales preces, talia verba cùm egregia mater filiæ præbuisset viaticum, prosecuta est ad viam desideratam. Collum itaque porrigens beata, prompto & alacri animo subijt mortem pro Christo. Cuius corpus mater simul cum magna affectione & pietate est amplexa: faciensque, quod volebat ratio & natura, cùm ipsum suffijsset, & vt decebat matrem & martyrū amantem, splendidè & magnificè composuisset, & ea fecisset, quæ de more fiunt in rebus huiusmodi, id quoquè in templo deponit simul cum sororibus, quod illa priùs præclarè excitauerat, rem magnam & thesaurum, qui consumi non potest, verè amans Christi fœmina largita Christianis medelam animæ, medelam corporis, inoffensam vitæ transactionem, Deo coniunctionem, & qui potest magna bona præbere.

Caput amputatur S. Charitati.

Sepelit filiarum corpora mater Sophia.

Deindè cùm tres integri dies intercessissent post illius consummationem, egressa hæc egregiarum filiarum mater pro sacrosanctis filiabus peractura commemorationem, accedens ad loculum reliquiarum: Preciosæ, dixit, apud Deum hostiæ, consummata & pulchrè litata sacrificia, accipite vestram matrem contubernalem in vestris, quæ habitatis, tabernaculis. Hæc dixit, & simul cum his verbis abscessit mulier egregia, & somno, qui iustis congruit, obdormijt, mater addita filiabus, & communiter rursùs choro sanctorum. Cùm autem piæ conuenissent fœminæ, ei quoquè iustis factis, deposuerunt in communi loculo filiarum. Oportebat enim, quomodò animarum, ità etiam corporum esse vnam habitationem: Ad gloriam patris, & filij, & spiritùs sancti, vnius diuinitatis: Quam decet omnis gloria, honor & adoratio, nunc & in secula seculorum, Amen.

S. Sophia obdormit in domino.

DE

DE S. EVSEBIO EPISCOPO VERCELLENSI, QVEM CONSTANTIVS IMPERATOR IVSSIT *abire in exilium, cùm constanter aduersùm Arrianos fidem Catholicam tueretur.*

Epistola S. Eusebij Episcopi Vercellensis, dum esset in exilio, ad presbyteros & ad plebes quasdam Italiæ transmissa, qua de statu suo & vita illos commonefacit. Habetur in codice antiquo, Mediolani typis excuso.

1. Augusti. DILECTISSIMIS fratribus, & satìs desideratissimis presbyteris, sed & sanctis in fide consistentibus plebibus, Vercellensibus, Nouarienſibus, Hipporegiensibus, necnō etiam Dertonensibus, Eusebius Episcopus in Domino æternam salutem.

Licèt nos multis Dominus noster à vobis corpore separatos foueret bonis, & vestram admodùm in aduentu & visitatione plurimorum fratrum nobis præsentiam exhiberet: tamen mœsti ac tristes, & sine lachrymis non eramus: quia longo temporis interuallo vestræ sanctitatis non accipientes scripta, verebamur nè qua vos aut accepisset diabolica subtilitas, aut potestas humana infidelibus subiugâsset. Solicitudo veri pastoris.

His ergò dum afficimur cogitationibus, & omnem cōsolationem fratrum, qui ad vos è diuersis veniebant prouincijs, ad dolorem magìs absentiæ vestræ, quàm ad lætitiam verteremus: hoc præstare dignatus est Dominus, vt id, de quo eram solicitus, nō solùm literis synceritatis vestræ, sed & præsentia charorum nostrorum, Syri diaconi & Victorini exorcistæ, cognoscere potuerim. Agnoui itaque fratres charissimi, vos vt desiderabam, esse incolumes. Et quasì subitò raptum omni longinquitate terrarum, (vt Habacuc factum est, qui per Angelum portatus fuit vsque ad Daniclem) sic me iudicaui ad vos peruenisse. Dum autem singulorum literas accipio, dumque sanctos animos vestros & amorem in scriptis vestris percurro, miscebantur mihi cum gaudio lachrymæ, & auidus ad legēdum animus, occupatione lachrymarum tenebatur. Et erant vtraque necessaria, vt singuli sensus in hoc complementum desiderij sua dilectionis officia cuperent præuenire. Sic per dies in occupatione hac vobiscùm me famulari iudicans, præteritos labores obliuiscebar. Ità enim vndiquè circundabant me gaudia, hinc stabilem fidem, hinc dilectionem, hinc fructum porrigentia, vt in tot & tantis constitutus bonis, subitò me (vt superiùs dixi) non in exilio, sed vobiscùm esse iudicarem. Non solùm Diaconi, sed & exorcistæ, lectores, acolysti, &c. in ecclesia. Dan.14.

Gaudeo itaque, fratres charissimi, de fide vestra: gaudeo de salute, quæ fidem sequitur: gaudeo de fructibus, quòd non solū illic constituti, sed & longè pergitis. Vt enim agricola arbori bonæ inseruit illi, quæ fructuum causa non securim patitur, nō ignibus mancipatur: ità & nos vestræ sanctitati non solùm seruitium secundùm carnem volumus & cupimus exhibere, sed & animas nostras pro vestra salute impendere.

Extendistis, vt dixi, firmos fructu ramos, & per tam longa terrarum spatia ad me pertingere laborâstis. Gaudeo agricola, & libens nostri laboris poma decerpo, quia tātum facere voluistis: nec solùm ego, vel qui mecùm sunt sanctissimi nostri presbyteri & diaconi, vel cæteri fratres, sed & omnes, qui desiderātes sumus. Replêstis enim, vt Apostolus beatissimus dicit, viscera mea, cùm complêstis mandata diuina: quæ complere Christianos in Episcopum vel ecclesiasticos viros decet, quos in exilio fidei causa nôstis laborare. Complêstis, quæ oportebat fratres fratribus facere, & patri filios exhibere. Philip.4.

Sed cùm nos secùndùm mandata diuina, vobis volentes de terrenis cælestes, de caducis stabiles, de fragilibus sempiternos fructus facere, cœpimus per necessitatem patientes quotidiè seminare: gaudebant de vestris fructibus pauperes, glorificabāt Deū, nō solum ciuitatis ipsius homines, sed & omnes: qui autem videre potuerunt, quam mecùm dilectionem habueritis, ex ipsis fructibus videntes glorificabant Deum, & omnino nos honore cum vestra benedictione nominabant.

Diabolus quibus non potest persuadere, iis vim admouet.

Videns hoc diabolus, innocentium hostis, iustitiæ inimicus, contrarius fidei, quia in hoc opere benedicebatur Deus, inflammauit aduersùm nos Arriomanitas suos (qui iam longo tempore suspirabant) non solùm de hoc opere, sed & de sua infidelitate, ad quam nos persuadere non poterant, vt existerent violenti, more hoc, quo semper est vsus, vt quos persuadere non poterat, vi & potestate terreret.

Congregauit itaque suorum multitudinem, qui nos ad officinam infidelitatis suæ rapiunt & eludunt, & totam hanc potestatem traditam sibi ab imperatore dicunt.

His ergò multa dicentibus, & de sua potestate gloriantibus, in hoc illis ostendere volui, quia nihil erant, nec poterant, dum tacens vt carnificibus corpus tradidi, quod S. Eusebius vexatur ab Arrianis. Dominus dicebat posse in persecutionibus tradi. Quàm libero autem fuerim animo, dum ab ipsis patior & recludor, & per quatriduum seruor, & diuersorum increpationes & persuasiones audio, in hoc ostendi, quià nec vnum sermonem dixi. Adderevoluerunt ad malitiam suam, vt à me cessarent fratres, id est, presbyteri & diacones: sed & cæteros dicebant se esse prohibituros, nè ad me accederent. Ego nè ab infidelium manibus, vel potiùs transgressorum, quod deterius est, infidelium, vt Apostolus dicit, manducarem cibum, libellum ad ipsos hoc more feci. 1. Cor. 5.

Exemplar libelli facti ad Patrophilum cum suis.

Seruus Dei Eusebius cum conseruis suis, qui mecùm fidei causa laborant, Patrophilo custodi cum suis.

Qui me in multorum furore non solùm tractum per terram, sed interdùm nudato corpore supinum portâstis de hoc hospitio, quod mihi per vestros & agentes in rebus dedistis, me nũquàm nisì cum vestra violentia egredi passi fuistis. Et Deus scit, & ciuitas nouit, nec vos hîc & in futuro negare potestis. Ideò Deo causam reseruo, vt quem admodùm ipse ordinauerit, finem possit accipere. Interìm hoc me decreuisse sciatis (vt ratio nunc, & in futuro, & hîc possit stare) in hospitio, quo me clausum tenetis, in quo me post primam portationem retrudêtes crudeliùs, ausi fuistis indè eodem modo portare, & in vnam cellam reficere, non panem manducaturum, neque aquam bibiturum, nisì antè singuli professi fueritis, non solùm verbo, sed & manu, vos nõ prohibituros fratres meos, qui mecùm hæc fidei causa libenter patiuntur, de hospitio, quo manent, necessarias escas offerre, nec eos, qui me dignati fuerint requirere. Oportuerat quidem exire de corpore, nè tantum scelus, quod contra ius diuinum & publicum commisistis, sæpè scire volentibus cogerer dicere. Sed nè quis de infidelibus vos in nobis crudeles appellet, & ignorantes diuina præcepta, putet nos confusionem po-

Literis fidē suam profitetur: & Patrophilum arguit.

tiùs vitare noluisse, quàm Domino parére, ideò hoc voluisse præsumere: iterùm dico, quòd nisì professi & verbo & conscriptione fueritis, eritis homicidæ prohibendo. Nouit hoc omnipotens Deus: nouit & eius vnigenitus, inenarrabiliter de ipso natus filius, qui salutis nostræ causa Deus sempiternæ virtutis hominem perfectum induit, pati voluit, morte triumphata, tertia die resurrexit, ad dexterã patris sedet, venturus iudicare viuos & mortuos: nouit & spiritus sanctus: testis est ecclesia catholica, quæ sic confitetur: quia non ego in me reus ero, sed vos, qui conseruos meos necessaria ministraturos prohibere voluistis. Et si hoc putaueritis vos debere contemnere, non quasì mortẽ timentem, sed nè post excessum meum dicatis, me voluntaria morte exire voluisse, & quandam vobis nebulam excusationis inueniatis, conuenturum me scitote ecclesias, quas clausus interìm literis possim pertingere, conuenturum & Dei seruos, vt in ipsis concurrentibus, orbis terrarum, quid fides integra, quæ ab vniuersis catholicis Episcopis comprobata est, ab Arriomanitis patiatur, quos antè damnauit, possit agnoscere. Item subscripsi ego Eusebius Episcopus.

Adiuro te qui has literas légeris, per patrem, filium & spiritum sanctum, vt nõ supprimas, sed alijs legendas tradas.

Hi ergò vix quarta die ad hunc libellum mitigati, iciunos ad hospitiũ, in quo manseramus, reuertere nos compulerunt. Viderunt in terra, quemadmodùm nos reuertentes populi cum gaudio susceperunt. Lucernis nostrum hospitium circundederunt. Cœpimus annuente Domino, iterùm egentibus ministrare. Non hoc sustinuit

Arrianorũ inhumanitas. Eusebius includitur

ipsorum inhumanitas, & nostrum amorem in suum odium peruiderunt. Vix ferè viginti & quinque tolerare potuerunt dies. Erumpunt denuò, & cum perdita multorum manu ad nostrum hospitium veniunt, armati fustibus, per aliena claustra paries tem rumpunt, & ad nos violentes perueniunt. Iterùm rapiunt, & in arctiori custodia cum

cum solo charissimo Tegrino presbytero recludunt. Nostros quoquè fratres, id est, presbyteros & diacones, omnes rapiunt & includunt. Post triduum potestate sua per loca diuersa in exilium mittunt. Alios fratres, qui ad nos venerant visitandos, in carcere publico mittunt, per plurimos dies recluses tenent. Aduolantes iterùm ad hospitium, omnia, quæ aut in sumptu, aut pauperibus fuerant comparata, diruunt. Sed quia hoc publicum ipsorum facinus ab omnibus ciuibus notabatur, argumento hoc vsi sunt, vt aliqua redderent leuiora, & se nobis nostra reddidisse iactarent. Sumptus verò apud se tenuerunt: & post tantum scelus quærebant, si fieri posset, sic negare, vt nullum de meis ad me venire permitterent, qui escas corpori necessarias afferrent. Vix sexta die clamãtibus sibi diuersis, vnum venire permiserunt: quantum ad se fuit, ostenderunt homicidæ animos: quem primùm (nè à malignitate cessarent) quarta die dimiserũt: Postmodùm sexta vix, deficientibus nobis, olim cum victu venire permiserunt. Hæc itaque Arriomanitarum opera. in custodia cum alijs.

Videte sanctissimi fratres, si non est persecutio, dum hæc patimur, qui fidem catholicam custodimus: & altiùs cogitate, num valdè etiam deterior sit, quàm illa, quæ fiebat per hos, qui idolis seruiebant. Illi mittebant in carcerem, non tamen prohibebant ad se venire suos. Arriani crudeliores idololatris.

Quantùm ergò satanas ecclesias vulnerauit per Arriomanitarum crudelitatem? In custodia publica mittunt, qui liberare debent. Violentiam faciunt, qui vt patiantur iustitiæ causa, discunt. Aliena diripiunt, qui sua direpta nè repetant, de diuina lege docentur. Prætereà quanta illos inuasit crudelitas, dum facultatibus temporalibus gaudent? In carcere latronibus clausis, à quæstionarijs vel à iudicibus non denegatur facultas videndi suos: à nobis & nostri prohibentur, & deuoti fratres nè veniant, non solùm ab hospitio arcentur, quo tenemur, sed nè adeant, carcerum comminatione terrentur. Sic cunctos subiugauerunt, vt manifestissimè agnouerim, ab Episcopis incipiam, dum honorem quidam timent amittere, ipsos fidem perdidisse: dumque facultates terrenas & immunitates nolunt perdere, cælestes thesauros & veram securitatem nullam iudicâsse. Sic quoquè ducti cæteri, dum Episcopos hæc timentes perdere vident, amare cœperunt, quæ semper habere non possunt. Sic Arriomanitæ diuites terrent, dum his proscriptionem minantur: sic pauperes, dum potestatem in carcere recludendi habent. Et quanta insania est? In loco quo tenemur, non solùm vitos, qui nobis seruiunt, in carcerem mittunt, sed & puellas sanctimoniales sine vllo diuino timore in custodia publica recludunt. Sed vt gauisi nõ sunt seniores mali, qui pudicitiam Susannæ violare quærebant: ità nec hi gaudebunt semper, qui Ecclesiam persecutione varia, & depressione nimia suæ infidelitati conantur subijcere. Dixit enim sanctus Daniel ad illos: Sic timentes filiæ Israël concumbebant vobiscùm. Sed recedat, sanctissimi, humanus timor à vestris animis, cùm habeatis Domini consolationem, qui dicit: Nolite timere illos, qui corpus occidunt, animam autem occidere nõ possunt. Tempus est probationis, tempus est, vt probati innotescant manifesti. Idcò acceperunt humanum adiutorium, quia diuinum non habent: quod si haberent, nunquàm potestate terrena innocentium sibi animas subiugarent. Matth. 5. Episcopi quidam, nè honorem penderent, fidem perdiderunt. Dan. 13. Ibidem. Matth. 10.

Multa de illorum malis, quibus non solus ego, sed plurimi deprimimur, debueramus scribere: sed nè possemus hoc facere, & ipsorum crudelitatem literis intimare, arctissima custodia seruamur ab ipsis. Ideò ad nos & alij, & nostri amici prohibentur accedere. Sed concessit Dominus mihi hanc epistolam per charissimum nostrum ad vos Syrum diaconem mittere, quem in potestate mittendi habui: quia prouidentia Domini nostri eo tempore ad videnda loca sancta accesserat, & cum cæteris fratribus inuentus non est.

Cæterùm vix hanc epistolam quomodocunquè conscripsimus, Deum semper postulantes, vt custodes in horas refrenaret, & concederet, nè ad vos Diaconus nũcium magis laboris nostri, quàm qualescunque salutationis literas ferret. Propter quod satis vos peto, vt cum omni vigilantia custodiatis fidem, seruetis concordiam, orationibus incumbatis, nostrî memores sine intermissione sitis: vt dignetur Dominus Ecclesiam suam liberare, quæ * super vniuersum orbem laborat, & vt nos qui deprimimur, possimus vobiscum liberati gaudere: quod præstare dignabitur Dominus, petentibus vobis, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est secùm benedictus à seculis & in omnia secula seculorum, Amen. * per, legendum puto.

Iterùm peto, & vos per misericordiam Dei rogo, vt vnusquisque in hac epistola

ſalutationem ſuam nuncupet: quia ſingulis, vt ſolebã, faciente neceſſitate, ſcribere nõ potui. Ità in hac vos omnes, fratres, ſed & ſanctæ ſorores, filij & filiæ, omnem ſexum appello, omnem ætatem peto, vt hac contenti ſalutatione, noſtro obſequio etiam hos, qui foris ſunt, & nos dignantur diligere, ſalutare dignemini. Saluta nt vos fratres noſtri, qui mecùm ſunt, preſbyteri & diacones, ſed & omnes noſtri: qui vnà mecùm ſatis petunt, vt noſtri memores, omnes veſtros noſtro dignemini obſequio ſalutare. Trãſmiſi prætereà literas, quas ad Patrophilum cuſtodem meum feci, vt ex his agnoſcatis, nos Arriomanitarum nec minis poſſe terreri, neque ipſorum ſerpentina blanda ſubtilitate poſſe ad ipſorum ſocietatem perduci. Diuinitas vos protegat, florentesque viuere & hîc & in futuro faciat cum omnibus veſtris, fratres chariſſimi, & ſatis deſideratiſſimi.

DE EODEM S. EVSEBIO VERCELLEN. ITEMQVE *Dionyſio Mediolanenſi Epiſcopo, ex Lib. 10. Epiſt. 82. S. Ambroſij Epiſcopi.*

Bigami nõ admittendi in Clerum.

DIXIMVS quid legis eſt, dicamus etiam quid rationis: ſed priùs cognoſcamus, non ſolùm hoc Apoſtolum de Epiſcopo & preſbytero ſtatuiſſe, ſed etiam Patres in concilio Niceni tractatũs addidiſſe, neque clericum quenquam debere eſſe, qui ſecunda coniugia ſortitus ſit. Quomodò enim poteſt conſolari viduam, honorare, cohortari ad cuſtodiendam viduitatem, ſeruãdam marito fidem, quam ipſe priori coniugio non reſeruauerit? Aut quid intereſſet inter populum & ſacerdotem, ſi iiſdem adſtringeretur legibus? Debet præponderare vita ſacerdotis, ſicut præponderat gratia. Nam qui alios præceptis ſuis ligat, debet ipſe legitima præcepta in ſe cuſtodire. Quàm reſiſtebam, nè ordinarer? poſtremò cum cogerer, ſaltem ordinatio protelaretur: ſed non valuit præſcriptio, præualuit impreſſio.

1. Tim. 3. Tamen ordinationem meam occidentales Epiſcopi iudicio, orientales etiam exemplo probãrunt & tamen neophytus prohibetur ordinari, nè extollatur ſuperbia: Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis eſt: ſi non, deeſt humilitas competens ſacerdotio: vbi cauſa non hæret vitium non imputatur.

Quòd ſi in alijs eccleſijs tanta ſuppetit ordinandi ſacerdotis conſideratio, quanta cura expetitur in Vercellenſi eccleſia, vbi duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo: monaſterij continentia, & diſciplina eccleſiæ. Hæc enim primus in occidentis partibus

Nota hæc de S. Euſebio.

diuerſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate poſitus, inſtituta monachorum teneret: & eccleſiam regeret ieiunij ſobrietate. Multum enim adiumenti accedit ad ſacerdotis gratiam, ſi ad ſtudium abſtinentiæ & normam integritatis iuuentutem adſtringat, & verſantes intrà vrbem, ábdicet vſu vrbis & conuerſatione. Hinc illi proceſſerunt viri, Elias, Heliſeus, Iohannes: qui pelliceis tunicis & caprinis exuuijs induti, inopes atq; egentes, anguſtijs & doloribus afflicti, in ſolitudinibus errabant, inter alta & condenſa montium, inuia rupium, ſpelũcarum horrida, foueaHebr. 11.

rum vadoſa, quorum conuerſatione dignus orbis terrarum nõ erat. Hinc illi Daniel, Ananias, Azarias, Miſael, qui in aula regia paſcebãtur ieiunio, alebantur tanquàm in deſertis cibo aſpero, potuque obuio, meritoq; regij ſeruuli, Regi præualuerunt, & captiuitatem decuſſo iugo contempſerunt, poteſtates ſubegerunt, elementa vicerunt, naturam ignis extinxerunt, euitauerunt flãmas: obtuderunt aciem gladij, ſtrinxerunt leonum ora, & vbi infirmiores fieri exiſtimabantur, ibi fortiores reperiebantur: non refugiebant ludibria humana, qui cæleſtia ſperabant præmia: non horrebãt tenebras carceris, quibus æterni luminis gratia refulgebant.

Dan. 1. Dan. 3. Dan. 6.

Hos ſecutus Euſebius ſanctus, exiuit de terra ſua, & de cognatione ſua, & domeſtico ocio peregrinationem prætulit. Pro fide quoquè, exilij dura præoptauit atque elegit, coniuncto ſibi ſanctæ memorię Dionyſio, qui poſthabuit Imperatoris amicitiam exilio voluntario. Itaque memorabiles viri, circundati armis, vallati exercitu, cùm raperentur de eccleſia, maiore triumphabant de imperio: quia contumelia terreſtri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam: quibus militaris armorum ſtrepitus extorquere non potuit fidem, ſubegerunt beſtialis animi feritatem, quæ nocere ſanctis nequiuit. Ira enim Regis, ira leonis, vt in Prouerbijs habes. Confeſſus eſt victũ ſe eſſe, qui rogabat vt mutarent ſententiam: ſed illi validiorem calamũ ſuum ferreis gladijs arbitrabantur.

Euſebius & Dionyſius in exilium miſſi.

Prouer. 19.

Denique

Deniq; vulnerata eſt perfidia, vt occideret: non eſt vulnerata ſanctorum fides, nõ deſiderârunt patrium ſepulcrum, quibus reſeruabatur cæleſte domicilium. Errauerunt toto orbe, vt nihil habentes, & poſſidentes omnia. Quocunquè miſſi eſſent, locus deliciarum putabatur. Neque enim illis quicquam deerat, quibus fides locuples abũdabat. Deniquè locupletabant alios ipſi inopes ad ſumptum, opimi ad gratiam: tentabantur, ſed non mortificabantur, in ieiunijs, in laboribus, in cuſtodijs, in vigilijs. Euaſerunt de infirmitate fortes: non expectabant deliciarum illecebras, quos ſaginabat fames: non adurebat eos torrida æſtas, quos refrigerabat æternæ ſpes gloriæ. Non frangebant glacialis plagæ frigida, quibus feruenti ſpiritu vernabat deuotio. Non verebantur vincula hominum, quos Ieſus ſoluerat. Non deſiderabant redimi à morte, qui præſumebant à Chriſto reſuſcitari.

2. Cor. 6.

Sancti pauperes euangelici, alios virtutum diuitijs locupletabãt.

Deniquè ſanctus Dionyſius exegit votis, vt in exilio vitam poneret, nè regreſſus, confuſa inſtitutis & vſu infidelium ſtudia plebis aut cleri inueniret. Meruitque hanc gratiam, vt pacem Domini tranquillo affectu ſecùm referret. Itaque vt Euſebius ſanctus prior leuauit vexillum confeſſionis, ità beatus Dionyſius in exilij locis proprio re martyribus titulo vitam exhalauit.

Hæc igitur patientia in ſancto Euſebio monaſterij coaluit vſu, & durioris obſeruationis conſuetudine hauſit laborum tolerantiam. Nanque hæc duo in attentiore Chriſtianorum deuotione præſtantiora eſſe quis ambigat, clericorum officia, & monachorum inſtituta? Iſta ad comitatem & moralitatem diſciplina, illa ad abſtinentiam aſſuefacta atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in ſecreto. Spectatur iſta, illa abſconditur. Ideò bonus athleta ait: Spectaculum facti ſumus huic mundo. Dignus ſanè, qui ſpectaretur ab Angelis, cùm luctaretur, vt ad Chriſti brauiũ peruenire: cùm certaret, vt in terris vitam angelorum inſtrueret, in cælo nequitiam angelorum refelleret. Colluctabatur enim nequitijs ſpiritualibus: meritò mundus eum ſpectabat, vt mundus imitaretur. Hæc ergò vita in ſtadio, illa in ſpelunca. Hæc aduersùm confuſionem ſeculi, illa aduersùs carnis appetentiam, Hæc ſubijciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior, illa tutior, Hæc ſeipſam regens, illa ſemetipſam coërcens. Vtraque tamen ſe abnegans, vt fiat Chriſti: quia perfectis dictum eſt: Qui vult poſt me venire, abneget ſeipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Sequitur ergò Chriſtum, qui poteſt dicere: Viuo autem iam non ego, viuit verò in mè Chriſtus.

Obſerua quæ hic dicuntur de Clericis & Monachis.

1. Cor. 4.

Vita monaſtica tutiſſima.

Matth. 16. Galat. 2.

VITA BEATI FRIARDI RECLVSI, AVTORE S. GREGORIO TVRONEN. EPISCOPO, *Lib. de Vita Patrum, cap. 10.*

MVLTI varijque ſunt gradus, per quos ad cælorum regna conſcenditur, de quibus, vt opinor, & Dauid dicit, quia aſcenſus in corde poſuit. Accipiuntur ergò hi gradus, diuerſorum operum ad cultum diuinũ profectus: & nullus in his greſſum figere poteſt, nisì fuerit, ſicut ſæpè teſtati ſumus, Dei adiutorio ,,uocatus. Sic enim Pſalmographus in illo mediæ perfectionis gradu loquitur, dicens: Nisì Dominus ædificauerit domum, inuanùm laborant, qui ædificant eam: Quod adiutorium nõ modò martyres, verùm etiam & illi, quos ſacræ vitæ celebrauit authoritas, iugiter inquirentes, ad hoc, quod ſitis deſiderij ſpiritalis promebat, alacres peruenèrunt. Nam

Auguſti. 1. Pſalm. 83.

Pſalm. 126.

Duinæ gratiæ auxiliũ ad omnia neceſſariũ.

ſi ad martyrium mens accenſa eſt, huius adiutorij opem popoſcit martyr, vt vinceret. Si ieiunij obſeruantiam adhibere ſtuduit, vt ab eo confortaretur, afflictus eſt. Si caſtitati artus reſeruare voluit impollutos, vt ab illo muniretur, orauit. Si poſt ignorantiam pœnitendo conuerti deſiderauit, vt ab eo nihilominùs ſubleuaretur, cum lachrymis flagitauit. Et ſi quid operis boni exercere eorum quiſpiam eſt meditatus, vt ab hoc adiutorio iuuaretur, expetijt.

Per hos ergò ſcalæ huius aſcẽſus tam difficiles, tam excelſos, tam arduos, cùm ſint diuerſi, ad vnum tantùm Dominum, per ipſius adiutorij opem conſcenditur. Idcirco ſemper ille poſcendus, ille quærendus, ille ìnuocandus erit, vt quod de bono mens conci-

Psalm. 123. concipit, adiutorio suo ipse perficiat. De quo & nobis sine fine oportet dicere: Adiutorium nostrũ in nomine Domini, qui fecit cælum & terrã: sicut & ille beatissimus, de quo nunc nobis futurus est sermo, qui inter diuersas vel tentationes, vel cruces seculi, semper eius adiutorij munimen expetijt.

Fuit igitur apud insulam Vindunitam vrbis Nanneticæ vir egregiæ sanctitatis, Friardus nomine, reclusus: de cuius vita parumpèr ad ædificationem Ecclesiæ dicere delectat animum, quia ignoro, an ab aliquo sit scripta. Hic ab infantia sua semper Deo deuotus fuit atque pudicus: factus autem vir, semper in Dei laudibus, semper in oratione, semper in vigilijs degebat, victûs necessaria proprijs manibus exigens à terra: & si in opera inter reliquos properaret, nunquàm ab oratione cessabat: quod vicinis, aut extraneis, vt mos rusticorum habet, ridiculum erat. Quodam verò die cùm, reliquis in segete culmos incidentibus, manipulos cõligaret, examen mirabilium atq; fœtarum muscarum, quas vulgò vespas vocant, reperiunt. Cumque acerrimè messores emissis aculeis lacerarent, vndique circumeuntes messem, locum illum, in quo hæ adunatæ erant, transiliunt, atque irridendo beatum Friardum alloquuntur dolosè, dicentes: Veniat benedictus, veniat religiosus, qui orare non definit, qui Crucem auribus & oculis semper imponit, qui vijs itineris sui salutaria vexilla præmittit: ipse metat super examen, ipse * illum sua oratione mitescat. Tunc quasi ad cõfusionem Dominicæ virtutis hæc verba suscipiens, prouolutus terræ, orationẽ fudit ad Dominum: & accedens, facto desupèr signo Crucis, ait: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Ad hanc eius orationem confestim omnes vespæ intrà antrum, vndè egressæ fuerant, abdiderunt. Ille verò spectaculum omnium factus, messem statim illæsus collegit. Quod non sine miraculo irridentibus fuit, eò quòd Dominus in se sperantem, ad confusionem eorum sic dignatus fuerit robore.

Deniquè post hæc cùm in arborem pro quadam necessitate ascendisset, subitò, collisо sub pedibus ramo, ruere cœpit, cadensque deorsùm per singulos, quos percutiebat, ramos, Christi beatissimum nomen inuocabat dicens: Christe omnipotens, salua me. Cumque peruenisset ad terram, nihil est læsus, sed aiebat semper: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terrã. His & alijs virtutibus animatus cœpit intrà secreta cordis tacitus cogitare, dicens: Si Crux Christi, & inuocatio nominis eius, atque adiutorium postulatum ab eo, tantam potentiam habet, vt aspera quæque mundi deuincat, periculosa obruat, tentationum atra depellat, & omnia, quæ sunt seculi huius, oblectamẽta pro nihilo reputet ac fastidiat: quid mihi & mundo, nisì vt relictis omnibus, quæ eius sunt, in illius vacare solius debeam obsequijs, cuius nominis inuocatione à periculis sum saluatus iniquis? Et egressus ab hospitiolo suo, oblítus parentes & patriã, eremum petijt, nè in seculo habitanti impedimentum aliquod in oratione mundi solicitudo conferret. Ipse igitur, simul & Abbas Sabaudus, qui quondam Regis Clotarij minister fuerat, pœnitentiam accipientes, Vuindunitensem Nannetici territorij insulam sunt aggressi. Habebant autem secùm & Secundellum Diaconum.

Abbas verò, ablata de aratro Domini manu, ab insula discedens, ad monasterium redijt, nec multò pòst, occultis causis, gladio est peremptus. Sãctus verò Friardus cum Secundello Diacono in supradicta insula stetit immobilis: habebat tamen vterque eorum propriam cellulam, sed procùl inter se positam. Cumque strenuè in oratione persisterent, nocte Secundello Diacono appatuit tentator in specie Domini, dicens: Ego sum Christus, quem quotidiè deprecaris: iam enim sanctus es, & nomen tuum libro vitę cum reliquis sanctis meis assripsi: Egredere nunc ab hac insula, & vadens fac sanitates in populis. His & ille illectus deceptiõibus, discessit ab insula, nec socio nunciauit: tamen cùm infirmis in nomine Christi manus imponeret, sanabãtur. Regressus autem post multum tempus ad insulam, venit ad socium cum vana gloria, dicẽs: Abij extra insulam, & virtutes multas in populis feci. Cumque conterritus ille interrogaret, quid hoc sibi vellet, cuncta, quæ gesserat, simpliciter pandit. At senior obstupescens, suspiransque ac lachrymans, ait: Væ nobis, inquantùm audio, à tentatore deluſus es: vade, age pœnitentiam, nè vltrà tibi præualeant eius doli. Quod ille intelligens, & perisse se timens, cum fletu ad pedes eius prosternitur, rogans vt pro se Dominum deprecaretur. Cui, Veni, inquit, & pariter eius omnipotẽtiam pro salute animæ tuæ poscamus: non est enim difficilis Dominus se confitentibus misereri, cùm ipse per Prophetam dicat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Orantibus au-

Exercitia S. Friardi.

Crucis signo & precibus pellit examen vesparum.

Cadit ex arbore illæsus

Petit eremum, patria parentibusque relictis.

Illusio dæmonis, Secundellum è cellula extrahentis.

Resipiscit Secũdellus.

Ezech. 18.

bus autem illis aduenit iterùm tentator in simili specie ad Secundellum diaconum, dicens: Nónne præceperam tibi, eò quòd oues meæ morbidæ essent, & pastore indigerent, vt egredereris & visitares, atque opem sanitatis eis tribueres? Et ille: In veritate comperi, quòd seductor sis, neque te Deum credo, cuius te speciem mentiris habere. Tamen si Christus es, crucem tuam, quam reliquisti, ipsam ostende, & credam tibi. Cumq; non ostenderet, Diacono Crucem Domini in os eius faciente, confusus euanuit. Rursùm verò ad eum veniens cum multitudine dæmonum, tanta illum cæde afflixit, vt vix putaretur euadere posse: & discedens, nusquàm comparuit. Idem postea Diaconus in summa sanctitate perdurans, die debito defunctus est.

Ad signum Crucis fugit dæmon.

Beatus verò Friardus cùm magnis virtutibus effulgeret, quadam vi ce effractum è vento ab arbore ramum, quem, vt ferunt, ipse inseuerat, collegit compositumque baculum sibi exindè, quem manu gereret, fecit. Post multum verò tempus, iam arefactã virgam in terra plãtauit, infusaque aqua sæpiùs, baculus ille frondes emisit & poma, atque intrà duos aut tres annos in magnam arboris proceritatem distentus excreuit. Quod cùm grande miraculum populis cernentibus haberetur, & quotidiè ad hanc visendã magna turba conflueret, ità vt etiam ipsam remotionem insulæ virtus prodita publicaret: sanctus Dei, nè vanæ gloriæ labe subrueret, arborem arrepta secure succidit. Rursusque sanctus alterius arboris ruinam cernens, quæ acta venti violẽtia, floribus plena corruerat, misericordia motus, orauit, dicens: Nè pereat, quæso, Domine, huius arbusculæ fructus, quæ te iubente florum ornamenta produxit: sed potiùs à te incremẽtum raparationis indultum, fructuum mereatur adipisci effectum. Et hæc dicens, accepta secure, amputauit arboris columnam super radices, quæ adhuc hærebant, columnamque ipsam in modum sudis fecit acutam, ac eam terræ defixit. Mox ligatis sine radice ramis, & ad pristinum restitutis statum, flores, qui aruërant, viruërunt. Ipso quoquè anno hæc arbor fructus cultori suo restituit. Credo ego de misericordia Dei, quod miraculum præsens exigit loqui, quia obtinere potuit hic oratione sua vitam mortuis à Domino impertiri, qui obtinuit arbores aridas in rediuiua viriditate frondescere.

Virga arida crescit in arborem.

Cur sanctus arborem succiderit.

Insigne miraculum.

Idem cùm plerunquè transitum suum fratribus prædiceret, quadam die tactus à febre, dicit suis: Ite ad Felicem Episcopum, & nunciate ei discessum meum, dicentes: Frater tuus Friardus dixit: Eccè consummato cursu vitæ huius, de hoc mundo absoluor: & vt certior sis de hoc verbo, die Dominica transitũ accipio, & vado ad requiem, quam mihi promisit Rex æternus Deus. Veni, obsecro, vt videam te, priusquàm obeam. Cumque ille occasione nescio qua detineretur, mandatum misit, dicens: Rogo, si fieri potest, vt me modicùm expectes, donèc moris actionum dissolutis, ad te vsque perueniam. Reuertẽtibus verò nuncijs, & ista dicentibus, cùm iam lectulo decubaret, ait: Surgamus ergò, & sustineamus fratrem nostrum. O virum sanctitate ineffabilem, qui quanquàm festinaret dissolui & cum Christo esse, non tamẽ oblítus charitatem, obtinuit apud Dominum adhuc esse in mundo, vt fratrem cerneret corporali intuitu. Sed nec illum infimi reor fuisse meriti, pro cuius aduentu Dominus huius sancti dilatare dignatus est diem: nam de illius tarditate accepto nũcio, protinùs quiescente febre, sanus surrexit à lectulo. Post multum verò tempus aduenientе Episcopo, à febre corripitur, ingressumque ad se salutat, & osculatur, dicens: Grandes mihi moras deitinere debito facis, ô sancte sacerdos. Quibus vigilantibus nocte, quæ erat Dominica, manè facto, tradidit spiritum. Eo autem emisso, mox omnis cellula ab odore suauitatis repleta, tota contremuit. Vnde indubitatum est, Angelicam ibì affuisse virtutem, quæ sancti meritum signans, cellulam diuinis faceret aromatibus effragrare. Cuius glorioſum corpus sacerdos ablutum recondidit in tumulo, & Christus animam suscepit in cælo, relinquentem terrigenis exempla virtutum.

Obitũ suũ prædicit.

Precibus obtinet dilationẽ sui obitûs.

Abit è vita.

MAR.

MARTYRIVM S. FELICIS APVD GERVNDAM, AVTHORE ADONE TREVIREN. *Archiepiſcopo.*

1. Auguſti.

IN Hiſpanijs ciuitate Gerunda, natalis S. Felicis martyris, qui de Scillitana ciuitate oriundus, cùm perſecutiones in Hiſpanijs aduersùs Chriſtianos agi comperiſſet, aſſcenſa mercatorũ naui, amore martyrij ocyùs accurrit: & cùm aliquandiù apud Barcinonam, Empurias, & Gerundam verbum Dei prædicãs plurimos in fide confortâſſet, & fama eius longè lateq́ue crebreſceret, iuben. te Daciano, repentè à Ruffino officiali tentus eſt. Cumq́; nomen Chriſti confidẽtiſſimè fateretur, primò fuſtibus cæſus, & in ima carceris truſus: deindè manibus pedibuſq́ue ligatis, negato cibo & potu, in loco ſquallido proiectus, poſt hæc etiam catenis grauioribus vinctus, per totas plateas ab indomitis nullis tractus, & penè in fruſta diſcerptus eſt.

Felix it in Hiſpaniã.

Fuſtibus cæditur.

Dirè cruciatur.

Deindè miſſus in carcerem, nocte ab Angelo viſitatus atque ſanatus, facto die, ad certamina reuocatur. Tunc vngulis excoriatus, capite inuerſo, ab hora tertia vſq; ad veſperam ſuſpenſus, nullum penitùs ſenſit dolorem. Deindè in carcerem Ruffinus eum trudi præcepit, vbi per totã noctem ſplendor copioſus effulſit. Sed & voces Angelorum pſallentium auditæ ſunt in cælo. Quod cùm nunciatũ fuiſſet Ruffino à cuſtodibus, iuſſit eum, manibus poſt tergum ligatis, in maris profundo mergi. Ibi continuò vincula eius diruꝑta ſunt, & angelis ipſius manus tenentibus, ſuper vndas deambulans, ad litus venit. Tunc Ruffinus iuſſit, iterùm cutem eius vngulis detrahi, ac deindè vſque ad oſſa laniari, & tandiù vulnera vulneribus inſtaurari, vſquedùm inuictum Chriſto ſpiritum reddidit. Corpus eius Gerundæ in monumẽto, quod ipſe ſibi præparauerat, conditum eſt Nonis Auguſti.

Vngulis laniatur.

Crudeliſſimè lacerat⁹, moritur.

VITA S. ETHELVVOLDI VVINTONIENSIS EPISCOPI. EIVS SANCTI VIRI VITAM SCRIPSIT *quidem Vuolſtanus Vuintonienſis monachus, eius alumnus: ſed Codex MS. quo vſus ſum, teſtabatur eſſe contractam. Quam igitur nos edimus, eam non niſi Epitomen illius eſſe ſuſpicor. Stylum plerunque mutauimus, & numerum capitum marginì appoſuimus.*

v. Auguſti. Cap. 1.

PARENTES S. Etheluuoldus ingenuos & Chriſtianos habuit, Vuentanæ vrbis ciues. Floruerunt autem ſub Eduuardo ſeniore Anglorum Rege, mandatorum Dei ſeduli cultores. Felix eius genitrix, cùm eum in vtero ferret, intempeſta nocte ſomnium vidit eiuſcemodi. Videbatur ſibi ſedere præ foribus domûs ſuæ, & quoddam ſublime vexillũ ipſius obtutib⁹ offerri, cuius ſuprema pars cælum contingeret: idemq́ue modeſtè ſe ſubmittendo ad terram, ſuis fimbrijs circumplecti ipſam grauidam: rurſusq́ue valdè ſublimiter ſeſe erigere, & inflexibili firmitate conſiſtens, cælum, à quo ſe depoſuerat, repetere. Expergefacta mulier, iterùm ſopore deprimitur, & eccè repentè videt ex ore ſuo exilire & auolare quaſi auream quandam miræ magnitudinis aquilam, quæ volitando cuncta Vuentanæ ciuitatis ædificia auratis alis obtegeret, & in alta cælorum ſe ſubrigens, ab eius ſe adſpectu ſubduceret.

Somnium matris eius.

Cap. 2.

Solenni quodam die, cùm ex more nutrix illius ad eccleſiam ſe conferre, precibus illic incubitura, decreuiſſet, tãta vis imbrium è cælo proruit, & extra eius loci limen, vbi puer aſſeruabatur, pedem afferre non poſſet. Cumq́ue eo nomine acerbiſſimè fleret, omnipotẽtem Dominum deprecatura, caput humiliter depoſuit. Et eccè nullam tempe-

Diuinitùs transfertur

tem poſtatis moleſtiam ſentiens, ſubitò inuenta eſt cum infantulo reſidere in templo, quò ire conſtituerat: & quod nulla ratione credere potuiſſet vt fieret, factum vehementer expauit.

in templum nutrix ſacti Etheluuoldi.

Cùm autem creuiſſet puer, traditus eſt ſacris literis imbuendus. Erat enim natura agili, & acri ingenio, adeoq́ue tenaci memoria, vt quicquid didiciſſet, retineret. Vbi verò adoleuit, & famam eius Rex Ethelſtanus percepit, celeriter eum ad ſe accitum, apud ſe manere voluit, curauitq́ue eum ſacerdotio initiari. Per id tempus Elphegus Epiſcopus ſimul ordinauit Dunſtanum, Etheluuoldum & Ethelſtanum, peractaq́ue Miſſarum ſolennitate, dixit: Hodiè coram Deo tribus viris manus impoſui, quorum duo ad pontificiam euchentur dignitatem, tertius per lubrica voluptatum blandimenta ad miſerabilem deuoluetur vitæ finem. Tum verò Ethelſtanus ſciſcitabatur ex ſancto antiſtite, ipſius cognato, num ipſe is futurus eſſet. Cui ſic ille reſpondit: Non erit tibi pars in ordine iſto, nec in hac veſte diù permanſurus es. idq́ue ità euénit. Nam paulò pòſt ad lubrica ſeculi prolapſus eſt. Etheluuoldus porrò Glaſconiam petijt, & ſub Abbate Dunſtano habitum monaſticum induit, vigilijsq́ue & precibus incumbens, & abſtinentia corpus ſuum édomans, ſemper ad ardua virtutum culmina aſpirauit. Cumq́ue ab omnibus amaretur, & Abbas eum monaſterij Decanum conſtituiſſet, nulla animi ſuperbia intumuit: ſed tantæ humilitatis & ſubiectionis de ſe præbuit ſubditis exempla, vt quotidiano manuum opere hortum coleret, & fratribus ad prandium poma ac diuerſi generis legumina præpararet.

Cap. 3.

S. Etheluuoldus diſcit literas.

Initiatur ſacerdotio.

Accipit habitum monaſticum.

Fit Decan⁹ monaſterij.

Poſtquàm autem Rex Edredus eius ſanctitatem cognouit, hortante eum matre ſua Edgina, locum quendam, quem Abendoniam vocant, ei tradidit, in quo antiquitùs exiguum fuerat monaſterium, ſed tum neglectum ac deſolatum cernebatur. Ad inſtaurandas eius domos præbuit ei Rex de theſauris ſuis, & mater eius etiam largiùs munera ei donauit. Itaque loci eius Abbas effectus, monachos congregauit, eosq́ue in multa vitæ ſanctitate gubernauit. Vénit autem Rex quodam die ad monaſterium, & menſus eſt omnia fundamenta monaſterij propria manu. Rogante autem eum Abbate, vt cum ſuis apud ipſos prandium ſumeret, Rex annuit, & iuſſit Abbas omnibus hydromeli (vulgò medonem vocant) abundè bibendũ inferri. Hauſerunt igitur tota die miniſtri, & omnibus largiter bibentibus, liquor ille vix ad palmæ menſuram imminutus fuit.

Cap. 4.

Creatur Abbas.

Attẽde miraculum.

In eo monaſterio erat frater quidam Elſtanus nomine, vir ſimplex & magnæ obedientiæ, cui Abbas dederat negocium cibos procurandi monaſterij artificibus. Coquebat ille quotidiè carnes, & operarijs ſedulò miniſtrabat, focum accendens & aquam apportans. Accidit autem, vt quodam die Abbas illum cerneret ſtantem iuxta cacabum feruentem, ſimulq́ue adſpiceret omnia vaſa munda & pauimentum ſcopis repurgatum. Itaque hilari vultu ait ad eum: O frater mi Elſtane, hanc obedientiam tu mihi ſuffuratus es. Sed ſi eiuſmodi miles es Chriſti, immitte manum tuam in bullientem aquam, & partem vnam ex imo cacabo mihi impiger extrahe. Ille incunctanter mittens manum, ab imo lebete bullientem partem excepit, aquæ feruorem minimè ſentiens. Is poſtmodùm Abbas creatus, etiam Vuiltoniæ Epiſcopus fieri meruit.

Cap. 5.

Magna obedientia Elſtani monachi.

Fuit Etheluuoldus templorum diuerſarumq́ue ſtructurarum fabricator egregius. Sed communis hoſtis ſolitas ſuæ malignitatis ei tetendit inſidias, vt ſi qua poſſet ratione, eum extingueret. Cùm enim quandoquè vir Dei in ædificio quodam laboraret, ingens poſtis ſuper eum cecidit, & in foueam quandam eum detruſit, omnibus ferè coſtis vnius lateris confractis. Quòd ſi fouea illum non ſuſcepiſſet, mẽbris omnibus contritus fuiſſet. Sed virtute præpotentis Dei vir ſanctus breui reſtitutus eſt. Tandèm iubente Edgaro Rege, vir Dei à beato Dunſtano Vuintonienſis Epiſcopus conſecratur. Erant tunc in veteri monaſterio Canonici moribus valdè deprauatis, elatione, inſolentia, luxuria fœdi, ità vt quidam ex ijs nollent ſuo ordine Miſſas celebrare: repudiatisq́ue vxoribus, quas præter ius faſq́ue ſibi copulauerant, alias ducebant, crapulæ & ebrietati perpetuò vacabant. Id minimè ferens Epiſcopus, annuente Rege Edgaro, expulit eos, & in illorum locum introduxit Abendonienſes monachos, ijſq́ue ipſe ſe & Abbatem, & Epiſcopum exhibuit. Miſit autem Rex quoſdam è ſuis, qui Clericis præciperent, vt aut quamprimùm loco renunciarent, aut monaſticum habitum ſuſciperent. Illi nimio pauore conterriti, cùm vitam monaſticam execrarentur, monachis ingredientibus, ſtatim loco ceſsêre. Poſteà autem tres ex illis,

Cap. 6.

Conſecratur Etheluuoldus Epiſcop⁹ Vuintoniæ.

monachorum habitum complexi sunt. Ad id enim temporis in gente Anglorum non erant monachi, nisi in Glasconia & Abendonia. Porrò Clerici illi, stimulante inuidia & liuore, venenum præsentissimum Episcopo obtulerunt. Quo hausto, statim facie in pallorem mutata, viscera illius cruciabantur. Surrexit ergò à mensa, & in lecto se reponens, dixit tacitus apud se: Vbi nunc est fides tua? vbi sunt cogitationes mentis tuæ? An non vera sunt verba Christi, quibus in Euangelio pollicetur, si mortiferum quid biberint credentes, non eis id nociturum? An non præsens est diuinitate, qui hæc loquitur, etsi corpore absens est? Ille proculdubiò virus hoc in te eneruare potest. His dictis, totam illam lethiferam potionem, quam hauserat, fide sua mox inefficacem reddidit, pulsoque dolore, hilari vultu surrexit. Annuente autem Rege Edgaro, de nouo monasterio, quod nunc Hidam vocant, Canonicos expulit, & Abbatem cum monachis in illud introduxit. Is Abbas ab eo constitutus, fuit Ethelgarus, qui posteà Australium Saxonum Episcopus factus, sancto Dunstano in Archiepiscopatu successit.

Venenum oblatũ hausit, sed nihil lædituꝛ.

Marc. 16.

Cap. 7. Construit monasteria.

Apud Vuintoniam quoquè monasterium virginum construxit in honorem beatissimæ matris Dei. Locum etiam quendam, quem modò Heli vocant, in fiscũ regium redactum, non modico precio emit: monachos illic collocauit: Britnotum præpositum suum, Abbatem eis præfecit, ædificiaq; instaurauit. Emit quoquè à Rege locum Modeshanstede, qui nunc Burg dicitur, basilicamque congruis structuris ornatam, in honorem beati Petri consecrauit: monachos congregauit, Eadulphum eis Abbatem constituit, qui post sanctum Osualdum, Eboracensis ecclesiæ cathedram adeptus est. Tertium quoquè locum precio comparauit, qui propter spineta circunquaquè increscentia, Torneia dicebatur: monachosque illic colligens, Godmannum Abbatem eis dedit. Sicque factum est, consentiente Rege, vt partim Dunstani consilio & actione, partim Etheluuoldi sedula cooperatione, monasteria virorum & fœminarum vbiquè apud Anglos construerentur.

Cap. 8. Visitat monasteria.

Circuiuit autẽ vir Dei singula monasteria, mores conformans & instituens, obedientes hortans, vt in bono magis magisque proficerent: stultos & obstinatos, vtà malo recederent, etiam verberibus adigens. Erat sanè improbis & peruersis terribilis instàr leonis, humilibus & morigeris ceu agnum mansuetissimum se exhibebat: ità serpentinæ prudentiæ temperans seueritatem, vt columbinæ simplicitatis non amitteret lenitatem. Quòd si nonnunquàm zelus rectitudinis eum compelleret disciplinæ iura subditis adhibere, furor ipse non de crudelitate, sed de amore proficiscebatur: atque intùs paterna benеuolentia complectebatur, quos foris tanquàm persequens castigabat. Pater erat & pastor monachorum, sanctimonialium & virginum protector peruigil, viduarum consolator, peregrinorum susceptor, ecclesiarum patronus, corrector errantium, recreator pauperum, pupillorum & orphanorum adiutor.

Improbis terribilem, morigeris verò mitem se exhibebat.

Cap. 9. In magna fame magna eius liberalitas.

Accidit quandoquè, vt acerba fames vniuersam Britanniam vehementer opprimeret, & multi præ nimia inopia dira clade extinguerentur. Tum ille pecuniam suam omnem in pauperes elargitus est. Deficiente pecunia, tolli iussit ornamenta quæque, & permulta vasa argẽtea ex ecclesię thesauris confringi. Ijs in pecunias redactis, cum multo cordis gemitu testabatur, se æquo animo ferre nõ posse, muta metalla durare integra, hominem verò ad imaginem Dei factum, precioso Christi sanguine redemptum, mendicitate & inedia confici. Sustentauit itaque innumeram pauperum multitudinem: qui periculum famis euadere cupientes, ad eum vndiquè confugiebant. Illos ipse in plateis, omni solatio destitutos, refocillabat, singulis necessaria præbens: donèc misericordia Dei de cælo in terram prospiciens, & humano generi solita benignitate subueniens, malum inopiæ temperaret.

Cap. 10. Prou. 3. Hebr. 12.

Verùm quandò, scriptura teste, Dominus quẽ diligit, corripit, & flagellat omnem filium, quem recipit: vir Dei crebrò laborabat viscerum doloribus, crurium tumores patiebatur, noctes plerunquè insomnes ducens præ doloribus, at nihilo minùs interdiù, tanquàm nihil molestię sentiret, ambulans, non tamẽ sine vultûs pallore, memor illius Apostolicæ consolationis, virtutem in infirmitate perfici: & quod idem dicit: Quandò infirmor, tunc potẽs sum. Libenter itaque gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Ersi autem permolestis afficeretur doloribus, nunquàm tamen carnibus vesci voluit, nisi semèl grauissimo compulsus morbo, idque iubente beato Dunstano Archiepiscopo, & rursùs in ea infirmitate, qua decessit.

2. Cor. 12.

Clericus

Cap. 11. Confirmatiõis sacramentum.

Clericus quidam sancti Episcopi, cui erat sacri chrismatis cura demandata, minùs acceperat olei, quàm res poscere videbatur, atque illud ipsum in itinere amiserat. Episcopo verò pueros confirmare volente, nec habẽte Clerico ampullam sacri olei, turbatus & anxius repetit iter, quo venerat: & huc illucque accuratè oculos aduertens, reperit ampullam in via iacentem, oleo plenam, cùm paulò antè nec media suî parte plena fuisset. Ea igitur accepta, cum timore & gaudio reuersus est.

Cap. 12. Monacho maledicit, & ille diuinitùs punitur.

Monachus quidam furti se crimine obstrinxerat. Mandauit Etheluuoldus, vt qui rem abstulisset, quamprimùm eam redderet cum ipsius benedictione: aut in tali eam loco proijceret, vbì posset inueniri. At induratus ille facere hoc neglexit. Venit ergò Episcopus in domum Capitularem, & ait: Noluit sacrilegus pecuniam, quam furatus est, reddere cum benedictione: reddat ergò eam nunc cum omnipotentis Dei maledictione, & sit ligatus non in anima duntaxàt, sed etiam in corpore nostra authoritate. Et eccè monachus ille sedens, inuisibiliter ligabatur, brachijs inter se sub cucullo cohærentibus, cùm interìm reliqua membra suo possent officio fungi. Tandèm exiens ille post Episcopum, confessus est facinus suum: sed quòd ità esset colligatus, id subticuit. Episcopus blandis verbis ei respondit: Vel nunc saltem benè fecisti, licèt serò, confitendo peccatum tuum. Fruere ergò benedictione nostra. Mox illius soluta sunt brachia, Episcopo nesciente.

Cap. 13. Nõ læditur ex casu grauissimo monachus.

Magno studio in veteris ecclesię instaurationem vir sanctus incumbebat, & fratres sæpè laborabant. Interìm accidit, vt frater quidam à summo culmine in terram decideret. Sed mox vt terram attigit, stetit incolumis, nihil quicquam mali ex tanto præcipitio passus.

Cap. 14. Candela ardet in codice, sed nihil adurit.

Nocte quadam beatus vir lectioni operam dans, præ nimijs vigilijs obdormiuit, & candela ardens incidit in codicem. Consumpta tandèm candela, & Episcopo expergefacto, liber illæsus repertus est.

Cap. 15. Visio S. Dũstani.

Cùm S. Dunstanus esset Abbas Glasconiæ, vidit in somnis quandam miræ proceritatis arborem, quæ ramos suos extenderet in Orientem & Occidentem, Septentrionem & Meridiem totius Britãniæ. Eius autem arboris rami innumeris erant onusti cucullis magnis & paruis. In ipso autem arboris summo cacumine vnus erat prægrandis cucullus, qui amplitudine manicarum suarum cæteros protegebat, & ingẽti sublimitate alios excedens, ipsum contingebat cælum. Vir autem Domini Dunstanus attonitus, interrogabat eum, qui hæc illi ostendebat, qui erat angelico capillo, sed canus: Quæso, inquiens, venerande senior, quænam est hæc robusta & præcelsa arbor, cuius rami longè lateque diffusi, tam innumeros cucullos sustinent? Respondit ille: Arbor, quam vides Abba Dunstane, huius insulæ situm designat. Magnus cucullus, qui est in huius arboris vertice, monachi tui Etheluuoldi est, qui in hoc monasterio Christo religiosè famulatur. Reliqui cuculli, qui ramis inhærent, multitudinem significant monachorum, qui eius eruditione instruentur, & vndiquè in hac regione ad Dei seruitium congregabuntur, eiusque ductu venturi sunt ad gloriã regni cælorum, & ad societarem beatorum spirituum cum Christo regnantium.

Visionis expositio.

Cap. 16. Visio Etheluuoldi.

Vidit etiam ipse Etheluuoldus somnium, idque quibusdam monachis suis ità enarrauit: Videbar mihi stare ad litus maris, vbì prægrandis quædam nauis visebatur, copiosam piscium multitudinem, præcipuè anguillarum, ab imo vsque ad summum intrà se retinens. Cumque mecum tacitus cogitarem, quid sibi vellet hæc visio, repentè audiui vocem dicentem mihi: Etheluuolde, Etheluuolde, hoc tibi mandatum à Deo cælitùs missum est, vt excites hos pisces, quibus hæc nauis plena est, & orationibus tuis efficias, vt sint homines, sicut anteà fuerunt. Cuius iussioni mox ego obtemperans, preces pro illis fudi, & lachrymatum perfusus imbre, dixi cum gemitu: Domine Iesu Christe, cui nihil est impossibile, respice propitius ad animas diabolica fraude deceptas, quæ humanę rationis sensu destitutæ, instàr pecudũ in lubrico mũdi huius cœno miserabiliter volutantur. Nè, quæso, permittas bone Iesu, vt de eis triumphans, glorietur humani generis inimicus: sed sancti nominis tui virtute redeãt ad vitam, vt à somno mortis erepræ, te verum & vnicum mundi Saluatorem agnoscant: & deincèps semper ad tranquillum salutis portum confugientes, ab omnibus mundi perturbationibus sint immunes, & sub tua gubernatione permanẽt. Tuum est enim, Christe, mortuos reuocare ad vitam, & imaginem tuam, quam creâsti, ad pristinum decorem reformare, qui venisti in hunc mundum peccatores saluos facere, & dira mortis supplicia passus in Cruce, fundere dignatus es sanguinem tuum pre-

Exorat apud Dominum multos peccatores.

1. Tim. 1.

cioſum pro ſalute omnium noſtrûm. Cùm hæc & his ſimilia compuncto corde & ſpiritu humilitatis effunderem, eccè quos anteà piſces videram, ſubitò homines effectos, & à morte excitatos vidi, qui celeriter ad terram properabant, multi ſanè numero, quorum non paucos agnoui. Vnus autem ex ijs in terram retrorsùm cadens, rurſùs in anguillam verſus eſt: ille videlicet Ethelſtanus, qui mecum quondàm preſbyter fuerat ordinatus, quem deincèps nemo excitare, nec ad humanã formam reuocare potuit. Cæteri omnes, ſublatis in cælum vocibus, plaudebant manibus, & gratias agebant Deo, quòd ineffabili eius clementia, & meæ exiguitatis interceſſione, meruiſſent à morte ad vitam reduci, & humanæ rationi, quam amiſerant, reſtitui. Ego verò gaudens in Domino, & congratulans illis, euigilaui: & hanc viſionem vobis filioli idcircò refero, vt & vos cum bonorum operum fructu in ſancto propoſito perſeuerετis: quô per gratiam Dei poſſitis in eorum numero computari, qui mihi, licèt indigno, commiſſi ſunt.

Ethelſtani caſus horrẽdus.

Cap. 17. Obijt ſanctus Epiſcopus Calendis Auguſti, anno ſalutis nongẽtiſimo octogeſimo quarto, Epiſcopatûs ſui viceſimoquarto, regnante Ethelredo Rege. Corpus eius ſubita immutatione fuit renouatum, lacteo candore perfuſum, roſeoque rubore venuſtatum, ità vt quodammodò ſeptennis pueri vultum præſe ferre videretur. Eſt autem Vuintoniæ in veteris monaſterij crypta ad Auſtralem ſancti altaris plagam, ſicut olim cælitùs ei monſtratum fuerat, perquàm honorificè tumulatum.

Obitus S. Etheluuoldi.

Cap. 18. Anno ab obitu ſuo duodecimo cuidam cæco apparuit, præcipiens, vt iret Vuintoniam, ad ipſius tumbam viſum recuperaturus: addiditque: Ea cauſa te nunc inuiſo, & quæ tibi euentura ſunt, prædico, vt tuę ſalutis ſignum, id omnibus teſtatum efficiat, quòd oporteat me eleuari ab eo tumulo, in quo nunc conditus ſum. Dicente cæco, ſe locum tumbæ eius neſcire, ſanctus reſpondit: Cùm eò véneris, monachum Vulſtanum ad te acciri cures: qui vbì verba tua audiërit, mox ad meum te adducet ſepulcrum, & ibì recuperabis amiſſum lumen. Fecit ille, vt erat iuſſus, & integra recuperata ſanitate, ad ſua reuerſus eſt. Tranſlatum autem eſt corpus beati viri 4. Idus Decembris, & in choro eccleſiæ repoſitum, vbì eius meritis vſque in hodiernum diem multa Deus miracula effecit. Puer quidam paruulus in infantia oculorum lumine orbatus, cùm ad ſancti ſepulcrum eſſet adductus, mox depulſa eſt caligo omnis, & oculos eius ſplendor lucis aperuit.

Ad eius tumulum cæcus illuminatur.

Itèm alius.

Cap. 19. Furem quendam ob multiplices culpas S. Elphegus Epiſcopus flagellis cæſum, cippo conſtringi iuſſit, acrioribus ſupplicijs cruciandum. Cùm ſic ergò diù ille iacuiſſet in pœnis, quadam nocte apparuit ei S. Etheluuoldus, dicens: Miſer, cur tanto tempore in hoc ligno diſtineris? Reſpondit ille: Dignas domine pœnas luo, quia non rarò in furto deprehenſus, nolui reſipiſcere, ſed ſcelus illud iterùm atque iterùm repetiui. Dixit ei ſanctus: At vel nunc ceſſa à furtis, abeasque, ab his compedibus absolutus. Confeſtìm ille ſurgens & exiens, prócidit ad pedes S. Elphegi Epiſcopi, narrauitque ei ordine rem geſtam. Ille verò pro tanti patris honore permiſit eum illæſum abire.

Soluitur cõpeditus.

Cap. 20. In Chronicis annotatum legimus, inter profuſa conuiuia, quæ tunc in Anglia ab Danorum aduentu exercebantur, pane & aqua hunc ſanctum virum vſum eſſe. Erat ſanè per omnia beatiſſimæ matri Dei & S. Cuthberto deuotus, cuius ſedẽ poſt eius obitum nunquàm potuit aliquis impunè * dormitando premere, quin tetris imaginibus territus ſeſe abdicaret, increpantibus illis cur ſedem Epiſcopi indignus vſurparet.

for. * dominando

Orta erat ſimultas anxia inter illum & Goduuinũ Comitem: quæ cùm ſedari non poſſet, iratus Epiſcopus recedendo dixit: Per Dominam meam ſanctam Mariam malè ei erit. Ab ea autem hora à viſcerum torminibus nullam Comes intermiſſionem habuit, donèc ab Epiſcopo eſſet benedictionem adeptus.

Pœna Comitis.

Tandèm Dunelmum profectus eſt, atque illic, quod magnæ videbatur audaciæ, reuulſo ſepulcri operculo, cum S. Cuthberto quaſi cum amico loquebatur: depoſitoque apud illum amoris munere, receſſit.

MAR

MARTYRIVM SANCTISSIMI STEPHANI ROMANI PONTIFICIS, ET EORVM, QVI VNA CVM illo Romæ paſſi ſunt, authore Simeone Metaphraſte, qui ea videtur ex Latinis codicibus Græco ſtylo propè ad verbum deſcripſiſſe: nos verò capitula margini adiecimus.

QVO tempore Valerianus & Gallienus impietatis ſectatores imperabant, Chriſtianorum quamplurimi, acerbiſſimos Tyrannos declinantes, latitabant. Non deerant tamen, qui fidei certamen ſubeuntes, martyrij palmam aſſequerentur. Erat enim lex propoſita, vt quicunque Chriſtianum hominem latitãtem detuliſſet, omnes eius facultates ipſe haberet, & quoſcunque honores in exercitu petijſſet, obtinere poſſet. Illo igitur tempore beatus Romanæ vrbis Epiſcopus Stephanus, cùm totum clerum congregâſſet, ſic eum affatus eſt: Audîſtis fratres & commilitones mei, crudeliſſimum edictum diaboli, vt ſi quis Chriſtianum deprehenderit, omnes eius facultates ipſe poſſideat. Monco igitur vos, fratres, vt terrenas diuitias contemnatis, quô cæleſtis regni hæreditatem percipere poſſitis. Nolite huius mundi principes extimeſcere: ſed Deum cæli & terræ Dominum, eiusque vnigenitum filium Ieſum Chriſtum adorate, illum colite, ad illum confugite, qui poteſt nos omnes eripere de manibus inimicorum noſtrorum, & de diaboli malitia liberatos, ſua gratia corroborare.

2. Auguſti. Cap. 1. Præmium eorum, qui deferrent Chriſtianos. Adhortatur ſubditos ſuos ſanctus Pontifex.

Tunc preſbyter quidam, nomine Bonus: Nos, inquit, terrenas noſtras facultates relinquere in animo habemus: quinimmò ſanguinem ipſum propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & eius nominis cõfeſſionem effundere parati ſumus, vt illum aſſequi digni efficiamur. His dictis, omnes clerici ad beatiſſimi Pontificis pedes proſtrati, ſignificârunt, quot quiſque gentiles domi ſuæ haberet, qui baptizari optarent. Itaque à Pontifice quærebant, num aliò, an ad eum illos ducturi eſſent, quô baptizari poſſent. Iuſſit igitur beatiſſimus Epiſcopus, vt poſtero die ad cryptam, quæ appellatur Nepotiana, omnes conuenirent. Cùm igitur ad eam cryptam conueniſſent, inuenti ſunt illic tam mares, quàm fœminæ, centum & octo: quos illo ipſo die Pontifex in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanctiſſimo baptiſmate & alijs diuinis myſterijs conſecrauit, & vt illis placatum ac propitium Deum redderet, ſacrificium obtulit, ſicque omnes Sacramentorum participes facti ſunt.

Cap. 2. Baptizãtur homines 108. Sacrificium Miſſę offertur.

Eo autem die, qui deincèps ſecutus eſt, beatus Stephanus ordinauit tres Preſbyteros, & ſeptem Diaconos, ac ſexdecim Clericos: & ſedens, omnes illos docebat de Regno Dei, ac de ſempiterna illa vita, quæ futura eſt. Mox cœperũt populi ex Græcis & reliquis gẽtibus ad eum venire: qui diuinos ſermones audientes, à Stephano Pontifice baptizabantur. Intereà venit quidam Tribunus militum, Nemeſius nomine, cui erat filia vnica, quæ ab incunabulis apertos quidem oculos habuerat, ſed nihil omninò adſpiciebat. Ille ſe ad beati Pontificis pedes proſtrauit, ac dixit: Oro te, Pontifex, vt me & filiam meam baptizes, quô & ipſa illuminetur, & animas noſtras ab æternis tenebris eripias, quoniam ad hanc vſque diem ſemper in ærumnis & doloribus propter huius filiæ meę cæcitatem verſatus fui. Tunc beatus Epiſcopus: Si credis, inquit, ex toto corde, omnia tibi credenti conceſſa fuerint. Ad hæc Nemeſius Tribunus: Ego ad hanc vſque diem toto animo credidi, & nunc credo Dominum Ieſum Chriſtum Deum eſſe, qui aperuit oculos cęci nati: neque enim humanis conſilijs impulſus, ſed eiusipſius vocatione, ad ſanctitatem tuam véni.

Cap. 3. Iohan. 9.

His auditis, ſtatìm beatus Pontifex hominem illum adduxit ad locum quendam, qui vocatur Titulus Paſtoris: cumque & ipſum, & eius filiam catechiſmo inſtruxiſſet, quemadmodùm Chriſtianæ fidei Canones & ordo poſtulat, iuſſit eos iciunare vſque ad veſperam. Cùm autem veniſſet hora veſpertina, benedixit aquæ in eo loco, quem Paſtoris titulum vocatum fuiſſe diximus: itaque Nemeſium in aquam demiſit, & baptizauit in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti. Cùm verò ex piſcina exijſſet, cœpit

Cap. 4. Aqua baptiſmi antiquitùs benedicitur. Nemeſius Tribunus baptizatur.

ipsius filia clamare: En hominem video, qui tetigit oculos meos, in cuius circuitu magnæ lucis splendor appáret. Tunc Stephanus & ipsam Nemesij filiam baptizauit, quæ Lucilla vocata est. Ex hoc tempore multi cœperunt ad pedes beati Pontificis Stephani se prosternere, & cum lachrymis baptismum ab eo petere. Illo itaque die, quo Lucilla baptizata est, mares & fœminæ sexagintaduo baptizati sunt. Sic igitur, diuina gratia & ope adiuuãte, multi viri Deum metuentes ex gentibus, beatum Pontificem Stephanum adiêrunt, vt ab illo Christi baptismum acciperent. Mox ille sanctissimus Põtifex, Spiritûs sancti gratia refertus, cœpit Christianorum multitudinem in vnum locum conuocare, diuinaque officia celebrabat in martyrum latibulis, quæ cryptæ appellantur: quo tempore Nemesium patrem Lucillæ ordinauit Diaconum.

Ité alij 62.

Nemesius ordinatur Diaconus.

Cap. 5. Impietatis verò sectatores quidam cùm hæc audiuissent, insuper & Nemesium Tribunum cum tota familia Christi fidem sectari, baptismoque & fidei lumine adiutum, cæcitatem pristinam abiecisse, rem detulerunt ad Glabrionem & Maximum Consules, homines scilicet impietatis valdè studiosos. Tunc illi de ea re consultãtes, præceperunt, vt quocunq; in loco Nemesius Diaconus inueniri posset, omninò grauissimis supplicijs affligeretur. Cùm autem Nemesius ipse quodam die per viam Appiam iter faceret, & esset prope Martis templum, & Valerianum ac Maximum impios homines videret, qui vt anteà consueuerant, fœdissima dæmonibus sacrificia offerebant, ità Deum ipsum flexis genibus orauit: Domine Deus creator cæli & terræ, dissipa consilia & machinas, quibus diabolus humanas mentes peruertit: dissipa eas, quæso, per nomen Domini nostri Iesu Christi filij tui, quem misisti in hunc mundum. Contere satanam, vt miseri & infelices isti ab eius laqueis, quibus irretiti sunt, eripiantur, ac humanis manibus fabricata simulacra derelinquentes, agnoscant te omnium rerum creatorem, Deum & Patrem omnipotẽtem, & vnicum Filium tuum Dominum Iesum Christum. Illa ipsa hora impius Maximus à dæmone correptus, voce magna cœpit clamare: Nemesius nunc factus Christianus, me incendit. Ecce illius oratio me cruciat. Ex illa igitur hora egressi è templo, iusserunt Nemesium detineri. Cùm verò qui eum tenuerant, verberibus pulsarent, repentè Maximus Consul efflauit animam.

Accusatur Nemesius apud consules.

Precatio Nemesij.

Cap. 6. Itaque Nemesius statim ductus est ad Valerianum in palatium, quod Claudij nomine appellatur. Quem sic affatus est Valerianus: Et vbinam est, ô Nemesi, prudẽtia illa tua, quam semper in te cognouimus, tum in consilijs incundis, tum in rebus gerendis firmissimam? An ignoramus nos, quid optimum, quidve pessimum sit, quippè qui non aliud te adhortamur vt facias, nisi quod vtilitatem tibi afferre possit, vt scilicet quæ vera sunt amplectens, deos ipsos non deseras, quos omni tempore à puericia coluisti & veneratus es? Ad hæc Nemesius Diaconus: Ego, inquit, scelestissimus veritatem ipsam dereliqueram, & sanguinem innocentem effuderam, & ad hoc vsque tempus peccatis oneratus fueram: sed Christi Domini & Dei misericordia modò adiutus, tandẽm creatorem meum cognoui, cuius baptismo illuminatus sum, qui & cordis mei oculos aperuit, & corporeis filiæ meæ pupillis lumen restituit. Hunc adoro, hunc timeo, huic cultum & preces supplex offero, cuius auxilium semper implorabo, & simulacra omnia, quæ dæmones esse cognoui, & ipsa, & eorum cultores auersor & execror. Tunc ait Valerianus: Nota mihi sunt veneficia tua, quibus humanas cædes patrare ausus es, quippè qui & Maximum Consulem tuis præstigijs de medio sustulisti: quinetiam adhuc contra nostram & Reipublicæ salutem, temerè Christianorum causa talia veneficia exercere non desistis.

Nemesij egregia oratio.

Cap. 7. His dictis, Valerianus ira percitus, iussit illum in priuato carcere detineri, quem, cùm opùs fuisset, sistendũ præcepit. Iussit etiam Sempronium Nemesij famulum, domino suo fidelissimum, illic præstò esse, à quo eiusdem Nemesij tum facta, tum bona omnia inquirerentur: cuius etiã filiam Lucillam custodiri præcepit apud sceleratam quandam mulierem, nomine Maximam. Postero autem die iussit iniquissimus Valerianus Sempronium tradi cuidam Tribuno, qui vocabatur Olympius, vt torqueretur, & de domino ipsius per eum inquireretur. Illum igitur Olympius his verbis aggressus est: Nouisti ne, qua de causa hîc ante nos constitutus es? Hæc ille ait. Ad quæ Sempronius nihil respondit. Sed nihilominùs Olympius: Ausculta, inquit, Semproni, & fac quod iubent Imperatores nostri: sin minùs, multis & varijs tormentis cruciaberis. Ostendas igitur nobis Nemesij domini tui facultates: deindè verò propitijs deorum

Sempronius famulus Nemesij sistitur corã Olympio.

deorum nostrorum numinibus sacrifices. Ad hæc Sempronius: Si facultates domini mei Nemesij requiris, scito illas à me Christo fuisse oblatas: non enim nostra, sed illius erant bona. Quòd verò dicis & me hortaris, vt dijs tuis sacrificem, nullo modo faciam: Christo enim sacrificio Dei viuẽtis filio sacrificium laudis & confessionis, cui & dominus meus Nemesius seipsum obtulit. Cùm hæc dixisset Sempronius, furore accensus est Olympius, & satellitibus dixit: Prosternite hominem istum, & virgis percutite. Afferte ante illum deum Martem ac tripodem, vt vel dijs ipsis thura offerat, vel sine intermissione aliqua virgis percutiatur. Allatum igitur aureum Martis idolum vnà cum tripode, in conspectu Sempronij locatum fuit. Quod cùm Sempronius vidisset: Cõterat, inquit, te Dominus Iesus Christus Filius Dei viui. Hoc dixit Sempronius, ac repentè idolum illud sic liquefactum est, quasi cera igne admoto. Quod cùm vidisset Olympius, stupore perculsus obmutuit: mox verò domi suæ illum custodiri iussit, dicens: Hac nocte omnia tormenta tibi afferam, & miseris modis te consumam. Hęc dixit, & Sempronium custodiendum tradidit Tertullo cuidam, domûs suę gubernatori. Exuperiæ autem cõiugi Olympius ipse narrauit, quemadmodùm Sempronius Iesu Christi Dei sui nomine inuocato, Martis idolum comminuerat.

Eius constantia.

Destruit idolum Martis.

Tunc Exuperia vxor: Si tanta, inquit, est Christi potentia, quantam dicis, satiùs nobis est dehinc illos ipsos deos relinquere, qui neq; sibi, neq; nobis opem ferre possunt. Quæremus igitur virũ illum, qui Nemesiæ tribuni filiæ lumen restituit. Tunc Olympius Tertullo præcepit, vt mitiùs se gereret cum Sempronio, siquidem Nemesij pecunijs inquirendis ipse operam dare vellet. Hoc mandatum executus est Tertullus. Olympius verò cum coniuge Exuperia, & vnico filio Theodulo, illaipsa nocte venerunt, & ad pedes Sempronij prostrati, dixerunt: Nos paulò antè Christi potentiam cognouimus, verum scilicet Deum illum esse, qui Nemesię tribuni filię oculorum lumen dedit. Quamobrèm te precamur, vt cures nobis dari salutare baptisma in nomine Iesu Christi, quem tu prædicas. Respondit Sempronius: Si pœnitentiam agitis ex toto corde vestro, benignus est Deus meus, & accipiet vos pœnitentiam agentes. Tunc Olympius: Iamiàm, inquit, faciam, vt credas me toto corde Christi Dei fidem sequi. Hæc dixit, & statìm cubiculum patefecit, in quo habebat multa & varia idola. Quibus ostensis, En, inquit, Semproni, hæc omnia simulacra in potestate tua sunt: fac illis, quicquid lubet. Cui Sempronius: Agè, simulacra ista omnia manibus proprijs contere, auroque & argento, ex quibus confecta sunt, igne conflatis, pauperes congrega, & illis hæc distribue. Fecit omnia, quæ Sempronius dixerat, Olympius, nihil prorsùs dubitans. Repentè verò audita est vox è cælo, dicens: In te, Semproni, requieuit spiritus meus. Audiêrunt vocem illam Olympius & eius vxor, & in fide ipsa factisunt firmiores, ob idque ad salutare baptisma promptiores. Itaque Sempronium precabantur, petentes vt sigillum Christi acciperent, & per aquam ac Spiritum denuò nascerentur.

Cap. 8. Olympius cum vxore credit.

Idola suã confringit.

Iohan. 3.

Omnia hæc Sempronius Nemesio domino suo retulit. Quæ cùm Nemesius accepisset, celeriter adijt ad beatissimum Pontificem Stephanum, eique rem omnem exposuit. Ille verò Christo Deo nostro gloriam dedit, & proxima nocte Olympij domum adijt. Quo viso, statìm Olympius prostrauit se ad Pontificis pedes vnà cum vxore Exuperia, & filio Theodulo. Erexit autem illos sanctissimus Pontifex, atque interrogauit, an crederent in Dominum nostrum Iesum Christum. Cui omnes concordi animo responderunt: Credimus, pater sanctissime, in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Tunc Pontifex eos baptizauit in nomine sanctæ, consubstantialis & indiuiduæ atque viuificantis Trinitatis. Ostenderunt autem illi & idola, quæ proprijs manibus comminuerant. Qua de re sanctissimus Pontifex gratias egit Deo, & pro illis sacrificium obtulit benigno & salutis nostrę authori Domino Iesu Christo, eosque sanctæ oblationis participes fecit. Itaque tota illa domus gaudio magno & hilaritate repleta est.

Cap. 9.

Olympius cum suis baptizatur.

Tertius dies præterierat, cùm Valerianus & Gallienus Imperatores valdè impij hæc audiêrunt, qui furore accensi, iusserunt Nemesium & eius filiam Lucillam, indicta causa, torqueri. Sed cùm nullis tormentis de sententia moueri possent, illos obtruncari iusserunt. Et quia cupiebant Lucillæ patri persuadere, vt sententiam mutaret, præceperunt Lucillam priùs obtruncari. Cùm verò & Nemesij propositum stabile atque immobile cognouissent, illum etiam securi percuti iusserunt in loco illo, qui est inter duas vias, Appiam & Latinam, non longè ab Vrbe Roma. Postera die

Cap. 10. Torquẽtur cum filia, & occidiuntur Nemesius.

nefarius Valerianus iussit Sempronium, publicè audiēdum, sisti. Cui dixit: Quarè non consulis tibijpsi, & dijs te subijcis, per quos vniuersa natura regitur & gubernatur? Christus me regit & gubernat, inquit Sempronius, qui & hanc sententiam mihi confirmauit. Tunc iussit Valerianus Sempronium in ignem conjci. Milites igitur cùm ignem multum accendissent, sanctum illum virum Sempronium, vinctis post terga manibus, in mediam flammam coniecerunt. Itaque beatissimus martyr Sempronius in media flamma positus, spiritum Iesu Christo Domino commendauit. Preciosæ autem ipsius reliquiæ intactæ permanserunt. Venit autem beatus Pōtifex Stephanus cum clericis & viris religiosis, sanctique Sempronij reliquias collegit, & illas cum Olympij & sociorum, qui priùs propter Christum interfecti fuerant, sanctissimis reliquijs collocauit.

Sempronius igne redditspiritū.

Olympius cum sociis occiditur.

Cap. 11.

Post multos dies Valerianus & Gallienus cœperunt beatum Episcopum Stephanum & eius clerum inquirere: quinetiam edicto proposito iusserunt, vt vbicunq; inuenti fuissent, post multa & varia tormenta, morte acerbissima necarentur. Itaq; detenti sunt clerici duodecim, quorum nomina hæc sunt: Faustus, Maurus, Primitiuus, Columnius, Iohannes, Exuperantius, Cyrillus, Honoratus, Theodosius, Basilius, Castulus, Donatus: qui cùm multis cruciatibus torquerentur, neq; adduci possent, vt facerent, quod iussi erant, postremò Imperatores iusserunt illos obtruncari in via, quæ appellatur Aquęductus. Quorum veneranda corpora curauit Tertullinus, qui fuerat Olympij seruus, quanuis adhuc esset gentilis, & eorum reliquias reposuit prope corpora sanctorum Iuuini & Basilei, in via Latina Calendis Augusti.

12. è clero trucidātur.

Cap. 12.

Hæc cùm audiuisset beatus Stephanus Pontifex, iussit ad se accersiri Tertullinum, quem multis hortationibus ad Christianam fidem cōuersum, docuit de Regno Dei, & sempiternæ vitæ mysterijs initiauit, sanctissimoq; baptismate purgauit, atque illum adhuc alba veste indutum, ordinauit presbyterum. Quem cùm docuisset de salute ac cælesti Regno sanctus Pontifex: Esto, inquit, tibi frater, hoc onus impositum, vt multorum martyrum reliquias diligenter inquiras. Cùm hoc mandatum accepisset Tertullinus, post duos dies quàm presbyter ordinatus est, à Marco Tribuno comprehensus, ad Valerianum ducitur. Cui Valerianus: Agè, inquit, domini tui pecunias huc affer: * secùs, interficieris. Ad hæc Tertullinus respondit: Si pecunias domini mei & tu habere cupis, æternam vitam assequi poteris: nam ille pro Christo moriens, Deo ipsi facultates suas obtulit, in futuro illo æuo eas recepturus. Si ergò & tu verè in Deum credideris, mutaque ac sensûs expertia idola execratus fueris, misericors & clemens Deus te pœnitentiam agentem amplectetur. Tunc dixit Valerianus: Ergò dominitui pecuniæ æternam vitam illi afferunt? Maximè, inquit Tertullinus, & non solùm æternam vitam, sed perpetuum etiam Regnum conciliant.

Nota hæc de alba veste baptizatorum.

Tertullinus comprehēditur.

Cap. 13.

His auditis, Valerianus ad eos sermonem dirigens, qui aderant: Delirat, inquit, Tertullinus iste. Prosternatur igitur in terram, & multis virgis percutiatur. Itaque cùm beatus Tertullinus sine misericordia verberaretur, voce magna dicebat: Gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, quòd nō disiunxisti me à domino meo, & seruo tuo Olympio, qui & me antecessit martyrio sanctus. Cùm itaque inter verbera & plagas hoc diceret, iussit Imperator eius lateribus ignem subijci. Cui nefarij atque impij homines hoc sæpè inculcabant: Tertulline sacrilege, redde pecunias domini tui. Beatus verò Tertullinus constanti animo atque hilari vultu dicebat Valeriano: Agè, miser, fac celerrimè quicquid vis, vt per incendium & flammas istas me sacrificium Deo gratum offerre possim. Tunc iussit Valerianus Tertullinum non ampliùs verberari, sed tradi Sapritio Vrbis præsidi, cui dixit: Agè, require ab isto pecunias Olympij domini sui: deindè coge illum dijs libare: quod nisi fecerit, varijs tormentis crucietur.

Cap. 14.

Cùm hoc mandatum accepisset Sapritius, statim tribunal sibi parari iussit in eo loco, qui Mamertini domus appellatur: præcepitque adduci ad se martyrem, præcone sic indicente: Adducatur huc sacrilegus Tertullinus. Adductus itaque fuit Tertullinus, quem Præses interrogauit, quo nomine vocaretur. Cui Tertullinus: Peccator, inquit, sum ego, seruus seruorum Iesu Christi. Tunc Sapritius Præses sic eum affatus est: Considera quę nunc tibi præcipiuntur, & sine mora facias, quod dico, vt viuas. Eia igitur dijs sacrifica, & redde, quæ iubemus, bona Olympij domini tui: sin minùs, tormentorum supplicijs consumptus fueris. Ad hæc respondit Tertullinus: Si nōsses æternæ vitæ felicitatem, non esses de præsenti seculo anxius ac solicitus, ea curans quæ a dæmonibus, quos vos colitis, suggeruntur, & tibi & tuî similibus æternos cruciatus

Tertullinus immaniter flagellatur.

Ignis aduritur.

Traditur Sapritio præsidi.

Humile eius responsum.

ciatus afferent. His auditis, Sapritius Præses iussit Tertullini faciem lapidibus collidi. Sanctus verò Tertullinus Deo gratias agens, dixit Præsidi: Tu meum os confringi iussisti, & Dominus meus Iesus Christus, quem ego colo, te ac diabolum idololatriæ authorem conteret. Tunc Præses dixit his, qui præsentes erant: Curnàm iste moratur Olympij pecunias reddere? Et ad eum conuersus: Agè, inquit, affer pecunias, quas debes, & dijs sacrifica, nè capite obtruncatus, vitam amittas. Respondit Tertullinus: Ego in Domino meo Iesu Christo, cui credidi, confirmatus ità sum, & ità illum habere cupio, vt præsentem hanc vitam pro nihilo ducam, cuius nullos certos fines constitutos video.

Facies eius lapidibus tunditur.

Hæc audiens Sapritius, furore accensus, iussit Tertullinum in ligno extendi, & nervis diù verberari. Cùm igitur neruis cæderetur Tertullinus, clamabat: Domine Iesu Christe, nè deseras seruum tuum, qui fidem & spem suam in te collocauit: sed da vires, vt in sancta & recta confessione tua perseuérem. quoniam tu es spes mea, Fili Dei viui. Mox iussit Sapritius Tertullinum in rota suspendi. Dum igitur in rota pendéret beatus ille, Spiritûs sancti auxilium inuocabat. Cùm autē ipsius animum ac propositum ità firmum & stabile vidisset Sapritius, vt moueri non posset, retulit Valeriano Tyranno, Tertullinū nullis minis, nullis adhortationibus, nullis deniq; cruciatibus aut machinis adduci posse, vt vel dijs immolet, vel domini sui facultates ac pecunias in medium afferat. Tunc Valerianus sententiam ferens, iussit Tertullinum obtruncari. E rota igitur depositus, ductus est per viam Latinam ad secundum Vrbis lapidem, quo in loco fuit capite obtruncatus. Eius autem reliquias beatus Stephanus collegit, & sepeliuit in crypta, quæ arenosa dicitur, pridiè Calendas Augusti.

Cap. 15.

Neruis diù cæditur.

Suspenditur in rota.

Capite trūcatur.

Postero autem die Valerianus misit cohortem, quæ beatum Pontificem Stephanum cum multis clericis, presbyteris ac diaconis comprehenderet. Cùm igitur Pontifex & eius clerici cum eo comprehensi essent, plurimi Christiani lugentes alongè illos sequebantur. Posteà verò quàm beatus Stephanus iussu Valeriani ante ipsius tribunal stetit: Tu´ne, inquit sceleratissimus Imperator, es ille Stephanus, qui Rempublicam nostram perturbare ac dissoluere aggressus es, quique consilijs & præstigijs tuis suades populo, vt à deorum cultu desciscat? Adhæc sanctus Episcopus Stephanus respondit: Ego Rempublicam non perturbo, sed admoneo & hortor omnes homines, vt derelictis dæmonibus, qui adorantur in istis vestris idolis, ad verum Deum se conuertant. Ergò, inquit Valerianus, tu statìm interficiendus es, vt alij exemplo tuo perterrefacti, resipiscant & viuant. His dictis, iussit in templum Martis Stephanum Pontificem duci, atq; illic sententiā de illo pronunciari. Ductus est igitur beatissimus Pontifex à satellitibus extra mœnia & portam Appiam ad templum Martis. Quo in loco Episcopus ipse, omnibus spectantibus, oculos in cælum erexit, ac dixit: Domine Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui euertisti turrim confusionis apud Babylonem, destrue, quæso, nunc & locum hunc, in quo diaboli superstitio per idolorum cultum exercetur. Cùm hæc dixisset Pontifex, repentè facto tonitru & fulgure maximo, templū Martis magna ex parte corruit. Quod videntes milites, perterrefacti aufugerunt, ac reliquerunt beatissimum Stephanum cum omnibus Christianis, qui eum secuti fuerant. Itaque illa ipsa hora beatus Stephanus abijt cum omnibus Christianis, quos secum habebat, ad cœmeterium beatæ Lucillæ, vbì multis adhortationibus Christianos consolabatur, ipsos hortans & corroborans, nè Tyrannorum minas & tormenta formidarent, cùm Dominus ipse dicat: Nolite timere eos, qui possunt occidere corpus, animam verò non possunt occídere: timete illum, qui potest & animā & corpus perdere in gehennam. His adhortationibus bonus ille pastor proprias oues confirmans, obtulit Christo Deo omnipotenti oblationem.

Cap. 16.

Stephanus pontifex sistitur coràm Valeriano.

Gen. 11.

Templum Martis corruit.

Consolatur suas oues S. Stephanus. Matth. 10.

Atimpius Valerianus, cùm & Martis templum euersum fuisse, & Christianorum multitudinem cum Pontifice Stephano esse audiuisset, misit milites longè plures his, quos anteà miserat. Qui cùm venissent, inuenerunt beatum Pontificem Stephanum Deo sacrificium offerentem. Illorum autem aduentu sanctus Episcopus nihil perturbatus est: sed tranquillo & quieto animo Christo Deo sacrificium obtulit, atque ibidem capite obtrūcatus est, quarto Nonas Augusti. Christiani verò, qui erant illic, cùm se tali pastore orbatos vidissent, multas lachrymas effuderunt. Eius autem venerandum corpus in illa eadem crypta deposuerunt, vbì & eius sanguis effusus fuerat, in via Appia, in qua martyr ille multa cum pace requieuit.

Cap. 17.

Occiditur S. Stephan⁹.

Eodem die milites idolorū cultores Diaconum quēdam inuenerunt, Tharsitium nomine,

Cap. 18.

Nota hæc de vero corpore Christi in Eucharistia.

nomine, qui purissimum Christi corpus ferebat. Comprehenderunt igitur illum milites: cumq; curiosiùs ab eo inquirerent, quidnam secum ferret, & ipse indignum iudicaret, ante porcos margaritas proijcere, nulla ratione adduci potuit, vt sanctissimum ac purissimum sacramentum impuris hominibus reuelaret. Virgis igitur & lapidibus eousq; Tharsitium contuderunt, quoàd spiritum efflauit. Cùm verò eius corpus exanime per terram volutaretur, curiosi & sacrilegi milites neq; sub vlnis intrà manicas, neque sub vestibus aliquid inuenire potuerunt. Relicto igitur sic, vt erat, venerando illo Tharsitij corpore, multo cum stupore aufugerunt, & ad Appiæ viæ portam venientes, Christianos multos inuenerunt. Mox Valeriano rem omnem exposuêre. Illo autem ipso die Christiani venerandum glorioſi martyris Tharsitij corpus in cœmeterio Calisti in via Appia deposuerunt.

Tharsitius occiditur & à Christianis sepelitur.

Xistus in locum Stephani constituitur.

Post hæc Christianorum Ecclesia in vnum collecta, in sanctissimi Stephani Pontificis & martyris locum, Xistum Romanæ vrbis Episcopum constituerunt nono Calendas Septembris, tertio anno Valeriani, & Gallieni secundo: in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui sit gloria & imperium nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM S. Theodotæ cum tribus filijs, cuius festum incidit in secundum diem Augusti, describitur in vita sanctæ Anastasiæ martyris 25. Decembris, circa medium.

EPISTOLA AVITI PRESBYTERI, DE RELIQVIIS BEATI PROTOMARTYRIS STEPHANI.

3. Augusti.

BEatissimo dilectissimoq; semper in Domino Papę Balchonio, atq; vniuerso Clero & plebi ecclesię Vracarẽsis. Auitus presbyter salutem in Domino æternam. Memores meî esse vos cupio & deprecor, sicut & ego, inquantùm valeo, memoriã vestrî habere nõ cesso, tribulationibus vestris meo dolore compatiens, & pro dissidio patriæ nostræ in locis sanctis incessabiles lachrymas fundẽs: vt aut vobis Dominus restituat libertatem, quos admonere voluit: aut illis tribuat mansuetudinem, quos præualere permisit. Et ego quidem, beatissimi fratres, (teste Domino nostro Iesu Christo loquor) frequenter volui venire ad vos, vt vobiscum vel mala tolerarem, vel bonis fruerer: sed impeditum est desiderium meum, per totas iam Hispanias hoste diffuso. Veritus enim sum, nè & sancta loca relinquens, & ad vos fortè non perueniens, vbicunquè interceptus, irrationabilis audacię pœnas luerem. Sed quoniam misericors Deus meo voto vestroq; merito procurare dignatus est indulgentiæ suæ gratiam, primùm vt dilectissimus filius & compresbyter meus Orosius vsque ad has partes ab Africanis Episcopis mitteretur, cuius mihi charitas & consolatio vestram omnium præsentiam reddidit. Deindè, vt in diebus ipsis, quibus iam ipse reditum incredibili desiderio parabat, beatus & verè sanctus, corona gloriæ nostræ in Christo Iesu primus martyr Stephanus, se reuelare & manifestare signis & virtutibus euidentissimè sequentibus dignaretur: quem ego tãtarum rerum ordinatoris Dei occasione perceptum, dignius duxi charitati vestræ præmittere, vt ipse præsens aduocatus & patronus obsequentiũ sibi petitionibus dignetur assistere, qui cùm pateretur, etiam pro inimicis orare dignatus est.

Orosius presbyter.

S. Stephan⁹ aduocatus & patronus ipũ obsequentium.

Iraque beatissimi dilectissimiq́ue fratres, memoriam vestrî incessabiliter agens, & tam congruẽtem ordinantis Dei dispositionem videns, promptus fui de presbytero, cui reuelatum fuerat, partem aliquam inuenti corporis promereri, quam festinatò expetitam, secretoq́ue perceptam, ad vos dirigere non distuli. Quamobrèm misi vobis per sanctum filium & compresbyterũ meum Orosium, reliquias de corpore beati Stephani primi martyris, hoc est, puluerem carnis atque neruorum, & quod fideliùs certiusq́ue credendum est, ossa solida, atque manifesta suî sanctitate nouis pigmentis vel odoribus pinguiora. Vt autem nulla possit esse dubitatio, ipsam ad vos subditam scriptis meis, sancti presbyteri, cui hæc reuelata sunt, epistolam conscriptionemq́ue transmisi, quam me pro fide veritatis pleniùs cognoscendæ rogante & expetente, dictauit Græco primùm ipse sermone, sed per me posteà in Latinum versa est. Quæ & vos sancti & beati fratres, quàm veraciter gesta sunt, tam fideliter susce-

pta habeatis, imploro: Certus sum enim, quia sicut ipse beatus martyr dignatus est nunciare, & pro salute mundi periclitantis se manifestare, auxilio & præsentia tanti patroni, si vos tale pignus digno studio diligatis, tuti ex hoc quietiq́ue viuatis. Gratia Domini nostri Iesu Christi & sancti spiritûs vobiscum dilectissimi in Domino, Amen.

Vide quid præstent Sancti ipsos venerantibus.

EPISTOLA LVCIANI PRESBYTERI, DE REVELATIONE BEATI STEPHANI ET *aliorum Sanctorum.*

3. Augusti.

LVCIANVS misericordia Dei indigens, & omnium hominum minimus, presbyter ecclesiæ Dei, quæ est in villa Caphargamala, in territorio Hierosolymorum, sanctæ Ecclesiæ & omnibus sanctis, qui sunt in Christo Iesu in vniuerso mundo, in Domino salutem.

Visio, quæ apparuit meę pusillitati à Deo tèr, de reuelatione reliquiarum beati & glorioſi protomartyris Stephani & primi Diaconi Christi, & Nicodemi, qui in Euangelio scriptus est, & Gamalielis, qui in Actibus Apostolorum nominatur, necessarium duxi pandere vestræ in Christo dilectioni, imploratus ac magìs iussus à sancto Dei cultore Auito presbytero, vt secundùm fidem consummatam interroganti quasi filius obaudiens, sicut cognoui, cum omni simplicitate impiger, integrè indicarem omnem veritatem.

Iohan. 5. Act. 5. & 22.

Die igitur paraſceue, hoc est, sexta feria, tertio Nonas Decembres, consulatu Honorij deciès, & Theodosij sexiès Augustorum, adueniente nocte, dormiẽte me in cubiliculo meo, in loco sancto baptisterij, in quo consuetudo mihi erat dormire, & custodiri ecclesiastica, quæ erant in ministerio, hora tertia noctis, quæ est prima custodia vigiliarum, quasi in ecstasi effectus semiuigilans, vidi virum senem, longum, Ieroprepem, hoc est, dignum sacerdotem, canum, barbam prolixam habentem, palliatum albastola, cui inerant gemmulæ aureæ, habentes intrinsecùs sanctæ Crucis signum. Et virgam auream in manu tenens, vénit & stetit ad dexteram meam, & aurea virga pulsauit me, tèr vocans me nomine meo, dicens: Luciane, Luciane, Luciane: & dixit mihi Græco sermone: Vade in ciuitatem quæ dicitur Aelia, quæ est Hierusalem, & dic sancto Iohanni, qui est in ea Episcopus: Quandiù clausi sumus, & non aperis nobis? & maximè, quia temporibus tui sacerdotij oportet nos reuelari? Aperi nobis festinanter monumentum, vbì in negligentia positæ sunt reliquiæ nostræ, vt per nos aperiat Deus & Christus eius & spiritus sanctus ostium clementię suæ in hoc mundo. Periclitatur enim seculum ex multis casibus, qui fiunt in eo quotidiè. Et non tantùm solicitus sum pro me, quantùm pro his, qui sunt mecum positi, sancti & multi honoris digni.

Visio oblata Luciano.

Sancti molestè ferũt suas negligi reliquias.

Et respondi ei, dicens: Quis enim es tu domine, & hi qui tecum sunt? Respõdit mihi: Ego sum Gamaliel, qui Paulum Apostolum Christi nutriui, & legem docui in Hierusalem. Et qui mecum in Orientali parte monumenti iacet, ipse est dominus Stephanus, qui lapidatus est à Iudæis & principibus sacerdotum in Hierusalẽ pro Christi fide foris portam, quæ est ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar. Ibì die ac nocte iacuit proiectus, vt sepulturæ non daretur secundùm mãdatum impiorum principum, vt à feris consumeretur corpus eius. Ex Domini aũt voluntate non tetigit eum vnum ex his, non fera, non auis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem à Domino, & partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram religioſos Christianos, & in Christo Iesu fideliter credentes, habitantes Hierusalem in medio Iudæorum: & hortatus sum eos, & necessarias substantias ministraui, ac persuasi illis ire occultè, vt portarent corpus eius meo vehiculo in villam meam, hoc est, in Caphargamalam, quod interpretatur, villa Gamalielis, viginti millia habens à ciuitate. Et ibì feci illi planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in meo monumento nouo in Orientali theca, & præcepi meis, vt quæcunque necessaria erant pro eius planctu, de meo darent.

Hæc citatur à Beda lib. Retract. in Act. Apostol. cap 8.

Corpus S. Stephani in sepulcro S. Gamalielis primò sepultum.

Ipse etiam dominus Nicodemus in alia theca positus est, qui venit ad Saluatorem Iesum nocte, & catechizatus est ab eo, audiens: Nisì quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum cælorum. Et ïens, baptizatus est à

Iohan. 3.

Christi

Item S. Nicodemi iuxta eum & S. Abibæ.

Christi discipulis. Et cognoscentes Iudęi, amouerunt eum à principatu suo, & anathematizauerunt eum, & de ciuitate exiliauerunt. Tunc ego Gamaliel, quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, & alui & vestiui vsq; ad finem vitæ eius, & defunctum honorificè sepeliui iuxta dominum Stephanum. Similiter & Abibas filius meus dilectissimus, qui mecum baptismum Christi accepit ab eius discipulis, viginti annorum existens, ante me mortuus est, in tertia theca excelsiori iacet, in qua & egoipse posteà defunctus, sum applicitus. Mea verò vxor, Ethna habens nomen, & Sedemias primogenitus meus, quia noluerunt esse Christi fidei cultores, in alia villa matris suæ sepulti sunt, hoc est, in Capharsemelia.

Interrogaui autem ego humilis Lucianus presbyter, dicens: Vbi vos quæremus? Qui dixit: In medio proastio, quod potest intelligi, suburbano, proximus de villa ager, qui dicitur Delagabri, id est, virorum Dei. Et euigilaui, & deprecatus sum Dominum, dicens: Domine Iesu Christe, si est hæc visio ex te, & non est illusio, fac vt iterùm & tertiò appareat mihi, quandò vis & quomodò vis. Cœpi ergò ieiunare, & siccas escas sumere vsque ad aliam parasceuen. Et iterùm dominus Gamaliel eadem similitudine eodemque schemate apparuit mihi, sicut in prima visione, dicens: Quarè negligenti ire, & dicere sancto Episcopo Iohanni? Et ego respondi: Timui domine mox ire à prima visione, & hæc nunciare, nè viderer seductor esse. Deprecatus sum autē, vt fiā Domino missus fuisses ad me, denuò ac tertiò apparéres mihi. Dixit autē ad me: Acquiesce, acquiesce, acquiesce mihi. & iterùm ait mihi: Quoniam requisisti de reliquijs singulorum, quomodò & vbi positæ sint: appone sensum, & vide diligenter, quæ ostenduntur tibi. Et dixi: Etiam domine. Et statim attulit quatuor calathos, tres aureos, & vnum argenteum. Tres eorum pleni erant rosis: duo albas rosas, tertius rubicundas habebat, coloris sanguinei. Quartus verò calathus, qui erat argenteus, plenus erat croco benè olēte. & posuit eos ante me. Et ego dixi ei: Quid sunt isti, domine? & dixit mihi: Lipsana nostra sunt. Qui rubeas habet rosas, ipse est dominus Stephanus, qui à dextris positus est ad Orientem ab introitu monumenti. Secundus calathus, dominus Nicodemus est, positus contra ostium. * Tertius calathus ille argenteus, est Abibas filius meus de vtero testimonij, id est, iteratus in lege, & immaculatus ex vtero matris suæ, excessit è mundo: propterea in similitudinem argenti mundissimi apparuit. Nunquid non vides crocum, qui in ipso est, suauissimi esse odoris? Et ipse coniunctus est meo calatho in excelso loco, vbi ambo positi sumus quasi gemini. Et cùm hęc dixisset, denuò ex oculis meis euanuit.

Eadē visio offertur Luciano etiā secundò.

Aliàs * Tertius verò calathus, ipse est meus. Quartus autē calathus ille argēteus, Abibas filius est meus, q̄ immaculatus, &c. Tertiò videt eadem Lucianus.

Cumque expergefactus fuissem, gratias egi Deo omnipotenti, & consuetis ieiunijs operam dedi vsque ad tertiam reuelationem. In tertia igitur septimana, eadem die & hora venit supradictus vir cōminans & fremebundus, & dixit mihi: Quarè vsq; nūc dissimulasti, & noluisti pergere & dicere Episcopo Iohāni, quæ tibi dicta sunt & ostensa? Quam excusationem habebis apud Deum, aut quam veniam prō hoc contempru sperabis in die iudicij? Nunquid non vides, quanta siccitas est & tribulatio in toto mundo, & tu negligenter agis? Nunquid non consideras, quia multi meliores te sunt per eremum sancti viri, quos prętereuntes, per te voluimus innotescī? Ideo nanque te ex alia in hac villa voluimus esse sacerdotem, vt per te manifestaremur. Exurge igitur & vade, & dic illi, vt aperiat nobis & faciat locum orationis, vt intercessione nostra misereatur Dominus populo suo. Et cùm ad verba eius intremuissem, dixi: Non negligens fui, domine mi, sed præstolabar tertium aduentum tuum. Nunc verò sine crastina die pergam, omnia, quæ mandâsti mihi, dicturus. Et cùm indignās aduersùm me staret, videbar mihi quasi in altero mētis excessu deuenisse Hierosolymis, & quasi in conspectu adstaremEpiscopo Iohanni, narrans ei omnem visionem: à quo videbar audire: Si hæc sic se habent, vt dicis, charissime, & Dominus tibi reuelauit hæc temporibus nostris, oportet me colligere de possessione illa bouem illum maximum arātorem, qui & carro & aratro aptus est, & dimittere tibi possessionem cum omnibus cæteris. Ad quem aio: Vt quid mihi possessio domine mi, si non habeo bouem, per quem regatur & aretur possessio? Et dixit mihi Episcopus: Ità placuit, charissime, quoniam ciuitas nostra vehiculis ministratur, & vnum bouem illum maximum ad carrum minùs habemus, quem tu dīceris in possessione tua celare. Oportet nanque, vt in ciuitate celeberrima sit magis, quàm in parvula possessione. Nunquid non tibi sufficiunt duo residui boues minores ad excolendam terram vehiculi tui? Cumque hoc in ecstasi, hoc est, in excessu mentis audissem, statim expergefactus, benedixi Dominum,

Sanctorum intercessio.

minum, & perrexi ad ciuitatem ad sanctum Iohānem Episcopum. Et cùm illi omnia, quæ videram, nunciâssem, reticui de visione bouis, expectans quid audirem ab eo. In tellexeram enim, quia S. Stephanus ipse esset bos maximus: quia carri illi, de quibus dicebat, sanctæ essent ecclesiæ: & Sion prima ecclesia, ipse esset carrus maior. Et quia habebat sanctus Episcopus à me petere benedicti Stephani reliquias, ideò de visione bouis Episcopo dicere nolui.

Aperit visionē Iohāni Episcopo Lucianus: sed de boue non facit mētionem.

Cumque hæc audisset Iohānes Episcopus, lachrymatus est præ gaudio, & dixit: Benedictus Dominus Deus, filius Dei viui. Si hæc, vt dicis, charissime, & audisti, & Deus tibi reuelauit, oportet me indè transferre beatū Stephanum, primum martyrem & Archidiaconum Christi, qui primùm aduersùm Iudæos Dominica bella bellauit, & Deum in sua maiestate, in terris positus, in cælo vidit stantem, & tanquàm angelus in concione hominum apparuit. Hæc autem omnia vt vidi, ità euenerunt, & consona sibi apparuerunt vniuersa. Dixit autem mihi sanctus Episcopus: Vade, fode in aceruo, qui est in ipso agro: & si inueneris, nuncia mihi. Et ego dixi ei: Perambulaui agrum, & vidi aceruum minutorum lapidum in medio, vbi arbitratus sum eos esse. Et dixit mihi papa: Iam dixi tibi: Vade, fode, & si inueneris, sedens, custodi locum, & manda mihi per diaconum, vt veniam ad locum. & ità me dimisit. Et cùm venissem in villā, misi præcones, vt omnes habitatores villæ diluculo consurgerent, & foderent in aceruo. Eādem verò nocte apparuit ipse dominus Gamaliel cuidam monacho, nomine Nugetio, innocenti & simplici viro, eādē similitudine, qua mihi apparuit, & dixit ad eum: Vade, dic Luciano presbytero: Vanè laboras in aceruo illo: modò ibi non sumus: sed tuncibi positi fuimus, cùm lamentarentur nos secundùm consuetudinem antiquorum. Propter quod ibi aceruus, in testimonium planctūs, factus est. Sed quære nos in alia parte, quæ est Boran, & loco, qui dicitur Syra lingua Dabatalia, quod interpretatur in Græco, Ανδρῶν ἀγαθῶν, quod nos possumus dicere, Virorum fortium. Diluculò verò consurgens ad hymnos, inuēni monachum prædicantem omnibus fratribus. Hymnis deindè dictis, cœpi dicere: Eamus ad aceruum illum, & fodiamus in illo. Tunc quidam dixerunt mihi: Audi primùm, quid dicat monachus Nugetius. Et aduocato monachoNugetio, exquisiui ab eo, quid esset, quod vidisset. Ille autem vniuersa signa, quæ videram, domini Gamalielis dixit mihi, & quemadmodùm vidisset contra Austrum agrum situm, & monumentum in eo quasi neglectum & ruinosum, vbi vidissettres lectos aureos stratos, & vnum ex eis altiorem cęteris, in quo erant duo iacentes, vnus senex, & vnus iuuenis: & in alijs duobus lectis erant singuli. Et respondit, qui erat in excelsiori lecto, & dixit mihi: Vade, dic presbytero Luciano, quoniam nos domini loci istius fuimus. Si vis magnum & iustum inuenire, ipse ab Oriētali plaga positus est.

Nugetius monachus visum videt

Aperit visionem Luciano presbytero.

Et hæc audiens à monacho, glorificaui Dominum, quoniam inuentus est alius testis in reuelatione. Nos igitur iuimus ad aceruum, & fodientes, nihil inuenimus. Conuertimus autem nos ad monumentum illud, vbi monacho ipsa nocte apparuerat: & fodientes, inuenimus tres thecas, secundùm quod apparuerat mihi in typo calathorum. Inuenimus igitur altissimis literis scriptum lapidem obrutum, habentem ità: Celiel, quod interpretatur, seruus Dei: & Apaan, Dardan, quod interpretatur Nicodemus, & Gamaliel. Hoc interpretatus est papa Iohannes, sicut audiui ab ipso sancto Episcopo. Statìm ergò renūciaui Episcopo, cùm esset in Lidda, quę est, Diospolis, synodum agens. Qui assumpsit secum duos alios Episcopos, Eleutherium de Sebaste, & Eleutherium de Iericho, & venerunt ad locum. Qui cùm aperuissent domini Stephani thecam, statìm terræmotus factus est, & tanta suauitas & fragrantia odoris indè egressa est, quantam nullus hominum se meminit vel audisse, vel sensisse: ità vt putaremus nos in amœnitate paradisi esse positos. Multitudo nanq; populi aderat nobiscū, inter quos erant plurimi infirmi varijs languoribus. Et ipsa hora mox de odore suauitatis eius, septuaginta tres animæ curatæ sunt, ab alijs fugati dæmones, aliarum fons restrictus est sanguinis: alij à strumis & furunculis liberati: alij à * stringio sanati, alij à tertianis & quartanis: alios febris reliquit, alios morbus regius: alij à cephalea curati, & hemicrania: nonnulli à viscerum occulto dolore liberati. Et multas alias curationes senserunt homines, quas enumerare longum est. Et osculantes sanctas reliquias, iterùm clauserunt. Et tunc cum psalmis & hymnis portauerunt reliquias beati Stephani in sanctam ecclesiam Sion, vbi & Archidiaconus fuerat ordinatus: derelinquentes nobis de membris eius paruos articulos: immò maximas reliquias, terram

Inuenitur sacræ reliquiæ S. Stephani, &c.

Multi curātur odore sanctarū reliquiarum. * stringio

cum puluere, vbi omnis eius caro absumpta est: cætera absportauerunt.

Ex his ergò reliquijs transmisi beatitudini vestræ: quas cùm susceperitis, orate pro exiguitate mea, vt dignus inueniar in conspectu Domini, fultus beatissimi martyris Stephani meritis, & vestris orationibus. Translatæ sunt autem reliquiæ ipsius martyris * 7 * 8. Calend. Ianuarij, & tũc in tempore iugis & infinita siccitas erat: sed eadem hora pluuia magna descendit, & abundanter inebriata est terra, & omnes glorificabant ibi Dominum propter sanctum eius Stephanum, & propter cœlestem eius thesaurum misericordiæ & pietatis, quem periclitanti sæculo aperire dignatus est Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Dedit Dominus terræ pluuiã in S. Stephani inuentione.

DE S. VALENTINO PATAVIENSI EPISCOPO SCRIPTA QVAEDAM ANTE ANNOS AMPLIVS QVADRINGENTOS, *sed namen authoris MS. Codices non habent. Stylum F. Laur. Surius hinc indè nonnihil expolinit.*

Augusti 4.

NOSTRO æuo, temporibus Calixti Pontificis Maximi, anno Dominicæ incarnationis 1090. (sic habent duo MS. libri, sed vel in Pontificis nomine mendum est, vel in numero annorum, legendumq; 1120. aut circiter) Patauij inuentum est corpus sanctissimum venerandi confessoris Christi & Episcopi Valentini, idq; ab eiusdem sedis venerabili antistite Dedalrico. Quod quidem sacrum corpus olim eò translatum à Longobardorũ gente è castro Magiensi, iussu venerandi Ducis Tassilonis, Dei benignitate propriæ sedi restitutum est. Prima verò trãslationis eiusmodi fuit occasio. Cùm beatæ memoriæ S. Corbinianus Episcopus Frisingensis Romam aliquandò proficisceretur, captus est à ministris Grimoaldi Longobardorum principis, qui in Alpibus excubabãt, perductusq; est in Magiense castrum. Vbi cùm maneret sanctissimus vir, accessit ad monumẽtum S. Valentini, Patauiensis quondàm Episcopi, quod in eodem castro in Alpibus sito, idem beatus antistes Valentinus extruxerat: in quo postquàm gentibus prædicauerat, & multos ab ethnicismo ad Christi religionem traduxerat, post obitum suum humatus, requieuit in pace. Vbi verò iussu Grimoaldi Principis Corbinianus Episcopus dimissus est è custodia, Romam ire perrexit, atq; indè prospero cursu ad eundem locum reuersus est. Cumq; non mediocriter doleret sancti pontificis Valentini corpus à propria ecclesia longiùs semotum, rogauit Tassilonem Ducem, patrem Grimoaldi ducis, vt per ipsum propriæ sedi quandoq; vel mortuus restitueretur. Eius verò precibus annuens Tassilo, præcepit, vt corpus beati Valẽtini à castro Magiensi Patauiũ, vndè quondàm ab improbis hæreticis, Arriana perfidia infectis, expulsus fuerat, honorificè deportaretur. Itaque hunc in modum translatum est corpus sanctissimi viri à Magiensi castro Patauium, positumque inter duos muros ante fores ecclesiæ beati Stephani protomartyris, vbi Episcopi sedes est.

Inuenitur corpus S. Valentini Episcopi.

S. Corbinianus Frisingensis Episcopus,

Corpus eius transfertur Patauium.

De literis cum sacro corpore inuentis.

IPSO autem sanctissimi Valentini pontificis inuento corpore nostris temporibus in ecclesia Patauiensi, iuxta illud reperta est tabula plumbea, in qua cõtinebantur scripta strictim, & vt vix possent intelligi, eius sanctissima gesta, tum etiam quis fuerit, quemadmodùm ecclesiæ Patauiensis Episcopatum administrârit, vt expulsus, in locis montanis vitam suam exegerit, vt deniq; post mortem reductus sit. Quæ quidem scriptura tum vetustate, tum terræ putrefactione dissipata, & ab inuentoribus in vnũ collecta, rerum gestarum ordinem ægrè hunc in modum manifestat: Vénit ab Oceano vir humilis, Valentinus nomine, in Norici vrbem Patauium, idque animo apud illos prædicandi. Sed quia id hominum genus ferum ac belluinum nimis erat, exiguũ apud illos animarum fructum capere potuit. Videns autem terræ eius opportunitatem, & quorũdam hominum frugalitatem, regionemque iam albam ad messem, ità intrà se cogitabat: Non debet concionandi munus quisquam sibi vsurpare, nisi ex Apostolicæ authoritatis iussione, sicut scriptum est: Quomodò prædicabunt, nisi mittantur? Hæc

S. Valentinus prædicat Patauij.

Vide quid tribuat Romano Pontifici. Rom. 10.

Hæc dicens, adijt pontificem Romanum. Qui cum honorificè & reuerenter excepit, libenterque eum audiuit, & Apostolica authoritate eius studium prædicandi confirmauit. Reuersus ergò ille Patauium, tẽtauit illic prædicare verbum vitæ, sed nihil profecit. nondùm enim tempus miserendi eius aduenerat. Rursùs autem cogitauit adire Romanum pontificem, vt ab eo vel in aliã prouinciam mitteretur, vbi animas Christo lucrifaceret, & suæ quoquè salutis acciperet incrementa. Venit ad Pontificem, interrogatur ab eo, quid ità citò reuerti voluërit, respondet in hunc modum: Domine mi, pater charissime, obstãte infelicitate mea, non potui vllum fructum facere. Redij ergò ad te, orans vt ad aliam gentem me mittas, vbi fructum animarum, Christo iubente, colligam, nec minorem animæ meæ profectum percipiam. Respondit Pontifex: Insta frater opportunè, importunè, & beatus erit fructus laboris tui: si possis tantùm vti constantia, donèc frangas feritatem diù reluctantis populi. Quòd si verò iam tertiò conando nihil effeceris, authoritate Apostolica licebit tibi ad alias gentes prædicandi causa commigrare. Atque ità imponens ei manum, ordinauit eum Episcopum, datáque benedictione, à se dimisit. Ille celeriter reuersus Patauium, prædicauit verbum salutis & fidem sanctæ Trinitatis. At homines illi videntes eius prædicandi instantiam, vnà cum Arrianis restiterunt ei, nec sine læsione eiecerunt eum è finibus suis. Ille verò, vt erat homo patiens, excusso puluere pedum in eos, egressus ab vrbe, ad montana se contulit, vbi ex Dei prouidentia ingentem attulit animarum fructum, cum magno suæ salutis augmento: & tandèm Deo & hominibus charus, feliciter in Christo defunctus est. Hucusquè in tabula plumbea habetur.

Ordinatur Episcopus.

Matth. 10. Luc. 9.

Obitus eius

Sequuntur quædam de gestis eius, eodem authore, qui superiora huius historiæ scripsit.

Fuit itaque beatus Valentinus Episcopus in Alpibus, in locis nemorosis & syluestribus, in quibus ethnici multi, & feri ac belluini homines morabantur, prædicans ac docens verbum Dei, & virtutes multas efficiens, ità vt ab obsessis corporibus dæmones pelleret, sanaret infirmos, & multos malè habentes à diuersis languoribus curaret. Erat enim vir sanæ doctrinæ, & fidei catholicæ regula perfectè imbutus: non palpans vitia hominum, sed pungens: aculeatis sermonibus vtens aduersùs flagitiosos, & tanquàm clauis quibusdam in altum defixis: abstinens se ab omni fratre ambulante inordinatè. Versutias hæreticorum toto studio declinabat, ità vt nec audire eos, nec in cibo, potu, aut qualibet amicitiæ coniunctione cum eis communicare vellet.

Prædicat in Alpibus.

Edit miracula.

Vitat hæreticorũ communionem.

Quæ etiam ei partìm causa fuit montana expetendi, vt nulla ipsi daretur alicuius cum eis commercij occasio, aut communicandi necessitas offerretur. Arriana perfidia, inter cæteras hæreses per totum orbem peruaserat, & instàr serpentis suo veneno infecerat limites, quos olim doctrina Apostolica ad Christi fidem adduxerat. Nè ergò vir sanctus, & catholicæ religionis firmitate roboratus, hæreticorum, quibus præ multitudine resistere non poterat, tumultuosos clamores audiret, ad montana se contulit: vbi cùm sanæ doctrinæ & veritatis prædicationi vigilanter incumberet, multum Domino populum lucratus est. Audientes enim eum populi multi, qui non modò in montanis, sed etiam vicinis locis & circa Alpes cõtra Italiam & Insubres degebant, sacrum ab eo baptisma percipiebant.

Atriana hæresis, tẽpore S. Valentini erupit.

Quidam etiam ab erroribus, quos ab hæreticis hauserant, resilientes, beati Valentini orthodoxa prædicatione instituti, sanam fidem complectebantur, confitentesque peccata sua, & abstinentes se ab omni opere malo, glorificabant Deum patrem omnipotentem, & filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, redemptorem & Saluatorem mundi, & Spiritum sanctum paracletum, illuminatorem & consolatorem animarum, veram & sanctam Trinitatem, diuini nominis & confessionis vnitatem. Non est in hac Deitatis confessione diuisio, non est in personis inæqualitas. Pater æqualis & consubstantialis est filio & spiritui sancto: attamen alia persona patris, alia filij, alia spiritûs sancti: sed vna Deitas & consempiterna maiestas: quę cuncta creat, cuncta vegetat, cuncta gubernat.

Multos Domino lucratur.

Docet verã & catholicã fidem amplectẽdam.

Eam fidem constantissimè prædicabat beatus Valentinus Episcopus, & in hac sanctæ Trinitatis confessione perdurabat. Hac fide multos ab errore diabolicæ prauitatis liberabat, multorumq; animas à præcipitio æternæ damnationis eripiebat. Quos verò subtraxit diabolo, illos adduxit ad Christum: quosq; conuertit ad fidem, saluti restituit animarum.

Eiº optimæ institutiões

Docebat autem eos reſiſtere vitijs, pugnare cum mundi huius pratis cupiditatibus, priſtinos errores prorsùs abijcere, cūctis vanitatibus valefacere. Docebat populum Dei rectè credere & benè operari, ſpernere lenocinia blandictis ſeculi, perfectéque ambulare in via Domini, & quæ fide recta comprænderent, ea bonis operibus cōplere. Cumq; hæc alios doceret, nequaquàm ſeipſum neglexit, ſed dabat operam,

1.Cor.9. vt poſſet ipſe quoquè dicere cum Apoſtolo: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, nè fortè alijs prædicans, ipſe reprobus efficiar. Erat eius doctrina ſale ſapientiæ condita, non declinans neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, id eſt, nec aſpera nimiùm, nec plùs ſatis remiſſa. Sic extirpabat vitia, vt virtutes pariter nō euelleret, con-

Col.4.

Eſa.42. uenienter illi ſententiæ de Domino Saluatore: Linum fumigans non extinguet, & arundinem quaſſatam non conteret. Linum fumigans extinguere, eſt peccatores quoſq; & ſceleratos ſeu criminoſos propter fumum fœtoris eorum deſpicere, & ad reconciliationem diuinæ miſerationis per benenolentiam prædicationis non reuocare. Non extinguere verò, eſt, nè deſperent, per lenitatem ad fiduciam ſalutis æternæ alliciendo temperare. Arundinem quaſſatam conterere, eſt anxias, exacerbatas, & propter iniquitatis ſuæ inſtabilitatem afflictas mentes, ad conſtantiam & fiduciā ſpei, vitæ æternæ promiſſionibus non erigere, ſed ſeueritate maledictionis & deſperationis conterere. Quod beatus Valentinus prædicator egregius non fecit, ſed ità potiùs peccatoribus prædicabat veniam, vt ſeipſum etiam peccatorem diceret, ſummum il-

1.Tim.1. lum verbi Dei præconē Paulum imitatus, qui dicit: Chriſtus Ieſus vénit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideò miſericordiā conſecutus ſum, vt in me primò oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí ſunt illi in vitam æternam. Ità nimirùm S. Valentinus Epiſcopus dúlcis erat eloquio, pro concione ſuauis, non multiplex nec profuſus nimiùm in verbis, non profundus ſenſibus, non vafer neque implicatus ſententijs: ſed humilis voce, lenis exhortatione, conſpicuus bonitate, vniuerſa morum honeſtate præclarus.

Eius multæ preces.

Erat apud illum in more poſitum, noctes & dies ruminare pſalmos, tota animi attentione hymnos depromere, preces multas fundere, tota compunctione ad Dominum ſuſpirare, & cum Pſalmiſta crebrò ingemiſcere & dicere: Heu mihi, quia incolatus meus prolōgatus eſt: cum Apoſtolo cupere diſſolui, & eſſe cū Chriſto: frequentiſſimè in precibus ſuſpirare ad Dominum, & cum lachrymis atque ſingultibus dicere: Quandò veniam & apparebo ante faciē Deiꝰ Igitur beatus vir, athleta fortiſſimus, cùm permultos in fide Chriſti & catholicæ religionis profeſſione confirmâſſet, delegit vitam ſolitariam, vt tanto ſecuriùs, quanto ſecretiùs Deo adhæreret, diuinis con-

Pſal.1119.

Philip.1.

Pſal.41. templationibus vacans, & cæleſti dulcedini animum intendens. Fecerat ſibi iampridèm oratoriolum ſeorsùm ab hominū tumultu, in quo crebrò pernoctabat in orationibus, vigilijs & ieiunijs inſiſtebat, ſæpiſſimè lachrymarū imbribus perfuſus, ardentiſſimè ad Deum ſuſpirabat. Diebus verò orationi, lectioni, contemplationi vacabat, eleemoſynis, cęterisque, quibus poterat, bonis operibus intentus erat, Deoque ſoli in ſecreto cordis ſui pura conſcientia indefeſſus militabat.

Eius exercitia.

Poſt tot vitæ huius labores, poſt tot bonorum operum ſudores, poſt tantas corporis moleſtias & vigilias, hæreticorumq; vexationes & inſidias, Deus omnipotens, cui ſoli iam longo tempore inhæſerat, volens ei reddere mercedem & ampliſſima præmia, in ſpiritu ei reuelauit horam, qua eſſet abiturus à vita. Tum verò ille præmuniuit ſe vigilijs & precibus, vt poſſet lætus audire à veniente iudice: Eugè ſerue bone

Matth.25. & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Cumque labores laboribus, vigilias vigilijs, ieiunia ieiunijs, preces precibus cumularet, alijsque pijs operibus incumbendo, diem vocationis ſuæ cum iugibus lachrymis expectaret, in grauem morbum incidit, quo etiam extinctus eſt. Sed licèt magnis affligeretur corporis moleſtijs, attamen ſcutum patientiæ, & obedien-

Credebat ſe à Domino diligi quandò caſtigabatur.

Pron.3. Heb.12. tiæ virtutem tenens fortiter, non multùm contriſtabatur, ſed gaudebat potiùs, credens à Domino ſe diligi, quandoquidem tam acriter ab illo caſtigaretur. Non erat immemor ſcripturæ, dicentis: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo arguēris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit, & poſt flagella in hæreditatem patriæ cæleſtis introducit. Eiuſmodi ſancti ſpiritūs conſolationibus confirmatus vir Dei, non timebat mori, ſciens ſe à Domino celeriter à mortis cruciatu liberatum iri. Vocatis igitur fratribus

bus & commilitonibus ſuis, indicauit eis propè adeſſe ſuum è vita deceſſum, cunctoſque his compellauit ſermonibus: Fratres chariſſimi, confirmate Eccleſiam in fide Chriſti, conſeruate fidem, pacem, vnitatem, ſpem, charitatem & religionem catholicam: & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum vſque in finem. Deindè cum lachrymis ità precatus eſt: Domine Deus, Pater Domini mei Ieſu Chriſti, qui per ſpiritūs ſancti gratiam omnes gentes in vnitate fidei congregâſti, collige Eccleſiam tuam vinculo veræ fidei & Chriſtianæ religionis. Libera eam à prauitate hæreticæ peruerſitatis: cuſtodi eam à ſciſſura diabolicæ falſitatis. Domine Ieſu Chriſte, fili Dei omnipotentis patris, defende & ērue oues tuas de ore luporum, pro quibus fudiſti preciofiſſimum ſanguinem tuum..

Prædicit obitū ſuum.

Hac oratione finita, pariterque exhortatione fidiſſima, vir ſanctus proprijs manibus accepit corporis & ſanguinis Domini ſacramentum, ità dicens: Domine Ieſu Chriſte mundi conditor & redemptor, qui es dux & illuminator animarum noſtrarum: obſecro te per myſterium ſacratiſſimæ paſſionis & reſurrectionis tuæ, vt ſuſcipias animam meam, & perducas eam in regnum tuum, quod præparâſti diligentibus te. His dictis, tradidit ſpiritum in manus Angelorum, ad Chriſtum in paradiſum perferendum. Corpus autem eius in Alpibus in eccleſia, quam ipſe condiderat, humatum eſt. Poſt aliquantum verò temporis, conſopita perfidia hæreticorum, à fidelibus Chriſtianis Patauium tranſlatum eſt, & in eccleſia beati Stephani protomartyris honorificè tumulatum. Cumque multis temporibus clareſceret locus ille ſignis & virtutibus, quas fecit per illum Deus, oblatæ ſunt multæ viſiones noſtris temporibus viris religioſis de corpore eius, ex diuina voluntate ad locum celebriorem transferendo. Inuentum eſt ergò corpus ſanctiſſimi viri inter duos muros baſilicæ ſancti Stephani, & eleuatum cum magno tripudio & populorum conuentu à venerabilibus viris & religioſis Epiſcopis, collocatumque in maiori eccleſia ad ſedem pontificis, vbi etiamnùm plurima fiunt miracula, quæ facit per illum Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui in ſanctis ſuis eſt mirabilis & glorioſus in ſecula ſeculorum, Amen. Celebratur autem feſtum eius in eccleſia Patauienſi cumprimis ſolenniter & honorificè pridiè Nonas Auguſti, & fit ibi conuentus multorum hominum, quærentium auxilium & defenſionem ab illo: percipiuntque multi dignè poſtulantes, mentis & corporis ſoſpitatem per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum.

Sub mortē accipit Euchariſtiam.

Feliciter obdormit in Domino.

Inuētio corporis eius & tranſlatio.

Feſtū eius.

HISTORIA S. AFRÆ, ANTEA QVIDEM MERETRICIS, SED POSTEA SANCTISSIMAE MARTYRIS, *vt habetur in antiquis MS. libris, quibus ſuffragantur vetuſtiſſima Martyrologia. Stylum mutauit F. Laur. Surius in gratiam Lectoris, adiectis ad marginem capitibus.*

SAEVIENTE perſecutione in Chriſtianos, Narciſſus Epiſcopus Auguſtam Vindelicorum vénit profugus, & cùm neſciret, quò diuerteret, ad meretricem Aſram ingreſſus eſt cum Felice Diacono ſuo. Illa videns honeſtos viros, ſibique perſuadens, non niſi turpitudinis ſtudio ad ſe diuertiſſe, parat cœnam & omnia, quæ pro more cum tribus impudicis puellis ſuis apparare conſueuerat. Porrò Epiſcopus veniens ad ſumendum cibum, primùm orare cœpit & pſallere. Tum Aſra, quæ nunquàm eiuſmodi vel vidiſſet, vel audiſſet, ſtupefacta, inquiſiuit quis eſſet: didicitque Epiſcopum Chriſtianorum

S. Auguſti. Cap. 1. Narciſſus Epiſcopus venit Auguſtam.

Ante cibum orat more Chriſtiano.

eum eſſe. Mox ad eius pedes aduoluta, dixit: Domine, mulier indigna ſum, nec in hac vrbe me poteſt vlla alia turpior inueniri. Narciſſus Epiſcopus ait: Saluator noſter ab impuriſſima tactus, inquinari non potuit. Illius enim ſanctitas ſordes omnes diluit & expiauit, nec potuēre ſordes, Domini claritatem inquinare. Nec hoc mirum, quandò ſplendor ſolis, in cloacas & lutulenta loca ſe diffundens, ipſe in ſe incontaminatus pérmanet. Et tu ergò filia ſuſcipe lumen vitæ, lumen fidei, vt ab omni ſorde peccati repurgata, poſſis ad meum introitum perpetua claritate gaudere. Dicit

Aſra ſe peccatricem fatetur. Luc. 7.

ei Afra: Quæ plura admiſi flagitia, quàm ſint capilli capitis mei, qua ratione à tot poſſim ſordibus expiari? Epiſcopus Narciſſus reſpondit: Tantummodò crede & baptizare, & ſalua eris.

Cap. 2. Tum Afra aduocat puellas ſuas, dicitque eis: Hic homo, qui ad nos vénit, Chriſtianorum Epiſcopus eſt, & dixit mihi: Si credideris, & baptizatus fueris, ab omni potes emundari peccato. Ecquid vobis videtur? Reſponderunt Digna, Eunomia & Eutropia: Tu domina noſtra es, & ſicut te ſectatæ ſumus ad expetenda inquinamenta facinorum, ità etiam ſequemur ad impetrandam peccatorum veniam. Tu caput noſtrum es: quocunquè ſe transfert caput, eò neceſsè eſt membra ſequi. Dum hæc inter ſe conferunt, nox aduentat, & Epiſcopus cum Diacono ſuo totam noctem orando & pſallendo tranſegit: fecit idem Afra cum puellis & ſodalibus ſuis. Manè, ſole orto, Afra à ſatellitibus ludicis, his verbis compellatur: Vbi ſunt viri, qui nocte ad te venerunt? Illa reſpondit: Amatores mei fuêre, abiêruntque ſacrificatum. Id illi audientes, putârunt eos ad templum ſe contuliſſe, ſicque diſceſſerunt. Manſit tamen vnus ex illis, isque dixit Afræ: Ego nóui Chriſtianos eos eſſe. ſemper enim frontes ſuas conſignabant Cruce, in qua Chriſtus eorum paſſus eſt. Dicit ei Afra: Iráne ad ſcortum illi ingreſſuri erant, ſi Chriſtiani fuiſſent? Ad me non veniunt, nisì ſimiles meî. Abijt ille, & renunciauit ludici omnia, quæ dixerat Afra. Porrò Afra cùm abſcondiſſet Sanctos Dei in domo ſua, abijt ad matrem ſuam Hilariam, dixitque ei: Epiſcopus Chriſtianorum vénit ad me, neſciens quò ſe conferret. Tota nocte expandens manus ſuas ad Deum ſuum, & pſallens ei, nos vnà ſecum voluit orare. Sub pullorum cantum autem extincta eſt candela, & ego properabam vt eam accenderem, ſed non potui. Dixit verò ad me Diaconus eius: Noli expetere lumen, quod extingui poteſt: videbis modò lucem, quæ extingui non poſſit. Et dixi Epiſcopus: Veni lux mea cælitùs: oſtende famem tuam, & ſalui erimus. Mox apparuit fulgur è cælo, vt ſolet ad tonitrua, permanſitque lux illa, donèc aurora prodiret. Cumque ille ſuas abſoluiſſet preces, iuſſit nos dicere, Amen: ſicque ſensìm ſe ſubduxit ſplendor ille ab oculis noſtris: dixique ego ad eum: Magna te iniuria affeciſti domine, quòd ad me diuertiſti. ſum enim peccatrix, & impura nimìs. Ille reſpondit: Quò me miſit Dominus meus, illuc ingreſſus ſum.

Tota nocte orat cũ ſuo Diacono Epiſcopus.

Lux cælitùs lapſa, diù moratur in ædib⁹ Afræ.

Cap. 3. Deindè manè circa tertiam horam prodiderunt ſe mihi quidam, qui ante lucem inſidias tetenderant, vt exeuntes è domo mea cõprehenderent & necarent. Sed cùm non prodirent, dixerunt mihi, vt eos producerem ludici ſiſtendos. Ego verò ſub lino abſcondi eos, ſed timeo mater, nè impij carnifices ſcrutentur locum illum, & comprehenſos trahant ad ſupplicia. Si iubes domina mater, eos huc ad te adducam. Promiſit enim mihi Epiſcopus, quòd me velit efficere Chriſtianam, & ità omnia peccata mea in baptiſmo expiatum iri. His auditis, exhilarata eſt Hilaria, aitque: Præſtet mihi Chriſtianorum Deus, vt hæc mihi ſalus obtingat, vt per Epiſcopum illum anima mea à peccatorum ſordibus repurgetur, baptiſmi ſacramentum adepta. Afra dixit: Ego nocte eum mittam huc ad te. Reſpondit Hilaria: Fac quod dicis, filia: quòd ſi ille nolit, roga eum. Veſperì orauit Narciſſum Afra, vt ad matris ſuæ domum ſe transferret. Fecit ille libentiſſimè: cumque eò veniſſet, ingens illic gaudium extitit & compunctio cordium, Hilaria diù admodùm ſancti Epiſcopi pedes tenente atque dicente: Obſecro te domine, vt cures me mundari à peccatis meis. Cui ſic reſpondit S. Narciſſus: Beata eſt fides tua, quæ antè etiam, quàm audires verbum Dei, credidiſti, ipſamque veritatem Dei, quam per verba prædicationis vix cognoſcunt homines, in tua mente fundâſti. Atque idcircò, quia video vos eſſe capaces verbi Dei, hodierna die ſimul ieiunare incipite, vt ſeptimana vna ieiunijs & precibus vacantes, puro corde audire poſſitis verba vitæ æternæ, quæ veſtris animabus ſalutem afferant ſempiternam. Eo ieiunio exacto, die octauo expiabimini à cunctis peccatis & ſceleribus veſtris: & tunc eritis inſtàr infantium, omnis peccati prorsùs expertes. Dicit ei Hilaria: Si iubes, dicimus quid coluërimus: tu verò profligato errore noſtro, doce quid porrò colere debeamus. Sanctus Narciſſus Epiſcopus ait: Ità nimirùm conſtabit poſſe te ſuſcipere, quod colere debeas, ſi priùs exponas, quid hactenùs coluëris. Dic igitur cultũ tuum, & confitere Domino iniquitatem tuam.

Cõfert ſe ad ædes Hilariæ S. Narciſſus.

Septimana vna ieiunijs & precibus baptizãdas vacare iubet.

Cap. 4. Hilaria dixit: Parentes mei Cyprij fuêre, atque indè huc venerunt cum ſacris Veneris. Venus autem coli non poteſt, nisì ab illis fœminis, quæ ſe ſcortationi dent. Ea cauſa ego filiam meam ſacris Veneris dicaui, & tanquàm deæ Veneri ſeruituram, & de

Impuriſſimæ Veneris cultus impurus.

de opere meretricio gratam ei futuram, in lupanari eam volui manere, ità mihi perſuadens, propitiam mihi fore Venerem, ſi filiam meam ſacris eius operibus occupâſſem. Nam quo plures ſibi amatores conciliare poteſt mulier Veneri ſeruiens, eo gratiorem eam eſſe Veneri ſacerdotes eius affirmant. Audiens hæc vir Dei Narciſſus, ingemuit, & fundens lachrymas, dixit ad Diaconum ſuum: Surge frater, ploremus talem cultum: rogemus Dominum, vt vbì abundauit iniquitas, ſuperabundet & gratia. Cumque pariter orâſſent Epiſcopus & Diaconus, & lachrymas ad Dominum fudiſſent, apparuit Aethiops quidam, coruo nigror, nudus & horridus, lepræ ſanie toto corpore ſcatens. Is cum magno quodam mugitu ait: O ſancte Narciſſe Epiſcope, quid tibi rei apud mihi addictas, apud ancillas meas, quæ in meo ſemper ſeruitio fuêre? Deus tuus mundas animas & pura corpora amat, & ſacrificia impollura diligit. Hæ verò meæ ſunt, nec alterius eſſe poſſunt. Vbì caſtitas regnat, illuc ego non intro. Vbì munditiæ & caſtitatis ſpiritus adeſt, illic locum ego non inuenio. Tu verò quid hìc aucuparis, vbì nullus caſtitati & munditiæ locus eſt? Cur huc ingredi voluiſti, vbì inquinata ſunt corpora, & animi polluti?

Rom. 5.

Dæmon apparet.

Sanctus Narciſſus, edito ſigno Crucis, dixit ad dæmonem: Præcipio tibi, immunde ſpiritus, per nomen Domini mei Ieſu Chriſti, vt reſpondeas mihi ad ea, quæ ſciſcitatus ero. Dic mihi damnate, ſcis Chriſtum Deum ac Dominũ meum, Nazarenum, natum ex virgine, baptizatum, à ieiunio tentatum, proditum, compræhenſum, flagellatum, cõſputum, ſpinis coronatum, irriſum, ligatum, Cruci affixum, felle & aceto poratum, vulneratum, mortuum, ſepultum, tertia die ſurrexiſſe à mortuis? Reſpondit dæmon: Optimè ſanè omnia hæc nóui, atque vtinàm neſcire licuiſſet. Nam ab ea hora, qua crucifixus eſt princeps veſter Chriſtus Ieſus Nazarenus, princeps noſter ab illo aufugit, & in templo Dei ſe abſcõdit: ſed cùm velum templi ſcinderetur, timuit, ferre non ſuſtinens virtutem ipſum perſequentis: cuius virtute etiam ſaxa ſcindebantur, & monumenta aperta ſunt, & qui tum ſurrexerunt, viderunt principẽ noſtrum à Crucifixo teneri, & catenis igneis colligari. Sanctus Narciſſus ait: Quod eſt nomen principis veſtri? Dæmon reſpondit: Satan vocatur. Sanctus Narciſſus dixit: Ecquid peccauit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt tanta pateretur? Dæmon reſpondit: Nunquàm peccauit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.

Cap. 5. Edere ſignũ ſanctæ Crucis rẽtationis tẽpore aduersus dæmonem, q̃ fit piũm.

Matth. 27.

1. Pet. 2.

Sanctus Narciſſus ait: Si ergò nunquàm peccauit, cur tanta perpeſſus eſt? Dæmon reſpondit: Non pro ſuis peccatis paſſus eſt, ſed pro alienis. Sanctus Narciſſus dixit: Ex ore tuo condemnaberis immunde ſpiritus. Cùm enim ſcias Dominum Ieſum non ob ſua, ſed aliena demerita paſſum & occiſum, recede ab his fœminis. Nam & pro ijs paſſus eſt, quæ ad eius fidem & gratiam confugerunt. Dæmon ait: Lex vetat rem alienam tollere. Tu igitur, qui ſanctus & iuſtus es, cur res meas tibi vſurpas? Cur mihi aufers animas, quas multo tempore lucratus ſum? Immò non eas ſolas habui, ſed earum opera multos alios in meam ſeruitutẽ redegi. Sanctus Narciſſus eum increpans, dixit: Fur & latro ab initio tu es, damnate & inueterate: qui etiam has animas à Deo creatore ſuo ſeparâſti. Ego te modò furem teneo, & creatori ſuam reſtituo creaturam. Reſpondit dæmon: Et ego creatura eius ſum: me quoquè illi reſtitue. Sanctus Epiſcopus ait: Tuipſe ore tuo confeſſus es, Chriſtum ob peccata hominum paſſum eſſe. Quòd ſi ille ſic propter dæmonum flagitia perpeſſus eſſet, vt eſt propter hominum peccata, equidem te illi reſtituerem. At nunc quandò ità pro hominum iniquitatibus paſſus eſt, vt principem veſtrum religârit, tu abi ad principem tuum. Tum dæmon lachrymabundus ait ad eum: Vtere hac in me clementia, vt vel vnam animam ex his permittas poteſtati meæ: alioquì non ero auſus redire vacuus ad principem meum. S. Epiſcopus dixit: Si animam vnam dedero tibi, quid ea facies? Reſpondit dæmon: Ego interficiam eam, & mihi vendicabo. Sanctus Narciſſus ait: Manè prima luce dici ego tibi faciam hanc poteſtatem, vt id facias. Dæmon dixit: Dic mihi in veritate coram Deo tuo, daturum te mihi animam in corpore manentem, quam ego mihi lucrari queam. Sanctus Narciſſus ait: In veritate promitto tibi coram Deo meo, daturum me tibi animam in corpore degentem, animam manducantis & bibentis, concoquentis, dormientis, vigilantis. Dæmon dixit: Iube me hìc manere hac nocte. S. Epiſcopus ait: Si potes nobiſcum manere, mane hìc. Dæmon dixit: Si non extenderis manus in cælum, pſallens Deo tuo, potero hìc manere. Sanctus Epiſcopus ait: Nunquàm tibi benè ſit, ſpiritus immunde. Non ego duntaxàt, ſed & iſti omnes mecum tota nocte Domino Deo omnipotenti flectent

Exod. 20.

Argumentatur cum hoſte Narciſſus & eũ vincit.

Odit dæmõ nec ferre ſuſtinet preces piorum.

genua, & laudes ei indefessas persoluent, fundentes lachrymas & preces pro criminibus suis. Tunc dæmon diræ vocis vlulatum teterrimum emittens, nusquàm comparuit.

Cap. 7. Post eius recessum sanctus Episcopus iussit ieiunantes fœminas reficere corpora sua, Afram & Hilariam matrem, cum puellis suis. Illæ verò trementes propter ea, quæ viderant & audiërant, cum profusis lachrymis humì prostratæ, à Domino auxilium postulabant. Eas verò sanctus Episcopus precibus & admonitionibus suis egregiè confortauit, cum Felice Diacono nihil alimoniæ sumens, sed tota nocte in ieiunio, psalmodia & oratione perseuérans, sciens se denuò cum dæmone manè luctaturum. Orto sole, adest dæmon, horribiliter clamans & dicens: Memor esto sancte Episcope iuramenti, quod coram Deo præstitisti, & da mihi animam, cuius corpus occidam, & eam mihi véndicem. Sanctus Narcissus ait: Et tu iura mihi in nomine Domini mei, te illicò perempturum eum, quem tibi permisero: ità vt si id non feceris, Deus te iubeat ire in abyssum. Dæmon dixit: Per eum, qui nos cum principe nostro vicit: si non statìm interfecero, quem mihi dederis, iubeat me repentè abire in abyssum. Sanctus Narcissus ait: Ito igitur ad fontem, qui est in Iulijs Alpibus, ex quo nemo potest potare aquam, non homo, non pecus, non fera vlla, quòd draco ingens illic maneat, à cuius flatu omnes, qui ad fontem accedunt, moriuntur. Eum ergò draconem interfice, & animam eius vendica tibi. Dæmon exclamauit: O mendacem Episcopum. Animas, quas longo tempore hîc possedi, vi abstulit, & ab hac mea habitatione me expulit: tum prætereà iuramento me constrinxit, vt occídam amicum draconem, qui tam multos interfecit. Et nisì id faciam, eundum est in abyssum. Tandèm post vlulatum & mugitum teterrimum dæmon abijt, & occídit draconem: fonsque ille liberatus est, & vsque in præsentẽ diem manat purus & mundus in vsum omnium illic degentium.

Egregiè illudit dæmoni S. Narcissus.

Cap. 8. Permultos autem dies beatus Narcissus verbum Dei docuit Augustæ, & complures ethnicos in domo Hilariæ conuertit ad Dominum, qui clàm ad eum veniebant præ timore persecutorum. Baptizata autem est Hilaria cum Afra filia sua & puellis eius Digna, Eunomia, & Eutropia, & cum omni cognatione sua, cunctisque amicis suis: & sanctus Narcissus domum Hilariæ mutauit in ecclesiam, dedicans eam in honorem sancti Saluatoris, & sanctæ Mariæ matris eius. Collectaque illic ecclesia fidelium, ordinauit eis Episcopum Dionysium, auunculum Afræ, qui posteà multas animas lucratus est Christo, & ibidèm martyrio coronatus est. Sanctus verò Narcissus Episcopus, primus gentis illius Apostolus, rebus omnibus perfectis & benè constitutis, quæ Dei erant, post nouem menses in Hispaniam redijt ad ciuitatem Gerundam: in qua multum populum trium mensium spatio Domino acquisiuit, & ità demùm ad martyrij palmam, cum sancto Diacono suo Felice, feliciter peruénit. Cuius passionis & agonis seriem proprio libello describendam, hîc prætermittimus: porrò fructum doctrinæ eius in Afra & consodalibus eius, Deo annuente, prout possumus, explicandam suscipimus.

Multos gẽtiles cõuertit.

Dionysius Episcopus Augustanus ordinatur.

S. Narcissus & Felix obeunt martyrium,

Cap. 9. Sæuiebat Augustę atrocissima Christianorum persecutio, & omnes vnius Dei cultores pro Christi nomine varijs supplicijs afflicti, ad sacrificia trahebantur. Tum verò etiam Afra, quæ iam publicè propter meretricias actiones nota erat, à persecutoribus comprehensa est: cumque esset oblata iudici, ab illo agnita, sic compellata est: Dic mihi Afra, quidnam rei accidit tibi, vt posthabitis sacris Veneris, in nouam superstitionem te sinas abduci? Cur non potiùs sacrificas, quàm me iubente in tormentis deficias? Consultius sanè tibi fuerit cum honore viuere, quàm cum magna ignominia interfici. Afra respondit: Sufficiunt mihi peccata mea, quæ perpetraui, ignorans Deum. Itaque quod tu me iubes facere, id ego nunquàm factura sum. Gaius iudex dixit: Accede ad Capitolium, & sacrifica. Afra respondit: Capitolium meum Christus est, qui mihi ob oculos versatur, cui quotidiè peccata & crimina mea confiteor. Et quia indigna sum, vt ei sacrificiũ immaculatum offeram, meipsam, licèt peccatricẽ, pro eius nomine cupio sacrificare, vt corpus, per quod peccaui, dum pœnas luit, abluatur. Iudex dixit: Scio meretricem te esse, & idcircò longè alienam à sacrificio Christianorum. Afra respondit: Dominus meus Iesus Christus dixit se propter peccatores descendisse è cælis: & cum peccatoribus & publicanis ea causa comédit & bibit, vt eius misericordiam nemo desperaret. Euangelia quoquè eius testantur peccatricem mulierem lachrymis rigâsse pedes eius, & impetrâsse veniam: mulierem in ad-

Matth.9.

Luc.7.

in adulterio deprehensam, dimissam ab eo esse, ità tamen, vt deincèps non peccaret. Iohan.8.
Quidni igitur & ego peccatrix sperem per eius misericordiam posse me salutem adipisci? Iudex dixit: Sacrifica, vt te ament amatores tui, vtì hactenùs semper, & multæ tibi ab illis pecuniæ adferantur. Afra respondit: Pecunias execrabiles posthàc nunquàm accipiam. Nam & quas habui, iam expendi, & Deo votum nunc upaui, nunquàm me tales habere velle. non enim possunt salua haberi cõscientia. Ego, inquam, pro amore Domini mei Iesu Christi omnia, quæ habui & malè acquisiëram, in pauperes distribui: & aliquot etiam fratres meos Christianos nolentes accipere, rogaui vt dignarentur accipere, & pro peccatis meis Deo preces offerre. Si ergò ea, quæ habui, abieci: qua potest ratione fieri, vt iterùm cupiã ea consequi, quæ nemo sine peccato potest habere? Iudex dixit: Christus te se indignam censet. frustrà ergò colis eum, qui te non agnoscit suam. Meretrix enim dici Christiana nequaquàm potest.

Afra omnia sua dat pauperibus.

Afra respondit: Christiana quidem ego dici non mereor: sed misericordia Dei, quæ non pro merito meo, sed pro pietate sua iudicat de me, ad hoc nomen me admisit. Gaius iudex dixit: Vndè nôsti, nomen isthuc cælitùs tibi obtigisse? Afra respondit: Ex hoc ego intelligo me non esse proiectam à facie Dei, cuius nomen accepi, quòd ad gloriosam sancti nominis eius cõfessionem permittor accedere, per quam me credo omnium scelerum meorum veniam consecuturam. Iudex Gaius dixit: Hæ nugæ sunt: potiùs sacrifica dijs, per quos salutem consequaris. Afra respondit: Salus mea Christus est, qui in Cruce pendens, latroni confitenti paradisum promisit. Luc.23.

Atrẽde humilem S. Afræ confessionem.

Iudex Gaius dixit: Posthabitis sermocinationibus istis, sacrifica dijs. Quod si non feceris, in conspectu amatorum tuorum, qui tecum turpiter vixerunt, catomis cædi te iubebo. Afra respondit: Me pudore nihil afficit, nisì peccata mea. Iudex dixit: Me ipsum iniuria afficio, quòd tot horis tecum cerro. Itaque si non sacrificaueris, occidéris. Afra respondit: Hoc est, quod cupidè peropto, si tamen merear, per hanc confessionem ad requiem pertingere sempiternam. Iudex ait: Sacrifica, vt dixi: alioquìn te iubebo torqueri, & sic viuam concremari. Afra respondit: Corpus meum, per quod peccaui, multis subdatur pœnis, prout impiè gessi. Animam autem meam nunquàm patiar dæmonum sacrificijs inquinari. Cap.10.

Iubetur viua ignibus cõcremari.

Tunc iudex impijssimus dictauit sententiam hanc: Afram publicam meretricem, quæ se Christianam profitetur, nec vult cum sacrificijs deorum quicquam habere cõmercij, viuam incendi mandamus. Mox rapta est à ministris, & ducta in insulam fluuij, quem Licum vocant, ibique expoliata, ad palum religata est. Illa verò sursùm erectis luminibus, cum lachrymis sic precabatur: Domine Iesu Christe, verè omnipotens Deus, qui non venisti vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: cuius promissio verax est & manifesta, qua tu dignatus es dicere: Quacunque hora conuersus fuerit peccator ab iniquitatibus suis, non te memorem fore peccatorum eius: accipe nunc passionis meæ pœnitentiam, & per hunc ignem temporalem, qui corpori meo paratus est, ab illo me libera igne æterno, qui animas & corpora exuret. Matth.9. Ezech.18.

His dictis, vndiquè circa illam sarmenta congesta sunt, & suppositò igni, vox eiusmodi ab eius ore audita est: Gratias ago tibi Domine Iesu Christe, qui me dignatus es pro tuo nomine hostiam habere. Tibi Domine, qui pro toto mundo solus oblatus es in Cruce, iustus pro iniustis, bonus pro malis, benedictus pro maledictis, suauis pro amaris, mundus à peccato pro peccatoribus vniuersis: offero meipsam in sacrificium, qui cum Patre tuo & sancto Spiritu regnas in secula seculorum. Cap.11.

Hæc dicens, reddidit spiritum. Stabant autem iuxta ripam fluminis Digna, Eunomia & Eutropia, ancillæ beatæ Afræ, quæ simul cum illa impurè vixerant, & vnà cum illa baptizatæ erant à sancto Narcisso Episcopo. Hæ rogabant milites è nauicula, qua transuecti erant in insulam, descendentes, vt ipsas eò traducerent, vbì dominam earum ex iudicis decreto morte mulctârant. Quod cùm esset factum, inuenerunt corpus sanctæ martyris integrùm. Puer ergò, qui cum eis erat, transnatauit, & indicauit Hilariæ matri eius, corpus illius ab igne manssisse illæsum. Illa verò * nocte venit cum sacerdotibus Dei, & tulit corpus eius, & posuit secundo milliario ab Augusta in memoria, quam sibi suisque construxerat. Cap.12.

Orãs emittit spiritũ.

Corpus eius nihil læsit ignis.

* noctù

His ità gestis, nunciatum est iudici Gaio, Christianas fœminas cum sacerdotibus rapuisse corpus beatæ Afræ, & apud ipsas humatum, vigiliarum excubijs prosequi, & solenniter excolere. Confestìm ille mittit milites ad locum illum, iubens vt meretrices illas comprehendant: & si obtemperent, cum honore eas ad se perducant, accepturas Cap.13.

pturas ab ipso amplissima munera. Sin verò in sententia sint pertinaces, nec vlla ratione velint in sacrificia consentire, locum illum cremijs impleant, & eas illic includat, sicque admoto igne simul omnes concrement, nè qua possit effugere. Abeunt ad illas milites, agunt primùm blanditijs, mox terroribus pulsant. Sed vbi conspiciunt ab omnibus ludicis præcepta contemni, complent locum sarmentis, fœno, aridis spinis, clausoque extrinsecùs ostio, & igne subiecto, recedunt. Ità factum est, vt simul beatæ mulieres Hilaria, Digna, Eunomia & Eutropia, martyrij coronam sexto à passione beatæ Afræ die, perciperent, & quæ pariter in Christum crediderant, simul ad illum cum palma martyrij peruenirent: Ipso præstante, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

Eius tres ancillæ & mater comburuntur.

GESTA QVÆDAM S. OSVVALDI REGIS ANGLORVM, AVTHORE VENERABILI BEDA *presbytero lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum.*

Augusti 5. Ex cap. 1.

INTERFECTO in pugna Eduino, susceptit pro illo regnum Deirorũ (de qua prouincia ille generis prosapiam & primordia regni habuerat) filius patrui eius Elfrici, vocabulo Osrichus, qui ad prædicationem Paulini, fidei erat sacramentis imbutus. Porrò regnum Berniciorum (Nam in has duas prouincias gens Nord Humbrorum antiquitùs diuisa erat) susceptit filius Edelfridi, qui de illa prouincia generis & regni originem duxerat, nomine Eanfridus. Siquidem tempore toto, quo regnauit Eduinus, filij prædicti regis Edelfridi, qui ante eum regnauerat, cum magna nobilium iuuentute apud Scotos siue Pictos exulabant: ibique ad doctrinam Scotorum catechizati, & baptismatis gratia sunt recreati. Qui vt mortuo Rege inimico, in patriam sunt redire permissi, accepit primus eorũ, quem diximus, Osrichus regnum Deirorum: secundus verò Eanfridus regnum Berniciorum: qui vterque Rex, vt terreni regni insulas sortitus est, ità sacramenta regni cælestis, quibus initiatus erat, anathematizãdo perdidit, ac se priscis idololatriæ sordibus polluendum perdendumque restituit. Nec mora: vtrunque Rex Britonum Cedualla impia manu, sed iusta vltione, peremit. Et primò quidem proxima ætate Osrichum, dum se in oppidi municipio temerariè obsedisset, erumpẽs subitò cum suis omnibus, imparatum cum toto exercitu deleuit. Deindè cùm anno integro prouincias Nord Humbrorum, non vt Rex victor possideret, sed quasi tyrãnus sæuiens disperderet, ac Tragica cæde dilaceraret, Eanfridum incõsultè ad se cum duodecim electis militibus postulandæ pacis gratia venientem, simili sorte damnauit. Infaustus ille annus & omnibus bonis exosus vsque hodiè permanet, tam propter apostasiam Regum Anglorum, qui fidei sacramentis se exuẽrant, quàm propter vesanam Britonici Regis tyrannidem. Vndè cunctis placuit Regum tempora computantibus, vt ablata de medio Regum perfidorum memoria, idem annus, sequentis Regis, id est, Osuualdi viri Deo dilecti, regno assignaretur. Quo post occisionem fratris Eanfridi superueniente cum paruo exercitu, sed fide Christi munito, infandus Britonum dux cum immensis illis copijs, quibus nihil resistere posse iactabat, interemptus est in loco, qui lingua Anglorum Denises burna, id est, riuus Denisi vocatur.

Nota pœnã regum apostatarum.

Ex cap. 2. Signum S. Crucis erigit Osuualdus rex.

Ostenditur autem vsque hodiè, & in magna veneratione habetur locus ille, vbi venturus ad hanc pugnam Osuualdus, signum sanctæ Crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus est, vt in tanta rerum necessitate suis cultoribus cælesti succurreret auxilio. Deniquè fertur, quia facta citato opere Cruce, ac fouea præparata, in qua statui deberet, ipse fide feruens hanc arripuerit, ac foueæ imposuerit, atque vtraque manu erectam tenuerit, donèc aggesto à militibus puluere, terræ figeretur: & hoc facto, elata in altum voce, cuncto exercitui proclamauerit: Flectamus omnes genua, & Deum omnipotentem ac verum in communi deprecemur, vtì nos ab hoste superbo & feroce sua miseratione defendat. scit enim ipse, quia iusta pro salute gentis nostræ bella susceptimus. Fecerunt omnes, vt iusserat. Et sic, incipiente diluculo, in hostem progressi, iuxta meritum suæ fidei victoria potiti sunt. In cuius loco orationis, innumeræ virtutes sanitatum noscũtur esse patratæ, ad indicium videlicet ac memoriam

riam fidei Regis. Nam & vsque hodiè multi de ipso ligno sacrosanctæ Crucis assulas excidere solent: quas cùm in aquas miserint, eisque languentes homines ac pecudes potauerint, siue aspersserint, mox sanitati restituuntur. Vocatur locus ille lingua Anglorum Heofonfeld, quod dici potest Latinè, cælestis campus: quod certo vtiquè præsagio futurorum antiquitùs nomen accepit: significans nimirùm, quòd cæleste ibidèm erigẽdum trophæum, cęlestis inchoanda victoria, cælestia vsque hodiè forent miracula celebranda.

Nota hæc de miraculis Crucis.

Est autem locus ille iuxta murum illum ad Aquilonem, quo Romani quondàm ob arcendos Barbarorum impetus, totam à mari vsque ad mare præcinxêre Britanniam, vt suprà docuimus. In quo videlicet loco consuetudinem multo iam tempore fecerunt fratres Hagustaldensis ecclesiæ, quæ non longè abest, aduenientes omni anno pridiè, quàm posteà idem Rex Osuualdus occisus est, vigilias pro salute animæ eius facere, plurimaque psalmorum laude celebrata, victimam pro eo manè sacræ oblationis offerre. Qui etiam crescente bona consuetudine, nuperibidèm ecclesia constructa atque dedicata, sacratiorem & cunctis honorabiliorem locum omnibus fecêre. Nec immeritò: quia nullum, vt comperimus, fidei Christianæ signum, nulla ecclesia, nullum altare in tota Berniciorum gente erectum est, priusquàm hoc sacræ Crucis vexillum nouus militiæ eductor, dictante fidei deuotione, contra hostem immanissimum pugnaturus, statueret. Nec ab re est vnum è pluribus, quæ ad hanc Crucem patrata sunt, virtutis miraculum narrare. Quidam è fratribus eiusdem Hagustaldensis ecclesię, nomine Bothelmus, qui nunc supereſt, ante paucos annos, dum incautus fortè noctù in glacie incederet, repentè corruens, brachiũ contriuit, ac grauissima fracturæ ipsius cœpit molestia fatigari, ità vt nec ad os quidẽ adducere ipsum brachium vllatenùs, dolore arcente, valeret. Qui cùm die quadã manè audiret, vnum de fratribus ad locum sanctæ Crucis ascendere disposuisse, rogauit vt aliquã sibi partem de illo ligno venerabili rediens afferret: credere se dicens, quia per hoc, donante Domino, salutẽ posset consequi. Fecit ille vt rogatus est, & reuersus ad vesperam, scdẽtibus iam ad mẽsam fratribus, obtulit ei aliquid de vetteri musco, quo superficies ligni erat obsita. Qui cùm sedens ad mẽsam non haberet ad manũ, vbì oblatũ sibi munus reponeret, misit hoc in sinũ suum. Et dum iret cubitũ, oblitus hoc alicubì deponere, permisit suo in sinu permanere. At medio noctis tempore cùm euigilaret, sensit nescio quid frigidi suo lateri adiacere. Admotaque manu requirendo quid esset, ità sanum brachium manumque reperit, àc si nil vnquàm tanti languoris habuisset.

Sanatur fratris chium Bothelmi virtute S. Crucis.

Idem ergò Osuualdus mox vbì regnum suscepit, desiderans totam, cui præesse cœpit, gentem fidei Christianæ gratia imbui, cuius experimenta permaxima in expugnandis barbaris iam ceperat, misit ad maiores natu Scotorum, inter quos exulans ipse baptismatis sacramenta cum his, qui secum erant militibus, consequutus erat, petens vt sibi mitteretur Antistes, cuius doctrina ac ministerio gens, quam regebat, Anglorum Dominicæ fidei & dona disceret, & susciperet sacramẽta. Neque aliquanto tardiùs, quod petebat, impetrauit. Accepit nanque pontificem Aïdanum, summæ mansuetudinis & pietatis ac moderaminis virum, habentemque zelum Dei, quanùs non plenè secundùm sciẽtiam. Nanque diem Paschæ Dominicum, more suæ gentis, cuius sæpiùs mentionem fecimus, à quartadecima Luna vsque ad vigesimam observare solebat. Hoc etenim ordine septentrionalis Scotorum prouincia, & omnis natio Pictorum, illo adhuc tempore Paschæ Dominicam celebrabat, æstimans se in hac obseruantia sancti ac laude digni patris Anatolij scripta sequutam. Quod quidem an verum sit, peritus quisque facilimè cognoscit. Porrò gentes Scotorum, quæ in australibus Hyberniæ insulæ partibus morabantur, iandudùm ad admonitionem Apostolicæ sedis Antistitis, Pascha Canonico ritu obseruare didicerunt. Venienti igitur ad se Episcopo, Rex locum sedis Episcopalis in insula Lindisfarnensi, vbì ipse degebat, tribuit. Qui videlicet locus accedente ac recedente reumate, bìs quotidiè instãr insulæ maris circunluitur vndis: bìs, renudato litore, cõtiguus terræ redditur. Atque eius admonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auscultans, Ecclesiam Christi in regno suo multùm diligenter ædificare ac dilatare curauit. Vbì pulcherrimo sæpè spectaculo contigit, vt euangelizante antistite, qui Anglorum linguam perfectè non nouerat, ipse Rex suis ducibus ac ministris interpres verbi existeret celestis: quia nimirùm tam longo exilij sui tempore linguam Scotorum iam plenè didicerat. Exindè cœpêre plures per dies illos de Scotorum regione venire in Britanniam, atque illis

Ex cap. 3.

Abusus in obseruatione festiuitatis Paschæ apud Scotos.

Anglo-

Anglorum prouincijs, in quibus regnauit Osuualdus, magna deuotione verbũ fidei prædicare, & credentibus gratiam Baptismi, quicunque sacerdotali erant gradu præditi, ministrare. Constructebantur ergò ecclesiæ per loca: confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes: donabantur munere regio possessiones & territoria, ad instruenda monasteria: imbuebãtur præceptoribus Scotis paruuli Anglorum vnà cum maioribus, studijs & obseruatione disciplinæ regularis. Nam monachi erant maximè, qui ad prædicandum venerant: monachus & ipse Episcopus Aïdanus, vtpotè de insula, quæ vocatur Hy. destinatus, cuius monasteriũ in cunctis penè Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monasterijs non paruo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat: quæ videlicet insula ad ius quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta, sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolũt, iandudùm monachis Scotorum tradita, cô quòd illis prædicantibus fidem Christi perceperunt.

In Anglia conduntur ecclesiæ & monasteria.

Ex 4. cap.

Siquidem anno incarnationis Dominicæ quingentesimo sexagesimoquinto, quo tempore gubernaculum Romani Imperij post Iustinianum Iustinus minor accepit, venit de Hybernia presbyter & Abbas, habitu & vita monachi insignis, nomine * Columba, Britanniam, prædicaturus verbum Dei prouincijs septentrionalium Pictorum, hoc est, eis, qui arduis atque horrentibus montium iugis, ab Australibus eorum sunt regionibus sequestrati. Nanque ipsi Australes Picti, qui intrà eosdem montes habent sedes, multo antè tempore, vt perhibent, relicto errore idolatriæ, fidem veritatis acceperunt, prædicante eis verbum Nyma Episcopo reuerendissimo, & sanctissimo viro de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem & mysteria veritatis edoctus: cuius sedem Episcopatûs, sancti Martini Episcopi nomine & ecclesia insignẽm, vbi ipse etiam corpore vnà cum pluribus sanctis requiescit, iam nunc Anglorum gens obtinet: qui locus ad prouinciam Berniciorum pertinens, vulgò vocatur Ad cãdidam casam, cô quòd ibi ecclesiam de lapide, insolito Britonibus more, fecerit. Venit autem Britanniam * Columba, regnante Pictis Bridio filio Meilochon, Rege potentissimo, nono anno regni eius, gentemque illam verbo & exemplo ad fidem Christi conuertit. Vndè & præfatam insulam ab eis in possessionem monasterij faciendi accepit. Neque enim magna est, sed quasi milliarium quinque iuxta æstimationem Anglorum: quam successores eius vsque hodiè tenent: vbi & ipse sepultus est, cùm esset annorum septuagintafex, post annos circiter triginta & duos, ex quo ipse Britanniam, prædicaturus, adijt. Fecerat autem priusquàm in Britanniam veniret, monasterium nobile in Hybernia, quod à copia róborum de Armach lingua Scotorum, hoc est, campus róborum cognominatur. Ex quo vtroque monasterio plurima exindè monasteria per discipulos eius, & in Britannia, & in Hybernia propagata sunt. In quibus omnibus idem monasterium Insulanum, in quo ipse requiescit corpore, principatum tenet. Habere autem solet ipsa insula rectorẽ semper Abbatem presbyterum, cuius ditioni & omnis prouincia, & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato debeant esse subiecti, iuxta exemplum primi doctoris illius, qui non Episcopus, sed presbyter extitit & monachus. De cuius vita & verbis nonnulla à discipulis eius feruntur scripta haberi. Verùm qualiscunque fuerit ipse, nos hoc de illo certum tenemus, quòd reliquit successores magna continentia, ac diuino amore regularique institutione insignes: in tempore quidem summæ festiuitatis dubios circulos sequentes, vtpotè quibus longè vltra orbem positis, nemo synodalia Paschalis obseruantiæ decreta porrexerat: tantùm ea, quæ in propheticis, euangelicis & Apostolicis literis discere poterant, pietatis & castitatis opera diligenter obseruantes. Permansit autem huiusmodi obseruantia Paschalis apud eos tempore non pauco, hoc est, vsque ad annum Dominicæ incarnationis septingentesimum decimumsextum, per annos centum quinquaginta. At tunc veniente ad eos reuerendissimo & sanctissimo patre & sacerdote Egbertho, de natione Anglorum, qui in Hybernia diutiùs exulauerat pro Christo, eratque doctissimus in scripturis, & longæua vitæ perfectione eximius, correcti sunt per eum, & ad verum canonicumque Paschæ diem translati. Qui tamen & anteà non semper in quartadecima cum Iudæis, vt quidam rebantur, sed in die quidem Dominica, alia tamen, quàm decebat, hebdomada celebrabant. Sciebant enim, vt Christiani, resurrectionem Dominicam, quæ prima sabbati facta est, prima sabbati semper esse celebrandam: sed vt barbari & rustici, quandò eadem prima sabbati, quæ nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minimè didicerant. Verùm quia gratia chari-

* Columbanus,

* Columbanus multos ad fidem Christi conuertit.

Permulta monasteria conditur in Britãnia & Hybernia.

Egbert⁹ Episcopus corrigit errorẽ Paschæ.

tatis feruere non amiserant, huius quoquè notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt, iuxta promissum Apostoli, dicentis: Et si quid aliter sapitis, & hoc quoquè vobis Deus reuelauit. Phil. 3.

Ab hac ergò insula, ab horum collegio monachorum, ad prouinciam Anglorũ instituendam in Christo, missus est Aidanus, accepto gradu Episcopatûs: quo tempore cidẽ monasterio Segenius Abbas & presbyter præfuit. Vndè inter alia viuendi documenta, saluberrimum abstinentiæ vel cõtinentiæ clericis reliquit exemplũ. Cuius doctrinam id maximè commendabat omnibus, quòd non aliter, quàm viuebat cum suis, ipse docebat. Nihil enim huius mundi quærere, nil amare curabat. Cuncta quæ sibi à Regibus vel diuitibus seculi donabantur, mox pauperibus qui occurrerent, erogare gaudebat. Discurrere per cuncta & vrbana & rustica loca, non equorum dorso, sed pedum incessu vectus, nisi si maior fortè necessitas compulisset, solebat: quatenus vbicunquè aliquos vel diuites vel pauperes incedens adspexisset, confestim ad hos diuertens, vel ad fidei suscipiendæ sacramentum, si infideles essent, inuitaret: vel si fideles, in ipsa eos fide confortaret, atque ad eleemosynas bonorumque operum exequutionem & verbis excitaret & factis. Intantùm autem vita illius à nostri temporis segnitia distabat, vt omnes, qui cum eo incedebant, siue attonsi, siue laici, meditari deberent, id est, aut legendis scripturis, aut psalmis discendis operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius, & omnium qui cum eo erant frarrum, vbicunquè locorũ deuenissent. Et si fortè euenisset, (quod tamen rarò euénit) vt ad Regis conuiuium vocaretur, intrabat cum vno clerico aut duobus, & vbi paululùm refociebatur, accelerabat ocyùs ad legendum cum suis, siue ad orandum, egredi. Cuius exemplis informati tempore illo religiosi quique viri ac fœminæ, consuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remissione quinquagesimæ Paschalis, quarta & sexta sabbati ieiunium ad nonam vsque horam protelare. Nunquàm diuitibus honoris, siue timoris gratia, si quæ deliquissent, reticebat, sed aspera illos inuectione corrigebat. Nullã potentibus seculi pecuniam, excepta solummodò esca, si quos hospitio suscepisset, vnquàm dare solebat. Sed ea potiùs, quæ sibi à diuitibus donaria pecuniarum largiebantur, vel in vsus pauperum, vt diximus, dispergebat, vel ad redemptionem eorum, qui iniustè fuerant venditi, dispensabat. Deniquè multos, quos precio dato redemerat, redemptos, postmodùm suos discipulos fecit, atque ad sacerdotalem vsque gradum erudiendo atque instituendo prouexit. Fertur autem, quia cùm de prouincia Scotorum rex Osuualdus postulâsset Antistitem, qui sibi suæque genti verbum fidei ministraret, missus fuerit primò alius austerioris animi vir. Qui cùm aliquandiù genti Anglorum prædicans, nil proficeret, nec libenter audiretur à populo, rediérit in patriam, atque in conuentu seniorum retulerit, quia nihil prodesse docendo genti, ad quam missus erat, potuisset, eô quòd essent homines indomabiles, & duræ ac barbaræ mentis. Atilli, vt perhibent, tractatum magnum in concilio, quid esset agendum, habere cœperunt, desiderantes quidem genti, quam petebant, salutem esse, sed non recepto, quem miserant, prædicatore dolentes. Tunc ait Aidanus (nam & ipse concilio intererat) ad eum, de quo agebatur, sacerdotẽ: Videtur mihi, frater, quòd durior iusto indoctis auditoribus fuisti, & non eis, iuxta Apostolicam disciplinam, primò lac doctrinæ mollioris porrexisti, donèc paulatìm enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora, & ad facienda Dei sublimiora præcepta sufficerent. Quo audito, omnium qui consedebant, ad ipsum ora & oculi conuersi, diligenter quid diceret, discutiebant, & ipsum esse dignum Episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decernũt, qui gratia discretionis, quæ virtutũ mater est, ante omnia probatur imbutus. Sicque illum ordinantes, ad prædicandum miserũt. Qui vbi tempus accepit, sicut priùs moderamine discretionis, ità postmodùm & cæteris virtutibus ornatus apparuit.

Ex cap 5.

Optimi doctoris exemplum.

1. Cor. 1.

Discretio, mater virtutum.

Huius igitur reuerendissimi Antistitis doctrina Rex Osuualdus cum ea, cui præerat, gente Anglorum institutus, non solùm incognita progenitoribus suis regna cælorũ sperare didicit, sed & regna terrarum, plusquàm vlli maiorum suorum, ab eodẽ vno omnipotenti Deo, qui fecit cælum & terram, consequutus est. Deniquè omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas, id est, Britonum, Pictorum, Scotorum & Anglorum diuisæ sunt, in ditione accepit. Quo regni culmine sublimatus, nihilominùs, quod mirum dictu est, pauperibus & peregrinis semper humilis, benignus & largus fuit. Deniquè fertur, quòd tempore quodam, cùm die sancto Paschæ

Ex cap. 6.

Magna potentia Osuualdi pij Regis, & magna humilitas.

Multos seruos & mancipia, precio redimit & ad sacerdotiũ promouehit.

Benedictio mensæ.

cum præfato Episcopo consedisset ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus, regalibus epulis refertus, iamque essent manus ad panem benedicendum missuri, intrauit subitò minister ipsius, cui suscipiendorum inopũ erat cura delegata, & indicauit Regi, quia multitudo pauperum undecunquè adueniens maxima, per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ à Rege. Qui mox dapes sibimet appositas, deferri pauperibus iussit: sed & discum confringi, atque eisdem minutatim diuidi præcepit. Quo viso, pontifex qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Nunquàm inueteraſcat hæc manus. Quod & ità iuxta votum benedictionis eius prouénit. Nam cùm interfecto illo in pugna, manus cum brachio à cætero esset corpore resecta, contigit vt hactenùs incorrupta perduret. Deniquè in vrbe regia, quæ à Regina quondàm vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusa argenteo, in ecclesia sancti Petri seruatur, ac digno à cunctis honore veneratur. Huius industria Regis, Deirorum & Berniciorũ prouinciæ, quæ eatenùs ab inuicèm discordabant, in vnam sunt pacem & velut vnum compaginatæ in populum. Erat autem nepos Eduini Regis ex sorore Acha: dignumque fuit, vt tantus præcessor talem haberet de sua consanguinitate & religionis hæredem, & regni.

Infignis benignitas in pauperes.

Dextera manus S. Oſwualdi manet incorrupta.

Ex cap. 7.

Eo tempore gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitùs Geuisli vocabantur, regnante Gynigilso, fidem Christi suscepit, prædicante illis verbum Birino Episcopo, qui cum consilio Papæ Honorij venerat in Britanniam, promittens quidem se illo præsente in intimis vltrà * Anglos partibus, quò nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse sparsurum. Vndè & iussu eiusdem pontificis per Asterium Genuensem Episcopum in episcopatûs consecratus est gradus. Sed in Britanniam perueniens, ac primùm Geuissorum gentem ingrediens, cùm omnes ibidèm paganissimos inueniret, vtilius esse ratus est ibi potiùs verbum Dei prædicare, quàm vltrà progrediendo, eos quibus prædicare deberet, inquirere. Itaque euangelizãte illo in præfata prouincia, cùm Rex ipse catechizatus, fonte Baptismi cum sua gente abluceretur, contigit tunc temporis sanctissimũ ac victoriosissimum Regem Nord Humbrorum Oſwaldum affuisse, eumque de Lauacro exeuntem suscepisse. Sicque pulcherrimo prorsùs & Deo digno consortio, cuius erat filiam accepturus in coniugem, ipsum prius secunda generatione Deo dedicatum, sibi accepit in filium. Donauerunt ergò Reges ambo eidem Episcopo ciuitatem, quæ vocatur Dorcinca, ad faciendam inibi sdem episcopalem: vbi factis dedicatisque ecclesijs, multisque ad Dominum pro eius labore populis aduocatis, migrauit ad Dominum. Sepultus est in eadem ciuitate, & post annos multos Hedde episcopatum agẽte, translatus indè in Ventam ciuitatem, atque in ecclesia beatorum apostolorum Petri & Pauli positus est.

Birinꝰ Episcopus.

* Anglorũ

Asteriꝰ Genuensis episcopus.

S. Birinus Episcopus migrat ad Dominum.

Defuncto autem & Rege, successit in regnum filius eius Cenuualch, qui & fidem & sacramenta regni cælestis susscipere renuit, & non multò pòst etiam regni terrestris potentiam perdidit. Repudiata enim sorore Pendam Regis Merciorum, quam duxerat, aliam accepit vxorem: ideoque bello petitus, ac regno priuatus ab illo, secessit ad Regem Orientalium Anglorum, cui nomen erat Anna: apud quem triennio exulans, fidem cognouit ac susscepit veritatis. Nam & ipse, apud quem exulabat, Rex erat vir bonus, & bona ac sancta sobole felix, vt in sequentibus docebimus.

Cùm verò restitutus esset in regnum Cenuualch, venit in prouinciam de Hybernia pontifex quidam, nomine Agilbertus, natione quidem Gallus, sed ramen legendarum gratia scripturarum in Hybernia non paruo tempore demoratus: coniunxitque se Regi, sponte ministerium prædicandi assumens. Cuius eruditionem atque industriam videns Rex, rogauit eum, accepta ibi sede Episcopali, suæ gentis manere pontificem. Qui precibus eius annuens, multis annis eidem genti sacerdotali iure præfuit. Tandèm Rex, qui Saxonum linguam tantùm nouerat, pertæsus barbaræ loquelæ, subintroduxit in prouinciam alium suæ linguæ Episcopum, vocabulo Vuini, & ipsum in Gallia ordinatum: diuidensque in duas parochias prouincias, huic in ciuitate Venta, quæ à gente Saxona Vintanceſtir appellatur, sedem episcopalem tribuit. Vndè offensus grauiter Agilbertus, quòd hoc, ipso inconsulto, ageret Rex, redijt in Galliam: & accepto episcopatu Parisiacæ ciuitatis, ibidem senex & plenus dierum obijt.

Agilbertus Episcopus Parisiensis.

Non multis autem annis, post abscessum eius à Britannia, transactis, pulsus est Vuini ab eodem Rege ab Episcopatu. qui secedens ad Regem Merciorum, vocabulo Vulfheri, emit precio ab eo sedem Londoniæ ciuitatis, eiusque Episcopus vsque ad vitæ suæ terminum mansit. Sicque prouincia Occidẽtalium Saxonum tempore non pauco absque Præsule fuit. Quo etiam tempore Rex præfatus ipsius gentis grauissimis regni sui damnis sæpissimè ab hostibus afflictus, tandèm ad memoriam reduxit, quòd eum, quem pridiè perfidia regno depulerit, fides agnita Christi in regnum reuocauerit. Intellexitque quòd etiam tunc destituta pontifice prouincia, rectè pariter diuino fuerit destituta præsidio.

Misit ergò legatarios in Galliam ad Agilbertum, submissa illum satisfactione deprecans, ad episcopatum suæ gentis redire. At ille se excusans, & venire nõ posse contestans, quia episcopatu propriæ ciuitatis ac parochiæ teneretur adstrictus: nè tamen obnixè petenti nil ferret auxilij, misit pro se illò presbyterum Eleutherium nepotem suum, qui ei, si vellet, ordinaretur Episcopus, dicens, quòd ipse eum dignum esse episcopatu iudicaret, Quo honorificè à populo & à Rege susscepto, rogauerũt Theodorum, tunc Archiepiscopum Dorouernensis ecclesiæ, ipsum sibi Antistitem consecrari. Qui consecratus, in ipsa ciuitate multis annis episcopatum Geuissorum ex synodica sanctione solus sedulo moderamine gessit.

Eleutherius consecratur Geuissorum Episcopus.

Regnauit autem Oſuualdus Rex Christianissimus Nord Humbrorum nouem annis, annumerato illo anno, quem & feralis impietas Regis Britonum, & apostasia demens Regum Anglorum, detestabilem fecerat. Siquidem, vt suprà docuimus, vno animo, omniumque consensu firmatum est, vt nomen & memoria apostatarum de catalogo Regum Christianorum prorsùs aboleri deberet, neque aliquis regno eorum annus adnotari. Quo completo annorum curriculo, occisus est, commisso gratui prælio, ab eadem gente pagana, paganoque Rege Merciorum, à quo & prædecessor eius Eduinus peremptus fuerat, in loco, qui lingua Anglorum nuncupatur Maserfelth, anno ætatis suæ trigesimooctauo, die quinto mensis Augusti. Cuius quanta fides in Deum, quæ deuotio mentis fuerit, etiam post mortem virtutum miraculis claruit. Nanque in loco, vbi pro patria dimicans, à paganis interfectus est, vsque hodiè sanitates infirmorum & hominum, & pecorum celebrari non desinunt. Vndè contigit, vt puluerem ipsum, vbi corpus eius in terram corruit, multi auferentes, & in aquam mittentes, suis per hoc infirmis multum commodi afferrent. Qui videlicet mos adeò increbuit, vt paulatim ablata exindè terra, fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit. Nec mirandum, in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper, dum viueret, infirmis & pauperibus consulere, & eleemosynas dare, opemq; ferre non cessabat. Et multa quidem in loco illo, vel de puluere loci illius facta virtutum miracula narrant: sed nos duo tantùm, quæ à maioribus audiuimus, referre satis duximus.

Ex cap. 9.

Cæditur S. Oſuualdus Rex.

Miracula post obitũ eius.

Non multo post interfectionem eius exacto tempore, contigit vt quidam equo sedens, iter iuxta locum ageret illum. Cuius equus subitò lassescere, consistere, caput in terram declinare, spumas ex ore dimittere, & augescente dolore nimio, in terram cœpit ruere. Desiliuit eques, & stramine substrato, cœpit expectare horam, qua aut melioratum reciperet iumentum, aut relinqueret mortuum. At ipsum diù graui dolore vexatum, cùm diuersas in partes se torqueret, repentè volutando deuénit in illud loci, vbi Rex memorabilis occubuit. Nec mora, quiescente dolore, cessabat ab insanis membrorum motibus, & consueto equorum more, quasi post lassitudinem in diuersum latus vicissìm se voluebat: statimque exurgens quasi sanus, per omnia circumiacentia herbarum auidiùs carpere cœpit. Quo ille viso, vt vir sagacis ingenij, intellexit aliquid miræ sanctitatis huic loco, quo equus est curatus, inesse. Et posito ibi signo, non multò pòst ascendit equum, atque hospitium, quò proposuerat, accessit. Quò dum adueniret, inuénit puellam ibi neptem patrisfamiliâs longo paralysis morbo grauatam. Et cùm familiares domûs illius de acerba puellæ infirmitate ipso præsente quererẽtur, cœpit dicere ille de loco, vbi caballus suus esset curatus. Quid multa? Imponentes carro, duxerunt ad locum illum, ibidemque deposuerunt. At illa posita in loco, obdormiuit parumpèr, & vbi euigilauit, sanatam se ab illa corporis dissolutione sentiens, postulata aqua, ipsa lauit faciem, crines composuit, caput linteo cooperuit, & cum his, qui se adduxerant, sana pedibus incedendo reuersa est.

Infigne miraculum.

Paralytica sanatur.

Eo tempore venit alius quidam de natione Britonum, (vt fertur) iter faciens iuxta ipsum locum, in quo præfata erat pugna completa. Et vidit vnius loci spatium cætero campo viridius ac venustius: cœpitque sagaci animo conijcere, quòd nulla esset alia causa insolitæ illo in loco viriditatis, nisi quòd ibidèm sanctior cætero exercitu vir aliquis fuisset interfectus. Tulit itaque de puluere terræ illius secum, illigans in linteo,

Ex cap. 10.

Vide priscã erga reliquias veneration.

& cogitans quod futurum erat, quia ad medelam infirmantium idem puluis proficeret: & pergẽs itinere ſuo, peruénit ad vicum quendam veſperè, intrauitque in domũ, in qua vicini cœnãtes epulabantur: & ſuſceptus à dominis domûs, reſedit & ipſe cum eis ad conuiuium, appendens linteolum cum puluere, quem attulit, in vno poſte parietis. Cumque diutiùs epulis atque ebrietati vacarent, accenſo grandi igne in medio, contigit, volantibus in altum ſcintillis, culmen domûs, quod erat virgis contextum atque fœno tectum, ſubitaneis flammis impleri. Quod cùm repentè conuiuæ terrore confuſi conſpicerent, fugerunt foràs, nil ardenti domui, & iamiamque perituræ prodeſſe valentes. Conſumpta ergò domo flammis, poſtis ſolummodò, in quo puluis ille incluſus pendebat, tutus ab ignibus & intactus remanſit. Qua viſa virtute, mirati ſunt valdè: & perquirentes ſubtiliùs, inuenerunt quòd de illo loco aſſumptus erat puluis, vbi Regis Oſuualdi ſanguis erat effuſus. Quibus patefactis ac diffamatis longè lateque miraculis, multi locum frequentare illum, & ſanitatum ibi gratiam capere ſibi ſuisque cœperunt.

Nota rem ſanè mirã.

Ex cap. 11. Inter quæ nequaquàm ſilentio prætereundum reor, quid virtutis ac miraculi cæleſtis fuerit oſtenſum, cùm oſſa eius inuenta, atque ad eccleſiam, in qua nunc ſeruantur, tranſlata ſunt. Factum eſt autem hoc per induſtriam Reginæ Merciorum Oſſridæ, quæ erat filia fratris eius Oſuuini, qui poſt illum regni apicem tenebat, vt in ſequẽtibus dicemus. Eſt monaſterium nobile in prouincia *Lindiſſi nomine *Beardanam, quod eadẽ Regina cum viro ſuo Adilredo multùm diligebat, venerabatur, excolebat: in quo deſiderabat honoranda patrui ſui oſſa recondere. Cumque veniſſet carrum, in quo eadem oſſa ducebantur, incumbente veſpera, in monaſterium præfatum noluerunt ea, qui erant in monaſterio, libenter excipere: quia etsi ſanctũ eum nouerant, tamen quia de alia prouincia ortus fuerat, & ſuper eos regnum acceperat, veteranis eum odijs etiam mortuum inſequebantur. Vndè factũ eſt, vt ipſa nocte reliquiæ allatæ, foris permanerent, tentorio tamen maiore ſupra carrũ, quo inerant, extenſo. Sed miraculi cæleſtis oſtenſio, quàm reuerenter ea ſuſcipienda à cunctis fidelibus eſſent, patefecit. Nam tota nocte columna lucis, à carro illo ad cælũ vſque porrecta, omnibus penè eiuſdem * Lindiſſæ prouinciæ locis conſpicua ſtabat. Vndè manè facto fratres monaſterij illius, qui pridiè abnuerant, diligenter ipſi petere cœperunt, vt apud ſe eædem ſanctæ ac Deo dilectæ reliquiæ conderentur. Tora igitur oſſa intulerunt in thecam, quam in hoc præparauerant, atque in eccleſia iuxta honorem congruum poſuerunt. Et vt regia viri ſancti perſona memoriam haberet æternam, vexillum eius ſuper tumbam ex auro & purpura compoſitum appoſuerunt, ipſamque aquam, in qua lauerunt oſſa, in angulum ſacrarij fuderunt. Ex quo tempore factũ eſt, vt ipſa terra, quæ lauacrum venerabile ſuſcepit, ad abigendos ex obſeſſis corporibus dæmones, gratiæ ſalutaris haberet effectum.

Columna lucis ad oſſa S. Oſuualdi.

Nota vim admirandã terræ &c.

Deniquè tempore ſequente, cùm præfata Regina in eodem monaſterio moraretur, venit ad ſalutandam eam Abbatiſſa quædam venerabilis, quæ vſque hodè ſupereſt, vocabulo Edilhilt, ſoror virorum ſanctorum Edeluini & Aldeuuini: quorum prior Epiſcopus in *Lindiſſi prouincia, ſecundus erat Abbas in monaſterio, quod vocatur Peartaneu, à quo non longè & illa monaſterium habebat. Cùm ergò veniens illuc, loqueretur cum Regina, atque inter alia, ſermone de Oſuualdo exorto, diceret, quòd & ipſa lucem nocte illa ſupra reliquias eius ad cælum vſque altam vidiſſet: adiecit Regina, quòd de puluere pauimenti, in quo aqua lauacri illius effuſa eſt, multi iam ſanati eſſent infirmi. At illa petijt ſibi portionem puluueris ſalutiferi dari, & accipiens illigatum panno, condidit in capſella, & redijt.

Petit portionem prænominatæ terræ Edilhilt Abbatiſſa ſibi dari.

Tranſacto autem tempore aliquanto, cùm eſſet in ſuo monaſterio, venit illuc quidam hoſpes, qui ſolebat nocturnis ſæpiùs horis repentè ab immundo ſpiritu grauiſmè vexari. Qui cùm benignè ſuſceptus, poſt cœnam in lecto membra poſuiſſet, ſubitò à diabolo arreptus, inclamare, dẽtibus frẽdere, ſpumare, & diuerſis motibus cœpit membra torquere. Cumque à nullo vel teneri vel ligari potuiſſet, cucurrit miniſter, & pulſans ad oſtium, nunciauit Abbatiſſæ. At illa aperiens ianuam monaſterij, exiuit ipſa cum vna ſanctimonialium fœminarum ad locum virorũ: & euocans preſbyterum, rogauit ſecum venire ad patientem. Quò venientes, viderunt multos adeſſe: qui vexatũ tenere, & motus eius inſanos comprimere conati, nequaquàm valebant. Dicebat preſbyter exorciſmum, & quæcunque poterat pro ſedando miſerij furore agebat: ſed nec ipſe, quanuis multũ laborans, proficere aliquid valebat. Cumq; nil

nil ſalutis furenti ſupereſſe videretur, repentè venit in mentem Abbatiſſæ puluis ille præfatus: ſtatimq; iuſſit ire miniſtrã, & capſellam, in qua erat, adducere, & ſecũ afferre. Quæ cùm intraret atriũ domûs, in cuius interioribus dæmonioſus torquebatur, concuſſit ille ſubitò, & quaſi in ſomnũ laxatus, depoſuit caput, membra in quietẽ omnia compoſuit. Conticuêre omnes, intentique ora tenebant, quem res exitum haberet, ſolliciti expectantes. Et poſt aliquantum horæ ſpatium, reſedit qui vexabatur, & grauiter ſuſpirans: Modò, inquit, ſanũ ſapio. recepi enim ſenſum animi mei. At illi ſedulò ſciſcitabantur, quomodò hoc contigiſſet. Qui ait: Mox vt virgo hæc cum capſella, quam portabat, appropinquauit atrio domûs huius, diſceſſêre omnes, qui me premebant, ſpiritus maligni, & me relicto, nuſquàm cõparuêrunt. Tũc dedit ei Abbatiſſa portiunculã de puluere illo: & ſic data oratione à preſbytero, noctẽ illã quietiſſimam duxit, neq; aliquid ex toto nocturni timoris aut vexationis ab antiquo hoſte pertulit.

Puluis, in quem effuſa fuit aqua, qua S. Oſuualdi oſſa abluta fuêre, ſanat dæmoniacum.

Sequente dehinc tempore fuit in eodem monaſterio puerulus quidã, longo febriũ incommodo grauiter vexatus. Qui cùm die quadam ſolicitus horam acceſſionis febrium expectaret, ingreſſus ad eum quidam de fratribus, Vis, inquit, mi nate, doceam te, quomodò cureris ab huius moleſtia languoris? Surge, ingredere eccleſiam, & accedens ad ſepulcrum Oſuualdi, ibi reſide, & quietus manens, adhære tumbæ: vide nè exeas indè, nec de loco mouearis, donèc hora receſſionis febrium tranſierit. Tũc ipſe intrabo, & educam te indè. Fecit vt ille ſuaſerat: ſedentemque eum ad tumbam ſancti, infirmitas tangere nequaquàm præſumpſit: quia intantùm timens aufugit, vt nec ſecunda die, nec tertia, nec vnquàm exindè eum auderet contingere. Quod ità eſſe geſtum qui referebat mihi frater indè adueniens, adiecit quòd eo adhuc tempore, quo mecum loquebatur, ſuperesſet in eodem monaſterio iam iuuenis ille, in quo tunc puero factum erat hoc miraculum ſanitatis. Nec mirandum, preces Regis illius, iam cum Domino regnantis, multum valere apud eum, qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno ſemper laborare ac deprecari ſolebat. Deniquè ferunt, quia à tempore matutinæ laudis ſæpiùs ad diem vſque in orationibus perſtiterit, atque ob crebrum morem orandi, ſiue gratias agendi Domino, ſemper vbicunque ſederet, ſupinas ſuper genua ſua manus habere ſolitus ſit. Vulgatum eſt hoc, & in cõſuetudinem prouerbij verſum, quòd etiam inter verba orationis vitam finierit. Nanque cùm armis & hoſtibus circunſeptus, iamiamque videret ſe eſſe perimendum, orauit ad Dominum pro animabus exercitûs ſui. Vndè dicunt in prouerbio: Deus miſerere animabus, dixit Oſuualdus cadens in terram. Oſſa illius tranſlata & condita ſunt in monaſterio, quod diximus. Porrò caput, & manus cum brachijs à corpore præciſas, iuſſit rex, qui occiderat, in ſtipitibus ſuſpẽdi. Quò poſt annum deueniẽs cũ exercitu ſucceſſor regni eius Oſuuinus, abſtulit ea: & caput quidẽ in cœmeterio Lindisfarnẽſis eccleſiæ, in regia verò ciuitate manus cũ brachijs condidit.

Ex cap. 12.

S. Oſuualdi crebræ & prolixæ preces.

Nec ſolùm inclyti fama viri Britanniæ fines luſtrauit vniuerſos, ſed etiã trans Oceanum longè radium ſalutiferæ lucis ſpargens, Germaniæ ſimul & Hyberniæ partes attigit. Deniquè reuerendiſſimus Antiſtes Acca ſolet referre, quòd cùm Romam vadens, apud ſanctiſſimum Friſonum gentis Epiſcopum Vuillibrordum cum ſuo Antiſtite Vuilfrido moraretur, crebrò eum audiuit de mirãdis reliquijs eiuſdem reuerendiſſimi Regis, quæ in illa prouincia geſta fuerint, narrare. Sed & in Hybernia cùm preſbyter adhuc peregrinam pro æterna patria duceret vitam, rumorem ſanctitatis eius in ea quoquè inſula longè lateque iam percrebuiſſe ferebat. E quibus vnum, quod inter alia retulit, miraculum præſenti noſtræ hiſtoriæ inſerendum credidimus.

Idẽ Acca inter 12. apoſtolos Friſiæ & Saxoniæ annumeratur tertius.

Tempore, inquit, mortalitatis, quæ Britanniam Hyberniamque lata ſtrage vaſtauit, percuſſus eſt eiuſdem clade peſtis inter alios ſcholaſticus quidã de genere Scotorum, doctus quidem vir ſtudio literarum, ſed erga curam perpetuæ ſuæ ſaluationis nil omninò ſtudij & induſtriæ gerens. Qui cùm ſe morti proximum videret, timere cœpit & pauere, nè mox mortuus ob merita ſcelerum ad inferni clauſtra raperetur. Clamauitque me cùm eſſem in vicino poſitus, & inter ægra tremens ſuſpiria, flebili voce talia mecum querebatur: Vides, inquit, quia iam creſcente corporis moleſtia, ad articulum ſubeundæ mortis compellor. Nec dubito me poſt mortem corporis ſtatim ad perpetuam animæ mortem rapiendum, ac infernalibus ſubdendum eſſe tormentis: qui tempore non pauco inter ſtudia diuinæ lectionis vitiorum potiùs implicamentis, quàm diuinis ſolebam ſeruire mandatis. Ineſt autem animo (ſi mihi pietas ſuperna aliqua viuendi ſpatia donauerit) vitioſos mores corrigere, atque ad imperiũ

diuinæ voluntatis totam ex integro mentem vitamque transferre. Verùm nóui, non hoc esse meriti mei, vt inducias viuendi vel accipiam, vel me accepturũ esse cõfidam, nisi fortè misero mihi & indigno, veniam per auxilium eorum, qui illi fideliter seruierunt, propitiari dignatus fuerit. Audiuimus autem, & fama est celeberrima, quia fuerit in gente vestra Rex mirandæ sanctitatis, vocabulo Osuualdus: cuius excellentia fidei & virtutis, etiam post mortem virtutum frequentium operatione claruerit. Precor igitur, si aliquid reliquiarum illius penès te depositum habeas, afferas mihi, si fortè mihi Dominus per eius merita misereri voluerit. At ego respondi: Habeo quidem de ligno, in quo caput eius occisi à paganis infixum est: & si firmo corde credideris, potest diuina pietas per tanti meritum viri, & huius vitæ spatia longiora concedere, & ingressũ te vitæ perennis dignum reddere. Nec moratus ille, integram seiri hoc habere fidem respondebat. Tunc benedixi aquam, & assulã roboris præfati immittens, obtuli ægro potandam. Nec mora, meliùs habere cœpit & conualescẽs ab infirmitate, multo deincèps tempore vixit: totoque ad Deum corde & opere conuersus, omnibus, vbicunquè perueniebat, clementiam pij conditoris, & fidelis eius famuli gloriam prædicabat.

Væ impijs, qui Sanctorum tam illustrib⁹ miraculis fidẽ derogant.

VITA BEATISSIMI PATRIS DOMINICI, ORDINIS PRAEDICATORII PRIMI INSTITVTORIS, AVthore F. Theodorico de Appoldia Dominicano: sed stylum passim correxit F. Laur. Surius. Author totum opusculum in octo partes distinxit: nos libros vocamus.

MANDATVM MVNIONIS MAGISTRI ORDINIS *Fratrum Prædicatorum, ad F. Theodoricum de Appoldia in quo nihil mutauimus.*

Hic Munio fuit 7. Magister Generalis.

DIlecto sibi in Christo Fratri Theodorico de Appoldia, domus Ecphordensis prouinciæ Teutoniæ, Frater Munio, Magister Ordinis, licèt indignus, salutem & augmentum continuum cælestium gratiarum. In remissionem peccatorum, & in augmentum nihilominùs meritorum vobis iniungo, quatenùs dictandi Legendam sancti Dominici patris nostri, secundùm datam vobis gratiam, de qua gero fiduciam in Domino pleniorem, meritum subeatis, vt nomin vacuum Dei gratiam videamini accepisse. Hæc inter alia diligentiùs attendes, vt sit veritate firmissima, integritate completa, gratiosa docere. Volo autem, quòd Prior vester, qui pro tempore fuerit, vobis adsit auxilijs, consilijs & solatijs consolationibusque opportunis. Valete & orate pro me. Datum in Vrbe veteri, Idibus Aprilis.

Is Nicolaus fuit 9. Magister generalis. * temporalium, puto legendum.

Epistola F. Theodorici de Appoldia, ad Nicolaum Magistrum Ordinis, in qua itidèm nihil mutauimus.

PAtri filiorum amabili Nicolao, Magistro fratrum Ordinis Prædicatorum venerabili, F. Theodoricus de Teutoniæ Prouincia, per prosperitatem * prouincialium meritorum pertingere ad æternorum præmia gaudiorum. Libellum, quem de patre diuino Dominico, & Ordine ab ipso institutore compositum, sibi deferri vestra dignatio imperauit, in abiectis quidem schedulis & petijs primùm iam senex cõscripsi proprijs manibus, oculisque caligantibus, & compegi: de cuius materia proœmium vos instruet & docebit. Reperto igitur ex Chronicis tempore, quo sancti huius parentes extiterunt, ea, quæ circa ortum & progressum & exitũ vitæ ipsius gesta sunt, secundùm decursum temporis disponere curaui: ità tamen, quòd propter conuenientiam materiæ, postmodùm quæ acta sunt, præposui, & quæ antè, postposui subiungendo. Legi sanctorũ Patrum Bernardi & Francisci vitas, cum multa integritate editas, elegantique stylo compositas, insigni syncerague deuotione probatas: nostrique eximij patris præfulgentem & prælucidam valdè dissimiliter scriptam vitam.

Cupiens igitur statum Ordinis nostri plenaria certitudine non carere, posterisque nobilitatem auiti generis intimare, paternæ sanctitatis ingenuitatem, prout potui, verbis simplicibus designaui. Multa de verbo ad verbum, sicut in exemplaribus reperi, posui: quandoquè tamen propter consequẽtiam aliquid immutaui. Cũque ex ijs, quæ

quæ ad manum habebam, exemplaribus omnia consummâssem, allata sunt mihi ad petitionem meam quædam scripta, quæ & precio comparaui, propter quæ opus præteritum, vt illa insererem, penitùs dissipaui. Erant enim illa magnæ authoritatis, vtpotè dicta testium iuratorum, quæ Papa Gregorius IX. approbauit, magnorumque meritorum & exemplorum sanctitatis præcipuè expressiua. Præuénit præterea me litera venerabilis patris fratris nostri Munionis, tunc Magistri Ordinis, mihi istum laborem iniungens & studium pro peccatis. Non vt volui, nec vt debui, feci tamen quod potui, vt videtis. Verùm vos reuerendissime pater, quod vestrum est, manum peritam apponite, & de hac informi materia opus, sic vt scitis, perficite gloriosum. Decreuetam certè huic operi superaddendo, detrahendo, immutando, ornando, ordinando vlteriorem diligentiam adhibere, si facultas expensarum & opportunitas temporum adfuisset. Quibus deficientibus, destiti, & vt adspicitis, derelíqui. Veruntamen quandiù viuo, his laborem impendere, si requiritur, non recuso. Ignoscite, obsecro, mihi pro nomine Iesu Christi. Expaui & dolui primùm, quòd ad aures vestras mea imperitia pertingere debuit, nec credidi hoc futurum. Spiritus Dei sanctus spiritum vestrum dirigat & infundat, vt sanctitatis in hoc libello descriptæ deuotus æmulator efficiaris & executor, & in Ordine, vestro regimini commisso, fidelis inueniamini executor.

Iordani libellus de primis patribus Prædicatorij Ordinis.

Sciendum, quòd venerabilis pater noster beatus Iordanus, secundus nostri Ordinis Magister, successor S. Dominici dignissimus, libellum de initio Ordinis composuit, in quo primorum patrum & fratrum sanctorum gesta gloriosa & mirabilia opera conscripsit, nè in obliuionem venirent patres tam excellentes, eorumque exempla tam eximiæ sanctitatis. De quo libello prima sancti Dominici Legenda conscripta est. Posteà de mandato Iohãnis Episcopi, qui quartus à sancto Dominico Magister extitit, F. Constantinus secundam Legendam edidit, multa insignia superaddens. Succedens sanctus pater Humbertus, Magister Ordinis V. ex prædictis tertiam conflans Legendam, multis superadditis, non modicùm ampliauit. Qui etiam librum, qui Vitas fratrum dicitur, sua deuotione & diligentia compilauit. Tandèm dilectus pater noster F. Gerardus, Prior prouincialis Teutoniæ, rediens de generali Capitulo, in Luca celebrato, detulit quædam præclara gesta sancti Dominici de Bononia, quæ ex ore sororis Cæciliæ Romanæ, quam beatus Dominicus ad Ordinem receperat, conscripta sunt. Quæ sicut vidit & audiuit, plena fide syncerissimè enarrauit, quæ vsque ad annum Domini millesimum ducentesimum nonagesimum, religiosissimam & honestissimam vitam duxit. Præterea dicta illustrium virorum, videlicet nouem fratrum, quorum testimonia credibilia facta sunt nimis, authoritate Domini Gregorij IX. approbata, & iam alijs proferenda, patris nostri eximiam prædicant sanctitatem. Accedunt ad hæc Reuelationes sanctorum, quæ spernendæ non sunt: Reuelationesque veterum fidelissimæ, & omni credulitate dignissimæ, per quas & Prædicatorum Ordinis authoritas, & Fundatoris eiusdem inclyta merita declarantur.

Partitio opusculi huius.

Ex his omnibus præsentis Opusculi materia sumpta, in vnum libellum conscripta est fideliter & compacta: cui authoritatem præstat gestorum veritas, sine qua nulla valet authoritas. Quis verò prædictis patribus authoritatem audeat derogare, quorum hîc sententiæ, & plerunquè verba de verbo posita sunt? Distinctus est autem hic libellus in octo particulas, & subdistinctus per capitula, vt quod quærit quis, faciliùs inueniat, & legendo distincta, ampliùs delectetur. Est autem ex hoc libellus iste prolixior, quòd gesta Magistri Reginaldi & obitum eius, & quorundam aliorum patrum, & quæ ad commendationem Ordinis spectant, pleniùs inserta continet & asscripta. Fateor, hæc omnia ornatiùs & ordinatiùs exprimi poterant & conscribi, sed condescendendum est mihi: quia in his compingendis mihi nullus adfuit, nec propter hunc laborem aliquid, quod regularis obseruantia exigit, intermisi. Feci autem hanc ex diuersis collectam compositionem, vt cum quanta gloria & religione Prædicatorum institutus sit Ordo, & sanctorum patrum eundem fundantium eximia deuotio & præclara discretio posteris innotescat. Nec volo, quòd Legendæ vocabulo censeatur, sed Libellus de vita & obitu & sancti Dominici miraculis, & de Ordine fratrum, quem instituit, nominetur. Pleraque sicut in prænominatis exemplaribus reperi, de verbo ad verbum hîc posui, pauca propter continuationem immutans & prolationis decorem. Oro autem & desidero, vt ad vtilitatem sint legentium: cupioque vt omnis pius lector & deuotus auditor, attento studio hæc corrigat & emendet.

Libell⁹ iste plures vitas Patrum ordinis prædicatorij continet.

PROLOGVS AVTHORIS IN VITAM S. DOminici, mutato paſſim ſtylo.

Matt.20. Matt.22. MVltifariè multisque modis olim Deus electos ſuos ad æternum inuitans conuiuium, nouiſſimè diebus iſtis, id eſt, ad horam vndecimam, miſit ſeruum ſuum dicere inuitatis vt venirent, quia parata iam ſunt omnia. Seruum hunc, Ordinem Prædicatorum ſanctus Pontifex Gregorius interpetatur, nouiſſimis mittendum temporibus, vt hominũ animos de propinquo Iudicis aduentu admoneat. Homil.36. in Euangelia. Nouum enim quandoquè Prædicatorum Ordinem futurum ſcriptura innuit, quandò ſub finem mundi eum mittendum ità luculenter exprimit: Miſit, Luc.14. inquiens, ſeruum ſuum hora cœnæ. Hora cœnæ, finis eſt mundi. Nos autem ſumus, in 1.Cor.10. quos fines ſeculorum deuenerunt. Miſſus eſt igitur hora cœnæ, id eſt, diebus extremis Ordo nouus: nouus, inquam, pariter & antiquus. Nouus inſtitutione, antiquus authoritate. Nouus, immò nouiſſimus ſpatio, officio primus. Cùm enim primo manè, tum etiam hora tertia, ſexta & nona, ex denarij conuentione conducti fuerint vineæ cultores, hora reſtat, immò iam adeſt vndecima, qua poſtremi cultores multiplicentur. Hi ſunt Prædicatores, quorum Ordinem horum nouiſſimorum temporum periculis diuina diſpenſatio prouidit: vt apropinquante iudicio illius, cuius in humilitate Eſa.53. Pſal.91. iudicium ſublatum eſt, teſtium numerus augeretur. Itaque multiplicantur nunc ſenecta vberi, vt benepatientes annuncient, quoniam rectus Dominus Deus noſter. Exod.28. Zach.6. Hæc ſunt tintinnabula, quibus pontificalis podéris extremitas ornatur. Hi ſunt equi fortes & varij in quadriga nouiſſima, è medio duorum montium æreorum egreſſi, vt perambulent omnem terram. Huius Ordinis primus inſtitutor & pater inclytus fuit beatus Dominicus, cuius vitam virtutibus plenam, Deoque gratiſſimam, obitum quoquè & nonnulla miracula, atque ipſius Ordinis in occiduis mundi partibus & occaſu temporis orientis exordium rudi quidem, ſed veraci ſtylo perſtringemus, opitulante nobis gratia Ieſu Chriſti.

Sequebatur hìc alius Prologus, quem omiſimus, nè Lectori tædium adferremus.

VITÆ S. DOMINICI LIBER I.

De pietate & honeſtate parentum S. Dominici. Cap. I.

Auguſti 5. tamersi obijt 8. Idus Auguſti. IN nomine patris & filij & ſpiritûs ſancti, Dominicus humilis ſeruus Ieſu Chriſti, ſegregatus in Euangelium Dei, ſobriè & iuſtè & piè conuerſatus, dignus factus in partem ſortis ſanctorum in lumine, verè eſt lux mundi. Qui velut ſtella matutina in medio nebulæ coruſcus appárens, innocentiæ, pudicitiæ, verecundiæ, ſimplicitatisque radijs omnes à ſe puerilis ſtultitiæ, laſciuientis adoleſcentiæ, petulantis concupiſcentiæ tenebras depulit: ſtudijsque ſapientię, operibus miſericordię, & canonicę religionis perfectione, vt lux ſplendens procedens, inſtàr lunæ plenæ in diebus ſuis & ſe & proximos ſuos illuſtrauit: & tanquàm Sol oriens, atque ad perfectum excreſcens diem, ad celſiſſima Dei dona Prædicatorum Ordinem prouexit. Qui rutilans in virtute ſua, per omnia proſpexit, opaca illuminans, ſterilia fœcundans, frigida calefaciens, & tepida accendens, nunc à claritate in claritatem transfiguratus à ſpiritu Dei, glorioſus ſplendet in patria, qui in hac peregrinatione admirabiliter refulſit in gratia, cùm priùs humiliter ipſo ſuæ natiuitatis ortu fulſiſſet in Hiſpania. Tempus, quo voluit Dominus huius clariſſimi ſideris radios in homines diffundi, ſequentia declarabunt. Præſidente Romæ in cathedra ſancti Petri magno patre, domino Alexandro III. & Friderico Imperatore, huius nominis primo, Imperij habenas moderante, in Hiſpaniæ oppido Callaroga Oxonienſis diœceſis, anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, fuit vir quidam, Felix nomine, qui ſibi matrimonio iunxit vxorem Iohannam. Erant ij tum ſecundùm

S. Dominicus Soli & Lunæ rectè comparatur

Patria & parẽtes S. Dominici.

cundùm ſeculi conditionem ſatìs honeſti, tum erga Deum Chriſtiana pietate deuoti. Anteuertente autem illos diuinæ diſpenſationis benignitate, benedictionem cæleſtem in prolis ſanctiſſimæ fœcunditate adepti ſunt. Peperit enim Iohanna marito ſuo duos filios, qui literis imbuti, & vitæ integritate conſpicui, ſacerdotio initiati ſunt. Alter ex ijs in domo quadam hoſpitali miniſterio pauperum ſe mancipans, gratia humilitatis, operibus miſericordiæ, alijsque virtutibus in vita ſua clarus fuit, & vt fertur, poſt obitum miraculis coruſcauit. Alter verò mundo valefaciens, vitam monaſticam complexus eſt, & in ea multo tempore Domino laudabiliter ſeruiens, vir ſanctus & contemplationibus diuinis deditus, beato fine quieuit. Nimirùm tales fructus progignit terra bona: quorum alter, dum eſt in miſericordiæ ſtudia intentus, gratia redolet: alter, dum veritatis ſpeculationi addictus eſt, æternam beatitudinem præguſtat.

Duo fratres eius viri egregij.

Adiecit autem adhuc Dominus benedictionis ſuæ cumulos. Nanque ſublimioris gratiæ filium paritura mater, antè quàm conciperet, cæleſti viſione docta eſt de partu futuro. Vidit nanque ſe vtero geſtare catulum, ardentem ore faculam ferentem: egreſſumque ab vtero, totum mundum flammis ab eius ore prorumpentibus illuminantem. Viſitauit deindè Iohannam Dei gratia, & inebrians partûs eius fructum, germinare eam fecit, ſacra eius genimina multiplicans. Tandèm vbi pariendi tempus adუenit, filium peperit, fratrum decus & matris gaudium, exultantis in Domino, quòd in viſione oſtenſum, ſuo gremio contineret. Catechizatus ex more infantulus, ſacerdotali benedictione ſanctificatur, ſalutarique chriſmatis vnctione conſignatur: baptizatur in nomine patris & filij & ſpiritûs ſancti, & nutu eius, cuius eſt nomen Dominus, Dominicus appellatur. Matri quoquè eius ſpirituali, cuidam nobili fœminæ ſacer infans Dominicus in viſu appáret, ſtellam luculentam in fronte ferens, cuius immodico ſplendore totus orbis irradiabatur. Videamus nunc præclarum infantulum. Gignitur à Felice patre, editus in lucem, nutritur, fouetur à Iohanna matre, per gratiam renaſcitur, accipit Dominici nomen, gratiæ alumnus, diuinitatis amans & cupidus, æternæ felicitatis hæres futurus. Necdùm natus, non dubio ſigno oſtenditur: renatus, nomine inſigni cohoneſtatur: ſacro ſplendore micantis ſtellæ declaratur, ardentem prę ſe fert faculam, cuius multo igni totus inflammetur orbis: ſit nomine tam celebris, vt aduerſarijs ſit terrori: lumine tam illuſtris, vt pecatorum tenebras illuminet, & inter cæli aſtra eximiè refulgeat, feruore charitatis igneus, famoſa authoritate grauis, luce ſcientiæ inclytus. In ipſo quoquè ortu ſuo infans beatiſſimus præclari Ordinis, cuius erat ipſe futurus parens & princeps, forma, ſignifer & vates fuit. Feruens enim prædicatio, cor peccatoris ad agendam pœnitentiam inflammans, ardens catuli facula eſt: authoritas gratiam concilians, potentiæ nomen eſt: doctrinæ claritas, alios ad ſapientiam perducens, fulgor ſtellæ eſt. Nimiùm ſanè errat, quiſquis hæc ab omni æternitate non credit præordinata, ſicut cælitùs hîc præſignata referuntur.

Viſio matris eius.

Naſcitur S. Dominicus

Porrò mater puerpera accuratè enutrit filium, lactat & ablactat, & lætabunda ſensim ad incrementa perducit. Cumque iacéret aliquandò in cunis, examen apum circa os eius volitans, linguam eius diuinæ ſapientiæ melle * affluituram indicabat. Ablactatus verò à lacte, & auulſus ab vbere, mox cæleſtis gratiæ cœpit mamilla nutriri. Itaque quamprimùm potuit, infantiæ annos necdùm egreſſus, exemplo piorum parentum templa crebrò adire, Deumque colere ſtuduit, lectulum quoquè in ea ætatis teneritudine ſæpiùs reliquit, & eius mollitiem declinans, in nuda humo infantilia membra repoſuit, quod poſteà in diebus ſuis infatigabiliter obſeruauit. Creuit igitur, religioſorum parentum cura religioſè educatus, quem etiam ſpecialiter in puericiæ annis quidam venerabilis Archipreſbyter, eius auunculus, inprimìs diligenter inſtituens, enutriuit. Atque horum prudenti & religioſo conſilio traditus eſt ſanctus puer Eccleſiaſtico præcipuè officio imbuendus: adfuitque pijs votis diuina benedictio & promotio, cœpitque eſſe puer ingenioſus & docilis, vtpotè ſortitus animam bonam, vaſculum gratiæ, ſcientiæ receptaculum. Proficiens autem in diuini cultûs inſtitutis venerabilis puer, morabatur in eccleſijs, cum Clericis pſalmos promebat, hymnos concinebat, altaria circumibat, ſacris myſterijs deuotus aſſiſtebat, Chriſti miniſtris & ſacerdotibus ſeruiebat, & velut teſta recens, animus puerilis per hæc exercitia odore eſt ſanctitatis imbuta, quem ille poſteà perpetuo tenore ſeruauit. Cœpit iam tum manus ſummi opificis formare ſibi ex illo vas electionis, in quod ſuæ benedictionis chriſmata effunderet.

Pietas adhuc ferè infantis.

Exercitia pietatis in puericia.

Cuſtodiuit

Custodiuit electus puer innocentiam, dilexit munditiam, conseruauit disciplinam: pudicus sensibus, verecundus actione fuit. Hæc & alia in altero ætatis septenario, quemadmodùm vnctio spiritûs illi suggerebat, adhuc puerulus obseruabat, nil puerile præ se ferens in homine exteriori. Iam enim senile cor ei inerat, & sub tenello vultu canities animi veneranda latebat. Ab ipsis nanque incunabulis tam erat excellenti indole, vt eximium quiddam in eo futurum tam insignis infantia, tamque sancta puericia testaretur.

Quòd & philosophica, & theologica scientia non mediocriter eruditus sit. Cap. 2.

Mittitur Valentiam studiorum causa.

CVM viderent autem pij parentes eius continuam & ætatis & gratiæ in sancto puero accessionem, illum studiorum causa Valentiam miserunt. Ibi enim tunc florebat studium generale, vt vocant, abundans tam discipulorum frequentia, quàm præstanti doctrina magistrorum. Itaque prudens adolescens non segnitiem sectatus est, sed in discendas literas, propter quas illuc missus erat, accuratè incubuit, adeò vt gratia diuina illi opitulante, breui spatio multos coætaneos superârit. Contemptis nanque rebus ineptis & friuolis, quibus ea ætas diffluit, necessarijs dabat operam, noxiæ sodalitatis, inprimisque fœminarum viscosa & lubrica contubernia declinans. Cum ludentibus non se miscuit, neque cum ijs, qui in leuitate cordis * pro carnis desiderijs ad res curiosas, insanias falsas & inanissima spectacula se conferebant, participem se præbuit. Respuebat mundi blandientis & fallentis gaudia, carnisque spurcitias immaculati affectûs pede calcans, virginitatis decus & florem illibatum Domino conseruauit. Itaque copiosè in eius purum intellectum, animumque sordibus liberum, liberales disciplinæ, quæ puris intellectibus capiuntur, influebant. At verò angelicus adolescens his humanæ sapientiæ disciplinis non nimiùm capiebatur, quippe quòd in eis Christum Dei sapientiam, cui inhiabat, non cerneret.

Admodùm religiosè viuit, for * ambulantes, pro

1. Cor. 2. Non enim vllus philosophorum eam sapientiam tradidit, nec aliquis principum huius mundi cognouit. Nè ergò vires florentis iuuentutis vanè consumeret, sedistim eam qua ardebat, posset extinguere, ad fontem Theologicæ sapientiæ se contulit, hausturus indè, quod auidè appetebat. Inuocans ergò per preces Christum Patris sapientiam, inclinauit cor suum disciplinæ, & sacræ paginæ magistris aurem suam: erantque eloquia illa super mel & fauum dulcia pectori eius. Ijs sanè addiscendis pius iuuenis quadriennio tanta animi contentione & studio incubuit, vt penè noctes insomnes duceret, quietisque tempora vigilijs largiretur. Porrò auditam veritatem pio affectu humiliter complectens, & suauiter animo affigens, etiam opere efficaciter exequi nitebatur. Atque vt è fonte sapientiæ salutaris haustum percipere mereretur, decem annis vino, in quo est luxuria, castitatis amator sibi penitùs voluit interdictum. Mirum profectò id fuit, nec minùs gratiosum, videre hominem annorum paucitate iuuenem, conuersationis maturitate & morum constantia senem. Iuuenilia fugiebat desideria: sectabatur verò iustitiam: vagosque cauens discursus, domum matris ecclesiæ & sanctæ quietis tabernacula non reliquit. In templo aut orans, aut studijs intentus, assiduè morabatur. Cùm igitur præcepta Dei tam eximio complecteretur amore, impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectûs, vt etiam difficiles quæstiones facilè penetraret.

Studet Theologiæ.

X. annis vino abstinet

Et quia toto corde diligebat Deum, qui fecit illum, non potuit non amare & proximum, quem vult Deus diligi in se. Videre erat in illo erga proximorum calamitates & miserias pijssimam commiserationem, & affectum beneuolentiæ & misericordiæ transferri in operis euidentes effectus. Nam cùm Valentiæ daret operam literis, omnem ferè Hispaniam immanis oppresserat fames. Deficiebant præ fame & siti pauperes, nec erat qui reficeret: moriebantur miseri & inopes, nec erat qui curaret: clamabant pupilli & viduæ, paruuli & debiles, nec quisquam attendebat. Inter hæc affligebatur spiritus iuuenis Dominici, & compatiebatur misericors anima eius pauperum multitudini. Itaque Euangelici consilij non surdus auditor, immò perfectionis sectator egregius, distraxit libros & omnes res suas, preciumque in pauperes expendit. Ità gratissimus Christi iuuenis, obediens verbo Saluatoris, proximorum periculis medebatur, intuentesque præclaro prouocauit exemplo. Auxit in eo concupiscentia sapientiæ, non minuit, opera iustitiæ: nec retraxit à perfectione studium scientiæ, sed consummauit in virtute. Sciebat

Commiseratio erga proximos.

Libros & res suas vēdit, & precium dat pauperibus.

bat enim, quemadmodùm oporteret ipsum scire. Intelligebat super senes, quòd mandata Domini quæsiuisset: & beatus planè fuit, opere efficiens, quod cognitione comprehenderat. Agebat autem hæc & alia præclara angelicus iuuenis, necdùm habitu vel conuictu à mũdo separatus: immò, vt dicamus quod res est, non ille, sed Dominus & habitans in eo virtus Christi, fecit hæc omnia, prœueniens eum in benedictionibus dulcedinis, mirificans eximijs eius infantiam sacramentis, sanctificans innocentem pueritiam munditiæ rudimentis, adolescentiam solidissimis Philosophicæ & Theologicæ scientiæ fundamentis, morumque suauium ornamentis confirmans. Nec cessabit misericordia Dei, donèc perficiat & consummet eum ad extremum vsque diem bonorum operum & virtutum omnium incrementis.

Psal. 118.

Vt venerabilis Didacus Episcopus eum fecerit Canonicum regularem in Ecclesia sua. Cap. 3.

Didacus Oxonien. Episcopus.

PER id tempus erat vir vitæ venerabilis, Didacus nomine, Ecclesiæ Oxoniensis Episcopus, quem & sacrarum peritia literarum, & generis nobilitas, & inprimis morum insignis honestas ornarent. Is adeò totus amore inhærebat Deo, vt seipsum contemnens, & sola, quæ sunt Iesu Christi, quærens, in id summoperè cura & cogitatione esset intentus, quemadmodùm multas Domino animas lucrifaciens, talentum sibi creditum cum vsura multiplici ad illum reportaret. Quamobrèm vbicunquè reperire potuit viros vitæ & morum integritate conspicuos, eos quibus poterat modis ad se adiungebat, & in Ecclesia, cui præerat, ecclesiasticis beneficijs donabat. Porrò subditos illos suos, quorum esset propensa in virtutem & sanctitatem voluntas, animus à mundo abhorrens, vt religiosorum hominum institutum complecterentur, & verbis hortabatur, & exemplis inuitabat. Indè adeò accidit, vt canonicis suis crebris id adhortationibus persuadere niteretur, vt ad præscriptum regulæ beati Augustini, in canonicæ religionis obseruantiam consentirent. Tanta verò cura & diligentia id egit, vt eorum animos, tametsi non deessent qui obluctarentur, ad suam voluntatem inclinârit. Ad eius autem notitiam peruênit celebris & odorifera beati Dominici fama, & cùm accuratè de illo esset percontatus, remque certam comperisset, accersitum eum fecit in sua Ecclesia Canonicum regularem, ex hocipso beatum se putans, quòd & sibi de tali filio, & Ecclesiæ suæ de ministro tam idoneo prouidisset.

Fit canonicus regularis S. Dominicus.

De eius religione, perfectione & admirabili sanctitate. Cap. 4.

HAbitum igitur Canonicæ religionis indutus extrinsecùs seruus Christi Dominicus, per Dei gratiam nouum hominem intrinsecùs induit, moxque in Dei timore ad totius sanctitatis studium conuersus, in seipso priùs exprimere curauit, quod erat alios posteà docturus. Satagens igitur perfectorum imitari vestigia, & ad virtutum fastigia contendere, nouitius Canonicus solicitè de antiquis semitis inquirebat, vt sciret quæ esset via bona, vt ambularet in ea. Vndè librum illum, qui Collationes Patrum inscribitur, studiosè legendum suscepit, deditque operam, vt lecta, intelligentia comprehenderet, affectu sentiret, effectu & re ipsa fortiter exequeretur. Didicit enim ex eo puritatem cordis, contemplationis viam, omniumque virtutum perfectionem, idque vnctione magistra. De huiusmodi enim liber ille agit. Itaq; abijciens & despiciens seipsum in cordis humilitate, reuerentiam Canonicis & honorem exhibebat. Inuitatus ad æterni sponsi nuptias, nouissimum tenuit locũ, se infimum, cæteros sanctiores existimans. In oratorio versabatur noctù diuque, orationi sine intermissione, lectionique & meditationi assiduè vacans. Externa solatia paruipendit, euagationes vanas prorsùs vitauit, contemplationique tempus concilians, extra septa monasterij vix vnquàm visus est. Ità sanctus Dei inter canonicos illos ceu iubar eximium emicuit, miraque celeritate de virtute in virtutem progrediens, omnium in se amorem & affectus prouocauit. Mirantur omnes tam subitam religionis perfectionem, & licèt inuitum, suum eum volunt esse Suppriorem. Tum verò quasi lucerna super candelabrum posita, & ciuitas super montem, factus est omnibus vitæ speculum, sanctitatis exemplar. Erat in oratione assiduus, charitate præcipuus, cõmiseratione anxius, contemplatione suspensus, & ipsis quoquè subditis suis cum multa humilitate subiectus. Vigil ei cor & sensus erat ad Deum, nec rarò in precibus pernoctabat: erantque preces eius feruentes, & cum lachry-

Ierem. 6. Collationes Patrum legit.

Luc. 14.

Fit Suppriior, licèt nolens. Matt. 5.

Vigiliæ, orationes & abstinentię eius quantę fuerint.

lachrymis coniunctæ: rugiebat à gemitu cordis sui, nec continere se poterat, quin plangentis vox pijssima procùl etiam audiretur. Macerabat corpus ieiunijs & abstinentia multa, vix sustentandæ naturæ necessaria alimenta percipiens. Vinum, quod decennio non gustârat, propter afflictam stomachi valetudinem, iubente Didaco Episcopo, sumere cogebatur. Quod tamen & exiguum, & aqua dilutum, bibebat. Feruebat in eius pectore vehemens desiderium salutis animarum, eamque vt procurarere ipsa dignus foret, crebris orationibus & votis specialibus à Domino flagitabat. Optabat se totum impendere saluti proximorum, tunc se reuerà Christi fore membrum existimans, si eius se exemplo animabus lucrandis prorsùs manciparet. nec fraudatus est desiderio suo. Semen enim fratri suo defuncto, nempe Christo crucifixo, suscitauit, verbum illius disseminans, & instituens prædicatores. Et eccè grana seminis Deus multiplicans, auxit frugum iustitiæ incrementa. Plenum erat sanctissimis affectionibus pectus eius, atque erga omnia tum prospera, tum aduersa proximorum, mira pietate mouebatur, afflictorum rebus duris cruciabatur, pauperum penuria & miserorum calamitatibus torquebatur, atque inprimis pereuntium animarum zelo mirè angebatur & mente sauciabatur. Ità nimirùm instàr Prophetæ, Dominicus peccata hominum & afflictorũ miserias contemplans, æstuabat animo intrinsecùs, & flens largissimè, latentem commiserationis affectum per lachrymas prodebat foris. Hanc enim excellentissimam charitatis gratiam specialiter habebat à Deo donatam, flendi scilicet pro peccatoribus, & miseris atque afflictis omnibus condolendi. Sed quantum illi angoris & mœroris afferebat erga calamitosos condolentia, tãtum profectus piorum hominum, quibus mirè gratulabatur, ceu quædam pigmenta odorifera cum consolabantur. Inter hæc quæ sursùm sunt, quærens, agebatur in Deum homo diuinus, gloriam sanctorum contemplans, & ad illam veram patriam anhelans, lugebat profusè diuturnum sui exilij incolatum.

Feruet animarũ zelo.

Thren. 1.

Luget hominũ peccata, & miseris condolet.

Col. 3.

De societate & mutua charitate inter S. Dominicum & Didacum Episcopum. Cap. 5.

CVM verò tot tantisque virtutum floreret ornamentis angelicus Dominicus, à venerabili Didaco Episcopo suo, miro diligebatur affectu. Erat enim in animis eorum quædam spiritûs similitudo, & charismatum consonantia: siquidem parizelo domûs Dei ad procurandam animarum salutem, sancto eos spiritu impellente, ferebantur. Postquàm ergò visum est Deo in eis reuelare gratiam suam, vt vtriusque virtus prodiret in publicum: ità eos in ministerium illud, quod voluit, assumpsit, vt ipsi etiam, licèt sancti, diuinæ erga se prouidentiæ consilium ignorarent. Eccè enim Alphonsus Rex Castellæ rogauit Didacum Episcopum, vt vellet ipsius esse legatus apùd * Marchiam. Profecturus ergò ob Regis negocia conficienda prudens antistes, ecclesiæ suæ Suppriorem, dilectum Dominicum sibi comitem adiunxit, vt & ex societate eius ornamentum, & ex sanctis colloquijs solatium haberet. Vbì autem ventum est Tolosam, & S. Dominicus cognouit hæreticorum fraudibus ciues deprauatos, ingemiscens spiritu turbatur. Vt verò etiam hospitem suum hæreticum sensit, multa tum affabilitate, tum ratione hominem conuicit erroris, & ad catholicæ fidei veritatem reduxit. Erat hic primus manipulus, quem diabolo ereptum, ad aream Domini reportauit. Expeditis tandèm apud Marchiam regijs negocijs, & per nuncium ad Regem responso remisso, Episcopus cum suis ad Romani Pontificis curiam profectus est, expositoque Pontifici suo desiderio, petijt ab Episcopi functione absolui, vt animabus conuertendis se posset impéndere, sed non impetrauit. O verè felicem præsulem, qui tanta esset humilitate præditus, vt cuperet dignitate exui: tamque feruebat sublimi charitate, vt pro salute proximorum & periculis & morti se obijcere optaret. At verò diuina prouidentia pro suo beneplacito pium Episcopi desiderium aliter implere constituerat. Est ergò redire compulsus, suis quidẽ frustratus precibus, sed obediẽtiæ & charitatis gratia plenus, nec quicquã de salutari proposito remittens. Reuertens autem, Cistertiẽse cœnobiũ inuisit, vbì multorum seruorum Dei sancta conuersatione & religionis sublimitate illectus, habitum monasticũ accepit, atq; indè monachos aliquot secum abduxit, è quibus disceret mores illius instituti, & ordinis disciplinam. Equidem felicem dixerim electum Dei Dominicum, qui tanti pontificis & viri Apostolici meruerit societate & amicitia decorari, à quo dubium non sit, illum sanctitatis exempla & religionis institutiones hausisse.

Hæresis Albigensium. Primus manipulus S. Dominici quis fuerit.

Didacus Episcopus vult absolui episcopatu, sed non impetrat.

Apud Cistertienses habitũ monasticum induit.

De

De prædicatione eius aduersùs hæreticos, & de libello, abigne nihil læso. Cap. 6.

CVM Montem Pessulanum essent prætergressi, offenderunt duodecim Abbates Cistertienses Ordinis, contra Albigenses hæreticos ab eodem Pontifice Innocentio missos, ibidèm cum Episcopis & alijs Prælatis concilium celebrantes. Ij compertò Didaci Episcopi aduentu, cum multo gaudio ipsum accersiunt, honorificè accipiunt, consilium ab eo petunt, & libenter párent illi. Erat enim vir iustus & sanctus atque maturus, & zelator fidei Christianæ: cumque animaduertissẽt eos non rectè ambulantes ad veritatem Euangelij, vt erat miræ circunspectionis & gnarus viarum Dei, dixit ad eos: Non sic, fratres, non sic arbitror procedendum. Mihi enim impossibilem rem moliri videtur, qui solis verbis putat homines istos reduci posse in viam: operibus & exemplis potiùs reuincendi sunt, qui vitæ suæ merita iactant impudenter. Dicunt illi: Quid igitur nobis das consilij, pater? Quibus ille: Quod me, inquit, videritis facere, facite. Moxque familiam & equitatum atque apparatum omnem, quem copiosum habebat, à se remisit, statuens in illa regione aliquandiù hærere. Eius verò exemplo cæteri permoti, itidèm fecerunt. Et eccè diuinum miraculum, & iucundum spectaculum. Duodecim illos patres coniunxit sibi verbo & exemplo, ipse tertiusdecimus factus pater patrum & patriarcha, quem tanquàm dominum & magistrum vnanimiter sequebantur. Assumpsit autem & alios virtute & gratia instructos viros, comites laboris & fideliter ipsi adhærentes. In quibus præcipuus, omniquè sanctitate conspicuus, vir angelicus Dominicus, illi præ cæteris charus, dictis & factis ceu fidus splendidissimum rutilabat. Hi omnes sine expensis pedites discurrebant, in paupertate voluntaria Christum pauperem prædicantes. Eccè formam Christi, instaurantis Ecclesiam initiò: figuramque Ordinis Prædicatorum, mox secuturi hoc extremo tempore. Tum verò hæretici inuidia correpti, ediuersò cœperunt importuniùs concionari: sed tam insigne fulgebat in Episcopo Didaco morum decus, vt & incredulorum illorum, & omnium, cum quibus versabatur, sibi vendicaret affectus.

Optima ratio hæreticos in viam reuocandi.

Forma Christi instaurãtis Ecclesiã, reuocatur.

Fiebant tunc crebræ conciones ad populum, & disputationes cum hæreticis sub iudicibus deputatis. Nec destitit Deus miraculorum signis Ecclesiam illustrare suam. Permulti quoquè catholici libellos conscribebant in fidei defensionem. Scripsit quoquè beatus Dominicus librum fidei suæ, sacris authoritatibus & diuinis rationibus munitum: qui etiam præ cæteris approbatus, ab omnibus receptus est. Idemque ad confutandam hæreticam falsitatem, & Catholicæ fidei confirmandam veritatem, post longam disputationem apud Fanum Iouis habitam, cum libello cuiusdam hæretici in ignem iniectus est. Verùm hæretici libellus, à flammis correptus, mox in cineres redactus est: libellus confessoris Christi Dominici ex igne prosilijt procùl, isque etiam secundò & tertiò in ignem reiectus, scriptoris sui sanctitati & Christianæ fidei veritati præclarum reddebat testimonium. Stupebant omnes: lætabantur pij, impij corde compungebantur. Erant illis in locis nobiles aliquot, qui inopia adacti, filias suas tradebant hæreticis nutriendas & erudiendas, immò verò erroribus pestiferis corrumpendas. Earum exitiale opprobrium miseratus Dei seruus beatus Dominicus, monasterium quoddam, in quod reciperentur, instituit in loco, quem Prulianum vocant: vbì ancillæ Christi perpetuò inclusæ, admirandas constitutiones & obseruantias, arctumque silentium sectarentur, & laborantes manibus suis, in conscientiæ puritate creatori suo iucundum exhiberent famulatum. Exacto indè in prædicationis labore biennio, memorabilis præsul Didacus, suam volens reuisere ecclesiam, socijs ad prædicandum remanentibus pijssimum Dei sacerdotem Dominicum præfecit, vt ad illum omnia referrentur. Magnum enim aliquid in eo cernebat, quæ illi causa erat illum eximiè diligendi. Valedicens deindè omnibus, multo labore pedibus suis iter agens, tandèm Oxoniam peruénit, vbì correptus morbo, iactura vitæ temporariæ, aditum inuénit in vitam sempiternam, fruiturus deincèps gloria cælesti: claruitque post obitum miraculis, qui in vita sua insignis fuerat operibus sanctis & virtutibus multis.

Liber à S. Dominico scribitur cõtra Albigẽses.

Is liber ab igne nihil læditur.

Cõstruit S. Dominicus monasteriũ virginum, in Pruliano

Obitus Didaci Episcopi.

De ijs, quæ post obitum Didaci Episcopi euenerunt, & de miraculis eius. Cap. 7.

CONstituerat dilectus Deo & hominibus Didacus Episcopus, ad susceptum redire prædicationis ministerium, institueréque de summi Pontificis assensu viros, qui verbis & exemplis hæreticæ prauitati resisterent: tum etiam monasterio illi, quod sanctus Dominicus in Pruliano construxerat, absoluendo quædam subsidia adferre. Sed his alijsque pijs ardens desiderijs, migrauit à corpore, victurus semper in Christo. Eius autem morte comperta, omnes qui in illa regione prædicationis causa remanserant, tanquàm non habentes ducem aut principem, ad propria sunt reuersi.

Sanctus Dominicus fratribus præficitur domini Didaci loco.

Tum verò confessor Christi verus, beatus Dominicus, eius in Domino filius, in eius successit locum, adiuuabantque eum meritis & precibus fratres eius, coniuncti patri suo, qui in cælis est, & præliabantur prælium fidei cum lætitia. Similis factus est leoniin operibus suis, erantque arma militiæ eius non carnalia, sed spiritualia. Congregatus est ad eum cœtus fortis viribus Cruce signatorum, & eorum, qui fugiebant à malis; additique sunt illis Catholici omnes, voluntarij in fide Christiana, & facti sunt illis in firmamentum. Ex mandato enim summi Pontificis Innocentij III. contra illos Albigenses hæreticos Crux prædicabatur, eaque consignabantur fideles.

Crux prædicatur cõtra Albigenses.

Simon Comes insignis

Accessit ad hæc Christianissimus & fortissimus princeps, dominus Simon, Comes Montis fortis, pater orphanorum, defensor viduarum, pupillorum tutor, pauperum sustentator, protector ecclesiarum, & aduersùs hæreticos catholicæ fidei constantissimus propugnator. Is princeps clarissimus cernens Christi athletam Dominicum coram Deo & hominibus innocenter & laudabiliter versari, sanctitatem eius multo & amore complectebatur, & honore ac veneratione prosequebatur. Circumibat enim vir Dei Dominicus vicos & castella & vrbes, prædicans verbum Dei: eratque vitiorum acerrimus castigator, hæresum oppugnator egregius, fidei zelator strenuus, Catholicorum diligentissimus exhortator. Verba eius instàr facularum ardebant.

Multa ab Albigẽsibus patitur S. Dominicus

Itaque inuidia tabescebant hæretici, & fremebant aduersùs iustum, irridebantque simplicem veritatis doctorem, phlegmata, lutum, aliaque vilia iactantes in eum, & ad dorsum eius paleas alligantes. At ille ibat gaudens & exultans spiritu, quòd dignus habitus esset pro nomine Iesu contumelias pati.

Accidit eo tempore, vt celebris disputatio cum hæreticis institueretur: ad quam cùm Episcopus loci cum multa pompa esset iturus, dixit ad eum humilis præco Christi Dominicus: Non sic, mi domine pater, non sic aduersùs filios superbiæ est progrediendum: sed humilitatis, patientiæ, religionis, aliarumque virtutum exemplis reuincendi sunt hostes veritatis, non fastu elationis & ostentatione gloriæ secularis. Armemur ergò deuotis precibus, & humilitatis insignia præ nobis ferentes, detractis calceis, contra illos procedamus. Assensit Episcopus consilio pietatis, & omnes à se calceos amouerunt. Cumque de itinere essent incerti, obuium quendam hæreticum habuêre, quem catholicum putabant. Is promisit quidem se illos rectà perducturum ad locum, sed perfidus in syluam quandam malitiosè eos abduxit, vbi inter vepres & spinas pedes eorum sauciabantur, & tibiæ sanguine conspergebantur.

Docet Episcopum loci humilitate reuincẽdos hæreticos.

Magna eius patientia.

Tum verò beatus Dominicus cum omni patientia id ferens, & in iucundas Dei laudes erumpens, ad collaudandum Deum & comiter ferendas molestias, illos omnes adhortabatur, ità dicens: Confidite in Domino, charissimi, quia de cælo manet nos triumphus & victoria. Iam enim peccata nostra sanguine expiantur. Cernens autem veterator ille miram illorum & iucundam patientiam, optimis beati viri sermonibus compunctus, malignitatem suam confitens, hæresin abiurauit. Venientibus indè illis ad locum, rectis corde orta est lætitia, peruersis verò mœror & ignominia. Quamobrèm dissecabantur impij cordibus suis, & stridebant dentibus in seruum Dei, necemque ei molientes, eius occidendi consilia agitabant, vt condemnarent sanguinem innocentem. Dominus autem irridebat eos, nec tradidit eum in manus eorum: immò verò etiam admirandis operibus illustrauit seruum suum.

Cõuertitur hæreticus, cõsiderata Sanctorum illorum patientia.

Cùm sic autem prædicando discurreret, crebrò fluuiolum Aregiam pedibus transibat. Accidit autem, vt libri, quos in sinu ferebat, dum se succingeret, in medias aquas laberentur. Tum ille benedicens Deum, cuidam religiosæ matronæ id indicauit. Tertio die piscator capiendis illic piscibus intentus, cùm se speraret grandem piscem hamo extracturũ, libros illos extraxit vsqueadeò inuiolatos, acsi in bibliotheca asseruati fuissent. Quod miraculum ea res mirificè amplificat, quòd nec pannum, nec quicquam munimenti habebant codices, præter beati viri merita. Eos matrona cum ingenti

Libri eius in aquis nihil accipiũt detrimenti.

gaudio Tolosam misit seruo Dei. Traiecit quandoquè in ijsdem partibus aquam quandam cum multis alijs euangelizandi causa. Is autem, qui eos transuexerat, impotunè denarium ab illo pro naulo exigebat. Respondit ei vir Dei: Seruus Dei sum, & discipulus Iesu Christi. Argentum & aurum non est mihi: mercedem regni cælorum tibi promitto. Quod miser ille vilipendens, institit acriùs, & sanctum vi per cucullam trahens, Aut cucullum, inquit, hîc relinques, aut denarium persolues. Tum ille sublatis ad cælum oculis, parumpèr intrà se orauit: moxque in terram adspiciens, denarium diuino nutu illic iacentem vidit, aitque homini: Eccè frater, tolle quod petis, & me liberum in pace dimitte.

Denarius illi diuinitùs mittitur.

Aliquandò iter facienti seruo Dei adiunctus est socius, conuersationis quidem sanctitate domesticus, sed alterius prorsùs linguæ & idiomatis. Dolens itaque non posse mutuam ex pijs & diuinis colloquijs captare consolationem, à Domino precum suarum instantia, vt alius alium intelligeret, impetrauit. Atque ità per triduum, quo simul iter capessebant, alternis sermonibus inuicèm se recreabant, Domino gratias agentes. Reuerà conuenienter omninò dono sancti spiritûs, varijs loquitur linguis lingua placabilis, & doctrina salutaris mundi, clauis sit cæli, & reseratio portæ sempiternæ. Benigneque cælitùs misso nautæ precio honoratur, qui cogitatum suum omnem in Dominum iactârat. Et qui corpus & animam illius immaculata seruauit à carnali concupiscentia, illeipse libros eius illæsos custodiuit in vndis. Donum ergò linguæ, illustrat fidei prædicatorem: solutio precij, cohonestat Christi pauperem: integritas codicum, pudicitiæ venustat florem.

Loquitur cũ alterius linguę homine.

Psal. 54.

De mira eius patientia, & desiderio martyrij obeundi. Cap. 8.

MAnsit apud Tolosanos multo tempore Dei sacerdos Dominicus, vir per omnia Apostolicus, propugnans veram fidem, & expugnans hæresim tum verbis, tum exemplis, & Ecclesiam confirmans. Insurgebant verò in eum testes iniqui, synagoga satanæ, & fortes quærebant animam eius. Sed cùm ad id vsque amentiæ proruerent, vt etiam cædem ei minarentur, cum multa fidutia ait ad illos: Non sum ego dignus martyrio: nondùm mortem merui istam. Et tamen sitiebat ardore inæstimabili calicem passionis, haud secùs, atquè ceruus desiderat ad fontes aquarum. Itaque transiens per loca, vbi illi structæ ferebantur insidiæ, cantans & alacer ingrediebatur. Ea re in admirationem adducti satellites Antichristi, dicebant ei: An non mortis horrore tu afficeris? Quid acturus eras, si nos te comprehendissemus? Tum ille martyrij amore flagrans, Rogâssem, inquit, vos, nè breui compendio mortem mihi celerem adferretis, aut repentinis me conficeretis vulneribus: sed paulatim singula præcisa membra corporis mei oculis meis contemplanda obijceretis: atque ad extremum exuisis luminibus, sineretis ità mutilatum corpus in suo sanguine volutari, vel prorsùs pro vestro arbitratu vita omni priuaretis. Verè beatissimam animam, cuius non solùm perfecta charitas foràs misit timorem mortis, verumetiam in cruciatibus durandi cunctis inauditum suppeditauit desiderium.

Tolosæ diù pugnat cu hæreticis.

Pſal. 41.

Nota insignem animi fortitudinẽ

1. Iohan. 4.

Necminùs paratus erat pro salute proximorum ponere animam, Christum in hoc imitari gestiens. Cùm enim quendam hęretica prauitate euersum conaretur ad fidem reducere, dixit ille: Res vitæ degendæ necessarias, quas aliundè non habeo, ab istis accipio: ità fit, vt eis adhærere compellar. Quibus auditis, vir sanctus toto pectore hominem miseratus, seipsum vendere proposuit, vt eius in tanto periculo constituti inopiam subleuaret, & redimeret venundatum sub peccato. Quis dubitet illum reuerà tulisse crucem Christi, qui pro eius amore tam cupido animo morti se exposuit: & pro salute proximi, perpetuæ seruituti incunctanter addici peroptauit? Flagrabat in eius pectore charitas, qua nemo habet maiorem, cupiens ad Dei accedere similitudinem quandam, & conformis effici imagini filij Dei. Satagebat igitur totis vtriusque hominis viribus, votis, gemitibus, vigilijs, ieiunijs, orationibus, concionibus, laboribus diù noctuque, opportunè, importunè insistendo, vt ex Dei benignitate dignus fieret, qui se penitùs impenderet, & superimpendi pro animarũ salute, & quandoquè martyrio consummari mereretur. Qua etiam causa vltra mare proficisci decreuerat, si fortassis posset illi tandèm obtingere, vt in Dei voluntate moreretur, quod tantoperè desiderabat. At verò omnipotens Deus, qui pia adspirat vota, sic timentium se deprecationem exaudit, & voluntatem clemẽter facit, vt tamen à sua inscrutabili dispositione non recedat. Occultus itaq; omnium moderator, & maximè fidelium custos, & amator

Attende ardentem eius charitatem.

Magno flagrat martyrij desiderio.

tor electorum ſuorum,ità ſanctum vas electionis ſuæ in domo ſua magna in honorem & vtilitatem conſtituit, vt ex illo pocula vitalis gratiæ præberet, multorumque ſaluti ſic ille proficeret,vt tamen corona martyrij non fruſtraretur. Sicut enim diſcipulus ille,quem diligebat Ieſus,Iohannes Euangeliſta præcipuus, calicem Domini bibit, tametſi ſanguinem non fudit,quòd animo mortis ferendæ prompta voluntas non deeſſet: ità S. Dominicus propter ardentiſſimum patiendi deſiderium, palmam martyrij non amiſit. Taceo,quòd quotidiè crucifigebat carnem, & mortificabat membra ſua immodica auſteritate,ſpiritum affligebat dolore & commiſeratione erga animas iugiter pereuntes.

Duplex Martyriũ: mentis & corporis.

Inerat enim pectori eius mira quædam & penè incredibilis ſalutis omnium æmulatio. Ea de cauſa apud nobiles quaſdam fœminas hæretica ſimulatione deceptas, vt eas ad Eccleſiam reduceret,hoſpitio vſus eſt: atq; imminente Quadrageſima clàm ab illis cilicia accepit,quibus ipſe & ſocius eius induebantur. Et cùm lectus eis appararetur: Non ſic, inquit, ſed ſuper aſſeres cubabimus. Somno verò breui contenti, pro more noctem vigilijs occupabant. Atque hunc in modum totum illud ſacræ Quadrageſimæ tempus,rigida pro aliorũ peccatis agenda pœnitentia, homo innocens tranſmiſit,ſoloque pane & aqua frigida contentus, vſque ad Paſcha quotidiano ſe ieiunio macerauit. Indè verò id conſecutum eſt, vt, Chriſti gratia ſuffragante, fœminæ illæ ſancti viri meritis adiutæ, erroribus propudiatis, ad catholicę Eccleſię fidē reuerterentur.

Zelus ingẽs ſalutis proximorum.

Multa vitæ auſteritate in Quadrageſima ſuſcepta, conuertit hæreticas fœminas.

Cùm in Toloſæ partibus apud caſtrum, quod Fanum Iouis vocant, prædicaret vir Dei, & aliquandò fidem catholicam egregiè adſtruens, hęreticorum perfidiam multis modis confutâſſet, abſoluta concione, more ſolito in eccleſia precandi cauſa remanſit. Et eccè nouem matronæ nobiles ex illo caſtro veniunt, intrant in templum, cadunt ad pedes eius, & dicunt: Serue Dei, adiuua nos. Si vera ſunt, quæ hodiè pro concione dixiſti, iampridèm mentes noſtras neceſsè eſt ſpiritus erroris vt excæcârit. Nam iſtis, quos tu hæreticos vocas, nos homines bonos appellamus, vſque in præſens credidimus & adhæſimus toto corde: nunc verò prorsùs animis fluctuamus. Serue Dei, adiuua nos, & ora Deum tuum, vt notam nobis faciat fidem ſuam, in qua viuamus, moriamur, & ſaluæ fiamus. Tum vir Dei ſtans, & aliquandiù intrà ſe orans, paulò pòſt dixit ad eas: Conſtantes eſtote, & expectate intrepidę. Confido enim in Domino Deo meo, quòd ille, qui neminẽ vult perire, iam declarabit vobis, cuiuſmodi domino hactenùs adhæſeritis. Moxque viderunt è medio ſuî ſelem teterrimum proſilire, canis magnitudine, craſſis oculis & igneis, lingua oblonga, lata, ſanguinolenta, & vſque ad vmbilicum producta, cauda breui & in ſublime erecta, ità vt loci eius turpitudinem, quocunque ſe verteret, hominum oculis oſtenderet, fœtore intolerabili indè exhalante. Cumque apud matronas illas ſeſe hora vna huc illucque agitâſſet, ad reſtim, quę à campana pendebat, inſiliens, & per eam ſurſùm ſcandens, tandèm diſparuit, fœda poſt ſe veſtigia derelinquens. Conuerſus autem ad matronas ſanctus Dominicus, nimiùm territas conſolabatur, ità dicẽs: En ex eo, quod coram oculis veſtris, Deo volente, apparuit, poteſtis animaduertere, qualis ſit ille, cui hucuſquè ſeruiſtis. At illæ gratias Deo agentes, ad fidem catholicam integerrimè ſeſe receperunt: & quædam ex eis apud ſorores de Pruliano, religionis habitum induerunt. Ità nimirùm ſeruus Chriſti, Euangelicè ſe gerens & laborans in omnibus, ſuperiores fœminas exemplo ſeuerillimæ pœnitentiæ, has poſteriores verbo fideliſſimæ doctrinæ, & diabolicæ impoſturæ detectione, ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium reuocauit.

Nota cui domino ſeruiant hæretici.

Nouẽ matronæ nobiles ab hæreſi reſipiſcũt.

De multiplici eius pugna cum hæreticis, & multis miraculis perpetratis. Cap. 9.

Decem annis beatus Dominicus in diuerſis Narbonenſis prouinciæ locis moratus, inprimis verò apud Sonam & Fanum Iouis, hæreticos oppugnando, catholicam fidem promouit: animarumque ſaluti parandæ addictus, totus concionandi officio vacabat, multas interìm contumelias, multum ſuî contemptum & abiectionem, multas anguſtias hilariter pérferens propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Per id verò tempus dominus Simon, Montis fortis illuſtris princeps, ferro perſequebatur hæreticos, quos Chriſti confeſſor Dominicus gladio verbi Dei. Itaque multa inter eos amicitia & familiaritas contracta fuit. Vt enim in eius principis geſtis legitur, cùm catholici die quodam cum hæreticis diſputâſſent, ſanctus Dominicus quædam fidei documenta ſcripſit in chartula, tradiditque eam hæretico, vt de obiectis deliberaret.

Decẽ annis apud Narbonem ſtudet conuerſioni hæreticorum S. Dominicus.

Ea nocte hæretici confederunt ad ignem: prolata eſt chartula viri Dei, dictũ eſt ab hæreticis: Mittatur in ignem ſchedula, vt veritas comprobetur. Mox proiecta in ignem, poſt aliquantam moram indè nihil læſa proſilijt. Tum vnus obſtinatior, Mittatur, inquit, ſecundò, & patebit veritas. Obtemperatum eſt illi, ſed iterùm charta reſilijt. Stupentibus illis, obduratus hæreticus etiam tertiò idem vult fieri: ſed nihil chartulæ officit. Tanto autem viſo miraculo, non ſunt compuncti miſeri illi, ſed inter ſe grauiſſimè prohibuêre, nè quiſquam id catholicis indicaret. At tamen miles quidam, qui rei coràm interfuit, fidei ex parte conſentiens, inſigne miraculum ad catholicorum notitiam perduxit.

Chartula viri Dei non poteſt ignẽ abſumi.

O hæreticã pertinaciã.

Venit aliquandò ſeruus omnipotentis Dei, cum Conuerſo quodam Ciſtertienſis ordinis valdè religioſo, ab hæreticorum conflictu ad eccleſiam quandam veſpertino tempore, eamque clauſam inuénit. Orant igitur ad oſtium, & mox clauſis ianuis miro modo ſe intrà templum conſpiciunt introductos. Gratias igitur agentes Deo, totam illàm noctem in eius laudibus exegerunt.

Dominicus cum ſocio clauſis oſtijs in templum recitatur.

Cõcionanti quandoquè beato viro in quadam paroecia oblatus eſt dæmoniacus, iampridèm à nequam ſpiritu vexatus. Orauit pro illo vir ſanctus, & curatus eſt. Alios quoquè diuerſis preſſos morbis, fuſis ad Deum precibus, ſanauit. Adductus ad eum fuit quidam multis obſeſſus dæmonibus. Accepto ergò orario, quod ſtolam vocant, priùs ſuum, indè dæmoniaci collum illo cinxit, præcipiens dæmonibus, vt ab hominis infeſtatione deincèps ceſſarent.

Multos ſanat demoniacos.

Viro Chriſtianiſſimo Comite Montis fortis cum Crucefignatis obſidente Toloſam, venerunt peregrini ex Anglia, S. Iacobi limina viſitaturi. Ij propter excommunicationem vitantes Toloſam, in nauiculam ſe contulerunt, vt fluuium tranſirent. Præ multitudine verò hominum, qui erant ferè quadraginta, depreſſa eſt nauis, & omnes ſubmerſi ſunt, ità vt nec capita ab aquis extarent. Orabat tum in vicina eccleſia S. Dominicus, clamoreque percuntium & circunſtantis exercitûs permotus, feſtinus eò accurrit: cernensque præſentiſſimum periculum, commiſeratione affectus, toto corpore proſternitur, expanſis in Crucis formam manibus, flens acerbiſſimè clamat ad Dominum, vt ſuos peregrinos ſeruet à morte. Paulò pòſt ſurgens ab oratione, conuerſus ad fluuium, cum multa in Deum fiducia ità ait: Præcipio vobis, vt omnes ad litus euadatis. Mira res, ſed ab illo facta, qui facit mirabilia magna ſolus. Confeſtim ad eam vocem omnes, qui tandiù ſub aquis preſſi latuerant, cunctis cernentibus, qui ad illud triſte ſpectaculum confluxerant, ſuper vndas emerſerunt. Mox vndiquè accurrentes, porrigentesq; eis lanceas & haſtas, vniuerſos è fluctibus incolumes eduxerunt, clementiam Saluatoris, & almi eius confeſſoris Dominici merita, laude & prædicatione efferrentes.

Homines fere 40. penè ſubmerſos ſeruat.

De celebri beati viri fama, & contemptu dignitatum. Cap. 10.

VIr Dei inclytus, predicator eximius, gratia Dei plenus, omni virtute conſpicuus & perfectus Dominicus, apud homines fama & exiſtimatione ſanctiſſimus habebatur. Inuidebant autem ei hæretici, & illum irridebant, atque contumelia afficiebant. Porrò fidelium omnium erga illum deuotio creſcebat, & apud Archiepiſcopos, Epiſcopos aliosque eccleſiarum prælatos ſiue præfectos, qui in illis locis erant, pro ſuæ excellentia ſanctitatis omni dignus honore ducebatur: Fuit ſanè à tribus cathedralibus Eccleſijs Epiſcopi ei oblata dignitas. At ille mâlens humiliari cum mitibus, Chriſti paupertatem regnis & ſedibus antepoſuit, nec illas cathedras voluit conſcendere. Optabat enim líber eſſe ab omnibus, vt poſſet omnium ſeruus eſſe. Diuitibus & pauperibus, Iudæis & gentilibus, quorum eſt non parua copia in Hiſpanijs, amabilem ſe exhibuit, atque ab omnibus amabatur, præterquàm ab hæreticis & Eccleſiæ hoſtibus, quos diſputationibus conuincebat, & concionibus oppugnabat: nec minùs tamen eos vt reſipiſcerent, humaniter & benignè adhortabatur.

Tres Epiſcopatus reſpuit.

De eius abſtinentia & ſpiritu prophetiæ. Cap. 11.

CVm apud Carcaſonam demoraretur in ædibus Epiſcopi, per Quadrageſimam in conciones ardentiùs incubuit, & demandatas ſibi Epiſcopi vices accuratiùs executus eſt. Itaque egreſſus ex Epiſcopi palatio, ad quoddam venit monaſterium,

quod Castris vocabatur: vbi ab Abbate inuitatus adsumendum cibum, intrauit. Sed cùm hora edendi protraheretur, pro sua consuetudine vir sanctus in ecclesiam se, ora-
Orãtis corpus à terra eleuatur. turus, contulit. Cumque attentiùs Deo preces funderet, spiritu in Deum sublato, corpus pariter à terra eleuatum est. Vbi cibi capiendi aduenit hora, perquirebatur vbinàm esset, qui fuerat inuitatus: & cùm diuersis in locis quæsitus non inueniretur, vnus ex Clericis, qui Abbati adstabant, illum quæsiturus exijt, & casu in ecclesiam veniens, vidit sanctum virum inter cælum & terram mirabiliter eleuatum. Valdè igitur stupefactus, stabat admirans & expectans, quem exitum esset res tam insolita habitura. Tandèm cœpit paulatìm corpus se demittere, & ad sensus externos spiritus, à supernis ad se rediens, sese accommodare. Tum accedens ad virum Dei Clericus ille, Domine, inquit, hora reficiendi corporis iam præterijt, & dominus meus Abbas vestrum aduentum sustinet. At vir sanctus, tanquàm è suaui somno expergefactus: Eccè, inquit, præstò sum ego. Posteà Clericus ille, relictis omnibus, eum secutus est. Verè colendam Dei prouidentiam, quæ virum hunc admirabili consilio ad illa loca transmisit, in quibus tanquàm lucerna ardens & lucens in caliginoso loco, frigescentem charitatem in multorum cordibus inflammaret, & tenebrosam hæreticorum vanitatem fidei veritate & doctrinæ Euangelicæ luce perlustraret. Egregium tum
Simon Comes montis fortis egregius fidei catholicæ propugnator. fidei catholicæ propugnatorem se præstabat illustris Montis fortis Comes Simon: sed Comes Tolosanus, Regis Aragonum fretus auxilijs, homini acriter resistebat, ità vt non parùm hæretici præualere viderentur.

Porrò Conuersus quidam Cistertiensis illic præsens, ad sanctum Dominicum ait: Magister Dominice, nunquámne finem habitura sunt hæc mala? Vir autem Dei reticens, illo importuniùs instante, tandèm præsente fratre Stephano, ità respondit: Finem certè habebit ista hæc Tolosanorum malitia: sed procùl adhuc abest ille finis,
Eius prophetia de excidio Albigẽsium. Multus interìm fundetur sanguis, & Rex quidam in hoc bello occidetur. Illis formidantibus, nè Rex Franciæ is esset, qui recèns Albigense negocium susceperat, beatus vir ait: Alius planè, quàm Franciæ, Rex erit, eiusque vitam varij belli huius casus
Rex Aragonum, Albigenses defendens cæditur. extinguent. Proximo anno cæsus est Rex Aragonum, atque vtinàm, arma ferens aduersùs Ecclesiam, non æternam oppetiërit mortem. Non dubium, quin hæc ità euentura prophetici spiritûs illustratione sanctus vir & præuiderit, & prædixerit, nec immeritò quidem. Tota enim illa Quadragesima ieiunans, pane solo & aqua vixit, neque cubauit in lecto suo. Adueniente autem Paschate sancto, & viribus erat robustior, & facie elegantior. Inuisibili enim intùs pastus erat alimento, & sicut adipe & pinguedine diuina suauitas eum repleuerat: è cuius redundantia corpus infirmum confirmabatur, & animi acies purgabatur, vt posset cernere mysteria futurorum.

Hæretici quidam apud Tolosam capti & conuicti, cùm redire nollent ad sanitatem, iudici ciuili traditi sunt. Sed in ijs vnum conspiciens secretorum Dei conscius Dominicus: Hunc, inquit ad aulæ officiales, reseruate, nec cum cæteris comburatur. Deindè illum comiter & blandè compellans: Scio, inquit, fili, scio, tardè
A morte liberat hæreticum, quẽ nouerat se correcturũ. quidem, sed tamen quandoquè, fore te virum bonum & sanctum. Res stupenda planè: Dimissus ille, viginti ferè annis in hæretica cæcitate permansit: sed tandèm ad Ecclesiam rediens, institutum siue ordinem Prædicatorum complexus est: in quo sanè & vixit religiosè, & cursum suum fideliter absoluit.

Diximus iam crebrò de Comite Montis fortis. Is tanta animi beneuolentia, tanto honore & reuerentia sanctum Dei virum prosequebatur, vt ab illo voluerit baptizari filiam suam, & nuptias filij sui benedici. Annuentibus etiam hæredibus
Multa ei donantur. suis, principe digna munificentia dedit ei, & qui eum essent secuturi, castrum insigne, quod Cassauuel siue Fanum Iouis appellatur: itemque alia, vndè se suosque
Fulconis Episcopi Tolosani liberalitas. sustentare potuisset. Porrò Episcopus Tolosanus, vir bonus & sanctus, zelator fidei, sanctum Dominicum impensè amans, lætus nouam oriri salutem consentiente collegio suo ad libros aliaque necessaria comparanda, sextam decimarum omnium partem ei donauit. Obtulerunt se etiam illi duo Tolosani boni viri, frater Thomas homo facundus & gratiosus, & frater Petrus de Salare, qui insignes ædes, quas Tolosæ habebat, ei largitus est. Tùm verò, qui cum beato Dominico erant, cœperunt se ad religiosorum siue monachorum mores accommodare. Necdùm enim Prædicatorius Ordo institutus erat, sed quædam iam concepta erant, & de illo instituendo deliberabatur.

Multa

Multa certè multi de hoc sacro Ordine futuro, Domino eis reuelante, prætiderunt, & congratulantes Ecclesiæ, præsago spiritu prædixerunt. Teste enim scriptura, Amos 3.
cùm insigne quippiam facturus est Dominus, solet electis seruis & prophetis suis multifariè multisque modis per spiritum suum id manifestare. Ità de hoc quoquè electorum lectissimo instituto quadã dignatus est mirabiliter præmonstrare: è quibus nonnulla inserere operæprecium mihi visum est.

De reuelationibus, quibus Ordo Prædicatorius diuinitùs est præmonstratus. Cap. 12.

VEnerabilis igitur Aurasicensis Episcopus, Ordinis albi, vir multæ religionis & magnorum operum, pro sancto à populis colebatur. Isque cõcionandi dexteritate & feruore fidei, non solùm in sua diœcesi, sed alijs etiam locis singulariter excellebat. In quadam autem publica concione ità ait: Ego verbum Dei, vti noui, ità
Aurasicen. Episcopi vaticinium de Prædicatoribus. annuncio vobis: sed breuì existent, qui vobis re vera prædicabunt, quippe & ministerium, & scientiam, & nomen, & vitam habituri. Congruum inprimis erat, vt Episcopus & concionator feruens, de Prædicatorum Ordine tam præclarè prophetaret. Magnus quoquè pater Stephanus, Prior Carthusiæ Lugdunensis diœcesis, vir eximia sanctitate, frarribus suis Prædicatorium Ordinem futurum prædixit, peculiariter eos
Item aliorũ prælatorũ. orans, vt eum Ordinem omni amore & reuerentia prosequerentur: quod etiã præstitum est ab illis.

Abbas & institutor Florensis monasterij, de Prædicatorum Ordine in multis libris & locis scripsit. Ipsum autem institutum & habitum describens, monuit fratres suos, vt post decessum suum illo existente Ordine, piè & honorificè eius professores exciperent. Itaque venientibus primò ad ipsos fratribus Dominicanis, cum processione & Cruce obuiàm exiêrunt. Perpendant iam huius instituti fratres, quàm solicitè in eo viuere ipsos oporteat, cùm diuina prouidentia voluërit etiam extraneos tantam ei præstare reuerentiam. Perpendant pariter, quà grauitate, quàm sublimi functione & sanctitate præditi fuerint, quorum nimìs credibilibus testimonijs, Prædicatorij Ordinis dignitas & vtilitas confirmatur.

Accedant verò his etiam alia non minùs vera fidelium hominum testimonia. Ante Ordinis institutionem monachus quidam fuit honestæ vitæ. Is aduersa correptus valetudine, raptus extra se, sine sensu & motu externo triduo permansit. Indè ad se reuersus nulli explicare voluit, quid vidisset. Cùm autem nonnihil temporis iam præterijsset, videns in ecclesia sua fratres Dominicanos, accuratè ex eis scisciatabatur ipsorum officium, professionem & nomen, absolutaque concione, seorsùm eos ducens
Visio cuiusdam boni, monachi. coram honestis viris, dixit eis: Ea, quæ mihi Deus pro sua benignitate reuelauit, & tamen hactenùs silentio pressi, non debeo diutiùs reticere. Olim raptus in ecstasin, per triduum vidi Dominam nostram Dei matrem Mariam, flexis genibus & iunctis manibus filium suum pro humano genere deprecantem, vt eius sustineret adhuc pœnitentiam. Ille verò piam matrem crebrò non audiens, tandèm insistenti sic ait: Ma-
Maria Dei mater exoratrix mundi nequam. ter mea, quid vel possum, vel debeo porrò huic mundo facere? Misi Patriarchas & Prophetas pro illorum salute, & parùm sese correxerunt. Vẽni ego, misi Apostolos meos, sed & me & illos sceleratè occiderunt. Misi martyres, doctores & confessores permultos: at nec illis obtemperârunt. Quandò tamen fas non est, vt tibi aliquid negem, dabo eis Prædicatores meos, quorum opera illuminentur & ad meliorẽ frugem se recipiãt. Quòd si verò id illi non fecerint, vlciscar me de eis, & veniam contra illos.

Eo tempore, quo suprà diximus duodecim Abbates Cistertiensis Ordinis, ad prædicandum contra Albigenses hæreticos, à Pontifice Innocentio III. missos, quidam à
Item cuiusdam à mortuis excitati, visio. morte reuocatus ad vitam, cùm eum vnus ex illis Abbatibus interrogaret, quidnam vidisset, respondit: Vidi Dominam nostram Virginem Mariam, tribus diebus continuis flexis genibus coram filio pro populo deprecantem. Cui filius beneficia, quæ mundo ipse contulisset, & maleficia, quæ mundus ipsi reddidisset, commemorans, ait: Ecquid porrò facere possum tam ingrato? Tum virgo mater: Bone, inquit, fili, non pro illorum malitia, sed pro mansuetudine tua ages. Victus tandèm matris precibus filius: Vt vis, inquit, ità faciam adhuc clementer cum eis. Mittam eis Prædicatores, qui eos ad agendam pœnitentiam hortentur. Et si quidem recesserint à scelestibus suis, eorum nulla apud me erit recordatio: sin minùs, non parcam eis.

Anno Christi millesimo ducentesimo decimoquinto, cùm ex omnibus Orbis

Romæ Cõcilium generale.

partibus ad Concilium generale Romam proficiſcerentur Epiſcopi & prælati, venerabili & ſancto viro Fulconi Toloſano Epiſcopo eò contendenti, pijſſimus Chriſti miniſter Dominicus adiunctus eſt: quos ità charitas inter ſe colligârat, & ſpiritus leui moderabatur, vt ſalutem animarum ardentiſſimo zelo ſitirent. Tempus igitur opportunum rati ſe adeptos, quod iampridèm conceptum & deliberatum erat deinſtituendo Ordine Prædicatorum, ſummo Pontifici explicare ſtatuerunt. Cumque ea, qua par erat, humilitate & reuerentia Pontifici ſua vota expoſuiſſent, viſus eſt initiò nonnihil ſe opponere Domini diſpenſator. Proxima nocte videt idem Chriſti Vicarius in ſomnis, Eccleſiam Lateranenſem grauem minitari ruinam. Tremefactus igitur & mœrens, videt ediuersò virum Dei Dominicum accurrentem, & ſuis humeris totam illam ruinoſam fabricam ſuſtentantem. Eius viſionis nouitatem admirans ſapiens Pontifex, & quid ea ſibi vellet, ſagaciter animaduertens, oblatas ipſi preces hilariter admiſit, & pium propoſitum commendauit. Hortabatur verò beatum Dominicum, vt ad ſuos rediret fratres: communicatoque cum eis conſilio, Regulâ quandam approbatam deligeret, quam Ordo inchoandus ſectaretur: atquè ità ad ipſum rediens, confirmationem Ordinis pro voto reportaret. Abſoluto generali Concilio, reuerſus ad ſuos vir Dei, Pontificis verba eis enarrauit. Illi inuocato ſpiritu ſancto, Regulam beati Auguſtini, concionatoris egregij, ipſi quoquè cõcionatores ſiue prædicatores futuri, vnanimiter elegerunt, adiunctis quibuſdam arctioris vitæ conſtitutionibus. Et nè prædicationis officium impediretur, decreuerunt tum terrenas poſſeſſiones abijcere, & temporarijs redditibus carere. Mox Toloſæ in eccleſia S. Romani, quam felix ille Fulco, eius ciuitatis Epiſcopus, illis attribuerat, extructum eſt monaſterium, & in eo Cellæ ſtudijs accommodæ, ſatisque aprum dormitorium. Erant tunc fratres numero plùs minùs ſedecim.

Viſio Innocentij 3.

Monaſteriũ Dominicanum Toloſæ extruitur.

Apud Toloſam in Theologia præerat magiſter quidam, genere, ſcientia & fama præclarus. Is quodam manè, cùm ante lucem ad prælegendum ſe pararet, leui oppreſſus ſomno, caput ad cathedram pauliſpèr reclinauit, & dormire cœpit. Videbatur autem illi, quòd ſeptem ſtellæ coram ipſo exhiberentur. Admirãte illo eam rem, ſubitò viſæ ſunt ſtellæ in eam molem & ſplendorem excreſcere, vt totam regionem, immò & orbem vniuerſum illuminarent. Confeſtim excitatus à ſomno, vidit ſolem ortum, accitisque famulis, qui libros eius ferrent, in ſcholam ingreſſus eſt. Et eccè beatus Dominicus & ſex ſocij eiuſdem habitûs, ad eum humiliter accedunt, indicant ſe fratres eſſe, qui in territorio Toloſano fidelibus Euangelium prædicent aduersùs hæreticos: ſimul etiam exponunt ei, quòd velint eius adire ſcholam, & prælectiones cupidiſſimè auſcultare. Indè multo tempore Magiſter ille eos ſeptem fratres familiares ſibique addictos habuit, & vt diſcipulos inſtituit. Rediensque in memoriam ſuprædictæ viſionis, beatum Dominicum & ſocios eius lucidas illas ſtellas interpretatus eſt: cumque eos immenſo famæ & ſcientiæ lumine ſubitò videret augeri, ſumma veneratione eos proſecutus eſt, & multo amore perpetuò complexus.

Viſio Theologi cuiuſdã

LIBER SECVNDVS.

De confirmatione Ordinis Prædicatorij, per beatiſſimam Dei matrem impetrata. *Cap.* I.

Viſio S. Dominici terribilis valdè.

POſtquàm vir Dei Dominicus ex mandato Pontificis ad fratres ſuos de deligenda Regula retulit, iterùm Romam profectus eſt, Domino illum comitante, & in omnibus dirigente: Interìm verò Innocentius III. Pontifex deſijt eſſe in humanis, & ei ſuccedens Honorius, Apoſtolicæ ſedis dignitatem obtinuit. Egit itaque apud illum ſeruus Dei, vt contra hoſtes Eccleſiæ Prædicatorium Ordinem cõfirmaret. More autem ſuo nocte in eccleſia orans vir Dei, ſedentem ad patris dexteram filium ſurgere vidit iratum, vt interficeret omnes peccatores terræ, & diſperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat verò in æthere, adſpectu terribilis, & contra mundum in maligno poſitum, tres lanceas vibrabat: vnam, qua ſuperborum erectas ceruices traijceret: alteram, qua cupidorum viſcera configeret: tertiam, qua carnis voluptatibus deditos confoderet. Cumque eius iræ nemo poſſet reſiſtere, occurrit clementiſſima mater eius, & pedes illius complectens, rogabat, vt

vt parceret eis, quos ſuo ſanguine redemiſſet, & iuſtitiam miſericordia temperaret. Cui filius: An non vides, inquit, quantæ mihi irrogentur iniuriæ? Iuſtitia mea tot mala ampliùs non patitur impunita. Contrà mater: Tu qui omnia, inquit, nôſti, benè perſpectam habes viam, per quam illos ad te reducturus es: Habeo ſeruum fidelem, quem mittes in mundum, vt verba tua annunciet eis: ſicque conuertentur ad te omnium Saluatorem. Habeo etiam alium ſeruum, quem ei adhibebo adiutorem, vt ſimiliter operetur. Filius dixit: Eccè placatus ſuſcepi faciem tuam: at tamen velim videre eos, quos tanto muneri deſignâſti. Obtulit ergò mater filio beatum Dominicum, & ait Dominus: Benè & accuratè is faciet, quæ dixiſti. Porrò beatus Dominicus ſocium ſuum in hac viſione diligenter cõtemplans, ad id vſque tempus ignotum ſibi, poſtera die in eccleſia inuentum agnouit, ruensque in ſancta oſcula & ſynceros amplexus, ait: Tu es ſocius meus: tu mecum pariter curres. Stemus ſimul, & nullus aduerſarius vincet nos. Viſionem quoquè, quam iam diximus, enarrauit ei. Atque ab eo die fuit illis cor vnum & anima vna in Domino, quod etiam à ſucceſſoribus ſuis iuſſerunt perpetuò obſeruari. Huius viſionis ſeriem & notitiam per S. Franciſcum accepimus, cui beatus Dominicus ante Ordinis confirmationem, eam patefecit.

Is fuit beatiſſimus pater Franciſcus.

Ea verò viſione animatus certiorque effectus beatus Dominicus, ad Pontificem accedens, quemadmodùm ab ipſo & fratribus erat conceptus, Ordinis Prædicatorij, & omnium, quæ obtinere voluit, cõfirmationem impetrauit anno ſalutis 1216. Sanè ſi quis magnæ huius rei ſucceſſum accuratè expenderit, multa admiratione afficietur, quòd vir tam humilis atque extremè inops, nullo humano fretus auxilio, apud Apoſtolicam ſublimitatem & illuſtriſſimum Cardinalium collegium, tam arduum negocium tam efficaciter ſolus expedire, tamque faciliter ad effectum perducere potuerit. Sed reuerà non humana induſtria, ſed potens Dei ſapientia per humilem ſeruum ſuum perfecit hæc omnia, impetrante id matre Dei ſanctiſſimis precibus ſuis: cuius, oro, potentiam, clementiam & ſtudium pauliſpèr conſideremus. Quid illa potentius, quæ omnipotentis iudicis iram, qui iam vt fulgur exacuerat gladium ſuum, & arripuerat iudicium manus eius, ſupplici prece retinere potuit, nè effuſa eius ira deuoraret impios ſicut ſtipulam, & arderet vſque ad inferni nouiſſima? Clementiam eius abundè teſtatur, quòd pro perituris tam humiliter, tam benignè, tam inſtanter interpellauit. Eius clementiam ambiunt peccatores, nè pereant: iuſti, vt proficiant. Porrò ſtudium, curam & diligentiam tuam erga nos, ô Domina noſtra, in his planè experimur, quòd non modò potentiſſimi furorem ardẽtem iudicis intercipis, & pro nobis apud filium clemens intercedis: ſed etiam quòd omniũ ſalutis miniſtros egregios exhibuiſti filio tuo: nempe viros lectiſſimos Dominicum & Franciſcum, quos tu Virgo mater filio offerens, præclarè commendas: & filius acceptans, veritatis teſtimonio approbat, & perindè vt agnos à ſe miſſos inter lupos, firmiſſimis præſidijs tuetur ac munit. Benedicamus ergò fratres chariſſimi patrem cum filio & ſpiritu ſancto, cuius ſuper nos inſcrutabile videmus conſilium, & benigniſſimum ſentimus affectum. Benedicamus & matrem Dei, cuius precibus placatus filius, miſericordiæ memor fuit, cùm eſſet iratus peccatis hominum, relinquens nobis ſemen diuinum, ſine quo ſicut Sodoma fuiſſemus, & quasì Gomorrha periſſemus. Ex eo verò nos enati benedicto ſemine, mittamus radices deorsùm, & faciamus fructum ſurſùm: vt ſit in nobis agnitio propriæ vilitatis, & animus incommutabili intentione addictus æternitati. Nos enim ſumus ſemen ſeruorum eius, cum quo bona permanent: ſemen, cui benedixit Dominus, vt creſcat, & hæreditate capiat terram viuentiũ cum beatis mitibus, & portas poſſideat inimicorum ſuorum, id eſt, dæmonum. Amplectamur amanter, & imitemur conſtanter tantorum Patrum clariſſima exempla & eximias virtutes, vt digni efficiamur, qui cum eorum ſemine in Dei filijs numeremur.

Cõfirmatur à Pontifice Otto S. Dominici.

B. Mariæ encomium.

Deut. 32.

Sed iam ad hiſtoriam ſe noſtra recipiat oratio. Cùm in baſilica S. Petri beatus Dominicus coram Deo preces funderet pro conſeruatione & propagatione Ordinis, quem per ipſum dextera eius plantârat, confeſtim facta ſuper ipſum manu Domini, vidit beatiſſimos Apoſtolos Petrum & Paulum ad ſe venientes. E quibus Petrus ſcipionem, Paulus librum ei tradere videbatur, ſimulque dicere ad eum: Vade, concionare, diuinitùs ad id miniſterium electus. Mox temporis momento vidit filios ſuos toto orbe diſperſos, binosque & binos verbum Dei populis annunciantes.

SS. Dominicus & Franciſcus quales fuerint.

Viſio S. Dominici.

Eſa. 1. Item 37.

De

De fratrum Prædicatorum per Eccleſiam diſperſione, & eorum profectu. Cap.2.

ITaque Toloſam reuerſus, vbì fratres reliquerat, cum illis pariter inuocauit Spiritum ſanctum: aitque hoc ſibi animo eſſe conſtitutum, vt eos omnes, licèt paucos etiamnum, per mundum diſpergat, tanquàm grana multam ſegetem allatura. Dicerat enim ex Apoſtolica reuelatione Deum id velle, vt ità diſpergerentur. Illi verò omnes mirabantur tam repentinum eius ipſos ità in diuerſa loca dimittendi conſilium. Porrò illuſtris Comes Mõtis fortis dominus Simon, & venerabilis Archiepiſcopus Narbonenſis, & Epiſcopus Toloſanus, alijque eccleſiarum præfecti & prælati, pro humana induſtria & prudentia viro Dei ſeſe opponentes, tam paucos fratres nè ità ſubitò à ſe ablegaret, eum hortati ſunt. Quibus ille Dei ſpiritu plenus, fidẽter reſpondit: Nolite patres & domini mihi obluctari. Ego enim probè nóui, quid faciam. Fratribus autẽ dixit, vt ſtudijs & prædicationi vacarent, monaſteria conderent, nec quicquam formidarent, omnia proſpera habituri. Tum illi, quòd eum haud vulgariter amarent, perſpicuæ ſanctitatis eius authoritati promptiùs obtemperârunt, tanquàm Deo per hominem ipſis imperanti. Cogitabant per id tẽpus Toloſani Comiti Montis fortis arma inferre, idque per reuelationem beatus Dominicus cognouit. Monſtrata ei in viſione eſt arbor proceritate ſublimis, venuſtate grata admodùm, in cuius ramis permultæ aues commorabantur. Euerſa autem eſt arbor, & degẽtes in ea volucres auolârunt. Intellexit vir ſanctus, amico ſuo, magno & ſublimi principi, è propinquo mortem impendére: vtì etiam rei probauit euentus.

Fratres ad diuerſa loca amandat.

Alia viſio de cęde Comitis Simonis.

Anno à Chriſto nato 1217. aſſentiente beato Dominico, electus eſt in Abbatem F. Matthæus, qui cæteros gubernaret. Sed eius nominis prælatus nemo alius in Prædicatorio Ordine extitit. Qui enim toti Ordini præeſt, Magiſter Ordinis: cæteri inferiores prælati, Priores & Suppriores vocantur. Voluit autem beatus Dominicus hanc Abbatis inſtitutionem fieri, quòd decreuiſſet proficiſci ad Saracenos, vt eis verbum Dei prædicaret: perurgente eum charitate Chriſti, ſalute proximorum, & deſiderio martyrij obeundi. Ea cauſa aliquandiù barbam nutriuit. Cœpit tum in agro Eccleſiæ electa ſeminare grana, quæ fructum plurimum, vndè cæleſtis pater glorificatur, adferrent: miſitque in Hiſpaniam quatuor fratres, Gnomenicium, Petrum, Michaëlem, & Dominicum: in quibus Dominicus hic, quem poſtremum nominauimus, corpore quidem fuit exiguus, ſed ſanctitate, ſcientia & virtute magnificus. Sunt etiam Pariſios miſſi F. Matthæus electus Abas, cum F. Bernardo, qui in ſeipſum fuit homo rigidiſſimus, & carnis ſuæ caſtigator ſeueriſſimus, ſanctique Dominici in multis imitator eximius, cuius etiam aliquandò itineris comes fuerat. Ij cum literis ſummi Pontificis Lutetiam ſunt miſſi, vt Prædicatorum inſtitutum confirmatum palàm annunciarent. Adiuncti ſunt eis alij duo ſtudij cauſa, F. Iohannes & F. Laurentius, cui multa de cœnobiorum habitatione & ſitu, de multorum Fratrum receptione diuinitùs reuelata fuerunt: quæ ſicut futura prædixit, ità res ipſa confirmauit. Seorſùm autem miſſi ſunt & alij tres, putà F. Manes, germanus S. Dominici frater, vir contemplator & ſanctus: itẽque F. Michaël Hiſpanus, & F. Otherius cõuerſus. Hi omnes Pariſijs congregati, conduxerunt domum contra fores Epiſcopi, in qua primùm habitârunt. Anno ſequenti, rogante id Pontifice Maximo Honorio, data eſt eis domus S. Iacobi à magiſtro Iohanne Decano S. Quintini, & ab Vniuerſitate Pariſienſi: quam illi ingreſſi ſunt octauo Idus Auguſti. Eodem verò anno, quo vir ſanctus ità emiſit filios ſuos, ipſe Romam profectus eſt, vbì per eum Deus ad honorem nominis ſui, & corroborationem nupèr inchoati Ordinis, mira ſanè operatus eſt, ſicut ſequentia declarabunt.

Primus idẽque poſtremus Abbas apud Dominicanos.

Attẽde piũ S. Dominici deſiderium.

Pariſijs obtinent Dominicani domum S. Iacobi.

De gratia concionandi, de populi erga illum veneratione, & de duobus mortuis excitatis. Cap.3.

VBì Romam venit vir ſanctus, concionandi munus, ad quod diuinitùs accitus, & ab Apoſtolica Sede inſtitutus fuerat, in præcipuo Apoſtolicæ authoritatis loco cœpit frequenter, humiliter & piè exercere. Diffundebatur gratia in labijs eius, eratque Deus in ore illius, & audiebantur verba eius cupidiſſimè. Sermo enim eius & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ, vel inanis Philoſophiæ verbis erat, ſed in animi pietate, & oſtenſione ſpiritũs & virtutis: cooperabaturque ei Dominus, & ſermonem eius ſequentibus ſignis confirmabat. Erat Romæ matrona quædam, ciuis Romana & vidua, Gutado ea dicebatur, miraque erga beatum Do-

S. Dominicus Romæ concionatur.

minicum deuotione ferebatur. Habebat autem filium vnum paruulum, mala affectum valetudine. Cumque vir Dei in Eccleſia S. Marci concionem habiturus eſſet, matrona hæc deſiderio audiendi verbum Dei ex ore eius, relicto filio, venit ad concionem. Ea finita, domum reuertens, filium exanimem inuénit: ſed immodicũ dolorem ex eius morte conceptum ſilentio premens, & tum de Dei virtute, tum de beati Dominici meritis fidutiam concipiens, aſſumptis ancillis ſuis, tulit filium ſuum ad Eccleſiam S. Sixti, vbì tum vir ſanctus cum fratribus morabatur. Et quia domus illa tunc recipiendis ſororibus apparabatur, alij artificum occaſione intrabant cum illa. Inuénit autem virum Dei ſtantem ad fores domûs, quam Capitularem vocant, tanquàm ibì aliquem expectaret. Vt verò illum vidit, miſit filium defunctum ad pedes eius, & proſtrata coram illo, cum lachrymis orabat, vt ipſi filium reſtitueret. Dolens ergò ex animo vicem eius vir miſericors, ſeceſſit paululùm ab ea, humique ſe abijcit, breues Deo preces obtulit. Mox ſurgens, acceſſit ad mortuum: Crucis in eum ſignum expreſſit, manuque eius appræhenſa, ſanum & incolumem erexit, reddiditq; matri eius, præcipiens nè hoc ad vllius notitiam perferret. Illa verò cum ingenti gaudio diſcedens, beneficium Dei, quod in ſuſcitato filio acceperat, iucunda & glorians in Domino, alijs indicauit, ſic vt etiam ad Pontificis aures peruueniret. Qui ſanè exultans, & donis Dei gratulans, quæ ipſius tempore extitiſſent, decreuit vt omni populo id pro concione exponeretur. Sed verus humilitatis cultor Dominicus obſtitit, proteſtans, ſi id fieret, ſe mare tranſmiſſurum, nec vnquàm deincèps in hiſce regionibus moraturum. Remiſit igitur ſummus Pontifex decretum ſuum. At quanto vir Dei profundiùs ſeſe abijcere nitebatur, tanto præpotẽs Deus eum ſublimiùs erigere pergebat. Atque ab eo tempore, quòd ſuam gloriam non venaretur, Pontificis & Cardinalium, qui eum etiam anteà charum habuerant, affectum & beneuolentiam erga illum longè propenſiorem excitauit, vt & impenſiùs eum amarẽt, & ampliori honore proſequerentur. Omnium etiam aliorum tanta erga illum extitit reuerẽtia, vt tum magnates & proceres, tum plebeij homines mira illum charitate colerent, atque ceu Angelũ Dei ſequerentur, beatosque ſe exiſtimarent, qui vel contingere eum poſſent, vel quippiam ex rebus eius adipiſci. Itaque cucullus & capitiũ eius adeò ab illis conſcindebantur, vt vix ſufficerent genibus obtegendis. Cumque fratres eos arcere vellent, nè ſic veſtes eius ſecarent, vir Dei ait: Sinite illos ſuæ deuotioni ſatisfacere. Adeò enim illorum fidei congratulabatur, vt truncato habitu cõtemptibilis videri, pro nihilo putaret. Adfuerunt in his ſancto Patri noſtro viri probati, Tãcredus, Ottho, Gregorius, Henricus & Albertus: quorum idcircò hîc nomina expreſſimus, quòd tanti Patris contubernio ornati, Prædicatorij Ordinis ſacra quædam fundamenta, & viui precioſique lapides fuêre. Ità & in ſcriptis diuinis Maiorum nomina memoriæ cauſa exprimuntur.

Excitat vita functum.

Multa cum omnes reuerẽtia proſequuntur.

Primarij eius ſocij qui fuerint.

In eodem autem loco fratribus in ſtructura laborantibus, architectum quendam conductitium in crypta moles ſupernè diſſoluta contriuit, & ſub tanto pondere diù iacentem penitùs extinxit. Concurrunt Fratres ad miſerabile ſpectaculum, ſummo dolore affecti. At pius pater Dominicus & inopinatæ mortis caſum vehementer miſerans, & filiorum mœrentium afflictionem non ferens, extinctum cadauer è cauerna ad ſe iuſſit deportari, fuſisque precibus, mox illum & viuum & incolumem reſtituit, & triſtes filios gaudio & conſolatione affecit.

Aliũ mortuum reuocat ad vitã.

Vt Pontifex ei mandârit de coniungendis Vrbis ſanctimonialibus. Cap.4.

PER id tempus, conſentientibus Cardinalibus, conſtituerat Honorius Pontifex, omnes ſanctimoniales, per diuerſa Vrbis loca diſperſas, modò id fieri poſſet, in vnum redigere, vt & faciliùs poſſent regi, & cautiùs cuſtodiri. Si ſint enim in vnum collectæ, hauddubiò minùs difficilis eſt earum cuſtodia. Porrò illas ità adunatas decreuerat apud ſanctum Sixtum, propter antiqui loci reuerentiam & opportunitatem, collocare. Cernens verò beatum Dominicum per omnia virum religioſum & ad omnes gratioſum, illi pium hoc opus committendum cenſuit. At ille nihil Pontificis voluntati reſiſtens, id vnum à Pontifice modeſtiſſimè petijt, quandoquidẽ tam grande opus ipſius vnius vires ſuſtinere non poſſent, adiutores idoneos vt ipſi largiretur. Adiuncti ſunt igitur ei à Pontifice tres Cardinales, Hugolinus Oſtienſis, qui poſteà fuit Pontifex maximus, Stephanus de Foſſa noua, Nicolaus Cardinalis, Tuſculanus Epiſcopus: quorum hac in re exequenda fideli & opera & cõſilio vſus eſt. Tentabant ergò ſumma cum modeſtia & moderatione, quod Pontifex mandârat: ſed inueteratæ

Studiũ ſanctiſſimi Põtificis pro reformatione monialium.

ueteratæ libertatis mala consuetudine transuersùm actæ, Pontificis voluntati & nunciorum eius persuasionibus siue adhortationibus parére, stulta quadam audacia & muliebri pertinacia, omnes pariter detrectârunt.

De monialibus S. Mariæ trans Tyberim. Cap. 5.

ERat tum in Vrbe insigne quoddam monasterium sanctimonialium, quod sanctæ Mariæ trans Tyberim, dicebatur, in quo venerabilis & omni honore dignissima eiusdem Virginis matris seruabatur imago, quam beatissimus Lucas Euangelista ad vultûs eius & habitûs similitudinem ad viuum planè creditur depinxisse. Quæ quidem pijssima imago nescio quo casu illi ecclesiæ sublata fuerat, sed illi cælesti miraculo fuit restituta. Eam verò, vt par est, illius monasterij sorores, & Romani omnes ineffabili studio venerabantur. Ad hunc ergò locum vt beatus Dominicus accessit, Abbatissam & sorores omnes, vna tamen dempta, ad Pontificis voluntatem inflexit: cunctæque in manus ei obedientiam promiserunt, se indè migraturas, si illa dulcissima imago cum ipsis vellet transferri. Eam conditionem libenter accepit S. Dominicus, illud adijciēs, si illa desiderabilis imago, vtì olim, ad suam rediret ecclesiā, & ipsæ pariter essent ab hac obedientia absolutæ. His ità gestis, prohibuit eis, nè posthàc monasterio exirent visitatum parentes vel alios quoscunque. Vbì resciuerunt earum cognati & amici, quidnam fecissent, & quibus assensissent, multo furore perciti, ad eas venêre, dureque obiurgârunt, quòd ad persuasionem hominis ignoti tam celebri loco derelicto, aliò se transferre vellent: nec à contumelijs sancti viri abstinebant, eum sacrilegis linguis hominem nequam & scurram appellantes. Itaque perturbatis illis & fœmineo timore perterritis, non paucæ ex eis rei benè gestæ quadā irrationabili ductæ sunt pœnitentia. Hæc autem omnia vir Dei, licèt absens, eo spiritu, quo regebatur, reuelante cognouit. Sustinens autem ad breue tempus, quodam die manè venit ad locum, & post oblatum Missæ sacrificium, concione peracta, dixit ad illas blandè & leniter: Filiæ meæ, iam quidem de sanctitatis proposito, perindè atque de maleficio, multùm doletis, & vultis à bona via pedem retrahere, & à tergo Domini recedere. Sed cùm apud Deum grati illi sint & accepti, qui voluntariè ei sacrificant, & vltrò se ei offerunt: si qua in vobis est timens Deum, & audiens vocem serui eius, spontè, vtì conuentum est, huc ad me accedat, Domino obedientiā oblatura. Tunc Abbatissa cum omnibus alijs, sicut iam antè fecerant, denuò in eius manus voluntariam obedientiam promiserunt. Quæ enim abiërant retrò post satanam, sancti patris meritis sunt reuersæ. Deindè vir prudens quosdam conuersos, viros religiosos & solertes adhibuit, qui monasterium perpetuò custodirent, & sororibus necessaria ministrarent: abstulitque claues omnes, & totius monasterij administrationem in se recipiens, non permisit, vt deincèps vel propinquis, vel alijs sine arbitris loquerentur.

Imago S. Mariæ à B. Luca picta.

Reformat sanctimoniales, sed ea causa Ferr contumelias.

Vt Napuleonem iuuenem excitârit. Cap. 6.

POsteà fidelis Domini seruus & prudens ex consensu trium Cardinalium, quorum regebatur & muniebatur auxilijs, id constituit, vt apud S. Sixtum quarta feria, ipsi quatuor conuenirent, & ibidèm Abbatissa, quam diximus, cum monialibus omnibus præsens, administrationem & iura omnia monasterij Cardinalibus & ipsi resignaret, vtì etiam factum est. Eccè autem sedente viro sanctissimo cum illis Cardinalibus in media Capitulari domo, Abbatissa verò cum monialibus adstante, vt ea res diuinitùs gesta euidēti miraculo declararetur: vir quidam eiulans & comam vellens, voce horribili exclamat: Eheu, eheu. Cunctis exterritis & sciscitantibus, quid haberet, respondit: Nepos Stephani Cardinalis ab equo cadens, mortuus est. Dicebatur is Napuleon. Ea re prorsùs inopinata & miserabili Stephanus Cardinalis patruus eius attonitus & angustatus, in beatum Dominicum caput reclinauit: alij verò excipientes, sustulerunt eum. At sanctus pater surgens, aquam benedictam in Christi nomine ei adspersit. Porrò frater Tancredus dixit ad virum Dei: Vbì est pietas tua, pater, vbì nunc fides in Dominum? Cur pro salute adolescentis non oras Deum? Tum vir Dei egressus, ibat ad cadauer, miseranda concussione & immodica dissipatione horribiliter deturpatum. Iussit autem illud in quasdam ædes inferri: porrò F. Tancredo & alijs, qui cum ipso erant, dixit, vt pro sacrificio offerendo altare ipsi præpararent. Ibāt ergò Cardinales cum suis, & Abbatissa cum sanctimonialibus ad locū, vbì vir beatus erat hostiam salutarem immolaturus. Cùm autem iam adstaret ad aram cum summa, vt solebat, reuerentia, immenso perfusus est lachrymarū imbre, spiritu sancto flante: cumque

Offert Missæ sacrificiū cum multis lachrymis.

cumque corpus Christi purissimis manibus in altū eleuāret, cunctis qui aderant, spectantibus & stupentibus, ipse pariter cubiti vnius altitudine à terra eleuatus est, corpus terrenum & graue animi deuotione & spiritu gratiæ sursum attollente. Oblationis indè ministerio pijssimè peracto, vir beatissimus ad corpus defuncti, Domini misericordiam imploraturus, accessit. Sequebantur eum Cardinales cum famulis suis, itemq; Abbatissa cum sororibus suis, cum mœrore & fiducia, quid in sui nominis gloriam Dominus facturus esset, penitùs ignorantes. Stans autem vir pijssimus ad corpus extinctum, caput & cætera membra conquassata, ipsosque pedes manu sua contrectauit, suis locis accuratè & comiter omnia componendo. Deindè ad preces iuxta feretrum se contulit. Cumque hunc in modum secundò & tertiò fecisset, surgens ab oratione, signo Crucis eum consignauit: stansq; ad caput defuncti, sublatis in cælum manibus, diuina virtute ipse quoquè plùs quàm cubito vno suspensus in aëre, magna voce clamauit: Adolescens Napuleon, in nomine Domini nostri Iesu Christi tibi dico, surge. Confestim videntibus cunctis, qui ad tam grande spectaculum confluxerant, sanus & incolumis surrexit, dixitque ad virum Dei: Pater, da mihi quod edam. Moxque vir pius dedit ei cibum & potum, sanumque & hilarem, nec vllum contriti corporis vestigium habentē reddidit venerabili viro Stephano Cardinali. Iacuerat exanimis à manè vsque ad horam nonam. Quantùm autem possum coniectura assequi, decimosexto Calendas Martij excitatus est.

cum multis lachrymis.

Corpus eius eleuatur.

Tertiò vitæ restituit.

De fratrum Prædicatorum ad S. Sabinam, vbì nunc manent, commigratione. Cap. 7.

AD hoc vsque tempus in Vrbe Fratres Prædicatores apud S. Sixtum manserant, vbì hæc & plura alia admiranda omnipotens Saluator per S. Dominicum operatus est. At Pontifex Honorius, qui virum Dei haud vulgariter amabat, ecclesiam S. Sabinæ eis tradidit incolendam, vbì hodieque Pontificum beneuolentia perseuerant. Eò libros & omnia, quæ hactenùs apud sanctum Sixtum habuerant, transtulêre. In ea ecclesia S. Sabinæ beatorum martyrum Alexandri Papæ, Euentij & Theoduli corpora quiescunt. Is Alexander, à beato Petro Apostolo septimus, & huius nominis primus Romanæ sedis Pontifex, sub * Adriano principe post vincula, carceres, eculeum, ignes & vngulas, punctis creberrimis per tota membra peremptus est: Euentius & Theodulus presbyteri, post longam carceris tolerantiam ignibus examinati, ad extremùm capite cæsi sunt: eorumque illustribus titulis hìc Fratrum Prædicatorum locus ornatur. Extat verò ibidèm titulus insignis S. Sabinæ, cuius Cardinalis fuit Hugo Ordinis Prædicatorij, vir doctissimus & cōprimìs religiosus: cuius doctrina, scriptisq; præclaris hodieque Ecclesia eruditur. In Germaniam etiam Apostolicæ Sedis missus à Latere legatus, cum multa moderatione, prudentia & religione, omni calcata auaritia, suæ legationis functus est munus, ità vt vsque in præsens eius iustitia illic commemoretur. Et nunc quoquè eiusdem tituli, nominis, religionis, doctrinæ & pietatis vir paterque venerandus, eundem locum cunctis reddit venerabilem.

* Traiano potiùs legendum.

Hugo Cardinalis.

De commigratione Monialium S. Mariæ trans Tyberim. ad S. Sixtum. Cap. 8.

AD quem sanè cùm se contulissent, vt diximus, Fratres cum omnibus rebus suis, agente beato patre Dominico, tempus ab illo præstitutum est, quo deberent sorores in ecclesiam sancti Sixti, vbì Fratres hactenus habitauerant, succedere. Anno igitur à nato Saluatore 1219. 12. Calendas Martij, in quem diem tunc inciderat prima Dominica Quadragesimæ, Abbatissa cum sororibus S. Mariæ Transtyberinæ possidendam accepêre ecclesiam sancti Sixti, ibiq; habitare cœperunt, Domino perpetuò seruituræ. Erat inter illas puella quædam Cæcilia, annos nata decem & septem. Ea in ipso portæ ingressu prima ante omnes habitum Ordinis induit ministerio beati viri, in cuius manus tertiò obedientiam promisit. Post eam Abbatissa cæteræque sorores & multæ aliæ eum habitum simpliciter susceperē & professionem fecêre: quæ omnes erant numero quatuor & quadraginta. Porrò Romani illam insignem beatissimæ matris Dei imaginem, quæ apud Moniales trans Tyberim fuerat, indè tolli nolebāt, quòd facilior illic eis ad illam contemplandam aditus pateret. Itaq; vir sanctus nocte sequenti, duobus Cardinalibus, Nicolao Tusculano Episcopo, & Stephano, cuius nepotem ad vitam reuocârat, comitantibus, & cum permultis alijs, simul etiam magna luminum copia tum præcedēte, tum subsequente, nudis pedibus incedentibus, illam cunctis optatissimam & dulcissimam virgineæ matris imaginem proprijs humeris

Abbatissa & cæteræ moniales obedient ā promittūt.

Cum multa reuerentia transfertur imago B. Mariæ.

reuerentissimè deportauit: quam sanè sorores nudis pedibus, orantes expectabant, & cum lachrymis, multaque animi exultatione exceperunt: permanetque ea apud illas vsque in hodiernum diem.

Nota de hac imagine.

Hæc est imago illa veneranda, quam beatus Gregorius Pontifex ob sæuientem pestem profligandam, quodam Paschali tempore in processione cum litanijs per vrbis circuitum reuerenter deferri iussit, cui etiam tota aëris cessit infectio, eius præsentiam ferre non sustinens. Mira autem successit serenitas, & auditæ sunt voces in aëre iuxta imaginem, ità canentes: Regina cæli lætare, alleluia: quia quē meruisti portare, alleluia: resurrexit sicut dixit, alleluia. & Beatus Gregorius subiunxit: Ora pro nobis Deum, alleluia. Reposita est ergò reuerenter admodùm per beatum Dominicum & duos Cardinales apud virgines imago Virginis matris, & in ea vultum eius deprecatur omnes diuites plebis, adorantes in matre filium, qui est super omnia Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

Antiphona, Regina cæli cælitùs audita.

De sororum institutione, & miraculis apud illas patratis. Cap. 9.

Primum cœnobium sanctimonialium S. Dominici Romæ.

PRimum hoc sororum monasterium author & architectus Prædicatorij Ordinis Dominicus instituit, eiusque Sanctimoniales summo studio in disciplina monastica conseruans, erudiuit, sæpè pro illarum consolatione conciones & collationes fratribus audientibus habuit, de Ordinis disciplina paternè docuit, quippè cui singularis gratiæ virtus affatim multa suppeteret. Coram illis & in illis per eum virtus altissimi miracula multa euidenter declarauit. Concionabatur quandoquè vir beatus apud S. Sixtum Dominica secunda Quadragesimæ, aderat etiam populi frequens auditorium: & eccè dæmoniaca quædam, eius concionem interturbans, crebrò dictitabat: Sceleste, sceleste, tuis imposturis quatuor, quæ meæ erant, mihi abstulisti. Meæ, inquam, erant, & tu eas mihi eripuisti. Populo verò indignè ferente eam concionis interpellationem, sæpè ei beatus vir dixit: Obmutesce, obmutesce. Respōdit dæmon per os fœminæ obsessæ: Non nos hinc eijcies: nostra est hæc, nec indè emigrabimus: Septem sumus, & hoc pacto in eam ingressi sumus: cœperuntque singuli, quomodò in eam intrâssent, diuersis vocibus enunciare. Crescente autem populi commotione & tumultu, vir Dei sublata manu edidit Crucis signum, & ait: In nomine IESV CHRISTI præcipio vobis, vt exeatis, & eam deincèps minimè vexetis. Continuò mulier horribili corporis distensione compacta, magnam carbonum molem euomuit, tanta sanguinis copia sequente, vt quasi mortua videretur. Iussit autem vir sanctus eam ex ecclesia educi, & curam eius haberi donèc plenius sanaretur. Reddita sanitati, Christo se dicauit, eamque beatus Dominicus dici voluit sororem Amatam. Vixit ea diù posteà sana & incolumis in operibus bonis. Factum est hoc insigne miraculum die octaua ab ingressu sororum in ecclesiam S. Sixti: quæ sanè vt viderunt eum in publica concione tanta authoritate dæmonibus imperantem, stupentes timebant valdè.

Eijcit septē dęmones ex vna fœmina, q̄ posteà se Christo dicauit.

Rom. 5.

Eximia sitis animas lucrandi.

Alio tempore pijssimus vir de filiarum salute solicitus, accessit ad locum, & è sorore Constantia Rotularia (sic enim vocant eam, quæ reddit responsa aduentantibus) scisciatus est, num rectè valerent sorores Theodora & Thedramia. Respondente Constantia febribus illas vexari, & Theodoram iam ex paroxysmo decumbere, vir misericors ait ad eam: Abi, & dic eis me iussisse, nè deincèps febricitent. Fecit illa, vt iussa erat, & mox omni morbo expeditæ sorores, incolumes extitêre, alijs sororibus videntibus, & ad tantum miraculum stupentibus. Reuersa ad virum Dei Constantia, (expectabat enim eam) indicauit rem totam. Ille gratias agens Deo, abscessit.

Duas febricitantes mirè sanat.

De eius solicitudine erga salutem animarum & Ordinis propagationem. Cap. 10.

CVm sic Romæ concionaretur vir sanctus, tanquā palmes in vite manens, vberes animarum fructus attulit, ità vt duo præclara, alterum fratrum prædicatorum, alterum sororum, monasteria, plena religiosissimis & Deo deuotissimis hominibus, instituta sint. Sanctus enim erat, & qui cum eo conuersabantur, sancti fiebant. Sic ergò, vt semper optârat, fructificans profecit, nec tamen animo eius charitate dilatato suffecit. Diffusa enim erat in corde eius charitas per spiritum sanctum, qui habitabat in eo, & cupiebat omnes esse in visceribus Iesu Christi. Hæc nanque pijssima affectio, & Deo gratissimum desiderium, sanctissimum pectus eius sibi vendicârat, vt animas proximorum lucraretur, & suo coniungeret creatori. Hoc lachrymis & precibus à Domino

Domino contendit: hoc feruentibus concionibus, & perfectissimis studijs egit: & præclaris per eum Dominus miraculis compleuit. Optabat impendi & superimpendi pro animarum salute, idque exemplo Saluatoris, qui seipsum tradidit pro animabus nostris. Nihil vel tam laboriosum, vel terribile potuit accidere, quod pro salute proximi refugeret: nihil tam carum aut adeò preciosum offerri, quod non charitati posthaberet, & eius causa exponeret. Ea igitur cura & solicitudine eum stimulante, vt & animas Domino adduceret, & Ordinē suum propagaret, ab Vrbe misit Bononiam fratres Iohannē & Bertrādum, anno Christi 1218. Deindè illis adiunxit fratrem Christianum & Conuersum quendam. Ij Bononiæ degentes, magnas paupertatis angustias perpessi sunt.

Matth. 20.

Vt magistro Reginaldo habitum Prædicatorum beata virgo ostenderit. Cap. 11.

EOdem anno Romam venit Aurelianensis Episcopus, & cum eo magister Reginaldus Decanus, vir per omnia laudabilis, fama celebris, eruditione conspicuus, qui etiam Parisijs annis quinque in Iure Canonico prælegerat. Is vbi admissus fuit in familiare cum quodam Cardinali colloquium, indicauit ei hoc se esse animi proposito & voluntate, quòd velit per mundum discurrere, & pauper pauperem Christum prædicare. At tamen qua id ratione possit aggredi, nondùm satis animo occurrere. Tum Cardinalis: En, inquit, quem admodùm desiderat anima tua, nouus existit Ordo, in quo prædicandi munus & voluntariam paupertatem profitentur. Eius verò fundator intrà hanc degit vrbem concionibus vacans. His exhilaratus vir prudens, beatum Dominicum ad se accuit, eiusque sanctitatis adspectu delectatus, verborumque comitate & veritate illectus, mox deliberauit eius complecti institutum. Eccè autem quamprimùm sancti propositi examinatrix aduersitas graui eum corporis ægrotatione affligit. Morbo ingrauescente, natura succumbens deprimitur, & salus à medicis desperatur. Confidens autem in Dei virtute beatus Dominicus, ad preces se conuertit. Illo orante, magistro Reginaldo vigilanti, & ardore febrium admodùm æstuanti, Regina cæli, Virgo mater apparuit visibiliter cum duabus speciosissimis puellis, dixitque ei: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Deliberanti quid peteret, altera ex puellis illis suasit, nè quid peteret, sed se totum beatissimæ matris Dei permitteret volūtati. Ille salubri pārens consilio, illius se penitùs subiecit arbitrio. Tum mater Dei extendens manum virgineam, ægri oculos, aures, nares, os, manus salutari, quam attulerat, vnctione liniuit, proprias verborum formulas ad singulas vnctiones proferens. Porrò ad pedum vnctionē ità dixit: Pedes tuos in præparationem Euangelij pacis perungo. & ad renes dixit: Stringantur renes tui cingulo castitatis. Omnem quoque Prædicatorij Ordinis hābitum ei demonstrans: Hic est, inquit, habitus Ordinis tui. Atque ità & ab ægrotantis oculis cælestis illa visio, & à toto corpore morbus omnis ablatus est, stupentibus medicis, quorum iudicio vita eius desperata fuerat. Nihil horum latebat beatum Dominicum, quippè cuius meritis & intercessione Reginaldo contigisset ea visio. Tertio indè die, cùm assideret Reginaldus beato Dominico, rursùs adfuit clementissima virgo, & vt erat pollicita, vnctionem illam in Reginaldo iterauit. Aderat tum religiosus quidam ex Ordine hospitali, qui testabatur se vidisse beatissimam virginem totum Reginaldi corpus sua manu perungentem. Illa salutaris vnctio corpus eius ab omni concupiscētia adeò purgauit, vt quem admodùm ipse fassus est, nec primi in eo motus posteà extiterint. Verùm hæc omnia beatus Dominicus, ab eo adiuratus, non priùs reuelare voluit, quàm ille è vita excessisset.

Reginaldo insigni viro apparet beatissima Maria.

Eū sanitati restituit.

Omnē in eo libidinem extinguit.

De commendatione magistri Reginaldi & Ordinis. Cap. 12.

ACcepit indè Reginaldus habitum, ipsi diuinitùs præmonstratum, à beati Dominici manibus. Prædicatorum adhuc nouello adiūctus Ordini, & factus consors pauperum Christi. Fuit is vir insignis, scientia instructus, gratia præuentus, virtute robustus, sanctitate conspicuus, religione præcipuus, castitate mundissimus, beatissimæ matris Dei tactu sanctificatus. Qua sit autem pietate efferendus, & quanta veneratione prosequendus huius instituti habitus, qui à matre Domini eidem Reginaldo in visione ostensus fuit, Dominus posteà declarare voluit. Nam magister quidam apud Salamancam Hispaniæ vrbem, vbi tum literarum studia florebant, artium præfectus,

Reginaldus induit habitum S. Dominici.

manè quodam, die Dominico cum multis ſtudioſis ad domum Prædicatorum vé. nit, vt concionem audiret. Subitò autem tanta extitit pluuiæ vis, vt è domo egredi non poſſent. Suppræfectus igitur ſiue Supprior domûs, cùm eum ad prandium inui. taret, nec retinere poſſet, induit eum fratris cuiuſdã cucullo, nè pluuia veſtes eius ma. defaceret. Eoque ſic induto, coram multis Doctoribus, & ſtodioſis, qui illic aderant, dixit Supprior: Proteſtor ego hodiè, & vos omnes teſtes eſſe volo, magiſtrum Nico. laum habitum noſtrum ſuſcepiſſe. At ille magiſter ridens & irridens abijt, totoque die illo per plateas & ædes ſtudioſorũ diſcurrens, cum multo riſu & cachinno omni. bus deridendum propinauit habitum ſanctitatis. Sed eccè eadem nocte acerrima ea. que perpetua febre corripitur, & mirè cruciatur. Quod cùm & ipſi, & medicis non pa. rùm formidinis adferret, tabeſcebat, ſicut ipſe ait, anima eius, & valdè exterritus, an. xias Domino preces fudit. Audiuit verò diuinitùs vocem ità dicentem: Putásne me ipſas fratrum Prædicatorum perſonas duntaxàt velle honore & reuerentia affici? E go verò id te ſcire velim, me & veſtes eorum nolle debita veneratione fraudari. Quas cùm tu contumelia affeceris, niſi per pœnitentiam reſipueris, non id feres impunè. Ea vox, vbi non dormientis, ſed vigilantis auribus illata eſt, omnia eius viſcera con. cuſſa ſunt. Vocatis igitur fratribus, habitum, quem irridiculè & ludens geſtauerat, cum reuerentia multa ſuſcepit & ſolenniter induit, vt in eo expiaret, quod perperàm admiſerat. Beatos planè, qui his veſtibus multiplicis gratiæ indui meruërunt, quas mulier fortis ſuis contexit domeſticis, vt armis lucis induti, honeſtè ambulent, nè ab agni nuptijs excludantur. Verè felicem & inclytum Prædicatorũ Ordinem, inter Or. dines præcipuum, & Angelico Ordini ſimilimum. Laudat enim, benedicit, & prædi. cat Deum, quæ ſunt officia Angelorum. Purgat inſtàr Angelorum immuditiam pec. catorum, inuitando reos ad pœnitentiam: illuminat infidelium & inſipientium i. gnorantiam, ſcientiam ſalutarem docens. Perficit deniquè proficientes, excellentio. rem eis viam demonſtrans. Hæc eſt huius inſtituti ordinatiſſima religio, Deo gratiſ. ſima profeſſio, ab æterno profecta conſilio, quam Virgo mater impetrauit à filio, ex. tremis temporibus in populi ſalutem inſtituendam. Quam etiam fouet patrocinijs, attollit beneficijs, illuſtrat miraculis, tuetur in affictionibus, conſeruat in tentatio. nibus, & à periculis omnibus tam potenter, quàm clementer eripit. Specialis quo. què charitatis argumento, ſingulariſque gratiæ priuilegio huius ſacri Ordinis filijs ipſa habitum tribuit, peculiari eos ornans indumento. Cùm enim initio Canonico. rum Regularium veſtibus vterentur, nunc beatiſſimæ virginis veſtitu amicti cælitùs, præ cæteris gloriantur. Cuſtodi igitur ſummo ſtudio frater chariſſime virginea, qui. bus induëris, veſtimenta: maneant candida omni tempore. Sit munditia caſtitatis in corpore, lumen veritatis in opere, pura ſynceritas in corde. Intuere & imitare beatiſſi. mum patrem tuum Dominicum, munditiæ ſpeculum, virginalis innocentiæ vaſcu. lum: pro cuius puritate Virgo mater, ex filij munere, omnem hanc Prædicatorio Or. dini impertit ſanctitatem.

Pœna habitum monaſticum irridentis.

Is reſipiſcẽs, fit monachus.

Prouer. 31.

Eccle. 9.

De reuelatione facta beato Dominico. Cap. 13.

CVm enim beatus vir Romæ apud ſanctam Sabinam in Eccleſia fratrum pro conſuetudine ſua pernoctaret, & iam media nocte oraret, cunctis fratribus quieſcentibus, in dormitorium ingreſſus, in quadam eius parte conſtitit, Domino preces oſferens. Eleuatis autem oculis, vidit ab alia parte tres admiranda pulchritudine virgines, in ijsque mediam forma incomparabili: cuius aliæ latus claudebant vtrinque: & vna quidem ferebat ſitulam ſplendidam & elegantem: altera verò aſſpergillum porrigebat in medio gradienti Reginæ. Tranſiens ergò Regina cum virginibus per dormitorium, ſingulos fratres ſuis in lectis quieſcentes conſpergebat, eosque Crucis ſigno conſignabat. Vnum ſolum præterijt, nihil ei huius gratiæ impertiens: vt diſcant poſteri, quam religionis diſciplinam, quod pudicitiæ ſtudium velit in nobis extare etiam dormientibus, viſitans nos omni tempore miſericordiæ mater. Aduertit hoc beatus Dominicus, quid fratri accidiſſet: ſurgensq; à prece, Reginæ proceſſit obuiàm, vbi lampas dormitorij pendebat, ad eiusque proſtratus pedes: Obſecro, inquit, Domina mea, Indica ſeruo tuo, quænam ſis. Dicebat hoc, licèt eam ſpiritu cognoſceret. Per id tempus antiphona, Salue regina, in cœnobio fratrum & ſororum Romæ ſeruis genibus ſine cantu dicebatur. Reſpondit ei Domina: Ego ſum illa miſericordiæ Regina, quam quotidiè ad veſperam pijs mentibus inuocatis: cumque dicitis, Eià ergò ad-

Viſio B. Dominici.

Antiphona Salue Regina, à Dominicanis Romæ ſingulis diebus dicitur.

uocata noſtra: proſterno me coram filio, orans illum pro Ordinis huius conſeruatione: Tum ille concepta fiducia: Quæ ſunt, inquit, ô Domina, virgines ſpecioſiſſimæ, quæ te comitantur? Reſpondit illa: Cæcilia & Catharina. Rurſùs ille: Cur mea Domina, ait, fratrem illum auerſata præterijſti? Reſpondit Domina: Quòd non ità, vt decebat, ſe gereret. Deindè ad reliquos fratres pergens, cùm eos quoquè conſperſiſſet, & conſignâſſet, diſparuit. Vir Dei autem ad locum redijt, vbi priùs conſtiterat: & eccè repentè extra ſe rapitur ante Deum, videtque ſedentem Dominum, & à dexteris ei aſſidentem matrem eius, indutam pallio coloris ſapphirini. Circunſpiciens verò, vidit ex omni natione ſpiritalium patrum, qui ſacris inſtituendis religionibus ſiue monaſticis inſtitutis, Chriſto filios & filias ſpirituales genuerant, magnam copiam, in conſpectu Domini gloriantem. Sed nullum ibi ſuorum filiorum videns, pudore ſuffuſus & intimo dolore compunctus, acerbiſſimè fleuit: atque à maieſtatis diuinæ gloria exterritus, eminùs ſtetit, non auſus vultui Dei & Virginis excellentiæ appropinquare. Innuit autem ei mater Domini, vt ad ipſam veniret: at ille tremens & pauens, non audebat accedere, donèc etiam à Domino eſſet accerſitus. Tum verò acceſſit corde compunctus, humilis ſpiritu, totus infuſus acerbiſſimis lachrymis, & ad filij atque matris eius pedes cum ſumma humilitate ſe proiecit. Dixitque Dominus Ieſus ad eum: Surge. cumque ſtaret coram Domino, ait ad illum: Quid ità miſerè luges? Ille reſpondit: Quòd coram te omnium monaſticorum Ordinum homines adeſſe conſpicio: de meis verò ne vnum quidem. Ait Chriſtus ad eum: Vis videre filios tuos? Reſpondit ille: Id vel maximè velim. Tunc Chriſtus manum ſuam ponens ſuper humerum matris, dixit ad eum: Inſtitutum ſiue Ordinem tuum ego commiſi matri meæ. Sed illo inſtante & cupiente videre filios inſtituti ſui, rurſùs ait Dominus: Itáne planè eos videre vis? Reſpondente eo, ſe id modis omnibus cupere, mater Domini pallium, quo induta erat, expandit coram lachrymabundo Dominico, quod tantæ erat amplitudinis, vt totam cæleſtem Hieruſalem ſuauiter circumplecti videretur. Atque ſub hoc ſecuritatis tegumento & pietatis ſinu vidit ille cæleſtium arcanorum contemplator, fratrum Ordinis ſui innumeram multitudinem, ſingularis cuiuſdam protectionis cura & peculiaris amoris brachijs circumplexam. Itaque luctus mutatur in gaudium, lamenta abeunt in iubilum: & ille ſpiritu exultans, proſtratus agit gratias Dei filio & eius matri ſingulari. Mox ad ſe redit, & ſigno ad nocturnas preces fratres excitante, omnes ſurgunt. Illis precibus abſolutis, ad domum Capitularem vir Dei fratres conuocat, prolixè ad eos concionatur, admonet vt ament matrem Dei, cuius erat mirificis conſolationibus egregiè recreatus. Poſteà fratrem illum, quem ſanctiſſima virgo dormientem præterierat, blandè alloquens, illũ comperit à culpa prorſus alienum: fatebatur tamen frater, ſe, cùm euigilâſſet, nudato corpore fuiſſe. O quanta nobis indicta eſt neceſſitas ſeruandæ diſciplinæ, tuendæ pudicitiæ, quãdo etiam neſcientes & nolentes, illos pijſſimos oculos à nobis auertimus, qui clementer intuentur eos, qui vias ſuas ſemper ſolicitè cuſtodiunt. Quanta verò nobis veneratione colenda, quibus laudibus efferenda eſt beata Dei genitrix, cui à Diuina maieſtate commiſſi ſumus, ſub cuius alis protegimur, cuius manu benedicimur, cuius gratiæ rore perfundimur, cuius interceſſione dilatamur, conſeruamur, & ſalui efficimur? Hæc eſt, quæ beatum Dominicum patrem noſtrum, tanquàm ſeruum fideliſſimum filio obtulit, ei ſæpè apparuit, illum blanditer allocuta eſt, ei in extremis adfuit, illum ſcala candidiſſima in cælos venientem cum filio ſuo coronauit.

Eius alia viſio, extra ſe rapti.

S. Maria protectrix & mater omnium Dominicanorum.

Summo ſtudio etiam dormientes debẽt pudicè ſe gerere.

De quibuſdam miraculis. Cap. 14.

SOlebat beatus Dominicus viſitare afflictos, inopes conſolari. Erat autem Romæ in turri iuxta portam Lateranenſem quædam ſolitaria fœmina, Bona nomine, magna religione & ſanctitate. Eam morbus grauiſſimus infeſtabat, ità vt ex pectore & vberibus eius ſcaterent vermes innumeri. Sed illa tam horrendam vexationem adeò ſedatè & patienter, tantaque animi gratitudine tulit, vt interdùm vermes excidentes colligeret, & in pectus ſuum reponeret. Viſitabat eam ſanctus Dominicus, eius confeſſionem recipiebat, & crebrò illi Euchariſtiam porrigebat. Cumque die quodam tanti ſacramenti eam feciſſet participem, & conſolationis atque ædificationis verba ei loqueretur, ſedens ad feneſtellam eius, inter alia rogauit eam, vt locum tim immaniter corroſum ipſi oſtenderet. Fecit hoc illa, viditque vir ſanctus pectus eius vermibus plenum: multaque erga illam commiſeratione affectus, Oro te, inquit,

Bona, eximiæ ſanctitatis fœmina.

quit, vt pro magno munere largiaris mihi vnum ex his vermibus. Noluit illa, nisi fi-
dem daret vir sanctus, se vermem redditurum. Illo hoc promittente, tulit vermem à
pectore, & per feneſtellam ei tradidit. Is sanè magnus erat, atro capite. Vt verò illum
Vermis te- terrimus vertitur in gemmam. beatus Dominicus accepit, & digitos suos vertit, eumque inspexit, subitò versus est in
gemmam elegantissimam. Ea re perspecta, non mediocriter admirabantur fratres,
qui cum illo erant, dicebantque viro Dei, nè ei gemmam restitueret. Illa verò lachry-
mante & orante, vt sua gemma ipsi redderetur, vir Dei stans promissis suis, eam fene-
ſtellæ imposuit: eamque acceptam illa, cernente beato viro & socijs eius, ad suum pe-
ctus apposuit, repentè mutatam in vermem. Tum verò sanctus vir, cùm ei benè pre-
Eius hor- catus esset, eamque consignâsset, ab ea discessit. Illo autem à turri descendente, vbera
rendũ mor- bũ sanat B. Dominicus. ab eius pectore deciderunt vnà cum vermibus, qui extincti sunt, pectusque consoli-
datum, paulatim integrè restitutum est, omnisque illius horrendæ putredinis dolor
sopitus est. Post aliquot dies inuisit eam vir Dei, planeque incolumem & gaudentem
reperit. Illa autem narrabat fratribus, quemadmodùm Dei gratia & sancti viri meri-
tis eo morbo liberata esset.

Fuit itidèm Romæ incluſa quædã apud ædem S. Anastasiæ, Lucia nomine: quam,
cùm ad S. Sixtum iret, subindè inuisere solebat vir Dei. Eius brachium adeò sæuissi-
mus morbus corroserat, vt carne & cute exesis, totum os vsque ad cubitum nudum
Alterius brachium consignans Cruce, mi- rificè refor- mat. apparéret. Iubente autem viro beato, vt brachium ipsi ostenderet, illa paruit. At viso
tanto dolore, vir pijssimus eius misertus, Cruce eam consignauit, eique benè preca-
tus, abijt. Confestim illa meritis eius plenissimè sanata est. Huic rei interfuit F. Ber-
trandus, & complures alij.

LIBER TERTIVS.

De aduentu F. Reginaldi Bononiam. Cap. 1.

VEnerabilis ille magister Reginaldus, cuius suprà meminimus, sani-
tate vtriusque hominis, meritis beatissimæ matris Dei, percepta, li-
cèt iam professione esset obligatus ordini, at tamen cum bona ve-
nia beati Dominici, vt suum expleret desiderium, cum Episcopo
Aurelianensi mare transijt. Indeque reuersus, Bononiam venitan-
no partæ salutis 1218. 12. Calend. Ianuarij: cœpitque mox totus in
conciones incumbere. Erat verò vehementer ignitum eloquium
eius, sermoque eius ceu facula ardens auditorum corda inflammabat, vt vix quis-
Reginaldi feruentes conciones. quam tam saxeo esset pectore, qui se absconderet à calore eius. Feruebat tum tota
Bononia, quòd nouus videretur apparuisse Elias. Per id tempus multos recepit ad or-
Bononiæ valdè cre- scit Ordo Prædicato- rum. dinem, siue in sui instituti sodalitatem, auctusque est Prædicatorum numerus: mul-
tique ad eos adiuncti sunt, quorum prædicationis luce, permulti in Orbe instar stel-
larum radiant. Eam lucem futuram Deus antè præmonstrauit. Priusquàm enim ve-
nissent Dominicani fratres Bononiam, mulier quædam Deo deuota & chara, contra
locum, in quo illi habituri erant, & nunc habitant, non rarò flexis genibus adora-
bat. Cumque eam perindè vt fatuam homines reprehenderent, illa dicebat: Vos po-
tiùs miseri & fatui estis: qui si sciretis, quinam & qualia hîc futura sint, mecùm pari-
ter adoraretis. Per eos enim, qui hunc locum occupaturi sunt, totus illustrabitur or-
bis. Habitauerant anteà fratres apud ecclesiam de Vascarella: sed paulò post aduen-
Traditur illis eccleſia S. Nicolai Epiſcopi. tum magistri Reginaldi, rogante Hugolino Ostiensi Episcopo, qui posteà factus est
Pontifex maximus, Bononiensis antistes, Ecclesiam sancti Nicolai illis assignauit.
Cuius sacellanus & presbyter Rudolphus, vir bonus & pius, Dominicanorum habi-
tum susceptit.

De ijs, quæ Reginaldus præclarè gẽſsit apud Bononienſes. Cap. 2.

EVM locum priusquàm fratres Prædicatores essent ingressi, Deus angelicis con-
centibus, cælestibus luminibus, & mirificis splendoribus propheticè ornârat. Ad
hoc reorum asylum, domumq; refugij Clericus quidam, satis quidem literis instru-
Viſio Cleri- ci cuiuſdã. ctus, sed seculi vanitatibus plùs satìs addictus, à Deo admonitus confugit. Vidit is in
visione, in campo tempestate valida vndiquè se occupari. Fugit ergò ad domũ quan-
dam: sed cùm esset clausa, pulsat fores, petit intrò admitti. Domina domûs respon-
dit:

dit: Ego Iustitia hîc habito: non potes huc ingredi, cùm sis iniustus. Dolens ille, alias
pulsat ædes, petitque recipi: sed audit ab hera domûs: Ego veritas sum: non te admit-
to. non enim liberat veritas se non amantem. Vidit tertias ædes: petit & illic recipi: Eſaiæ 48.
sed hera ait: Pax sum ego, non est autem pax impijs, sed hominibus bonæ voluntatis. Lucæ 2.
Verùm quandò apud me sunt cogitationes pacis, & nõ afflictionis, salutare tibi præ-
bebo consiliũ. vltra me degit soror mea Misericordia, quæ semper miseris fert opem.
Ad eam accede, & fac quod illa iusserit. Eunti illi occurrit Misericordia, dicitque ei:
Si vis ab imminente seruari tempestate, ito ad sanctum Nicolaum, vbi fratres Prædi-
catores morantur. Ibi inuenies stabulum pœnitentiæ, præsepe continentiæ, doctrinæ
pabulum, asinum simplicitatis cum boue discretionis, Mariam illuminãtem, Ioseph
proficientem, & Iesum te saluum facientem. Euigilat homo, pensat quid viderit, ac-
commodat se ad misericordiæ consilium, venit ad fratres, petit obnixè se recipi, &
impetrat. Erat tunc magnus in fratribus charitatis feruor, erga omne virtutis opus ala
critas eximiæ deuotionis, vigilantia perpetua in precibus, strictissima eorum obseruã-
tia, quæ ordo præscribit, ardens animarum zelus in concionibus & perpetuò audien-
dis confessionibus, conuersationis decus in sanctis moribus & exemplis, seueritas er-
ga coercenda vitia: nec tunc leuem culpam leuis vltio sequebatur.

Fratrũ Do- minicano- rum magna sanctitas.

Quidam frater ex ijs, quos Conuersos vocant, tum depræhensus fuit vilem pan-
num absque superioris permissu accepisse. Eum magnus pater Reginaldus acriter in
fratrum conuentu castigauit, & pannum corã fratribus exussit. Sed misero illo mur-
murante, nec suam culpam agnoscente, neque ad pœnitẽtiam submitterre se volen-
te, vir Dei Reginaldus præcepit fratribus, vt eum ad virgarum accipiendam castiga-
tionem mox aptarent: erectisque in cælum luminibus, cum lachrymis ait: Domine
Seuerĩtas Reginaldi in fratrem rebellem. Iesu Christe, qui famulo tuo Benedicto eam præstitisti virtutem, vt à monacho suo
virgarum ictibus pelleret dæmonem: da, quæsumus, vt huius castigatiõis vi ab anima
fratris huius dæmonis tentatio profligetur. Cecidit autem vir sanctus tam seuerè il-
lum fratrem, vt eius plagis fratres ad lachrymas prouocarentur, neq; id frustrà. Nam
compunctus animo frater, lachrymans dixit: Gratias tibi ago pater: nam reuerà à me
diabolum expulisti. Perspicuè enim sensi à renibus meis serpentem exire. Is frater
postea proficiens, bonus & humilis effectus est.

Alius frater iam fugam meditans, depræhensus coram magno patre Reginaldo
Bononiæ, in domum Capitularem adductus est. Fatebatur autem culpam suam, & ad
virgarum excipiendos ictus se humiliabat. Porrò vir Dei grauiter illum cædens,
ait: Abscede satan. vertensque se ad fratres: Orate, inquit, fratres: simul & precibus
& verberibus volens abigere dæmonem. Cumque diù sic faceret, exclamauit frater:
Verberibus sanatur fra- ter inſtabi- lis. Audi me pater. Et ille: Quid vis, inquit, fili? Respondit ille: Planè iam recessit diabo-
lus, & ego tibi stabilitatem promitto. Lætabantur fratres, & ille permansit in arrepto
instituto constans.

De illustribus viris Ordinis Prædicatorij. Cap. 3.

CVM adhuc exiguus esset fratrũ numerus, in Conuentu seu cœnobio Bononiensi
Tentatio dæmonis de inſtabilĩ tate. quædam tentatio extitit, quibusdam è fratribus diffidentia fractis, inter se con-
ferentibus, ad quæ monastica instituta se transferrent, quòd nouella Dominicani in-
stituti plantatio, parùm firmiter constituta videretur. Et duo quidem ex illis literas à
Legato, qui tum erat Bononiæ, impetrârunt, vt se possent aliò conferre. Eas verò in-
ter fratres recitante magno Reginaldo, ortus est luctus ingens, & crescebat commo-
tio. Itaque vir Dei Reginaldus ad cælum suspiciens, corde DEVM deprecabatur.
Rolandus vir magnus fit Domini- canus. Mox frater Clarus, vir bonus & magna authoritate, vtpotè qui artium & Iuris Pon-
tificij scholas rexisset, & Ciuilis quoquè iuris esset peritus: cœpit consolari fratres,
multisque rationibus illorum animos confirmare. Vix sermonem compleuerat, &
eccè magister Rolandus, qui tunc Bononiensi scholæ præfuerat, & erat fama celebri,
spiritu Dei accensus, è mundo fugiens, solus venit ad fratres: & quia spiritu ebrius
erat, nulla salutatione præmissa, simpliciter se petijt in illorum sodalitatem admitti.
At magnus Reginaldus præ nimio gaudio vestes alias nõ expectans, suum sibi detra-
hens capitium, illo eum induit, pulsataque campana, & fratribus cantantibus, Veni
creator spiritus: factus est virorum & mulierum concursus, commouebanturq; tum
studiosi, tum ciuitas vniuersa. Vix autem cantare poterant fratres præ gaudio & co-
pia lachrymarum. Ità ergò instaurata est pristina deuotio, & omnis error atq; tenta-

Eius conuersione fratres confirmantur prius instabiles.

tio conquieuit: atque illi duo fratres in medium profilientes, se malè egisse confessi sunt, literisque posthabitis, stabiles se fore promiserunt. Sequenti nocte apparuit Ru. dolpho, quem suprà diximus, Christus Dominus cum matre sua & S. Nicolao: eiusq; capiti manum supponens beatus Nicolaus, Nè timeas, inquit, frater. omnia & tibi & Ordini tuo prospera euenient, Domina nostra vestri curam gerente. Statim autem vidit nauem iuxta vrbem, plenam multis fratribus, dixitque illi beatus Nicolaus: Vides hos fratres? Nihil ergò reformides. Tot enim sunt, vt totum orbem impleturi sint. Accepit ex ijs consolationem frater, quem non mediocriter perturbârat ea commotio, quam diximus. Delectat valdè horum illustrium virorum commemoratio, perindè vt musica in conuiuio vini, & suauis odor aromatum. Quantus fuerit Regi-

F. Clarus, re & nomine.

naldus, & ex ijs quæ diximus, & quæ dicturi sumus, cerni licet. Frater Clarus, iuxta nomen suum, bonitate & sanctitate vitæ insignis & constans fuit, & eruditione clarus. Eum creârunt Priorem Prouincialē Romanæ prouinciæ, & Pontifex maximus eum

F. Rolãdus.

suum pœnitentiarium & capellanum fecerat. Frater Rolandus Cremonensis, scholę Bononiensis quondàm moderator, cùm apud se perpenderet vanitatem deliciarum & gloriæ, quibus affluebat, corde compunctus, factus est Dominicanus, primusque è fratribus Parisijs in Theologia prælegit, & multis annis Domino in sanctitate serui-

F. Moneta.

uit, fama, scientia & vitæ integritate præclarus. Frater quoquè Moneta, qui tunc liberales artes profitens, in omni Gallia Cisalpina celeberrimus habebatur, in concione magni Reginaldi multa vi compunctus, non paucos cũ adhuc studiosus esset, ad Dominici institutum adduxit. Postquàm autem ipse habitũ eius instituti accepit, quàm in omni sanctitate excreuerit, quantùm in verbo & hæreticis confutandis profecerit, non facilè possit scripto explicari. Nimirùm hi sunt viri religiosi, patres nostri & fratres, quos magnus pater Reginaldus per verbum Euangelij Domino cum multis alijs Bononiæ acquisiuit.

De pane & vino cælitùs ministratis. Cap. 4.

DEtinuit, fateor, me scribentem dulcis & odorifera recordatio filiorum, & suspendit interìm à cõmemorandis sancti patris egregijs facinoribus, sed reuertor nùc ad suauissimam radicem, vndè omnis hæc dulcedo germinauit. Interìm dum ea quæ retulimus, per venerabilem Reginaldum agerentur Bononiæ, omnipotens Deus per merita beati Dominici diuersis locis multa admiranda operatus est. Cùm enim Romæ apud sanctum Sixtum centum fratres cum illo sub Euangelica degerent paupertate, die quodam missi sunt ab eo duo fratres, Iohannes Calaber & Albertus Romanus, vt eleemosynam peterent. Illis à manè vsque ad tertiam frustrà laborantibus, & iam reuertentibus occurrit quædam mulier, benè erga fratres affecta, deditque eis panem vnum, dicens: Nolim vos prorsùs vacuos redire. Eo accepto pane, quidam vir candidus & pulcher rogauit obnixè, vt darẽt ipsi eleemosynam. Illi excusant se, quòd

Fratres Dominicani dãt panem, cùm ipsi egerent.

non possint dare, cùm ipsi egeant. Vrgente illo, dederunt ei panem illum pro DEI amore: isque mox ab eis disparuit. Redeuntibus domum venit obuiàm pius pater Dominicus, qui per reuelationem iam didicerat omnia, quæ illis acciderant: dixitq; illis iucundo vultu: Iam nihil habetis filij? Illi narrauerunt ei omnia, & quòd panem dedissent pauperi. Ait vir sanctus ad eos: Angelus Domini is fuit, & Dominus pascet seruos suos. Eamus oratum. Egressus indè ab ecclesia, iussit fratres ad prandium adesse. Quibusdam dicentibus frustrà illos conuenturos, cùm nihil esset, quod posset apponi: ille sciens quid facturus esset Deus: Dominus, inquit, pascet seruos suos. Illis præpusilla fide adhuc hæsitantibus & cunctantibus, vocauit fratrem Rogerum Cellarium, mandans ei, vt fratres ad mensam acciret, à Domino alimoniam habituros. Tandèm instructis mensis & scyphis appositis, dato signo ingressi sunt fratres in refectorium, & sanctus vir mensis benedixit. Cunctis sedentibus, legit ad mensas F. Henricus Romanus. Porrò vir Dei Dominicus, iunctis manibus, cœpit orare ad mensam.

Diuinitùs panes ministrãtur fratribus.

Et eccè, vt promisit, aderat prouidentia diuina, pastura seruos suos. Duo enim formosissimi adolescentes in medio refectorio apparuêre, panes candidissimos ferentes, & ab infimis incipientes fratribus, singulis singulos apposuêre panes, vnus à dexteris, alter à sinistris. Vbì ad beatum Dominicum ventum fuit, illi quoq; panem præbuêre, & submissis capitibus, ab eorum oculis ablati sunt. Dixit autem vir Dei: Comedite nunc fratres, comedite panem, vobis missum à Domino. Deinde ait ad illos, qui mensis ministrabant, vt vinum adferrent. Illis dicentibus se nihil vini habere, vir Dei plenus

nus spiritu sancto: Ite, inquit, ad dolium, & de vino in illud à Domino infuso, nobis haurite. Eunt illi, inueniunt dolium optimo vino redundans, quod haustum fratribus apportant. dixitque beatus Dominicus: Bibite fratres vinum vobis à Domino donatum. Comederunt itaque & biberunt indè die illo & sequenti. Tertio die post sumptum cibum, quidquid fragmentorum superfuit, iussit beatus Dominicus dari pauperibus, nec quicquam indè voluit reseruari. Posteà vir sanctus hortabatur fratres spem suam in Domino collocare, nec in vlla necessitate de illius benignitate diffidere, vsus apud eos concione egregia.

Item vinũ.

Alio quoque tempore Procurator fratrum eiusdem domûs, indicauit sancto viro deesse panes. Ille iucundo spiritu benedixit Deum, & exiguum illud, quod supererat, iussit particulatìm in mensis apponi. Erant tum in monasterio fratres plùs minùs quadraginta. Fratres ad signum datum ingressi refectorium, post benedictionem singuli buccellas sibi appositas cum gaudio frangunt, moxque duo iuuenes eiusdem & formæ & habitûs, in refectorium multos panes important, ijsque beato viro tacitè oblatis, subitò recedunt, nec sciri potuit, quinam fuerint. Tum vir sanctus ad omnes manus extendens, Iamnunc, inquit, fratres comedite. O miram Dei benignitatem, talem se timentibus escam præparantem.

Iterùm panes diuini. & tùs præbentur.

De quadam beati Dominici prophetia, & iuuene in eius Ordinem recepto. Cap. 5.

IN eadem domo vel monasterio vir Dei fratribus palàm prædixit, duos ex ipsis corpore, duos animo morituros. Nec mora, vt prædixerat, ità rei declarauit euentus. Frater Gregorius vir pulcherrimus & admodùm gratiosus, primo, & F. Albertus, qui pro eleemosynis missus, panem angelo dedit, tertio die perceptis admodùm religiosè Sacramentis in Domino obdormiêrunt. Alij duo ab Ordine profugi, periêrunt.

Frater Iacobus Procurator quandoquè graui correptus morbo, illo magìs magisque inualescente, & natura succumbente, ad extrema deductus fuit. Aderant fratres, vt Sacra Vnctione & precibus animam emigrantem communirent. Dolebant non mediocriter, quòd frater tam necessarius ipsis tolleretur, quo neminem haberent notiorem in vrbe. Permotus autem vir Dei filiorum desolatione, exclusis omnibus & ostio clauso, fusis super eum precibus, iam egredièm spiritum potenter retinuit: accitisque fratribus eum incolumem reddidit, suo officio functurum. Dixit hoc palàm ipse frater Iacobus, tanto verìus, quanto id in seipso certìus expertus erat. Eo procurationis munus exequente, multiplicatorum panum miraculum suprà memoratum contigit.

S. Dominicus fratrem moribundũ reddit incolumem.

Admisit in sodalitatem suam beatus Dominicus iuuenem pulcherrimum, Henricum nomine, genere quidem nobilem, sed moribus nobiliorem, ciuem Romanum. Id indignè ferentes propinqui eius, eum è cœnobio extrahere nitebantur. Ea re animaduersa, vir prudens Dominicus, adiunctis eius itineris socijs, ad aliud cœnobium cum misit. Iam flumen iuxta viam Numentanam transmiserant, & eccè cognati eius vt eum rapiant, ad alteram fluminis ripam adsunt. Nouitius Deo & beati Dominici meritis se commendat, vt ex illorum manibus eripiatur. Mox, iubente Deo, intantùm excrescit aqua, vt eam illi persecutores equis transire non possent. Id vbì viderunt, admiratione perculsi abiêrunt, nihil molestiæ deincèps iuueni inferentes. Fratres id animaduertentes, redeunt ad fluuium, qui iam ità detumuerat, & liberum illis transeuntibus iter præberet.

F. Henricus nouitius.

Insigne miraculum.

De diuersis viri Dei miraculis. Cap. 6.

DIE quodam vir sanctus tardiùs venit ad sorores, & omnibus ad fenestram conuocari iussis, coram fratribus ità ait: Filiæ meæ, ego ex piscatione redeo, in qua Domino largiente magnum cepi piscem. Dicebat hoc de fratre Gandeone, vnico filio Alexandri magnifici viri Romani, quem in suam sodalitatẽ receperat. Indè cum eis conferens, multam eis consolationem attulit. Posteà dicit ad eas: Expedit sanè, vt parùm aliquid sumamus potûs: iussitque F. Rogerum Cellarium scyphum vino plenum adferre. Eum allatum benedixit vir Dei, primusque ipse bibit, indè cæteri fratres, qui erant triginta: nec quicquam de vino imminutum est. Tum vir Dei sororem Nubiam vocans, Abi, inquit, ad Rotulam, præbe scyphum hunc sororibus, vt omnes indè bibant. Tollit illa scyphum omninò plenum, vt erat, & ne guttula quidem

Vinum miragno miraculo, dum bibitur, nihil minuitur.

dem indè fusa est, licèt per multorum manus & diuersa loca transferretur scyphus. Bibit primò Priorissa, bibunt sorores omnes post eam, hortante crebrò beatissimo viro, vt benè bibant. Erant sorores quatuor supra centum. Postquàm ergò fratres & sorores omnes ex illo charitatis poculo biberunt, omninò plenum mansit vino. His ità gestis, vir sanctus ait: Dominus vult, vt eam ad S. Sabinam, & consoler filios meos. Priorissa autem & sorores nitebantur eum retinere, quòd iam ferè media nox esset, nec consultum videretur, vt indè abiret. Sed ille non acquieuit eis, dicens, Dominum planè velle, vt eat ad fratres, eumque missurum cum ipsis Angelum suum. Itaque assumpto F. Tancredo, qui erat Prior siue præfectus fratrum, abscessit. Et eccè ad portam iuuenis elegantissimus adest, manu virgam tenens, tanquàm ad iter accinctus, illosque antecedit. Tum vir sanctus, socios fratres inter se, & illum voluit ingredi: ipse tertio loco sequebatur. Vbi ad fratrum portam ventum est, eam diligenter seris obfirmatam cernunt. Mox iuuenis, viæ dux, ad quādam portæ eius partem se applicans, eam aperit: primusque ipse ingreditur, sequuntur fratres, demùm post illos intrat vir sanctus. Sed iuuene rursùs egresso, porta clausa inuenta est. Scisciante autem ex beato viro F. Tancredo, quis ille iuuenis fuisset, S. Dominicus respondit: Angelus Dei fuit, ab illo nobis custodiendis delegatus. Indè cùm in ecclesiam, nocturnas precis cum fratribus persoluturi, intrarent, fratres mirabantur, quinam ianuis clausis eis aditus patuisset.

Angelus dux itineris eius.

Aperit ei fores monasterij.

Per id tempus quidam nouitius iuuenis, ciuis Romanus, Iacobus nomine, in eo cœnobio erat. Is importuna diaboli tentatione fractus, planè deliberauerat, simul atquè fores templi patefactæ essent, ab Ordine discedere. Fuit hoc diuinitùs reuelatum beato Dominico. Itaque humanissimè admonet adolescentem, nè à tam sancto contubernio se reddat alienum. At ille nihil flexus eius verbis & precibus, habitum sibi detraxit, dicens se prorsùs decreuisse indè abire. Dolens vir mitissimus adolescentem ea tentationis vi pulsari, Expecta, inquit, parumpèr fili mi: posteà facturus, quod tibi visum erit. Confestìm ad preces prosternitur vir sanctus, orat Dominum pro filio in suam perniciem ruente. Ibi tum repentè licuit cernere, quid iusti valeat deprecatio, & quàm facilè possit, quod velit, obtinere. Necdùm preces finierat vir beatus, & adolescens totus infusus lachrymis, ad pedes eius se aduoluit, habitū quem reiecisset, sibi reddi petit, pollicetur se perpetuò in eo instituto Domino seruiturum. Eum vir pius blandè compellat, habitum ei restituit, hortatur vt perseuéret. Vixit ille postmodùm sui intercessoris meritis adiutus, multo tempore religiosè & piè. Manè reuersi ad sorores fratres, narrant rem gestam: ipse quoquè vir sanctus fatetur iti se habere, ait diabolum voluisse rapere ouem Christi, sed eum liberâsse illam de manibus eius.

Precibus suis iuuenē, è monasterio abire volentem, retinet.

De eius magna in dæmones potestate. Cap. 7.

INgressus quandoquè beatus Dominicus cum multis fratribus in monasterium sororum, de fraudibus & imposturis dæmonum ad eas concionabatur. Et eccè adest satan in specie lacerti mirè deformis & abominabilis, duo grandia ostentans capita: discurrit iuxta ripam, ad quam sedebant, caudam & alterum caput celerrimèattollit & deponit, facit impetum in sorores, tanquā in illas inuasurus. At vir Dei agnoscens quis esset, in eum zelo Dei inflammatus, terribili vultu caput agitans, dicit: Inimice, inimice. Porrò ad sorores se vertens: Nè timueritis, inquit: nihil vobis officere potest. Sed quibusdam iam præ nimio terrore fugere volentibus, dixit vir Dei: præcipio tibi humani generis inimice, vt quamprimùm te demergas in hanc aquam. Fecit ille, vt erat iussus, nec vsquàm apparuit.

Dæmonis terriculamenta.

Dæmonem cogit se in aquas demergere.

Quodam tempore ab Hispanijs reuertens beatus Dominicus, singulis soribus singula cochlearia, è cupresso confecta, attulit. Cumque ad fenestram sedens cum multis fratribus, sermonem haberet ad illas, malus dæmon in passeris forma propè terram, ità vt manu capi posset, supra sorores in aëre volitans, concionem interturbabat. Id vir Dei videns, dixit ad sororem Maximillam: Surge, & apprehensum illum adduc ad me. Illa sine difficultate comprehensum, per fenestram tradidit viro Dei, is verò quamprimùm euulsit ei pennas, dicens: Inimice, inimice. Cumque lamentabiliter garrientem plumis omnibus, cunctis subridentibus, nudasset, proiecit eum: Vade, inquiens, hostis humani generis: vola nunc, si potes. Strepitum quidem magnum concitabis, sed damnum irrogare non poteris. Ille per fenestram intrans, ascendit ad vas

Dæmon in specie passeris.

vas æneum, quod ante altare beatissimæ Virginis in catenulis pendebat, in quo erat lampas oleo ardens: ipsasque catenulas magno impetu concutiens, vas euertit: sed nec lampas è vase décidit, nec læsa quicquā est aut extincta, sed versa hæsit in aëre, os habens deorsùm, fundum sursùm. Sorores ad eum strepitum capita leuantes, vident lampadem sine adminiculo in aëre mirabiliter hærere, nullo prorsùs oleo indè distillante, nec furfure, qui in pelui erat sub lampade pro custodia, dispersо, sed cunctis illæsis & integris permanentibus: id quod vir Dei ore prophetico prædixerat. Videns igitur etiam ipse vir sanctus quid gereretur, cum fratribus gratias egit Deo: porrò pascer ille prorsùs euanuit, & lampas suo loco restituta est, iubente id beato viro.

Miraculum in lampade meritis sancti viri conseruata.

Cùm vir Dei ibidèm in oratione vsque ad noctis medium vigilâsset, & de ecclesia egressus ad lumen candelæ in capite Dormitorij sedens scriberet, dæmon simiam se simulans, ridiculos gestus præ se ferebat, contorto vultu corā ipso inambulans. Tūm vir sanctus manu ei innuit, vt fixo gradu consisteret, & candelam accensam corā ipso teneret. Fecit ille sic quidem, at nihilo minùs pergebat ludicros exhibere gestus, cum quadam irrisione coniunctos. Interea venitur ad candelæ extrema, simiæ digitus aduritur, eaque ceu præ dolore se torquendo lamentatur, cùm tamen gehennæ ignibus ardens, flammam non timeat corpoream. Nutibus verò sanctus coëgit eum sic persistere: manstque donèc index totus combustus est, magìs magisque intereà se contorquens & lugens. Fecit hoc beatus Dominicus, vir fortis in fide, vt illudere sibi volenti illuderet: tandemque ferula, quam semper apud se gerebat, eum fortiter percussit, dicens: Recede nequam. Is ictus talem reddebat sonum, qualem solet siccus vter plenus vento. Recedēs autē nequissimus spiritus, fœtore post se relicto, declarauit quis esset. Meritò sanè inter Angelicas potestates coronandus est, qui tanta vi compressit & pudefecit diabolicas peruersitates. Hæc & permulta alia tum virtutū exempla, tum miraculorum signa per beatum Patrem Dominicum virtus altissimi Romæ edidit Honorio Pontifice, qui Ordinem Prædicatorum cōfirmauit, & sanctum virum benigno fauore prosecutus est, omnique honore dignum existimauit.

Dæmon apparet in specie simię.

Sanctus illudit sibi illudere volenti dæmoni.

Soror Cæcilia, cùm esset annorum septendecim, prima è manibus S. Dominici habitum Ordinis accepit: eaq; Bononiam translata, vt illic S. Agnetis monasterium instauraret, ibidèm etiamnùm viuit in senectute bona & summa vitæ sanctitate. Hæc ea, quæ hîc memorata sunt, oculis suis vidit, & auditione accepit, bonaque fide alijs narrauit.

Cæcilia, prima sanctimonialis Dominicana.

De ijs quæ fecit vir Dei in itinere. Ca. 8.

IN Hispania beatus Dominicus duo instaurârat cœnobia. Itaque non quæ sua sunt quærens, sed quæ IESV CHRISTI, eò properauit proficisci. Cùm autem in Tolosæ regione cum multis fratribus iter ageret, & die quodam ceu veri Christi pauperes, ad prandium non nisì vnum vini scyphum haberent, atque essent inter eos qui in seculo delicati admodùm fuissent: eorum penuriæ pius vir condolēs, iussit parùm illud vini, quod habebant, in magnum vas fundi, & aquam abūdè multam illi superfusam, fratribus apponi, qui erant simul octo. Biberunt ergò aquam, in vinum valdèbonum mutatam, ad satietatem, Domino gratias agentes. Superfuitque de vino, quod erat eis Christi beneficio ministratum.

Aqua mutatur in vinum.

A Tolosa proficiscens Lutetiam vir sanctus, cùm ad Rupem Amatoriā venisset, ibidèm in ecclesia beatissimæ matris Dei vigilans pernoctauit, & itineris, & pietatis comitem habens F. Bertrandum, virum sanctum, qui fuit Prouinciæ primus Prior Prouincialis. Altera luce iter agens, obuios habuit quosdam peregrinos Teutones: qui audientes eum cum socio psalmos & lectiones crebrò recitare, piè admodùm se illis adiunxêre: & cum ad pagum quendam venissent, inuitârunt sanctos, & more suo lautè eos acceperunt, eodem modo diebus quatuor eos tractantes. Quarto autem die ingemiscens beatus vir, dixit ad socium: Reuerà, frater, sentio mè læsum in conscientia, quòd horum peregrinorum carnalia metimus, cùm eis spiritalia nō seminemus. Si placet ergò, flexis genibus rogemus Dominum, vt det nobis cognitionem sermonis eorum, & vt possimus Germanicè loqui, & Dominū Iesum eis annunciare. Orant igitur, & stupentibus peregrinis, loquuntur Teutonicè: idque alijs diebus quatuor, quibus cum eis gradiebantur, & de Domino saluatore sermones miscebant. Tandèm vbi Aureliam ventum est, Teutones ab eis recesserunt, illorum precibus se humiliter commendantes. Altero die beatus Dominicus dixit fratri: Iam frater ingrediamur Lutetiam, & si cognouerint fratres, diuinitùs nos accepisse peritiam alieni sermonis,

Diuinitùs accipit, vt possit loqui Teutonicè.

monis,nos ſanctos putabunt, cùm ſimus peccatores:ad ſeculares verò ſi diuulgatum erit, multæ patebimus vanitati. Quamobrèm præcipio tibi, nè cuiquam mortalium ante meum obitum id reueles. Ità latuit res, donec ſancto viro defuncto, per F. Bertrandum ad aliorum notitiam perlata eſt.

Vide ſancti viri modeſtiam.

Iſte F. Bertrandus vir ſanctus fuit, & primus, vt diximus, Prouinciæ Prouincialis Prior, ſolebatq́ue ferè quotidiè Miſſam pro peccatis celebrare. Sciſcitante autem ex eo F.Benedicto, viro prudente, cur rarò pro defunctis, ſæpiſſimè pro peccatis ſacrificaret, ille reſpondit: Vita defuncti, de ſua ſalute certi ſunt: nos in periculis fluctuamus. Ait illi F. Benedictus: Si ſint duo mendici, alter ſanis membris, alter ijs carens: vtri potiſſimùm opitulaberis? Reſpondit: illi ſanè, qui ſe minùs iuuare poteſt. Tum Benedictus: Nimirùm, inquit, ij ſunt defuncti, quibus nec os eſt ad confitendum, nec manus ad operandum: ſed noſtram opem poſtulant. Viui autem peccatores & os & manus habent, & poſſunt ijs ſibi conſulere. Sed cùm à ſententia ſua non deduceretur Bertrandus, ſequẽti nocte quidam terribilis defunctus apparuit ei, & faſce lignorum mirè cum compreſſit, atque deciès & eo amplius illa nocte cum excitans perterruit & vexauit. Igitur prodeunte aurora F. Benedictum ad ſe vocat, narrat totius noctis hiſtoriam: indè religiosè & lachrymabũdus ad arã accedens, pro defunctis ſacrificium obtulit, idemq́; deincèps ſæpius fecit. Hic eſt, inquam, pater Bertrandus, vir ſanctus & reuerendus, cui beatus Dominicus præcepit, vt non ſua, ſed aliorum peccata plorare. Nouerat enim illum, ob ſua peccata, nimias à ſe pœnas repetere. Tantæ autem efficaciæ illa beati Dominici iuſſio apud animum F. Bertrandi fuit, quòd ab eo tempore, etiamſi vellet, pro ſuis culpis flere non potuit: ad aliorum lugenda errata, magna ci lachrymarum copia præſtò fuit.

Docetur F. Bertrandus pro defunctis miſſas celebrare.

Alio quodam tempore B. Dominicus iter agens, obuium habuit quendã ſanctum Dei hominem, ſed alterius linguæ. Dolens ergò non poſſe ſe cum alloqui, cæleſtiſque conſolationis & fraternæ ædificationis flagrans deſiderio, Dominum orat, vt præſtet facultatem cum illo viro Dei colloquendi. Præſtatur vtrique copia varijs loquendi linguis: & ſic triduo ſpiritalibus colloquijs & diuinis ſermonibus viciſsim recreati, tandèm à ſe ſeparantur.

Impetrat donum linguarum.

Aliàs proficiſcente eo cum F. Bertrãdo, ingens tempeſtas eis incubuit, quam multa pluuia ſecuta eſt. Ruente è cælo imbre & terram inundante, vir beatus illi ſignũ Crucis oppoſuit. Itaque in tanta aëris intemperie, virtute Crucis protecti, adeò nihil ex pluuia moleſtiæ tulêre, vt nec veſtimentorum fimbria madefacta ſit. Diuerſum verò aliàs accidit, cùm cadente pluuia, & viri beati & ſociorum eius veſtes maderent. Alijs ergò ob ſiccandas eas ad ignem remanentibus, beatus Dominicus ſancti ſpiritûs igne feruens, more ſuo in eccleſiam, illic in precibus pernox futurus, ſe ità madidus recepit. Manè cùm aliorum, qui apud focum hæſerant, veſtimenta etiamnùm humecta eſſent, eius adeò ſicca reperta ſunt, ac ſi tota nocte ad ignem iacuiſſent.

In multo imbre ſiccus ambulat cũ ſocio.

Vt B. Dominicus Bononiam venerit. Cap. 9.

ANno reparatæ ſalutis 1219. Beatus Dominicus Lutetiam veniens, in cœnobio S. Iacobi triginta fratres inuenit. Apud quos ad breue tempus hærens, eis valedixit: & gratiæ Dei eos commendans, profectus eſt. Indè ad Caſtellionis caſtrum vbi acceſſit, capellanus eum hoſpitio accepit, cuius nepos è ſolario cadens, à matre & aliis pro mortuo plangebatur. Eorum vicem dolens vir beatus, cum lachrymis ad preces ſe proſternit. Exaudit eum Dominus, puer incolumis redditur afflictæ matri, dolor omnis in gaudium mutatur. Tum ſacerdos pueri auunculus, magno apparato conuiuio, multos pios homines inuitat. At pueri mater, quartana laborans febre, cæteris anguillas edentibus, eas vitabat. Videns id vir Dei, particulam exiguam anguillæ Cruce conſignatam, illi offert cum his verbis: Comede in nomine Saluatoris. Comedit illa, & febris omnis abſcedit.

Redit ad vitã eius precibus puer extinctus.

Crucis ſigno pellit quartanam frebrem.

Tandèm æſtate beatus Dominicus Bononiam ingreſſus eſt, vbi iam tum apud S. Nicolaum magnus cum F. Reginaldo erat fratrum numerus: qui de aduentu beati viri gauiſi, cum ingenti deuotione & reuerentia eum ceu patrem chariſſimum exceperunt: manſitq́ue vir Dei in ea vrbe vſque ad ſupremum vitæ diem, dempto quòd Romam profectus fuit, & quædã Galliæ Togatæ, quam vulgò Lombardiam vocant, loca viſitauit, itemq́ue Venetias. Diligebat autem verus Ieſu Chriſti imitator Euangelicam paupertatem præ cunctis mundi opibus. Offerebat ei & fratribus, cùm Bononiam

noniam veniſſet, Odericus quidam poſſeſſiones ſuas, quæ æſtimabãtur libris Bononiensibus ampliùs quingentis: ſed ille diuitiarum contemptor, prorsùs eas recuſauit, conſcriptamq́ue indè coram Bononienſi Epiſcopo chartam, iuſſit reſcindi. Nõ enim voluit, vt fratres haberent poſſeſſiones, ſed eleemoſynis frugaliter victitarent, contenti vilibus indumentis, & paruis atque humilibus ædibus. Abſente eo, F. Rudolphus, procurator Bononienſis cœnobij, paruas & viliſſimas fratrum cellas nonnihil in ſublime euehere cœpit. Reuerſus autem vir Dei, vbi id conſpexit, Procuratorem & alios dolens & gemens repræhendit, erumpensq́ue in lachrymas: Itáne, inquit, tam citò vultis paupertatem abijcere, & magna palatia ſtruere? Ipſoq́ue iubente opus illud, quoàd vixit, manſit imperfectum.

Recuſat amplas poſſeſſiones.

In afflictionibus vir Dei non ſolùm patiens erat, ſed lætabatur etiam: tametsì multatum cum fratribus victûs & veſtitûs inopia premeretur, qua ille non mediocriter delectatus fuit. Ordinis canonem & ipſe ſeueriter & integrè ſeruauit, & à fratribus inuiolatè voluit obſeruari: & ſi qui id non feciſſent, multa quidẽ manſuetudine & blandis verbis eos puniebat, ità vt nemo turbaretur, etiamsì eſſet grauis ei mulcta irrogata. Occurrit ei quando què frater à concione reuertenti. Aduertit autem vir ſanctus, ſpiritu edoctus, illum ſecùs, quàm Canon præſcriberet, viuere. Salutat ergò eum, rogat quò eat, num quid apud ſe habeat, quod nefas ſit habere. Ille ſe cernens deprehenſum, erubeſcit, ferre ſe pecuniam humiliter fatetur. Eam vir religioſiſſimus mox iubet proijci, & fratrem indicta ſatisfactione emendat. Silentium ſtatis horis ſemper tenuit: à verbis ocioſis penitùs abſtinens, ſemper de Deo loquebatur.

Magna eius patientia.

Item eius ſilentium & abſtinentia ab illicitis.

De obitu F. Reginaldi, & duobus ab illo ad Ordinem S. Dominici receptis. Cap. 10.

EOdem anno, quo beatus Dominicus Bononiam venit, F. Reginaldus ab illo Lutetiam miſſus eſt, vt Chriſtum euangelizãs, etiam illis aliquid gratiæ ſpiritalis imperiret. Affligebantur ea re non mediocriter fratres, quos Bononiæ Reginaldus collegerat, & paterno affectu conſolatus erat. Paruit beato Dominico Reginaldus, veniensq́ue Lutetiam, magno ſpiritûs feruore prædicabat Chriſtum Ieſum, idq́; non verbis duntaxàt, ſed etiam factis. Verùm non diù paſſus eſt Dominus cum manere in hac vita. Placita enim erat illi anima eius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Priùs tamen dedit ei duos filios egregios, inſignem magiſtrum Iordanum, qui proximus fuit à beato Dominico Magiſter generalis eius Ordinis, & F. Henricum Colonienſem, vtrunq; natione Germanum: de quorum ineffabilibus virtutibus mâlim ſanè humiliter tacere, quàm parùm dignè eas commemorare. Et quis tandèm gloriam virtutis eorum poterit explicare? Per id tempus F. Matthæus primus & vltimus huius inſtituti Abbas, Prior erat Pariſienſis monaſterij. Is quia nouerat Reginaldum olìm Decanum Aurelianenſem, apud homines eximium, celebrem & delicatum fuiſſe, aliquotiès ab eo percontabatur non ſine admiratione, an non moleſtæ ipſi eſſet tam durus & aſper habitus & modus viuendi. Cui ille reſpondit: Nulla mihi in hoc inſtituto videor merita colligere, quòd nimiùm illud mihi ſemper arriſit. Nimirùm cæleſti vnctione vir iuſtus perfruens, iugum durũ Euangelicę paupertatis ſuauiter tulit: & graue onus monaſticæ religionis, ſuauefragrans vnguenti eius odor admodùm tolerabile ei effecit. Iam breue tempus fecerat Pariſijs, & morbus cum inuaſit. Languebat corpore, ſpiritu roborabatur. Propinquans verò ad extrema, cùm eum admoneret F. Matthęus Prior de ſuprema Vnctione accipienda, quòd luctа mortis et dæmonum immineret, ità reſpondit: Ego luctam hanc nihil reformido: immò etiam lætabundus & expeto, & expecto. Mater miſericordiæ, mater Domini mei Ieſu Chriſti me Romæ vnxit, in qua equidem confido, & ad quam cum ingenti deſiderio profiſcor. Attamẽ, nè Eccleſiaſticam Vnctionẽ contemnere videar, placet mihi eam percipere, & oro vt mihi adhibeatur. Ea religiosè percepta, coram fratribus Dominum orantibus, feliciter à corpore migrauit. O verè beatum virum, in die obitûs ſui benedictum, qui nec ad mortis acerbitatem, nec ad dæmonum immanitatem expauit: ſed confidens in Domino & ſuauiſſima matre eius, ad illam æternam vitam cum gaudio feſtinauit. Humatum eſt corpus eius in Eccleſia S. Mariæ de campis, quòd fratres nondùm haberent proprium cœmeterium, anno Chriſti 1219.

Reginaldus mittitur Lutetiam.

Sapien. 4.

Iordanus & Henricus egregij virũ fiũt Dominicani.

Infirmatur S. Reginaldus.

Inungitur oleo infirmorum.

Migrat ad Dominum.

Eo defuncto, Iordanus & Henricus, quos diximus, homines cumprimìs gratioſi,

Antiphona Immutemur habitu

qui in eius manibus votum nuncupârant, in capite ieiunij Quadrageſimalis, Fratribus cantantibus, Immutemur habitu, veſtibus ſuis reiectis, ſancti Dominici induti ſunt. Hi ſanè duo fontes ſunt lympidiſſimi, qui, vt viſio ſignificârat, de obturato fonte mox ſcaturiêre. Erant corpore virginei & mundiſſimi, doctrina præſtanti, moribus ſuauiſſimis. Hi ſunt duæ oliuæ, pietatis & miſericordiæ viſceribus affluentes, qui

Apoc. 11. Sapien. 6.

gratiſſimo odore totam Eccleſiam adſperſerunt. Hi ſunt candelabra, ſuper quæ, clara & quę non marceſcit Sapientia, lucem pedibus inſipientiũ præbuit in hac vita, quę etiam nunc lucentia coram Domino, augent gaudia ſanctorum.

De eximia religione B. Dominici. Cap. II.

ILlis diebus beatiſſimus pater Dominicus, exemplar religionis, & virtutum ſpeculum, Bononiæ degens, ſicut oliua fructifera in domo Dei, virtutum & famæ floribus redolens, verbis & exemplis radians, gratia deuotionis pingueſcens, incomparabi-

Pſalm. 51.

les fructus attulit: & tanquam lignum vitæ in medio paradiſi, inter fratres conſtitutus, Deo gratiſſimam, angelicæ ſimilem, hominibus admirandam, ſolis perfectis vix

Geneſ. 2.

imitabilem duxit vitam. Cuius excellentiſſimam vitę ſanctitatem, cùm pro dignitate non poſſim, ſimplici oratione vtcunquè referre conabor. Fuit vir beatus cumprimis

Catalogus virtutum S. Dominici.

humilis, manſuetus, patiens, benignus, tranquillus, pacificus, ſobrius, modeſtus, in cũctis actionibus ſuis valdè maturus, regularis obſeruantiæ prudens & diſcretus inſtitutor, cultor præcipuus, executor ſtrenuus & iuſtus, integrè & perfectiſſimè præ omnibus ſuum inſtitutum ſiue ordinem obſeruans, in nullo ſibi parcens, ſeueritatem communis vitæ conſectans, in omnibus ſemper ad Canonis præſcriptum ſe gerens. In templo, refectorio, in cibo, potu & veſtitu, in ieiunijs, vigilijs & alijs Prædicatorum regulã & inſtitutum exactiſſimè cuſtodiuit, & à fratribus quoq; accuratè voluit cuſtodiri. Interdùm quidem alijs nonnihil rationabiliter indulſit, & Canonis gratiã fecit: ſibipſi verò ſupra humanũ modum aſper & rigidus, nullum penitùs voluit dare laxamentũ. Alijs duo pulmẽta edentibus, ipſe vno contentus fuit. rara enim & excellẽs erat in eo virtus abſtinẽtiæ. F. Rudolphus procurator quandoq; etiam aliud ferculum, quod pitãtiam vulgò appellant, fratribus apparabat. Id ſentiẽs vir beatus, clàm ad ſe accito dixit: Cur vis enecare fratres, altero hoc edulio apponendo? Dicebat hoc, quòd ipſe exigua alimonia contentus eſſet. Cùm idem Rudolphus ei annonæ inopiã indicaret, ad

Precibus obtinuit fratribus neceſſariũ victum.

eccleſiam eum iuſſit abire, & deprecari Deũ. Illo eunte, non rarò ſequebatur vir Dei, obtinuitq; precibus ſuis, vt ſemper fratrib⁹ ſuppeteret, vndè commodè ſuſtentarẽtur. Apponente Rudolpho fratribus exiguum panis, quod ſupererat: (ſic enim iuſſerat vir Dei) eius meritis ità augebatur, vt omnibus abundè ſufficeret. Quodam ieiunij die cũ in refectorio fratres panem nõ haberent, vir ſanctus ſigno dato innuit Procuratori, vt panem eis apponeret. Illo dicente, panem non adeſſe, vir Dei alacri vultu erexit manũ ſuas, & laudauit Dominum. Confeſtim in refectorium ingrediebantur duo, totidem

Ezech. 1.

caniſtra ferentes, alterum panibus, alterum ſiccis ficis plenum, quibus fratres abundè

Matth. 6.

ſunt refecti. Sanctos enim prædicatores, ſpe & pennis contemplationis ad ſublimia ſe ſubrigentes, & neq; ſerentes, neq; metentes, neq; in horrea congregantes, nihil ſolicitos quemadmodùm Dominus iubet, quid comedant vel bibant, pater cæleſtis paſcit.

Eiuſdem cœnobij Procurator dolens quandoquè, retulit ad virum Dei, non niſi

Panes diuinitùs augentur.

duos panes haberi in monaſterio, cùm magna eſſet fratrum multitudo. Ille panes iubet in minutas particulas ſcindi, eaſq; benedicit: & de Dei benignitate confidens, dicit miniſtro, vt ſingulis fratribus duas vel tres particulas apponat. Facit hoc ille etiam ſecundò & tertiò, & panes augeſcunt: atque abundat plus, fratribus iam ſaturatis, quàm fuerat ad menſas illatum. Solebant fratres eius cœnobij propter paupertatem initiò aquam plerunquè bibere: ſed infirmis vndecunquè vinum, quoàd fieri potuit, conquirebatur. Eo quandoquè exhauſto, frater, qui ægrorum gerebat curam, cum multa commiſeratione id B. Dominico nunciauit. Is ſuo more ilicò ad precandũ Dominum ſe contulit, hortans cæteros, vt & ipſi ſic faciant. Porrò cœnobij Prior dixit

Item vinũ.

ægrotorum curatori, vt ſubleuaret vas, & quantùm liceret, è vino infirmis miniſtraret. Eo iuſſa capeſſente, vas reperit vino plenum, haud dubiò diuinitùs illi infuſo.

De habitûs eius vilitate, & lecti duritia. Cap. 12.

NVlla beato viro ſolicitudo vel cura fuit veſtitûs ſui. Indumenta eius erant ſanè vilia, atque indè in Domino gloriabatur, nec erubuit etiam apud magnos viros vili ha-

vili habitu apparêre. Nam breui quodam & abiecto aliquandò ſcapulari, vt vocant, indutus, noluit cucullo ſe tegere apud viros quoſdam primarios. A ſuperfluis omnino abſtinens, hyeme & æſtate ſolam tunicam ſibi ſufficere voluit. Nunquàm neq; domi, neq; foris lecto vſus eſt, ſiue ſanus, ſiue ægrotus eſſet. Humi cubabat, vel in ſcãno, ſtorea aut crate ſtraminea, aut paleis, vel ſacco: atque ita nocte dormiebat veſtitus, vt interdiù ingrediebatur, nisì quòd ſoccos detrahebat pedibus. Semper ad lumbos catenam habebat ferream: quam eo vita functo in eius corpore inuénit F. Rolãdus, ablatamque ſibi retinuit, ſed poſteà dono dedit patri Iordano Magiſtro Ordinis, beati Dominici ſanctiſſimo ſucceſſori. Poſt Completorium, vt vocant, & preces à fratribus communiter Domino oblatas, illos voluit ſe ad dormiendum conferre: ipſe in eccleſia, precaturus clàm, permanſit. Orabat autẽ cum ingenti clamore et gemitu, in cumq; planctum & motum erumpebat, vt in propinquis locis dormientes excitarentur, & plerunquè ad lachrymas permouerentur. Ità orans, vſque ad nocturnas preces pernoctauit, ac nihilo minùs cum fratribus eas preces perſoluens, cantabat alacriter, & alta voce. Solebat etiam per vtranque tranſire chori partem, voce iubilante monẽs & inuitans fratres, vt pſalmodíam altè & diſtinctè depromerent. Poſt abſolutas noctis preces tradens cor ſuum ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, ità in oratione perſtitit, vt nunquàm viſus ſit in lecto dormire. At tamen inuentus eſt nonnunquàm præ laſſitudine ſedens, vel in aſſere aut terra iacens, obdormiuiſſe. Tam autem erat orationi intentus, vt propter tumultum & ſtrepitum qualencunq; nihil ab attentione reuocaretur. Nocte quadam ante aram ad preces proſtratum malus dæmon interturbare volens, grandem lapidem è tecto eccleſiæ deiecit, idque eo impetu, vt tota eccleſia eius caſu circunſonaret. vſque eadeò autem capiti eius propinquus fuit lapis, vt ruens capitium eius contingeret. Sed viro Dei nihil ſe mouẽte, hoſtis terribili voce eiulans, cum multa ignominia abſceſſit. Cernens autem terroribus ſe illum frãgere non poſſe, illudere ei voluit. Oranti enim poſt Completoriũ in ſpecie fratris Deum obſecrantis ante quoddam altare apparuit. Eum fratrem eſſe exiſtimans vir Dei, ſigno quodam iuſſit ire cubitum. Ille caput inclinans, abijt. Poſteà vir ſanctus monuit fratres, nè quis poſt vltimum ſignũ in templo permaneret. At ille fictus & commẽtitius frater, ſemèl atq; iterùm orare ſe ſimulauit. Acceſſit ergò ad eum vir Dei, & ait: quæ eſt iſta inobedientia, quòd iam tertiò id facis, quod ego vetui, nè quiſquam faceret? Tum ille nequiſſimus cachinnum ſuſtollens, Effeci certè, inquit, vt ſilentium frangeres. Cui vir ſanctus: Noli miſer, ait, lætitia efferri, ex re nihil tibi profutura. Ego poſſum ſilentium relaxare & loqui, vbì mihi expedire viſum eſt.

Stratũ eius.

Catena ferrea ad lumbos.

Vigiliæ & preces eius.

Occulto ſanè & iucundo quodam iudicio ſuo nequiſſimi hoſtis inſidias & fraudes electis ſuis Deus facit ad meritum & ſalutem proficere. Vidit nocte quadam beatus Dominicus fratrum illum accuſatorem ceu ferreis manibus tenentem chartam, & ad lumen lampadis eam legentem. Interrogãte autem viro beato, quid legeret, reſpõdit, ſe peccata fratrum eius legere. Magna ergò authoritate præcepit ei vir ſanctus, vt charrulam illic relinqueret. Fecit id ille virtute Chriſti compulſus. Inuenit autẽ quædam in ea S. Dominicus, quæ filios ſuos admonuit vt emendarent. En vt capitur iniquus in inſidijs ſuis, & pij ab anguſtijs extrahuntur.

Dæmon annotat fratrũ peccata.

Quodam tempore B. Dominicus nocte vigilans, & muros Hieruſalem cuſtodiens, vidit eum, qui circumit, tanquàm leo rugiens, quærens quem deuoret, per omnia monaſterij loca peruagantem, dixitq; ad eum: Quid ità hic circumis cruẽta beſtia? Ille reſpondit: Propter lucrum, quod hic facio. Ait ei vir ſanctus: Ecquid lucraris in dormitorio? Reſpondit Dæmon: Somnum neceſſarium eis aufero, quietem interpellando: efficioq; vt cunctabundi ſurgant, pigritia eos retinente: hortorq; vt à diuinis officijs ſe ſubducant. Prętereà verò ſi mihi id permittatur, nocturnas corporis inquinationes & libidinoſos motus in dormientibus excito. Indè vir Dei de templo interrogauit, quid in tam ſancto lucraretur loco. Reſpondit ille, Id ago, vt tardè huc veniant, citò hinc recedant, ſuiq; immemores ſint. De refectorio ſciſcitanti viro B. ait: Ecquis non plùs, quis nõ minùs? De colloquij loco interrogatus, cachinnatus dixit: Hic locus totus eſt meus. Hîc exiſtit riſus, hîc vani referuntur rumores, & verba inania proferuntur. Poſtremò ad locum Capitularem à beato patre ductus, cum horrore quodam refugit: Iſte, inquiens, locus mihi tartarus eſt. Si quid enim alibì lucrifeci, eius hîc facio iacturam. Hîc nanque admonentur fratres, hîc confitentur, hîc accuſantur, hîc verberantur, hîc abſoluuntur. Qua cauſa locum hunc præ cæteris abominor, planeque

Dæmones vbiq; inſidiantur fratribus.

Locũ colloquij monachorum diabolus ſibi vendicat: Capitularẽ verò locum odit & deteſtatur.

detestor. Ità miser ille, cogente illum sancto viro altissimi virtute, malitiæ suæ detexit fraudes, vt videant iusti, & illum irrideant, sibique à laqueis eius caueant, nè irretiti capiantur.

Quàm fuerit B. Dominicus paupertatis & humilitatis amans. Cap. 13.

Studium paupertatis

SVmmus fuit beatus Dominicus paupertatis amator, in cunctis actionibus & moribus suis illam præ se ferens, filios & fratres suos ad eam consectandam accuratè inuitans admonitionibus & exemplis. Huius diuinæ & singularis discipulorum Christi virtutis studio possessiõcs, quas habebat, abiecit, oblatas recipere noluit, statutoque perpetuò seueriter cauit, nè in ipsius Ordine haberentur. In structuris voluit magnos vitari sumptus. In templis quoquè curiositatem fugit, studuit paupertati. In cultu & ornatu vestium Ecclesiasticarum, sanctitatis & paupertatis voluit signa extare potiùs, quàm opes ostentari. Eam ob rem, dum viueret, multùm in id incubuit, nè fratres in altaribus Sericis vterentur vestibus, aut argenteis vel aureis vasis, demptis calicibus: sed sacra indumenta maluit è panno simplici haberi.

Vult suos fratres vilibus indui vestibus. Matth. 13.

Matth. 6.

Iniunxit quoquè fratribus, & ipse quoquè obseruauit, vt vilibus induti vestibus, nunquàm in itinere apud se pecuniam ferrent, sed vbiquè victitarent eleemosynis. Possessionibus suum institutum obscurari omninò noluit, idq; in sua Regula scribi mandauit, Scribit vir prudens, spinas semen in ipsas coniectum suffocare. Itaque nè pungens diuitiarum solicitudo, & anxius rerum labẽtium amor, sanctitatis fructum aut prædicationis semen opprimeret, paupertatem Euangelicam, quæ, reiecta solicitudine, de crastino non cogitat, amplexus est, mandauitque filijs amplectẽdam. Dum enim temporalibus curãdis plùs æquo incumbitur, minor habetur cura spiritalium, & plerunquè prædicandi ministerium omittitur. Longè hoc abfuit à beatissimo patre nostro Dominico, qui nunquàm sibi curæ esse voluit res temporarias: sed propter Christum & Euangelium, omnia detrimentum fecit, & vt stercora reputauit, Christi inopia diues effectus. Gaudebat ille inopia & penuria fratrum haud secùs, atquè lætari solent homines mundani rerum affluentia. Exultabat, quandò nunciabatur eius nonæ defectus, nuditate delectabatur. Indè proculdubiò existebat in animo eius abundans gratia, & charitas non ficta. Plerunquè tunc fratres inopia pressi, cum sancto patre bibebant aquam, modicoque cibo contenti, læti Domino gratias agebant. Animæ enim illorum sicut adipe & pinguedine cælitùs replebantur. Hæc profectò patrum nostrorum vita, perfectio Euangelica fuit: nos autem vita viuimus tantùm, & non erit tale nomen nostrum. Beatissimus Pater Dominicus non semèl ostiatim petiuit eleemosynam, nec recusabat vir humilis porrectum sibi pro Christi nomine panem instàr mendici accipere. Impellebat verò eum ad hoc non cupiditas aut egestas, sed humilitas & charitas. Quandoquè sic mendicanti quidam integrum panem dedit, quem ille, flexis genibus, cum multa deuotione & humilitate, ceu munus à Deo oblatum, recepit.

2. Cor. 8.

Ostiatim petit eleemosynas S. Dominicus.

LIBER QVARTVS.

De primo Conuentu generali, Bononiæ habito. Cap. 1.

Bononiæ primũ generale Capitulum celebratur.

ANno Dominicæ incarnationis 1220. à confirmatione instituti Dominicani quarto, seruus Christi Dominicus pro eiusdem instituti siue ordinis conseruatione decreuit, vt Capitula generalia (sicenim Conuentus patrum celebres vocant) haberentur. Acceperat enim à Sede Apostolica plenam potestatem de toto Ordine disponendi, constituendi, & corrigendi. Mandauit ergò ipse primus ordinis generalis Magister, inclytus pater Dominicus per literas, vt Lutetia quatuor fratres mitterentur Bononiam ob celebrandum Capitulum generale. Missus est ergò venerabilis frater Iordanus Teuto cum alijs tribus. Eo tẽpore Iordanus necdùm tres menses fecerat in illo instituto: sed erat gratia plenus, & ad omne opus bonum paratus & idoneus. In hoc Capitulo siue Conuẽtu, cui beatus Dominicus præsedit, consilio sancti spiritûs & illustrium virorum, quos acciuerat, huius Ordinis vel instituti locata sunt fundamenta. Ibi paupertas Euangelica primarius lapis fuit.

fuit. Abiecerunt enim statuto perpetuo possessiones & reditus temporarios, etiam illis renunciãtes, quæ apud Tolosam habuerant, paupertatem Christi Aegyptiorum diuitijs præferentes. Dixitque ad fratres beatus Dominicus: Ego dignus sum, cui hæc defunctio abrogetur. Inutilis enim sum & remissus: & qui omnes sanctitate anteibat, multùm se in omnibus coram illis abiecit. Sed cùm cessionem eius fratres nõ sustinerent, ex eorum consensu constituit, vt deinceps crearentur diffinitores, qui haberent potestatem de ipso & toto Capitulo statuendi & ordinandi, durante eiusmodi Conuentu seu Capitulo, salua posteà manente Magistro generali ipsius reuerẽtia. Ità tum ob extirpandos vitiorum frutices & virtutes plantandas, sancitum est ab illis egregijs patribus, vt quotannis generale Capitulum celebretur. Cùm is autem Conuentus solutus esset, siue peractum Capitulum: F. Iordanus percepta beati Dominici benedictione, ei valedicens, redijt Parisios: vbi Euangelium secundùm Lucam tanta dexteritate & gratia fratribus prælegit, vt eius doctrina multùm proficerent in scientia & notitia veritatis, & pietatis affectu. Erat enim conuersatio eius sancta, & vita perfecta: vndè fiebat, vt doctrina & grata & fructuosa esset.

Sancitur, vt singulis annis debeat celebrari Capitulũ, &c.

De obseruantia religionis, & fratrum benigna reprehensione, Cap. 2.

HActenùs beatus pater Dominicus authoritate sedis Apostolicæ Ordinem suum multo studio gubernârat: at illustres patres, qui ad Conuentũ generalẽ Bononiam acciti fuerant, eum vnanimiter sibi & toti instituto præsse voluẽrũt. Creatus igitur ab eis magister & rector, erat inter eos tanquam vnus ex illis, nisi quòd rigore virę primus, abstinentia, vigilijs, castigationibus corporis sui prę cęteris, sanctitate summ9, humilitate altissimus fuit. Diù noctuq; intererat diuinis officijs, mensa fratrum prę omnibus parcè vtebatur. Religiosæ institutionis cultor erat, custosq; præcipuus, omniq; studio id agebat, vt syncerè & integrè obseruaretur. Quòd si nonnunquàm, vt se habet humana infirmitas, aliquid neglectum esset vel omissum, non sinebat inultum abire: sed eam tamen fratribus corrigendis adhibebat rigoris moderationem, adeoq; sese erga illos & seuerè blãdum, & blandè seuerũ exhibebat, vt & meritas à reis pœnas sumeret, & illos tamen minimè perturbaret. Si vidisset fratrem aliquo delicto præoccupari, tanquàm non videns dissimulabat: oblata verò temporis opportunitate, cum multa mansuetudine dicebat illi: Frater, non rectè egisti, rem illicitam perpetrando: sed da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum. Porrò quemadmodùm se patrẽ exhibebat verbera correctionis inferendo: ità sanè & matrẽ in spiritu lenitatis se declarare nouerat, vbera consolationis admouendo: eratq; consolatio eius suauis & efficax, ità vt quisquis ad eum veniret animo afflicto, non sine recreatione abiret. Seipsum & animas fratrum suorũ solicitè custodiebat, diligenter curans, vt honestè & religiosè in omnibus sese gererent. Et quia scriptũ, Amictus corporis, & risus dentiũ, & ingressus hominis enunciant de illo: si quem vidisset fratrẽ, cuius habitus nec ad formam religionis, nec ad paupertatis normam esset accommodatus, non tulit, donèc esset fraterille emendatus. Quotidiè ferè, nisi multùm fuisset impeditus, ad fratres concionẽ habuit vel collationem. Loquebatur autem cum tãta animi deuotione & lachrymarum copia, vt fratres quoquè compuncti corde, in lachrymas erumperent. Atque hic sanè parem non habuit, qui sermone suo perindè fratres ad lachrymas & compũctionis gratiã emolliret. Si vidisset fratres aliqua oblata occasione mœstos & afflictos, totis visceribus condolebat eis, & orationum suarum præsidijs eos tuebatur. Multos sanè pro suorũ consolatione à morte ad vitã reuocauit, & à varijs liberauit morbis. Frater quidam Bononię infirmis custodiendis deputatus, reliquias carnium nõ rarò absque superioris bona venia comedebat. Fecit hoc idem ad vesperã diei cuiusdã, & arreptus à dæmone, horrendos edidit clamores. Fratribus accurrentibus non defuit pius pater, dolensq; obsessi vicem, obiurgauit nequam spiritum, quòd corp9 fratris sui inuasisset. Dixit autem satan: Ingressus sum in eum, quòd ita commeruisset, vescens carnibus ægrotorum contra tua decreta. Respondit B. vir: Ego verò absoluo eum authoritate Dei à peccato, quod fecit: tibiq; præcipio in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt exeas ab eo, nec porrò molestus ei sis. His dictis, euestigiò frater curatus est.

Eccl. 19.

Eius quotidianæ ad fratres exhortationes mirè efficaces.

Profligat dæmonem.

De sanctitate eius, cùm esset in itinere constitutus. Cap. 3.

QUacunque occasione eundum esset viro sanctissimo, tum per se, tum per socios fratres proponebat verbum Dei, & aut disputãs, aut conferens, siue docens, vel orans, à diuinis eloquijs, pferendis non cessabat. Quandò autem loquendum vel orandũ, vel

Animi tranquillitas.

alijs vacandum erat, dicebat ſocijs : Præcedite me : interìm cogitemus de Saluatore noſtro. Tum verò audiebant eum ingemiſcentẽ ad Dominum, medullituſq; ſuſpirantem. Nunquàm viſus eſt iratus, aut commotus vel turbatus labore itineris, aut quacunq; occaſione : ſed ſemper in rebus aduerſis & duris patiens erat, & nudis pedibus iter agebat. Si per pagos aut vrbes eundum eſſet, induebat calceos: indè egreſſus, exuebat. Calceos ferebat in humeris, cucullumq; & alias veſtes, nec volebat in hiſce rendis alium ſibi vicarium ſubſtituere. Si ad lapidem aut res alias pedem offenderet, nihil motus, dicebat: Hæc eſt pœnitentia, ſicq; alacri vultu ire pergebat. Ità nudis pedibus Roma proficiſcens, vbì venit ad locum quendam acutis lapidibus aſperum & ſcrupuloſum, dixit ſocio: En ego miſer quandoquè coactus ſum hìc calceos induere. Illo cauſam inquirente, beatus vir reſpõdit: Multa pluuia tum extiterat, vndè riui & flumina magna acceperant incrementa. His dictis, iam lætabatur itineris incommoditate, laudanſq; & benedicens Deũ, alta voce cantabat hymnos, Aue maris ſtella, & Veni creator ſpiritus. Cumq; veniſſet ad inundantes aquas, Crucis ſignum contrail las edidit, aitq; ſocio multùm formidanti, vt tranſiret. Ille de obedientia patrisbe nè ſperans, itemq; de ſigno Crucis ab illo expreſſo, cum co per pericula tumeſcentis aquæ ſecurè & feliciter penetrauit. Quandò cum ſocijs erat in itinere vir Dei, & ad hoſpitium diuertere oportebat, non pro ſuo, ſed illorum arbitratu hoſpitium inquirere conſueuit. Per vrbes & pagos ambulans, vix vnquàm à terra oculos attollebat. Initi. nere conſtitutus, ſi poſſet haberi copia templi, quotidiè ferè ſacrificium offerebat. Inter ſacrificandum autem multæ ab oculis manabant lachrymæ. Veniẽs ad hoſpitium, ſi eſſet illic eccleſia, ſemper eò ſe oratum conferebat. Quandò extra monaſteriũ erat, audito primo ſigno nocturnarum precum, ſurgebat, & fratres excitans, cum multa deuotione totum diuinum officium abſoluebat horis & temporibus ſuis, tũ nocturnis, tum diurnis, nihil penitùs omittens. Perſoluto Completorio, etiã in itinere poſitus cum ſocijs, ſilentium non minùs ſeruabat, quàm ſi eſſet in monaſterio. Manè proficiſcens, & ipſe intrà ſilentium ſe tenebat, & fratres idem facere volebat, vſq; ad horã tertiam. In paleis dormiebat veſtitus & calceatus, perindè vt incedebat, nisì fortè ſocos detraheret. Iter faciens, nihil de continuo ieiunio remittebat à ferijs exaltatæ S. Crucis vſque ad Paſcha. Aeſtate quoquè omnia ab Eccleſia indicta ieiunia ſeruauit, ſemperque ſextis ferijs ieiunare voluit. Quicquid eſſet appoſitum, patienter edebat, nisì quòd carnes noluit edere, nec cibos vllos carnibus admixtos vel ſanguini, vbi id ſcire potuit. Si parùm & tenuiter eſſet appoſitum, gratulabatur in Domino.

Nudis pedibus agit iter

Cum ſocio Crucis expreſſo ſigno aquas penetrat.

Horas ſuas Canonicas debitis ſemper temporibus ſoluit.

Abſtinet ſemper à carnibus.

Ad fratrum monaſteria veniens, illis accitis concionabatur, proponens verbũ Dei cum multa conſolatione. Si illic mora eſſet facienda, in cibo & menſa fratribus ſecõformabat, ſeruabatq; Canonem monaſticũ integrè & pfectiſſimè, idem à fratribus vt fieret, accuratè inſiſtens. Erat vir ſapiens, prudens, ſobrius, iuſtus, patiens, valdè miſericors, comis inprimìs & affabilis. Aliquãdo Romam proficiſcens, in itinere in graue incidit morbum, nec tamen ea cauſa voluit ieiunium ſoluere, aut carnes edere, aut ferculum lautiùs admittere, præterquàm ex pomis aut rapis confectũ, quo interdum eſt vſus, omnia Canonis monaſtici ieiunia haud ſecùs afflicta, quàm integra valeudi nc obſeruans. Idem fecit Viterbij & Mediolani morbo vexatus. Remittente ſe morbi dolore, cum fratribus de Deo miſcebat colloquia, aut legebat ex libro, aut ipſe ſibi legi curabat, laudabatq; Dominum. Aegrotans lætabatur : quemadmodum ſemper gaudere potiùs ſolebat in aduerſis, quàm ſecundis & iucundis rebus.

Nec ægrotus vult ſoluere ieiunium.

De beati viri feruentibus concionibus. Cap. 4.

2. Tim. 2. MAgna in id cura incubuit primus hic prædicatorũ dux & parens, vt ſeipſum exhiberet operarium inconfuſibilem, rectè tractãtem verbum veritatis : ne quod lingua extrinſecùs ſonaret, vita repræhenſioni obnoxia deturparet. Curauit igitur priùs opere exercere, quod poſteà alios docturus eſſet. Conciones crebrò habuit, non tacebat veritatem, & ſalutare Dei, vt poſſet cum Propheta dicere : Iuſtitiam tuam nõ Pſalm. 39. abſcondi in corde meo. Sermo ei⁹ erat ignitus valdè, & qui auditores mirè pmoueret. Sub concionibus multæ ex eius oculis diſtillabant lachrymæ, ità, vt complures corde compũcti flerent. Concionabatur generatìm ad omnes, ad populum, ad ſtudioſos, ad ſapientes & inſipientes. Omnibus ſe debitorem exiſtimans, non abſcondebat à concilio multo veritatem & miſericordiam Dei. Monaſteria ſua inuiſens, ad fratres ſermones habuit: hortabatur eos, vt ſummoperè curarent ſalutem animarum, & ad prædicandum alijs promptos paratoſq; ſe exhiberent. Atque vt in eo diuino miniſterio liberiùs & expeditiùs verſari poſſent, noluit vt apti & idonei ad conciones faciendas, ad eaſque deputati, rerum temporalium cura ad alia diſtraherentur. Et initiò quidẽ decreuerat vir S. vt laici illiterati fratres tẽporalia adminiſtrarent : cæteri fratres orationi, meditationi, prædicationi vacarent. Sed ad eiuſmodi adminiſtrationem nõ aſſenſère illi prudentiores aliquot fratres, veriti nè quas ea pareret abſurditates.

Et quia ſinè ſanctarum notitia ſcripturarum perfectus prædicator nemo eſſe poteſt, hortabatur fratres fideliter vir ſanctus, vt ſemper in noui & veteris Teſtamenti lectione eſſent: atque ipſe quoquè Euangelium ſecundùm Matthæum & Pauli Epiſtolas apud ſe ferens, multùm in eis lectitabat, vt propemodùm memoria retineret. Euangelicam enim & Apoſtolicam doctrinam & vitam amans & amplectens, philoſophica figmenta non magnipendebat. Ad recipiendas peccatorum confeſſiones paratus & benignus fuit, ad conſolandos afflictos omnes humanus & candidus. Optimè nouerat mederi tentatis & perturbatis omnibus, maximè fratribus ſuis, miſericordiæ viſceribus affluens, efficacibuſq; & gratis verbis ſemper abundans.

Hortatur fratres ad legenda ſcripta diuina.

Sacerdos quidam videns B. Dominicum & fratres eius in conciones feruenter incumbere, nulla terrenorum premi aut angi cura, cæteris poſthabitis, non nisì ſtudijs ſpiritalibus operam dare, eorum vitam pia quadam æmulatione appetijt, beatum ſe fore exiſtimans, ſi aliquandò poſſet ad eorum imitationem ſe cõponere. Planè igitur apud ſe ſtatuit, ſpretis omnibus, ad illos ſe adiungere, modò noui Teſtamẽti codicem haberet, quem ad concionandum neceſſarium putabat. Hęc illo cogitante, eccè iuuenis quidam adeſt, ſub veſte habens codicem venalẽ. Interrogatus à preſbytero, cuiuſmodi ſit liber, indicat eſſe nouum teſtamentũ. Lætatur preſbyter, eumq; mox ſibi cõparat. Sed accepto libro, ſtatìm adfuit tentatio: hæſitare cœpit, num id propoſitum ſuum eſſet gratum Deo. Varijs iterìm cogitationibus exagitato viſum eſt, ex illo codice diuinum petere oraculum: fuſisq; Domino precibus, & forinſecùs ad librum expreſſo Crucis ſigno, & Dei nomine inuocato, codicem aperit, oculos ad locum primò ſe ipſi offerentem conijcit, occurrit ille in actibus Apoſtolicis, vbì B. Petro de Cornelij legatis dicitur: Surge, deſcende, & vade cum eis, nihil dubitans: quia ego miſi illos. Moxi. gitur tanquã diuino cõfirmatus oraculo, mundo nuncium remittẽs, illos ſecutus eſt.

Quidam ſacerdos ſanctorum patrum cõuerſatione ædificatus, adiſcit ſe illis.

Actor. 10. 1

De beati Dominici zelo erga animas lucrandas, & de fratrum ablegatione. Cap. 5.

NOn ignorabat ſanctus pater noſter, piiſſimum Deum humanas animas æterno amore proſequi. Itaque totus in eo erat, vt animas omnes illi adiungeret. Inerat ei mira quædam & penè incredibilis ſalutis omnium æmulatio, zeloq; feruentiſſimo nitebatur molas iniqui dæmonis conterere, & de illius dentibus eruere prædam. Nec modò Chriſtianorum, ſed etiam gentilium apperebat ſalutem, quos etiam p ſeipſum adire conſtituerat, vt eis verbum fidei prædicaret. Tãtus certè ille animarum zelator fuit, vt vix ea in re parẽ habere videretur. Nam cùm etiam adhuc iuuenis eſſet ætate, ea charitate plenus fuit, qua maiorem nemo habet. Quædam enim mulier in patria adhuc manenti conqueſta fuit, fratrem ſuum à Saracenis teneri captiuum. Ille mox vendendum ſe obtulit pro captiui redemptione: vt, ſicut Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit, ille pro fratre animam ſuam offerret. Cupiens etiã peregrè proficiſci, & pro ſalute proximorum exul degere, fratribus ſuum expoſuit deſiderium, ad exteras nationes abeundi, ità dicens eis: Cùm noſtrum conſtituerimus inſtitutum ſiue Ordinẽ, ad gentiles migrabimus, vt eos pdicando adducamus ad Dominũ Ieſum Chriſtũ.

Eſt ſalutis animarum ſitientiſſimus Dominicus.

1. Iohan. 3.

Interìm exemplo Chriſti & Apoſtolorum eius, filios, quos dederat ei Deus, miſit in diuerſas regiones prędicare pœnitentiam in remiſſionẽ peccatorũ. Inſtruxit verò illos, vt ſpem ſuã in Domino reponerent, contenti piorũ hominũ eleemoſynis. Egreſſi itaq; fratres, multam experti ſunt penuriam, vias difficiles ambulantes. Cõtigit, duos exillis iter agentes, cùm iam hora nona abiiſſet, inter ſe conferre, vbinàm neceſſariũ poſſent adipiſci alimentum. Ieiuni enim erant, & labore defeſſi: regioque illa inops & ignota eis erat. Derepentè autem ità ſolicitis adſtitit vir quidam magnus in habitu peregrino, aitq; ad illos: Quid inter vos agitatis homines modicæ fidei? Primùm quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & omnia adijcientur vobis. Potuiſtis credere Deo, vt eius cauſa omnia relinqueretis: & nunc metuitis nè vos fame confici patiatur? Qui

Matth. 6.

Psalm. 146. Duo Dominicani sine pera & pecunia peregrinantes, prouidētia Diuina pascuntur.

dat iumentis escas ipsorum, non sinet inedia perire filios suos. Et hoc vobis erit signū: Transibitis hunc agrum, & in proxima valle pagum non magnum reperietis: in cuius ecclesiam vbi ingressi eritis, sacerdos vos inuitabit. Sed quidam superueniēs miles, vi ab illo tollet vos. Illis autem ità piè concertantibus, patronus ecclesiæ & vos, & sacerdotem, & militem lauto conuiuio excipiet. His dictis disparuit: fratribus autē omnia ità vt dixerat, euenerunt. Reuersi indè Parisios, fratribus qui tum pauci & pauperimi illic erant, rem gestam indicārunt. bonus paterfamilias Dominus Iesus propheticum B. Dominici sermonē complēs, hodieq; seruis suis largiter eleemosynas subministrat.

Magna S. Dominici fiducia. 1. Cor. 1.

Paucos quidem à principio B. Dominicus fratres habuit, & nihilo minùs ablegauit eos, vt vbiq; concionarentur. Misit verò eos cū multa fiducia, nihil hæsitans, tametsi erant in ijs simplices quidam & parùm literati. Nouerat placuisse Deo, per stultitiam prędicationis saluos facere credentes. Illis autem propter rei nouitatē & imperitiam sese excusantibus, ità dicebat: Ite, & fructū facite: ad hoc enim vocati estis: hortamini eos, vt agant pœnitentiam, propter ea, quæ & vos aliquādò, cū adhuc mūdi amor vos teneret, perpetrāstis. Qui enim conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ, liberabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum suorum. addebatq; vir S. Confidite in Domino, & nihil vobis decrit. Dicebat id secur⁹ de protectione Dei cęli, cui eos precibus commēdabat. Ibant igitur illi, & spiritu humilitatis, zeloq; Dei ducti non mediocrem adferebant fructum. Turbabantur omnes iniqui, quia virtus diuina multiplicabat eos. Sed quos B. Dominicus periculis obijciebat, dum sic eos mitteret, eos precum suarum clypeo protegebat.

Iacob. 5.

Fratres eius fructum faciunt.

Venerunt ex illis fratribus duo in quandam Germaniæ Abbatiam Ordinis Cisterciensis, cui religiosus præerat Abbas, Eberhardus nomine. Ei Dominus dormientiap. paruit, dicens: Cràs mittam ad te equos meos: tu illorum pedes ferro munies. Euigilās vir sanctus, commodam somni interpretationem adferre non potuit. Altera die ve. nerunt duo illi fratres ad monasterium, (erat aūt in dicœcesi Constantiensi, & * Salem dicebatur.) Alter horum fratrum fuit vir illustris F. Iohannes Germanus, postèa in Hungaria Bornēsis Episcopus, quartus in Magisterio Ordinis B. Dominici successor.

F. Iohannes Episcopus Bornensis, quartus S. Dominici successor in magisterio.

Cùm autem ijs in locis etiamnùm incogniti essent Dominicani, Abbas Eberhardus rogauit ex ijs, cur codices, virgam & habitum varium circunferrent. Respondit ciac. curatè vir prudens & doctus F. Iohannes: Prædicatores, inquit, sumus: & decet nos li.

Cant. 3.

bro scientiæ esse instructos. Et quia Virgo mater virga est aromatica, & Crux Christi directionis virga est, ijs nos nitimur: & tanquàm quibusdam scipionibus sustētamur.

Psalm. 44.

Zach. 6.

Porrò iuxta Prophetiam Zachariæ, quadriga vltima, è medio duorū montium æreorum egressa, equos habens fortes & varios, quadripartitam significat sancti Euangelij prædicationem: quæ è duobus confecta Testamentis, per viros varijs ornatos scientijs, virtutibus & miraculis, itemq; fortes aduersùm dæmonum, mundi & carnis infestationes, paratos quoquè ad discurrendum prædicando per omnes terras, hoc extremo mundi tempore in totum infertur orbem terrarum. Angelus enim magni consilij misit illos. His auditis, Abbas ad eorū pedes prócidit, eisq; pia oscula affigens, Vos, inquit, reuerà estis equi illi, quos Dominus ad me misit. Statimq; lotis eorum pedib, nouos calceos & vestes iussit illis proferri. Sunt autem eius monasterij fratres vsq; in præsens Prædicatorio ordini addicti.

Dominicani cur equi dicantur.

De efficacia precum S. Dominici. Cap. 6.

Decanus quidam Galliæ, Romam iter habens, B. Dominicum Mutinæ concionātem vidit. A concione eū adit, de salute animæ suę cum illo cōfert, interq; alia dolenter commemorat ceu quoddam ineuitabile naufragium, quòd non possit carnis libidinem frenare: quæ res cogat eum ceu desperatum, ab alijs bonis operibus abstinere. Misertus eius vir Dei, fide qua plenus erat, eum confirmat, dicens: Abi, deinceps agē viriliter, nihil de Dei immensa misericordia desperans. Ego tibi carnis continentiam impetrabo. Dixit ille, & ità factum est. Qui enim anteà immūdus & lubricus fuerat, castus & pudicus effectus est. En quantùm potest deprecatio iusti.

Decano lubrico impetrat continentiam.

Eo tempore, quo B. Dominicus Bononiæ morabatur, erat ibi Magister Conradus Teuto, quem suæ sodalitati adiungi summoperè optabant fratres. Intereà venerabilis quidam Cistertiēsis instituti Prior illàc proficiscens, p̄ singulari amicitia, quam cum beato viro Romæ contraxerat, eum Bononiæ inuisit: cumq; pridiè Assumptionis beatissimæ Mariæ de cælestibus dulcia inter se colloquia haberent, fiducia familiaritatis ait

ait B. Dominicus ad amicum Priorem: Confiteor hoc tibi, Prior, me nunquàm quicquam in hac vita postulauisse à Domino, quod non pro voto impetrārim. Nec tamen id vllus vnquàm ex me resciuit, & tu quoquè illud tacitum habebis, quoad superstes ero. Ille admirans tam raram in sancto viro gratiam, simul etiam non immemor, quā ardenter cuperent fratres Prædicatores in suum contubernium perduci magistrum Conradum, ait ad eum: Roga ergò Deum, pater, vt tibi largiatur magistrum Conradum, quem intantùm expetunt fratres habere socium. Respōdit illi vir beatus: Rem, frater, difficilem petis: at tamen si velim hac nocte Dominum deprecari, de solita eius benignitate nihil ambigo, quin sit nostras admissurus preces. Absolutis Completorij precibus, vir Dei præsente Priore illo & vidente, in oratione more suo mansit in ecclesia pernigil. Illucescente die, fratribus Primæ preces persoluentibus, & Cantore hymnum, Iam lucis orto sidere, inchoante, ecce nouum, reuerà sidus futurum magister Conradus ad pedes B. Dominici aduoluitur, admitti se in fratrem instanter & humiliter orat & impetrat. Is F. Conradus vita religiosus, in prælectionibus dexter & gratiosus, & obitum suum, & locum, in quo esset decessurus, prædixit. Iamque morte aduentāte, Parthenopoli siue Magdeburgi degens, Priore & fratribus præsentib⁹, suauiter cecinit, Cantate Domino canticum nouum, alleluia. Et cùm aliud non proferret, fratres dicebant septem Psalmos. Tum ille apertis oculis circunspiciēs omnes, dixit: Dominus vobiscùm. Illis respondentibus, Et cum spiritu tuo, subiunxit: Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Fratres responderunt, Amen, & cœperūt legere Psalmos quindecim graduum. Vbì ventum est ad ea verba Psalmi cētesimi tricesimi primi, Hæc requies mea in seculum seculi: sublato brachio, & in cælum intento digito, oreiucundo & luculenta facie spiritum reddidit. Tum verò omnes pro reuerentia Saluatoris prostrati sunt, & quidam ex eis tantam sensēre dulcedinem, quantam nec credere, nec exprimere potuerunt. Illi etiam qui defuncti corpus induerunt, miram odoris fragrantiam percepēre, quæ etiam in illorum manibus diù inhæsit. Verè beatas & efficaces patris nostri preces, quæ talem gratiæ filium, & gloriæ cohæredem impetrare meruerunt.

Nihil vnquā petijt à Deo, quod non obtinuerit.

Mira efficacia precum sancti viri.

F. Conradi felicissimus obitus.

Recepit autem B. Dominicus Bononiæ in suum institutum etiam Thomam Apulum, quem propter simplicitatem & innocentiam vsquaquò charum habuit, vt eius specialis filius diceretur. Hunc seculares socij eius per insidias è monasterio extractū, detracto religionis habitu, mundanis vestibus induerunt. Sed fratribus ad B. Dominicum concurrentibus, & dicentibus filium eius ad seculum pertrahi violenter: ille mox ad ecclesiam properat, postulaturus opem à Deo. Et eccè simulatquè lupi illi rapaces fratri interulā vi induerunt, ille exclamauit: Ah totus exuror: nec potuit quiete fruì, donèc redditis illi sanctæ religionis indumentis, ad cœnobium reduceretur. Is posteà diù superuixit, & multum vtilis atque gratiosus fuit.

Precibus S. Dominicus eripit fratrē è manibus vi eū è cœnobio extrahentium.

Iurisperitum quendam Bononiensem amici eius per vim è monasterio extrahere volebant. Fratres metu affecti, cogitabant nobiles quosdam, ipsorum patronos, in suā defensionem accire: sed B. Dominicus ait ad eos: Nō opùs est brachio seculari vel humano præsidio. Video enim Angelos ampliùs ducentos circa ecclesiā, quos Dominus fratribus custodiendis deputauit. Ità illi hostes, cælesti terrore perculsi, recessērunt.

Item aliud

De altero generali Conuentu vel Capitulo Bononiæ habito, & de morte F. Eberhardi. Cap. 7.

ANNO post natum Saluatorem 1221. duo fratres ibant Bononiam ad Conuentū, quem generale Capitulum vocant. Illis verò iunxit se quidam ad iter accinctus, cursoris speciem præ se ferens, dixitque ad eos: Quo vos iter intenditis? Illis Bononiam dicentibus, vt interessent generali Capitulo, ait: Ecquid ibi tractabitur? Respondērunt fratres: Constituetur illic, vt fratres euntes in mundum vniuersum, prædicent Euangelium omni creaturæ, & annuncient regnum Dei. Tum ille: Mittentúrne, inquit, nonnulli in Pannoniam? Fratres dixerunt: Volente Domino, multi mittentur. Tum commentitius ille cursor in aëra exiliens, terribili voce clamauit: Institutū vestrum, nostra ignominia est. & repentè ab eorū oculis subtractus est instàr fumi. Fratres aūt illi postquàm Bononiam venēre, narrauerunt omnia patri Dominico, & alijs illic in nomine Domini congregatis. Eodem tempore magister Paulus Hungarus, Iuris Canonici publicus professor, ad Prædicatorum sodalitatem se contulit. Peracto autem hoc secundo Conuentu generali missi sunt fratres, qui pro monasterio suscipe rent,

Vide vt dæmones oderint monachos.

Mittuntur fratres in

Angliam & Hungariã. rent,in Angliam,quibus præfectus eſt F.Giſilbertus.Miſit etiam B.Dominicus Paulũ, quem diximus,in Pannoniam ſecundam,quam Hungariam vocant,cum ſocijs,è quibus vnus fuit frater Sadoch,vir magnæ perfectionis.In hoc ipſo Conuentu vel Capitulo generali, venerabili viro Iordano abſenti demandatum fuit miniſteriũ Priorãtûs Prouinciæ Galliæ Ciſalpinæ.Per id tempus S.Dominici inſtitutum Pariſijs com-

Eberhardus Archidiaconus recuſãs Epiſcopatũ fit Dominicanus. plexus eſt dominus Eberhardus Archidiaconus Lingonenſis,vir multa virtute,opere ſtenuus,conſilio circunſpectus,authoritate magnus. Quanto is celebrius nomen & exiſtimationem obtinuerat,tanto plures ſanctę paupertatis conſectandæ exemplo ad meliora prouocauit.Amabat impensè F.Iordanum,& cum eo profectus fuit in Galliam Ciſalpinam,deſiderio videndi B.Dominicum.Porrò per omnes Galliæ & Burgundiæ partes, per quas iter habebant, & in quibus erat notiſſimus F. Eberhardus, Chriſtum egenum & pauperem in corpore ſuo circunferebat. Tandèm in morbum

Fœliciter obit. incidens Loſannæ,cuius ciuitatis recuſauerat Epiſcopatum,vitam hãc ærumnis plenam,celeriter quidẽ,ſed omninò feliciſſimè finiuit.Paulò verò ante ſuum deceſſum, cùm iam certam de eo medici tuliſſent ſententiam,idq; ipſum celarent, dixit ad Prouincialem:Si medicorum iudicio moriturus ſum,cur id mihi ſubticetur? Nõ audiãt

2.Cor.5. ſibi mortem impendére ij, quibus eſt mortis acerbum nomen. Ego verò morte non terreor:nihilq; timendũ ei,ſi terreſtris hæc domûs miſeræ carnis diſſoluatur,qui domum non manufactam,æternam in cęlis,felici commutatione expectat.Ità ergò migrauit à vita,corpuſculum illic terræ commendans,ſpiritum creatori. De eo ſic ſcribit magiſter Iordanus:Felicis defunctionis eius hoc mihi laudabile indicium fuit, q in exitu ſpiritûs eius,cùm me crederem ad dolorẽ cordis & turbationem ſpiritûs concitandum,quadam econtrà deuotione atq; iucunda ſum hilaritate perfuſus,vt minimè flendum eum,qui migrâſſet ad cælum,teſtimonio conſcientiæ commonerer.Defuncto autem apud Loſannam F.Eberhardo, F.Iordanus ad Inſubres peruẽnit,demãdatum ipſi per illam prouinciam miniſterium executurus.

De forma & habitudine corporis B. Dominici. Cap. 8.

INtereà B.Dominicus in fratrum monaſterio Bononiæ degebat,propediẽm de hoc ſeculo migraturus.In eius ſanè vtroq; homine,id eſt,corpore & animo, tantus in-

Elegantia corporis S. Dominici. erat decor & puritas,vt omnium in ſe & adſpectum & affectum prouocaret. Erat ſtatura mediocri,corpore gracili,pulchra facie & ſubrubicunda : barbæ & capillorum ſubrufus aliquantùm erat color. A fronte eius & ſupercilijs quidam lucis radij micantes vibrabantur, cunctos ad eius amorem & venerationem permouentes. Vultus erat ſemper hilari & iucundo,nisì ad commiſerationem proximi afflictio eum inflexiſſet.Manus habebat longas & elegantes,vocem egregiam,ſuauem,canoram,& tubæ inſtàr. Caluus non fuit,ſed coronam raſam prorsùs integram habebat,paucis capillis reſperſam. Ità corporis huius membra finxerat Omnipotens conditor, vt eſſent donorum eius receptacula, & organa ſpiritûs eius.Fuit reuerà corpuſculum beati viri templũ ſpiritûs ſancti,quod nunquàm fœdauit mortiferi peccati labes vlla,nec

Nunq̃ admiſit peccatũ mortiferũ. inquinauit inſanæ libidinis turpitudo.

Verè beata corporis huius membra,in quibus tanta fuit cordis & carnis, in Deum viuum exultantis, conſonantia. Ad omnem enim ſanctitatis perfectionem contendenti, magnus aderat carnis cum ſpiritu conſenſus. Agebatur enim ſpiritu Dei, & carni liberrimè imperabat. In perpetrandis miraculis, in gratia ſanitatum & morbis curandis,quibus donis Chriſtus illuſtres & glorioſos reddit ſanctos ſuos, nulli ſecundus inuenitur.

Porrò,quod eſt miraculis excellentius,tanta morum pollebat honeſtate,tanto diuini feruoris impetu ferebatur,vt eum vas honoris & gratiæ, vas omni ornatum lapide precioſo,meritò prædicemus. Inerat ei animi mira quædam & conſtans æquabilitas,nisì eã erga aliquem afflictum miſericordia & condolentia nonnihil interpel-

Prou.15. laret.Et quia cor gaudens exhilarat faciem,tranquillam eius interioris hominis conſtitutionem externa vultûs iucunditas & ſerenitas perſpicuè indicabat. Si quid ſecundùm Deum ad rectę rationis præſcriptum facere conſtituiſſet,id tanta animi conſtantia proſequebatur,vt ne ſermonem quidem vllum,ſemèl ab ore matura deliberatione prolatum,irritum fieri pateretur.Etsì autem,vt diximus, ex bono conſcientiæ teſtimonio,multa ſemper eius vultum perfunderet hilaritas,at tamen illa vultûs eius lux

Eius dictorum factorumq; conſtantia.

Iob.29.

lux non cadebat in terram.Iucundus enim erat ſecundùm faciem ſanctorum,qua iucunditate fiebat, vt facilè omnium, qui eum adſpicerent, ſibi conciliaret amorem. Vbicunquè verſaretur,ſiue in itinere cum ſocijs,ſiue in domo cum hoſpite & eius familia,vel apud magnates, principes & prælatos,ſemper ſermonibus vtebatur ad pietatem facientibus & aliorum ædificationem: aderatque ei in promptu copia ſacrorum exemplorum, quibus ad Chriſti amorem & mundi contemptum,auditores inuitarentur. Vbiquè virum Euangelicum dictis & factis ſe declarabat, omnes largo charitatis ſinu excipiens:& cùm omnes diligeret, ipſe quoquè ab omnibus diligebatur. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus,admodùm peculiare ei erat. Af-

Rom.12. fluens multa pietate,totum ſe in proximorum dilectionem & erga afflictos commiſerationem effundebat.Et cùm piè erga omnia afficeretur, tamen propter hominum

Cruciatur hominum peccatis. peccata & flagitia,miſerandum in modum præ animi dolore tabeſcebat. Itaque vrbi vel pago propinquans,hominum miſerias commemorans,totus in lachrymas ſoluebatur.Erat & aliud in beato viro, quod cum cunctis faceret amabilem,quòd ſimplici animo ingrediens,nullum vnquàm vel verbo,vel opere ſimulationis aut fictionis deſe veſtigium reliquit.

Quàm perfectus in actione & contemplatione fuerit B. Dominicus. Cap. 9.

IN corpore degens vir ſanctiſſimus,& inter peccatores verſans, cum Deo & Angelis animo degebat : Deiq; præcepta ſeruans,& conſilia conſectans, totiſque viribus

Conuerſatio eius in cælis. illi ſeruiens, mirificè lucebat in huius mundi horrida caligine, & innoxiam vitam, ſanctiſſimæque conuerſationis exempla in ſeipſo exprimens,dies impertiebatur pro-

Pſalm.41. ximis, noctibus vacabat Deo. In die enim mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.Interdiù conciones habebat ad Clerum & populum,nec reuertebatur verbum eius vacuum, ſed multos ab iniquitate auertit. Mirabantur eius doctrinam permulti. Quidam è Clero eum optimè concionantem audiens, & deſcripturis luculenter & efficaciter diſſerentem, quæſiuit ex eo,quorum librorum

Attende qui bus libris vtebatur. lectione tantam eruditionem ſibi conflâſſet. Reſpondit ei comiter vir ſanctus: Ego, fili,maiorem dedi operam charitatis lectitando codici, quàm cæteris. Is enim liber

Matth.13. docet de omnibus.Erat nimirùm eruditus paterfamilias, de theſauro charitatis proferens noua & vetera. Circumibat per vicos,caſtella & vrbes, prædicans verbum Dei, viſitans ægrotos,conſolationem adferens deſolatis,morbos ſanans.

Poſt itineris laborem hoſpitium petens,ad fontem aliquem priùs ſedare ſolebat ſitim,nè eius,ex labore itineris accenſæ,occaſione largiùs bibendo notam incurreret: quod in omnibus ſummoperè cuitabat.Per diẽ nemo apud ſocios aut proximos, aut fratres humanior & communior,nemo iucundior vel vtilior.Noctibus verò in vigi-

Pſalm.140. lijs & precibus nemo modis omnibus inſtantior.Ità ad veſperam demorabatur ei fletus,& ad matutinum lætitia.In eccleſijs pernoctans in oratione, modò in genua pro-

Mira precũ inſtantia. cumbebat,modò toto corpore proſternebatur,quantùm à corporis fragilitate extorquere potuit. Cumq; tãdem laſſitudine victus,à ſomno interpellaretur,vel ante altare,vel alio quouis loco,aut certè ad lapidẽ cum Iacob patriarcha caput inclinãs, pau-

Geneſ.28. lulùm quieſcebat:rurſuſque euigilans,orationi & ſpiritûs feruori ſtudebat. Circumibat tum altaria viſitans, & Sanctorum implorans patrocinia:atq; ita ſe gerebat vſq; ad noctis mediũ.Indè fratres dormientes cùm ſumma modeſtia inuiſens, ſi quos vidiſſet non opertos,operuit,& Cruce conſignauit:mox ad orationem redibat. Atque

Multas ferè infeſtationes dæmonum. ijs horis excubias agens in precibus,multas dæmonum infeſtationes tulit,multos quoquè ex eis virtute nominis Chriſti triumphos reportauit. Non paucæ animi illuſtrationes,ſupernæ viſitationes,diuinæq; reuelationes,de quibus ſuprà dictum eſt,ei tum obtigêre.Deum enim deſiderauit anima eius in nocte,& ad eum totis viſceribus ſuſpirans,vigilauit.Atque hæc illi erat vigilandi & orandi creberrima conſuetudo.Et quãtuis fratres ad quietem capiendam accuratiùs hortaretur, ipſe tamen vix vnquàm in lectulo ſe reponere voluit.Oratio eius munda & accepta fuit in conſpectu Dei,quam cùm ſine intermiſſione Domino offerret,nihil non ab illo impetrauit.Sicut enim ip-

Matth.21. ſe faſſus eſt,nunquàm quicquam à Domino petijt,quod non pro voto ſit adeptus.Credidit veritati promittenti, quòd quicquid peteret,acciperet : ſicque Dei benignitate largiente,quæcunque petijt, obtinuit.

Non autem ſat habuit vir Dei,perpetuis vigilijs carnem macerâſſe ſuam,ſed etiam quanuis innocentem & virgineam,multis verberibus & caſtigationibus attriuit.Sin-

Dirè ſe flagellat. gulis enim noctibus ter catena ferrea ſe flagellauit : primò pro ſeipſo, tum propter

peccа.

Copia lachrymarũ.

peccatores in mundo degentes: tertiò pro animabus, pœnas in Purgatorio luentibus. Oculi eius quasi fontes quidam erant lachrymarum, flebatque vberrimè & sæpissimè: ità vt lachrymæ eius essent ei panes die ac nocte. Die quidem tum præcipuè, cum Missæ quotidianum offerret sacrificium: nocte verò, cùm præ omnibus indefessus vigilaret. Erga Dominici corporis venerabile sacramentum eximia deuotione feruebat, & crucifixi Saluatoris excellentissimam in nos commemorans charitatem & immensam dulcedinem, quasi totus in eius amorem præ nimia deuotione absorptus videbatur. Nec rarò, dum in Missa Christi corpus eleuabatur, mentis est passus excessu, maiestatis diuinæ præsentia delectatus.

Deuotio eius erga sacram Eucharistiã

De contemptu mundani honoris & gloriæ, & quàm vitarit curiosa. Cap. 10.

Recusat Episcopatũ, Galat. 6.

DIues fide, mundi huius opes respuit, seculi pompas fastidiuit, humilitatem Christi & Euangelicam paupertatem illis longè anteponens. Electus enim in * Cizeranensem Episcopum, prorsùs recusauit, dicens se mâlle è terra exire, quàm vlli eiusmodi electioni consentire. Mundus illi crucifixus erat, & ille mundo: quandò & ipse mundi contemnebat gloriam, & contemnendam docebat, & mundo huic deditos, illum spernebant, & contemptibilem existimabant. Interrogatus cur in Carcassona diœcesi libentiùs moraretur, quàm in Tolosana, respondit: In Tolosana diœcesi multos inuenio, qui me honore afficiunt: in Carcassona omnes me oppugnant. Ex verum mundi contemptorem, Christique germanum discipulum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta. Magnus illi quoque paupertatis amor inerat, & libenter vilibus vtebatur indumentis. Adeò omnem amorem suũ in Deum transtulerat, vt non solùm à magnis, sed etiam minimis rebus affectus suos cohiberet. Itaque vestes, calceos, libros, cultellos, zonas, aliaque pro corporis vsu necessaria, noluit habere preciosa & curiosa, sed humilia, monasticæque professioni & paupertati consentanea. Monebat etiam fratres, nè eiusmodi res appeterent, vel apud se haberent, quæ religioni & modestiæ non congruerent. In cibo & potu summa vtebatur temperantia, delicata vitans, simplicibus gaudens: sicque naturæ necessitati faciebat satis, vt nunquàm cor eius crapula grauaretur, aut corporis refectio subtilem eius spiritum hebetaret. Ab ipsa ineunte ætate vsque ad supremum vitæ diem carnem in spiritũs seruitutem redegit, innocensq; & incontaminatum corpus suum vigiliis, inedia, precibus, flagellis, aliisque pœnitentiæ exercitijs castigauit. Quis verò illius virtutes omni ex parte imitari queat, quandò etiam illis commemorandis non sufficimus? Tantam in eius animum spiritus sanctus virtutum & charismatum infudit copiam, tanta erat cordis eius synceritas, in sermone veritatis authoritas, in actione charitatis & humilitatis sanctitas, vt humanam consuetudinem excederent, Deumq; eius habitatorem certissimè declararent. Mirari eius exempla possumus, & exijs pensare nostrorum temporum inertiam. Posse autem quod ille potuit, non humanæ virtutis, sed singularis est gratiæ: nisi cui fortassìs miserans Dei benignitas eam gratiam prærogare dignetur. Sed ad id quis idoneus?

Gaudet contemptu suî. Hebr. 12.

Castigat corpus suũ variis pœnitẽtiæ exercitijs.

De quibusdam, in superioribus prætermissis. Cap. 11.

BEnedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit seruum suum Dominicum omni benedictione cælesti, vt nihil ei defuerit in vlla gratia. Præparauit enim ille cor suum, in mente habens Deum, & quærens eum totis viribus, & ei prouidens in conspectu suo semper. Visus est sæpenumero contemplationi vacãs rectis sursùm manibus stare suspensus, ità vt vix terram cõtingere videretur. Vigilabat & orabat plùs cæteris. Verberabat ipsius sese, & ab alijs curabat verberari & cædi catena ferrea. Missam celebrans quotidiè domi vel foris, multas fundebat lachrymas, summaque deuotione stabat ad aram: & in itinere dicebat orationem Dominicam, vt intelligerent præsentes cælitùs eius pectori infusam gratiam. In precibus horarijs & psalmodijs, quas in primis reuerenter absoluere solebat, facies eius crebrò visa est lachrymis irrigari. Coram hominibus quidem serenus & hilaris erat, in absconditò autem patrem cælestẽ illo orante, ceu torrentes quidam lachrymarũ erumpebant ab oculis: sed eas, ab oratione euocatus, abstergebat. Cauebat diligentissimè, nè delinqueret lingua sua: & tam domi, quàm in itinere semper voluit aut de Deo, aut cum Deo colloqui, rarò aliâs loquens: testatique sunt viri perfecti, qui multo tempore apud illum vixerant, nõ fuisse dolum in ore eius, nec ab eo profectum fuisse vnquàm verbum ociosum, aut noxium, aut obtrectatorium, vel adulatorium. Si quis ei maledixisset;

Sæpè in oratione suspẽsus à terra fuit.

Oris sui custos attentissimus.

xisset, Ille contrà benedicebat, nec omninò vnquàm pro maledicto reddidit maledictum, quippè qui non solùm maledictis & conuicijs proscindi, sed etiam flagellis cædi & membratim secari pro Christi amore ardentissimè desideraret.

Vult suos fratres liberos esse à cura tẽporali.

Vt autem fratres solis rebus spiritalibus semper essent intenti, vetuit nè negocijs monasterij se immiscerent, aut consilijs temporalium rerum tractandarum: ijs tamen exceptis, quibus id ex Superiorum voluntate incumbit. Præerat fratribus multa charitatis solicitudine, attendens sibi & vniuerso gregi. Errata iustè quidẽ, sed tamen humaniter & clementer castigauit, animoque cruciabatur, illis condolens, quibus meritas irrogabat mulctas. tanta erat eius comitas & affabilitas, vt per eum tum nouitij, tum complures alij, à varijs sint tentationibus erepti. Voluntariam etiam, licèt permolestam, sibijpsi pœnitentiæ crucem imposuit, vt iter agens, nudis pedibus ingrederetur. Erga proximos & afflictos omnes, maximè peccatores & infideles, multa ei inerat commiseratio, eorumque salutem suis laboribus promouere, & à Deo precibus obtinere ardentissimè cupiebat. Sanctorum patrum monastica instituta vel Ordines religiosè venerabatur, & monasticæ vitæ homines præ cæteris impensiùs amabat, tanquàm ciues sanctorum & domesticos Dei: illorum statum & professionẽ multa laude & prædicatione efferebat, ceu confratrum suorum. Ob prolixas vigilias edendo & bibendo parcior fuit. Etiam iter faciens, si esset ieiunandum, semper statam horam, putà Nonam, expectauit: socijs tamen vt eam anteuerterent, & bis se reficerent, permisit. Nunquam propter cibum aut potum, aut lectum, sine sanus esset, siue ægrotaret, conquestus est: sed quoàd vixit, semper gratias egit. In itinere constitutus, vesperì priusquàm se quieti daret, post absolutas Completorij preces, tandiù in oratione permansit, vt plerũque suo eiulatu socios excitaret. Ordinis & Canonis monastici zelus ciinerat feruentissimus, statutorumq; seuerus fuit cõseruator. Atq; interìm fratrum adeò fuit benignus & pius consolator, vt in his nõ putetur parem habuisse successorẽ.

Monasticæ vitæ homines præ cæteris amat.

Tria præcipuè à suis vult obseruari.

Inter cætera doctrinæ suæ hortamenta, vitæque præclara exempla, tria præ cæteris à suis voluit solicitiùs obseruari. Primò, vt semper de Deo vel cum Deo loquantur. Secundò, vt iter habentes, non ferant apud se pecuniam. Tertiò, vt nullas vnquàm recipiant temporarias possessiones. Hæc enim sunt, quæ cor mundum, & à curis liberum efficiunt, seruumque Christi ad meditanda diuina, tractandaque spiritualia reddunt expeditum. Conemur igitur, fratres, imitari sancti patris admonitiones & exempla pro viribus, simulque gratias agamus pijssimo Redemptori, quòd talem nobis ducem præbuerit. Per eum enim nos in huius conuersationis lucem regenerauit. Rogemus etiam patrem misericordiarum, vt illo nos regente spiritu, quo filij Dei aguntur, per terminos, quos posuerunt patres nostri, ad eam beatæ vitæ immortalitatem, ad quam ille felicissimè peruenit, nos quoquè recto itinere pertingere valeamus,

Rom. 8.

Vt vocatus à domino B. Dominicus, mortis suæ diem prædixerit. Cap. 12.

CVM in omni sanctitate perfectus beatissimus pater Dominicus, cunctis fulgeret virtutibus, etiam prophetiæ gratiam à Domino accepit. Multa enim futura prænouidit diuinorum conscius arcanorũ: eiq; Dominus ceu specialiter dilecto diem obitus sui indicauit. Qua enim ratione celaret eum mortem propriam, qui multorum aliorum à corpore migrationem ei reuelauerat? Erant ei lachrymæ eius panes die ac nocte præ desiderio videndi faciem Dei: & audiuit desiderium pauperis Dominus, ponens in conspectu suo lachrymas eius. Oranti enim, & cælestium appetitione vehementer æstuanti iuuenis formosissimus adstitit, aitque ad eum: Veni dilecte mi: veni, ingredere in vera gaudia. O suauem & omni charitatis dulcedine plenam beati viri vocationem: qua non ad caduca & vana, sed ad solida semperque duratura gaudia vocatur. Verè felicem hominem, qui accitus, non petijt inducias; tanquàm iudicem reformidans: nec venire iussus ad cœnam magnam Agni, moras nexuit, temerè excusando: sed præcinctos habens lumbos, & lucernas ardentes in manibus suis, pulsanti incunctanter aperuit, venientiq; Domino multa alacritate obuiàm properauit. Gratulans itaque & gratias agẽs vir Dei de certa expectatione futuræ gloriæ, inuisit quosdam è Clero Bononiæ, admodùm ipsi charos & familiares: cumque de contemptu mundi, & vitæ huius præterlabentis vanitate cum eis contulisset, tandèm eis valefaciens, dixit: Vos quidem charissimi nunc me sanum videtis: sed ego ante illam celeberrimam beatissimæ matris DEI assumptionem, ad Dominum proficiscar.

Psalm. 41.

Luc. 12.

Multa futura prædixit.

Prædicit suũ è corpore decessum.

LIBER QVINTVS.

De extrema beati Dominici ægrotatione, & de ijs, quæ tum dixit & fecit. Cap. 1.

Inuisit Hugolinum Ostiensem episcopum.

POstquàm absolutus fuit secundus generalis Conuentus siue Capitulum, beatus Dominicus Hugolinum Ostiensem Episcopum, qui tum apud Insubres legatus erat Pontificis maximi, pro eius amore & promotione Ordinis sui inuisit. Reuertens autem ab illo subfinem mensis Iulij, Bononiam valdè fessus venit. Erat enim feruentissimus æstus, & laborem itineris permolestum susceperat. Interim non habita eius lassitudinis ratione, cum Priore domûs, qui Ventura dicebatur, & cum F. Rudolpho vsque in noctem de statu & rebus Ordinis loquebatur. Illi cubitum ituri, instanter orabant, vt daret membra fessa quieti, & matutinis precibus non interesset. Sed ille precibus eorum nõ acquiescens, in ecclesiã se contulit, & more suo illic pernoctauit, atque etiam ad matutinas preces venit. Ijs absolutis, dixit Priori, se dolere caput. Indè tum cœpit perspicuè labore morbis, quibus ex hac vita subtractus est. Sed licèt illi sua caperent incrementa, mente confirmatus, spiritu Deo indefessus adhærebat, tanta animi tolerãtia eas corporis molestias perferens, vt semper iucundus & hilaris apparéret, tametsì eum & exhauriret dysenteria, & febris exureret. Sciens autem è propinquo mortis sibi imminere diem, iussit nouitios ad se adduci. Eos præsentes sereno vultu intuens, ad amorem Dei & Ordinis, ad deuotionem & instituti monastici obseruantiam verbis gratissimis inuitabat: moreque suo contentus sacco, etiam tam afflicta valetudine noluit in lectulo iacére. Indè accitis duodecim magis expertis fratribus, Priori domûs F. Venturæ, multis facetis audientibus, omnia peccata sua generaliter est confessus, dixitque eis: Ecce in hanc horam carne incorruptum me Dei misericordia seruauit, illibatamque mihi virginitatis mũditiam custodiuit. Quæ vt etiam in vobis inuiolata permaneat, fœminarum omnium suspecta vitate consortia. Eã retenta, seruus Christi vitæ pauperitate gratus Christo, & bonæ famæ odore fructuosus erit proximis. Spiritûs feruor semper maneat in vobis, & feruenti spiritu Deo perperàm seruite. Promouendo & propagando huic Ordini sitis intenti: stabiles in sanctitate, perseuerate in monastico instituto & virtutum omnium incremento.

Incidit in morbos.

Vide sancti viri in seipsum seueritatem.

Monet fratres fœminarum vitare consortia.

Et quia ex diuina reuelatione didicerat se è corpore abiturum, fratribus coram se congregatis, testamentum fecit, quod nulli mutare fas est. testatoris enim morte confirmatum est. Hæc sunt, inquit, fratres & filij charissimi, quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo: Charitas sit in vobis: humilitatem sectamini, paupertati voluntariæ studete. Non erat illic argentum & aurum, aut quæuis terrenæ facultates, vnde testamentum conderet. Quod autem habuit fide locuples, hoc illis legauit: nempè diuitias salutis, thesauros cælestes, & opes nunquàm perituras, quibus illum abundasse vita sanctissima testatur, docent exempla, miracula confirmant. Ne autem paupertatem Euangelicam, firmissimum huius instituti fundamentum, inimica Deo carnis sapientia euertat, quanta potuit seueritate prohibuit, ne quis possessiones temporales ordini inuehat, omnipotentis Dei & suam maledictionem ei terribiliter intentans, qui Ordinem Prædicatorum, quem vel maximè ornat paupertatis professio, terrenæ substantiæ puluere ausus fuerit obscurare.

Testamentum eius morituri.

De obitu beati Dominici. Cap. 2.

IN dies ingrauescente aduersa valetudine, filij de patris salute soliciti, illum ad sanctam Mariam in montem deportârunt, ea spe, quòd propter loci salubritatẽ posset reualescere. Sed ille magìs etiam viribus destitutꝰ, cùm sentiret corporis dissolutionẽ imminere, Priorem ad se vocari iussit. Venit ille, & cum eo viginti fratres, patrem ægrum inuisere cupientes. Quibus ille decumbens concionabatur egregiè. Cumque resciuisset, eius loci præfectum velle ipsum in sua ecclesia humare, cũ multa humilitate & mansuetudine dixit: Absit, vt ego alibì sepeliar, quàm ad pedes fratrum meorum, moxque charitatis & pacis studiosissimus, cauere volẽs, nè vel optato fraudaretur sepulcro, vel fortassìs contentio ea causa oriretur: Foràs me, inquit, efferte, vt in vinea illa sub diuo moriens, possim in vestra ecclesia sepeliri. O verè beatum & fidelem patrem, qui incommodã potiùs & contemptam voluit mortem oppetere, quàm à filijs

Vult sepeliri ad pedes fratrũ suorum.

à filijs post mortem corpore separari. Itaque fratres eum reportârunt ad monasterium Prædicatorum, sed interìm valdè metuebant, nè in via animam ageret. Repositus est autem in quodam cubiculo, & administratum ei est extremæ Vnctionis sacramentum. Cumque aliquandiù illic fuisset, F. Adolphus caput eius sustentans, sudorem panno lineo à facie detergebat. Flebant verò fratres, qui aderant, videntes iam in agone versari charissimũ patrem, cuius se dolebant consolatione destitui, nunquàm in ea consolandi gratia parem habituri. Eos vt vidit vir beatus lachrymis infusos: Nolite, inquit, flere charissimi, nec vos perturbet corporalis hicà vobis discessus. in eo loco, ad quem nunc proficiscor, vtilior vobis ero, quàm hìc fuerim: vitaque functus, plus aliquid vobis conferam, quàm hìcà me expectare possetis. Ingens hæc erat morientis fiducia, quando nec mori timuit, nec de vitæ æternæ aditu dubitauit, fideliter pollicens se in illa constitutum, filijs patrocinaturum. Quodam autem fratre ex illo percontante, vbì vellet sepeliri corpus suum, respondit se velle illud condi sub pedibus fratrum suorum. Ità inuitatus ad nuptias, elegit nouissimũ locum, cùm iam summus paterfamiliâs ad superiorem, vtpotè amicũ honoratum, eum transferet, coram simul discumbentibus in gloria sublimiter euehendum.

Administratur ei extrema Vnctio.

Consolatur fratres, dũ ipse cũ morte luctatur.

Conuocans autem ad se Priorem & fratres, dixit eis: Præparate vos. Illis ad commendationem solenniter præparatis, ait: Sustinete adhuc parumper, deindè ait Prior ad eum: Tu nõsti, pater, quàm nos deseras desolatos & mœrentes. Memento nostrì, vtores Dominũ pro nobis. Tum ille vir sanctissimus, totus in Deum absorptus, sublatis sursùm manibus, dixit: Pater sancte, tu scis, quia libẽter perstiti in voluntate tua, & illos, quos dedisti mihi, custodiui. At nunc commendo eos tibi: tu illos serua & custodi. Ego ad te venio pater cælestis. Deindè post paululùm ait ad fratres: Incipite iam. Qua verò deuotione, quibus lachrymis & singultibus peractum fuerit commendationis officium, non nescit ille, qui non spernit preces pauperum, & gemitus mœrentium non despicit.

Lucæ 14.

Commẽdat Deo Patri filios suos.

Illeinterea migrans, labia mouebat ad preces, licèt vox minimè sentiretur. In extrema commendatione fratribus pro more dicentibus: Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini, susci pientes animam eius, offerentes eam in conspectu altissimi: eleuatas tenens in cælum manus, spiritum exhalauit: nec dubiũ quin Angelicis manibus exceptus, Domino sit præsentatus. Mansit autem corpus exanime in cinere iacens, mœrentium luctu miserabile, fidei pietate amabile, & pro eius sanctitate cunctis venerabile.

Ivit in cælos vir planè Angelicus.

De reuelationibus ad eius obitum factis. Cap. 3.

ADfuit è corpore abeunti viro sanctissimo beatissima Dei mater cum filio suo, & Angelorum suauiter modulantium frequenti exercitu, spiritum eius in cælos secum abducens, quemadmodùm fideles quidam per reuelationem didicerunt. Qua enim hora decessit, venerabilis F. Guuala, Prior Dominicanorum Brixiensium, postèa eius vrbis Episcopus, leni oppressus somno, vidit oculis interioribus cælum aperiri, & ab illo submitti duas scalas candidissimas. Vnius cacumen tenebat Christus, alterius sanctissima mater eius. Angeli per vtranque sursùm deorsùm cursitabant. In earum medio posita erat sedes humì: in qua sedebat quidam similis fratri Prædicatori, ad cælestem Hierusalem proficisci volenti. Scalas sensìm attrahebant Christus & mater eius: & sedes vna attollebatur cum sedente, donèc psallentibus Angelis, in cælum illata est. Receptis in cælum scalis cum sede & sessore, cælũ clausum est, & visio finem habuit. Veniens posteà frater ille Bononiam, rem certam cogniturus, comperit, in eandem horam & sanctissimi viri obitum, & suam visionem incidisse: nec dubitauit, in Dei gloriam & sancti Dominici honorem, visionem illam palàm in concione populo indicare.

Visio F. Guualæ.

Eodem die, quo è vita abijt beatus vir, duo religiosi fratres Prædicatores, Tancredus & Raon, pariter iter agebant. Vbì ad hospitiũ vẽtum est, * Raon abijt sacrificium oblaturus. Mandauit autem ei Tancredus, vt charissimi patris Dominici, Bononiæ ægrotantis, memor esset. Postquàm sub sacrificio ad eum locum venit, quo solet haberi viuorum memoria, subitò fit extra sese, stat immotus ad aram, videt manifesta spiritûs visione sanctum Dominicum corona aurea ornatũ, totumq; mirabili splendore radiantem, cum duobus reuerendis viris, vtrunque latus eius stipantibus, extra Bononiã regia via progredi. Doctus est autem à spiritu Dei, eodem die, nempè sexta feria,

Alterius fratris visio.

feria, hora ſexta, beatũ Dominicum è corpore in cælos abijſſe. Hanc autem inſignem viſionem frater ille præ multa humilitate diù reticuit: ſed poſteà à Domino admonitus, quibuſdam fratribus in Dei laudem & beati Dominici honorem enarrauit.

De ſacri corporis obuolutione, & exequijs ad illud celebratis. Cap. 4.

Catena ferrea inuenitur ad lumbos eius.

CVm autem ſacrum beati viri corpus Fratres ad ſepeliendum inuoluerent, inuenerunt ad lumbos eius catenã ferream. Eam F. Rudolphus reuerenter aſſeruans, poſteà Magiſtro Ordinis pro magno munere dedit. Deportatum indè eſt corpus, reuerenter & honorificè obuolutum, in eccleſiam nõ ſine lachrymis multis: vbi illud fratres cum multa veneratione ambientes, pſalmos & congrua cantica depromebãt. Adfuit tũ inter eos Albertus Prior monaſterij ſanctæ Catharinæ, quod eſt Bononiæ, vir religioſus & beato Dominico cumprimis familiaris & addictus. Is vt vidit fratres carmen lugubre in iubilum mutâſſe, cœpit & ipſe gaudere cum gaudentibus. Enimuerò concepta de ſanctiſſimi Patris beatitudine nõ inani fiducia, iubilârunt filij Dei, & Dominum laudauerunt pro cunctis, quas viderant, virtutibus, quibus mirificauerat Dominus ſanctum ſuũ. At Prior ille compunctus corde, ruit cum mœrore in pia oſcula & amplexus ſacri corporis, nec indè receſſit, donec mortis ſuæ indubitatum meruit habere reſponſum. Quo accepto, ſurrexit, aitq; Priori fratrum iucundo & hilari vultu: Fidelis ſermo & omni acceptione dignus: Magiſter Dominicus me cõplexans, dixit mihi: Hoc anno ſequéris me ad Chriſtum. quod & factum eſt. Eodẽ enim anno obijt vir ille iuſtus, ſicut prophetauerat mortuum corpus ſanctum.

Quidam religioſus pater ad funus S. Dominici diſcit obitũ ſuum.

De celebri ſepultura B. Dominici, & fabrica ſepulcri. Cap. 5.

PER id tempus Hugolinus Oſtienſis Epiſcopus, cuius crebrò ſuprà meminimus, Bononiam vénit. Venêre cum illo, ceu Apoſtolicæ Sedis legato, etiam multi magni viri & eccleſiarum Prælati. Vbi cognouit autem de obitu S. Dominici, ſuis manibus corpus eius ſanctiſſimum ſepulturæ mãdauit. Nouerat enim ſanctam eius in Domino conuerſationem, & haud vulgariter dilexerat viuentẽ. Interfuerat etiam, quando vir Dei, Stephani Cardinalis nepotem ſuis precibus ad vitam reuocauit. Aderat autem huic ſepulturæ etiam reuerendiſſimus Patriarcha Aquilegienſis, nec pauci Epiſcopi & Abbates, cum alijs prælatis & multa populi turba. Obijt vir ſanctiſſimus octauo Idus Auguſti, humatus Bononiæ iuxta filios ſuos Fratres Prædicatores, quorum primus generalis Magiſter fuit & inſtitutor. Annus autem erat Chriſti milleſimus ducenteſimus viceſimusprimus. Sarcophagus eius non quidem ex materia pretioſa, ſed tamen pia deuotione & ſolerti ſtudio confectus eſt F. Rudolphi, qui tũ Procurator erat, cuius nutu omnia gerebãtur. fabricata eſt enim arca lignea, & ſacro corpore in ea condito, clauis obfirmata eſt. Ipſe quoquè ſepulcri locus magnis ſaxis, tenaci calce inter ſe coniunctis, vndiquè cinctus & communitus eſt. Verebãtur enim Fratres, nè quid homines impij malo dolo molirentur. Ipſi quoquè tumulo impoſitum eſt ingens ſaxum, calce bènè munitum & compactũ. Dormit itaque vir beatus in ſinu matris ſuæ, requieſcens in pace: ſuauisque eſt ſomnus eius, nec euigilabit, donèc tuba nouiſſima excitatus, reſurgat, cum electis Dei in parte dextera collocãdus. Porrò anima eius vigilat, diſcuſſa tenebrarum caligine, apertis oculis optatiſſimam æternæ lucis contemplans claritatem. Vigilat, miſerorum precibus & ægrorum clamoribus patulas aures exhibens, eorumq; calamitatibus nunquàm non remedium adferens. Omnipotens enim Dei virtus, & in obitu & poſt obitum eius, multa effecit miracula, hodieque in tota Eccleſia ſua efficere non ceſſat.

S. Dominici honorifica ſepultura.

Attẽde animas ſancto. rum vigilare, & non ſecundùm Anabaptiſtas dormire.

De miraculis quibuſdam, ad eius monumentum editis. Cap. 6.

NImirùm iacet pater ſanctiſſimus, vt optârat, inter filios loco humili & depreſſo conditus, nullisque aromatibus conditus. At Deus bonus, qui facit de tenebris lumen ſplendeſcere, ex hoc obſcuro tumulo iuſſit miraculorum fulgura coruſcare. Clericus quidam honeſtus Bononiæ de morte quidem ſancti viri audiërat, ſed neſcio quibus rebus impeditus, ſolenni ſepulturæ eius non potuit intereſſe. Nocte indè ſequenti vidit in ſomnis B. Dominicum in æde ſancti Nicolai, reſidentem in cathedra, gloria & honore mirificè coronatum. Ait ergo ad illum. Túne es magiſter Dominicus, iam vita functus? Reſpondit ille: Non ſum mortuus, fili: quia bonum Dominum habeo, apud quem viuo. Manè abijt Clericus ad eccleſiam Fratrum, & beatum virum eo loco humatum reperit, quo viderat eum in throno ſedentem.

2. Cor. 4.

Viſio Clerici cuiuſdã.

Non ſunt mortui ſancti, ſed viuunt.

Eodem

Eodem die ad ſancti patris monumentum quidam dæmoniacus adductus eſt, qui vtin templum ingreſſus, clamauit dæmon: Quid mihi vis Dominice? Cumq; id cre- Dæmoniaci curatio.
brò repereret, obſeſſus ad ſepulcrum pertractus, curatus eſt. Eodem anno hyberno tempore odor ſuauiſſimus, idemque copioſiſſimus apud ſepulcrum ſancti viri exitit, & per omnem ædem ſe diffudit. Duraùit verò dies non paucos, ſenſeruntque eum F. Ventura Prior, & Fratres alij. Vt cœperunt autem innouari ſigna & mirabilia multiplicari, Chriſtiani fideles vidẽtes verè in loco illo operari Dei virtutem, ſtatuerunt pro reuerentia claudere ſepulcrum, & operire pannis Sericis. Sed id Fratres non permiſerunt, veriti nè cupiditatis vel iactantiæ notam incurrerent, ſi aut facerent ſic, aut fieri permitterent.

De meritis & præmijs B. Dominici, diuinitùs reuelatis. Cap. 7.

CVidam B. Dominicũ haud vulgariter amanti Dominus multa de meritis & gloria eius, itemque de Ordine Prædicatorio reuelauit, quæ ſcriptis ad poſterorum notitiam tranſmiſit, inter alia, etsì non verbis ijſdem, tamen eádem ſententia ſic ſcribens: Amicũ meum peculiari quodã amore complector, arctiorisque, quantùm fas eſt, dilectionis amplexibus ſtringo præ cæteris amabilẽ virum ſanctum Dominicum. Itaque in eius ſolennitate cùm Dominum pro Ordine Prædicatorũ deprecarer, Dominum ipſum videre merui, amicum Dominicum mihi in gloria oſtendentem, ſicq; dicentem: En quæ ego exigere ſoleo à cunctis populi mei paſtoribus, ijs fidelis ſeruus meus & bonus paſtor Dominicus præclarè ornatus fuit. Cùm in vita mortali degeret, nullum vnquàm Fratrum ſuorum exacerbauit. nõ enim potuit de charitatis ſaturigine amaritudo vlla emanare. Inerat illi tam larga benignitas & ſuauis pietas erga omnes, vt quæ ad corporis neceſſariam refectionem pertinent, non ſat haberet frugaliter ſubminiſtrâſſe, ſed etiam pro ratione temporis, quantùm potuit, Fratrũ commoditati ſtuderet: nè vel adoleſcentior ætas inedia contabeſcens, ollas Aegyptias appeteret, vel confectæ ſenum vires, rebus neceſſarijs deſtitutæ, penitùs exhaurirentur. Ità omnes multa humanitate fouens, & ad omnes ſe accommodãs, omnes tamen anteceſſit, egregio exemplo id docens, laude dignam eſſe modeſtiam, & abſtinentiam ſalutarem. Porrò miſericordiam iudicio ſuperexaltans in corrigendis Fratrum erratis, intrà regulares limites ſe continuit iuſtè parcens eius clementia, & piè ſæuiens diſciplina. Hæc dilectus dixit ad me de dilecto. Et vidi, & eccè dilectus meus erat veſtitus multicoloribus, & varietate admirabili circuntectus. Habebat amictum candoris niuei, purpurei decoris, coloris viridis. Illa enim qua operitur, veſtis immortalitatis, tincta eſt virgineq; puritatis candore elegantiſſimo, primęq; veritatis virore amœniſſimo, qui cæleſtes oblectat & reficit mentes, geminæ charitatis colore purpureo, quã olim & per commiſerationem iungebatur proximo, & propter Chriſtum fundendi ſanguinem flagrabat deſiderio.

Chriſti teſtimonium de S. Dominico.

Exod. 16.

Etadiecit Dominus loqui ad me de ſancto ſuo, dicens: Quandò ridere ſolebat hic electus meus, ille riſus è ſuauitate ſpiritûs mei proficiſcebatur. Riſus eius verax erat, taliſque riſu os veracis decebat impleri. Cùm orans lachrymas funderet, totius Eccleſiæ cauſas & angores, ſpeciatìm verò filiorum Ordinis ſui, in thuribulo deuotionis ſuæ cum grandi fide meo cõſpectui repræſentabat. Conſiderauit accuratè pius paſtor vultum pecoris ſui, idque adſpectu benigno, ſancta deuotione, diſcretione prudenti: Docebat ſapientes ſcientiam ſuam columbina ſimplicitate ornare, conueniẽter ſententiæ Saluatoris. Simpliciores monebat eam, quæ de ſursùm eſt, ſapiẽtiam pudicam & modeſtam, ante omnia quærere & amare. Tentatorũ pericula & turbulentas moleſtias paterna commiſeratione in arcano ſacri pectoris ferebat, piè ciuſmodi conſolans, prudenter illis conſulens, & eos ſuis precibus ſuſtentans. Hortabatur iuuenes, vt intrà perpetuum ſilentium ſe tenerent propter obtinẽdam ſapientiam & cuſtodiam diſciplinæ. Aegros & debiles ſumma fouebat humanitate, eis res neceſſarias ſolicitè ſuppeditans. Itaque eius præſentia lætabantur vniuerſi: eiusque ſuauiſſimæ conuerſationis grata ſocietas, tolerabilem eis reddebat omnem paupertatis inopiam. & totius laborioſæ vitæ aſperitatem & duritiam mitigabat. Agamus ergò gratias Domino Deo noſtro, & gloriemur in laude eius, qui talem nobis huius peregrinationis ducem ac principem dedit, cuius ſanctitas eximia, ipſius ſummæ veritatis ore probata eſt. Gloriemur de illo in Domino,

Amen.

Iacob. 3.

Marth. 10.

Iob. 8.

LIBER SEXTVS.

De primo statu sanctorum Patrum & Fratrum instituti Dominicani. Cap. 1.

F. Iordanus creatur Magister generalis.

ANno à partu Virginis 1222. beatissimo Dominico iam in cęlos trãslato, habitus est Parisijs tertius conuentus generalis, quem Capitulum vocant, in quo vir vitæ venerabilis F. Iordanus, natione Saxo, Deo volente, torius instituti Dominicani creatus est Magister generalis. Is beatissimo patri Dominico nõ tam in administratione regiminis, quàm in æmulatione iustitiæ & rectitudinis successit, intẽtionis, feruoris ac religionis paternę perfectissimum se præbens sectatorem: Deoq; dilectus & hominibus, quæ fuit bona genti suæ, & dilatauit gloriam Ordinis sui, amplificans eum prouincijs, cœnobijs & copia optimorum Fratrum. Multi enim generis nobilitate & honoribus cõspicui, cõplures opibus & sacerdotijs seu beneficijs Ecclesiasticis locupletes, pleriq; diuersarũ artiũ & facultatũ magistri & Doctores, innumeri delicati adolescẽtes & literati studiosi, eius mellitis sermonibus compuncti, omnia Christi & Euangelij causa relinquentes, Dominicanorũ se instituto addixêre. Crescebant tum filij Dei, & quasi germinantes multiplicati sunt, & roborati nimìs, impleuerunt terram. Illud nanque purissimum tritici granum, mortuum in terra latens, sed in cælo viuens, beatissimus pater Dominicus in hanc pulcherrimam & copiosissimam segetem pullulans emersit.

Suis cõcionib9. pmultos egregios viros efficit Dominicanos.

De perfecta Fratrum conuersatione, & vera cordis contritione. Cap. 2.

2. cor. 6. Psal. 36.

ERat profectò tunc tempus acceptabile, diesq; salutis, cùm tot illustres viri sua aliorumq; procuranda salute odoriferum Domino sacrificium præpararent, & in conspectu eius holocaustum gratissimum offerrent. Erant tum reuerà dies immaculatorum, quos dies nouit Dominus, qui spiritu feruentes, Domino seruiebant in sanctitate & iustitia coram ipso. Miserat enim tunc Deus ignem de excelso in ossa eorum, & ardore charitatis illorum pectora vehementer inflammauerat. Diffundebat autem illa se flamma foràs in luculenta opera & efficacia exempla. E quibus, cùm sint innumera, pauca quædam annotabimus sanctitatis & perfectionis studia, vt qui hodiè sunt, illis ad meliora prouocẽtur. Qui per Dei gratiam tum peccatis & mundi voluptatibus nuncium remittentes, ad meliorem frugem se recipiebant, ob mala perpetrata compuncti corde, tota animi contentione ea expiare nitebantur, cordis contriti sacrificium Domino offerentes, peccata sua confessarijs exactè & purissimè explicantes, omnes conscientiæ latebras & recessus accuratè explorantes, nè vel parùm aliquid illic hæreret, quod animum pungeret, aut eius munditiam obfuscaret. Nam benè constituta & syncera conscientia non solùm mortiferis, sed etiam minutis culpis affligitur & mordetur. Discutiebantur tum assiduè pectoris arcana, fiebant confessiones quotidiè, idq; non semel, sed vesperì, aut manè, & meridiè, quotiès aliquid occurreret, quod piam conscientiam perturbaret. Contra omnes dæmonum tentationes viriliter instructi & armati, vel primos sensisse motus, indignum arbitrabantur. eos verò admittere, aut in ijs moram facere, id fœdissimum censebant. Quicquid antèa in seculo negociorum, commodorum, voluptatum experti essent, eius nulla apud eos erat commemoratio, nulla mentio: in hoc vnum solicitè intenti erant, vt sua plangerent peccata, rebus diuinis vacarent, sese intrà se continerent, corpus suum despicerent, & in spiritũ redigerent seruitutem, in Deum omnia reijcerent, & illi vni adhærerent. Cumq; animaduerterent Ordinis seu instituti sui honestatem & decorem, animoq; & verbis id efferrent, hoc solùm querebantur, quòd tam tardè ad seruiendum Deo & illud vitæ genus susciendum se contulissent.

Feruor primorũ Prædicatorum.

Confitẽtur exactissime sua peccata etiam venialia.

De accurata nouitiorum institutione, & exacta silentij obseruatione. Cap. 3.

MAgna tum cura adhibebatur nouitijs probè instituendis & consolandis, eorumq; conseruandæ ac tuendæ valetudini, nè nimietate immodici laboris fracti & debilitati, deindè ad potiora inutiles & inepti redderentur. Et quemadmodùm tepidis & remissis quidam admouendi sunt stimuli: ità tum oportebat nimio deuotionis ardore feruentibus, moderationis frenum adhibere: & vt plerique hodiè vix excitan-

Nouitios instituendi ratio.

excitantur à somno, etiamsi tundas eos: ità tum in diuersos sese angulos abdentes, cùm essent inquisiti & in precibus deprehensi, vix compelli poterãt, vt somno indulgerent. Pro seruando silentio, quod sacræ religionis quoddam fundamentum est, severa quædam exercebatur censura, cura religiosa, & studium ingens. Nisì enim grandis vrgeret necessitas, aut ingens periculum immineret, nefas erat silentium frangere. Frater quidam Bononiæ ante altare prostratus post Cõpletorium, vt vocant, Dominum precabatur. Illum malus dæmon pede apprehensum, in mediam ecclesiam pertraxit. Clamante eo, accurrerunt Fratres ampliùs triginta, qui in templi latibulis delitescentes, orationi vacabant. Videntes autem trahi quidem Fratrem, nec tamen trahentem cernentes, conabantur eum retinere, sed frustrà. Itaque non mediocriter territi, aquam sacram illi adspergebant: nec id tamen curante dæmone. Vnus autem ex senioribus eius retinendi causa illi inhærens, cum illo pariter trahebatur. Multo tandèm conatu ad aram sancti Nicolai perductus est: quò accedens venerabilis pater Reginaldus, eius audiuit confessionem: qua absoluta, quamprimùm ab ea satanæ vi & infestatione liberatus est. Latuerat enim nescio quid mali in pectore eius, quod per confessionem non reiecerat. Mira quidem virtus puræ confessionis, & prædicanda atque imitanda Fratrũ obseruantia regularis. In tanta enim Fratris vexatione, ne vnus quidem extitit, qui silentij legem violaret. Inter illos ergò fuit proculdubiò pax, quãdò frenabatur lingua loquax. Sicut enim clibani ore obstructo, calor intrinsecùs conseruatur: ità seruato silentio, gratia sancti spiritũs in animo conseruatur. Id illi non ignorantes, ponebant custodiam ori suo, vt non delinquerent in lingua sua. Quid porrò indè consecutum est. Cõcaluit cor eorum intrà ipsos, & in meditatione eorum exarsit ignis ille, vitia consumens, nempe Deus noster. Et hunc quidem silẽtij cultum sanctus Dominicus diuinitùs instituit, & suo exemplo confirmauit: qui sanè nullum vnquàm obtrectatorium, nullum adulatorium, nullum pernicioſum verbum de suo passus est ore proficiſci. Atque adeò etiam in itinere constitutus, vsque in horam Tertiam silentij fuit obseruantissimus, idem volens à socijs custodiri: nec os sibi aperiendum putauit, nisì aut de Deo, aut cum Deo loqueretur.

Silentium quoddã religionis fundamẽtum.

Vis confessiõis puræ.

Silentij arctissima custodia.

Psalm. 38.

Hebr. 12.

De diuini officij frequentatione, & oratione assidua. Cap. 4.

PReces matutinæ, Missæ officium, & omnes preces horariæ, statis horis absoluebãtur solenniter & distinctè: ijsq; semper intererat beatus Dominicus, diligenter in eam curam incumbens, vt psallerent fratres alacriter & deuotè. Aderant vnà cum illo viri reuerentissimi, huius instituti Patres primarij, & in vniuersum Fratres omnes. In quorum ille medio stabat, qui se promisit congregatis in nomine suo non defuturum. Prætereà verò rarò ecclesiæ vacabant orantibus, rarò templa illorum sine Fratribus visebantur: vbì sanè, si quæsiti essent, crebriùs inueniebantur: quippè qui ab illis non discederent, die ac nocte in preces intenti. Vidisses ibì alios pœnitentiæ gemitus & suspiria, internosq; animi dolores Domino offerentes, suaq; & aliorum peccata nonnunquàm etiam non sine clamore, quem dolor exprimeret, deplorãtes: Alios centies, vel ducenties per diem & noctem procumbentes in genua, adorare diuinam maiestatem non absque corporis sui afflictione indè nascente.

Matth. 18.

Deflent sua & aliorum peccata Dominicani.

Post persolutas ea, qua par est, obseruantia & religione preces Canonicas diurnas, Fratres ceu rem valdè optatam Completorium expectabant, atque ad illud haud secùs atquè ad solenne quoddam festum sese præparãtes, mutuis se precibus commendabant. Dato autem campana signo, ex omnibus monasterij locis ad ecclesiam properabant. Expleto Completorio, salutataque beatissima Dei matre, singulari Ordinis nostri patrona, per Antiphonam, Salue regina, Fratres se subijciebant virgarum ictibus, quos disciplinas vocãt. Deindè domesticos Dei, patronos suos, iam in patria beatos, quorum in oratorijs altaria habebantur, ceu peregrini quidam, non habentes hìc manentem ciuitatem, animo & corpore visitantes, & eos procùl adspicientes, officiosissimè salutabant. Interìm ex eiusmodì pia Sanctorum commemoratione cogitatio purgabatur, affectus inflammabatur, tranquillabatur conscientia, animus in Deum erigebatur, & lucegratiæ in eos radiante illorum compungebantur corda, & commotis visceribus, erumpebant lachrymæ, nec poterant contineri, quin etiam ab illis, qui foris stabant, voces plorantium expressè audirentur, putarentq; illic funus adesse, quod ità ab illis plangeretur. Multi ea re compuncti sunt, vt quidam etiam habitum

Disciplinas accipiunt.

Sanctorum pia inuocatio quid præstet.

bitum Ordinis induerent. Nec tamen his exercitijs contenti, in quoslibet monasterij angulos se recipiebant, actusque suos seuero examine discutientes, nodosis loris corpora sua dirè lacerabant. Ex ijs autem feruentissimæ deuotionis exercitijs ceu ignis inflammati, & instàr thuris ardentes, alij sub precibus inter cælum & terram aliquandiù visi sunt manere suspensi, igne spiritus molem corpoream sursùm impellente. Alij pœnitentiæ ardore incensi, in fauilla & cinere iacentes, dabant gemitus, ponentesque in puluere os suum, nolebant oculos leuare ad cælum, donèc ardor per lachrymas doloris ebulliens, ipsos irrigaret. Alij præ amoris impatientia quiescere non valentes, nolebant indulgere somno, quousquè gratiam sentirent nouam ipsos calefacientem. Iam perpendat pius quisque, post eiusmodì exercitia quantum noctis spatium, ad capiendam quietem, seruis Dei potuerit superesse.

Thren. 3.

Somnus fratrũ parcissimus.

Cùm ad matutinas preces surgerent, Officium Virginis matris reuerenter, &, vt moris est, stantes persoluebant, & ad eius altare deuotè accurrebãt, nè tantillum tempus orationi subtraheretur. Absolutis Matutinis & Completorio, idem altare tripli. ci nonnunquàm ordine ambiebant, vt meritò dici posset: Circundabant eam flores rosarum & lilia conuallium: nempè pœnitentes verecundia rubicundi, & innocentes virginali pudicitia candidi. Post matutinas pauci ad lectionum studia, paucio. res ad lectum se conferebat: plerique in precibus pernoctabant. Aduentante autem luce & ad sacrificia Missarum signo dato, vix inueniebatur, qui non ante Missam per confessionem se expiaret. Tum verò ad vnum sacerdotem accurrebant plurimi, ei ad sacrificium ministrare cupientes: eratque inter illos pia quædam contentio, quis potissimùm id ministerij expleret.

De Fratrum abstinentia, & mutuæ charitatis officijs. Cap. 5.

POst tantos diuinis officijs impensos labores, ad mensam accessuris plerunquè cibus, panis & potus deerat. At tamen Christi benignitas siue per merita Patrum mirabiliter, siue ex eleemosynis fidelium clementer eis prouidit, ità vt in ipso sperantibus & fidentibus nihil deesset. Et quanuis mensa Fratrum per se satis frugalis & fobria esset, at tamen non parùm illi addebat ornamenti quorundam mira abstinentia. Alij enim ad dies octo potu prorsùs sibi interdictum volebant: alij cibo apposito aquam frigidam infundebant: multi, nè notam singularitatis contraherent, modò ab hoc, modò ab illo edulio sibi temperabant, de appositis sibi quispiam subtrahentes. Quidam tota Quadragesima interdiù non bibebant, nec loquebantur nisi interrogati. In conuentu lecturis & seruituris multi certatim suam offerebãt operam, vt solent fidissimi amici suis in prælio cõgressuris. Nimirùm tanta fuit in his charitatis officijs deuotio, vt non hominibus, sed angelis seruire viderentur: tantamq; nonnulli sensere suauitatem, vt præ cordis iubilo etiam scutellas clàm exoscularentur. Alacritatem sanè & promptitudinem eorum in his charitatis ministerijs nemo facilè explicare verbis poterit. In subleuandis Fratrum oneribus & necessitatibus mira erat omnium commiseratio, & indefessa atque efficax sermonis & operis consolatio. In suscipiendis Fratribus à labore venientibus, humanissima in eis visebatur iucunditas; ingerebantque se passim eorum abluendis pedibus & seruitijs impendendis. Atque adeò si quis commiseratione erga infirmos benignior, in hospitibus accipiendis hilarior, in eorum leuãdis pedibus humilior, in monasterij seruitijs sedulior esse posset, is se apud Deum beatiorem existimabat. Non rarò sibijpsis detrahebant tunicas, cucullos, scapularia, vt vocant, & vel peregrinis Fratribus, vel alia occasione indigentibus dabant. Permulti etiam ex Fratribus non contenti habitûs monastici asperitate, clàm induebant cilicia, carnem edomantes suam, & lumbos zonis ferreis stringebant.

Mira quotundam abstinentia.

Insignis charitas.

Multi ciliciis & zonis ferreis carnem suã edomant.

De deuotione & veneratione Fratrum erga sanctissimam matrem Dei. Cap. 6.

INter id genus corporis castigationes & afflictiones, quod longè præstabilius est, eriam veræ virtutes in hoc instituto & religione, munda & immaculata atque pura innocentia relucebant. Nam quodam egregio fratre referente compertum est, eum ipsum intrà breue tempus cẽtum Fratrum generales audiuisse confessiones, qui integra mente & corpore inuiolato virginitatem conseruassent. Quòd si vnus sacerdos in confessione tot potuit inuenire homines sanctos & puros, quantam putabimus in toto Ordine latére sanctimoniam? Nimirùm de florigero Prædicatorij instituti horto, Virginis matris manu plantato, hæc lilia colligit flos Virginis & filius Dominus noster Iesus Christus. In hunc hortum, regio cultu & opera cõsitum, Regina mundi, cæli

Extimia vitæ puritas & innocentia.

cæli stipata proceribus & virginũ choris, sese oblectatura proficiscens, extirpat vitiorum lolium, plantat virtutũ omnium germina, spargit semina, & gratiæ stillis irrigat omnia. Hic cũ filio sponso Ecclesiæ, eiusq; sodalibus, delicijs affluens, delectatur amœnitate florum, odorũ fragrãtia, saporum suauitate: Flores, accipe mores sanctos: odores, preces: sapores, consolationes spirituales. Atq; his in hoc horto refecta virgo sacratissima libenter in illo inambulat, & Dei pũsidijs septũ circũdat & protegit. Nec summis dũtaxàt & præcelsis eius cedris, putà sancto Dominico, mellifluo Iordano, & Reginaldo doctissimo, suam voluit exhibere præsentiam: sed etiam hyssopum, rosas, lilia, violas & nardum non recusat coràm inuisere. Hæc indulgentissima hortulana in laboribus, in tentationibus, in periculis, in supremo vitæ spiritu constitutis Fratribus visibiliter apparens, afflictionẽ, angores, timores omnes abstulit: in templo, in cellis, in dormitorio, in Completorio, in itinere positis, præsentia sua gaudium & consolationẽ attulit: quæ omnia alteri & ocio & operi reseruantur, vno duntaxàt non omisso hoc loco, quod quanto magis extraneum, tanto chariùs amplectendum videtur.

S. Maria aliquandò fratribus visibiliter apparet.

Fœmina quædam pia, in Gallia Cisalpina solitariè degens, vbì comperit nouum Dominicanorũ institutum enatum, quosdã eius professores videre cupiuit. Interìm duo Fratres Dominicani per eam regionem concionantes proficiscebantur: eique ad eam diuertentes, more Ordinis sacris verbis eam compellabant. Scisciante illa, quinam & cuius Ordinis essent, respondérũt se noui instituti Prædicatorij alumnos esse. Videns autem illa formosos eos & sic satìs benè vestitos iuuenes, contempsit eos, putans quòd ea ratione non possent huius improbi seculi inquinamẽta euitare. At noste proxima Virgo mater commoto vultu ei appárens, ità dixit: Hesterno die nõ mediocriter me offendisti. Itáne persuasum tu habes, non posse me seruos meos, licèt iuuenes per mundum discurrentes animarum causa, seruare illæsos? Vt autem nóueris me illorum specialem curam gerere, en iam ostendam eos tibi, quos herì despexisti. Expansoque pallio, ostendit ei magnam Fratrum turbam, atque in ijs etiam illos, quos ea spreuerat. Tum verò religiosa fœmina cordè compuncta, Fratres deinceps ex animo charos habuit, & hæc ordine recitauit. Sanè pallium Virginis matris, insignis habitus est sacri Prædicatorij Ordinis, quem cum religiosa charitate in vera humilitate gestamus, & sub alis protecti eiusdem sacrosanctę Virginis, in adiutorio altissimi habitamus. Porrò ab hac die tanta extitit Fratrum omnium erga Virginem matrem deuotio & reuerentia, tantum eius laudandæ & colendæ studium, tam sedulæ, ac feruentes ad eam preces, tam ingens amor, tanta eius patrocinij fiducia, tam auida & insatiabilis eius contemplatio, vt humano sermone non possit explicari. Proindè habebant in cellulis suis imagines Virginis filium gestantis in vlnis, itemque Saluatoris à Cruce pendentis, quarum intuitu memoria dormitans excitaretur, sensusque exteriores, in vanas res propensi, spirituali robore confirmarentur.

Corripitur diuinitùs Sancta fœmina, quòd temerè contẽpsisset Dominicanos quosdam.

Psalm. 96.

Imagines sacræ quid conferant.

De crebris eisque feruentibus Fratrum concionibus. Cap. 7.

QVodam tempore, cùm Fratres cœnobij Bononiensis frequentes adessent, Apostolicæ Sedis legatus, Episcopus Portuensis, Conradus nomine, vir religiosus, professione Cistertiensis monachus, eò aduénit, & apud Fratres honorificè susceptus est. Inerat eius animo scrupulus quidam de instituto Dominicano, quidnã sibi vellet noua isthæc & inaudita professio vel religio, atque vtrùm ex Deo esset, an ex hominibus. Posita cathedra in templo, resedit, petijtq; aliquem sibi codicẽ exhiberi. Oblatus est ei Missalis liber: quem, cùm expressìsset Crucis signũ, aperuit, & in primæ paginæ suprema parte legit, laudare, benedicere, prædicare. Atque ea re tanquàm cælesti quodam oraculo exhilaratus, omnem à se hæsitationem reiecit. Deindè quasì totis viscéribus Fratres amplexans, ait: Ego quidẽ tametsì alterius professionis habitum extrinsecùs fero, at vestrũ intùs animo indutus sum: nec ambigere debetis, quin totus vester sim. Vestri Ordinis sum: vobis me tota deuotione committo.

Conradus Episcopus Portuensis.

Et reuerà congruenter huius instituti viris laudatio, benedictio & prædicatio ceu ex diuino oraculo accommodatur, vtpotè in quorum ore semper resonat Dei laus, quem tota die benedicunt, eiusq; virtutẽ & magnitudinẽ populis prædicãt. Illa enim quatuor sancta animalia, quæ B. Iohannes Apostolus in Apocalypsi ceu Prædicatorũ typum describit, non cessant noctes & dies clamare, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Prædicatores enim sancti diuinæ maiestatis gloriam & magnificentiam laudare, benedicere, prædicare non cessant. Admirandi enim feruoris gratiam sanctus spiritus eorum adspi-

Apoc. 4.

adſpirauerat cordibus, vt verbum Dei annunciare, & Chriſtum Ieſum prædicare cupidiſſimè appeterent. Cumq; ſcirent Ordinem ſuum, potiſſimùm ob habendas conciones, & vt animarum ſaluti conſulerẽt, Fratres inſtitutum, nonnulli ſimplici quodam zelo permoti, ad ſumendum cibum alacres non accedebant, niſi priùs aliquam multis, aut certè vni verbum Dei prædicâſſent. Prædicabant ſanè illi cum Apoſtolo, non vt ederent: ſed vt prædicarent, edebant.

Non vt ederent prædicabant, ſed edebant vt prædicarẽt.

Quædam hoc loco referam, quæ de his ſanctis Prædicatoribus Dominus voluit reuelare. Fuit ea tempeſtate in Tuſcia in monaſterio S. Galgani Ciſtertienſis Ordinis monachus, Iacobus nomine, multæ & ſimplicitatis, & gratiæ, & famæ, quippè cuiorranti ſæpè Dominus appareret. Venerunt ad eum duo Fratres Dominicani, ſeque ſuumque Ordinem totum illi obnixè commendârunt. Poſt preces nocturnas cogitanti illi, quid pro Prædicatoribus oraret, apparuit Dominus, & quaſdam illum preces docuit, quas funderet pro eis. Eas ille publicauit, & Romanus Pontifex approbauit, permiſitq; vt ſub ſacrificio dici queant. Erat enim monachus ille propter ſanctitatem ſuam Pontifici charus, & ad eius curiam ſæpè vocabatur, vir ſimplex & rectus.

Viſio Iacobi monachi

Solebat crebrò audire Fratris cuiuſdam conciones, viditque, Domino reluẽte, beatiſſimam Dei parentem librum expanſum corã illo tenere, vndè ille totam ſuam depromebat concionem. Alterius quoquè Prædicatoris, argumentum non præmeditatum tractantis, concionem auſcultans, vidit ſacratiſſimam Virginem comiter illi adſtantem, & quæ diceret, liberaliter ſuppeditantem. Ex ijs autem Prædicatorum ſermonibus multa ſalus animarũ conſecuta eſt: quippè matre Verbi virtute multa verbum euangelizantibus ſubminiſtrante. Itaque vir ſanctus dilexit Ordinem noſtrum, Fratresque ſequebatur, optans vt omnes ſui Ordinis & alij literati Clerici, Prædicatorum inſtituto eſſent adiuncti, ob curandam animarum ſalutem.

Conciones fratrum feruentes & aſſiduæ.

Erant tum Fratrum conciones feruentes, aſſiduæ & voluntariæ. Deus autem, cui placuit per ſtultitiã prædicationis ſaluos facere credentes, effectu gratiæ ſuæ ſupplebat in eis ſcientiæ defectum, vt multos lucrarentur, & ad agendam pœnitentiam permouerent. Cùm irent ad habendas conciones, non niſi S. Matthæi Euangelium & ſeptem Canonicas Epiſtolas ſecùm ferebant. Diuinus enim Pater Dominicus prudenter id ſtatuerat, vt ea apud ſe haberent, & eorũ ſermones tum Euangelica tum Apoſtolica authoritate confirmarẽtur. Ità ſimplices filij Dei ſcientiam principum huius mundi, quæ deſtruitur & inflat, contemnẽtes, per charitatem, quæ ædificat, & per

1. Cor. 8. Prouer. 30.

ſcientiam Sanctorum, quæ ſtultiſſimos hominum facit, ibant, & fructum adferebãt, & fructus eorum manet. Ardebant animi eorum diuini amoris igne: atque indè manantia verba, Auditorum animos inflammabant. Nec ſolùm ille ardor in ſermonibus inerat, ſed magis etiam in actione ferueſcebat. Cùm enim vel in generali, vel prouinciali Conuentu ſiue Capitulo de mittendis vltra mare vel ad Tartaros, aut certè ad alias barbaras nationes Fratribus mentio fieret, dici non poteſt, quàm multi humi proſtrati, cũ multis lachrymis & attentiſſimis precibus ſeſe offerrent. Flagrabat enim in eis ardens deſiderium tum ſalutis animarum, tum pro Chriſto martyrij obeundi. Eum ignem amoris ſui miſerat Dominus in corda Fratrum noſtrorum, vt arderet & accenderetur, & tenebrarum huius mundi præclara lux & illuſtratio eſſet. Ibant igitur accincti virtutibus, & ſancti ſpiritûs flammis ardentes: eratque adſpectus eorum, vt carbonum ignis ardentium, & ignito vehementer eloquio Dei compungebant & incendebant frigidos peccatores, pios & Deo deuotos illuſtrabant, ſurſumq; flamma amoris eos impellente, erant cæteris mentibus puriores & humilitate ſublimiores. Vtinàm recaleſcat ille ignis, &, qui nunc prohdolor eſt in nubilo, feruoris Sol: vt nos accenſos deuoret, ſicut ignis cælitùs miſſus abſumpſit olìm ſanctorum Patrum myſtica holocauſta. O Domine, Domine, perfunde craſſa illa tuę benedictionis aqua, de abſcondito ſacri ignis loco concepta, iamdudùm ſiccos aut gelidos huius ſtructuræ primarios & dignitate maiores lapides, vt accenſa ex eis flamma, tenebroſos illuminet, & tepidos rurſùs accendat, vt quemadmodùm olìm, ſeruiant tibi cum feruore, & tuî ardeant amore.

Ardens deſideriũ animas lucrandi, & martyriũ obeundi.

2. Mach. 1.

Ibidem.

LIBER SEPTIMVS.

Cuius non niſi parua fragmenta habebantur in MS. codice, quem vnicum obtinueram.

De miraculis B. Dominici. Cap. 1.

CVM beatus Pater Iordanus alijque religioſi Fratres, tanquàm ſtellæ radiantes, vt dictum eſt, luce concionum ſuarum & ſanctæ conuerſationis exemplis peregrinantem in huius mundi tenebris Eccleſiam illuſtrarent, beatiſſimus Dominicus iam in regno claritatis æternæ fulgẽs inſtàr Solis, charitatis igneos de ſe radios vibrans, beneficiorum ſpargebat fulgores, & miraculorum fulgura diuina virtute continenter diffundebat, ità vt cordibus fidelium & admirationem & amorem adueheret. Sicut enim in hac mortali vita poſitus, nulli vnquàm charitatis & beneuolentiæ præcluſit ſinum: ità nunc de fonte pietatis ebrius, omnibus ipſum inuocantibus præſtat quod cupiunt, ſummæ maieſtatis potentia fretus. Cuius virtute & beati viri meritis ſalus ægris, lumen cæcis, ſurdis auditus, ſermonis facultas mutis, greſſus claudis reſtituitur. Ità corpora paralyſi diſſoluta, aridita te tabeſcentia, contractis membris monſtroſa, putredine diffluente ſordida, febribus languida, varijs afflicta morbis ſanãtur. Equibus pleraque accurata inquiſitione diſcuſſa, coram Pontifice Gregorio IX. recitata & ab illo approbata ſunt.

Miracula poſt obitũ S. Dominici.

De translatione corporis beati Dominici, ex capite 9. & fortaſsè etiam alijs quibuſdam.

CVmque tota Italia per beati viri merita increbreſcerent tam illuſtria miracula, æquum planè viſum eſt fidelibus, vt corpus eius, hactenùs humili loco conditum, ad altiorem honorificè ac reuerenter transferretur. Indignum enim erat, vt eius oſſa humus tegeret, mortalium pedibus ſubſtrata, cuius ſanctiſſima anima in cælis ſublimiter coronata regnabat. Poſtquàm igitur & dies & hora & modus præſtituta fuêre, qui huic rei ſanctiſſimæ exequendæ & inſpiciendæ ſunt idonei iudicati, conuenerunt: nempè Archiepiſcopus Rauennas, & alij complures Epiſcopi, itemque Ordinis Magiſter humaniſſimus Pater Iordanus cũ Capituli diffinitoribus. Adfuit etiam Magiſtratus Bononienſis, cum multis eius vrbis aliarumque ciuitatum honoratis viris, cum Fratribus deniquè tum clericis, tum laicis. Qui omnes ſepulcrum beati viri ambientes, pariter conſtitêre: atque coram illis ſublatum eſt ſaxum monumẽto impoſitum, ſimulque prodijt è monumento odor ſuauis & delectabilis, vt non tam ſepulcrum, quàm cella aromatica patére videretur. Erat autem is odor ingẽs, omnium nares totamque eccleſiam complens, planè incognitus & aromata omnia ſuperans, diuerſus ab omni odore naturali. Tum verò magiſter Ordinis alijque Fratres cum multa deuotione & reuerentia è veteri capſa tollentes ſacras reliquias, in noua repoſuerunt, eamque clauſam & obſirmatam, illius clauim Magiſtratu Bononienſi retinente, idem Magiſter & Prouincialis Stephanus coram omnibus in ſepulcrum marmoreum tranſtulerunt. Remanſit autem odor illegratiſſimus multo deinceps tempore in priori monumento, & in rebus, quæ in illo poſitæ erant, itemque in veſtibus & manibus eorum, qui ſacras reliquias contigerant: & in præſens quoquè in ſacris oſſibus mirabiliter ſentitur. Facta eſt hæc translatio anno Chriſti milleſimo ducenteſimo tricesimotertio, Indictione ſexta, Pontificatûs Gregorij IX. anno ſexto: ab obitu beati Dominici tertio decimo. Sit per omnia benedictus DEVS, Amen. Collocatis verò ſacris reliquijs honeſto loco & venerabili, ſinguli ad ſua ſunt reuerſi, Chriſtum Dominum in eius fideli ſeruo Dominico collaudantes.

E ſepulcro eius proficiſcitur ſuauis odor.

Eleuatur corpus eius.

Tanta autem per id tempus, tum gratia prædicationis, tum operum mirabilium efficacia & per Italiam, & in alijs prouincijs meritis beati viri in eius Fratribus extitit, vt totus Orbis ſtuperet, & in Saluatoris amorem & laudem exardeſceret. Nam F. Iohannes Vincij, vir vtiquè Deo deuotus, & verbi Dei præco eximius, profeſſione Dominicanus, cœpit tum Bononiæ præclaris fulgere miraculis: idque adeò, vt virtute fidei, diuina gratia efficiente, decem vitafunctos ad vitam reuocârit, aliaque permulta ſtupenda miracula per eum Dominus potenter & benignè effecerit. Porrò eodem anno,

F. Iohannes Vincij ſtupendis claret miraculis.

anno,quo beatiſſimi Patris Dominici corpus translatum eſt,Gregorius IX.Pontifex Maximus ſpectabiles viros, itemque inquiſitores authoritate Apoſtolica miſit, qui de vita,conuerſatione, deceſſu & miraculis ſancti viri accuratè perquirerent. Illi ſtes plena fide teſtimonium dicentes audiêrunt,& dicta eorum ſedes Apoſtolica rata Pſalm.115. habuit & approbauit. Quibus quod longè præſtantius eſt, etiam ipſius Dei teſtimonium acceſſit. Pater enim,& Verbum,& ſpiritus ſanctus,vnus Deus,qui facit mirabilia magna ſolus teſtificatur in Eccleſia ſignis & prodigijs, verè ſanctum fuiſſe Dominicum fidelem ſeruum ſuum. Itaque Pontifex, qui iam antè non neſciebat ſanctam eius in Domino conuerſationem, eumque dum viueret,haud vulgariter charum habuerat, vnà cum Cardinalibus eum cenſuit in Sanctorum album referendum in hac Eccleſia militante, quem non dubitaret cum illis feliciſſimè regnare in Eccleſia triumphante. Itaque anno à partu Virginis milleſimo ducenteſimo triceſimotertio Romanus Pontifex,Pater Patrum, præſentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijsq; Eccleſiarum Prepoſitis non paucis,itemq; Fratribus & permultis Laicis,fidelem Chriſti ſeruum Dominicum Peruſij in ſanctis numerandum pronunciauit, & eius diem feſtum ab omnibus celebrari voluit. Miſit etiam literas per omnem Eccleſiam, quibus eius in Sanctos relationem, vitæque integritatem bona fide declarauit.

S. Domini. cus adſcribitur catalogo Sanctorum.

LIBER OCTAVVS.

Cuius itidèm non nisi exiguum quiddam extitit in Codice MS.

F. Paulus cum ſocijs mittitur in Hungariã.

ANno ſalutis milleſimo ducẽteſimo viceſimoprimo,cùm magiſter Paulus,qui tum Iuris Canonici publicus erat Bononiæ profeſſor, ad ſancti Dominici ſodalitatem ſe contuliſſet,eodem anno ab eodem ſanctiſſimo Patre cum alijs quatuor Fratribus miſſus eſt in Hungariam. Qui cùm in ciuitatem * Laurienſem veniſſent,ad eorum concionem multa hominum frequentia, tanquàm ad nouũ quoddam & inauditum ſpectaculum confluebat. In ipſa verò concione tres pij pueri ſcholaſtici, ſancti Dominici inſtitutum amplexi ſunt. Sed cùm necdùm illic locum haberent, indè egreſſi, in Pannoniam profecti ſunt: vbi eadem nocte Fratri Sadoch,qui erat vnus è quatuor, viro magnæ perfectionis, multa dæmonum turba apparuit,alta voce & cum multo eiulatu clamitans: Veniſtis huc priuare nos iure noſtro. conuerſiq́ue,ad illos tres nouitios, dicebant: Eheu per eiuſmodi paruulos nos pudefacitis. Precibus matutinis abſolutis, F. Sadoch hæc ſocijs indicauit.

Tres pueri ſcolares ordinẽ amplectuntur quod valdè egrè tulit dæmon.

Ea tempeſtate duo fratres in eádem Prouincia ad pagum quendum ea venerunt hora, qua ſolet populus Chriſtianus ad audiendam Miſſam conuenire. Ea celebrata, cunctis ad ſua recedentibus, & cuſtode eccleſiam occludente, ſoli Fratres in atrio remansêre, nec erat, qui humanitatis officio proſequi eos vellet. Vidit autem eos quidam piſcator pauper,& licèt miſericordia moueretur erga illos,non tamen auſus fuit eos ad ſuas inuitare ædes, quòd non haberet, vndè eos reficeret. At nihilo minùs domum properè abiens,indicat vxori propẽſum animum ſuum,dicitque: Vtinàm ſuppeteret nobis,vndè duos Fratres alere poſſemus. Non mediocriter torquent animum meum duo peregrini Fratres, qui ſtant in atrio templi, & à nemine inuitantur. Reſpondit mulier: Non habeo,niſi parùm milij. Iuſſit autem vir eius,vt marſupium excuteret, in quo præter ſpem omnem duos nummos reperit. Itaque mirificè exhilaratus homo: Abi, inquit, celeriter,& altero nummo panem, altero vinum eme: deinde milium & piſces coquito. Fecit mulier, vt iuſſa erat. Vir autem eius abijt ad templum, & eodem,quo reliquerat, Fratres loco ſtantes inuénit, ſecumque lætus ad ſuas adduxit ædes. Qui poſteaquàm in menſa paupere charitatis fercula ſumpſerunt, gratias agentes,abiêre,hoſpiti ſuo vt Dominus retribueret, deprecantes. Itaque reddidit illi Dominus mercedem pro humanitate,quam ijs impenderat,ità vt ab illo die non defuerint ex crumena eius nummi duo, quibus emeret neceſſaria domui ſuæ. Nam ſimulatquè duos expendiſſet nummos, mox alios duos ſibi comperit redditos. Locupletatus eſt igitur agris & ædibus,habuitq́; oues & boues & alia multa. Accepit etiam à Domino hæredem. Poſtquàm autem intantùm eius excreuerant opes, vt iam pro illius ſtatu ſufficerent,deindè ea gratia ſubtracta eſt illi. Porrò deincèps & amauit Fratres, & libenter hoſpitio accepit.

Pauperis piſcatoris liberalis animus.

Humanitatis & hoſpitalitatis egregia remuneratio.

Creſcente

Creſcente verò Fratrum numero, miſſi ſunt quidam ex ijs à F. Paulo in ciuitatem Laurienſem,cuius habitatores palàm ſchiſmatici & hæretici erãt. Ibi Fratres illi multa perpeſſi, cùm reualuiſſent, multos ab hæreſi ad ſanam fidem, à ſchiſmate ad Eccleſiæ vnitatem reuocârunt. Cumque non eſſent immemores deuotionis & zeli beati Patris Dominici,quodque ille Cumanos adire conſtituiſſet, homines Dei prorsùs ignaros, diuino eos ſpiritu permouente, quoſdam ſpectata virtute Fratres ad eos mittere conſtituerũt. Sed illi miris modis & penè ſuprà quàm credi poſſit,ab ea gente afflicti, atque etiam repulſi, ſine fructu coacti ſunt ad ſuos ſe recipere. At tamen ſancto eos inflammante ſpiritu, & zelo animarum incitante, denuò ad eos profecti, per multa itinerum diſcrimina ad flumen eius regionis,quod * Deneper vocant,peruenêre. Sed rursùs crebrò fame, ſiti & multiuaria perſecutione vexati ſunt,alij abducti in captiuitatem, duo interfecti. Qui autem ſuperfuêre, illi incolumes in cœpto concionandi ſtudio conſtanter perſeuerârunt. Et tandèm pijſſimus Deus reſpexit labores eorum & conſtantiam, præſtititque vt barbari homines audirent illos: baptizatusque eſt anteomnes Brutus dux eorum cum quibuſdam è familia ſua. Qui poſt aliquot annos, in veræ fidei confeſſione perſeuérans, obdormiuit in Domino, cùm prùs confeſſus eſſet peccata ſua,& more Chriſtiano ſacram percepiſſet communionem à Fratribus, atque in beatiſſimæ Mariæ ſacello,quod Fratres illic degentes, vt quandoquè ibì ſe colligerent, ædificârant, honorificè ſepultus eſt.

Cumania, eſt quædam Tartarorũ regio.

Duo Dominicani pro fide catholica interficiuntur.

Brutus dux Cumaniæ cum alijs credit.

Deindè verò nobiliorem Ducem Benborch cum mille ferè ex familia eius cõuerterunt,quem è ſacro baptiſmatis fonte non abſque magno gaudio ſuſcepit ſereniſſimus Hungarię Rex. Cumque poſteà ſupremum traheret ſpiritum, dixit ad Fratres,qui illi morienti aderant: Diſcedant à me Cumani omnes, à fide Chriſti alieni. Video enim circa illos dæmones teterrimos. Soli Fratres maneant, & Cumani baptizati. Conſpicio enim apud me Fratres martyrio affectos, qui me expectant, vt ſecum perducant ad gaudia, quæ prædicauerunt. Atque his dictis, cum ingenti lætitia ſpiritum tradidit,humatusque eſt in ſacello memorato. Ità nimirùm profecêre Fratres in illis regionibus concionibus ſuis, tum hæreticos, tum gentiles conuertendo, Domino cooperante,& ſermonem ſignis efficacibus confirmante. Infinita enim miracula virtus diuina meritis beati Dominici in compluribus cœnobijs noſtris in Hungaria effecit, quorum certus numerus iniri non poteſt.

Itẽm dux Benborch.

BASILII EPISCOPI SELEVCIÆ ISAVRIÆ ORATIO, DE TRANSFIGVRATIONE DEI ET *Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Habetur in Simeone Metaphraſte.*

SOL in terram modò emittens radios, ſtellarum quidem choros contegit, Lunæ autem lumen obſcurat, inſigni ſplendore impediens,nè cernantur luminaria: noctis autem curſum reprimit,luce tenebras ſeparans: omnia autem velutì nigra veſte exuens, ea lucis gratia induit, & oſtendit terga continentis coronata floribus, & mare purpuræ ſpeciem præ ſe ferens: & cùm ſit vnus, creatæ, quæ cernitur, naturæ illuſtrat faciem. Verumenimuerò etsì ſit tantus, ad ſummam vſque lucem nondùm peruenijſſe arguitur. Nam & mortales oculi eum audẽt intueri, & ſæpè ſubtercurrens nubes ſplendorem diſcutit, & vmbroſa arbor fulgorem prohibet, & nox freta lege eius, qui eam creauit, in æquilibrio tempus cum Sole partitur. Quoniam enim vita hominum eſt & laborioſa,& cõſtringitur laboribus: propterea diem quidẽ extendit Creator ad operandum: nox autem aduentans & defeſſos inueniens, eos tradit lecto relaxationis, mẽbra quidem ſomno ſoluens,dans autem naturæ præfinitum tempus virium paulatìm colligendarum.

6. Auguſti.

Dei & noctis officia.

Magna eſt igitur,vt dixi,& ſplendida lux Solis,ſed quę vſibus ſolùm hominũ æquali reſpondet proportione. Non eſt autem huiuſmodi lux Domini. Non eſt enim fas, creatam naturam conferre cum creatore. Neque enim ex collatione radiorum ſolis honoratur, neque noctis ſucceſſione occultatur: ſed ea eſt hominibus admirabilis,

& Angelis ad eam non patet aditus. Hac luce indutus Christus Dominus, tanquàm trophæũ gestans, venit è cælo in secundo suo aduentu ad homines. Tunc enim mutata belli figura, veste victoris induitur. Sic enim dicit Propheta, describens belli figuram: Quæ sunt rubra vestimenta tua? Ius enim belli eius, qui bellum gerit, vestem cruentauit. Quoniam enim Deo totius sui consilij & œconomię is est scopus, qui eius in homines declaret benignitatem, variè perficit voluntatem, & ad vsum hominum humiles figuras induit. Sic in paradiso ambulans eum, qui primus formatus erat, se abscondentem hominẽ vocat ad colloquium. Sic inter eum ad homines loquentem nubes interceſſit: & cùm in nouissimis diebus apprehendisset humanitatem, semper appáret conuenienter legibus naturæ ex ijs, quæ patiebatur, naturæ assumptæ fidem fecisse. Huiusmodi sunt, præsepe, partus, fascia, circuncisio, purificatio, & lege constituti precij solutio: crux post hæc, passio & mors. Sed sic quidem fuit prima carnis susceptæ œconomia, humili figura se ad vsum hominum accommodantis. In tempore autem secundi aduentûs mutat figuram, non ampliùs humilem, vt priùs, sed terribilem faciens & præclaam.

Esa.63. Scopus diuini officij. Gen.3. Psal.98.

Illius ergò aduentûs gloriam volens aperire discipulis, dicebat: Sunt quidam ex vobis, qui mortem non gustabunt, donèc viderint filium hominis venientem in gloria patris sui. Atque vos quidem intuentes ad eam, quæ nunc est, figuræ humilitatem, propter ignorationem rationis, eius, quæ celatur; sapientiæ non peruidetis profunditatem, & mensura cognitionis à vobis sumitur ex mensura adspectûs. Tanto enim tempore sum vobiscum, & non cognouistis me. Aperiam ergò vobis aliquã partem eius, quod spectari non potest, spectaculi, & spem futuram deducam sub adspectum. Locutus sum vobis de passione, & obtorpuit animus. Dixi oportere me crucifigi, & illius consideratione metu fractus est animus. Dixi, Si quis vult post me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Afflictionem enim probat Crucis societas: sed memoria passionis robur quoquè solueba tur. Dixi, Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur? & eo sermone vestrum timorem non amoui, sed ità manſit animi perturbatio, quasi amoueri non possit. Rursùs introduxi iudicem, qui non corrumpitur muneribus, qui donis non cõdonat delicta, dicens: Quod enim precium dabit homo pro anima sua? & apud vos fuit dubia oratio. Dixi, Veniet filius hominis in gloria patris sui: & existimâstis me narrare fabulas. Quoniam ergò fuit inefficax oratio, res docebunt. Sunt aliqui ex ijs, qui hîc stant, qui mortem non gustabunt, donèc viderint filium hominis venientem in gloria patris sui. Futuri mei aduentûs nondùm est tempus. Oportet enim fixam esse Crucem, vinci inferos, mortuis proponi decreta libertatis, cùm ex mortuis resurrexero, in cælos ascendere, omnibus proponi certamen prædicationis, per prædicationem dominatũ obtinere Euangelium, & tunc apparére eum, qui in Euangelio annunciatur. Sed vobis mei discipulis studeo priùs donare imaginem mei aduentûs, vt cùm ante tempus spectaculum oculis hauseritis, ea, quæ præcesserint, vobis fidem faciant futurorum.

Matth.16. Iohan.14. Luc.9. Ibidem. Matth.16. Luc.9. Matth.16. Cur in præsentia discipulorũ Dominus se transfiguauerit.

Sunt aliqui ex his, qui hîc stant. Quinam? Non enim omnes. Non enim nunc publico spectaculum: maneat id, quod visum fuerit mysterium, etiam postquàm visum fuerit. Hæc cùm dixisset, inquit, assumit tres discipulos suos, Petrum, & Iacobum, & Iohannem. Hos adhibens spectatores, alios reliquit auditores. Et cùm duxisset in montem excelsum: Rectè excelsum: vt etiam mons haberet descensûs ex cælo imitationem. In montibus cælo vicinis (vt Paulus prædicabat) rapiemur in nubibus in occursum Domini in aërem. Nunc quoquè quærit locum, qui vnà cum nubibus extollitur. Atque spectatores quidem erant parati: oculi autem erant propter spem aperti, & anima cum timore parturiebat spectaculi desiderium. Cùm sic autem futurum expectarent, repentè transfiguratur Christus coram discipulis, & mutatur eius forma: & cùm lucis induisset tunicam, fulguris præ se ferentem speciem ostendit adspectum. O miraculum. Ex humana forma ferebantur radij, qui emittebantur diuinis operationibus. Vidit Sol, quæ non priùs didicit, vt qui doctus sit abscondi alterius luminis illustratione. Constitisti Sol aliquandò, victoriam expectans Hebraicam. Reueritus es Iesum ducem, qui imperauerat, in conseruo honorans Domini appellationem. Nunc vidisti lucem, quam non priùs videras. Hoc spectaculum narrantes scriptores Euangeliorum, alius aliò trahit dictionem, vt qui verbis non possit exprimere spectaculum. Alius enim dicit vtiquè, Resplenduit facies eius, sicut Sol. Alius verò, Resplenduerunt eius vestimẽta, sicut lux. Ijs enim, inquit, quæ videmus, assimilamur.

Matth.17 1.Thes.4. Iosue 10. Matth.17. Luc.9.

Vnà autem vincatur creata quoquè natura, non inueniens similitudinem eius, quod cernebatur. Testantur oculi: lingua enim dicere non didicit. Spectaculũ autem splendore eorum, quæ videbantur, fulguris instàr præstringens oculos, significauit orbis terræ futurum Iudicem. Visæ sunt autem vobiscum præsentes eæ, quæ sunt viuorum & mortuorum ad virtutem primitiæ, vt viuorum simul & mortuorum Iudicem Dominum prædicent præsentibus. Moyses enim virtutis dux & legislator, morte excedit euita: Elias autem diuino zelo accensus, ignis auriga efficitur: & cùm cursũ vectus esset per aërem, leges naturæ transilijt, viam inueniens morte superiorem.

Deut.34. 4 Reg.2.

Cùm in hunc locum perueneris, fac vt in memoriam reuoces Domini rogata, & responsa discipulorum: cùm alij quidem Eliam, alij verò vnum ex Prophetis, alij verò Prophetam nominarent: viderent autem eum adorari à Prophetis. Moyses supplicat, Elias se inclinat: & Dominum esse, non seruum, testantur eum qui aderat. Sed Petrus etiamsì hæc videret, nondùm docetur, vt cuius esset obstupefacta ratio magnitudine miraculorum. Nam propter spectaculi desiderium, omnium obliuiscitur, & loco alligatur superatus à nimio gaudio. Faciamus, inquit, tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. Arguit suam ignorationem, Dominum vnà cum seruis enumerans. Existimauit subiectos, esse Domino æquales honore. Sed non manſit Petrus in hoc vitio ignorantiæ. Nam cùm tonitru desupèr erupisset, cum timore curat ignorationem, propemodùm cum strepitu hoc exclamans: Cur seruos cum Domino comparatis? Vultis scire differentiam? Hic est filius meus dilectus: Illos creauit seruos, hunc filium ex mea genui essentia. Meus est filius, etiamsì serui forma propter vos est indutus. Habet lucem, ad quam accedi non potest, etiamsì propter vos habet moderatos radios. O beatos oculos, qui Christum contemplantur indutum instàr sponsi. O beata lumina, quæ terribilem diem iudicij in miti cernunt specie. Quæ enim cernent trementes Angeli, ea læti viderunt homines. Quænam enim vis oculorum potest diem terribilem subire iudicij, quandò terra quidem mouebitur, & mare, quod hominum ex Adam orta ebulliet corpora: quatientur verò cæli cum Angelis, timorem non ferentes? Complicabitur enim cælum, tanquàm Rege transeunte: repentè verò contrahent satellites vestibuli peripetasmata. Ablato autem cælo, Angelicarum quidem potestatum cum splendore se offerẽt ordines, mille millia Angelorum, & deciès mille millia præcurrentia. Videbitur autem descendens Dominus, insigni luce, fulguris instàr, illustrans omnia.

Matth.16. Vox paterna, quis & qualis fuerit Iesus declarat. 1.Tim.6. Apoc.6. Numerus finitus pro infinito.

Quis ergò corum, quæ videbuntur, sufficiet spectaculo? Quis metum poterit dimetiri? Si enim repentinam non ferimus fulguris coruscationem, sed ea eum, qui cernit, in humum sæpè deijcit: quid dixerit quispiam, exorientem eum videns, qui fulgurat? quandò sonitus tubarum vocabunt mortuos è sepulcris: quandò rumpentur capsæ monumentorum, vinctos emittentes: quandò iudicabuntur proposita, facta & cogitata: quandò vinctus adducetur diabolus, de quo tyrannicarum sumẽtur pœnę cogitationum: quandò separabuntur greges hominum, vt sciatur quis cuinam sit parti attribuendus, quisnam sit futurus Christi iudicis, aut condemnati latronis: quandò simul viuentes & mortui confluent. Erit enim vna omnium adoratio, quandoquidem celeritas resurrectionis faciet eorum, qui immutabũtur, corpora in cursu æqualia, conuenienter voci beati Pauli: Nos qui viuimus, qui relicti sumus, non præueniemus eos, qui dormiêrunt: Nec erit mortuus ijs, qui viuunt, propter sepulcrum tradior. Et omnes eius sententiam expectabunt cum timore, nescientes, an sint auditi, Venite benedicti patris mei: an, Abite in tenebras exteriores, quæ sunt paratæ diabolo & angelis eius: quandò trutina appendens opera, res circunscribet fine conuenienti.

1.Thess.4. Matth.25. Hoc de viuentibus in carne tempore extremi Iudicij intelligendum est.

Huius ergò spectaculi imaginem dedit Dominus Apostolis. Cuius nos terrorem reputantes, mores mutemus ante id tempus, bonis actionibus fiduciam comparemus, & ante tempus Iudicij meditemur defensionem, nè vnà condemnemur cum inimico, qui iudicatur: sed cum diligente Christo in cælum ascendamus, hæredes Dei, cohæredes auten Christi: Quoniam

ei gloria in secula seculorum,
Amen.

ANDREÆ EPISCOPI CRETÆ HIEROSOLYMITANI, ORATIO DE TRANSFIGVRATIONE *Domini nostri Iesu Christi. Habetur in Simeone Metaphraste.*

6. Augusti. Cap. 1.

QVOTQVOT estis, quibus Verbi Dei exinanitione irrationalis vitæ velamen ablatum fuit, & à terra erectam habetis mentem, & quę sunt suprà, sentire didicistis à spiritu, agitè mihi credentes, qui vobis spiritale verborum propono cõuiuium, & oratione in altum ad superiora eleuo, hodiè conscendamus in sublimem montem Transfigurationis: sylvestrem quidem vitam & tenebrosam exuẽtes, à superis autem omninò contextam vestem, & virtutum radijs per rationem omni ex parte decoratam, induẽtes. Nos itaque iam candidatos, & vita, & sermone, & puris ac syncteris cogitationibus à spiritu erectos, ipse quoque

Christus verbum patris substãtiale.

Christus, qui est purum mysterium, qui est genitoris verbum substantiale, qui propter nos descendit è superis, & nostram, vt pauper, benignitate sua carnem susce pit: velit nos, inquam, cum ipso hanc facere assẽsionem. Illum autem velle, ex eo patet, quòd

Matth. 17.

cùm electos suos Apostolos, vt sibi propinquiores & coniunctiores, secum assumpsisset, ascendit in altum montem. Quid facturus, aut quid docturus? Valdè illustrem suę diuinitatis gloriam & splendorem ostensurus. In quem paulò quidem anteà altiore mysterio, nunc verò apertiùs per suam transfigurationem, transmutauit naturam

Gen. 3.

illam, quæ audiuerat: Terra es, & in terram reuertéris.

Cap. 2.

Festũ Trãsfigurationis

Hoc ergò festum hodiè celebremus, naturæ Deificationem, in id quod est melius, mutationem: & ad ea, quæ sunt supra naturam, accessum & ascensum. Quomodò autem, & quanam ratione? Eò quòd tam magna, & naturam vsqueadeò excedens, ad nos processerit eius verbi gratia, quę humanã scilicet vincit rationem, quę omnem mentem & humanam intelligentiam incomparabiliter transscendit, & ex certa & indemonstrabili mysterij traditione propriè facit, vt quod vngitur, illud ipsum sit, quod vngens & est, & nominatur: sola immobili differentia cõseruata mysterio propter eam, quæ confundi non potest, vnionem, secundùm quam præstantioris naturæ victoria, vel (vt magis propriè dicam) inexplicabilis est Deificatio: hãc suî verissimam præbens demonstrationem, nempe hypostaticam eorum, quæ conuenerunt, vnionem, quam admirabiliter & supernaturaliter cognoscimus esse factam, ex ipsa mysterij summa concretione: Illa, inquam, concretione, quæ ad nos attinet, & ea quæ inferiùs & propter nos fit, purissima verbi compositione, eiusque ad nostram substantiam deductione, & secunda generatione, quæ fuit ex Virgine matre sine patre. Vndè secundùm veridicam & mysticã Theologorum doctrinam, tanquàm ex aliquo perenni fonte, per in infinitum munificã gratiam syncerę Deificationis, ad nos magnum hoc procedit donum. Hoc admirãtur Angeli, hoc glorificant Archangeli, hoc omnis supermundanorum intelligibilis ordo, qui pascitur immaterialiter, pro euidẽtissima & verissima Verbi in nos benignitatis significatione habuit. Cuius quidem benignitatis infinitum & immensum pelagus cùm ordo ipse cõtemplatione non possit comprehendere, talem bonitatis incomprehẽsibilitatem initium constituit maioris contemplationis & assensionis.

Cap. 3. Benignitatem Dei erga humanũ gen. nemo potest satis laudare.

Hoc ipsi quoquè nunc laudare quidem volumus, non possumus tamen pro dignitate. Quomodò enim? cùm ad id omni ex parte perfectè laudandum ne Angeli quidem possint peruenire: qui primum contemplantur splendorem, & circa diuinitatem, vniuersarum rerum Dominam, choreas perpetuas ducunt: nedùm terrenis vinculis alligati homines, (vt ait diuinus Ieremias) & quibus affert impedimentum caligo huius miseri, & humilis, & deorsùm grauãtis corporis, per quod ne obscuram quidem aliquam nobis licet imaginationem percipere beatorum, & quæ intelligentia comprehenduntur spectaculorum, dum terrenarum rerum affectibus mens nostra detinetur: quo fit, vt summum illud ac supremum appetendum bonum difficulter appetamus. Verùm quoniam Deo gratum est id, quod fit pro viribus, licèt omninò necesse sit de his longè minus dicere, quàm eorum dignitas postulat, propterea quòd verbis exprimi, & cõtemplatione comprehendi non potest mysteriũ: id tamen aggredi minimè est pertimescendum: necid, quod omnem superat orationem, dubitandum est oratione honorare pro viribus. Non est enim rationi consentaneum, nec iustum. Nam hic quoquè est scopus orationis, ostendere id, quod laudatur, omnem superare orationem. Quamobrèm oratio suam ostendens imbecillitatem, cum eo comparata, quod celebrandum est, propositum assequetur: ità vt superata, meritò coronanda sit, cùm rectè se gesserit, in quibus non vicerit.

Sed redeamus ad propositum, vel potiùs prompto & alacri animo in montem as- Cap. 4.
scẽdamus. Aliquandiù tamen ad montis radices versantes, Verbi pulchritudinẽ, quæ est ante assensum, admiremur: cùm quidẽ liceat ijs, qui ità præparati ac prouecti fuerint, vnà cum verbo ascendere, ea, quæ sunt maiora, cõsequi, nube illustrari, indè oculis hebetari, excedere ab ijs, quę videntur, quæq; humana mente percipiũtur: prętereà eo, quod modum excedit, lumine initiari in ijs, quæ superant hominẽ, (cùm priùs scilicet fuerint expurgati ab omnibus materialibus) deincèps autem propter ea, quæ dicta sunt, illam quoquè beatam, quæ è superis à patre profertur, vocem in excelsis audire: quæ quidem verè suo testimonio vnigenito tribuit diuinitatem, & nobis euidenter ostẽdit eius, qui est ante secula genitus, essentiam eandẽ esse cum eius, qui genuit, essentia. Vt ergò hoc fiat, agè quantùm licet, mysteriorũ duce freti spiritu, consideremus ea, quę vulgus non potest contemplari: quo quidem vel solo mens ea videt, quæ sensum superant: & per eum nos iucundè oblectemus ijs, quę facta sunt in Domini transfiguratione. Mysticæ einim conremplationes (vt ego quidem existimo) cò

Scopus Dõminicę trãsfigurationis.

spectant, & hic est scopus transfigurationis, & mysteriũ ipsum sic à nobis laudari conueniens est. Res enim postulat, vt nos intelligentes altitudinem eorum, quæ in ipso facta & dicta sunt, imitatione eius, qui fuit transfiguratus, cognitione efficaciorem attrahamus gratiam, quæ in nobis ipsis admirabile hoc & nouum mysterium operetur.

Quid ergò dicit Euangelium? Decet enim huius contemplationis, aut præclari Cap. 5.
conuiuij, aut nescio quomodò vocãdum sit, quod propter gratiæ magnitudinem linguam vincit & cogitationem, hinc iacere fundamentum. Mathæus quidem narrat Dominum dixisse discipulis: Amen amen dico vobis, sunt quidam de hîc stantibus, qui Matth. 16.
non gustabũt mortem, donèc videant filium hominis venientẽ in Regno suo. Et post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Iohannem fratrem eius, & ducit illos in Matth. 17.
montem excelsum seorsùm, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius, sicut Sol: vestimenta autẽ eius facta sunt alba, sicut nix. Et eccè apparuerunt illis Moyses & Elias, cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, eccè nubes lucida obumbrauit eos. & ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerũt valdè. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dicẽs: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisì Iesum solum. Et descendentibus illis de monte præcepit Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem hanc, donèc filius hominis à mortuis resurgat.

Porrò autem Marcus quoquè magna ex parte conuenit cum Matthæo, & verbis Cap. 6. Mar. 9.
& sententijs cum illo congruens, & habens eodem spiritu inspiratam animam, mentemque informatam. Quòd si paululùm discrepare ab vno, vel à duobus visus fuerit, non propterea, nec illi vni, nec alijs contrarius est, vel repugnat. Aut enim alio modo, quòd ad phrasim pertinet, (vt paucis de his disseram) res gestas verè illi narrauerunt: aut quæ ab hoc fortassè, vel ab illo Euangelista sunt prætermissa, vnus, aut plures tradentes, videntur dissentire: sicut nec omnes communiter eodem ordine, nec vllus scparatim ex quatuor scripsit omnia, quæ inexplicabili dispẽsatione in carne fecit Verbum, factum quidem caro, sed non desinens esse Deus: etsì vnum scopum, nempe veritatem ipsam, haberent omnes quatuor, & totum vi ac potentia per partem cõprehensùm simul exponerent, vt sæpè accidit propter eloquiorum inter se spiritûs cõsensionem & conuenientiam, & membrorum instàr in vno corpore commissùram & compositionem, quæ habet continuationem indissolubilem. Eorum autem, quæ dicuntur, veritati ferunt testimonium non ea solùm, quæ separatim apud ipsos, aut apud quosdam eorum inueniuntur: sed illud etiam, quod excelsus Iohannes in ipso fine Euãgelij scripsit. Ità enim habet: Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur singulatim, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scriberẽtur, libros. Iohan. 21.

Vndè in Euãgelistis quædam videatur dissonantia.

Eadem autem de Luca quoquè dici possunt: qui quidem exponens gratiam trans- Cap. 7.

Luc.9. figurationis,ea etiam, quæ viſibiles res excedunt, myſticè innuit,& paulò progreſſus à Marco & Mathæo diſſentire videtur: quanuis in eo,quod verum eſt,enarrãdo, cum vtroque conueniat. Is enim ſcribit,Saluatorem ità ad diſcipulos ſuos locutum fuiſſe: Dico autem vobis verè,ſunt aliqui hîc ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donèc videant regnũ Dei. Factum eſt autem poſt hæc verba,ferè dies octo.Sed quid dicemus, cùm Marcus & Matthæus velutì vno ore loquentes hæc dicant: Et poſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum,& Iacobum,& Iohãnem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorsùm, & transfiguratus eſt ante eos? Ad hæc reſponderet beatus Lucas: Nihil ex ijs,quæ à me & ab illis dicta ſunt,poteſt eſſe magis in omnibus vnitum & coniunctum. Verè enim inter nos conuenimus,& eandem vim habent, quæ à me & ab illis dicũtur.Illi enim die prætermiſſo,quo id,quod paulopòſt erat à Verbo faciẽdum, Apoſtolis communiter eſt prædictum: & illo rursùs, in quo id, quod prædictum eſt, Verbum fecit admirabiliter,eos,qui ſunt inter duos, primum, inquam, & vltimũ, vel potiùs inter primum & octauum, numerant: qui quidem ſunt apertè ſex: quibus duos coniũxeris, principium & finem coniungens medio, id quod quæritur,habebis ſine contradictione, & noſtrarum ſcripturarum inter ſe conuenientiam videbis Sole clariùs & puriùs eluceſcere,cùm veritas ipſa ſingulari reſplendeat pulchritudine.

Matth.17. Mar.9.

Conciliat dicta Euangeliſtarum.

Cap. 8. Sed poſteaquàm quod Lucas de hac re ſcripſit,id cum alijs conuenire & congruere docuimus,agè iam in adyta ipſa ingredi auſi, myſticorũ, quæ in verbo ſunt abſcondita, ſpectaculorum decus aperiamus eo, quod appáret, tanto clarius, ſecretius & perennius,quanto eſt ſpiritus carne excelſior. Sitis autem mihi priùs purgati & auibus, & cogitatione, ô chari, myſterijs Verbi eruditi atque initiati, & rerum honeſtarum ſtudioſi, ſpiritu omnia purgante & illuminante, vt vobiſcum,tanquàm cum miliaribus, coaleſcens, Verbum habeat conſuetudinem, & ijs, qui non didicerunt, perfectiorem oſtendat myſteriorum rationem. Sed nunc quoquè mihi adſis,ô Euangeliſta & doctor veritatis, qui Euangelicorum verborum & ſententiarum eam,quæ eſt inter vos inuicèm, concordiam & conſenſionem oratione oſtendiſti & adaptaſti qui Chriſtum in Paulo loquẽtem intrà teipſum quoquè attraxiſti ſpiritu, & Pauli imitatione,ab ipſo prædicatum Euangelium,litera & ſpiritu conſtituiſti,magna tuba pietatis effectus, & circunſonans omnes fines orbis terrarum. Neſcit enim vno loco circunſcribi, quæ non poteſt circunſcribi, gratia. Et ſis mihi dux,ô vir laudatiſſime,in hac ſacra contemplatione, mentem meam tranſmittens ad occulta & verè beati Chriſti Regni ſpectacula.

Auditores rerum diuinarũ quales eſſe debeãt.

2.Cor.13. 2.Cor.8.

Cap. 9. Senarij numeri perfectio. 1.Cor.1. Gen.1. Anima hominis immaterialis; corpus verò materiale. Matth.25. Charitatis ſpecies ſiue filiæ. Matth.22. Charitas, diuinæ ſcri-

Quid ergò dicimus,fratres,& quodnam eſt hoc verborum conuiuium & contemplatio, ad quam vos prouocamus hodiè, & ad quam vos volumus accedere cum ſpiritu? Senarium numerum dicunt ij,qui ſunt in his rebus exercitati, ſolum intrà denarium numerum eſſe perfectum, vt qui ex ſuis partibus conſtet & compleatur.Chriſtus enim,qui eſt Dei ſapiẽtia & virtus,qui verbum inſigniter bonum, qui vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ſex quidem diebus fabricatur id totum, quod appáret: Quineiam hominem, qui conſtat ex immateriali anima, & materia corporis. Porrò autem charitatis quoquè, qua nihil eſt ex bonis excelſius, neque cum ea comparandum,ſe ipſe apertè enumerat ſpecies, in quibus in ſeipſum apertè ſuſcipit eam, quæ in egẽtes exercetur, benignitatem. Miſericordibus enim miſericordia repenſans miſericordiam, & vt munificus tribuens dona eius, quæ illic eſt, beatitudinis, eis, cùm iam digni habiti fuerint,vt ſtent à dexteris,dicet:Venite benedicti patris mei,poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſurijt enim, & dediſtis mihi manducare: Sitiui,& dediſtis mihi bibere: Hoſpes eram,& collegiſtis me: Nudus,& operuiſtis me: Infirmus, & viſitaſtis me: In carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes: Domine, quandò te vidimus eſurientem, & pauimus? Sitientem,& dedimus tibi potum? Quandò autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? Aut nudum,& cooperuimus te? Aut quandò te vidimus infirmũ, aut in carcere, & vénimus ad te? Et reſpondens Rex,dicet illis: Amen dico vobis, quandiù feciſtis vni de his fratribus meis minimis,mihi feciſtis. Cùm ergò tot ſint & tales charitatis ſpecies,ſicut in Euangelijs ipſa apertè clamat veritas: per charitatem autem, in proximum conſerantur: per quam etiam ea, quæ ſperatur, beatitudine dignus efficitur, qui eius vere intenſam habet appetitionem: cumq; in duobus mandatis pendeat tota Lex & Prophetæ, vt Verbum aſſerit in Euangelijs, hinc patet charitatem eſſe rem, quæ omnia bona maximè continet,& eſt ſumma omniũ,quę per ſanctam declarãtur ſcripturam. Neque

Neq; eſt vlla virtutis ſpecies,per quam homo Deo fiat familiaris,& ei coniungatur,& ſit ſupernæ gloriæ & Regni hæres,nisì dependeat à charitate, & ab ipſa comprehendatur,inexplicabili ratione contenta & cuſtodita.Quocircà ſummam inter homines perfectionem & puritatem eius,quæ in agendo verſatur, Philoſophiæ: cuius finem dicunt eſſe bonum,quod quidem eſt ipſe Deus,ſola perfectè charitas,quę per ſenarium ſuarum partium numerum rectè perficitur, conſtituit. Quo facto, Deo quoq; hominem coniungit inſigniter,ignem accendens Theologiæ.

puræ ſummæ.

Sed quanam de cauſa dicta ſunt hæc? Dico,quòd ſi quis voluẽrit in excelſum contemplationis montem,tanquàm diſcipulus vnà cum Verbo extolli,& illius Regni,ad quam adiri non poteſt,gloriã ſpectare, eiusq; dignus haberi ea apparitione, quæ tam ſenſu,quàm intelligentia percipitur:ille,inquam,poſtquàm audierit Chriſtum prædicentẽ,fore vt breui veniat eius Regnum: (hoc enim innuit Transfiguratio, per quam is,qui eſt immutabilis, pluſquàm Sol, quòd ad nos quidem & noſtra attinet, reſplendiuit)nutriet quidem & potabit Chriſtum,qui eſurit & ſitit omnium ſalutem: nutriet, inquam,& potabit illum per egenos, habitantem in omnibus, qui eum per fidem accipiunt. Colliget autem hoſpitem, induet nudum, curabit ægrotum, & eum, qui eſt incluſus in carcere,non deſpiciet,ſed viſitabit,benefaciẽdi vehementi motus deſiderio:Immò per laudabilem honeſtarum rerum inſatiabilitatẽ,non conſiſtet in ijs,quæ videntur: neque ea,quæ eſt in res exteriores, benignitate circunſcribet ſuam in benignum Dominum benignitatem: (hoc enim audeo dicere, hæc verba conſiderans: Quodcunq; vni horum minimorum feciſtis,mihi feciſtis)ſed etiam procedet vltra id, quod appáret,& animarum paſſiones curabit, & conuenientem medicinam excogitabit: & in loco quidem paſcuæ collocabit animalia ratione prædita,& nupèr formata ad pietatem:Super aquam refectionis autem ea educabit: & cum quidem, qui peregrè à ſua profectus eſt patria, verſatur verò & errat in terra aliena, eũ reueritus, qui propter nos hoſpes factus eſt,in domum ſuam, quæcunq; ea ſit, lubẽter deducet, abducens quidem à terrena vita, & quæ poteſt diuidi, ad vnicum autem & cæleſtem ſanctorum cœtum traducens,in quo verſatur Paulus,& ij,qui timent Dominũ. Quinetiam videns alium paternis nudatum facultatibus, & exurum veſte incorruptionis, quæ eſt in libero animi arbitrio,nuditatẽ miſeratus, rursùs induet eam, quæ eſt ſecundùm Deum,& eſt beata,vitam introducẽs. Quid autem? eúmne,qui eſt fide infirmus, & in eorum, quæ ſunt facienda, diſcretione puerili ſe gerit cogitatione, præteribit ſilentio? Nequaquàm,ſed ad deſideratam ſanitatem,& proprium finem illum reuocabit citiſſimè, veritatis verbo fugãs affectiones irrationabilitatis, & innatam rationem proprio reſtituẽs principio,iram & cupiditatem,bigam partis animæ patibilis,ſecundùm rationem ſubiungẽs rationi,erigensq; & mouens ſpiritu ad ea,quæ oportet. Ad hæc eum quoquè,qui eſt concluſus tenebris ignorantiæ,prohibetur autem videre lucem * inerrantis cognitionis,* prouidẽ ad locum veniens tenebroſum, tanquàm per quendam * angelum,per rationem,quę mentem illuminat,diſruptis vinculis ignorationis,deducet ad lucem eius, quæ eſt ſecundùm Chriſtum, libertatis & inſtitutionis, neq; ſeruitutis iugo deincèps alligatum, neq; ad cæleſtem pulchritudinem mente libera aſſcendere prohibitum.

Cap.10. Opera miſericordiæ corporalia. Epheſ.3. Pſal.22. Item ſpiritualia. Philip.4. *pro,non errantis. for. ſpindè fo. angubi

Et hæc omnia, & quæ ſunt huiuſmodi, probabili ratione & modis probabilibus, charitatis facibus in animo accenſis,oſtendet dupliciter.Cùm nos enim ſimus duplices,vt qui conſtemus ex anima & corpore, duplex quoquè eſt curatio, qua ipſi & oẽs homines indigemus:etiamsì ille quidem plùs,hic verò minùs,quandiù fuerit mutationi ſubiectum liberum arbitriũ, & ex ſe acceperit materia id, quod eſt inordinatum & inæquale,externisque moleſtijs & difficultatibus fuerit obnoxia.Quãobrèm oportet nos nobis vti inuicèm benignè & humaniter,vt alioquì noſipſos afficiamus beneficio.Beneficiũ enim cùm ſeipſo maius euaſerit apud eum, qui accepit,ad benefactorem reuertitur copioſius.Eo autẽ euidenter homo Deum imitatur. Imitatio verò eſt familiaritas & coniunctio. Coniunctio autẽ eſt aſſimilatio. Illa verò eſt ſummum bonorum. Vides quantus ſit fructus benignitatis? Sic enim aliquis, cùm perfecto mandatorum ſenario ſeruilem omnem timorem expulerit,& praua vitiorum moleſtia ſe, quoàd eius fieri potuerit, expurgauerit, & in charitate fuerit conſummatus, præmium virtutis recipiet per naturalem, quæ eſt in ſpiritu, contemplationem, certam ſcilicet cognitionem eorum, quæ ſunt tempori & naturæ ſubiecta, intelligens mundummaterialem,& qui videtur, ex diebus conſtantem, eſſe figuram eius, qui ſenſum

Cap.11. Duplex hominis curatio neceſſaria.

Mūdas ma-teria ſit typ° mund. inuiſibilis.

tranſſcendit: & per eum qui videtur, pulchrè videns eum, qui non videtur: apteque & concinnè ad earum rerum, quæ intelligentia percipiuntur, & plurima luce illuſtrantur, ſpeciem traducens pulchritudinem eorum, quæ appárent. Et ſic creatã naturam ad ſuum authorem eius mentem perducẽtem habebit, adeò vt per vtraque, actionẽ, inquam, & contemplationẽ poſt eam, quæ eſt in vtriſque, perfectionem, quæ per diuinorum mandatorium ſenarium, & per dies etiam ſignificatur, in quibus conſtitutus fuit mũdus, qui cernitur, poſſe purè intelligere octauæ diei myſterium. Quod quidem per Lucæ myſticam doctrinam (vt mihi quidem videtur) patefactum viderit aliquis ex ijs, qui ſunt dediti contemplationi, & qui ſenſum ſuperârunt. Id autem, quod dicitur, & ea, quæ ſunt futuri ſtatûs, veram extra carnem & mundum guſtantes cognitionem, quoàd eius fieri poteſt, hîc etiam ex ijs, quæ ſunt experti, didicerunt.

Cap. 12. Sed hęc quidem, quòd attinet ad iter muniendum glorię & gratię, quæ eſt in monte aperienda ijs, qui ſunt perſpicaciores. Quandò autem cum Ieſu intrà nubem fuerint, tunc longè apertiùs & excelſiùs, per verbi veſtes, quæ tanquàm nix dealbatæ fuerint, & reſplenduerint ſicut lux, digni habebuntur myſtico eorũ, quę priùs dicta ſunt, ſpectaculo, iam ſignis veritati cedentibus. Verbi autem veſtes, ſecundùm ſpiritalem conſiderationẽ, intelligi poſſent tam illæ, quibus contegitur, quàm quibus detegitur: quod eſt profectò admirabile, & præter opinionem. Quomodò? Per vnam quidẽ ſpeciem, quæ anagoge dicitur, (vt mihi quidẽ videtur) ſignificant ea, quæ à Saluatore noſtro dicta & facta ſunt, in illa vita impolluta, immaculata, altiſſima, integra & incorrupta, quæ mundo apparebat per carnis ſuſceptæ diſpẽſationem: quæ ab omni quidem improbitate erat libera citra comparationem: omnis autẽ puritatis & ſanctitatis noſtræ cauſa, & exemplar naturæ: quod is, qui ſuperſubſtantialis eſt, cùm verè ad ſubſtantiam noſtram veniſſet, & ſupra ſubſtantię conditionem ſubſtantiam humanam ſuſcepiſſet, cum hominibus verſans, nobis reliquit: qui etiam in monte inſigniter coruſcauit: non vt qui ſeipſo euaſerit clarior aut excelſior: Abſit: ſed qui id etiam, quod priùs erat, diſcipulis, qui in altioribus initiabantur myſterijs, verè cerneretur. Ea ergò, per quæ illa vita conſtitit, verba & facta, quibus etiam infinita in nos diſpenſationis altitudo Verbi oſtenditur, non abſurdè pro veſtibus Saluatoris accipientur, aut illa per eas

Veſtes Chriſti myſticè.

*ſpiritûs ſignificabuntur, * ſpiritu purgatione vtraq; tanquàm lux reſplendentia, propter perfectam puritatem & ſummam claritatem.

Cap. 13. Alio autem modo Verbi veſtes intelligi poſſent, (quæ res, vt arbitror, non indigna eſſet ſpiritu) eorum ſcilicet, quæ ab ipſo verbo procreata, & ad eſſentiam producta ſunt, magnificentia: quinetiam ſacra ſcriptura: Illa quidem, vt quæ creatorem & authorem purè aperiat latentem, quippè qui neque oculis cerni, neq; loco capi poſſit: Hæc autem, vt quæ verbum, quod myſticè ac libenter in ea verſatur & reſonat, oſtendat ineffabiliter ijs, qui ſunt digni ſpiritu. Vtraque enim per ſpiritum expurgantur & illuſtrantur, & talia puritate oſtenduntur rerum diuinarum amatoribus, & ijs qui delectantur contemplatione, qualia non poteſt fullo dealbare in terra. Spiritus enim, inquit, omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Atque ſic quidem per veſtes, quod intrà eas celatur, Verbum ſeipſum aperit, & cognitionis ſuæ lucem immittit, illis ſcilicet, qui, vt Petrus, Iacobus & Iohannes, perfecti ſunt ſpiritu. Ex quibus ille quidem, vt Petrus, ſupra petram ſtabiliter fundatus, & fidei fundamentum, & eam, quæ fit per virtutes, Eccleſiæ diſpenſationem in ſe ſuſcipit: His autem, vtporè filijs tonitru, excelſæ Theologiæ myſtica contemplatio creditur, & vt qui baſim habeant ſolidam, & quæ non poteſt labefactari, nempe petram immobilem. Et ille quidem profundum, hi verò latitudinem, vt arbitror, & altitudinem fidei ſignificãt, quæ eo, quod compræhendi non poteſt, myſterio æqualiter omni ex parte omnem excedũt infinitatem. Sed tales quidem ſunt Saluatoris veſtes, & ſic effulgentes.

Cap. 14. Facies Domini cũctis rebus amabilibus pulchrior & precioſior.

Faciem verò ſupra modũ coruſcantem, pulchritudinẽ inſignem, quæ omnibus rebus amabilibus eſt altior & precioſior: quæ ijs, qui vident, conciliat lętitiã indiſſolubilem: quæ quatenùs compræhẽdi videtur, eoipſo manifeſtatur: quippè quæ vel extrinſecùs occultè appareat, quæ eſt diuiniſſima, & omnium recentiſſima: quæ mens, aut oratio inſpiciet, aut explicare poterit? Si enim tales ſunt veſtes propter ſplendorẽ intrinſecùs ſcaturientem, certè quod à veſtibus tegitur, vt quod viſum ſuperet & cognitionẽ, ſi ipſum per ſe ſolum fuerit, omni ſpoliatũ integumento, (quid hoc dico?) ſi vel in ſola ſancta ſua veſte fuerit, quam cùm ex virgineis ſanguinibus cõſtruxiſſet, ſibi per ſpiritum myſticè coagmentauit: quis id eſſet viſurus? Non eſt, inquam, non eſt aliquis ex

ex creata natura, qui eius ſummum ſplendorem poſſit capere. Nam etsì bonum eſt eiuſmodi, vt nulli ex omnibus ſit incommunicabile, nõ totum tamen id, quod eſt, ſed quantùm, & quatenùs aſſequi poſſunt ij, qui ſunt participes, capi poteſt: idq; propter ſummam eius bonitatem, infinitis ad omnia procedit & profunditur illuminationibus. Cuius rei demõſtrationem affert id, quod beato & celeberrimo quodam modo paſſi ſunt ſancti Apoſtoli in monte, quandò ad quam adiri non poteſt, & eſt temporis expers, lux propriam carnem inſigni propriæ lucis ſcaturigine transformans, illuſtrauit eos ſupereſſentialiter. Nam cùm ab omni macula alienæ illius carnis radium ferre non potuiſſent, qui oriebatur ex Verbi diuinitate, qui erat carne vnitus in hypoſtaſi, & per eam ſupra naturam emanabat, proni cadunt in faciem.

Deus quatenùs capiatur à creaturis.

Cap. 15. O miraculum: Propter veriſſimam naturæ ecſtaſim graui ſomno & metu correpti, obſtructis ſenſibus, cùm omnem intelligendi motionem & appræhenſionem omninò amiſiſſent, ità in diuina illa, & lumen exuperante, & quæ in adſpectum non cadit, caligine cum Deo verſabantur, eõ quòd omninò non viderent, verè ipſum videre acquirentes: & per id, quod eſt eiuſmodi, vt nulli cognoſci poſſit, inſignem ſibi parantes ignorationem, omniq́ue intelligenti attentione excelſiorem vigilantia per ſomnum illum myſticè initiati. Fit autem admirabiliter in re admirabili vigilantia ſomnus, vel potiùs ſomnus ipſe vigilantia: cùm cognoſcendi appræhenſionibus quieſcentibus, rerum ſupernaturalium notitia credita illis fuerit. O quis mihi dederit tantam, quantam cuperem, eloquentiam? Quis eſt, qui pro dignitate poſſit vnà extolli cum ipſo myſterio? Quiſnam intelligentiæ motus, ſi ad hoc ſolùm adſpexerit, non protinùs omninò extinguitur, cedens miraculo, ad quod adiri non poteſt? Hoc Dauid quoquè, cùm procùl, vt arbitror, animaduertiſſet ſpiritûs receptaculum, regale & propheticum inſtrumentum, diuino ore clamauit ad Deum vniuerſorum, dicens: Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. Quid verò? quale & quantum foret reuerà myſterium Transfigurationis, propter quod exultaturi eſſent Thabor & Hermon, vt quod nec verbis exprimi, nec mente compræhendi poſſit, ſilentio honorauit: quippè quod ab ijs, qui ea re digni eſſent, & experiẽtia ipſa (ſi fas eſt) didiciſſent, cognoſcendum foret.

Caligo diuina lucem ſuperat.

Pſal. 88.

Cap. 16. Poſtquàm autem ad hunc locum peruẽni, ea quoquè, quæ à Petro dicta ſunt, conſentaneum mihi videtur tractando declarare oratione: quæ, neſciens quid diceret, à ſancto ſpiritu poſſeſſus, præ gaudio eſt elocutus. Ea enim, quæ facta fuerat, apparitione luminis, & diuina contemplatione ſupra naturam, lætatus & delinitus Petrus, & Deo totus afflatus, cùm motum animi verbis explicare non poſſet, & rurſùs ſilentio diffluere gratiam non pateretur, non ſtultitiæ, nec ſtoliditatis (vt exiſtimauerint aliqui) verba loquitur: ſed ea verba effatur, quæ ſunt genita & producta ab illo ineffabili myſterio, & illa planè diuina operatione. Quid autem dicit? Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. Quamobrèm, Petre? Vt à turbulenta, inquit, hominum vexatione liberati, & anima & ſenſu per ſeparationem à turbis (quomodocunquè eæ intelligantur, aut dicantur) purgati, inexplicabili tuæ Diuinitatis apparitione hîc fruamur ſine intermiſſione, ô Domine. Eo autem quidnam fuerit melius? Quid verò ijs, qui ſapiunt, deſiderabilius atque amabilius? Quamobrèm, ſi velis, Domine, faciamus hîc tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Eſt enim honeſtum, vt à litera legis, quæ occidit, quæ per Moyſen ſignificatur: & viua lex naturæ, quam oſtendit viuus Propheta, hîc apud te habitet: Verbum, qui homo factus es, & habitâſti inter homines: qui verè es requies, qui vitæ & mortis Dominus, cui omnes ſancti viuunt, quanuis à membris humanam concretionem componentibus ſegregati, naturalem mortem paſſi ſint: qui es Rex vniuerſorum, & qui omnia contines, & es author omnium: vt diffuſa tua, ad quam accedi non poteſt, luce ipſi quoquè illuſtrati, te, qui in eis habitas & inambulas, Verbum mundo faciant manifeſtum, priorem quidem ſuam vitam deponentes, ſolam autem tuam, quæ tuo ſpiritu & igne diuino conſtat, Euangelicã admittentes gratiam: quæ eſt excelſa & immaterialis, quæ nunquàm deſinit, neque conſenęſcit, aut interit: ſed ſemper feruore ſpiritûs ad id, quod eſt maius & diuinius, procedit, & extollitur per gratiæ infinitatem.

Matth. 17. Verba Petri quomodò ſint intelligenda.

2. Cor. 3.

Iohan. 1.

1. Tim. 6.

Cap. 17. Iam verò cùm de nube quoquè, & de ijs, qui cum Ieſu ſimul loquuntur, cõueniente ei, quæ latet in abdito, ſententiæ, pro viribus perſcrutati fuerimus, nè ſimus procùl remoti ab ea, quæ ſignificatur per ipſa, cõtemplatione. Eſt ergò nubes lucida noſtro Verbo conuenienter, ex qua etiam procedit vox Patris, quiſnam ſit, & vndenàm ſit

Nubes lucida, Spiritus ſanctus.

sit transfiguratus, clarè prędicans, columba illa, quę in Iordanem pauloantè deuolauerat: spiritus ille sanctus, qui in columbæ specie descendit ex superis, & mansit super illum ipsum, qui baptizabatur & baptizabat, cõuenienter testimonio Iohannis, in spiritu & igne: in quo etiam habet inseparabilem (si ità dicere oporteat) mãsionem, per eam, quæ est inter ipsos inuicèm personarum collocationẽ. Hæc de nube sentire docemur à magno Apostolo, quem in his magistrum habemus. Hic scribens ad Corinthios: Nolo, inquit, vos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare trãsiẽrunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & mari. Nube spiritum, mari aquam figurari sentiens, ex quibus & per quæ est fons baptismi, regenerationis, vel potiùs diuinæ generationis maximum donum & pulcherrimũ. Neque enim potest aliter aut in filio pater, aut in patre filius inspici, nisi in sancto spiritu: qui à patre quidem procedit, in filio autem per essentiam versatur & quiescit, vt quisque eiusdem cum vtrisq; essentiæ, & sede honoreq; æqualis. Hîc igitur idem, quod in Iordane, Trinitatis declaratur mysterium, quod admirabili vnione, & planè vnitate eius, quæ omne superat principium, & principio caret, diuinitatis continetur, & appãret per eadem verba. Addam autem per res quoquè ei, qui diuinè cõsiderat, & transcendit omnem creatam naturam ductu spiritus.

Matth.3. Luc.3.

1.Cor.10.

Cap.18. Hoc autem est, per quod nube illuminati, & luce vultûs Domini omni videndi priuati visione, ij qui prælati fuerant cæteris Apostolis, vt Transfigurationis in monte essent inspectores & testes, fuerunt extra omnia, quæ videntur & intelligũtur, atque adeò etiam seipsos: vt, quod omnem Deificationem, & ablationem insigniter exuperat, per verbi apparitionem, & spiritûs adumbrationem, & quæ ex nube desupèr ferebatur, Patris vocem, perq; visûs priuationem & ignorationem, supereſſentiale docerentur mysterium. Sub hac nube sunt Moyses & Elias, & vnà cum Iesu colloquentes cernuntur, & eius prędicantes excessum, qui futurus erat per Crucem. Ex quibus ille quidem scriptam, vt priùs dixi, legem, hic autem legem significat naturalem, vt qui per vtrosq; multifariàm multisque modis (vt Apostolicè dicã) legitur & prædicatur Verbum, huius quidem effector, illius verò perfector cognoscatur: & vni quidẽ seipsum beatum finem imponat: alteram autem iam inueteratam, & quæ ijs, qui erant ratione prædĭti, propter rationis egestatem effluxerat, renouaret spiritu: & cùm vtriusque legis homines ad seipsum collegisset, & ad spiritalem & materiæ expertem redegisset gratiam, ostenderet eos in se nihil omninò inter se differre: qui etiam euanescuntabditi sole Euangelij, vel potiùs illuminati, & in altum sublati: &, vt dicã id, quod est magis ad illum ipsum Solem in vnum congregati, cedentes ei, quod est præstantius, & omninò ab eo superati.

Luc.9. Lex scripta. Lex naturalis. Hebr.1. Lex Euãgelica omniũ præstantissima.

Est autem beatus, qui, cùm contactu Verbi carne crassa induti, & subiecti ei, quem nos habemus, sensui, eorum, quæ mysticè apparuerunt, acceperit cognitionem, gratiam non affecit contumelia, ostendens seipsum indignum spiritu: sed ipsum velolum maximè legem putat: quinetiam seipsum facit illuminatione spiritûs eum, qui lege diuina & humana nouo quodam modo vitam nobis instituit. Nobis enim, quibus etiam homo factus est, vixit: qui donum quoquè in hanc vitam intulit, nempe instĭtutum vitæ supramũdanum. Quod cùm etiam accepisset vita hominum, effecta est in gignendo copiosa, ac multiplex in ijs, quæ sunt spiritûs, depositâ sterilitate, quæ ei inerat ex peccato. Quocircà deincèps cum Angelis choreas ducunt homines, Deum communiter laudantes, & dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas.

Cap.19. Cap.20. Luc.2.

Habes ergò, ô dilecte, rationem mysterij, etiamsì longè tua spe minorem, viribus tamen nostris non inferiorem. Eam autem, quæ est excelsior & magis mystica, ab ipso Verbo quæsieris, qui etiam propter te carnem tulit, & Crucem sustinuit. Quem apud te acceptum, omni studio conserues, nequaquàm proferendum, & arcanum, Verbo párens, donèc ipse, qui carne passus est, Dominus, cùm in te, victa morte, ex mortuis resurrexerit, & te vnà fecerit resurgere, qui à peccato morte affectus fueras, Deum faciat spiritu. Est enim tempus (vt videtur Salomoni & Veritati) omni rei. Hæc ergò cùm scias, ô homo, te nequaquàm arguas indignum gratia: neq; per tuam in vita agenda negligentiam damno afficiaris in rebus cælestibus, & quæ nulla agitantur sedione: sed omni animæ repulsa socordia, & ea, quæ est ad materialia, excussa affectione, esto purus, & totus omninò deditus melioribus & cælestibus: Nosque omnes vnà contemperemur cum eo, qui desideratur, gratia & clementia Domini nostri

Eccles.3.

nostri Iesu Christi: Per quem & cũ quo Patri gloria, & sancto ac viuifico Spiritui, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRÆM SYRI ORATIO DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI ET Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, quam in 11. capitula distinximus. Est in Simeone Metaphraste.

EX agro messes & lætitiæ, & ex vinea fructus esculẽti, & ex scripturis doctrina viuifica. Ager habet vno tẽpore vindemiam: ex scriptura autem semper scaturit doctrina viuifica. Ager, quandò est messis, minuitur: & vitis, quãdò fuerit vindemiata, efficitur abiecta & humilis. Scriptura autem quotidiè metitur, & spicæ interpretum in ea non deficiunt. Quotidiè vindemiatur, & botri eius, quæ est in ipsa, vineæ nunquàm cõsumuntur. Accedamus ergò ad hunc agrum, & viuificis eius sulcis fruamur, & ex eo metamus spicas vitę, nempe verba Domini nostri Iesu Christi, qui dixit: Sunt hîc viri, qui non gustabũt mortem, donèc viderint filium hominis venientem in gloria sua. Et post sex dies assumit Iesus Simonem Petrum, & Iacobum, & Iohannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum valdè, & transfiguratus est coram ipsis. Et resplenduit facies eius sicut Sol, & vestes eius fuerunt albæ sicut nix.

6. Augusti. Cap.1. Scripturæ diuinæ fertilitas. Matth.16. Matth.17.

Viri enim, quos dixit non esse gustaturos mortem, donèc vidissent locum eius perfectionis, sunt hi tres Apostoli. Et cùm assumpsisset, duxit eos in montem, & ostendit eis quomodò sit venturus in die nouissimo in gloria sua. Duxit autem rursùs eos in montem, vt ostenderet eis, qualis sit filius iste, & cuius. Quandò enim interrogauit, Quemnam me dicunt homines esse filium hominis? dicunt ei: Alij quidem Eliam, alij verò Mosem, aut vnum ex Prophetis. Propterea eos rursùm ducit in montẽ, & ostendit eis se non esse Eliam, nec Mosem, sed Deum Elię, & qui sanctificauit Mosem in vtero matris: neq; vnum ex Prophetis, sed Dominum Prophetarum, & qui eos miserat. Et rursùs ostendit eis se esse effectorem cæli & terræ, & se esse Dominum viuorum & mortuorum. Et rursùs eos duxit in montem, vt eis ostẽderet se esse filium Dei. Si enim dixisset eis, Ego sum filius Dei, non eis persuasisset propter carnem, quam gestabat, & quòd cum eis conuersabatur. Videbant enim Mariam, quæ eum peperat, & quòd Ioseph, qui aluërat, nomine vocabatur pater eius, & quòd quidam vocabãtur fratres eius. Et rursùs similiter esurijt & comédit, sitijt & bibit, laborauit & requieuit, & dormitauit, & dormijt, & timuit & sudauit. Hæc autem diuinę naturę minimè conuenie-bant. Propterea eos ducit in montem, vt pater loquatur, & ostẽdat eis eum esse suum filium in veritate: & vt ostendat eis regnum suum ante mortẽ suam, & gloriam suam ante ignominiam: vt quandò captus fuerit & crucifixus à Iudæis, sciant eum non fuisse ab eis crucifixum propter eius impotentiam: sed quòd ei ità placuisset propter suam gratiam, ad mundi salutem. Et rursùs suam eis ostendit gloriam ante suam resurrectionem, vt quandò resurrexerit à mortuis in gloria naturæ suæ diuinæ, sciant eum non accepisse tanquàm mercedem sui laboris gloriam, vt qui ea indigeret: sed eum illã iam olim habuisse ab ęterno cum patre, & cum spiritu eius: sicut dixit: Pater, glorifica me gloria, quam habui, antequàm mundus esset, apud te.

Cap.2. Cur Dominus transfiguratus sit in præsentia discipulorũ. Matth.16. Iohan.17.

Hanc gloriam suæ diuinitatis, quæ erat obscura & ignota sub humanitate, ostendit Apostolis suis in ascensu montis. Facta est enim facies eius, sicut Sol, & vestimenta eius alba, sicut * lux. Duos Soles in monte videbant oculi discipulorum, vnum ex consuetudine, & alterum præter consuetudinem. Vnum, qui eis lucebat, & mundum totum illuminabat in firmamento: & vnum qui eis illuminabat faciem, Iesum, inquam. Hoc autem dixit, Facta sunt vestimenta eius alba. Etenim ostendit, quòd ex toto eius corpore eius gloria scaturijt, & ex tota eius carne resplenduit eius facies, & ex totis eius membris resplenduerunt radij. Non enim sicut Mosi, eius facies resplenduit extrinsecùs: sed ex ipso scaturiebat eius gloria, & in eo manebat. Ex ipso oriebatur lux eius, & in eo cogebatur. Neque enim abijt in alienam partem, & ipsum dimisit: quoniam

Cap.3. * nix, Exod.34. Aliter faciẽs Iesu, & aliter resplẽduit facies Mosi.

quoniam non vénit ex alio obliquo, & eum exornauit. Neq; eam vtendam pro tempore accepit. Totam tamẽ abyſſum diuinitatis ſuæ eis minimè oſtendit, ſed quantum poterant contemplari pupillæ ſuorum oculorum.

Cap. 4. Moſes & Elias quid locuti cum Domino Ieſu.

Et apparuerunt eis Moſes & Elias ſimul cum eo loquentes, & ſermones eorum, quos cum eo loquebantur, ij erant: Agebant ei gratias, quòd vera fuiſſent verba Prophetarum in eius præſentia, & offerebant ei adorationem pro ſalute, quam fecerat in mundo propter genus humanum, & quòd myſterium, quod ipſi priùs deſcripſerãt, ipſe re ipſa implêſſet. Fuit ergò lætitia Prophetis, & Apoſtolis in ipſo aſſenſu montis. Lætati ſunt Prophetæ, cùm vidiſſent humanitatem eius, quam non nouerant. Lætati ſunt autem Apoſtoli quoquè, cùm vidiſſent gloriam diuinitatis eius, quam non cognouerant. Et cùm audijſſent vocem Patris ferentis filio teſtimonium, per ipſam cognouerũt fuiſſe ab eo ſuſceptam humanitatem: quæ quidem erat apud eos obſcura: eisque fidem fecit cum voce Patris, gloria corporis eius, quę apparuit, ex ea quę in eo fuit vnita diuinitate immutabiliter & inconfusè. Et ſignatũ fuit trium teſtimonium, in voce paterna, Moſeque & Elia, qui quidem illi adſtiterunt tanquàm ſerui: & adipiciebant alter alterum: Prophetæ Apoſtolos, & Apoſtoli Prophetas. Viderunt illi ciater alterum principes veteris, principes noui. Vidit Moſes ſanctus Simonem ſanctificatum. Vidit œconomus Patris procuratorem filij. Ille quidem ſcidit mare, vt populus ambularet in medijs fluctibus: hic autẽ excitauit tabernaculum, vt ædificaret Eccleſiam. Vidit virgo veteris, virginem noui, Elias Iohannem. Qui aſcendit currũ ignis, cum qui recubuit ſuper pectus flammæ. Et factus eſt mons in figura Eccleſiæ. Et vnit in eo Ieſus duo teſtamenta, quæ ſuſcepit Eccleſia. Et nobis ſignificauit ipſum eſſe datorem duorum. Vnum accepit eius myſteria: alterum manifeſtam reddidit gloriam ſuorum factorum.

Exod. 14.

4. Reg. 2. Iohan 13. Duo teſtata in monte vnita.

Cap. 5.

Dixit itaq; Simon: Bonũ eſt nos hîc eſſe, Domine. O Simon, quid dicis? Si hîc manſerimus, quis implebit verba Prophetarum? Quis obſignabit verba prœconum? Quis peraget myſteria iuſtorum? Si hîc manſerimus, illud, Foderunt manus meas & pedes meos, in quo implebitur? Diuiſerunt ſibi veſtimẽta mea, & ſuper veſtem meam, miſerunt ſortem, cui adaptabitur? Dederunt in cibum meum fel, & in ſiti mea potauerũt me aceto, cui accidet? In mortuis líber, quis cõfirmabit? Si hîc manſerimus, Adæ chirographum quis ſcindet? & eius debitum quis exoluet? & indumentum gloriæ eius quis reſtituet? Si hîc manſerimus, quæ dixi tibi, quomodò fient? Eccleſia quomodò ædificabitur? Claues regni cælorum quomodò à me accipies? Quem ligabis? Quem ſolues? Si hîc manſerimus, ceſſabunt omnia, quæ dicta ſunt per Prophetas.

Pſal. 21. Ibidem. Pſal. 68. Pſal. 87. Matth. 16.

Dixit rursùs: Faciamus hîc tria tabernacula: tibi vnũ, & Moſi vnum, & Eliæ vnum. Simon miſſus eſt ad ædificandam in mundo Eccleſiam, & faciet in monte tabernacula? Modò enim Ieſum humanè attendebat. Et nunc ſeipſum collocat cũ Moſe & Elia. Illicò autem ei oſtendit, ſe non opùs habere eius tabernaculo. Ipſe enim erat, qui patribus eius fecerat tabernaculum nubis in ſolitudine. Eis enim adhuc loquentibus, eccè lucida nubes eos adumbrauit. Vides, Simon, tabernaculum ſine labore? tabernaculum, quod arcet æſtum, & non habet tenebras? tabernaculum, quod fulgurat & reſplendet?

Cap 6. Cur ad vocẽ Dei Patris Moſes & Elias diſparuerint.

Admirantibus autem diſcipulis, eccè vox, quæ à Patre extitit, è nube eſt audita, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite: Cum voce Patris reuerſus eſt Moſes in locum ſuum, & Elias reuerſus eſt in regionem ſuam, & Apoſtoli proni ceciderunt in terram, & Ieſus ſtetit ſolus, quoniam vox illa in illo ſolo implebatur. Fugiebant Prophetæ, & Apoſtoli in terram ecciderunt: quoniam vox Patris non implebatur in eis, quæ ferebat teſtimonium, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.

Docuit eos Pater fuiſſe impletam Moſis diſpenſationem, & ab eis eſſe audiendum filium. Ille enim tanquàm ſeruus locutus fuit, quę iuſſus fuerat: & ea prædicauit, quæ ei dicta fuerant: & omnes itidèm Prophetæ, donèc veniſſet is, cui repoſitum eſt, nempe Ieſus, qui eſt Dominus, non ſeruus: Dominans, & non párens imperio: legiſlator, & non is, cui lex datur: filius, non verna: natura, & non adoptione. Apoſtolis itaq; id quod erat obſcurum, effecit Pater in monte manifeſtum. Qui eſt, eum qui eſt, ſignificat. Pater aperit, & declarat filium.

Gen. 49.

Cap. 7.

Ad hanc vocem, Apoſtoli proni ceciderunt in terram. Erat enim tonitru terribile. Quamobrèm voce eius terra tremuit, & ij ceciderunt in terram. Oſtendit eis patrem

trem appropinquâſſe, & eum vocâſſe filium. Voce ſua eos etiam excitauit. Quomodò enim vox Patris eos deiecit, ſic etiam vox filij in virtute ſuæ diuinitatis eos fecit ſurgere: quæ quidẽ cùm in eius carne habitet, & in ea ſit vnita immutabiliter, ambo in vna hypoſtaſi & vna perſona inconfusè manent citra diuiſionem. Non enim, ſicut Moſes, decorus fuit extrinſecùs: ſed tanquàm Deus, fulgebat in gloria. Moſes enim faciei eius apparitione vnctus fuit decore: Ieſus autem toto ſuo corpore, tãquàm Sol ſuis radijs, reſplenduit gloria ſuæ diuinitatis.

Voce Dei patris diſcipuli proſternũtur & per filium excitantur.

Clamauit autem Pater: Hic eſt filius meus dilectus, eum audite: nõ ſeparatus à gloria filij diuinitatis. Vna eſt enim natura pater & filius cum ſancto ſpiritu, vna potẽtia, & vna eſſentia, & vnum regnum, & in vnam clamauit vocem in vili corpore, & in gloria terribili. Et Maria ipſum vocabat filium, non ſeparatum corpore humano à gloria eius diuinitatis. Vnus eſt enim Deus, qui in corpore apparuit in mundo. Gloria eius ſignificauit diuinam gloriam, quæ eſt ex patre: Et gloria eius ſignificauit humanã naturam, quæ eſt ex Maria: ambas naturas, quæ conuenerunt, & vnitæ ſunt in vna hypoſtaſi. Vnigenitus ex Patre, & ex Maria vnigenitus. Et qui diuidit, diuidetur à regno eius. Et qui confundit eius naturas, peribit à vita eius. Qui negat Mariam Deum peperiſſe, non videbit gloriam eius diuinitatis: & qui negat eum geſtâſſe carnem peccato non obnoxiam, ejcietur à ſalute, & à vita, quæ data eſt per eius corpus. Ipſæ res teſtantur, & diuinæ eius virtutes docent eos, qui poſſunt diſcernere, eum eſſe verum Deum: & eius perpeſſiones ſignificant, eum eſſe verum hominem. Et ſi hoc non perſuaſum habent, qui ſunt mente imbecilla, luent pœnas in terribili eius die.

Cap. 8. Luc. 1. Diuidere perſonam Ieſu damnabile eſt.

Si non erat caro, cur Maria in mediũ eſt producta? ſi non erat Deus, Gabriel Dominum quemnam vocabat? Si non erat caro, quiſnam recumbebat in præſepi? Si nõ erat Deus, Angeli deſcendentes quemnam glorificabant? Si non erat caro, quis inuoluebatur faſcijs? Si non erat Deus, paſtores quem adorabant? Si non erat caro, Ioſeph quem circuncidit? Si non erat Deus, ſtella in cælo in cuius honorem cucurrit? Si non erat caro, Maria quemnam lactauit? Si non erat Deus, Magi cui munera offerebant? Si non erat caro, Simeon in vlnis quemnam geſtauit? Si non erat Deus, cui dixit, Dimitte me in pace? Si non erat caro, Ioſeph quemnam accepit, & fugit in Aegyptum? Si non erat Deus, illud, Ex Aegypto vocaui filium meum, in quo eſt adimpletum? Si non erat caro, Iohannes quem baptizauit? Si non erat Deus, Pater è cælo cui dixit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui? Si non erat caro, quis ieiunauit & eſurijt in deſerto? Si non erat Deus, deſcendentes Angeli cui miniſtrabant? Si nõ erat caro, quis fuit inuitatus ad nuptias in Cana Galilææ? Si non erat Deus, quis mutauit aquam in vinum? Si non erat caro, panes in cuiuſnam manibus erant? Si non erat Deus, quinque millium hominum turbam, præter mulieres & pueros, in ſolitudine quis pauit quinque panibus & duobus piſcibus? Si non erat caro, quis dormijt in naue? Si non erat Deus, quis ventos & mare increpauit? Si nõ erat caro, Simon Phariſæus cum quo comedit? Si non erat Deus, peccatrici delicta quis condonauit? Si non erat caro, ſupra puteum ex itinere defeſſus quis ſedebat? Si non erat Deus, aquã viuam quis dedit Samaritanæ, & eam arguit, quòd habuiſſet quinque maritos? Si non erat homo, quis geſtabat indumenta hominis? Si non erat Deus, quis faciebat virtutes & miracula? Si non erat caro, quis ſpuit in terram, & lutum fecit? Si non erat Deus, ex luto oculos cæcorum quis coëgit adſpicere? Si non erat caro, in Lazari monumento quis flebat? Si non erat Deus, mortuum iam quatriduanum quis iubendo ejecit? Si non erat caro, ſuper pullum quis ſedit? Si non erat Deus, cuinam cum gloria ibant turbæ obuiam? Si non erat caro, Iudæi quẽ apprehenderunt? Si non erat Deus, quis terræ impe rauit, & eos pronos humi iecit? Si non erat caro, quis colaphis cædebatur? Si non erat Deus, abſciſſam auriculam à Petro quis medicatus eſt, & reſtituit in locum ſuum? Si non erat caro, cuiuſnam facies ſputa accipiebat? Si non erat Deus, quis ſpiritum Sanctum inſufflauit in faciem Apoſtolorum? Si nõ erat caro, quis ſtabat coram Pilato in iudicio? Si non erat Deus, quis Pilati vxorem terrebat in ſomnis? Si non erat caro, cuiuſnam veſtes exuërunt & diuiſerunt milites? Si non erat Deus, Sol quomodò fuit obſcuratus in cruce? Si non erat caro, quis erat in cruce ſuſpenſus? Si non erat Deus, quis terram mouit à fundamentis? Si non erat caro, cuiusnam pedes & manus fuêre clauis confixi? Si non erat Deus, templi velum quomodò ſciſſum eſt, & petræ ruptæ ſunt, & ſepulcra ſunt aperta? Si nõ erat caro, quis clamauit, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Si non erat Deus, quis dixit, Pater ignoſce illis? Si non erat caro, quis

Matth. 8. Luc. 7. Iohan. 4. Iohan. 9. Iohan. 11. Matth. 26. Iohan. 18. Luc. 22. Iohan. 20. Matth. 27. Iohan. 20. Matth 27.

Luc. 23. in cruce pependit cum latronibus? Si non erat Deus, quomodò dixit latroni: Hodiè mecum eris in paradiſo? Si non erat caro, fel & acetū cuinam obtulerunt? Si non erat Deus, Infernus cuiusnam voce audita contremuit? Si non erat caro, cuiusnam latus pupugit lancea, & exijt ſanguis & aqua? Si non erat Deus, quis portas inferorum contriuit, & vincula diſrupit? & cuiusnam iuſſu mortui è ſepulcro egreſſi ſunt? Si non erat caro, Apoſtoli quemnam viderunt in cœnaculo? Si non erat Deus, quomodò clauſis foribus eſt ingreſſus? Si non erat caro, cuiusnam clauorum & lanceæ plagas Thomas contrectauit manibus? Si nō erat Deus, cuinam clamauit, Dominus meus, & Deus meus? Si non erat caro, in mari Tyberiadis quis comédit? Si nō erat Deus, in cuiusnam iuſſu impletum eſt rete? Si non erat caro, quemnam viderunt Apoſtoli aſſumi in cœlum? Si non erat Deus, cœlum cuinam fuit apertum? & poteſtates quemnam in tremore adorârunt? & pater cuinam dixit, Sede à dextris meis, & quæ ſequuntur? Si non erat Deus & homo, falſa eſt decæterò noſtra ſalus: falſæ ſunt etiam voces Prophetarum. Sed veri fuerunt Prophetæ, & à mendacio aliena eorum teſtimonia. Dixerunt enim ea, quæ iuſſi fuerant. Spiritus ſanctus per eos eſt locutus.

Act. 2. Iohan. 20. Iohan. 21. Act. 1. Pſal. 109.

Cap. 10. Iohan. 1. Quocircà caſtus quoq; Iohannes, qui ſuper pectus flammę recubuit, confirmās voces Prophetarū, de diuinitate differens, in Euangelijs docuit, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Qui eſt ex Deo Deus Verbum, & ex patre filius vnigenitus: Qui eſt eiuſdem cum patre eſſentię: Qui eſt ex eo, qui eſt, Verbum ante ſecula, ex patre genitus ſine matre ante omnia ſecula ineffabiliter, idem in nouiſſimis diebus naſcitur ex filia hominis, ex Maria virgine ſine patre carne indutus, ex ipſa carnē geſtans, & homo effectus, quod quidem non erat, manens Deus, id quod erat: vt mundum ſaluum faceret. Et ipſe eſt Chriſtus Dei filius, vnigenitus ex patre, & ex matre vnigenitus.

Iesus Dei patris & Mariæ filij vna eſt perſona.

Cap. 11. Confiteor eundem eſſe perfectum Deum, & perfectum hominē, qui in duabus naturis, in hypoſtaſi ſeu perſona vnitis cognoſcitur, & citra diuiſionē, confuſionemq; & mutationem, carnem indutt animatam, & animam ratione præditā & intelligentem, factus eſt omninò ijſdē; quibus nos, obnoxius affectionibus, præter ſolum peccatum. Idem terrenus & cæleſtis, temporalis & æternus: qui cœpit, & qui eſt ſine principio, expers temporis, & ſubiectus tempori: creatus, & increatus: patibilis, & impatibilis: Deus & homo: in vtriſq; perfectus, vnus duo, & in duobus vnus. Vna perſona Patris, & vna perſona filij, & vna perſona ſpiritūs ſancti, vna diuinitas, vna potentia, vnum regnum in tribus perſonis ſeu hypoſtaſibus.

Vera & Chriſtiana confeſſio.

Sic glorificamus ſanctam vnitatem in Trinitate, & ſanctam Trinitatem in vnitate. In quo pater clamauit de cælo: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Hæc ſuſcepit ſancta Dei Eccleſia catholica. In ipſa ſancta Trinitate baptizat in vitā æternam. Eam ſanctificat honoris æqualitate. Eam confitetur citra diuiſionem & ſeparationem: & eam adorat non errans, & glorificat. Ipſam in tribus perſonis vnitatem decet gloria, gratiarum actio, honor, potentia, maieſtas, Patrem, & filium, & ſanctū ſpiritum, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Matth. vlt.

CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI
ORATIO DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI
& Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Extat in Simeone Metaphraſte.

6. Auguſti. QVI benè quidem ſciūt decertare, Spectatorum delectantur plauſibus, & ſpe præmiorum excitantur ad eam, quæ illos decet, victoriam. Qui autem diuina dona aſſequi deſiderant, & ſpei ſanctis paratæ ſitiunt participationē, quæ pro pietate in Chriſtum ſuſcipiuntur certamina libenter quidem admittunt: in vita autem ſe rectè gerunt, non præferentes ocium, quod nullam conſequitur mercedem, neque ignauam amātes timiditatem: ſed ſe ſtrenuè & fortiter gerentes aduersùs omnem tentationem, & perſecutionum inſultus plurimi faciētes, & pro ipſo Domino pati, magnas reputantes diuitias. Meminerūt enim beati

beati Pauli, qui ſcribit non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ eſt reuelanda in nobis. Rom. 8.

Vide ergò pulcherrima diſpenſatione nunc vſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ad vtilitatem & ædificationē ſanctorum Apoſtolorum. Nam eis quidem dixit: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucē ſuam, & ſequatur me. Matth. 16. Qui enim vult animam ſuam ſaluam facere, perdet illam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Et ſalutare quidem eſt præceptum, & decens ſanctos, & quod ſupernam gloriam conciliat, & alacritatis animi & gaudij ſortē comparat. Eligere enim pati propter Chriſtum, minimè caret mercede: immò verò efficit æternæ vitæ & gloriæ participes. Pati propter Chriſtū nō caret mercede.

Sed diſcipulos, qui virtutem ex alto nondùm acceperant, cōſentaneum erat vtiq; in humanas incidere imbecillitates, & tale quid apud ſe cogitantes, dicere: Quomodò negabit quis ſeipſum, aut quomodò qui ſuam perdidit animam, eam rursùs inueniet? Quod autem ijs, qui hoc paſſi fuerint, erit præmium, quod ei reſpondeat? aut etiam quorumnam erit donorum particeps? Vt tales ergò cogitationes & verba eis adimat, & eos velut transfundat & tranſmutet ad animi magnitudinem, eius, quæ ipſis danda eſt, gloriæ ingenerans deſiderium: Dico vobis, inquit, ſunt quidam ex ijs, qui hìc ſtant, qui nō guſtabunt mortem, donèc viderint regnum Dei. Num eis eouſq; vitæ extenderetur menſura, vt ad illa perueniat tempora, poſt quæ in conſummatione ſeculorum deſcēdens de cælis, reſtituet ſanctis paratum eis regnum? Sed ipſe quidem hoc præſtare poterat. Omnia enim poteſt: nec eſt aliquid, quod non poſſint efficere eius potentiſſimi nutus. Ibidem.

Regnum autem dicit ipſum gloriæ ſpectaculum: in qua ipſe quoquè videbitur illo tempore, in quo reſplendebit in terra. Veniet enim in gloria Dei patris, & non in ea, quæ eſt in nobis, humilitate & abiectione. Quomodò ergò fecit miraculi ſpectatores eos, qui promiſſum acceperant? Aſſcendit in montem, habens ex eis tres electos. Matth. 17. Deindè tranſmutatur in quendam excellentem & diuinum ſplendorem, adeò vt eius veſtis videretur reſplendere inſtàr lumihis. Deindè Moſes & Elias Ieſum circunſiſtentes, de eius deceſſu inter ſe loquebantur, quem erat adimpleturus in Hieruſalem, Luc. 9. hoc eſt, eius quæ eſt cum carne œconomiæ myſterium, & ſalutarem paſſionem, quæ, inquam, futura erat in Cruce.

Verum enim eſt, quòd lex Moſis, & ſermo ſanctorum Prophetarum, Chriſti priùs oſtenderunt myſterium: illa quidem in figuris & vmbris ipſum propemodùm deſcribens in tabula: hi autem multifariàm multisque modis prædicentes, quod ſuo tempore videbitur in noſtra forma, & quòd pro ſalute & vita omnium non recuſabit pati mortem in ligno. Heb. 1. Quòd autem Moſes & Elias aderant, & ſimul loquebantur, id fiebat hoc conſilio, vt oſtenderetur, legem & Prophetas eſſe velutì ſatellites Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt qui ab ipſis fuerit oſtenſus Dominus per ea, quæ ſignificârunt, quæ erant inter ſe conuenientia. Non enim diſſident à lege ea, quæ dicuntur per Prophetas. Et hoc eſt, vt arbitror, quod inter ſe colloquebantur Moſes ſanctiſſimus, & Propherarum optimus. is autem erat Elias. Poteſt autem aliud quoquè conſiderari: Quoniàm ex turbis alij quidem dicebāt eum eſſe Eliam, alij Ieremiam, alij verò vnum ex Prophetis: * ducit eorum principes, vt vel ex hoc videant, quid interſit inter Dominum & ſeruum. Moſes & Elias cur vna ſi cum Chriſto. Matth. 16. * for. adducit

Poſt hanc autem alia quoquè poteſt dici conſideratio: Quoniam enim eum aſſiduè accuſabant, quòd legem trāſgrederetur, & exiſtimabant eum eſſe blaſphemum, vt qui ſibi vendicaret eam, quæ ei non conueniebat, nempe gloriam Patris: & dicebant: Hic homo non eſt ex Deo, quoniam ſabbatum non ſeruat. Et rursùs: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia. Et, quòd homo cùm ſis, facis teipſum Deum: vt oſtenderentur vtraq; crimina profecta eſſe ex inuidentia, & eum neutri eorum eſſe affinem: & neque id, quod à ſe fit, eſſe legis tranſgreſſionem, neq; vendicationem gloriæ non ſibi conuenientis, quòd dicat ſe eſſe æqualē patri, eos, qui in vtroq; eorum clari fuerunt, producit in medium. Iohan. 9. Iohan. 10.

Etenim Moſes dedit legem, & poterant conſiderare Iudæi, quòd legem non neglexiſſet conculcatam, vt ipſi exiſtimabant: neque eum, qui ipſam tranſgrediebatur, & erat inimicus ei, qui ipſam tulerat, honorâſſet. Porrò autem Elias Dei gloriæ zelo erat incitatus. Qui, ſi Chriſtus fuiſſet Dei hoſtis, & ſeipſum quidem dixiſſet æqualem Patri, non fuiſſet autem id, quod dicebat, ſi deniquè non faceret, vt oportebat, non ei

affuiſſet ipſe, & obedijſſet. Poteſt verò cum ijs, quæ dictæ ſunt, alia quoquè cauſa dici. Quænam autem ea eſt? Vt ſciant eum vitæ & mortis habere poteſtatem, & ſuperis & inferis dominari. Propterea in medium adducit eum, qui viuebat, & eum, qui erat mortuus. Apparentes enim non tacebant: ſed loquebantur de gloria, quam eratim-

Cur alter viuus & alter mortuꝰ adducebatur.

pleturus in Hieruſalem, nempe paſſionem & Crucem: in his autem etiam reſurrectionem.

Sed beati quidem diſcipuli parùm dormitant, vtpotè quòd Chriſtus vacaret orationi. Certo enim conſilio & certa diſpenſatione humanis neceſſitatibus ſeruiebant. Deindè cùm eſſent experrecti, fiunt ſpectatores tam venerandæ & tam admirabilis mutationis. Arbitratus autem fortaſsè beatus Petrus aduenisſe tempus regni Dei, in monte quidem verſari deligit: dicit autē tria eſſe facienda tabernacula, neſciens quid diceret. Non erat enim tempus conſummationis ſeculi, neque in præſenti tempore

Philip. 3.

ſunt ſancti futuri participes ſpei eis promiſſæ. Dicit enim Paulus: Qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, vt ſit ipſum conforme corpori gloriæ eius, Chriſti ſcilicet.

Cùm ergò diſpenſatio adhuc eſſet in principio, & nondùm eſſet finita, quomodò erat conſentaneum, Chriſtum, qui venerat propter charitatem in mundum, deſinere pro eo velle pati? Seruauit enim eam naturā, quæ eſt ſub cælo, cùm ſubijſſet mortem ſecundùm carnem, & eam deleuiſſet per ſuam à mortuis reſurrectionem. Neſciebat

Matth. 17.

ergò Petrus, quid diceret.

Cæterùm præter admirabile & arcanum Chriſti gloriæ ſpectaculum, aliquid quoquè aliud factum eſt vtile & neceſſarium ad confirmandam in ſe fidem, nō ſolis diſcipulis, ſed etiam nobiſipſis. Deſupèr enim ex alto extitit vox Dei & Patris, dicentis: Hic eſt filius meus dilectus, in quo benè mihi complacui: ipſum audite. Et dum factaeſt, inquit, vox, inuentus eſt ſolus Ieſus. Quid ad hæc dicit duræ ceruicis Iudæus, quiest contumax & repugnās, & cor habet, quod nullam ſuſcipit admonitionem? Eccè præſente Moſe Pater iubet ſanctis Apoſtolis, vt cum audiant. Quòd ſi eos voluiſſet ſequi præcepta Moſis, dixiſſet: Seruate legem. Nūc autem ne hoc quidem dicit Deus & Pater. Sed cùm adeſſet Moſes & eius Propheta Elias, iubet eos ipſum audire potiùs.

Nè autē calumniarentur aliqui veritatem, dicentes quòd pater eos iuſſerit audire

Moſes & Elias ad vocē Dei Patris aberāt.

Moſem, & non omnium noſtrūm Saluatorem Chriſtum, neceſſariò Euangeliſta annotauit, dicens, quòd cùm vox illa extitit, inuentus eſt Ieſus ſolus. Quandò ergò ſanctis Apoſtolis Deus pater, tanquàm ex nubibus deſupèr præcepit, dicens: Ipſum audite: aberat quidem Moſes, Elias autem non aderat: ſolus verò erat Chriſtus.

Rom. 10.

Iuſſit ergò ipſum audire. Ipſe eſt enim finis legis & Prophetarum. Propterea Iudæorum populum allocutus eſt, dicens: Si crederetis Moſi, crederetis vtiq; mihi. Ille enim

Iohan. 5.

de me ſcripſit. Quoniam autem & per ſapientiſſimum Moſem datum præceptum contemnere, & quæ per ſanctos Prophetas dicta ſunt, nihil ducere perpetuò perſeuerārunt, iure ſunt abalienati & exturbati à bonis, quæ promiſſa ſunt ipſis patribus. Obedientia enim melior eſt, quàm ſacrificium: & auſcultatio, quàm adeps agnorum:

1. Reg. 15. Eccles. 4.

ſicut ſcriptum eſt. Et ità quidem ſe habent res Iudæorum. Nobis autem, qui eius aduentum agnouimus, omnia omninò bona aderunt per ipſum & in ipſo Chriſto. Per quem, & cum quo, Deo & patri gloria & potentia, cum ſancto ſpiritu in ſecula ſeculorum, Amen.

De Sixto Papa & martyre quærat Lector infrà in geſtis ſancti Laurentij martyris.

MAR

ET FRATRVM, IVSTI ET PASTORIS, QVOD MV-

tato paſſim ſtylo ex antiquiſſimis excerpſimus codicibus, quibus ſuffragantur Martyrologia.

LO tempore, quo crudeliſſimus Datianus inſtinctu infernalis ſerpentis, & cōſilio prouocatus diaboli, vniuerſum rabidus perluſtraret orbē, vt quoſcunq; inueniſſet Chriſtianos, per diuerſas regiones diſperſos, varijs tormētorum generibus cruciaret, & ad ſuæ ſacrilegæ religionis cultum reuocaret: cōtigit eum ad Complutenſem ciuitatem tranſeūdi gratia deuenire. Cuius incolæ cùm tremendam eius opinionem intellexiſſent: duo infantes Iuſtus & Paſtor, relictis ſcholæ tabulis, in quibus eorum teneræ ætates literis imbuebantur, iam non ad ſtudium magiſtri vel doctoris iſtius ſeculi ire cœperunt, ſed quaſi probati Chriſti diſcipuli, ad ſpectaculum proprij martyrij alacres cucurrerunt. Cumque ſolicitè cernerent & intento perciperent corde, quid dementis Datiani inquiret furor: nunciatum eſt ei quòd hi duo infantuli eſſent Chriſtiani, & à parentibus Chriſtianis progeniti, ac propterea eos ad id ſpectaculi deueniſſe, vt ſi Chriſtianorum facta fuerit inquiſitio, ipſi ſponte ſeſe offerant puniendos. Cumq; hoc crudeliſſimus Datianus intellexiſſet, ſtatim indignationis ira commotus, inaudita eorū parte, comprehendi, & eos cruciatu magno cędi præcepit: timens nè ſi ad interrogandū in eius preſentiam adducerentur, aliorum circumadſtantium ad confeſſionē nominis Chriſti, animos præpararent: & dum eis non prævaleret, ipſe ſuam publicè adſpiceret malitiā ab infantibus ſuperari. Comprehēſi igitur ſancti martyres, priuſquàm ad ſupplicium traherētur, ſeſe mutuò, cælitùs edocti, læti cōfortabant. Dixit ergò Iuſtus: Noli, frater Paſtor, hanc temporalem pertimeſcere paſſionem, noli propter cædentiū flagella, quibus tenerrimum corpus tuum atteratur, à fide te ſubtrahere, noli incūbentem gladium formidare: quia ſi annuente Domino Ieſu Chriſto, extinctis contigerit nobis adipſius gloriam properare, digniorem in futuro ſeculo percipiemus fortitudinem, quæ noſtram non minuat paruitatem, ſed ad perfectionem martyrū, & Angelorum coronam perducat æternam. Hīc tempore exiguo conſtituti, paruam inter homines habuimus vitam, ſed illic in longitudinem dierum, ſi quæ Deo placita ſunt fecerimus, æternæ vitę percipiemus abundantiam. Cui ſanctiſſimus Paſtor reſpondit: Dignè quidē frater Iuſte ſic te decet hortari, vt iuſtitiam quā nomini tuo inſcriptam portas, ſimul cùm tuo fratre Paſtore ſuſcipias. Leue etenim ſit nobis, pro confeſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, corpus noſtrū iugulari & ſanguinē fundi, vt in ſacrario cæleſti, diuinum corpus Chriſti & precioſum ſanguinē eius, nobis liceat adorare. Non nos parentum aut proximorū reuocet pietas, nec noſtræ condoleamus ętati: ſed celeriter ad cælorum culmina properemus, vbi noſtræ infantiæ, & parētum noſtrorum peccatis obtinere veniam mereamur. Aſt vbi illos, qui acciti fuerant violenti carnifices, vidiſſent vnanimiter talia ſibi colloquentes, nunciant Datiano: ſciſcitantes, quid de eis præciperet quos audiērant ſic ſeſe mutuò pro nomine Domini conſolantes. Quibus auditis, ſtupefactus Datianus ait: Non ſunt iſti digni noſtris conſpectibus iſti, qui nec infantię ſuę tenerū robur lucrari voluērunt, nec deorum noſtrorum cōpulſi venerabilem adorare culturam. Statim igitur iubet eos procùl à ciuitate gladio truncidari. Cumq; producti fuiſſent in campum laudabilē, nulla obſtante macerie, ibi vltionem dignā pro Chriſti nomine ſuſceperunt. Quorum confeſtim animas Saluator, apertis cælis, triumphantibus Angelis, & martyrum exultāte choro, in cæleſtes ſedes ſuſcepit æterna requie fruituras. Poſt celerem verò profectionem immundiſſimi Datiani, exeuntes Chriſtiani, corpora eorū eodem loco quo paſſi ſunt, honorificè ſepelierunt: & per ſingulorū corpora, vna protegente baſilica, in eorum titulis altaria veneranda ſacrārunt. Quem locum ſanctū tanta Dominus noſter Ieſus Chriſtus potentiæ ſuæ maieſtate repleuit, vt quicunq; pura fide & integra deuotione eorū expetierit veneranda ſuffragia, quacunq; fuerit infirmitate detentus, vel inimicorū infeſtatione depreſſus, ſtatim ipſorū inuicto liberetur auxilio. Vndè oportet nos vnita laudis voce in eorū feſtiuitate pſalmorum cantica reſonare, dicentes: Gaudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio, vt qui pro cælorum regno & nobis omnibus conſer-

6. Auguſti. Datiani crudelitas.

Eccè ardēs deſiderium martyrij in duobus fratribus iſtis.

Magnis affi ciuntur cruciatibus.

Alter alterū conhortat.

Parentes propter Chriſtū relinquendi.

Plectuntur capitali ſupplicio SS. martyres.

Extruitur baſilica in eorum memoriam.

Pſal. 32.

uandis,precioſum ſanguinẽ effuderũt,dignas & nos in hac die pro eorũ martyrio laudes,altiſſimo cũ munerib. offeramus,cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorũ,Amẽ.

VITA BEATI ALBERTI DE MONTE DREPANO CARMELITAE, AVTHORE, NI FALLOR, IOHANNE MARIA Politiano.

Is enim ſcripſit beati viri vitam, ſed MS. codex eius nomen non habebat: id quod ſæpè non ſine dolore videmus in eiuſmodi libris. Scripſit verò etiam Baptiſta Mantuanus Vitam eius Carmine Sapphico. Stylum ſimplicem mutauimus in gratiam Lectoris, adiectis ad marginem capitibus.

7. Auguſti. Cap. 1.

ET tempeſtate, qua ſereniſſimus Rex Petrus regnum Cataloniæ & Siciliæ obtinuit, fuit Benedictus quidam, nobili ſtirpe progenitus, dictus Adalbatibas, quæ eſt præclara apud Siculos familia. Duxit verò vxorem Iohannam, generis nobilitate ipſi non imparem, in Caſtro montis Drepani ortam: apud quem montem eſt monaſterium fratrum Ordinis beatiſſimæ matris Dei, qui Carmelitæ vocantur. Dicitur autem Drepanenſe monaſterium. Porrò iſtorum coniugum erat coram Deo vita integra & mores inculpati. Cumq; in matrimonio pariter annos fermè ſex & viginti exegiſſent, nec prolem vllam procreâſſent,

Votũ parentũ Alberti.

tandèm communicato inter ſe conſilio, beatiſſimæ Mariæ virgini votum mente ſyncera nuncupârunt, ſi ipſa pro ſolita humanitate & benignitate ſua eis prolem impetraret maſculinam, eam ſe ipſius Ordini perpetuò conſecraturos. Eo voto facto, in

Voti illius effectus.

ieiunia, preces, eleemoſynas incumbunt, vt dicta factis confirment. Nec verò multi præterierẽt dies, & præpotens Deus annuens votis illorum, Iohannæ præſtitit, vt è ſuo marito ſe ſentiret grauidam. Porrò Benedictus vir eius, vidit in ſomnis cereum mirificè radiantem, è ſuæ coniugis vtero prodeuntem: nec diſſimilis viſio eius coniugi oblata fuit: mutuoque, quid vidiſſent, ſibi indicârunt, flexis genibus gratias agentes Deo & ſanctiſſimæ Virgini. dixitque poſteà Iohanna: Si ea, quæ videre nobis licuit, ſuum habitura ſunt effectum, magnus erit profectò hic puer coram Domino. Vbi deindè partûs aduenit tempus, filium peperit, cui ſacri baptiſmatis fonte abluto, Albertinomen impoſuit, non ſine inſtinctu diuino, cùm apud Siculos hactenùs vix quiſquam id eſſet appellatus.

Cap. 2. Ad ſtudia literarum admouetur puer Albertus.

Poſtquàm autem nonnihil creuit puer, liberalium artium ſtudijs eſt admotus. Ille verò ſancti ſpiritûs gratia ornatus, literis benè eruditus, & optimis moribus inſtructus, parentibus charus, ciuibus acceptus & amabilis fuit. Iam annum octauum atti-

Religio matris eius.

gerat, & quidam præcipuæ nobilitatis viri, eum poſcebãt ſponſum addici puellæ cuidam, quæ regio ſtemmate nata videretur. Pater eius, illorum tandèm flexus precibus, rem ad vxorem refert, putans eam non alienam fore ab eius rei conſenſu. At illa poſteaquàm audiuit maritum talia dicentem, valdè obſtupeſcẽs, ait ad eum: Miror prudentiam tuam vel in animum inducere potuiſſe, vt ea proponeres, quę fieri nefas ſit. An verò iam prorsùs immemor es benigniſſimi Creatoris tui, qui nos tanto voluit afficere beneficio, intercedente pro nobis ſacroſancta Virgine Maria? An non danda nobis opera eſt, vt Deo & ſanctiſſimæ matri eius perſoluamus id, quod polliciti ſumus? Albertus filius noſter non fœminæ, ſed Deo coniungendus eſt, & ſacræ religioni copulandus. His auditis, pater Benedictus, diuino permotus timore, obticuit, nec

Spõſalia cũ verbis de futuro matrimonio.

vllam voluit eius rei deincèps facere mentionem. Non debet autem mirum videri Lectori, quòd diximus, Albertum puerum tenellũ, ſponſum à quibuſdam expetitum. Eiuſmodi enim matrimonium, per verba de futuro cõtractum eſſet, quod apud eius regionis nobiles frequens eſt.

Cap. 3.

Porrò mater Iohanna beatum puerum Albertum in cubiculum acciuit, & omnia ei expoſuit, tum de conceptione eius, tum de viſionibus parentum: ſimul etiam indicans, quid Domino promiſiſſent. Ille verò cùm verba matris probè cepiſſet, humilli-

Attẽde prudẽs & humile pueri reſponſum.

ter ei reſpondit: Ego, mater, non ſum mei iuris, ſed parentum meorum iugo ſalutari me ſentio contineri. Quid igitur, mea mater, me vis facere? mundo ne ſeruire, & temporarijs perfungi honoribus, vel potiùs amare Chriſtũ, & illi in ſacra religione perpetuũ exhibere famulatum, vt poſſim æterna apud illum vita frui? quod quidem vos illi

illi promiſiſtis. Reſpondit Iohanna mater: Equidem, mi fili, votum, quod nuncupauimus, nolim eſſe irritum: immò verò toto pectore oratum te velim, vt quod pollicitiſumus, exequamur, & dicta factis compenſemus. Ait illi Abertus puer: Faciam, mea mater, quod hortaris. Cumque pater veniſſet domum, & cum vxore ad menſam accumberet, coram illis dixit puer Albertus: Non comedam, nisì mihi benè precemini. Tum illi pio animi affectu dixerunt: Benedicat tibi Deus, & dirigat greſſus tuos. Ea percepta benedictione parentum ſuorum, abijt ad monaſterium Drepanenſe fra-

Puerulꝰ petit monaſterium.

trum Carmelitici inſtituti, à caſtro montis Drepani ad duo diſtãs milliaria. Quò cùm peruenìſſet, petijt ſibi donari habitum eius inſtituti, optans illic apud fratres commorari. At Prior ſiue præfectus cœnobij, ijs pueri ſermonibus acceptis, non ſine multa admiratione, quòd non neſciret generis eius nobilitatem, noluit eum in fratrum ſodalitatem admittere. Itaque pius puer ad parentum ædes mœſtus ſe recepit. Nocte proxima, cùm parentes eius ſopori ſe dediſſent, beatiſſima Virgo eis apparuit, ſcuereque eos obiurgans, minitabunda dixit: Vos id quod mihi polliciri eſtis, non redditis,

Si quid vouiſti Deo, nè moreris reddere.

& rem alienam apud vos detinetis. Filius veſter è veſtra quidem carne genitus eſt, ſed mihi voto perpetuò obligatus. Quòd ſi vos illum famulum meum mihi non reddideritis, breuì morte fœdiſſima vos extinctos ſentietis. Ex his nimio illi terrore conſternati, expergiſcuntur: confeſtim ad monaſterium illud properant, Priori & fratribus, quid viderint & audierint, exponunt: filium votiuum vltrò illis exhibent, orant vtintrà paucos dies habitu monaſtico induatur.

Cap. 4. Induit monachi veſtes, & ſuas dat pauperibus.

Is dies poſtquàm aduénit, putà quo veſtes erat monaſticas acceſturus Albertus, nobiles omnes ad tam pium ſpectaculum confluunt. ſanctus puer Albertus ex more ſanctum habitũ induit: veſtes ſuas, quibus hactenùs vſus erat, proprijs manibus pauperibus elargitur, vitam mox viuere incipit ſanctiſſimam. Id verò cernens antiquus hoſtis, arte veteratoria eum à ſalubri propoſito nititur reuocare, in ipſis primis con-

Diabolifallacia.

uerſionis initijs, pœnitentiæ ſtudijs incumbentem & precibus inhærentem, ſub elegantiſſimæ mulieris forma aggreditur, & quandã vultu mentiens pietatem, non ſine gemitu ità compellat: Me miſeram, quidnam factura ſum tuî amore vſquecadèo occupata, ſed tuo conſortio deſtituta, cùm ego nihil optarem magìs, quàm te habere maritum? Sed quæſo te, nè me tam illuſtrem & ſpecioſam puellam deſeras: nec tibi fas eſt tam vili & abiecto vti habitu, cùm ſis nobilis: planè redeundum eſt ad ſeculum. Ego tam decora & amabilis, præcipuæ nobilitatis ſtirpe progenita, opibus & copijs huius mundi, in quibus eſt multa vitæ ſecuritas & felicitas, egregiè abundo & affluo. Quid igitur in his ſordibus perpetuò decreuiſti permanere, cùm certum ſit, non poſſe tehocaſperum & acerbum vitæ genus, tantumque pondus perferre? Oro & obſecro, iuuenis formoſiſſime, quem ego præ omnibus vnicè diligo, redi ad paternos lares, iungere mihi legibus matrimonij, & omnibus bonis mecum perfruere. Sentiẽs Chriſti ſeruus à ſatana eas proficiſci ſuggeſtiones & perſuaſiones, ſigno ſanctæ Crucis ſe

Signo ſanctæ Crucis fugat dęmonem.

communiens, ità ait: Abi ſerpens tortuoſe in flammas tuas, meque miſſum facito. Non enim vera hæc eſt, quam præ te fers, hominis effigies, ſed maledicta eſt commentitia ſpecies tua. Ad has ſerui Dei voces ille ſatan euanuit, nec quicquam mali ex ea viſione Albertus perpeſſus eſt.

Cap. 5. Profitetur palàm monachatum.

Indè anno abſoluto, palàm ſe monaſtica profeſſione obligauit, quam animo iamdum fecerat, quandò habitum religioſum ſuſcepit. Fuit porrò vita eius valdè ſeuera & aſpera, inſignis patientia, multaque de ſe virtutis exempla præbebat. Ferijs ſecundis, quartis & ſextis, egregio cilicio carnem domabat ſuam, eam aſſiduis ieiunijs macerabat, in palmitibus, nudo corpori admotis, cubabat, rudi panno tegebat corpus,

Aſperitas vitæ eius.

veſtes viles ferre non erubeſcebat. A vino abſtinens, aquæ potum illi præferebat, nè vinum blandè ingrediens, luxuriæ fomenta ſuppeditaret. Sextis ferijs pani ſuo abſynthium immiſcuit, & veſtibus aſperis vexabat carnem, nè quas illi aduersùs ſpiritum delectationes parturiret. Ocium ſemper fugit, in bona opera perpetuò intentus, vt eum malignus hoſtis ſemper bonis rebus occupatum inueniret. Caſtitatis fuit perquamſtudioſus, obedientiæ ſanctæ conſtanter & integrè addictus. Paupertate & humilitate facilè omnes ſuperabat, doctrinam eccleſiaſticam moribus ornatiſſimis illuſtrabat. Omne patrimonium ſuum in pauperes fratres diſtribuit. Diuina quoquè

Multos ſuæ concione conuertit Iudæos.

perfuſus ſapientia, intrinſecùs ſemper cæleſtibus fruebatur delectationibus. Infideles Iudæos concionum ſuarum radijs mirificè illuſtrabat, nec rarò ex illis ad Chriſt religionem quoſdam traduxit.

Cap. 6. Exercitia eius.

Vt verò perfectiùs opera diuina exequeretur, diem naturalem, hunc in modum distribuebat: A prima noctis hora vsque ad tertiam, vacabat precibus. Indè corpori nonnihil somni indulgens, post somnum reuertebatur ad exercitia, quibus caro castigaretur. Posteà ad matutinas preces persoluendas se conferebat, Deumque cum lachrymis orans, ad ortum auroræ, ibat ad offerendum sacrificium. His absolutis, vt esset ad eiusmodi pietatis officia & exercitia aptior atque paratior, à Tertijs vsq; ad Vespertinas preces, quippiã suis manibus operabatur. Porrò Horarijs siue Canonicis precibus studiosissimè expletis, ad consueta pœnitentiæ studia se conferebat: quæ quidem tam præclara in eo extitêre, vt etiam miraculorum gloria à patre luminum meruerit cohonestari. Porrò ad sacerdotium promouendus cùm esset, testabatur se inuitum illo initiari. Non enim fas est, inquit, vt indignus tantum mysterium administret populo, nec ego me talem reperio, qui possim pro dignitate isthuc exequi ministerium. Verumenimuerò nihil moti Patres id genus sermonibus eius, compulerunt eum proficisci Messanam, vbi sacerdotij munus cum multa humilitate & deuotione susecepit: moxque in eadem vrbe haud vulgari admiratione digna miracula per eum Dominus perpetrauit.

Inuitus initiatur sacerdotio.

Cap. 7.

Quodam enim Dominico die, viro Dei media nocte coram altari in ecclesia seruenter orante, lampadis luce templum illustrante, satan illic adfuit, eum volens à sancto opere auocare. Legebat enim tum Psalterium, & ad eum vsque Psalmum peruenerat, cuius initium est, Eripe me de inimicis meis Deus meus. Cernens autem impurus dæmon sancti viri perseuerantiam, conabatur lampadem coram illo extinguere, vt terrore fractus, à cœpto pœnitentiæ labore resiliret. Sed vbi eum vir Dei conspicatus est iuxta lampadem adstare, mox ei adfuit virtus diuina, nec passa est quicquam indè molestiæ ei accidere, lampademque ex dæmonis impulsu cadentem ità seruauit illæsam, vt nec luminis, nec olei vllam faceret iacturam. Accidit hoc sub illustrissimo Cataloniæ & Siciliæ rege Iacobo, qui Petro successerat.

Psal. 58.

Lãpas à dæmone euersa, nihil detrimenti accipit.

Cap. 8.

Circa annum salutis millesimum ducẽtesimum & octogesimum Fridericus Dux, nomine Iacobi Regis, quem iam diximus, administrabat Siciliæ regnum. Qui anno Christi millesimo ducentisimo octogesimosexto, aut circitèr, in Regem coronatus est. Eius tempore Robertus Rex Neapolitanus Messanam Siciliæ vrbem fortissima pressit obsidione, eo consilio, vt & eam ciuitatem & totum Siciliæ regnum sibi subiugaret. Interìm dira fames vexabat vrbem, nec videbatur vllo humano consilio quenquam illi posse mederi. Tum Rex eam iussit flammis exuri, nè in hostis potestatem veniret. Ipse verò fugam meditabatur in castra Cataloniæ & Castiliæ. Itaque conuenêre ciues frequentes, multíque nobiles & satrapæ, homines doctissimi, nec pauci comites & barones, bellicæ rei peritissimi. Ij omnes gemebant, & dicebant, melius esse sperare in Domino, quàm sperare in principibus, quandoquidem non solet Deus in se sperantes relinquere: visumque est eis, vt ad virum Dei Albertum accederent, rogarent eum, vt præpotenti Deo & sanctissimæ matri eius Preces adhiberet pro populo & ciuitate Messana. Itum est ergò ad eum, & cùm esset occupatus offerendo sacrificio, obnixè eum deprecabantur, vt eis apud Dominum ferret opem, sicque dicebant: Iam fame intolerabili perimus, serue Dei. itaque nè desis nobis præsidijs tuis, ad quæ confugimus. Ora pro nobis clementissimum Deum & eius virgineam matrem, vt in tantis periculis nos ab hostibus tueantur, & fame pressos releuent, nec vlciscantur nos propter peccata nostra. Has illorum voces & gemitus vt audiuit vir Dei, inter sacrificandum lachrymatus est, & flexis humiliter genibus, sic orauit: Domine Deus vniuersorum, qui non auertis faciem tuam ab illis, qui toto animo & pectore tibi confidunt: respice de excelso cælorum habitaculo super populum hunc tuum ad te clamantem, & effunde in illum misericordiam tuam. Pasce fame laborantes, qui olim in eremo manna pauisti esurientes. Extende brachium dexterum, & protege hanc ciuitatem, vt non modò non diffidat de te, sed certò confidat, sine tuo consilio non posse ipsam saluam consistere: sciatque non in multa erercitûs copia spem collocandam, sed in tuo nomine. Succurre Domine miseris, iuua eos, qui pusillo sunt animo, nè lætetur satan perditione tot animarum. Hac oratione completa, mox ingens extitit tonitruum, vndè vox instàr tubæ audita est, ità dicens: Exaudiuit Deus preces tuas. Hanc vocem non sine multa admiratione omnes audiêrunt, mirificeque exhilarati, dixêre: Tibi Domine gratias agimus, qui meritis huius sanctissimi patris nostri Alberti admisisti clamores populitui.

Messana obsidetur à Roberto rege Neap.

Exod. 16.

Quàm fuerit efficax eius oratio cælitùs declaratur.

Simul

Simul autem in vrbis portu visæ sunt tres triremes onustæ, licèt hostes vndiquè & portum & vrbem obsiderent. Eæ triremes virtute & beneficio diuino in ciuitatem penetrârunt, atque ex ijs annona & commeatus in oppidum nocte, cunctis lætantibus, importatus est, & pro cuiusque necessitate distributus. Deindè verò nusquàm conspectæ sunt illæ triremes: neque earum patroni cuiquam noti erant. Creditum est à multis, earum gubernatores fuisse Angelos Dei. His verò animaduersis, Rex Siciliæ tanto miraculo non immeritò obstupefactus, cum satellitibus suis & populo ad sanctum virum accessit, eique ait: Tibi sancte Pater gratias agimus, quòd tam humaniter pro nobis peccatoribus intercedere voluisti: planeque nobis persuademus, tuis sanctis meritis nos hodiè liberatos esse. Gratijs actis, cùm eius manum essent exosculati, læti abiêrunt. Creuit indè apud populum opinio sanctitatis eius, sentiebãtque non posse deinceps ab hostibus vrbem propter eius merita expugnari.

Magno miraculo annona Messanensibus importatur

Per id tempus quidam monachus è cœnobio sancti Saluatoris apud Messanam, apostemate in gutture adeò premebatur, vt medici omnes spem salutis omnẽ, haud secùs atquè extincto, præciderent & auferrent. Vt audiuit autem, Messanæ esse virum Dei Albertum, misit quosdam è Fratribus, qui rogarent, vt ad ipsum in tam præsenti periculo constitutum venire non grauaretur. Abiêrunt illi, & cùm ad eum peruenissent, ea, quam par erat, reuerentia illi præstita, dixerunt: Frater noster apostematis molestia miserè afflictus, orat vt ipsum velis inuisere, & tuis precibus malum, medicorum omnium artem & operam eludens, profligare. Misericordia permotus vir Dei, iuit cum illis, & intrans in cubiculum ægroti, ait: Non debuisti ad me mittere, frater charissime, qui infirmus sum & peccatis obnoxius. Sed quandò tamen & salus & morbus diuino párent imperio, bono animo esto, & spem tuam in Deo repone. Deindè cùm illum Crucis signo consignâsset, eius apprehensa dextera, ait: Confidis, frater, in Domino Iesu & pijssima matre eius? Planè, inquit ille, confido, & tuę sanctitati me commendo incurabili morbo oppressum. Quæ cùm ab illo dicta essent, mox apostematis ruptiper os saniem teterrimam reiecit, & pristinæ saluti restitutus est. Ea res sanctitatem beati viri vbiquè diuulgauit.

Cap. 9.

Sancti Dei seruissimos semper reputant precatores.

Signo Crucis sanat apostema exitiale.

Perlatum quandoquè est ad virum Dei, quandam nobilem matronam habere filiam, à dæmone vexatam. Tum ille ingemiscens, Et quanam, inquit, authoritate hoc facere ausus es impure satan? Statìm è fratribus quidam indicauit matronæ illi, virum Dei Albertum adesse. Illa cum ingenti charitatis feruore dixit ad hominem Dei: Spero tuis sanctis meritis diuinitùs mihi consolationem adfuturam. Vnica filia mea, diabolica infestatione miserè fatigatur. Quæso vt eam inuisere digneris. Tum vir pius commiseratione affectus, ingreditur ad puellam, eamque salutans, dicit: Pax tecum: impressoque fronti eius Crucis signo, ab illa in dextera maxilla percutitur. Ille nihil motus, dixit: Præbe mihi alteram, pater omnium superborum. At malus dæmon sancti viri humilitate pudefactus, atque eius meritis eneruatus, ait: Hei mihi, quantùm crucior sanctis meritis tuis, præsentiam tuam ferre non sustinens. Respondit vir Dei: Ille, qui te creauit, & propter scelus tuum è cælis te exturbauit, ex hac nobili puella te compellat exire. Ijs autem auditis, puella contremuit, dixitque vir Dei: Egredere è corpore puellæ, Christi nomini consecrato. Et cùm rursùs eam Cruce signâsset, & aqua benedicta aspersisset, diabolus magno quodam instàr tonitrui exacitato sono, cum ignominia recessit: sensitque se puella rectè habere, & tum Deo, tum sancto viro cum gaudio & lachrymis gratias egit. Eius miraculi rumor, ad proceres & prælatos regni allatus est.

Eius humilitatem & patientiam dæmon nõ sustinet.

Crucis signo & aquæ sacrata pellit dæmonẽ.

Cap. 11.

Iuuencula quædam Drepani in partu laborabat diebus sex, idque tanto cum periculo, vt iam ceu morti propinqua, à medicis relinqueretur. Aderat illic vir Dei, quem fœminæ illius mater, licèt immodico consternata animi dolore, tamen in Domino confidens, adiunctis sibi cognatis & propinquis, lachrymabunda rogauit, vt filiæ tam desperatè laboranti præsentiam suam, priusquàm è corpore abiret, non negaret, addens eam diù illum videre peroptâsse. Ait ad eam vir beatus: Vbinàm habitas? Illa respondit: Quorsùm attinet scisciatari, vbi sint ædes meæ? Veni, quæso, & vide. Abijt igitur cum illa, adiuncto sibi puero suo: veniensque ad ædes, vbi illa decumbebat, dixit: Pax tecum. Illa verò, quòd iam sensuum vsu destituta esset, nihil respondit. Tum vir sanctus digitũ suum eius oculo apponens, appellauit eam nomine suo, ità dicens: Margareta, cur adeò doloribus occuparis, vt mihi non respõdeas? Profer sermonem, vt matri consolationem adferas. His dictis, ventrem eius oleo vnxit, dicens: Sanet te Domi-

Sanct oleo partu periclitantem.

Dominus noster Iesus Christus ob merita sanctissimæ matris suæ: & sicut illa absque damno virginitatis concepit, & sine dolore peperit: sic tu absque vllo mortis periculo edas hanc prolem Domino consecrandam. Dixit, & fœmina ad se rediens, exclamauit: Adiuua me amice Dei: simulque puellam enixa est inprimis speciosam, quam posteà Domino dedicauit.

Cap. 12.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimoquinto, vir Dei erat in terra sancta, vbi ludæus quidam crebrò vexabatur morbo comitiali. Adductus verò est parentibus ad seruum Christi Albertum: qui ait ad eos: Ecquid vultis? Responderunt illi: Vt filius noster nobis incolumis restituatur. Ait vir Dei: Si vultis credere in Dominum nostrum Iesum Christum, & matrem eius virginem fuisse & in partu & post partum, & cætera, quæ ad fidei symbolum pertinent, fiet quod petitis. Illi responderunt: Si in nomine Iesu Christi filio nostro reddideris sanitatem, credemus, & eum, quem prædicas, verum Deum confitebimur. Tum vir Dei, edito sanctæ Crucis signo, in hominem comitialem hæc verba pronunciauit: Expellat à te Christus morbos omnes, si vera sunt, quæ ego de illo prædico. Vix ea dixerat, & euestigiò homo coram omnibus curatus est integerrimè, nec vnquàm deincèps illo se sensit morbo infestari. Id vbi vidêre parentes eius, sacrum baptisma cum illo à viro Dei perceperunt, & admodùm religiosè vixerunt. Filius verò secutus est virum beatum, & cùm vitam vixisset cumprimis piam, in Domino tandèm feliciter obdormiuit,

Sanat Iudæum comitialé, & cum parentibus eũ baptizat

Cap. 13.

Eodem anno cùm vir sanctus proficisceretur Agrigentum, flumen quoddam transiniit, quod vulgò Platanum vocant. Vidit autem iuxta fluuium quosdam Iudæos transeuntes. Erat autem iter angustum, quippè inter montes excelsos. Iudæis ergò iter agentibus, & viro Dei ab altera fluminis parte ambulante, subitò aqua excrescit vltra modum, arreptosque Iudæos cogit natare. Illi cernentes in tam præsens se coniectos discrimen, ad virum beatum, de quo iam auditione acceperant, magnis vocibus clamant: Adiuua nos domine virtute Christi tui. Respondit ille: Si in eius nomine baptizari vultis, & toto pectore cupitis effici Christiani, salus vobis præstò erit. Tum illi: Nos, inquiunt, credimus illis, quæ tu prædicas de Christo Nazareno, cupimusque baptizari. Id illis dicentibus, vir Dei super aquas ambulat, ad eosque perueniens, in ipso flumine baptizat eos. Interim cedebant aquæ, & illis diuisis, vir sanctus Iudæos baptismo iam expiatos, absque vllo detrimẽto ex illo periculo in terram eduxit. Qui cùm ad suos reuertissent, omnia, quę in via ipsis accidissent, narrauerunt Episcopo cum multa exultatione, virum Dei tum apud illum, tum apud alios laude & prædicatione efferentes.

Ambulat super aquas & mirabiliter seruat Iudæos, & conuertit.

Cap. 14.

Eo tempore, quo vir beatus egit Prouincialem Siciliæ, quandoquè voluit visitare prouinciam suam. Solebat autem cum scipione ingredi, & socium habebat, qui ferret vas fictile, in quo erat panis & aqua, vndè in itinere sustentabantur. Accidit autem quodam tempore illis iter facientibus, & iam ad monasterium quoddam appropinquantibus, vt socij eius negligentia vas illud in terram caderet, & in multas particulas frangeretur. Ea re valdè consternatus frater ille, non audebat ad virum Dei propiùs accedere. Id spiritu cognoscens vir sanctus, vocat illum ad se, rogat cur solito tardiùs & remotiùs sequatur, & quid habeat, vndè tam mœstus sit. Ille rem omnem tremebundus exponit: iubetque vir beatus, vt particulas omnes contriti vasis ad se apportet. Abit ille, vt vas adferat: & eccè cernit illud suæ integritati restitutũ & aqua plenum. Itaque incredibili affectus gaudio, fert illud ad virum Dei, & porrò cum illo cœptum iter conficit.

Visitat suã prouinciã.

Vas fractũ redintegratur.

Cap. 15.

Alio tempore cùm vir sanctus quoddam sui instituti & prouinciæ monasterium visitaret, & quandoquè precandi causa cum fratribus esset in Choro, spiritu didicit, quendam fratrem multa erga sacratissimam Christi matrem Mariam animi pietate & deuotione feruere. Sed ei inuidens tortuosus coluber diabolus, ab ea deuotione eum retraxit, animumque eius, cuiusdam fœminæ amore inflammauit. Ille verò se sentiens animo saucium, postposuit pristinam deuotionem, & secum statuit cum ea fœmina suam explere libidinem. Itaque quodam die loquitur cum ea, aperit illi voluntatem suam, illa se promptam & paratam offert. Hæc verò non latebant virum Dei. Clàm igitur ad locum secretum eum vocat, explicat ei omnia, quæ cum muliere perpetrare deliberâsset. Tum ille à sancto viro veniam petit, & illo pro eo orante, priorem erga Christi matrem virgineam sibi sensit restitutam deuotionem.

Fratrem lapsum diabolica fraude, ad pristinũ statum reuocat.

Volebat

Volebat vir Dei hominum fugere frequentiam, & alicubì delitere. Itaque iter ingressus est Messanam versùs, vbì est Episcopi sedes, atque apud illam in quoddam tugurium sese abdidit orationis & deuotionis causa. Vbì cùm dies aliquot mansisset, & mortis suæ tempus aduentare cognouisset, graui correptus morbo, rogauit Dominum, vt ipsum ad se euocare dignaretur. Vtebatur autem hac precandi formula: Si proprio filio tuo non suam, sed tuam mandâsti facere voluntatem, non mea, Domine, sed tua voluntas fiat. Ità ergò ille in orandi feruore positus, & quasì mentis ecstasim patiens, audiuit vocem eiusmodi: Anima tua in sanctorum Confessorum sortium admittetur, gaudijs perpetuò duraturis fruitura. Quanuis ergò magna esset anteà vsus precandi assiduitate, at nunc porrò diutiùs in ea perseuerauit. Legebat prophetarum oracula, diuina in eis mysterià contemplans, dulceque illi erat cum sanctissima Dei matre miscere colloquia. Cernens autem propè adesse extremum vitæ suæ diem, acciuit ad se Fratres, & exemplo sanctorum Parrum, mitissima voce eos compellans, Cupio, inquit, dissolui, & esse cum Christo: addiditque tanquàm vaticinans: Hodie ipso die spiritus meus è carnis ergastulo liberabitur, & ad Dominum, qui creauit eum, dirigetur. Eodem autem temporis puncto mecum pariter emigrabit soror mea. Quæ quidem aberat à loco, in quo tum erat vir sanctus, ad ducenta & sexaginta milliaria. compertumque est posteà, de eius obitu vera Albertum prædixisse. Deindè orante illo & grauiter laborante, Fratres apud illum vigilabant, & precibus suis animam eius Deo commendabant. Sub horam autem vespertinam sentiens imminere corporis dissolutionem, vir sanctus in genua se submittit, & coram Fratribus sic orat: Domine Iesu Christe, qui cuncta creâsti, & omnia pro tua voluntate disposuisti, conseruasque ea sapientia & prouidentia tua, conserua animam meam ineffabili misericordia tua: tuere illam ab hoste maligno, & perduc eam in consortium electorum tuorum. Deindè legit Psalmum: Deus, in nomine tuo saluum me fac: cui adiunxit Psalmum, In te Domine speraui. Illo absoluto, cùm dixisset semèl orationem Dominicam, & bis Angelicam salutationem, iterùm repetijt Psalmum, In te Domine speraui. Indè ad extrema tendens, sublatis in cælum oculis, animam suam Deo & beatissimæ Matri eius commendauit, eorum implorans opem: & paulò post alta voce dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Quibus dictis, à Fratribus orantibus anima eius instar * nebulæ candidissimæ visa est vno volatu ex ore illius rectà in cælos contendere. Corpus eius præclaro cilicio indutum, in terra relictum est. Ad eius obitum campana, quam ille fieri curârat, per seipsam nullo mouente, insonuit, & odor suauissimus, omnia vincens aromata, ab eius corpore manauit, adstantes omnes mirificè afficiens. Quamobrèm etiam omne mortalium genus, non modò Christiani, sed etiam Iudæi, tantæ rei admiratione permoti, ad illud confluebant.

Latitat in tugurio quodam, vt possit vacare Deo.

Prædicit fatum & sororis suæ obitum.

Psal. 53. Psal. 30.

Migrat ad Dominum.

* Columbę, legendum arbitror.

Campana edit sonum nullo mouente.

Cap. 16.

Cap. 17.

Postquàm autem Fridericus Dux illustrissimus, frater Iacobi Regis Cataloniæ, de eius decessu certior factus est, cum nobilibus suis venit ad funus, tantique patroni & aduocati orbitate omnes mœrebant & flebant. Quotquot verò illic aderant, sacrum corpus contingere nitebantur. exibat enim de illo virtus, & sanabat multos. Vestes eius, causa deuotionis ab omnibus lacerabantur & diripiebantur, singulis particulam aliquam indè sibi vendicare cupientibus, quòd multa admiranda per eas Deus efficiat ob merita sancti viri. Cumque exequiæ celebrarentur, nobilis matrona Renetia de Pallatijs, præ multa deuotione orans ad corpus eius, à capite abstulit eam partem, quam almutium vocant, accurateque custodiuit. Quidam enim imponentes illud capitibus suis, omni oculorum morbo liberantur. Iussit verò Dux Fridericus, vt literati omnes ad ipsum venirent, in quibus fuit etiam Episcopus Messanensis Vindericus, & alius quidam Episcopus, complures que diuersorum ordinum. Vénit autem Rex Siciliæ ad Episcopos & alios: simulque omnes adunati, cùm communem suum pro tanti viri amissione dolorem testati essent, inter se consultabant, quid faciendum esset. Tum verò Archiepiscopus, sano vsus consilio, triduanum indixit ieiunium omnibus, & vt interìm precibus & eleemosynis darent operam, & Missarum offerrentur sacrificia in omnibus ecclesijs, vt Deus in seruo suo dignaretur sua declarare miracula. id quod re ipsa ità factum est. Nam cùm corpus beati viri summa populi deuotione in mediam maiorem ædem deportaretur, & exequiarum Missæ celebrandæ essent, odor longè suauissimus è corpore diffundebatur, cunctis non mediocriter id admirantibus. Multi enim morbidi eo odore sanabantur, ità vt corpus

Miracula ad corporis eius contactum.

Nota de vestibus eius.

Odor suauissimus ex eius corpore multos sanat.

illud

illud, quoddam ſanctitatis receptaculum à turbis omnibus pro certo haberetur.

Cap. 18. Interìm lis orta eſt Cleri & populi de Miſſa celebranda, Clero dicente, defuncto rum Miſſam dicendam eſſe: Populo contrà affirmante, de Sancto celebrandum eſſe ſacrificium. Conſulebant autem, qui de Clero erant, Ius Pontificium: populus verò ad preces ſe conferebat. Tandèm Archiepiſcopus mandauit, vt diuinum expectare tur conſilium, omnesque Deum obſecrarent, vt indicaret ipſis, quomodò vellet honorari & ornari ſanctum ſuum. Cunctis igitur in preces incumbentibus, ſubitò appa ruêre in aëre duo pueri, albis amicti ſtolis, ijsque auro intextis, dicebantque excelſa

Diuinitùs iubetur Clerus pro illo tanquàm Confeſſore cãtare Miſſam. voce cantandum eſſe, Os iuſti meditabitur ſapientiam. Et his dictis, mox ab omnium oculis ablati ſunt. Tum verò tam inſigni conſpecto miraculo, Archiepiſcopus & Reſ cæterique omnes ſtatuêre, Officium Confeſſoris anteponendum eſſe officio defunctorum. Celebrata eſt igitur ſolenniter Miſſa Confeſſoris à Clero vniuerſo. Ea finita, ſub horam nonam corpus ea, qua parerat, deuotione ſepulturæ mandârunt. Deindè Rex & alij omnes id planè decreuêre, beatum virum catalogo Sanctorum ab Apoſtolica Sede inſerendum, idque opera & impenſis regni. Ad eius enim ſepulcrum properant etiam ex longinquis partibus ægri, claudi, cæci, leproſi, paralytici, & intrà paucos dies curantur. Modus autem curationis, eiuſmodi eſt: Poſtquàm ad viri Dei tumulum tribus aut quatuor diebus ieiunijs & precibus vacârunt, & beati viri patro-

Multi ægri ad ſepulcrũ eius curantur. cinia implorârunt, media nocte lux ſplendidiſſima illos ambiuit, in cuius medio cernebatur vir Dei Albertus candida veſte indutus, iſq; eis vigilantibus ad ſepulcrũ ipſius integram reformabat ſanitatem. Tum illi voce magna laudabant præpotentem Deum, qui talem poteſtatem & gratiam tribuit fideli ſeruo ſuo. Idque vbì reſciuit Dux, itemque Prælati & populus omnis, maiori erga eum deuotione affecti ſunt, vſque in

Pſal. 67. hodiernum diem coruſcantibus miraculis in laudem & gloriam Dei, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis. Obdormiuit autem in Domino vir Dei Albertus anno à partu Virginis milleſimo ducenteſimo nonageſimoſecundo, 7. Idus Auguſti.

Cap. 19. Eodem anno innumera hominũ turba in regno Siciliæ ad arma cucurrit propter bellum illic enatum. Cumque vbiquè alij aduersùm alios confluerent, multi & nobiles & ignobiles eam caſtri partem, quam Rex beato Alberto & fratribus dederat, vi occupârunt, & equos ſuos in templo, vbì humatum erat beati viri corpus, collocá-

Nota diuinam vltionem in propnanatores loci ſacri. runt. Id cùm illi ad dies aliquot facerent, & cum equis ſuis & exirent & redirent, equi ſubitò extincti ſunt, & milites varijs correpti morbis, ità vt pauci euaderent. Quidam verò ex ijs, qui fugerant, ira incenſi, cum ſuis equis per eccleſiæ habitacula diſcurrebant, & beati viri arca, in qua corpus eius conditum erat, cecidit in imum ſepulcri. Indè verò extractis arcæ illius partibus, & ſancti viri corpore detecto, viſum eſt illud in genua procumbere, tanquàm à Domino vindictam petens. Eádem autem hora omnes illi horrenda peſte extincti ſunt. Id alij, qui foris erant, conſpicati, nunquàm deincèps illic habitare auſi ſunt. Fratres verò ex eo loco recedentes, corpus abſportârunt in eum locum, vbì nunc manet. Prior enim locus parùm opportunus erat.

Trãsfertur ſacrum corpus eius. Tandèm tamen communicato inter ſe conſilio, partem inferiorem ſacri corporis Meſſanæ reliquerunt, reliqua ad cœnobium Drepanenſe tranſlata.

Cap. 20. Puer quidam, orto incendio, in medias flammas cadens, Sancte Alberte, inquit,

Puer ab incendio liberatur. adiuua me, ſimul etiam beatiſſimam Dei matrem inuocans. Exiuit ergò ab igne expers ignis, atque ſe beatiſſimæ Virginis & ſancti Alberti meritis flammas non ſenſiſſe. Porrò largas eleemoſynas pro facultate ſua Ordini præſtitit.

Cap. 21. Sacerdos quidam audiens Priorem quendam pro concione dicentem, Albertum ſanctum eſſe, ſtimulante inuidia, coram populo exclamauit: Tu verò turpiter mentiris, & falſa atque commentitia ſunt, quæ loqueris. Non eſt enim ſanctus ille Albertus, quem tu dicis. Eodem momẽto viſcera & inteſtina omnia maligni hominis, cunctis

Pœna ſanctum virum blaſphemantis. adſpectantibus in eius genua prolapſa ſunt. Accitus autem Chirurgus, ait ad eum: Non mea opera, ſed ſancti Alberti ope, ſi credere voles, liberaberis. Ijs auditis, ſacerdos coram multis lachrymabundus dixit ſummo animi cum dolore: O beate Albertе, falſum ego locutus ſum, tuæque ſanctitati per mendacium obtrectaui. Itaque propter blaſphemiam meam meritò hæc patior. Sed ſi me ſanaueris, ieiunabo illo die,

Vide vim voti. qui præcedit diem obitûs tui: ipſumque diem, quo è vita abijſti, pro feſto habebo. Proximo die Sole illuceſcente, ſentit ſacerdos adeſſe ſibi beatũ Albertum, & corpus ſuum oleo perungere. Mox ſurgit ſanus, properat ad monaſterium, oſtendit omnibus quid eſſet cõſecutus beneficij, & deincèps quod promiſerat, præſtare non omiſit.

Quædam

Quædam nobilis matrona tribus annis morbum paſſa immedicabilẽ in vbere, tan- Cap. 22.
dèm beato Alberto votum nuncupauit, ſe in illius honorem curaturam effici imaginem argenteam, & tres pauperes fratres veſtituram. Nocte proxima in ſomnis audit ſanctum Albertum ceù medicum ſibi dicentem: Si vis ſana fieri, mamillam S. Alber- Oleo lampadis ſacelli ſancti viri mulier ſanatur.
tioleo perunge. Surgit illa, confert ſe in ſacellum beati viri, fuſa prece oleo lampadis inungit mamillam, audit ſacrificium de S. Alberto, domum repetens, in ipſa via itineris comitibus oſtẽdit mamillam ſaniſſimam, multos & gaudio & admiratione afficit.

Fratribus monaſterij, ob populi deuotionem, beati Alberti commemorationem Cap. 23.
facientibus, quidam Clerici, malo dæmone inſtigante, voluêre nocte ſequenti imaginem eius abolere & perdere. Iam illis euntibus, paralyticus quidam, quem morbus annis duodecim lecto affixerat, media nocte, quòd eſſet eccleſiæ vicinus, audit tumultum, dicit vxori vt ſurgat & inueſtiget, quid rei ſit: audiens ex ea collectos malos homines, qui velint ſancti Alberti imaginem abolere, ait: Vtinàm ſanus eſſem, vt poſſem iſthuc impedire. additque: Alberte beate, libera me, ſtaboque promiſſis meis, omnesque facultates meas cultûs tui augmentandi cauſa expendam. His dictis, obdormit, videtque ſanctum Albertum tanquàm effigiem parieti affixam, manuque tenentem virgam inprimìs luculentam, eaque ipſum tangentem, & dicentem: Sanette omnipotens Deus. Mox euigilat æger, ſentit ſe incolumem, magno ani- Sanatur paralyticus.
mo progreditur hominibus malignis obuiàm, aitque illis: Opera Dei vos conuenit facere, non ſatanæ. Illi ſciſcitãtur quis ſit, & qua ratione morbo, omnem medicinam reſpuente, liberatus ſit. Refert ordine omnia, magno illi timore correpti, reſipiſcũt, laudantque Deum in ſancto ſuo. Primum tum in S. Alberti honorem ſacellum conditum eſt.

In caſtro Drepanenſi quidam taxillarum luſu omnem rem ſuam perdidit tanto Cap. 24.
animi dolore, vt pariter à fide deficeret ad deſperationem. Et eccè venit ad locũ, vbì erant imagines beatiſſimæ Virginis & S. Alberti. Eas intuens, dicit ad imaginem S. Alberti: Totiès inuocaui te, & non me audiſti in neceſſitatibus meis. Quid igitur cauſæ eſt, vt te ſanctum prædicem, cùm nulla ratione me potueris iuuare? Abſit, vt poſthàc pro ſancto te habeam. Tu quoquè Maria, quæ Mater gratiæ díceris, pias aures Nota inſigne miraculum in ſacris imaginibus.
tuas occluſiſti ad preces meas. Indè arrepto gladio, vtrãque imaginem ſecat, & confeſtim ex ambabus diſtillat ſanguis benè multus in terram. Vidit id quidã puer, ſublataque voce clamat in ſacrilegum. Ille audito clamore exit è templo, ſed repentè horrendo exiſtente tonitru, fulminis ictu totus in puluere ad fores eccleſiæ redigitur. Reliqua miracula breuitatis ſtudio omiſimus.

VITA ET MARTYRIVM S. DONATI EPISCOPI ET HILARINI MONACHI, PER ADONEM *Archiepiſcopum Treuirenſem.*

APVD Tuſciam ciuitate Aretio, natale ſancti Donati Epiſcopi & martyris. Qui nutritus à S. Pigmenio preſbytero, in titulo beati Paſtoris eruditus eſt non ſolũ in diuinis, verumetiàm in humanis literis ſufficientiſſimè. Cum quo & Iulianus creuit: & ſubdiaconus ordinatus, reiecto poſtmodùm gradu inutilis factus, ad Imperiũ adſpirauit. Quo tempore beatum Pigmeniũ Romæ in cuſtodia mancipauit, & ſanctos patrem & matrem Donati gladio occídit. Donatus verò lector fuga petijt ciuitatem Aretium, & habitauit cũ Hilarino glorioſiſſimo monacho, ſeruiens Deo continuis orationibus & ieiunijs. 7. Auguſti.

En habes hìc ordinẽ Subdiaconatûs, & paulò pòſt etiã Lectoratûs.

Factumque eſt vt mulier nomine Syranna gentilis, capta oculis, corde verò cæca, cum vnico filio ſuo Herculiano nomine, cellam beati Hilarini, cum quo beatus vir habitabat, requireret. Quam in fide Chriſti inſtructam, ad beatum Satyrum Epiſcopum Hilarinus & Donatus perduxerunt. Qui vt fidem ipſius accepit, gratias Deo agens, indixit ei ieiunium, & vt humiliaretur in cilicio & cinere, & ſic deindè cathechizauit eam, & baptizauit, tam ipſam quàm filium eius. Et mox aperti ſunt oculi Syrannæ, cœpitq; clamare: Verè Deus Chriſtus eſt, qui illuminauit oculos meos. Quod factum audiens Ampronianus, non multò pòſt attulit filium ſuum dæmoniacum ad

Catechiſmũ ex conſuetudine Eccleſiæ ſemper Baptiſmum præcedit.

Cæca & dæmoniacus curantur.

beatum Donatum. Quo orante ſimul cum Satyro Epiſcopo & Hilarino, expulſus dæmon puerum ſanum reliquit.

Mortua mulier ad interrogata reſpondet.

Sed & non longo tempore pòſt vir quidam Euſtaſius rector Tuſcię & exactor fiſci, dum occupatus alibì teneretur, ſuperueniẽtibus hoſtibus, vxor ipſius Euphroſyna pecuniam fiſci abſcondit, & paucis diebus ſuccedentibus, abſente adhuc viro, defuncta eſt. Rediens autem poſtmodùm vir eius, inuenit vxorem ſuam mortuam, & pecuniam fiſci ſibi celari. Qua de re non parùm triſtis, ſimul pro requiſita pecunia, cùm etiam principes curiæ ſupplicia ipſi meditarẽtur, fugiens idem Euſtaſius, venit ad beatum Satyrum & Donatum, & indicauit eis anxietatem animi ſui. Stãs itaque Donatus ſuper ſepulcrum vxoris ipſius, magna voce clamauit: Euphroſyna per Chriſtũ crucifixum, te coniuro, vt dicas nobis, quid factum ſit de pecunia fiſci, quia vir tuus pro ea ab exactoribus valdè affligitur. Quæ mox de ſepulcro reſpõdit: In ingreſſu domus ſuffoſſa latet pecunia, quam quæritis. Recepta eſt igitur pecunia, liberato Euſtaſio ab impoſitione calumniæ.

Ecce quàm vetuſta ſit Miſſæ celebratio.

Verùm recepto beato Satyro cum patribus ſuis, eius loco ſacerdotiũ beatus Donatus ſuſcepit. Cumque die quadã Miſſam celebrâſſet populo, & de corpore Chriſti ac ſanguine ipſius populus venerabiliter recrearetur, diaconus quidam nomine Antimus, tradebat ſacrum ſanguinem Chriſti, qui ſubito paganorum impulſu cecidit, & ſacrum calicem comminuit. Vndè valdè triſtis tam ipſe, quàm populus Chriſti eſſicitur. Cuius triſtitiam Dominus per beatum Donatum ilicò releuauit. Nam collecta ſunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro allata. Quæ flens ille ſuſcipiens, oratione facta, vas in priſtinam formã reſtaurauit. Quo ſigno perculſi pagani, ſimul cum Chriſtianis Deitatem Chriſti confeſſi ſunt, ac circiter ſeptuagintanouem animæ in Chriſtum credentes per baptiſmum ſaluatæ ſunt. Multis ergò ſignis Dominus glorificans ſanctum ſuum, ad coronam martyrij prouexit.

S. Donatus oratione calicem confractum reſtaurat.

Deniquè tentus tempore Iuliani Imperatoris à Quadratiano Auguſtali, ſimul & cum eo Hilarinus vir Dei, iubetur idolis ſacrificare. Cui fideliter reluctanti, inſiſt Quadratianus os lapidibus contundi: Hilarinum verò monachum in conſpectu eius tam diù fuſtibus cædi, donèc ſpiritum emitteret. Deinde beatum Donatum in cuſtodia recludi. Vbì cùm innumera miracula Dominus per ſeruum ſuum operaretur, miſit Quadratianus qui gladio eum percuteret vij. Idus Auguſti. Cuius corpus Chriſtiani iuxta ciuitatem cum veneratione ſepeliêrunt. Martyris verò Hilarini oſſa in Hoſtia ciuitate tumulata ſeruantur.

Corpus ſancti cum veneratione ſepultũ eſt.

DE S. VICTRICIO EPISCOPO ROTHOMAGENSI, EX EPISTOLA SECVNDA S. PAVLINI *Epiſcopi Nolani, quam is ſcripſit ad illum.*

Auguſti 7.

NOTVM nobis fecit Titius, tuus chariſſimus frater & fidelis miniſter in Domino, non quidem te magìs, quàm inte Deum prædicans, quanta Dominus per te lumina in obſcuris antè regionibus accendiſſet: qui educens nubes ab extremo terræ, te quoquè in lucem populi ſui de extimo orbis eduxit, & clarum fulgur in pluuiã vberem fecit. Sic. Pſal. 134. Eſa. 9. Matth. 4. ut terra Zabulon quondã & Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ, & qui ſedebãt in regione vmbræ mortis, lucem viderunt magnam: ità & nunc in terra Morinorum, ſitu orbis extrema, quam barbaris fluctibùs fremens tundit Oceanus, gentium populi remotarum, qui ſedebãt in latebris, via maris arenoſa, extra Iordanem, antequàm pingueſcerent fines deſerti, in ea orta ſibi per tuam ſanctitatem à Domino luce gaudentes, corda aſpera Chriſto intrante poſuerunt: vbì quondàm deſerta ſyluarum ac litorum pariter * in tota aduenæ barbaria, aut latrones incolæ frequentabant, nunc venerabiles & Angelici ſanctorum chori, vrbes, oppida, inſulas, ſyluas, eccleſijs & monaſterijs plebe numeroſis, pace conſona celebrant. Quod quanquàm totius Galliæ populis & vbiquè gentium Chriſtus operetur, qui totum orbem circumit, quærens dignos ſe, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, & in vijs directionis oſtendit ſe hilaritet, & omni prouidentia occurrit amatoribus ſuis: tamen in remotiſſimo Neruici litoris tractu, quem

*For. in totũ aduenę barbari.

Sap. 7.

quem tenui antehàc ſpiritu fides veritatis afflauerat, te potiſſimùm in vas electionis excerpſit, in te prima refulſit, clariùs inualuit, ardentiùs & propiùs apparuit: te, in quo ſanctificaret illic nomẽ ſuũ, & per cuius nomen etiam Solis ab occaſu in omnem terram ſonus eius exiret, aſſumpſit.

Vrbes ſacratis locis nobiles.

Deniquè nunc Rothomagum, & vicinis antè regionibus tenui nomine peruulgatum, in longinquis etiam prouincijs nominari venerabiliter audimus, & inter vrbes ſacratis locis nobiles cum diuina laude numerari haud immeritò, cùm totam illic, qualis in Oriente memoratur Hieruſalem, faciem, Apoſtolorum quoquè præſentia, meritum tuæ ſanctitatis adduxerit: qui peregrinam memorijs ſuis vrbem, affectu ſanctorum ſpirituum, & effectu operum diuinorum, ſedibus ſuis comparant, quiin reipſum aptiſſimum ſibi diuerſorium repererunt. Iuuat videlicet amicos Dei & principes populi veri Iſraël, id eſt, populi appropinquantis ſibi in ea vrbe remorari & cooperari tibi, in qua cum Angelis ſanctis continua diebus ac noctibus Chriſti Domini prædicatione mulcentur: in qua illis per deuotiſſima fidelium corda famulorum plurimæ virtutes amicæ, gratam requiem & familiare metantur hoſpitium: vbì quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes eccleſias & monaſteria ſecreta concentu, caſtiſſimis ouium tuarum & cordibus delectantur & vocibus: & nuncillos intemerata virginitas in ſacri corporis templo tenet, vt in viſceribus pudicis, requieſcente Chriſto, hoſpites faciat. Nec minore eoſdem voluntate ſanctis operibus & pio miniſtratu inexpugnata noctù diuque famulantium viduarum paſcit inregritas, vel ſubiugatorum Deo coniugum arcana germanitas, quæ orationibus ſedulis lætum in operibus ſuis Chriſtum ad viſitationem, non iam maritalis tori, ſed fraterni cubilis inuitat, cum ipſo ſanctisque eius viciſsìm mixta, concubitu caſtitatis, ſpiritibus viſitantum immaculato amore confunditur: nunc verò per miſericordiæ viſcera reficiũtur, & in filijs pietatis atque iuſtitiæ conquieſcunt, te in omnibus eruditionis tuæ filijs diligentes, & in te Chriſtum amantes, ac per hoc virtutes Dei, id eſt, potentiam in Chriſto ſuam in tua potiſſimùm ciuitate, vt conſortem te ſuum teſtentur, operantes.

Frequentes iam olim Rothomagi eccleſiæ & monaſteria.

Gratia illi & gloria, qui opera manuum ſuarum non omittens, omnem hominem vult ſaluum fieri, & in agnitionem veritatis venire: & pedibus Euangelij toto orbe diſcurrens, te quoquè ſpecioſum verbi ſui pedem facere, in quo exultaret vt gigas ad currendam viam, & in præparationem Euangelicam pacis ſuæ veſtigio calceare dignatus eſt: vt per te quoquè ſuper aſpidem & baſiliſcum ambularet, & conculcaret leonem & draconem. Ac nè tam illuſtris lucerna ſub modio taciturnitatis obſcura latitaret, ſic te Apoſtolicæ ſedis cuectu quasì ſuper candelabrum ſublime conſtituit, vt tota domo multorum illuminatione luceres. Sed quibus te itineribus ad viam ſuæ veritatis adduxit? Carnalibus munijs ad ſpiritalia ſuæ virtutis inſtituens, creauit initiò militem, quem poſteà elegit antiſtitem: & paſſus eſt militare te Cæſari, vt Deo diſceres militare: vt dum labore caſtrenſi corporis robur exerces, ſpiritalibus te prælijs roborares, confeſſioni ſpiritum firmans, & paſſioni corpus indurans. Quod diuinæ prouidentiæ circa te fuiſſe conſilium, ingens poſteà exitus tuus à militia, & ingreſſus ad fidem, docuit. Cùm primò Chriſti amore ſuccenſus, ordinante ipſo Domino quandam operis ſui pompam, per inſignem concilio militari diem progreſſus in campum es, toto illo, quem iam mente reſpueras, muniminum bellicorum præcinctus ornatu: cunctisque mirantibus accuratiſſimos in te habitus, ac terribiles apparatus, repentè obſtupefacto conuerſus exercitu, ante pedes ſacrilegi Tribuni militiæ ſacramenta permutans, arma ſanguinis abieciſti, vt arma pacis induceres: contemnens armari ferro, quia armabaris Chriſto. Et ilicò antiqui ſerpentis inuidia concitato in furias Tribuno, diſtrictus in verbera & vaſtis fuſtibus fractus, nec tamen victus es, quia Crucis ligno innitebaris: geminataque mox corpori pœna, acuto teſtarum fragmine ſubſtratus es, laniata immanibus plagis mẽbra tunc molliùs fulciente Chriſto: cuius tibi gremium lectulus erat, & dextra puluinar. Vndè ad maiorem hoſtem, necdùm vulneribus obductis, incenſo potiùs illorum dolore, quàm fracta virtute reparatus, fortior proſiluiſti: oblatusque Comiti, de potentiori inimico glorioſiùs triumphâſti. Nec auſis vltrà diaboli ſatellitibus ſuperata ingerere tormenta, capitalemque ſententiam meditantibus, vt vel ſine carnalis tuæ vitæ vinci deſinerent, Dominus noſter fortis & potens & inuictus in prælio, conſpicuis mirabilibus pectora quanlibèt obdurata confudit. Nam carnifex, qui in itinere, quo

1. Tim. 2. Pſal. 18. Pſal. 90.

Victricius quandoquè miles.

Mira S. Victricij conuerſio.

Dirè ab impio Tribuno cruciatur.

Pſal. 23.

Capite plectẽdus, magno miraculo liberatur.

Luc.23.

Eius vincula diuinitùs soluuntur.

1.Reg.19.

Comes credit & sanctũ Dei emittit liberum.

Attẽde sanctam huius authoris deuotionem.

Prou.27.

Congratulatur S. Victricio beatus Paulin⁹.

*Codex excusus habet, ostendit, sed mẽdose, vt arbitror. Matth.13.

Percussorem tuam sacra victima sequebaris, cernicem tuam insultãs minaciter attingendi temeritate violaueras, quasi ictûs sui locum præcurrente gladium manu palpans, excussis ilicò oculis, cæcitate percussus est.

O Christi ineffabilis bonitas, quantum in suos ostendit affectum? Iniuriam confessoris sui non tulit impunitam, qui suis crucifixoribus rogauit ignosci: contumeliam martyris statim vltus est, qui passionem suam noluit vindicari. Sed eaipsa ira, pietas est. Idcircò enim vnus cæcatus est, vt plures illuminarentur: & ipse forsitan, qui oculos carnis amiserat, lumina mentis acciperet. Statùm deincèps maiore documento, qui feralis custodiæ ministerium triste curabant, quas ipsi arctiùs innodatas, & adoptas depressas vel exiguo, rogantibus vobis, beneficio relaxare noluerant catenas, conuersa in conspectu ipsorum prece vestra ad Deum Christum, sponte de manibus absolutis fluere viderunt: nec ausi renectere, quod Deus soluerat, ad Comitem pauidi cucurrerunt, veritatem Dei pro confessoribus confitentes. Quod auditum religiosè & creditum, Comes principi suo cum testimonio militum retulit. Et vt ipsius quoquè repentina ad clementiam de furore conuersio inter mirabilia Dei numeraretur, factus est in te prædicator Christi, in quo esse deuouerat persecutor. Puto & ipsum, tanquàm Saulem aliquandò, spiritu sancto Dominus impleuerat: quia & te sicut Dauid suum diligebat: vt sicut ille Rex quondàm, dum ad prophetas persequendos proficiscitur, affectus est: ità & Comes ille respersus gratia Domini, quæ de fidei tuæ abundantia redundabat, qui ad puniendum cõfessorem venerat, & ipse confessor abscederet. Credidit enim, & quos sæuiens prædamnârat vt reos, laudans emisit vt sanctos: & testimonium perhibuit veritati, qui testes fidei punire cupiebat.

Quid ergò miremur tam potentem te esse meritorum, tam diuitem gratiarum, cùm hoc tibi fuerit virtutum in Christo rudimentum, quod longorum laborum paucis consummatio est? Dubitemus etiam nunc, an perfectus sis, qui de perfectione cœpisti? & si legitimè coronandus sis agone decurso, cùm currere cœperis à corona? Quis daret nobis pennas sicut columbæ, & volaremus ad te, & requiescceremus in conspectu sanctitatis tuæ? coràm in ore tuo Christũ admirantes atq; venerantes, tergeremus capillis pedes illius tuis pedibus, & lachrymis rigaremus, & in illis cicatricibus tuis quasi Dominicæ passionis impressa vestigia lamberemus. Suauiora enim sunt vulnera amici, quàm oscula inimici. Væ mihi misero peccatori, immunda labia habenti, cui fructus iste non contigit, cùm in manu fuerit. Meminisse enim credo dignaris, quia sanctitatem tuam olim Viennæ apud beatum patrem nostrum Martinũ viderim, cui te Dominus in ætate impari parem fecit. Ex illo igitur licèt breui notitia te attigerim, tamen magna dilectione complexus sum, & quanta tunc licuit copia veneratus sum sanctitatem tuam, & me ac meos, qui te absentes, tamen quia iungente Christo vnum sumus, per me videbant, commendaui inæternùm tibi: gaudeoque nunc, quòd hoc saltem mihi gloriari licet, quia faciem tuam in carne videtim: sed lugeo negligentiam infelicitatis meæ, quòd occasionem tanti boni ignarus amiserim, & contenebrantibus me illo tempore, non solùm peccatis, quibus etiam nunc premor, sed & curis huius seculi, quibus nunc, propitio Deo, liber sum, sacerdotem te tantum, quod in medio erat, viderim, & quod inerat insignius, martyrem viuum videre nescierim.

Memineris, quæso te, nostrî in illa die, qua te innumera meritorum tuorum cohorte comitatum, ornamentisque felicibus comptum, & infulis pariter atque adoreis coronatum, & niueas sacratorum antistitum vittas, & floridas confessorum purpuras, occurrentium manus afferent Angelorum: teque ipsum, vt argentum igne examinatum, & aurum in fornace seculi huius probatum, ipse summus auri sui argentique purgator accipiet, & vt preciosam diademati suo margaritam Rex æternus aptabit: nec tuarum tibi tantùm præmia se debere virtutum iudex iustus agnosceet, videns innumeros circa te sanctorum vtriusque sexûs greges, quos illi quotidiè institutis tuis generas, formulam omnibus perfectæ virtutis & fidei, sicut & Frater Paschasius, *ostendens: In cuius gratia & humanitate quasi quasdam virtutum gratiarumque tuarum lineas, velut speculo reddente, collegimus. Verè tu beatus, tot beatorum parens, tantæ messis sator, centesimum & sexagesimum ac tricesimum fructum Deo fœcunditate tuæ terræ afferens, & mensuram parem de varijs partuum tuorum fructibus recepturus. Te altissimus inter regni sui maximos nominauit, cui concessit facto æquare sermonem: vt & doctrina tibi vitæ tuæ sit, & vita doctrinæ. Quo

fit, vt nemo se audeat excusare discipulus, velut difficultatis imperio, cùm priùs adstringatur exemplo.

DE S. CYRIACO Martyre videat Lector in primo Tomo Gesta S. Marcelli Papæ, 16. Ianuarij.

MARTYRIVM SANCTORVM SECVNDIANI, MARCELLIANI ET VERIANI, VT HABETVR IN MS.

Codicibus. Suffragantur antiquiss Martyrologia. Dictionem paulò latiniorem reddidit F. Laur. Surius.

DECIO Cæsare, & Valeriano præfecto, Christianorum fuit atrox persecutio. Erat tum togatus quidam Secundianus nomine, vir eloquentissimus, assessor Valeriani Præfecti, omnium disciplinarum cognitione instructus, ità vt inprimìs charus esset viris illustribus. Cùm autem à consilijs esset Valeriano Præfecto, & ei aduersùm sanctos martyres suasor adesset, ità secum cogitare cœpit: Quid causæ est, vt tantoperè cupiant Christiani ob Christi nomen vitam potiùs perdere, quàm eam tueri? Vtque accuratiùs ea de re perquireret, & ad veri cognitionem perueniret, cùm didicisset famam Marcelliani, viri sapientia præclari, sed tamen hostis Christianorum, acciuit eum ad ædes suas, summa vtriusque animi voluptate. Itaque inter se philosophicè conferentes, ad illum Virgilij locũ deuoluuntur, vbi ille ait: Augusti 9.

Maguus ab integro seclor um nascitur ordo: Ecloga 4.
Iam redit & virgo, rede unt Saturnia regna:
Iam noua progenies cælo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina &c.

Cùm ergò inter se disquirerent, de quo hæc dixisset Poëta, Secundianus ait: Rédeamus ad simplicis doctrinæ consultationem. Sciscitante Marcelliano, quam ille diceret simplicis doctrinæ consultationem, Secundianus respõdit: Videamus de Christianis, qui tanto ardore Christiani haberi volunt, & præ Christi amore, vitæ mortem anteponunt. Marcellianus ait: Equidem ex eorum responsis non semèl tu didicisti, qua spe & charitate inflammati, propter Christum mori cupiant potiùs, quàm vita hac frui. Secundianus dixit: Dicunt illi resurrectionem futuram, & iudicium post mortem, vitamque immortalem, omnis doloris expertem, omnibus rebus bonis affluentem. Christus verò, quem illi colunt, odit & execratur idola & simulacra, quæ nos adoramus. Marcellianus ait: Ecquid verò est Christus? Secundianus dixit: Vnctum eum possumus dicere. Marcellianus ait: Quî randèm vnctus? Secundianus dixit: A Deo vnctus. Marcellianus ait: Si est ergò à Deo vnctus, cur etiam Deum eum esse volunt? Secundianus respondit: Miror equidem prudentiam tuam. Non te meministi legisse libros Christianorum, cùm ambo daremus literis operam? Eius historiographi Matthæus & Lucas scribunt eum cæcos illuminâsse, leprosos mundâsse, mortuos excitâsse, dæmones quoquè ipsos confessos eum filium Dei esse. Hoc igitur est, quod Christianos perurget, vt mortem vita habeant chariorem & antiquiorem. Et ego quoquè in hanc planè sententiam concedo, aut Deum esse Christum, aut filium Dei, cui Deus è cælo loquitur, quem occisum, Pontij Pilati iussù crucifixum, lancea confossum, mortuũ, sepultum, indè tertia die rediuiuum, immò & manducantẽ vidêre multi, atque post aliquot dies in cælos ascendentem. Quandò verò de nostris dijs auditum est, eos quippiam eiusmodi feciss e? quos nos colimus quidem, nec ignoramus tamen vixisse turpiter & flagitiosè. Marcellianus dixit: Planè memini me isthæc omnia legisse. Secundianus ait: Vel nunc ergò agnoscamus, iustum esse Christianorum amorem, pro Christi nomine mori cupientium.

Cur Christiani mâlint & Christo mori, quàm viuere.

Dij gẽtium in vita sua vixerũt turpiter & flagitiosè.

Cùm hæc & his consimilia inter se conferrent, venit ad eos Verianus, amicus eorum, ijsque salutatis, ex literis prophanis quæstionem illis mouit. Ait verò ad eum Secundianus: Heu me miserum & infelicem, qui semper colui idola falsa & mutа: quid

facturus ſum: qui tam multos ſanctos excruciaui, vt Valeriano gratificarer? Verianus dixit: Forſitan ego amens effectus ſum, qui aliter, atquè hactenùs, docere videam magiſtrum & amicum principum. Sed nè, quæſo, iſthuc prodere in publicum velitis, quandoquidem huius doctrinæ profeſſores vos perſecuti eſtis. Secundianus ait: Audite me, & credamus Chriſtum Ieſum eſſe Deum, idque vel eorum exemplis permoti, qui vſque adeò cupiunt huius vitæ iacturam facere, vt æternam lucrentur. Verianus reſpondit: Si eſt aliquid æternum, par eſt illud nos inquirere. Secundianus dixit: Ego id, dum multorum fundo ſanguinem, cognoui.

Timotheus presbyter.

Eádem hora miſerunt ad Timotheum preſbyterũ de titulo Paſtoris. Eum adipſos intrantem ſalutant: ille reſpondet, Pax vobis: ſperans ad martyrij certamen ineundum accerſitum ſe eſſe. At verò Secundianus quamprimùm ſe abiecit ad pedes eius, ità dicens: Oro te per Chriſtum, quem prædicas, nè mihi moras nectas, ſed baptizes me in eius nomine. Idem rogârunt Marcellianus & Verianus. Itaque beatus Timotheus cùm eos catecheſi inſtruxiſſet, baptizauit eos: accitusque beatus Sixtus Epiſcopus, conſignauit eos. Ab ea autem die cœpêre facultates ſuas erogare in pauperes. Porrò poſt menſes duos Valerianus præfectus de Secundiano inquiſiuit, quem dilexerat Chriſtiana religione initiatũ, & cum illo ſimul Marcellianũ & Verianum ſcholaſticos. Ait autem Valerianus: Equidem Secundianum putaui conſtantem fore: ſed ſi vera ſunt, quæ audio, certè imbecillus eſt. Scripſit verò ad eum tanquàm amicitiæ cauſa, epiſtolam eiuſmodi: Fratri Secundiano togato Valerianus præfectus: De amicitia noſtra ſolicitus, quòd præter morem non ades conſilijs noſtris, multùm admiror. Sed quæſo, vt venias ad nos. ſunt enim, quæ tecum de republica tractare velimus. Maturè fac ad nos accedas. Hanc epiſtolam vbi legit Secundianus, dixit ad Marcellianum & Verianum: Viri fratres, en tempus noſtrum adeſt. Accingamus nos ad bellum: iam armis fidei communiti, ponamus metum omnẽ. Ego ſolus ibo ad Valerianum. Reſponderunt illi: Et nos tecum ibimus, quicquid tandèm euẽturum ſit nobis.

Catecheſi imbuuntur & baptizãtur, & à beato Sixto cõfirmantur.

Iuerunt igitur diluculò omnes tres abſque mora ad Saluſtij palatiũ, vbi tum Valerianus erat cum Decio. Sedente autem Valeriano in baſilica Aſclepij, cùm ad eum intraret Secundianus, ſubitò mutatus eſt vultus eius, vt planè Angelicus videretur. Ait verò ad eum Valerianus: Vir eloquentiſſime, & artium omnium peritiſſime, Secundiane, quidnam eſt iſthuc, quod audio de te? Secundianus reſpondit: Equidem nihil tibi dixi: quid eſt autem, quod audiſti? Valerianus ait: Didici ex alijs, te mentis inopem eſſe. Secundianus reſpondit: Ego verò ſapiens effectus ſum. Valerianus dixit: Audio te Chriſtianum velle appellari. Secundianus ait: Et tu, ſi ſaperes, idem velles. An non memoria tenes, quales & quot domini mei, mundum & opes omnes contempsêre, vt poſſent vitam adipiſci ſempiternam? quos ego miſer, tuæ obſecundans voluntati, cruciabam & affligebam in meum dedecus & ignominiam æternam: ſed credo tamen & ſpero veniam me impetraturum à Domino meo Ieſu Chriſto, quandoquidem ignorans feci. Valerianus dixit: Itáne ergò Chriſtianus effectus es? Reſpondit Secundianus: Et verò Chriſtianus. Subridens Valerianus præfectus, dixit: Noli te vel à noſtra, vel Cæſaris amicitia alienum efficere. Secundianus reſpondit: Sit tibi tua amicitia, quam, certum eſt, inimicam eſſe creatori noſtro. Valerianus præfectus ait: Num qua tibi à me hactenùs irrogata eſt iniuria? Ego veterem amicitiam tuam non contemno, ſed te curatum cupio. Deindè iuſſit eum in cuſtodia ſeruari. Cùm autem duceretur ad carcerem, Marcellianus & Verianus clamabant: Cur includitis hominem innocentẽ? Quòd ſi cauſa nominis Chriſti id facitis, & nos Chriſtiani ſumus. Mox relatum eſt ad Valerianum præfectum de his duobus. Ille verò iuſſit eos pariter cuſtodiæ mancipari.

Secundiani conſtantia.

Marcelliani & Veriani præclara confeſſio.

Indè ad Decium Cæſarem ingreſſus, inuẽnit eum lætiſſimum, dixitque ei: Suggero pietati tuæ, Secundianum togatum, virum ſapientiſſimum, ad Chriſtianorum cõſuetudinem acceſſiſſe. Reſpondit Decius: Id prorsùs incredibile eſt, cùm ille hactenùs pœnis affecerit omnes qui Chriſti nomen inuocarent. Valerianus ait: Ego illum examinatum iuſſi in cuſtodia haberi. Decius Cæſar dixit: Maturiùs ad me adducatur. Poſtera ergò luce coram Cæſare exhibitus eſt, qui ſic ait ad eum: Quid ità mutatus eſt vultus tuus Secundiane? Reſpondit ille: Puto meliorem & luculentiorem eum eſſe. Videns autem Cæſar Decius vultum eum Angelicum præ ſe ferre, ſubridens ait: Adhibe in conſilium priſcam ſapientiam tuam. Secundianus dixit: Immò ſtultitiam, Deo inimicã. Decius ait: Quem ergò te profiteris? Secũdianus reſpondit: Chriſtianũ. Decius

Itémque ſecundiani.

Decius Cæſar dixit: Faceſſat hæc inſania pectoris tui, & viuas. Secundianus reſpondit: Tu potiùs recede ab inſania tua, & viuas, qui reuerà viuens mortuus es. Iratus Decius iuſſit Secundianum, Marcellianum & Verianum in exilium deportari. Valerian opręfecto ſciſcitante, quem in locum relegari eos vellet, Decius reſpondit: Ducantur Centumcellas ad Conſularem Promotum, isque compellat eos dijs ſacrificare.

Ducti ſunt ergò eodem die Centumcellas à militibus, & traditi Quarto Promoto conſulari. Eo iubente truſi ſunt in cuſtodiam, cùm ei mandatum eſſet, nè eos viuere pateretur, ſi nollent dijs offerre ſacrificia. Deindè iuſſit ſibi apparari tribunal in foro, atque illic coram ſe ſtatui ſimulacrum Saturni in tripode, ſimulque Secundianum, Marcellianum & Verianum adduci, ijsque ità ceu egregijs Chriſti athletis præconis voce dici: Introducantur huc in Cæſares contumaces, & erga deos obſtreperi & rebelles. Illis introductis Promotus ait: Cur non obtemperâſtis edictis principũ, & dijs ceruices veſtras atque animos ſubmiſiſtis? Secundianus reſpondit: Nos omnipotentis Dei iuſſa capeſſimus, non diaboli. Promotus dixit: Audi me vir ſapientiſſime, & ſacrificate dijs. Martyres reſponderunt: Si digni ſimus, noſipſos cupimus Deo offerre ſacrificiũ, non dæmonibus ſacrificare: cum quibus vos & principes veſtri iam æternùm damnati, ad tempus facitis ea, quæ illorum ſunt benè grata voluntati. Tum Promotus iuſſit eos expoliatos fuſtibus cædi. Illi verò dum verberarentur, clamabant: Gloria tibi Domine, quòd meremur admitti in requiem tuam. Indè præcepit eos Promotus erigi, dixitque eis: Sacrificate dijs: en hîc præſtò eſt ſimulacrum. In quod cùm illi expuiſſent, ſubitò illud corruit, & comminutum eſt.

Sancti martyres fuſtibus cæduntur.

Id cernens Promotus, ira commotus, voluit vt in eculeis ſuſpenderentur, & eorum latera vngulis raderentur. Interìm dicebat eis, vt dijs ſacrificarent. At illi ſursùm erectis luminibus, aiebant: Gratias tibi agimus Domine Ieſu Chriſte. Tum Promotus iuſſit ad eorum latera flammas admoueri: dumque illi ſic torrentur, repentè vnus ex carnificibus extinguitur: alij à dæmonibus arrepti, clamant: Cur nos torquetis ſancti Dei? Tulit verò in eos ſententiam Promotus, vt capite punirentur, & corpora eorum in mare iactarentur. Ducti ſunt igitur in locum quendam ſexageſimo ſecundo milliario ab vrbe Roma, illicque decollati ſunt, & corpora proiecta in mare. Eadem nocte quidam Chriſti ſeruus. Deodatus nomine, à maris litore ea abſtulit, & mandauit ſepulturæ apud eum locum, quo capite cæſi ſunt, quinto Idus Auguſti, vbi illorum vigent orationes, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In eculeo vngulis laceratur. Flammis latera vruntur.

Capite plectuntur.

GESTA PRÆCLARA ILLVSTRISSIMI MARTYRIS ET ARCHILEVITAE LAVRENTII, QVIBVS CONtinentur multorum aliorum egregia certamina, putà, Sixti Papæ, Polychronij, Abdon, Sennes, Hippolyti &c. Ex his geſtis B. Ambroſius non pauca ad verbum ferè deſcripſit. Quòd ſub Decio autem paſſi ſcribuntur Sixtus Papa & Laurentius cum pleriſque alijs, id docti viri putant indè accidiſſe, quòd quidam confuderint Decium cum Valeriano. Sed tamen hac in re puto nihil temerè pronunciandum. Stylum, vbi expedire viſum eſt, modicè expoliuimus. Extant verò multi ſanctiſſimorum Patrum Sermones, qui confirmant hanc hiſtoriam. numerum capitum margini adiecimus.

ORTA tempeſtate ſub Decio, multi Chriſtianorum necati ſunt. Prçſidente in Vrbe Galba, pergit Decius ad Perſas, cùm illorum bello vrgeretur. Veniens autem ad ciuitatem Ponticam, ſedit in ea, licèt bello premeretur. Aſcendit autem in montẽ Medorum: & cùm conflixiſſet cum Perſis, obtinuit victoriam, & è Perſis multos interfecit, occupauitq; Babyloniam, Bactrianam, Hyrcaniam & Aſſyriam. Vbi cùm multos inueniſſet Chriſtianos, eos ſupplicijs & afflictionibus vexatos necauit. Erat tum Babyloniæ Epiſcopus Polychronius cum preſbyteris Parmenio, Elima, Chryſotelo, & Diaconis Luca & Muco.

Auguſti 10. Cap. 1.

Decius Cæſar vincit Perſas.

Quos cùm compræhendiſſet, protinùs iuſſit duci ad ſacrificandum idolis. At Polychronius conſtanter dixit: Nos Domino Ieſu Chriſto noſipſos offerimus: dæmonibus verò nunquàm nos ſubmittemus, nec vanis idolis manufactis. Tunc Decius iuſſit eum cum Clero ſuo in cuſtodiam trudi, ædificauitque in ciuitate templum Saturno, eiusque ſimulacrum ex gypſo fecit, & inaurauit: ſcripſit quoquè epiſtolam Valeriano præfecto eiuſmodi: Illuſtri & magnifico viro Turtio Apollonio Valeriano præfecto Decius Cæſar: Veſtro declaramus amori & competentiæ, quia beneficio deorum victoria nos proſecuta eſt. Illuſtris itaque & chariſſime, id nobis gratum eſſe cognoſce, vt frequenter deos noſtros placare feſtines ſacrificijs & odoramẽtis thurificationum, quorum beneficio nos ſemper victores congratulare. Admonemus quoquè, vt ſi quos prophanos Chriſtianos inueneris in Vrbe, protinùs ad tormenta trahere non differas, ſi nolint dijs noſtris humiliari, & ſacrificia offerre: vt poſſimus eos placatos habere, & victores vbiquè exiſtere, & Romana poſſit libertas augeri. Vale chariſſime.

Polychronius Babyloniæ epiſcopus.

Epiſtola Decij ad Valerianum.

Cap. 2.

Eodem tempore perfecit templum Babyloniæ Saturno, iuſſitq; præſentari ſibi Polychronium Epiſcopũ cum diaconis & preſbyteris ſuis, eumq; ſic appellauit: Tunes Polychronius ſacrilegus, qui neq; deos, neq; principũ præcepta obſeruas? Polychronius verò ne verbum quidem illi reſpondit. Dixit ergò Decius ad Clerum eius: Princeps veſter obmutuit. Reſpõdit ei Parmenius preſbyter: Non obmutuit pater noſter, ſed præcepto Domini noſtri Ieſu Chriſti, æterni creatoris, conuenienter ſe gerit, nè polluat os ſanctũ, quod à creatore noſtro purificatum eſt. ſic enim præcepit Dominus noſter Apoſtolis ſuis: Nè miſeritis margaritas veſtras ante porcos, nè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi elidant vos. Iuſtúmne tibi videtur, quod ſemèl purificatũ eſt, ſtercore inquinari? Decius dixit: Itáne ergò nos ſtercora ſumus? iratusq; iuſſit eius præcidi linguam. Cumque eius eſſet præciſa lingua, exclamauit, dicens: Ora pro me beate pater Polychroni: video enim regnantem in te ſpiritum ſanctum, & ſacrum os tuum conſignantem, & * mihi fauum mellis in os inſtillantem. Decius dixit: Polychroni, ſacrifica dijs, & eſto noſter amicus, habeasque & nos & templum commendatum. Polychronius nihil ei reſpondit. Iratus Decius, iuſſit os eius contundi. At ille in cælum ſublatis oculis, emiſit ſpiritum. Reliquit autem Decius corpus eius ante templum, & profectus eſt Cordubam. Eádem autem nocte venerunt duo ſubreguli, qui erant occultè Chriſtiani, & rapuerunt corpus eius, & ſepeliêrunt iuxta mœnia portæ vrbis Babyloniæ. Iuſſit autem Decius preſbyteros & diaconos, vinctos catenis, ſecum duci. Cùm autem ducerentur, cadebant vincula de collo & manibus eorum.

Parmenius presbyter.

Matt. 7.

Loquitur præciſa lingua.

for. *tibi

Polychronius reddit ſpiritum.

Cap. 3. Parmenij conſtantia.

Veniẽs verò Decius in ciuitatem Cordubam, cum furore iuſſit ſibi præſentari preſbyteros & diaconos, eosq; præſentatos ſic aggreditur: Et vos ſtulti optatis perire? Ecce admoneo vos, vt ſacrificetis dijs immortalibus. Reſpõdit Parmenius preſbyter clara voce: O te miſerum, qui nos manufactis idolis compellis humiliare. At tu infelix humiliare te debebas Chriſto omnium creatori, non dijs manufactis. Peribis enim tu pariter cum dijs tuis, quos iniuſtè colis. Tum Decius præcepit vt omnes in eculeis ſuſpenderentur: & cùm neruis traherentur, gratias agebant Deo, dicebantque Parmenio preſbytero: Benè precare nobis. dixitque Parmenius preſbyter: Det nobis Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti conſolationem ſpiritũs ſancti, qui regnat in ſecula ſeculorum. Reſpõderunt preſbyteri & diaconi omnes clara voce, Amen. Iratus Decius, ait: Hominem ſine lingua loqui, argumentum magicæ artis eſt. Reſpondit Parmenius preſbyter: Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui mutum loqui fecit, ipſe mihi peccatori præſtitit, vt poſſim exciſa lingua loqui. Tu verò dum loqueris, obmuteſcis. Tum Decius iuſſit eos ignibus exuri. Cùm autem incenderentur, vox cælitùs audita eſt: Venite ad me humiles corde. Decius ait: Nimirùm iſthuc artis magicæ eſt: voluitque ut laminæ ardentes ad latera eorũ applicarentur, & vngulis lacerarentur. Deindè iuſſit eos de eculeo deponi, & capite truncari. Cæſis autem eorum capitibus, corpora proiecta ſunt in publicam viam, adhibita cuſtodia, nè quis ea ſepeliret. Audientes autem ſubreguli, viri religioſi, Abdon & Sennes, venerunt noctù, & collegerunt corpora ſanctorum preſbyterorum Parmenij, Elimæ & Chryſoteli, & diaconorum Lucæ & Muci, condideruntque ea in prædio ſuo iuxta Cordubam.

Sine lingua crebrò loquitur.

Capite cæditur cum ſocijs.

Eos ſepeliunt Abdon & Sennes.

Cap 4. Matt. 5.

Eodem tempore Decius curiosè inquiſiuit Chriſtianos, miſitque authoritatem ſuam in vniuerſam Perſidem. Et quia non potuerunt abſcondi lucernæ ardentes ſub modio, poſitæ tunc ſunt ſuper candelabrum, vt lucerent omnibus, qui in domo Dei ſunt. Venerunt enim quidam ad Decium, eique dixerunt: Eccè quibus victor vitam donâſti,

donâſti, corpora cæſa Chriſtianorum colligunt, & in ſuo prædio recondunt: & neque dijs fiunt ſupplices, neque tuis iuſſis pár nt, vt ſacrificia offerant. Decius ait: Quinam ſunt iſti prophani? Dictum eſt: Abdon & Sennes. Confeſtim edixit Decius, vt ipſi præſentarentur. Cumque in eius conſpectum veniſſent, dixit eis: Adeóne vos ſtulti effecti eſtis, vt vobis in mentem non veniat, ea cauſa vos traditos eſſe in manus Romanorum & noſtras, quòd deos non colitis? Reſpondit Abdon: Immò verò hac cauſa nos potiùs victores euaſimus, fauente Deo & Domino Ieſu Chriſto, qui regnat inæternùm. Decius iratus ait: Neſcitis vitam veſtram eſſe in manu mea? Abdon reſpondit: Nos Deo patri & Domino Ieſu Chriſto ſubmittimus nos & humiliamus, qui noſtræ ſalutis cauſa dignatus eſt ad terras venire, & humiliari. Iuſſit indè Decius arctæ eos cuſtodiæ includi, vinctos catenis. Dixit autem Abdon ad Sennen: Eccè gloria, quam ſemper ſperauimus à Domino.

Abdon & Sennes ſiſtuntur coràm Decio.

Mittuntur in carcerẽ.

Eodem die oblati ſunt Decio Olympiades & Maximus, viri nobiliſſimi & Chriſtiani: quos ille inauditos iuſſit fuſtibus cædi, ità dicens: Iſti digni ſunt morte affici, necandiri debent, qui deos deſerunt, & colunt hominem mortuum. Maximus dixit: Benè dixiſti, mortuum: ſed cur non etiam dicis eum reſurrexiſſe? Decius ait: Próditenobis facultates veſtras. Olympiades dixit: Noſtræ opes, noſtræ gemmæ, noſtrum aurum & argentum Chriſtus eſt. Diſce autem miſer, quia corpora noſtra tibi tradimus, contemptis facultatibus terrenis atque perituris. Quòd ſi teipſum benè conſideres, ſupplex fieres Deo creatori tuo, & filio eius Domino Ieſu Chriſto. Honores enim & diuitiæ ad tempus ſunt, alijs quidem pro gloria, tibi verò ad pœnas ſempiternas. Decius ait ad milites ſuos: Cædite eos fuſtibus, quia mentis inopes ſunt. Cùm autem deficerent qui eos cædebant, Maximus exclamabat: Gloria tibi Domine Ieſu Chriſte, qui nos dignatus es in ſeruis tuis numerare. Decius furore pércitus, iuſſit eos plumbatis cædi, præcone dicente: Deos blaſphemare nolite. Sed cùm cæderentur, magis confortabantur, & vultu alacri dicebant: Fac, quod facis: noli ceſſare: munda quod ſordidum eſt. Decius dixit ad milites: Leuate eos à terra, & proponite coram eis lectos ferreos, & linteamina & aquam, vt ſacrificent: curaque eis adhibeatur, vt extendantur in lectis ferreis ſuper prunas, vt ſic deficiant. tradiditque eos Vitellio Aniſio vicario, qui dixit ad eos: Non eſtis neſcij, quid iuſſerit excellentiſſimus Cæſar Decius: vt qui ſacrificant & ſeruant præcepta principum, honorentur, ſintque amici principum, & augeantur diuitijs, honoribus & dignitatibus: qui verò nolunt aſſentiri, diuerſis affecti pœnis, ſpiritum exhalent. Maximus reſpondit. Quot verò horarum ſunt tormenta veſtra? breuì ſanè & vos ſpiritum exhalabitis. Nos quidem tormenta veſtra non modò non formidamus, ſed appetimus etiam. Aeterna autem ſuppliciametuimus, quæ torquebunt vos & patrem veſtrum diabolum. Vitellius Aniſius vicarius furore plenus, iuſſit eorum capita ſecuribus tundi. Quod cùm diù fieret, reddiderunt ſpiritum. Præcepitque Vitellius, vt corpora eorum canibus relinquerentur. Itaque dies quinque ità iacuerunt, ſed canes non ſolùm non attigêre corpora eorum, ſed etiam quoſdam iuxta ea mugitus dederunt. Poſt diem quintum Chriſtiani quidam nobiles, cognati Abdon & Sennes, collegerunt ea & ſepeliêrunt in domo ſua quodecimo Calendas Aprilis.

Cap. 5. Olympiadis & Maximi certamen.

Ieſus Chriſtus, Curiſtianis omnibus diuitiæ ſunt.

Felicitèr abeunt è corpore.

Eodem tempore nunciatum eſt Decio Galbam mortuum, & Romam profectus eſt: quò poſt menſes quatuor vénit, ſecum adducens beatiſſimos ſubregulos Abdon & Sennen, catenis vinctos pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: quos ſeruárat Decius in ſuam gloriam, quòd nobiles eſſent, & Romani populi ſpectaculum. Iuſſit autem Valerianus publica authoritate omnes Chriſtianos comprehendi & includi. Itaque tenuerunt beatiſſimum Sixtum Romanum Pontificem cum omni Clero ſuo, incluſeruntque eos in cuſtodia publica: vbì ſuêre multis diebus. Veniebant autem ad eos multi Chriſtiani, vt ſacramenti benedictionem ab eis acciperent, quia tempus perſecutionis vrgebat: afferebantque in carcerem filios & propinquos ſuos, ex paganis conuerſos, & baptizabantur à beato Sixto Epiſcopo. Iuſſit autem Decius omnem Senatum conuocari, fecitque conuentum in Tellude cum Valeriano præfecto * quinto Calendas Auguſti. Ibì tum eo mandante, præſentati ſunt ei Abdon & Sennes ſubreguli Chriſtiani, quos de Perſide adduxerat, diuerſis pœnis maceratos: dixitque Decius ad Senatum: Audiat cœtus veſter, Patres conſcripti: Dij deæque tradiderunt nobis hoſtes ferociſſimos, inimicos reipublicæ & Imperij Romani. Erant tum Abdon & Sennes ornati auro & lapidibus precioſis, vinctique catenis.

Cap. 6. Decius ſecum adducit Romam Abdon & Sennen.

Sixtus Papa cũ Clero in carcerem includitur.

* ſexto

Abdon Sennes certant egregiè.

Eos

Eos vt vidit omnis Senatus, admirati sunt in adspectu eorum. Tantam enim gratiam contulit Deus seruis suis, vt dolor potiùs eorum obtineret animos, quàm furor. Iussit verò Decius adduci Claudium pontificem Capitolij, isque tripodem secum attulit. Tum Decius ait ad Abdon & Sennen: Sacrificate dijs, & estote subreguli Romanæ libertatis, possideatisque omnia vestra, & fruamini pace Romani Imperij, auctique diuitijs & honoribus, consulatis vobisipsis. Abdon & Sennes responderunt coram omni Senatu: Nos ex meritis peccatores, semèl obtulimus Domino Iesu Christo nosipsos oblationem & sacrificium. porrò dijs tuis tu sacrifica. Decius dixit: Istis acerrima tormenta parata sunt: iussitque vrsos feroces & leones produci. Dixerunt autem Abdon & Sennes: Quid moraris? Fac, quod facturum te putas. Nos securi sumus de Domino Iesu Christo, qui potest omnes cogitationes tuas, & teipsum quoquè destruere.

Cap.7. Altera luce nunciatū est Decio, vrsos & leones omnes in caucis mortuos esse. Iratus Decius, præcepit sibi in amphitheatro editionem munerum parari. Cùm autem id factum esset, & ad amphitheatrum venissent, Decius noluit introire, sed Valeriano præfecto dixit: Si non adorauerint deum Solem, ferarum morsibus lacerentur. Valerianus dixit ad Abdon & Sennen: Consulite natalibus vestris, & thura ponite deo Soli. Quod si non feceritis, peribitis morsibus ferarum. Abdon & Sennes responderunt: Iam diximus tibi, nos Dominum Iesum Christum adorare: nec vnquàm manufactum simulacrum colemus. Mox ergò nudatos furibundus adduxit ad simulacrum Solis iuxta amphitheatrum, præcepitque militibus, vt compellerent eos sacrificare. At illi contemnentes, expuerunt in simulacrum, dixeruntq; Valeriano: Iam fac, quod facturus es. Tum Valerianus sub præconis voce iussit, vt plumbatis cæderentur, dicens: Deos blasphemare nolite. Indè præcepit, vt in amphitheatrum introducti, ferarum morsibus consumerentur. Ingressi autem Abdon & Sennes, dixerunt coram Valeriano: Nomen Domini nostri Iesu Christi, ob quod accedimus ad coronam, interdicat tibi immunde spiritus. Expressoque signo Crucis, introierunt in amphitheatrum in conspectu Valeriani, nudi quidem corpore, sed Christum induti. Dixit autem Valerianus: Dimittantur leones duo, & vrsi quatuor. Ij dimissi, venerunt rugientes ad pedes sanctorum, nec indè recedebant: sed potiùs custodiebant eos. Dixit ergò Valerianus: Hîc appáret illorum magica ars. Nemo verò ad illos accedere poterat propter impetum ferarum. Itaque Valerianus ira inflammatus, præcepit vt gladiatores ad sanctos introirent, & eos interficerent. Cùm ergò eos percussissent, ligatis pedibus, iussu Valeriani extraxerunt eos, & proiecerunt ad Solis simulacrum propeamphitheatrum, vbì in Christianorum exemplum tribus diebus iacuerunt. Post triduum venit quidam Christianus Cyrinus subdiaconus, qui apud amphitheatrum morabatur: colligensque noctù corpora, condidit ea in arca plumbea in domo sua, tertio Calendas Augusti. Latuerunt autem corpora sanctorum Abdon & Sennes vsque ad tempora Constantini: quo imperante, diuinitùs reuelata sunt, & à Christianis eleuata, atque in cœmeterium Pontiani translata.

Cæduntur plumbatis.

Feræ illis mansuescũt

Gladio trucidantur.

Cap.8. Eodem tempore Decius Cæsar & Valerianus præfectus iusserunt sibi Sixtum Episcopum cum Clero suo præsentari noctù in Tellude. Itaque Sixtus apud Athenas natus & doctus, priùs quidem Philosophus, posteà verò Christi discipulus, ità dixit ad Clerum suum: Fratres & commilitones mei, nolite pauescere. Scitis quæ tormenta passi sint sancti omnes, vt securi vitæ æternæ obtinerent palmam. Ipse Christus Deus & Dominus noster passus est pro salute nostra, vt nobis exemplum relinqueret, dixitque clara voce: Nemo terroribus frangatur. Dixerunt diaconi Felicissimus & Agapitus: Et nos sine patre nostro quò ibimus? Præsentatus est ergò noctù coram Decio & Valeriano cum duobus diaconis, dixitque ei Decius Cæsar: Scis quamobrèm comprehensus sis, nobisque præsentatus? Sixtus Episcopus respondit: Scio, & probè scio. Decius ait: Si ergò nôsti, fac vt omnes nôrint, vt & tu viuas, & Clerus tuus augeatur. Sixtus Episcopus respondit: Reuerà ego id & studui, & studeo, vt Clerus meus augeatur. Decius dixit: Ergò sacrifica dijs immortalibus, & esto princeps sacerdotum. Beatus Sixtus respondit: Ego semper sacrificaui, & sacrifico Deo patri omnipotenti, & Domino nostro Iesu Christo filio eius, & spiritui sancto, hostiam puram & immaculatam. Decius ait: Senectuti tuæ nos consulimus, itaque consule & tu tibi & Clero tuo. Beatus Sixtus respondit: Vsqueadeò ego consului & mihi & Clero meo, vt de profundo mortis æternæ coner omnes mecum eripere & liberare. Decius ait ad milites suos: Ducite eum ad templum Martis, vt illi sacrificet. Quòd si noluerit, includite eum in priuata custodia Mamertini. Duxerunt ergò eum ad templum Martis, vrgebantque vt sacrificijs se contaminaret. Dixit autem beatus Sixtus Episcopus: O infelices, qui cùm lugere deberetis, adoratis idola vana & manufacta, surda & mura, quæ nec sibi, nec alijs prosunt. Sed audite me filij, & liberate animas vestras ab æterno supplicio, neque reformidetis hæc tormenta, sed illa æterna: agatisque pœnitentiam, quòd nescientes vanis idólis sacrificâstis. Illi verò iussu Decij duxerunt eum in priuatam custodiam Mamertini cum Felicissimo & Agapito diaconis.

Sixtus Papa cum socijs præsentatur.

Decio. 1.Per.2.

Traditur custodiæ.

Cùm autem audîsset beatus Laurẽtius Archidiaconus beatum Sixtum Episcopum iterùm in custodiã reduci, his verbis eum appellare cœpit: Quò progrederis sine filio pater? quò sacerdos sancte sine diacono properas? Tu nunquàm sacrificâsti nec offerre consueueras sine ministro. Quid in me ergò displicuit paternitati tuæ? Nunquid degenerem probâsti? Experire certè, vtrùm idoneum ministrum elégeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortiũ sacramentorum credidisti, huic sanguinis tui consortium negas? Vide, nè periclietur iudicium, dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli, detrimẽtum est magistri. Quot illustres præstantesque viri, discipulorum certaminibus magìs, quàm suis, vincũt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit: & tu pater ostende in filio virtutem tuam, & offer quem erudîsti, vt securus iudicij tui, comitatu nobili peruenias ad coronam. Sixtus Episcopus respondit: Non ego te fili desero, neque derelinquo: sed maiora tibi debentur pro fide Christi certamina. Nos quasi senes, leuioris pugnæ cursum recipimus: te quasi iuuenem manet glorioſior de tyranno triumphus. Post me venies: flere desiste: post triduum sequéris sacerdotem Leuita. Hic medius numerus decet. Non erat tuum sub magistro vincere, quasi adiutorem quæreres. Quid consortium passionis quæris? Totam hæreditatem tibi dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Elias Eliseum reliquit, sed virtutem non abstulit. Accipe facultates Ecclesiæ vel thesauros, & diuide quibus tibi videtur. Atque ità beatissimus Sixtus Episcopus tradidit beato Laurentio Archidiacono omnes Ecclesiæ facultates.

Cap.9. Ambrosius Lib 1. Officiorũ, ca.41.

Gen.22. Actor.7. 4.Reg.2.

Ea verò accepta potestate, beatus Laurẽtius cœpit per regiones curiosè inquirere, vbinàm sancti Clerici vel pauperes essent absconditi: afferensq; thesauros, vnicuique prout opùs erat, subministrabat. Veniens autem in Cælium montẽ, inuénit ibì quandam viduam, quæ fuerat cum viro suo annis vndecim, in viduitate autem permanserat annis triginta duobus. Ea in domo sua multos habebat Christianos, & presbyteros & Clericos absconsos. Id cùm audîsset beatus Laurentius, tulit vestes & thesauros, & noctù venit ad eam. Dicebatur autem Cyriaca: cœpitque beatus Laurentius omnium Christianorum pedes lauare. Cyriaca autem mittens se ad pedes eius, dixit: Per Christum te coniuro, vt manus tuas imponas capiti meo. Multas enim patior capitis infirmitates. Beatus Laurentius, cùm dixisset, In nomine Domini Iesu Christi, filij Dei omnipotentis, ponam manum meam super caput tuum: edito signo Christi, imposuit capiti eius manum suam, & manibus eius linteum, quo extergebat pedes sanctorum: & mox omnis dolor capitis discessit ab illa.

Cap.10. S.Laurẽtius Ecclesiæ thesauros confert in pauperes.

Cyriacam sanat.

Eádem nocte abijt indè, & perquisiuit vbì congregati essent Christiani, siue in domibus, siue in cryptis. Vénit autem in vicum, qui dicitur Canarius, reperitque multos Christianos in ædibus cuiusdam Narcissi Christiani collectos: ingressusque in eas cum lachrymis, pedes eorum lauit, deditque eis de thesauris, quos beatus Sixtus Episcopus ei tradiderat erogandos. Inuénit autem illic etiam Crescentionem cæcum, cum lachrymis ipsum rogantem, & dicentem: Pone manum tuam super oculos meos, vt videam faciem tuam. Beatus Laurentius lachrymans dixit: Dominus noster Iesus Christus, qui aperuit oculos cæci nati, te illuminet. Impressoque signo Christi in oculos eius, vidit lumen & beatum Laurentium, sicut petijt.

Cap.11.

Iohan.9. Signo Crucis cæcum illuminat.

Exiens autem indè beatus Laurentius, audiuit in vico Patritij multos Christianos in crypta Nepotiana adunatos. Eò accedens cum rebus, quæ essent sanctis necessariæ, comperit ibì esse homines promiscui sexûs fermè septuagintatres: intransq; cum lachrymis, pacem omnibus impertijt. Erat illic Iustinus presbyter, à beato Sixto ordinatus, ad cuius pedes se misit beatus Laurentius, & ambo in pauimento volutabantur, atque inuicèm osculabantur pedes: dixitq; beatus Laurentius ad beatissimum Iustinum: Comple votum meum, & lauentur pedes sanctorum & vestri per manus meas. Iustinus presbyter dixit: Hoc Dominicum præceptum est. Fiat voluntas Domini nostri

Iohan.13.

Lauat Christianorũ pedes.

nostri Iesu Christi. Et accepta pelui, misit aquam in eam, & lauit omnium virorum pedes: veniensque ad beatum Iustinum, primò osculabatur pedes eius, deindè lauit. Lotis omnium pedibus, commendauit se beato Iustino.

Cap. 13.

S. Sixtus ire rũm sistitur corã Decio.

Eádem hora illo indè exeunte, beatus Sixtus ducebatur in Telludem, vt audiretur, & cum eo Felicissimus & Agapitus. Aderant illic Decius & Valerianus: dixitque Decius furore plenus ad S. Sixtum Episcopum: Nos quidem consulimus senectuti tuæ: itaque audi præcepta nostra, & sacrifica. Respondit beatus Sixtus: Tibijpsi consule miser, & noli blasphemare: sed age pœnitentiam propter fusum sanguinem sanctorum. Decius furibundus ait ad Valerianum: Hic si extinctus non fuerit, non erit vllus euidens timor. Valerianus respondit: Capite puniatur. Felicissimus & Agapitus dixerunt: O si audiretis miseri monita patris nostri, tormenta æterna euaderetis, quæ vos cruciabunt. Valerianus præfectus dixit: Quid ità diù viuunt isti, qui nobis tormenta minantur? Reducantur ad templum Martis, vt sacrificent. Quòd si noluërint, eodem loco capite truncentur. Ducti ergò sunt extra muros portæ Appiæ, dixitque beatus Sixtus: Eccè idola vana, surda, muta & lapidea, quibus miseri se inclinant, vt perdant vitam æternam: & ait ad templum Martis: Destruat te Christus filius Dei viui. Christianis omnibus dicentibus, Amen, subitò corruit & comminuta est pars quædam templi.

Magna pars templi Martis ad vocẽ Sixti Episcopi, corruit.

Cap 14.

Porrò beatus Laurẽtius exclamauit: Noli me derelinquere pater sancte. iam enim expendi thesauros, quos tradidisti mihi. Tunc milites audientes thesauros, tenuerunt beatum Laurentium Archidiaconum: sanctum verò Sixtum Episcopum, & Felicissimum atque Agapitum diaconos, duxerunt ad cliuum Martis ante templum, vbi pariter decollati sunt octauo Idus Augusti, & corpora eorum relicta in platea. Noctu autem venerunt Clerici, presbyteri & diaconi, & plurimi è plebe Christiana, atque eorum corpora colligentes, beatum Sixtum Episcopum & martyrem sepeliẽrunt in crypta in cœmeterio Calixti eadem via: sanctos verò Felicissimum & Agapitum martyres in cœmeterio Prætextati, octauo Idus Augusti.

S. Sixtus cũ socijs decollatur.

Cap. 15.

Porrò milites Decij beatum Laurentium duxerunt ad Parthemium tribunum. Is verò mox indicauit Decio, Laurentium Sixti Archidiaconum, qui haberet thesauros reconditos, in custodia teneri. Gauisus est Decius, & iussit sibi Laurentium præsentari, aitque illi: Vbi sunt thesauri Ecclesiæ, quos apud te cognouimus reconditos? Beatus Laurentius ne verbum quidem illi respondit. Decius ergò tradidit eum Valeriano præfecto, dicens: Perquire diligenter de thesauris Ecclesiæ, & fac, vt sacrificet. Quòd si nolit, diuersis pœnis eum interfice. Valerianus itaque tradidit illum Hippolyto cuidam vicario in custodia asseruandum: isque inclusit eum cum multis alijs. Erat autem quidam gentilis in custodia, qui, cùm diù illic mansisset, plorando amisit oculorum lumen. Dixit verò illi beatus Laurentius: Crede in filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, & baptizare, & ille te illuminabit. Respondit Lucillus: sic enim vocabatur: Ego semper desideraui baptizari in nomine Domini nostri Iesu Christi. Beatus Laurentius dixit: Credis toto corde? Respondit ille cum lachrymis: Ego credo in Dominum Iesum Christum, & idola vana respuo. Hippolytus interìm patienter sustinebat sermones eorum. Tum beatus Laurentius catechizauit Lucillum, & accepta aqua, dixit ad eum: Omnia in confessione lauantur. Tu autem me pronunciante, respondе, Credo. benedixitque aquam, & cùm expoliâsset eum, fudit super caput eius, dicens: Credis in Deum patrem omnipotentem Lucille? Respondit ille, Credo. Et in Iesum Christum filium eius? Respondit, Credo. In eum, qui mortuus & sepultus est, & tertia die resurrexit? Respondit, Credo. Et ascendit in cælum, vndè venturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem? Respondit, Credo. Sanctus Laurentius ait: Et is te in corpore & anima illuminet. Respondente illo cum lachrymis, Credo, S. Laurentius eum induit linteamine, apertique sunt oculi eius, & exclamauit: Benedictus Dominus Iesus Christus, Deus æternus, qui me illuminauit per beatum Laurentium, qui semper cæcus fui, & nunc video. Audientes id multi cæci, venerunt ad beatum Laurentium flentes, isque in Hippolyti custodia imponebat oculis eorum manum suam, & illuminabantur.

S. Laurẽtius Decio offertur.

Traditur Hippolyto asseruãdus.

Attẽde quo modò in primitiua Ecclesia aqua Baptismi benedicebatur.

Lucillus cæcus recipit lumen.

Ităque plures alij cæci. Cap. 16.

Cernens id Hippolytus, dixit ad beatum Laurentium: Ostende mihi thesauros Ecclesiæ. B. Laurentius respondit: O Hippolyte, si credis in Deum patrem omnipotentem, & in filium eius Dominum Iesum Christum, & thesauros tibi ostendo, & vitam æternam promitto. Dicit ei Hippolytus: Si dictis facta compensas, faciam quod hortaris.

taris. B. Laurentius ait: Audi me, & fac citiùs, quæ hortatus sum: idola enim mutà, surda & vana sunt. Tu saltem baptizare. Deindè more solito catechizauit eum, accepramque aquam benedixit, & baptizauit eum. Et cùm eum ex aqua eleuaret, dixit Hippolytus: Vidi animas innocentium lætas gaudere: porrò ad B. Laurentium lachrymabundus ait: Adiuro te per Dominum Iesum Christum, vt omnis domus mea baptizetur. Et præclarè baptizati sunt in domo eius promiscui sexûs decem & nouem.

Hippolytus post catechesin baptizatur.

Cap. 17.

Eccè autem mandat Valerianus Hippolyto, vt Laurentium ad palatium adducat. Dixit ergò Hippolytus ad B. Laurentium: Valerianus iubente Decio præcipit, vt te ad illum perducam. Beatus Laurentius ait: Eamus: & mihi enim, & tibi gloria paratur. Cùm venissent ergò ambo simul in conspectum Valeriani, Valerianus dixit ad B. Laurentium: Pone iam pertinaciam, & profer thesauros, quos apud te didicimus repositos. B. Laurentius dixit: Da mihi bidui aut tridui inducias, & proferam tibi thesauros. Dixit autem Valerianus Hippolyto: Tua fide habeat trium dierum inducias. Collegit ergò B. Laurentius cæcos, claudos, debiles & pauperes, & abscondit eos in ædibus Hippolyti. Valerianus verò nunciauit Decio, B. Laurentium, triduanis acceptis inducijs, promisisse se thesauros prolaturum. Post triduum præsentauit se B. Laurentius in palatio Salustiano, dixitq; ei Decius coram Valeriano præfecto: Vbi sunt thesauri, quos te exhibiturum pollicitus es? B. Laurentius, collecta multitudine pauperum, introduxit eos in palatium, dicens clara voce: Eccè isti sunt thesauri æterni, qui nunquàm minuuntur, sed crescunt: qui in singulos disperguntur, & in omnibus inueniuntur. Valerianus præfectus dixit: Quid per multa vagaris? Sacrifica dijs, & abijce artes magicas, quibus confidis. B. Laurentius dixit: Quid ità premit vos diabolus, vt Christianos iubeatis sacrificare dæmonijs? Vos ipsi iudicate, iustum ne sit nos cerui-ces nostras inclinare dæmonibus potiùs, quàm Deo, visibilium & inuisibiliũ omnium creatori, & vtrùm debeat adorari is, qui fecit, an qui factus est. Decius Cæsar dixit: Quis vel factus est, vel fecit? B. Laurentius ait: Deus & pater Domini nostri Iesu Christi conditor est vniuersæ creaturæ, hominum, volucrum, bestiarum, iumentorum, piscium, cæli & terræ: & tu dicis, Sacrifica lapidibus, & adora rem surdam & mutam?

S. Laurẽtius exhibet Decio pauperes & debiles, veros thesauros æternos.

Decius Cæsar iratus, iussit eum in conspectu suo nudatum cædi scorpionibus, ipso Decio clamante: Deos blasphemare noli. B. Laurentius in ipsis tormentis dicebat: Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus est adiungere seruis suis: tu autem miser torqueris insania & furore tuo. Decius Cæsar dixit: Eleuate eum à terra, & subijcite oculis eius omne genus tormentorum. Allatæ igitur sunt laminæ ferreæ, & lecti, & plumbatæ, & cardui, & dixit ei Decius Cæsar: Sacrifica dijs, alioquì omni hoc genere tormẽtorum corpus tuum vexabitur. Beatus Laurentius dixit: Infelix, has ego epulas semper optaui. Hæc enim tibi quidem tormenta sunt, nobis verò gloria. Decius Cæsar ait: Si ergò hæc vobis gloria sunt, dic nobis, vbì delitescant similes tuî prophani, vt simul epulemini. B. Laurentius respondit: Illi iam semèl dedêre nomina sua cælo, & eorum tu es indignus conspectu. Tum Decius Cæsar iussit beatum Laurentium vinctum catenis in palatium Tiberij duci, & illic eius gesta audiri: sibi verò in basilica Iouis tribunal parari, atque beatum Laurentium præsentari, cui & dixit: Indica nobis prophanos omnes, vt ciuitas repurgetur: & tu sacrifica dijs, nec velis considere in thesauris, quos habes absconditos. Beatus Laurentius ait: Ego verò confido, & securus sum de thesauris. Decius Cæsar dixit: Putas ne thesauris & pecunia te à tormentis redemptum iri? B. Laurentius respondit: Ego Christi famulus, securus sum de thesauris cælestibus. Decius Cæsar ira inflammatus, iussit eum nudum fustibus cædi. B. Laurentius cùm cæderetur, exclamans ait ad Decium: Eccè miser, vel modò cognosce, quia triumpho ex thesauris Christi, nec sentio tormenta tua. Decius Cæsar dixit: Augete fustes, & ad latera eius applicate laminas ferreas candentes.

Mira animi fortitudo.

Cæditur fustibus.

Laminæ ardentes vrũt latera eius.

Cap. 19.

Tum verò ait beatus Laurentius: Domine Iesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi seruo tuo: quia accusatus, non te negaui: interrogatus, te Dominum Iesum Christum confessus sum. Decius Cæsar præcepit, vt à terra leuaretur, dixitque ei: Video in te artem magicam: sed tandèm sacrifica. Scio illudere te tormenta arte magica, sed mihi non illudes. Testor deos deasque, aut sacrificabis, aut diuersis pœnis te interficiam. Beatus Laurentius ait: Ego in nomine Domini nostri Iesu Christi non reformido tormenta tua, quæ ad tempus sunt. Fac, quod facis: noli cessare. Decius immani furore percitus, iussit eum plumbatis diutissimè cædi. B. Laurentius dixit: Domine Iesu Christe, qui pro nostra salute dignatus es formam serui susci-pere,

Cæditur plũbatis.

vt nos à ſeruitute dæmonum liberares, accipe ſpiritum meum. Et eccè audita eſt vox, ipſo etiam Decio audiente: Adhuc multa certamina tibi debentur. Decius furore correptus, dixit clara voce: Viri Romani & cœtus reipublicæ, audiſtis vt dæmones conſolentur ſacrilegum, qui nec deos, nec principes veſtros timet, nec exquiſita tormenta formidat? Extendite eum, & ſcorpionibus flagellate. B. Laurentius in cataſta proſtratus, ſubridens, & gratias agens Deo, dixit: Benedictus es Domine Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nobis immerentibus impendiſti miſericordiam tuam. Et tu Domine, propter pietatem tuam largire nobis gratiam tuam, vt cognoſcant circunſtantes, quòd tu conſoleris ſeruos tuos.

Scorpionibus flagellatur.

Cap. 20. Eádem hora vnus ex militibus, Romanus nomine, credidit Domino Ieſu Chriſto, verbis beati Laurentij permotus, dixitque ad illum: Video ante te hominem pulcherrimum ſtantem cum linteo, & extergentem membra tua. Quamobrèm adiuro te per Chriſtum, qui tibi miſit Angelum ſuum, nè me derelinquas. Tum Decius furore & dolore pércitus, ait ad Valerianum: Arte magica victi ſumus. iuſſitque beatum Laurentium ſolui à cataſta, & eleuari. Porrò Romanus vrceum afferens cum aqua, opportunitatem captabat, qua cum offerret beato Laurentio. Cœpit autem animo æſtuare Decius, & præcepit beatum Laurentium reddi Hippolyto tantùm in palatio. Tum Romanus acceſſit, & aquam offerens, miſit ſe ad pedes beati Laurentij, rogauitque cum lachrymis, vt baptizaretur. Et acceptam aquam benedixit, & baptizauit eum. Decius id audiens, voluit vt cum fuſtibus ipſi exhiberetur Romanus. Qui vbi in Decij conſpectum vénit, etiam non interrogatus, clamauit magna voce: Chriſtianus ſum. & iubente Decio, eádem hora capitalem excepit ſententiam: ductusque extra portæ Salariæ muros, decollatus eſt quinto Idus Auguſti. Venit autem Iuſtinus preſbyter noctù, collectumque corpus eius ſepeliuit in crypta in agro Verano.

Roman⁹ miles credit, & baptizatur.

Capite damnatur.

Cap. 21. Eádem nocte iuſſit Decius vnà cum Valeriano Præfecto apparari ſibi tribunal in thermis Olympiadis, iuxta Saluſtij palatium: ad easq; noctù veniès, mandauit beatum Laurentium ſibi offerri. Hippolytus autem mœrore affectus, flere cœpit: cui B. Laurentius ità dixit: Noli flere, ſed lætare potiùs & tace, quandoquidem ego proficiſcor ad gloriam. Hippolytus ait: Quarè ego non vociferor, Chriſtianus ſum, & tecum occumbo? B. Laurentius reſpondit: Abſconde potiùs Chriſtum in interiori homine: & cùm poſt paululùm ego clamauero, audi & veni. Interìm iubet Decius omne genus tormentorum exhiberi ad tribunal ſuum, plumbatas, fuſtes, laminas, vngues, lectos, batilla, ſeditque in thermis pro tribunali. Adducitur autem nocte ad Decium & Valerianum beatus Laurentius, dicitque ei Decius Cæſar: Iam faceſſat perfidia artis magicæ, & edic nobis genus tuum. B. Laurentius reſpondit: Quòd ad genus attinet, Hiſpanus ſum: Romæ autem nutritus & eruditus, atque à cunabulis Chriſtianus, doctus omnem legē ſanctam & diuinam. Decius Cæſar ait: Reuerà diuinā, quia nec deos cogitas, nec tormēta formidas. B. Laurentius dixit: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti torm enta tua non timeo. Decius Cæſar dixit: Sacrifica dijs: alioquin noxiſta inter ſupplicijs expendetur. B. Laurētius reſpōdit: Nox mea obſcurū non habet, ſed omnia in luce clareſcunt. Tum iuſſit Decius os eius lapidibus contundi. Ille verò magis confirmabatur, & ridens dicebat: Gratias tibi ago Domine, quia tu es rerum omnium Deus. Cæſar Decius dixit: Afferte lectum ferreum, & in eo cubet Laurentius conuenax. Allatus eſt lectus ferreus inſtàr craticulæ, & in eo nudus extenſus B. Laurentius coram Decio & Valeriano, & prunę ei ſubſtratæ, furcisq; ferreis illum compreſſerunt, dixitque Decius Cæſar ad eum: Sacrifica djjs. B. Laurentius reſpondit: Ego me obtuli Deo ſacrificium in odorem ſuauitatis. ſacrificiū enim Deo eſt ſpiritus contribulatus. Interea carnifices vrgentes, iactabant carbones ſub cratem, furcis ferreis eum comprimentes. Dixit autem B. Laurentius: Diſce miſer, quòd carbones tui mihi refrigerium præſtant, tibi autem ſupplicium æternum: quia ipſe Dominus nouit, quòd accuſatus non negaui: interrogatus, Chriſtum confeſſus ſum: aſſatus, gratias ago. Valerianus præfectus dixit: Vbi ſunt ignes, quos tu djs minabaris? Beatus Laurētius ait: O veſtram inſaniam: Infelices, non cognoſcitis veſtros carbones mihi non ardorem adferre, ſed refrigerium? Omnes verò, qui illic aderant, mirabantur præcepiſſe Decium, vt viuus aſſaretur. At ille vultu elegantiſſimo dicebat: Gratias ago tibi Domine Ieſu Chriſte, quòd me confortare dignatus es. eleuansq; oculos ſuos in Decium: Eccè miſer, aſſàti vnam partem: verſa aliam, & manduca. gratiasque agens Deo, dixit: Gratias ago tibi Domine Ieſu Chriſte, quòd merui ianuas tuas ingredi. atque ità reddidit ſpiritum.

Cap. 21.

Adducitur B. Laurentius ad Deciū noctù.

In craticula aſſatur.

Pſal. 50.

Inuicta eius conſtantia.

Feliciſsim⁹ eius obitus

Eádem

Eádem nocte Decius cum Valeriano indè abijt ad palatium Tiberianum, relicto corpore beati Laurentij in craticula. Porrò ſummo manè rapuit illud Hippolytus, & è ſuis facultatibus condiuit aromatibus & linteis, ſignificauitque Iuſtino preſbytero, quemadmodùm ſuper prunas beatus Laurentius egiſſet animam, & Decius atque Valerianus pudefacti abijſſent ad Tiberij palatium, & magna crudelitate ſanctum corpus in craticula ſuper carbones reliquiſſent. Itaque beatus Iuſtinus preſbyter & Hippolytus, plorantes & multùm triſtes, tulerunt corpus eius, venientesque in prædium viduę Cyriacę via Tyburtina, ad quam beatus martyr nocte venerat, eique linteum dederat, quo pedes ſanctorum exterſerat, cùm ſacrum corpus abluiſſent, vſque in veſperam illic depoſuerunt. Hora autem veſpertina ſepeliērunt illud in crypta via Tyburtina in eodem Cyriacæ viduæ prædio, in agro Verano, quarto Idus Auguſti, iciunantesque celebrârunt vigilias noctis triduo cum multa Chriſtianorum frequentia, nec ceſsârunt à luctu & lachrymis. Beatus verò Iuſtinus preſbyter obtulit ſacrificium laudis, & participes eius facti ſunt omnes.

Cap. 22.

Sepelitur ſacrū corpus eius à Iuſtino presbytero & Hippolyto.

Hoc eſt Miſſæ ſacrificium.

Reuertens autem Hippolytus, poſt diem tertium venit in domum ſuam, impertiensque omnibus pacem, etiam ſeruis & ancillis ſuis cōmunicauit de ſacrificio altaris beati Laurentij martyris. Poſitaque menſa, priuſquàm cibum ſumeret, venerunt milites & tenuerunt eum, perduxeruntque ad Decium Cæſarem. Eo viſo, ſubridens Decius Cæſar, ait: Nunquid & tu magus effectus es, qui corpus Laurentij abſtuliſſe dicēris? Reſpondit Hippolytus: Equidem id feci, non vt magus, ſed vt Chriſtianus. Decius Cæſar furore correptus, iuſſit os eius lapidibus tundi: expoliataque veſte, qua ceu Chriſtianus vtebatur, ait: Sacrifica dijs, obſecundansq; præceptis noſtris, viue & fruere militiæ ornamentis. Hippolytus dixit: Non me expoliâſti, ſed potiùs veſtire cœpiſti. Decius Cæſar ait: An non es cultor deorum? Quid ità inſipiens factus es, vt non erubeſcas nuditate tua? Hippolytus reſpondit: Ego verò & ſapiens, & Chriſtianus effectus ſum: nam ignorantia tum laborabam, quandò feci quod tu credis. Decius Cæſar dixit: Sacrifica & viue, nè pereas per tormenta, ſicut Laurentius. Hippolytus ait: Vtinàm exemplum fieri merear beati Laurentij martyris, quem tu miſer auſus es ore polluto nominare. Decius Cæſar dixit: Extendite eum, & fuſtibus cædite. Quod cùm diù fieret, ait: Gratias ago Deo meo. Decius dixit: Deridet fuſtes Hippolytus: carduis cędite eum. Cædentes autem eum, deficiebant: porrò Hippolytus magna voce clamabat, glorificans Deum, & dicens: Chriſtianus ſum. Decius Cæſar ait: Leuate eum à terra. Cumque eſſet leuatus, iuſſit eum habitu militari indui, quo gentilis vſus fuerat, dixitque ad illum: Memor eſto militiæ tuæ, & ſis amicus noſter, atque in conſpectu noſtro fruere militia priſtina, vt ſemper conſueuiſti.

Cap. 23.

S. Hippolytus lapidibus verberatur.

Fuſtibus cędituꝛ primò deindè carduis.

B. Hippolytus dixit clara voce: Militia mea hæc eſt, vt me conſtanter Chriſtianum militem declarem. Itaque cupio celeriter ad palmam cum fructu peruenire. Decius ira feruens, dixit ad Valerianum præfectum: Accipe omnes facultates eius, & eum crudeli examinatione interfice. Eodem die Valerianus in omnes eius facultates inquirens, inuénit in domo eius omnem familiam Chriſtianam, eosque in ſuum conſpectum præcepit adduci. Erat in ijs etiam nutrix beati Hippolyti Concordia cum marito ſuo. Valerianus præfectus dixit ad eos, præſente Hippolyto: Attendite annos veſtros, nè ſimul pereatis cum Hippolyto domino veſtro. Reſpondit Concordia: Nos cum domino noſtro optamus potiùs pudicè mori, quàm impudicè viuere. Valerianus præfectus ait: Genus ſeruorum non niſi verberibus emendatur: iuſſitque Concordiam plumbatis cædi. Ea dum cæderetur, emiſit ſpiritum, præſente Hippolyto, qui exultans, dixit: Gratias tibi ago Domine, quòd nutricem meam præmiſiſti ante conſpectum ſanctorum tuorum. Valerianus præfectus ait ad eum: Adhuc tu confidis magicis artibus, & nec honoras deos, nec præceptis principum obſecundas? Iratusque præcepit, vt educerent eum cum familia extra muros portæ Tyburtinæ. Hippolytus verò omnes ſuos confirmabat, ità dicens: Fratres, nolite metuere: ego & vos vnum Dominum habemus.

Cap. 24. Conſtantia eius.

Concordia nutrix eius cędituꝛ plūbatis, & expirat.

Iuſſit autem Valerianus, vt inſpectante Hippolyto, omnes capite truncarentur, decollatique ſunt promiſcui ſexūs decem & nouem. Porrò beatum Hippolytum voluit pedibus ad colla indomitorum equorum ligatum, per carduos & tribulos raptari. Quod cùm fieret, ille migrauit ad Dominum: relictaque ſunt corpora ſanctorum in campo iuxta Nympham, ad latus agri Verani, Idibus Auguſti. Nocte eádem venit Iuſtinus preſbyter, collectaque eorum corpora eodem loco ſepeliuit. Cœpit verò

Cap. 25. Familia Hippolyti decollatur. Ipſe quoque reddit ſpiritum.

Sanctorum corpora sepeliunt Iustinus presbyter.

verò curiosè inquirere diebus multis corpus beatæ Concordiæ martyris: & cùm non inueniret, mœrore affectus, non cessabat lachrymas fundere. Tertio decimo autem die ab Hippolyti passione, Porphyrius miles vénit ad cloacarium quendam, sperans se in vestimentis beatę Concordię aurum, argentum & gemmas reperturum, dixitq; cloacario: Si possis tacitum apud te habere, indicarem tibi quid dam non parum rei arti quæstuosum. Cloacarius respondit: Secretum apud me erit: tu modò dicas veritatem. Ait Porphyrius: Ante hos dies iussit Valerianus præfectus coram se Concordiam quandam è familia Hippolyti Christiani plumbatis interfici, & eius mortę corpus proijci in cloacam. Eam ego puto in vestibus suis habere margaritas & aurum. Cùm esset autem cloacarius fidelis & occultè Christianus, dixit ad Porphyrium: Demonstra mihi locum, & ego nocte quæram eam: atque vbi inuenero, nunciabo tibi. Dicebatur verò cloacarius ille, Irenæus: vénitque ad Iustinum presbyterum, & narrauit ei omnia, quæ fecisset & indicâsset Porphyrius. Beatus Iustinus presbyter gratias agens Deo omnipotenti & Domino Iesu Christo, flexis genibus, cum lachrymis dixit: Eamus nocte fili ad cloacam. Respondit Irenæus: Sine, vt priùs accedam ad Porphyrium. B. Iustinus presbyter dixit: Vide fili, vt sacramentum tibi creditum conserues. Abijt Irenæus ad Porphyrium, isque indicauit ei locum, vénitque cum illo nocte, & inuénit sacrum corpus incontaminatum: quærentes autem in vestibus eius, nihil repererunt. Fugit ergò Porphyrius: Irenæus verò vocauit ad se Abundium Christianum, & cum illo attulit corpus beatæ Concordiæ ad Iustinum presbyterum: qui illud susçipiens, gratias egit Deo, & sepeliuit apud corpora sanctorum Hippolyti & cęterorum.

Cap. 25. Irenæi & Abũdij martyrium.

Altera die Valerianus id audiens, Irenæum & Abundium compræhensos, iussit eos in cloacam demergi: atque ità necati sunt septimo Calendas Septembris. Eorum corpora beatus Iustinus presbyter indè extracta, sepulturæ mandauit iuxta corpus beati Laurentij in crypta in agro Verano, vicesimoseptimo die à passione sanctorum supradictorum. Iussit verò Decius Cæsar in amphitheatro editionem munerum apparari: sedensque in carruca aurea cum Valeriano præfecto, descendit vt in amphitheatrum introirent, multorumq; martyrum funestas cædes exhiberent. Eccè autem exclamat Decius Cæsar, arreptus à dæmonio: O Hippolyte, tanquàm captiuum cæteris horridis vinctum me ducis. Valerianus quoquè exclamat: O Laurenti, igneis catenis me trahis: eádemque hora, præsente Decio, expirauit. Decius autem rediens in palatium, triduo perpetuo vexatus à dæmonio, clamabat die ac nocte: Adiuro te Laurenti, vel parùm cessa à tormentis. Orto autem luctu magno in palatio, vxor Decij Tryphonia pagana crudelis, videns Decium à dæmone exagitari, iussit sanctos omnes, qui clausi erant, dimitti. Eádem hora mortuus est Decius: Vxor autem eius Tryphonia venit ad beatum Iustinum presbyterum, & cum filia Decij Cyrilla misit se cum lachrymis ad pedes eius, orans vt baptizarentur. Eas cum gaudio excepit B. Iustinus presbyter, indixitque illis ieiunium ad septem dies. Die septimo expleto, baptizauit eas: quæ res toto orbe diuulgata est. Altera die Tryphonia orans, reddidit spiritum, & corpus eius beatus Iustinus presbytèr in ea sepeliuit crypta, in qua humatus est S. Hippolytus, quintodecimo Calend. Nouembris.

Diuina vltio in Decium & Valerianum.

Tryphonia & Cyrilla baptizãtur.

Cap 27.

Ab illa die B. Iustinus accuratè perueſtigauit, sicubì corpora sanctorum abscondita essent, promisitque præmium militibus. Audientes autem milites Tryphoniam Decij vxorem cum filia Cyrilla Christo nomen dedisse, ad sex & quadraginta venerunt ad beatum Iustinum presbyterum cum vxoribus suis: prostratique ad pedes eius, petiêrunt se baptizari. Deindè beatus Iustinus, collecto omni Clero, perquisiuit quis in locum beati Sixti subſtituendus & ordinandus esset. Et ordinauerunt venerabilem virum Dionysium, eumque consecrauit Maximus Ostiensis Episcopus. Obtulit autem ei ad baptismum Iustinus presbyter quadraginta sex milites, & ab eo baptizati sunt in nomine sanctæ Trinitatis. His auditis, Claudius princeps iussit compræhendi Cyrillam filiam Decij Cæsaris & milites, ducique eos ad sacrificandum dæmonibus. Sed illi omnes, contempto eius præcepto, ipsum pariter irriserunt. Iussit ergò eos in custodiam recipi, Cyrillam verò sibi præsentari, eique dixit: Sic tibi visum est, præcepta & morem clarissimorum parentum regiamque educationem negligere? Cyrilla respondit: Ego Christiana sum, ancilla Christi, respuoq; dæmonia, quæ vos perducent ad supplicia æterna, cum illis perituros. Claudius dixit: Assentire nobis, & sacrifica dijs, nubasque viro qui respondeat natalibus tuis. Cyrilla respondit: Ego iam nupsi

Milites 46. credunt.

Dionysius succedit Sixto.

viro, qui me veram docuit sapientiam, nempe Domino Iesu Christo, cui semèl tradita sum. Claudius ira feruescens, præcepit vt iugularetur. Cumque necata esset gladio, voluit corpus eius in platea canibus relinqui. Collegit autem corpus eius beatus Iustinus presbyter, & sepeliuit cum matre eius, vbì iam antè posuerat corpus beati Laurentij, quinto Calendas Nouembris.

Cyrilla iugulatur.

Eodem tempore iussit Claudius exercitum armatum in palatio Salustij includi, militesque baptizatos sibi præsentari. Præcepitque exercitui, vt educerent eos extra muros portæ Salariæ in ciuitatem Figlinam, vt illic capite plecterentur. Ità decollati sunt omnes quadragintasex pro Christi nomine, cum vxoribus suis. Corpora illorum Iustinus presbyter & Iohannes nocte collegerunt, & sepeliêrunt in crypta, multis præsentibus Christianis, in via Salaria, in cliuo cucumeris, octauo Calendas Nouembris: vbì florent orationes eorum vsque in hodiernum diem, cum alijs centum viginti martyribus: inter quos fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus & Petrus: qui, vt viderunt armatos ad se venire milites, rogabant vt ipsi primi ante omnes decollarentur, ea feruentes intentione, vt mâllent lęti mori pro Christo, quàm malè viuere. Atque ità profecti sunt ad Dominum, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Cap. 28. Milites 46. decollantur cũ vxoribus

no. Martyres.

PASSIO SANCTI LAVRENTI MARTYRIS, AB AVRELIO PRVDENTIO SCRIPTA.

Est 2. Hymnus in 2. lib. περὶ στεφανῶν.

ANtiqua sanorum parens,
Iam Roma Christo dedita,
Laurentio victrix duce,
Ritum triumphas barbarum.
Reges superbos viceras,
Populosque frenis pressęras:
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperij iugum.
Hæc sola decrat gloria
Vrbis togatæ insignibus,
Feritate capta gentium,
Domaret vt spurcum Iouem.
Non turbulentis viribus
Cossi, Camilli, aut Cæsaris:
Sed martyris Laurentij
Non incruento prælio.
Armata pugnauit fides,
Proprij cruoris prodiga:
Nam morte mortem diruit,
Ac semet impendit sibi.
Fore hoc sacerdos dixerat
Iam Xistus, adfixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite.
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo frater: Tu quoquè
Post hoc sequéris triduum.
Extrema vox Episcopi,
Prænunciatrix gloriæ,
Nihil fefellit: nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem?
Quo passionem carmine
Dignè retexens concinam?
Hic primus è septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Lcuita sublimis, gradu
Et cæteris præstantior.
Claustris sacrorum præerat,
Cælestis arcanum domûs
Fidis gubernans clauibus,
Votasque dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus vrbis regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri & sanguinis.
Qua vi latentes ĕruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrarijs,
Cumulosque congestos tegi.
Laurentium sisti iubet:
Exquirit arcam ditibus
Mallis refertam, & fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sæuire nos iusto amplius,
Cùm Christiana corpora
Plusquàm cruentè scindimus.
Abest atrocioribus
Censura feruens motibus:
Blandè & quietè efflagito,
Quod spontè obire debeas.
Hunc esse vestris orgijs
Moremque & artem, proditum est:
Hanc disciplinam fœderis,
Libent vt auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.
Tum summa cura est fratribus,
Vt sermo testatur loquax,

Aurei calices antiquitùs in Ecclesiæ sacrificio.

Offerre, fundis venditis,
Sestertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur,
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigijs
Exaggeratos obtines:
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit vsus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium:
Vt dedita stipendijs,
Ducem iuuet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio,
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
Nomisma nummis inditum.
Matth 22. Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe iustum postulo,
Ni fallor, haud vllam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cùm veniret, aureos
Secum Philippos detulit:
Præcepta sed verbis dedit,
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quæ vos per orbem venditis:
Nummos libenter reddite:
Estote verbis diuites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum:
Sed vt paratus obsequi,
Obtemperanter annuit,
Est diues, inquit, non nego:
Habetque nostra Ecclesia
Opumque & auri plurimum,
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus, arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam numinis:
Vulgabo cuncta, & proferam
Preciosa, quæ Christus tenet:
Promittit post acceptas inducias se ostêsurum thesauros ecclesiæ S. Laurentius. Vnum sed orans flagito,
Induciarum paululùm,
Quo fungar efficaciùs
Promissionis munere.
Dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur:
Nam calculanda primitùs,
Tum subnotanda est summula.

Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spem deuorat:
Aurum velut iam conditum
Domì maneret, gestiens.
Pepigêre tempus tridui:
Laudatus indè absoluitur
Laurentius, sponsor suî,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per Vrbem cursitat
Diebus: infirma agmina,
Omnesque, qui poscunt stipem,
Cogens in vnum & congregans.
Illic vtrisque obtutibus
Orbes cauatos præferens,
Baculo regebat præuio,
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco semipes,
Breuiórve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.
Est, vlcerosis artubus
Qui tabe corrupta fluat:
Est, cuius arens dextera
Neruos in vlnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit: assuetos ali
Ecclesiæ matris penu,
Quos ipse primus nouerat.
Recenset exin singulos,
Scribens viritim nomina,
Longo & locatos ordine
Adstare pro templo iubet.
Præscriptus en iam fluxerat
Dies: furebat feruido
Iudex auarus spiritu,
Promissa solui efflagitans.
Tum martyr: Assistas velim,
Coramque dispósitas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædiues in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec puder sequi:
Ventum ad sacratam ianuam:
Stabant cateruæ pauperum,
Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur:
Præfectus horrescit stupens,
Conuersus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contrà ille, Quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid displiceat?
Num sordida hæc, aut vilia?
Num despuenda existimas?
Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera,

Et

Et de metallis squallidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens vel amnis turbidis
Voluens arenis implicat:
Quod terrulentum ac sordidum,
Flammis necesse est decoqui.
Pudor per aurum soluitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges & ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis & magni putas?
Si quæris aurum verius,
Lux est & humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Nè per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.
Cùm membra morbus dissecat,
Animus viget robustior:
Membris vicissìm fortibus,
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens,
Minus ministrat virium,
Si feruor effœtus malis
Elumbe virus contrahat.
Si fortè detur optio,
Mâlim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intùs viuere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues:
Carnis ne morbus fœdior,
An mentis & morum vlcera?
Nostri per artus debiles
Intùs decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quenuis tuorum diuitum,
Qui veste & ore prænitet,
Magìs probabo debilem,
Quàm quis meorũ est pauperum,
Hunc, qui superbit serico,
Quem currus inflatum vehit:
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecùs.
Ast hic auarus contrahit
Manus recuruas, & volam
Plicans aduncis vnguibus,
Laxare neruos non valet.
Istum libido fœtida
Per scorta tractum publica,
Luto & cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.

Quid ille ferùens ambitu,
Sitique honoris æstuans,
Mersis ne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans,
Silenda prurit prodere,
Vexatur & scalpit iecur,
Scabiemque cordis sustinet.
Quid inuidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta & liuida
Malignitatum vulnera?
Tute ipse, qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.
Hi, quos superbus despicis,
Quos execrandos iudicas,
Breuì vlcerosos exuent
Artus, & incolumes erunt.
Cùm carne corruptissima
Tandèm soluti ac liberi,
Pulcherrimo vitæ statu
In arce lucebunt patris.
Non sordidati aut debiles,
Sicut videntur interìm:
Sed purpurantibus stolis
Clari, & coronis aureis.
Tum, si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus,
Istos potentes sæculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et muculentis naribus,
Mentum saliuis vuidum,
Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius, Peccati turpitudo.
Nil tam leprosum aut putridum:
Cruda est cicatrix criminum,
Oletque vt antrum tartari.
Animabus, inuersa vice,
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher adspectus priùs
In corpore oblectauerat.
En ergò nummos aureos, Ostendit thesaurum pauperum Christi S. Laurentius.
Quos proximè spoponderam,
Quos nec fauillis obruat
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Nè pauperem Christum putes,
Gemmas corusci * numinis, * luminis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique post damnum tori,
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ:
His illa gemmis comitur:

Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.
* talentum Eccum * talenta suscipe,
Ornabis vrbem Romulam,
Ditabis & rem principis,
Fies & ipse ditior.
Ridemur (exclamat furens
Præfectus) & miris modis
Per tot figuras ludimur:
Et viuit insanum caput?
Impunè tantas furcifer
Strophas cauillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa vrbanitas,
Tractare nosmet ludicris?
Egon' cachinnis venditus
Acroama festiuum fui?
Adeónenulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis, libenter oppetam:
Votiua mors est martyri:
Est ista vobis, nouimus,
Persuasionis vanitas.
Sed non volenti impertiam,
Præstetur vt mortis citæ
Compendiosus exitus,
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
Pœnis morarum iugibus:
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Nè feruor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu leui,
Tormenta sensim temperet
Semustulati corporis.
Benè est, quòd ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.
Assatur S. Laurentius in ferrea craticula. Conscende constratum rogum,
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa,
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fante præfecto, truces
Hincindè tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra, & tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgorque circunfusus est:
Talem reuertens legifer
Exod. 34. De monte vultum detulit,
Iudæa quem plebs aureo
Boue inquinata & decolor
Expauit, & faciem retrò
Detorsit, impatiens Dei.
Talemque & ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum Act. 7.
Cælos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminùs,
Recèns piatis fratribus,
Baptisma quos nupèr datum
Christi capaces fecerat.
Ast impiorum cæcitas,
Os óblitum noctis situ
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
Aegyptiæ plagæ in modum:
Quæ cùm tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem Exodo. Sap. 11.
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diuersa vtrosque permouet:
His nidor, illis nectar est.
Idemque sensus dispari
Variatur aura: aut afficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus,
(Nam Christus ignis verus est) Heb. 12.
Is ipse complet lumine
Iustos, & vrit noxios.
Postquàm vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Vltrò è catasta iudicem
Compellat affatu breui:
Conuerte partem corporis
Satis crematam iugiter, Martyris constantia & fortitudo quæsita.
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inuerti iubet.
Tunc ille, Coctum est, deuora,
Et experimentum cape:
Sit crudum, an assum, suauius.
Hæc ludibundus dixerat:
Cælum deindè suspicit,
Et congemiscens obsecrat, Orat pro Romana ciuitate.
Miseratus vrbem Romulam.
O Christe numen vnicum,
O splendor, ô virtus patris,
O factor orbis & poli,
Atque author horum mœnium:
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locâsti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Seruire, & armis cedere:
Vt discrepantum gentium
Mores & obseruantiam,

Lin-

Linguasque, & ingenia, & sacra
Vnis domares legibus.
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus:
Idem loquuntur dissoni
Ritus, idipsum sentiunt.
Hoc destinatum, quo magis
Ius Christiani nominis,
Quodcunque terrarum iacet,
Vno illigaret vinculo.
Da Christe, Romanis tuis
Sit Christiana ciuitas:
Per quam dedisti, vt cæteris
Mens vna sacrorum foret.
Confœderentur omnia
Hincindè membra in symbolum:
Mansuescat orbis subditus,
Mansuescat & summum caput.
Aduertat abiunctas plagas
Coire in vnam gratiam:
Fiat fidelis Romulus,
Et ipse iam credat Numa.
Confundit error Troicus
Adhuc Catonum curiam:
Veneratur occultis focis
Phrygum penates exules,
Ianum bifrontem & Sterculum
Colit Senatus: horreo
Tot monstra patrum dicere,
Et festa Saturni senis.
Absterge Christe hoc dedecus,
Emitte Gabriel tuum:
Agnoscat vt verum Deum
Errans Iuli cæcitas.
Et iam tenemus obsides
Fidissimos huius spei:
Hîc nempe iam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Cathedra principatus Romæ. Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Aeterniratis ianuas.
Discede adulter Iuppiter,
Stupro sororis óblite:
Relinque Romam liberam,
Plebemque iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri:
Tibi id, quod ipse armaueras,
Factum Neronis officit.
Video futurum principem
Quandoquè, qui seruus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Seruire Romam non sinat.
Qui templa claudat vectibus,
Valuas eburnas obstruat,
Nefanda damnet limina,
Obdens ahenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine
Tandèm nitebunt marmora,
Stabunt & æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.
Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis: erupit volens,
Vocem secutus, spiritus.
Vexêre corpus subditis
Ceruicibus quidam patres:
Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles
Afflârat, & coëgerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
Cultus deorum turpium:
Plebs in sacellis rarior:
Christi ad tribunal curritur.
Sic dimicans Laurentius,
Non ense præcinxit latus:
Hostile sed ferrum retrò
Torquens, in authorem tulit.
Dum dæmon inuictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternùm iacet.
Mors illa sancti martyris,
Mors vera templorum fuit:
Tunc Vesta Palladios lares
Impunè sensit deseri.
Quicquid Quiritum sueuerat
Ornare nænias Numæ,
Christi frequentans atria,
Hymnis resultat martyrem.
Ipsa & Senatûs lumina
Quondàm Luperci & flamines,
Apostolorum & martyrum
Exosculantur limina.
Videmus illustres domos,
Sexu ex vtroque nobiles,
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberûm.
Vittatus olim pontifex
Adscitur in signum Crucis:
Aedemque Laurenti tuam
Vestalis intrat Claudia.
O ter quaterque, ô septiès
Beatus vrbis incola,
Qui te ac tuorum cominùs
Sedem celebrat ossium.
Cui proptèr aduolui licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.
Nos Vasco Iberus diuidit
Binis remotos Alpibus,

Post orationem felicior erobit.

Trans

Trans Cottianorum iuga,
Trans & Pyrenas ninguidos.
Vix fama nota est, abditis
Quàm plena sanctis Roma sit:
Quàm diues vrbanum solum
Sacris sepulcris floreat.
Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coràm possumus,
Cælum intuemur eminùs.
Sic sancte Laurenti tuam
Nos passionem quærimus:
Est aula nam duplex tibi:
Hîc corporis, mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus vrbi municeps,
Aeternæ in arce curiæ
Gestas coronam ciuicam.
Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum:
Quem Roma cælestis sibi
Legit perennem consulem
Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè:
Poscunt, litantur, indicant,
Et tristis haud vllus redit.
Ceu præstò semper assies,
Tuosque alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu,
Paterno amore nutrias.
Hos inter, ô Christi decus,
Audi poëtam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat:
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium:
Et seruientem corpori,
Absolue vinclis seculi.

Martyres patroni nostri.

DE SANCTO LAVRENTIO MARTYRE
BEATI PETRI CHRYSOLOGI ARCHIEPISCOPI

Rauennatis Sermo, qui est in opere eius, 135.

S Laurentius in flore iuuentutis suæ passus est.

HOdiernus dies beatissimi martyris Laurentij corona illustratur: cuius egregij martyris merita, nulla pars Romani orbis ignorat. Passus est in ipso capite gentiũ, id est, in ipsa vrbe Romana. Ibi enim diaconus ministrauit, & in ipso iuuentutis suæ flore decorẽ iuuentutis suæ sanguine purpurauit.

Passio eius insignis est, multumque mirabilis: hãc breuiter, Domino adiuuante, narrabo. Illo tunc Archidiacono, beatus Sixtus erat Episcopus: cuius triumphus martyrij ante triduum fuit. Cùm ergò sanctus Laurentius Episcopum suum Sixtum pergentem ad martyrium sequeretur, fide fultus, tristis affectu, non quia ille patiebatur, sed quia ab illo ipse deserebatur, respexit venerabilis senex venerabilem iuuenem, & ait illi: Noli esse tristis fili: post triduum me sequéris. Tunc ille ebibita prophetia, iam corde paratissimus, & spiritu ebrius, certum sperauit futurum, quod prædixerat ille, qui nouerat. Deindè appræhensus, est adductus: & quoniam erat Archidiaconus, apud illum esse vtique credebantur opes Ecclesiæ, quas desiderabat persequutor, non tam auarus, quàm furiosus. oderat, quem occidebat: sed amabat apud eum, quod ille contemnebat.

Auri sacra fames in Decio Imperatore.

S. Laurentius pauper opibus, diues moribus.

Erat autem sanctus Laurentius pauper opibus, diues moribus: non se negauit Ecclesiæ habere diuitias: sed vt eas ostenderet, tridui dilationem petijt: deindè mandauit congregari agmina pauperum. Tunc deindè ipso die coronæ suæ præsentatus examini, tanquàm demonstraturus quod ille quærebat, demonstrauit quod habebat. Tunc ait persequutor: Vbi sunt Ecclesiæ facultates? At ille manum extẽdens in pauperes: Hæ sunt, inquit, Ecclesiæ facultates. Verum dixit, sed amarum. Quid autẽ mirum, si veritas auxit odium? Irrisum se dolens crudelis tyrannus, & auarus inimicus, qui fortè mitiorem pœnam cogitauerat, ferro interficere venerabilem iuuenem, parat flammas præcepit. Plùs ardebat, quàm vrebat: vrebat in carne, ardebat in corde. Supplicium eius tanto erat grauius, quanto interius. Tunc oblata est torrenda, & vt veriùs dicam, assanda martyrio nobilis illa Laurentij craticula: adstrictus est ferro, sed ille craticulam supplicij, lectum quietis putabat: supplicium dixi, secundùm animum punientis, non secundùm conscientiam patientis. Nullum est enim supplicium damnati, vbi non est pœna peccati.

Itaque beatissimus martyr ostendens, quàm quietè iacéret in illo ignito ferro, ait circunstantibus: Iam mè versate, & si vna pars cocta est, vorate. Miramur patientiã: donum Dei miremur. Ibi fides non solùm non arsit, sed & consolabatur ardentem: Quarè fidès consolabatur ardentem? Quia fidelem tenebat promittentem. Vt fides non deficeret, vt spes non auerteretur, vt charitas inter pœnas igneas corporales plùs accenderetur, Dei dona erant.

Eximia animi virtus.

Fratres mei, nemo arroget potentiæ suæ, quod non dat nisi Deus. Meritò Apostolus alloquẽs martyres, vt in epistola eius hodiè, cùm legeretur, audîstis: Vobis, inquit, donatũ est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro eo. Philipp.

Ergò martyrum merita velut Dei dona laudemus, amemus, subinferamus voluntatem nostram. voluntas enim sequitur, non præuenit. Sed tamen non deest charitas, si non deest voluntas: ipsa enim ardens voluntas vocatur charitas. Quis est, qui timeat volens? quis est, qui amet nolens? ferueat oratio, & festum martyris celebretur: Sed vt non sit inanis, qui celebrat, imitemur.

S. TIBVRTII præclara certamina, cuius festum in vndecimam diem Augusti incidit, Lector in primo tomo offendet in gestis S. Sebastiani martyris circa finem.

GESTA ILLVSTRIA S. SVSANNAE VIRGINIS: QVIBVS ETIAM QVORVNDAM ALIORVM, PVTA GABINIJ, CLAVDIJ, PRÆPEDIGNÆ & FILIORVM EIVS, & MAXIMI, MARTYRIA SVNT COMPRÆHENSA.

Putantur à Notarijs Rom. Ecclesiæ conscripta. Consentiunt vetustissima Martyrologia. Stylum nonnihil expoliuimus, vbi visum est opportunum, maximè quòd multis locis obscurus est historiæ sermo, numerumque capitum margini adiecimus.

Augusti 11. Cap. 1.

TEMPORIBVS Diocletiani & Maximiani Augustorum fuit quidam presbyter, nomine Gabinius, de vrbe Roma, frater vterinus Caij vrbis Romæ Episcopi, doctus in diuinis literis, amator tam diuinæ sapientiæ, quàm mundanarum literarum. Is verò crebrò conferebat cum Caio germano suo, scribebatque libros contra paganos: quippe eruditus omnigenis artium mũdanarum literis. Cumque nobili ortus esset progenie, fama latissimè cognoscebatur. Nam & Diocletianum Augustũ sanguine attingebat. Caius quoquè similiter vulgabatur. Habebat autem idem Gabinius filiam vnicam, eamque charissimam & pulcherrimam, quam ipse enutrierat in studijs prophanæ literaturæ, siue mundanarũ literarum: posteà verò etiam diuinis ab eo literis imbuta, boni ingenij ex illo particeps effecta est. Audiens autem Diocletianus puellam & pulchritudine & sapientia pollentem, misit ad Gabinium, & petijt eam * Maximino Augusto filio suo coniugem. Misit autem Claudium consobrinum suum, virum nobilem, vt omnia pacificè à Gabinio presbytero obtineret.

Gabinij presbyteri eruditio.

* Maximiano

Veniensque itaque Claudius ad Gabinium, sic eum appellat: Etiamsi occurrente die festo me non compulisset præceptum dominorum nostrorum Augustorum, qui me amanter ad vos dirigere voluerunt: tamen vos nõ debuistis longè recedere ab agnitione suauissimorum parentum vestrorum. Quid verò melius possis eligere aut optare, quàm vt generis tui nobilitatem instaures ac repares cõiunctione & claritate Augustorum? Gabinius presbyter respondit: Nos humiles vndenàm digni sumus cognatidici maiorum? Claudius dixit: Sancte frater, nunquìd tu non es filius Maximini, cuius & Caius Episcopus, vester frater, cognati famosissimi Senatoris & Consulis, patrui nostri & consobrini Augusti domini nostri? Gabinius respondit: Ità est: at tamen nos extremi his temporibus non sumus digni tales dici. Claudius ait: Fruere * natione communi consilio sapientis. Hoc igitur præcepit dominus & princeps noster Diocletianus Augustus, vt filiam tuam, quam didicimus omni sapientia eruditam, filio suo * Maximino Augusto coniungas. iustum est enim, vt à firma radice nata virgulta non seperarentur: quod quidem etiam in votis nobis esse hilariter speramus. Gabinius presbyter respondit: Inducias mihi dare, vt animum puellę charitate obligem. atque ità, cùm se salutâssent, discessum est.

Cap. 2.

Susannam vult Diocletianus iungi filio suo.

* Maximiano

Gabi-

Cap. 3. Gabinius autem presbyter veniens ad filiam Susannam, dicit ei: Cupio te ad sanctum patrem & germanum nostrum, tuum patruum, Caium Episcopum perducere: quod tibi contulit spiritus sanctus, non fiat irritum & inane. Eodem tempore rogauit sanctum Caium Episcopum, vt ad ipsum veniret, eique narrauit quicquid gestum erat: simulque intrantes domum, dixerunt puellæ cum lachrymis: Diocletianus Augustus direxit ad nos Claudium consobrinum nostrum, qui nobis indicauit, ipsum Augustum petere te, nobis charissimam filiam, Maximino filio suo vxorem. Susanna patri & patruo respondit: Vbi est nunc sapientia tua? Certè euanuit. Si non scires me Christianam esse, sicut & vos doctores estis, posses ità loqui. At nunc quarè inquinasti os tuum & aures, pollutos audiendo sermones, vt ego coniungar crudeli pagano, quem vos propter fidem Domini non timuistis negare esse cognatum vestrum? Sed gloria omnipotenti Deo, qui me dignatus est iungere corporibus sanctorũ. sic enim credo in Dominum Iesum Christum, me huius contemptu ad martyrij palmam peruenturam. Respondit Gabinius presbyter: Ergò filia, constans esto in fide, quam tenes, vt & nos fructum oblationis mereamur offerre Domino Iesu Christo, ex constantia tua: scio enim pietate propendére in omnes homines, & misericordem esse Dominum Iesum Christum. Susanna dixit & patri & patruo: Domini mei, ego non ab ore patris mei semper me ità esse institutam, vt seruandæ castitati studerem, & pudicitiam Domino Iesu Christo exhiberem. In eius ergò timore iam constituta, nunquàm amoris studio coinquinabor virili complexu: sed cui me tu pater semèl tradidisti, illi seruio, illi confido: nóuit enim ille conscientiam meam. Caius Episcopus dixit: Si ergò iam semèl oblata es Deo, custodi præcepta eius. Ille enim nobis seruis suis per doctrinam Euangelicam dignatus est declarare vias suas, ità dicens: Cùm steteris ante reges & præsides, nolite præmeditari, qualiter respõdeatis. dabitur enim vobis in illa hora, quid dicatis: quia non vos loquimini, sed spiritus sanctus loquitur pro vobis.

Mira virtus Susannæ.

Susanna nõ vult nubere vlli.

Matt. 10.

Cap. 4. 1. Cor. 3. Susanna cum lachrymis respondit: Equidem spero in Domino Iesu Christo, quòd orationibus vestris templum Dei efficiar, sicut beatus Paulus Apostolus ait: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo vos seducat. Cùm hæc inter se tractarẽt, subitò venit Claudius ad eos post dies tres, & cum gaudio introiuit in domum Gabinij presbyteri, multis eum militibus pro officio comitantibus: è quibus tamen, neminem permisit secum ingredi, sed ipse solus intrauit. Itaque gaudium illis attulit aduentu suo, seque coràm mutuò amplexi sunt, pacis oscula sibi inuicèm præbentes. Dixit verò clarissimus vir Claudius: Non ignorat sanctitas vestra, quæ me lætitia perduxerit ad vos. Caius Episcopus respondit: Etiamsì nulla alia causa ad nos veniendi supperet, vel solius tamen generis & consanguinitatis ratio sufficeret, vt mutuo aspectu & cognitione fruamur. Claudius ait: Nouerit ergò sanctitas vestra, dominum nostrum Diocletianũ Augustũ summoperè desiderare, vt vobis possit amicitia & affinitate coniungi. Et ego moneo & rogo sanctitatem vestram, vt obsecundetis voluntati domini & principis totius mundi, eiusque animum gaudio compleatis. Gabinius presbyter respondit: Expone sancto Episcopo Augusti præceptionem. Claudius dixit: Ego verò gaudẽs & gratulabundus id faciam: aitque: Dominus noster clementissimus Augustus filiam vestram, neptem meam, coniugem expetit Augusto & Cæsari filio suo Maximino, quòd multa audierit de eruditione eius. Nihil verò præclarius nobis putamus, quàm vt genus nostrum in imperij affinitatem se insinuet, & tanta sublimitate augeatur. Gabinius presbyter respondit: Nihil nos extraneum vel obscuret, vel impediat. At tamen exploremus simul animum puellæ.

Cap. 5. Accitam igitur coram illis Susannam, nullo alio præsente, Claudius lachrymans amplecti voluit, & amanter osculari: sed illa ait ad eum: Noli cõtaminare os meum. nouit enim Dominus meus Iesus Christus, os ancillæ suæ nunquàm à viro cõtactum esse. Claudius respondit: Equidem charitatis affectu volui osculari te dominam neptem meam. Susanna dixit: Non ob aliud ego recuso osculum tuum, quàm quòd os tuum sacrificijs idolorum pollutum est. Claudius ait: Ecquid verò faciã, vt hac immunditia purgetur os meum? Susanna respondit: Pœnitentiam agere debebis, & baptizari in nomine patris & filij & spiritûs sancti. Claudius dixit Caio Episcopo: Veni igitur me purificate, si quidem melior est homo mundus, credens in Christum, quàm deos colens. Ego dijs sacrificia obtuli, quibus & principes nostri flectũt ceruices. Caius Episcopus ait: Frater Claudi, ausculta me: nam bonũ est, cuius ego te admoneo. Tu

Pudicitia castissimæ virginis Susannæ.

Caius Episcopus prædicat Claudio Christũ

Tu quidem efficere rem istam apud nos cogitâsti, sed Dominus te redimere vult per preces puellæ, vt saluum sit genus nostrum. Ipse enim dignatus est dicere in Euangelio: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Nullum sanè peccati onus grauius & peius est, quàm idolorum cultu pollui hominem, quem Dominus Deus creauit, cuius causa dignatus est ad terras descendere, & nasci ex Virgine, & humiliari, & mori: quem, resurgendo ab inferis, releuauit, cùm teneretur constrictus vinculis peccatorum, idolis seruiens: vt erectus, vsque ad cæli terminos euheretur. Matth. 11.

Cap. 6. Claudius hæc omnia cum gaudio suscipiens, dixit Caio Episcopo: Omnia quæ prædicas, faciam vir reuerendissime, modò nè petitio Diocletiani Augusti retardetur. Caius Episcopus ait: Tu frater priùs fac id, quod nos petimus, & omnia fient tibi bona precanti. Claudius respondit: Explicate mihi omnia, quæ seruare debeam, & faciam quod iubetis. Interìm tamen, quid expectándum sit Diocletiano Augusto, quamprimùm significate, vt sciam quæ ad eum responsa referre oporteat. Caius Episcopus dixit: Vtere mi frater consilio meo, & esto fidelis Deo, & age pœnitentiam propter fusum abs te sanguinem sanctorum, suscipiasque baptismum, & omnia præstabuntur tibi. Sic enim Dominus noster Iesus Christus nos dignatus est admonere: Cùm stabitis ante reges & præsides, nolite cogitare, quomodò aut quid loquamini. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Claudius respondit: Cùm ergò baptismum percepero, expiabuntur omnia scelera cordis mei? Caius Episcopus dixit: Omnia diluentur facinora tua: tu tantùm vide, vt fideliter credas. Matth. 10. Luc. 21.

Cap. 7. Eádem hora misit se Susanna ad pedes Caij Episcopi, dicens ei: Domine, per Christum te coniuro, ne differas baptizare eum, sed redime eum. Caius Episcopus respondit: Accuratè inquiramus, num toto corde velit credere: Claudius ait: Ego ad vestram pollicitationem credo, si omnia mihi peccata donantur. Caius Episcopus dixit: In nomine Domini Iesu Christi & Dei omnipotentis, omnia tibi peccata relaxantur. Tum abiecit se ad pedes Caij Episcopi, & volutans sese, capitiq; puluerem aspergens, dixit: Domine Deus, lumen æternum, remitte mihi omnia, quæ feci aduersùm sanctos tuos: quia nesciens feci: & idola, quibus sacrificia obtuli miser, inanis & vacuus, ignorãs colui. Reple me gratia tua, vt sciant omnes filij mei & vxor, quòd tu saluos facis omnes sperantes in te. Fecit ergò eum Caius catechumenum, & cùm porrexisset ei medicinam, dimisit eum. Ille domum veniẽs, narrauit omnia vxori suæ, quemadmodùm precibus puellæ neptis suæ ad gratiam Domini accessisset. Vxor verò eius Præpedigna id audiens, obstupuit, aitque ad illum: Quis te hortatus est, vt ità faceres? Claudius respondit: Caius Episcopus frater meus, & Gabinius presbyter, & puella virgo, præcipua in omnibus.

Claudius credit, & petit sibi peccata dimitti.

Medicinam pro salutari doctrina & eruditione.

Cap. 8. Eádem hora Præpedigna assendit Basternas, venitq; ad ædes Gabinij presbyteri, & ad Caium Episcopum sola intrauit. Eam Caius Episcopus videns, gratias egit Deo. Illa autem submisit se ad pedes eius, cosq; tenens & exosculans cum lachrymis, ait: Salua famulum & famulam tuam, & filios meos. Audiens hoc Susanna, exijt è cubiculo suo, & Præpedignam cum gaudio amplexata est. Nocte subsecutus Claudius cũ duobus filijs, vénit ad domum Gabinij presbyteri, iactansq; se ad pedes eius, dixit: Per Dominum Iesum Christum te coniuro, ne me cuncteris cum vxore & liberis baptizare. Fecit ergò Gabinius presbyter pro consuetudine vxorem & filios eius Alexandrum & Cuthiam catechumenos, deditque eis sapientiæ medicinam. Atque eadem hora ea catechesi eos instruxit, & cùm aquam benedixisset pro Dei timore, baptizauit Claudium, ità ei dicens: Credis toto pectore in Deum patrem omnipotentem? Claudius stans super ligneam peluim, respondit: Credo. Rursus dixit ei: Et in Iesum Christum Dominum nostrum? Respondit, Credo. Iterùm ait: Qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine? Respondit: Credo. Gabinius ait: Et ego famulus Dei & sacerdos, baptizo te in aqua, in remissionem peccatorum & carnis resurrectionem. Sublatusq; ex pelui, dixit Claudius: Vidi lumen sole splendidius, illuminans me. Itaque integrè credo Dominum Iesum Christum, Deum Dei filium. Eádem hora beatus Caius Episcopus liniuit eum chrismate, baptizauitq; eius vxorem Præpedignam & filios Alexendrum & Cuthiam: quos Gabinius presbyter è baptismo suscepit. Obtulit verò pro illis sacrificium in eadem domo, & cõsecrauit corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & lac, & mel, & fontem, participauitq; cum omnibus mysterium Dei.

Claudius baptizatur.

Chrismate linitur. Præpedigna cum filijs baptizatur.

Cap. 9. Ab eadem die cœpit Claudius diſtrahere omnes facultates ſuas; Chriſtianiſq; pau-peribus erogare: & inquirens loca abdita & ſecreta, in quibus Chriſtiani morarentur, pecunias & tegumenta diſtribuebat. Veniens etiam in cuſtodias, quoſcunq; ipſe religa-ri præcepiſſet, cũ metu & veſtimentis ad eos accedens, relaxabat, abijcienſq; ſe ad pedes ſingulorum, pœnitentiam agebat, & prout ſuppetebat, cum gaudio illis quotidiè no-cturnis horis omnia ſubminiſtrabat. Poſt menſem autem & dies ſedecim perquiſiuit de illo Diocletianus Auguſtus propter puellam Suſannam. Renunciatumq; eſt illi, Claudium morbo teneri. Miſit ergò Diocletianus ad eum fratrem eius Maximum, Comitem rei priuatæ, vt inuiſeret illum, & loqueretur cum eo de Suſanna puella ne-pte ſua. Is vbi venit ad Claudium, inuenit eum in cilicio orantem: ſubitoq; ingens cũ tremor apprehendit, aitq; ad Claudium: Frater amantiſſime, qui me incredibili amo-re à cunabulis educâſti, quid cauſſæ eſt, quòd tã tenuis effectus es? Claudius reſpondit: Si me vis audire, dicam tibi eius rei cauſam. Maximus eum complexus, ait: Enarra mi hi domine laborem corporis tui. Claudius dixit: Equidem pœnitentiã ago, quòd præ-ceptis principis ſeruiens, effudi ſanguinem innocentium, & Chriſtianos excruciaui, tametsi id ignorans feci. Maximus dixit: Dominus meus Diocletianus princeps eò te direxit, vt Cæſari & Auguſto Maximino filiam Gabinij fratris noſtri vxorem aſſciſce-res. Hoc igitur ego cum gaudio inquirere cœpi, quandoquidem tantum nobis benefi-cium offertur, vt genus noſtrum poſſit augeri ſublimitate, nè ſeparetur à cognatione communi. Tu verò nunc talia mihi commemoras? Claudius reſpondit: Ego chariſſi-mam dominam & neptem meam, de qua mandata habui à Diocletiano Auguſto, ac-ceſſi & appellaui: ſed inuẽni eam ſanctam, præclarè ſapientem, pulchritudine inſignẽ & Deo æterno dicatam: atq; per eam redemptus ſum à peccatis meis. Et vt ſcias De-um omnipotentem poſſe omnes homines ſaluare, eamus ad domum fratris noſtri & patris Gabinij preſbyteri vna nocte, & videbis lumen æternum. Maximus ait: Quic-quid mihi dixeris, faciam.

Diocletianus mittit Maximum Comitem ad inuiſcndum Claudium.

Cap. 10. Maximus cũ Claudio venit ad Gabinium.

Eadem nocte venerunt ad arcus portę Salariæ iuxta Palatium Saluſtij, vbi manebat Gabinius preſbyter: cui etiam nunciatum eſt, Claudium & Maximum fratres eius ſta-re præ foribus, eum ſalutare cupientes. Gabinius preſbyter illis mox occurrit, & in-troduxit in domum ſuam. Cumq; ingreſſi eſſent, dixit: Oremus: illiſq; humì pro-ſtratis, ait: Domine Deus, qui diſperſa congregas, & congregata reſpicis, reſpice in ope-ra manuum tuarum, & illumina omnes in te credentes: quia tu es lumen verum in ſe-cula ſeculorum. Reſponderunt omnes, Amen. ſurgenteſq; à terra, mutuò ſe com-plectuntur & oſculantur. Claudius autem cum gaudio oſculabatur pedes Gabinij. Id cernens Maximus, admirabatur, orabatq; vt Suſanna in ipſius cõſpectum veniret. In-greſſus igitur Gabinius in eius cubiculum, vocauit eam. Illa egrediens & Dominũ ad-orans, dixit patri ſuo: Impertire nobis benedictionem. Ad eius ergò aduentum rursùs orauit Gabinius preſbyter, ità dicens: Pax nobis donetur à Domino Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat cum Deo patre omnipotente in ſecula ſeculorum. Omnes reſpon-derunt, Amen. Maximus autem cernens in Suſanna conſtantiam humilitatis & vere cundiæ, eius apprehenſas manus oſculabatur. Illa verò id reſpuebat. Cumq; diù præ gaudio fierent, nunciatũ eſt S. Caio Epiſcopo, qui iuxta habitaculum eccleſię, quã ipſe condiderat propè Saluſtij palatium, morabatur.

Reſpuit oſcula Patrui ſui gentilis Suſanna.

Cap. 11. Caius Papa mirè feruet deſiderio Martyrij.

Ille, quòd ſperaret ad palmam martyrij ſe vocari, citò properauit ad Gabinij ædes, caſq; tanto cum deſiderio ingreſſus eſt, vt ad eius conſpectum omnes caderent in pa-uimẽtum. Dixit autem ad illos: In nomine Domini animo conſtantes eſtote: & ſub-iunxit: Oremus: Domine Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui omnibus ad ſa-lutem & vitam æternam miſiſti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt nos è mun-di tenebris eruẽres: da nobis ſeruis tuis conſtantiam fidei, quia tu regnas in ſecula ſe-culorum. Omnes vno animo dixerunt, Amen: & ſedentes, audiebant verbum à beato Caio Epiſcopo. Suſanna verò nunquàm cum eis ſedere voluit, ſed ſtans orabat. Caius Epiſcopus dixit: Gratias ago Deo meo frater Maxime, q̃ dignatus es nos viſitare. Ma-ximus reſpondit: Ego quidẽ immeritus vẽni ad vos, at tamen oſculabor pedes veſtros Qua enim cauſa huc venerim, tu meliùs nôſti. Caius Epiſcopus dixit: Imò verò tu no-bis id enarra. Maximus ait: Diocletianus Auguſtus parens veſter, direxit me ad Clau-dium germanum meum, quòd audiuiſſet eum ægritudine teneri. Miſerat enim eum ad petendam filiam ſancti preſbyteri Gabinij, vxorem filio ſuo adoptiuo Maximino Cæſari. Ita ego auſus fui venire ad vos. Habes cauſam aduentûs mei. Caius Epiſcopus dixit:

dixit: Puella hæc iam Chriſtum habet coniugem à Deo patre omnipotente: quod te ſcire volumus. Maximus reſpõdit: Quicquid à Deo datur, ſempiternum eſt. Caius Epiſcopus dixit: Ergo accipe & tu ſempiternam vitam. Maximus ait: Et quæ eſt vita ſempiterna? Claudius reſpondit: Ea, quam ego iam cognoui. Maximus dixit: Verùm id quod tu cognouiſti, & ego nôſſe deſidero. Interìm tamen nõ debet familia noſtra te abalienare ab Auguſtorum ſublimitate. Caius Epiſcopus dixit: Nos verò te admo-nemus, vt credas Dominum Ieſum Chriſtum Dei filium ſempiternũ. Hæc enim ſub-limitas, quam videmus, temporaria eſt: ea autem, quam nos prædicamus, ęterna eſt & innoxia & amabilis.

Suſanna Chriſto deſponſa.

Caius fratri ſuo Maximo Chriſtũ annunciat.

Audiens hæc Maximus, cum gaudio ſuſcepit. Dixit autem ad eum Caius Epiſcop⁹: Noſti frater omnia, quæ dereliquimus, quę & quãta fuerint, & modò nihil aliud quæ-rimus, quàm Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ, p̃ quẽ viuimus & gloriamur. Maxi-mus reſpõdit: Nè tardetis nunc domini mei: ſed quod nôſtis expedire mihi ſicut vo-bis, celeriter faciatis. Indixit ergò illi Caius Epiſcopus iciuniũ, iuſſitq; eũ domũ redire. Veniens ille domũ, nihil cuiquam aperuit, ſed tãtùm magno tenebatur fratrum Caij Epiſcopi & Gabinij preſbyteri amore, qui etiam intantùm excreuit, vt morte cõtem-pta, Dominum confiteretur. Porrò conſultum eſt ei ab illis, vt intrà quinque dies ve-nundaret facultates ſuas, & diſtribueret pauperibus Chriſtianis. Poſt quinq; dies veni-ens, miſit ſe ad pedes Caij Epiſcopi, & ait: Adiuro te domine meus p̃ ipſum, per quem illuminâſti fratrẽ meum Claudiũ, nè me differas illuminare. Sẽtì enim in corde meo compunctionẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem tu prędicas, idq́ue ab illo die, quo mihi dignatus es ſermonẽ ædificationis impẽtire. Dixit ei Caius Epiſcopus: Ergò incli-na cor tuum ad inuocandũ Dominũ Ieſum Chriſtũ. Maximus reſpõdit: Ego miſer & infelix oro ſanctimoniã veſtram, vt ſaluetis animã meã, & ẽruatis me de p̃fundo ido-lorum & tenebrarũ, atq; ad veram lucẽ perducatis. Caius Epiſcopus dixit: Audi me frater: Credis toto corde, & abrenuntias pompis & angelis ſatanæ? Maximus reſpon-dit: Ego ſemel abrenunciaui: quia veſtro exemplo viuere volo. Tum Gabinius preſby-ter catechizauit eum, & omnia Chriſti ſacramenta ei explicauit. Porrò ſanctus Caius Epiſcopus, vt habet conſuetudo, baptizauit eum, & è pelui eleuatum, chriſmatis ſacra-mento liniuit, obtulitq; pro eo ſacrificium Domino, & eius omnes ſunt participes ef-fecti. Ab eo die cœperunt omnes ſimul habitare cum gaudio & hymnis. Maximus au-tem ſingulis noctibus vendebat facultates ſuas per quendam amicum togatum, no-mine Thraſonem, virum Chriſtianiſſimum, qui occultè aſſidebat in publico, aſſeruãs in corde ſuo cum reuerentia Chriſtianam religionem, quem ante multos annos Ca-ius Epiſcopus baptizauerat. Qui etiam geſta ſanctorum martyrum colligens, orna-bat ea, & omnia ſua nocturnis temporibus in pauperes Chriſtianos erogabat, circui-ens per vicos & carceres & cuſtodias.

Cap. 12. Caius Maximo indicit ieiuniũ ante baptiſmũ

Nota hìc primò catechęſin, indè baptiſmũ, tum confirmationem, poſteà Euchariſtiam, qua omnia ſacramenta conſummantur.

Thraſo geſta martyrum ornat.

Eodem tempore poſt dies quindecim diuulgata eſt fama per Maximianum quen-dam, hominem paganum, adiutorem Comitis rei priuatæ, nomine Arſitium, Diocle-tiano Auguſto adulari volentem, eiq́ue dicentem: Sacratiſſime princeps & ſemper Auguſte, magna exiſtit fama de famulo veſtro Comite rei priuatæ, q̃ multis egenis miniſtret alimoniam. Multi enim, vt habet fama, eius humanitate fouẽtur. Diocletia-nus Auguſtus dixit ad eũ: Perquire mihi, vndè has pecunias habeat. Arſitius reſpõdit: Sacratiſſime ſemper Auguſte victor, ſi licet loqui, ſuggero. Diocletianus dixit: Loque reſidenter. Arſitius ait: Facultates ſuas tranſigendo venundat: idq́; ea cauſa facere vi-detur, quòd Chriſtianus eſt effectus à Caio Epiſcopo & Gabinio preſbytero. Audiens id Diocletianus Auguſtus, apud ſe ſecretum habuit: indicauit tamẽ Serenę vxori ſuę, eò quòd filiam Gabinij poſtulâſſet vxorem Maximino. Serena vbi audiuit, magìs cõ-firmata eſt, & dedit gloriam Deo, cùm eſſet etiam ipſa occultè Chriſtiana. Ait autem Diocletiano: Quod tibi imperatum fuerit à ſuperna maieſtate, fac.

Cap. 13.

Serena Auguſta occultè Chriſtiana.

Cap. 14.

At verò Diocletianus Auguſtus, contempta vxore ſua, vocauit ad ſe Iulium quen-dam paganum crudelem, & communicato cum eo conſilio, dixit ei: Miſi chariſſimos meos ad quendam, vt peterent filiam eius vxorem filio meo. Illi autem contemnen-tes pręcepta mea, cùm eſſent mei, Chriſtiani effecti ſunt. Iulius reſpõdit: Omnes prin-cipum contemptores, etiamſi illi iniuſta præcepta proponant, puniuntur. Pietas autẽ veſtra & prudentia, quod iuſtum fuit, imperauit, & illud erat faciendum. Itaq; ſine re-tractatione puniantur contemptores. Iuſſit ergò Diocletianus, vt Iulius mitteret mi-lites, qui omnes compræhenderent, ſolo Caio Epiſcopo excepto. Miſit ille milites, &

Multi sancti concremantur.

compræhenderunt Gabinium presbyterum & Susannam filiam eius. Claudium autē cum vxore Præpedigna & filijs Alexandro & Cuthia, itemq; maximum, in exiliū inf. sit deportari, & flammis concrematos, apud Ostiam in aquas iactari. Porrò Gabinium presbyterum cum filia Susanna custodiæ voluit mancipari.

Cap. 15.

Post dies autē quinq; & quinquaginta iussit Diocletianus, vt Serena vxor ipsius ad se adduceret Susannā, & eius propositum mutaret. Vidēs igitur Susanna milites ad se venientes, orauit Dominum, & ait: Domine, ne derelinquas ancillam tuam. Adductā indè ad Serenā Augustam, in eius introitu ipsa Augusta adorauit: Susanna aūt prostr uit se in pauimentum, dixitq; Serena ad eā: Gaudeat in te Christus Dominus noster. Audiens Susanna Augustā Christum inuocantē, dixit: Gratias ago Deo meo, quia in omni loco ille dominatur. Fuit verò Serena Augusta cum Susanna multis diebꝰ, qui bus Susanna non cessabat iugiter, etiā noctibus, hymnis & orationibus vacare, & Deo gratias agere. Imperator aūt Diocletianus semper sperans Susannæ persuasurā Sere nā, vt in filij Maximini coniugiū consentiret, misit quendā familiarem suum Curtii ad Serenā, hæc verba perferentem: Fiat tua industria, vt iungatur puella filio meo Ma ximino. Serena Curtio dixit: Nisi voluntas adsit, non potest hæc coronæ fieri coniun ctio. Ego sanè non animaduerto puellę animū in filij tui consortium propendére. In terim Susanna diù noctuq; lachrymabiliter nō desinebat psalmos canere in laudem Domini sui, vti consueuerat etiā Gabinius presbyter, pater illius. Vbi id renunciatum est Diocletiano Augusto, ille multo furore incensus, præcepit Maximino, vt reducere tur Susanna in domum patris sui Gabinij presbyteri, ità dicens: Non polluatur pala tium nostrum: sed in paternis ædibus vtere illa pro voto, & sic relinque eam.

Perpetuæ preces Susannæ.

Demissa est igitur Susanna, & ait Serena Augusta ad eam: Qui quondam priori il lam Susannam famulam suam liberauit, is te quoq; liberet, sitq; tibi auxiliator, glori osam pacem tibi tribuens. Deinde Susanna cum duabus fœminis ingressa in domum suam, iactauit se in pauimentum, orauitq; Dominum Iesum. Eádem nocte venit Ma ximinus ad eam, & intrans in cubiculum, vbi Susanna orabat, vidit Angelum Domi ni supra illam cum multa claritate. Ea re perterritus cursim fugit ad palatium, neca tigit eam: narrauitq; omnia patri suo Diocletiano Augusto, qui ait: Non est hoc nisi magicæ artis. Misit indè Curtium, qui in domo eius audiret eam, & vt fierēt gesta am pliſſima. Veniens eò Curtius, magis ac magis pauere cœpit. Diocletianus verò cum v. xore sua Serena contendebat de aduentu Christi, & de cultura idolorum. Sed cùm ab ea superatus esset, Susannæ mentionem intulit, aitq; ad Augustam: Quid ità egisti, vt non consentiret sapiens & speciosa puella in coniugium filij mei? Serena respondit: Il la elegit quod melius est: quod etiam nouit filius tuus dicere, qui lumen æternum a. pud illam se vidisse commemorat, nec te illud celauit.

Cap. 16. Dan. 13.

Maximini libidinem Angelus co ercet.

Diocletianus Augustus iratus, Macedonio homini sacrilego & pagano præcipiens dixit: Coarcta eam intrà domū suam, vt sacrificia dijs offerat: occultè tamen, nè man suetudo nostra inuidia laboret. Abijt Macedonius, veniensq; in regionem Salustij intrauit in ædes eius, cœpitq; vrgere eam, vt sacrificaret. Habebat enim apud se ta tunculam auream Iouis, & mēsam & tripodem. Quæ vt vidit Susanna, insufflauit, fi xisq; genibus sic Dominum precata est: Domine, non videant oculi mei dæmonum thecas, sed consolare ancillam tuam. Macedonius dixit ad eā: Erige te à terra, & adora deum Cæsaris. Illa caput suum erigente ad cælum, repētè simulacrum nusquàm com paruit. dixitq; Macedonius: Auri cupído te seduxit, & impetu suo claram te reddidit.

Cap. 17.

Antiquissima consuetudo Crucem se consignādi.

At tamē gratias ago tibi. non enim furata esses simulacrum, nisi deos amares. Susan na consignans pectus suum, Dominus, inquit, misit Angelū suum, qui abstulit Iouem à facie mea, nè polluerentur oculi mei. Eádē hora vnus ex seruis Macedonij nuncia uit ei, Iouem aureum in platea ante palatium Salustij iacére. Tum Macedonius ira cō motus, manibus suis eam expoliatam, fustibus cecidit. Susanna autem gaudens, dixit: Gloria tibi Domine. Macedonius ait: Consule tibi, & sacrifica. Illa consignans pectus suum, dixit: Ego Deo meo meipsam cupio sacrificium offerre.

Cap. 18. S. Susanna gladio percussa abit in cælos.

Nota reuerentiā erga

Tum verò Macedonius rem gestam significauit Diocletiano Augusto, & vt Iouis simulacrum sublatum, & in platea confractum sit. Iussit ergò Diocletianus, vt intrà domum suam gladio puniretur. Itaq; percussa gladio, reddidit spiritum. Id vbi resci uit Serena Augusta, cum gaudio noctù veniēs, collegit corpus sanctæ martyris, & san guinem eius illic fusum, suo velamine exterſit, posuitque in capsa argentea in palatio suo, vbi diù noctuque furtiuis vicibus orare non cessabat. Corpus quoquè S. Susannæ ipsa

reliquias Sanctorum.

ipsa manibus suis ornauit linteis & aromatibus, posuitq; iuxta corpora sanctorum in cœmeterio Alexandri, in arenario in crypta iuxta S. Alexandrū, tertio Idus Augusti. Ab eodem die beatus Caius Episcopus in eam domum, vbi illa percussa est, ingrediēs, sacrificia Domino Deo suo obtulit pro commemoratione beatę Susannæ. Caij enim Episcopi domus, beati Gabinij presbyteri domui iuncta erat. Atque ex illo tempore Christianorum statio deputata est in duabus ędibus vsq; in hodiernum diem. Factum est hoc Romæ in regione sexta apud vicum * Mammuri ante Salustij forum: regnan te in vniuerso mundo Domino nostro Iesu Christo cum patre & spiritu sancto in se cula seculorum, Amen.

* Mamurtini.

VITA S. GAVGERICI EPISCOPI CAMERACENSIS, INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED *fideliter conscripta. Stylum nonnunquàm elimauit F. Laurentius Surius, adiectis ad marginem capitibus.*

Augusti 11. Cap. 1. S. Gaugerici patria & parentes.

BEATVS Gaugericus Iuodio (Euosio habet codex manuscriptus) Galliarum oppido diœcesis Treuirensis, patre Gaudentio, matre Austridiola, etsi pro elati sanguinis fastu nec summis, nec infimis, Christianis tamē & ingenuis atque orthodoxis, parentibus editus est. Cumque procedente ætate in Dei rebus iam crescéret, puer traditus est sacrarum literarum studijs: vt futurus pontifex limina sapientium tereret, & cum Maria ad pedes Domini sedens, verba ex ore illius audiret. Contigit interea, Episcopum Treuirensem Magnericum, merito & nomine canonicis sanctionibus obtemperantem, parœciam suam circumire, & ad eius castri ecclesiam pro consuetudine peruenire. Cumque ex more sacrum perageret ministerium, ex loci illius sacerdote perquisiuit, num ritè illic se haberet ordo Ecclesiasticus, qui & quales ipsi essent in Dei seruitio adiutores. Tum ille: Habemus, inquit, illos & illos in Christi famulatu ministros altaris: in quibus pollet Gaugericus quidam, ætate quidem adolescens, sed cæteros sacris studijs & sanctitate antecellens. Sacrarum ille literarum eruditioni adhibitus, primis adhuc literis imbuitur: verùm tyrocinij sui tempus morum integritate iam in emeritam ætatem transfluisse videtur. Audito enim signo, quo ad laudes Dei horis canonicis inuitamur, ille mente deuotus, relicto domicilio, nec illis etiam, quæ in manibus sunt, absolutis, ad ecclesiam properat, alios maturè anteuertens. Inter lasciuos est continens, inter impudicos verecundia & pudore honestus, suauis eloquio, parcus in victu, vigilijs deditus, eleemosynis largus, in precibus perseuerans, animo virilis, operibus bonis ætatem suā vincere contendens. Cæteris eius coætaneis, vt ea poscit ætas, cibum capientibus, ille velut alter Daniel in aula Babylonica abstinentiæ studet, & prandium cum cœna cō mutat: quodq; suo corpusculo subtrahit, pauperibus elargitur. Sub noctem, inedia & macerationeattritus, modicum sumens cibum, sustentato potiùs, quàm nutrito corpusculo, ad similia se studia confert.

Magnerico Treuirensis Episcopo.

Gaugerici adhuc pueri virtutes.

Luc. 10.

Dan. 1.

His auditis, venerandus antistes, Nostris, inquit, actutùm exhibeatur adspectibus adolescēs. Adductus ille, blandè ac leniter ab Episcopo compellatus, & præclarè indolis animus suaui oratione confirmatus est. Deindè suis eum manibus, fusa super eum benedictione, idem Episcopus totondit, regiaq; ac sacerdotali corona Domino perpetuò famulaturum insigniuit. Interim verò interrogauit eum, quam nupèr prælectionem à magistro illi reddendam accepisset. Respondit adolescēs: Prælectionis eius hoc est exordiū: Postula à me, & dabo tibi. Lętatus venerabilis Episcopus, ait: Vbi ad hunc locum fili rediēro, vide vt totum mihi possis Psalteriū reddere memoriter. Dixit hoc præsul, vt rei posteà probauit euentus, ad sacros illum volens Ordines promouere. Illeigitur saluberrimo præcepto instructus, vigil & sobrius, studijs & spiritalibus exercitijs instanter operam dedit, & macerando ventre, sensum tenuem fouit. quodq; alij subcrepantibus ferulis vix longo efficiunt tempore, ille vna duntaxàt admonitiūcula incitatus, breui assecutus est, ità vt intrà paucos dies totum Dauidicum Psalterium sacræ memoriæ commendaret. Nec enim multò pòst ad idem castrum beatus antistes

Cap. 2.

Tondetur à Magnerico Episcopo.

Psalm. 2.

Psalterium breui discit memoriæ.

reuersus, memor præceptionis suæ, Gaugericum in suos voluit conspectus venire, præsentique mandauit, vt quod iussus erat, quam primùm expleret. Páret ille paternæ voluntati, totumq;, Episcopo audiente, psalterium de memoria depromit.

Cap. 3. Ordinatur Diaconus.

Tum verò Episcopus pio eum animo complectẽs, nè lucerna talis lateret sub modio, sed super candelabrum posita, omnibus in domo Dei agentibus luceret, Diaconum illũ ordinauit, gratias agens Deo. Ille Leuitico sublimatus ministerio, facilè oẽs, qui in Clero erant, virtute & gratia antecedebat. Cumq; in dies semper bonis operibus augeri contenderet, & quodam tempore loca orationis more suo adiret, quendam obuium habuit vtriusq; hominis lepra laborantem, corporis externa superficie luridum & horridum, & gentilismi fœdis erroribus animo corruptum ac squallidũ. Cognoscens autem vir beatus corporis deformitatem à peccatorum putredine profectam, hominem aggreditur, & nihil iam mortale sonans, verbum Dei illi proponit, vt conuersus ad Dominum, tum à peccatis absolui, tum à lepræ fœditate repurgari mereretur. Ille mox, visitante eum gratia Dei, ad viri Dei adhortationem credidit, & diabolo atque omni idolorum spurcitiei renuncians, Christianum se fore promisit. Itaq; quam primùm eum ad sacerdotem, tanquàm Naamã ad Iordanem, adduxit, vndis salutaribus expiandũ. Vbi simulatq; baptizatus est, quòd peccatis iam vacuus esset, ipsa externa corporis habitudo ostendit, tanta in illo munditia apparente, vt nunquàm lepra infectus fuisse videretur. Eum verò Christi seruus Gaugericus è fonte suis sacris manibus suscepit, & posteà literis imbutum, coronæ fratrum religiosorum sociauit. Deindè Episcopus factus, per singulos gradus vsque ad sacerdotij culmen euexit.

Interna lepra peccatũ est.

4. Reg. 5.

Leprosus gentilis, dũ baptizatur, fit sanus.

Cap. 4.

Matth. 5.

Increscente autem beati viri fama, & odore sanctæ existimationis eius longè lateque sese diffundente, etiam procùl degentibus nomen eius cum multa laude innotuit, dicente Domino, ciuitatem super montem positam non posse abscondi. Interea diem suum obijt Vedulphus Cameracensis Episcopus, exemptusq; rebus humanis, ad meliora commigrauit. Igitur grex eius pastore destitutus, spiritalis patris solatia & ecclesiæ orbatæ rectorem expetens, diuino instinctu, comperta iam viri sancti fama, vno animo & pari voluntate tum Clerus, tum populus à Childeberto * Austrasio. rum Rege, beatum Gaugericum sibi Episcopum ordinari postulârunt. Rex cõfestim missis literis ad Aegidium Rhemensem Episcopum, voluit populi votis satisfieri, vt bonæ existimationis Leuita Christi Gaugericus, Cameracensi ecclesię præsul ordinaretur. Id vbi cognouit antistes Aegidius, cunctis acclamantibus beatum Gaugericum Episcopi honore esse dignissimum, incunctanter illum in Cameracensis ecclesiæ sede collocauit. Felicem sanè populum, sanctumq; Clerum, qui talem à Rege supernodefensorem & patronum habere meruerunt.

* Francorũ

Ordinatur Episc. Cameracensis ijs. Gaugericus.

Cap. 5.

Ordinatus igitur Episcopus Gaugericus, cùm inuisere vellet oues ipsi à Domino commissas, atq; à Clero & populo obuiàm festiuè procedente, officiosissimè excipe. retur, carceris cuiusdam ostium præterijt, vbi duodecim homines noxij ferreis vinculis constricti detinebantur. Id percipiens vir pius, more suo misericordia permotus, multis precibus egit apud * Vualdonem, eius loci Comitem, vt miseros illos ipsi donaret. At ille superbia tumidus, & mundanæ potentiæ fastu inflatus, beati viri preces contempsit. Sentiens vir Dei ab illo se repulsum; cùm humanum auxilium non supperet, totum se ad deprecandum Dominum contulit, orans, vt è carceris squallore erepti illi, in ea ecclesia, quam ipse petebat, sub totius populi conspectu inuenirentur. Mox diuinitùs manicæ ferreæ confringuntur, cõpedes dissoluuntur, & in ecclesiam, ad quam vir sanctus deducebatur, illi iam nexibus liberi, Angelo eos perducente, celeriter ingrediuntur, in quam intrante etiam beato Gaugerico, Clero populoque spectante, qui paulò antè vincti fuerant, flexis poplitibus, dicunt ei: Nos illi sumus, pater sanctissime, qui ex interiori ergastulo tuis precibus sanctæ matri Ecclesiæ modò sumus restituti. Audiens hoc vir pius, gaudio repletur: & gratias agens Deo, dicit Comiti, qui cum cæteris huic spectaculo admirabũdus intererat: Iam vel expertus agnosce, vir generose, potentiorem esse Dei misericordiam, compeditos soluentem, quàm tuam seueritatem, hos in vinculo coniectos perdere volentem. Deinde salutaribus eos monitis instructos, vt deincèps emendatiùs viuerent, ad sua quenque liberos reuerti permisit.

* Vualdonium.

Multos è carcere liberat miraculosè.

Arguit Comitem seueritatis & immisericordiæ.

Cap. 6. Dies Rogationum.

Confirmatus porrò in sede sua, sacris habendis concionibus dabat operam, nec modò pluebat verbis, sed etiam miraculis coruscabat. Cumque pro Galliarum consuetudine

dine litaniæ, id est, supplicationes vel rogationes triduano conuentu fierent, atque vir sanctus veneratione plenissima ieiunijs, eleemosynis & psalmodijs eas excoleret, atq; basilicas cum suo Clero psallente & Cruces deferente, multo populo prosequente, visitaret ac circumiret, contigit eum transire obitèr carcerem, in quo tres viri tenebantur, iussu Vualacharij Tribuni, vinculis implicati. Solita igitur humanitate Tribuno præsenti supplices obtulit preces, vt miseros illos ipsi ad meliorem frugem reuocandos largiretur. Negat ille. Gaugericus ante fores carceris prosternitur, orat aliquantispèr, vt omnipotentis Dei clementia præstet, quod iudex superbus & ira ebrius recusat. Surgit indè ab oratione, & protinùs vincti nutu præpotentis Dei nexibus suis expediuntur. Adhibet tum illis venerandus præsul animarum medicinam, & sic mẽte atq; corpore absolutos, & vt posthàc emendationi vitę studeant admonitos, ad propria remittit.

Tres alios vinctos eripit.

Dum sic igitur crescit, & tum publicè, tũ priuatìm diuulgatur beati antistitis fama celebris, ad Clotarij Regis aures ptingit. Is comperta eius sanctitate, de domo æternitatis secùm pertractãs, in saluberrimã incidit cogitationẽ, vt per manus tanti viri eleemosynę pauperibus Christi distribuerentur. Mox igitur illum iubet ad se perduci. Audiens ille, quid Rex mandaret, cùm non esset nescius potestatibus sublimioribus parére nos oportere, sine mora, pfectus est ad eum, & quæ ille in pauperũ vsus contulerat, liberali manu distribuẽda suscepit. Interìm apud se perquirebat, quomodò ea sic posset expendere, vt indè consolatio præcipua ad inopes rediret, conuenienter illi sententiæ: Desudet eleemosyna in manu tua, donèc inuenias iustum cui tradas eã. Venit aũt illi in mentẽ, vt ad beatissimi Martini limina ꝓperaret, ibiq; pro suis & suorũ erratis, tanti viri interuentibus meritis, Dominum deprecans, prout dignum videretur, etiã in vsus sanctorum pauperũ daret. Cùm ergò itineri se dedisset, prope Turones cęcus quidam triginta annis lumine orbatus, vt audiuit B. Gaugericum transire, clamauit obsecrans, vt per sanctitatis eius preces, à sole iustitiæ Christo Domino illuminari meretur. Itaq; vir sanctus diuinæ misericordiæ confidens, dextera sua oculis cæca caligine diù pressis, sanctæ Crucis signum impressit, & cæcitatem omnem sancta manu detersit. Tum cæcus gratias agens Deo pro collato sibi tanto beneficio, domum se recepit, multisq; posteà & videns & incolumis superuixit annis.

Rom. 13.

Vult inuise limina S. Martini Episcopi Turonensis.

Cæcũ signo Crucis illuminat.

Porrò beatus Episcopus cœpto insistens itineri, ad sancti Martini sepulcrum peruenit: ibique à fratribus magno gaudio acceptus, peracto opere, cuius causa eò venerat, ad suam ecclesiam redire ociùs voluit. At tamen visum est illi, possessiones ecclesiæ suæ, quas ea in Petragoricensi territorio habebat, inuisere. In illo autem itinere ad monumentũ beati Frontonis, deprecaturus Dominũ, accessit. Interìm scipionẽ, quo sustentabatur, retrò porrexit ministris tenendum. Sed illis ad alia intentis, nemo fuit qui scipionem seruandũ susciperet. Nolens autem pius Dominus fidelis serui sui preces vel illorum incuria, vel scipionis cadentis strepitu, etiam ad breue temporis spatiũ impediri, immò verò, cuius ille esset meriti, hominibus indicare volens, angelicis, vt equidem sentio, manibus scipionem illum, perindè acsi radicitùs terræ infixus esset, immotum iussit retineri. Absolutis precibus, vir S. exurgens, vidit scipionem stãtem, tanquàm rem mentis compotem, & ad ei præstanda officia paratam. Gratias ergò agens Deo, qui semper & vbiquè adest ipsi famulantibus, ad patriam honorificè & prosperè reuersus est.

Cap. 7.

Vide miraculum in scipione.

Cap. 8.

Morante viro Dei apud fanum Martis in dioecesis suæ territorio, pro sanctionis Ecclesiasticæ solicita executione, negociator quidam pueros captiuos, vinculis constrictos, per eum locum venundandos duxit. Id vbi comperit sanctus Episcopus, valdè eum rogauit, vt pro obtinenda peccatorum suorum remissione vinctos illos dimitteret, atque in supremo illo sanè horrendo mundi die, eius operis mercedem æternam expectaret. At mercator ille, auaritiæ mancipium, obstinato animo quibus potuit modis sese excusauit, nec sancto antistiti obsequi voluit. Orat ergò beatus præsul clementissimum Deum, vt ipse sua immensa virtute præstet, quod mercator ille lucris inhians negabat. Abit interèa negociator ad hospitium suum, & eccè nutu diuino somno grauissimo opprimitur. Id verò cernentes captiui, nexibus dissolutis, ad Episcopum confugiunt. Indè expergefactus mercator, videt non adesse vinctos: suspicatur eos beati antistitis precibus sibi ereptos esse: properè accedit ecclesiam, in qua erat vir Dei: inuenit, quos quærebat, suâ liberatione lætantes, & qui priùs noluit sponte obtemperare Gaugerici precibus, diuinæ potentiæ vel inuitus cessit.

Cap. 9.

Vincti alij liberantur.

Cap. 10. Obtinuit cathedram ſuam beatus Epiſcopus ad annos plùs minùs trigintanouem, virtutibus inſignis, miraculis celebris, fide integer, operibus bonis perpetuò intentus. Et licèt animum inſtàr arcûs ſemper haberet intenſum, at tamen corporis viribus deficientibus, iam ætate prouectus, plenus dierum in ſenectute bona, in pace ſanctæ Eccleſiæ Dei tertio Idus Auguſti obdormiuit in Domino. Sepultus eſt autem in baſilica, quæ eſt in montis vertice, ab ipſo in honorē S. Medardi conſtructa: qui locus haud procùl abeſt Cameraco, olìm dęmonum cultui ab idololatris in animarum exitium dedicatus. Sed vir Dei Gaugericus idola exterminauit, lucū ſuccidit, & locum ſpurcitijs addictum, in orationis & ſacrificij ædem mutauit. Et iam locus ille & beati viri memoria eſt venerabilis, & nundinis celeberrimus: præſtanturq; illic vſq; ad præſens beneficia diuina in laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Obdormit vir ſanctus in Domino

MARTYRIVM SANCTI EVPLII, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE. LATINI MARTYROLOGI EUM DIACONUM FUISSE TESTANTUR.

12. Auguſti ſecundùm Latina Martyrologia.

DIOCLETIANO & Maximiano imperantibus, idolorum ſuperſtitio ità per omnes regiones & inſulas celebrabatur, vt idola omnia erigerentur, & Chriſtiani vniuerſi gladio interficerentur. Miſerunt igitur Imperatores ipſi hominem quendam Pentagurum nomine, in fines prouinciæ Siciliæ, vt quencunq; inueniſſet, qui Chriſtum confiteretur, eum peſſimis modis interficeret. Itaque vénit Pentagurus in vrbem Catinam. Caluiſianus autem cùm in ea Præſidem ageret, iuſſit turbas ipſas, quæ in vrbe erant, obuiàm prodire, prout conſueuerant his, qui ab Imperatoribus mittebantur. Ingreſſus igitur Pentagurus in eam vrbem, iuſſit Caluiſianum conſtituere tribunal in loco illo, qui dicitur Achillę, & præcones mittere per plateas & vicos vrbis, qui iuberent omnes ad eius nefarium tribunal conuenire.

Pentagurus ab Imperatorib깰 in Siciliã mittitur ad defendos Chriſtianos.

Itaq; cùm Pentagurus in illa nefaria ſede vnà cum Caluiſiano præſideret, vniuerſus populus ſtetit ante tribunal. Tunc Pentagurus dixit Caluiſiano: Num omnes iſti deorum noſtrorum religionē obſeruant? Maximè, inquit Caluiſianus, omnes iſti, quos vides, religioſiſſimè Præſes, deorum noſtrorum religionem obſeruant. His auditis, valdè gauiſus eſt, & iuſſit turbas dimitti. Tunc Pentagurus Imperatorum edicta Caluiſiano illi oſtendit, cumq́ue vrbis Præſidem confirmauit, & edicta ipſa ei tradidit, vt Chriſtianos homines inquireret. Tunc ipſe in alias vrbes iter ſuum dirigebat, quas omnes peragrans, ſtudium omne ad Chriſtianos inquirendos adhibebat. Cùm hæc ille ageret, intereà Caluiſianus à patre ſuo diabolo elatus, & impijs edictis Imperatorum confiſus, magnoperè intumeſcebat, ingentes ſpiritus & ſuperbiam præ ſe ferens. Vocatis igitur miniſtris: Agitè, inquit, vos exite ad vrbis plateas & finitimas regiones, ac ſi quem inueniretis, qui Chriſtum confiteatur, vinctum ad me ducite. Sic enim hoc feceritis, vobis annona & victus publicè ſuppeditabitur. Ad hæc honores multos à me percipietis.

Caluiſian' vbi Catinę præficitur.

Euplius apꝑditur.

Cùm hæc ille diceret, vnus ex eorum numero, qui illic ſtabant: Eſt, inquit, in hac vrbe homo quidam, Euplius nomine, librum ſecùm habens, quo populos & multitudinem ipſam circumuenit, affirmans magnum eſſe Deum Chriſtianorum. His auditis, valdè perturbatus eſt Caluiſianus, & ait: Adducite vinctum ad me hominem iſtum, adducite. Statìm ſatellites per vrbis plateas Euplium perquirentes, inuenerunt eum in cellula quadam morantem, & Dei Euangeliũ docentem. Quem ſubitò comprehenſum, manibus poſt terga colligatis, ad Caluiſiani Præſidis tribunal adduxerũt. Tunc impius & nefarius Caluiſianus, cùm ambas eius manus & pedem alterum ad ipſius genu colligari feciſſet: Túne, inquit, es deorum noſtrorum deſertor, & Imperatorum contemptor, qui neque ipſorum edictis obtemperas, neq; præpotentes deos adoras? Reſpondit Euplius: Quinam ſunt iſti veſtri dij, vt eos adorem? Iupiter, inquit Caluiſianus, Aeſculapius & Diana. Adhæc Euplius ait: Cęcus es tu, Dominum Ieſum Chriſtum non cognoſcens, qui cælum & terram effecit, & hominem è terra formauit, quiq; nos Chriſtianos induit veſte immortalitatis, precioſo videlicet, inſigni, ſanctiſſimo, terribili & illuſtri ſuo baptiſmate. Tunc ait Caluiſianus. Propterea tam ſuperbè loqueris, quòd nondùm tormenta expertus es. Ad hæc ſanctus Euplius reſpondit: Tormenta iſta tua mihi quidem coronæ, tibi verò ſunt tenebræ.

Adducitur vinctus ad Caluiſianũ.

His verbis valdè perturbatus Caluiſianus, & à patre ſuo diabolo concitatus, iuſſit lignum in terra defigi, & in eo virum illum ſanctum ſuſpendi, ferreiſque pectinibus dilaniari. Quo facto, ille erectis in cælum oculis, ſic Deum orauit: Domine Ieſu Chriſte, indue me veſte immortalitatis: fac, quæſo, nè iſtorum tormentis ſuperari valeam. Tunc vox audita eſt è cælo, quæ dixit: Eſto, Eupli, bono & forti animo: vera enim veſtis tibi parata eſt. Hæc ait vox illa. At impius Caluiſianus: Etiámne, inquit, ab iſtis tuis nugis adhuc non deſtitiſti? Quin potiùs in templa ingredere, & dijs ſacrifica, vt peccatorum veniam conſequaris, & ab inuictis Imperatoribus bona multa percipias. Inſuper amicitiam noſtram habebis, atque argenti & auri copiam multam. Ad hæc Euplius reſpondit: Ex hoc ipſo, perditiſſime homo, miniſter diaboli & eius conſors, intelligere potes, omnes iſtos auro adduci, vt idola venerentur: cuius rei indicium ac ratio in illo terribili die à teipſo exigetur. Caluiſianus his verbis accenſus, iuſſit ferreis malleis eius maxillas & crura verberari. At ille cùm verberaretur: Inſane, inquit, inſipiens & mentis lumine obcæcate, cur mihi tormenta iſta tua inferri iubes, quæ, Dei mei auxilio munitus, tanquàm aranearum telas contemno? Si potes igitur, alia tormenta his grauiora excogites: hæc enim tanquàm ludibria quædam corpori meo ſunt.

Ferreis pectinibus laceratur.

Malleis ferreis cæditur

Mira fortitudo eius.

His auditis, impius Caluiſianus iuſſit beatum Euplium deuinciri, & ſanctum Euangelium in eius collo alligari, & tanquàm in pompa aliqua ſic duci, & in carcerem conijci. In quem cum beatus Euplius ingreſſus fuiſſet, præcepit iniquus Caluiſianus, carceris fores eius annulo ſignari, & milites conſtitui, qui carcerem ipſum diligenter cuſtodirent, ne quis ad eum introire permitteretur, néue panem aut aquam illi daret. At beatus Euplius cùm in carcere dies ſeptem & totidem noctes tranſegiſſet, acſiti laboraret, erectis in cælum manibus, ſic Deum orauit: Domine Ieſu Chriſte, qui es verus Deus noſter, qui das eſcam omni carni, qui per Moſem ſeruum tuum aquis filios Iſraëlis ſatiâſti, qui ex maxilla quadam olìm aquam eduxiſti, & Samſonem refrigerâſti, qui nos lætos atque hilares effeciſti precioſo & incorrupto baptiſmate tuo nos inducns: tu, inquam, Domine fac, quæſo, vt aquę fons ſcaturiat, & ſitis mea leuetur, vt cognoſcant omnes, non eſſe Deum alium præter te. Compleuit preces Euplius, & repentè aquarum copia in carcere ſcaturiuit. Itaque martyr ipſe Deo gratias agens, bibit, & ſanctam, eiuſdemque ſubſtantiæ conſortem, & vitæ omnium effectricem, Trinitatem collaudauit, immenſam Dei charitatem pſalmis & hymnis concelebrans.

Conijcitur in carcerē.

Pſalm. 135. Exod. 17. Iudic. 15.

Aquã diuinitùs impetrat.

Cùm verò dies ſeptem præterijſſent, iuſſit Caluiſianus duci beatum Euplium ad ſecretam eius domum. Caluiſiani autem ſatellites, cùm patefacto carcere, illam aquarum copiam repentè affluentem vidiſſent, perterrefacti ſunt. Euplius verò, manu extenſa, quaſi aquam ipſam increpauit, & ſtatim illa euanuit. Viderunt ſatellites, quod factum fuerat in carcere, & inter ſe dicebant: Certè magnus eſt Deus ille, quem colit homo iſte. Beatum verò Euplium eductum è carcere, ad ſecretam Caluiſiani Tyranni domum adduxerunt. Qui oculos in beatum Euplium conuertens: Saltem nunc, inquit, dijs ſacrifica, priuſquàm gladio caput tuum abſcindatur. Tunc illi Euplius, Peruerſe & excæcate miniſter atque collega diaboli, quisnam eſt, qui velit lucem relinquere, & in tenebris ambulare? Turbatus eſt his verbis Caluiſianus, & iuſſit Euplium ligari, eiuſque aures ferreis vncis auelli, & ad tribunal duci. Cùm igitur illuc ageretur, vniuerſus populus, tam eorum, qui Chriſti fidem ſequebantur, quàm qui erant infideles, ad eius rei mirabile ſpectaculum conuénit. Tunc nefarius ille Præſes Caluiſianus iuſſit ſedem ſuam locari prope carcerem ante lauacrum, quod erat vicinum carceri, ad meridiem vergens. Illic igitur ſedens, iuſſit beatum Euplium gladio percuti. At ille rogabat Præſidem, vt tantùm temporis ſibi concederet, quoàd Deum orare poſſet. Aperto igitur ſancto illo Dei Euangelio, cœpit Domini noſtri Ieſu Chriſti miracula recitare. Ex qua re factum eſt, vt multi ex ea turba, veritatis lumine ſint illuſtrati. Cumq́; beatiſſimus martyr Deum precaretur, audiuit vocem è cælo demiſſam, ac di-

Ad eius nutum rurſus aquã euanuit.

Magna eius dicendi libertas.

Multos conuertit ad fidem.

Gladio interficitur.

ac dicentem: Esto bono animo, Eupli: beatus es tu: agè, veni, & cum ijs requiesce, qui ex omnibus seculis mihi grati extiterunt. Deincèps ex Caluisiani sententia Euplius gladiò percussus, martyrium compleuit.

Quidam verò homines religiosi, & Christi amatores, pretiosas illius reliquias collectas, in loco quodam insigni reposuerunt, vbì morborum curationes, ad hodiernũ vsque diem efficiuntur. Eius autem martyrium & sancta confessio completa est vn. decimo die mensis Augusti, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, impijs & nefarijs hominibus: in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

De S. Hilaria & sociabus martyribus, videat Lector superiùs 5. Augusti, historiam S. Afræ martyris.

VITA S. CLARAE VIRGINIS SANCTITATE ET MIRACVLIS CLARISSIMAE, IVSSV *Alexandri Pontificis Maximi conscripta, cùm eam in Sanctas retulisset, anno ab eius obitu secundo.*

Is est Alexãder 1111.

Prologus Authoris, cuius nomen necdùm comperi.

QVasi veterata mundi senecta vrgẽte, fidei caligabat visus, morũ nutabat gressus, marcescebat virilium operum fortitudo: quinimò fæces temporum, fæce commutabãtur etiam vitiorum, cùm amator hominum Deus, ex suæ pietatis arcano sacrorũ Ordinum sus. citans nouitatem, prouidit per eos & fidei fulcimentum, & reformandis moribus disciplinam. Dixerim certè modernos patres cũ viris sequentibus luminaria orbis, viæ ductores, vitæ magistros: in quibus meridianus fulgor mundo ad vesperam consurrexit, vt lumen viderent, qui in tenebris ambulant. Nec decuit infirmioris sexûs adiutorium sibi deesse: quem libidinis gurgite interceptum, non minùs ad peccandum trahebat voluptas, & magìs satìs fragilitas impellebat. Suscitauit propterea pius Deus virginẽ venerabilem Claram, atque in ea clarissimam fœminis lucernam accendit: quam & tu Papa beatissime pater super candelabrum ponens, vt luceat omnibus qui in domo sunt, virtute percogente signorum, Sanctorum Catalogo adscripsisti. Horum Ordinũ te patrem colimus, te nutritium scimus, te protectorem amplectimur, te dominũ veneramur: quem sic perímaximæ nauis regimen vniuersale solicitat, vt paruæ quoquè nauiculæ curam singularem & solicitam nõ excludat. Sanè placuit Dominationi vestræ, meæ paruitati iniungere, vt recensitis actibus S. Claræ, Legendam eius formarẽ: opus certè, quod mea multùm ruditas formidabat, nisì pontificalis authoritas verbũ coràm posito, iterùm atque iterùm repetíssет. Igitur me colligens ad mandatum, nec tutus per ea procedere, quæ defectiua legeram, ad socios beati Francisci, atq; ad ipsum collegium virginum Christi perrexi, frequenter illud corde reuoluens, non licuisse antiquitùs historiam texere, nisì ijs, qui vidissent, aut à videntibus accepissent. Ijs, inquam, veritate præuia cum timore Domini pleniùs instruentibus, aliqua colligens, & plura dimittens, plano stylo transcurri: vt quia magnalia virginis, virgines legere delectabit, rudis intelligentia non inueniat, vbì pro verborum ambitu tenebrescat. Sequantur ergò viri viros Verbi incarnati nouos discipulos. Imitentur fœminæ Claram, Dei matris vestigium, nouam capitaneam mulierum. Vobis autem, sanctissime pater, sicut in his corrigendi, subtrahendi & addendi plena manet authoritas: ità mea per omnia subiacet, concordat, flagitatque voluntas. Valere vos faciat Dominus Iesus Christus nunc & in æuum, Amen.

Vtilitas Ordinũ monasticorum.

Matth. 5.

Historia hæc ex oculatorum testium relatione conscripta.

VITAE

VITAE HISTORIA.

Deparentibus & ortu S. Claræ. Cap. 1.

Augusti 12. tametsi obiit Augusti 11.

ADMIRABILIS fœmina, Clara vocabulo & virtute, de ciuitate Assisij claro satis genere traxit originem. Beato nanque Francisco primùm fuit conciuis in terris, conregnans postmodùm in excelsis. Pater eius miles, & tota vtroque parente progenies militaris. Domus abundans, & copiosa, iuxta morem patrię, facultates. Mater eius nomine Hortulana, fructiferam in horto Ecclesiæ plantulam paritura, fructibus bonis & ipsa non mediocriter abundabat. Nam quanuìs maritali iugo subdita, quanuìs curis familiaribus alligata, vacabat tamen pro posse diuinis obsequijs, insistebat operibꝰ pietatis. Vltra mare siquidem cum peregrinantibus deuota transiuit, & loca illa perlustrans, quæ Deus homo sacris vestigijs consecrauerat, tandèm cum gaudio remeauit. Itèm ad S. Michaëlem Archangelum causà orationis accessit, & Apostolorum limina deuotiùs visitauit. Quid plura? Ex fructu arbor cognoscitur, & fructus ex arbore commendatur. Præcessit in radice diuini copia muneris, vt in ramusculo sequeretur abundantia sanctitatis. Prægnans deniquè mulier, & partui iam vicina, cùm ante crucem in Ecclesia Crucifixum attentè oraret, vt eam de partûs periculo salubriter expediret, vocem audiuit dicentem sibi: Ne paueas mulier: quia quoddã lumen salua parturies, quod ipsum mundum clariùs illustrabit. Quo edocta oraculo, natam infantulam sacro baptismate renascentem, Claram vocari iussit, sperans promissi luminis claritatem pro diuinæ beneplacito voluntatis aliqualiter fore complendam.

Pietas matris S. Claræ

Oraculũ de futura S. Claræ; sanctitate.

De exercitio virtutum in eius infantia. Cap. 2.

EDita mox in lucem paruula Clara, tempestiuè satìs in vmbra seculi cœpit clarere: sancto lumine, atque intrà teneros annos morum splendere sancta probitate. Docili corde primùm ex matris ore fidei rudimenta suscepit, & spiritu interiùs conflante pariter & formante, vas reuerà purissimum, vas innotuit esse gratiarum. Extendebat sancta Clara libenter ad pauperes manum suam, & de abundantia domus suæ supplebat inopias plurimorum. Et vt suum sacrificium gratius esset Deo, proprio corpusculo delicata subtrahebat cibaria, clamq; per internuncios mittens, reficiebat viscera pupillorum. Sic ab infantia secum misericordiæ crescente, mẽtem compassiuam gerebat, miserorum miserias miserantem. Sanctæ orationis studium habebat amicũ: vbì sæpiùs odore bono respersa, paulatìm vitam cælibem actitabat. Et quia signacula non habebat, quorum euolutione diceret Orationes Dominicas, congerie lapillorũ suas oratiunculas Domino annumerabat: Vbì ergò sancti amoris stimulos primitùs sentire cœpit, mundani floris picturam instabilem iudicat contemnendã, & spiritûs vnctione prædocta, vilibus rebus precium imponere vilitatis. Sub vestibus nanque pretiosis ac mollibus, ciliciolum gerebat absconditum, mundo exteriùs florens, Christum interiùs induens. Deniquè suis eam nobiliter maritare volentibus, nullatenus acquieuit: sed dissimulata in posterum mortali coniugio, virginitatem suam Domino promittebat. Talia fuerunt in domo materna delibamenta virtutis, tales primitiæ spiritûs, talia præludia sanctitatis. Tantis itaque redundans vnguentis, velut cellam aromatũ, licèt clausam, ipsa sua fragrãtia manifestat. Ore quidem vicinorum laudari nescia cœpit, & secretos actus veridica fama prodente, rumor bonitatis eius vulgabatur in populo.

Benignitas in pauperes

Preces eius.

Virginitatis votum nuncupat Deo.

De mutuo colloquio beati Francisci & S. Claræ virginis. cap. 3.

AVdiens verò tunc celebre nomen Francisci, qui velut nouus homo, oblitera-
tam in mundo viam perfectionis nouis virtutibus renouabat, mox alloqui eum
desiderat & videre, suadente hocipsum patre spirituum, cuius iam vterque, licèt differenter, acceperat primitiua. Nec minùs ille tam gratiosæ puellæ celebri fama perflatus, videre hanc & alloqui cupit, si quo modo qui totus inhiabat ad prædã, regnumq; mundi depopulaturus aduenerat, nobilem istam prædam, seculo nequam possit eripere, suoq; Domino vẽdicare. Visitat ille istam, & sæpiùs ista illum, visitationum suarum

S. Fracisc⁹ viã perfectionis instaurat.

Clara & Frãciscus sese mutuò visitant.

rum tempora moderãtes, quibus diuinum illud ſtudium nec percipi ab homine poſſit, nec rumore publico detrectari. Nam vnica tantùm familiari ſocia comitante, paternos lares puella egrediens, clandeſtinos ad virum Dei frequentabat acceſſus, cuius ſibi verba flammantia, cuius vltra hominem opera videbantur. Hortatur eam pater Franciſcus ad mundi contemptum: ſpeciem ſeculi aridam & ſpem deceptiuam vino ſermone demõſtrat: Inſtillat auribus eius ea dulcia cõnubia Chriſti, ſuadens virginalis pudicitiæ margaritam beato illi ſponſo, quem amor humanauit, fore ſeruandam. Quid immorer multis? Inſtante patre ſanctiſſimo, & more fideliſſimi paranymphi ſolerter agente, non trahit in longum virgo conſenſum. Aperitur ei protinùs æterno-

S. Clara verbis S. Franciſci mirè inflãmatur.

rum intuitus gaudiorum, quorum conſpectu mundus ipſi vileſceret, quorum deſiderio à ſemetipſa liqueſceret, quorum amore ad ſupernas nuptias anhelaret. Cæleſti nanque igne ſuccenſa, terrenæ gloriam vanitatis ſic ex alto cõtempſit, vt nihil iam de mundi applauſu eius affectibus inhæreret. Carnis quoquè illecebras perhorreſcens, iam torum in delicto ſe neſcituram proponit, ſoli Deo de corpore ſuo templũ facere cupiens, & magni regis connubia virtute promereri contendens. Extunc Franciſci cõ-

Phil. 3.

ſilio ſe totam committit, ipſum poſt Deum ſtatuens ſuæ directionis aurigam. Pendet exindè anima eius ad ſacra illius monita, & de bono Ieſu calido excipit pectore, quic-quid promit ille ſermone. Moleſtè iam fert ſecularis ornatûs decorem, & quaſi ſtercus arbitrabatur omnia, quæ foris applaudunt, vt Chriſtum lucrifacere poſſit.

Vt conſilio beati Franciſci mundum reliquerit. Cap. 4.

PRotinùs ne ſpeculum illibatæ mentis mũdanus puluis vlteriùs inquinet, aut contagio ſecularis vitæ azymam fermentet ętatem, properat Clarã educere pius pater de ſeculo tenebroſo. Inſtabat Palmarum dies ſolennis, cùm ad virum Dei puella feruido corde ſe confert, ſciſcitans de ſua conuerſione, quid & qualiter ſit agendum. Iubet pater Franciſcus, vt in die feſto compta & ornata procedat ad palmam cum ſequentia populorum, ac nocte ſequenti exiens extra caſtra, mundanum gaudium conuertat in luctum Dominicæ paſſionis. Die itaque Dominico veniente, in turba dominarum ſplendore feſtiuo puella præradians, cum reliquis intrat Eccleſiam. Vbi illud digno præſagio contigit, vt cæteris ad ramos currentibus, dum Clara præ verecundia ſua in loco maneret immota, pontifex per gradus deſcendens, vſq; ad eam accederet,

Fugit, conſilio S. Franciſci, parentes & patriã

& palmam ſuis in manibus poneret. Nocte ſequenti ad ſancti mandatum ſe preparãs, optatam fugam cum honeſta ſocietate aggreditur. Cumque oſtio conſueto exire nõ placuit, aliud oſtium, quod lignorum & lapidum pondera obſtruebant, miranda ſibi fortitudine proprijs manibus reſerauit. Igitur domo, ciuitate & conſanguineis derelictis, ad ſanctam Mariam de Portiũcula, feſtinauit: vbi fratres, qui in aula Dei ſacras

Tondetur.

excubias obſeruabant, virginem Claram cum luminaribus receperunt. Mox ibi reiectis ſordibus Babylonis, mundo libellum repudij tradidit: ibi manu fratrum crines deponens, ornatus varios dereliquit. Nec decuit alibi florigeræ virginitatis Ordinem adueſperam temporum excitari, quàm in eius aula, quę prima omnium atque dignißima, ſola extitit mater & virgo. Hic locus ille eſt, in quo noua militia pauperum, duce Franciſco, felicia ſumebat primordia, vt liquidò videretur, vtranq; religionem mater

Induit habitum monaſticum.

miſericordiæ in ſuo diuerſorio parturire. Cùm autem coram altari beatę Mariæ ſanctæ pœnitentiæ ſuſcepiſſet inſignia, & quaſi ante torum huius Virginis, humilis ancilla Chriſto nupſiſſet, ſtatìm eam ad eccleſiam S. Pauli ſanctus Franciſcus deduxit, donèc aliud prouideret altiſſimus in eodem loco mauſoleum.

Vt à conſanguineis impugnata, conſtans permanſerit, vtque ad eccleſiam ſancti Damiani venerit. Cap. 5.

AD conſanguineos autem rumore volante dilacerato corde, factum & propoſitum virginis damnant: & conglobati in vnum, currunt ad locum, tentant quod obtinere non poſſunt. Violentiæ impetum, venena conſiliorum, blanditias adhibent promiſſionum, ſuadentes ab huiuſmodi vilitate diſcedere, quia nec generi cõgruat, nec exemplum habeat in contracta. At illa pannos appræhendens altaris, caput denudat attonſum, firmans ſe nullatenùs à Chriſti ſeruitio vlteriùs auellendam. Creſcit animus bello creſcente ſuorum, vireſque miniſtrat amor iniurijs laceſſitus. Sic ſic per-

Conſtantia eius ab amicis infectatę

plures dies cùm in via Domini obicem pateretur, & fui ſe opponerent eius propoſito ſanctitatis, non collapſus eſt animus, non feruor remiſſus: ſed inter verba & odia ad ſpem animum tandiù reformat, donec propinqui, retuſa fronte, quieſcunt. Paucis interiectis diebus, ad eccleſiam ſancti Angeli de Panſo, tranſiuit: vbi cùm non plenè mens eius quieſceret, tandem ad Eccleſiam S. Damiani, beati Franciſci conſilio, commigrauit. Ibi mentis ancoram, quaſi in certo figens, non iam pro loci mutatione vlteriùs fluctuat, non pro arctitudine dubitat, nec pro ſolitudine reformidat. Hæc eſt illa eccleſia, in cuius reparatione Franciſcus miro deſudauerat ſtudio, cuiuſq; ſacerdoti pecuniam obtulerat pro opere reparando. Hæc eſt, in qua dũ Franciſcus oraret, vox ad eum de ligno Crucis dilapſa, inſonuit: Franciſce, vade, repara domum meam, quę, vt cernis, tota deſtruitur. In huius locelli ergaſtulo, cæleſtis amore ſponſi, virgo ſe Clara concluſit. In hac ſe à mundi tempeſtate celans, corpus, quoàd viueret, carcerauit. In huius cauerna maceriæ, columba deargentata nidificans, virginum Chriſti collegium genuit, monaſterium ſanctum inſtituit, pauperum dominarum Ordinem inchoauit. Hîc in via pœnitentiæ glebas membrorum texit: hîc ſemina perfectæ iuſtitię ſeminat, hîc inceſſu proprio ſignat veſtigia ſecuturis. In hoc arcto recluſorio per quadraginta duos annos diſciplinæ flagellis frangit ſui corporis alabaſtrum, vt domus Eccleſiæ repleatur fragrantia vnguentorum. Vbi quàm gloriosè conuerſata ſit, tunc demùm apertè narrabitur, ſi quot & quantæ animæ per eam ad Chriſtum venerint, primò narretur.

Apud S Damianum ſe includit.

Colligit multas virgines.

De fama virtutum eius circunquaquè diffuſa. Cap. 6.

SPargitur enim paulò pòſt opinio ſanctitatis virginis Clarę per proximas regiones vt in odorem vnguentorum eius vndiquè mulieres currant. Feſtinant virgines eius exemplo Chriſto ſeruare, quod ſunt: maritatæ caſtiùs agere ſatagunt: nobiles & illuſtres, amplis contemptis palatijs, arcta ſibi monaſteria conſtruunt, atq; pro Chriſto in cinere & cilicio viuere, magnã gloriam ducunt. Concitatur nihilo minùs ad incoinquinata certamina iuuenum impetus, & ad carnis aſpernanda ludibria per infirmioris ſexûs exempla prouocatur. Plures denique matrimonio iuncti, mutuo conſenſu continentium ſe lege vincientes, viri ad Ordines, vxores ad monaſteria tranſeũt. Mater filiam, filia matrem inuitat ad Chriſtum: ſoror ſorores allicit, & amita neptes. Omnes æmulo feruore Chriſto ſeruire deſiderant. Omnes vitæ angelicæ, quæ per Claram inclaruit, fieri participes optant. Innumeræ virgines, Claræ rumoribus excitatæ, dum ad clauſtralem vitam tranſire non prævalent, in patrijs domibus ſine regula regulariter viuere ſtudent. Tanta hîc ſalutis germina virgo Clara ſuis parturiebat exemplis, vt in ea videretur impleri propheticum illud: Multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum.

Eccè quàm ingens fœtus ab vnius exẽplo proficiſcitur.

Eſa. 54.

Vt rumor ſanctitatis eius etiam in longinquas abierit regiones. Cap. 7.

INterea ne cæleſtis huius benedictionis vena, quæ in valle Spoletana ſcaturijt, breues intra terminos concludatur, ſic diuina prouidentia deriuatur in amnem, vt fluminis impetus totam Eccleſiæ lætificet ciuitatem. Nam tantarum nouitas rerum longè lateq; tranſiuit in orbem, & vbiq; animas cœpit lucrifacere Chriſto.

Pſalm. 45.

Clauſa manèns Clara, toto clareſcere mundo
Incipit, & laudum titulis præclara refulget.

Replet fama virtutum eius cameras dominarum illuſtrium, attingit duciſſarum palatia, ipſarum quoquè penetrat penetralia Reginarum. Flectitur nobilitatis apex ad eius ſectanda veſtigia, & à ſuperbi ſanguinis linea generata, ſancta humilitate degenerat. Nõnullę Ducum ac Regum matrimonio dignæ, Claræ inuitante præconio, arctã pœnitentiam faciunt, & quæ potentibus nupſerant, Claram ſuo modulo imitantur. Ornantur monaſterijs innumeræ ciuitates: ipſa quoquè campeſtria & montana, huius cæleſtis ædificij fabrica decorantur. Multiplicatur caſtitatis cultus in ſeculo, Clara ſanctiſſima præcedente, & rediuiuus ordo virgineus in medium reuocatus eſt. His beatis floribꝰ, quos Clara parturijt, feliciter hodiè vernat Eccleſia, quibꝰ & ipſa fulciri poſtulat, dicens: Fulcite me floribus, ſtipate me mális, quia amore langueo. Sed iam ad propoſitum ſtylus redeat, vt, eius conuerſatio qualis fuerit, innoteſcat.

Multa cõtinuãtur de S. Claræ monaſteria.

Cant. 1.

De eius ſancta humilitate. Cap. 8.

HAEC ſui Ordinis lapis primarius ac nobile fundamentum, in fundamento ſanctæ humilitatis, virtutum omnium fabricã ab ipſo principio ſtuduit collocare.

Omittit obedientiã S. Francisco

Beato nanq; Francisco obedientiam sanctam promisit, & à promisso nullatenùs deuiauit. Triennio verò post suam conuersionem, nomen & officium Abbatissæ declinans, humiliter subesse voluit potiùs, quàm præesse, & inter Christi ancillas seruire libentiùs, quàm seruiri. Cogente autem B. Francisco, suscepit tandèm regimen dominarum: de quo in corde suo timor, non tumor, exoritur: nec libertas, sed seruitus augmentatur. Quo enim iam aliqualis prælationis specie altior cernitur, eo reputatione propria vilior, obsequio promptior, cultu despectior reperitur. Nullos iam famularum respuit actus, adeò vt plerunquè sororum manibus aquam infunderet, sedentibus assisteret, comedentibus ministraret. Inuita valdè aliquid præcepit: spontanea verò facit, magis eligens per seipsam facere, quàm sororibus imperare. Infirmarum sedilia ipsa lauabat, ipsa tergebat, suo illo nobili spiritu nec sordida fugiens, nec fœtida perhorrescens. Pedes famularum deforis reuertentium sæpiùs abluit, & ablutis oscula imprimit. Lauabat semèl cuiusdam seruientis sororis pedes: quos dum deosculari properat, illa tantam humilitatem non ferens, pedem subtrahit, dominamq; suam pede in ore percussit. At illa pedem famulę blandè resumit, & sub ipsa plãta strictum oculum figit.

Cogitur esse Abbatissa

Magna humilitas.

De eius sancta & vera paupertate. Cap. 9.

PAupertati spiritûs, quæ vera humilitas est, & paupertas rerum omnium conueniebat. Primùm in suæ conuersionis initio paternam hæreditatem, quæ ad eam peruenerat, distrahi fecit, sibiq́ue de precio nihil reseruans, totum pauperibus erogauit. Hinc seculo, foris relicto, mente intùs ditata, post Christum sine sacculo exonerata percurrit. Tantum denique cum sancta paupertate fœdus inijt, amoremq; contraxit, vt nihil præter Dominum Iesum vellet habere, nihil filias suas possidere permitteret, nil prę̃ter necessariũ victum & vestitũ à sororibus recipi, vel in posterũ reseruari. Nequaq̃ cælestis desiderij precios̃issimam margaritam, quam venditis omnibus comparârat, arbitrabatur cum temporali mordaci solicitudine possidendam. Inculeat suis frequenti sermone sororibus, tunc acceptabile illud Deo fore collegiũ, cùm paupertate fuerit opulentum: & tunc perpetuò stabile permansurum, si altissimæ paupertatis fuerit semper turre munitum. Hortatur eas in paupertatis nidulo Christo pauperi conformari, quem paupercula mater in arcto prę̃sepio paruulum reclinauit. Hoc enim peculiari recordatorio quasi monili aureo suũ subornabat pectus, nè terrenorum puluis ad interiora transiret. Volens deniquè religionem suam intitulari titulo paupertatis, à bonæ memoriæ Innocentio tertio, paupertatis priuilegium postulauit. Qui vir magnificus, tanto virginis feruori congratulans, singulare dicit esse propositum, quòd nũquàm tale priuilegium à sede Apostolica fuerit postulatum. Et vt insolitæ petitioni fauor insolitus arrideret, Pontifex ipse cum hilaritate magna petiti priuilegij primam notulam sua manu conscripsit. Felicis recordationis dominus Papa Gregorius, vir sicut sede dignissimus, ità & meritis venerandus, paterno affectu sanctam istam arctiùs diligebat. Cui cùm suaderet, vt propter euentus temporum & pericula seculorum aliquas possessiones assentiret habere, quas & ipse liberaliter offerebat, fortissimo animo restitit, & nullatenùs acquieuit. Ad quam respondente Pontifice, Si votum formidas, nos te à voto absoluimus: Sancte pater, ait, nequaquàm à Christi sequela in perpetuum absolui desidero. Eleemosynarum fragmina panumq; minutias, quas eleemosynarij deportabant, valdè suscipiebat hilariter, & quasi mæsta de panibus integris, exultabat potiùs in fragmentis. Quid multa? Satagebat pauperi Crucifixo paupertate perfectissima conformari, vt nulla res peritura amantem ab amato secluderet, aut cursum eius cum Domino impediret. Occurrunt eccè duo miranda, quæ paupertatis amatrix meruit operari.

Potã hæreditatem suã dat pauperibus.

Matth. 13.

Luc. 2.

Priuilegiũ paupertatis petit à Papa

Is fuit Gregorius IX.

Nota lector

De multiplicatis panibus. Cap. 10.

VNicus erat in monasterio panis, cùm iam instarent & fames & hora edendi. Dispensatrice vocata, iubet sancta panem diuidere, partemq; fratribus mittere, partem intùs pro sororibus retinere. De quo retento dimidio iubet quinquaginta fieri, iuxta dominarum numerum, incisuras, & eis in mẽsa paupertatis apponere. Cui cùm deuota filia respon-

deret, necessaria hîc fore antiqua Christi miracula, vt modicũ panis quinquaginta reciperet sectiones, respondit mater & dixit: Fac filia secura, quod dico. Properat filia matris implere mandata: properat mater ad Christum suum pia cum filiabus destinare suspiria. Crescit diuino munere inter frangentis manus parua illa materia, & cuilibet de conuentu suo extitit portio copiosa.

Panis exiguus diuinitùs augetur.

De oleo diuinitùs ei ministrato. Cap. 11.

DE quodam Christi ancillis sic ex toto defecerat oleum, vt nullum adesset saltẽ pro debilibus condimentum. Accepit domina Clara vasculum vnum, & humilitatis magistra suis manibus lauat, ponit vas vacuum feorsùm, vndè frater eleemosynarius illud accipiat, & vocatus est ipse frater, vt pro acquirendo oleo vadat. Accelerat deuotus frater, vt succurrat inopiæ tantæ, & ad sumendum vasculum currit. Non enim volentis est, neq; currentis, sed miserentis est Dei. Etenim solo influente Deo, vas illud plenum oleo reperitur, præueniente S. Clarę oratione, fratris obsequium in solamen pauperum filiarum. At verò frater prædictus, quasi frustrà vocatus fuisset, submurmurans, dixit: Deriserè me istæ fœminæ vocauerunt, cùm eccè vas plenum existat.

Rom. 9.

Vas vacuũ mirabiliter oleo impletur.

De mortificatione carnis, & austeritate vitæ eius. Cap. 12.

DE miranda carnis maceratione silere magis, quàm loqui, forsitan expediret, cùm talia fecerit, in quibus audientium stupor cum veritate rerũ contendit. Non illud magnum, quòd simpla tunicula & vili mantello de rudi panno, tegebat potiùs, q̃ fouebat corpusculum. Non magnum erat, omni tempore continuare ieiunia, nec vti lectulo sine pluma. In his enim dũ reliquas in suo clausтro habuit similes, laudes fortasse non meruit singulares. Sed quæ conuentio carnis virgineæ ad vestem porcinam? Procurauerat enim sibi virgo sanctissima vestem de corio porci, quam, versa ad carnem hispida tonsura pilorum, secretò sub tunica deferebat. Vtebatur nonnunquàm durò cilicio, de pilis equorum nodosè conserto, quod hincindè chordulis rudibus stringebat ad corpus. Hanc vestem vni de filiabus dum petenti accommodâsset, illaq; se vestitisset, tantę protinùs asperitati succumbens, non tam hilariter petijt, quàm celeriter post triduum resignauit. Nuda humus, & interdùm sarmenta vinearũ erant pro lectulo, lignumq; durum prę̃stabat sub capite officium puluinaris. Processu verò temporis corium debilitato corpori strauit, & capiti modicam paleam clementer indulsit. Postquàm autem corpus tam seuerè tractatum longa cœpit occupare infirmitas, iubente beato Francisco, sacco pleno paleis vsa est. Porrò in ieiunijs tantus erat rigor abstinentiæ suæ, vt de viatico tenui, quod sumebat, vix corporaliter viueret, nisi eam virtus alia sustentaret. Sanitatis nanq; tempore maiorem Quadragesimã & Quadragesimam S. Martini, quotidiè in pane & aqua ieiunans, solis diebus Dominicis vinum, si habebat, gustabat. Et vt mireris, auditor, quod imitari non potes, tribus diebus in hebdomada, secunda videlicet, quarta & sexta feria, nihil in illis Quadragesimis sumebat in cibum. Sic alternatim dies penuriosæ refectionis, & dies acerbæ mortificationis sibi inuicèm succedebant, vt vigilia perfectę inedię, quasi in festum soluerentur panis & aquæ. Non mirum, si tanta rigiditas multo tempore obseruata, Clara infirmitatibus subdidit, si vires consumpsit, si vigorem corporis eneruauit. Cõpatiebantur propterea sanctæ matri deuotissimæ filiæ, ac mortes illas, quas quotidiè voluntariè sustinebat, lachrymis deplorabant, prohibuêre tandem beatus Franciscus & Episcopus Assisij, S. Claræ illud trium dierum exitiale ieiunium, præcipientes, vt nullum trãseat diem, quin saltem vnciam & dimidiam panis sumat in pastũ. Cumq; grauis afflictio corporum, afflictionem ex more generet animorum, longè aliter effulgebat in Clara. Seruabat enim in omni sua mortificatione vultus festiuos & hilares, vt vel non sentiret, vel deridere videretur angustias corporales. Ex quo liquidò datur intelligi, quòd sancta lætitia, quę interiùs abundabat, exteriùs redundabat: quoniam flagella corporis, leuigat amor cordis.

Porcino corio carnem affligit. Item cilicio

Durìter cubat.

Mira eius abstinẽtia.

Quem nos Aduentum dominicũ, illę̃ S. Martini Quadragesimã vocant, quę cum illis in festo Martini incho-atur.

Amãti Deũ omnia leuia vidẽtur corporalia flagella.

De exercitio sanctæ orationis. cap. 13.

QVæ verò sic in carne præmortua, sic erat à mundo penitùs aliena, continuè sacris orationibus & diuinis laudibus animum occupabat. Feruentissimam interni desiderij aciem fixerat iam in lucem, & quæ globum transcenderat terrenorum volu-minum, sinum mentis latiùs expandebat imbribus gratiarum. Longis post Completorium tractibus cum sororibus orat, & lachrymarum profluuia, dum in ipsa crumpunt, in cæteris excitantur. Postquàm verò cæteræ sessa membra duris adibant refouere cubilibus, in oratione peruigil & inuicta manebat: vt tunc venas diuini susurrij

Orationes eius p. profluuio lachrymarum mixtæ.

Iob. 4.

Iob 4. furtiuè susciperet, quandò sopor cæteras occupâsset. Sępiſsimè ad orationem prostrata in faciem, terram infundit lachrymis, osculisq; demulcet: vt semper suum Iesum tenere videatur in manibus, in cuius pedes lachrymæ illæ fluant, & oscula imprimantur. Lachrymanti semèl profunda nocte adstitit angelus tenebrarum in forma nigri pueruli, & ipsam monuit, dicens: Nè tantum plores, quoniam cæca fies. Cui cùm illicò respondéret: Cæcus non erit, qui Deum videbit: confusus ille discessit. Eádem nocte post matutinum orante Clara, & irriguo solito balneata, monitor fraudulentus accessit: Nè tantum, inquit, fleueris, nè tandiù resolutum cerebrum per nares emunxeris: quoniam adhuc tortum nasum habebis. Qua celeriter respondente: Torturã nullam patitur: qui Domino famulatur, statìm elapsus euanuit. Quantam suî* mutationem in fornace feruentis orationis accipiat, quantum sibi in illa fruitioné bonitas diuina indulcescat, solita indicia probant. Cùm enim ab oratione sancta cum iucunditate redibat, calida verba, & quæ fororum pectora succendebant, de igne altaris Domini reportabat. Mirabantur enim quandã dulcedinem ex eius ore procedere, & clariorem solito faciẽ apparére. Parauerat certè in dulcedine sua pauperi Deus, & mentem, quam in oratione lux vera repleuerat, exteriùs corporaliter exemplabat. Sicin mundo labili sponso suo nobili non labiliter iuncta, continuè deliciatur in superis: sic in rota versatili virtute stabili fulta, & in vase fictili thesaurũ gloriæ claudens, carne in imis, mente permanet in excelsis. Mos erat ei ad matutinum præuenire inuenculas, quas per signa silenter excitans, prouocabat ad laudes. Sæpè, cæteris dormientibus, lampades accendebat: sæpè campanam propriis manibus ipsa pulsabat. Nullus erat torpori, nullus in suo claustro desidiæ locus: vbì orandi & Domino seruiendi pigritiam aspera inuectio stimulabat.

Fallacia dæmonis.

Cõfundit S. Clara dæmonem.

*munitionem.

Psal. 67.

Animo vertatur in cælis.

De admiranda precum eius vi: & primò de Saracenis mirabiliter fugatis. Cap. 14.

LIbet hìc orationum eius recitare magnalia, sicut veritate fidelissima, sic & veneratione prædigna. Illa tempestate, quam sub Imperatore Friderico in diuersis mundi partibus sustinebat Ecclesia, Vallis Spoletana de calice iræ frequentiùs imbibebat. Erant in ea pro depopulatione castrorũ, pro ciuitatum expugnatione, Imperiali iussu constitutæ acies militum, & Saracenorum sagittariorũ examina velut apum. Cumq; in Assisium peculiarem Domini ciuitatem hostilis semèl furor irrueret, & iam ipsis portis exercitus appropinquaret, Saraceni gens pessima, qui sanguinem sitiunt Christianum, & omne nefas impudentiùs audent, apud sanctũ Damianum intrà loci terminos, immò intrà claustrum virginum, confluxerunt. Liquescunt dominarum corda timoribus, tremunt formidine verba, & ad matrem referunt fletus suos. Quæ im. pauida corde, se infirmam ad ostium duci iubet, & ante hostes poni, præcedente eam capsa argentea, intrà ebur inclusa, in qua Sancta sanctorum deuotissimè seruabantur, sacratissimum scilicet corpus Christi. Cumque se totam in oratione coram Domino prostrauisset, Christo suo cum lachrymis ait: Placet, mi Domine, inermes ancillas tuas, quas tuis amoribus innutriui, manibus eccè tradere paganorum? Custodi Domine, precor, has famulas tuas, quas ipsa in præsenti articulo custodire nõ possum. Mox de nouæ gratiæ propitiatorio vox quasi pueruli ad eius aures insonuit: Ego vos semper custodiam. Mi Domine, ait, & hanc, si placet, protege ciuitatem, quia nos pro tuo amore sustentat. Et Dominus ad eam: Grauamina sustinebit, sed meo munere defendetur. Tunc virgo lachrymosam erigens faciem, flentes confortat, dicens: Fideiubeo vobis filiolæ, quòd nihil patiemini mali, tantùm in Christo confidite. Nec mora: statìm canum illorum repressa pauescit audacia, & per muros, quos ascenderant, celeriter exeuntes, orantis virtute deturbati sunt. Confestìm Clara illis, quæ vocem prædictam audierant, studiosè interminatur, dicens: Cauete per omnem modum, charissimæ filiæ, nè vocem illam, dum corpus ago, cuiquam referatis.

Fridericus Imperator Ecclesiam vexat.

Orat pro cõseruatione ciuitatis & fororum.

Præsẽs Christus in asseruata Eucharistia.

Saraceni diuinitùs terrentur.

De Assisio liberato. Cap. 15.

ALio quoquè tempore Vitalis de Auersa, vir gloriæ cupidus, & in prælijs animosus, Imperialem exercitũ, cui capitaneus præerat, admouit contra Assisium. Terram itaque nudauit arboribus, adiacentia cuncta vastauit, & sic in ciuitatis obsidione resedit. Firmat verbis minacibus se indè nullatenùs recessurum, donèc ipsam habuerit ciuitatem. Iamque ad id deuentum erat, vt de ciuitatis periculo in proximo timeretur. Quod

Rursus obsidetur Assisium.

retur. Quod cùm audisset Clara famula Christi, vehementer ingemuit, & sororibus ad se vocatis, ait: Ab ista ciuitate, charissimæ filiæ, multa quotidiè bona suscipimus: impium valdè est, si non in tempore opportuno ei, prout possumus, succurramus. Iubet afferri cineres, iubet capita nudare sorores. Ac primùm suum exopertũ caput cinere multo consperſit: deindè super illarum capita cinerem ponit. Pergite, inquit, ad Dominum vestrum, & liberationem ciuitatis totis affectibus postulate. Quid singula narrem? Quid virginum lachrymas, quid preces repetam violentas? Facit misericors Deus sequenti nocte cum tentatione prouentum, vt totodissoluto exercitu, & superbushomo contra vota discederet, ac terram illam vlteriùs non vexaret. Nam & ipse dux belli paulopòst interemptus est.

Ciuitatẽ suis & suarũ precibus liberat S. Clara.

De conuersione Agnetis sororis eius. Cap. 16.

VErùm nec illa suæ orationis virtus mirifica debet silentio sepeliri, qua in ipso cõuersionis initio vnam animam ad Deum conuertit, conuersam defendit. Habebat nanque sororem, quo teneram, carne ac puritate germanam: cuius conuersionem desiderans, inter precum primitias, quas Deo plenis affectibus offerebat, hoc postulabat obnixiùs, vt sicut cum sorore habuerat in seculo cohærentiã animorum, ità iam in Dei seruitio fieret inter eas vnitas voluntatum. Orat igitur instanter patrem misericordiæ, vt relictæ in domo sorori Agneti mundus desipiat, dulcescat DEVS, camque sicà proposito carnalium nuptiarũ ad sui amoris copulam transferat, quatenùs vnà secùm in virginitate perpetua sponso gloriæ nubat. Mirandus enim vtrique inderat mutuus amor, qui nouam diuulsionem, licèt affectu dissimili, vtriq; fecerat dolorosam. Fauet celeriter diuina maiestas egregiæ oratrici: primùm illud donũ, quod præcipuè postulat, quodque magìs Deum exhibere delectaret, festinantiùs elargitur. Nam post sedecim dies à conuersione Claræ, Agnes diuino afflata spiritu, properat ad sororem Claram, eiq; suæ voluntatis reserat arcanum, dicens se velle penitùs Domino deseruire. Quam illa gaudenter amplectens: Gratias, inquit, ago Deo dulcissima soror, quòd me de te solicitam exaudiuit. Miram conuersionem satis est miranda defensio subsecuta. Cùm enim felices sorores apud ecclesiã sancti Angeli de Panso, Christi vestigijs inhærerent, atque illa, quæ plus de Domino sentiebat, suam eruditet nouitiam & germanam, repentè contra puellas noua consanguineorũ prælia suscitantur. Audientes enim Agnetem ad Claram transìsse, currunt ad locum sequenti die duodecim viri furore succensi, & concèptam malitiam dissimulantes exteriùs, pacificum præterendunt ingressum. Moxq; ad Agnetem cõuersi, (Nam de Clara iam anteà desperauerant) Quid tu, inquiunt, ad locum istum venisti? Festina quantocyùs domum redire nobiscùm. Qua respondente, nollè se à sorore sua Clara discedere, irruit in eam miles vnus animo efferato, & pugnis calcibusq; non parcens, eam per capillos abstrahere conabatur, cæteris impellentibus, & suis brachijs leuantibus eam. At iuuencula dum quasi à leonibus capta, de manu Domini raperetur, exclamat, dicens: Adiuua me soror charissima, nec me Christo Domino tolli permittas. Cũ ergò violenti prędones adolescentulam renitentem per deuexum montis abstraherent, vestes abrumperent, vias crinium laceratione complerent, Clara cum lachrymis in orationem procumbens, petit sorori mentis constantiam tribui, petit vires hominũ diuina potentia superari. Confestìm verò tanto pondere corpus illius in terra iacentis figi videtur, vt illam plures homines, suis conatibus annitentes, nequaquàm valeant vltra quendam riuulum absportare. Accurrentes etiam aliqui de agris & vineis, auxilium illis præstare contendunt, sed corpus illud de terra leuare nullatenùs possunt. Dumq; in suo conatu deficiunt, verbo lusorio miraculum extollunt, dicentes: Tota nocte plumbum comédit: ideò si ponderat, non est mirum. Nam & dominus Monaldus patruus eius, cùm in tanta rabie constitutus, vellet eam lethaliter pugno percutere, manum, quam leuauit, subitò dirus dolor inuasit, eamq; vsq; ad plura tempora doloris angustia cruciauit. Eccè autem post longum agonem Clara pergens ad locum, rogat propinquos, à tali conflictu discedere, & Agnetem seminecem iacentem, suæ solicitudini cõmendare. Quibus infecto negocio cum amaro animo recedentibus, Agnes iucunda surrexit, & iam cruce Christi gaudens, pro quo hac prima pugna certauerat, se diuinis seruitijs perpetuò mancipauit. Siquidẽ & beatus Franciscus manu sua ipsam totondit, & vnà cum sorore in via Domini erudiuit. Verùm quia magnificã eius vitæ perfectionem sermo breuis explicare non posset, intendatur ad Claram.

Agnes soror eius se totam Deo consecrat.

Orat pro cõuersione sororis suæ.

Grauis tentatio Agnetis à cognatis.

Insigne miraculum.

Tondetur à S. Fráciſco Agnes virgo.

Vt precibus ſuis dæmones incenderit, & quantum illis tribuerit Gregorius Papa. Cap. 17.

Mulier à 5. demonib⁹ liberata.

MIrum non eſt, ſi contra malitiam hominum Claræ oratio valeat, quæ etiam dæmones incendebat. Mulier enim quædam Piſanæ diœceſis, deuota ſemèl venit ad locum, vt Deo & ſanctæ Claræ gratias ageret, pro eo quòd meritis eius à quinq; dæmonijs liberata fuiſſet. Fatebantur autem in ſuí expulſione dæmonia, quòd ipſa orationes S. Clarę incenderent, & ex poſſeſſo vaſculo deturbarent. Non ſine cauſa dominus Papa Gregorius in huius ſanctæ orationibus fidem habebat mirabilem, quarum virtutem ſenſerat efficacem. Sæpè quidem noua, vt aſſolet, emergente difficultate, & cùm eſſet Oſtienſis Epiſcopus, & poſtquàm ad culmen Apoſtolicũ eſſet euectus, ſup.

Pontifex eius preces magni pendit.

plex eidem virgini per epiſtolam factus, poſcit ſuffragium, ſentit auxilium. Res certè ſicut humilitate conſpicua, ſic toto ſtudio imitanda: quandò Chriſti Vicarius à Chriſti ancilla opem efflagitat, & ſuis ſe virtutibus recommendat. Sciebat ſanè, quid poteſt amor, & quàm liber aditus puris virginibus pateat ad cõſiſtorium maieſtatis. Si enim Rex cælorum ſeipſum feruenter amantibus tribuit, quid eſt, quod deuotè orantibus, ſi expedit, non conceditur?

De eius eximia deuotione erga Euchariſtiam ſacroſanctam. Cap. 18.

QVantus beatæ Claræ ad altaris Sacramentum fuerit deuotionis affectus, effectus oſtendit. In illa graui infirmitate, quæ eam grabato adſcripſerat, faciebat ſe erigi, & fulcimentis appoſitis ſuſtentari: & ſedens, filabat delicatiſſimos pannos: de quibus vltra quinquaginta paria Corporalium faciens, & ea ſericis vel purpureis thecis includens, per plana & montana Aſſiſij varijs eccleſijs deſtinabat. Corpus verò Domini ſuſ-

Reuerentia eius erga Euchariſtiã

ceptura, calidis primò lachrymis irrigabatur: & accedens cum tremore, non minùs formidat in Sacramento latentem, quàm cælum terramq; regentem.

Vt audierit officium fratrum in eccleſia beati Franciſci. Cap. 19.

SIcut enim in infirmitate, Chriſti ſui memoria memor erat, ſic & Chriſtus eam in ſuis languoribus viſitabat. In illa natiuitatis hora, quandò paruulo nato mundus cum Angelis iubilat, omnes dominæ ad matutinum in oratorium pergunt, & matrẽ

Lecto decũbens audit virtute diuina fratres decantare laudes in S. Frãciſci monaſterio.

infirmitatibus preſſam, ſolam relinquunt. Cumq; de paruulo Ieſu cogitare cœpiſſet, & multùm doleret, quòd eius laudibus intereſſe nõ poſſet, ſuſpirans ait: Domine Deus, eccè ſola relicta ſum tibi in loco iſto. Et eccè repentè mirabilis ille concentus, qui in Eccleſia S. Franciſci fiebat, ſuis cœpit auribus intonare. Audiebat iubilum fratrum pſallentium, harmonias cantantium attendebat, ipſum percipiebat ſonitum organorum. Nullatenùs tanta erat loci propinquitas, vt hæc attingere poſſet humanitùs, niſi vel illa ſolennitas ad eam fuiſſet ampliata diuinitùs, vel eius ſupra humanum modũ

Videt prę ſe pe Domini in ſpiritu.

vigoratus auditus. Verùm quod totum hoc excellit oraculum, ipſum digna fuit Domini præſepe videre. Manèad eam venientibus filiabus, dixit Clara: Benedictus Dominus Ieſus Chriſtus, qui me, vobis relinquentibus, non reliquit. Audiui reuerà per gratiam Chriſti tota illa ſolennia, quæ in eccleſia ſancti Franciſci hac nocte celebrata ſunt.

De eius feruentiſſimo erga Chriſti paſſionem amore. Cap. 20.

FAmiliaris ei planctus Dominicæ paſſionis, quæ ex ſacris vulneribus nunc myrrhatas affectiones exhaurit, nunc dulciora gaudia ſugit. Hanc lachryma Chriſti paſſi vehementer inebriat, & quem cordi ſuo profundiùs amor impreſſerat, frequẽter me-

Verbis & exẽplis docet, Crucifixi paſsionẽ cõmemorare.

moria repræſentat. Docet nouitias Chriſtum plangere Crucifixũ, & ſimul quod verbis docet, factis exemplat. Nam ſæpè cùm in ſecreto ad talia hortaretur, præueniebat verborum exitum, irriguum lachrymarum. Inter horas diei, Sexta & Nona maiori compunctione afficitur, vt cum immolato Domino immoletur. Nam & ſemèl hora Nona orãtem in cellula diabolus in maxilla percutiens, oculum ſanguine, genam liuore ſuffundit. Vt autem Crucifixi delicijs abſq; intermiſſione paſceret mentem, ora-

Chordula nodoſa cingit nudum corpus.

tionem de quinque plagis Domini frequentiùs ruminabat. Officium Crucis, prout Crucis amator Franciſcus inſtituerat, didicit, & affectu conſimili frequentauit. Chordulam tredecim nodorum ſcopulis annulatam, ſubtùs ad carnem cingebat ſecretò, in memoriale vulnerum Saluatoris. Aduenerat quodam tempore dies ſacratiſſimæ Cœnæ, qua Dominus in finem dilexerat ſuos. Serò appropinquante Domini agonía Clara

Clara contriſtata & mœſta, in cellæ ſecretario ſe recluſit. Cumque orantem Dominum orans proſequeretur, & triſtis vſque ad mortem anima triſtitiæ illius hauſiſſet affectum, iam comprehenſionis & totius illuſionis memoria debriata, lecto reſedit.

Raptus eiꝰ diuturnus.

Tota igitur nocte illa & die ſequenti ſic abſorpta, ſic à ſeipſa permanet aliena, vt irreuerberatis circa vnum ſemper intenta luminibus, confixa Chriſto, ac prorsùs inſenſibilis videretur. Redit quædam familiaris filia ſæpè ad ipſam, ſi fortè aliquid velit, & ſemper eodem modo ſe habere reperit. Nocte verò dici ſabbati veniente, deuota filia candelam accendit, præceptum ſancti Franciſci ad matris memoriam ſigno, non verbo, reducit. Præceperat enim ſanctus Franciſcus, nè vllum ſine comeſtione tranſiret diem. Illa igitur aſſiſtente, Clara quaſi aliundè rediens, hoc protulit verbum: Quæ cand

delæ neceſſitas? Nunquìd non dies eſt? Mater, ait illa, nox abijt, & dies tranſiuit, noxq; altera redijt. Cui Clara: Benedictus ſit iſte ſomnus, chariſſima filia: quoniam diù optatus, tandèm donatus eſt mihi. Sed caue, nè ſomnum iſtum cuiquam referas, dum vixero ipſa in carne.

Vt complura miracula ſigno Crucis effecerit. Cap. 21.

AManti, vicem Crucifixus amatus rependit: & quæ circa Crucis myſterium tanto amore ſuccenditur, Crucis potentia in ſignis & miraculis illuſtratur. Signum enim viuificæ Crucis dum morbidis applicat, morbos ab eis mirabiliter fugat. Tangã ex multis aliqua. Fratrem quendam, nomine Stephanum, furiæ morbo laborantem, B. Franciſcus ad dominam Claram tranſmiſit, vt ſuper eum faceret ſignum ſanctiſſimæ Crucis. Magnam enim ſciebat eius perfectionem, & magnam in ipſa venerabatur virtutem. Conſignat cum obedientiæ filia patris iuſſu, & in loco, vbi ipſa orare ſolita erat, parumpèr dormire ſinit. At ille poſt modicum ſomnum ſolutus, ſanus exurgit, & ad patrem liber ab inſania redit.

Diſce ex his efficaciã S. Crucis.

Furioſus eiꝰ ratur.

Puer quidam annorum trium, nomine Matthiolus, de ciuitate Spoleti, lapillum quendam incautè ſuis intruſerat naribus. Nemo illum ex eius naſo valebat educere, nec ipſe puer proijcere. Periclitatus anguſtia magna, ducitur ad dominam Claram: & & dum ſigno Crucis ab ea eſſet ſignatus, ſtatìm proiecto lapide liber efficitur.

Puer lapillꝰ anguſtia liberatur.

Alius puer de Peruſio, totum habens oculum macula coopertum, ad ſanctam Dei famulam adductus eſt. Quæ tacto pueri oculo ſignum Crucis impreſſit, & dixit: Duci te eum ad matrem meam, vt ipſa ſuper eum ſignum Crucis ingeminet. Mater, inquã, eius domina Hortulana, ſuam ſecuta plantulam, poſt filiã ad religionem tranſiërat, & in horto concluſo cum virginibus vidua Domino ſeruiebat. Signo autem Crucis ab ipſa recepto, ilicò pueri oculus à macula expurgatus, clarè & lympidè vidit. Aſſerit ergò Clara, puerum ipſum ſuæ matris merito liberatum: declinat pondus laudũ mater in filiam, ſe tantæ rei fatetur indignam.

Itẽ alius ab oculorũ obnebratione.

Mater eius, ſanctimonialis effecta.

Vna de ſororibus, nomine Beneuentuta, plagam ſiſtulæ ſub brachio duodecim ferè annis perpeſſa fuerat, quæ per quinque foramina ſaniem emittebat. Cui compaſſa virgo Dei Clara, peculiare illud ſuum ſigni ſalutiferi admouit emplaſtrum. Statimq; ad Crucis deſignationem, perfectam recepit annoſi vlceris ſanitatem.

Item Soror quædam à ſiſtula.

Alia de numero ſororum, Amata vocabulo, tredecim menſibus aggrauata hydropiſi, febre inſuperè & tuſſi & lateris dolore confecta, iacebat. Super quam domina Clara pietate permota, ad ſuæ nobilis phyſicæ recurrit experimentum. Signat eam Cruce, in nomine Chriſti ſui, & ſtatìm reſtituit plenariæ ſanitati.

Signo Crucis pellit hydropiſin, febrim &c.

Alia Chriſti ancilla de Peruſio nata, vocẽ per duos annos ita perdiderat, quòd vix exteriùs poterat formare ſermonem. Cumq; in nocte Aſſumptionis Dominæ noſtræ ſibi fuiſſet in viſione monſtratum, quòd domina Clara liberaret eam, diem cum deſiderio expectabat. Qua illuceſcente, ad matrem feſtinat, ſignum Crucis expoſtulat, vocem mox ſignata recuperat.

Eçdẽ ſororì reſtituit vocem.

Soror quædam nomine Chriſtiana, magno tempore in vna aure ſurditatem perpeſſa, multas contra malum illud, fruſtrà tamen, fecerat medicinas. Cuius caput domina Clara clementer ſignat, aurem contrectat, auditúsq; virtutem ilicò reparat.

Alteri auditum.

Magna erat in monaſterio ſororum multitudo languentium, diuerſis doloribus afflictarum. Ingreditur Clara locum ex more cum ſua medicina ſolita, & ſigno Crucis quinquiès facto, quinque ſtatim releuat à languore. Ex his profectò patet, in pectore virginis plantatam eſſe arborem Crucis, cuius dum fructus reficit animam, præbet exteriùs folia medicinam.

Quinq; languentes curauit.

De quotidiana fororum institutione. Cap. 22.

Optimè instituit sanctimoniales.

SAnè quia erat magistra rudium, & quasi in magni Regis palatio præposita puellarum, tanta eas disciplina informabat, tantoque fouebat pietatis amore, quòd ser. mo nullus explebit. Docet primò strepitum omnem de mentis hospitio pellere, vt sollius Dei penetralibus valeant inhærere. Docet iam carnalium propinquorum amore non affici, domumq; patriam, vt Christo placeant, obliuiſci. Hortatur exactiones cõ. temnere fragilis corporis, carnisq; nugas imperio restringere rationis. Monstrat insidiosum hostem occultos puris mentibus inijcere laqueos: aliter sanctos, aliter tentare mundanos. Monet ad actiuam, certis horis eas hortans ità operari manibus suis, vt protinùs ad conditoris desiderium per orationis exercitium recalescant, et torporem negligentiæ deserentes, igne sancti amoris frigus indeuotionis deponant. Nusquàm maior censura silentij, nusquàm amplior & color & tenor omnis honesti. Nõ ibi fluida loquela fluidum loquitur animum, nec verbi leuitas leuem prodit affectum. Ipsa nanque magistra parca in verbis, abundè mentis vota sermonis breuitate coarctat.

De desiderio audiendi verbum Dei. Cap. 23.

PRouidet filiabus per deuotos prædicatores alimoniã verbi Dei, ex qua suam deteriorem non efficit partem. Nam tanta in auditu sanctæ prædicationis exultatione perfunditur, tãta sui IESV familiaritatis dulcẽdine deliciatur, vt prædicante ali. quandò fratre Philippo de *Adria, speciosissimus quidam puer virgini Claræ assiste. ret, & per magnam prędicationis partẽ suis eam gratulationibus oblectaret. Ex cuius apparitionis intuitu illa, quæ de matre videre talia merebatur, suauitatem inexplicabilem sentiebat. Licet autẽ literata non esset, literatorum tamen gaudebat audire ser. monem, rata quòd in testa verborum nucleus lateat, quem ipsa attingebat subtiliùs, & sapidiùs degustabat. Nouit de cuiuslibet sermone loquentis elicere, quod animæ prosit: sciens non minoris esse prudentiæ, de rudi quandoquè spina flores decerpere, quàm fructum ex arbore nobili manducare. Cùm semèl dominus Papa Gregorius prohibuisset, nè aliquis frater ad monasteria dominarum sine sua licentia pergeret, dolens pia mater cibum sacræ doctrinæ rariùs habituras sorores, cum gemitu dixit: Omnes nobis auferat decæterò fratres, postquã vitalis nutrimenti nobis abstulit præbitores. Et statìm omnes fratres ad Ministrum remisit, nolens habere eleemosynarios, qui panem corporalem acquirerent, postquàm panis spiritalis eleemosynarios nõ haberet. Quod cùm audiret Papa Gregorius, statim prohibitum illud in generalis Ministri manibus relaxauit.

*Andera.

Libẽter audit literatorum Cõciones.

Mirabilis zelus audiẽdi verbi Dei.

De studio eius erga sorores humaniter fouendas & moderandas. Cap. 24.

NON autem venerabilis Abbatissa filiarum suarum solas animas diligit: immò & ipsarum corpusculis miro studio charitatis inseruit. Nam sæpiùs in frigore nocti̇s propria manu cooperit dormientes, & quas ad rigorem communem seruandum cernit inualidas, remissiori moderamine vult esse contentas. Si quam turbaret tentatio, si quam, vt assolet, inuaderet mœstitudo, secretò vocatam cum lachrymis consolatur. Aliquandò se ad pedes prosternit mœrentium, vt maternis blanditijs alleuiet vim doloris. Cuius beneficijs filiæ non ingratæ, seipsas tota deuotione rependunt. Complectuntur siquidem affectum dilectionis in matre, reuerentur in magistra prælationis officium, sectantur in pædagoga rectitudinis gressum, & in DEI sponsa prærogatiuam mirantur omnimodæ sanctitatis.

Magna prudentia in sororibus moderandis.

De eius infirmitatibus & languoribus. Cap. 25.

QVadraginta annis in stadio cucurrerat altissimæ paupertatis, cùm eccè iam ad brauium supernæ vocationis, præcedente languore multiplici, appropinquabat. Vigore siquidem carnis in annis prioribus austeritati pœnitentiæ succumbente, posteriora tempora occupauit infirmitas, vt quæ sana ditata fuerat merito operum, infirmaditaretur meritis passionum. Etenim virtus in infirmitate perficitur. Cuius miranda virtus qualiter fuerit in infirmitate perfecta, hinc maximè liquet, quòd in vigintiocto annorum languore diutino non murmur resonat, non querimonia: sed semper ab eius ore sanctum colloquium, semper procedit actio gratiarum. Licèt autem ægritudinum pondere prægrauata, festinare videretur ad finem: placuit tamen Deo, ad tempus illud ipsius obitum reseruare, quo ab Ecclesia Romana, cuius erat filia * specialis, dignis

2. Cor. 12.

In diuturno morbo eximia eius patientia.

*MS. codex habet spiritualis.

dignis valeret honoribus exaltari. Summo nanque Pontifice cum Cardinalibus moram trahente Lugduni, cùm Clara præ solito vrgeri morbo cœpisset, filiarum mentes ingentis doloris gladius trucidabat. Mox cuidam Christi ancillæ, virgini Deo denotæ de monasterio S. Pauli, Ordinis S. Benedicti, huiusmodi visio demonstratur: Videtur sibi vnà cum suis sororibus apud S. Damianum dominæ Claræ infirmanti assistere, ac eadem Clara in lecto precioso iacére. Flentibus autem, & cum lachrymis beatæ Claræ præstolantibus exitum, formosa quædam mulier ad lectuli caput appárens, lachrymantibus loquitur: Nolite, inquit, ô filiæ, plorare victuram: quoniam mori nõ poterit, quousquè Dominus cum suis discipulis veniat. Et eccè post modicum tempus venit Curia Romana Perusium. Audito verò eius infirmitatis augmento, properat de Perusio dominus Ostiensis inuisere sponsam Christi, cuius fuerat officio pater, cura nutritius, affectu purissimo semper deuotus amicus. Pascit infirmam Dominici corporis sacramento, pascit & reliquas salutaris exhortationis sermonibus. Supplicat illa tanto patri cum lachrymis, vt suam & aliarum dominarum famulas pro Christi nomine habeat commendatas. Verùm illud super omnia rogat, vt priuilegium paupertatis à Domino Papa cum Cardinalibus sibi impetret cõfirmari. Quicquid fidelis ille religionis adiutor verbo promisit, opere adimpleuit. Reuoluto anno, Dominus Papa cum Cardinalibus de Perusio transiuit Assisium, vt de transitu Sanctæ præostensa visio sortiretur effectum. Ipse nanque Summus Pontifex, vltra hominem, citraque Deum existens, personam Domini repræsentat: cui in templo militantis Ecclesiæ familiariùs hærent, velut discipuli, domini Cardinales.

Visio cuiusdã mõnilis.

Ro. Põtifex Christi personã repræsentat.

Vt Summus Pontifex cùm Cardinalibus eam visitârit. Cap. 26.

ACcelerat iam diuina prouidentia suum de Clara implere propositum: accelerat Christus pauperem peregrinam superni regni palatio sublimare. Cupit iam illa, & toto desiderio suspirat liberari de corpore mortis huius, & in æthereis mãsionibus Christum videre regnantem, quem fuerat toto corde in terris pauperem paupercula prosecuta. Artubus itaq; sacris veteri morbo detritis, noua cumulatur debilitas, quæ & proximam vocationem ad Dominum indicat, & sanitatis perpetuę viam parat. Festinat sanctæ memoriæ dominus Innocentius IIII. vnà cũ Cardinalibus visitare Christi ancillam, & cuius vltra fœminas nostri temporis probauerat vitam, mortem non dubitat Papali præsentia venerandam. Ingressus monasterium, pergit ad lectulum, & infirmantis ori manũ applicat osculandam. Quam illa grauissimè suscipit, & pedem Apostolici summa cum reuerentia osculandum exposcit. Asscenso ligneo scabello, curialis dominus dignanter pedem accõmodat: super quem illa sursùm & deorsùm inculcans oscula, vultum reuerenter acclinat. Petit exindè à summo Pontifice vultu Angelico remissionẽ omnium peccatorũ. Qui cùm diceret, Vtinam ego tanta venia indigerem: perfectæ absolutionis manus & amplæ benedictionis gratiã impertire festinat. Recedentibus aũt omnibus, quia die illa manu prouincialis Ministri sacrã receperat hostiã, subleuatis in cælũ oculis, & iunctis ad Deũ manibus, cum lachrymis ait suis sororibus: Laudate Dominũ filiolę meę: quia tale beneficiũ hodiè Christus mihi est dignatus tribuere, quod cælũ & terra nõ sufficeret compensare. Ipsum hodiè recepi altissimũ, & eius Vicarium videre cõmerui. Circũstant matris lectum filiæ quamcitiùs orphanandę: quarum animas acerbi doloris gladius pertransibat. Non somnus eas reuocat, non fames ipsas diuellit: sed lectulorum oblitas & mensę, nocte ac die solum plangere delectabat. Inter quas Agnes virgo deuota, lachrymarum inebriata fallugine, sororẽ eſflagitat, nè, se relicta, discedat. Cui Clara respondit: Placet Deo, soror charissimà, quòd discedã: sed tu flere desiste, quoniã post me ad Dominũ festinè peruenies: & magnam, inquit, consolationem tibi faciet Dominus, priusquàm moriaris.

Innocẽtius Papa cã inuisit decũbentem.

Osculatur manũ & pedem Pontificis.

Prędicit Agnetis obitum.

De eius felicissima à corpore migratione, & magna morientis fiducia. Cap. 27.

VIdetur tandèm in extremis plurimis laborare diebus, quibus fides gentiũ & deuotio populorum excrescit, Cardinaliũ quoquè & prælatorũ visitatione frequẽti, vt verè sancta, quotidiè honoratur. Quod verò est auditu mirabile, cùm decè & septẽ diebus nullum cibum sumere posset, tanta est à Domino fortitudine vigorata, vt oẽs ad se venientes, in Christi seruitio confortaret. Nam cùm vir benignus, frater Reinaldus in tantarum infirmitatum longo martyrio ad patientiam hortaretur, liberrima ei voce respondit: Postquàm Domini mei Iesu Christi gratiam per illum seruum suũ Franciscum agnoui, nulla pœna molesta, nulla pœnitentia grauis, nulla mihi, frater chariſsime,

17. diebus nihil cibi capit.

Nota sanctissimæ virginis exã

miam sanctitatem.

charissime,infirmitas dura fuit.Domino autē propitiùs agente,& iam quasi ad ianuam stante,iubet & vult sibi sacerdotes & spiritales fratres assistere,passionem Domini

Iuniperi feruor.

& sancta verba recitare.Inter quos dum appāret frater Iuniperus,egregius Dominiiaculator,quia calida sæpè verba de Domino eructabat,noua hilaritate perfusa quærit, si aliquid noui de Domino haberet ad manum.Qui aperiens os suum,de fornace feruidi cordis flammantes verborum scintillas emittit,atque in eius parabolis virgoDei magnum solatiū sumit.Lachrymantes tandèm se vertit ad filias, quib⁹ paupertatem Domini recommendans,beneficia diuina laudando commemorat. Benedicit deuotas sq; suas,& omnibus dominabus monasteriorū pauperum, tā præsentibus, quàm futuris,largā benedictionis gratiam imprecatur. Cętera sine fletu quis referat? Adstāt illi duo B.Frācisci socij benedicti:quorū vnus Angelus mœrēs ipse, cōsolatur mœrentes:alter Leo,recedentis lectulum osculatur.Plangunt filiæ destitutæ piæ matris recessu,& q̄ vltrà visurę non essent,prosequūtur cum lachrymis recedentem.Dolēt amarissimè totū earum solatium cū illa migrare,seq; in valle lachrymarū relictas, non iā à sua magistra vlteriùs consolandas. Vix à dilaceratione corporū solus pudor cōtinet manum,& doloris ignē illud efficit acriorem,q̄ exteriori planctu non finitur vaporare.Imperat claustralis censura silentiū,extorquet vis doloris gemitū & singultum.Tument lachrymis facies,& nouas adhuc aquas mœrebūdi cordis impetus subministrat.Ad se autē conuersa virgo sanctissima,suam animā silenter alloquitur:Vade secura,quia bonum habes conductum itineris.Vade,quoniam qui te creauit, sanctificauit:& custodiens te semper, velut mater filiū,tenero amore dilexit.Tu, inquit, Domine benedict⁹ sis,qui me creâsti.Quam cum quædā ex sororibus interrogaret,cui loqueretur,illa respondit:Ego loquor animæ meę benedictæ. Nec ille gloriosus conductus longè distabat.Nam ad quandam filiam se conuertens,Vides tu,inquit,ô filia Regem gloriæ,quem ego video?Super aliam quoq; facta est manus Domini,& corporalibus oculis felicem inter lachrymas excipit visum.Iaculo quidem profundi doloris confossa,versùs portam domûs aciem dirigit oculorum:& eccè in vestib⁹ albistra ingreditur virginum,quæ omnes aurea serta suis capitibus deferebāt. Graditur inter eas vna præclarior cæteris,ex cuius corona,quæ in summo suî,fenestrati thuribili speciem prætendebat,tantus splendor irradiat,vt noctem ipsam in diei lucē intrādo. mum conuertat.Procedit ad lectulum,vbì sponsa filij decubat,& amantissimè se super eam inclinans,amplexum dulcissimum præstat.Profertur à virginibus miræ pulchritudinis pallium,ac certatìm deseruientibus cunctis,& Claræ corpus tegitur,& thalamus adornatur. In crastino igitur beati Laurentij,egreditur anima illa sanctissima, præmio perpetuo laurcanda:temploq; carnis soluto, spiritus feliciter migrauit ad astra.Benedictus talis exitus de valle miseriæ,qui introitus ei beatæ factus est vitæ.Iam pro tenui viatico mensa lætatur ciuium supernorum:iam pro vilitate cinerum, regno beata cælico,æternæ stola gloriæ decoratur.

Talē fidutiā præstat non sola fides,sed vitę optimè transactæ conscientia.

Videt Christum sub mortem.

Visio cuiusdā virginis.

Eius felicissimus decessus.

De eius celeberrimis exequijs,præsente Pontifice Innocentio IIII. cum tota curia,&c. cap. 28.

RVmor incontinenti de trāsitu virginis totum stupendo auditu concutit populi ciuitatis.Confluunt viri,confluunt mulieres ad locum, atq; in tāta multitudine gētes inundant,vt sola videatur ciuitas remanere.Omnes sanctā, oēs Deo charā proclamāt,& inter laudū verba nōnulli fletibus manant. Accurrit potestas cum caterua militū & multitudine armatorū,seroq; illo ac tota nocte custodias adhibēt diligētes, nè fortè de precioso thesauro,qui iacebat in medio, pati contingeret detrimentum. Commouetur die sequenti curia tota:Christi Vicarius cum Cardinalibus accedit ad locum, totaq; ciuitas versùs S.Damianum dirigit gressus suos. Ventum erat ad celebrandum diuina,cùm fratribus incipientibus officium mortuorum, repentè dominus Papa officium de Virginibus,non de mortuis, fieri debere proloquitur: vt prius eam canonizare videretur,quàm corpus traditum esset sepulturæ. Respondente autem viro eminentissimo domino Ostiensi, morosiùs in his fore agendum, Missa de mortuis celebratur.Confidente postmodùm summo Pontifice, Cardinaliū quoq; & prælatorum cœtu,Ostiensis Episcopus,de vanitate vanitatū sumpta dicendi materia, vanitatis egregiā contemptricē nobili sermone commendat. Circūdant ilicò sanctū funus deuota dignatione presbyteri Cardinales,& circa virginis corpus solita officia complent.Tandemq; nec tutum esse censetur,nec dignum,vt tam preciosum pignus tam

Exequiæ valdè celebres virginis Christi amore pauperimæ.

tàm longè distet à ciuibus.Leuatur cum hymnis & laudibus,cum tubarū clangore ac iubilatione solenni ad S.Gregorium honorificè deportatur.Nam & hic locus ille est, vbì S.Patris Francisci corpus primò conditum fuerat: vt qui viam vitæ viuenti paranerat,etiā morienti locū quodā præsagio p̄pararet.Factus est proindè cōcursus populorum ad tumulum virginis,laudantium Deum atq; dicētium:Verè sancta,verè gloriosa regnat cum Angelis,quę tantum honorem ab hominibus sumit in terris.Intercede pro nobis ad Christum primiceria pauperū dominarum,quę innumeros ad pœnitentiam,innumeros cōduxisti ad vitā.Paucis interiectis diebus,Agnes ad Agni nuptias euocata,sororē Clarā ad æternas delicias subsecuta est:vbì ambę Siō filiæ,natura,gratia & regno germanę,Deo iubilāt sine fine.Et verè consolationē illam,q̄ Clara repromiserat,Agnes,antequàm migraret,accepit.Nam sicut sorore præuia, de mundo ad Crucem trāsierat:sic dum Clara signis & miraculis rutilaret, Agnes post ipsam de luce finibili maturè volauit ad Deum:Præstante Domino nostro Iesu Christo,qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum,Amen.

Agnes virgo sororem suam Clarā felici morte subsequitur

De miraculis post obitum eius. Cap. 29.

ILla sunt sanctorū signa mirifica,illa miraculorū testimonia venerāda, quę in morum sanctitate &operum p̄fectione consistunt.Iohannes quidē signum fecit nullū, non tamen sunt vel erunt Iohanne,q̄ signa faciunt sanctiores.Ideoq; sufficeret sanctę virgini Clarę ad testimonium sanctitatis p̄fectissimę suę vitę p̄coniū,nisi interdùm aliud exposceret partìm tēporum,partìm deuotio populorum.Clara itaq; dum viueret,meritis,& iam in abyssum absorpta p̄petuę claritatis,nihilominùs adhuc miraculorum luce per mundi cardines mirificè declaratur. Cogit syncera atq; iurata veritas multa conscribere:cogit multitudo quàm plura transire.Puer quidam,nomine Iacobinus de Perusio, non tā infirmus,quàm dęmonio pessimo videbatur obsessus.Nunc enim in ignē sese desperatè proijciens,nunc in terra collidens, vsq; ad dentiū fractionem,lapides mordens,laniabat miserrimè caput suū, & corpus sanguine cruentabat. Ore distorto linguā foris proijciens,membrorum machinam tam facilè glomerabat, vt sæpè crus suum poneret super collum. Singulis diebus per duas vices puerū ipsum p̄dicta vexabat insania:nec illi duæ persone obsistere poterāt,quin propria exueret vestimenta.Peritorum medicorum iuuamen requiritur,sed nullus qui sciat consulere, inuenitur.Pater eius,Guidolotus nomine, postquā infortunij tanti remedium apud homines nullum inuenit,ad S.Clarę merita se conuertit.O virgo,inquit,sanctissima, ô mundo venerabilis Clara,tibi miserum natum deuoueo,à te sanitatem eius tota supplicatione deposco.Festinat ad sepulcrum eius fide plenus, & allatum puerum super tumbam virginis ponens,protinùs opem,dum poscit,acquirit.Statìm enim puer ab illa infirmitate liber efficitur,& iam vlteriùs nulla consimili lęsione vexatur.

Iohan. 14. Sanctiss.Iohannes Baptista nullū vnquam fecit miraculum.

Dęmoniatus puer sanatur.

Alexandria de Fracto Perusinæ diœcesis,dęmonio nequissimo vexabatur.Quā dæmonium in suam redegerat potestatem,vt faceret per excelsam rupem,quę in crepidine fluminis eminebat,sicut auicula volitare:per tenuissimum quoq; arboris ramum, fluuio Tyberis impendentem,faciebat descendere, atq; eā ibidem quasì ludo vacare: suorū quoq; meritò peccatorum,cùm latus sinistrum penitùs amisisset,& manum cō tractam haberet,medicinis sæpè tentatis nihil ꝓficiebat:venit ad tumbā gloriosæ virginis Clarę corde cōpuncta,eiusq; meritis inuocatis, contra suū illud triplex periculū vnius remedij salutarē sumit effectum.Contracta quidē manus extenditur,lat⁹ sanita tiredditur,possessa à dęmonio liberatur.Altera mulier eiusdē loci,à dæmonio & multis doloribus,eodem tempore ante sepulcrum Sanctę,munus liberationis accepit.

Item dęmoniacæ duæ.

Puerum quendā Francigenā,q̄ curiam sequebatur,furiæ morbus inuaserat,q̄ ipsi & loquelæ abstulerat vsum,& corpus monstrosè fecerat inquietum. Detineri ab aliquo minimè poterat,sed potiùs intrà manus detinere volentium horribiliter se frāgebat. Ligatur funibus lectulo mortuorum,& à cōpatriotis ad ecclesiā S. Clarę defertur inuitus,ante sepulcrū eius deponitur,& statìm pro fide offerentiū peroptimè liberatur.

Item puer furiosus.

Valentinus de Spello,caduci morbi ruinæ intantùm erat obnoxius, quòd sex per diem vicibus indifferēter vbilibèt corruebat.Cruris etiam contractione plagatus, liber ambulare non poterat.Ducitur asello vectus ad S.Clarę sepulcrum: vbì duobus diebus & tribus noctibus iacet:die tertio,nullo tangente,crus eius fragore magno personuit,& ab vtraq; infirmitate sanatus ilicò fuit.

Comitialis homo liberatur.

Iacobellus dictus filius Spoletinæ,duodecim annorū cęcitate p̄cussus, ducē itineris

seque-

sequebatur, nec sine ductore quoquam poterat, nisi in præcipitium, ambulare. Nã & semel à puero parumpèr dimissus, in præcipitiũ actus, brachij fracturam cum vulnere capitis reportauit. Hic cùm iuxta pontem * Vernij quadam nocte dormiret, apparuit ei domina quædam in somnis, dicẽs: Iacobelle, quarè tu ad me non venis Assisiũ, vt libereris? Qui manè consurgens, duobus alijs cęcis tremebundꝰ recitat visionẽ. Respondent illi: Dominam quandã nuper audiuimus in Assisij ciuitate migrâsse, cuius sepulcrum per sanitatũ munera & per multa miracula manus Domini dicitur honorare. Quo audito, impiger factus concitè properat, & nocte hospitatus apud Spoletũ, eandem cernit iterùm visionem. Ocyùs aduolat, totum se præ amore luminis ad cursum precingens. Peruenienscautem Assisiũ, tantas ante virginis mausoleum gentium concurrentium reperit turbas, vt ipse intrare nullatenus posset ad tumbam. Supponit ergo pidem capiti suo, & cum fide magna, dolens tamen, quòd introitum habere non posset, somnum capit præ foribus eius. Et eccè tertiò vox ad eum: Benefaciet tibi Dominus, Iacobe, si poteris introire. Euigilans ergò, rogat cum lachrymis turbas, clamãs & preces ingeminans, vt ei propter diuinam pietatem viam præstare dignentur. Datasi bi via, calceamenta proijcit, vestes exuit, collum corrigia cingit, & sic humiliter sepulcrum cõtingens, lentum somnum incurrit. Surge, inquit ei beata Clara, surge, quia liberatus es. Extemplò surgens, omni cæcitate discussa, omni oculorum caligine relegata, dum clarè per Claram videt, luminis claritatem Deum laudando clarificat, & protanti mirificentia operis ad benedicendum Deum omnes gentes inuitat.

* Cũnarini

Ingens morbidorum concursus ad sepulcrũ S. Claræ.

Cæcus videt.

Perusinus quidam, vocatus Bonus Iohannes, cum suis ciuibus contra Fulginates perrexerat, Cumq; hincindè cõcertatio incepisset, grauis ictus lapidis eius manũ dura quassatione perfregit. Expendit in medicos pecuniam multam sanitatis amore, sed nullo potest medicinali suffragio intantùm iuuari, quin ipsam manum portet inutilem, & ad omne opus penitùs impotentem. Dolens itaque illius quasi non suę dextræ pondus ferre, vsũ carere, optat sibi pluriès esse truncatam. Audiens verò, quę per famulam suam Claram Dominus dignabatur ostendere, votum vouens, ad sepulcrum virginis properat, affert ceream imaginem manũs, & super tumbam S. Claræ incumbit. Statùm, priusquàm ecclesiam exeat, manus eius perfectè restituta est sanitati.

Manus incurabilis restituitur.

* Petronus quidam de castro Bitone, trium annorum infirmitate consumptus, totus ferę diutini languoris tabe deficcatus apparuit. Cuius violentia morbi adeò contractus erat in cruribus, vt curtius semper & ad terram reflexus, vix cum baculo pęr gere posset. Exploratpater pueri multorum solertiam medicorum, illorum præcipuè, qui fractis ossibus medendi peritiam habebant. Paratus erat omnia bona sua expendere pro recuperanda pueri sanitate. Cumque responderetur ab omnibus, nulliusartis ope illi morbo posse succurri, ad nouæ sanctæ suffragia, cuius audiebat magnalia, se conuertit. Portatur puer ad locum, vbi preciosa virginis spolia requiescunt, & non diù ante sepulcrum iacens, perfectæ sanitatis gratiam sumit. Confestim nanq; rectus & sanus exurgit, ambulans & exiliens, & laudans Deũ, & ad S. Claræ laudes populum confluentem inuitat.

Puer contractus restituitur.

Erat puer decem annorum in villa S. Quirici Assisinatis diœcesis, claudus ex vtero matris suæ, tibias habebat exiles, pedes in transuersum iactabat, & tortuosè deambulans, vix poterat surgere cùm cadebat. Mater eius beato Francisco pluriès eum deuouerat, nec vllius meliorationis opem acceperat. Audiens verò beatam Claram nouis coruscare miraculis, ad sepulcrum eius puerum deportauit. Post aliquot dies sanatis ossibus tibiarum, ad rectitudinem sunt membra reducta, & quod S. Franciscus multis precibus exoratus, non tribuit, sua discipula Clara virtute diuina concessit.

Item claudus puer.

Ciuis Eugubinus, nomine Iacobus de Franco, puerum quinquennem habens, qui debilibus pedibus nunquàm ambulauerat, nec poterat ambulare, tanquàm oftętum suæ domũs, & opprobrium suæ carnis deplorabat. Cubitabat in solo, reptabat in cinere, voluens se quandoq; ad scamnũ, nec potens erigere: cui natura gradiendi desiderium dederat, negauerat facultatem. Vouent puerum parentes eius meritis S. Claræ, atque vt iposorum verbo dicatur, volunt esse hominem sanctæ Claræ, si per eam sanitatem fuerit consecutus. Protinùs voto emisso, virgo Christi suũ hominẽ sanans, liberę ambulationis officium in oblato sibi puero reparauit. Ilicò parentes ad virginis tumulũ cum puero properantes, eum subsilientem & gaudentem Domino obtulerunt.

Item alius.

Mulier quædam de castro Menanij, Plenieria nomine, diù contractionem renum perpessa, non nisi baculo sustẽtata poterat ambulare. Adminiculo tamen baculi non cur-

curuum erigebat corpus, sed nutãtes vtcunquè trahebat gressus. Deferri se fecit quodam die Veneris ad tumulum S. Claræ: vbi preces ad eam deuotissimè fundens, celeriter obtinuit, quod fideliter postulauit. Sequenti nanque sabbato, integra sanitate obtenta, proprijs pedibus est reuersa, quæ fuerat per alios adducta.

Item cõtracta fœmina

Tumores gutturis, quos vulgari sermone scrofulas vocant, puella quædam Perusina cum dolore multo diù portauerat. Viginti quidem glandulæ numerabantur in gutture, vt ipsum puellæ guttur satis capite crassius videretur. Duxit eam sæpè mater eius ad memoriam virginis Claræ, vbi ipsius sanctæ beneficium deuotissimè implorabant. Cumque tota quadam nocte ante sepulcrum puella iacéret, prorumpente sudore, strumæ illæ mollificari cœperunt, atque de suo loco paululùm commoueri. Processu verò temporis, per S. Claræ merita sic euanuerunt, vt nulla penitùs vestigia remanerent.

Puellæ strumosæ sanatio.

Consimile malum vna de sororibus, Andrea nomine, dum adhuc in carne virgo Clara maneret, portabat in gutture suo. Mirum certè, quòd in medio lapidum ignitorum anima tam frigida latitabat, & inter prudentes virgines desipiebat imprudẽs. Hæc siquidem nocte quadam guttur suum vsque ad præfocationem constrinxit, vt globum illum per buccam proijceret, volens de seipsa diuinam supergredi voluntatem. Sed hoc incontinentì per spiritum Clara cognouit. Curre, inquit vni, curre velociter in inferiorem domum, & ouum calefactum sorori Andreæ de Ferraria sorbendũ præbe, simulq; cum illa ad me ascende. Properans illa, reperit dictã Andream loquela priuatam, propriæ manũs iniectione suffocationi propinquam. Releuat eam, vt potest, & secum ducit ad matrem. cui & dixit famula Dei: Misera, cogitationes tuas Domino confitere, quas & ego benè cognoui. Eccè quod sanare voluisti, sanabit Dominus Iesus Christus. Sed vitam muta in melius, quoniam de infirmitate alia, quam patieris, non consurges. Ad cuius verbum spiritum cõpunctionis accepit, & vitam satis egregiè mutauit in melius. Post modicum ergò sanata de scrofulis, de alia infirmitate migrauit.

Item strumosæ mortalis.

Crudelium luporum feralitas sæua * Contractam vexare solebat: qui in ipsos homines irruentes, humanis sæpè carnibus pascebantur. Mulier ergò quædam, nomine Bona, de monte Galliano Assisinatis diœcesis, duos filios habens, vnius, quem lupi rapuerant, vix planctum compleuerat, cùm eccè ad secundum consimili ferocitate festinant. Stante nanque matre in domo, & aliquid rei familiaris agente, puero deambulanti exteriùs lupus dentes infigit, ac per ceruicem mordens, cum tali præda ad syluam quantocyùs tendit. Audientes autem pueri stridores homines, qui erant in vineis, ad matrem clamant, dicentes: Vide, si filium tuum habes: quoniam ploratus insuetos pauloantè persensimus. Cognoscens mater filium à lupo direptum, clamores in excelsum leuat, & vlulatibus aërem complens, virginem Claram inuocat, dicens: Sancta & glorioſa virgo Clara, redde mihi miserum filium meum. Redde, ait, redde infelici matri natellum. Quod si non feceris, meipsam aquis necabo. Currentes itaque vicini post lupum, reperiunt infantulum à lupo in sylua dimissum, & canem iuxta puerum eius vulnera delingẽtem. Ceruici primos iniecerat morsus bestia fera: dehinc vt prædam leuiùs ferret, ipsius pueri renibus suas impleuerat fauces, & vtrobiquè non leuis attactûs signa reliquerat. Voti compos effecta mulier, cum suis vicinis ad suam properat adiutricem, & pueri varias plagas omnibus videre volentibus monstrans, Deo & S. Claræ gratias copiosas exoluit.

Infans è lupi faucibus erripitur.

Puella quædam de castro * Cannarti, clara die in agro sedebat: in cuius sinu mulier altera reclinauerat caput. Et eccè lupus hominum rapax, furtiuos ad prædam concitat gressus. Quem tamen puella vidit: sed quia canem credidit, non expauit. Cumque infantula cœpto intenderet scrutinio capillorum, efferatur in illam bestia truculẽta, eiusque vultum suo vasto hiatu concludens, prædam portabat ad syluam. Surgit protinùs mulier stupefacta, & S. Claræ memor, clamores susc itat, dicens: Succurre sancta Clara, succurre: tibi in hac hora puellam istam commendo. Ipsa deniquè, mirabile dictu, quæ lupi dentibus portabatur, contra lupum inuehitur, dicens: Portabis me tu latro vlteriùs, tantę virgini commendatam? Qua inuectione confusus, puellam statìm in terram molliter posuit, & quasi latro deprehensus, festinè discessit.

* Ceranarij

Item puella

De S. Claræ in Sanctas relatione. Cap. 30.

REsidente autem in sede beati Petri clementissimo domino Alexandro IIII. viro totius sanctitatis amico, qui & religiosorum tutela, & religionũ firma columna

erat, dum horum mirabilium relatio curreret, & de die in diem fama virtutum virginis latiùs insonaret, canonizationem tantę virginis ipse iam mundus cum desiderio
in rem solitam expectabat. Dictus itaque Pontifex, tantorum turba signorum quasi re insolita excitatus, de canonizatione eius vnà cum Cardinalibus cœpit habere tractatū. Committuntur personis solēnibus & discretis examinanda miracula, vitæ quoquè magnalia discutienda traduntur. Inuenitur Clara, dum viueret, omnium virtutum exercitio clarissima: inuenitur post transitum veris & probatis miraculis admiranda. Die enim ad hoc statuta, cùm cœtus Cardinalium conuenisset, Archiepiscoporum & Episcoporum conuentus adesset, Cleri concio ac religiosorum, sapientum quoquè & potentum plurima multitudo assisteret: summo Pontifice illud salubre negocium in medium proponente, ac Prælatorum iudiciū sciscitante, vniuersi prompto fauore propensiùs annuentes, Claram dicunt clarificādam in terris, quam Deus clarificauit in excelsis. Instante verò die migrationis eius ad Dominum, duobus annis ab ipsius
Asscribitur catalogo Sanctorum. transitu reuolutis, Prælatorum & totius Cleri multitudine conuocata, sermone quoquè præmisso, felix Alexander, cui hæc à Domino fuerat gratia reseruata, cum celebritate permaxima sanctorum catalogo Claram reuerenter adscripsit, festum eius solenniter in tota Ecclesia celebrandum instituit, atque ipse priùs cum tota Curia solennissimè celebrauit. Acta sunt autem hæc apud Anagniam in ecclesia maiori, anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Pontificatûs Domini Alexandri Papæ IIII. anno primo: ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

De S. Hippolyto martyre, Concordia nutrice eius, atque alijs 19. *è familia S. Hippolyti, videat Lector Gesta S. Laurentij martyris* 10. *Augusti.*

VITA ET PASSIO SANCTI CASSIANI MARTYRIS, PER AVRELIVM PRVdentium descripta.

Habetur in eius Peri Stephanôn.

Augusti 13.

SYLLA forum statuit Cornelius: hoc Itali vrbem,
Vocant ab ipso conditoris nomine.
Hîc mihi, cùm peterem te, rerum maxima Roma,
Spes est obortа, prosperum Christum fore.
Stratus humì, tumulo aduoluebar, quem sacer ornat,
Martyr dicato Cassianus corpore.
Dum lachrymās mecum reputo mea vulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad cælum faciem, stetit obuia contrà,
Fucis colorum picta imago martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circùm pueri, miserabile visu,
Confossa paruis membra figebant stylis:
Vndè pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotantes scripserant.
Aedituus consultus ait: Quod prospicis hospes,
Non est inanis, aut anilis fabula.
Historiam pictura refert: quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.
Præfuerat studijs puerilibus, & grege multo
Septus, magister literarum sederat.
Verba notis breuibus cōprendere cūcta peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera nonnunquàm præcepta, & tristia *iussa
Impube vulgus mouerant ira & metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis vlli disciplina infantiæ est.

Imago S. Cassiani.

S. Cassianus ludimagister.

* visa

Eccè

Eccè fidem quatiens tempestas sæua, premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu è medio moderator alumni
Gregis, quòd aris supplicare spreuerat. Sistitur coram iudice.
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nôsset, alto tam rebellis spiritu.
Respondent: Agmen tenerum ac puerile gubernat, Traditur S. Cassian⁹ suis pueris ac discipulis illudendus & necandus.
Fictis notare verba signis imbuens.
Ducite, conclamat, captiuum, ducite, & vltrò
Donetur ipsis verberator paruulis:
Vt libet illudant, lacerent impunè, manusque
Tingant magistri feriatas sanguine.
Ludum discipulis, volupe est, vt præbeat ipse
Doctor seuerus, quos minis *coërcuit. *minis
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
Adest acutis agmen armatum stylis.
Quantum quisque odij tacita conceperat ira,
Effundit ardens felle tandèm libero.
Conijciunt alij *fragiles, inque ora tabellas *lapides,
Frangunt: relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis:
Rubetque ab ictu curua *tundens pagina.
Indè alij stimulos & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur:
Et quia secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursùs nitescens innouatur area.
Hinc foditur Christi confessor, & indè secatur:
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixêre ducentæ,
Totidemque guttæ vulnerum stillant simul.
Maior tortor erat, qui summa pupugerat, infans, Animat suos occisores pueros, vt sint alacres in dādis plagis.
Quàm qui profunda perforârat viscera.
Ille leuis, quoniam percussor morte negata
Sæuire solis scit dolorum spiculis.
Hic quanto interiùs vitalia condita pulsat,
Plus dat medelæ, dum necem propè applicat.
Este precor fortes, & vincite viribus annos:
Quod defit æuo, suppleat crudelitas.
Sed malè conatus tener infirmusque laborat:
Tormenta crescunt, dum fatiscit carnifex.
Quid gemis? exclamat quidam: tute ipse magister Ludibrijs nefarij pueri exagitant martyrem.
Istud dedisti ferrum, & armâsti manus.
Reddimus eccè tibi tam millia multa notarum,
Quàm stando, flendo, te docente, excepimus.
Non potes irasci, quòd scribimus: ipse iubebas,
Nunquàm quietum dextera vt ferret stylum.
Nunc petimus, totiès te præceptore negatas,
Amare doctor, iam scholarum ferias.
*Pungere puncta libet, sulcisque intexere sulcos, *Pingere
Flexas catenis impedire virgulas.
Emendes licet inspectos longo ordine versus,
Mendosa fortè si quid errauit manus.
Exerce imperium: ius est tibi plectere culpam,
Si quis tuorum te notauit segniùs.
Talia ludebant pueri per membra magistri:
Nec longa fessum pœna soluebat virum.
Tandèm luctantis miseratus ab æthere Christus,
Iubet resolui pectoris ligamina:

Difficilesque moras animæ ac retinacula vitæ
Relaxat, arctas & latebras expedit.
Martyris illustris mors. Sanguis ab interno venarum fonte patentes
Vias secutus, deserit præcordia,
Totque foraminibus penetrati corporis exit
Fibrarum anhelans ille vitalis calor.
Hæc sunt, quæ liquidis expressa coloribus hospes
Miraris: ista est Cassiani gloria.
Suggere, si quod habes iustum vel amabile votum,
Tibi si qua spes est, si quid intùs æstuas.
Martyres audiũt preces nostras. Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes,
Ratasque reddit, quas videt probabiles.
Páreo, complector tumulum, lachrymas quoquè fundo,
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris:
Tunc quod petebam, quod timebam, murmuro:
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
Et spem futuri fortè nutantem boni.
Audior, Vrbem adeo, dextris successibus vtor,
Domum reuertor, Cassianum prædico.

EIVSDEM S. CASSIANI MARTYRIS HISTORIA, A QVODAM ANTIQVO SCRIPTORE EX PRVdentio prosa reddita, cuius quidem Beda venerabilis meminit in prologo in vitam S. Felicis Nolani, sed nomen eius non exprimit, sicut nec peruetustus Codex MS. vndè hæc descripsimus.

PRVDENTIVS, sicut notum est, vir religiosus, fidei dogmata poëmatis etiam iucunditate commendans, & hoc quoquè ad cultum religionis adiungens, vt antecessorum Martyrum certamina sacra percurreret: adorandam Cassiani martyris passionem sub hoc ordine voluit ad posteritatis memoriã peruenire, Quam ideò visum est communi sermone describere, vt quæ tenentur libris, recenserentur & populis, & sciẽtiæ nota doctorum, auribus quoquè omnium non essent ignota fidelium. Cuius ideò in præsenti lectione nomẽ insertum
Passionem sancti martyris traditione colimus, est, vt passionem sancti martyris Cassiani, quam traditione colimus, tanti quoquè viri commendatam authoritate credamus. Nam licèt merita eius virtute prodantur, & Dominus noster sanctum suum quotidiana eius operatione glorificet: nunquàm tamen religiosus vir Prudentius passionis eius ordinem per se voluisset agnosci, nisi fidem oportuisset adhiberi. Scripsit ergò sermone cõpetenti, dum apud Cornelij Forum S. Cassianum, venerabili tumulo aduolutus, oraret, erectos ad cęlũ oculos suos, in huiusmodi imaginem martyris incidisse, in qua ipse esset laceratus omnibus membris, plagis mille perfossus, minutis rupta cute vulneribus, & circunstantes pueri stylis paruulis membra fodientes. In quo dum miratus esset adspectu, dixisse custodem: Hospes, non est fabula, quod cernis. Historia est, quæ libris tradita, monstrat vetusti
Cur discipulis exos' fit factus magister Cassianus. temporis veritatem. Magister hic pueros paruulos literis imbuebat, doctus notis breuibus verba compræhendere. In quem discipulorum suorum ira propterea, quòd ad discendum cogebantur, exarsit. Non enim latet, quanuis vtilia sint scientiæ bona, dura tamen semper esse infantiæ.

Dum ergò eodem tempore catholica fides persecutorum tempestate laboraret, beatus Cassianus est productus ad medium, vtpotè qui cum persecutoribus colere impia sacra noluisset. A quo cùm esset quæsitum, quid artis, aut quid haberet officij,
Impius persecutor sanctum martyrẽ pueris tradit lento rem- responsum est, quòd pueros literis erudiret. Statim ergò a persecutore, quem spreuerat, ipsis pueris, quos in se exasperauerat castigando, per sententiam animi furentis addictus est, vt ipsi in magistri sanguine, cum corporis eius laceratione, sæuirent. Durus, inquit, discipulorum suorum & seuerissimus doctor, eorum, quos terruit, feritate cr-

cruciet ur. Statuitur ergò spoliatus vestibus, manibus post tergum ligatis, circunstan- cruciatus nefandum.
te armato stylis agmine puerorum: qui quantùm dum discerent, doluêre, tantùm ea accepta libertate sæuirent. Itaque in faciem & ad caput magistri tabulæ & buxa cerata franguntur, & præacutis stylis confessor Christi nunc foditur, nunc cęcatur: & alijs summa vulnera, alijs altiora figentibus, dum leuiores manus grauiores fiunt, morte dilata, humili confessor voce precabatur, vt essent viribus fortiores, & annos virtute transcenderent, vt ætatis infirmitatem suppleret sæua crudelitas, & se velocitas amaritate mortis absolueret. Sed illi non contenti sola feritate tortoris, sic magistri sui vulneribus illudebant: Tu armâsti manus nostras, & ferrum hoc, quod gerimus, tu donâsti. Duriores reddimus, quàm sensimus, plagas, & in te districtionem, accepta libertate, punimus. Tandèm pius Deus martyris sui tormenta miseratus, mortis vincula dissoluit, & per venas totius corporis sanguis effusus, piam animam Videtur locus mendosus. Creatori scutum reddidit & coronam. Per Christum Dominum nostrum.

VITA S. RADEGVNDIS REGINÆ, DVOBVS LIBRIS COMPRAEHENSA: QVORVM PRIOREM SCRIpsit Fortunatus Episcopus: posteriorem *Bandomina ad Abbatissam Didymiam, supplens ea, quæ à Fortunato erant prætermissa: cuius posterioris stylum, vbi expedire visum fuit, nonnihil elimauit F. Laur. Surius. Fuit autem ea Bandomina S. Radegundis æqualis, & monasterij eius monacha vel sanctimonialis. Vtrunque librum per capitula margini adiecta distinximus.

*Bãdoninia

In priorem librum Prologus Fortunati.

REdemptoris nostri tantùm diues est largitas, vt in sexu muliebri celebret fortes victorias, & corpore fragiliores, ipsas reddat fœminas virtute mentis inclytę gloriosas. Quas habẽtes nascẽdo mollitiem, facit Christus robustas ex fide: vt quæ videntur imbecilles, dum coronantur ex meritis, à quo efficiuntur fortes, laudem sui Coronari ex meritis. cumulent creatoris, habendo in vasis fictilibus thesauros cæli reconditos. In quarum visceribus cum suis diuitijs ipse Rex habitaturus est Christus. Quæ mortificantes se seculo, despecto terræ consortio, defæcato mundi contagio, non confidentes in lubrico, non stantes in lapsu, quærentes viuere Deo, ad gloriam redemptoris sunt copulatæ paradiso. In quo est pariter numero, cuius vitæ præsentis cursum, licèt sermone priuato, ferre tentauimus in publicum: vt cuius est vita cum Christo in gloria, memoria relata celebretur in mundo.

VITAE LIBER PRIMVS.

BEATISSIMA igitur Radegundis, natione barbara, de 13. Augusti regione Turinga, auo Rege Basino, patruo Herminefri- Cap. 8.
do, patre Rege Berchario: quo *altitudo seculi tangit Re- for. *altitudinem
gina de germine, celsa licèt origine, multùm celsior actione. Quæ cum suis parentibus breui commanens tempore, tempestate barbarica Francorum victoria regione vastata, vice Israëlitica exit & migrat de patria. Tunc inter victores, cuius esset præda regalis puella, fit contentio de captiua: & nisi reddita fuisset trãsacto certamine, in se Reges arma mouissent. Quæ veniẽs in sortem præcelsi Regis Clotarij, in *Viromandensem ducta, Atheias in villa regia nutriendi causa custodibus est deputata. Puella data laboribus, qui conueniunt sexui, inter opera reliqua fit ex barbaris literata, frequenter loquens cum paruulis, si conferret sors temporis, martyr fieri cupiens. Indicabat adolescens iamtunc merita senectutis, obtinens pro parte, quod petijt. Deniquè dum esset in pace florens

Adhuc puella fert persecutiones, & mirâ exercet pietatem.

Ecclesia, ipsa est à domesticis persecutiones perpessa: iamtunc id agens infantula, vt quicquid sibi remansisset in mensa, collectis alijs paruulis, lauans capita singulis, compositis sellulis, porrigens aquam manibus, ipsa inferebat, ipsa miscebat infantulis: hoc etiam præmeditans cum Samuele paruulo clerico, facta Cruce lignea, præcedentem subsequens psallendo ad oratorium grauitate matura. Simul paruuli properabant: ipsa tamen cum sua veste pauimenta nitidans, circa altare verò cum sacrario iacentem pulucrem colligens, foris cum reuerentia recondebat potiùs, quàm verrebat.

Facit ergiũ, pro sudario

Cap. 2.

Quam præparatis expensis, cùm voluisset Rex prædictus accipere, per berarcham ab Atheias nocte cum puellis elapsa est. Deindè Suessionis cùm eam direxisset, vt in Reginam eligeret, fugit, euitans pompam regalem, nè seculo crescceret. Sed cui debebatur, & humana gloria non mutatur. Nubit ergò terreno principi, nec tamen separatur à cœlesti. At dum sibi accessit secularis potestas, magìs quàm permitteret dignitas, se plùs inclinauit voluntas, subdita semper Deo, sectans monita sacerdotum: plùs participata Christo, quàm sociata coniugio. Illo verò sub tempore tentamus patefacere de multis pauca, quæ gesserit. Igitur iuncta principi, timẽs nè à Deo degradâsset, cùm mundi gradu proficeret, se cum sua facultate eleemosynæ dedicauit. Nam cùm sibi aliquid de tributis accideret, ex omnibus, quæ veniissent ad eam, antè dedit decimas, quàm recepit. Deindè quod supererat, monasterijs dispensabat: & quò ire pede non poterat, missò munere circuibat. A cuius munificentia nec ipse se abscondere potuit Eremita. Sic, nè premeretur à sarcina, quod acceperat, erogabat. Apud quam nec egeni vox inaniter sonuit, nec ipsa surda præterijt, sæpè donans indumenta, credens, sub corporis veste, Christi se membra tegere: hoc se reputans perdere, quicquid pauperibus non dedisset.

Clotarius rex eam in matrimonium ducit vxorem.

Largæ eius eleemosynæ

Cap. 3.

Adhuc animo tendens ad opus misericordiæ, Atheias domum instruit: quò, lectis cultè compositis, congregatis egenis, fœminas ipsa lauans in thermis, morborum curans putredines, virorum capita diluens, ministerium faciens, quos anteà lauerat, eisdem sua manu miscebat, vt fessos de sudore, sumpta potio recrearet. Sic deuota fœmina, nata & nupta Regina, palatij domina, pauperibus seruiebat ancilla. In mensa verò subocculte, nè cognosceretur ab aliquo, anteposito cum legumine scrculo, inter epulas Regum, more trium puerorum, faba vel lenticula delectabiliter vescebatur. Decursum verò decantando, etsi sederet in prædio, excusans se Regi aliquo casu, vt Deo redderet debitum, se subducebat conuiuio, quò egressa, Domino psalleret, & curiosè requireret, quali cibo pauperes foris refeciissent. Istidem nocturno tempore, cùm reclinaret cum principe, rogans se pro humana necessitate velle consurgere, & leuans, egressa cubiculo, tandiù antè secretùm orationi incumbebat, iactato cilicio, vt solo calens spiritu, iacéret gelu penetrata, tota carne præmortua: non curans corporis tormẽtum mens intenta paradiso, leue reputans quod ferret, tantùm nè Christo vilescceret. Indè regressa in cubiculum, vix repefieri poterat vel foco, vel lectulo. De qua Regi dicebatur, habere eum potiùs iugalẽ monacham, quàm reginam. Vndè & ipse iritatus, pro bonis erat asperimus. Sed ipsa pro parte leniens, pro parte tolerabat modestè rixas illaras à coniuge.

Mira humilitas & humanitas.

Dan. 1. Vide abstinentiam.

Nocturnæ preces eius.

Cap. 4.

Diebus verò Quadragesimæ satis est scire, qualiter se redegerit inter vestes regias singulariter pœnitentem. Igitur appropinquante ieiunij tempore, ad religiosam monacham, nomine Piam, mittebat, cui ad sanctum propositum illa dirigebat venerâter in linteo sigillatum cilicium. Quod sancta induens, ad corpus per totam Quadragesimam subtervestem regiam, dulcem portabat in sarcinam. Transactis autem diebus, similiter sigillatum retransmittebat cilicium. Si autem Rex deerat, quis credat, qualiter se orationi diffundebat, qualiter se tãquàm præsentis Christi pedibus alligabat, & quasi repleta delicijs, sic longo ieiunio satiabatur & lachrymis? Cui, despecto ventris edulio, tota refectio & tota fames erat in Christo. Illud qua pietate pagebat solicitè, vt quę per oratoria vel loca venerabilia tota nocte perlucerẽt, candelas suis manibus factas, iugiter ministraret? Pro quarũ mora serotina, dum sibi nũciarerur tardè, quòd se ad mensam Rex quæreret, circa res Dei dum satagit, rixas habebat à coniuge: ità vt multis vicibus princeps per munera satisfaceret, quòd ei per linguã peccâsset. Ad cuius opinionẽ si quis seruorum Dei visus fuisset per se vel per alium vocatus occurrere, videres illam cælestẽ habere lætitiam. Et hora noctis decursa, cum paucis pergens & intimis per niuẽ, lutum vel pulucrem, aqua calida parata, ipsa lauabat & tergebat veneranda

Tota Quadragesima vcitur cilicio.

Ieiunio satiatur & lachrymis.

Seruos Dei more veneratur.

neranda vestigia, ac resistente seruo Dei, ei propinabat in patera. Sequenti die domûs curam commẽdans creditarijs, ipsa se totam occupabat circa viri iusti verba, circa salutis institutа, circa despiciendi mundi intuitũ, & vitæ cælestis cõmercia retentabatur per dies. Quem videns lætificata, remuneratum relaxabat ipsa tristis ad propria.

Cap. 5. *salute

Illud quoq; q̃ prudenter totum pro sua *parte prouidebat in põdere? Quotiès quasi mafortem nouũ linteum, auro vel gẽmis ornatũ, more vestiebat de barbaro, à circunstantibus puellis si laudaretur pulcherrimũ, indignam se adiudicãs tali componi linteolo, mox exuens se vestimento, dirigebat loco sancto, quisquis esset in proximo, pro palla ponebatur diuino super altario. Qualiter verò si quis pro culpa criminali, vt assolet, à Rege deputabatur interfici, sanctissima Regina moriebatur, cruciabatur, nè designatus reus moreretur in gladio? Qualiter concursabat per domesticos, fideles seruientes & proceres? Quibus blandimentis mulcebat animum principis, donèc mitigata ira Regis, vndè processerat fors mortis, indè curreret vox salutis?

Anxiè intercedit pro morti adiudicatis.

His igitur beatis actibus occupatam, intãtùm prouexit diuina clemencia, vt etiam adhuc in palatio laicam, Domino largiente, declararentur per eam miracula. Deniq; in Perona villa post prandium dum ambularet per hortum sanctissima, rei retrusi pro crimine, succurri sibi succlamabant, vociferãtes de carcere. Ipsa quid esset interrogat: mentiuntur ministri, quòd mendicorum turba quæreret eleemosynam. Credens hoc illa, transmittit quo indigebat inopia. Intereà à iudice compelluntur tacere, qui tenebatur in compede. Cùm verò nox superuenisset, dum solitum cursum diceret, fractis vinculis soluti, occurrunt Sanctæ de carcere. Quo cognito, reos se viderunt, qui Beatæmentiti sunt, dum qui rei fuerant, de catenis soluti sunt. Et quoniam frequẽter aliqua occasione, diuinitate prosperante, casus cedit ad salutem, vt hæc religiosiùs viuerẽt, frater interficitur innocenter. Directa igitur à Rege, veniens ad beatum Medardum Nouiomum, supplicat instanter, vt ipsam mutata veste Domino cõsecraret. Sed memor dicentis Apostoli, si qua ligata sit coniugi, nè quęrat dissolui: differebat Regi. 1. Cor. 7. nam, nè veste tegeret monacham. Adhuc beatum virum perturbant proceres, & per basilicam grauiter ab altario retrahebant, nè velaret Regi coniunctam, nè videretur sacerdos, quòd præsumeret principi subducere Reginam, non publicanam, sed publicam. Quo sanctissima cognito, intrãs in secretarium, monachæ veste induitur: procedit ad altarium, & beatissimum Medardum his verbis alloquitur: Si me consecrare distuleris, & plùs hominem quàm Deum timueris, de manu tua pastor ouium animam requirat. Quo ille contestationis concussus tonitruo, manu superposita, consecrauit diaconam.

Soluuntur compediti diuinitùs.

Reginą frater innocenter occiditur.

Fit monacha ex regina.

Cap. 7. Eius munera liberalitæ tot donis onerat per honorem. Circulum auri ponderatum, fractum dat in opus pauperum. Similiter accedẽs ad Cellam S. *Nimeris die vno, quo se ornabat felix Regina cõpositè, sermone vt loquar barbaro, *stibionẽ, camisias, manicas, cofias, fibulas, cuncta auro, quædam etiã gemmis exornata per circulũ, sibi profutura sancto tradidit altario. Indè procedens ad Cellam venerabilis Daddonis die, quo debuit ornari præstãter in seculo, quicquid induere poterat, censu diuite fœmina, Abbate remunerato, totũ dedit cœnobio. * Acquiter sancti Gundulphi, pòst facti Metis Episcopi, progressa receptaculo, non minori laboratu nobilitauit * Sinergium. Hinc felici nauigio Turones appulsa, quæ suppleat eloquentia, quantùm officiosam, quàm se monstrauerit munificã, quid egerit circa S. Martini altaria, templi basilicã, flens, lachrymis insatiata, singula iacens per limina? Vbì Missore vocato (aliàs missò Reuocato) vestibus & ornamento, quo se clariori cultu solebat ferre in palatio, sacra cõposuit altaria. Hinc cùm in vicum Condatensem, quo glorioſus vir Martinus, & Christi satìs intimus * senator migrauit à seculo, ancilla Domini peruenisset, dedit nõ inferiora, Domini crescens in gratia. Hinc cùm in villa Seindas Pictauo territorio, iuxta prædictum vicum decenter accederet, itinere prosperante, qualiter se gessit per singula, quis numeret infinita? Nanque in mensa sub fladone siligineum panem absconsum, vel hordeaceum, manducabat occultè, sic vt nemò perciperet. Nam ex illo tempore, quo beato Medardo consecrante velata est, vsq; ad *finẽ, præter legumen & olera, non pomum, non piscem vel ouum, vel aliud quid edit. Potũ verò, præter aquam mulsam atq; * pyratiũ, non bibit: non vini puritatem, non medi decoctionem, ceruisięq; turbedinem. Tunc more S. Germani, iubet sibi molã secretissimè deferri, ex qua tota Quadragesima,

Cap. 6.

for. *senator

*infirmitatem; Nota mirã abstinentiã in tanta regina.

Oblationes, dicit hostias, vt vulgò vocant.

ma, inquantùm quatriduana refectio postulauit, sua manu commoluit. Oblationes etiam suis manibus faciens, locis venerabilibus incessabiliter dispensauit.

Cap. 8.

Ergò quia apud sanctam non minùs vsus misericordiæ, quàm erat cõcursus deplebe: nec deessent qui peterent, nec deficeret quæ donaret, mirandum, vt omnibus satisfaceret, vndè thesauri tot exuli, vndè tot diuitiæ peregrinæ. Quanta expendebat diurna redemptio, quæ sola sciebat, quæ petentibus deportabat? Nam præter quotidianam mensam, qua refouebat matriculam, duobus semper diebus sabbati, quinta & sabbato, balneo parato, ipsa succincta de sabano, capita lauans egenorum, defricans quicquid erat crustæ, scabici, tineæ, nec purulenta fastidiens, interdùm & vermes extrahens. Purgans cutis putredines, singulatìm capita pectebat ipsa, quę lauerat. Vlcera verò cicatricum, quę cutis laxa detexerat, aut vngues exasperauerant, more Euangelico, oleo superfuso mulcebat morbi contagium. Mulierum verò descendentium in tinam, ipsa cum sapone à capite vsq; ad plantam membra singula diluebat. Egredientibus exindè, si cui veterata indumenta inesse conspiceret, tollens rasa, nouare dens, antè pannosos, facicbat cultos venire ad prandium. Quibus congregatis, ministerio parato, ipsa aquã siue mappam singulis porrigebat, & inualidis ipsa manus pariter & os tergebat. Hinc tribus ferculis illatis, farcitis delicijs, stans ante prandentes ieiuna, prçsens conuiuis ipsa incidebat panem, carnem vel quicquid apponeret. Languidis autem & cæcis non cessabat cibos cum cochleari porrigere. Hoc præsentibus duabus adspicientibus, sed se sola seruiẽte, vt noua Martha satagebat, donèc puruleti fratres læti feruerent conuiuijs. Tunc illa remouens se loco, vt ablueret manus, iam benè culto conuiuio, tota gratificabatur, si quid audiret fremitûs: iubebat tamen, vt sederent, donèc vellent assurgere.

Vide humiliatẽ & officia summæ humanitatis.

Luc. 10.

Luc. 10.

Cap. 9.

Venerabili verò omni Dominico die hoc habebat in canone vel æstate, vel hyeme, vt pauperibus collectis, primùm merum sua manu de puteo dulci porrigeret, puellæ posteà committens, vt omnibus illa propinaret: quia ipsa festinabat ad orationem recurrere, quô & cursum consummaret, & sacerdotibus ad mensam inuitatis occurreret: quos adhuc regali more, ad propria cùm redirent, sine munere non laxaret. Hanc quoq; rem intremiscendam qua peragebat dulcedine? Cùm lèprosi venientes signo facto se proderẽt, iubebat adminiculæ, vt vndè vel quanti essent, pia cura requireret. Qua sibi renunciante, mensam parari iussit, itemq; cochlearia, cultellos, cannas, potum & calices. Sola subsequente, intromittebantur furtùm, quô eos nemo perciperet. Ipsa tum mulieres, varijs lepræ perfusas maculis comprehẽdens in amplexibus, osculabatur vultus, toto in Deo diligens animo. Deindè mensa posita, ferens aquam calidam, facies lauabat, manus vngens & vlcera, & rursùs administrabat ipsa, pascens per singulas. Recedentibus præbebat auri vel vestimenti, vix vna teste, munuscula. Ministra tamen præsumebat, etsì non sine blandimẽtis, sic appellare sanctissimam: Domina, quis te osculabitur, quæ sic leprosos amplecteris? Illa respondebat beneuolè: Verè si me non osculeris, hinc mihi cura nec vlla est.

Officiosissime tractat leprosas.

Cap. 10. Nota vim S. Crucis.

Quæ tamen, prestante Deo, diuerso fulsit miraculo. Deniq; si quis pustulę desperaret de vulnere, offerebat ministra sanctæ folium pampini, mentiẽs sibi opùs hoc esse. Sicq; vix obtento signaculo, portabat ad desperatum: vulneri superpositum mox occurrebat remedium. Itidèm frigoreticus qui venisset, aut languens, dicens in somnis se vidisse, vt pro sua salute fœminæ sanctæ occurreret, offerebat cãdelam alicui ex ministris. Qua accensa per noctem, morbus accipiebat mortem, morbidus sanitatem. Quotiès autem cognouit decubantem in lectulo, portans poma peregrina, dulce simul & calidum, reficiebat ægrotum: & qui nec decimo iam die aliquid percepisset cibi, ipsa mox administrãte, languidus accipiebat cibum pariter & salutem. Quod tamen ipsa imperabat, nè quis proferret in fabula.

Frigoretic⁹ pro febricitante.

Morbidos sanat.

Cap. 11.

Tanta verò congressio popularis extitit die, qua se sancta deliberauit recludere, vt quos plateę non caperent, ascendentes tecta cõplerent. Quid aũt sanctissima ieiunij, obsequij, humilitatis, charitatis, laboris & cruciatûs frequẽter indepta sit, si quis cuncta percurreret, ipsam prędicaret nõ tam confessorem, q̃ martyrẽ. Ergò venerabilem præter diem Dominicũ, fuit sacratissimæ omnibus diebus ieiuniũ, lenticulæ vel oleris propè ieiuna refectio: non aũt piscem, vel pomũ, nec ouũ habens in eduliũ. Panis verò deliciarũ, siliginis fuit aut hordei, quem absconsum sub sladone sumebat, nè quis perciperet. Fuit etiã potio, aqua, mulsum * pyratiũ, sed modicè libata sitibunda potatio. Prima Quadragesima, qua se reclusit in cellula, donèc fuisset transacta, panis non sumpsit

Nota in tãta fœmina tã rarã abstinentiam.

*piracium

sumpsit cibaria, nisì die Dominico tantùm. Radices herbarum aut olera de malua, sine olei gutta, sine sale composita sumebat in cibum: verùm ex aqua toto ieiunio nec sumens duo sextaria. Hinc tanta siti laborabat, vt faucibus desiccatis, vix psalmum diceret arida. Cilicium etiã habens ad corpus pro linteo iugiter, cursum decãtans peragebat vigilias: ante se cinere strato, superiecto cilicio, vtebatur pro lectulo. Ipsa eam requies fatigabat, cui parùm videbatur hoc sustinere corpusculũ. Non illam aliquandò mollis pluma fulciuit, neq; linteaminis nitor instruxit. Manicã, qua brachium indueret, non habebat, nisì quòd de caliga sua sibi duas fecit manicas. Sed ità se tractabat, vt hæc nec Abbatissa sentiret.

Eius aridissima siris.

Lectus.

Paupertas.

Adhuc monachabus omnibus soporantibus, calceamẽta tergens & vngens, transmittebat per singulas. Alijs Quadragesimis aliquid relaxans, quinta feria sumebat, deindè die Dominica. Nam & reliquo tempore, præter dies Paschales ac summæ festiuitatis, donèc infirmitas permisit, in cinere & cilicio semper vitam duxit austerã, priùs seleuans, vt psalleret, quàm congregatio surrexisset. Nam de officijs monasterialibus nihil sibi placuit, nisì prima seruiret: & ipsa se castigabat, si bonũ fecisset post alteram. Ergò suis vicibus scopans monasterij plateas simul & angulos, quicquid erat fœdum purgans, & ante se sarcinas, quas alius horreret videre, non abhorrebat euchere. Secretum etiam opus purgare non tardans, sed occupanter ferens fœtores stercorum, credebat se minorem sibi, si se non nobilitaret seruitij vilitate: ligna supportans brachijs, focum flatibus & forcipibus admouens, calens nec læsa se retrahebat. Extra suam hebdomadam infirmantibus seruiens, ipsa cibos decoquens, ægrotis facies abluens: ipsa calidum porrigens, visitabat quas fouebat, ieiuna rediens in cellulam.

Cap. 12. Humilitas. Quadragesimis scilicet Mariæ virginis: S. Petri & Aduẽtus Dominici.

Vilitate seruitij se sentit nobilitari.

Illud quoquè quis explicet, quanto feruore excitata ad coquinam concursitabat, suam faciens septimanam? Deniquè nulla monacharum de posticio, nisì illa, quantum ligni opùs erat, sola ferebat in sarcina. Aquam de puteo trahebat, & dispensabat per vascula. Olus purgans, legumen lauans, focum flatu viuificans, & vt decoqueret escas, satagebat exæstuans. Vasa de foco ipsa leuans, discos lauans & inferens. Hinc consummatis conuiuijs, ipsa vascula diluens, purgans, nitidans: de coquina, quicquid erat fæculentum, foràs in locum designatum ferebat, ima etiam purgamina. Indè * per ægrotantes inferens necessaria, ibat non tepida. Et priusquàm acciperet Arelatensem regulam, hebdomada sub transacta, sufficienter ad omnes calidam faciebat aquam, humilitate sanctissima, pedes lauans & osculãs: & adhuc omnibus prostrata, deprecabatur veniam negligentia pro commissa. Itaq; post tot labores quas sibi pœnas intulerit, & ipse, qui voce refert, perhorrescit.

Cap. 13.

* pro ægrotantibus

Quadam vice dum sibi translatos tres circulos ferreos, diebus Quadragesimæ collo vel brachijs innexuisset, & tres catenas inserens, circa suum corpus alligâsset strictiùs, incluſit durum ferrum caro tenera supercrescens. Et transacto ieiunio, cùm voluisset sub cute clausas catenas extrahere, nec valeret, caro per dorsum atque pectus super ferrum catenarum est incisa per circulum, vt sanguis effusus, adextremùm exinaniret corpusculum. Itidèm vice sub altera iussit fieri laminam in signum Christi aurichalceam. Quam accensam in cellula, locis duobus corporis altiùs sibi impressit, tota carne depicta. Sic spiritu flammante, membra faciebat ardere. Adhuc aliquid grauius in se ipsa tortor excogitans, vna Quadragesimarum super austerum ieiunium, & sitis torridum cruciatum, adhuc lima cilicij tenera membra setis asperis dissipante, iubet portari aquimanile, ardentibus plenum carbonibus. Hoc, discedentibus reliquis, trepidantibus membris, animus armatur ad pœnam, tractans, quia non essent persecutionis tempora, à se vt fieret martyr. Inter hæc vt refrigeraret tam feruentem animam, incendere deliberat corpus: apponit æra candentia, stridunt membra cremantia, consumitur cutis, & intima, quò ardor attigit, fit fossa. Tacens tegit foramina: sed computrescente carne, riuus sanguinis, quod vox non prodiderat, prodebat in pœna. Sic fœmina pro Christi dulcedine tot amara libenter excepit. Hinc actum est, vt quod ipsa abdiderat, hoc miracula non tacerent.

Cap. 14. Vide genus voluntarij martyrij.

Corpus suũ adurit.

Miro feruore spiritus carnem cõcremat.

Itaq; matrona Gislahadi proceris, nomine Bella, sed longa cęcitate miserrima, rogauit se de Francia Pictauos ad sanctę duci deuotè præsentiã. Quã licèt tardè exoratã, sibi fecit occurrere per tetræ noctis silẽtia. Postrata ad eius genua, vt dignaretur oculos eius signare, vix impetrauit. Quæ mox vt in nomine Christi signum Crucis impressit, cæcitas fugit, lux redijt, & nocturno sub tempore orbæ diù dies illuxit, ità vt tracta

Cap. 15.

Signo Crucis cæcam sanat.

Certæ dæmoniacam. Cap. 15. Item alteram

cta cùm veniſſet, nullo ducẽte recederet. Itẽ puella Fraiſſedis, inimico inſtigãte dum torqueretur nequiter, ſacras inter manus ſanctæ, nec data dilatione, curari ꝓmeruit.

Nec illud prætereatur tempus beatæ, ſalutẽ in quo præſtitit. Fœmina quædam Leubila, dum vexaretur more ab aduerſario grauiter, ſequenti die orante ſancta, noua Chriſti curatione, in ſcapula crepante cute, & verme foràs exeunte, ſana eſt reddita publicè, & ipſum vermem calcans pede, liberatam ſe retulit.

Cap. 16. Illud quod geſſit in ſecreto, proferatur in publicũ. Monacha quædam toto anno in die gelida frigore, per noctem cremata igni, ſex menſibus nec greſſum mouens, cùm iacéret exanimis, ſanctæ de eius infirmitate ſoror altera nũciauit: & quia perinanis eſſet, tepidam fieri præcepit, ipſáque ægrotam facit ad ſe in cellulam portari, & in tepidam deponi. Hinc iubet omnes remoueri, remanente tantùm ſola ſimul ægrota cum medica ferè per horas duas. Quantùm eſt corporis forma, à capite vſq; ad plantas infirma membra contabuerãt. Dehinc quò manus attingebat, fugiebat dolor de languida. Quam duæ depoſuerant, exit ſalubris de tepida. Quæ vinum nec odorabat, accipit, bibit & * reficit. Quid plura? Sequenti die, cùm iam expectaretur migrare de ſeculo, ſalua proceſſit in publicum.

Reſtituit monachã penè exanimem.

Cap. 17. Adijciatur laudi, quod non deperijt merito. Mulier quædã dum inimici inuaſione grauiter laboraret, & vix ad ſanctam potuiſſent hoſtem rebellem adducere: imperat aduerſario, vt ſe ſuo cum tumore pauimento proſterneret. Mox ad beatę ſermonem ſe in terram deijciens, qui timebatur, extimuit. Cui ſancta plena fide dum calcâſſet in ceruicẽ, fluxu vẽtris egreſſus eſt. Eſt in rebus minimis magna gloria Creatoris. Ergò caſu cùm glomus, quem ſancta filauerat, pendéret de camera, veniens ſorex vt tangeret, antequàm filum incideret, mortuus in morſu pependit.

Pellit dæmonem.

Cap. 18. Inſeratur operi res tam digna miratione. Florcius quidã nomine homo, eiuſdem ſanctæ pro piſcatione in mari dum ſatageret, oborto ventorum turbine, fluctuũ ſurgente mole, nec tam nauta ſentinante, quàm vnda ſuperuergente, cùm nauis plena ſubmergeretur, in extremitate clamat: Sancta Radegundis, dum tibi obedimus, non ſubſidamus naufragio: ſed obtine apud Deũ, vt liberemur de pelago. Quo dicto, mox fugata nube, reddita ſerenitate, vnda cadente, prora ſurrexit.

Sentinante, pro, ſentinã exhauriẽte.

Cap. 19. Goda puella ſecularis, pòſt Deo monacha ſeruiens, dum longo ſub tempore lecto flebilis decubaret, & impenſo multo medicamine plùs langueret, facta candela ad menſuram ſuæ ſtaturæ, Domino miſerante, in nomine ſanctæ fœminæ, qua hora frigus ſperaret, lumen accẽdit ac tenuit. Cuius beneficio antè fugata ſunt frigora, quàm eſſet candela conſumpta.

Nota de cãdela.

Cap. 20. Si propter breuitatẽ multa prętermittimus, plùs peccamus. Igitur purgatis velociter reliquis, dilato remedio, carpentarij cuiuſdam vxor dum plurimis diebus energumena torqueretur, venerabilis eius Abbatiſſa ioculariter dicit ad ſanctam: Crede mihi, excommunico te, ſi intrà hoc triduum mulier hæc ab iſto purgata nõ redditur. Dixit planè, ſed fecit ſanctam mulierem occultè refectionis tempore pœnitẽtem. Quo nè moremur, quid actum ſit, altera die ſancta precante, aduerſarius rugiẽs, per aurem egrediens, inuaſum vaſculum deſerit: mulier cum marito ſoſpes redit hoſpitio.

Sanat obſeſſam.

Cap. 21. Nec illud prętereatur, quod eſt actu ſimilimũ. Rogat beatiſſima de loco ſuo euelli arborem validam lauri, & ad ſuã cellulam pro iucunditate trãsferri. Quo facto, tranſplantata, non adhærente radice, fit tota folijs arida. Cui Abbatiſſa ioculariter imputat, nisi exoraret, vt arbor terræ adhæreret, ſe de cibo ſuſpenderet. Quod non inaniter dictum eſt. Nam folijs, ſancta intercedente, ramis, radice laurus ſiccata, reuiruit.

Arida arbor refloreſcit.

Cap. 22. De monachabus quædam ſibi familiarior, cuius ex humore ſanguis contexerat oculum, appræhenſa herba abſynthio, quam ſancta circa pectus, vt refrigeraret, habuerat, cùm ſuper oculum poſuit, dolor & cruor mox effugit, & de viriditate herbæ puritas lucis emicuit.

Cui ar cuinſdam monialis oculum.

Cap. 23. Reuocetur memoria, quod tacitũ penè præterijt. Anus de rebus agens beatiſſimæ, cùm ſibi filij naſcerentur, quos vt videret, mox perderet, & cogitaret ſepelire mater triſtis, dum pareret, exanimem infantem lachrymoſi parentes iactant in ſanctæ cilicium. Qui ſaluberrimam veſtem mox vt panni nobilis attigit, ad officium vitale redijt infans de funere, & rubens leuat de pallio pallor vicinus ad tumulum.

Eccè tibi cilicij ei⁹ miram vim.

Cap. 24. Quis numeret mirabilia, quæ Chriſti miſericordis operatur clementia? Anna monacha dum tantùm hydropis morbo tumefacta tenderetur, vt ſalus eſſet in vltimo, & deputatæ ſorores expectarent, quo momento exhalaret ſpiritum: viſa eſt ei per ſoporem

rem cum veneranda Abbatiſſa beata Radegundis in balneum ſine liquore nudam iubere deſcendere. Deindè manu beata viſa eſt oleum ęgrotę ſuper caput effundere, & noua veſte contegere. Quo peracto myſterio, euigilanti de ſopore, de morbo nihil apparuit, ità vt nec ſudaret, & intùs aqua conſumpta ſit. Quo nouo ſub miraculo non reliquit in vtero nec morbi veſtigiũ. Nam quæ credebatur præceps deferri ad tumulum, leuatur ad curſum de lectulo: vt olei teſtimonio odor ineſſet capitis, & ventris nulla pernicies.

Hydropica curatur admirabiliter.

Proferatur in medium, quo gratuletur religio. Quadam vice, obumbrante iam noctis crepuſculo, inter choraulas & citharas dum circa monaſteriũ à ſecularibus multo fremitu cantaretur, & ſancta duabus teſtibus perorâſſet diutiùs, dixit quędam monacha ſermone ioculari: Domina, recognoui vnũ de meis canticis à ſalrantibus prædicari. Cui reſpondit: Grande eſt, ſi delectat coniunctam religioni, audire modula tionem ſeculi. Ad hæc ſoror pronunciat: Verè domina, duo & tria hîc modò mea cantica audiui, quæ tenui. Sancta reſpondit: Teſtor Deum, me nihil audîſſe modò ſecularí de cantico. Vndè manifeſtum eſt, vt carne licèt in ſeculo, mente tamen eſſet in cælo.

Cap. 25.

Nota, q̃ ſint mundo mortui, & Deo iuncti.

Prædicetur in laudem Chriſti, more beati Martini, tempore præſenti antiqui normа miraculi. Cùm beatiſſima fœmina recluſa eſſet in cellula, audit fletum de monacha: & ſigno facto, venientem, quid illud eſſet, interrogat. Quæ mortuam ſororem nunciauit infantulam, & frigidam, qua lauaretur, paratã eſſe iam calidam. Condolẽs ſancta tunc imperat, vt cadauer ipſius ſuam deferret in cellulam. Quod ſibi deportatum excepit manu propria, recluſa poſt ſe mox ianua, iubens longè diſcedere, nè quis ſciret quid ageret. Sed quod occultè geſſit, celari diù nõ potuit. Inter hæc dum defunctæ exequiæ præparantur, ferè per horas ſeptem mortuum tractat corpuſculum. Sed Chriſto vidente fidem, cui negare nõ potuit, reddita prorsùs ſalute, ſurgit hæc ab oratione, reſurgit illa de funere: & ſe tunc ſubleuat vetula, cùm ſurrexit infantula. Quæ tacto iterùm ſigno, lætificata reddit viuam, quam flens acceperat mortuam.

Cap. 26.

Infantulã mortuã excitat.

Commemoretur & illud factum per ſomnium. Tribunus fiſci, cognomento Domolenus, die, qua ſanctiſſima migrauit de ſeculo, dũ grauiter ſuffocationis totus languore deficeret, videbatur ipſi, quòd ſancta in vicum eius dignabiliter accederet. Currit, ſalutat, interrogat quid ſancta requireret. Tunc ipſa dicit, quòd ad cum ibì viſendum peruenerit. Et quia votum plebis erat, vt beati Martini oratorium conderẽt, appræhendit Tribuni manum beatiſſima, dicens: Hoc loco ſunt confeſſoris venerandæ reliquiæ: per hunc ædificate templum, quod ſibi ducat digniſſimum. Quale Dei myſterium? Fundamentum & pauimentum repertum eſt, quo baſilica facta eſt. Adhuc in ipſo ſopore manum trahit per fauces eius, gulam diù deliniens, inſupèr & hoc dicens: Veni, vt tibi melior à Deo ſanitas conferatur. & videbatur ſic rogare: Per meam vitam propter me relaxes illos, quos habes in carcere. Euigilans Tribunus, refert, quod viderat, coniugi, dicens: Verè credo, quòd hac hora exijt ſancta de ſeculo. Dirigit ad ciuitatem, vt per hoc vera cognoſceret: trãſmittit ad carcerem, qui ſeptem homines ibì retentos admonitus relaxaret. Redeunte tranſmiſſo, refert eam horam, qua migrauerat iuſta de ſeculo, & triplici myſterio, carcere relaxato, Tribuno ſano reddito, ædificato templo, ſanctæ probauit oraculum. Sed de beatę virtutibus ſufficiat exiguitas, nè faſtidiatur vbertas: nec reputetur breuiſſimũ, vbì de paucis cognoſcitur in miraculis amplitudo. Quæ pietate, parcitate, dilectione, dulcedine, humilitate, honeſtate, fidei feruore ſic vixerit, vt adhuc ipſam poſt obitum glorioſi tranſitûs mirabilia proſequantur.

Cap. 27.

Emigrans à corpore, appãret Tribuno, ciusque morbũ ſanat.

Prologus Bandominæ, (vel Bandoniniæ) in librum ſecundum.

DOminabus ſanctis, meritorũ gratia decoratis, Didymiæ Abbatiſſæ *Bandomina humilima omniũ: Iniungitis mihi, vt opus ſuſcipiam non minùs impoſſibile, q̃ ſit digito cęlum tangere: nempe vt de vita dominæ Radegundis aliquid dicere attentẽ. Sed iſthuc ab illis exigi oportebat, qui præſtant eloquẽtia, ità vt quicquid illis iniunctum ſit, carmine copioſo & facili vena vbertìm explicare queant. Qui enim anguſto ſunt intellectu, nec habẽt eloquij copiã affluentem, qua vel alios reficere, vel piæ ſiccitatis poſſint inopiam tẽperare, ij nõ ſolùm ſua ſponte

*Bãdoninia

ſponte nihil dicere appetunt, ſed etiam ſi quid eis iniunctum ſit, pertimeſcũt. Id quod equidem in me experior, quæ ſum & animo puſillo, & intelligentia atque eloquentia pertenui. Quàm verò vtile eſt, doctos ad dicendum procedere, tam expedit indoctis, tacere. Illi enim de exiguis nõrunt magnificè differere: hi verò etiam de magnis neſciunt vel pauca proferre. Ità fit, vt quod ab alijs expetitur, id alij reformident. Cùm ſim ergò minimarum omnium ego minima, quam ab ipſis incunabulis ante ſua vestigia peculiarem vernulam familiariter enutriuit, dum impenſi muneris memor, de eius præclaris operibus etſi non omnia, ſaltem nonnulla commemorare aggredior, vt ſui gregis auribus eius celeberrimæ vitæ præconia, etsi non condigno, deuoto tamen eloquio, ſanctiſſimæ veſtræ voluntati me obſecundante, depromantur, veſtris orationibus adiuuari me peto, quæ non tam doctrinæ fiducia, quàm deuotione, permoneor. Neque verò ea, quæ vir Apoſtolicus Fortunatus Epiſcopus de beatæ vitæ conſcripſit, iteramus: ſed ea ſcribenda ſuſcipimus, quę ille ob prolixitatem omiſit. Sic enim ipſe habet in libello ſuo: De beatæ virtutibus ſufficiat exiguitas, nè faſtidiatur vbertas: nec reputetur breuiſſimũ, vbi de paucis agnoſcitur in miraculis ampliudo. Itaque diuina nobis fauente potẽtia, cui beata Radegundis placere ſtuduit in ſeculo, vt cum eo regnaret poſt ſeculum, non polito, ſed ruſtico tentamus ſermone ex multis pauca eius geſta annotare.

Ban domina à S. Radegũ de enutrita

VITAE LIBER SECVNDVS.

Cap. 1.

VAndoquidem priori libro indicata eſt eius regia origo & dignitas, nullus ignorare poteſt, quemadmodùm ſeſe geſſerit, quandò cum terreno principe, eodemque coniuge, Rege præcelſo Clotario, cõuerſabatur. Ex regali enim progenie nobile germen erupit: quodque accepit ex genere, plùs fide ornauit. Coniuncta quidem erat terreno principi nobilis Regina, cęleſtis potiùs, quàm terrena: ſed & ipſo coniunctionis breui tempore ità ſe ſub coniugis ſpecie nupta comparauit, vt Chriſto maiori deuotione ſeruiret, & hoc ageret adhuc in laico habitu, quod imitari religioſa mẽte appeteret, iam animo præuidens futuræ conuerſationis aduentum. In ipſo enim ſeculari habitu iam ad religionis exempla ſe conformabat, & nulla huius mundi compede catenata, in ſeruorum Dei miniſteria ſemper accincta erat, in redimendis captiuis ſolicita, in præſtandis eleemoſynis profuſa: ità vt hoc ſolum ſe poſſidere & proprium habere putaret, quod ab ipſa pauperae cepiſſet.

Iuncta Regi Chriſto eſt deuotiſſima

Liberalitas in captiuos & egenos.

Cap. 2.

Cùm eſſet adhuc cum Rege, habitu quidem mundano, ſed mente in Chriſtum intenta, (teſte Domino loquor, cui etiam ore tacente pectora confitentur: cui, etiamſi lingua taceat, conſcientia nihil occultat: quia quod audiuimus, dicimus, teſtamur) inuitata ad prandium à * Sifrede matrona, dum iter ageret, pompa comitante, fanum quoddam, quod à Francis colebatur, ab eius itinere milliario vno aberat. Illa audiens coli illud à Francis, iuſſit miniſtris, vt igni iniecto illud comburerẽt: iniquum cenſens, Deum cæli contemni, & diabolo cultum ac venerationem adhiberi. Vbi id Franci comperiunt, collecta non parua manu ſuorum, cum gladijs, fuſtibus & multo ſatanico fremitu fanum tueri conantur. At ſancta Regina immota perſeuerans, & Chriſtum in pectore geſtans, equum, cui inſidebat, non antè è loco promouit, quàm fanum illud profanum, euerſum eſſet, ipſaq; orante, populus inter ſe mutua pace copularetur. Eo impetrato, Reginæ virtutem & conſtantiam omnes admirãtes, Dominum benedixerunt.

Fanũ dęmonũ euertit.

Cap. 3.

Poſtquàm verò, diuina agente potentia, à Rege terreno pro voto diſceſſit, dum in villa * Suades, quam Rex ipſi dederat, reſideret, primo anno conuerſionis ſuæ vidit in viſu nauem humana ſpecie, per cuius membra omnia homines ſederent: ipſa verò in eius ſederet genu: audiuitque ab eius ore vocem huiuſcemodi: Modò in genu meo ſedes: ſed poſteà in pectore meo reſidebis. hoc ipſo futuram illius gratiam voce illa ſignificante. Viſionem eam illa ſecretiùs fidelibus ſuis retulit, obteſtans, nè, ipſa viuente, quiſquam reſciret. Explicare verò quis poſſit, quàm fuerit in ſermone cauta & circunſpecta, quàm in omni actione deuota? In proſperis & aduerſis, in lætis & triſtibus eodem ſemper animo permanebat: nõ frangebatur aduerſis rebus, non ſecundis efferebatur. Cùm etiamnùm in ea, quam diximus, villa hæreret, rumor ad eam peruẽnit,

Viſio eius.

Animi eius magna æquabilitas.

nit, quòd Rex vellet ipſam ad ſe reuocare: quippè qui tanquàm magnum paſſus damnum, doleret ſe talem ac tantã Reginam permiſiſſe à ſuo latere amoueri: diceretq; ipſam quoquè vitam ſibi moleſtam fore, nisì eam ad ſe reduxiſſet. Id illa audiens, nimio terrore conſternata, maiori ſe afficit cruciatu, cilicium aſperrimum tenerrimo corpuſculo injicit, ieiunio ſe macerat, noctibus peruigil totam ſe in preces effundit, paternam deſpicit ſedem, coniugis affectum negligit, mundi huius amorem à ſe prorsùs excludit, optat exul fieri, nè ſit à Chriſto peregrina.

Exhorret rursùm terreno Regi aſſociari.

Habebat tum apud ſe regium quoddam ornamentum, ex auro fuſile, gemmis & margaritis conſpicuũ, mille ſolidos appendens. Hoc per nonnam ſuam Fridouigiam, quam inter fideles proximam habebat & coniunctiſſimam, venerabili viro Iohanni apud caſtellum Cainonenſe incluſo tranſmiſit, petens, vt Dominum pro ipſa oraret, nè rursùs ad ſeculum reuerteretur: tum etiam vt veſtem cilicinam ipſi mitteret, qua corpus ſuum excruciaret: ſimul etiam certiorem ipſam redderet, ſi quid ſpiritu diuiniſſet de ea re, quam ipſa formidaret: hoc etiam addens, ſi Regis ea eſſet voluntas, ſe mâlle tolli è medio, quàm iterùm Regi terreno iungi, quandò iam in Regis cæleſtis eſſet admiſſa amplexus. Remiſit autem ad eam ille vir Dei pannum cilicinum, vndè ipſa ſibi interius & ſuperius effecit indumentum. Porrò totam noctem idem vir ſanctus in oratione peruigilans, ex diuino inſtinctu in craſtinum mandauit ei, Regis quidem eam eſſe voluntatem, ſed non permiſſurum Deum, vt ea fiat: antè enim Regem, Dei iuſto iudicio pœnas daturum, quàm eam coniugem recipiat. Id vbi illa cognouit, animo ad tranquillitatem reuocato, ex diuina inſpiratione & Chriſti adiutorio, Pictauis ſibi monaſterium conſtruxit, Clotario Rege iubente, vt id fieret. Qua in re acceleranda diligentẽ ei nauãrunt operam, iuſſu Regis, Apoſtolicus Epiſcopus Pictauis & Auſtrapius dux. In illud monaſterium ſancta Regina, mundi fallacioſa blandimenta reſpuens, hilariter ingreſſa eſt, vt perfectionis ſibi ornamẽta illic compararet. Magna autem puellarum frequentia, Chriſto ſponſo immortali ibidèm collecta, Abbatiſſam conſtituit: & tam ſeipſam, quàm omnia ſua illius permittens poteſtati, nihil ſibi reſeruare voluit, vt expedita per Chriſti veſtigia curſitaret: tantoque maiores ſibi opes pararet in cælo, quanto ſibi amplius de mundo ſubtraxiſſet.

Pictauij ſibi conſtruit monaſterũ

Fit monacha, & multas ſibi adiungit.

Ibi ſanè ſancta illius conuerſatio feruebat ſtudio magnæ humilitatis, charitatis vbertate, caſtitatis ſplendore, abſtinentiæ pinguedine: adeoque totam illic ſe cæleſti amori impendit, vt Deum mundo corde complectens, Chriſtum ſuî habitatorẽ ſentiret. At bonis omnibus inuidens, & humani generis inimicus diabolus, cui nec tum quidem obſequi voluit, cùm adhuc in ſeculo degeret, eam perſequi non ceſſauit. Vt enim per internuncios iam didicerat, præcelſus Rex Clotarius cum filio Sigeberto Turones vénit ſub deuotionis prætextu, vt indè faciliùs Pictauos adiret, ipſam Reginam repetiturus. Qua re illa comperta, literas ſcripſit cum diuina obteſtatione ad virum Apoſtolicum, Germanum Pariſienſem Epiſcopum, qui tum cum Rege erat: easque per Proculum agentem ſuum, ſecretiùs miſit cum xenio & eulogijs. Eas literas vbi perlegit vir Deo plenus, cum lachrymis ſe proſtrauit ad pedes Regis apud beati Martini ſepulcrum, grauiter eum obteſtans, vt literis ei erat indicatum, nè Pictauum adiret. Tum Rex animo commotus, intelligens Reginæ eas eſſe preces, pœnitẽtia ducitur, & malis conſiliarijs conatus ſuos imputans, ſeq; indignum iudicans, qui talem Reginam diutiùs apud ſe haberet, itidèm ſe proſtrauit ad pedes beatiſſimi Germani ante S. Martini limina, orans vt à B. Radegunde veniã ipſi peteret, vt illa condonaret, quòd in eam, à malis conſiliarijs perſuaſus, peccâſſet. Et eccè vltio diuina repentè illos ipſos malos conſultores perſequitur. Sicut enim Arrius catholicam fidẽ oppugnans, inteſtina ſua omnia in cloacam effudit: ità & iſtis accidit, beatam Reginam infeſtantibus. Porrò Clotarius Rex, cùm non ignoraret Reginam etiam apud ipſum commorantem, ſemper magìs diuinæ, quàm ipſius voluntati paruiſſe, diuinum iudicium metuens, rogat beatum Germanum, celeriter vt Pictauos proficiſcatur. Obtemperat Regi vir Apoſtolicus Germanus, venit Pictauium, intrat in monaſterium, in oratorio beatæ Mariæ ad ſanctæ Reginæ pedes ſe abijcit, Regi veniam precatur. Illa gaudens ſe è ſeculi ereptam faucibus, clementer ignoſcit, ſeque ad Dei famulatum applicat, iam expedita ad ſequendum Chriſtum, cum quo ſemper ierat, quem ſemper amauerat.

S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis eius contẽporaneus.

Clotarius Rex dolet ſe eam voluiſſe à monaſterio ad ſe reuocare.

Diuina vltio in eos, qui id conſuluerant.

Itaq; eiuſmodi ſtudijs intenta, auctis vigilijs, perindè atque carceris ſe fecit ſui corporis pernoctando cuſtodem: & cùm eſſet erga alios miſericors, in ſeipſam ſeuera & rigida

Cap. 4.

Cap. 5.

Cap. 6.

Vitę seueritudo & eximia sanctitas.

rigida fuit: alijs indulgens & liberalis, sibijpsi dura abstinendo & parca: ità vt non sat haberet corpus affecisse inedia & ieiunijs, nisi etiam de illo triumpharet. Id genus exercitijs occupata, eo casu, qui primo libro indicatus est, meruit eò pertingere, vt vni Deo liberè vacare posset. Atq; ab illo tempore fortioribus induta armis, sine cessatione in preces, vigilias, lectionem incubuit. Ipsa cibos ad mensam inferebat: ipsa suis manibus lauit & exterfit infirmorum pedes. Non famulæ sibi passa est adhiberi solatium, sed ipsa deuota cursitabat ad præstanda seruitia. Multa se abstinentiæ districtione afflixit, quandiù licuit per aduersam valetudinem. Mente enim Deo intẽta, terrenum cibum non requirebat. Lectum permolestum ipsa sibi effecit, quem etiam ante susceptum religiosum habitum non aliquandò molli fulciuit pluma, non linteaminis nitor instruxit. Cinis & cilicium loco vestiũ eius tenera membra domabant. De abstinentiæ & seruitutis eius rigore multa habet primus liber.

Attẽde profundam ei⁹ humilitatẽ.

Itẽm abstinentiam.

Cap. 7. Itẽm paupertatem.

Intãtùm autem propter Deum se pauperẽ fecit, quó cæteris pręberet exemplum, vt manicas, quibus brachia indueret, non haberet. Itaq; de caliga sua duas sibi consecit manicas. Sed paupertatem suam adeò celabat, vt eam etiam Abbatissa non sentiret. Quis verò eius patientiam, quis puritatem, quis charitatẽ, feruorem spiritus, discretionem, benignitatem, zelum sanctum, perpetuam nocte ac die diuinæ legis meditationem dignè poterit explicare? Cessanti illi à psalmorum meditatione vel prædicatione, monacha aderat, quæ coram illa loquitare non desisteret. Deniquè vsque adeò ab eius corde & ore laus Dei non recedebat, vt cùm quandoq; videret monasterij ostiariam præterẽuntem, (dicebatur autem illa quoquè Radegundis) velletque eam nomine proprio appellare, pro Radegunde diceret Alleluia. Atq; id sanè crebrò fecit. Nunquàm autem ab eius ore detractio, nunquàm mẽdacium, nunquàm maledictum contra qualemcunq; hominem profectum est: & non modò ipsa neminem detraxit, sed neq; detrahentem æquo ferrè animo potuit. Pro suis persecutoribus semper orauit, & alios orare docuit. Congregationem, quam in Dei nomine magno pietatis affectu collegit, tanto amore prosecuta est, vt neque parentes Reges, neque maritum Regem se habuisse cogitaret: crebroq; dum ad nos sermonem haberet, ità dicebat: Vos elegi filias: vos mea lumina: vos mea vita: vos mea requies, totaque felicitas: vos nouella plantatio. Agite mecum in hoc seculo, vndè gaudeamus in futuro. Plena fide, plenoq; cordis affectu seruiamus Domino in timore. In simplicitate cordis quæramus eum, vt cum fiducia ei possimus dicere: Redde Domine quod promisisti, quia fecimus quod iussisti. Nunquam cuiquam faciendum aliquid imposuit, quod non prior ipsa fecisset.

Virtutũ ei⁹ catalogus.

Alleluia, vox est qua laudatur Deus in cælo ab Angelis & sanctis eius.

Hinc aduertis authoris ætatẽ & historiæ fidẽ.

Cap. 8. Vndecunquè quispiam Dei seruus aduenisset, solicitè ex eo percontabatur, qua ratione ipse Domino seruiret: & si quid noui ab eo didicisset, quod ipsa nõ faceret, cum multa alacritate id ipsa primò faciendum suscepit, atq; deindè etiã alias suæ congregationis monachas verbo docuit, quod exemplo suo faciendum ostendebat. Coram illa cessantibus per vices psalmis, nunquàm intermittebatur lectio, non die, non nocte, non dum vel paululùm corpus reficit. Cùm legeretur autem, illa pia solicitudine animarum nostrarum curam gerens, dicebat: Si nõ intelligitis, quod legitur, cur non solicitè requiritis speculum animarum vestrarum? Quòd si pro reuerentia non audetis interrogare, illa materna cura & affectu, quod lectum erat, in salutem animarum suis verbis & prædicatione explicare non cessabat. & sicut apis è diuersis florum generibus mel sibi colligit, ità illa sua inuitatione etiam inuitis studium retinendi extorquebat. Noctibus vel vnius spatio horæ illa somnum captante, semper coram ea legebatur. Cùm autem putaret ea, quę legebat, illam obdormiuisse, & propterea cessaret legere: illa mente Christo intenta, tanquàm diceret, Ego dormio, & cor meum vigilat: aiebat legenti: Cur taces? pergè legere sine intermissione. Medijs noctibus, quandò surgendi aderat hora, licèt ipsa iam cursum compleuisset, & vix somnum sensisset, promptè surgebat è strato, parata ad seruitiũ Deo dependendũ, idq; animo iucundo, vt posset dicere cum fiducia: Media nocte surgebam ad confitendum tibi Domine. Sæpè autem & dormire visa est, & sub ipso sopore decantare psalmum, vt rectè & ex sententia posset dicere: Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Sõnus breuissimus. Cant. 5.

Cursum, dicit preces horarias. Psal. 118.

Psal. 18.

Eximiam eius erga mortales omnes charitatem quis vnquàm possit imitari? Eluce-

Cap. 9. bant in ea virtutes omnes: modestia coniuncta cum verecundia, prudentia cum simplicitate, seueritas cum mãsuetudine, doctrina cum humilitate: deniq; vita immaculata, vita in quam non caderet reprehẽsio, vita semper æquabilis. Adeò verò se rebus suis

suis omnibus nudauit, vt si alicui ex sororibus vinum dari voluisset, nõ esset ausa è suo cellario promere. Id vbi sensit Abbatissa, dedit ei vas quoddam octo modiorũ, quod illa Felicitati expendendum commendauit. Indè verò à vindemia in vindemiam diebus singulis, vbicunq; sancta iussisset, Felicitas promebat vinum, nec tamẽ quicquam eius imminutum fuit, sed eadem semper copia permansit. Postquàm nouum aduénit vinum, & cella vinaria plena erat, illa se satisfecisse credebat. Citiùs autẽ vasa alia exhauriebantur, quàm illud, quod in omnibus sanctæ parebat voluntati. Dominus Iesus quinq; panibus & duobus piscibus quinq; hominum millia pauit: & eius ancilla, vbi aliquem indigere vidit, ex hoc modico toto anno refecit.

Virum non minuitur.

Matth. 14.

Erat semper de pace solicita, de patriæ salute curiosa & anxia. Cùm mutua inter se pace regna gauderẽt, illa, quòd Reges omnes diligeret, pro omnium vita Deum precabatur, & nos sine intermissione pro illorum salute & stabilitate orare docebat. Audiens verò mutuas inter Reges ortas simultates & animorum acerbitates, tota contremuit: scripsitq; indissimiles ad eos literas, quibus hortabatur eos abstinere ab armis & bellis, pacem confirmare, nè patria periret. Scribebat quoq; eorum proceribus, rogans, vt præcelsis Regibus salutaria præberent consilia, vt eis regnantibus, subditi & ditiones eorum florerent. Porrò congregationi suæ assiduas indicebat vigilias, cum lachrymis sanctimoniales adhortans, vt sine intermissione pro eis orarent. Quis verò dicendo possit consequi, quo illa se tum cruciatu affecerit? Ipsa intercedente, pax inter Reges, belli mitigatio, patriæ salus conciliabatur. Cumq; de pace apud Regem cælorum victoriam obtineret, magìs ac magìs Deo se deuotam exhibebat, & omnium seruitijs mancipabat. Nec curæ illi erat cuinam inseruiret, quę omnibus seruire parata erat, pedes omnium suis lauans manibus, suis manibus extergens, & sua uiter deosculãs. Quòd si verò permissum illi esset, instàr Mariæ capillis eos suis extergere non cunctabatur.

Cap. 10.

Reges anxiè hortatur ad pacẽ.

Omnibus seruit.

Luc. 7.

Itaq; pro tot rectè factis & beneficijs, quæ diuino munere collata ei erãt, Dominus virtutum largitor eam miraculis clariorem in Francia reddidit. Cùm adhuc regnare videretur, vt se cælesti potiùs regno præpararet, oratorium sibi condidit, vt quotiès à Rege se subduxisset, semper illic cæli Dominum inuocaret. In quo sanè oratorio diuina præstantur beneficia ad eius nominis inuocationem, quæ ibì assiduas solebat Domino offerre preces. Postquàm autem in monasterio se inclusit, matrona Mannieris nomine, oculum suum cõtingere volens, sordes in eum intulit. Eius vna vox, vnus dolor, vnus clamor diù noctuq; fuit, vt famulæ suæ Radegundis meritum ipsam sanãdo Dominus declararet. Etsì autem illa corpore ibì non esset, ad sui tamẽ nominis inuocationẽ benigna adfuit. Diuinitùs enim permota fuit matrona illa, vt ad eius oratorium se conferret, eamq; inuocans, se salutem adepturam crederet. Postquàm ergò fœmina doloris plena, ità vt manibus seruulorum suorum sustẽtata, vix ad oratorium illud perduci posset, acerrimo affecta dolore, in pauimentum se abiecit, cœpitq; clamare: Domina Radegundis, credo te famulam Dei esse, cuius voluntas tibi potior & antiquior fuit, quàm hominis: bona domina, domina pijssima, miserere meî, súbueni infelici, ora pro me, vt mihi reddatur oculus: graui enim cruciatu & dolore affligitur anima mea. Tum illa, quę dolores omnium in se transtulit, dum in corpore maneret, donèc eis mederi posset, benignè exaudit se inuocantem, & Domino miserante, ad eius intercessionem dolor fugit, salus reuersa est. Oculum, quẽ iam perdidisse se credebat, non nisì dolorem sentiens, sanum matrona recepit: quæque tot diebus nec cibum sumpserat, nec lumen cæli viderat, pedibus suis absq; vllius adminiculo incolumis domum redijt, Domino vsq; in præsentem diem gratias agens.

Cap. 11.

Oratorium eius in aula Regis.

Oculũ afflictũ cuiusdã matronæ sanat.

Adijciatur & aliud in laudem Christi. Vinobisga, vna ex famulabus eius, ausu temerario in cathedra beatæ Reginæ iã defunctæ sedere nõ dubitauit. Mox diuino percussa iudicio ità arsit, vt cũctis cernentibus, fumus ab ea in sublime proficisceretur. Tum illa corã omni populo proclamat, ream se confitetur, se propterea ardere dicit, quòd in beatæ Radegundis sede resedisset. Tribus diebus & noctibus totidem continuum passa incendium, vociferans clamabat: Domina Radegundis, peccaui, perperàm egi: ignoscè, refrigera mẽbra diro cruciatu ardentia: quæ es larga misericordia, & bonis operibus illustris & glorioſa, quæ misereris omnium, meî miserere. Tantam autẽ eius pœnam cernens omnis populus, pro ea precatur beatam Radegundem, tanq̃ si præsens adesset: (vbicunq; enim ex fide inuocatur, adest) Bona domina, parce ei, nè tanto cruciatu infelix deficiat. Itaq; ad preces omnium illa beatissima benignè condonauit,

Cap. 12.

Eccè horrẽdũ supplicium famulæ, in ei⁹ defunctæ sede residentis.

Attende lector, sãctos in cælo regnãtes nostras audire preces.

uit,ignem furentem compescuit,sospes misera ad domum suam redijt.Eius verò pœna omnes fecit cautos ac deuotos.

Cap. 13. Cùm in villa * Sedas esset,deuoto ac fideli animo Domino Iesu inhærens,reliquias sanctorum omnium habere plena deuotione cupiebat.Et eccè illa orãte, aduénit venerabilis presbyter Magnus cum reliquijs beati Andreæ & aliorum permultorũ. Iis super altare positis, illa nocte deuotè vigilans, dum se in orationem prosternit, breui somno corripitur,vt Dominus eius animi votum illi declararet,qui etiã dixit ad eam: Nóueris benedicta,non has modò reliquias,quas Magnus presbyter attulit,sed etiam omnes illas,quas in villa Atheias congregâsti,pariter hîc adesse. Illa aperiens oculos, videt virum splendidissimum,hæc ipsi annunciãtem. Itaq; gaudens benedicit Dominum. Quantam illa,posteaquàm in monasterium se contulit,sanctarum reliquiarum multitudinem precibus fidelissimis aggregauerit, testatur Oriens: Aquilo, Auster & Occidens confitetur. Vndiq; enim gemmas preciosas,cælo reconditas,& quas paradisus habet,& muneribus & precibus,vt adipiscereturesse cit. Apud illas verò sine intermissione meditari psalmos & hymnos sibi depromere videbatur. Perlatum est ad eam, Mammetis martyris sacros artus Hierosolymis quiescere. Illa instãr hydropicæ mirè sitiens,auidè hæc hauriebat. Sicut enim qui hydrope laborant, quanto plus bibunt, tanto maiori ardent siti:ità & ipsa rore Dei perfusa, magis incaluit. Itaq; virũ venerabilem Reculum presbyterum,qui tum secularis adhuc erat,& hodieq; superest, ad patriarcham Hierosolymitanum transmisit, petens beati Mammetis pignora sibi donari. Eius preces vir Dei benignè admittens, orationes populo indixit, cupiés nósse Dei voluntatem. Tertio die Missa celebrata, ad beati martyris sepulcrũ cum omni populo accessit,altaq; voce & plena fide dixit: Obsecro te cõfessor & martyr Christi, si vera est ancilla Dei beata Radegundis, innotescat gẽtibus potẽtia tua, permittasq; de pignoribus tuis mentem fidelem accipere,quod poscit: Oratione completa,cùm populus omnis respondisset, Amen, venit ad sanctũ sepulcrum,semper beatæ fidem pronuncians, contrectat sacra mẽbra, scire cupiẽs, quænam ipse martyr beatissimus dominæ Radegũdi donari velit. Tangit manûs dextræ singulos digitos. Vbì ad minimum ventum est,leni attactu è manu amotus est, vt beatæ Reginæ desiderio satisfaceret. Eum ergò digitum vir Apostolicus eo, quo par erat, honore beatæ Radegũdi misit. Ab Hierosolymis verò Pictauos vsque in eius honorem semper diuinæ laudes promebantur. Quis verò pro dignitate explicet,quàm ardenti animo,quàm fida deuotione,tantum illa munus expectans,sese abstinentię mancipârit? Postquàm autem hoc cæleste donum cum multa animi alacritate accepit, tota hebdomada cum vniuersa congregatione psallentium vigilijs & ieiunijs se accommodauit, Deum benedicens, quòd tale munus consequi meruisset. Sic Deus suis fidelibus, quæ postulant, non negat.

Studiosissimè vndiquè cõquirit sacras reliquas

Mittit Reculũ presbyterũ Hierosolymã pro reliquijs S. Mámetis.

Eccè quãri fecit regina sanctissima digitũ martyris.

Cap. 14. Crebrò autem & suauiter & quasì ænigmaticè dicere illa solebat, nemine intelligẽte,quid sibi ijs vellet verbis: Cui animę suę salus curæ est,summoperè timere debet, si miracula per ipsum fiant. Sed quanto illa studiosiùs ea vitare volebat, tanto magis virtutum & miraculorum author Deus eam sibi in omnibus fidelẽ declarabat: adeò vt morbidi omnes,quocunq; essent affecti morbo,si eam inuocarent,sanarẽtur. Leo vir illustris,ad synodũ euocatus à viris Apostolicis Leontio & Eusebio Episcopis,cùm iter ageret,oculis eius magna incidit caligo,sanguinis nube eos obtegente, ità vt nisi famuli eum ducerent,viam prorsùs non videret. Ingressus ergò in beatę Radegundis monasterium,vbì filias suas ei deuotè tradidit Domino seruituras,ad oratorium beatissimę Marię virginis se cõtulit,& post oblatas preces,fide plenus,super sanctę ciliciũ se prostrauit,camq; inuocans, tam diù illic permansit, donèc dolor absscederet, dissipataque caligine,sanguis concretus in venas,vndè manârat, se reciperet. Ità qui aliorum sustentatus manibus eò aduenerat,oculis sanis abscessit: & qui de cilicio beatæ lumen receperat, lætus atq; incolumis ad Synodum ire perrexit. Isthuc autẽ, ipso referente, vniuersa deindè synodus cognouit, & cùm reuertisset, suo ore nobis quoquè enarrauit. Deuotione itaq; incitante,dominæ Radegundis basilicæ fundamẽta iecit, & in fabricæ vsus centum est solidos largitus.

Cæcus sanatur,in ei⁹ cilicio orãs.

Cap. 15. Innumeri curantur. Ecquis verò certum illorum numerũ inire queat, qui aduersa correpti valetudine, ad eius inuocationem curati sunt? Quis autem vnquàm eam videns, terrestrem hominem credidit? Equidem per Deum cæli fidenter & verè dico, omnium oculis ità semper animum eius in vultu illius resplenduisse,vt non immeritò extrinsecùs cerni liceret,

ret,quid intrinsecùs illa gereret. Post congregatas autem Sanctorum reliquias tanto complebatur gaudio spiritali, acsì ipsum Dominum è sublimi sede maiestatis descendentem visibiliter apud se haberet: quem tamen licèt corporeis non cerneret oculis, animo sedulis precibus intento contemplabatur. Et quia Dominus non priuabit bonis eos,qui ambulant in innocentia, & qui toto corde, tota anima, tota mente illum inquirunt,sicut hæc beata fecit,pro sua benignitate & clemẽtia illi inspirauit, quippè qui in eius pectore perpetuum haberet domicilium,vt instãr beatæ Helenæ,sapientia & timore Dei atq; operibus bonis plenæ, lignũ illud salutare perquireret, à quo precium mundi pro nostra salute pepẽdit,vt nos è potestate satanæ eriperet. Quo reperto,ambabus beata Helena plaudens manibus,flexis humì genibus Dominum adorauit,atq; ex mortui resurrectione declarato,exclamans dixit: In veritate tu es Christus filius Dei,qui in mundum venisti tuos captiuos,quos creâsti, precioso sanguine redimere. Quod igitur fecit sancta Helena in Oriente,hoc fecit beata Radegundis in Gallijs. Sed quia sine consilio nihil facere voluit, quandiù vixit in hoc mundo, literis ad Sigebertum excellentissimum Regem datis,petijt ab eo,vt cum eius bona venia liceret ipsi pro totius patriæ salute & regni eius stabilimẽto, lignum salutaris Crucis Domini ab Imperatore expetere. Illo clementissimè sanctæ Reginæ precibus annuente, deuotione plena cum multo desiderio ad Imperatorem non munera misit, quippè quæ causa amoris Christi pauperem se fecerat: sed Sanctos iugiter implorans,nuncios suos ablegauit,Sanctorumq; suffragijs,quod optabat,adepta est. Imperator enim & beatum lignum Crucis Domini,auro & gemmis ornatum,multasq; Sanctorum reliquias, quas Oriens obtinebat, ei per legatos transmisit, vnà cum Euangelijs, auro gemmisque decoratis.

Pſal. 83.

Ab Imperatore petit & obtinet lignũ S. Crucis & reliquias Sanctorum.

Cap. 16. Vt autem salus mundi in Pictauorum vrbem cum sanctorum reliquijs aduénit,locq; antistes cum omni populo deuotè ea vellet excipere, inimicus humani generis per satellites suos egit,vt precium mundi repelleretur, nec illud intrà vrbem vellent recipere,aliud pro alio Iudaico more asserentes. Quid sanè egerint,non est nostrum commemorare: ipsi viderint. Dominus nouit,quinam rei sint. At beata Radegundis feruens spiritu,animo certans, ad clementissimum Regem scripsit, orans vt in ciuitatem lignum Dominicum recipi iuberet. Interìm donèc eius nuncij à Rege redirent, Turonico suo virorum monasterio, quod ipsa condiderat, cum psalmodijs & canticis sacerdotum Crucem Domini & Sanctorum pignora commendauit. Vbì tamen non minorem iniuriam sancta Crux perpessa est stimulante inuidia q̃ Dominus ipse, cùm ante præsidẽ & iudices iniquos maligna omnia patiẽter pertulit,nè id quod creauerat,periret. Id verò sancta fœmina animaduertens, magnis sese cruciatibus dedit, ieiunijs, vigilijs, profusioni lachrymarũ se addicens cum tota congregatione sua, donèc respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ,adspirauitq; eam mentem Regi, vt in populo faceret iudiciũ & iustitiã. Misit enim deuotus Rex virũ illustrem Iustinũ ad virum Apostolicũ Euphroniũ Episcopum, præcipiens vt cum honore condigno gloriosam Domini Crucem & Sanctorũ reliquias in monasteriũ dominæ Radegundis inferret. Quod vt factum est, exultauit mirificè beata illa cum omni congregatione, tale sibi donum cælitùs collatum,quod propitium Deum effecturum esset suæ congregationi, quam in Dei seruitium collegisset: nimirùm spiritu præsentiens, post decessum suum quàm esset exigua monasterij eius futura facultas, licèt ipsa cũ cęli Rege gloriaretur. Vt ergò illi subueniret, instãr optimi prouisoris & pastoris boni, nè oues vsquequaquè desereret, preciũ mundi de pignore Christi, è longinqua regione expetitum, in loci eius honorem & populi salutem suo in monasterio reliquit: vbì diuina agente virtute, cæcis redditur lux, aures surdorum patescunt, mutorum linguis suum restituitur officium, claudi ambulant, dæmones profligantur. Quid multa? Quisquis morbo laborans, quicunque tandèm ille sit morbus, ex fide eò accedit, per sanctæ Crucis virtutem recedit incolumis. Pro quo ineffabili dono, quod in hanc vrbem beata intulit, quisquis ex fide viuit, eius nomini benedicit.

Is fuit antecessor Gregorij Turonen. Episc.

Multa miracula efficit signum S. Crucis.

Cap. 17. Porrò clarissimis Regibus, & serenissimę Reginę Brunechildi, quos haud vulgariter dilexit, atq; etiam sacrosanctis ecclesijs & eorum Episcopis cum diuina obtestatione suum cõmendauit monasterium. Pro cęlesti aũt hoc munere misit supradictum presbyterum cum alijs, gratias vt agerent Imperatori. Quibus redeuntibus, mare fluctibus cœpit agitari, ità vt multis illi obiecti periculis, eiusmodi procellas & tempestates nunquàm se vidisse faterẽtur. Quadraginta diebus & noctibus in medio mari in sum-

Gratias agit Imperatori pro accepta parte sanctę Crucis.

mum vitę discrimen coniecti, cùm vitâ planè desperarent, & mors eis ob oculos resaretur, inter se mutuò cõciliati, pelago illos iamiamq; absorbere cupiente, vocesq; cælũ dabant, ità dicẽtes: Domina Radegundis, súbueni seruis tuis, vt qui tibi obedimus, sine subsidio non pereamus. Libera nos de præsentissimo submersionis periculo. Vbicunq; ex fide inuocaris, misereri soles: adiuua ergò etiã tuos, nè pereamus. Ad has voces in medio mari columba ad eos veniens, nauem ter circunuolauit. Cumq; tertiò id faceret in nomine sacrosanctæ Trinitatis, quã beata Radegundis semper in suo habuit pectore, famulus eius Benesarus manum extendens, è cauda eius tres extraxit pennas: quas mari intingens, tempestatem sedauit. Ità ad sui nominis inuocationem beata Radegundis in columbæ specie appárens, suos ex ipsis mortis faucibus reduxit ad vitam. Facta ergò tranquillitate in mari, illi alta voce exclamabant: Adesti bona domina, pietate plena, vt tuos captiuos eriperes, nè fluctibus absorberetur. Nec illi soli liberati sunt, sed etiam alij omnes meritis beatæ illius. Eas pennas ad nos attulêre ij ipsi à tanto periculo educti, & per loca sancta piè distribuerunt.

Ecce etiã in corpore manens & absens, dũ inuocatur, opitulatur S. Radegũdis.

Cap. 18. Itaque, vt diximus, vbicunq; inuocatur beata Radegundis, benignè exaudit. Sóbricitans quispiam, aut pustula vexatus, aut alia quauis afflictus infirmitate, in lõge qua positus regione, ob itineris prolixitatem ad eam venire non potuit, candelam eius nomine accensa, omnem febrem depulit. Quanto amore cõgregationem suam prosecuta sit, nemo vel centum linguis explicare queat. Instituit ipsa, vt mensæ illis sidentibus, semper lectio adhiberetur: nè solæ fauces haurirent cibũ, sed aures etiam susciperent Dei verbum. Quicquid aut alijs præcepit faciendũ, aut ipsa fecit, semper causa Christi id egit. Ità etiam quicquid vetuit alias facere, aut sibijpsi interdixit, nec nisi Dei impellente zelo id fecit, nihil secundùm carnem aut faciens, aut sapiens. Et quia nũquàm ab opere Dei ociosa esse voluit, insistebat orationi, lectioni, eleemosynis & prædicationi sine intermissione, vt nè qua posset ignorantiæ prætextu se tueri. Tãta in ea fuit diuinæ gratiæ largitas, vt humilitatis magistrum Dominum Iesum, qui à cælesti solio in terras descendit, imitando, cum spiritu secuta sit, quocunquè iuisset. Cùm sanctimoniales omnes cubitum irent, illa pernoctãs in oratione, & sancta dextera sua Crucis signum exprimens, totam seruabat congregationem. Cùm aliquandò ità Crucis signum ederet, soror quædã vidit supra murum innumeras dæmonum cateruas caprina specie: qui mox omnes fuga dilapsi, nusquàm apparuêre. Stabat quandoquè nocte ante cellulam suam, corde & ore preces Canonicas depromens: cumq; nocturna auis, hominibus inuisa, in medio monasterio ab arbore clamitans, ei infesta esset vlulatu suo, vna ex adstantibus dixit ad eam: Domina, si iubes, tuis verbis abigam auem hanc. Illa respondit: Si noxia est, abi, & cijce eam in nomine Domini: interìm verò Crucis signũ in eam edidit. Vénit illa ad auem, & dixit: In nomine Domini Dei nostri Iesu Christi iubet domina Radegundis, si non es missa à Domino, vt hinc recedas, nec ausa sis hîc edere clamores. Aufugit mox auis haud aliter, quàm si ipsius ore Dei verba illa prolata fuissent. Et meritò quidem illi obediẽt aues & bestiæ, quæ semper diuinis præceptis obtemperâsset.

Nota de cãdela accẽsa.

Vult vt mẽsę discũbentibus semp lectio adhibeatur.

Crucis signo dæmones abigit.

Aues & bestiæ ei obediunt.

Cap. 19. Quandò inualetudinis causa nõnunquàm membra quieti dare volebat, spiritu vigilans ait, tanquàm admonens qui psalmum diceret: Agè, dic. Vndè dubium non est, quòd aut specialiter cum Sanctis tum psalleret, aut certè minimè dormiret. Mẽte ad Christum erecta, non rarò, etiam dormiens, de futuro iudicio & æternis præmijs loquebatur: & expergiscens, dicebat nobis: Colligite, colligite Dominicum triticum. Reuerà enim dico vobis, non diù vobis præstò erit hæc colligendi opportunitas. Attendite quod dico, Colligite. Quæsituræ enim estis hoc tempus, reuerà verè quæsituræ estis dies istos cum ingenti desiderio, nec aderunt vobis. Quod quidẽ etsi tum præignauia oscitanter accepimus, at nunc tamen euenisse comperimus, quod illa dicebat. Impletum est in nobis illud vaticinium: Emittam famem in terram: famem, inquit, non panis & sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Etsi enim non desunt prædicationes, quas ipsa instituit, at tamen desideratur illa incessabilis vox, optata adhortatio, dulcis affectus. Qualem enim vultum, Deus plasmator bone, qualem faciem, qualẽ personam in ea amisimus? Quis vnquàm possit esse satis ad isthuc explicandum? Eius meminisse, supplicij instàr est. Nos planè humiles desideramus eius doctrinam, formam, vultum, personam, eruditionem, pietatem, benignitatem, dulcedinem: quæ quidem præ cæteris illi videbatur specialiter à Domino indita. Quàm sancta erat vita illius, tam syncerus & suauis adspectus.

Dormiens cõcionatur.

Amos 6.

Anno

Anno vno ante obitũ suum vidit in visione locum sibi præparatum. Vènit ad eam iuuenis prędiues, idemque formosissimus. Qui cùm comiter eam attingeret & blandè compellaret, illa zelo permota pudicitiæ, eius blanditias respuebat. Tum ille ait ad eam: Quid adeò meî ardens desiderio cum tot lachrymis me rogas, me gemebunda requiris, me profusis precibus expetis, mea causa tam duriter te hábes, tam multo cruciatu te afficis, cùm ego tibi nunquàm non adsim? Tu gemma nobilis, nóueris te in diademate capitis mei esse è gemmis primarijs vnam. Nulli dubium est, ab illo visitatam esse, cui sẽ toto pectore addixerat: indicatamque ei adhuc in corpore manenti gloriam illam, qua esset fruitura in cælis. Eam visionem duabus benè fidelibus secretò cum obtestatione reuelauit, grauiter interdicens, nè ipsa superstite vlli aperirent. Sunt multa alia, nec ea vulgaria, quæ tamen præterimus prolixitatis vitandæ causa. Sanè quotiès eius amoris, nutricationis, charitatis, prædicationis, omnis sanctæ conuersationis recordamur, dolore torquemur, mœrentesq; diductis oculis requirimus tantam pietatem & humanitatem, & non conspicimus. O duram sanè conditionem nostram, in quam infelices incidimus. O pijssima domina, debebas obtinere à cæli Domino, vt te antecederent oues tuæ, quas collegeras: & tu instàr boni pastoris gregem subsequens, eum Domino exhiberes.

Cap. 20. Visio eius.

Multa signa fecit quę nó sunt coscripta.

Sed veniamus nunc ad eius felicissimam à corpore emigrationem, quam sine profusis lachrymis referre non possumus. Fluunt lachrymæ ab ipsis intimis medullis, gemitusque prorumpunt, nec tamen vlla percipitur indè consolatio. Sed si sic lachrymis indulgeamus, vt interìm de eius fideli deuotione minùs dicamus, maiori sanè culpæ nos obnoxias reddimus. Vsque ad diem illum, quo hinc excessit, nunquàm quicquam de cursu, quem susceperat, imminuere voluit, memoria retinens, non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, cum saluum fore. Vbì iam ad vitæ finem peruénit sanctum eius corpusculum, lõga pro Christi amore ducens martyria, & multiplices perpessum cruciatus, omnes sanctimoniales lugentes & flentes, eius lectulo assistebant: eiulantesque ac duris pugnis atque lapidibus pectora verberantes, voces ad cælũ dabant, clamantes & dicentes: Domine, nè permittas nos tam graui damno affici. Lumen nostrum tollis à nobis: cur nos in tenebris relinquis? Et quia illa, quicquid facere cõstituisset, id die natalitio Saluatoris facere solebat, eius quoquè beatus decessus ità euénit. Quarta feria manè Idibus Augusti clausi sunt eius oculi, & nostri obscurati. Væ nobis, quia peccauimus: afflictum est in dolore cor nostrũ. Flemus & plangimus, q̃ te diutiùs, vita nostra, habere non meruimus. Eo ipso manè, quo nobis tantũ mali accidit, vna voce, vno plãctu, vno clamore cælos penetrãte, lapidicidæ, qui in monte operabãtur, in aëre audiêrunt loquentes, & vnum quidẽ dicentem cæteris: Quid facitis? dimittite eam adhuc. hæ enim voces ad nostras vsque aures pertingunt. Angeli verò eam ducẽtes, respondérunt: Iam factum est: quid iterùm faciemus? Eam iam paradisus recipit, vt glorietur cum Domino. Credimus non desertũ eam illas, quas ei placere voluit. Flenda ergò nobis iam nõ est, sed reuerenda. Amisimus qdem in præsenti seculo dominã & matrem, sed ad regnũ Christi præmisimus intercessorẽ. Magnum illa gaudiũ excitauit in cęlis, intolerabilem nobis dolorem in terris reliquit.

Cap. 21. Felicissima regina ad sponsum regem Christũ feliciter pficiscitur.

Migrante sancta eius anima è seculo ad Christum, Episcopus Pictauensis non erat domi. Abijt ergò nuncius ad virum Apostolicum, dominum Gregorium Turonensem Episcopum. Ille mox aduénit, & quantùm suis ipse conspexit oculis, antequàm eam sepeliret, eius virtutes in libro miraculorum inseruit. Veniens autem ille ad locum, vbì sanctum iacebat corpus, sicut ipse post sacramentum lachrymãs dicebat, in forma humana vultum vidit Angelicum. Facies enim illius instàr rosæ & lilij nitebat. Vndè haud secùs ille cõtremuit & extimuit, atquè si ipsam Domini Iesu sanctissimam matrem sibi adstantem videret. Expectabatur interìm vir deuotus & Deo plenus Pictauorum antistes, vt eam quo par erat honore sepulturæ mandaret. Sanctimoniales omnes apud eius torum stabant psallẽtes: si verò psallentium voces vel paululùm reticerent, mox planctus audiebatur intolerabilis. Triduo expectatus præsul, qui tum suam dioecesin visitabat, cùm non veniret is, quem diximus, vir Apostolicus Gregorius, de eius humanitate præfidens, (Perfecta enim charitas foràs mittit timorem) in basilica S. Mariæ, vbì sacra eius monasterij virginum corpora conduntur, eam inprimis honorificè tumulauit. Cumque corpus eius sub muro cum psalmodijs deportaretur, quandoquidem instituerat illa, vt nulla viuens extra monasterij fores egrederetur, tota congregatio in muro lamentans, ità vt planctus eius superaret psallẽtium

Cap. 22. Gregorius Turonensis Episcopus sepelit eam. De gloria Confess. cap. 106.

1. Iohan. 4.

voces, pro psalmo lachrymas, pro cantico mugitum, pro alleluia gemitum reddebat. Orabant supernè, vt sub turre nonnihil quiesceret feretrum, in quo beatæ corpus portabatur, grauiter ferentes eius absentiam.

Cæcus ad feretrũ eius illuminatur

Ibì tum, vt Dominus fidelem famulam suam declararet, corpore eius in medio populi depositio, cæcus quidam lumen recepit: qui multorum annorum passus cæcitatem, vbì ad corpus accessit, ità sanatus est, vt nunquàm luminibus orbatus fuisse videretur. Viuit hodieque clarè videns.

Cap. 23.

Cùm iam humata esset à Gregorio Episcopo, operculum tumulo eius non est ab illo impositum, donèc rediret Pictauensis antistes. Itaque liberè cereos ad eam aderebant omnes, sepulcrum circunstantes, & singulæ suis cereis nomina sua inscripserant, dabantque cereos omnes per ordinem vni è famulis. Et eccè existit contentio in populo, alijs dicentibus cereos illos in eius sanctum sepulcrum mittendos esse, alijs id negãtibus. Interìm è pueri cereos tenentis brachio vnus exiliens, & populum omnem transcendens, in sepulcrum ad pedes beatæ se demisit, litem omnem eoipso dirimens. Inspecto cereo, inuentum est nomen Caluæ in eo scriptum. Ea re perspecta, Episcopus & plebs omnis, beatæ Radegundis virtutem admirantes, Dominum benedixerunt.

Nomẽ Caluæ cereo miraculosè inscribitur.

Cap. 24.

Quæ verò post eius decessum eo in loco declaratæ sint virtutes & edita miracula, quot dæmoniaci liberati, quot pulsis febribus curati, quis vel numerare sufficiat? A Burgundia cum Episcopo quodam venit Pictauium eius Abbas, Abbo nomine. Is magno illic dolore dentium vexatus, nocte & die clamores edebat, mortem aduentare cupiens, vt posset tanto leuari cruciatu. Incidit autem eius animo, Deo inspirante, vt se curaret in sanctæ Radegundis basilicam perduci. Ingressus introˀ, cum fide se ante sepulcrum humì prosternit, mortem præ oculis habens, operimentum suæ pallam tumuli mordicûs apprehendit, & qui septem diebus nec cibum sumpserat, nec somnum capere poterat, ab illo morsu somno corripitur, doloreque fugiente, sanus abit ad hospitium. Multi hoc posteà ab eius ore acceperunt, cùm ille palàm testaretur, se dominæ Radegundis virtute ab ipso mortis aditu reuocatum.

Infinita eiˀ post obitũ miracula.

Abbas quidam liberatur dẽtium dolore acerrimo.

Cap. 25.

Habet hoc consuetudo, vt in ferijs beati Hilarij Episcopi reliqua monasteria circùm adiacentia, in mediam vsque noctem illic vigilias celebrent: à media verò nocte singuli Abbates cum suis fratribus ad sua reuertantur monasteria, nocturnas preces persoluturi. Itaque cùm in beati antistitis basilica vigilarent, toto illo noctis spatio energumeni clamabant. In ijs duas fœminas direˀ exagitabat malus dæmon, vnam præsertim, ad cuius fremitum tota basilica tremebat. Abscedente autem indè venerabili Arnegisilo, Abbate basilicæ beatæ Reginæ Radegundis, & cum suis monachis ad suam basilicam redeũte, fœminæ illæ clamabant post eos, & ingressæ in basilicam, vociferantes orabant, vt domina Radegundis ipsis parceret. Cùm ergò matutinæ preces dicerentur, altera sanata est, quam dæmon ter quinis occupauerat annis: altera ad Tertiam ante basilicæ fores liberata: nec posteà eis nequissimus spiritus nocere potuit.

Duæ dæmoniacæ purgantur.

Cap. 26.

Quàm larga est & diues misericordia Dei, vt suos faciat trepidare, & loca sanctorum inquirere? Virtutum largitor per suos fideles dispensatìm suam declarat potentiam. Alij enim liberati sunt in basilica sancti viri, alij in basilica dominę Radegundis: vt quorum erat par gratia, virtus quoquè indissimilis ostenderetur. Quisquis etiam vsque ad vitæ desperationem malè habet, si pallam inferiorẽ altaris in aquæ calicem intingat, potumque illum hauriat, mox somnus ei accedit, morbus abscedit, Christo largiente. Multæ illic quotidiè fiunt virtutes & miracula in Christi nomine. Nos sanè fideli deuotione & debita sedulitate veneramur eam in terris, cuius animam confidimus, gaudemus & gloriamur præfulgere in cælis: illo præstante, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Nota insigne miraculum.

VITA

VITA SANCTISSIMI CONFESSORIS CHRISTI VVERENFRIDI, QVI FVIT EX APOSTOLICIS viris, missis ex Anglia, ad conuertendos Hollandos, Frisones, Geldrienses, Saxones, &c. ex antiquissimo MS. codice ecclesiæ Traiectensis. de quo etiam in vita S. Suuiberti prima Martyj, Cap. VI. & XIIII.

CVM Dominus & Saluator noster sol iustitiæ, suæ claritatis radios vbiquè per mundum vellet clarificare, longè lateque stellas per orbem eiusdem claritatis oriri fecit innumeras, quæ luce virtutum æternæ noctis effugarent tenebras. Sole etenim absente, solent stellæ terram irradiare: ità doctores sancti, qui sunt stellæ firmamenti, quasi sole perenni non vbiquè præsente, genus humanum sanctæ prędicationis perlustrant lumine. Quorum perplurimos Hybernia siue Scotia mundo protulit, nonullos Britãnia eique adiacens Northumbria procreare meruit. Inter quos summus pater Vuilibrordus & lucifer inter stellas exoritur clarissimus, & meritorũ luce clarior cæteris in orbe procreatur, cuius radijs non modica pars mundi perlustratam se esse lætatur, quia gentem Francorum sanctę eruditionis dono sublimauit: Frisonumque feritatẽ diuino cultu prædicando mancipauit. Ille verò cùm postpositis omnibus peregrè proficisci sibi proposuit: beatus Vuerenfridus, qui in eisdem partibus Anglorum oriũdus extitit, non solùm sanctum Vuilibrordum cum exemplis verumetiam studuit sequi vestigijs. Spernens autem patriam parentesque amore diuino, vtpotè pij patris eruditus exemplo, se prædestinauit in hac peregrinatione peregrinari, qua citiùs æternæ patriæ particeps postmodùm mereretur fieri.

Augusti 14. Cap. 1.

Doctores sancti stellæ dicuntur. Dan. 12.

S. Vuerẽfridus beati Vuilibrordi socius & vitæ sanctæ imitator.

Cap. 2.

Sanctus autem Vuilibrordus, Deo prædestinante sedis Episcopalis in Traiecto gubernans cathedram, multisque tanti viri sanctitatem prosipiciens esse profuturam, quendam suæ Dioœcesis locum Elste vocatum, paulò antè à Carolo sibi traditum, commendauit, eique sanctæ prædicationis cura regendum. Est enim quædam insula valdè populosa Batue nuncupata, quæ Rheni fluminis vndiquè alueo circuncingitur, cuius in medio locus idem supradictus situs esse cognoscitur. Hunc igitur vir vitæ venerabilis, vt suus pastor decreuerat, diuina secum comitante gratia regendum suscerperat, nil tamen ambiens terreni honoris, sed potiùs pij patris obtemperans præceptis. Quid plura? Res inibì quæ ad Ecclesiam attinet properè construitur, antiqui erroris cultus omninò deijcitur, locus sanctorum patrocinijs oppidò dicatur, plebs sancta prædicatione sanctificatur, fit Deus per tanti viri meritum populo placabilis sibique populus esse meretur acceptabilis, iuxta illud quod scriptum est: Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

S. Vuilibrordus primus Episcopus Vltraiectẽsis.

S. Vuerẽfridus in Elste ad prædicãdum mittitur.

Apoc. 21.

Sanctus autem Vuerenfridus, vtpotè prudens dispensator quem constituit Dominus suus super familiam suam, gregi Dominico Euangelici dogmatis affatìm ad ministrans alimoniam, quod verbis edocuit, operibus adimpleuit: quod salutari admonitione præmonuit, moribus & exemplis ostendit. Fuit etenim vltra vires fandi bonorum operum exhibitione præditus, consolatione prouidus, humilitate nulli comparandus, susceptione pauperum cunctis imitandus, mitis in animo, dulcis in eloquio, pernox in vigilijs, efficax in ieiunijs, solummodò fide viuens, quia iustus ex fide viuit: incultus in habitu, placidus in vultu, sedulus in oratione, studiosus in sacra lectione, iugi legis Dei meditatione deditus, castitate præcipuus, omniumque morum honestate perspicuus, desperantium reformator, dolentium consolator: Quia dolentibus condoluit, infirmantibus congemuit, iuxta vocem doctoris gentium, dicentis: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Sic igitur recto calle per huius mundialis naufragij circulum suæ professionis direxit remigium, vt id delicijs spiritalibus honestatum ad æternæ quietis perduceret feliciter portum. Quid in tantis morabor? Sed adhuc vel pauca de multis, causa compendij, memorabor. In hoc enim viro satìs dictum puto, quòd mundum cum suis illece-

Cap. 3. Luc. 12.

Attẽde quãtæ sanctitatis fuerit vir iste.

Hebr. 10.

2. Cor. 11.

illecebris deſpectui habuit omninò, non nisì cælestia cogitauit, quæ Deo sunt placita inhianter perſcrutari non ceſſauit, ſeculo nudus, fide ditatus, corporaliter tamen dèm conſtitutus in terris, ſpiritualiter proculdubiò verſabatur in cælis, vt ait Apoſto-
philip.3. lus: Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt. Nec ſatis ſancto viro videbatur, ſi ibidem
Cura eccle ſiæ in Vue- ſterfoert illi cõcreditur. duntaxàt illius patrię plebem Domino lucraretur, ſed Eccleſiam in villa Vueſteruoert nominata conſtructam, quæ in ipſa Rheni fluminis ripa ſita eſſe cognoſcitur, à ſupradicto pontifice ſub cura regendi ſuſcepit gubernandam.

Cap. 4. Beatus enim vir die noctuque ſecum tacitè reuoluens quid ſanctis doctoribus ſcriptura veritatis promittat, dicens: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor
Dan. 12. firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellę in perpetuas æternitates. Nec mora, vir per omnia Deo deuotus, cælesti rhõphæa viriliter armatus, Eccleſiaſticæ rei deſtructa reædificat, peſſundata ſtrenuè reſtaurat, & reſtaurata deificè gubernat, ſpirituali vomere corda plebis euidenter exarat, inſupèr & Euãgelicæ lucis ſemi-
2. Cor. 9. na non parcè ſeminat: quia qui parcè ſeminat, parcè & metet. Seminauit in benedictione, vt perennis gaudij meſſem meteret in remuneratione. Seminauit in ſpiritu, quatenus de ſpiritu cælestis regni commercium collegiſſet in futuro. Meſſem verò
Matth 13. Ecce quàm vberes ſuæ prædicationis fructus collegerit, qui ſemina bonę opationis ſpmiſit. Dominici ſegetis ſuperni roris fluentis inceſſanter irrigauit irriguis, & exindè fructum modò centeſimum, modò ſexageſimũ Domini ſui tranſuexit ad horreum. Quicquid terrenæ facultatis vel aliorum largitione, vel proprię operationis labore ſuſceperat, nil vltra naturalem vſum ſibi poposcerat, ſed per manus pauperum ad ſuperni Regis ſtudioſè tranſmiſit ærariũ, vbi fures non effodiunt nec furantur, nec ærugo nec tinea demolitur, illicque cor ſuum indiſſociabiliter defixerat, quoniam illò tota mentis intentione tetenderat.

Matth. 6. Cap. 5. Hæc & his ſimilia dum vir ſanctus per ſingula plenè peregit, vtrorunque locorum regimen in Chriſto firmiter ſtabiliuit. ſuæ reſolutionis imminebat tempus, vt peracto temporalis militiæ congreſſu, Chriſti Regis caſtra mereretur intrare coronandus. Ille autem ad Dominum ſuum cum duplicato talento iam ſibi credito lætus redire
Matth. 25. Luc. 9. non trepidat, cui ſpecialiter Dominica voce dictum fuiſſe nemo noſtrũm dubitat: Eugè ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Vir igitur ſanctus in villa Vueſteruoert ſupradicta, vi
Laborat ar dentiſſimis febribus. febrium corporaliter attactus, adoptabili dierum iam numero prouectus, cœpit carne langueſcere, quia tunc ſe perſenſit in anima conualeſcere. Conuocatis itaque ad ſe religioſis viris vtriuſque videlicet ordinis, eos vt pater egregius in fide confor-
Prædicit mortẽ ſuã. tabat, eisque mox ſe migraturum eſſe de carne reuelabat. Nec longo pòſt interuallo facto, ſanctarum exequiarum more peracto, totius colluuionis immunis, meritorum trophæo inſignis, ex huius carnis migrauit ergaſtulo, ſine fine feliciter gauiſu-
Feliciter obit mortẽ, cum odoris ſuauiſſimi fragrantia. rus in Domino. Quis ambigat omnium illorum lamenta grauiter ingruere? Quis adſtantium gemitum vel fletum potuit ſuſtinere? Erat illis itaque iurè lamentandus, qui modò nobis eſt ſuppliciter venerandus. Egrediente quidem ſancta de mole carnis anima, circunſtantes tam miri odoris inuaſerat fragrantia, vt cunctis manifeſtiſſimè declararetur, quòd tanti viri ſpiritus per manus Angelorum ad cæleſtem aulam deduceretur.

Cap. 6. Mox vt terram huiuſcemodi rumor pertonuit, plebs illuc vniuerſa dolens affluxit, totaque Batua gemens atque mœrens per profunda ſupradicti fluminis ſtagna ruit illuc vndiquè confluentes, corpus exanime circunſtetêre dolentes. Fit ratio de ſepultura corporis, quæ populo contulit cauſam non modicæ diſſenſionis. Feruet dolor vnus adſtantium, ſed non eadem voluntas omnium. Inſulanenſis enim multitudo
Fit altercatio populi de ſepultura eius. ſanctũ corpus ad Elſt deprimit debere deferri, ibiq; loco proprio terram terræ commendari. Nobis, inquit, viuus extitit paſtor, noſter & erit apud Deum perpetuus interceſſor. Quod nobiſcũ carne viuens inchoauit, nunc regnans in Chriſto adimplere debebit. Ad hæc aduerſa pars altera populi: Rectè etenim, inquit, hîc requieſcit corpore, vbi ipſe ſpiritum voluit relaxare. Sit vobis ſatis eum habuiſſe carne viuum, quem habere gaudemus & modò carne mortuum. Quod vobiſcum conuerſans erudiẽdo peregit, nobiſcum & nunc requieſcens regnando cælitùs adimplebit.

Cap. 7. 1. Reg. 6. His etenim verbis populo ſatis diù inter ſe altercante, quidã preſbyterorum cõſilio meliores, in hanc vocẽ prorupêre: Legimus, inquiũt, de arca teſtamẽti Domini quondàm in captiuitatẽ ducta, quòd ipſi qui eam captiuauerãt, ſuper nouum plauſtrũ eandem imponerent, binasque vaccas, domì recluſis illarum vitulis, eidem plauſtro ſubiugarent, vt ab eis plauſtrum cum arca traheretur, & ad propria nutu diuino deduceretur. quod & factum eſt. Fiat & indè huiuſcemodi rei approbatio: ſanctum corpus deferatur ad nauem ilicò, & ſi nauis ipſa, nullo veſtrũm remigante, amnem vltrò tranſierit, manifeſtum erit nobis omnibus quid ipſe voluërit. Nec minùs exindè plauſtrum nouum cum duabus vaccis, quæ domì lactabant vitulos, præparentur, vt in eo glebã ſancta collocata, quocunquè deducenda ſit, deducatur. Ad hæc protinùs omnes aſſensêre. Nec mora: nauim quantocyùs præparant, feretrum cum hymnis & pſalmodijs ad litus deportant, nauim deponunt, in medio neminem intrare permittunt. Res admodùm cunctis admiranda, nauis eadem tam recto itinere amnem tranſmeans, ſe ad litus alterum applicuit, vt ipſam Angelico remige ductam eſſe cunctis patenter innotuit. Mox vt hæc circunſtantes adſpexêre, omnes vna voce Dominum collaudauêre, qui eis per tale miraculum dignatus eſt ſerui ſui meritum oſtẽdere. Tunc proculdubiò ſupradictæ rei exemplum aſſequitur: plauſtrum nouum cum vaccis duabus, vt ſuprà dictum eſt, citiùs acquiritur, & ſanctum corpus in eo reuerenter ſupponitur. Quid multa? Vaccæ quidem, quæ nunquàm iuga ſuſtinuêre, tam priuatè vehiculum ſubiêre, quaſi ſemper in eo ſolitæ eſſent opere, vitulorum prorſus immemores, per deuia nequaquàm errantes, per rectam ſemitam iter tetenderunt, ſanctumque corpus vſque ad Elſte perduxerunt, cum Angelorum, vt credendum eſt, comitatu atque populorum Deum collaudantium concurſu. Illuc quoquè, vt dignum fuit, cum omni veneratione tantæ preciſitatis theſaurus commendatur ſepulturæ. Ibi enim per tanti patris interceſſiones multæ miraculorum declarantur à Domino virtutes, quas prior ætas adhuc fide recens obliuioni tradidit, ſed mox fide maturior, vix pauca de multis memoriæ commendare curauit, quæ in ſequentibus lectio recitabit.

Corpus eiꝰ nauí exponitur, quæ ſine remige ad alterum litus tranſmeauit.

Item plauſtro, quod duæ vaccæ ad locũ Elſte ſponte trãſuexêre.

Theſaurus corporis eius in Elſte ſepelitur.

Cap. 8. Fuit quidam vir in partibus Aquitaniæ Ancelinus nomine, qui prorsùs omnium membrorum officio deſtitutus, ſolo aſpiramine vixit anhelus. Ille autem cùm quodam veſpere miſerabiliter, vt contractus, ſtratu ſuo collocaretur, ei per nocturnam viſionem nominatim dicitur: Anceline vis ſanus effici? Si ſanari curabis, oſtendam tibi quò iturus erit. Eſt locus in longinqua regione qui appellatur Elſt, vbi confeſſor Chriſti Vuerenfridus requieſcit corpore: ſi illò peruenieris eiusque ſuppliciter interuentum inuocaueris, per ipſius meritum adoptimæ ſanitati reſtituéris. Poſt hæc expergefactus à ſomno fit attonitus in animo, nomen loci ſecum retinuit, ſed viam per quam iturus eſſet, minimè ſapuit: fidem adhibuit viſioni, quia lætus efficitur ex promiſſione remedij. Nec moram pergendi diù diſtulit, quia ſe in longum morandi pœnituit: ſui itineris vehiculum præparauit, Chriſtoque duce, quò ſibi eundum erat, citiùs peruenire non tardauit. Cumque illò peruenit debilis, promiſſam ſibi ſanitatem confeſtim promeruit hilaris. Pòſt vbi naturali membrorum ſoſpitate corroboratur, ſua ſponte iugi ſeruitio beati Vuerenfridi mancipatur. nã ſe deuouit illuc omni tempore ſub eius famulatu perſeuerare. Aſt non multo pòſt tranſacto dierum circulo, deſtinauit ad patriam redire cum gaudio. Cùm autem ſanus ſua ſubierat, mox ità fit contractus, vt anteà fuerat: fit mente perculſus, ſui conſcius propoſiti, ſe pœnitet redeundi, pudet facti. Mœrens ac debilis iterùm remeauit, vndè gaudens ac incolumis receſſit. Diuina etenim pietas cum ſanitati ſecundò reſtituit, quam per tanti viri meritum inceſſanter vt ſanaretur exorauit. Nec opus eſt morandi: terremeando ad patriam debilis efficitur, terque pœnitens remeando per ſancti viri clementiam ſanitati reſtituitur. Tandemque victus, vult potiùs exulare quàm cum ſuis domì debilis habitare. Sicque ſua perfruens ſoſpitate, permanſit ibidèm vſque ad finem vitæ ſuæ.

Paralyticus ad eius ſepulcrum ſanatur.

Rursùs incidit in paralyſim vo-tiſtagus.

Iam tertiò curatur, & vota Domino ſoluit.

Cap. 9. Nec hoc ſilendum eſt, quòd quædam mulier in vico Leona nuncupato debilem neruis omninò contractis infantem habuit, quem ſi ſanaretur ſancti Vuerenfridi ſe ſeruitio dare ſpopondit. Nec mora, ſurrexit properè, tetendit ad eccleſiam pergere, ſecum contractum deferens inter brachia filium, vt eum offerret Domino, ſicut promiſerat offerendum. Cùm autem concito curſu properauerat, in medio campi paruulus ab amplexu matris ad terram deciderat, & conſolidatis neruorum compagibus, ilicò ſanatur diuinitùs, atque poſt caſum excipitur ſanus, qui ad terram ruit anteà debilis. Mater verò gaudens excipit paruulum, & quem priùs gemebunda denouerat infirmum, iam iocunda pergens ad eccleſiam, ſancti patris obtulit famulatui ſanum.

Item alius puer cõtrà el⁹ curatur.

Alio

Capreo. Alio quoquè tempore in pago Felua vocabulum continente, quendam virum tantæ aſperitatis lepra diſcolorauit, vt vix alicui præ ſcabie nimia, vultus illius appareret, labes inſuper ipſam oculorum exęcauit aciem, quòd ille nequaquàm viſu agnoſcere potuit aliquem, quia tanta miſeria cruciatus ſolummodò ſibi ſuperfuit anhelitus. Contigit autem illum quadam nocte viſionem ſibi videre, per quam obſtupefactus à ſuo eccidit ſtramine, ſeque in modum crucis proſtrauit, clamans ac vociferans, clamando Kyrieeleiſon ſæpè iterauit. Eo clamore ſui parentes expergefacti, cœperunt interrogare quid euenisſet illi, quòd plùs ſolito impatiens eſſet. At ille viſionem benè recolens, cuncta quæ viderat eis per ordinem retulit, ità dicens: Viſum eſt mihi per quendam locorum ire debere, quem cœnoſa palus circuncinxit vndiquè, vt nullatenùs patuit via tranſeundi, per quam indè abire potui. Hîc dum admodùm anxiaret mentis expers, obuiauit mihi ſacerdos venerabilis adſpectu, ſacerdotaliq; veneranter indutus habitu, quasi proceſſurus eſſet ad Miſſarum ſolennia, præparatoque ponte ſupra paludem me transduxit incolumem, & ait: Eſtne tibi cura ſanari? Scito me Vuerenfridum appellari, & per me mereris à lepra curari. Cùm autem celebrabitur ſolennitas Archangeli Michaelis, tu ad Elſt peruenire debebis, ibique dum diuina à pontifice Miſſarum celebrantur ſolennia, tu mundaberis à labe mortifera. Hæc auditis, parentes ſui ſolito lætiores effecti ſunt, & eum ſicut ipſe voluërat ad Elſte perduxerunt. Nec diù viſio promiſſionem diſtulit. Nam vt pontifex qui tunc temporis illic præfuit, ſub eodem die quem prædixerat Miſſarum libamina Domino libauerat, ità euanuit ab illo peſtis torrida, vt in eo veneniferi coloris non comparuerit macula. Ipſe verò non ſolùm ſe à lepra mũdatum eſſe perſenſit, ſed etiam amiſſam oculorum lucem percipere meruit. Huius ſtupendi miraculi declaratio, non vnius vel duorum affirmatur teſtimonio, verumetiàm totius populi, qui tunc ad eccleſiam confluxerat, manifeſtiſſima declaratio verum eſſe demonſtrat. Hæc & multa alia miracula, quæ perlongum eſt cuncta narrare per ſingula, Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignatus eſt ibidèm oſtendere, quatenùs per hæc miraculorum beneficia, quantæ dignitatis ſeruus ſuus apud ſe haberetur, nobis omnibus apertè monſtraretur. Qua de re ſummoperè credendum eſt, quòd poſſit ſuis meritis vulnera peccatorum ſanare, qui toridèm modis corporũ languores dignatus eſt ſubueniendo medicare: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

Apparet S. Vuerenfridus vnile ęp ſo intomnis & tubet eũ ſuum viſitare ſepulcrũ.

Curatur idẽ à ſua lepra & cæcitate.

Multa quotidiè ad eius ſepulcrum fiunt miracula.

VITA ET INSTITVTIO SANCTÆ MATRIS NOSTRAE ATHANASIAE, EIVSQVE MIRACVLA,

à quodam viro pio narrata, qui partim ea vidit, partim à mulieribus ipſius matris familiaribus audiuit. Ex Simeone Metaphraſte. Numerum capitum apposuimus margini.

14. Auguſti Cap. 1. APOSTOLI Pauli præceptum eſt, vt Sanctorum memorijs communicemus. Eorum verò vitam atque inſtitutionem conſcribere, & ea legentibus communem vtilitatem proponere, illud certè laudabile eſt ac ſalutare. Beatæ igitur fœminæ Athanaſiæ vitam conſcribere conabimur, pauca quædam eorum, quæ ad illam pertinent, oratione percurrentes: nè temporis diuturnitate res ipſę obliuioni traditæ, plurimis hominibus damnum afferant.

Cap. 2. S. Athanaſiæ parẽtes & patria. Hæc fœmina laude digna, & immortalitatis nomine prædita, quæ vitam ipſam benè tranſegit, Deique vniuerſorum Domini optimam ancillam ſe præbuit, patre Nicęta, matre verò Irene, orta eſt, parentibus ſanè genere præſtantibus, & Deum valdè timentibus, qui domum in inſula Aegina poſſidebant: è quibus genita, & ad vitam humanam promota, vtiliſſimum quoddam ſanctiſſimi Spiritûs vas extitit. Illa cùm eſſet annos ſeptem nata, breui tẽpore Pſalterium edidicit, & diuinis literis prompto animo operam nauabat.

Septennis Pſalterium ediſcit.

Cap. 3. Cùm igitur quodam die ſederet, & ſola telam texeret, vidit ſtellam quandam valdè ſplen-

ſplendidam ad ſuum vſque pectus deſcendere, ſeque ab illa multùm illuſtrari, ac ſtellam ipſam poſteà ex oculis ſuis euaneſcere. Ex ea igitur re cùm eius anima multo lumine illuſtrata eſſet, omninò vitæ huius vanitatem odiſſe cœpit. Cumque ſibi propoſuiſſet ad monaſticam inſtitutionem ſe conferre, eius parentes inuitam & nimium recuſantem, multam ei violentiam adhibentes, cum viro collocârunt: quo cum ſexdecim ſolos dies habitauit, ac repentè vidua remanſit. Cùm enim Mauriſij barbari homines in illas regiones irrupiſſent, atque Athanaſiæ vir ad prælium egreſſus eſſet, iudicijs illis, quæ Deus nouit, factum eſt vt gladio interficeretur.

Viſio eius.

Inuita nubit.

Maritus eius cæditur.

Cùm igitur multum temporis præteriiſſet, & Athanaſia ſecum ipſa certaret, & ad monaſticam vitam mentem dirigeret, regale quoddam edictum repentè prolatum eſt, vt mulieres, quæ nuptæ non erant, ſeu viduæ, ijs viris, qui eſſent ex natione, collocarentur. Ex eo igitur factum eſt, vt Athanaſia non anteà monaſticam vitam aggredi poſſet, quàm eius parentes eam ad alterum virum ducendum impulerint. Quæ res quanuis facta ſit, illa tamen, vt conſueuerat, propriam ſalutem curabat, pſalmorum canticis & diuinis lectionibus diligenter vacans, neque vllarum bonarum rerum aut ſtudiorum mutationem accipiens: ſed manſuetudine ornata, cordis humilitate ſanctiſſimè fulgebat, ità vt ab hominibus, qui bonos ipſius mores audiuiſſent, laudatiſſima illa fœmina dilecta valdè fuerit. Eleemoſynæ verò tantoperè ſtudebat, vt quæ domi habebat, quanuis plurima illa eſſent, ad copioſam tamen manûs ipſius diſtributionem minimè ſufficerent. Omnes enim Monachos, qui vndiquè peregrè veniebant, benignè accipiens, viduis, pupillis & omnibus indigentibus abundè ſuppeditabat, quæ vitæ ſunt neceſſaria.

Cogitur ad alteras trãſire nuptias.

Facit multas eleemoſynas.

Cùm verò aliquandò fames eſſet, omnesque inopia premerentur, illa non ſolùm ijs, qui eiuſdem fidei homines erant, nutrimenta copioſè largiebatur: ſed alienis etiam, qui Atthingani appellabantur, fame tunc oppreſſis, & ad eam accedentibus, miſericordia commota, victum impertiebat. Illud enim Domini præceptum obſeruabat: Eſtote miſericordes, vt pater veſter cæleſtis: qui facit ſolem ſuum oriri ſuper malos & bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Neque ſolùm nutrimenta illis tribuebat, verùm etiam veſtibus eos fouebat, & alijs donis conſolabatur. Dominicis verò & feſtis diebus vicinas omnes amanter ad ſe congregans, diuina ſcripta illis legebat, eorum mentem aperiens, & ad Domini timorem ac deſiderium diuino quodam modo illas erigens.

Luc. 6. Matth. 5.

Eius eleemoſynæ ſpirituales.

Cùm igitur in his, quæ Dei ſunt, ità proficeret, & virtutibus ipſis, vt campus multis floribus, abundaret, coniugi ſuo perſuaſit poſt aliquot annos conuictûs, quẽ cum illo habuerat, vt admonitionibus ſuis cedens, mundo & his omnibus, quæ in eo ſunt, renunciaret, & ad ſacram monachorum inſtitutionem ſe conferret. In qua cùm ſanctè verſatus eſſet, & in ea excelluiſſet, poſteà dormiuit in Domino. Beata igitur illa fœmina, libertatis tempus nacta, ſe totam per omne tẽpus Deo ipſi dedicauit. Nam cùm & alias mulieres valdè religioſas inueniſſet, quæ & idem propoſitum habebant, & ſpiritu ipſo ardentes erant, illis concordi animo adhærens, quam primùm ex huius mundi confuſione ſe remouit. Cumque omnia, quæ poſſidebat, pauperibus diſtribuiſſet, vnà cum moribus & mundi habitum mutauit cum illis ipſis honeſtis mulieribus, quas ſuprà diximus. Itaque cùm quodam in loco quietam vitam ducere cœpiſſent, cuiuſdam viri ſancti & virtute præditi adhortatione, qui & eas totondit, poſt tres aut quatuor annos Athanaſia earum mulierum, quæ cum illa erant, principatum etiam inuita ſuſcepit, prima quidẽ ab illis nominata, ſed omnium nouiſſimã, quòd ad mentis ſenſum pertinet, ſeipſam exiſtimans, vt illud Domini præceptũ ſeruaret: Qui vult in vobis eſſe primus, ſit omnium nouiſſimus & vltimus.

Maritus eius fit monachus.

Athanaſia fit præfecta monachorum.

Matth. 20.

Sed quænam oratio, aut quæ lingua humilitatis & ſummiſſionis, qua fœmina illa excellebat, celſitatem explicare poſſet? Neque enim vnquàm paſſa eſt, ab aliqua earum mulierum, quæ cum ipſa erant, miniſterium ſibi præberi, vel aquã in manus dari per totum vitæ ſuæ tempus: quemadmodùm quæ cum ea vixerant, poſt ſanctum eius obitum, omnes illius regionis homines de ea re certiores fecerũt. Illa enim ſe indignam putabat, quæ vnà cum ipſis verſaretur: tantum abeſt, vt ſibi tanquàm præſidenti, ab illis miniſtrari vellet. Cùm etiam abſtinentia multùm valeret, paulùm panis & aquæ poſt nonæ horæ tempus guſtabat, caſeo & piſce omninò abſtinens: quæ in ſolo die feſto Paſchæ, Deo gratias agens, guſtare ſolita erat. Sanctæ verò Quadrageſimæ diebus poſt biduum ſumens cibum, crudis tantùm oleribus contenta erat, in

Cap. 7. Multa eius humilitas.

Magna abſtinentia.

illis ſanctis diebus omninò potum non guſtans. Cumque dormiret, non in latus, ſed in vnum quendam lapidem, ad id ipſum accommodatum, ſeſe inclinans, parùm ſomni capiebat. Neque ſolùm in ſancta & magna Quadrageſima, ſed etiam in ſanctorum Apoſtolorum, & ſacratiſſimi diei natalis Chriſti Saluatoris noſtri temporibus, eandem exercitationis & vitæ regulam ſeruabat. Eius verò ſtratum, ex magnis lapidibus in ſolo ipſo compoſitum, parua quadam & aſpera veſte deſuper tegebatur: quo loco in ipſo quietis tempore cubans, lachrymis per ſingulas noctes, vt Propheta dixit, ſtratum ſuum rigabat. Cùm enim diuinus amor intùs abundè pſam accenderet atque inflammaret, lachrymæ ipſæ tum in pſalmis canēdis, tum in precibus ad Deum mittendis ità copioſè profundebātur, vt fontem potiùs vidiſſes aquis deſtitutū, quàm ſanctos & aſſiduè Chriſtum ſpectantes eius oculos, lachrymarum expertes eſſe.

Lectus eius

Pſal. 6.

Copia lachrymarum

Indumentum illi erat interius quidem aſperum, ipſius carnem aſperitate affligēs: exterius verò tegumentum pannis conſtabat ex ouium lana contextis. At interior illa veſtis ignota erat: exterior autem corpus contegēs, ab hominibus cernebatur. Ad hæc vigilabat ſe colligens, & Dauidis pſalmos meditans, ſingulisque ſeſſionibus orationem animo valdè ſobrio atque attento ad Deum fundens. Die autem modò ſecū, modò cum alijs, quæ cum illa erant, pſalmorum verſus recitans, dabat operam, nè vllo tempore aut hora, eius os aut mens à Dei gloria celebranda vacaret, vt ſacrorum carminum author Dauid cecinit: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

Cap. 8.

Veſtes.

Vigiliæ.

Preces.

Pſal. 33.

Ex quo autem die monaſticam vitam fœmina illa ingreſſa eſt, ad illud vſque tempus, quo ad Deum migrauit, nullos omninò fructus deguſtauit. Cumque multas ærumnas pateretur, & ſororibus præeſſet, earumque curam haberet, ob animi ſummiſſionem, qua excellebat, nulli vnquàm increpationem adhibuit, neque contumelioſum aliquid ex eius ore honeſtiſſimo, ne aduersùs minimum quidem aliquem, aut magnum, ſeruum, aut liberum hominem profectum eſt: præſertim cùm ſæpiùs audiret, diabolica tentatione illa omnia ſe facere. Omnes igitur manſueto animo & recto corde perferebat, ad futuram illam mercedem ſemper animū attentum habens. Cùm verò quatuor anni præterijſſent, ijs, quæ cum illa erant, perſuaſit, vt è loco in quo manebant, exurgerent, & ad priuatū & omninò remotum montem ſecederent, in quo poſſent ſolitariam vitam degentes, Deo ipſi operam dare, & ab omni humana conſuetudine ſeparari.

Cap. 9.

Manſuetudo & patientia.

Cùm igitur quæcunque ad proprios vſus poſſidebant, ea omnia pauperibus diſtribuiſſent, ardenti animo ad id, quod ſibi propoſuerant, ſe præparabant. Adiērunt igitur virum quendā virtute præditum, & Dei amantiſſimum, Matthiam nomine, preſbyterij honore decoratum, & eorum, qui ſe in vita monaſtica exercebant, ouili præſidentem. Ille cùm vitæ honeſtæ eſſet ſtudioſus, & earum mentis ardentem affectum vidiſſet, beatæ Athanaſiæ dixit: Tuum quidem & earum, quæ tecum ſunt, bonum eſt & valdè laudabile propoſitum: ſed quoniam vos video ità exercitatione afflictas, vt infirmiſſimæ ſitis, moneo nè duriſſimis vitæ legibus voſipſas tradatis. Itaque ſi meum conſilium ſuſcipitis, vos in quendam locum perducam, in quo poteritis ità, vt decet, verſantes, benè vobiſipſis conſulere. Habebitis etiam me infirmitati veſtræ opitulantem, vobisque toto animo & omnibus viribus ea, quibus indigetis, miniſtrantem. Hæc cùm dixiſſet, ſanctæ mulieri, & ijs, quæ cum illa erant, perſuaſit, vt eum promptiſſimo animo ſequerentur. Cùm verò prope locum acceſſiſſent, eum beata illa mulier contemplata, valdè hilaris cœpit dicere: Hunc ego locum iampridèm mentis lumine contemplabar, &, vt opinor, hîc in poſterum viuemus, vitæque finem excipiemus.

Cap. 10. Quærit cum ſuis monialibus locum ſolitarium, vt liberiùs Deo vacet.

Erat in loco illo ſanctum protomartyris Stephani templum, tum gloria, tum veſtitate clariſſimū. Beatus igitur ille Matthias, nutu eius Epiſcopi, qui regioni præſidebat, illic mulieres illas collocauit, omnemque curam eis adhibuit. Inſuper virtutis exercitationi valdè ſtudebat, continentiæ, inquam, & vigilijs multis, cùm per totam noctem & pſalterium recitaret, & preces quamplurimas ad Deum funderet, dormiensque non ſupra latus, ſed ſedens, ſomnum, quantùm ſatis eſſet, caperet. Tanta etiam erat illius viri compunctio, tum in pſalmis canendis, tum in offerendo diuino & incruento ſacrificio, vt qui eum videbant, multam ex ea re vtilitatem perciperent. Veſte autem aſpera contentus erat: quam cùm vnicam ferret, carnem ipſam horribiliter domabat. Cùm verò Iohannis Apoſtoli, qui recubuit ſuper pectus Domini, eſſet valdè ſtudioſus, & eius die feſto ac memoria inſtante, incruenti ſacrificij miniſterium

Cap. 11. Matthias egregius monachus, loco eis aptū prouidit.

Dies feſtus S Iohannis Euāgeliſtæ

rium celebraturus eſſet, maxima cōpunctione affectus, vni ex ijs, qui præſentes erant: Num, inquit, aliquis eſt dignus hodierno die, qui Epheſum proficiſcatur, & ſanctum Apoſtolum Iohannem contempletur? Cumque hæc diciſſet, fontes lachrymarum ex oculis emittens, gemitum è corde proferebat. Res igitur oblata eſt, eius fide & in diſcipulum Domini charitate digna. Nam ab initio ſacræ illius myſteriorum celebrationis, quoàd res diuina completa eſt, ſanctiſſimum Apoſtolum Iohannem in ara illa ſancta ſecum vnà ſtantem videbat: neque ſolus ipſe eum cernebat, ſed duo etiam alij, qui vnà præſentes erant, cùm incruentum ſacrificium celebrabatur. Ad tertium igitur vſque diem permanſit ità compunctione illa ſe oblectans, vt humani cibi particeps fieri non poſſet.

S. Iohannes adeſt ſacrificāti Matthiæ.

Cap. 12.

Ad hunc beatum Matthiam acceſſit homo quidam, totius corporis compages remiſſas & diſſolutas habens: cuius miſericordia commotus vir ille, chlamyde, qua indutus erat, ſeipſum exuit, & in eius humeros eam impoſuit. Quo facto, eius compages cùm ſtridorem magnum emiſiſſent, ſtatim homo ille ſanus factus eſt. Cuidam verò alij faciem habenti, diabolo authore, peruerſam, honoratæ manûs ſuæ ſignaculo curationem attulit. Quinetiam vetulæ mulieri, impuro ſpiritu detentæ, & ad beatum illum virum Matthiam accedenti, illius precantis perſeuerantia factū eſt, vt Deus ipſe paucis diebus ſanitatem conferret. Alia quædam mulier, habitu monaſtico induta, impuro ſpiritu vexabatur, & ad monaſterium acceſſit. Cùm igitur ille ingreſſus, eam ſolam vidiſſet in eccleſia prauo ſpiritu laborantem, miſericordia commotus, in cælum manus erexit: cumque, quantum ſatis eſſet, orauiſſet, & ad eam conuerſus eſſet, tèr Crucis ſignaculum ipſi adhibuit. Quo pacto, prauus ille dæmon aufugit, & fœmina illa ſana deincèps permanſit. Hæc nos perſtrinximus, vt vitæ, quam vir ille tenebat, preſtantiam declararemus, & ſignorum gratiam à Deo illi conceſſam, omnibus manifeſtam faceremus.

Sanat paralyticum.

Item diuerſos homines malo ſpiritu vexatos.

Sed neſcio quomodò factum ſit, vt cùm ſanctus ille homo, & Deo ipſi dicatus, nauem conſcendiſſet, & ad regiam ac magnam vrbem nauigaret, indicijs illis, quæ ſolus Deus nouit, acciderit, vt vnà cum ſocijs nauigationis fluctibus marinis ſuffocaretur. Quamobrèm & illius ſancti corporis expertes facti ſumus, neque ſacras illas & beatas reliquias repoſitas habemus, quæ nos maximè iuuare poſſent. Omninò enim Sanctus quemadmodùm, cùm in corpore erat, curationes abundè conferebat, multo magis, poſtquàm exceſſit, his, qui eius reliquias attigiſſent, eaſdem afferre poſſet. Huius miniſterio alius quidam preſbyter ſucceſſit, eunuchus natura, qui vocabatur Ignatius. Ille cùm ijſdem moribus, quibus & is, quē ſuprà diximus, excelleret, ſanctè admodùm & Domino Deo gratus migrauit: cuius ſepulcrum fulgoribus quibuſdam dæmonum turmas proſternit, & curationes affert. Sed ad narrationis ordinem reuertamur, ſanctæ matris noſtræ Athanaſiæ facta perſtringentes.

Cap. 13.

Eccè quid antiquitas ſenſerit de reliquijs.

Multa fiunt miracula ad tumulum S. Ignatij monachi.

Hæc igitur beata fœmina cùm multam, vt diximus, humilitatem, magnamque & ſingularem manſuetudinē in ſe haberet, ſæpè Deum precans, atque in cælum intuēs, ſtupore atque exceſſu quodā implebatur: nubē autem lucidam, Solis radios emittentem, videbat, & in eius medio virum ſpecioſum, formaque ità effulgentem, vt eius ſpecies ſingularis exiſteret. Cumque hoc ſæpè vidiſſet, & eius viri adſpectum obſtupeſceret, ſecum ipſa dicebat: Ecquiſnam virum hunc tam multo decore atque ornatu repleuit? Et quænam virtus ità ſplendidum ac ſpecioſum effecit? Cùm hæc cogitaret ac diceret, ſibi viſa eſt vocem hanc audire: Virum hunc, cuius ſpeciem tu admiraris, humilitas & manſuetudo ità ſplendidum reddiderunt: quæ cùm & ipſa mirum in modum imiteris, te quoquè illuſtrem futurā manifeſtò ſcias. Quotidiè igitur hæc contemplans, ità duabus virtutibus ſe ornauit, vt in illa iræ aut ſuperbiæ ne veſtigium quidem vllum appareret. Quæ verò ad earum virtutum celſitatem aſſcenderat, quæque cæleſtem viſionem puro cordis lumine inſpexerat, mirum non eſt, ſi admirabilibus ſignis Deus eam ornauit.

Cap. 14.

Viſio S. Athanaſiæ.

Manſuetudinis & humilitatis eſt ſtudioſiſſima.

Etenim cùm quodam die ipſa ſederet, & Deo operam daret, ad eam venit homo quidam oculos multùm dolens, eamque rogans, vt pro ipſo Deum precaretur. Illa verò humilitatem ſuam oſtendens, quasi eum cōſolaretur: Et mihi, inquit, huiuſmodi morbus moleſtiā attulit. feras igitur, & Dominus te curare poterit. Ille verò cùm nequaquàm diſcederet, ſed curationis ſe compotem fieri cum fide multa poſtularet, beata illa mulier manum ſuam ſuper ipſius oculos imponens: Ille, inquit, Chriſtus, qui cæcum natum curauit, det tibi, frater, perfectam iſtius morbi curationem.

Cap. 15.

Iohan. 9.

Circumsanat. Cap. 16.

Hæc cùm ille audîsset, & firma fide accepisset, statim illo ipso tempore optatam sanitatem assecutus est.

Aedificat tria templa.

Posteà verò, quàm Athanasia prope templum illud protomartyris Stephani supradictum, alia tria templa ædificauit, celeberrimæ Dominæ nostræ & Dei genitricis Mariæ, Iohannis præcursoris, & Nicolai illius diuini præconis, necessitate postulante, ad regiam Vrbem profecta fuit, ibique in monasterio sex vel septem annos morata est. Quod molestè ferens: Exul, inquit, facta sum è templo illius, quæ Deum peperit: quo derelicto, en hîc moror. Cùm igitur diuina quædam visio illi oblata esset, ausa est ijs, quæ cum illa versabantur, dicere: Tempus iam instat, vt ad eum locum abeamus, vbi olim nos sedebamus. Vidi enim in mentis excessu templi Dominæ & sanctissimæ Mariæ, quæ Deum genuit, fores patefactas, nosque illuc introire iussis. Cumque hæc dixisset, ex vrbe illa regia migrauit, & Dei verè preciosum illud vas ad desideratum locum vénit, qui vocatur Timia, nomine ipso ab honore deducto. decebat enim honestum locum illum eius præsentia honorari, & appellationem veram, ac factis ipsis comprobatam, habere, vt à quodam perspicacissimo viro ac patre multis annis anteà præuisum fuerat. Hic, quem dixi, Iohannitius fuit ille laudatus & insignis vir, cuius gloria per totum orbem terrarum celebratur. Hic, inquam, diuinus vir, cùm per eum locum transiret, prophetico spiritu pronunciauit, decere locum illum honorari quorundam sanctorum corporum collocatione. Id quod posteà factũ fuit.

Iohannitius vir sanctissimus.

Cap. 17.

Visio alia S. Athanasiæ.

Cùm igitur beata mulier eò peruenisset, & paucos quosdam dies illic vixisset, grauissimo quodam morbo correpta est, & duodecim diebus, antequàm è vita discederet, de ea re mysterio quodam edocta fuit. Vidit enim viros duos, albis vestibus indutos, ad se venientes, & paginam quandam ei tradentes, in qua hæc scripta erant: En libertas tua hæc est: sume hãc, & lætare. Beata verò mulier cùm ad se redijsset, & vnam è sororibus ad se vocâsset, singulatim ei omnia narrauit. Totis igitur illis duodecim diebus mansit assiduè contemplationi dans operam, neque cibi, neque potûs particeps fiebat, nihilque aliud, nisi hoc dicebat: Psallite, sorores meæ, psallite, & Deũ assiduè laudate, vt propitius sit peccatis nostris. Cùm igitur duodecimus dies veniret, sancta mulier alias, quæ cum illa erant, affata: Succurrite, inquit, quæso infirmitati meæ, & in ædem sacram ingressæ, versus, qui mihi dicendi essent, vos Deo reddite: non enim possum ampliùs psalterium complere, cùm omninò vis mea deficiat. Illæ verò cum clamore & lachrymis respõdentes: Ad quemnam, inquiunt, psalmum ipsa peruenisti, & vndenàm, quod reliquum est, nos incipiemus? Illa sensìm respondens: Nonagesimum, inquit, psalmum in ore habeo: sed infirmior facta, vlteriùs progredi non possum. Illæ cùm hæc audiuissent, ad ædem sacram ingressæ, reliquos psalmos compleuerunt. Cumque exijssent, in faciem ceciderunt, & vlulatum magnũ emittentes, sibi preces à sancta muliere impartiri postulârunt. Illa verò omnibus quidẽ pariter benè precata est: Marinam autẽ & Euphrasiam vlnis suis honoratis amplexa: En, inquit, sorores meæ dilectæ, ex hoc ipso die à nobis separamur: sed in futuro illo seculo rursùs nos Deus coniunget: det autem vobis pacem, charitatem & concordiam, & impleat vos omnibus bonis suis. Hæc & alia cùm dixisset, eius facies instàr luminis effulsit, ità vt qui ad eam videndam eò venerãt, admiratione & stupore afficerentur.

Migrat ad Dominum.

Moribundę facies instàr luminis fulget.

Cap. 18.

Dies festus Assumptionis beatæ virginis.

Quoniam verò dies festus aderat, quo sanctissimæ Dei genitricis Assumptio celebratur, omnes sic admonens: Videte, inquit, nè quid eorum, quæ ad diem festum pertinent, infectum prætermittatis: itaque & psalmorum ordinem, & ministerium in ipsos egentes pro viribus diligenter exequamini: deindè post diuinum rei sacræ ministerium humile hoc corpus meum terræ mandetis. Hæc cùm præcepisset, & duas sorores, quas suprà diximus, amplexata esset, in pace dormiuit ac requieuit: ità vt qui eam viderũt, communi somno requieuisse crederent. nam ore atque oculis clausis, minimè illi opùs fuit, qui hæc honestè componeret. At sorores, ad sanctas eius reliquias se abijcientes, & suam orbitatem deplorantes: Quonàm, inquiunt, nunc abijsti, mater nostra sancta, & immortalitatis cognomen habens? Quomodò nos ità orbas dereliquisti, è nostro conspectu euanescens? Vbinàm posthàc angelicam faciem tuam adspiciemus? Vbi vocem illam tuam audiemus, qua nostra corda exhilarentur, & ad bonorum operum studia excitentur? Extinctum est nostræ spei fomentum. Tu nunc dormis, & nos in segnitia, velut mortuæ, iacemus. Non ampliùs te nobiscum vnà versantem habebimus: elegit enim te Dominus, & ad mãsiones illas æternas vocauit.

Cùm

Cùm hæc & his similia lamentatæ fuissent, & consuetum officij canonem in eà compleuissent, post mysteriorum tempus, sacrum illud corpus in loculis repositum, in terra congruenter condiderunt. Quæ verò mulier in eius locum successit, prope sepulcrum permanens, neque nocte, neque die illinc discedebat, lachrymans, & beata illa fœmina se orbatam lugens. Cui Athanasia in somnis appárens: Esto, inquit, bono animo, & certò fore scito, vt, completis quadraginta diebus post meum obitũ, recipiam quod à Deo ipso receptura sum. Hæc igitur cùm in somnis vidisset, experrecta dubitabat, quidnam hoc visum, & sanctæ mulieris verbum significaret. Cumque quadragesimus dies veniisset, quæque sorores monasterium habitabant, id oblitæ (vt sæpè vsu euenire solet) post duos dies illum quadragesimum diem futurum existimarent, eius diei vespere sorori, quæ supradicta est, Athanasia beata illa fœmina se offerens: Cur, inquit, ità quadragesimos dies meos neglexisti, neque quæ ad pauperum distributionem, neque ea, quæ ad amicos benignè accipiendos pertinent, præparâsti? Hoc viso illa perculsa, & ad se rediens, ac diligenter dies numerans, cognouit tempus illud vesperam esse quadragesimi diei, quo sacra psalmorum cantio celebrari deberet.

Cap. 19.

Quadragesimus dies defunctorũ iã olim obseruatus.

Cùm igitur dies illuxisset, & diuinum officium celebrari cœpisset, duæ, quæ illius sacri & monastici chori principem locum tenebant, quarumque cordis oculos Deus aperuerat, vt horribile illud visum animaduerterent, duos quosdam viros contemplatæ sunt specie terribiles, habitu effulgentes, & beatam Athanasiam mediam habentes: quam cùm duxissent, & ante sacram aram constituissent, purpuramque preciosis lapidibus ac margaritis ornatam protulissent, regali habitu eam induerũt, & corona, Crucem & antè & retrò habente, caput eius cinxerunt: cumque virgam gemmis ornatam in manus ei dedissent, eam ad diuinam aram perduxerunt. Hæc igitur visio cùm quadragesimo die contigisset, loculus, in quo sanctæ mulieris reliquiæ infra terram iacebant, stridorem emittere cœpit: idque assiduè per totum anni tempus faciebat.

Cap. 20.

Visio de gloria S. Athanasiæ.

Cùm verò anniuersarius dies, quo sancta illa mulier obierat, iam veniisset, ecce viri duo adstiterunt, & cum ipsis misera quædam mulier, prauis spiritibus vexata: qui spiritus supra sanctæ illius mulieris reliquias debacchantes, redarguti sunt. Manibus igitur tegumentum illud, quod supra sanctæ Athanasiæ reliquias impositum fuerat, amouentes, arcam è monumento extraxerunt. Quo facto, mulier illa spiritu malo agitata, curationis statim compos facta est. Sacri verò illi viri arcam illam inspicientes, eam viderunt vndiquè suauissimi odoris vnguento diffluentem. Cùm igitur diligenter eam patefecissent, Athanasiam inuenerunt ità decorè positam, vt recèns mortua fuisse videretur. nam & eius oculi luminis speciem præ se ferebant, & labra, & totum illud beatum corpus sanum, integrum & intactum videbatur, teneris adhuc carnibus, & manibus in rectum protensis, neque aliqua ex parte impeditis. Cùm illud igitur venerati essent, & lachrymas effudissent, arcam muniêrunt, & in omniũ conspectu ponendam esse, sanctè iudicârunt.

Cap. 21.

Dæmoniaca sanatur.

Nota rem admirandã de eius sancto corpore

Postea verò quàm in aliam arcam translata fuit, in qua & nunc beata illa reposita est, monachæ ipsæ veste priore illam exuentes, alia quadam sericis filis contexta, & colore cæruleo eam induere cupiebãt: sed minimè Athanasia sancta eis obtẽperabat, manus ipsas tenens pectori adhærentes, & vestem illam renuens. Vnà igitur è choro illo, quę omnibus virtutibus effulgebat, & sancti Spiritûs vas quoddam erat valdè preciosum, flexis genibus sic eam precata est: Quemadmodùm quo tempore nobiscum versabaris, obedientiam sine aliquo discrimine præstitisti: ità & nunc libenter nobis obedire velis, & humilem tunicam tibi oblatam te indui patiaris. Hæc illa cùm, perindè ac si viueret, audiuisset, manus statìm relaxauit, & tunicam, quam diximus, accepit, ac deindè ad sanctam illam arcam se reclinauit.

Cap. 22.

Viuũt Sancti, & nõnũquam nostras.

Operæprecium verò est pauca quædam, quæ posteà facta sunt, miracula commemorare, & ità orationi finem imponere, Cùm non multi dies præterijssent, puella quædam, annos ferè duodecim nata, impuro spiritu detenta, cadens & spumam emittens, ad sacræ mulieris sepulcrum adducta est: cumque illic quadraginta dies permansisset, diuina ope adiuta, sana redijt. Alius quidam puer, annos ferè octo natus, in manu ipsa dæmonem habebat. Hunc vt patiẽrem quendam nigrum ad manum suam venientem, & illic sedentem videbat, à quo & manus ipsa commouebatur. Quarè miserabiliter afflictus puer ille, cùm totos septem dies apud diuinas

Cap. 23.

Puella quædam ad eius sepulcrum à dæmone liberatur.

Dæmon à puero depellitur. Cap.24.

ſanctæ mulieris reliquias permanſiſſet, ſanctiſſimi Spiritûs ope curatus eſt.

Alius quidam conditione ſeruus, fide verò líber, occulto dæmone vexatus, & inſuper aqua intércute totum corpus, inſtàr vtris, tumefactum habens, ad monaſterium illud venit, & ſanitatis compos fieri ſupplex poſtulabat. Illi ergò beata Athanaſia in ſomnis appárens: Expecta, inquit, frater, paululùm, & ego tibi, diuina opeadiuuante, curationem afferam. partem enim quandam mei corporis ad te mittam, qua morbo iſto liberaberis. Audiuit hæc vir ille, & fuit bono animo: & poſt menſem vnum nocte quadam in mentis ſtuporem incidens, ſeipſum vidit vndiquè à templi tecto aqua defluente madefieri, & omnibus candelis extinctis, ad ſanctas be-

Per viſum hydropicus ædemque dæmonia cus ſanatur.

atæ mulieris reliquias confugere: ſtridoreque magno ex arcula emiſſo, vocem ad ſe venientem audire ſibi videbatur, quæ ità diceret: Aperi citò os tuum, aperi. Quod cùm ille feciſſet, hilaris, quod miſſum fuit, excepit, ſimulque ſanitatem recuperauit. Cùm verò dies illuxiſſet, omnibus, quæ in monaſterio erant, curationem ſuam clara voce prædicabat. Cumque omnes concurſu magno illuc veniſſent, & cauſam eius rei ediſcere cupiuiſſent, tum ille donum, quod acceperat, è ſinu protulit, unguem videlicet magni digiti è ſanctæ mulieris pede miſſum, ac paruo quodam panno inuolutum. Abijt igitur vir ille ſanus, diuinam gratiam, & ſanctæ mulieris gloriam celebrans.

Cap.25.

Aliquandò cùm eius ſancta memoria celebraretur, & multus populi concurſus factus eſſet, mulier quædam, nomine Theodota, manum arefactam habens, curationé aſſequi ſupplex poſcebat. Vna igitur è ſororibus, cùm eam appræhendiſſet, & maxillæ ſanctæ mulieris, quæ in arca erat, admouiſſet, ſanam atque integram Dei ope illinc extulit. Alia verò quædam mulier cùm occulto ſpiritu vexaretur, & multos dies illic permanſiſſet, re infecta ac triſtis domum ſuam reuerſa eſt. Vidit autem ſanctam fœminam talia ſibi dicentem: Tu fraudem viro tuo feciſti, & animam tuam in grauem mortem inieciſti. Vade igitur, & erratum tuum proferas, & ego mali dæmonis vexatione te liberabo. Hæc cùm mulier audiuiſſet, & ea, quæ audiuerat, feciſſet, diuina ope adiuta, ſanata eſt. Alia quædam mulier infantem puerum mammam ſugentem ferés, cui tum dexter oculus extinctus, tum manus & pes torpens, & motionis expers erat, ad ſanctæ illius ſanitatis datricem arcam eum adduxit. Poſt paucos verò dies illum ſanum receptum, in propriam domum gaudens retulit.

Manus arida reſtituitur.

Dæmoniaca iubetur à S. Athanaſia confiteri peccatu ſuum, & ità ſanatur.

Cap.26. Alia miracula.

Alia quædam tam malè oculorum morbo laborans, vt ei tanquàm poma aliqua oculi penderent, ad eius arcam acceſſit, & capite ſupra ſanctas reliquias impoſito, ſanitatem aſſequi precibus poſtulabat. Cùm igitur duobus aut tribus diebus permanſiſſet, Dei ope adiuuante, ſana facta eſt, eius oculis ad priorem ſtatum reſtitutis. Puer verò duodecim ferè annos natus, cùm manus & pedes torpentes haberet, ad eius ſepulcrum acceſſit. Cumque nondùm pauci dies præterijſſent, diuina viſione puer ille dignus factus, & proprijs pedibus inambulans, domum ſuam reuerſus eſt. Quod miraculum per beatam mulierem editum omnes obſtupeſcebant. Collum puellæ cuiuſdam, quæ Maria vocabatur, & in monaſterio habitabat, graui morbo laborabat. Cui beata Athanaſia in ſomnis appárens: Aſperam, inquit, tunicam meam accipias, & morbo admoueas. Id cùm illa è ſomno excitata feciſſet, ſtatìm curationem ipſam admirabiliter aſſecuta eſt.

Cap.27. Irém Maria ſanatur à ventris ſui doloribus.

Marina verò, cuius ſuprà mentio facta eſt, multo tempore graui morbo ex ventre laborauerat. Cùm igitur lauri folium ſumpſiſſet ex ijs, quæ tunc ſuper arcam illam poſita erant, & ſupra morbi locum tribus diebus reliquiſſet, perfectam ſanitatem accepit. Hæc, quantùm vobis religioſis monumentum eſſe poſſint, mediocriter à nobis dicta ſunt. Singulatìm enim omnia perſequi, non ſolùm ſupra vires meas eſt, ſed neque ijs facile erit, qui & vita meliore ſunt, quàm ego, & orationem vitæ parem habent. Ego verò cùm ingenio ſim valdè tenui, & ſublimioris orationis omninò expers, prouinciam hanc ſuſcepi, non vana ſecutus figmenta, ſed quæ tum ipſe propriſ oculis vidi, tum à ſanctis mulieribus, cùm hæc dicerent, audiui, è quibus fuit & feliciſſima mater noſtra. Quæ omnes cùm per totam vitam rebus geſtis excelluerint, & Athanaſiæ beatæ mulieris facta cuncta benè nouerint, illis ego credidi. Earum autem vitam, & optimam maximæque vtilitatis conciliatricem inſtitutionem, alijs ſuo tempore ſcribendam prætermittamus.

Fides huius hiſtoriæ.

Cap.28.

Tu verò beata, & immortalitatis appellatione prædita, diuinorumque Angelorum contubernalis Athanaſia, quæ propter Chriſtum benè paupertatem exercu-

iſti, & diuinis muneribus dies facta es: quæ aſſiduè lugens, conſolationem iſtam tibi comparâſti: & manſuetudine oblectata, manſuetorum terram recepiſti: & in fame & ſiti vitam ducens, perennes delicias inueniſti: miſericordemque animam habens, à Deo ipſo miſericordiam magnoperè conſecuta es: tu, quæ corde puro ſplendorem ſancti Spiritûs excipiens, & in animo pacem habens, eiuſdem ſancti Spiritûs diuerſorium, &, vt ſummatìm dicam, omnium bonorum theſaurus, ob idque maximo lumine digna facta es, cum ſanctorum turmis ſimul verſans, & cum iuſtorum chorcis hilaris vnà chorum ducens: ſis noſtrî memor, qui factis tuis lætamur: cura ſororum gregem, quem proprijs laboribus congregâſti: reſpice vitam noſtram, multis huius mundi fluctuationibus agitatam: vt per tuas preces ſanctè viuentes, & laqueis diaboli fortiores redditi, tecum vnà ſempiternis bonis digni efficiamur, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cum quo patri ſimul cum ſancto Spiritu ſit gloria, honor & adoratio nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Author inuocat S. Athanaſiã.

ORATIO, QVÆ TRACTAT A VENERANDO ORTV ET EDVCATIONE SANCTISSIMAE NOSTRAE

Deiparæ, & ortu Chriſti Dei noſtri, & quæcunque contigerunt ad viuificum eius deceſſum. Et præterea quomodò in apertum prolata ſit precioſa eius veſtis: Et quemadmodum hæ magnæ opes fuêre Chriſtianis reconditæ: Authore Simeone Metaphraſte, qui grauiſſimorum Patrum vtitur teſtimonijs. Hanc orationem in gratiam Lectoris per Capitula ad marginem adiecta diſtinximus.

PORTEBAT re vera Virginem, ſicut ipſa Dei ad homines venturi inuenta eſt dignum & Deo conueniens habitaculum, ità nunc illam ad encomij argumentum nobis propoſitum, dignam linguam eſſe conſecutam, quæ res eius eleganter narraret, & conuenientem ei laudem afferret. Sed quoniam quo hoc eſt maius, eo difficiliùs explicari poteſt, pro viribus ſaltèm alacri animo danda eſt opera, vt texamus eius laudationem. Scit enim ipſa quoquè, filij cedens legibus, gratum habere id, quod fit pro viribus. Dicendum eſt ergò, & diligenter narrandum, & vndè orta ſit, & quos parentes habuerit, deque educatione eius, & fine vitæ: quinetiam quæcunque illi contigerunt ex diuina prouidentia, & arcanis rationibus. Quòd ſi oratio alia quoquè compræhendit, & neceſſariò perſequitur, non eſt à ratione alienum, quod factum eſt: omnia enim ad eam referuntur, eiusque ſunt gloria & encomia. Quorum narratio non erit nobis abſque fidedignis teſtibus, nec ſumetur ex perſonis quibuſlibet: ſed quam viri, quibus iure credendum eſt, & qui ſimul cum doctrina egregiam quoquè vitam attulerunt, diligenter compoſuerunt: Gregorius, inquam, Nyſſenus, Athanaſius Alexandrinus, Dionyſius Areopagita, & multi alij, qui nec ſunt vulgaris, vt diximus, eruditionis, & ſunt vita admirabiles: Et, quod maius eſt, quam ipſum quoquè diuinum refert Euangelium.

15. Auguſti. Cap.11

De quibus dicturus ſit Author.

Quibus teſtibus vſurus.

Iam enim diuinus Gregorius in oratione, quæ de ortu Chriſti ab ipſo eſt compoſita, hæc de ea tractat: Audiui, dicens, arcanam quandam & occultam hiſtoriam, de ea hæc narrantem: Erat inſignis in accurata vitæ, quæ eſt ex lege, inſtitutione, & inter optimos apprimè notus, pater Virginis. Conſenuerat autem ſine liberis, quòd non erat eius coniunx apta ad procreandos filios. Erat verò ex lege quidam honor matribus, quem non adipiſcebantur, quæ carebant filijs. Imitatur ergò ea quoquè illa, quæ narrantur de matre Samuelis. Et cùm fuiſſet intrà templa ſanctorum, ſit ſupplex Deo, rogans, nè excideret ab ea, quæ eſt ex lege, benedictione, cùm in legem nihil peccaret: fieret autem mater, & Deo conſecraret id, quod pareret. Cùm nutu autem diuino confirmata eſſet ad gratiam, quam petierat, poſtquàm peperit puellam, eam quidem nominauit Mariam: vt vel ipſum nomen ſignificaret, à Deo datam eſſe gratiam. Cùm verò iam creuiſſet puella, vt non ampliùs opùs haberet ſugere mamillam, eam Deo tradidit, & promiſſum

Cap. 2. Ex Gregorio Nyſſeno

1. Reg. 1.

Naſcitur S. Maria.

Offertur templo.

missum impleuit,& ad templum adduxit. Sacerdotes autem interim quidem,ad similitudinem Samuelis,inter sanctos educabant puellam.

Cap.3.

Cùm verò creuisset, consilium ceperunt, quidnam sacro illi corpori facientes, in Deum non peccarent.Eam enim legi naturæ subiungere,& eam dare in seruitutem ei,qui illam duceret, videbatur absurdissimum. Existimatũ est planè sacrilegium, si diuini donarij homo fieret dominus : quandoquidem à lege est constitutum,vt maritus esset dominus coniugis.Vt autem in templis versarentur mulieres cum sacerdotibus, & inter sanctos viderentur,neque lege permittebatur, nec res erat honesta. Eis verò de his consultantibus,à Deo datur consilium, vt eam quidem dent viro nomine desponsationis : Is autẽ talis esset,qui ad virginitatis aptus esset custodiam. Inuentus est itaq; Ioseph,qualem quærebat ratio, ex eadem tribu, ex qua erat virgo : & ex consilio sacerdotum sibi despondet Virginem. Coniunctio autẽ processerat vsque ad desponsationem. Tunc Virgini à Gabriele aperitur mysterium. Erant autem verba mysterij benedictio.Aue gratia plena,inquit, Dominus tecum. Contraria illi primæ voci, quæ facta est mulieri,nunc verba fiunt Virgini. Illa doloribus in partu condemnata fuit propter peccatum : In hac autem per lætitiam expellitur tristitia. In illa partum præcesserunt dolores : Hîc verò lætitia est obstetrix partûs. Nè timeas, inquit. Quoniam enim omni mulieri metum affert partûs expectatio, metũ expellit dulcis partûs promissio. In vtero concipies,& paries filium,& vocabis nomen eius Iesum.

Despõdetur S. Iosepho.

Luc.1.

Gen.3.

Cap.4.

Quid autem Maria? Audi puram vocem Virginis.Angelus partum annunciat,& illa adhæret virginitati, non corrumpi, iudicans esse præstantius, quàm apparitionem Angeli.Et neq; potest Angelo non credere, neq; discedit ab ijs, quæ statuerat. Est, inquit,mihi prohibita cum viro consuetudo. Quomodò erit mihi hoc,quoniam virum non cognosco ? Hæc vox Mariæ,est demonstratio eorum,quæ arcanè & occultè narrantur.Si enim eam Ioseph acceperat in matrimonium, quemadmodùm ei visum est alienũ,quod partũ ei antè significaret, si ipsa omninò expectabat fieri mater lege naturæ? Quandoquidem carnem,quæ Deo fuerat consecrata, velutì quoddam sanctum donarium,intactum conseruari oportebat : propterea, Etsì sis Angelus,inquit,etsì de cælo venias,etiam si sit super hominem id, quod appáret,non potest tamen fieri,vt virum cognoscam.Quomodò ergò ero mater absque viro ? Nam Ioseph quidem nouì sponsum,virum autem non cognosco. Quid ergò paranymphus Gabriel, qualẽ thalamum parat puro & impolluto matrimonio ? Spiritus,inquit,sanctus superuenietin te,& virtus altissimi obumbrabit tibi. O beatam illam carnem, quæ propter insignem puritatẽ,animæ bona ad se attraxit.In alijs enim omnibus vix anima pura sancti Spiritûs aduentum acceperit : hîc autem fit caro spiritûs receptaculum.Quinetiam virtus Domini obumbrabit tibi. Quid hæc perarcana significat oratio ? Christus Dei virtus, & Dei sapientia,inquit Apostolus. Altissimi ergò Dei virtus, quæ est Christus, per aduentũ sancti Spiritûs formatur in Virginitate.Quomodò enim vmbra corporum conformatur figurę eorũ,quę præcedũt : ità etiã character & signa,quibus filij Dei cognoscitur diuinitas,parebunt in eius,qui paritur,virtute,vt qui imago & signaculũ & adumbratio,& splendor primi exemplaris, per admirabiles ostendatur operationes. Et hæc quidẽ diuinus Gregorius. Alia autem & sacrum Euangelium, & alij viri pij,ac Dei amantes,quos nominauimus,& quorum nominatìm non meminimus, verè docent.

Studium virginitatis

Satis hinc liquet, S. Mariã voluisse virginitatem.

Virtute & operatione Spiritûs sancti, cõcepit Maria Dei filium.

1.Cor.1.

Cap.5.

Hæc ergò postquàm Virgo audiuit,statìm mente illustrata à spiritu, qui ei inhabitabat,lubenter accepit promissum:&, Eccè ancilla Domini, ait Angelo, Fiat mihi secundùm verbum tuum : simul & ad Angeli vocem ea vtens, qua par est, cautione,& postquàm fide digna visa essent ea,quæ dicta fuerant, noluit ampliùs esse incredula: sed illo quidem euasit primæ matris deceptionem,hoc autem vitauit Zachariæ incredulitatem,quæ vltrà,quàm deceret,processit.

Fides & prudentia S. Mariæ.

Luc.1.

Cap.6. Ibidem.

Atque Angelus quidem ab ea recessit. Consecuta est autem paulopòst & Maria cum studio ad montana aduentus,& eius in domum Zachariæ ingressus.Magno enim studio contendit gratulari Elisabethæ, vt quæ ab Angelo didicisset nouam eius conceptionem. Accedit ergò,& benignè salutat. Fit autem salutatio dulcis exultatio infantis,qui erat in vtero Elisabethæ.Iam enim ex ventre sciebat seruus Dominum, qui erat in vtero : & cùm sensisset eius in mundum aduentum, mirandum in modum lætabatur. Hoc enim apertè significabat illa exultatio. Non te autem lateat Elisabethæ reuerentia & submissio, cum prædictione admirabili. Virginis enim aduẽtum admiratur,quippè qui eius superaret conditionem: Vndè hoc mihi, dicẽs : sicut etiam illius filius

Inuisit Elisabetham.

filius de Domini aduentu in tempore baptismi. Iam verò hãc quoquè matrem & dominam suam nominat,sed etiam benedictam dicit in mulieribus, & eum,qui in vtero gestabatur,fructum ventris vocat admirabiliter,vt qui cum viri semine nihil habuisset commune.

Matt.3. Attẽde matris & Iohã nis filij eius humilitatẽ.

Cuiusmodi verò est illa quoquè rursùs admirabilis Marię prędictio,fore vt celebraretur ab omnibus generationibus? Non enim se beatam prędicat vana mora arrogantia,neque lingua communi hæc loquitur : sed diuino spiritui seruiens, & id quod fit in æternum, diuinans. Magnificat autẽ Deum Maria,se & credere ostendens propter vocem Elisabethæ: Beata enim,inquit,quæ credidit fore, vt ea perficiantur, quæ ei dicta sunt à Domino: & se ei tam magnæ rei inseruire. Sed hæc quidem sic habent. In domo autem Elisabethæ circa tres menses habitauit Maria. Deindè sic, inquit, reuersa est in domum suam. Sic enim me docet Euangeliũ. Quid autem sibi voluit Mariæ hæc mansio? Fortasse quidem, vt eius rei admirabilis videret exitum,de qua non mediocri tenebatur admiratione. Est autem in more positum, vt virgines secedant, cùm, quæ fert vterum, est paritura. Oportet enim hoc quoquè considerare. Ea de causa cùm iam instaret tempus, vt pareret Elisabeth, etsì re vera esset prægnans, recedit tamen, tanquàm virgo,& in domum suam reuertitur. Postquàm autem reuersa est, nusquàm quidem alibì,sed domì deincèps degebat,donèc cognouit iam tempus adesse partûs.

Cap.7.

Luc.2. Cur S. Maria tribus mensibus apud Elisabeth manserit.

Cæterùm Iosephum tumens virginis vterus (nesciebat enim id esse opus sancti Spiritûs)in dubias induxit cogitationes,& ideò eam clanculùm dimittere habebat in animo : Vt qui esset iustus,inquit,& eam nollet traducere:adeò iustus, vt non solùm nollet punire,etiam si hoc lex iuberet:sed neq; rem vellet propalare, & in publicum proferre. Hoc enim sibi vult illud, traducere. Cùm hæc autem,inquit, cogitâsset,venit Angelus promptè soluens dubitationem. Nihil enim probri nec contumeliæ eam subire oportebat,quæ ab omni probro & dedecore erat longè purissima. Qualis autem fuit vox Angeli ad Iosephum ? Ioseph fili Dauid, nè timeas accipere Mariam vxorẽ tuam. Filium Dauid illum vocans,quidnam vult aliud, quàm ei reuocare in memoriam, vndenàm sit Christus processurus? Dicendo autem,Nè timeas, ostendit eum timuisse, nè Deum offenderet, si adulteram domi suæ haberet. Ea de causa, Vxorem tuam,purè nominat,tollens suspicionem. Neque enim si ei omninò fuisset allatum vitium, vxor illius diceretur. Quòd autem vxorem hîc dicat sponsam,tibi persuadeat scriptura,quę ante matrimonium generos vocat sponsos. Quomodò verò præcipit accipere eam, quæ iam erat accepta, & quæ intùs manebat ? Clarum est, quòd in animo suo iam dimissa fuerat,& erat extra fores. Visus est ergò ille eam Angeli voce Iosepho modò tradere, qui etiam eam posteà in Cruce tradidit discipulo. Quod enim (ait)in ea est genitum,ex spiritu sancto est. Ex redundanti quadam copia soluit eius angorem. Non solùm,inquit, virgo est intacta à coitu illegitimo, sed etiam natura est præstantior, & hominem superat conceptio. Quamobrèm non est solùm soluendus metus, sed etiam oportet esse plenum lætitia. Tua sunt hęc magnalia, ò Virgo : & te glorificans,qui potens est,fecit dispensationem rerum admirabilium & supernaturalium.

Matt.1.

Luc.1.

Iohan.19. Iustrum Iosephum Angelus Domini.

Verumenimuerò quomodò exitum habuit prophetia, quæ non defecturum Principem ex Iuda, neque ducem ex femoribus illius, donèc venerit, cui est repositum : ipsum autem esse expectationem gentium, (de Christo videlicet hoc dicit) explicare aggredimur. Tunc enim ille aduénit, quandò deincèps defecerant Iudaici principes, & Romanis erant sceptris subiecti. Simul enim & Christus nascitur,& fit illa prima descriptio : cùm Romani scilicet dominatum obtinerẽt in gentem Iudęorum,& eos suo subiunxissent Imperio. Antipater enim pater Herodis, qui posteà princeps fuit in Iudæa, vxorem duxit ex Arabia, Cyprim nomine : quę eum patrem effecit quatuor filiorum,quorum erat hic vnus Herodes. Satiùs est autem, vt quàm apertissimè possumus, rem declaremus. Cùm enim Hyrcanus frater Aristobuli, post interemptum Aristobulum Pontificem,qui etiam diadema regium sibi imposuerat,vinctus à Pompeio duce Romanorum cum filijs Romam turpiter esset transmissus (quo tempore constitutum quoquè est, vt Iudæi tributa penderent) cumque posteà Hyrcanus ipse creatus Pontifex ab eodem Pompeio, à Parthis fuisset postremò captus, & Antipater dolo fuisset interemptus,qui erat pater Herodis, qui fuit posteà Rex Iudęæ, & nemo esset, qui res Iudæorum obtineret, hic Herodes Antipatri filius, cùm dedisset plurimas Romanis pecunias,& fœdùs cum eis iniuisset, obtinet imperium. Quænam autem huius rei data sit ei occasio, dicemus quàm fieri potest breuissimè.

Cap.9. Gen.49.

Luc.2.

Spõsas scriptura vocat vxores.

Quomodò Herodes obtinuerit regnum Iudæorum.

Cùm

Cap.10. Cùm Augustus Cæsar in Aegyptum cum maximis copijs iret, ad bellum, inquam, Cleopatræ, (Erant enim in eius potestate res Aegypti, vt quæ genus traheret ex Ptolemæis, sicut etiam videtur Iosepho) accedit ad eum hic Herodes, & exercitus & impensas ei suppeditando, non mediocri fungens apud eum munere. Cùm autem & Cleopatra & Aegyptus essent in manibus Augusti, qui iam duodecim annos imperauerat, ipse Romam reuertens, memor, vt est consentaneum, officij, quo in eum vsus fuerat Herodes, senatusconsulto Iudææ eum Regem elegit, ei quoquè impositò diademate. Qui cùm venisset Hierosolyma, quoniam sciebat Iudæos non esse benè in eum affectos, sed quòd esset alienigena, & alioquì asper & difficilis, eius ægrè ferre imperium, eorum quidem nonnullos occidit, plurimis autem malefecit, ciuitatemque & Dei templum stolidè & improbè redegit in seruitutem. Ille ergò malè vtens potestate, quiddam insigniter sceleratum adijcit, & quod erat sui vitij apertum indicium. Tribuum enim & familiarum, quæ erant in Iudæa, publicas scripturas à tempore Esdræ, rem faciens inuidia plenam & insania, igni tradit. Scopus autem erat improbissimus: nempe, nè notum esset Iudæis, ex quanam ij sunt tribu, & quinam ex eis sunt indigenæ, & quinam ex ijs, quos ipse solebat appellare γνῶφαο, id est, aduenas. Præter alia autem, cùm sacerdotalem vestem in quodam vase repositam esset, viris indignis, pecunijs (proh dolor) emptum mandabat Pontificatum. Et hæc quidem iste.

Augustus capit Aegyptũ & Cleopatram.

Herodes scripturas publicas Iudæorũ exurit.

Cap.11. Luc.2. Cùm autem Cæsar Augustus quadragesimum secũdum sui Imperij ageret annum, exit ab eo edictum, vt fiat descriptio vniuersi orbis terræ. Abijt itaque vnusquisque in suam ciuitatem, vt ibì describeretur. Oportebat enim in descensu eius, qui regnatin cælis, terræ quoquè principes conferre munera. Quoniam autem edictum, scilicet descriptionis, vnumquenque in suam compellebat patriam, Ioseph quoquè ei párens, ex Galilæa, ex ciuitate, inquam, Nazareth, vénit in Iudęam, in Bethleem ciuitatem, quę est ciuitas Dauid. Causa verò erat, eò quòd esset (inquit) de domo & familia Dauid, hoc est, cognatione. Vénit autem ad descriptionem cum hac ex mulieribus maximè admirabili Maria, quę erat grauida. Etenim Galilæa quidem est quędam regio Palęstinę: Nazareth autem est ciuitas Galilææ. Rursùs autem Iudæa est quædam, quæ sic dicitur, regio: Bethleem verò ciuitas Iudææ. Atque Christum quidem omnes Prophetæ, non ex Nazareth venturum dicebant, sed ex Bethleem, & fore, vt illic pareretur. Eccè enim tibi cuestigiò, proposita est prophetia: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquàm es minima in principibus Iuda. Et quæ sequuntur deincèps, tibi declaret Euangelium. Quoniàm ergò manifestum erat omnibus, Christum venturum ex Bethleem: idcircò Iosephum & Mariam: qui, etsì ciues essent Bethleemitæ, ea terra dimissa, (quod multis sæpè accidit, vt dimissis ijs, quæ ipsos tulerunt, mâlint in aliena habitare ciuitate) ipsi quoquè habitabant in Nazareth: compellebat, vt dictum est, eos vel inuitos in Bethleem edictum, Deo admirabiliter & præter opinionem hæc dispensante & versante.

Orbis ab Augusto describitur.

Ibidem.

Mich.5. Matt.2.

Ioseph & Maria ciues erant Bethleemitæ.

Cap.12. Cùm illic ergò fuissent propter descriptionem, Impleti sunt, inquit, dies vt virgo pareret: & parit filium suum primogenitum: & fascijs inuoluit eum, qui nullis potest terminis circunscribi: & propterea quòd non esset eis locus in diuersorio, (O tuam ineffabilem, Christe, propter me paupertatem) in præsepi reclinat eum, qui omne alimentum suppeditat: eum, qui nequaquàm capi potest, ea, quæ ipsum arcana ratione ceperat. Cùm enim multi ex multis locis ad descriptionem confluerẽt, (vt est consentaneum) & loca scilicet præoccuparent, & ex eo eos, qui postremi veniebant, in magnas abducerent angustias, illum sic cum alijs loco egentem, præsepe suscipit: illum, inquam, qui paupertatem elegit ab initio, & eam honorauit in seipso. Sed pastores quoquè, inquit, erant in hac regione, agentes in nocte custodias. Ad quos Dei quoquè aduenit Angelus, & eos Domini gloria circunfulsit. Cùm autem exterriti fuissent spectaculo: Timuerunt enim, inquit, timore magno: Angelus timorem, vt qui non decenter eos inuasisset, expellit: Nolite timere, dicens: Eccè enim annuncio vobis gaudium magnum, quod erit vniuerso populo, non Iudæis solis, sed omnibus. Adijce adhuc apertiorem gaudij significationem: Quoniam, inquit, natus est vobis hodiè Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Vt autem à Deo profecta & vera vox iudicaretur, eius statìm sequitur confirmatio. Repentè enim cum Angelo laus quoquè auditur à multitudine Angelici exercitûs, dicentis: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Christi paupertas.

Luc.2. Pastoribus primò manifestatur Christi natiuitas.

Cap. 14. Quænam verò erant ea, quæ tu admirabilis conseruabas Maria, & in tuo corde conferebas? Num omninò & id, quod tibi dixerat Angelus, & quæcunque rursùs dixerunt

xerunt pastores? Hæc ipsa in tuo corde componens, & cum illoipso conferens, videbas omnia ad vnum conuenire, quòd Deus re vera sit is, qui est ex te natus, & te fecit miraculum, quod cælo & terra non capitur. Qui etiam susçipit circuncisionem, confirmans suam cum Iudæis cognationem, nè illis occasionem præberet eum negandi. Circunciditur autem octauo die, seu die Dominico, quo fuit etiam resurrectio: Et Iesus nominatur. Significat verò hoc salutem populi. Quod etiam Virgini prædicit Angelus ante conceptionem: Et vocabis, inquiens, nomen eius Iesum. Idemque Ioseph posteà, atque subiungit: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Deindè etiam rursùs expectat tempus purificationis. Postquàm enim impleti sunt, inquit, dies purgationis eius secundùm legem Moysi, (implementum autẽ dierum, erat dies quadragesimus) tulerunt infantem Iesum in Hierusalẽ, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur: & vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Luc.1. Matt.1. Luc.2. Exod.13. Num.8.

Sed satiùs fortasse fuerit id soluere, quod videtur repugnare inter Euangelistas. Matthæus nanque dicit Iesum, postquàm natus esset, profectum in Aegyptum: hic autem, diuinus scilicet Lucas, ipsum post quadraginta dies venisse Hierosolymam. Sed nihil dicunt, quod inter se discrepet, neque quod rei obstet consequentiæ. Cùm enim, postquàm natus esset, secundus annus præterijsset, Christus abducitur in Aegyptum. Lucas ergò ea, quæ interìm facta sunt, & quæ prætermisit Matthæus, circuncisionem scilicet tractat & purificationem. Et eccè, dicens, homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo erat iustus, & spiritus Domini erat in ipso. Quinetiam venit, inquit, in spiritu in templum, & ei vlnas præbuit ad eum susçipiendum. Quodnam est autem salutare, quod senex suis vidit oculis? Ipse, qui desiderabatur, Iesus. Hoc enim nomen quoquè significat. Paratum verò fuerat eius mysterium omninò ad salutem, non solis Iudæis, sed mundo etiam vniuerso. Hoc enim sibi vult illud, Omnium populorum: sicut etiam illud, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam populi tui Israël. Vide verò, quàm accuratè loquitur Euangelista. Erant autem, inquit, Ioseph & mater eius admirantes propter ea, quæ de ipso dicebantur. Matrem quidem dicens, vt quæ verè esset, & ab ipsa vocans habitudine: illum autem nudo nomine, vt qui videretur quidem pater, non esset autem re vera. Ea quoquè ratione ambobus quidem benedixit Simeon: relicto autem Ioseph, alloquitur Mariam solam, vt quæ fuisset ministra diuini consilij: Eccè enim, inquit, hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur. Quomodò autem à te, studiosè auditor, accipitur illud, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius? Quidnam ergò existimare oportet hunc esse gladium? Num dubitationem, offensionem, tentationem, quæ in tempore Crucis tuam, ô Virgo, peruaserunt animam? Te ergò ipsam quoquè, etiamsi desupèr Domini pulchrè res didicisti, attinget aliquid? Conuenientius est autem, quòd dolorem ipsum gladij nomine significauerit, qui quidem tempore passionis eam inuasit. Nam id quod dicitur, Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, ad discipulos magis, quàm ad eam pertinere videtur: nempe quòd post tentationes & dubitationes, quæ cor eorum concusserunt, non multum temporis intercessit, & velox quædam illuxit à Deo curatio, eorum animos replens tranquillitate, & ad fidem suam confirmans magnitudine resurrectionis.

Luc.2. Ibidem. Cur soli Maria loquatur Simeon. Quis gladius penetrarit animam S. Mariæ.

Sed id, quod cœpit, persequatur oratio, & rursùs accipiat ea, quæ prætermisit. Cùm enim, inquit, natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis Regis. Vides? Et tempus nobis Euangelista, & locum, & authoritatem similiter significat. Authoritatem quidem, vt eum ab altero Herode discernat ac distinguat, qui Iohannem interfecerat. Ille enim erat Tetrarcha, hic autem Rex. Locum verò & tempus, nos transmittens ad prophetias. Quarum alteram quidem prædixit Michæas: Et tu Bethleem, dicens, terra Iuda, nequaquàm es minima in principibus Iuda. Alteram verò Iacob Patriarcha: Non deficiet enim, inquit, princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius. Quomodò autem Magis venit in mentem, vt tantum iter conficerent, & venirent ad adorandũ infantem, qui erat adhuc in fascijs: idque cùm esset eius mater pauper & nullius nominis, & quæ nihil habebat præter solum tugurium? Nunquìd planum est, Deum eorum animos ad hoc mouisse? Vide enim eorum quoquè claram fuisse virtutem, non solùm eò quòd venerint, sed etiam quòd audacter & liberè loquantur. Nè enim existimarentur fuisse suppositi, & viæ ducem ostendunt: Vidimus enim,

Cap.16. Matt.2. Matt.14. Mich.5. Matt.2. Gen.49. Magorum virtus.

enim, dicentes, eius stellam: Et viæ magnitudinem, In Oriente scilicet. Deindè etiam addunt insignem fidutiam, cùm dicunt: Et vénimus ad eum adorandum. Neque ità populi, neque Regis tyrannidis vllam ducunt rationem. Quæ cùm audijsset Herodes, conturbatus est, inquit. De imperio enim eum metus ceperat. Et ideò ad se quoquè congregat pontifices & scribas populi, & eos diligenter interrogat, vbinàm Christus nasceretur.

Audito nomine Regis timet se regno priuandum, Herodes.

Cap.17. Considera autem admirabilem rerum dispensationem, & quemadmodùm veritas etiam suorum inimicorum vtitur auxilio. Cùm enim interrogarentur Iudæi, vbinàm Christus nasceretur, ij, In Bethleem Iudæ, vt res se habebat, dixerunt: & statim testem adduxerunt prophetam, qui & Bethleem magnificat, & ex ea ducem exiturum, & populum Israëliticum ab eo esse pascendum prædicit. Sic ij, qui erant re vera inimici, necessè habebant vel inuiti aperire prophetiam, etsi non omnem. Quod enim deincèps sequitur, reticuerunt, quod est: Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Cur sic fecerunt? quòd Regi loquerentur ad gratiam. Ille autem quid facit? Clanculùm vocat Magos, diligenter perscrutatur stultus tempus stellæ, quæ apparuit eis, iam aggrediens de medio tollere id, quod natum fuerat. Quod quidem non solùm erat amentiæ, sed etiam insaniæ. Cuiusmodi enim erant ea, quæ clàm cum Magis vocatis loquitur? Ite, & diligenter inquirite de puero: postquàm autem inueneritis, renunciate mihi, vt ego quoquè veniens, eum adorem. Euidens & aperta insania. Si enim vera quidem sunt verba, & non insidiosa, cur cum eis latenter congrederis? Sin autem vis aliquid sinistrum celare & dolosum, quomodò ne hoc quidem potuisti perspicere, quòd sicà Magis deprehenderis malignè & sceleratè gerere, quòd quæras latére? Hinc cùm stella eis rursùs apparuisset, eis dux efficitur, sicut ab initio. Absonsa enim erat, postquàm apparuerat ad Orientem: vt cùm illi ducem perdidissent, necessariò Iudæos interrogarent, & sic res euaderet manifesta omnibus. Postquàm verò vel ipsos inimicos habuêre magistros eis rursùs appáret.

Matth.2.

Fallacia Iudæorum.

Herodis dolus & euidens insania.

Cap.18. Vide autem, à quàm multis fit eius rei fides. Nam nunc quidem stella, nunc populus Iudæorum, deindè etiam Regis insidiæ, & prætereà prophetia, docent id, quod quærebatur. Deindè cùm eos rursùs stella accepisset ex Hierosolymis, postquàm cum Rege collocuti essent, deducit in Bethleem, non simpliciter vadens, sed eos trahens, & ducens meridie: vt vel ex eo notum esset omnibus, eam non esse stellam vnam è multis, neque omninò similis cum alijs ordinis. Ideò enim vadens ex Hierusalē, non prius consistit, donèc ad ipsum venerit præsepe. Postquàm autem stetit supra puerū, statim constitit. Et propterea quòd nunc quidem absconderetur, nunc autem appáret, & deindè cùm apparuisset, rursùs staret, ostendebat se esse maioris virtutis, quàm quæin stellam caderet, & eis faciebat accessionem fidei. Certè lōgè maxima afficiuntur lætitia, quòd & inuenissent id, quod quærebatur, & iter non frustrà confecissent, & quòd fœtus esset diuinus, & quòd fuissent nuncij veritatis. Quę quidem omnia sunt illius admirabis puellæ encomia propter Deum, qui ex ipsa natus est: & eorum magnitudine illam, vt præcipuā, eximunt à mulieribus. Postquàm autem fuerunt intrà domū, viderunt, inquit, infantē cum Maria matre eius. Quid autem magnū viderunt, quòd eum adorârunt, cùm omnia essent eiusmodi, vt nihil posset esse vilius? speluncámne, præsepe, fascias: an matrē, quæ tanta erat simplicitate? Quid ergò eos tanta affecit admiratione, vt non solùm adorarent, sed etiam dona offerrent, eaque huiusmodi, quę ipsum esse Deum & Regem significarent? Hoc enim sibi volunt, nempe Regem quidem aurum, thus verò Deum, myrrha autem prę significabat mortem, quam pro me erat subiturus. Quidnā ergò eos mouit? Illud, quod etiam effecit, vt domo excitarētur, & tantum iter conficerent: stella omninò, & quæ eorum animis inerat à Deo illuminatio.

Stella in meridie lucens ducebat magos ad præsepe Domini.

Matt.2.

Munera Magorum quid significarint.

Cap.19. Sed quid consentaneum erat animo versare matrem, hæc cernentem? Cuiusnam filij esset mater, ad quem viri tam insignes sic accesserant, stella duce vtentes: qui eum adorabant in fascijs, & dona offerebant, tanquàm ei se conciliare studentes, & sibi aliquid magnum, quod hinc erat secuturum, procurantes. Vel quantùm eam gaudere par erat ac quantùm illustrari, quantæque spei fructum iam percipere non ex his solùm, sed ex illis etiam, quæ præcesserant, admirabilia colligente? Hæc puer ille dat ei proœmia: sic opponit humilibus ea, quæ sunt illustria: nè solam videns speluncam, & tugurium, & præsepe, & viles fascias, parua, vt consequēs videbatur, opinaretur, & distraheretur cogitationibus: sed vt & hæc magna considerans, rursùs in altum extolleretur, & propter hunc nouum partum se posse beatam ducere. Quod enim ab initio consueuit

Gaudia est Maria ex visitatione Magorum.

consueuit Dominus facere, vt quæ sunt vilia & humilia, extollat præter opinionem: sicut econtrà, vt ea, quæ sunt superba, deprimat: hoc quidem certè videtur etiam facere in seipso.

Sed cur Magis est imperatum, nè rursùs redirent ad Herodem? Et quorsùm illa abiecta & minùs decora in Aegyptum fuga Christi, perindè àc si non posset aliter esse saluus? Futurum est enim, inquit, vt Herodes quærat puerū ad perdendum eum. Num vt per hæc parua & humana, & cerneretur ipse carnē sumpsisse, & dispensationis illius crederetur magnitudo? Maximè: propterea nec primò statuit in omnibus facere miracula. Quæ enim ab initio facta sunt, propter matrem omninò facta sunt, propter Ioseph, propter pastores, propter Magos. Qua de causa Magis quoq; datum est responsum, nè reuerterentur ad Herodem, vt & doctores citò mitterentur in Persarum regionem, & Tyranni furor interrumperetur, sciretque se ea aggredi, quæ effici non possent. Quòd si non euasit melior, non in eum, qui hæc prouidit, & qui hæc eo fecit consilio: sed in summam illius insaniam culpa est conferenda. Prætereà vt tu quoquè, qui ex Christo viuere elegisti, non paruas ad philosophiam ex eo inuenias occasiones: nempe vt & statim ab initio expectes tentationes, & sis paratus aduersùs insidias. Iubetur autem assumere puerum & matrem eius, & fugere in Aegyptum. Non sicut priùs. Nam tunc quidem dicit, Vxorem tuam: nunc verò hanc vocat matrem, cùm esset egressus partus, & mota suspicio. Fugæ autem causa, est metus insidiarum. Vide ergò rursùs cum magnis & suspiciendis coniungi humilia, & cum iucundis ea, quæ sunt molesta. Post illam per stellam deductionem, post illorum tanquàm Regi, vel potiùs tanquàm Deo exhibitam adorationem, & donorum oblationem, in eo fuit metus mortis, & fuga occulta. Et de quo priùs renunciatum fuerat, fore vt saluum faceret populum, ne se quidem videtur posse saluum facere. Quæ quidem quomodò rursùs animum Virginis affecerunt? Et quid consentaneum est eam interea cogitâsse? Sic etiam in omnibus sanctis consequenter inuenies, cum ijs, quæ sunt ex animi sententia, misceri quoquè molesta. Verumenimuerò sic quidem Christus venit in Aegyptum.

Cap.20. Matt.2. Matth.2. Ibidem. Cur Dominus fugerit in Aegyptū. Sanctis in hac vita promixtim mala & molesta eueniunt.

Herodes autem cùm à scopo aberrâsset, in infantes, qui nullam fecerant iniuriam, tota irâ erumpit, eo modo eos vlciscens, qui illum illuserant: vel potiùs propter suam in Christum insaniam, quam concepit ob metum regni, cōmuniter aduersùs omnem irruit naturam, & interficit omnes infantes, qui erant in Bethleem, in hac vniuersa cædeinfantium existimans se & vnum illum omninò assecuturum, & vt ille solutus esset à metu, omnes lugere procurans immisericorditer: quod vel in rebus inanimatis abstinuisset facere alius, & teneras plantas adspiciēs, misericordia ductus, eas noluisset excindere. Sed videte vos, qui imperium amatis, & ecce à vana superati gloria, in quantam ea insaniam adigat amatores, & quonàm eos ferri persuadet, & quænam eos cogit facere. Hanc autem infantium cædem Hieremias quoquè multis antè annis prænunciat, & prædicit tragœdiā. & introducit Rachelem flentem suos filios, & consolationē minimè admittentem. Quocircà non ignorante scilicet Deo hæc fiebant, sed & sciente, & valente quidem arcere, permittēte autē arcanis quibusdam rationibus. Sed Herodes quidem percipiens eorum, quę fecit, fructus conuenientes, diuinitùs immissa plaga, toto corpore sauciatur, & verè malus malè perit, eius regno in quatuor partes diuiso: Archelao quidem imperium obtinente in Iudæa, Herode autem, & Philippo, & Lysania, illo quidem Galilęæ, hoc verò Iturçæ & Trachonitidis, postremo autem, tetrarchatum sortito Abilinæ.

Cap.21. Matt.2. Herodes occidit infantes. Ambitio quàm peruicosa. Ierem.31. Matth.2. Herodes mal ferè perit. Luc.3.

Postquàm autem excessit Herodes ex humanis, Angelus rursùs in somnis Ioseph o appáret in Aegypto, & iubet infantem accipere, & proficisci in terram Israël. Quàm multæ, ô Christi mater, fuerunt tibi casuum inæqualitates? quàm multæ rerum mutationes? Eccè enim rursùs quidem fuisti soluta ab exilio, & ad propriam reuerteris regionem, & eum, qui tibi malè facere aggressus fuerat, ipsa potiùs eum vidisti malè perisse. Cùm domum autē venisses, rursùs inuenis malorum successionem, & vides filium Tyranni, qui fuit tui filij (proh dolor) insidiator, pro eo regnantem. Sed rogauerit quispiam ex studiosis, quomodò Archelaus Iudęæ imperabat, Pontio Pilato tunc præsidente? Num quòd nuper decessisset Herodes, & nondùm in multa regnum esset diuisum, illius filius interea habebat imperium? Non est autem Euangelistæ superuacanea patris quoquè adiectio. Pro Herode enim, inquit, patre eius: vt scilicet eum à fratre distingueret, vt qui ipse quoquè Herodes vocaretur similiter.

Cap.22. Matt.2. Post exilia Archelai, procuratores à Cæsare præfecti sunt Iudęæ, anno ætatis Domini 15.

Venit ergò Ioseph Nazareth, vt qui in somnis responsum accepisset, (ità enim di-

Matt 2. ùnus ait Matthæus) simul & periculum fugiens, & volens habitare in patria. Vt autem posset magis confidere, responsum accipit ab Angelo. Atquì non dicit Lucas,
Luc.2. illum venisse ex responso: sed cùm omnem implêssent purificationem, statuisse rursùs reuerti Nazareth. Quomodò ergò est à nobis soluenda controuersia? Quòd tempus, quod fuit ante descensum in Aegyptum, narrans Lucas (neque enim ante purificationem eos illuc duxisset, vt nihil omninò fieret contra legem) hæc dicit. Erat enim omninò purificandus, deindè venturus Nazareth, & tunc descensurus in Aegyptum.
Reuertitur puer Iesus ex Aegypto Deindè cùm sic ex Aegypto redijssent, iubetur rursùs in Nazareth venire. Anteà enim, nullo accepto responso, vt illuc venirent, sed cùm lubenter habitarent, vt diximus, in patria, sua sponte hoc faciebant. Cùm enim ascensus non fuisset propter aliam causam, quàm propter descriptionem, & nusquàm stare possent, eo impleto, propter quod venerant, descenderunt in Nazareth. Angelus certè, qui posteà eos reddebat quieti, domi restituit. Nec hoc ab re, sed cùm prophetia hocipsum multis ante annis significâsset. Vt enim, inquit, impleretur, quod dictum fuerat à Prophetis, Nazarenus vocabitur. Puer autem, vt ait Lucas, crescebat & inualescebat, spiritu repletus
Luc.2. sapientiæ, & gratia Dei erat in ipso. Hæc accipienda sunt, vt dicta sint, quòd attinet ad humanitatem.

Cap.24. Cùm autem esset natus annos duodecim, ascendit quidem simul cum parentibus
Ibidem. Hierusalem, festum Paschæ celebraturus. Cùm verò illud finem accepisset, ipsi quidem reuersi sunt: Iesus autem manet eos latens. Et illi quidem quærebant, hicverò tres dies latuit. Deindè eis fit manifestus, in templo quidem sedens, simul autem
Ibidem. audiens Doctores, & cum illis differens, & in responsis auditores afficiens admiratione. In hoc enim implebatur, quod de illo scriptum est, Quòd puer confortabatur spiritu, & proficiebat sapientia & gratia apud Deum & homines, eô quòd multis talis esse declararetur. Latet autem parentes, nè ab eis prohiberetur differere cum iurisperitis: vt qui scirent eum non didicisse literas, & cauerent, nè laberetur in sermone: aut fortassè cauens, nè videretur parentes habere contemptui, eô quòd non parentibus pareret iubentibus ea, quæ sunt hominibus consequentia. Vide autem,
Modestia pueri Iesu. quemadmodùm ea facit, quæ puero conueniunt. Non enim docet legisperitos, etiamsì esset suppeditator sapientiæ, sed audit & interrogat: vtrunque cum magna sapientia. Sed cur non primò, nec secundò, sed tertiò inuenitur, qui quæritur à parentibus? Hinc fortassè sepulturam, & quæ post tres dies futura erat, resurrectionem præsignificans. Tunc enim, cùm sepulcro conte ctus esset, appáret.

Cap.25. Sed quomodò rursùs mater admirabilis, à maternis victa visceribus, & cum magna affectione vocat filium, & tanquàm repræhendens, adducit eam, quæ cum dolore fiebat, inquisitionem? Eccè, dicens, pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. Et ideò cùm illa dixisset de patre, tanquàm de eo, qui videbatur, Christus veluti corrigens id, quod dictum fuerat, dicit de eo, qui est verè pater, ei veritatem reuocans in memoriam, & prouidens, vt non humì serpat, sed in altum extollatur: Nescitis, dicens, quòd me oportet esse in ijs, quæ sunt patris mei? Sic se ostendit Deũ esse natura, siquidem filius eiusdem est naturæ cum patre. Quoniam autem illud templum patris erat, in ijs, quæ sunt patris, ille versabatur. Quod verbum nondùm manifestum illis erat. Ille autem descẽdit cum eis in Nazareth, & mansit eis subiectus, ex se docens ho-
Obedientia Iesu erga parentes. norare parentes, & quod ipse iusserat, hoc primus implens: honorare autem omninò post Deum, illisque esse præferendum Dei cultum. Ideò enim eis relictis, in templo remanserat, ostendens Dei amorem naturali & paterno validiorem esse debere.

Cap.26. Sed mihi rursùs vide mulierum sapientissimam Mariam, matrem eius, qui est
Luc.2. verè sapientia & arcana cognitio. Conseruabat enim, inquit, omnia verba hæc in corde suo: sicut etiam priùs in aduentu pastorum, & ijs, quæ illi visa & audita narrabant. Et tunc Lucas similiter hæc omnia dixit Mariam conseruare. Non enim ei, tanquàm alicui infanti attendebat, sed quæ dicebantur, plurimi faciebat: & nihil erat ex ijs, quæ ab ipso dicebantur & fiebant, quod non ea magno studio dignum duceret, & corde diligenter celaret, diuinarum quarundam rerum & arcanarum ea esse semina, easque illis præmonstrari rectè iudicans.

Cap.27. Post hæc baptisma, post quod miracula quoquè: Sed (vt diuinus dicit Iohannes) id
Iohan.2. quod primùm fecit (in nuptijs, inquam, aquæ in vinum mutationem) fecit matre præsente. Illa quidem certè prima admonet vinum deesse, filio præbens occasionem & materiam faciendi miraculum. Is autem quanuis ægrè ferre videatur, & ideò recusare:

sare: facit tamen ea, quæ à matre suggerebantur, honorans omninò vt matrem, & veluti ei reddens mercedem, quòd ipsum in aluo gestauerit. Vide autem hîc quoquè Dei
S.Mariæ erga filiũ reuerentia. matris insignem moderationẽm & prudentiam. Nec enim iubet audacter, tanquàm mater filio, vt faciat miraculum: sed eum solummodò admonet, idque cùm quadam magna reuerentia & submissione, & quantùm sufficeret ad suam declarãdam voluntatem. Quid enim est, quod dicit filio? Vinum non habent. Nam etsì ea illũ esse suum cognoscebat filium, non ignorabat tamen eum esse suum quoquè effectorem. Et ideò simul quidem volens ostendere, cuiusnam esset mater, & simul etiam referre gratiam
Filij erga matrem benevolentia. ijs, qui inuitauerant, prudenter ei suggerit miraculi effectionem. Deindè etiam ministris: Quodcunque dixerit, inquit, vobis, facite, hoc dicens de filio: iam enim veniẽbat ad notitiam virtutis filij, vt quæ vidisset multa admirabilia, quæ etiam paulatìm in corde conferebat, vt rectè cognouimus ex ijs, quæ præcesserunt.

Quoniam autẽ non aliò spectat argumẽtum propositum, quàm solùm ad ostẽden-
Cap.28. da Virginis magnalia, erit hoc quoquè vnum ex ijs, quæ illius sunt bona & præclara, si ostẽderimus eam fuisse perpetuò versatã cum filio, & ei semper assedisse, & nec in tempore quidem rerum aduersarũ, nec in passione fuisse ab eo separatam, quandò & discipuli, & amici, & omnes noti, alij quidẽ ipso omninò relicto, se in pedes coniecerunt: alij verò, cùm paululùm expectâssent, negauerunt. Itaque quoniam hæc ità se habent, alijs relictis, nos ea dicamus. Cùm enim tempus iam adesset passionis, & ille seipsum traderet, & staret in medio eorum, qui in eum cædem spirabant, & iam abduceretur ad Pilatum, & ante Caipham sisteretur, & ad Herodẽ mitteretur examinandus, & tandèm in eum ferretur sentẽtia, & Cruce condemnaretur, mater, sicut in alijs superabat
Luc.23. S.Maria filio patienti cõstantissimè adhęret. mulierem, ità etiam hîc quoquè videtur plusquàm mulier, quæ ab illo minimè recedit, sed propiùs sequebatur, nihil timens, quod esset formidabile: non quòd tantùm maternis vinceretur viscеribus, quàm quòd potiùs diuino inducеretur iudicio, adeò vt alias quoquè duas mulieres, duas, inquam, Marias, vt docet Euãgelium, ad hoc adhortata sit, & vt secum versarentur, persuaserit: vt quæ essent forti & generoso animo, &
Marc.15. vellent adhęrere huic sponso, qui non videtur, & tamen cùm non cernatur, appropinquat. Erant enim, inquit, mulieres quoquè, quę consequebantur à Galilęa, & ministrabant ei. Ea ratione videntur ne abfuisse quidẽ à tempore mysteriorum: sed cum duodecim quidem minimè accubuisse, fuisse tamen eius domûs consequenter participes. Nam discipulos quidem, cùm mysteria & humilitatis summæ traderet doctrinam, vnà habuit accumbentes: matrem autem iussit curam gerere mulierum, quę ministrabãt, tanquàm per eam ipsas benignè accipiẽs, & adimplens officium humanitatis, & simul cum eis vescens, & sic pro ministerio eis referens gratiam.

Sic autem vnà quoquè ingressa est in atrium Annæ & Caiphæ, cernens vnumquod-
Cap.29. quę eorum, quæ gerebantur: & apud eum quidem manens, dum iudicaretur: vnà autem proficiscens, dum abduceretur ad mortem, eorumque, qui ibant, egressus & ingressus considerans, & omnium ora attendens, vt sciret, quænam in eum ferretur sententia: quinam verò erant ij, qui ei assentiebantur, aut qui repræhendebant. Nulli enim
Iohan.19. Quantus fuerit matris erga filium affectus. obscurum est, eam hæc vidisse omnia, quandoquidem in Cruce quoquè vnà aderat, quandò ab ipso Crucifixo filio fuit commendata discipulo. Et ideò licet considerare, cuiusmodi illa esset, quæ hæc difficilia cernebat & molesta, illusiones, flagella, alapas, purpuræ amictum, coronæ impositionem, contumelioſam traductionem. Oportet quoquè considerare, quemnam haberet animum, siue ex filio eam simpliciter iudices, naturalem ferentem vim passionis: siue quòd eum cognosceret homine superiorem, admirans summam eius tolerantiam: aut potiùs vtrunque, adeò vt & naturali flecteretur affectione, & miraculo afficeretur.

Postquàm autem scelerati venerunt in locum Caluariæ, & fixa quidem fuit Crux,
Cap.30. Vt affecta fuerit sub Cruce. in ea verò pendebat eius filius, quomodò erat animo affecta, eum videns sic patientem? Quomodò videbat eum nudatum vestibus, qui cælum tegit nubibus? Quomodò habentem puras carnes clauis confixas? Quomodò non in eius potiùs carnes tela immittebantur? vt etiam hinc finem acciperet, quod dixerat admirabilis Simeon.
Luc.2. Tuam quoquè ipsius animam pertransibit gladius. Quomodò sanguinis guttis effluentibus non acerbiores lachrymarum aquæductus fluebant ex illius oculis? Quomodò illum tulit videre in Cruce distensum, ipsam, & eos qui aderant, adspicientem adspectu benignissimo? Quid verò irrisiones, quid impia transeuntium scommata, ingratorum subsannationes, probra eorum qui circunstabant? Quæ quidem omnia

Eius immẽsi dolores.

eam transuerberabant profundiùs, quàm vlli claui. Et innumerabilibus quidem plagis sauciabatur: stimulis autem confodiebatur innumerabilibus. Hoc verò erat ei omnium molestissimum, quòd ad illum quidem accedere, & eum alloqui sitiebat, repellebatur autem à multitudine canum eam circundantium. Sic enim diuinus ille pater eos priùs nominauit.

Psal.21.

Cap.31.

Postquàm autem quæcunque volebant, impleta fuerunt à Dei patricidis, & non expectabant ampliùs, fore vt ab eis euaderet: cùm proximi quidem amici effugissent, aut potiùs (vt dicam cum Propheta) à longè starent, ipse autem esset clauis confixus, custodia ab eis omninò negligebatur: tunc verisimile est, Deiparam, sibi data facultate, ad eum accessisse, & intemeratos quidem eius pedes, & impressas eis plagas lubenter esse deosculatam, & sanguine miscẽtem lachrymas, oculos & genas attriuisse, cum maximo autem animi motu eum adspicientem dixisse: Quid hæc sunt, ô Domine & Deus? sunt ne hæ remunerationes tuæ inexplicabilis in homines clementiæ? Est ne hæc retributio tuæ benignitatis? Ij ne, quos tu affecisti beneficio, tales tibi gratias retulêre? Te purpura induunt irrisionis, quos tanquàm filios pater ornâsti stola gloriæ, & tanquàm aquila nidum tegens, alis expansis suscepisti, & in dorso tuo portâsti. Contumeliæ coronam tibi imposuerunt, quos bonæ voluntatis armis ipse coronâsti, & vt aduersùs inimicos caput tollerent, confirmâsti. Clauis tibi dolores afferunt, quià laboribus Aegyptiacæ seruitutis, & ab innumerabilibus afflictionibus sunt liberati. Arundine tuum caput feriunt, quibus mare virga percussum cessit fugientibus. Sed loquere aliquid modicum ad tuam matrem recreandam: non fero enim dolores, quę te peperi sine dolore. Vbi te videbo posteà? Quod erit mihi solatium? Quis meam curam geret, ac defendet?

Psal.37.

Deut.32.

Cap.32.

Cùm eam vidisset tam acerbè affectam, & stantem propè dilectum discipulum, illud (sicut erat consentaneum) est omninò elocutus, quod diuinum narrat Euangelium, Eam enim primùm adspiciens: Mulier, inquit, eccè filius tuus, ostendens discipulum. Sic vel cruci affixus, curam gerebat matris, & eam commendauit dilecto discipulo, nos docens, non negligere parentes vsque ad extremum spiritum: quanquàm priùs videbatur etiam repellere, vt quæ non in tempore ei esset molesta. Quid enim mihi & tibi (in nuptijs inquit) mulier? Et posteà, Quæ est mater mea? Hîc autem apertam ostendit dilectionem, & discipulo quidem eam commendat, sic consolans: illum autem magis honorans commendatione, & quòd valdè eum diligeret, hoc vtens testimonio, (Quid enim aliud faciens, aut dicens, illum tali honore est dignatus) simul quoquè quòd permansisset, ei referens gratias. Deindè cùm etiam adspexisset discipulum: Eccè, inquit, mater tua. Hoc autem erat coniungentis ad dilectionem, & simul etiam ostendentis amborum authoritatem. Ab eo ergò tempore, inquit, discipulus eam accepit in propria, intelligens quorsùm tenderet oratio, & Domini voluntati syncerè inseruiens.

Iohan.19.

Parentum perpetua cura habenda.

Iohan.2.

Matt.12.

Iohannes Dei param in spiritualem recipit matrem.

Cap.33.

Iohan.19.

Exod.17.

Deut.32.

Postquàm autem finem acceperunt omnia: Sitio, inquit Saluator. Qui verò erant veloces ad malum, & ingratorum ingratissimi, ei acetum felle commixtum, qui aqua (proh dolor) in sitis æstu in terra arida sunt potati: & qui melle saturati fuerunt, fel porrigunt: Quorum vua, vua fellis: & ira, draconum domus. Sed quomodò rursùs illam hæc videntem, oportebat cruciari animo? Quandò autem mortuum quoquè vidit, quomodò tulit? quomodò non etiam ipsam vnà abrupit animam? Quomodò sustinuit videns inimicos, qui ne post mortem quidem adhuc erant reconciliati filio: sed cædem adhuc in eum spirabant, & gladio eius latus confodiebant? Sed hæc quidem diuinum narrat Euangelium. Dicuntur autem hæc quoquè à linguis, quæ plurimi faciunt veritatem, quòd cùm hæc noua & admirabilia percepta essent oculis Deiparæ, & post mortem filij, perindè ac si viueret, ex eius latere aqua & sanguis scaturiret, illa eum quidem haurit reuerenter & diligenter.

Iohan.19.

Cap.34.

Deindè ea sic se totam dedit parandæ sepulturæ, & quemadmodùm diuinum illud corpus è ligno deponeretur, & aptum monumentum consequeretur. Cùm autem non posset hæc per se efficere, eius mentem mouet omninò eius filius, vt scrutaretur in loco Caluariæ. Quod cùm factum esset, concedit vt eius scopus facilè succederet. Inuenitur enim quoddam monumentum recentissimũ & pulcherrimum, & elegans locus, in quo erat situs, illo quidem nequaquàm dignus: Quid enim omninò ex rebus terrenis? sed non indignus eius, quæ quærebat, desiderio. Atque erat quidem sepulcrum planè, vt dixi, nouum & omninò intactum, vt in quo nullum adhuc esset sepultum:

Luc.23.

Curin sepulcro nouo sepultus sit Dominus.

tum: nè, si alia posita fuissent corpora, dubitaretur quodnam resurrexisset: & locus in optimo aëre positus, & in horti speciem ornatus. Postquàm autem scisciata intellexit, non solùm esse amicum horti dominum, sed etiam discipulum, verùm occultum, (hoc enim docet Euangelium) vt qui Dei timeret parricidas, venit ad eum Virgo, & verbis ei suadet accommodatis, vt in suo monumento, tanquàm in aliquo armario, magnam vim opum reponat, & sic domum custodientem apud se vitam habeat. Finem enim, inquit, acceperunt res aduersariorum, & maximè probrosam hi mortem Magistro attulerunt, nulla, quantunuis magna, iniuria & ignominia in eum priùs prætermissa. Cæterùm nunc quoquè in ligno iacet mortuus & nudus, mihi & creatæ naturæ horrendum spectaculum, vt quem potiùs irrideant, quàm eius misereantur. Da ergò mihi gratiam, & communi, inquam, huic magistro. Audacter pete illius corpus, vt deponatur, & mandetur sepulturæ, si non etiam post mortem sit illis Iesus inuisus. Si nobis omnibus magnam afferes consolationem, qui in omnem redacti fumus egestatem, & quorum nemo mouetur misericordia. Amici enim mei & propinqui mei, ex aduerso appropinquauerunt & steterunt, & proximi mei à longè steterunt. Ex me non possum quicquam facere, vt vides, cùm sim sola & hospita, & cùm vno solo ex discipulis attenta sim Crucifixo. Sic mihi fistes dolorem, sic reprimes lachrymas.

Iohan.19.

Cura virginis Mariæ de sepultura filij Iesu.

Psal.37.

Cùm Iosephum Deipara talibus verbis inflexisset & incitâsset, emittit ad Pilatum. Ille autem expulsa omni timiditate, & ab illo, qui mortuis vitam inspirat, mortuo audacia inspiratus, audacter (inquit Marcus) ingreditur ad Pilatum, & ijs vsus, quibus opùs erat, verbis, petitum accipit diuinum illud corpus, & cui nihil potest exæquari, ostendens animum, Iudæ tanquàm ex diametro contrarium. Nam ille quidem cùm haberet, tradidit ijs, qui erant interfecturi: hic autem ab ijs, qui interfecerant, petijt & accepit. Verumenimuerò rursùs persequatur oratio, quomodò mater se haberet. Dicunt enim ij, qui de his rebus tractârunt, eam ab initio vsque ad finem se fortiter & constanter gessisse, honestè quidem, & non indecorè vtentem motu animi: factis tamen ostendentem se esse matrem, sed omninò matrem illius, qui amico mortuo & ostendit amorem, & motum animi certis finibus continuit. Mortuum itaque videns filium ea, motu animi vsa est, vt oportuit. Quinetiam in eo à Cruce deponendo maternis manibus inseruijt, & clauos, qui extrahebantur, suo sinu accepit, & membra illius amplexa est, partìm quidem vlnis stringens, partìm autem suis quoquè lachrymis plagas emundans, deindè etiam tota toti corpori circunfusa. Eccè tibi ab omni seculo præfinitum mysterium ad finem vsque vénit, ô Domine, placida voce dicit: Et Iosepho in manu tradens sindonem: Tibi autem, inquit, deincèps erit curæ, vt in hac eum honestè componas, myrrhaque pulchrè condias, & ei iusta facias.

Marc.15.

S. Maria vt erga filij mortem se gesserit.

Cùm sic ergò nouo monumento diuinum corpus tradidissent, Ioseph, & qui cum eo erat Nicodemus, & alij, qui cum eis aderant, ipsi quidem statìm recedunt à sepulcro: mater autem sola remansit sepulcro adhærens, minimè dormientibus oculis perseuerans. Nam etsì Mariam Magdalenam Matthæus ex aduerso cum altera significauit assedisse, solùm tamen ad videndum venisse innuit, neque ausas esse accedere eo tempore, quo mandabatur sepulturæ. Certè nanque eis succurrit, vt recederent propter metum Iudæorum, & aduentum custodiæ. Inquit enim ipse Matthæus: Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulcrum. Non dixisset autem venisse, quæ remansissent, nisì eę quoquè similiter vt cæteri, recessissent à monumento. Atque alij quidem alteram, quæ dicitur, Mariam, quam ipse dixit, qui præcessit, & Marcus clarè aperit, dicẽs: Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph, adspiciebant vbì ponerent: alij verò Mariam, quæ appellata est Iacobi, existimârunt esse Deiparam, non rectè, neque accuratè veritatẽ coniectantes. Vbiquè enim in Euãgelijs ipsa post arcanum illũ ortum apertè & propriè nominatur Mater, & hãc omninò maximè notã habet appellationem. Accepit, inquit, infantem, & matrem eius. Et rursùs: Erat mater Iesu illic. Et, Dicit mater eius ministris. Et, Descendit in Capharnaum ipse, & mater eius. Et, Mater tua & fratres tui steterunt foris. Quinetiam, Steterunt ad Crucem Iesu mater eius, & soror matris eius. Habes, si vis, etiam Lucam in Actibus suffragantem ijs, quæ sunt proposita: Hi omnes erant perseuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Et in summa difficilimè inueniri potest, eam esse aliter nominatam, aut ex patre, aut ex aliqua alia cognationis habitudine, vt diximus. Quocircà nulla ex his illa est.

Matt.27.

Matt.28.

Marc.15.

Matt.2.

Iohan.2.

Ibidem.

Matt.12.

Act.1.

Nam aliæ quidẽ tota nocte ad sepulcrum ingressæ sunt & egressę, & ea, quę fiebant,

Cap.36.

Cap.37.

Apostolis nunciârunt. Quamobrèm nec eis contigit videre plura miracula resurrectionis. Illa autem, quæ indiuulsa assidebat sepulcro, omnia vidit apertè, & non statim, sed posteà protulit in lucem, & renunciauit. Nam quomodò simul terræmotum, & Angeli in momento temporis descensum, & lapidis reuolutionem, & custodum profundum soporem, & expergefactionem, & quorundam in vrbem reuersionem, potuissent abeuntes mulieres, & rursùs reuertentes, integrè perspicere? Sed clarum est, hæc fuisse materni & ardentis amoris, quæ perpetuò assidès, & acriore spiritu vigilans, omnia perfectè vidit, vt se habebant, quòd ne tantillùm quidem, vt diximus, à sepulcro recesserit, donèc ipsam viuificam vidit resurrectionem. Nam lapis quidem reuolutus, & Angelus ei insidens, ab alijs quoquè visus est mulieribus. Quandò autem, & quemadmodùm hæc facta sunt, illæ quidem omninò nesciebant: ipsa verò sola, vt quæ assideret, omnia accuratè perspexit. Videntur ergò ei primæ esse datæ boni nuncij resurrectionis, & quoàd eius fieri potuit, ab ea conspectus fuisse splendor filij. Sed sic quidem Dei mater & ipsa clariùs adspicit filij resurrectionem, & eius prædicatores de ea magìs confirmat, quàm eæ, quæ vnguenta attulerunt: etiamsì, dum loquerentur de Domini resurrectione, nullam eius mentionem fecerint, cauentes fortasse maternum afferre testimonium, nè videretur suspectum, & propter coniunctionem fides ei minùs haberetur. Sed Deipara, cùm filij resurrectionem & visu, & internis oculis sic accepisset, posteà habitauit cum dilecto discipulo, expectans tempus Christi assumptionis.

S. Maria primò assidet sepulcrò filij.

Marc. 16.

S. Maria primaviàet resurgentem filium.

Cap. 38. Postquàm autem finem accipere oportebat, quecunq; ad carnis susceptæ pertinebant œconomiam, & ità in cælum extolli, quod assumptum fuerat, amicis apparens Saluator, (Non enim sæpè post resurrectionem spectabilem se illis præbebat) & multa alia cum eis disserit, & boni spiritûs aduentum anunciat. Deindè etiam cùm eduxisset parùm extra ciuitatẽ, & illos, vt eum decebat, impertijsset benedictione, videntibus ipsis; in cælum extollitur. Sed nè ea res ipsis afferret molestiam, & dolorem eis procrearet magistri priuatio, eius quoquè curam gessit bonus pastor. Ad eos mittit Angelos, qui & illius ascensum explicarent, & eos ineffabili & admirabili implerent consolatione. Cùm autem adorâssent, rursùs domum læti sunt reuersi, simul quidem agentes in superiore cœnaculo, sicut constitutum fuerat, & paracleti expectantes aduentum. Erant autem in oratione vnanimiter perseuerantes, sicut etiam Lucas Euangelista narrat. Cùm enim nominatìm Christi enumerâsset discipulos, deindè subiungit: Et hi omnes perseuerabant vnanimiter in oratione & precatione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & cum fratribus eius. Semper enim ipsa quoquè cum eis conuersabatur, à rebus pulcherrimis & honestissimis nunquàm omninò desistens.

Luc. 24.

Actor. 1.

Ibidem.

Cap. 39. Postquàm autem in tempore Pentecostes Apostoli impleti diuina gratia paracleti, ad Euangelij doctrinam alius aliò mittebantur, & iam prædicatio fidei annunciabatur, Virginem, vtpotè dilecto discipulo & virginì commendatam, quæ erat in Sion eius domus, eam habebat illic degentem: Cui tanquàm matri Dei honor ab omnibus exhibebatur. Cùm verò & mortis eam participem fieri necesse foret, (cur enim hoc passura non esset, quanuis Dei filius ex ea genitus re vera esset homo?) cùm, inquam, ætate prouecta ad multam senectutem peruenisset, & peregrinationis tempus præsens esset, per Angelum, se migraturam esse, à filio edocta est, sicut & anteà, quo tempore in eius ventrem ingressurus erat, nunciatum illi fuerat. Cùm igitur excessus sui mysterium didicisset, eam rem lætitiæ tantæ, quanta verbis explicari non potest, materiam iudicans, (Quid enim illi suauius éuenire poterat, quàm cum filio suo esse, & vnà regnare?) statìm iussit plurima lumina domum afferri: Idque factum est. Tota verò domus mundata est. Lectus itèm, & thalamus ornabatur: & conuocabantur quotquot erant cognati & vicini, vt cum ea lætitię fierent participes. Deindè parata erant omnia ad excessum. Significat itaque ijs, qui conuenerant, id quod ei filius per Angelum nunciauerat. Ostendit autem brauium, quod sibi ab eo datum fuerat. Id verò erat ramus palmæ, vt linguæ assuefactæ vera loqui de eo dixerant: signum victoriæ mortis, & vitæ imago immortalis: Sicut etiam Hebræorum pueri id eius faciebant filio, inspirati diuinitùs. Illi enim appropinquanti ad passionem, ij ramospalmarum offerebant, eum futurum victorem mortis antè significantes. Cùm autem iam adesset tempus excessûs, illa quidem veræ vitæ mater in Sion iacebat in grabato: aderat verò is, qui eam domo exceperat, Iohannes. Aderant etiam, quicunque erant electi in Hierusalem, amicæque & cognatæ simul adstabant. Virgo ergò ad Iohannem adspiciens,

Cap. 39. Actor. 2.

Cohabitauit Mariæ virgini Iohãnes Euãgelista vsque ad eius assumptionem.

Eius obitus ab Angelo nunciatur.

Iohan. 12.

spiciens virginem, cùm pauca cum eo esset locuta, deindè, Duas, inquit, tunicas quas toto vitæ tempore habui tegumẽtum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus. Hæc illa quidem dixit: Qui aderant verò, videntes signa decessûs, ex oculis multas fundebãt lachrymas. Quis enim tali priuari muliere tulisset sine dolore? Deindè è cælo quidem descendit eius filius, illius diuinam assumpturus animam: Per nubem autem suos congregat discipulos, vt venerandum eius corpus mandarent sepulturæ.

Duas tunicas testamenti loco dat propinquis virginibus.

Apostoli adsunt migranti Virgini sanctissimæ.

Postquàm verò vidit eos Deipara, cognouit autem causam, propter quam omnes statim accersiti fuerant, & vniuscuiusque audijt petitiones, eos quidem, vt par erat, impertijt benedictionibus. Cùm verò omnibus dixisset verba, quæ in decessu dici solent: Vos, inquit, valete filij: meum autem hinc decessum nè luctu, sed lætitia potiùs prosequamini: quandoquidem vobis est persuasum, nos transire ad gaudium: & videre, vt corpus meum mandetis sepulturæ in hac figura, in qua ego me composuero. Hæc est enim, inquit, mea voluntas. Accersit autem Petrum, deinde alios: & cùm lucernas ipsi accendissent, illa in spiritu exultans, diductis labris: Benedico tibi, inquit, datori omnis benedictionis, causæ luminis, qui meum ventrem inhabitâsti. Benedico tuæ charitati, qua nos dilexisti, Domine: & magnifica verba tua, quæ nobis data sunt in veritate: & credo mihi affutura, quæ dixisti. Cùm sic dixisset, se reclinat in lecto, & manibus in altum sublatis, cùm nulli repræhensioni affine suum corpus in honestam & decoram figuram composuisset, & os venerandum aperuisset, (etenim videbat iam Dominum ad ipsam venientem cum multitudine Angelorum) tota impletur gaudio & voluptate. Et cùm rursùs dixisset, Fiat mihi, Domine, secundùm verbum tuum: emittit tanquàm in somno spiritum, & eum in amicis deponit filij manibus. Nè autem videatur esse inane, quod dictum est de congregatione Apostolorum, quæ facta est in dormitione Virginis, satiùs fuerit ea summatim addere, quæ à Dionysio Areopagita dicuntur in tertio libro. Et caput quidem, Quæ sit vis orationis, & de beato Hierotheo, de pietate & de Theologica inscriptum est conscriptione. Dicuntur autem ea cuidam Timotheo Ephesi Episcopo. Ea verò sunt in hoc capite sic ad verbum posita:

Cap. 40.

Domin⁹ Iesus venit ad matrem, è corpore migraturam.

Felicissimè illa obdormit.

De diuinis Nominibus cap. 3.

Quandoquidem apud ipsos quoquè nostros à Deo afflatos sacrorum principes, quandò nos quoquè, vt ipse nôsti, & multi ex nostris sacris fratribus ad videndũ corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum susceperit, conuénimus, (aderat autem Dei quoquè frater Iacobus, & Petrus, qui erat Theologorum suprema & antiquissima summitas) visumque est, vt post illud spectaculum, omnes sacrorum principes hymnũ canerent, & laudarent, prout poterat vnusquisque, infinitam bonitatem diuinarum virtutum: post Theologos ille, vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorum, vt qui planè excederet, & à se omninò abduceretur, & in ea, quam hymnis celebrabat, afficeretur societate & communicatione, & ab omnibus, à quibus audiebatur & videbatur, & cognoscebatur, & non cognoscebatur, iudicaretur esse à Deo afflatus & diuinus scriptor hymnorum. Et quid tibi ampliùs dixerim de ijs, quæ illic de Deo diuinè dicta sunt? Etenim nisì sum mei quoque oblítus, scio multos à te audijsse quasdam partes illorum Deo afflantium hymnorum. Sed hæc quidem sacer Dionysius. Nobis autem pergat oratio ad ea, quæ deincèps sequuntur.

Cap. 41.

S. Petrus Theologorum suprema & antiquissima summitas.

Cùm autem in orbem sanctum Virginis corpus circundedissent Apostolorũ chorus, & quicquid erat electum ex viris & mulieribus, & hymnis honorabant, qui illud deducebant, & omnia membra reuerenter simul & amanter amplectebantur, non solùm suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere vtilitatem. Fidem autè consecuta quoquè est operũ demonstratio. Cæcis oculi illuminabantur, surdis aures aperiebantur, claudis bases pedum confirmabantur, & quodlibet morborum & ægritudinum genus facilè dissoluebatur. Cur non dico, quæ sunt perfectiora? Aër quidem & cælum ascensu spiritûs sanctificabatur: terra autem similiter depositione sacri corporis. Cæterùm nec aquæ quidem natura erat expers benedictionis: sed ipsa quoquè lauacro puríssimi corporis fuit particeps sanctificationis. Neque enim illud habebat opùs purgationibus, (quis enim hoc diceret, nisì emotæ mentis?) sed suo contactu potiùs sanctificabat id, quod attingebatur. Deindè quid? Mundis sindonibus mundum corpus inuolutum, rursùs in lecto ponitur. Deindè cum lucernis & vnguentis, intelligentibus quidem desuper laudantibus virturibus, Apostolis autem & diuinis patribus Deo digna cantica canentibus, diuina area ex Sion

Cap. 42.

Miraculà ad sacratissimum corpus eius.

Honorificentissimũ funus eius.

vecta Apostolicis manibus & humeris, ad Gethsemane sacrum prædium exportatur, Angelis, vt est consentaneum, præcurrentibus, circuncursantibus, sequētibus, Angelicis pennis adumbrantibus, longè, inquam, splendidiore & venerabiliore factâ deductione, quàm propter translationem veteris illius arcæ testamenti Domini, vt sacra narrant eloquia. 2. Reg. 6. 3. Reg. 8.

Cap. 43. Accidit huic pulchræ & diuinæ rei graue quidem quid & odiosum, non tamen silentio, sed memoriæ mandandum: & ad gloriam quidem & laudem piorum, dedecus autem improborum, qui infidelitatis malum semper sectantur. Cùm hoc sacrum & impollutum corpus in Gethsemane efferretur, vbi sepulcro tradi Deipara ipsa præceperat, Iudæis, qui semper fuerunt repleti inuidia, ne in hoc quidem succurrit tacere, sed ad eius, quod fiebat, splendorem claudere oculos, & ad eis innatum motum animi erumpere. Qui erat ergò alijs insanior & impudentior, is cùm venerandū portaretur grabatum, in id irruit plenus inconsiderato impetu & furore. Eius autem scopus erat, hunc sacrum lectum in terram allidere, & tali afficere iniuria, vt qui esset vir insigni audacia. Non neglexit autem diuina iustitia: sed manus, quæ grabatum apprehenderant, ex vlnis protinùs fuerunt abscissæ. Verùm quæ in partu gaudio totum orbem terrarum repleuerat, nō erat vlli omninò in morte futura causa molestiæ. Cumque qui passus fuerat, esset quidem improbus, non tamen omninò eius improbitas videretur insanabilis, ex his quæ erat passus, iustam eorum, quæ malè senserat, petijt pœnitentiam. Et quoniam carebat manibus, nec eas poterat ad preces extendere, emittit lachrymas ex oculis, & sic petit curationem. Disciplinam autem vide, simul & medicationem. Statim enim ij quidem, qui lectum ferebant, constiterunt: accedit verò is, qui passus fuerat sectionem: & quæ amputatæ fuerant, partibus vlnis applicatis, (hoc autem iusserat Perrus) statim consecuta est manuum curatio.

Vltio diuina in sacrilegum Iudæum.

Is iterùm post actam pœnitentiā sanatur.

Cap. 44. Hinc ad sacratissimam abducitur Gethsemane, & illic sanctissimum quidem corpus mandatur sepulturæ. Quidni enim, cùm etiam qui erat Deus, eius filius, more hominum sepelitur? Per ipsum autem ad cælestia & diuina transmittitur tabernacula. Quod dicimus, confirmat Iuuenalis diuinus Hierosolymorum Episcopus. Fuit autem hic vir sanctus, & à Deo inspiratus, qui ab antiqua & vera traditione narrationem dicens ad se sic fuisse deductam, ait: Quòd tres totos dies ad sepulcrum sancti permanserunt Apostoli, diuinas hymnodias ex alto audientes: Deindè post tertium diem, cùm vnus ex Apostolis tardiùs venisset ad exequias, vel quòd ità contigisset, vel quòd diuinum ità prouidisset consilium, vt nota esset omnibus translatio admirabilis, tunc & ipse quidem accessit, &, vt est consentaneum, magnum ex eo cepit dolorem, quòd tanti boni mansisset expers, idque omninò tolerare non poterat. Sacer itaque ordo Apostolorum non iustum esse iudicans, vt ipse quoquè viuificū illud corpus non videret & amplecteretur, iubet statim aperiri sepulcrum. Et illud quidem fuit apertum: thesaurus autem nequaquàm erat in eo: sed solæ erant vestes, in quibus fuerat conditus, quomodò etiam eius filij in resurrectione. Quas cùm ipse esset amplexus, & qui cum eo aderant, & repleti essent inexplicabili odore & gratia, rursùs quidem claudunt sepulcrum. Miraculum autem posteris filius à patre accipiens deincèps tradit. Atque viuifici quidē corporis diuinæ sepulturæ ità se habet narratio. Siquidem quod ex ea natum erat, totam eam Verbum ad se transtulit, & voluit eam apud se & esse, & perpetuò simul viuere. Verumenimuerò pro eius impolluto corpore suam vestem, boni nostri magnam semper ducens rationem, velutì quandam dat huic ciuitati hæreditatem. Quemadmodùm autem hoc factum sit, & quomodò beatum illud donū ad nos venerit, & sacrosancto hoc thesauro ditata sit Constantinopolis, iam declarabit oratio.

Sepelitur corpus sanctissimum Virginis.

S. Iuuenalis de eius sepultura & sublati corporis testimonium.

Corpus eius in cælos assumptum.

Tunica eius thesaurus sacrosanctus, vt venerit Constantinopolim.

Cap. 45. Leo ille magnus, qui illo tempore optimè Romanorum administrabat imperium, duos sub se habebat, qui curam gerebant exercitûs: quorum vni-quidem erat nomen Galbius, alteri autem Candidus, fratres genere, fratres virtute, & vt semèl dicam, in cæteris quidem valdè insignes & paucis similes: sed vnum eis deerat, idque maximum. Siquidem non rectam habere fidem, est laborare in rebus maximis & præcipuis: Arrianæ enim pestis erant participes, cùm ex paterna fortè traditione malum hoc, tanquàm quædam hæreditas ad eos venisset. Dicebantur enim fuisse proximi genere Ardaburio & Aspari, qui illis temporibus in regia obtinuêre tyrannidem: quos cum Arrio sensisse, apertè arguit veritas. Verumenimuerò Galbium & Candidum, qui alioquì se rectè gerebant, & Deo placebant, non fuit diuina gratia non

Galbius & Cādidus ab errore Arriano redeūt ad fidem catholicam.

non esse illuminatos in eo, quod est præcipuum salutis: sed eos ab errore traducit ad veritatem, adeò constanter & stabiliter, vt non solùm rectè se haberent, & tuti essent, quòd attinet ad pietatem: sed etiam alios, quos nôssent non recto pede ingredi ad veritatem, studerent pro viribus efficere, vt eiusdem essent secum sententiæ. Ij cùm piè essent affecti, magno quoquè & excelso animo se dedunt misericordiæ exercendæ in pauperes, vt qui pro agnitione veritatis satagerent Christo reddere gratias. Castissima ergò mater illius magni Dei & Saluatoris nostri, sacrosanctum thesaurū, nempe suam vestem, volens suæ largiri ciuitati, vt hoc fiat, per dilectos illos viros prouidet quodam modo diuiniore. Modus autem ità habet:

Cap. 46. Immittit eis desiderium adorandi sancta loca, quæ sunt Hierosolymis. Quod plane & ab illis factum est. Cumque Leoni & Verinæ rem aperuissent, comitatum non exiguum eorum familiarium & amicorum secum adduxerunt. Cùm autem iter ingressi essent, & iam venissent Palæstinam, viam, quæ ducit in Galilæā, præferunt maritimæ, pluris facientes contemplari Nazareth & Capernaum, quàm maritimis frui delectationibus. Ex quibus illa quidem fuit sacrum Deiparæ habitaculum, & in ea multo tempore vidit Deum Verbum ex se genitum: Hæc autem, eius filij charum & consuetum diuersorium. Cùm hîc ergò fuissent, vt diximus, quoniam non permittebat tempus, vt vlteriùs progrederentur, (Iam enim erat vespera, & nox obscura: prouisum autem omninò hoc quoquè fuerat diuinitùs) vicus quidem eos excipiebat, isque paruus. In eo autem habitabant & alij non pauci, & muliercula quoquè quædam insignis castitate, & planè honestissima & moderatissima: quæ propter profundū quidem senium & canos honorata, sed propter magnum virtutum ornamentum longè honoratior erat. Apud eam autē vestis, diuinus fuerat hic thesaurus recōditus. Quomodò verò fuisset illa tantæ rei custos, nisì & virtutum fuisset ornata pulchritudine, & animi puritate? Quanquàm enim Hebræa quidem erat illa mulier, (est nanque amica veritas) illius tamen animam locum dixisses, qui est in præsentia quidem obscurus, aptus est autem ad lumen excipiendum, & valdè accommodatus. Diuinum verò erat in hoc quoquè apertè consilium, vt res apud eam mulierem recondita, quæ sic affecta erat, vt eam totis viribus celare studeret, posteà in lucem prolata, maiorem fidem haberet.

Inuisunt sacra loca passionis Dominicæ Hierosolymis.

Tunica Mariæ Virginis apud anum Iudæam recondita.

Cap. 47. Vide ergò, quàm eleganter processerit diuinum consilium. Nam apud eam venientes, excipiuntur hospitio Galbius & Candidus sapientes, eos sic diuina deducente gratia. Erat verò propterid solùm, quod in ea latebat, domus admirabilis: alioquì autem nihil habebat magni, sed erat planè vilis & abiecta. Cùm eos autem tempus vocaret ad cœnam, vbì accubuissent, vident interiùs aliam domunculam: quæ multo quidem lucernarum lumine illustrabatur, multis verò suffitibus & vnguentis suauè spirabat: in ea autem sitam magnam ægrotorum multitudinem. Ex quo diuinū quidem quippiam suspicabantur esse & venerabile, rei tamen veritatem omninò excogitare non poterant. Inuitāt itaque ad conuiuium egregiam illam aniculam, cupientes ex ea aliquid scire eius, quod desiderabant, illa autem hoc recusabat, causans religionem, & quòd non fas sit ei, cùm sit Hebræa, vesci cum Christianis. Illi verò, cùm propter magnam sitim cognitionis eius, quod erat propositum, nihil de propenso suo studio remitterent, eam adhuc inuitant ardentiùs, & illius non parendi pertinaciæ obijciunt aliud validius: Quid, dicentes, obstat, si cùm tu acceperis cibos, quibus pro more veseris, nobiscum quidem colloquaris, sola autem tuis alimentis vtaris? His itaque páret mulier, & congreditur.

Domuncula in qua latebat eius tunica sinuissimū spirabat odorē.

Cap. 48. Postquàm autem comedissent, apud eam viri illi precibus egérunt, vt eis id significare non recusaret, quænam essent ea, quæ fiebant in domo interiori. Existimabant enim esse aliquid legale, & ex vmbratilibus illis & veteribus. Illa autem ea quidem dicit, quæ fiebant: causam verò, quamobrèm ea fierent, minimè persuadetur vt aperiat. Videtis enim, inquit, ô viri diuinissimi, ægrotorum multitudinem. Etenim cùm Deo ità videatur, in hoc quidem loco dæmones expelluntur: cæcis autem vt liberē videāt, claudis vt ambulent, surdis vt audiant, & mutis vt loquātur, efficitur mirabiliter: & alij morbi, & corporū mutilationes, quæ medicorum artibus nullo sint modo medicabiles, curantur facilè. Illi autē (Non enim erant imprudentibus hominibus similes, neq; quod interrogare oportebat, ipsi præ simplicitate prætermittebant) Vndenàm verò, rogabant, principium cepit locus talia operandi? Illa verò, Apud nos, inquit, Hebræos à patribus tradita habetur narratio, quòd Deus in hoc loco visus sit cuidam ex patribus;

Mulra miracula fiunt apud illam sanctissimā vestem.

tribus: ex quo factũ est, vt loco hæc seruaretur gratia. Hæc cùm ea diceret, illi ei corde minimè assentiebãtur: sed videbatur eis muliercula, sicut res erat, probabiliũ verborum pulchra specie celare veritatem. Ipsi ergò eam quidem adhuc rogabant vehementiùs, vt eis rem, vt se habebat, aperiret, respiciens, si nihil aliud, laborem saltem tanti itineris: qui nulla alia de causa erat susceptus, nisi vt viderent sancta loca, & audirent ea, quæ à pijs & sanctis dicuntur hominibus. Illa autem ne sic quidem cedebat, sed manebat, vt statuerat, apertum religionis existimans esse dedecus, si aperiretur veritas, & dicens se nihil scire ampliùs, quàm quòd locus sit plenus diuina gratia.

Cap. 49. Cùm autem illi pulchrè sensissent eam optimè quidem scire, vitare autem, ne eam scire esset apertum, & ideò præ se ferre ignorationem, euadunt auidiores inueniendi eius, quod quærebatur, & sicut Cleophas & ille alius discipulus, corde cœperunt ardere. Eos enim Virgo beatissima incitabat, volens Byzantinis diuinum hunc & sacrosanctum largiri thesaurum. Omnem ergò statim mouebant lapidem, vt mulier remittens immobilem hanc occultationem, eis id quod tacuerat, in apertum proferret. Quinetiam * iusiurandi necessitatem adhibebant, eiusque adeò validi, vt animũ quantumuis inexpugnabilem suo possent loco mouere. Cùm sic eam omni ex parte adstrinxissent, & tanquàm ineuitabilia ei vincula imposuissent, vix tandem persuadẽt, vt eis rem aperiat. Cùm itaque ex alto, & cum lachrymis suspirâsset, & in terram fixisset oculos, perindè ac si eam puderet enunciare: O viri, inquit, nunquàm in hodiernũ vsque diem, diuinum hoc mysterium viro euasit manifestũ. Quæ enim in genere meo me præcesserunt, iureiurando adhibito, vni mulieri, eique virgini, ità tradiderunt, vt singulis ætatibus ea res sic traderetur. sed quoniam video vos esse viros reuerendos & pios: & alioquì (nam hoc quoquè vobis significabo) ad me vsque redactæ sunt mei generis fœminæ, nec vlla supereſt alia post me virgo, cuius fidei à me credi possit cognitio mysterij, rem modò vobis aperiam. Existimo enim fore, vt quod à nobis dicetur, apud vos conseruetis. Mariæ illius Deiparæ (hoc enim est nobis ab alto traditũ) hîc custodita sita est vestis. Obstupuerũt viri illi, cùm solùm rei audijssent principium. Deinde adijciens mulier: Etenim hæc, inquit, Deipara vitam finiens, duabus mulieribus virginibus duas suas vestes donauit loco benedictionis. Ex quibus vna fuit ex mei generis Maioribus, quæ id accepit, quod donatum fuerat, & in arca deposuit: & omninò iussit ijs, quæ erant sui generis, vt esset virgo vnaquæque, quæ eam acciperet. Est ergò arca recondita in interiore domo, quam nunc videtis: & quæ in ea est vestis, est causa omnium, quæ fiunt, miraculorum. Hæc, ô viri, est vera narratio eius, quod à vobis quæritur: Et videte, vt ad vos vsque solùm deducta sit cognitio, & nemo sciat ex ijs omnibus, qui sunt Hierosolymis.

Luc. 24.

Nota, non nisi fœminas, easque virgines, assueuisse vestem matris Dei.

Indicat prænominata anus his vitis thesaurũ Mariæ virginis.

Cap. 50. Cùm hæc audijssent, adhuc maior metus viros subijt & lætitia. Metus quidem, propter magnitudinem eorum, quæ audita fuerant: lætitia autem, quòd essent participes talium sacramentorum. Quid ergò deincèps consequitur? Viri seipsos humì deijciunt, & pedes illius prehensantes: Nulli quidem, inquiunt, ex ijs, qui sunt Hierosolymis, notum erit id, quod nobis dictum est: nè dubites domina: dominam enim iam te vocamus, quæ sis talibus dignata mysterijs: ipsam tibi huius rei testẽ citamus Deiparam. Vnum autem aliud cõcede nobis rogantibus: Rogamus verò, vt dormiamus in eo loco, in quo hic diuinus reconditus est thesaurus. Cùm hoc autem statim concessisset mulier, stragulæ quidem vestes portatæ sunt in eum locum: Illi verò non se somno dederunt, sed cùm nocturnum accepissent silentium, totam noctem perseuerabant in oratione, & cum lachrymis agebant gratias Deiparæ, quòd talibus auditionibus & spectaculis digni essent habiti. Cùm autẽ eos, qui ægrotabant, vidissent somno oppressos, metiuntur ex omni parte ambitũ arcæ, in qua erat diuinum repositũ indumentum: ipsamque ligni speciem & habitudinem, ex quo erat arca, accuratè admodùm & diligenter considerant. Deindè manè egressi, & honestam salutârunt mulierem, & cùm rogâssent, vt audacter iuberet, si quid sibi opùs esset Hierosolymis: se enim rursùs ad ipsam vẽturos per eandem viam: iniêrunt iter versùs Hierusalem, cùm illa dixisset, se nullo alio egére, nisi eorum precibus, & vt eos rursùs lætos videret & alacres.

Vide antiquã deuotionem erga sacras reliquias.

Cap. 51. Cùm fuissent itaque Hierosolymis Galbius & Candidus, & partìm quidẽ Deo preces fudissent, partìm autem pauperibus & egentibus liberaliori dextera eleemosynã erogâssent, secretè vocant quosdam fabros lignarios, quibus iubent, vt eis construãt arcam, & forma, & figura, & magnitudine illi, quam viderãt, similem: mandãtes præterea,

tectè, vt formaretur etiam ex ligno veteri, quô nihil in ea cerneretur, quod non esset omni ex parte simile prædictæ. Excogitant deindè aliquid aliud idoneum ad celandũ id, quod erat futurum. Comparant sibi auratum operculum, vt eo arca tegeretur. Postquàm autem & precatio, & erogatio eis satis benè habere visa fuit, eo accepto, quod fuerat fabrefactum, redeunt in vicum sani & alacres: aromatibusque & suffitibus aptis ad sacrificium, venerandam donant mulierem. Et illa quidem rursùs viros, tanquàm sibi familiares, iucundè accipit. Illi autem rursùs ab ea petunt, quod prius, vt scilicet in sacro habitaculo totam noctem transigerent. Illa verò rursùs quoquè permittit, nihil omninò suspicans. Qui ingressi, summo ocio vtebantur precibus ad inculpatam, & ab omni reprehensione alienam Dei matrem, eas tanquàm sacrã hostiam lachrymis pinguefacientes: Non ignoramus nos serui tui, dicentes, ô diuinissima, & in primis illustris Domina, quænam olìm Oziæ euenerint, qui ausus est tangere arcam, quæ erat secundùm legem. Quomodò ergò nos, qui sumus multis obnoxij peccatis, te non iubente, ausi fuerimus diuinam hanc arcam omninò tangere, intrà quam est talis thesaurus repositus: & non solùm tangere profanis manibus, sed eti am eam aliò transferre? Annue ergò voluntati nostrarum animarum, ô boni filij bona mater. Ad tuam enim ciuitatem est translatio, quæ est omnium aliarum Regina, & te semper magno studio statuit honorare. Ad eam nos hoc diuinũ donum exportare statuimus, ad eius tutelam & gloriam, quæ nunquàm extinguatur. Hæc tota nocte dicentes in oratione, & solum lachrymis madefacientes, repentè implentur fiducia, fiducia, inquam, contemperata reuerentia. Deindè ad diuinam accedunt arcam, simul læto & tremente animo, & cùm omnes, qui illic erant, efficeret somnus nullo sensu præditos, (O beatas manus, ô furtum, in quod nulla potest omninò cadere reprehensio) hanc accipiunt, eis quoquè omninò hac in re fauente gratia. Et eam quidem sic tollunt: apponunt autem, quam Hierosolymis ad eius similitudinẽ fabricari fuerant, cùm ei etiam imposuissent operculũ. Quod quidẽ erat aurcum, vt diximus.

2. Par. 26.

Prisco rum Christianorum erga reliquias reuerentia.

Galbius & Candidus clàm secum asportãt sacram vestẽ.

Cùm primùm autem illuxisset, sanctam mulierem quidem iubent valere, & rogãt, vt non cesset pro eis orare, & eorum facere commemorationem. Deindè ei quoquè digito ostendunt operculum, quasì veram illam tegeret & primam arcam, quod mulieri quoquè visum est ab illis allatum esse honoris gratia. Et cùm præterea ijs, qui fuerant inuenti, pauperibus suppeditâssent, quæ erant necessaria, valdè læti protinùs iter ingressi sunt, domum reuersuri. Postquàm autem venissent Byzantium, non honestum esse statuerunt, ijs, qui illo tempore erant, Imperatoribus mysterium priùs communicare, quàm Patriarchæ. Eos enim subibat timor, nè quod ipsi suum esse bonum statuerant, eo ab illis priuarentur. Cùm ergò multa consultâssent, eis hæc vita est optima sententia, latenter eos ad hoc quoquè monente Deipara. Erat eis prædium apud muros ciuitatis, propinquum marini sinûs cornui. (Huic loco nomen erat Blachernæ) in eo extruunt quidem domum oratoriam. Cùm autem eis magnæ esset curæ, vt laterent, Petri Apostolorũ principis & Marci domum nominant. Cùm in eo certè sacrum illum thesaurum posuissent, omne statìm studiũ adhibuerunt, vt in templo esset perpetua hymnodia, perpetuus odor aromatum, & assiduus splẽdor luminum. Et sic quidem longo tempore hoc diuinum mysterium, fuit semper re vera mysteriũ.

Cap. 52.

Hymnodia, suffitus, lumina antiquitùs in templis.

Quoniam autem ei, quæ per ipsum honorabatur, & cuius erat ille amictus, visum est, tantum bonum ad solos duos testes non debere contrahi, & tanquàm profundo aliquo contegi silentio, & communes diuitias esse eorum tantùm proprias, & communi epulo eos se solos explere: mouet ipsos ad id, quod tacuerant, proferendum in lucem: & accedentes, annunciant ijs, qui tunc erant, Imperatoribus, & aperiunt quale sit miraculum, & declarant quemadmodùm sit allatum. Eos autem, cùm audissent, magnum inuasit gaudium: & protinùs fit publicum, quod fuerat occultum. Et beati quidem inter omnes reputãtur Galbius & Candidus propter tale ministerium, & publicis honorantur honoribus: Diuina autẽ ædes in eo loco regijs impensis Deiparæ ædificatur: & capsa ex argento & auro constructa, sacrum illum thesaurum excipit: & plurimis alijs muneribus & donis domus honoratur. Leo verò & Verina (ij enim tunc imperabant, quorum tempore hoc quoquè magnum & reuelatur mysterium, & ad regiam vrbem exportatur) cùm pulchrè & piè imperâssent, & Galbius & Candidus, qui hoc ministerium pulcherrimè obiêrunt, transferuntur posteà ad senectuti non obnoxiam vitæ conditionem.

Cap. 53.

In capsa argẽtea & aurea reponitur vestis S. Mariæ.

Cùm ergò hæc sacra arca nobis contineat, non quasdam tabulas, manu Mosaica poli-

Cap. 54.

Vestis planè diuina & venerãda

politas, sed vestem planè diuinam, & summè venerandam, quæ non solùm intemeratum & ab omni labe alienum corpus texit: sed in qua (vt audacter dicam) cùm esset infans, Deus verbum fuit inuolutus & auctus: adeò vt ea sæpè conspersa sit guttis lactis venerabilis, quo nutritus fuit is, qui est omnium alimentum & vita: ad eam quidem verè laudandam nulla sufficit oratio: sola autem gratiarum actione res est prosequenda: & ipsi Deiparæ sunt agendæ gratiæ, & eius filio communi Saluatori & Regi, qui omnia ad nostram vtilitatem & salutem dispensat: Ei gloria & potentia nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI ANDREÆ CRETENSIS, ARCHIEPISCOPI HIEROSOLYMITANI ENCOMIUM DE DORMITIONE SANCTISSIMÆ DEIPARÆ. *Habetur in Simeone Metaphraste. Capitula margini appositimus.*

15. Augusti. Cap. 1. Festũ dormitionis Virginis Deiparæ.

MYSTERIVM est festum præsens, cuius argumentum est Deiparæ dormitio, orationis facultatem superans: mysterium (inquam) quod non apud multos quidem iam celebrabatur, apud omnes autem nunc honoratur & amatur. Et hoc est nostrum festum, mysterij declaratio seu explicatio. In qua re nos vellemus quidem silentium præferre orationi, cogimur tamen à desiderio: quibus parùm quid dicere conceditur, quanuis confidere non possimus, & nostram imbecillitatẽ non ignoremus. Nõ igitur committendum est, quô minùs longi silentij secretum compensemus. Celebrandumque est donum, & non obruendum obliuione: non quòd recenter sit inuentum, sed quòd sit suo decori restitutũ. Non enim quoniam à nonnullis, qui nos præcesserunt, non fuit cognitum, iam etiam est tacendum: sed quod non omninò effugit, id est sanctè prædicandum. Sit ergò hodiè vnum commune festum cælestium & terrestrium, & cum Angelis collætentur homines: omnisque lingua choros ducat, & Deiparæ óccinat, Auc. Hoc Gabriel priùs sumpsit exordium mysterij, quandò id, quod est totius Theologiæ clarissimum, diuina Iesu secundùm nos formatio, ineffabili cõsilio & dispensatione noua quadam & præclara ratione effingebatur in virginali naturæ officina. Et nos quoque rursùs oportet hoc tanquàm comparatum ad agendas gratias, offerre Reginæ generis. Illi enim etiam post excessum conuenit dicere illud χαῖρε. Sola enim nobis introducto gaudio, expulit dolorem primæ parentis.

Luc. 1. Inuitantur & Angeli ad cõcelebrandam eius assumptionẽ.

Cap. 2. Psal. 80.

Tubis ergò canamus in Sion. Accipiamus psalterium & citharam. Canamus matri Dei nostri, canamus, non epithalamium, sed funebre canticum. Rogauerit autem meritò quispiam eorum, qui diligenter considerant: Quanam de causa Sion fecisti mentionem, ô qui canis hymnũ sacræ præsentis lætitiæ? Sed non ab instituto est hoc alienum, ei ego dixerim, si memini sanctissimæ Sion. In ea enim peractũ est hoc magnum Deiparæ mysterium. In ea sacrorum castissimi corporis genuũ inflexiones, tanquàm clara voce testantur tabulæ, quæ sunt humì constratæ. Toto enim tempore incolatûs in ea est versata: & illic naturæ seruiens legibus, vitæ finem accepit. Hîc quoquè latuit principem tenebrarum, quomodò in pariendo ea effugit, quæ accidunt matribus, illa sanctissima & à Deo vocata, quę gloria & gratia cælum & terram impleuit magnitudine diuinæ suæ translationis. Cuius si omnia vellem deincèps persequi, quomodò extiterit, aut concepta vel nata sit, non inuenerim tempus, quod respondeat orationi: aut dicendi facultatem, quæ factis exæquetur: nisì quòd præclara eius omnia quæ narrantur, possunt summatim recenseri. Dico autem generis claritatem: parentum vtrinquè insignem nobilitatem, qui hinc sacerdotalem, illinc regiam nacti erant dignitatem: liberorum egestatem & sterilitatem: pro ea frequentes interpellationes, & crebra sacrificia: in quibus Deum rogabant, orabant, supplicabant, vt vincula soluerent sterilitatis, & vt qui carebant liberis, fœcundi fierent ex sterilibus, & ex infertilitate datum fructum producerent. Deindè amotionẽ sterilitatis, implementum promissionis: & paulò antè ea quæ visa sunt in somnis, & quæ re vera audiuerũt, & quæcunque ambo communiter & priuatim, visione præstantioribus diuinis exauditis vocibus, diuina illuminatione sancti accepêre responsa. Deindè ad generãdum aptitudinem, & ad eam progressionem: fascias, aduentum ad Dei templum: quomodò sit pulchrũ munus Deo dedicatum, quomodò in adytis, tanquàm in aureis vecta thalamis, immortalem, non autem cõmunem cibum sumebat. Deincèps verò educationem, & quomodò crescens, à puerili ætate peruenerit ad adolescẽtiam: & quæcunque declarant perfectam illam conditionem, quibus vt par est pubescens, augebatur cõuenienter ijs, quæ sunt supra naturam. Mitto dicere occulta plusquàm ignotæ conceptionis mysteria, & supra modum admirabilem & ineffabilem partum Iesu apparitionis: vt verbi causa, quòd ea non fuerit corrupta: quòd sine dolore & obstetrice pepererit: quòd ea fuerit sine macula: quòd inuiolatum fuerit claustrum virginis: quòd nouo & admirabili modo lac produxerit: quòd ex lege fuerit purgata, & quæ in templo fuêre prophetias, quibus à propheta, qui legem & Deum suscipiebat, Simeone prędicta sunt futura. Deindè rursùs persecutiones: fugã in Aegyptum: ex Aegypto reuersionem: quemadmodùm circumierit, & in terra morata sit: quæ ante Crucem probra subierit: quos iuxta Crucem passa fuerit dolores: quos post Crucem terrores: & postremò, quæcunque ab ea in vita & facta, & dicta sunt. Quæ cùm esset immaculata & impolluta, & supra modum plena puritatis, eum, quem totus mundus neque capere, neque verbis explicare poterat, conseruauit perpetuò arcanum & ineffabilem, tanquàm Regis mysterium, quæ ex eo exprimuntur, ijs solis nota faciens, qui diuina diuinè conferre didicerunt. Quibus maximè purgatis ea, quæ est ad Deum, appropinquatione, per loquendi egestatem, & ignorationem eo modo, qui omne superat silentium, intelligentem cutem aperiens sanctissima, ostendit aliquam partem occulti, qui intùs latet, mystici splendoris. Vtinàm autem nobis quoquè, qui sumus præsente splendore illuminati, liceat longè clarissima dignatis effusione luminis, purè videre, aut modicè accipere radium mysticæ contemplationis, & ità imbui, si non in ijs, quæ ad planè inexplicabilẽ illam vitam pertinent, (sunt enim ignota) at vt doceamur saltem, quoàd eius fieri potest, ea, quæ hodierno die dicenda suscipimus.

Luc. 2. Matth. 2.

Vixit & mortua est Maria in mõte Sion.

Summatim perstringit matris Dei ornamenta.

Adeste ergò, O verbi chari mystæ, & rerum honestarum amatores & spectatores. Cap. 3. Vos enim voco magno & alto præconio, vt orationis aperta contemplatione, quæ etiuelis adhuc tecta symbolicis, vobis ostendamus eum, qui est intùs, decorem, qui Solis superat splendorem pulchritudine nitoris. Postquàm autem ad hunc locum peruénit oratio, non alienum arbitror nonnullos ex ijs, quæ hîc sunt, præmunire, nè fortè illotis, vt dicitur, aut immundis pedibus sancta adeant. Non enim ex æquo ab omnibus ingrediendus sanctorum locus: sed ab ijs, qui propter mentis puritatẽ transcenderunt omnia materialia, & transiliêrunt omnia, quæ cadunt sub sensum: quibus maximè sanctissimum Dei Verbi tabernaculum parans, ingressum concedit liberaliter. Si enim ijs, qui ad Sina montẽ indignè progredi audacter contendebant, imminebant fulgura, & tonitrua, & terrores, & sonitus tubarum, & minæ horribiles: si autem templi quoquè parietes non erat tutum vulgo tangere, & ideò secundis extrinsecùs opùs erat parietibus: magnaque res erat ante sanctorum contactum priùs expiari, & ante sacra, quæ peragebantur, præparari, idque cùm adhuc Deum colebant in vmbra, & à velis dependebant typicis: quanto magis oportet eos, qui veritatis lucem habent resonantem, studium adhibere, vt ad hoc magnificum & longè maximum Dei gratiarum tabernaculum accedant diligenter? In quod cùm ineffabili quodam, & qui nec cognosci potest, & intelligentiam omnem superat, modo se demisisset ad exinaniendum, in terris est versatus: & is, qui nusquàm capi potest, nullis compressus angustijs, habitauit in vtero virginis, quæ vniuersam, quæ est in generatione, naturam superauit puritate: & hinc, tanquàm ex sacris quibusdam adytis, suæ carnis peregit mysterium. Quis autem? Is, qui nullo indiget, & sibi attribuit omnes fines humanos. In hoc à Deo formato tabernaculo vniuersa lex, & Prophetæ re ipsa sunt adimpleti, & in eo adumbratæ typicorum characterum formæ fuêre deletæ, speculis veritate dilùlutis.

Illotis pedibus nõ sunt diuina adeunda.

Exod. 19.

Verus lex vmbra Euãgelicę veritatis.

His autem oratione sãris iam præparatis, agè typo dimisso, ad ipsam accurramus Cap. 4. veritatem, vel in ipsa potiùs adyta ingrediamur. Quousquè enim in verbi immorabimur vestibulis, eam, quæ est ante ingressum, admirantes pulchritudinem, cùm liceat ingredi vnà cùm matre verbi, & velo discisso introspicere Sancta sanctorũ, & initiari in ijs, quæ sunt maiora & perfectiora? Si enim sunt talia sanctorum vestibula, & templi porticus excellunt pulchritudine, mentis oculos præstringentes: qualis fuerit locus

adytorum,& eorum,quæ non licet adſpicere,& ad quæ non datur aditus,intimaq; ſolis illis oculis & labris adſpici & dici poſſunt, qui gloriam Domini contemplantur
Eſa.6. euidentiſſimè, & quæ carbone calculi Seraphici ſunt expurgata, & ad ſummam peruenerunt impatibilitatem.

Cap.5. Si mihi ergò rectè vobis conſulenti credatis, iubentes quidem valere carnis perturbationes, cùm & materialem omnem amicitiam, & quæ eſt infernè, commixtionem expurgaueritis, & deindè eius, quæ ex alto procedit, diuinæ illuminationis luce vos circundederitis, accurratis ſimul ad Deiparam. Iam enim illuſtratos, & actione orationeq́ue, & virtutum pulchritudine omni ex parte refulgentes, Chriſtus ipſe, qui eſt purum myſterium,lux ſemper viua,ex Sole,hoc eſt, patre ſine principio, & abſque egreſſione, tanquàm ex luce radius, refulgens, volet nos ſimul congregatos myſtico conuiuio accipere. Hoc autem apertè oſtendit ex eo, quòd ſuam matrem ſemper Virginem, ex cuius vtero ſuprà, quàm verbis dici poſſit,cùm eſſet Deus,formatus eſt, (quòd ad noſtram conditionem pertinet) hodiè è terræ locis,vt humanæ naturæ Reginam tranſtulit, non prædicabilem quidem, ſed non omninò incommunicabilem relinquens vim myſterij. Neque enim præter terminos, qui nobis deſupèr fixi ſunt, neque noua præter naturam lege deducta eſt ad generationem,aut vixit, quatenùs verſata eſt nobiſcum ſanctiſſima in ijs locis, quæ ſunt ſupra terrã. Etiamsi in hoc quoquè, ſicut in alijs, habuerit rationem valdè admirabilem: vt quæ nobis præſtantiùs vixerit,& conceperit,& tandèm hinc exceſſerit,& reuerà omnes ſuperauerit,qui ſunt in generatione,naturæ magnitudine.

Quales debeant eſſe, qui velint de matre Domini tractare.

S. Maria, humanæ naturæ regina.

Cap.6. Sed iam abeamus,eo modo,qui tempori cõuenit,feſtum celebraturi. Omnia cum celebritate pulchrè cõcurrunt,& ſimul exultant. Eccè enim quiliber auditor eorum, quæ à me dicuntur,talis eſt, qualia quæ nunc cernuntur. Regina tribuum, Eccleſia fidelium, Reginæ generis,quæ à Deo Rege, omnium Principe, in cæli regiam regaliter hodiè aſſumitur, pompã celebrat, & ex ſe dono ei offert, quicquid eſt pulcherrimum atque iucundiſſimum. Quæ puluerem reddidit cæleſtem, puluere exuitur: & quod à generatione acceperat, deponit operculum: & terræ reddit id,quod eſt ei cognatum. Quæ cùm vitam conciliâſſet, in vitalem ſtatum denùò reuertitur: & in locum introducitur,ex quo vitæ ducitur principium,& qui vnici non poteſt,& qui ab omni materiali & patibili diſiunctus eſt poſitura ac habitudine. Et in ſumma ex ijs, quæ appãrẽt, id,quod appáret,aſſurgit: & cum eo,quod intelligentia percipitur,intelligendi ratione congreditur, ijs rationibus, quas nouit is, qui priùs colligauit & ſoluit,deindè rurſùs colligauit. Nisì fortè nimia ſum ego audacia,qui ea attingo,quę non licet aſſequi. Quibus nemo ſit,qui non credat,aut qui de eis dubitet, Eliam & Enoch in animo co-
4.Reg.2. Gen.5. gitans. Qui poſtquàm ea,quæ videtur,ſuperârunt,obſtructis ſenſibus à carne & mundo remoti, ille quidem in curru, hic verò ſublimis raptus eſt, non diſiunctis eis partibus,non diſſolutis: ſed eouſquè productis vitæ eorũ terminis,quos nobis,quæ omnia ſapienter definit,fixit prouidentia. à qua & quæ olìm fuêre,& quę nunc ſunt,ſimiliter ſimul & conuenienter formantur & deducuntur. Quòd ſi hæc parua videantur,ſi conferantur cum exemplo eius, quæ à nobis laudatur, ipſa certè ſibijpſi ſufficier, ſua conferens & aſſimilans.

Regaliter in cęli regiã aſſumitur.

Cap.7. Conſiderandum autem eſt, an inter miracula inueniendum ſit maius eo, quod admirabiliter & præter opinionem in ea factum fuit. Depræhenſum eſt, legem naturalem euaſiſſe imbecillam, quæ vix tandèm cóncidit. Omninò aboletur & euertitur acerba mortis condemnatio: ſoluta eſt vis maledicti. Sed nemo vicerit ea, quæ olìm
Deꝰ omnia mutat & trãsformat nutu ſuæ bonitatis. à Deo fuêre definita: nisì ſit Deus ſecundùm naturam, qui omnia mutat & transformat nutu ſuæ bonitatis. Ei autem conuenienter nunc quoquè decuerit ea in matre innouare. Sic enim oſtendet eam non ſolùm eſſe matrem ſuam ſecundùm naturam: ſed etiam confirmabit eam, quæ eſt ex ipſa, diſpenſationem: per quam maximè eas, quæ ſunt in ipſa, magìs myſticas rationes modo excellenti extollimus, quo Verbum vitæ principium ea ratione, quæ compræhendi non poteſt, eius ſubijt vterum, & naturam hominis ſuſceptam ſupereſſentialiter induit. Propterea ea, quæ olìm quidem in ea facta ſunt,à nobis autem nunc celebrantur: etiamsì videantur eſſe vtiquè admirabilia, & præter opinionem, & longè eſſe remota à naturæ legibus: ſi tamen conſideretur, quæ naturam ſuperat, inexplicabilis ratio conceptionis, ad eam relata, facilius erit illa aſſequi.

Cap.8. Erat ergò tunc quoquè Verbum præſens, & legem fecit ceſſare, legem, inquam, mortis,

mortis, cui nihil poterat afferri detrimenti. Erat autem ſpectaculum verè nouum,& quod non poterat conſequi cogitatio. Mulier, quæ cælorum ſuperauerat naturam puritate,in adytorum, quæ ſunt in cælis, ſancta commeans & ingrediens. Virgo,ipſorum Seraphim ipſam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum, opificem omnium generationis: mater, quæ ipſum viuere pepererat, conſecuta vitæ finem partui non abſimilem, & miraculum Deo & fide dignum. Sicut enim non fuit corruptus parientis vterus, ità mortuæ caro non interijt. O miracula: Partus effugit corruptionem, & ſepulcrum non admiſit interitum. Sanctos enim non attingit. Quomodò poteſt hoc demonſtrari? Vultis dicam? Nemo autem ex ijs, qui adſunt, me irrideat. Quomodò eſt monumentum inane? Vos enim alloquar. Quomodò corpus euanuit? Quomodò non ſunt in ea veſtes, in quibus eſt ſepulta,nisì effugiſſet interitum id, quod ſepultum fuerat,ſi tranſlatus non fuiſſet theſaurus? Quòd ſi ità eſt, quomodò non eſt vera, & à mendacio aliena tranſlatio? Nam alia quoquè concurrerunt, animæ à corpore ſeparatio,carnis depoſitio, compoſitionis ſolutio,partium diſiunctio,reſolutio,adiunctio,cõcretio, & eò diſceſſio, vt nihil appáreat. Stat enim ſepulcrum inane vſque in hodiernum diem, quod & teſtimonio eſt approbatum, & approbat factam tranſlationem.

S. Maria eũ corpore aſſumpta eſt in cælum.

Neſcio autem an id factum ſit partibus rursùs inter ſe collatis, & cõcretis in vnam Cap.9.
compoſitionem, (de his enim parùm philoſophabor) cùm ſic fortè viſum eſſet Creatori, arcano hoc excogitato modo honorare parentem: an vno ex his alteri impoſito, & vno quidem extra, altero verò intrà fines ſortito conſtitutionem, poſtquàm fuerunt à ſe inuicèm ſeparata: an noua quadam & aliena conſequentia ſupernaturaliter in ea concurrente: vt ſint re vera omnia noua, quæ ad eam pertinent, appoſitè admittentia rationem, quæ ſuperat naturam, vt quibus cedat omnis ratio & cognitio. Nos ad hoc ſpiritale conuocat verborum cõuiuium, quæ eſt Verbi mater ſecun-
Verbũ Dei ſpirituale conuiuium, ac myſticæ epulæ. dùm carnem. Proponuntur autem hodiè hæ myſticæ epulæ, & verborum argumentum diuinis abundans myſterijs. Harum ego ſum hodiè epularum conuiuator, qui ſum hoſpes & peregrinus expoſitor ſublimium ſpectaculorum. Nemo autem intuens ad noſtram humilitatem & abiectionem, renuat conuiuium. Non enim à nobis, ſed ab ipſa Deipara, ſunt diuinarum harum contemplationum myſticæ paratæ narrationes. Quarum quoniam plena eſt menſa, ſpiritales inuitans conuiuas, eamus conuenienter dignitati ſpiritũs, ad profunda ſpiritũs. Iam enim ſapientiã, quæ ipſam ſapiẽtiam ſecundùm carnem genuit, appoſitè imitans, cùm totam ſeipſam, tanquàm menſam myſticam cæleſtemq́ue parauerit, eos qui mente ſunt in diuinis initiati myſterijs, benignè inuitat ad conuiuium, non victimas mactans, aut crateri liquores infundens: cuiuſmodi fuerunt olìm beatæ illæ victimæ & crater ille, qui beatum illud & à Deo perfectum nectar ſuſcepit: ſed ſuorum myſteriorum illa planè admirabilia, & diuina reuerà ſpecta cula.

Ad quæ quidem maximè eos, qui ſunt congregati, inuitans feſti Domina, ſapien- Cap.10.
tiæ quidem domum,quantacunque ſit,hinc nobis ex ſeipſa oſtendit. Oſtendit autem ſuam quoquè ſanctiſſimam menſam, vtporè quæ ipſum totum viuificum panem Do-
Spiritualis menſa, vetus Mariæ virginis,qui panem vitæ protulit. minum noſtrum Ieſum, qui eſt vita æterna, qui creatam continet naturam, ex fermento Adamicæ conſperſionis panem factum, in vtero geſtauit œconomicè: qui eos, qui ſanctè ad eum accedunt, reducit ad vitam recentiorem, & reddit in Deo perfectos. Quo quidem modo eos quoquè expurgat, & reddit immortales,qui participatione nouæ illius & pulchræ eius communionis ei coniunguntur, fiuntq́ue familiarés.

Quæ autem ſuis amatoribus in conuiuio apponit, hæc ſunt apertè, per quæ vita illa Cap.11.
conſtat excellens & ineffabilis,qua nihil ex ijs,quæ conſiderantur in natura, eſt excelſius: per quam is, qui omnem ſuperat Theologiam, per arcanam exinanitionem, hominis,cuius curam gerebat, flexus miſericordia,vt qui vniuerſa produxerit,ſe conſultò demiſit ad noſtram vſque mendicitatem, & implicatus fuit in noſtra conſperſione, & ſimiliter atquè nos, fuit particeps carnis & ſanguinis: Qui nullius indiget, *Deꝰ abſque diuinitatis ſuę imminutione naturam aſſumpſit humanam.* qui eſt ſummè plenus & diues: Qui non recedendo à ſua ſupereſſentiali diuinitate, elegit eam, in qua non erat, ſubſtantiam, integras in ſe ſeruans, etiam poſt vnionem inexplicabilem, rationes eorum, quæ conuenerunt, nulla vtiquè intercedente confuſione, aut diuiſione. Qui ne ſupermundanis quidem cæleſtium ordinum præfectis ſignificauit, quidnam eſſet quod ab eo fieret, præterquàm vni ex primis Angelis, qui

miniſtrauit in progreſſione cæleſtis myſterij. Sic enim, qui erat incorporeus, intercedente mente & carne, nobiſcùm eſt verſatus, vt omninò cõmixtus toti noſtræ conſperſioni, renouaret id totum, quod ex nobis ſumpſerat. Hæc quidem eſt, vt mea conſequitur ſcientia, & vt res ſic in promptu offert, intelligo mensa diuino myſterio traditæ ſapientiæ. Talia ſunt etiam, quæ in ea myſticè peraguntur, quæ ſunt à Deo tradita arcana: in quibus meritò oportet adnotare præſentis quoquè dici myſteria, in quo Dei mater, nullo mutato ex ijs præſcriptis, quæ ſunt ſecundùm naturam, noſtræ legi ſeruijt: & ſub eiſdem, quibus nos, terminis, quæ in carne erat, vitam finijt, miraculo plenum mundo relinquens ſuum ortum & deceſſum. Si quid ergò, quod nos ſuperat, in ipſa à diuina diſpenſatum eſt natura, nemo miretur, intuens ad nouum & inexplicabile, quod in ea peractum eſt, myſterium, ab omni infinitate infinitiès infinitè exemptum.

Ortus & deceſſus S. Mariæ miraculo plenus.

Cap. 12. Et ſint hæc quidem perpetuò complicata, & arcana, & habentia ſuam rationem immobilem. Nos autem ſanctiſſimæ, ex quo principium vitæ ductum eſt, corporis ſepulturæ memoriam ſplendidi ſplendidè celebremus. Ad quam, cum eo quod eſt adſpectabile, quicquid percipitur intelligentia, & quicquid eſt cæleſte & terreſtre ſimul congregatum, Reginam honorat, & deducit ante tabernaculum. Ex quo cõmune hoc propitiatorium, quod ex ea abſque manuum ſectione tanquàm templum effectum, Dominicum & ſalutare acquiſijt corpus, eius qui tam naturalis, quàm intelligentis motionis, cuius nos, eſt particeps, excepto ſolo peccato. O miraculum. Quæ Deum, qui eſt infinita magnitudine, & ab omni circunſcriptione ſeiunctus, in paruo ſui veteri ſpatio cepit ſupereſſentialiter, ei hodiè circũſcripto lecto vectę, ſanctis manibus iuſta fiunt. Quæ in ſuo ſinu habuit collocatum eum, qui tergis vehitur Cherubicis, inſculptæ petræ ſinibus ſepelitur. Et cuius partum admirati ſunt Angeli, huius tabernaculum deducunt Angeli, cohors ducentes.

Maria Dei tabernaculum.

Cap. 13. Et quis eorum, quæ illic peracta ſunt, rationes fuerit interpretatus? Quis pro dignitate in hoc extolletur myſterio? Quis menti dabit alas, vt vnà volet cum miraculo, & eius accipiat communionem? Quis (vt aliquid dicam magis mediocre, & fortaſsè ex ijs, quæ ſunt ſecunda) noſtræ concretionis fluxionem deſcripſerit & affluxionem? Quam cùm non poſſet conſequi natura, & quam compræhendere non poterat, ſuperet conſtitutionem, appetitione conuerſa in admirationem, ea, quæ Dauid, diuino ſpiritu afflata eloquitur ad Deum vniuerſorum: Mirabilis facta eſt, dicens, ſcientia tua ex me: valida effecta eſt: non potero ad eam: propemodùm noſtram admirans compactionem, vel compoſitionem, aut contrà, eam, quæ fit in membris, diſiunctionem. Quinetiam quod huic intemeratæ & clariſſimæ Reginæ eius matri coniectu difficilimum factum eſt miraculum, tanquàm diuinum celebrans, quod cõmuniter in nobis & propriè in ipſa, ipſi ſoli, vt omnium opifici & talium operatori, ante ſecula eſt agnitum.

Pſal. 138.

Cap. 14. Hoc eſt noſtra formatio, hoc concretio, hoc ſolutio, quod etiam hodiè celebramus. Hinc ego me reprimens ac contrahens, & metu honorans myſterium, cum eo, qui ex omnibus Propheris maxima voce vtitur, Eſaia ſimul loquor: O miſer ego, dicens, quòd ſum compunctus, quòd humo cùm ſim, & habeam labra immunda, audeo aliquid dicere de pura & impolluta, & quæ ſummè plena eſt omni ſanctitate: & eam aggredior funebri laudare oratione, cuius nubes tegunt aſſcenſum ad contemplationem: intelligens autem quædam caligo circunfuſa eſt theologicis, quæ ſunt circa ipſam, conuerſionibus, quæ non ſinunt apertè explicari complicatam myſterij comprehenſionem, quam eſt Dei tantùm laudare pro dignitate, qui, quas ipſe nouit, rationibus in ea fecit miracula. Tantum abeſt, vt ſit meum, qui humi iaceo, & nihil ampliùs ſcio, quàm quod eſt ante pedes, quòd deſit mihi egregius ad res honeſtas animus. Non erubuerim igitur, quæ ſunt ſupra facultatem meam, etsi nõ poſſum pro dignitate, ea dicere, cùm reijciendum non ſit, quod fit pro viribus.

Eſa. 6.

Itaque loquendo ſilentium amouimus, Deo ſermonem dedicantes: Cui gloria & potentia in ſecula ſeculorum, Amen.

ANDRE

ANDREÆ ARCHIEPISCOPI CRETENSIS HIEROSOLYMITANI ALIVD ENCOMIVM DE DORMITIONE SANCTISSIMÆ DOMINÆ NOSTRÆ DEIPARÆ.

Eſt etiam in Simeone Metaphraſte. Capitula hîc quoquè ad marginem adiecimus.

AD concionem nos rursùs vocat continuatio orationis: & oportet nos omninò ijs, quæ deincèps coniungentur, ea, quæ iam dictis deerãt, ſupplere: vt ſit perfecta & indiſſolubilis oratio, vt quæ nihil diſiunctum vlla ex parte habeat. Atque in ijs quidem, quæ præceſſerunt, quoàd eius fieri potuit, paucis à nobis eſt dictum de admirãdo illius corpore, ex qua vitæ proceſſit initium. Dico autem de virginali Dei matris tabernaculo. Reſtat, vt dicamus, quiſnam ſit hymnus, & quænam ſint ea, quæ in eo laudantur. Nemo autem mihi nunc inurat labem arrogantiæ, aut audaciæ, quòd aliquid audeam, quod ſit vaſtæ magnitudinis: non enim ex dicendi facultate, ſed ex ſola precum promiſſione incitatus, hanc compoſui orationem, quæ nunc eſt in manibus, ſubmiſſionis & modeſtiæ ſemper curam gerens pro viribus. Sed non ideò vult myſterium minuere oratio, etiamsì hoc tanquàm non tritum, & minimè exercitatum, ex arrogantia id ſit primùm aggreſſa. Si quid autem ex ijs, quæ non ſunt à multis conſiderata, hæc nunc eſt habitura oratio, nemo miretur. Ex coniectura enim, & vt mens ea potuit conijcere, (rem enim ipſam exactè vix Angeli potuerint conſequi) hæc ſunt à nobis conſiderata.

15. Auguſti. Cap. 1.

Cap. 2. Iam ergò illa innumerabilis eorum, qui Deum honorant, claſſis, ſicut priùs diximus, frequens erat congregata: & vniuerſus ſupermundanarum poteſtatum, qui intelligentia percipitur, pulchrè inſtructus cœtus, à nullo cõſpectus, deſuper aduolans, adſpectaculum confluebat admirabile. Aderant quoquè ſanctorum, quas Deus, vt arbitror, inſpirauerat, animæ, choros ducentes circa lectum: quas liber Canticorum vocat adoleſcentes ex myſtica contemplatione. Oportebat enim cum Regina naturæ vnà adeſſe diuinas eorum, qui vixerant, animas in exitu præcedentes, & eam deducere, & ea canere cantica, quæ cani ſolent exeũtibus. Erat ergò in medio propoſitum illud tricubitale & luminoſum corpus Deiparæ, quod Dei Verbi totam capiebat plenitudinem. Quod quidem dum videbatur in lecto, vnguenti ſanctificationis ſuaui odore perfundebat totam creatam naturam. Quæ mens, & quænam lingua eorum, quæ illic fuêre conſpecta, rationes inueſtigauerit? Omnia enim plùs, quàm in infinitum, inuaſerat omnis ignoratio & videndi egeſtas. Hinc certè factum eſt, vt diuinorum ſapientum præcipui, à diuino ſpiritu arrepti, ex inſigni lætitia diuini tunc oblectantis ſplendoris, id quod ſupererat illuminationis in ecſtaſim traducentes, illos hymnos diuinitùs inſpiratos, illam, inquã, quæ eſt in hymnis tropologiam, vt poterat vnuſquiſque, attingerent, alius alium excipiens. Erant autem ea, non qualia ipſi induimur, vt mente agitemus, aut vt quis fortè deſcripſerit: ſed vt eos ad dicendum informabat ſpiritus, & audire iubebat: ità & ipſe hymnus, & quę in hymno celebrabantur, ab ijs, qui hymnos dicebant, dicebantur & exaudiebantur: quæ ab inferiore quidem & noſtra harmonia & conſonantia, erant infinito interuallo ſeiuncta: parùm autem, aut nihil aberant à ſono Angelorum, qui in cælis feſtum celebrant. Quorum altitudinem & profunditatem & infinitam pulchritudinem, non eſt noſtrum, velle temerè deſcribere, qui in tali dulcedine nullo modo ſumus exercitati: ſed ſilentio potiùs honorare, vt quæ nec poſſint compræhendi, nec verbis explicari. Ea autem ſola turò poſſumus aggredi, quæ & iucundum eſt aſſequi, & ſi non aſſequaris, nullum eſt periculum: quæ neque ſcienti afferunt moleſtiam, neq; rudem cruciant. Hymnus autem & quæ hymno celebrabantur, etiamsì noſtram effugiant compræhenſionem, quantùm tamen poſſumus aſſequi, vt rem vtcunquè exprimam, ſint eiuſmodi:

Omnes beati ſpiritus adſunt Virgini matri hinc emigranti. Cant. 1. & 6.

Dionyſius Areopagita Lib. de Diuinis Nomi. cap. 3.

Qualis hymni fuerint decãtati in aſſumptiõe.

Cap. 3. Hic eſt finis teſtamẽtorum, quæ nobis fecit Deus. Hæc eſt declaratio occultorum, & profundorum diuinæ incompræhenſibilitatis. Hic eſt ſcopus, qui excogitatus fuit ante ſecula. Hæc eſt ſumma diuinorũ oraculorum. Hoc eſt ineffabile, & quod planè

Mira ſanctiſſimæ Virginis præconia.

cognosci non potest, eius, quæ est ante principium, curationis hominum, consilium. Hæ sunt primitiæ communionis & coniunctionis omnium genitoris Dei cum suo figmento. Hæc est diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit, fideiussio: Eximia pulchritudo: A Deo sculpta statua: Rectè descripta diuini Archetypi imago: Totius contemplationis & assensûs sustentaculum: Sanctissimum Verbi omnium creatoris tabernaculum: Qui Deum suscipit, sapientiæ, quæ non potest exinaniri, crater: Vitæ, cui nihil potest auferri, penarium: Fons, qui non potest exhauriri, diuinarum illuminationum: Potentia, quæ nequit labefactari: quatenûs nequaquàm vincebatur ab animi perturbationibus, vt quæ erat puritate omnibus superior. Per hanc fuêre nobis data pignora salutis. Et quòd vsque ad nostram quidem processerit mensuram, quæ fuit habita in tanta admiratione, & commune exoluerit debitum, est proprium naturæ. Quòd autem ità viueret, vt non haberet omninò easdem, quas nos, proprietates, erat proprium eius, quæ illi cum Deo intercedebat propinquitatis: quinetiam aperta quoquè est probatio summæ eius impatibilitatis. Quid enim ex ijs, quæ sunt longè maxima, non in ea processit cum maxima virtutis abūdantia? Quid verò ex ijs, quæ spectant ad ostendenda miracula, non productum est admirabile? adeò vt omnium miraculorum, quæ quomodocunquè facta sunt, aut fiunt, eam esse effectricem in omnium resonet auribus. Quorum pars est extrema id, quod nunc adest: etiamsi ante omne tempus id fuerat prædestinatum, cùm diuinum consilium sic altiùs definierit vniuscuiusque nostrûm transitum.

S. Maria præclarissimis aucta Dei donis.

Cap. 4. Et ô prouidentiam, ad cuius extrema nemo venit eorum, qui nati sunt, aut potest inuenire vestigium. Cuius opus est etiam, quod nunc peragitur, virginis mysterium. Est enim mysterium, etiamsi circa nostrum finem consideratur. Et hoc est pars, quæ ab initio hominis naturæ sorte est attributa. Sed ô quomodò dissicissa est sepes, quæ peccato fuerat colligata? Quomodò diuulsum est vinculum, quod cōplexum fuerat transgressione? Quid, quòd cōtemptui mors est habita, tanquàm diei somnium? Abit metus, non amplius terrens eos, qui sunt in Christo, infantes. Sed nunquid nisi mortuum fuisset Dei receptaculum, non dissoluta fuisset corruptio, quæ seminata fuerat inobedientia? Dissoluta certè fuit, Christo priùs mortuo. Iam enim ex cesserat natura à condemnatione, quæ erat in corruptione, susceptu statu, qui est per incorruptionē. O nouas remunerationes. O diuinas permutationes. Produxit natura liberum arbitrium spinis obseptum. Ipsa contrà produxit eum, qui impleret paternā voluntatem. Peperit natura ex inobedientia mortem voluntariam. Ipsa contrà peperit eum, qui mortem sustulit per obedientiam. Sola enim, sola præter naturam fuit electa ad naturam reuouandam: Sola seruijt opifici vniuersæ naturæ.

Peperit ,protoplastus p inobedientiam mortē, sed Maria per obedientiam, vitam.

Cap. 5. Quoniam ergò nunc proponitur hæc diuina capsa eius, quod à Deo sumptum est, tabernaculi, quæ tanquàm larga bonorum largitrix, inuitat eos, qui sunt honesti studiosi, nemo cunctetur vocatus. Non indiget enim labore gratia, præterquàm sola voluntate. Eat ergò prompto & alacri animo vnusquisque, qui certam & minimè dubitantem habet fidem: eat ad thesauri Virginis repositorium, & discat experientia cuentum eorum, quæ desiderat. Propositum est hoc commune reconciliatorium. Omnes Deo reconciliemini. Eccè fons immortalitatis, qui non potest exinaniri. Venite, qui morte affecti estis, haurite: Eccè vitæ fluuij perennes. Adeste omnes, efficimini immortales. O filia Adam, & mater Dei. O mater sine viro, & virgo quæ filium paris. O opus eius, qui in te factus est temporaliter, & non excessit à sua æternitate. De te resonârunt omnes spiritûs interpretes. Moses primus cùm vidisset rubum, te prædixit: Transiens, videbo magnam hanc visionem. De te Dei pater Dauid Christum rogauit, dicens: Exurge Domine tu, & arca sanctificationis tuæ. De te idem, tuum præfigurans egressum, prædixit: Vultui tuo supplices erunt diuites populi. Eccè enim, inquit, omnis gloria filiæ Regis intrinsecùs, in fimbrijs aureis, circumamicta varietate. Te Cantieorum sanctus liber prædescribens, mysticè præsignificauit: Quæ est hæc, quæ ascendit ex solitudine, tanquàm rami fumi, suffita myrrha & thure ex omnibus pulueribus vnguentarij? De te rursùs idē priùs scripsit liber: Eccè dicens, lectus Salomonis. Columnas eius fecit argentum, & reclinatorium eius aurum: assensus eius purpura est intrà ipsum, constratus charitate ex filiabus Hierusalem. Et rursùs: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in corona, qua coronauit eum mater eius, in die desponsationis suæ, in die lætitiæ cordis sui. Videte eam filiæ Sion, & beatam eam prædicate Reginæ, & pellices laudate eam: quoniam odor

Prophetarū de Maria virgine oracula.

Exod 3.
Psal. 131.
Psal. 44.
Cant. 3.
Ibidem.
Cant. 6.

odor vestimentorum eius est supra omnia aromata. Te prænuidens diuino spiritu afflatus, exclamauit Esaias: Eccè virgo in vtero concipiet: & erit radix Iesse, & flos de radice assendet. De te magnus prædixit Ezechiel: Eccè porta, dicens, in oriente: & erit porta clausa, & nemo ingredietur per eam: & Dominus Deus solus ipse ingredietur, & egredietur: & erit porta clausa. Te quoquè prophetans vir ille desideriorum, magnum vocauit montē, & lapidem sine manibus viri ex te sumptum, non excisum: ablatum, non diuisum assumptione nostræ humanitatis.

Cant. 4. Esa. 7. Esa. 11. Ezech. 44. Dan. 2.

Tu es res illa magna venerandæ œconomiæ, quam cupiunt inspicere Angeli. Tu es diuinæ demissionis pulchrum habitaculum. Terra, quæ es verè desiderabilis. Rex enim desiderauit gloriam tuæ pulchritudinis, & amauit diuitias tuæ virginitatis, & in te habitauit, & inter nos fixit tabernacula: & per te Deo & patri nos reconciliauit. Tu es thesaurus absconsi ante secula mysterij. Tu es liber verè viuus eius, qui in te tacitè fuit inscriptus, verbi paterni, viuifico calamo spiritûs. Tu sola verè es noui testamenti volumen, à Deo scriptum, quod Deus antè fecit cum hominibus. Tu es ille deciès mille millibus multiplicatus Dei currus, quæ millia locupletum adduxisti ad eum carne tectum. Tu es mons Sion, mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacuit Deo habitare. Ex quo in carnem concretus, quæ, sicut nos, est intelligenter animata, is fuit coagulatus, qui est supersessentialis. O diuinum templum, & homo terrestris. O columna mortua, & columna viuifica: non carnalem per lucem deducens Israëlem, qui fugatur: sed spiritalem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, diuinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, & mons vmbrosus, non adumbrans ingratum populum ludæorum, sed electum Dei populum, gentem sanctam maternis tuis tedis illustrans. O quouis auro purior, & quauis sensili & immateriali natura. O terra virginalis, ex qua secundus & vetere antiquior processit Adam.

S. Maria nō ui testamēti volumen dicitur. Item Dei currus, &c. Psal. 67. Columna. Nubes lucida. Mons vmbrosus.

Quodnam sepulcrum te teget? Quænam te terra accipiet, quæ cæli & cælorum naturam superâsti sanctitate? Quænam erunt vestes, quibus sepeliéris? Quænam fasciæ? Qui amictus? Quibusnam autem vnguentis vngent tuum corpus odoriferum, impollutum, & plenū sanctificatione, ex quo scatet remissio, ex quo manat immortalitas, ex quo est Deificatio, in quo est perfectio? Tu enim verè es, quæ es reuerà pulchra, & macula non est in te. Paruum quid tibi quoquè accinat diuinissimus Salomon: Formosa, vt Hierusalem, & odor vestimētorum tuorum, tanquàm odor Libani. Tu es nouа theca vnguenti, quod minimè exinanitur. Tu es olei vnctionis exultatio. Tu es aromatum, quæ intelligentia apprænduntur, suffitus. Tu es flos incorruptionis: Terra, quæfers aromata: Lucerna luminosa: Quæ à Deo es contexta purpura: Indumētum regale: Amictus à Deo variatus: Aurea specie diplois: Verbi purpuræ, quæ intelligentia percipitur, quæ non potest nominari tinctura. Manu non factum regni diadema: Thronus excelsus: Porta sublata supra cælos cælorum: Regina omnis humanæ naturæ: Quæ habes non comparabilem cum alijs appellationem: Quæ excepto Deo solo, es omnibus altior. Quænam te manus ad sepulcrum component? Quibusnam vlnis portabimus eam, quæ eum portauit, qui minimè potest cōtineri? Quasnam sepulcrales preces in te fundemus? Qubusnam te deducemus canticis? Quibusnam aūt labris tuum laudabimus decessum? Qua voce, quibus verbis magnalia tua ornatè enunciabimus? Quamobrèm pro omnibus tales tibi voces offerimus:

Cap. 7. Cant. 4. Cant. 6. Theca vnguenti, Aromatum suffitus, &c.

Beata es in mulieribus, & benedicta in generationibus: benedicta in cælis, & glorificata in terra. Te enim gratè omnis lingua glorificat, matrem vitę prædicans. Impletum est, quicquid est creatum, tua gloria. Sanctificatum est vniuersum vnguēto boni tui odoris. Per te deleta est peccati occasio: transmutata est in lætitiam primę parentis execratio. Omnes propter te nobiscum canunt: Gloria in cælo, pax in terra. Te nequaquàm potest habere sepulcrum. Corpus enim Dominicum non delent ea, quę intereunt. Aduersùs te non valebunt inferi. Animam enim regiam non attingunt ea, quæ seruiunt cum alijs. Abi ergò, abi in pace. Migra ex ijs, quæ sunt in natura creata, mansionibus. Placa Dominum pro communi figmento. Nam quandiù quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio. Ex quo autem translata es è terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium. Supra Enoch magnificare. Supra Eliam in altum extollere, in lætitia, in gaudio ineffabili, in æterna lucе: vbi est verè viuere, regnum totum lucidum, perpetua Angelorum chorea. Præterea fruere pulchritudine filij tui: exple te delicijs, quæ nō possunt exinaniri, & beatitu-

Cap. 8. Luc. 2. Sanctissima Dei genitrix, totius mūdi commune post Christū propitiatorium.

dine, in quam non cadit senectus: illic vbi est torrens æternarum deliciarum, vbi sunt prata incorruptionis, fontes vitę æternę, fluēta lucis, quę ex Deo scaturit, fluenta semper viuentis lucis effusionis. Illic est finis eorum, quæ sunt sperata, & quę nunc sperantur: propalatio eorum, quæ occulta fuerunt, & tunc solùm conspiciuntur: comprehensio omnium bonorum: vltimus finis, vltra quem nihil est omninò. Illic pater adoratur, & filius glorificatur, & spiritus sanctus laudatur, vnica natura vnius, quæ est in Trinitate, diuinitatis. Hæc & quæ sunt huiusmodi, arbitror, diuinos illos viros diuino spiritu afflatos tūc & dixisse, & hymnis celebrâsse, & quæ etiam sunt his superiora. Nescio enim quid dicam ampliùs, cùm sim terra & cinis, & in summa putredo, & non secùs atquè serpentes serpam super ventrem.

Cap. 9. Atq; orationis quidem debitum pro viribus est à me exolutum, nullo, vt arbitror, ex ijs prætermisso, quæ ad præsens festum pertinent. Quòd si quis his aliquid sublimius conferat, & ad nos hoc contulerit, & is festo fuerit conducibilis. Cùm pauca autem dixero, sistam remos huius orationis. Atq; vt pro dignitate quidem rem exequamur, ex æquo nullus assequitur. Vt autem præstet, quod possit pro viribus, est vniuscuiusque par alacritas. Scio autem fore, vt hanc nostram suscipiat orationem ea, quæ Verbum peperit: & reddet non ea quidem, quæ petimus, sed quæ meremur accipere.

Sancta Maria pro minimis reddit maxima. Solet enim sanctissima, vt quæ sit munificentissima, maxima reddere pro minimis. Et hæc quidem ità se habeāt. Vos autem, ô clarissimi & illustrissimi cœtus, vos rursùs voco ad conclusionem orationis: agè in sacra virginalis thesauri deductione præeūtes, canamus carmina funebria, & eam quæ festo præest, quibus possumus, coronemus honoribus. Vt hoc verò fiat insigniùs, adsit hodiè omnis cœtus terrestriū & cælestiū, & vnà mecum compleat hymnum decessui accommodatum, qui constat his verbis:

Hymnus Authoris de Assumptione Virginis. Mota sunt castra Deì à tabernaculis Cedar, ad materiæ expertia & rediuiua tabernacula. Tabernaculū legis exemplar accepit arcam supermundanam, cuius figura erat arca legalis. Attollatur id, quod est supra supernas fores, vt summā cæli portā cælestium regia*regiè sinu accipiat. Hanc excipite candidis vestibus induti Angeli: Laudate cæli: glorificate terrigenæ. Attollite ciuitatem Dei, Regis magni. Plaude terra, prosequere laudibus: narra quæ sunt glorioſa Virginis, partus, fascias, sepulcri miracula, quomodò sit sepulta, quomodò translata, quēadmodùm cernitur inane sepulcrum,

Sepulcrum eius adoratur. Psal. 113. quod adoratur. Iudęa, congrega tuos filios: Prędica cā, quę est ex Iuda, Reginam: esto bono animo: noli timere: celebra tua festa. Hierusalē exclama, iubila, dęduc Dei metropolim, canta Dauidicè, dic apertè: In exitu Israel de Aegypto. Mater Sion, quam adsciuit Dominus, quam elegit, voca tuas filias, Ecclesias ex gētibus: Cane canorum aliquid, sed non tragicum: iubilans, nō gemens. Lętus enim est, non lugubris, pręsens cœtus. Gethsemane, susципe nouam reginam: para sepulcrū: produc ea, quæ sunt vsui ad sepeliendum: orna thecam vnguentis. Sit arca tibi custos thesauri. Cautè & diligenter sanctum custodiatur. Si conseruetur quidem, manens in ipso, erit communis possessio, quæ adorabitur ab Angelis & hominibus. Si quid autem contigerit admirabile, & præter opinionem, & translatum fuerit id, quod est impollutum, esto prędicās miraculū. Narrato trāslationem ijs, quę sunt posteà consecuturæ, generationibus, supernis quidem spiritibus concedens spiritum Dei matris: nobis autem dans quasi ex perenni fonte, instàr vnguenti sanctificationem corporis. Accurramus simul omnes ad Deiparam: chori patrum & Patriarcharum, spiritus Prophetarum, & conuentus sacerdotum, cœtus Apostolorum, populi Martyrum, Doctorum congregatio, iustorum animæ, piorum ordines, dignitas quęlibet & ætas, Reges & potētes, Principes, & qui párent imperio, adolescentes & virgines, senes cum iunioribus, laudate, supplicate: Dicite Dei matri, dicite: Quàm beata est domus Dauid, ex cuius lumbis germinâsti Dei mater? Matres & virgines glorificate eam, quæ est sola mater & semper virgo. Sponsæ præcedite eam, quæ inter adolescentulas sponsa quidem fuit, sed planè incorrupta: & sola sine dolore peperit eum, qui non potest comprehendi. Steriles & viduæ plaudite, eam deducentes, quæ virum nō est experta, & liberorum egestatis effugit vincula. Filiæ exultate, eam, quæ filium peperit, prosequentes incorruptione. Benedicite gentes, linguæ beatā prædicate. Cantate matri Dei omnes tribus terræ: cantate, deducite cum canticis & cymbalis, iubilate, magnificate, psallite. Tolle, tolle Maria tympanum, & procede ante virgines: moue lyram Dauid, extolle vocem tuam, lauda Reginam, duc chorum, extolle modos citharæ, voca virgines, cōgrega choros

Maria Dei arca. canentium, ordina choreas. Post lectum currant, ante lectum, cum lecto: prędecedant, circa

circa capsam choreas ducant. Eccè enim Dei gloriæ noua arca, in qua est vrna aurea, & virga Aaron, quæ germinauit, & tabulæ testamenti. Eccè summam, de qua clamârunt oracula Prophetarum. Eccè scalam, quam vidit Iacob, qui in diuinis erat initiatus, in qua vidit Angelos Dei ascendentes & descendentes: quicunque is esset ascensus & descensus. Hæc est porta cælorum, de qua dixit ille: Quàm terribilis est locus iste. Non est is aliud, quàm domus Dei: & hæc est porta cæli. Eccè propitiatoriū, quod sanctum supra sancta est positum mystici tabernaculi & adytorum: tunc quidem alîs adumbratum Seraphicis: nūc autem nostra peccata expians per mysticam Iesu contemplationem. Legalis seruitutis iugum non ampliùs vero imponitur Israëli, cùm Christus nobis sua manu adscripserit libertatem per cultum, qui est in spiritu, in corpore, quod ex Deipara sumpsit, tanquàm in charta. Non ampliùs anniuersarius Pontificum cursus sanctis applicatur. Ipse enim magnus Pontifex Christus, qui cælos assumpta carne peruasit, quę habebat animam ratione prędităm & intelligentem, tanquàm in templo, in Virginis sanctuario nos adiens, suffit & sacrificat, & sacrificatur: & offerens oblationes, offertur: & pro nobis seipsum sanctificans, sanctificat eos, qui ipsum sanctificant.

Virga Aarō Gen. 28. Scala Iacob Ibidēm. Porta cælorum. Propitiatoriū aureū. Heb. 9.

Talia sunt, ô Deipara, supermundanæ tuæ dormitionis mysteria. Hæc sunt sacræ tui, cui Deus iusta facit, tabernaculi deductionis epitaphia. Hi sunt hymni & laudationes, quæ celebrantur in decessu. Hæc quæ ante & post sepulturam fiunt, monimenta ad prosequendam eam, quæ planè ignoratur, translationem. Hæc sunt diuinarum & beatarum, quæ in te fiunt, illuminationum simulacra perænigmata. Non enim potest mens nostra plura assequi, quàm ea, quæ dicta sunt. Hæc breuis tibi à nobis elaborata est oratio, quæ eadem simul agit gratias, & supplicat. Si habeat quidem aliquid dignum tua maiestate, pro eo tibi sunt agendæ gratiæ, quæ dedisti promptum & alacre animi studium. Sin autem (quod necesse est omninò contingere ijs, qui aggrediuntur de te aliquid dicere) longè abfuerit, vt pro tua dignitate rem tractauerit, ignoscès omninò, cùm tibi sit omninò innatum misereri, pro ea, quæ tibi cum filio & curatore omninò intercedit, propinquitate. Accipies autem hanc, satis scio, orationem vt donum pulcherrimum, à me ex pauperibus compositum laboribus. Nihil enim vltrà habui, quod offerrem excellentissimæ omnium matri Verbi, nisì orationem, quæ ex arcanis fontibus gratiæ, quæ est in te, promanat, ô Deo gratissima. Atque tuæ quidem, quæ nunquàm senescet, beatitudinis venerādus & planè ignotus status, vt quinec omninò discerni, nec dici possit, honoretur silētio. Aequum est enim, cùm nostrum non sit ea aggredi, quæ sunt supra nos, & quę propterea, quòd comprehendi nequeant, arceant omnem perscrutationem.

C p 82.

Nemo potest pura esse promendis matris Dei laudibus.

Atque tibi quidem, ô sanctissima, ter regina, Dei genitrix, quæ à nobis debebantur, quì à te & tuis liberis ad Deum precibus informati sumus arcanis tuis rationibus, hęc nunc sunt à nobis mediocriter composita pro viribus. Nobis autem quis præbebit vocem & dicendi vires, quæ æquali proportione respondeant altitudini & magnitudini longè glorioſissimorum de te cogitatorum? Sed, ô omnium hominum Domina, & capax ipsius sapientiæ, & Verbi quod cōsistit, quòd est primum & principale, & causa omnium: ô vitæ suppeditatrix, & vita viuentium, & causa vitæ: ô sancta, & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure: ô pars, quę insolubiliter & non per diuisionem Deo vnisti hominem: ô regnum, è terrenis quidem sumptum, sed ex superna gloria potentiam habens inexpugnabilem: ô Christianorum fidei propugnaculum, & propugnatrix eorum, qui in te spem collocârunt: accipe à nobis, qui veritatis lucem per te accipimus, ea, quæ de te honorificè dicimus, quæ ex obscuris imaginibus à nobis, quoàd eius fieri potuit, sunt mysticè considerata. Nobis autem, qui te, ô Dei mater, ornamus, da vicissìm hanc parui doni remunerationem, nempe, vt habeamus quibusuis thesauris & diuitijs preciosiores & splēdidiores, ad filium tuum, & nostrum Dominum & Regem & Deum, preces supplices: Per quas & peccantes Deum placamus: & nos rectè gerentes, ad nos meliùs attrahimus: Per quas arma barbarorum, infantium tela ducimus, lanceaque & galea & iaculatio, inutilia manent & inefficacia: Et (vt in summa dicam) per quas omne bonum rectè geritur à Christianis, & quæ fit Deo assimilatio.

Cap. 10.

S. Maria propugnaculū fidei, & propugnatrix in ipsa precantium.

Vide quid possint preces ciuis.

Habes, ô dilecte, rationem mysterij, etiam si spe longè inferiorem, qua tamen nihil maius præstare potuit promotum nostri animi studium. Magìs autem mysticam & sublimiorem quæsieris à Verbo, qui propter te fuit exinanitus, & carne incrassatus, & te to-

Cap. 11.

te totum sibi propter suam vnijt clementiam, & vt meliùs dicamus, homo quoq; factus est, vt te totum Deum faceret spiritu, & id, quod est deterius, eo quod melius est, consumeret, & humo ad se attolleret, & in spiritalibus sedibus collocaret. Ad quem semper crigaris per puram vitam & cõtemplationem, vitam agens in diuinis sermonibus & moribus, Deumque videns, quoàd eius fieri potest, & visus. Qui quidem vt tibi manifestus euadat, stude ijs, quæ per contemplationem fiunt, illuminationibus, & in virtute ascensionibus: vt vtrinquè, ex actione, inquam, & contemplatione, sis perfectus & solidus, euadens in virum absolutissimum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

Ephes. 4.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS MONACHI ET PRESBYTERI DAMASCENI SERMO

de dormitione sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ: vt habetur in Simeone Metaphraste. Hunc similiter sermonem in capitula diuisimus.

Augusti 15. Cap. 1.

NEMO quidem homo est, qui possit pro dignitate laudare sacrosanctum decessum Dei matris: non si linguæ innumerabiles, neque si totidem essent ora. Sed neque si conuenerint omnium linguæ hominum, multis in locis dispersorum, laudes, quas decet, assequentur. Superat enim omnem legem encomiorum. Quoniam autem Deo gratum est, quod pro viribus ex desiderio & zelo offertur, & bona voluntate: matri autem Dei grata sunt, quæ filio sunt chara & iucunda: agè encomia rursùs aggrediamur, vestris iussis parentes, ô pastores optimi, & Deo inprimis beneuoli, qui ex ipsa carnem susceptit, Deum Verbum inuocantes: qui implet omne os, quod ad ipsum aperitur: qui ei solus fuit ornamentum & glorioſum encomium: vt qui sciamus, quòd quandò laudes incipiemus, debitum exoluemus, & cùm id exoluerimus, debere rursùs incipiemus. Sit autem propitia ea, quæ à nobis laudatur, quæ res omnes creatas superat, quæ omnibus dominatur operibus: vt quæ sit Dei mater, qui est creator & opifex, & omnium Dominus.

S. Maria superat creaturas oẽs.

Cap. 2.

Ignoscite autem vos quoquè, ô cœtus, qui diuinos audiẽdi sermones teneminide siderio, & promptitudinem quidẽ accipite, & desiderio applaudite: imbecillę autem misereat orationis. Quomodò enim si quis Imperatori, & cui sunt à Deo credita contribulium gubernacula, qui plenam quidem semper habet mensam, & omnigenis cibis affluentem, regiam autem sumptuosorum vnguentorum delinitam exhalationibus, tempore non consueto offerat violam purpuræ concolorẽ, aut rosam, spinę germen odoris suauissimi, quæ viride habet floris receptaculum, & ex eo procedentem florem gemini coloris, & peruenientem ad ruborem speciosum & elegãtem: aut maturum aliquem fructum dulcissimum: non attendet Imperator vilitatem muneris, sed considerabit, quàm id sit nouum & alienum, & admirabitur quòd sit inusitatum, optimè iudicans & rectè intelligens: magnis autem & gratis donis agricolam remunerabitur: Ità nos quoquè, qui hyeme dictorum flores Reginæ offerimus, & quæ iam consenuit, dicendi facultatem ad susciplenda certamina encomiorum armamus, & menti desiderium tãquàm ferro lapidem affricamus, atque immaturo botro expresso, nempe mente, quę parit narrationem, exiguam quandam orationis scintillam vobis tribuimus, quibus placent orationes, & qui audiendi tenemini desiderio, longè magis admittemur. Verbi enim matri quid aliud offeremus, quàm sermonẽ? Simile enim simili delectatur. Et id ei quidem certè gratũ est, quod fit pro viribus. Iam ergò orationum apertis carceribus, orationẽ tanquàm equum aliquem, parùm laxatis habenis, ad cursum dirigentes emittamus. Sed mihi fer opem, ô Dei Verbum, & effice vt mea cogitatio, quæ est expers rationis, sit ratione prædita, lenemque & planam ei faciemitam, & eius cursum dirige ad hoc, vt tibi placeat, ad quod quidem dirigitur sapientis oratio omnis & cogitatio.

Elegans similitudo.

Cap. 3.

Hodiè sancta & sola virgo supermundano & cælesti templo offertur: quæ virginitatem adeò desiderauit, vt ab ipso tanquàm ab aliquo igne purissimo qualitatem acceperit.

ceperit. Quæuis enim virgo partu amittit virginitatem: Ipsa autem & ante partum, & pariens manet virgo, & post partum. Hodiè sacra & animata arca Dei viuẽtis, quæ sum in vtero gestauit artificem, requiescit in templo Domini, quod nullis est excisum manibus, & Dauid exultat eius parens, & cum eo choros ducunt Angeli, virtutes glorificant, principatus simul exultant, potestates collætantur, gaudent dominationes, throni festum celebrant, laudant Cherubin, gloriam eius prædicant Seraphin. Non parùm enim glorificant, qui matri gloriæ gloriam attribuunt. Hodiè sacratissima columba, pura & innocens anima, & diuino consecrata spiritui, ex arca euolans, ex corpore, inquam, quod Deum susceptit, & vitę dedit principium, inuénit requiem suis pedibus: vt quæ peruenerit ad mundum, qui percipitur intelligentia, & in immaculata terra supernę hęreditatis fixerit tabernacula. Hodiè Eden, noui Adami paradisum susciplt rationalem, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta fuit nostra nuditas. Non sumus enim ampliùs nudi, & veste carentes, & non ferentes splendorem diuinæ imaginis, & copiosa priuati graria spiritûs. Non ampliùs tragicè veterem deflentes nuditatem, dicemus: Exuï me tunica, quomodò me ea induam? In eum enim non patet aditus serpenti: cuius cùm falsam appetijssemus diuinitatem, cum eo facti sumus similes iumentis insipientibus. Ipse enim Dei filius vnigenitus, cùm esset Deus, & eiusdem cum patre essentiæ, ex hac virgine & pura terra seipsum formauit hominem. Et factus quidẽ sum Deus, qui eram homo: qui mortalis autem, euasi immortalis, & pelliceis sum exutus tunicis: exuï enim corruptionem, & indutus sum incorruptione, amictu diuinitatis.

S. Maria virginitatis studiosissima.

S. Maria arca Dei viuentis.

Gen. 8.

Sancta eius anima, colũbę Noë cõparatur.

Cant. 5.

Psal. 48.

Hodiè Virgo intemerata, quæ non est versata in terrenis animi perturbationibus, sed fuit in cęlestibus educata cogitationibus, non abijt in terram: sed animatum verè cælũ appellata, in cælestibus collocatur tabernaculis. Quis enim eam cælum vocans, à vero aberrauerit? Nisi fortè dixerit aliquis rectè intelligens, ipsam extolli incomparabiliter supra cælorum excellentiam. Nam qui cælos est fabricatus, & omnia continet tam mundana, quàm supramundana, & quæ sub adspectum cadunt, & quæ non cadunt, cuius nullus est omninò locus: siquidem locus definitur id, quod quæ insunt continet: in ea est à seipso fabricatus infans sine semine, & eam effecit spatiosum receptaculum eius, quæ omnia implet, & à nullo circunscribi potest, diuinitatis, totus in ea contractus impatibiliter, & totus manens extrinsecùs, & sibi habens locũ, qui non potest compræhendi. Hodiè vitæ thesaurus, gratiæ abyssus (nescio quomodò dicam audacibus, & nõ trementibus labris) vitali morte tegitur, & ad eam sine metu accedit illa, quæ eum peperit, qui ipsam fregit & dissoluit: si mortem tamen vocare oportet, eius sacratissimum & vitalem è vita excessum. Quæ enim omnibus eam, quæ verè est vita, edidit, quemadmodùm morti fuerit obnoxia? Sed cedit legi latæ ab eo, quẽ peperit, & tanquàm filia quidẽ veteris Adam, paterna soluit debita: Nam eius quoquè filius, qui est ipsa vita, ea non recusauit: Vt quæ autẽ fuerit mater Dei viuentis, indignè ad ea adducitur. Si enim dicit Deus: Nè si manum extenderit is, qui primus est formatus, & acceperit de ligno vitæ, & gustauerit, viuat in æternum: quomodò quæ vitam ipsam accepit, quæ caret principio & fine, quæ neque principij, neque finis seruiuit terminis, non viuet in infinitum seculum?

S. Maria vitæ thesaur⁹ & gratiæ abyssus.

Vide q̃ reuerẽter loquitur vir sanctus de dormitione virginis.

Gen. 3.

Cap. 5.

Olim quidem Dominus Deus eos, qui fuerunt principes humani generis, & se impleuerunt mero inobedientiæ, & magnitudine transgressionis cordis clauserũt oculum, & peccati crapula grauatos habuêre mentis oculos, & somno in mortem fuêre sopiti, exterminauit ex paradiso Eden. Nunc autem hanc, quæ omnis vitij repulit insultus, & produxit germen Dei patris obedientiæ, & vniuerso generi fuit vitæ principium, non susciplet paradisus? nõ cælum gaudens portas aperiet? Maximè. Nam Eua quidem, quæ aures præbuit nuncio serpentis, & inimici audijt suasionem, & falsæ deceptricis q; voluptatis insultu fuit delinita sensibus, accipit sententiam doloris & molestiæ, & partûs subit dolores, & cum Adamo mortis damnatur supplicio, & in inferorum collocatur penetralibus: Hanc autem omni ex parte beatam, quæ aures inclinauit Dei verbo, & repleta fuit operatione spiritûs, & per Archangeli hymnum spiritalem, & patris volũtate, absque voluptate & viri coniunctione, concepit omnia implentem Dei Verbi personam, & appositè peperit absque doloribus, & tota Deo fuit vnita, quomodò mors deuorauerit? Quomodò susceperint inferi? Quomodò audebit interitus in corpus, quod vitam susciplt? Sunt hęc aliena, & omninò remota à diuina anima & corpore. Hanc mors tantùm adspiciens, extimuit. Eius enim filium aggressa,

Gen. 3.

Luc. 1.

greſſa, didicit ex ijs, quæ paſſa eſt: Et cùm ipſa didiciſſet experientia, fuit caſtigata. Ei clauſum quidem & obſeptum fuit iter tenebroſi deſcensûs inferorum: recta autem, plana & trita parata eſt via, quę ducit in cęlum. Si enim, Vbi ego ſum, illic ſit meus miniſter, inquit Chriſtus, qui eſt vita & veritas: quemadmodùm non mater cum eo habitabit? Priuſquàm dolorem ſenſiſſet, pęperit: abſqúe dolore fuit eius quoquè è vita exceſſus. Mors peccatorum eſt mala. In qua autẽ mortis ſtimulus, nempe peccatum, fuit morte affectus, quid eam dicemus aliud, quàm vitæ principium perennis & melioris? Verè quidem veneranda eſt mors ſanctorum Domini à Dei poteſtatibus: Longè autem magis veneranda eſt matris Dei migratio. Nunc lætentur cæli, & plaudãt Angeli. Nunc exultet terra, & præ gaudio exiliant homines. Nunc pręlætitia reſonet aër canticis, & nocti obſcuræ auferantur atræ tenebræ & deformes, eaque diei ſplendorem alacriter imitetur, procedentibus ex igne fulgoribus. Viuens enim ciuitas Domini Dei exercituum ſublimè attollitur, & Reges ex templo Domini gloriosæ & illuſtris Sion, ad ſupernam Hieruſalem, quæ eſt libera, & ſua mater, munus offerunt pręcioſiſſimum, qui ſunt conſtituti principes ab vniuerſa terra: Apoſtoli, inquam, Dei matrem ſemper virginem.

Iohan.12. Iohan.14. Pſal.33. S. Maria principium vitæ quæ vitam protulit. Gal.4. Pſal.46.

Non videtur autem mihi alienum pro viribus deſcribere, & figura vtcunquè exprimere, quæ ab hac ſacroſancta Dei matre facta ſunt miracula: quæ moderatè & valdè conſideratè, filius à patre, vt dicitur, ex alto repetita accepimus. Videor enim mihi videre hanc ſanctis ſanctiorem, & ſacris ſacratiorem, & pijs magis piam, dulcem mannę vrnam, aut, vt veriùs dicam, fontem, ſuper aliquem lectum recumbentem in diuina & inclyta ciuitate Dauidis: in qua lex quidem fuit impleta Prophetarum, pronunciata autem fuit lex ſpiritûs: in qua typicum paſcha peregit Chriſtus legiſlator, & verum paſcha, qui Deus eſt veteris & noui teſtamenti, tradidit: in qua cœnam myſticam ſuis diſcipulis, Agnus Dei, qui mundi tollit peccatum, celebrauit, & eis ſeipſum, tanquàm vitulum ſaginatum, ſacrificauit, & veræ vineæ botrum calcauit: in qua Chriſtus adſpicitur ab Apoſtolis ſurgens à mortuis, & fidem facit Thomæ, & per eum finibus terræ, quòd ſit Deus & Dominus: duas in ſe ferens naturas, etiam poſtquàm ſurrexit à mortuis, & eis conuenienter duas operationes & liberas voluntates, quæ durabunt in ſeculum infinitum. Hęc eſt arx Eccleſiarum. Hæc eſt habitaculum Apoſtolorum. In hac ſanctiſſimi ſpiritûs in varijs ſonis & linguis, & in ſpecie ignis effuſus fuit aduentus Apoſtolis. In hac cùm ille Theologus accepiſſet Deiparam, ſubminiſtrabat ei ea, quibus opùs habebat. Hæc eſt mater Eccleſiarum, quæ ſunt per vniuerſum orbem terræ. In hac vitam egit Dei mater, poſtquàm filius ſurrexit à mortuis. In ea ergò beata Virgo iacebat ſuper aliquem feliciſſimum lectum. Sed cùm ad hunc locum peruenit oratio, (vt enunciẽ meum animi motum) ardentiſſima accenſus face deſiderij, à quodam horrore occupor & lachrymis, quæ pariunt lætitiam, ipſum beatum & amabilem lectum amplectens, qui eſt plenus miraculis: qui accepit tabernaculum, quod eſt vitæ principium, & eius acceſſione fuit particeps ſanctificationis: Ipſum ſacrum, atq; adeò ſacratiſſimum tabernaculum, & ſpectatu digniſſimum, mihi videbar proprijs complecti manibus, oculos & labra, & frontem, & collum, & genas membris admouens. Et contactum ſenſi, perindè acsi conſtaret ex præſenti corpore. Sed cùm eſſem contemplatus, non potui videre oculis, quod deſiderabam. Quomodò enim, quod ſublimè raptum eſt in templa cælestia? Et hæc quidem nunc.

Cap.6. Itẽm vrna mannæ. Iohan.1. Luc.15. Iohan.21. Act.2. Iohan.19. Lectus S. Mariæ virginis.

Quinam autem ei habiti ſunt honores ab eo, qui lege ſanxit eſſe honorandos parentes? Eos quidem, qui diſperſi erant per vniuerſum orbem terræ, multiplicibus & varijs, ſed numeroſis linguis ſpiritûs, & verbi ſagena captos homines deducebant ex profundo erroris ad ſpiritalem & cęlestem menſam cœnæ myſticæ: ſacri, inquã, conuiuij ſpiritalium ſponſi cælestis nuptiarum, quas pater filio, qui eſt eiuſdem naturæ & potẽtiæ, ſplendidè celebrat & planè regiè. Eos, inquam, iuſſus diuinus, nempe nubes, tanquàm quoddam rete, vrgebat ex finibus terræ, veluti quaſdam aquilas cogens & congregans. Vbi enim cadauer, illic congregandas eſſe aquilas, dixit veritas. Nam etsi de ipſius, qui hæc dixit, magno & glorioſo aduentu id prædictum fuit: non abſurdè tamen, tanquàm quoddam condimẽtum orationis, hîc quoquè aſſumetur. Aderant ergò ij, qui Verbum & ipſi viderant, & ei ſeruierant, eius quoquè matri, vt debebant, miniſtraturi, & tanquàm præclaram & precioſam hæreditatem ab ea hauſturi benedictionem. Cui enim dubium eſt, eam eſſe fontem benedictionis, & omnium bonorum ſcaturiginem? Simul autem aderant eorum quoquè aſſeclę, & ſucceſſores, & miniſterij

Cap.7. Exod.20. Congregantur diuinitùs Apoſtoli ad S. Mariæ deceſſum. Matth.24. Interfuerãt & ei' obitui multi diſcipuli & fideles.

miſterij & benedictionis ſimul futuri participes. Quorum enim labor communis, conueniens erat, vt fructus quoquè eſſent communes. Aderat verò eorum quoquè, qui erant in Hieruſalem, quicunque erat cœtus à Deo electus. Oportebat autem iuſtos quoquè & Prophetas, qui olim fuêre, vnà ſequi, futuros huius ſacri cõuentûs participes: qui priùs annunciârunt, fore vt ex ea, propter nos carnè ſuſcepta, benignus Deus Verbum naſceretur. Sed neque cœtus Angelorum aberat. Quicquid enim Regi ſua ſponte obediebat, & ideò ei aſſiſtendi honore dignum habebatur, id tanquàm fatellites adeſſe oportebat, ad honorandũ eius matrem ſecũdùm carnem. Et omnes aderant, reſplendente face ſpiritûs, & præclaris illuſtrante ſplendoribus eos, qui reuerentia, & metu, & immobili deſiderio ſynceros mentis oculos in eam defigebant. Nullus enim ordo ex ijs, qui in cælo ſunt, qui non vnanimiter affuerit: nec quiſquam inuẽtus eſt, qui eô quòd in ſupernis verſaretur, & cum inferioribus non comparandus eſſet, deſcendere, & omnia, quæ diximus, munera obire recuſârit.

Item Angelorũ cœtus.

Hîc fuerunt verba, inſpirata & dicta diuinitùs. Hîc hymni diuini, qui dicuntur in deceſſu. Oportebat enim propterea quoq; laudare Dei pluſquàm infinitã bonitatem, & quæ eſt omni magnitudine ſuperior, magnitudinem, & infinitam potẽtiam, & quæ omnem ſublimitatem & altitudinem exuperat, eius in nos moderationẽ, pluſquàm infinitas diuitias eius, quæ compræhendi non poteſt, benignitatis, inexplebilem abyſſum chariratis: quemadmodùm à ſua maieſtate non diſcedens, ad eam, quæ in altum extollit, deſcendit exinanitionem, id cum eo, Patre quoquè comprobante, & ſpiritu: quemãdmodùm qui eſt ſuperior eſſentia, ex vtero muliebri ſupereſſentialiter accepit eſſentiã: quemadmodùm Deus eſt, & homo factus eſt, & ſimul manet vtrunque: quemadmodùm neque exceſſit ex eſſentia diuinitatis, & ſimiliter atquè nos fuit particeps carnis & ſanguinis: quemadmodùm qui implet omnia, & eſt ſuper omnia, & vniuerſa ſimul fert verbo oris ſui, habitauit in loco anguſto: quemadmodùm materiale, & quod erat inſtàr fœni, corpus inſignis huius Virginis, accepit conſumentem ignem diuinitatis: & tanquàm aurum purum, & minimè adulteratum, nequaquàm conſumptum fuit, Deo hæc volente. Nam ſi Deus quidem velit, poſſunt omnia fieri: Sin autem nolit, minimè poſſunt.

Cap.8. Filius Dei ex vtero matemo ſupernaturaliter accepit humanam carnem. Hebr.12.

Poſt hæc autem inter eos quoquè mota eſt dicendi contentio, non vt ſe inuicèm ſuperarent (hoc enim eſt mentis laborantis vanæ gloriæ cupiditate, & procùl remotæ à diuina voluntate) ſed vt de prompto & alacri animi ſtudio & viribus nihil remittentes, Deum celebrarent, & matrem eius honorarent. Tunc tunc Adam & Eua, noſtri generis primi parentes, exultantes clarè ſuis labris exclamârunt: Tu beata filia, delemiſti pœnas noſtrę tranſgreſſionis. Tu cùm quod corrumpi poterat, tanquàm hęreditarium, corpus à nobis accepiſſes, in vtero nobis geſtâſti indumentum incorruptionis. Tu cùm à nobis originem duxiſſes, vt benè ſimus, viciſsìm reddidiſti, dolores partûs ſoluiſti, mortis faſcias perfregiſti, nobis antiquũ reſtituiſti habitaculum. Nos clauſimus paradiſum: Tu ligni vitæ viam aperuiſti. Per nos ex ijs, quæ bona erant, venêre quæ erant moleſta: Per te ex ijs, quæ erant moleſta, redière quæ erãt meliora. Et quomodò morti es obnoxia, quæ es intemerata? Tu es pons ad vitam, & ſcala ad cælos. Tibi mors quodammodò erit cymba, qua traijciaris ad immortalitatem, verè beata inter mulieres & vndiq; beanda. Ecquiſnam talis, nisì verbum hoc paſſum, quatenùs fuit oblatum, quod dum pateretur, * mentem ipſum vicit? Plaudebat vniuerſus quoquè chorus ſanctorum, dicens: Tu nobis adimplêſti prædictiones. Tu nobis eam, quę expectabatur, adimplêſti lætitiam. Per te enim ſoluti ſumus à vinculis mortis. Agedùm huc ad nos veni, O diuine, & qui vitam affers, theſaure. Veni ad nos deſiderãtes, quæ finem noſtro impoſuiſti deſiderio. Sed non paucioribus verbis eam viciſsìm retrahebat multitudo ſanctorum, qui adhuc erant in corpore, dicẽs: Mane nobiſcum, quæ es noſtra conſolatio, quę es nobis vnicum in terra ſolatium. Nè nos relinquas orphanos, quæ es mater miſericordiæ, venientes in periculum. Habeamus te laborum requiem, & ſudorum refrigerationem. Tibi ſi velis manere, in tua eſt poteſtate: & ſi velis recedere, nihil eſt impedimenti. Si recedis, quæ es Dei tabernaculum, nos quoquè recedemus, qui vocati ſumus tuus populus propter tuum filium. Te ſolam in terra relictam habemus recreationem. Tecum viuente ſimul viuere, & cum moriente mori eſt beatum. Quid autem dicimus, Moriente? Nam tua quidem eſt vita, mors, & vita es melior, & hanc vitam ſuperâſti incomparabiliter. Nobis autem quemadmodùm erit vita viralis, ſi te non habeamus, cum qua verſemur? Hæc mihi videntur Apoſtoli

Cap.9. Dionyſ. Areopag. lib. de diuinis No. cap.3. S. Maria ſcala ad cælos. for. * mortem ipſum. S. Maria vnicũ poſt Deũ in terra ſolatiũ.

ſtoli cum tota Eccleſiæ congregatione dicere beatæ Virgini.

Cap. 10. Hymni etiã olim apud decedentes dicti.

Sed cùm ad exceſſum è vita feſtinantem, & illum deſiderantem vidiſſent Dei matrem, conuerſi ſunt ad hymnos, qui dicuntur in exceſſu, diuina impleti gratia, & os commodantes ſpiritui & à carne excedentes, & vnà cum emigrante Dei matre emigrare cupientes, & quoàd eius fieri poterat, vehementi animi ſtudio præmigrantes. Poſtquàm autem omnes deſiderio ſimul & debito ſatisfecerũt, & ex multis floribus, varijſque hymnis cõtexram ſacram contexuêre coronam, benedictionem, tanquàm aliquem à Deo datum theſaurum, accepêre: quæ in exitu poſtrema dicũtur, verba dicentes. Ea autem, quãtùm ego poſſum ſcire, fluxam & inanem vitam præſentẽ enunciabant, & quæ erant occulta, in apertum producebant futurorum myſteria. Deindè quædã his conuenientia & conſequentia tunc videntur eſſe facta. Aduénit enim Rex, vt mihi quidem videtur, ad ſuam parentem, diuinisque & ab interitu alienis manibus ſuſcepit eius puram & nulli culpæ affinem animam. Et ea quidem dixit, vt eſt conſentaneum: In manus tuas, fili, cõmendo ſpiritum meum: ſuſcipe tibi charam animam, quam conſeruâſti alienam ab omni reprehenſione. Meum corpus tibi trado, & non terræ. Cuſtodi ſaluum, quod tibi placuit habitare, & cùm natus eſſes, conſeruâſti virginem. Tu me ad te trãsfer, vt vbi tu es, fœtus meorum viſcerum, ego quoquè tecum degam. Ad te enim propero, qui ad me ventitâſti citra vllam ſpatij diſtãtiam. Tu meis filijs maximè deſiderabilibus, quos tibi placuit vocare fratres, eſto mei diſceſsûs ſolatium. Benedictioni eorum adijce benedictionem, per mearum manuum extenſionem. Deindè cùm manus ſuſtuliſſet, vt erat conſentaneũ, eis benedixit, qui erant congregati. Cùm hæc autem feciſſet, & audijſſet à filio: Veni, benedicta mater mea, in requiem meam: Audi, ſurge propinqua mea, pulchra inter mulieres. Eccè hyems præterijt, venit tempus putationis. Pulchra es propinqua mea, & macula non eſt in te. Odor vnguentorum tuorum ſupra omnia aromata: Hæc, inquam, cùm audijſſet ſancta, deponit ſpiritum in manibus filij.

Christus accipit animã matris ſuæ.

Can. 2.

Can. 4.

Cap. 11.

Quid deindè ſit? Elementorum, vt mihi quidem videtur, factus eſt motus & alteratio, vocesque & ſtrepitus: Laudesque dignas canebant Angeli, præcurrentes, deducentes, conſequentes: partim quidem ſanctiſſimam, & nulli culpæ affinem animam comitantes, & ſimul aſſcendẽtes, donèc regali throno ſtitiſſent Reginam: partim autem diuinum & ſacrum corpus circundantes, & canticis, quæ Angelis digna erãt, Dei matrem celebrantes. Quid verò ij, qui aderant ſanctiſſimo & ſacratiſſimo corpori? Metu & deſiderio, & lachrymis exultationis diuiniſſimum & ſanctiſſimum circunſtentes tabernaculum, amplectebantur, oſculabãtur, omnibus membris os admouebant, ex cõtactu repleti ſanctificatione & benedictione. Tunc autem morbi quidem fugiebant, fugabantur turbæ dæmonum, omni ex parte compulſæ ad ſola loca ſubterranea. Aër, æther, & cœlum aſſcenſu ſpiritûs ſanctificabatur, terra autem depoſitione corporis. Sed neq; aquæ naturà erat expers benedictionis. Lauatur enim aqua pura, quæ non eam mundabat, immò verò ipſa ſanctificabatur. Hîc ſurdis quidem perficiebatur auditus, claudis autem integer reddebatur ingreſſus: firmæque & ſolidæ fiebant baſes pedum, cæcis reſtituebatur viſus, accedentibus peccatoribus diſrumpebantur chirographa.

Eccè deuotionẽ diſcipulorũ circa ſacrum corpus Virginis.

Miracula poſt obitũ eius.

Cap. 12.

Deindè quid? Mundum in mundis inuoluitur ſindonibus, & in lecto rursùs Regina imponitur. Deindè lampades, & vnguenta, & hymni, quibus eam proſequebantur. Angelis quidem ſuis linguis canentibus hymnum eis cõuenientiſſimum: Apoſtolis autem, & à Deo inſpiratis patribus, Deo grata canentibus cantica & quibus applaudebat ſpiritus. Tunc tunc arca Domini ſublata ex monte Sion, vecta inclytis humeris Apoſtolorum, in cœleſte templum tranſmittitur per mediã ciuitatem, tanquàm quædam ſponſa ſpecioſa, decorata ſplendore ſpiritûs, ad quem non patet aditus: & ſic fertur in ſacratiſſimum prædiũ Gethſemane, Angelis præcurrentibus, conſequentibus, alîs contegentibus: & Eccleſiæ tota congregatione. Et quomodò rex Salomon, propter arcæ requiem in templo Domini, quod ipſe conſtruxit, omnes ſeniores Hieruſalem vocauit ad concionem in Sion, vt transferret arcam teſtamenti Domini de ciuitate Dauid, quæ erat Sion: & ſuſtulerunt Sacerdotes arcam, & tabernaculum teſtimonij: Ipſi verò, & Leuitæ, & Rex, & vniuerſus populus ante arcã ſacrificabant boues & oues innumerabiles, qui & intulerunt ipſam arcã teſtamenti Domini in locũ eius, in Daber domos, in ſancta ſanctorum, ſub alas Cherubin: Sic tunc propter requiem arcæ intelligentis, non teſtamenti Domini, ſed ipſius hypoſtaſis Dei Verbi, ipſe nouus

Deportatur ſacrum corpus eius in prædium Gethſemane ad ſepeliendum. 3. Reg. 8.

nus Salomon, qui eſt princeps pacis, & vniuerſi optimus architectus, mentium cœlestium ſupermundanos ordines, & noui teſtamenti proceres, Apoſtolos, inquam, cum vniuerſo populo ſanctorum, qui erat Hieroſolymis, hodiè congregauit: & animam quidem per Angelos in ſancta ſanctorum, quæ ſunt exemplaria vera & cœleſtia, introducit, ſub ipſas alas quadruplicis formæ animalium, & ſuo ſtitit throno in interiori tabernaculo, in quod præcurſor ipſe Chriſtus ingreſſus eſt corporaliter: Portatur autem corpus manibus Apoſtolorum, Rege Regum id tegente ſplendore ſuæ, quæ ſub adſpectum non cadit, diuinitatis, & toto cœtu populi præcurrente, & ſacras voces emittente, & ſacrificante ſacrificium laudis, donèc in ſepulcro, tanquàm in thalamo, & per ipſum in delicijs Eden, & in cœleſtibus repoſitus fuit tabernaculis. Heb. 6.

Aderant autem fortè ex Iudęis nonnulli. Operęprecium eſt enim, tanquàm obſonio condimentum, id quod multorum labris profertur, admiſcere narrationi. Aiunt cùm fuiſſent in deſcenſu montis ij, qui tollebant beatũ corpus Dei matris, Hebræum quendam ſeruum peccati, & qui fœdus iniuerat cum errore, imitantem ſeruum Caiphæ, qui Dominico & diuino Chriſti Dei vultui impegit colaphum, cùm effectus eſſet inſtrumentum diaboli, audaci & inconſiderato impetu & infelici impreſſione irruiſſe in diuiniſſimum illud tabernaculum, ad quod timentes accedunt Angeli: & cùm ambabus manibus furiosè grabatum apprehendiſſet, id in humum deijcere voluiſſe, inuidia illius, qui eſt author malorum. Et hoc quidem fuit eius facinus. Sed laborem pręuénit fructus, & amaram collegit vuam, & dignam ſui animi inſtituto. Aiunt enim ei defeciſſe manus. Et licebat videre eum, qui ſua manu audax & nefarium fecerat facinus, repentè carere manibus, donèc mentem conuertit ad fidem & pœnitentiam. Cùm primùm enim conſtitiſſent ij, qui grabatum portabant, & mutilata brachia impoſuiſſet infelix tabernaculo, quod virę dedit principium, & peperit admirabiliter, ex manco manibus, ſanus & ſaluus euaſit. Solẽt enim magna ex parte calamitates quoquè ſapientia & ſalutaria parere conſilia. Sed reuertamur ad propoſitum. Cap. 13. Iohan. 18. Punitur diuinitus Iudæus, volens euertere ſepulcrum S. Mariæ.

Hinc ad ſacratiſſimam deducitur Gethſemane. Rurſusque amplexus, & rursùs encomia, hymni ſacri, & genuum inflexiones, & lachrymæ, & ex animi mœrore & deſiderio ſudorum fontes circũfluentes. Licebatque videre ſudores & lachrymas de fluxu contendentes. Sic igitur ſanctiſſimum corpus præclariſſimo imponitur monumento. Sed hinc tertio die ad curſus cœleſtes in cœleſtia transfertur curricula. Non oporrebat enim hoc diuinum habitaculum, fontem, qui non poteſt exhauriri, aquæ remiſſionis, cœleſtis panis terram inarabilem, botri ambroſiæ terram inirrigabilem, ſemper florentem & fertilem oleam paternæ miſericordię, coërceri in ſinu terrę: ſed quomodò quod ex ea conſtitit, Verbi Dei corpus ſanctum & integrum & interitui minimè obnoxium, tertio die ſurrexit ex monumento: ità etiam eam eripi è ſepulcro decebat, & matrem transferri ad filium: & quomodò ipſe ad eam deſcẽdit, ità etiam eam illi dilectiſſimam ad ipſum extolli in maius & perfectius tabernaculum, nempe in ipſum cœlum. Oportebat eam, quæ Deum Verbum in ſuo vtero hoſpitio exceperat, collocari in diuinis filij tabernaculis: & quomodò dixit Dominus debere ſe eſſe in ijs, quæ ſunt ſui patris: ità etiam matrem oportebat habitare in regia filij, in domo Domini, & in atrijs domûs Dei noſtri. Si enim in ipſo eſt habitatio omniũ, qui lætantur, vbi eſt cauſa lætitiæ, oportebat eius, quæ in pariendo integram conſeruauit virginitatem, incorruptũ cõſeruari corpus etiã poſt mortem. Oportebat eam, quæ Creatorẽ in ſinu geſtauit infantẽ, in diuinis verſari tabernaculis. Oportebat ſpõſam, quam Pater deſpondit, degere in thalamis cœleſtibus. Oportebat eam, quæ ſuum filium in cruce adſpexerat, & doloris, quem in partu effugerat, gladium in corde acceperat, videre ſedentem cum patre. Oportebat Dei matrem poſſidere ea, quæ ſunt filij, & tanquàm Dei matrem & ancillam, adorari ab omni creata natura. Nam etsi ſemper quidem à parentibus ad filios deſcendit hæreditas, nunc (vt dicit quidam ſapiens) ad filiorum caput fontes procedunt. Filius enim vniuerſam creatam naturam redegit in matris ſeruitutem. Cap. 14. Corpus S. Mariæ trãſfertur in cœlum. Luc. 2. Pſal. 86. Eccles. 1.

Agedùm ergò nos quoquè hodiè Dei matri diem feſtum celebremus, qui ſolet in diſceſſu, non tibias aliquas ferentes, & Corybantes, & matris falſorum, qui vocantur, deorum, vt ipſi dicunt, peragentes orgia: quam etiam multis filijs fœcundam ſtulti confingunt, ſermo autem veritatis oſtendit carere filijs. Dæmones ſunt hæc adumbrata ſpectra, qui id quod non ſunt, temerè ſimulant ac repræſentant, eorum, qui falCap. 15. Dei matris diè feſtũ celebremus.

luntur,ignorationem habentes adiutricem. Quemadmodùm enim gignit ex cõiunctione id, quod eſt incorporeũm, & quonam modo coibit? & quis deus eſt id, quod priùs quidem non erat,deducitur autem ad generationem? Quòd autem dęmonum genus ſit incorporeum,eſt cuiuis manifeſtum, vel ijs etiam, qui mentis oculis cæcuiunt.Alicubi enim dicit Homerus,ſe dignorum deorum ſtatum exponens:

Carmẽ Homeri. *Non eſca ijs panis,calidum nec potio vinũ eſt. His deeſt hinc ſanguis,immortalesque vocantur.*

Non eſt eis,inquit, eſca panis, neque quod calefacit vinum eſt eis potus: Ea de cauſa deeſt eis ſanguis: hoc eſt, non habent ſanguinem, & nominantur immortales. Propriè autẽ & verè dixit illud,Vocantur. Nam vocantur quidem immortales,,non ſunt autem id, quod vocantur. Sunt enim mortui morte vitij. Nos verò, quibus eſt verus Deus id,quod colitur Deus,qui non ex ijs,quę ſunt,productus eſt ad hoc, vt eſſet, ſed qui ſemper eſt ex eo,qui eſt ſemper, ſupra cauſam, & rationem, & notionem temporis & naturæ: matrem Dei colimus & veneramur,non eius diuinitatis ex ipſa deſcribentes generationem,quę eſt ſine tempore,(Dei enim Verbi ex Deo generatio eſt ſine tempore, & patri coæterna) ſed ſecundam confitentes generationem, per voluntariam carnis ſuſceptionem, atq; eius cauſam & ſcientes,& dicentes. Carne enim induitur is, qui eſt ſine principio, ſine corpore, propter nos, & propter noſtrã ſalutem, vt ſimile ſeruet ſimili. Et cùm carnem ſuſcepiſſet ex hac ſacra Virgine ſine coniunctione,naſcitur ipſe manẽs totus Deus, & totus factus homo, ipſe totus Deus cum carne ſua,& totus homo cum eius pluſquàm diuina diuinitate.

Cap. 16. Sic Dei matrem cognoſcentes hanc Virginem,celebramus eius dormitionẽ: non hanc Deam appellantes (Abſit: eſt enim gentilium nugarum,hæc fabulari: nam eius quoq; mortem annunciamus)ſed Dei carne induti matrem cognoſcentes, hanc hodiè ſacris proſequimur cãticis,nos,qui hoc adepti ſumus, vt Chriſti populus & ſimus, & dicamur.Hanc nocturnis honoremus ſtationibus. Hanc animi & corporis caſtitate oblectemus,quæ reuerà poſt Deum caſta eſt ſupra omnes.Solent enim naturaliter ſimilia gaudere ſimilibus. Hanc colamus egenorum commiſeratione. Si enim Deus nulla re æquè colitur, atquè miſericordia: quis contradicet matrem quoquè non lætari ſimilibus?Hęc publicauit ineffabilem Dei in nos abyſſum.Per eam nobis cum eo magno plauſu inita fuit reconciliatio,paxque & gratia fuit donata:& ſimul cum Angelis choreas ducunt homines, & filij Dei ſumus effecti, qui priùs eramus contẽptui, & notati infamia. Ex hac botrum vitæ decerpſimus. Ex hac collegimus germen incorruptionis.Hæc nobis bona cõciliauit. In hac Deus quidem homo,& homo Deus factus eſt.Et quid hoc admirabilius? quid beatius? Caligo metu, timens id quod dicitur.Cum Maria Propheriſſa,ô animæ iuuenes,choros ducamus cum tympanis,mortificantes membra,quæ ſunt ſuper terram.hoc enim eſt myſticum tympanum.Iubilemus in arca Domini Dei animæ iubilationibus, & muri cadẽt Hierichuntini, contrariarum, inquam, poteſtatum infeſtæ munitiones. Poſt Dauid exiliamus ſpiritu. Arca Domini hodiè requieuit. Clamemus cum Gabriele,qui primum locum obtinet inter Angelos: Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue gaudij pelagus, quod non poteſt conſumi. Aue vnicum moleſtiarum leuamen. Aue medicamentum, quod medetur cordis doloribus. Aue, per quam mors quidem fuit expulſa, vita autem introducta.

Christi matrẽ ſacris proſequũtur cãticis, q ſunt Chriſti populus.

Exod.15. Tympanũ myſticum, carnis mortificatio.

Tu verò ô ſacrorũ ſepulcrorum ſacratiſſimũ,poſt Domini quidẽ ſepulcrum,quod vitæ dedit principium, quod fuit fons reſurrectionis, (etenim loquar tanquàm cum animato) vbi eſt aurum purum, quod manus Apoſtolorum in te recondiderunt? Vbi ſunt diuitiæ, quæ conſumi nequeunt? Vbi eſt,qui Deum ſuſcepit, theſaurus? Vbi eſt menſa animata? Vbi eſt nouus liber, in quo ineffabiliter Deus Verbum inſcriptus fuit ſine manibus? Vbi eſt abyſſus gratiæ? Vbi eſt pelagus curationum? Vbi eſt valdè deſiderabile & amabile corpus Deiparæ?

Cap. 17. Quid quæritis in ſepulcro eam, quæ ad cæleſtia tranſlata eſt tabernacula? Curà me cuſtodiæ rationẽ expoſcitis? Non licet mihi iuſſis diuinis reſiſtere. Corpus ſacrum & ſanctum,relictis ſindonibus,cùm me impertijſſet ſanctificatione & vnguento bonoque odore repleuiſſet,& templum diuinum effeciſſet,abit raptum ſublime,comitantibus Angelis & cæleſtibus omnibus.Nunc me defendunt Angeli. Nunc diuina in me habitat gratia. Ego euaſi officina medicinæ ægrotantibus. Ego ſum fons perennis curationum. Ego remediũ aduersùs dæmones. Ego ſum refugium omnibus confugientibus.Fide populi accedite,& tanquàm ex fluuio haurite chariſmata,fidem habentes non hæſitantẽ.Accedite,qui ſtitis: venite ad aquam, (iubet Eſaias) & qui non habetis

S.Marię corpus in cęlis.

Vide qd tribuendũ ei? ſepulcro.

Eſa.55.

habetis pecuniam,properate, emite ſine precio. Ego omnibus exclamaui Euangelicè:Qui ſitit morborum medicinam, à perturbationibus animi liberationem, peccatorum abſterſionem,ab omne genus inſultibus alienationem, regni cælorum requiem,ad me fide veniat,& hauriat fluentum gratiæ,quod magnę eſt virtutis & vtilitatis. Quomodò enim aquę operatio,quę eſt ſimplex & vnica,terræ quoquè,& aëris,& ſolis omni ex parte lucentis, mutatur vnicuique eorum, qui eam participant conuenienter eorum naturæ:& in vite quidem fit vinum,& in olea oleum: ità etiam gratia,licèt ſit ſimplex & vna,variè tamen & habita ratione vsûs vniuſcuiuſq; beneficio afficit eos,qui ſunt participes. Ex mea natura non habeo gratiam. Sepulcra fœtere ſolent, triſtitiam conciliare, lætitiæ eſſe aduerſa: Ego autem euaſi vnguentum precioſum, & boni odoris particeps: vnguẽtum,inquam,tam odoriferum, & tantæ efficaciæ,vt vel parua ſuî portione donet defenſionem, quæ auferri nequeat. Sunt enim reuerà eiuſmodi chariſmata diuina, vt ea nullam vnquàm inducant pœnitentiam. Lætitiæ fontem excepi hoſpitio,& dies remanſi perenni eius ſcaturigine.

Videtis amici patres & fratres, quę nobis porrigit ſepulcrum glorioſiſſimũ? Quòd autem hæc ità ſe habeant, in Euthymiacæ quoquè hiſtoriæ libro tertio, capite quadrageſimo, his verbis ſcriptum eſt: Superiùs quidem dictum eſt, quòd Conſtantinopoli multas Chriſto erexit eccleſias ſancta Pulcheria. Ex his autem vna eſt,quæ in Blachernis fuit ædificata, in principio imperij diuinæ memoriæ Marciani. Ij ergò, ſcilicet Pulcheria & Marcianus, cùm illic ædificâſſent domum venerabilem maximè celebrandæ & ſanctiſſimæ Deiparæ, & ſemper virgini Mariæ, & eam omnibus exornâſſent ornamentis,quærebant eius ſanctiſſimum corpus, quod Deum ſuſceperat. Et cùm accerſiuiſſent Iuuenalem Hieroſolymitanum Archiepiſcopum, & Palæſtinæ Epiſcopos, qui in regia vrbe verſabantur propter ſynodum, quæ tunc facta eſt Chalcedone, dicunt eis: Audimus eſſe Hieroſolymis primam & egregiam ſanctiſſimæ Deiparæ & ſemper virginis Mariæ eccleſiam in prædio, quod vocatur Gethſemane, vbi eius, quod vitam portauit, corpus fuit in loculo depoſitum. Volumus ergò eius huc adduci reliquias ad cuſtodiam huius regiæ ciuitatis. Excipiens autem, reſpondit Iuuenalis: In ſancta quidem & diuinitùs inſpirata ſcriptura de deceſſu ſanctæ Deiparæ Mariæ nihil traditur. Ex antiqua autem & veriſſima accepimus traditione, quòd tempore glorioſæ eius dormitionis, vniuerſi quidem ſancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium obibant, momento temporis ſublimè ſublati, conuenerunt Hieroſolymis. Et cùm apud eam eſſent, eis viſio extitit Angelica: & audita fuit diuina hymnodia præſtantiorum poteſtatum: & ſic cum diuina gloria & ſupercæleſti, in manus Dei ſanctam tradidit animam ratione quadam ineffabili. Quod verò Deum ſuſcepit eius corpus, cum Angelica & Apoſtolica hymnodia elatum, iuſtis ei factis, in loculo fuit depoſitum Gethſemane. Quo in loco Angelorum chorea & hymnodia manſit tres dies perpetuos. Poſt tres dies autem, Angelica ceſſante hymnodia, qui aderant Apoſtoli, cùm vnus abfuiſſet, & poſt tertium diem veniſſet, & quod Deum ſuſceperat corpus adorare voluiſſet, loculum aperuerunt: ſed intemeratum quidem, & omni ex parte laudandum corpus nequaquàm inuenire potuerunt. Cùm ea autem ſola inueniſſent, in quibus fuerat compoſitum & poſitum, & ineffabili, qui ex ijs proficiſcebatur, eſſent odore repleti, loculum clauſerunt. Qui myſterij obſtupefacti miraculo, hoc ſolùm poterant cogitare, quòd cui placuit in propria perſona carne indui, & ex ſacroſancta Virgine homo fieri, & naſci in carne Deus Verbum, & Dominus gloriæ, & poſt partum, eius incorruptam conſeruauit virginitatem: ei quoquè viſum eſt, poſtquàm ea è viuis exceſſit, intemeratum eius & impollutum corpus honorare tranſlatione, ante communem & vniuerſam reſurrectionem.

Cap. 18. Ex hiſtoria Euthymiaca de aſſum pta S.Maria cũ corpore.

Concilium Chalcedonenſe tempore ſimile,ſi Hieroſolymitani Archiepiſc.

Nota quæ hic dicuntur à Iuuenali Epiſcopo.

Poſt triduũ ſanctũ corpus tranſlatum eſt in cælum.

Tunc autem aderant cum Apoſtolis ſanctiſſimus Timotheus Apoſtolus,& primus Epiſcopus Epheſiorum,& Dionyſius Areopagita, ſicut hic ipſe magnus teſtatur Dionyſius in ijs, quæ de beato Hierotheo, qui ipſe quoquè tunc aderat, conſcripſit ad dictum Apoſtolum Timotheũ,ſic dicens:Nam etiam apud ipſos à Deo afflatos ſacrorũ Antiſtites,quandò nos quoquè, ſicut ipſe nôſti, & multi ex ſacris noſtris fratribus, ad ſpectaculum corporis, quod vitæ principium dedit, & Deum ſuſcepit, conuénimus: (Aderat autem & Domini frater Iacobus,& Petrus ſuprema & antiquiſſima Theologorum ſummitas) & poſtquàm eam vidiſſemus, viſum fuit vt omnes Sacerdotes hymnos canerent,& laudarent, prout poterat vnuſquiſque, infinitam bonitatem diui-

Cap. 19.

De diuinis Nomin.c.3.

Hierotheũ dicit.

narum virium: poſt Theologos, ille, vt ſcis, vicit omnes alios myſtas ſacrorum, vt qui planè excederet, & à ſe omninò abduceretur, & in ea, quam hymnis celebrabat, affi-ceretur ſocietate & communione, & ab omnibus, à quibus audiebatur & videbatur, & cognoſcebatur, & non cognoſcebatur, iudicaretur eſſe à Deo afflatus, & diuinus ſcriptor hymnorum. Et quid tibi ampliùs dixerim de ijs, quæ illic diuinè dicta ſunt? Et-enim nisì meî quoquè ſum oblítus, ſcio me ſæpiùs, multosque alios à te audijſſe quaſ-dam partes illorum Deo afflantium hymnorum. Hæc cùm audijſſent Imperatores,

Loculus & veſtes S. Mariæ tranſferũtur Conſtantinopolim.

petiêrunt ab ipſo Archiepiſcopo Iuuenale, vt ſanctus ille loculus cum veſtibus clariſ-ſimæ & ſanctiſſimæ Deiparæ Mariæ, ſigillo munitus, ad eos mitteretur. Quæ cùm miſ-ſa fuiſſent, ea depoſuerunt in veneranda æde, quæ ædificata fuerat in Blachernis. Et hæc quidem ſic.

Cap. 20.

Quid nos autem dixerimus ſepulcro? Tua quidem gratia eſt perennis, nec vnquàm deficit. Sed non diuina virtus ijs circunſcribitur, neque Dei matris beneficia habitãt in ſolo monumento. Si enim ſolo ſepulcro circunſcriberentur, donum paucis ſuppe-teret diuinitùs. Nunc autem in omnibus mundi finibus eſt abundè diſtributum. No-ſtram ergò memoriam efficiamus repoſitorium Deiparæ. Hoc verò quomodò erit?

S. Maria q̃ amet, & ode rit in nobis.

Ea fuit virgo, & amatrix virginum: Ea fuit caſta, & amatrix caſtorũ. Si ergò cum cor-pore mentem quoquè caſtam habuerimus, inhabitantem eius gratiã poſſidebimus. Fugit enim omnem limum, & omnes cœnoſos declinat animi motus. Abhorret in-gluuiem turpiſſimæ fornicationis, infeſta eſt vitijs, ac execrandas eius cogitationes fugit, tanquàm fœtus viperarum. Turpia verba & ſcurrilia repellit, cantica & vnguen-ta meretricia reijcit. Odit iræ tumores: inhumanitatem, & inuidiam, & lites non ad-mittit. Auerſatur vanam gloriam, quæ ponit ſtudium in rebus inanibus. Ampullis ſuperbiæ hoſtiliter aduerſatur. Odium & iniuriæ acceptæ recordationem odit, vt ſa-lutis aduerſariam. Omne vitium reputat, tãquàm virus lethiferum. Delectatur autem

Contraria contrarijs curantur.

horum contrarijs. Contraria enim contrarijs curantur. Iucundum eſt ei ieiunium, & continentia, & Pſalmorum cantica. Caſtitati & virginitati, moderationiq; & tempe-rantiæ aſſentitur, & cum eis pacem agit perpetuam, & eas benignè amplectitur. Mo-deratum & manſuetum diligit & fouet animum. Charitatem & miſericordiam & humilitatem in honore habet, tanquàm ſuas nutrices. Et (vt ſemèl dicam) mole-ſtum quidem eſt ei omne vitium: omni autem virtute delectatur, vt quæ ſit ei nota & familiaris. Si ergò quæ priùs quidem dicta ſunt, omni animi impetu declinauerimus: virtutes autem omni ſtudio dilexerimus, & eas habuerimus nobis familiares, veniet frequenter ad ſuos famulos, omnium bonorum cœtum ſecum ſimul attrahens: & Chriſtum ſuum filium, & omnium Regem & Dominum vnà aſſumet, vt in noſtris cordibus inhabitet: Cui gloria, honor, potentia, maieſtas & magnificentia, cum patre principij experte, & ſanctiſſimo & viuifico ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculo-rum, Amen.

VITA S. ARNVLPHI SVESSIONENSIS EPI-SCOPI, AVTHORE LISIARDO, EIVS SVCCES-ſore Epiſcopo: Cuius ſermo, nè eruditos Lectores offenderet, per F. Laur. Surium paſſim nonnihil expolitus eſt: modeſtè tamen pro-pter authoris reuerentiam.

Prologus Authoris ad Radulphum Rhemenſem Archiepiſcopum.

VEnerabili & chariſſimo patri & domino Radulpho, Dei gratia ſan-ctæ Rhemenſis eccleſiæ Archiepiſcopo, omnium Epiſcoporum infimus Liſiardus ſalutem, & omnium bonorum plenitudinem. Frequens & celeber te videndi & audiendi vſus multis patefecit, & in ijs etiam mihi, ſcientiæ tuæ pelagus immenſum, eximiam pru-dentiam, & in omnibus moderationem & diſcretionem, amorem quoquè & ſtudium prouehendæ ſanctæ Eccleſiæ, atque in cor-rigendis*, diſciplinæ tenorem. Itaquè tot virtutum tuarum adminiculis fretus, veri-dicorum etiam teſtium multiplici ac diuturna relatione informatus, rerum quo-què magnitudine incitatus, auſus fui imperitus opuſculum conſcribendum ſuſ-cipere,

cipere, quod doctis ſcriptoribus meritò ſeruari oporteret: non tamen elationis typho, ſed vtilitatis cauſa permotus, vt meæ exiguitatis opera vtcunquè in publicum proferrentur magna opera Dei, quæ ſapientes & docti hactenùs à profundo ſilentio & hominum obliuione vindicare neglexerunt. Cùm autem ad hæc pro viribus exa-randa animum intenderem, palpitabam (fateor) præ pauore: ſed cùm accuratiùs pen-ſitarem, illum timorem meum fore vtilitati fraternæ obſtaculo, referebam ani-mum ad tuæ moderationis contemplationem, ſciens proculdubiò facilè veniam patére temeritati, quæ accidit germanæ charitati inſeruire cupienti. Det itaque tua Paternitas veniam præſumptori, qui hoc conatu per omnia tuo ſtuduit ſeruire decо-ri. Det tua authoritas gratiam & pondus iſthæc propalanti, nè pro ſua vilitate rubo-re afficiatur. De veritate horum, quæ dicturi ſumus, nulla cuiuſquam mens ambigat: quippe cùm ea tam diligenter inquiſita, & ad liquidum comperta ſint ab ijs, qui in-terfuerunt, vt certò conſtet, omnia eſſe veriſſima. Et quia mihi perplacet ante omnia te in id intentum eſſe, vt Eccleſia prouehatur, quicquid in his minùs comptè prola-tum erit, tuæ tuorumque ſapientiæ curæ ſit, vt nobili Rhemenſis eloquij acumine climetur, quod mea ſocordia manſit impolitum. Vitæ igitur ſanctitatem & virtutum opera, quæ Chriſtus Dominus modernis temporibus militi ſuo Arnulpho largitus eſt, vel aliqua ex parte narraturus, omnium bonorum artificem inuoco Spiritum pa-racletum, vt ad ea referenda benignus repleat os meum laude ſua, qui, vt ea efficeret, huius ſerui ſui præcordia ſua luce illuſtrauit.

Typhus, pro ſuperbia & faſtu, frequens eſt apud S. Auguſtinum.

VITAE HISTORIA.

De patria S. Arnulphi, & præſagijs ortûs eius. Cap. I.

PER id tempus, quo Flandriæ regio, Balduini Comitis & Adelæ coniugis eius, regimine ornabatur, regnum Francorum moderãte Henrico filio Roberti, & apud Anglos regnante Eduardo pio Rege, fuit vir nobilis, Fulbertus nomine, in pago Brabantiæ apud fluuium Scaldem in vil-la, quam vocant Thidengem, qui non ſolùm genere, ſed etiam mundanarum rerum copia locuples, inter cæteros conterraneos & animo & carnè modis omnibus emine-bat.

Auguſti 15.

Patria & parentes S. Arnulphi.

Porrò nobiliũ more, digno matrimonio inito, ex no-biliſſima coniuge * Meinſinde filium elegantem ſuſtulit. Iam adultus, & armis geſtãdis aptiſſimus, ex hac luce eſt ſubtractus. Eius verò mors grauiſſimum parenti vtrique omniq́ue familię dolorem attulit, ità vt toto anno illum plangerent ſine intermiſſione. Iam menſes aliquot in illo dolore conſumpti erant, cùm eccè in ſomnis appáret illi matronæ vir ſpecioſus, & multa luce ſplendidus, ità dicens ad eam: Quid ità teipſam mœrore afficis, & triſtitia deprimis propter filium, tam vtiliter mortuum? Quem ſi vitalem ſpiritum ex te accepiſſe nóſſes, non immè-rità lugeres à te factum & conditum. At nunc, quandò eum ſupernus conditor in-compræhenſo quidem, ſed tamen æquiſſimo iudicio ex hac vita ſuſtulit, quo pacto lugere auſa es? Quòd ſi vitæ illi ſpatia ſuppeditâſſent, prædo lubricus reuerà fuiſſet. Nullum igitur propter eius obitum deincèps tuo cordi patiaris ineſſe dolorem: im-mò verò ſummoperè exultes, quòd in vtero geſtes puerum, qui ſuperna prædeſti-natione magnus eſt futurus. Quem vbi in lucem protuleris, Chriſtophorum vocari curabis: quandoquidem reuerà in hoc ille deſtinatus eſt, vt verbis & factis ſuo in pectore Chriſtum ferat. Et vt certò nóueris hæc ità diuinitùs præfinita, abi ad eccle-ſiam, & eo loco, quo ſoles orare, fodi iubeas. Humo foſſa, inuenies lapidem, in quo grandibus literis inſculpta cernes, quæ tibi filij tui & nomen & meritum prodant. Matrona tantæ laudis percepto oraculo, ſummo manè euigilans, cum ingenti ſtupore & mirabili gaudio viſionem narrauit marito: atque vt cæleſtium verbo-rum probaret fidem, aſſumpſit famulos, & abiens ad eccleſiam, eo loco, vbi preces facere ſolita erat, fodere cœpit: & eccè lapidem quadratum inuénit, in eoque pro-fundè Chriſtophori nomen exaratum. Eo reperto, maiori eſt affecta lætitia, & ſecu-riam de prolis ſanctitate, quam anteà neſciérat ſe concepiſſe, alacriter expectabat diuinæ operationis munus tàm præclarum. Indè opportuno tempore peperit filium diuini-

* Manſuuẽ-de

Viſio matris eius.

Multi diſpẽ ſatione diuina ex hoc ſeculo rapiuntur, nè malitia mutaret intellectũ corũ, aut fictio deciperet animam illorum vt Sap. 4. dicitur.

S. Arnulphi ortus.

diuinitùs promiſſum, cum multo gaudio patris & propinquorum, eumque è ſacro fonte ſuſcipiendum direxerunt pro more ad Arnulphum Aldenardenſem, virum diuitijs & potentia inſignem. Is hilariter excipiens infantem, feſtinauit impertiri illi ſacrum regenerationis lauacrum. Porrò præ nimio propinquitatis amore & faſtu quodam, non permiſit eum Chriſtophorum vocari, ſed voluit à ſe Arnulphum dici. Etsì autem non accepit nomen Chriſtophori, at virtus tamen Chriſtum ferendi, in dies in illo excreuit. Cùm enim ſtudiosè & accuratè ſatis nutriretur, die quodam ſuperuenit peregrinus, multa canitie conſperſus: qui infantulo benedicens, & quaſi balba locutione alludens, ait ad nutricem eius: Hunc paruulũ magno ſtudio & ſumma munditia enutrito: Chriſtus enim Dominus cor eius inhabitaturus, virtutẽ operum ſuorum per eum populo ſuo annunciare decreuit. Tantis igitur ac talibus auſpicijs, agente Deo, merita illius & futura gloria declarabantur ac propalabantur, & antè, quàm faceret opera Domini, iam qui facturus erat, diuini fauoris laude & laudabili fama anticipabatur.

Eremitæ de eo vaticinium.

De eius præclara iuuentute, & armorum ſtrenuitate. Cap. 2.

ADultus verò, cœpit eſſe blandus alloquio, acutus ingenio, promptus obſequio, opere alacer, efficax & fortiſſimus membrorum robore. Tanta ſanè virium excellentia & corporis agilitate eminebat, vt quatuor aut quinque coætaneorum vires excederet, ità vt omnes eum fortem Arnulphum nominarent. Et pater quidem ac mater cupiebant illum tradere ſtudio literarum, ſed propinqui ſummoperè illis reſiſtebant, maximè verò ſupradictus Aldenardenſis Arnulphus, ex paterno ſanguine cognatus. Eius enim materna proſapia ex Comitum genere deriuabatur, nempe Ducis Louanienſis & Comitis Namurcenſis, Loſnenſis, Duſacenſis atque Montenſis. Tanta nobilitate ornatus Arnulphus Chriſtophorus, (Sic enim eum mater ex diuina ſponſione mâluit appellare) quicquid in ſe habuit elegantiæ & ſplendoris, totum appetijt in Dei famulatum redigere. Optabant verò propinqui eius in bellicis rebus illum habere tyronem potiùs, quàm gradibus eccleſiaſticis accommodatum. Ità factum eſt, vt ſecularis militiæ cingulum cum multa cognatorum exultatione acciperet, ſpiritalia arma poſtmodùm viriliter correpturus. Itaque pro voto amicorum & nobilium conſuetudine militiæ arreptis ſignis, pietatis opera exercere ſtuduit, pius in ſubditos, erga pauperes profuſus, in iudicijs rectus ſimul & miſericors, auſcultandis diuinis officijs maximoperè intentus, in amandis paribus mirè gratus, in Dei timore firmus, erga parentes honorandos valdè ſolicitus, & apud omnes, qui illum nouerant, gratioſus & charus.

Magnum corporis eiꝰ robur.

Militiæ dat operam.

Eius virtutes.

De quibuſdam ab eo fortiter geſtis. Cap. 3.

AD oſtendendam corporalem eius fortitudinem licèt plura ſuppetant, nos tamen non nisì duo ſuccinctè expediemus. Cùm enim opera Domini vniuerſa ſint bona valdè, illius quoquè roboris ſeu virtutis cognitio, materia erit laudis Dei, qui eam illi contulit: ſimul etiam accedet ad cumulum gloriæ ſancti huius, qui ea non ad mundi vanitates & inſanias falſas, cùm poſſet, abuſus eſt: ſed contemptor eius, & quæ ex illa comparatur, mundanæ gloriæ, totus ad Dominum conuerſus eſt. Enimuerò in ſanctis etiam corporalia Dei dona prædicantur, nobilitas commendatur, opulentia extollitur: non quòd hæc beatitudinem illis contulerint, ſed quòd eorum contemptu, quibus ad malum potenter abuti poterant, ſed noluerunt, glorioſiores & illuſtriores euaſerint. In aula igitur Imperatoris apud Traiectum frequens erat conuentus ſecularium, mundano faſtu tumentium, & in ijs Comes Flandriæ, inter præcipuos ſummus. Is cùm exoccupatus quibuſdam hora opportuna occurreret, vt iuuenilis feruor aſſolet pro captando inani fauore mira facilitate agi, exurgit hinc indè militaris cohors, iactandisque lanceis non ſine virium attenuatione alius alium vincere ſummoperè contendebat. Inter hos conatus animoſi & audaces arcus frangunt, & Imperatorijs militibus, in hoc conflictu ferè ſuperioribus, dum Flandrenſes nihil egregium, quod celebris eorum virtutis quoddam eſſet probamentum ſiue documentum, efficiunt, parùm abſunt ab opprobrio & ignominia. Aderat tum in comitatu Flandrenſium vir egregius Arnulphus, qui ætate quidem iuuenis, ſed ſenili prudentia & grauitate pollens, nulla inſtàr illorum leuitate mouebatur. Quidam igitur virtutis eius, cui nulla in Germanorum regno comparari poterat, conſcij, ipſum adeunt, & vt ludicro certamini apponat manũ, non tam rogant, quàm cogũt. Addun-

Eccli. 39.

Grauitas eius inter ſodales leues.

Adduntur precibus præcepta maiorum & ſeniorum: quibus ille coactus, in re etsì ipſi nihil profutura, non tamen cuiquam nocitura, obedientiam pertinaciter negare, friuolum ducens, lignum, quod in vertice máli poſitum, velum continet, afferri curauit. Allato ligno, quod lanceis multo & longius & craſſius eſſet, ille cunctis ſtupentibus aſſurgit, & molem illam atque pondus potiùs, quàm lanceam, vi multa concutiens, procùl conjicit. Mox ſtrepitus & clamor omnium in laudem viri exiſtit, & Flandrenſibus eo in ludo ſine vllo periculo victoria cedit. Nam iuxta illud Poëtæ:

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram:
Ira truces inimicitias & funebre bellum.

Eiuſmodi in aulis Regis fiebant conflictationes, ioco quidem initiò ſuſceptæ, ſed perſæpè in luctum & homicidia deſinentes. Quod idem profectò leuibus hominibus & mutuo tumore inflatis facilè etiam hîc euenire potuiſſet, ſi non hunc ludum vir virtutis Arnulphus diremiſſet.

De fœni plauſtro, facilè loco moto. Cap. 4.

CVM ſeniore ſuo Arnulpho Aldenardenſi quandoquè, vt crebrò ſolebat, proficiſcens, ad iter arctiſſimum peruenit, vbì plauſtrum fœno onuſtum viæ anguſtias occupans, omnem tranſitum prohibebat. Itaque ſocijs eius aliò ſe conferẽtibus, ſolus cum armigero ſuo manſit illic, partemque fœni in terram abijcientes, & aliam cum plauſtro manu ſuſtollens, in eum locum, quem vepres & ſpinæ obſidebant, & iter angustum efficiebant, longiuſculè tranſpoſuit, atque ità viæ obſtacula iter agentibus, non minùs facilè, quàm benignè, amouit.

Mouet loco fœni plauſtrum.

De eius conuerſione. Cap. 5.

OMnia ille militiæ exercitia & ſtudia percurrit, Imperatorijs atque Regijs bellis interfuit, Flandriæ & Brabantiæ lites & rixas compeſcuit: rectis & probis omnibus vbiquè charus & amabilis, prauis & improbis terribilis & inuiſus. Nam vt erat validus & formidabilis ad exercendam vindictam: ità ediuersò pro cauſarum ratione & merito, pro loco & tempore, mitis erat & profuſus ad clementiam. Sed cùm tot & tanta virtutum germina, quæ diuina in illo gratia ſeminauerat, non poſſent vberes proferre fructus, neque ſeſe diffundere, terrena militia illum retardante, ſalutari apud ſe conſilio ſtatuit laborem & curas militiæ in aliquid melius commutare, vndè illa poſſet ſtipendia expectare, quæ vitæ & laudis nullum ſentirent finem. Itaque conuocatis duobus armigeris ſuis, iubet quamprimùm omnia armorum genera expediri, vt cum eximio ornatu & pompa, Francorum Regis aulam poſſit adire. Parent armigeri imperanti, præparant equos, arma componunt, omniaque ſtrenuo milite digna comparant. Tum Arnulphus matri valedicens, (iam enim pater obiĕrat) arripit iter versùs Franciam: & neglecta Regis Philippi aula, feſtinus expetit eccleſiam almi confeſſoris Medardi, quæ eſt ſita apud muros vrbis Sueſſionenſis. Erat tunc in illo monaſterio præclara monachorum congregatio, quorum honeſta celebrabatur inſtitutio, digna Deo immolans laudum ſacrificia ſub Abbate Reinaldo. Eius loci fratres prudentes, & tum diuina, tum humana ſolertia præditi, coram Deo & hominibus cum Apoſtolo bona prouidentes, (Neque enim eſſe poterant moribus inculti, qui totius Franciæ & Romanæ atque Rhemenſis curiæ crebra viſitatione afficerentur) Arnulphum deuotione præcipua ad Chriſtum properantem, ità vt par erat excipiunt, atque militiæ cingulum reſpuentem, armaque cum veſtibus cultiſſimis, quas attulerat, eccleſiæ conferentem, tondent, & tonſum habitu regulari & Crucis Chriſti mortificatione induunt. Iam verò monachum effectum, & re vera huic mundo crucifixum, literis erudiunt, legibus & præceptis Dominicis informant, cunctisque monaſticis ſanctionibus imbuunt: quæ ille omnia in interioris hominis cella adeò recõdidit, vt ſemina verbi Dei nec ſecus viam, nec in petroſa, nec inter ſpinas cecidiſſe, ſequens eius * via prodiderit.

Quantæ fuerit militaris, & clementiæ.

Insigne monaſterium S. Medardi.

Rom. 12.

Tõdetur S. Arnulphus, & fit monachus.

Matth. 13.

De obedientia eius & vitæ auſteritate. Cap. 6.

IAM annuum curſum in regulari tramite exegerat, & propter eius animi deuotionem & obedientiæ probationẽ, iniungitur ei cura eleemoſynæ præſtandæ, & alendorum pauperum ſolicitudo. Dignum planè erat, vt ei cura egenorum demandaretur, qui miſericordiæ viſceribus affluĕret, & liberalis per omnia haberetur. Huius miniſterij cauſa

causa cùm quadam die prędium illi charitati deputatum solus inuiseret, canes omnes pagi adiacentis in eum subitò insiliêrunt, dētibus rabidis illum dilacerare cupientes. Quibus ille manu extensa innuit, vt ipsum sequerentur. Párent canes, & rabiem in obsequium mutantes, ei se comites placidos præbent: & quandiù illic mansit, cum illo manserunt, tandemque illo reuertente rediêrunt, nec aliquem, eo præsente, morsu vel latratu insectati sunt. Cœpit interea multa se carnis mortificatione constringere, vigilijs & ieiunijs operam dare, in preces prolixas cum lachrymis incumbere, atque in omnibus probabilem se exhibere. Atque vt funditùs risum omnem & lætitiæ mundanæ motus comprimeret, asperrimo & nodoso tribuli ramo corpus sub veste cinxit, membra viriliter lacerans, & mentem ad cælestia dirigens, at nihilo minùs vultum hilarem & iucundum omnibus exhibens. Quodam die in conuentu fratrum quippiam prolocuturus, non potuit more Francorum exactè verbum exprimere. Dixit ergò ei Abbas, vt ad horam sileret, nè vtilitas causæ differretur, si latius indè tractatum esset. Quod silendi mandatum ille corde simplici & veræ obedictiæ zelo per menses aliquot obseruauit, nulli verbum proferens, nulli reddens responsum, donèc à fratribus nunciatum est Abbati, eum prorsùs obmutuisse. Abbas ergò eum ad se vocans, perquirensque cur sic perpetuò taceret, audit ab eo, diuturni causam silentij fuisse, quòd ipse eum tacere iussisset. Admirans Abbas renouatam in eo Pauli eremitæ simplicitatem, gratulansque ei, quòd tanto esset erga obedientiam præstandam feruore, præcepit, vt ædificationis causa interdùm fratribus officium mutuæ collocutionis exhiberet.

Rabidos canes mirè sedat.

Corpus durè castigat.

Mira obedientię simplicitas.

De monacho solitario vel incluso, qui ei post obitum apparuit: & vt ipse ei successerit, multique eius exemplo conuersi sint. Cap. 7.

IN illo monasterio per id tempus monachus erat Ereboldus, causa amoris Dei inclusus vel solitariè degens. Is è Flandria ortus, duram & asperam agebat pœnitentiam, diuinæ contemplationi perpetuò inhærens. Ei autem Arnulphus solicitè inseruiebat: non quòd deesset famulantium copia, sed vt ex eius longa consuetudine & familiaritate, religiosè viuendi ab illo exempla hauriret. Cùm autem post multos continentiæ agones ille ad vitæ mortalis finem tenderet, viribus corporis admodùm cœpit destitui, & multo angore premi & vrgeri. Rogauit ergò amicabilem Arnulphum, ipsi indefessè ministrantem, vt parùm lactis adferret, quo imbecille corpus vel ad punctum refocillaret. Arnulphus ocyùs id exequi volens, tulit panem vnum ex ijs, qui erant pauperibus destinati, emit lac, & obtulit seruo Dei. Sumpsit ille, sed parùm indè profecit. Nam & morbus & ætas grauiter illum premebant: immò verò dispensatio cælestis ad requiem capessendam prolixioribus flagellis adaptabat. Flagellat enim Dominus omnē filium, quem recipit. Orauit ergò eum Christi miles Arnulphus, vt post obitum suum quo in loco & statu anima eius esset, ipsi reuelaret. Ille verò, quod fidei calore eum petere nouerat, se facturū fideliter promisit. Cumque à seculo emigrâsset, iuxta promissionem seruo Dei Arnulpho iucundā de se præbuit visionem, alacrem & gaudentē, beatęque requiei se compotē blandissimè demonstrās. Ait aūt ad eum Arnulphus: Quid agis, pater, & quomodò habes? Pœnam ne aliquam culpæ alicuius pertulisti? Ille respondit: Lactis illius causa, quod tu mihi ministrâsti, & ego comedi, nonnihil pœnarum perpessus sum, quòd illud lac pauperum substantia cōparâsses. Sed tum hoc, tum cætera peccata omnia mihi remissa sunt, & nunc fruor gaudijs beatorum. Hac visione venerabilis Arnulphus admodùm inflammatus est ad diuinæ seruitutis studiū & cultum, nec deincèps cessauit à precibus, donèc impetraret quod optabat, vt posset eandem secretæ conuersationis rationē sectari, & ità inclusus degere. Eo autē potitus desiderio, factus est Christi bonus odor in omni loco, & eius exemplo prouocati multi in propinquis & longinquis locis, monasticā conuersationem certatim expetebant. Eodem enim tēpore Theobaldus nobilis adolescens, eius exemplo incitatus, clàm fugiens sodales suos, exul & inops Domino militauit, & laborum prœmia atq; coronam breui assecutus, victoriam, qua nunc fruitur, multorum mentibus affixit. Et quis, oro, audiens Arnulphum, nupèr præpotentem militem ac valdè celebrem, mundi pompam respuisse, non continuò mundi à se amorē omnem abijciat? Quis satis mirari posset, hominē genere nobilem, amicis præpotentibus fultum, statura procérum, vultu decorum, cui mundus applauderet, cui omnis mundi gloria faueret, tam repentè conuersum, vt à summis diuitijs ad infimā paupertatem deductus,

Ereboldus vir sanctissimus.

Prouer. 3. Heb. 3.

S. Arnulphꝰ degit inclusus.

Mira eius conuersio.

deductus, Christi amore seipsum planè contemneret & abijceret? Multi sanè è Brabantia & Flandria tam Clerici, quàm laici, ad sacrum beati Medardi monasterium aduolârunt, quòd illic ordo monasticus floreret, & venerandi alumni eius Arnulphi iam inclusi amor eos mirificè attraheret.

Multi eius exēplo conuertuntur.

De S. Arnulphi vita durissima & diuturno silentio. Cap. 8.

ILle verò de virtute in virtutem quotidiè proficiscens, & quæ hactenùs egisset, pro nihilo ducens, cellulæ angustias, intrà quam se incluserat, delicias paradisi æstimabat, cōtinuamque corporis afflictionem non dolorem putabat aut tristitiam, sed gloriam & voluptatem. Quamobrèm cellam egrediens, foris sub diuo fossam effecit, atque in ea residens, stillicidia à tecto ecclesiæ super caput & collum eius decidentia excepit: nec mutauit illam fossæ habitationem & sessionem etiam pluuia & niue cadente, frigus atque gelu minimè declinans: sed ad omnem cæli iniuriam & incommoditatem perseueranter orans & psallens, gemens & plorans, atque interdùm lectioni vacans, perdurabat. Tribus etiam annis & mensibus sex nulli mortaliū vllum locutus est verbum, intrà perpetuum sese silentium continens, & cælestium contemplatione atque assidua verbi Dei delectatus meditatione, quam solus sedēs & legens, ex diuinorum copia librorum vbertìm hauriebat. Cuius instantia proficiens, & diuinæ gratiæ auxilio præcedente multùm abundans, non mediocriter sapiens euadebat, prudenter intelligens & efficaciter capiens diuinæ scripturæ mentem & sententiam, tanto Deo propinquior, quāto ab humanis rebus remotior. Dedit quoquè operam, vt scribendi peritiam obtineret: librosque componendi non contemnendam adeptus est gratiam. De cibo verò & potu quid referam, cùm diuturnis ille ieiunijs plùs delectaretur, quàm delicatis ferculis. Panis ex hordeo semitrito & rarò & parcè in cibum sumebatur, alius nunquàm: aqua squallens erat potus, nec ea tamen quotidiè apponebatur, neque appositа sic capiebatur, vt sufficeret.

Vide duritiam vitæ.

Diuturnum silentium.

Mira abstinentia.

Vt Abbas creatus aufugerit. Cap. 9.

INtereà defungitur Abbas Reinaldus, & instigante ambitionis spiritu, Pontius quidam pseudomachus, gradu comparatiuo, non secundùm Grāmaticam, sed iuxta Simoniam, à Rege Frācorum Philippo nomen & sedem Abbatis adipiscitur. Is Pontius nimiùm profusè & dapsiliter victitans, omnem loci substantiam breui exhausit, ecclesiæ ornamenta, quæ iam præcipua erant, in vsus militum ipsum stipantium expendit, & penè omnia, quæ ad domūs Dei decorem pertinerent, vesanus profudit. Quid plura? Fame & inedia fratres premente, diuinæ laudis officia in ecclesia defecêre, atque illa tam famosa beati Medardi basilica, ad tempus facta est opprobrium vicinis suis. Fratres ergò fanioris consilij, in vnum congregati, inter se conferunt, quid remedij tantæ perniciei adhibēdum sit. Reperiunt consultum fore, vt assumpto Episcopo Suessionensi cum loci primarijs, à regia maiestate petant, vt cœnobij prisca nobilitate conspicui, at nunc per Pontium destructi, clementer misereatur, precioso-rum martyrum confessorumq; corpora illic quiescētia renouet, iubeatq; vt ejecto Pontio, non Abbate, sed tyranno, dignus pater & pastor ouili Dominico prouideatur. Ità ergò faciunt, & facilè Regis animum ad clementiam inflectentes, communi consilio fratrum, fauente Clero & populo, eligunt sibi Abbatem Christi seruum Arnulphum. Mox antistes Theobaldus cum fratrum caterua abit ad inclusum, & præmissa oratione solenni, appellat eum, rogans & obsecrās, monens & imperans, vt votis fratrum acquiescat, Abbatisque ministerium locumq; in Christi nomine suscipiat. At ille, qui iam triennij & sex mensium silentium tenuerat, nimiùm expauescens, arrepta tabella, tale responsum scribit: Rogo vos, patres charissimi, parcite mihi, & me peccatorum mole prægrauatū, sinite aliquem Deo offerre pœnitentiæ fructum: nec me hominem insulsum, vllo modo cogatis ad tale onus suscipiēdum. Quòd si modò non vultis cedere precibus meis, inducias vel vsque manè mihi detis, vt possim hac in re explorare Dei voluntatem. Eo responso perlecto, Episcopus cum Clero aduertit eum quippiam animo callidè versare: datis tamen inducijs, custodes, nè noctū fugiat, in cellæ circuitu disponunt. Verùm ille altris suspirijs crebrisq; gemitibus noctem trahens peruigil, vbi aduertit custodes optato sopore correptos, scalam ascendit & per murum aufugit. Cùm autem fugiēdo erraret, nec sciret quò fugeret, tandèm peruēnit in pagum iuxta * pontem Laudunensem, atq; illic in pauperis cuiusdā hospitium ingressus, quieuit. Hora autē cœnæ aqua deficiente, ille non iussus arripit amphoram: currens

Pōtij pseudo abbatis ꝓdigalitas.

Arnulphus eligitur Abbas.

Ecce modestiam.

Aufugit clā noctu, nè fiat Abbas.

* montem

currens ad puteum, haurit aquam, infert in domũ, omnibus inseruit, sed mutus omnino perseuerat. Sub vesperam redit homo ab vrbe Sueßionensi, atque inter cœnandum commemorat, vt vulgo referente perceperat, multum rumorem multamque turbationem extitisse in populis ob discessum cuiusdam serui Dei, quem dicerent aufugisse, nè fieret Abbas S. Medardi. Permulti interim ablegantur in regiones, vt sanctum virum quærant per syluas & montes, edicto etiam proposito, nè quis reficiatur, donec vir Dei repertus sit.

Lupo præeunte, redit nescius ad vrbem Sueßionensem, & compellitur esse Abbas. Cap. 10.

HAEC vbi audiuit heros reuerendus, toto animo satagit euitare quærẽtium manus. Itaque prima noctis hora surgens è strato, abit ad pagi eius ecclesiam, & ante ianuam prostratus, clamat ad Deum cum multo ploratu, eius maiestatem deprecans, nè onus regiminis, quo se prorsùs indignum censebat, vllo modo sibi patiatur imponi. Cumque diù multumque id orâsset, putaretque preces suas à Deo exauditas, deliberauit fugere ad remota deserti loca. Et eccè subitò lupus ingẽs abimpro- Imperterritus cum lupo graditur uisò aduenies, illi se itineris comitem adiungit. Ille ratus ex lupi comitatu se faciliùs ad auia loca peruenturum, illum præeuntem sequitur. Ità duce lupo, vel potiùs authore Deo, nocte redit ad vrbem Sueßionensem, sedensque in cliuo ei propinquo, orto sole, vbi esset agnouit. Animo ergò anxius & mœrore confectus, eminùs videt fossam in rupe, in qua lapides quadrabantur: atque in eam, illic latiturus, descẽdit. Aduenientes autem agricolæ & lapicidæ, vt viderunt hominem in veste humili & nihil loquentem, renunciauerunt in ciuitatem. Quale verò gaudium, quanta celebritas mox in vrbe extiterit, non putamus fieri posse, vt ab vllo homine referatur. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudabant nomen Domini, quòd non esset Inuitus cõpellitur esse Abbas. passus eos frustrari inuentione patris optati. Exeunt Monachi cum Clericis, nobiles cum vrbanis, & ligatum fugitiuum suum pertrahunt ad beati Medardi ecclesiam, inuito demandantes munus locumque Abbatis. Vix tandèm ille ora resoluens, Reuerà, ait, nisi diuinis nutibus resistere formidarem, quod imponitis prorsùs abnuerem. Consensit itaque vel inuitus, sicque illi cœnobio præfectus, sancti Ordinis instaurator longè optimus, studuit praua corrigere, vitia funditùs extirpare, mores Optimi Abbatis exemplum. fratrum suaui sermone, exemplo præeunte, assiduè componere, & quicquid monasticæ regulæ aduersabatur, ocyùs profligare. Credi vix possit, quàm breui tempore totius cœnobij status ad primæ integritatis & honestatis formam reductus sit. Ornamenta ecclesiæ reuocata sunt, vita monastica & regularis obseruantia restituta & redintegrata, conducibilia quæque reparata, absona & noxia dissipata. Gaudebat ijs in locis nobilitas omnis, quòd celebre illud & regale monasterium pristino honore & cultu non diù caruisset. Exultabat illa regio, quòd magni cæli senatoris eximijque martyris Sebastiani, aliorumque martyrum & confessorum pignora, à diuersis Regibus & Episcopis illic congregata, congruis laudũ solennijs diutiùs non priuarentur.

Vt asellum suum mirè curârit, & ab homine feroci res sui monasterij recuperârit. Cap. 11.

LAbores & fatigationes, quas in eo regimine pertulit, commemorare par est, vt rectoribus optimum imitandi specimen proponatur. Godefridus Florinensis, vir non minùs superbus, quàm potẽs, & qui nec Deum nec hominem vereretur, prædium quoddam, in pago Sambrico situm, ecclesiæ S. Medardi fratribus multis annis eripuerat, & in suos vsus vtilitatemque praua voluntate conuerterat. Et quia potestas eius omnibus terrori erat, nemo antistitum coràm illũ appellare ausus erat, eiusque intolerabilem malitiam non ignorantes, nullo modo canonicè illum tentare volebant. Fratres igitur vnanimiter orant Abbatem & procuratorem suum vigilantissimum Arnulphum, vt charitatis studio laborem suscipiat virum illum præpotentem adeundi, & vt res ecclesiæ ipsorum ablatas restituat, grauiter admonendi. Assentit fraternis precibus, feruens zelo domûs Dei, vir beatus, iubetq; parari itineri opportuna. Etsi autem ille mundi gloriam & fastum summoperè deuitaret, at tamen quidam familiares eius, quorum adhuc erat infirma mens, peroptabant, vt pomposè ageret, delicatè se gereret, instàr aliorum Franciæ Abbatum ambitiosè cõuiuaretur, & viueret deliciosè: humilitatem sancti viri, quam ille perpetuò sectabatur, ignominiæ loco ducentes. Itaque asellum eius, quo solebat iter facere, clàm debilitârunt, vt illo

Mundi fastũ semper vitat.

vtillo amoto, spumanti equo deincèps sublimis veheretur. Indicârunt autem illi, vt caballum comparari iuberet, cuius opera vteretur. Ille hoc audiens, cùm pro obfirmatæ humilitatis constantia ab equestri vectione abhorreret, cum paucis discipulis adit stabulum, in quo asinus iacebat debilis, aitque placida voce, & affectu placidiori: Omnipotens Deus benè scit, quo animo hoc iter aggredi velim: non vtique iactantiæ, supercilio, sed studio Deo obsequendi, & fratrum vtilitati consulendi. Et quia postquàm secularem militiam valere iussi, deliberatum mihi est equi tergo minimè insidere, idque non pro aliqua vanitate, sed Domini mei Iesu Christi imitatione: si iam placet illi, vt abeam, placeat oro, vt sanetur pes huius asselli: vt humili gestatus vehiculo, seruitium eius lætus exequar. Hæc dicens simul signum Crucis contra asellum edidit, & recessit. Mox asinus restitutus, surrexit, totusque sospes & alacer, famuli Dei vectionem & suscepit, & perfecit. Vbi autem ventum est in conspectum superbissimi illius & opulenti Godefridi, non dici potest, quàm benignè & comiter cum exceperit, quàm propenso amore illi obedierit. Nam simulatque eum allocutus est vir sanctus, ilicò detumuit fastus eius, & deposuit sese illa ferox & elata ceruix, redditaq; est ecclesiæ prisca hæreditas: & qui hactenùs fuerat ecclesiæ deuastator, deincèps factus est deuotus conseruator. Non vult equo vehi. Signo Crucis & prece sanat asellũ suum. Recuperat monasterij res, diù ab homine potente occupatas.

Multi ægroti, pane vel vino ab eo benedicto, itemque pomis eius curantur. Cap. 12.

MVlier quædam nobilis, nomine Hasplendis, charitatis causa ad virum Dei profecta, conquerebatur suum quendam domesticum esse lunaticum, & menstruis casibus persæpè dirè torqueri. Ille fragmen panis quo vesci ipse solebat, benedixit, deditque ei, dicens: Mox vt domum redieris, aliquid huius panis ante omnem cibũ cum sumere compelle, & Deo iubente, passio, qua laborat, curabitur. Fecit illa, vt docta erat, sed malignus inuasor non permisit, vt eius panis quicquam contingeret, haud secùs, atquè ignis, eius tactum pertimescẽs. Sed diuturna fame tandèm compulsus, sumpsit ex eo, & sanatus est. Habebat seruus Dei ante fores cellæ suæ quasdam arbusculas: quarum poma eius iussu, ęgroti edentes, mox pulsis languoribus erigebantur. Ad infirmos etiam longiùs positos crebrò transmisit panem vel vinum, sua benedictione condítum: eoque gustato, illi confestìm meliùs habebant. Nota vim panis benedicti. Multos sanat mirabiliter.

De sanatione hominis edere non valentis, itemque cæcæ mulieris. Cap. 13.

EA, quam diximus paulò suprà, matrona nobilis Hasplendis, crebrò virum Dei inuisens, indicauit ei, in supradicto prædio manere hominem quendam, qui præ nimia morbi acerbitate omnem edendi facultatem & vsum amisisset, & miseram vitam squallenti edulio ducens, in pœnis tabesceret. Is verò ità precatus erat hanc fœminam: Quæso mea domina, vbi ad hominem Dei accesseris, significes ei, certa visione crebrò monitum me esse, si de pane eius percipere mercar, statìm edendi panis vsum me recuperaturum: oresque illius humanitatem, vt mittat ad me optatam sui panis benedictionem. Hæc vt audiuit vir sanctus, pro eximia miseratione homini compatiens, cum lachrymis Deo preces libat, & hora refectionis suæ panis appositi partem profusiùs benedicens, per ministrum dat fœminæ illi, ad ægrotum deportandam. Ex quo pane mox vt infirmus quippiã in os intulit, non solùm redijt edendi facultas, sed etiã auiditas accessit, ità vt in dies robur corporis instauraretur, quod longa fame attritũ videbatur. Inuisit indè aliud monasterij prædium Vinceredium, ad Mosam flumen situm: vbi cùm paucis diebus fuisset, quædam eius ruris mulier, iam decem annis cæca, accessit ad monachos, itineris eius socios, & ait: Ante complures dies meam mihi calamitatem deploranti appáruit quædam in somnis visio, certissimè promittens, si aquam manuum suarum ablutione sanctificatam, ad diluendos oculos meos hic homo Deo charus mihi largiri velit, illius meritis Dominum amissum diù oculorũ lumen ilicò mihi restituturum. Precor igitur, vt vos illo manus lauante, aquam seruetis, vt possim absolui tenebris tam diuturnæ cæcitatis. Cùm ergo seruus Dei manus ablueret, illi aquam luminibus orbatæ offerunt, eodemque tempore puncto, quo eam oculis admouit suis, visum mulier recepit. Sed vbi vir Dei id comperit, non tulit æquo animo, celeriter indè abscedens, vt pro tantæ virtutis signo populares applausus declinaret. Pane benedicto sanat hominem. Aqua, qua manus abluit, cæca curatur.

Virum nobilem ægrotum, & eius vxorem, è partu laborantem sanat, prædicitque calamitatem alterius nobilis viri. Cap. 14.

NON longè ab vrbe Sueſſionenſi degebat vir nobilis, militiæ actibus implicatus, Guido nomine. Eius vxor Ermegardis, pietatis cultrix erat. Ambo autem & diuitijs & bonis operibus abundabant. Porrò Guido in grauem incidens morbum, dormiendi & manducandi facultate amiſſa, à ſuis deſperabatur, & tanquàm mortuus ab amicis plangebatur. Eodem ferè tempore coniunx eius, vicini partûs doloribus & angustijs premebatur, dupliciq; attrita timore, hinc ſuam, indè mariti mortem formidabat. In tot malis hoc vnum ſibi credidit ſupereſſe remedium, ſi ſuos & mariti caſus orationibus ſancti Arnulphi commendaret. Mittens itaq; ad eum domeſticum Clericum, & ſuum & viri periculum lachrymabunda ei exponit. Ille futurorũ mirè præſcius, cùm priùs orâſſet, ità ait Clerico illi: Abi frater, & chariſſimè ſorori noſtræ hæc reſponſa accuratè & celeriter reporta. Duæ tibi imminent gr ues anguſtiæ, quas propitio Domino feliciter ſuperabis: ſed his tertia accedet, quam u quidem ignoras, ſed ea tanto erit grauior, quãto ab omni remedio alienior. Maritus enim tuus reualeſcet, & firma incolumitate gaudebit. Tu quoquè pariendi periculum euades, & hac nocte ante nocturni officij datum ſignum, paries filium gratulabunda. At tertia calamitas, quæ tibi ne in mẽtem quidem adhuc venit, & prolixores eſt dolores allatura, ciuſmodi erit: Albricus frater tuus, Codiciati caſtri dominus, coniugis ſuæ Anelinæ conſilio iam proditus eſt, & nisi citò & cautè ſibi proſpexerit, turrimq; ſuam & totum caſtellum diligenter communiërit, cràs ante veſperam ab hoſtibus capietur, exturbabitur, & damno irreparabili afficietur. Mitte ergò ocyùs ſoror mea, & tam vxoris malitiam quàm hoſtium inſidias iam ingruentes, fratri tuo denuncia. His dictis, nuncius ab eo recedens, celeriter properat ad dominam: refert mandata ſancti viri: matronæ animus vno eodemq; tempore & gaudio & pauore afficitur: mittit properè nũcium ad fratrem, perſpicuè indicat vxoris eius machinas, & hoſtium illa duce conatus atque molitiones. Albricus his acceptis, credit quidẽ ſorori, ſed tamen coniugi perneganti maiorem commodat fidem. Itaque dum ſibi non cauet, caſtellum non munit, dilusculo ab hoſtibus inuaditur, capitur, expellitur, & ante veſperam alterius diei eius caſtri poſſeſſione nudatur. Eãdem autem nocte Ermegardis è partu laborans, antequàm in beati Medardi eccleſia nocturnæ ſynaxis primum ſignum ederetur, filium enixa eſt. Eccè autem ſequenti die depræhenditur infans abſque oculis eſſe editus in lucem. Ecquid verò tum facerent obſtetrices? Valdè animis conſternatæ plangũt, clàm muſitabundæ condolent, & modis omnibus dant operã, nè mater filij cæcitatẽ reſciſcat. Euolutis ſex diebus, ex ancillarum murmure animaduertit matrona quippiam puero accidiſſe, quod fateri non auderent. Accerſit pediſſequas, ſciſcitatur num pueri res omnes ſaluæ ſint. Præ pauore non audent illæ indicare puerum cæcũ natum, nè noui doloris acceſſio illi interitum adferat: ſed rem ſalutarem comminiſcuntur, aiunt ſe idcircò conturbari, quòd infans ille, vtì par erat, ante baptiſmum non ſit oblatus ſerui Dei Arnulphi obtutibus. Matrona illis aſſentitur, mittit infantulum ad hominem Dei, orans & poſtulans, vt ſuis eum manibus tangat & benedicat. Páret ille maternis votis, perque feneſtram ad ſe recipit infantem, fundit ſuper eum preces, tangit illum & benedicit, ſaliua oris ſui linit oculorum ſedes, mox oculi cæci pateſcũt, & in ipſius ſerui Dei ora primos ſuos vibrãt radios. Redditur indè eis, qui eum attulerãt: ab illis ad matrem deportatur, exultãtibus quòd recèns nato, noui eſſent collati oculi. Tum verò magna admiratio inuadit matrem, cui contigiſſet ſcire filium priùs illuminatum, quàm cognouiſſet cæcum natum. Ipſa quoquè, vt vir Dei promiſerat, à partûs angoribus citò & integrè abſoluta, viri incolumitatem paulò pòſt cõſpexit. Hæc autem omnia ità, vt diximus, geſta eſſe, ipſemet teſtatur, olìm quidem cæcus natus, & à viro Dei curatus, nunc verò homo perfectæ ætatis & Archidiaconus Petrus, vno capitulo quatuor miracula cõplexus, ante prouiſam Albrici proditionem, coniugis eius opera ſtructam, Guidonis ſanationem, puerperæ liberationem, & quod ijs præſtãtius eſt, nouos oculos oratione ſerui Dei potiùs, quàm naturæ debito, impetratos.

Eius vaticinium.

Albricus vir nobilis, negligens ſancti viri prophetiã, in magnas incidit calamitates.

Cæcus puer videt.

Prædicit obitum cuiuſdam nobilis. Cap. 15.

EST illud quoquè commemorare operæprecium, vndè aduertatur, quàm ſubtiliter & prompte ille quadam Dei prærogatiua futura præuiderit. Coniuges illi, quos

quos iam diximus, iampridèm filiam genuerant vultu decoram, quæ per id tempus nubiles habens annos, ab illis militi cuidam natalibus non impari fuerat deſponſata. At illa, vt ſe habet puellaris laſciuia, quẽdam alium, rebus & genere inferiorem, plùs diligens, recuſabat ſponſum à parentibus delectum, crebrò iurans, quòd ſeipſam interficeret, nisì cupitis amplexibus potiretur. Ea incõmoditate parentes affecti, virum Dei Arnulphum conſulunt, ſcire cupientes, quid in ea afflictione ipſis faciendum foret. Ille auditis eorum querimonijs, opportunũ quidem & planè diuinum eis reſponſum dedit: Canonum, inquit, authoritate cauetur, nè puella cui non vult iungatur. ideoq; præcipio vobis, vt puellam ei quem amat, collocetis matrimonio. Vt enim ob veſtræ religionis meritum nobis oſtenſum eſt, paulò pòſt videbitis eam illum ſponſum ardenter expetere, cuius à ſe coniugium tam ſtudioſè iam conatur amouere. Permittatis filiæ veſtræ ſua hac in re vti voluntate: & ità fiet, vt res ad veſtram cedat honeſtatem. Credunt illi verbis ſancti viri, nuptias optatas honeſto apparatu celebrant, ſiuntq; filiam dilecti viri frui contubernio. Ille verò, cùm in id valdè eſſet intentus, vt poſſet miles celebris & famoſus haberi, atque ea cauſa nunquàm vellet abeſſe, vbì milites inter ſe congrederentur, dum auidiùs fertur in arma, ab armatis perimitur, & ex noua ſponſa breui efficit viduam. Ità iuxta viri Dei ſermonem puella ſe contulit ad amorem prioris ſponſi, eiq; coniuncta, alterius iacturam moderatè tulit.

Puellæ non ſunt collocandæ viris quos nolũt.

Rhombum piſcem fratribus importunis non ſine miraculo procurat: ſed prædicit importunitatis eius pœnam. Cap. 16.

IN eodem beati Medardi monaſterio erat crypta versùs Oriẽtem, cuius anniuerſarius dedicationis dies ſolenniter quotannìs agebatur. Illo autem die priſca loci nobilitas eſum rhombi piſcis requirebat. Eam autem conſuetudinẽ nouus Abbas ignorabat, donèc ipſa ſolennitas iam præ foribus eſſet, & Abbati nihil prorsùs indè cogitanti, alijsq; curis occupato, quandam neceſſitatem repentinò imponeret. Eius enim diei hora tertia ex œconomo perquirũt fratres, num rhombus præſtò ſit. Illo negante, & verba eorum admirante, ſtomachabundi dixêre, ſe Miſſarum celebrationẽ minimè inchoaturos, donèc rhombus in culinam eſſet illatus. His auditis, quidam è ſenioribus adeunt Abbatem nihil tale ſuſpicantem, exponunt fratrum ſententiam. Ille, vt vir ſagaciſſimus, tam puerile fratrum propoſitũ cognoſcens, & parumpèr apud ſe tacitus deliberans, tandèm reſpondit: Si hunc morem pridèm perſpectum habuiſſemus, licuiſſet per ocium illũ piſcem inuirere. At nunc quandò de improuiſò cum diſcimus, poteſt Dei omnipotentia cum largiri nobis, vt fratribus tollamus ſcandalũ, & ſancta celebritas alacriter peragatur. Et nunc ocyùs abeat miniſter cum puero ad pontem Axonæ, & rhombum illic cómparet, coquinæque fratrum repræſentet. Porrò ad ſeniores conuerſus, ait: Ite chariſſimi, nunciate fratribus, non defuturum illis rhombum, & vt ſolennitatem Domini hilariter peragant: ſimul autem indicateis, ſiue ego viuam, ſiue moriar, definitum hoc eſſe, vt viginti annis hoc die careant rhombi ferculis. Qui autem miſſus erat, præter omnem ſpem rhombum inuenit, emit, mẽſis fratrum coctum curat inferri. Sed fratres, qui huic rei interfuêre, ſub diuini nominis obteſtatione aſſerebãt, deincèps per annos triginta piſcem ciuſmodi illo die nullo modo potuiſſe inueniri. Mirum ſanè, quòd tam præſens ei aderat ſpiritus Dei, vt quicquid diceret, veritatis conſtantia firmaretur.

Punitur diuinitùs fratrũ importunitas.

Abdicat ſe Abbatis functione, nolens cum Rege in bellum proficiſci armatus. Cap. 17.

SED quia ratum hoc eſt inter mortales, nihil eſſe ex omni parte beatum, erat tum temporis in illo monaſterio Odo monachus, honeſtatis vſurpator, virtutis deprauator. Is Arnulpho viro Dei mirè inuidebat, putabatq; ſe illo digniorem loci eius adminiſtratione. Itaque perpetuò ille animo voluebat, qua ratione poſſet eum ab Abbatis functione amouere. Indicauit autem per internunciòs Regi Francorum Philippo, vt contra hoſtes arma ſumpturus, Abbatem S. Medardi ſecùm in militiam proficiſci iuberet. Annuit Rex conſilijs Odonis, & cùm exercitum promouiſſet, miſſis legatis, monuit dominũ Arnulphum, vt cum armato milite ſecùm in expeditionem iret. At ille, qui quõdam in ſeculo ſtrenuè ſe in militia geſſiſſet, & militare cingulum in Dei famulatum commutâſſet, vehementer ab ea re abhorreſcens, prorsùs recuſauit id genus officij Regi præſtare. Egóne, inquit, relicta cauſa Dei, rursùm militibus

Odo, ſancti viri æmulus.

Quid non molitur fraudis ambitio?

Mâuult Abbatis carere dignitate, quàm ire in bellũ cum Rege.

ſtipabor, cum militibus rursùs arma tractabo? Grãde profectò id nefas fuerit. Malim ſanè Abbatis & loco & nomine perpetuò caruiſſe, quàm ſub huius dignitatis prætextu iterùm ſeculo inſeruire. Id vbi cõperit Philippus Rex, à malis conſiliarijs deputatus, miſit legatos, qui dicerent Abbatiam magnis opibus & poſſeſſionibus inſtructam, militibus, qui Regis eſſent beneficiarij, circunfultam, qui antiquitùs conſueuiſſent cum Abbate Regiæ expeditiõi adeſſe. Faceret ergò, quod mos haberet antiquus, aut loco cederet, quò Regis iuſſa compleãtur. His auditis, vir eximius cellam repetit, ſeſe in ea includit, pro nihilo ducens illud culmen honoris: ac deincèps longè & melius & feruentiùs in ſummæ maieſtatis famulatu ſeſe exercet.

Geraldum ſibi ſubſtituit, & reginæ illum expellenti futuram calamitatem prædicit. Cap. 18.

Frater Geraldi in eius locum ſubſtituitur.

VErùm quandò illa nobilis animi ingenita prudentia nequaquàm ferre potuit, vt grex eximius abſque ſpiritali rectore, diù fluctuaret, conuocatis ad ſe præſtantioris ingenij & ſanioris conſilij fratribus, ſalubri vſus conſilio, elegit ſibi ſucceſſorem virum non minùs dignum Geraldum, ſcientia ſcripturarum egregiè inſtructum, & omni honeſtate conſpicuum. Eo Abbate ocyùs inſtituto, derepentè aduolat ſupradictus ille Pontius, veſanus monaſtici Ordinis temerator, ducens ſecùm Reginã Bertradam, quæ authoritate regia Geraldum expelleret, & Pontium contra fas in ſancti loci adminiſtrationem intruderet. Id vbi reſciuit Chriſti ſeruus Arnulphus, è cella egreditur, reginam furibundam blanditer appellat, ſubmiſsè rogat, vt licèt regina ſit, memor tamen muliebris conditionis, memor diuinorum iudiciorum, contra leges Eccleſiaſticas venire formidet, ab iniuria tanti viri verecundè ſibi temperet. Cùm autem ea præ regio faſtu & tumore viri ſancti monita non admitteret, prophetico ſpiritu dixit ei: Crede ſi lubet, ô regina fratri Arnulpho, immò potiùs crede ſpiritui ſancto. Nam ſi tu fratrem Geraldum hinc eieceris, Deo vindice, tu quoquè ante obitum tuum à regno extrudéris, contemptaq; & ærumnoſa moriéris. Eam viri Dei prophetiam, luce clarius eſt, completam eſſe, quandò omnes nôrunt, reginam illam poſtannos aliquot regis animum adeò offendiſſe, vt conciliari prorsùs nollet: amotamque à regni cõſortio, & in pagum Pontinum translatam, poſt diuturnam calamitatem illic plebeio more defunctam & ſepultam. Geraldus autem ab ea pulſus, dedit locum iræ, abijtque in Aquitaniam: vbi à duce humaniter acceptus, in ſylua maiori illuſtre cœnobium conſtruxit: in quo ad finem vitæ Deo ſeruiuit, & tandèm feliciter in Domino obdormiuit. Eius & vita & mors virtutum ſignis effulſit.

Prædicit reginæ temerariç futurã calamitatẽ.

Idem Geraldus cõſtruit monaſteriũ in quo feliciter finiuit vitam.

Sanctitatis eius fama permultos etiam nobiles inuitat ad captanda ab eo ſalutaria conſilia. Cap. 19.

Exercitia eius incluſi.

ARnulphus ergò amica Cellæ incluſione potitus, perindè acsì tum primò incipe-ret, quotidianis ſeſe ieiunijs alacriter macerabat, vigilijs affligebat, orationi aſſiduè vacans, & magna animi contentione diuinæ contemplationi inſiſtens. Ità ergò ſe comparans, & eiuſmodi virtutum ſtudijs & exercitijs in dies excreſcens, magnam à Domino conſecutus eſt gratiam, & in Francorum regno fama eius longè lateq; diffuſa eſt, adeò vt totius regni nobiles, eius benedictionibus frui peroptarent, & omnes in dignitate poſiti, eius colloquium ardenter expeterent, tum de pace Eccleſiæ, tum de animarum ſalute ab illo conſilia petentes. Felicem ſe credebat, quiſquis vel ſermonem eius audire potuiſſet. Fama verò ſanctitatis eius etiam per omnes prouincias dimanabat, atque ad eius colloquium diuerſæ & ætatis & dignitatis perſonas vndiquè aduocabat. Opportunum equidem reor hoc loco commemorare, quæ ſigna & miracula ediderit, quæ propheticè enunciârit.

Multi ad eũ confluunt.

Abſentis hominis nobilis mortem indicat. Cap. 20.

PEr hos dies venit ad eum maritus ſororis eius, ex quo poſt mutua de animæ ſalute colloquia ſciſcitabatur, viuerétne ipſorum quõdàm ſodalis & cõmilito Iſraël, & quidnam ageret. Illo reſpondẽte, ſoſpitem eum eſſe & rectè valere, atque in omnibus proſperè agere, vir Dei prophetico plenus ſpiritu, ait: Non eſt ità, vt dicis. namque ille & corpore & animo mortuus eſt. Heſterno enim die cum multa præda rediens domum, ſub veſperam in ſcamno apud focum in concubinæ ſuæ gremium caput depoſuit, & repentina morte extinctus perijt. O mortem ſanè horrẽdam, ô crudeles exactores, à quibus infelix eius anima æternis cruciatibus puniẽda, in tartarum abducta eſt.

Horrenda mors nobilis cuiuſdã.

cta eſt. Hæc audiens affinis eius, valdè perterritus eſt, & priuſquàm domum rediret, omnia ſic comperit Iſraëli accidiſſe, vt vir Dei nunciârat.

Piſcem ſibi oblatum, diuinitùs cognoſcit veneno ab hoſtibus infectum. Cap. 21.

ALio tempore venit ad eum ſoror eius Adzela. Ea ad feneſtrã cellulæ eius ſedẽte, & quo pacto vitã animæ inter tot mundi procellas ſeruare poſſet inquirente, hora meridiana miniſter piſcẽ frixum attulit, (erat enim dies celeberrimus) & corã illo poſuit in feneſtra. Ait ergò ſoror eius: iam mihi, ſancte frater, recedendũ eſt. cibo enim allato, te refici par eſt. Reſpondit vir Dei: Huius cibi cauſa ego, mea ſoror, te non patior hinc abire. Non enim licebit mihi ex hoc piſce edere. Eſt enim veneno ab infeſto nobis hoſte infectus, vt mihi exitium adferat. Sed ſpiritui ſancto agamus gratias, qui ſuo inſtinctu docuit nos, nè ſumpto toxico, inimico gaudium adferamus. Mox ad ſe corùum vocat, quem micis quibuſdã collectis in feneſtra paſcebat: imperat ei, vt roſtro correptũ piſcem, in eum locũ transferat, vbi à nullo poſſit mortalium inueniri. Hæſitat aliquantiſpèr coruus, tandèm mordicùs apprehenſum abſportat. Porrò vir ſanctus terribiliter interdicit ſorori hæc cernenti, nè, ipſo viuente, cuiquam reuelet.

Piſcem veneno infectũ, cælitùs cognoſcit.

Eidem ſororiſuæ indicat mortem filij eius. Cap. 22.

HAbuit eadẽ ipſa filium adoleſcẽtem, quem cuidã homini potenti cõmendârat, vt ab illo arma acciperet. Interrogauit ergò eã vir Dei, vbi eſſet filius eius, & quid ageret. Reſpondit illa, miſſum eum eſſe ſaluum & incolumem ad quendã potentem conſanguineum, vt apud eum ſit, donèc militiæ ornamenta accipiat. Vir ſanctus ait: Vanam de eo coniecturã feciſti nupèr in initio Quadrageſimæ, quòd moriturus non eſſet, quandoquidem calceus in altum proiectus, trabem exceſſiſſet. Illo enim in loco ægrotans, tali die, taliq; hora mortuus & ſepultus eſt. Tum illa ſuprà, quàm dici poſſit, admirans, cùm multo pauore diſceſſit, & antè, quàm domũ rediret, nuncius mortui filij ipſam anteuertit, & locum, & diem, & horam obitûs eius eodem modo exponens, quo antè fecerat vir Domini Arnulphus, diuinitùs edoctus.

Mortem abſentis matri eius indicat

Sanat mutum puerum. Cap. 23.

SOlenne martyriũ clariſſimi Leuitæ Laurentij annua celebritate feſtiuè agebatur, & populi frequentia campos & plateas in circuitu monaſterij B. Medardi compleuerat: cùm eccè quædam mulier cum filio annorum tredecim, ab ipſo ortu prorsùs muto irrumpit ad feneſtram cellæ ſerui Dei, & cum multo animi mœrore orat, vt filij ſui miſereatur. Iungit ille dolorem dolori, & lachrymas lachrymis eius, & fuſa oratione, acceptum per feneſtrã puerum, ſigno ſanctæ Crucis cum diuini nominis inuocatione conſignat: idem ſignum labris eius imprimit, digitis linguam contrectat, eumque interrogat: Quod eſt nomen tuum? Ille confeſtim lingua ſoluta, planè & apertè reſpondet: Iohannes: & ſic deincèps inoffenſè verba formans, loquendi beneficium accipit. Ea res mox innoteſcit multitudini, & magnis vocibus præ fidei ardore Dei laudes promunt. Sed cùm in illis laudibus etiam viri ſancti nomen celebrarent, ille moleſtiſſimè ferẽs, ait: Valdè erratis, qui Chriſti opera mihi peccatori adſcribitis. Quod Dominus fecit, Domino tribuatis, & illuſtri martyri Laurentio, cuius hodiè ſacra ſolennitas celebratur. Animã enim lædit meam, quiſquis tale opus meæ credit eſſe virtutis. Sic laudes hominum cauens, & ſummoperè intùs puram ſeruans humilitatem, factus eſt apud Deum meritis glorioſus, & apud homines laude dignus.

Mutũ puer; Cruce ab eo cõſignatus, loquitur.

Attẽde profundã eius humilitatẽ.

De profligato immundo ſpiritu ab adoleſcente. Cap. 24.

ADoleſcens quidam infeſtiſſima dæmonum obſidione correptus, vinculis & catenis colligatus, non potuit domari: ſed quotquot contingere poterat, morſibus lacerabat. Tandèm à multis vtcunquè ſuperatus & conſtrictus, cum multa vi pertractus eſt ad S. Medardi eccleſiam, vbi viro Dei indicatum eſt de eo. Qui miſeratus peſſimè captiuum, iuſſit eum ad ſe adduci. Cumque propiùs acceſſiſſet, mox vt vir Dei illum vidit, ſignum Crucis edidit, dicens illis, qui eum trahebãt: Diſſoluite illum. Illis reſpondẽtibus, ſe id nullo pacto facere audere, nè fortè ab illo perimerẽtur: vir Dei ait: Iam dixi vobis, Diſſoluite eum, nihil metuentes. Tum illi ægrè ſanè manus apponunt, hominemq; à vinculis abſoluunt. Ille ſolutus, mox pronus corruit in terram, & adorauit. Iam enim, poſtquàm Chriſti ſeruum viderat, & ab eo fuerat conſignatus, vis inimici in illo facta quieuit. Vir autem ſanctus iuſſit eum à terra ſurgere, & ad cellæ feneſtram ſe adiungere. Illo propiùs aſſiſtente, vir Dei ait ad eum: Dic mihi, fili,

Eijcit dæmonem ab obſeſſo qui diuinitùs puniebatur ob vindictæ capiẽdæ cupiditatem.

quandò & qua ratione tibi hæc accidit inimici infestatio? Respondit ille: Charissime pater, fuit mihi quidam consobrinus eleganti corporis forma & insigni robore. Eius animum cuiusdã viculi homunciones offenderant, ità vt adunatis sodalium & amicorum turbis, in eum viculum irruere, & eius habitatoribus trucidatis, iniuriã suam crudeliter vindicare tentaret. Sed cùm viculus ille vndiquè sylua cingeretur, & vallo esset munitus, atq; eius incolæ viriliter resisterent, cõsobrinus meus nihil effecit: imò etiã lancea vulneratus, visceribus patefactis, citò extinctus est. Eum mortuũ miser ego appræhendi, & scapulis meis eius talos imponens, per medium saltum traxi extra cædis locum. Nox tetra tum erat: & eccè circunsistunt me antè & retrò malorum dæmonũ turbæ innumerabiles, vlulantes & sibilantes, subindè etiam cachinnantes. Itaque timor & tremor horrẽdus me inuadit, & quædam aduersaria vis me medullitùs concutit. Cumq; ignorarem quid facerẽ, tandẽ mortuũ cadauer nescio quẽ in locum abieci, moxq; sensu perdito, emotaque mente, talis effectus sum, qualem me iam tua cernit beatitudo. Famulus Dei ait: Vis agere pœnitẽtiam, quòd tanto facinori tuam operam commodâsti? Ille respõdit: Et pro hoc, & alijs omnibus, quibus Deum offendi, volo sanctè pater dignam Deo offerre pœnitentiam, & deincèps pro viribus ab omni malo abstinere. Tum vir Dei, irrogata illi pœnitentiæ mulcta, sanum & incolumem sanaque mente præditum, à se dimisit, nõ solùm legione dæmonum, sed etiam humani sanguinis hauriendi innata crudelitate liberatum. Nisì enim hac ratione impeditus esset, omnes eius viculi incolas in consobrini vltionem iugulâsset.

Eundem conuertit vir sanctus & saluum dimittit.

Rumorem de Danorum aduentu sparsum, cælesti reuelatione edoctus, vanum ostendit. Cap. 25.

EA tempestate sæuus rumor vrbẽ Suessionum, eiusq; suburbana & villas adiacentes quorundam rumigerulorum opera perturbârat, in vulgus spargentium hostilem Danorum aduentum, affirmantiumque gentem illam, totã Franciam breui occupaturam & vastaturam, non senibus, non infantibus, non ecclesijs vllo modo parcituram. Is rumor infaustus intantùm creuit, vt Theobaldus Episcopus Suessionensis virum Dei Arnulphum, tanquàm diuinorũ secretorum consciũm, hac de re solicitè cõsuleret, & multùm anxiùs rogaret, à Domino sibi reuelari, vt peteret, num è propinquo tanta calamitas immineret. Christi seruus simulatq; è audiuit hos rumores, pro vanis habuit: nè tamen leuitatis argueretur, spatium petijt vsq; in crastinum, quò per alta noctis silentia supernam maiestatẽ prolixiùs precaretur, aliquod eius rei manifestum indicium sibi exhiberi. Manè redit solicitus Episcopus ad modernam spiritalis testamenti arcam, repetitque ab Arnulpho de re ipsi hesterno die exposita cæleste oraculum. Tum vir Dei, vt erat à Domino edoctus, Nè paueas, inquit, venerande præsul: donèc enim nos ambo hoc mortale geremus corpus, neque Dani, neq; quęuis aliæ barbaræ gentes regnum Franciæ vastabunt.

Cælesti reuelatione discit falsũ rumorem sparsum.

Hoc loco in MS. exemplari sequuntur quinquaginta quinque versus heroici rhythmici, quibus eadem de falso aduenientium Danorum rumore historia repetitur: quos breuitatis studio omisimus.

S. Arnulphus cogitur inuitus esse Suessionum Episcopus. Cap. 26.

INterea Theobaldus Suessionum antistes, Deo iubente, è vita excessit: in cuius locum quidam vir nobilis Geruasius, pro quadam Palatini seruitij compensatione fratrem suum Vrsionem curauit subrogãdum. Erat ille Vrsio habitu quidem monachus, & à puero literis eruditus, sed ad eiusmodi munus parùm idoneus. Vitæ eius socordia & ignauia, & cathedræ Suessionensis non canonica vsurpatio, nõ diù pòst peruénit ad aures Gregorij Pontificis Romani: qui mox datis literis ad Hugonem Diensem Episcopum, & tunc apud Gallias Legatum, admonuit, vt vita & promotio Vrsionis canonicè discuteretur, & quicquid in ijs pugnaret cum sacris canonibus, synodali sententia rescinderetur. Itaq; Hugo, fauente & opitulante Theobaldo Comite, in Meldensi vrbe, quæ est ad Matronam fluuium, indicit synodum, & ex decreto Pontificis Gregorij, permissa Vrsioni se purgandi facultate, cùm ille legitimè citatus, & canonicè dilatus, se præsentare contemneret, iudicio Episcoporum reus est pronunciatus, & etiam condemnatus. Facta proindè Clero & plebi Suessionensi idem præstolanti noui antistitis eligendi copia, pars sanioris consilij eligunt sanctæ religionis cultorem eximium Arnulphũ, & vt is quamprimùm ipsis donetur, instanter postulant.

Gregorij 7.

S. Arnulphus eligitur Suessionum antistes.

Ità

Ità facta & conscripta concordi electione, Hugo Legatus mox è Cõcilio mittit quosdam ad S. Medardi cœnobium, per epistolam monens & mandans, vt Arnulphus è cella exeat, & ocyùs se conferat ad Meldensem synodum: nî id faciat, anathemate se plexum nõrit. Páret iubenti Legato, quãuis ægrè, Arnulphus: venit in Conciliũ. postquàm assedit, confestìm relegitur petitio Cleri & populi Suessionensis, Arnulphum sibi Episcopum eligentis. Indè vox existit Episcoporum, Arnulphum omni sanctitate ornatum, sibi collegam dari poscentium. Mox trahitur, & nec ad momentum excusandi dato spatio, infula ei imponitur, simulque in conspectũ Episcoporum adducitur. Afflicto autẽ & mœrenti, Hugo Legatus in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, vt deincèps Christi Ecclesiæ in Pontificiali officio seruiat. Hocille mandato constrictus, cessit eorum voluntati, & designato cõsecrationis loco & tempore, ad monasterium S. Medardi redijt, vt itineri necessaria præpararet. Quibus copiosè paratis, non suo typho, sed fidelium voto, profectus est cum quatuor monachis, & electis è Clero, venitque in Campaniam ad castrum, quod Virtutes appellant.

Seuerè castigat fratrem, cuius culpam spiritu reuelante cognouerat. Cap. 27.

POrrò Comes Theobaldus, eius cognito aduentu, cum magno militum & nobilium comitatu hilariter eum excepit, & officiosè in ædes introduxit. Hora autem vespertina in quodã remotiori cubiculo vir Dei secretiùs residebat, aderatque ei Comes iam dictus cum perpaucis nobilibus, de animæ salute ex illo sciscitans: cum subitò mutato vultu, & quasì spiritu incitãte, Vocate mihi, ait, duos illos fratres nostros, Euerolphum & Ostermarum. Est enim, quod illis dictum velim. Confestìm vocantur, & veniunt: cumque starent ante illum, ait Ostermaro: Postquàm Deo miserante sæcularis militiæ factum reliqui, pro viribus operã dedi, nè vlli ex fratribus iniuriam aut quanlibet contumeliam irrogarem: quodq; ego solicitè obseruaui, à cunctis mihi adhærentibus solicitiùs obseruandum curaui. Noui enim pœnam diuino ore constitutam in eum, qui vnum è pusillis scandalizet. Quæ cùm sint verissima, qua fronte ausus es frater Ostermare fratrem Euerolphum afficere contumelia, & neque timori diuino, neque nostro pudori deferre? Abi igitur, & reuertere ad monasteriũ tuum. post tantam enim stoliditatem non patior te socium itineris mei. Volo enim comites meos esse placidos, mites, benuolos, in mutua officia paratos, non refractarios & non *subditos. His ille frater supra modũ consternatus, tremula voce respondit: Vbinam ego, domine pater, aut refractarius fui, aut alicui contumeliam feci? Ego sanè eius nõ memini. Vir Dei ait: Nónne aures meæ erant ad os tuũ, quandò dixisti fratri Euerolpho, mâlle te, vt caput eius mergeretur in latrinam, quàm tuus caballus solito maiori annona fraudaretur? Crede mihi, nunquã id ausus fuisses dicere, si nostræ gratiæ vlla tibi cura fuisset. Tum verò omnes, qui aderãt, mirè obstupuerunt, quomodò ille rem occultam & quasì tacitè prolatam, tàm perspicuè scire posset. Longo enim interuallo distabant illud cubiculum, in quo sedebat vir sanctus, & equorũ stabulũ: neque dictum hoc erat, nisì cùm equis annona distribueretur. Tandèm frater ad viri Dei pedes aduoluitur, & cum illo pariter cæteri fratres, suppliciter illi veniam petentes. Quibus ait vir sanctus: Ignoscat illi Deus: mihi verò non erit posthàc huius itineris comes. At ille præ nimio mœrore plorans, Eheu, inquit, sancte pater, quînam ego solus à te regrediar, aut qua ratione huius repulsæ meæ dedecus ferre potero? Putabũt omnes nefarium aliquod facinus me perpetrâsse, & ea causa à te reiectum. Parce, obsecro, pudori meo, & dona mihi veniam, nè me perpetuus mœror occupet. Tum vir pius eius dolorem miseratus, & fratrum precibus se accommodans, ait: Tu quidem ob hanc tuam stoliditatem prorsùs domum redibis: sed nos per Dei gratiam aliquod eiusmodi negocium expediendum tibi demandabimus, vt nulla possis è reditu ignominia notari. Sed tamen rem, quam tibi mandaturi sumus, apud te tacitam habebis, nec vlli pandes, nisì cui eam volumus indicatam. A nobis ergò recedens, Parisios venies, & Reginam Bertradam nostro nomine salutabis, lætumque ei nuncium afferes, quòd in vtero habeat filium, quem in sacro fonte vocatura sit Ludouicum, post patris obitum regni Francorum Regem futurum. Illa verò vix tibi credet, quandoquidem infans necdùm vitalẽ habet motum: sed tu illi dicas, vt fidenter credat, post breue tempus certo experimento rei veritatem compertura. His frater ille valdè exhilaratus, Parisios proficiscitur, Reginæq; iucundum affert nuncium. Illa præ stupore palluit, Regemque Philippum venationi intentum, per celeres nuncios euocat. Venit

Nota vitæ innocentiã.

Matth. 18.

* for. subdolos.

Absens nouit, quid alibi geratur.

Ablegat à se refractarium fratrẽ.

Prædicit reginæ nascitur ex ipsa Ludouicus.

Rex,auditaq; tam fausta relatione,quòd tādiù optata prole esset potiturus,& gaudio & mœrore afficitur,atque inter vtrunq; fluctuat. Gaudet quidem, si ità se res habeat: metuit verò, nè sit inanis promissio. Tandèm in regio pectore vincit fidutia, prudenterque apud se statuit,non posse esse superuacaneum,quod tantus vir Dei prophetâsset. Nouerat enim multimoda experiētia,cuius sanctitatis & veritatis esset,qui isthuc fore prædixerat. Paucis indè euolutis diebus sentit mater palpitantem fœtum,& cum gaudio illius expectans natiuitatem, præ amore prolis contempsit partûs dolores. Tandèm editum filiolum in Paschæ peruigilio Episcoporum manibus obtulit ad baptismum,& iuxta beati viri vaticinium, Ludouici nomen ei curauit imponi. Atq; is est Ludouicus, qui modò regni Francorum habenas moderatur, bella intestina proviribus compescit, hostilia fortiter exagitat: quātùm quidem in ipso est, pacis est studiosus,in armis strenuus,in verbis cautus,prudēs consilio,in bello imperterritus,bonorum amans, eius,quæ Regem decet,probitatis & integritatis cultor. Cui tamen,si quid regiæ perfectionis deest,nō tam illi, quàm regni proceribus,id imputandum est. Verùm his obitèr commemoratis,ad Arnulphi res gestas explicandas reuertamur.

Ludouicus rex laudatur.

Vt sit consecratus Episcopus. Cap. 28.

COnfecto tandèm itinere, peruenit,ad Hugonem Legatum,qui sanè eius inopinato aduentu & lætatus est, & perturbatus. Lætatus quidem, quòd talem virum exciperet:perturbatus verò,quòd ad eum consecrandū nulli Episcopi adessent. Interim tamen totum Deo cōmittens, repētino nuncio exhilaratur, & anxietas omnis abscedit. Nam postridiè veniunt ad eum tres Episcopi, nulla quidem necessitate eos cogente, sed tacito instinctu, vt ipsi palàm asserebant,ad Legatū inuisendum eos permouente. Atq; ità omnibus patuit diuini consilij arcanū, & quòd diuinæ maiestatis volūtate decretum esset, vt Arnulphus Episcopus consecraretur. Itaq; proximo die Dominico consecratus est Episcopus decimoquarto Calendas Ianuarij, & multa omniū gratulatione & lætitia ad sedem Suessionensem dimissus est. Nec latuit Viennenses eius fama præclara,collectiq́ue in vnum,mutuò se hortabantur, vt illum vi caperent,suæq; vrbis Archiepiscopum crearent. Vacabat enim tum Viennensis sedes. Sed vbi rumor ille spargi cœpit, vir Dei è finibus eorum properè excessit,ad eam excolendā vineam, animasq́ue pascendas festinans,quæ eius curæ specialiter commissæ erant.

Cōsecratur Episcopus S. Arnulphus.

Viennenses cupiūt eum habere suū Archiepiscopum.

Cluniaci ab Hugone Abbate honorificè excipitur. Cap. 29.

COnstituerat autem vir sanctus Cluniacum, monachorū deuotione conspicuum cœnobium, clàm perlustrare: sed fama virtutis comes, non permisit eum latére. Nanq; Abbas Hugo vir cumprimis religiosus,eius comperto aduentu, collecto monachorum exercitu, admodùm honorificè ei obuiàm processit, & cum multa veneratione eum excepit, nō tam propter Episcopatum, quàm superioris vitæ merita,ipsi non ignota. Sedulus autem explorator eum illic manentem obsedit, non ex curiositate,sed sanctæ charitatis feruore, è scripturis quæstiones ei proponens,earumq́ue solutiones ab ore eius eliciens: vt hac ratione posset cognoscere, vtrùm promptus esset ad proferenda de thesauro suo noua & vetera,nè commissa illi ecclesia,minùs,quàm par esset,spiritali doctrina aleretur. Deniquè id indè cōsecutum est, vt quem pius Abbas Hugo zelo charitatis idiotam & agrestem esse anteà pertimuerat, eum doctrinæ fructibus abundare, & oratoris facundia non mediocriter pollere, non sine multo gaudio expertus sit. Libet autem eius Hugonis vel breuissimam hoc loco historiam inserere: Fuit corpore & animo castissimus, eleemosynis & orationi iugiter intentus & addictus, monasticæ disciplinæ custos & promotor instantissimus,perfectorū monachorum & personarum ecclesiastico cultui idonearum nutritor perpetuus,sanctæ Ecclesiæ procurator & propagator mirè feruens.

Visitat deuotionis causa cœnobium Cluniacense.

Hugonis Abbatis Cluniacen. virtutes.

Vt verum se pastorem etiam cum vitæ periculo declarârit, vtque vi repulsus ab ecclesia sua, patienter tolerârit. Cap. 30.

OCcupabat tum sedem Suessionum ille non matris ecclesiæ electione, sed palatij iure Episcopus Vrso, Geruasij regij dapiferi germanus frater, vtebaturq́ue interim rebus Episcopi,fretus Regis fauore, quem ei frater conciliârat. Venienti ergò Arnulpho Episcopo,& Suessionum vrbem ingredi volenti, fit obuius Geruasius cū turba armatorum, monetq́; eum, nè in ciuitatem intret,nisì mori velit. Ei vir Dei constanter respondet: Apostolus Iohannes dicit, perfectam charitatem foràs mittere timorem. Et quia mihi viuere Christus est,& mori lucrum,obedientiā præcepto Apostolico mihi iniunctam implere conabor,nè si non obediā,à Domino merear reprobari. Habeat me Dominus Deus aut martyrē,si interficior: aut confessorem,si euado. Charitas enim Christi vrget nos. Ità dicens, animal cui insidebat, vrget calcaribus, vt ocyùs se in vrbem recipiat. Sed Geruasius iniecta manu in frænū iumenti, illud cum sessore retrahit,cogitq́; retrocedere. Tum vir Dei statìm cessit obsistēti: atq; ità quantùm, licuit obedientiæ mandatū impleuit, sedemq́ue, quā non concupierat, tranquillo animo interìm deseruit, pietate eam excolens,quam videbatur corpore reliquisse.

1. Ioan. 4.

In præsens vitæ discrimen se conijcit obedientiæ studio.

Verumenimuerò cùm sedes non faciat Episcopum, sed Episcopus sedem,& virtus maiestatis per loca nō scindatur: in quodam castello eiusdem diœcesis,quod Vlciacum vocant, fouente illum Comite Theobaldo, mansionē & sedem sibi constituit: vbì conuenientibus ecclesiarum prælatis & senioribus è Clero, accurrentibus etiam promiscuis populorum turbis,pœnitentiam confessis, & lapsis reparationem multa auiditate fideliter ac strenuè procurabat. Aduolant populorum cateruæ, sanantur ægroti,aduentantibus frequens prædicatio impenditur, animarum & corporum vlcera curantur, Ecclesiæ passìm consecrantur, diuinæ laudis officia sacrosancta egregiè instaurantur. Lætantur omnes Ecclesiæ reformatum decus & venustatem, quæ Vrsionis incuria non mediocrem iacturam fecerat.

Mutat sedē quia nō sedes Episcopum, sed Episcopus sedem facit.

Curat Euerolphum presbyterum morti propinquum, eíque futura prædicit. Cap. 31.

COmmorante viro Dei in illo castello, Euerolphus monachus & presbyter, sancto Episcopo valdè deuotus & impēsè charus,in morbum incidit grauissimum: cumq́; se moriturum crederet, rogauit Episcopum, vt sacri olei Vnctionem ipsi impertiret. Episcopus verò ait ad eum: Intempestiua sunt, quæ postulas: quibus ego ea causa non annuo, quòd sciam cōtraria dispositioni diuinæ. Non enim ego te aut vngam, aut sepeliam: sed tu me alio & loco & tempore vnctionis & sepulturæ sacris officijs prosequéris. illo dicente,fieri id nō posse,cùm Episcopi vel Abbates Episcopum debeant sepelire, vir Dei respondit: Scias certissimè ad me vngendū & tumulandum nullum adfuturum antistitem vel Abbatem: sed tuæ charitatis ministerio,quicquid eius est, circa me completum iri. Sic locutus, manum ægroto imponit, & pulso morbo, reddit incolumem.

Sanat moribundum. Mira in sancto viro situ. turorum prænotio.

Cuiusdam furtum spiritu prophetico prodit. cap. 32.

MVltis ad eum turbis confluentibus,quarum ille morbis curādis sedulam nauabat operam, quodam die è loco superiori per fenestram prospiciens, videt in platea hominem sub planca, quam ferebat, mirè sudantē: mox ait ad circunstantes: Plancā istam rapuit hic homo. Aiunt illi: Vndè hoc scire potuisti domine? Respondet vir Dei: Pro comperto habeo raptu eam partam esse. nam dæmon author rapinæ, collo eius insidens, cum miserè premit. Mox vnus ex illis, celeri cursu abit ad hominem, ascisciturq; vndè habeat plancam, quā ità anhelus baiulet. Ille fatetur apud pagum Nantolium in quadam se congressione adfuisse, & eam ad se plancam rapuisse. His auditis, festinus reuertitur ad eos,qui illum miserant, nunciatq́; ipsis stupentibus vera dixisse Episcopum.

Videt dæmonē prementem fœrem.

Quinque panibus & totidem vini mensuris satiat plùs quàm septingentos homines Cap. 33.

QVodam tempore cuiusdam pagi Ecclesiam dedicaturus, ait ad famulos suos: Tali,quæso, itinere ad eam Ecclesiā nos perducatis, vt populus nesciat, quà venturi simus. Nonnihil quoquè alimentorum vobiscùm feratis, vt fessa ex itinere corpora possimus vel paululùm recreare. Itaque iter longinquum & deuium arripitur,nec tamē potest ardor populi compesci. Breui temporis spatio grandis ad eum multitudo confluit. Id cernens vir Dei,in Dei laudes erumpens,ait familiaribus suis: Quicquid escarum habetis,proferte, vt post laborē vires reparemus. Confestìm exhibentur quinque panes monastici, quos vulgò crudas micas vocant, & totidem vini mensuræ, vt habet censura monastica: stratisq́ue in herba tapetibus, vir Domini residet, profusa illum turba vndiquè ambiente: benedicit panes illos,paucos quidem numero,sed numeri mysterio multos, iubet omnibus præsentibus ex illis distribui, vinū quoquè

Miro modo pauci panes sufficiunt hominibus amplius septingentis.

quoque ad satietatem porrigi. Accidit tum res admiratione digna. Nanque panes illi & vinum tam abundè omnibus suffecêre, vt se benè refectos & abundè satiatos fate. rentur. Et tamen præter Episcopum & comites eius, illi, qui manducârunt amplius septingenti fuêre.

Robertum Flandriæ Comitem inexorabilem conciliat quibusdam ab illo proscriptis. Cap. 34.

Sæuit in suos proceres Robertus Flãdriæ Comes.

RObertus Flandriæ Comes infestus fuerat quibusdam gentis suæ primarijs & di. tioribus viris: qui pertæsi onerum, quibus ab illo premebantur, inter se tracta. bant, vt illo profligato, humaniorem sibi principem adsciscerẽt, nempè Balduinum Comitem Montis Castrorum. Id vbi resciuit Robertus, summo conatu intercipiti. los ceu proditores, atq; alios ex ijs proscribit, alios perimit, nonnullos rebus & hono. ribus nudatos, iubet in exilium proficisci. Inter eos etiam Arnulphus Morinorũ Ar. chidiaconus & ecclesiæ S. Audomari Præpositus, omni dignitate sua priuatus, multo tempore vixit profugus: sed tandèm ad se rediens, Gregorium Romanum Pontificẽ adit, qua calũnia gradu & honore suo spoliatus sit, lachrymabundus ei exponit. Tantam verò eius calamitatẽ miseratus Pontifex, literis suis ferocem & truculentum Roberti animum statuit lenire, vt illis, quos suspectos habebat, aut planè ignosceret, aut certè facultatem sese purgandi nõ negaret. Sed cùm nemo posset inueniri, qui Pontificis literas tam offenso principi exhibere ausus esset, res diù protracta est. Tãdèm animo succurrit constãtia sanctitatis & feruor charitatis Arnulphi Suessionũ antistitis, cuius tũ in curia Pontificis celebris fama innotuit, & quòd is proculdubiò incunctanter oblaturus esset Roberto Comiti scripta Põtificis. Tũ verò animatus Pontifex, Arnulpho diploma mittit, mandãs ei, vt literas intercessorias, & personas de quibus agebatur, ad Robertum Comitẽ secùm adducat, illisq; vel veniã, vel saltẽ se purgãdi copiam obtineat pro sedis Apostolicę honore. Ità ille vir pietate fortis, gemina instigãte iustitia, obedientiæ & fraternę condolẽtiæ, cum quibusdã ex illis venit ad Insulam

Insula ciuitas Flandriæ Gallicanæ.

ciuitatem, atque illic reperto Comiti obtulit sacras Pontificis literas. Quæ cùm legerentur, illi, quorum res agebatur, clàm se submittentes, eius tenuêre pedes. Sed ô furorem, & rabiem, ô fellis acerbam commotionem, quæ tum in fronte, oculis & toto Comitis vultu visebatur: quandò sensit eos quos oderat, suos appræhendisse pedes.

Flectitur ei⁹ præsentia Comes inexorabilis.

Ecquid verò illa ferocitas in sancti viri præsentia faceret? Adfuit cõtinuò gratia Dei, & tum sanctitatis eius contemplatione, tum pro Apostolicæ Sedis reuerentia, salus, vita, res & facultates illis donatæ sunt. Laude dignis, laudabiliora succedunt.

Componit atroces aliquot Flandriæ ciuitatum dissensiones & cædes mutuas. Cap. 35.

Sedat atroces simultates.

EOdem enim tempore quibusdam Flandriæ locis quotidianæ fiebant cædes, & insatiabilis grassabatur sanguinis humani fundendi libido, qua totius regionis pax & quies perturbabatur. Itaque permulti nobiles magnis precibus vix obtinuerunt à viro Dei, vt loca, in quibus atrocior sæuiebat crudelitas, adiret, & Flandrorũ indociles cruentosq; animos, ad pacem & concordiam vtcunquè permoueret. Itaque satanicã illam rabiem, qua Brugenses, Furnenses, & Aldenburgenses in mutuas cædes ferebantur, vir Domini verbo mellitæ prædicationis & paternæ adhortationis instantia, propemodùm ad mansuetudinem redégit, hominumq́ue illorum crudeles animos ad concordiam, licèt immenso labore, reuocauit. Et vt paucis multa expediam, quod mille argenti libris impetrari non potuisset, id gratia Dei per seruum suum in illa regione efficere dignata est.

Cæcam mulierem in multorum præsentia sanat. Cap. 36.

Vocatur à Rogero Comite ad dedicandam Ecclesiam suam.

PER id quoquè tempus Rogerus Comes Porcensis, missa ad beatum Anulphum fida legatione, summoperè rogauit, vt veniret ad dedicandam Ecclesiam, quam in castro, quod Caluum mõtem appellant, ipse condiderat in Rhemensi territorio: pollicens se multa in eius ecclesiæ vsus collaturum, modò sanctus præsul velit consecrationis explere ministerium. Vt autem more comparatum est, Cleri consilio dies dedicationi statutus est, & per loca opportuna publica voce populis denũciatus. Nec verò dici satis potest, quanta populi frequentia eò aduenerit. Vénit autem etiam ex pago Cauniaco mulier, quindecim annis cæca, quæ, impetrante Comitissa, se ad beati viri

viri vestigia prostrauit, clamans & dicens: Serue Dei: miserere mei, & digitis sacræ dextræ tuæ oculos meos continge. credo enim tuis meritis me curatum iri. Aderant ibi nobiles & illustres pſonæ, à Comite Rogero inuitatæ, in quibus erat Ingelrannus Archidiaconus, posteà Laudunensis Episcopus, Rudolphus viridis, posteà Rhemorum Archiepiscopus, nonnulli itèm Abbates & proceres: ad quorum præsentiam vir Domini pro sua modestia nonnihil verecundatus, submisse ait ad fœminam: Quid tibi, mea soror, contactus noster prodesse valebit? Illa fidei calore succensa: Permultùm, inquit, tuus mihi tactus proderit: tãtùm velis, quæso, digitos tuos in oculorum meorum cauernulas in Christi nomine immittere. Hac voce ille victus, & quasi vim patiens, signo sanctæ Crucis edito, digitos misit in oculorũ eius loculos, ità dicens: Fiat tibi secundùm fidem tuam. Mox illa, apertis oculis, clarè vidit. Ea re Clerus multùm exhilaratus, in præpotentis Dei laudem cantauit, Te Deum laudamus.

Signo Crucis & manũ suæ contactu restituit cæcæ visum

De Gerico viro nobili, sed valdè flagitioso, sancti viri precibus animo & corpore sanato. Cap. 37.

Gerici eius commilito homo flagitiosus.

CVm adhuc militiæ actibus implicatus esset vir Dei Arnulphus, sodalem habuit Gericum militẽ: qui, illo se seculo abdicãte, totũ se rapinis addixit, & nec Deum timens, nec homines, viduas & pupillos perpetuò oppressit. Eam illius flagitiosam vitam vbi comperit vir Dei, Christum deprecabatur, vt aliqua occasiõe cogeret eum corrigere pessimos mores suos, & Dei timorem cogitare. Interea Gericus mundi prosperitate florẽs, Iuditham, ipsi nobilitate parem, ducit vxorẽ, procreat liberos, & annis permultis cum tota domo sua mira felicitate potitur. At posteà morte tolluntur filij, & intrà paucos annos nec vnus manet superstes. Illum quoquè vehemẽs corripit morbus, qui eum ad menses quadraginta sic lecto affixit, vt quotidiè mors illi ob oculos versaretur. Porrò cognati, cernentes eum prole carere, eius terras & beneficia sibi cupiunt vendicare, vxorem eius Iuditham omni dote priuare, & à tota mariti hæreditate extrudere. At illa sentiens omni se solatio destitutam, cõuersa ad Dominum, eius opem implorat: & recordata serui Dei Arnulphi, cum multo gemitu ait ad maritum moribundũ: Charissime coniunx, ecce mortui sunt filij tui, & cognati inhiant facultatibus tuis, & iam sermonem malignum sibi firmauerunt, vt te sepulto, me turpiter eijciant, nec coniugem me tuam agnoscãt. Quæso igitur, audi consilium te impensè amantis coniugis tuæ, & animo promittas Deo, te curaturum, vt hac nocte lectica ueharis ad Arnulphum fidelem seruum eius, & tuum quõdam sodalem & amicum. spero enim ità fore, vt pater misericordiarum & dolores tuos, & meum mœrorem respiciat. His auditis, ille parumpèr cogitans, Sapienter, inquit, isthuc consulis, & ego optimo consilio libenter párens, polliccor me ità ocyùs facturum. Mox igitur lectica equestri vehitur Suessiones, & vbi viro Dei in sua Cella cõmoranti eius aduentus innotuit, lætabatur ille adesse hominem, cuius olìm in militia sodalitate amanter vsus esset, iubetq́ue illum ad se perduci, aitq; ad eum, amicissimè illum obiurgans:

Efficacia precũ sancti viri.

Casti gatur Gericus diuinitùs.

Venit ad S. Arnulphũ, olim sodalẽ suum.

Frater Gerice, tu miles optimus tuis, pessimus tibi, qui tandiù irritâsti præpotentem Deum, in rapinas incumbens. Crede mihi, parùm abfuisti ab interitu, nimìs diù in faucibus Leuiathan hæsisti: sed gratias ago Domino Iesu Christo, quòd non despexit lachrymas meas, teq́ue hac ægritudine impediuit, nè plùs satìs rapinis incrassatus, fieres esca tartarico draconi. Nóueris ergò diuturnis precibus à Domino me impetrâsse, vt hic morbus te corriperet, vt vel inuitus cessares ab opprimendis pupillis & viduis, & rapinis confectandis. En quanto te immensæ misericordiæ suæ beneficio affecit Deus, vt agnoscas te nequiter egisse, & tot flagitiorum infamia celebris, dentes leonis posses euadere. Sed dices fortassis: Cuiusnam leonis? Audi Petrum Apostolum, imò Christum in Petro loquentem: Aduersarius vester diabolus, tanquàm leo rugiens circuit, quærẽs quem deuoret. Huius leonis rictus sola Dei benignitate euasisti. Iam porrò da operam, vt ab eius tyrannide prorsùs libereris. Respõdit Gericus: Equidem, mi pater, eo voto eaq; deliberatione ad tuam sanctitatem properaui, vt ad præscriptum consilij tui, mea deincèps vita componatur: nec aliud faciam, quàm quod tibi visum erit. Tantùm pro mea miseria & calamitate Dominum instanter ora, vt possim corporis adipisci sanitatem. nam quod ad animæ salutem attinet, sanctè polliceor, me posthàc nihil scientem admissurum contra leges diuinas.

Vide quomodò sancti viri orẽt pro malis.

1. Pet. 5.

Deindè Iuditha vxor eius lachrymabunda in has prorupit voces: Serue Dei, audi etiam meos casus, & fer opem miseræ ac destitutæ. Vir Dei respondit: Dum audio voces

ces tuas, agnosco necessitatem tuam: sed promitto tibi in Christi nomine, aduentum ad me vestrum, non fore inanem & infructuosum vobis. Itaque certò noueris, respexisse Dominum contritionem tuam, cumq; te exhilaraturum propter fidelem operam, quam nauâsti marito tuo in doloribus eius. Is enim, quia iniquitati nuncium remisit, iam perfectè curabitur, & tu ex illo filium cõcipies Lambertum, iubente Deo, hac ipsa hora anno euoluto nasciturum. Is in paternam hæreditatem succeder, tuamque nutriet & fouebit senectutem: nec morieris, donèc videas sobolem illius. Volo igitur & hortor, Gerice charissime, vt deinceps viam iustitiæ insistas, Ecclesiam Dei & sacrum Clerum honores, pauperibus nihil auferas, immò etiam ablata restituas, eleemosynas largas assiduè præstes, decimas tuas nũquàm apud te retineas, agros tuos colas, principi tuo & æqualibus fidem serues & veritatem, ex iustis possessionum tuarum redditibus vitam sustentes, colonis tuis humanum & clemẽtem te præbeas, pro collatis beneficijs Deo perpetìm gratias agas, diuinis officijs quotidiè intereresse coneris. Ità tibi facienti aderit gratia Dei, dabitque pacem rebus tuis, & bono fine potiéris. Qui verò lectica huc apportatus es, Deo fauente, eques hinc recedes benè sanus. O diuinæ bonitatis incomprehensam benignitatem & clementiam, fidelem seruum suum tot virtutũ donis ornantem, vt & cõuersatio eius in cælis sit, & vitæ meritum etiam alijs prosit. Quantùm enim licet intelligi, Gericus iste ob suam peruersitatem mortuus fuisset, nisi eum assiduæ beati Arnulphi preces conseruâssent. Deniquè propitio Deo, recessit sanus: domum reuersus, anno elapso, eodem die filium ex coniuge suscepit, qui ei hæres succesit, matremque humaniter sustentauit, eousquè, vt erată viro Dei prædictum, in corpore manentem, donèc ex legitimo matrimonio ipsius filios procreatos videret.

Prædicit afflictæ matronæ, ipsã filium parituram, &c.

Optimæ institutiones nobilium.

Reuixit Gericus spiritualiter mortuus per S. Arnulphi preces.

Adolescentem conciliari hostibus nolentem, à dæmone arreptum vir sanctus sanat. Cap. 38.

QVo tempore vir Dei inter Flandros pacẽ componere nitebatur, in pagum Turholt venit, agente dæmone, contentionum & rixarum flammis ardentem. Hortante autem sancto viro propinquos eius, cuius sanguis fusus erat, vt pacem amplecterentur, & satanæ incendia sopirent, adolescens quidam Herradus, Herradi presbyteri filius, malebat surda aure pacis consilia contemnere, quàm vel se, vel alios ad pacis studium accommodare. Ea causa ex atrio ecclesiæ, in quo stabat Episcopus, exire voluit, nè salutares eius admonitiones audiret: dictumque est Episcopo, abire illum, qui permaxima pars esset turbæ huius. Confestìm illum sequitur sanctus Episcopus vsquè ad Comitis stationem, atque ibì in humum se abijciens coram illo, humiliter orabat, vt pacem non respueret. At ille iuuenili arrogantia tumidus, noluit illic cõsistere, sed veritus, nè ab alijs detineretur, celeriter aufugit. Eccè autem fugientem arripit malignus spiritus, ità vt amentia affectus, seipsum dentibus & vnguibus laceraret. Id conspicati amici & affines eius, vinctum pertrahunt ad virum Dei, plurimùm obsecrantes, vt superbo & fatuo ignoscat, & iniuriam illatam voluntaria obliuione conterat. Vir Dei respõdit: Iniuriam pro veritate irrogatam libens amplector, sed cordis eius duritia me dolore afficit. Si ergò vultis, vt pro eius liberatione Dominum exorem, fidem certam detis, vos omnes, velit nolit ille, pacem firmam cõseruaturos: & si quas ille rixas aut seditiones excitârit, neminem è vobis suppetias ei laturum. Omnes vna voce dixerunt: Anathema erit inter nos, quisquis illi opem tulerit, nisì in ijs, ad quæ tu nos hortaris. Illa promissione flexus Episcopus, aquam cum exorcismis consecrauit: qua adolescens ille conspersus, mox malo dæmone liberatus est, & mentis benè compos effectus, pacem & concordiam sanctè coluit.

Iste pagus Flandriæ primus, distat tribus miliaribus à Brugis.

Eximia sanè tanti viri humilitas & charitas.

Aqua benedicta sanat dęmoniacũ

Meritis sancti viri, quidam ab hoste percussus, mortem euasit. cap. 39.

ACcidit in eodem pago Turholtensi aliud quiddã non minùs admirandum. Miles quidã Aldenburgensis, Vuilhelmus nomine, statura & cognomine Longus, filium adultum habuit, in rapinis plùs satìs præcipitem & propensum. Is cùm vellet aliquandò cuiusdam res diripere, ab illo interfectus est. Eius cædem pater Vuilhelmus vlcisci volens, percussori struebat insidias, sed frustrà, donèc circa S. Iohannis feriasad nundinas Turholtenses eum venientem, vt vestem sibi compararet, in cruice gladio percussit, & exanguem, non tamen mortuum, in corbem quandã abiecit. Mox verò fit tumultus in nũdinis, exiſtit clamor & indignatio in populis, quòd violata esset pax,

Vult vlcisci necem filij Vuilhelmus miles.

set pax, principis priuilegio communita. Curritur ad Comitem, qui præsens tum aderat in domo sua Turholtensi, dicitur ei, magnum ipsum ignominia affectum, pace maiorum eius legibus sancita, cuiusdam audacia violata. Procedit in publicũ Robertus Comes stomachabundus, iubet quamprimùm percussorem & percussum sibi exhiberi. Interìm audit à militibus suis, Vuilhelmum Longum id facinus designâsse, vt filij necem vindicaret. Tum verò Comes nonnihìl mitescens, ait: Vuilhelmus domesticus miles meus valdè errauit, qui cædem filij post conciliatam olìm sancti Arnulphi Episcopi opera pacem, vlcisci voluit. Cumque ante illum adducti essent Vuilhelmus, & ab eo percussus, ceruix hominis percussi nõ gladio incisa, sed rubri fili vestigia præ se ferre videbatur. Ait ergo Comes ad Vuilhelmum: Equidem miror temeritatem, sed non paulò plùs imbecillitatem tuam. Si enim filij mortem vlcisci volebas, cur tè non puduit tam molliter ferire, vt manûs fœmineæ potiùs, quàm virilis roboris vestigia in huius ceruice appareant? Agnosce igitur nutu Dei id ità euenisse, qui, vt merita sancti serui sui declararet, non permisit illam ceruicem vulnerari, quæ tanti Pontificis ministerio vltrò fuit paci addicta.

Eccè quomodò vulnus hominis occisi, diuinitùs fit curatum.

Nota quantũ Comes tribuat meritis sancti viri.

Quinque morbidos miserè decumbentes, precibus & aqua sacrata sanat. Cap. 40.

IN paroecia Gistellensi est quædam terræ vena nigerrima, interdùm rubra, quæ crebris paludibus intermixta, nõ facilè poterat adiri. Atque in ijs locis moratur genus hominum atrocissimum, qui omnem gentis huius ferocitatem, innata eis audacia animi, superare videntur. Ad ea ergò loca vir Domini pertractus, vt eorum sæuitiam nonnihìl moderaretur ac comprimeret, à quadam fœmina compellatur, cum lachrymis & singultu ità dicente: Serue Dei, miserere meî, & nè recuses venire in tugurium paupertatis meæ, visurus multiplicem materiam doloris & calamitatis meæ. lacebant enim in lectulis quinque filij eius, vno eodemque languore affecti, nec poterant mutuam sibi vlla in re operam præstare, aut aliquid ferre subsidij. Ait ergò mulier: Vide serue Dei, quanta sit miseria mea, quis me dolor obtineat, quo animi mœrore occuper. Seruio solà quinque viris, propero ab alio ad alium, & tamen non possum satisfacere ministrando. Tum vir sanctus præ multa commiseratione ingemiscens, orauit Dominum: deindè aquam consecratus, totam domum & ægrotos illos conspersit, atque ad eos: In nomine Domini nostri Iesu Christi properè facessat morbus iste, & vos quamprimùm reualescentes, matris vestræ vsqueadeò afflictæ ministerio non egeatis. Derepentè adest virtus Saluatoris, & omnes prorsùs incolumes è lectis surgunt.

In pago Gistellensi fuit occisa S. Godolena martyr, vt habetur 6. die Iulij Tomo præsenti.

Folcardus quidam, nolens audire virum Dei, à dæmone vexatur: sed à sancto viro purgatur. Cap. 41.

FOlcardus quidam Gistellensis homo, alacer & robustus, sed non tam vtilis, quàm arrogans & superbus, beatum præsulem contemnendum putauit, nec audire voluit, de pace concilianda loquentem. Cùm ergò viri Dei conspectum fugeret, mox vltori spiritui traditus est, & ab illo miserè discerptus ac dilaceratus, ità vt ab amicis & propinquis vix posset coërceri. At tamen non sua fide, sed aliorum precibus per beatum Pontificem dæmone purgatus, didicit ex ea vexatione, quo erga sanctum virum amore & reuerentia vti debuisset.

Purgat obsessum.

Nobilis vidua respuens sancti viri de pace consilia, repentina domûs suæ euersione perit, saluis alijs omnibus, qui erant in domo. Cap. 42.

APud castrum Furnense habitabat vidua quædam nobilis & opulenta, nomine Euregarda: cuius maritum & filium hostes atrociter peremerant, & propter eam cædem magnas inimicitias susceperant. Earum autẽ amoliendarũ causa accersitus sanctus præsul Arnulphus, vtì semper consueuerat, vbì de pace & concordia esset agendum, sponte prõpteque eò properabat. Venit ergò asello vectus ad domũ illius viduæ, quam illa Apostolica perstringebat vox, Vidua, quæ in delicijs est, viuens mortua est: sed ea nullo pacto ferre voluit, vt ad ipsam ingrederetur: pontèque pensili adducto & suspenso, aditu eum prohibuit, nè posset efficere quod volebat. At ille tamen non destitit admonere, arguere, obsecrare, vt mariti & filij percussoribus veniam daret pro animarum eorum refrigerio, & quos immani odio persequebatur, eos ad amicitiæ fœdus admitteret. Illa verò nec preces, nec admonitiones eius audiens, tumenti animo Christi seruum contemptìm irrisit, & contumelioscà se repulit: sed non impunè. Nam cùm ab ea Præsul gemebũdus recederet, diuina eam animad-

In hac ciuitate Furnẽsi seruatur media pars corporis S. Vualburgis & fractis eiº S Vuiibaldi.

1. Tim. 5.

Vidua procax terribiliter à Deo punitur.

tertio terribiliter persecuta est. Post paululùm enim, cæli serenitate manente, quidã leuis turbo domũ eius concussit & euertit, eamque repentina morte oppressit. Accidit tum res sanè multa admiratione digna. In eadem enim domo aderant famuli & ancillæ, aderant porci, canes, magnus columbarum grex, anseres, gallinæ: & tamen illis omnibus saluis & illæsis, sola procax mulier interijt.

Funditùs extincta, docuit non dogmata ficta,
Quæ monuit sanctus, vindictæ pondere tantus.
Fœmina sic fortis, iustè fit filia mortis.

Sanctus vir prædicit fororem suam, licèt auidè id expetentem, ipsum vivum non conspecturam. Cap.43.

Oda S. Arnulphi soror

HAbuit venerandus antistes sororem Odam, quæ ab infantia sacris eruditionibus instituta, in virginitate voluit permanere. Ea iam grandæua & Deo sacrata permanens, magno Hierosolymæ, totiès in scripturis memoratæ, pia deuotione inuisendæ desiderio accensa est. Cumque eò peruenisset, per nuncios, quos habere poterat, sæpè obsecrauit fratrem suum beatum Arnulphum, vt à Domino impetraret, nè prius alter eorum moreretur, quàm mutuo conspectu potirentur. Cùm ergò vir sanctus postremò Aldenburgi maneret, & obitum suum cælitùs didicisset, quidam nuncius adueniens, ait sororem eius iam redeuntem superâsse Alpes, & valdè accelerare iter, vt possit ipsius conspectu frui. Tum vir sanctus ait: Oda soror nostra & germana in Domino, quantunuis properet, frustrà id nititur consequi, quod fieri non potest. Videat & contempletur actus nostros, diuinique timoris studium: nam faciem nostram in corpore deinceps nunquàm visura est. Illa interim pudicissima fœmina mirè festinans, quando Aldenburgum est ingressa, iam octo diebus vir sanctus sepulcro tenebatur: sicque tanto conatu frustrata, virili animo ad illam se visionem extendit, quæ nullo dierum numero finitur. Nos quidem tantam futurorum præscientiam in beato viro admiramur.

Prophetica sancti viri vox.

De campanis admirabiliter suo loco restitutis. Cap.44.

AMabant medullitùs virum Dei omnes eius loci incolæ, & summoperè cupiebãt illum apud se perpetuò retinere. Itaque modis omnibus disquirunt, quonam loco honestè apud ipsos posset residere. Erat Aldenburgi ecclesia, in B. Petri & omnium Apostolorum honorem antiquitùs fundata, diuinis miraculis celebris. Eam ergò laicorum dominio priùs expeditam & liberã, per manus Radbodi Tornacensis Episcopi conferunt viro Dei Arnulpho, vt illic sibi habitationem pararet, & futuri monasterij fundamenta primaque initia inchoët. Habet seniorum traditio, eam Ecclesiam sub Dagoberto Rege Francorum à beato Vrsmaro conditam, quã etiam diuina maiestas multis reuelationibus & miraculorum signis crebrò illustrauit. Ibi enim cæci receperunt visum, claudi & contracti erecti sunt, mutis instaurata loquela, surdis auditus reformatus est. Porrò anno Dominicæ incarnationis millesimo octogesimoprimo sancta Dominici natalis nocte vehemens ventus existens, turres vibium & tecta domorum & permulta ecclesiarum ædificia concussit, fregit, euertit, campanarium ecclesiæ S. Petri à suis cardinibus euulsum, in tectum turris, in qua fuerat, ad orientem impulit, ità vt sex noctes & dies sic pendulum cerneretur, tanquàm semper esset ruiturum. Manè loci incolæ celeriter conuocant architectos, proponunt præmia, si possint illud in suum locum reuocare. Multa illi promittunt, restes præparant, multa inter se ligamina colligant: & eccè dum populus illorum molitiones sustinet, quibus sperabatur campanarium restitutum iri, pridiè Calendas Ianuarij ante noctis medium sub ignis specie quædam à cælo virtus adueniens, campanarium quidem in suas sedes firmissimè reposuit, templum verò intùs & foris miro lumine complenit. Hæc quidem ego referre ausus non essem, nisi restes amplius mille ea se vidisse affirmâssent.

Ecclesia Aldenburgi à B. Vrsmaro extructa.

In nocte natiuitatis Dominicæ subuertitur Aldẽburgũ.

Nota miraculum,

Fœminam sanat manûs impositione &c. Cap. 45.

SOlebat vir sanctus, Catholicæ fidei propugnator, ægrotis ad ipsum remedij causa accedentibus, mox edito signo Crucis, manum imponere, & verba Dominica proferre, tertiò sic dicens: Super ægros manus imponent, & benè habebũt, quibus prolatis, fugiebant morbi, sanitas redibat. Id verò non ignorans quædam mulier Aldenburgensis, cùm nimijs premeretur doloribus, vénit ad eum, & cum lachrymis questa est, quid pateretur. Episcopus ergò manum ei imponens, ait: Secũdùm fidem tuam fiat tibi. simulque ei benedixt, mox dolor omnis abscessit.

Mar. 16. Morbidos vt curârit.

Redit

Redit ex Flandria ad Sueßiones, & rursùs viuit solitarius in multa asperitate. Cap.46.

EVm locum, quem paulò suprà diximus canonica traditione illi donatum, fratribus quibusdam ex ijs, qui ei aderant, commẽdauit repurgandum & instaurandũ, atque vt monastica ibì posset vita institui, commodis ædificijs instruendũ. Porrò ipse ad sedem Suessionẽsem se recepit, vbì sanè ab omnibus cupidè acceptus, & multo fauore & studio tractatus est. Peruenit autem ad eius notitiam Regis Philippi in quibusdam culpanda vita, & perpetua dissimulatio eorum, quæ eum coërcere oporteret, indiscreta quoquè Episcoporum & Abbatum promotio. Itaque magno afficiebatur tædio propter ea mala, quæ passìm fiebant, nullo rempublicam moderante gubernatore, & illa quoquè nobili Rhemorum moderatione tepescente, propter metropolitani iuris ereptionem: ità vt consultius putarent homines pij abdere se in solitudinem, quàm multorum contentiones & tumultus excitare. Illam ergò compunctionis nutricem, illam vigiliarum & psalmodiæ regulam, illã quietis & diuinæ contemplationis amicam inclusionem repetijt vir beatus, eligens abiectus esse in domo Dei sui, magìs quàm abire, stare, sedere in qualibet diuinæ legis transgressione. Nouerat enim potentes potenter tormenta passuros. eam ob rem declinauit à malis, vt totis viribus faceret bona, esseteque paratus & peruigil ad confestìm apetiendum Domino pulsanti. In ea autem inclusione vitam vixit valdè arduam, & virtutum studijs addictus, fame & siti, ieiunijs multis, frigore & nuditate se afflixit, semper occupans mentem suam scientia Dei, charitate non ficta, verbo veritatis, in virtute Dei, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto.

Redit ad cathedralẽ sũã residentiam.

Impẽsè dolet pleraque non rectè fieri.

Sap 6. Psal. 36. Luc. 12.

2. Cor. 6.

Redit accitus in Flandriam, & in itinere reuelatur ei obitus suus. Cap.47.

RVrsùs autem emergentibus quibusdam rebus importunis, nobiliores quiq; Aldenburgenses cum Euerolpho presbytero statuerunt ire ad virum Dei, & omnẽ mouere lapidem, vt eum reducerent in Flandriã, rebus illis & causis finem modumq; impositurum. Annuit eorum votis vir sanctus, & quidem libens, crebroque ait ad illos: Quòd ego nunc, filioli, in Flandriam proficiscor, non tam vestræ est voluntatis, quàm dispositionis diuinæ. Cùm autem Atrebatum venissent, vidit vir Dei non longè ab vrbe agellum virentem, in quo se ait parumpèr velle quiescere. Celeriter ergò ab equis desiliunt comites, & stratis humì vestibus, quietis captandæ locum ei parant. Post breuem quietem surgit ille, solito alacriùs sanctum nomen Domini benedicit, eiusque alacritatis causam exponens, ait: Noueritis charissimi, me posthàc nũquàm in Franciam reuersurum. Nam sub hoc breui spatio, quo corã vobis dormitaui, ostendit mihi Dominus, vbì Aldenburgum venero, me paulò pòst moriturum, & in S. Petri ecclesia locum sepulturæ, à Domino destinatum, habiturum. Eæ voces multo stupore & gemitu eos, qui aderant, compleuerunt: at tamen illo præsente nulli fas erat aut immodico mœrore contrahi, aut inepta lætitia dissolui. Tantum enim illi hominì Dei & authoritatis & gratiæ inerat, vt illũ videre & alloqui omnes appeterent, cùm tamen illum aliqua re offendisse, grandis piaculi loco haberent.

Redit in Flandriam.

Atrebatum situm est in Artesia.

Diuinitùs ei reuelatur obitus suus.

Graui morbo correptus, non vult sacram Vnctionem accipere, certus de die obitûs sui, & ideò differens eam Vnctionem in tempus opportunum. Cap.48.

MEnsis Iulij die decimooctauo incolumis & virtutum fama celebris venit Aldenburgum, & septem diebus illic benè sanus euangelizauit regnum Dei. Indè verò acri morbo correptus, decubuit vno & viginti diebus. Cumque iam in extremis positus videretur, suggesserunt fratres, vt sacris officijs se curaret præmuniri, nè sine ijs è vita exiret. Quibus ille mitissima voce respondit: Non vos isthuc solicitos habeat, charissimi filij: satìs enim ex Dei benignitate sentio, quid vel quandò mihi expediat. Nóui tempus & horam, & eius vos opportunè commonefaciam. Vicesimo indè die, postquàm decubuit, qui tum erat sexta feria, sub noctis medium cella, in qua iacebat, mirabili tremore & horrifico fragore tertiò concussa est, ità vt à fundamento euerti videretur, & monachi cum famulis, qui apud illum excubabant, intolerabili perculsi timore, cellæque ruinam formidantes, aufugere percuperent. At illos vir Dei blandis verbis consolans, hortabatur vt se quieti darent, certi nihil ipsos incommodi passuros. Ait autem ad eum Euerolphus presbyter: Domine mi, terra contremiscit, cella colliditur, ostium iam tertiò à me diligenter obseratum patescit, turbarum murmure locus circunsonat: & quînam inter tot terrores nos possimus somnum

Cella eius decũbentis multo fragore cõcutitur.

ſomnum capere? Reſpondit vir Dei: Nè paueas, dilecte frater. ſunt enim hæc omnia diuinæ maieſtatis ſigna. Porrò poſt paulùm dicam tibi, quæ vis cellam quaſſauerit & hunc terræmotum effecerit.

Sub obitum cæleſtibus viſionibus fruitur. Cap. 49.

PRoximo indè ſabbato, ſentiens mortem imminere, dixit fratribus: Parate iam funeri neceſſaria. nam ſub noctis initium decedam, vtì mihi Dominus, cui pro viribus ſeruire conatus ſum, heſterna nocte reuelauit, cùm ille terræmotus & aëris concuſſio fragorem cellæ excitaret. Sub prima enim quaſſatione beatus Petrus Apoſtolus ad me venit, ſignificans mihi peccata remiſſa, & vitæ ianuam patére. Aderat illi beatorum frequens cœtus, laudes diuinas continenter modulantiũ. Sub altera quaſſatione cum multis Angelicis ſpiritibus ſanctus Michaël me inuiſit, pollicens, ſe duce, me ad beatam vitam ingreſſurum. Tertia concuſſione adfuit Domina noſtra, vera miſericordiæ mater, multis ſtipata ſanctarum virginum agminibus, beniguiſſima voce me certiorem efficiens de anima mea inter Aſſumptionis eius gaudia in cælos transferenda. Sed vos omnes obteſtor, fratres mei, per Chriſti miſericordiã, nè, dum hîc ſum, cuiquam iſta referatis.

Sancti illi morituro appárent.

Feliciter à corpore migrat in cælos. Cap. 50.

VIceſimo & primo die ęgrotationis ſuæ, qui erat ſabbati dies & vigilia Aſſumptionis glorioſæ Dominæ noſtæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ, vocatis ad ſe diſcipulis cum eccleſiæ vicinæ Clericis, ſacro oleo voluit inungi, dans confeſſionem coram omnibus, & omnium preces humiliter expetẽs. Ait autem ad illos: Crãs de reſurrectione Domini gaudium erit in cęlis, & de aſſumpta Regina mundi, lętitia ſanctis Angelis duplicabitur. Chriſto largiente, tertia quoquè materia aderit, vndè gaudia illa triplicentur. Itaque prohibeo vobis, nè die craſtino mihi ſepulcrum fodiatis, ſed in ſecundam feriam id differatis. Ità enim cælitùs definitũ eſt, vt in die S. Arnulphi Metenſis Epiſcopi, huius peccatoris Arnulphi corpus terrę reddatur. Multa proindè prędixit tam de regni ſtatu, quàm de Epiſcoporum & principum caſibus futuris: quæ omnia etiam ità euenerunt. Sub horam autem veſpertinam corpus & ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumma cum deuotione percepit, omnibusque benè precatus, orabat vt ſibi quoquè omnes benè precarentur: ſicque ad requiem adſpirans, ſanctæ Crucis ſigno ſe conſignauit, & in ipſo Dominicæ noctis ingreſſu de lecțulo ſe ſubrigens, in pauimento, cinere & cilicio ſtrato, feliciter obdormiuit, & in regionem viuorum, Domino coniungendus, ingreſſus eſt, decimooctauo Calendas Septẽbris, anno Chriſti milleſimo octogeſimoſeptimo. Poſtquàm obitus eius populis innotuit, mirum dictu, quanta alacritate & deuotione plebs vndiquè confluens, omnia in circuitu compleuerit, Clericis pſalmos concinentibus, alijs pauperum refectionem apparantibus, nonnullis luminaria comportantibus, pleriſque omnibus exultantibus, quòd tantis exequijs intereſſe meruiſſent.

Accipit extremã Vnctionem ab Euerolpho presbytero.

Eius ſub mortẽ prædictiones. Euchariſtiã percipit.

Obitus eius

Defunctus porrigit manum, quæ iam obriguerat, vt annulus digito inſeratur. Cap. 51.

CVmque beati viri corpus pro more compoſitum, & pontificali habitũ ornatũ, in templum illatum eſſet, veritus frater Euerolphus, nè inter tot promiſcuas turbas rapax quiſpiam aureum annulum à manu eius abſtraheret, abſtulit illũ. Horâ autẽ ſepulturæ aduenientę, cùm vellet annulum digito rursùs adiungere, frigida manus & contracti digiti adeò rigebant, vt id efficere non poſſet. Ea re amor erga illum fidelium indoluit, orabantque cum gemitu, nè Dominus ſineret illud ſacrum corpus ſuo cultu carere. Et eccè illis piè conquerentibus, manus dextera à pectore ſe erigit, digitos diſplicat & diducit, & annulum digito inſerendi magnam præbet opportunitatem. Indè inſerto annulo, ad priſtinum ſeſe locum retrahit, & digitos, vt anteà, intrà volam contrahit. Nemo ſanè vnquàm poſſit ſcripto explicare, quantus amor, quantaque lætitia per omnium mentes peruaſerit, cùm cernerent hominem Dei, corpore mortuum, viuentis ſenſum exhibere, & ipſi inſeruientium affectu tam piè moueri. Contemplandum certè hîc eſt, & fideli mente retinendum, quantis laboribus & corporis macerationibus hic Chriſti ſeruus eam meruerit virtutis efficaciã, vt etiam membra defuncti gloria miraculorum polleant. Nimirùm non gulæ & ventri ſeruiendo, nõ opibus aut honoribus aucupandis tale munus à Chriſto accepit, ſed corpus mortificando, mandatis diuinis inuigilando, veræ charitati inhærendo, & in via

Præclarum & illuſtre miraculum.

Non neſciunt ſancti res noſtras.

via iuſtitiæ quotidianis augmentis creſcendo & perſeuerando. Cùm enim cubile cordis eius, corpore edomito, præclarè eſſet repurgatum, placuit ſpiritui ſancto glorificare glorificantem ſe, ſibique puram exhibere ſeruitutem, apud omnes gratioſum, amabilem & laude dignum efficere. Simul autem prudens lector obſeruet, quàm verax fuerit viri Dei vaticinium, quo multis annis antè prædixerat, funeri eius curando nullum Epiſcopum vel Abbatem adfuturum, ſed per Euerolphum monachum & preſbyterum id curatum iri. Talis enim occupatio vicinos Abbates, duos Gandauenſes, & vnum Bergenſem detinuit, vt quanuis ſolicitè inuitati, & adeſſe peroprantes, nullo pacto id poſſent conſequi. Vndè eſt id admiratione dignum, quòd ſanctus præſul tanta fuit rerum futurarum prouidentia, tanta ſancti ſpiritûs illuſtratione præditus, vt haud aliter res euenirent, quàm ipſe prædixiſſet. Celebratis porrò Miſſarum ſolennijs, à multis quoquè in pauperes diſtributis largiſſimis eleemoſynis, quo die S. Arnulphi Metenſium Epiſcopi feriæ celebrantur, eodem in eccleſia beati Petri Apoſtoli, huius ſancti viri corpus apud Aldenburgenſes humatum eſt in eius baſilicæ parte Aquilonari. Poſteà rogatus Regemarus, ſancti Bertini monachus, eiuſdem epitaphium compoſuit:

Aldenburgũ olim ciuitas diſtãs vno miliari à Giſtella

S. Arnulphi Epitaphiũ.

Miles in hoc mundo, modò puluis in hoc monumento,
Militiam mundi ſpreuit amore Dei.
Cuius tutelą, qua viuitur abſque querela,
Primùm deuotus Sueſſionis monachus,
Et mox anguſtæ deuotior incola cellæ,
Et per pauperiem, frigus & eſuriem,
Atque per inſomnes in fletibus & prece noctes,
Virtutum ſtudijs extulit & meritis.
Abba dein factus & præſul, vtrunque coactus,
Quæ dignè ſubijt, digniùs excoluit.
Huc veniens demùm, Domino donante, ſupremum
Claudens morte diem, tranſijt ad requiem.
Tranſitus eius ei prouénit fine dici,
Quam ſequitur celebris, orbe colente, dies:
Qua cæli Dominam de mundi valle Mariam
Intulit aſtricolis cælica turma choris.
Præſulis Arnulphi quo feſta dies celebratur,
Præſulis Arnulphi corpus humo tegitur.

De miraculis poſt obitum eius. Cap. 52.

POſtquàm vir beatus humanis rebus exemptus eſt, multa ad eius exuuias diuinitùs ſunt miracula declarata, multi morbi & languores curati. Nunc verò ab Oriente & Occidente permulti aſſiduè confluunt, & puluerẽ eius tumulo propinquũ colligentes, ad ſuos morbidos eum abſportant, atque indè ſalutare remedium illi celeriter obtinẽt. In calce libelli mihi meus cudendus eſt apologeticus, vt quorum relatu hæc didicerim, quibuſve vrgentibus hæc ſcribenda ſuſcipere auſus fuerim, omnibus perſpicuum fiat. Primus ex ijs fuit is, quem ſæpè diximus, Euerolphus, in eius ſeruitio perſeuerans: qui cùm præſens res eius certiùs cognouiſſet, mecum Aldenburgi manens ad dies aliquot, cuncta, quæ nouerat, mihi in cera exaranti, ordine enarrauit. Alter Arnulphus, ſancti viri ex ſorore nepos, & primus Abbas Aldenburgenſis, quæ ceris impreſſeram, mihi adiumento fuit, vt ea atramento in chartis conſcriberem. Tertia deniquè, ſoror eius Adzela, quæ illi fuit familiarior, multa de eo nobis indicauit.

Nota mirã vim puluꝛis, apud ei⁹ ſepulcrum collecti.

Arnulphus primus Abbas Aldenburgenſis, ordinis S. Benedicti.

CONSTANTINI, COGNOMENTO PORPHYROGENITI, IN CHRISTO ROMANORVM IMPERATORIS, *Narratio, collecta ex Historijs, De non manufacta Christi Dei nostri Imagine, missa ad Abagarum, & ex Edessa translata in hanc beatissimam vrbium reginam Constantinopolim.*

Huic narrationi, vt hoc loco in Simeone Metaphraste annotauit reuerendissimus Veronæ Episcopus Aloysius Lipomanus, minimè dubia fides habenda est: tum quòd apud Græcos, vt ex eorum Minæis constat, celebratur festum exportationis ipsius IMAGINIS ex Edessa ciuitate ad vrbem Constantinopolitanam tempore Romani Imperatoris: cuius filij fuêre duo, præsens scilicet author Constantinus, & Romanus: qui etiã, dum pater viueret, appellabãtur & ipsi Imperatores: tum quòd & Euagrius in Ecclesiastica sua Historia, & secunda Nicena Synodus, ipsam Euagrij Historiam & alios super hoc in V. Actione allegando, abundè tractant. Hæc Aloysius. Videat etiam Lector Adriani I. Pontificis Maximi scriptum, quod habetur Tomo tertio Conciliorum postremæ editionis, cap. 18.

16. Augusti Cap. 1.

NON solùm compræhendi non poterat patri coæternum Dei verbum: sed eius quoquè plurima, vel omnia potiùs eius opera tegũtur eádem caligine incompræhensibilitatis: neque ea solùm, quæ constituit, hoc vniuersum architectans: sed ea etiam, quæ, in assumpta per œconomiam massa nostri corporis nobiscum versatus, fecit per primam illam & vnicam potentiã suę diuinitatis. Vndè oportet omninò eum, qui seipsum non ignorat, & quæ sunt supra ipsum, se nescire cognoscit, non gloriari in immẽsum, neque stolidè ingredi per inane, nec contendere se omnia scire, neque ignorare, quæ ipse non compræhendat. De hac igitur expressa forma eius, qui fuit Deus & homo, quæ impressa fuit sine pictura admirabili eius qui fecit voluntate, in contexta veste, quæ eam susceperat, & tunc quidem missa fuit ad Abagarum ad eius curationem: nunc autem Edessa ad hanc vrbiũ reginam, certo omninò Dei consilio & prouidentia ad eius salutem & custodiam est translata, vt ex ijs, quæ sunt pulchra & honesta, nihil ei deesset, cùm debeat omnes vincere in omnibus: existimo oportere cum, qui est pius & iustus auditor & spectator, singulorum quidem historiam singulatim vt sciat, postulare, & antiquæ narrationis velle certam & non dubiam accipere sententiam: Causam autem, quomodò ex gutta humida absque colorbus & arte picturæ, impressa fuit forma vultũs in panno ex lino contexto, & cur quod est contextum ex materia, in quam tam facilè cadit interitus, interitum tempore non accepit, & quæcunque alia is, qui res aggreditur naturaliter, solet diligenter perscrutari, relinquere Dei sapientiæ, ad quam non potest accedi: vt qui sciat, quòd si quis accuratè omnia contenderit appræhendere, exturbatus in perfectam ignorationem, & præcipitatus in profundum incompræhensibilitatis, veniet in periculum, nè in ijs, quæ sunt præcipua, patiatur iacturam, pauca nolens concedere. Quotquot ergò in fide recti, & ardentiore zelo huc conuenistis, agitè adeste, & narrabo vobis ea, quæ qua oportuit perscruratus examinatione, & non sine labore versatus in inquirenda veritate, tam ex ijs, qui historias conscripsêre, quàm ex ijs, qui illinc ad nos venêre, quæ tanquàm in arcanis dicebant apud eos conseruari, memoria exactè potui cognoscere.

Imago Christi, Edessa Constantinopolim translata.

Vestis vultus Dominici non patitur interitum.

Cap. 2. Psal. 71.

Cùm Dominus & Deus & Saluator noster Iesus Christus ad genus nostrũ erigendum apud nos versaretur, erat, vt dicit Propheta, multitudo pacis in terra, & fuerat dissipatus multorum principatus, & administratio, cùm tãquàm ab vna zona, Romano Imperio cinctus esset vniuersus orbis terrę, & subiectus esset vni gubernatori. Ideò erat omniũ cum omnibus secura congressio: neque sibi videbantur homines terram habitare diuisam, sed vt quæ ab vno Domino possideretur, & esset tota vnius opificis: & collum primo illi seruo inclinantes, pacem inter se agitabant. Quamobrèm qui tũc quoquè erat Edessæ Toparcha Abagarus, erat Aegypti Præsidi notus & amicus, & alterius ad alterum veniebant vtrinquè ministri. Quo circà illo quoquè tempore, quo Dominus noster & Deus paternam implens voluntatem, salutarem doctrinam proponebat hominibus, & per insignia miracula, ad fidem in eum habendam conuertebat homines: accidit vt quidam ex ministris Abagari, nomine Ananias, in Aegyptum vadens per Palæstinam, in Christum incideret, & eum procùl contemplaretur, verbis ab errore attrahentem multitudinem, & quæ omnem superabant opinionem, facientem miracula. Postquàm ergò iter suum confecisset in Aegyptum, & ijs, quæ mandata fuerant, tractatis rediret, cùm recordaretur dominum suum diuturno articulari morbo tyrannicè vexari, & nigra lepra consumi, & duplicem calamitatem, vel multiplicem potiùs morbum sentire, quòd & articulorum affligeretur doloribus, & lepræ malis cruciaretur, (aderat autem pudor quoquè deformitatis, propter quam ab hominibus non erat adspectabilis: & neque solummodò erat ferè semper in lecto, sed amicos etiam, qui veniebant ad eum adspiciendum, præ pudore celabat) propterea hæc laborauit scire diligentiùs, vt posset certè renunciare domino suo, quô ille quoquè fortè per eum sanitatem consequeretur. Inuénit ergò rursùs Dominum in eisdem locis mortuos excitantem, cæcis visum donantem, claudos ad ingrediendum integros efficientem, sanosquè & firmos reddentem omnes, qui aliqua laborabant infirmitate.

Nigra is lepra laborat.

Postquàm ergò persuasum habuit, & apertè cognouit hæc fieri à Domino, ea Abagaro reuersus significauit: & pluribus ea, quæ viderat & audierat, edocuit. Quamobrèm vt qui rem in transitu comparâllet maiorem, quàm quæ ei commissa fuerat, & vt qui bona afferret nuncia, benignissimè fuit exceptus, & habitus fuit vnus ex maximè beneuolis. Et quoniã qui alicuius rei desiderio tenetur, tanquàm rapinam existimat, si quod promissum fuerit, differatur, re, quæ narratur, & spe ipsa hominem excitante: vehementiq; studio incitatur ad venandum id, quod significatum fuerit: idcircò Abagarus est excitatus, vt literis eum accerseret, qui talia dicebatur posse curare. Et protinùs scripsit ad Dominum eam, quæ vbiq; circunfertur, epistolam: Abagarus Toparcha Edessæ, Iesu Saluatori, qui bonus exortus est medicus in ciuitate Hierosolymorũ, salutem. Auditione accepi de te, & de tuis curationibus, vt quæ à te fiant sine medicamentis & herbis: &, vt fertur, cæcos facis videre, claudos ambulare, leprosos mundas, immundos spiritus & dæmones expellis, & eos curas, qui diuturno fuêre morbo vexati, & mortuos excitas. Cùm hæc autem omnia de te audiuissem, duorum alterum mihi vénit in mentem vt cogitarẽ, vel te esse Deum, & cùm è cælo descenderis, hæc facere: vel te esse filium Dei. Propterea ergò ad te scribens rogaui, nè graueris ad me venire, & morbum, quo laboro, curare. Etenim audio Iudęos adtersùs te murmurare, & velle tibi malefacere. Est autem mihi ciuitas minima, & honesta, quæ vtrisque nobis sufficiet, vt in pace in ea habitemus. Quoniam ergò Ananias & suæ in dominum beneuolentię aperta prębuerat indicia, & viam rectè sciebat, & pingendi artem callebat, per eum ad Iesum talem misit epistolam, mandans ei, vt si literis Christo persuadere non posset, vt ad ipsum veniret, eius quidem certè formæ similitudinem accuratè descriptam ad eum afferret, vt in vmbra saltem disceret, non solùm per auditum, sed etiam per visum, qualis sit hic magnorum opifex miraculorum.

Abagarus toparcha.

Cap. 3. Narrat Ananias seruus Abagaro miracula Christi.

Abagari ad Christum Epistola.

Cùm autem qui missus fuerat, peruenisset in Iudæam, inuénit Christum sub dio differentem cum populo, qui confluxerat, & prodigiosè facientem insignia miracula. Cùm verò propter multitudinẽ eorum, qui propter diuersa, quibus opùs habebãt, venerant, non posset Ananias Iesu appropinquare, in quandam petram, quæ parùm eminebat à terra, non procùl à loco, in quo Iesus versabatur, assẽdit & assedit. Et cùm ei fuit manifestus Iesus, quem populus abscondebat, cęterosq; supereminuit, statim in illum quidem oculos, in chartam autem manum defigebat, & eius qui cernebatur, describebat similitudinem. Hæc autem cognouit Iesus spiritu, & cùm Thomam accersiuisset: Vade, inquit, in illum locum, & hominem, qui sedet supra petram, & meam formam describit, adduc ad me, afferentem etiam, quã habet ad me epistolam, vt impleam, quod prębepit is, qui misit. Vadens ergò Thomas, & agnoscens Ananiam ex eo, quòd audierat quid cum esset inuenturus facientem, duxit ad Iesum. Priusquàm autem ab eo acciperet epistolam, dixit ei Christus causam, cur ad se venisset, & quid contineret epistola. Deindè cùm eam accepisset, & perlegisset, alteram epistolam rescripsit ad Abagarum his verbis: Beatus es, ô Abagare, qui in me credidisti, cùm me non videris. De me enim scriptum est, quòd qui me viderunt, in me non credunt: & qui non viderũt, ipsi credent & viuent. Quod autẽ ad me scripsisse, vt ad te veniam,

Vult Ananias depingere Christi effigiẽ, sed impeditur.

Christi Epistola ad Abagarum.

veniam, oportet me hîc omnia implere, propter quæ huc sum missus. Et postquàm impleuero, assumi ad eum, qui misit me, patrem. Postquàm autem fuero assumptus, mittam ad te vnum ex meis discipulis, qui tuum morbum curabit, & vitam æternam & pacem tibi præbebit: & tuæ ciuitati cauebit, vt nullus eam possit superare inimicus.

Cap.5. Cùm Ananiæ Christus eam tradidisset epistolam, quoniam videbat eum solicitum, vt alterum domini sui exequeretur mandatum, nempe vt ad eum deferret illius formæ similitudinem, cùm aqua faciem abluisset, deindè humorem, qui ex ea descendebat, in dato ei mantili absterssisset, diuinè prouidit, & supra rationem, vt eius figura in eo imprimeretur, & cùm eam tradidisset Ananiæ, iussit reddi Abagaro, vt & eius solaretur desiderium, & morbum reprimeret. Postquàm ergò cum his reuertens Ananias, peruénit ad ciuitatem Hieropolitanorum, quæ Saracenorum quidem voce dicitur Membich, Syrorum autem Mabuc, cumque extra eam ciuitatem diuertisset adolescens, in cumulo tegularum recenter factarum, qui illic iacebat, sacrum illum pannum occultauit. Circa mediam verò noctem visus est ignis plurimus illum locum in orbem circundare, adeò vt intrà ciuitatem viderentur omnia circuncirca ardere, & de se iam timentes, exirent, vt inquirerent de eo, quod videbatur, incendio. Illic autem inuentum comprænderunt adolescentem, vt qui hoc admisisset facinus, & de re eum sunt scisciatí, & quisnam ipse esset, & quò iret, & vndè veniret, sunt percontati.

Christus suâ imaginem imprimit mantili.

Cap.6. Cùm verò dubius animi esset adolescens propter alienam criminationem, tunc declarauit, vndenàm esset, & vndè veniret, & quid afferret: & significauit se deposuisse in tegulis id, quod afferebat, vndè etiam visa est flamma accendi. Statim autem volentes illi scire veritatem eorum, quæ dicebantur, cùm locum essent perscrutati, inuenerunt non solùm id, quod ab adolescente Anania illic erat repositum, sed etiam in vna, quæ propè erat, tegula, diuinam aliam expressam effigiè, admirabiliter & suprà quàm posset consequi intelligentia, cùm quæ descripta non fuerat forma, in testa ex contexta tela descripta fuisset. Quod cùm vidissent, pleni stupore & admiratione, propterea quòd ardens ignis nusquàm esset inuentus, sed ex claritate, quæ erat in forma, flamma visa esset emitti, tegulam quidem, quæ in se diuinam expressam habebat effigiem, apud se detinuerunt, tanquàm aliquem sacrum & pretiosum thesaurum: vt qui ex eo quod viderant, conijcissent diuinam, quæ in ea erat, operationem: primùm autem exemplar & eius ministrum veriti retinere, miserunt ad Abagarum. Et nunc conseruatur, & in honore habetur apud eius oppidi habitatores, forma quæ est in tegula, non descriptæ formæ non descripta, & non manufactæ non manufacta. Ananias autem cùm confeciſſet iter sibi propositum, aperuit domino ea, quæ interim facta sunt, ei etiam redditis salutaribus, quæ afferebat, symbolis.

In tegula miro modo Christi imago expressa cernitur.

Cap.7. Et hoc quidem est, quod dicitur à pluribus, quod neque remotum est à probabilitate, neque bonis eget testibus. Cæterùm hoc quoquè exponam, nè quis suspicetur, me, dum ego id ignorarem, tenuisse alterum. Neque omninò est mirum, in tanto tempore sæpè errare historiam. Nam in eo, quod est hac in re præcipuum, omnes consentiunt, & confitentur ex facie Dominica admirabiliter in linteo fuisse formam expressam: in nonnulla autem rei circunstantia, seu in tempore differunt. quod quidem nihil lædit veritatem, seu priùs factum sit, seu posteriùs. Sic autem habet alterum quoquè, quod dicitur: Cùm, inquiunt, esset Christus iturus ad salutarem passionem, quandò humanam ostendens imbecillitatem, visus est animo anxius, & orans, quo tempore eius quoquè sudorem tanquàm guttas sanguinis distillâsse significat Euangelium, tunc dicunt eum, cùm accepisset à quodam ex discipulis hoc, quod nunc videtur, fructum linteî, stillantes imbres in eo absterssisse, & statim fuisse expressam hanc, quæ videtur, diuinæ illius formæ effigiem. Quod cùm apud Thomam deposuisset, postquàm ascendit in cælos, per Thaddæum iussit mitti ad Abagarum, implens id, quod erat ei literis pollicitus. Postquàm ergò assumptus esset in cælos Dominus noster Iesus Christus, dans Thomas Thaddæo non manu descriptam Domini nostri faciei effigiem, misit ad Abagarum.

Luc.22.

Cap.8. Thaddæus venit ad Abagarum. Cùm ergò Thaddæus peruenisset Edessam, mansit primùm apud quendam, qui illic erat, Iudæum, cui nomen erat Tobias. Et ante sermones ex factis volens Christi discipulus seipsum notum reddere Abagaro, eos, qui erant ægroti illius ciuitatis, curauit sola Christi inuocatione. Quamobrèm cùm fama citò peruasisset, (quod quidem solet euenire in ijs, quæ sunt eiusmodi: Res enim, quæ sunt admirabiles & præ-

præter opinionem, multos habent, qui eas renuncient) peruénit etiam ad Abagarum, per quendam ex eius proceribus, qui vocabatur Abdu, illic scilicet esse Christi Apostolum. Cùm itaque statim apud se cogitâsset ex ea spe, quæ in ipso habitabat, hunc illum esse, quem Iesus literis suis pollicitus est se ad eum missurum: & cùm de Thadæo ipso didicisset perfectiùs, iussit vt ad se adduceretur. Veniens ergò Tobias, significauit hæc Apostolo. Ille verò cùm dixisset se in virtute ad eum esse missum, deinceps venit ad Abagarum. Cùm autem esset ante conspectum eius appariturus, in sua fronte, tanquàm in columna, appensa ea Domini Iesu, quam diximus, similitudine, sicingressus est ad Abagarum. Is verò cùm ipsum procùl vidisset venientem, visus est videre lucem maiorem, quàm vt eam ferre posset adspectus, radiosque emittentem, quæ ex eius vultu exiliebat. Prodibat autem ab effigie, quæ erat ei imposita. Quamobrèm insigni luminis splendore obstupefactus, & velut eorum, quæ sibi acciderant, oblitus, & diuturnæ membrorum paralysis, è lecto exilijt, & resoluta membra coëgit ei currere obuiàm. Eique idem accidit, sed alio modo, quod ijs, qui in monte Thabor resplendentem formam Domini viderant. Cùm ergò ab Apostolo eam accepisset effigiem, & capiti, labris & oculis eam imposuisset, & nec alias quidem partes corporis eo contactu priuâsset, illicò cognouit omnia membra mirandum in modum roborari, vt quæ mutationem in melius susciperent, lepramque expurgatam & fugientem, etiamsi in fronte eius aliquæ adhuc paruæ restarent reliquiæ. Cùm autem verbum veritatis ab Apostolo didicisset apertiùs, & de Christi, quæ opinionem superant, miraculis, diuinisque passionibus, & sepultura, & resurrectione à mortuis, & assumptione in cælos, perfectè audîsset, & confessus fuisset Christū verum esse Deum, eum rogauit de forma in linteo impressa, quandò quidem propiùs adstans, cognouit eam non consistere per colores materiales: & stupebat eam, quæ in ipsa erat, virtutem, quæ fecit, vt admirabiliter è lecto surgeret, & connumeraretur inter sanos. Adhæc Thadæus declarauit tempus angoris animi, & eam, quæ ex sudore sine colore facta est, transformationem, & vt ad ipsum veniret, iussum Domini, & alia quæcunque præcedens narrauit historia.

Vocat ad se Apostolum Abagarus.

Lux ex vultu Apostoli exiliebat, propter Christi Effigiem.

Matt.17.

Imaginis coactu lepra curatur.

Credit in Christum Abagarus.

Cap.9. Postquàm ergò & ex his, & ex impositione manuum Thaddæi in nomine Iesu Christi ea, quæ dolorem afferebant, recesserunt, & quæ erant dissoluta, quodammodò constringebantur, & deformitas dispergebatur, & omnia redibant ad sanitatem: Abagarus in maximam omni ex parte adductus admirationem: Reuerà, inquit, verus es & germanus Iesu filij Dei discipulus, qui curabat sine medicamentis & herbis: Et ego tanta in eum sum deuinctus charitate & fide, vt nisi ego vererer summam Romanorum potentiam, qui non permittunt ijs, qui sunt subiecti eorum imperio, contra se inuicèm arma capere, fortiter aduersùs Iudæos, qui crucifixerunt Dominum, arma mouissem, & eos subegissem. Nunc autem quoniam didici eius passionem fuisse voluntariam, & persuasum habeo, quòd nisi voluisset, ingrati in eum nullam habuissent potestatem, nihil quæro ampliùs. Rogo autem, vt diuinum quoquè consequar baptismum, & cum tota domo Domino Christo reddar familiaris. Cùm itaque multa priùs effecisset miracula Domini Apostolus, & omnes curâsset à morbis suis, inter quos is erat etiam, qui primus de eo famam retulit ad barbarum, quem liberauit à podagra, adduxit Abagarum ad diuinam piscinam: & cùm in eo ea fecisset, quæ sunt de more, baptizauit eum, & vxorem, & filios, & omnes, qui erant in eius domo. Et egressus est ex diuina hac aqua expiationis totus mundus & sanus, repentè deletis ijs quoquè paruis lepræ reliquijs, quæ erant in eius fronte. Hinc factum est, vt omnibus modis colens & adorans hanc formæ Domini effigiem, hoc quoquè alijs adiecerit Toparcha.

Rogat baptizari.

Abagarus cum multis baptizatur.

Antiquissimus imaginum vsus & cultus.

A veteribus Edessæ habitatoribus imago cuiusdam dei insignis ex dijs gentilium, posita erat ante portam publicam ciuitatis, quam necessè erat adorare omnem, qui volebat ingredi ciuitatem, & quasdam preces reddere constitutas, & sic intrare vrbis vias & vicos. Hanc ergò cùm tunc diruisset Abagarus, & omninò deleuisset, in eo loco, vbi ea erat posita, hanc non manu factam Domini nostri Iesu Christi imaginem, cùm in tabula conglutinâsset, & hoc, quod nunc videtur, auro ornâsset, posuit, hæc verba in auro inscribens: Christe Deus, qui in te sperat, à spe non excidit. Et statuit, vt quicunque per illam portam erat transiturus, pro illa veteri inutili columna, eum quem par erat cultum, & honorem qui debetur, & adorationem tribueret longè admirabili & miraculorum effectrici Christi imagini, & sic ingrederetur

Cap.10.

deretur ciuitatem Edeſſæ. Itaque conſeruatum eſt hoc huius viri pietatis expreſſum monimentum,& Deo dedicatum donarium,donèc in hoc vitæ incolatu manſit Abagarus, & eius filius, qui regni ſimul & pietatis paternæ fuit ſucceſſor. Cæterùm eorum filius & nepos,fuit quidem ſucceſſor paterni & auiti imperij : non fuit autem hæres etiam pietatis : ſed in pietatem calcibus,vt ità dicam,inſultauit, & ad dæmones & idola transfugit. Quamobrèm dæmones quoquè velutì remunerans,voluit,quoniam eius auus idolicam illam deleuit imaginẽ,eandem afferre condemnationem Domini imagini. Sed quod captabat,minimè eſt aſſecutus vir fraudulentus. Nam cùm hoc præſciuiſſet loci Epiſcopus, ea, qua ipſi licuit, vſus eſt prouidentia. Et quoniam locus,in quo ſita erat imago,ſeruabat figuram hemiſphærij,ſpeciem cylindri referentis,accenſa ante imaginem lucerna,& impoſita tegula,cùm calce & coctis lateribus obſtruxiſſet loci ambitum,redégit murum in planam ſuperficiem. Cùm igitur non videretur diuina forma, deſtitit ille impius à conatu. Ideò autem, vt arbitror, ſtatuum eſt à ſacerdote,vt ante imaginem poneretur tegula, nè aliqua putrefactio, quæ fit ex ſitu ædificij,& ex humore calcis,ineſſet in linteo imaginis receptaculo, & ex diuturnitate temporis aliquid damni acciperet.

Chriſti imago abſconditur,nè ab impio rege deſtruatur.

Cap.11.

Fluxit itaque interìm multum temporis, & ex hominum effluxit memoria ſacræ huius imaginis in columna erectio,ac eiuſdem abſconſio. Poſtquàm autem ſuo tempore Choſroë Rex Perſarum,Aſiæ ciuitates diripiens,venit etiã Edeſſam, & ante eam caſtra metatus,omnem mouit machinam,& omne comparauit inſtrumentũ aptum ad oppugnandam ciuitatem,(fabricatus eſt nanq; omnia, quæ pertinent ad emittenda tela,conquaſſandos muros,& confringendas portas) in tantum periculum adducti Edeſſeni, ipſi quoquè excogitabant, quæ poterant, ad ſuî defenſionem. Miſerunt autem legatos quoquè ad petendum auxilium à ducibus Romani exercitûs. Ilion verò,qui tũc præerat Romanis copijs,& per ſe vexabatur ab hoſtibus,non poterat Edeſſenis mittere auxilium:Literis autem addebat animum, epiſtolam Domini reuocans in memoriam,& veram,quæ eſt in ipſa prolata,ſententiam, per quam dicitur & creditur fore,vt conſeruetur non direpta ciuitas. Perſæ autem cum aperta inuaſione occultas quoquè moliebantur inſidias.Et cùm procùl cœpiſſent fodere, cogitabant per cuniculos ingredi ciuitatẽ. Cùm verò perindè ac quidam vrinatores ſub terra eſſent intrà muros,ex tali cauſa contigit,vt manifeſtæ fierent inſidiæ ijs, qui erant intrà vrbem. In illa enim vrbis parte habitabat faber æris intrà muros, cuius vaſa ænea in domo ſublimia ſonitum emiſerunt, Perſis ſub terra pulſantibus, & puluerem effodientibus. Cùm ergò planè eſſent inopes conſilij,& eſſent ad extremam redacti deſperationem Edeſſeni ciues, ad Deũ confugiunt, & cum dolore cordis & lachrymis ipſum exquirunt.Noctù autem appáret Epiſcopo (Erat verò is Eulalius) mulier quædam honeſta & moderata,præſtantior,quàm vt homo eſſet,ei conſulens, vt Chriſti non manufactam acciperet imaginẽ,& cum ea faceret ſupplicationem : foreque dixit,vt Dominus omninò ſua oſtendat miracula.Epiſcopus autem dicebat ſe omninò ignorare, an ſit apud ipſos,an apud alios ea imago. Tunc dicit ei, quæ in muliebri apparebat habitu : Supra portam ciuitatis,in hoc loco,hoc modo abſconſa fuit hæc imago.

Choſroë obſidet Edeſſam.

Periclitatur ciuitas ex obſidione.

Viſio offertur Eulalio Epiſcopo de Chriſti effigie.

Cap.12.

Manè ergò Epiſcopus euidenti viſione fretus, ad locum veniens cum precibus, & perſcrutans,inuenit hanc diuinam integram & incorruptam imaginem,& lucernam, quæ tot annis non fuerat extincta : & in tegula ante lucernam impoſita ad eius cuſtodiam,aliam expreſſam ſimilitudinem ſimilitudinis,quæ in hodiernum diem conſeruatur Edeſſæ. Cùm ergò ſumpſiſſet in manus hanc diuinam Chriſti, qui eſt Deus & homo,effigiem,meliori ſpe concepta,venit ad eum locum,in quo Perſæ fodientes,ex æris ſonitu depræhenſi fuerant. Et cùm cœpiſſent ciues fodere intrinſecùs, vbi ſibi inuicèm appropinquârunt,ex illa lucerna oleum inſtillantes in ignem,qui fuerat eis paratus aduersùs inimicos,& immiſiſſent contra Perſas, qui erant in cuniculo, omnes perdiderunt. Et cùm hinc liberati eſſent ab inſidijs,eádem vſi ſunt experientia aduersùs machinas,quæ erant extra muros, & eas repentè combuſſerunt, & multos conſumpſerunt ex ijs,qui erant in eis,hoſtibus.

Vide admirabiles effectus huius venerandæ imaginis.

Iam autem effecti fidentiores,lapides quoquè è muris emiſerunt, à quibus ducem quendam exercitûs hoſtium contigit interimi,& alios multos cum eo. Nec id ſolùm, ſed etiam ea,quæ extrinſecùs à Perſis accenſa fuit, pyra aduersùs eos, qui erant intùs, quam olearum & multarum aliarum,quas immiſerant,arborum alebat infinita materia,effecit diuinæ imaginis auxilium ferentis virtus, vt contra ipſos eſſet, qui accenderant.

Magna vis ſacræ imaginis.

rant. Poſtquàm enim ex alto Eulalius eam è muro ſuis explicâſſet manibus, & obiret ciuitatem,repentè cùm peruénit ad hunc locum,ventus vehemens excitatus, aduersùs eos,qui hunc rogum accendebant,flammam conuertit: quæ eos perſecuta fuit & exuſſit,ſicut olim Chaldæos. Dan.3.

Non ſunt hæc miracula nullis approbata teſtibus, aut oratione compoſita ad aures oblectandas,aut à nobis conficta deceptio : ſed tres ſimul Patriarchæ, Iob Alexandrinus, Chriſtophorus Antiochenus, & Baſilius Hieroſolymitanus hæc ſcripſerunt, & hæc ità ſe habere ſignificârunt Theophilo Imperatori,qui ſacras imagines iniuria affecerat : quandò multis oſtendentes,quàm ſint ſacræ & venerandæ imagines, de hoc quoquè tractârunt. Licet autem ei, qui velit, ipſam prolixam legere epiſtolam,& id diſcere. Sed Euagrij quoquè eccleſiaſticam ſi quis diligenter legerit hiſtoriam,ſciet omninò, quænam de hac ſacra imagine narret in quarto libro. Scribit enim,quòd cùm alijs de cauſis Choſroë, tum ob eam potiſſimùm rationem exercitum duxerit,vt apertè oſtenderet eſſe falſum, quòd à Chriſtianis de Edeſſa iactabatur ciuitate,eam non poſſe expugnari ac diripi. Qui cùm magnam lignorum ſtruem & penè infinitam,breuì multa manu militum coëgiſſet, & ea circuncircà fixiſſet aduersùs muros ciuitatis : deindè terram in medium eorum iniecíſſet,& alium murum ei exaduersò ædificâſſet, fuit altior muris Edeſſæ. Et ſic ex ſuperioribus locis, & ſupra modum dexteris,erat mox tela emiſſurus aduersùs eos, qui pericula adibant pro ciuitatis defenſione. Quod quidem cùm viderent Edeſſeni, apertè velutì montem excitari aduersùs mœnia,per quem tanquàm ex plano,credebant hoſtes eſſe ingreſſuros ciuitatem,etsì planè eſſent perplexi, & neſcirent quid agerent, machinantes tamen ipſi quoquè,quæ poterant,aggrediebantur ducere foſſam ante murum illum recenter factum,vt ſi poſſent attingere vallos, qui erant ante aggerem, terram in foſſam attraherent,& ſic magnus ille murus, tanquàm ſomnio effictus, citò peſſundaretur & difflueret. Poſtquàm autem abſoluta quidem eſſet foſſa, ignem verò in ligna immittentes,à ſcopo aberrarent, nec poſſet ignis, propterea quòd terra eſſet conſtipata, & ligna adhuc viridia, aliquid appræhenderẽ, cùm hanc ſacram Imaginem in illam recenter ductam foſſam tuliſſent, & ex ea aquam ſanctificâſſent, eaque rogum & ligna adſperſiſſent, effecerunt, vt ignis eſſet efficax. Et fidei eorum, qui hæc fecerunt,opem ferente diuina virtute,facta eſt aqua igni tanquàm oleum, & accendit flammam, & conſumpſit quicquid appræhendit. Tunc ergò rex Perſarum deſperans fore vt vrbs caperetur, cùm didiciſſet vndenàm haberent auxilium, proceſſit ad ineundam cùm eis conuentionem : & percuſſo fœdere pacis, reuerſus eſt in ſuam regionem. Videat lector 2. Nicenæ Synodi actione 5.

Init pacem Rex Perſarum cum Edeſſenis.

Erat autem ipſe quoquè haud ità longo poſt tempore beneficium aſſecuturus ab hac ſacra imagine,quę hoſtes eius beneficio affecerat,& ſuos de medio ſuſtulerat. Eius enim filia,quã dæmoniacus inuaſerat ſpiritus, & exceſſerat à ſtatu, qui eſt ſecundùm naturam,aſſiduè clamabat ab eo vexata : Nisì venerit Edeſſà imago non manu facta, id,quod in ea habitat,non eſſe egreſſurum. Quod cùm Rex audijſſet, & quæ in obſidione euenerant, conſiderâſſet, (nequè enim eum latuit, quæ repentè extitit virtus admirabilis,& audacia Edeſſenorum) ſcribit ſtatìm ad Præſidem ciuitatis, & ad Metropolitanum Eulalium,& ad commune ciuitatis, vt ſtatìm ad eum mitteretur diuina & maximæ virtutis effigies : adijciens etiam cauſam, nempe filiæ calamitatem, & omninò rogans & inſtans,nè fruſtraretur petitione. Illi autem Perſicos mores ſuſpectos habentes,& timentes,nè Rex Perſarum vellet eorum vires dolo ſurripere, & cauentes,nè eam,in cuius erant tutela,& quæ eos beneficio afficiebat,perderent,nec eo prætextu initam pacem ſoluerent,capiunt conſilium prudens & eis vtile.Cùm itaquè omninò æqualem,&,quoad eius fieri potuit,ſimilem non depictæ depictam effinxiſſent imaginem,mittunt ad eum, qui petierat. Poſtquàm autem fuerunt intrà fines Perſidis ij, qui afferebant imaginem, ſtatìm per filiam Regis exclamauit dæmon, ſe ſtatìm exiturum, & mutaturum eſſe habitationem propter eius, qui venit, potentiam,ſi modò reuertatur,quæ accerſita fuit,imago,& non appropinquet regiæ, nequè ciuitati Perſarum. Quod à Rege magnoperè contendebat,& ab eo ſupplex petebat. Cùm Rex autem eſſet pollicitus, egreſſo è puella dæmone, & Regis filia ſanitati reſtituta, Choſroë, ſiue implere volens dæmonis petitionem, & confirmare quod erat pollicitus, ſiue eius, qui veniebat, extimeſcens potentiam propter malos & ſceleſtos ſuos mores,miſit qui iuberent,vt hæc imago reuerteretur in ſuam ciuitatem, Cap.13.

Choſroë rex Perſarũ petit ſibi mitti Saluatoris imaginem.

Ecce mira imaginis vim.

Cap.14.

tem, è qua exierat, adiectis à se missis donis ad eos, qui eam miserant. Erant ergò apud Edessenos hæ preciosæ opes, thesaurus, qui non potest exinaniri, imago illa primaria, & non depicta, quæ semper ab eis honorabatur, & eos vicissim custodiebat.

Cap. 15.

Romanus, Imperator Romanorũ offert Edessenis multa pro Christi effigie.

Postquàm autem ad hanc vrbium reginam vndiquè confluxerunt, quæ sunt optima & pulcherrima, eratque Dei voluntas, hanc quoquè sacram imaginem hîc recondi cum alijs thesauris: Romanus, qui erat Romanorum dominus imperij, studium adhibet, vt per ipsum ciuitatum regina hanc consequatur. Diuersis verò temporibus mittens Edessam, petebat, vt ea cum Epistola, quam Dominus sua manu scripserat, ad eum mitteretur: & promittebat, se contrà eis daturum in permutatione Saracenos numero ducentos, & argenti signati duodecim millia. Edesseni autẽ dicebant sibi non conducere, suæ ciuitatis custodem & conseruatricem argento & hominibus mortalibus permutare. Cùm autẽ ille sæpè petendo instaret, illi verò sæpè preces reijcerent, tandem sexiès millesimo quadringentesimo quinquagesimosecundo anno ab origine mundi, misit Ameras Edessenus, rogans vt, scripta cautione per aureũ signaculum, quod haberet firmitatem, fideiuberet Imperator, non esse Romanorũ exercitus hostiliter inuasuros quatuor ciuitates: dico autem Rhocam, quam vox barbara vocat * Charran, Edessam, * Charam, Sarotze & Samosatà: neque ex eorum agris prædas esse acturos, aut eos, qui in illis habitant, redacturos in captiuitatem: tradendos autem esse sibi ducentos Saracenos ex contribulibus cum ea, quæ priùs fuit promissa, quantitate pecuniæ. Quod si faceret, sciret se ad eum esse missurum illam, quæ quærebatur, imaginẽ & Christi epistolam. Imperator verò, eius boni desiderio concedens omnia, quæ fuerant proposita, cùm dedisset ea, quæ petebantur, misit Abramium Deo chatũ Samosati Episcopum, qui illo tempore hîc agebat, ad diuinam illam suscipiendã Imaginem, & Christi Dei nostri Epistolam. Aduertens autem & qui misit, & qui erat minister, nè in ea tradenda callidè deciperetur, & pro non descripta & vera, traderetur ea, quæ tunc fuit descripta propter Persicum casum, has ambas cum alia, quæ celebratur in ecclesia Nestorianorum, quæ ipsa quoquè, vt est verisimile, sumpta fuerat ex prima, quæsitas accepit ad fidem faciendam. Quæ rursùs sunt redditæ, retenta sola principali & vera. Sed hoc quidem posteà.

Cap. 16.

Vide prisco rum Christianorum deuotionẽ erga sacras imagines.

Tunc autem excitabatur magnus tumultus à fidelibus, qui erant Edessę, vt qui non sinerent à se auferi, quæ erant preciosissima, & propugnacula eius, quæ ipsos tulerat, ciuitatis: donèc præfectus Saracenorum, alijs quidem persuasis, alijs verò coactis, alijs verò etiam minis mortis territis, effecit, vt ea traderetur. Cùm autem tonitrua & fulgura cum pluuia vehementissima, diuina prouidentia subitò erupissent, dum Edessa esset exitura Imago, & Christi Epistola, rursùs mouebantur ij, qui ea priùs retinebant,

Diuersos ex citãt tumultus Edessani in trãslatione S. Imaginis.

& affirmabant Deum ijs, quæ fiebant, significare, diuina voluntate non fieri rerum sanctissimarum ex eo loco translationem. Sed cùm præfectus Saracenorum, penès quem erat vniuersa potestas, statueret standum esse conuentis, & implendũ esse promissum, egreditur è ciuitate effigies preciosissima, & epistola à Deo scripta, & huc asferebatur. Et viam quidem conficientes ij, qui ea ferebant, peruenerant ad Euphratem: & rursùs tumultus excitatur, nullo priorum minor, Edessenis dicentibus, quòd nisì diuinitùs ostensum fuerit signum aliquod, nullo modo dimittent id, quo contineatur eorum securitas. Datur ergò eis signum, cùm essent infideles, & tentarent. Nauis enim, cum qua erat eis propositum transmittere Euphratem, cùm adhuc esset in portu in partibus Mesopotamiæ, vbì eam solùm ingressi sunt Episcopi, diuinam Imaginem afferentes & Epistolam, cùm seditiosi tempestate adhuc retinerentur, repentè sine remigibus, sine eo, qui gubernaret aut traheret, appulit in terram, quæ erat ex aduerso, gubernata sola diuina voluntate. Quod quidem omnes, qui conuenerant, stupore impleuit & admiratione, & persuasit, vt non inuiti concederent emissionem. Hinc perueniunt Samosata ministri eorũ, quę ferebãtur. Erant autem Samosatorum & Edessæ Pontifex, & eius primus presbyter, & alij quidam religiosi Christiani, cum quibus vnà erat etiam minister Ameræ, qui Romam reuertebatur. Hîc cùm aliquot dies essent morati, multis illic factis miraculis, rursùs iter sunt ingressi. Et rursùs in via innumerabilia fiebant miracula à sacra Imagine & Christi Epistola. Cæci enim, eximprouisò adspiciebant: & claudi, reddebantur sani & membris integri: saltabant, qui longo tempore in lecto decubuerant: & sani fiebant, quibus erant manus aridæ: & (vt semèl dicam) fugabatur omnis morbus & infirmitas: & qui sani erant, Deum glorificabant, & laudabant eius admirabilia.

Nota miraculum.

Innumera miracula Imaginis & Epistolæ Christi.

Cùm

Cùm autem multum iam viæ confecissent, veniunt etiam ad sanctissimæ Deiparæ monasterium, quod vocatur Eusebij monasterium; quod quidem est in loco, qui dicitur Optimatum. In templo verò huius monasterij, quo par fuit honore reponitur capsa, quæ miraculorum effectricem tegebat imaginem: & multi, qui accesserunt pura & syncera affectione, curati sunt à suis morbis. Quò etiam venit quidam vexatus à dęmone: quo tanquàm instrumento vtens malus spiritus, & multa per ipsum eloquẽs, quæ pertinebant ad laudem Imaginis & Epistolæ, (Nam olìm quoquè, Nouimus quis Marc. 1. sit sanctus Israël, dicebant, qui erãt earundem cum illo partiũ) tandèm hęc quoquè est Luc. 4. quasì vaticinatus: Accipe, dicens, ô Constantinopolis gloriam & lætitiam, & tu Constantine Porphyrogenite tuum imperium. Vaticinium obsessi à dęmone. His dictis, fuit homo curatus, & statìm liberatus à vexatione dæmonis. Horum autem verborum fuêre multi testes. Nam cùm Imperator misisset obuiàm ei, quod desiderabat, magistratus & primos totius senatûs: & multi ex satellitibus simul cum eis exiuissent, accidit vt magistri & patricij cum inferioribus ordinibus ea audirent, & de ipsis ferrent testimonium. Et quoniam quæ dicta fuerant, citò euenerunt, iurè est dubitandum, vndenàm præscientia accesserit ad dæmonem. Non enim creduntur eam ex se habere, cùm à diuina gloria excederint, & pro luce dicti fuerint tenebræ. Sed clarum est, quòd quomodò diuina virtus vsa est Balaamo, ministro eius, quæ tunc fuit, prædictionis, & aliàs alijs sæpè ea re in- Num. 23. & dignis, sapienti quodam & solerti consilio: ità nunc quoquè virtus, quæ erat in diuina 24. effigie, vsa est dæmone. Et ideò per eum præsignificauit, quæ mox erant euentura. Sed cùm hoc quidem sic euenisset, eius meminisse interìm non fuit fortasse alienum. Pergemus autem ad ea, quæ sequuntur, narranda.

Cap. 17.

Decimoquinto mensis Augusti, Imperatoribus de more festum celebrantibus Cap. 18. semper virginis & Dei matris Mariæ in venerabili templo, quod est in Blachernis, circa crepusculum illuc peruenerunt ministri harum rerum preciosarum. Et reposita est in superiore oratorio diuini huius templi arca, quæ intùs habebat Imaginem & Epistolam. Quò venientes Imperatores, eam extrà reuerenter adorauerunt. Deindè cùm honorifice magno comitatu & multis lampadibus ad regiã eam portâssent triremem, cùm ea venerũt in regiam: & in templo, quòd illic est, & nominatur Pharos, propterea fortasse, quòd sicut vestis splendida, id sit egregiè ornatum, eam reposuerunt, die sequenti, qui erat mensis sextus decimus, piè & reuerenter salutantes eam rursùs, & adorantes. Illinc sacerdotes, & iuuenes Imperatores (senex enim domì mãserat propter corporis infirmitatẽ) cùm psalmis & hymnis & copioso lumine, per descensum ad mare, ea in triremi regia rursùs imposita, prope vrbem remigantes, vt quodammodò vrbem conseruaret per ipsum in mari ingressum, appulerunt extra murum ciuitatis, qui est ad Occidentem. Quo in loco egressi è naue, pedibus ingredientes Imperatores, & totus senatus, & sacrorum Antistes cum tota ecclesię congregatione, eo quo par fuit comitatu prosecuti, tanquàm aliam arcam, vel potiùs supra eam, vas deducebant, quod illa sanctissima & preciosa custodiebat: Et cùm quæ erant extra muros transmississent vsque ad portam auream, deindè ingressi ciuitatem cum psalmodijs, & hymnis sublimibus, & canticis spiritalibus, & infinito lumine lampadum publicam celebrantes deductionem, iter faciebant per mediam ciuitatem, sanctificationis & roboris per hoc esse participem ciuitatem credentes, illæsamque & inexpugnabilem esse in æternum conseruandam.

Festũ Assũptionis sanctissimę Mariæ Virginis.

Diuina imago Constantinopolim defertur in templum Pharos.

Obserua quàm honorificè Saluatoris Imago habeatur.

Ociosa autem turba concurrente ad spectaculum, homo quidã paralyticus & im- Cap. 19. becillus, & qui iam longo tempore suis innitebatur famulis, surrexit, vt videret diuinam imaginẽ transeuntẽ, qui simulatquè eam adspexit, præter opinionem sanus effectus, cùm cognouisset esse confirmatas & corroboratas bases suorum pedum, accurrit ambulans ipsis pedibus, & exosculatus est capsam imaginis, & Deum magnificauit, narrans quod in se factũ fuerat miraculum. Quem cùm vidissent omnes, qui simul aderãt, & verba eius audiuissent, emiserunt gloriam Deo vniuersorum, qui semper facit admirabilia. Tam multę autem lachrymę prę gaudio sunt profusę, & tam multę ad Deum preces & gratiarum actiones factæ sunt ab vniuersa ciuitate, diuina Imagine & veneranda Epistola transeunte per mediam ciuitatem, vt verbis explicari nequeant, vtpotè quòd quæ vidit oculus, non possit consequi oratio. Res enim, quæ sunt excellentes, pulchrius est videre, quàm audire: solentq; talia relinquere à tergo orationem. Cùm ergò ad forum, quod est ante Augustium, venissent duces huius celebritatis, & à via rectà parùm declinâssent ad sinistram, veniunt ad clarissimum templum sanctæ So-

Miraculũ in paralytico.

phiæ: & intrà adytorum propitiatorium reponunt precioſam Imaginẽ & Epiſtolam. Cùm hîc autẽ adorâſſet tota Eccleſiæ congregatio, & vt par eſt, honorâſſet, illinc rurſùs egreſſi ſunt cum ſancto onere, qui peragebant proceſſionem: & cùm veniſſent in regiam, in atrio, quod cognominatur Triclion, ſuper thronum imperatorium, in quo conſueuerunt reſpondere de rebus magnis, tunc diuinam collocant Imaginem, cathedram omninò ſanctificari imperatoriam, & ſimul iuſtitiam & benignitatem eis plane largiri, qui in ea ſedebant, non immeritò credentes. Intenſa autem de more ſacra oratione, poſt eam impletam hinc ſublata fuit diuina Imago, & in prædicto Phari templo, in dextera parte, quæ vergit ad Orientem, conſeruata fuit & repoſita ad gloriam fidelium, ad cuſtodiam Imperatorum, & ad tutelam totius ciuitatis, & ſtatûs Chriſtianorum.

Sacta Imago Saluatoris Cõſtantinopoli aſſeruatur.

Sed ô diuina ſimilitudo eius, quæ mutari non poteſt, patris ſimilitudinis. O character characteris paternæ ſubſtantiæ. O venerandum & omni honore dignum ſignaculum primariæ pulchritudinis Chriſti Dei noſtri, (Tecum enim loquor tanquàm cum re animata) conſerua & cuſtodi ſemper eum, qui piè & moderatè nobis imperat, & tui aduentûs memoriam luculentè celebrat. Quem cùm tu a benignitate ad auitam & paternam ſedem extuliſti, conſerua eius germen ad generis ſucceſſionem, & ſceptrorum perpetuitatem: Statum pacificum præbe Reipublicę. Concede, vt hęc regina ciuitatum maneat inexpugnabilis: & vt nos placentes archetypo tuo Chriſto Deo noſtro, admittamur in eius regnum cæleſte, eum glorificantes & celebrantes: Quoniam eum decet gloria & adoratio, in ſecula ſeculorum, Amen.

Authoris oratio.

DE S. ARSACIO CONFESSORE, QVEM LATINA MARTYROLOGIA VRSATIVM VOCANT:

ex Sozomeni Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib. 4. cap. 15. interprete Iohanne Chriſtophorſono Anglo.

16. Auguſti.

CIVITAS (Nicomedia) tam exiguo temporis momẽto terræmotu concuſſa eſt, vt qui cuperent aliò confugere, non poſſent: ſed prima periculi aggreſſione, quo quiſque ſtetit loco, in eo magnà ex parte aut ſeruatus eſt, aut perijt. Eſt prætereà multis in ore, Arſacium hanc antè vidiſſe calamitatem, quàm acciderit. Qui genere Perſa fuit, & ex milite, qui Imperatoris leones nutriebat, inſignis confeſſor regnante Licinio factus, relictâque militia, in arce Nicomediæ, intrà murum monaſticam diſciplinam exercens, habitauit. Quo in loco diuina viſio ei oblata, iuſſit ex vrbe egredi, quô vitaret cladem, quæ eſſet eam poſteà occupatura. Qua re confecta, maturè ad eccleſiam profectus, dat mandatum Clericis, vt Deo preces ſupplices ſedulò adhibeant, vt orationes ad eum placandum faciant, quo clades, quam vrbi minatus fuerat, ab ea depelli poſſet. Vbi autem illis fruſtrà perſuadere conatus eſt, & pro ludibrio habitus, ſimul vt calamitatem eos necopinantes oppreſſuram præſignificauerat, ad arcem reuertitur, & humi in faciem proiectus, Deum precatus eſt.

Arſacius ex milite fit monachus.

Diuinitùs ei reuelatur futura clades.

Intereà temporis vrbe terræmotu concuſſa, complures obtriti periêrunt: qui autem ſupererant, in agros & ſolitudinem profugerunt. Siquidem velut in ciuitate opulẽta & ampla, ſingulis in ædibus ignis accẽſus fuit: in focis, fùrnis & caminis balneorũ, & eorum, qui eas exercent artes, quibus igni opùs ſit: adeò vt tectis ædium terræmotu diſturbatis, flamma eorum materiem occuparet, ligniſque aridis, vt eſt veriſimile, admixtis, & rebus oleo & pinguedine perfuſis, quę facilè incendi ſolent, affatim nutrita creſceret: atque in omnes partes ſerpens, ac tandèm velut in vnum confluens, efficeret, vt tota vrbs inſtàr vnius (penè dixerim) rogi videretur. Et quoniam in hac clade ad ædes accedi non poſſet, qui incolumes ex terræmotu euaſerant, ad arcem procurrerunt. Arſacius autem in turri, quæ ſteterat inconcuſſa, pronus decumbens, ſicut ſe, cùm orare cœpiſſet, extenderat, mortuus repertus eſt. Fama verò eſt, eum à Deo precibus contendiſſe, vt ante cladem mortem oppeteret: moriqué maluiſſe, quàm calamitatem oculis cernere vrbis illius, in qua primùm Chriſtum cognouerat, & Eccleſiaſtica diſciplina imbutus fuerat.

Terræmotus Nicomediæ multos opprimit.

Arſacius mortuus repertus.

Sed

Sed quoniam ad hunc virum noſtra delapſa eſt oratio, intelligendum eſt, eum præ amore, quo Deus illum complexus eſt, potuiſſe dæmones abigere, & homines ijſdem agitatos, illis purgare. Nam cùm quidam vexatus dæmonio, per forum gladio ſtricto curreret, omnesque fugerent ab eo, & tumultus vrbem occuparet: Arſacius factus illis obuiàm, Chriſtum nominauit, verbo hominem deiecit, eum extemplò dæmone purgauit, & ad ſanam mentem reduxit. Edita ſunt etiam ab illo multa alia opera, quæ ſupra facultatem humanam artemque putanda ſunt. Quorum hoc vnum fuit: Erat fortè draco, vèl aliud ſerpentis genus, quod viatores, qui illàc tranſirent, antè flatu ſuo perémit, quàm oculis eorum cerneretur. nam in quodam ſpecu propter viam obliuit. Ad quem locum accedens Arſacius, orauit: ſerpens autem ſuâ ſponte egreditur è ſpecu, & capite bis ad terram alliſo, ſe ipſe interfecit. Atque iſta commemorârunt hi, qui dicebant ſe ab illis audiuiſſe, qui ipſum Arſacium oculis adſpexiſſent.

Profligat dæmones.

Draconem interficit precibus.

VITA S. ARNVLPHI METENSIS EPISCOPI, A QVODAM EIVS FAMILIARI AMICO CONSCRIPTA.

Puto autem eam eſſe, cuius meminit Paulus Diaconus de Geſtis Longobardorum Lib. 6. cap. 5. Stylum, vbi viſum eſt, modicè expoliuimus, & capitula margini adiecimus.

PRAEFATIVNCVLA AVTHORIS.

IN omnipotentis Dei nomine, & Chriſti Ieſu Domini noſtri, filij eius, vitam & actus ſanctiſſimi antiſtitis Arnulphi, adiuuante nos ſpiritu ſancto, qui in eo requieuit, ſcribere aggrediar, eius ope fretus, qui ait: Aperi os tuum, & ego implebo illud. Neque enim reticenda ſunt, quæ diuulgata, alijs bonæ actionis exemplum præbent, eorumque ſectatoribus id proculdubiò conferunt, vt ſint cum ſanctiſciues patriæ cæleſtis.

Pſal. 80.

VITA.

BEATVS igitur Arnulphus Epiſcopus, Frãcorum progenie ortus, altus ſanè & nobilis parentibus, atque rebus ſeculi opulentiſſimus fuit: ſed nobilior poſteà & ſublimior in Chriſti fide permanſit. Huius ego res memorabiles & laude dignas, nonnullas ab eius familiaribus didici, pleraſque per memetipſum cognoui. Et quidem operæprecium mihi videtur, ab ipſius natali die ſcribendi initium ſumere. Erat peregrinus quidam ſeruus Dei, Stephanus nomine, qui ab Italiæ partibus veniens, in loco vicino morabatur. Ei cùm reuelata fuiſſent natiuitatis eius exordia, aliquantiſpèr apud ſe reticens, tãdèm tanquàm cæleſte editurus oraculum, præſaga voce ait: Scitote omnes & attẽdite, quòd puer iſte iam natus, ſummis honoribus perfuncturus, & apud Deũ & apud homines magnus erit. Quod ita poſtmodùm certus rerum probauit euẽtus. Deindè cùm eſſet præclara indole, & plenus gratia Dei, opportuno tempore literarũ ſtudijs imbuẽdus, traditus eſt præceptori. Apud quẽ inter cæteros cõtubernales ſuos ſagaci ingenio & memoria capaci gratioſus & amabilis extitit: Chriſtoq; in ipſo habitante, cunctis quidẽ fuit ſubditus, ſed fide & charitate omnes anteceſſit.

Auguſti 16. quo die eius feſtum celebratur, propter translationem illius. Cap. 1.

Eremitæ prophetia.

S. Arnulphꝰ adhibetur literis.

Cumq; iam benè edoctus, ad robuſtam perueniſſet ætatem, Gundolpho ſubregulo, ſiue palatij rectori vel magiſtro, regioque conſiliario, in bonis actibus exercitandus oblatus eſt. Quem ille per multa deincèps experimenta probatum, Theodeberti Regis miniſterijs applicauit. Ecquis verò illius in armis & bellicis rebus ſtrenuitatem ſatìs enarrare queat, quandò ille ſæpè aduerſarum gentium phalanges ſuo ferro abegit? Itaque Chriſto Præſule, demùm effectus eſt omnium ſummus, qui dudùm penè omnium infimus videbatur: ità vt ſex prouinciæ, quas nunc totidem curant Regis domeſtici, ſub illius adminiſtratione, eius ſolius arbitrio regerentur. Fuit autem ſedulus in oratione, in ieiunijs, in miſericordia pauperibus exhibenda: & ſicut ſcriptum eſt, reddebat Deo, & quæ Dei ſunt, & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Porrò amicis

Cap. 2. Degit in aula regis.

Magnis honoribus potitur. Matt. 22.

Ducit vxorem. & parentibus ipsum cogentibus vix cedens, ex inclyta & nobilissima gente, Deo sic volente, duxit vxorem, puellam præclaris moribus ornatam. Præstititque illi Deus speciale munus, ceu duarum gemmarum splendidum decus, vt ex eádem egregia fœmina duorum filiorũ gaudia susciperet. Inter hæc diuersis in palatio honoribus & ministerio primus floruit: sed iugis eius meditatio circa monasteria & loca sancta versabatur.

Cap.3. Per id tẽpus erat in Regis ministerio Romaricus, vir egregius, qui eius cognito desiderio, sancto & familiari ei affectu iungebatur. Itaq; communicato inter se consilio

Matt.19. iuxta præceptum Domini, dicentis: Vade, & vẽde omnia, quę habes, & da pauperibus:

*Lerinum & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælo: relictis omnibus, ad *Lirinense monasterium propter Christum peregrè proficisci statuunt. Sed hac in re vtriusq; desiderio altissimi voluntas obstitit. Neq; enim fas esse censuit omnipotens Deus, vt hi duo viri, qui postmodùm ceu lampades duę fulserunt in seculo, sub modio occultarentur,

Matt.5. dicente scriptura: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio: sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Cùm ergò ijs, quæ diximus, bonis studijs tanquàm auriga potens & strenuus inuigilaret, forte euenit, vt vrbs Metensis præsule careret. Tum vna vox populorum Arnulphum, Regis domesticũ & consiliarium,

Creatur Metensis Episcopus. dignum esse Episcopatu acclamat. Ille cernens Deo sic visum esse, compulsus, cum lachrymis eam vrbem gubernandã suscepit: ità Pontificalem ferens infulam, vt quanuis nolens, cogeretur etiam curam & solicitudinem, qua tenentur Regis domestici, itemque palatij primatum siue magisterium retinere.

Cap.4. Benignitas eius in pauperes. Mox autem tanta illi accessit, tamque profusa in pauperes munificentia, vt fama perferẽte, etiam de longinquis regionibus & ciuitatibus innumera pauperum multitudo ad S. Arnulphum antistitem refocillanda festinaret. Erat ille iugiter solicitus &

Humilitas. bonis operibus, præsertim suscipiendis monachis & peregrinis, deuotissimè intentus: ità vt quos hospitio recepisset, eorum suis manibus abluere pedes: illosq; vestitos &

Abstinẽtia. cibo potuq; refectos deducens, mox alios refocillandos exciperet. Porrò abstinentiæ eius modum explicare quis possit, cùm præsertim ille interdùm post triduana vel prolixiora ieiunia, pane hordeaceo & aquæ potu victitârit? Indutus quoquè licèt clàm, cilicio, eius perpetuo vsu exesis & maceratis membris, geminum addebat vigiliarum & inediæ cruciatum.

Cap.5. *alias Vogaso Multa eius miracula extant, sed ego non nisì pauca commemorabo. In locis *Vosago propinquis est prædium sancti Stephani. In eo cùm esset vir sanctus, quædam mulier, Bertila nomine, nequiter à dæmonio arrepta, cum vitæ suæ discrimine sæpè fortiter quatiebatur. Accidit tum, vt coram sancto præsule baccharetur. At ille ductus

Dæmoniacam purgat. pietate, quę erat semper in eo eximia, Heu miserrimum, inquit, humanum genus, quid adeò prævaluit inimicus, vt vbi Christus debuit habitare, ibi infelix ille suum habeat domicilium? Nocte proxima iubet mulierem esse in vigilijs: cumque pro ea Dominum oraret, mox dæmoniũ abscessit, clamans & eiulans. Lætantur omnes. Episcopus fœminam iubet abire incolumem & hilarem, quam paulò antè inimicus diuexârat.

Cap.6. Dies rogationum. Alia dæmoniaca curatur. Eo tempore, quo triduanũ ieiuniũ Ecclesia vniuersalis celebrare consueuit, vir sanctus extra ciuitatẽ cum Crucibus atq; promiscua plebe, orandi grãtia iuxta morẽ processit: & eccè è media hominũ frequentia, fœmina à dæmone arrepta, clamare incipit. Eam vt vidit Episcopus, Crucis vexillo iniecto, quamprimùm eam ab hoste liberauit.

Cap.7. Item aliã. Alio tempore intrà vrbẽ precandi studio ad basilicam sanctæ Crucis accessit, ibiq; puellã miserè à dæmone exagitatã inuenit. Motus ergò misericordia, ait Archidiacono suo: Hac nocte, frater, pro hac misera orationum vigilias celebremus, & crâs diluculò huc pariter reuertamur. Postridiè reuersi, puellam à dæmone liberatam conspiciunt. Ità factum est, vt eius sanctitas etiam absentes & procùl positos curaret.

Cap.8. Temporibus Dagoberti Regis, cùm in eius palatio esset vir sanctus, quidã leprosus clamauit ad eum, victum & vestitũ ab illo petens. Ille mox iubet eum duci in hospitiũ: vbi cùm suo more humaniter eum tractaret, scisitabatur ex eo, (erat autẽ barbarus) num sacra baptismatis vnda ablutus esset. Ille confestim respondet: Nequaquàm domine mi. Quis enim mihi infelici, & à populis excluso & abiecto, baptismi gratiã conferret? Ait ad eũ vir Dei: Nè timeas, frater. Fieri enim potest, modò tu credas in Chri-

In vtroque homine leprosus mũdatur. stum, vt & corporis & animi fruaris sospitate. Postquàm ergò à sancto viro percepit baptismi sacramentum, celeriter ab eius corpore lepra discessit, fuitque deinceps in vtroque homine sanus, qui priùs in vtroque fuerat contaminatus.

Pro-

Profectus quandoquè cum eodem Rege in Turingiam, incidit in nobilẽ quendam Cap.9. Noddilonem puerum, & parentem eius, ipsi valdè charum, supremis lachrymis prosequentẽ. Erat enim & sanguine & amicitia ei admodùm coniunctus. Rege autẽ ocyùs exillo pago abire properante, nihil aliud homini afflicto consilij aderat, nisì vt more gentilium, languentis præfecto capite, cadauer flammis exureret. Sed, vt credimus, Mos planè barbarus. omnipotentis Dei nutu & voluntate factum est, vt sanctus Arnulphus Episcopus à mansionibus necdùm esse egressus. Eo comperto, Noddilo celeri gradu ad eũ abit, & infelicitatem suam singultibus potiùs, quàm verbis, ei exponit. Itaque vir egregius properè venit ad ægrotantis lectulum, & illic humì prostratus, orat diutissimè: indè semiuiuum hominem suo more ità alloquitur: Pœniteat te, inquit, fili, si quid fortè fecisti mali, vt duplicem accipias medicinam. Ille hominem Dei venisse exultans, vix verbis exprimit, quod animo voluebat: quippè qui iam supremum penè spiritum traheret. Quid plura? Calida affertur aqua, & proprijs manibus vir sanctus ægroti faciem, manus & pedes ingenti studio abluit, & oleo benedicto corpus eius perungit. Et Semiuiuum restituit. eccè eodem die, tanquàm nullam perpessus infirmitatem, cum cæteris lætus & incolumis è villa profectus est.

Alio quoquè tempore ab eo perpetratum miraculum, silentio premendum non Cap.10. est. Noddo quidam, homo scelestus, cibo benè fartus, & vino æstuans, cum complicibus suis non verebatur obtrectare sancto Episcopo, dicens illum non Dei esse cultorem, sed hominem potiùs voluptati addictum, ad cuius lectum non solùm Rex, sed etiam Regina, tanquàm consilium captantes, nocturnis horis properarent. Cùm ergò cubitum iuissẽt cum socio detractore, iubente Domino, omnia illorum vestimenta flamma corripuit. Itaque exiliens, magnis vocibus aquam expetit. Sed aqua iniecta, Vltio cælestis in eius obtrectatores. flammam diuinitùs immissam non extinxit. Ardebant acriter circa nates & verenda interulę illorum, nec poterant ardentes vestes exuẽre. Quid multa? Cùm non possent aliud, foràs exiliunt, & instàr porcorum in luto sese voluentes volutant: sed magis magisque in eorum membra genitalia ignis sæuit. Impletum est in illis, vt reor, quod in Psalmo habetur: Detrahentem occultè proximo suo, hunc persequebar. Iusto igi- Psal.100. tur Dei iudicio illis in locis pœnas luerunt, de quibus illi sanctum virum sua obtrectatione infamare voluẽre. Nec diù pòst Noddo ille in eiusmodi flagitijs deprehensus est, vt regia animaduersione iure illi vita adempta sit: & nè solus moreretur, filius eius mox eádem sententia punitus est.

Per id tempus, cùm iam penè thesauros omnes in pauperum vsus erogâsset, adhuc Cap.11. ei supererat discus argenteus librarũ septuagintaduarum. Eum Hugo quidam, primus inter proceres, datis alimonijs & ijs, quę pauperibus essent necessaria, comparauit. Sed non est passus omnipotens Deus, vt homo laicus eo frueretur, qui beati protomartyris honori iam olim consecratus esset. Illo enim Hugone repentina morte sublato, discus ad Clotarium Regem allatus est: qui cùm comperisset eum à S. Arnulpho Epi- Pietas Regis Clotarij. scopo alendorum pauperum causa venundatum fuisse, mox admirabili instinctu ceu diuinitùs impulsus, iubet eum, adiunctis centum aureis, celeriter ad sanctum Pontificem Metim referri. Ità factum est, vt & matricularij & cæteri pauperes Christi haberent alimenta, & res sanctorum, quibus semèl data fuerat, absque vllo dispendio restitueretur.

Cùm autem id genus permultæ virtutes per eũ in populo crebrescerent, remotio- Cap.12. Expetit loca solitaria. ra à vulgi strepitu & fragoribus loca expetijt, quibus crebrò ceu ergastulo incluſus, soli Psal.45. Deo sacris offerendis precibus studiosissimè vacaret, conuenienter illi diuinæ admonitioni: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Ità sæpiùs in villa Dodimiaca, quæ est apud Vosagũ: interdùm Calciaci non longè ab vrbe in cellulam retrusus, cælum Vosagus siue Vogasus est eremus in Lotaringia, sanctorũ anachoretarum celebertima. diurnis nocturnisq; precibus pulsabat. Sed cùm in his athleta Christi cõtra diabolum sanctissimè & fortissimè dimicaret, conscietiæ religione permotus, nè plebs ipsi à Domino credita, illo sic remoto, æternæ vitæ pabula minùs acciperet: intentissimè cœpit principẽ flagitare, vt præsulem successorem ipsi daret: mittensque epistolas per internuncios, se eo munere indignũ, se peccatorem asseuerabat: orans, vt talem eligerent pontificẽ, qui verbo prędicationis in populo seminando esset magis aptus & idoneus. Ijs literis relectis, Clotarius Rex non modicis correptus angoribus, & omni se consilio destitutũ queritans, si sanctus Episcopus à palatij frequentia abesset, inter cætera sic illi rescribit: Quòd scribis, domine & pater, vt tuo loco aliũ eligamus Episcopum, id quidẽ nos nulla ratione facere ausi sumus. & rursùs: Quantum deuotione tua,

quàm ex admonitione diuina esse confidimus, gauisi sumus, dum scribis te à Domino admonitum: tantum rursùs doloris sensimus, quòd præter spem tuo conspectu carere debeamus. Immò verò, domine & pater, si qualibet impellente deuotione, obeundo bona opera aliò te conferre deliberâsti, petimus, vt nos sine pace & communione tua, pro Dei amore, nequaquàm relinquas.

Cap. 13. Clotarius rex quanti eum fecerit. for. Franc. orum

Multa sanè Clotarius Rex virũ sanctũ fide & amore prosequebatur, adeò vt etiam tum, cùm iam Dagobertum filiũ suum ad principatûs culmen euexisset, illi & regnum gubernandũ, & ipsum Dagobertum erudiendũ tradiderit. Quem ille acceptum, tam præclarè & sapienter instituit, vt in gente * Sicambrorum nullus ei Rex similis fuisse feratur. Sed cùm insuperabili desiderio vir beatus ad eremum adspiraret, Rex Dagobertus, vt erat prudens, suspicatus se eum minis absterriturum, nè illius consilijs & solatijs destitueretur, ait ad eum: Charissimi filij tui ob admissum facinus caput amputabo, si nobiscum nolis permanere. At vir sanctus ei respondit: Filij mei vita in manu Dei est. Tu verò compos vitæ non eris, si insontium vitam perdere voluëris. Tum iratus Rex, ensem manu corripit. At beatus Episcopus Regis morituri iram paruipendens, constanter ait: Quid facis miserrime? Itáne mala pro bonis vis reddere? En habes me paratum. Exerce arma tua in sanguinem meum, quantùm collibitum est animo tuo. Ego pro illius mandatis mori non dubito, qui & vitam mihi dedit, & pro me mortuus est. Tum verò vnus è proceribus dixit: Noli bone Rex contra teipsum impiè agere. An non vides sanctum virum obeundi martyrij cupidum esse? Cur non pertimescis Christi seruum iniuria afficere? His verbis, iubente Deo, Regis ira nonnihil repressa est. Intereà Regina adest, & ambo agnoscentes culpam suam, simul ad pedes sancti præsulis corruunt, orantque cum lachrymis, vt ipsorum misereatur. aiuntque ad illum: Abi domine ad eremum pro arbitratu tuo: tantummodò te placatum habeamus, quem iniuria affecimus.

Constantia sancti viri.

Rex virum Dei veniã rogat.

Cap. 14.

Itaque vir sanctus, data illis venia, à palatio egreditur: & eccè præ foribus conspicit claudorum, cæcorum, omnis generis pauperum, viduarum & orphanorum innumeram propè multitudinem, lamentabili voce dicentium: Cur nos miseros sancte pastor derelinquis? Quisnam deincèps nostrî miserebitur? quis nobis victum & vestitum præbebit? Te amoto, omnes moriemur, fame & nuditate consumpti. Obsecramus per Christum, nè nos derelinquas. Tum ille lachrymans, blanda voce ait ad eos: Deus vobis pastorem dabit, qui vos pascat in multa misericordia. Faciem verò meam non diù visuri estis. Vos autem quærite primùm regnum Dei, sicut Christus docet, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Sitis inuicèm humani, benigni, misericordes: vt post huius paupertatis & miseriæ angustias, in futura vita cum Christo felices regnare mereamini. Lazarus mendicus in sinum Abrahæ ab Angelis portatus est. Et vos ergò quærite Dominum, & hîc & in æternum viuet anima vestra. His dictis, statim ad orationum pergit certamina. Postcà non multo interiecto tempore, viro iusto, iugi intentione id expetenti, sanctus Goëricus, cognomẽto * Abbo, successor eligitur, Domino id agente, vt sancto sanctus substitueretur. Id vbi percepit vir egregius Romaricus, à partibus * Vogasi egressus, ad beatum Arnulpum vénit, & vtroque in id consentiente, in vasta eremo aptum illi locum præparauit.

Matt. 6.

Luc. 16.

Psal. 68.

Goëricus ei surrogatur.

* Abdo

* Vosagi

Cap. 15.

Sed quid proxima ab eius aduentu nocte à beato antistite miraculi intrà vrbem perpetratum sit, silere non debeo. Casu accidit, vt Regis promptuarium vorax ignis vexaret, & indè erumpens excelsissima flamma, domos vndiquè vicinas minaciter lamberet. Repentè existit eiulatus & clamor totius ciuitatis ad tam præsens exitium. Quod nos audientes, celeri gressu imus ad domum beati viri, pro suo more perpetuo psalmodiæ melos promentis. Ilicò apprehensa manu eius, Romaricus ait: Egredere domine, en adsunt præforibus equi nostri, nè, quod absit, te in hac vrbe ignis absumat. Respondet vir sanctus: Nequaquàm, charissime: immò verò perducite me illuc, vt videamus immane hoc, quod grassatur, incendium. Me verò ponatis iuxta illud. Si vult Deus vt ardeam, habet me in manu sua. Tum nos apprehensis eius sanctis manibus, ad larem vénimus, & mox illo iubente in orationem prostrati, capitulo dicto, surreximus omnes. Ille verò manum eleuans, contra ingentes flammas signum Crucis expressit. Confestim miro modo tanquàm cælitùs percussus, nihil alibi nocẽs, intrà parietes in semetipsum totus contortus ignis interijt: nosquè iam deincèps securi, pro depulso periculo gratias agentes Deo, dictis matutinis, ad lectulos nostros remeauimus: vbi tum vni ex fratribus talis apparuit visio: Intuens cælum, vidit instàr flammæ

Hic habes ętatẽ authoris huius.

Signo Crucis compri. mit ingẽtes flammas.

flammæ ignis, Crucis signum depictum, factaque est vox de cælo à crucis latere, ità dicens: Cernis hoc signum? Hac nocte Arnulphus Episcopus per illud totam hanc ciuitatem ab incendio liberauit. Mirantibus nobis omnibus virtutem, quam vidimus in igne prostrato, frater ille visionem hanc enarrauit.

Postea verò beatus Arnulphus, relictis cunctis seculi rebus, & benè atque integrè in pauperes erogatis, securus iam de thesauro in cælis recondito, cùm pauci fluxissent dies, pauper quidem in seculo propter Christum effectus, sed diues Domini virtute, ceu nouus Elias ad eremum properans, inter bestias & feras syluestres, exiguis constructis domicilijs, quotidiana meditatione laudes Deo deprompsit. Assciris enim nonnullis monachis, atque etiam leprosis, suis manibus fidissimam operam & seruitutem eis iugiter impendebat, calceamenta à pedibus detrahens, eaque detergens, capita & pedes illorum crebrò abluens, lectos illorum quotidiè studiosissimè componens, à coquinæ etiam seruitio non abhorrens, idem & Episcopus & cocus, sæpè ipse esuriens, suos contubernales pascebat. Lectus verò eius, vilis in oculis hominũ, elegantissimus in obtutibus Angelorum, spretis mollibus & preciosis operimentis, cilicijs ornabatur.

Cap. 16.

Abit in eremum.

Vide tanti viri humilitatem.

Lectus eius.

In his igitur & alijs bonis innumeris vitam Angelicam agens, Deo volente athletam suum ad destinatum vocare brauium, ad extremũ cœpit vrgeri diem. Quo comperto, præstò illi fuit vir religiosissimus Romaricus cum cæteris monachis, felicem eius è corpore egressum præstolaturus. Eum igitur electus Dei & sacratissimus antistes alloquens: Bone vir, inquit, & Deo amabilis, ora Christum pro me. Iam enim adest dies, in quo iudici meo præsentabor. Quid faciam? Nil equidem gessi in hoc seculo, omnibus sceleribus & peccatis vallatus coarctor: quorum vt veniam merear, quæso, Dominum pro me deprecceris. Dixit hoc vir sanctus conuenienter illi sententiæ scripturæ diuinæ: Iustus in primordio sermonis, accusator est suî. Iam aderat hora, vtilla sancta anima manibus sanctorum Angelorum ad Christum deferretur. Ea igitur è corpore abeunte, fit proculdubiò gaudium magnum supernis Virtutibus in cælo, & ingens nascitur luctus pauperibus Christi & monachis in terris. Adest iuxta morem sacrosanctum Euangelium, quod lector inter psallentium luctus & cantus recitet. Porrò vir egregius Romaricus eius sanctissimum corpus quo potuit honore in castello sepulturæ mandauit. Indè anni fermè exactis spatijs, vir lectissimus successor eius Goëricus Episcopus, communicato cum aliis consilio, collecta Cleri & populi multa frequentia, accitis quoquè duobus Episcopis, abijt in eremum: atque illic reuerenter excubias pariter agentes, sancta membra in feretro reponunt, & cum gaudio ad vrbem ea transferunt, suaui interìm odore è sacris illis membris emergente, & omnium illorum nares implente.

Cap. 17.

Sancti Dei se reputant maximos esse peccatores.

Prouer. 18.

Obitus eius

Trãsfertur eius sacrum corpus.

In illo itinere quæ facta sint miracula, vt potero, iam exponam. Cùm ventum esset ad quendam riuum, cuius ripæ, scissa tellure, euntibus lubricum præbebant transitũ: posteriores feretri portitores casu corruunt: sed, vt reor, Angeli statim eum casum excipiunt. Priores enim sine vllo gradiendi impedimẽto, feretro in aërem sublato, pergunt liberè & expeditè: surgentesque illi, qui lapsi fuerant, cùm ea loca humiliora euasissent, ad collegas sese adiungunt.

Cap. 18.

Miraculum.

Huic miraculo mox aliud accessit. Homo quidam in pago Caluomontensi, Cunita nomine, incestus fuit. Eum vir sanctus sæpè admonuerat: sed cùm ad pœnitentiæ emendationem perducere non posset, priùs excessit è vita, quàm ille se corrigeret. In eius villa oratorium erat: itaque opportunum illis iter agentibus videbatur, vt mansio illic pararetur, vel eo præcipuè nomine, quòd sanctum corpus oporteret in ecclesia vigilijs honorari. Vt ergò ventum est ad fines telluris hominis incesti, derepentè figuntur gressus feretrum portantiũ, ità vt nulla illis facultas suppeteret sacra membra vlteriùs transferendi. Anguntur animis sacerdores & populus omnis, quòd nescirẽt, ad quam mansionem diuerterent, præsertim die iam ad vesperam inclinante. Tum verò Noddo dux, qui cum alijs exierat, ait: Cernitis virum sanctum nolle in incesti huius terram ingredi? Est autem, licèt procùl, villa mea, ad quam peruenire non poterimus ante solis occasum. Deest ibi quoquè potus & res aliæ, quibus tantam multitudinẽ possim reficere. In vno tantùm, vt audio, vasculo parùm cereuisiæ habetur. His auditis, vniuersus populus iter eò intendit, tantaque omnes celeritate feruntur, vt ij, qui feretrum gestabant, portari se potiùs, quàm portare, sibi viderẽtur, & adhuc luce dici manente, ad destinatum peruenirent locum. Ait autẽ Noddo ad illos: Nunc

Cap. 19.

Nota pristeam pietatem.

Res mira. nõ vult sanctus Dei in viri incesti loco quiescere.

Insigne miraculum.

hac nocte pascat vos beatus Arnulphus. quod enim deest nobis, illo intercedente potest supperere. Et eccè quamprimùm exiguus ille potus in tantam copiam excrescit, vt abundè satiatis omnibus, etiam altera luce supereſſet.

Cap. 20. Vide antiquã Christianorum erga sacras reliquias deuotionem.

Indè iam cum multa prosperitate & lætitia ad vrbem perueniunt, mox ciuitas omnis cum Crucibus & cereis, ingentique gaudio & admiratione obuiàm procedit, pastoremque suum, quem pridèm ceu fugitiuum amiserat, in cælo iam regnantem recipit, & sacrum corpus illius in basilica sanctorum Apostolorum cum reuerentia & ingenti exultatione sepulturæ tradunt. Ab ipsa autem sepultura, quid apud Christum in cremo sibi cõparâsset, suis ciuibus per miracula ilicò declarauit. Nam mulier quædam, Iulia nomine, luminibus olìm orbata, ad sepulcrum eius accessit, illicque cum fide prostrata orans, absque mora lumen multis annis optatũ recuperauit, cernensq; iam viam, quam sine aliena manu ingredi anteà non poterat, absque duce redijt ad diuersorium.

Cæca videt.

Cap. 21. Punitur diuinitùs fœmina ob violatum Dominicũ diẽ.

Aliud miraculum nupèr ex viro religioso Aringisilo Abbate cognoui. Mulier quædam, Ceucerella nomine, in suburbano Mediomatricum degens, ausa fuit die Dominico operari, Itaque celeriter diuinitùs castigata, vtraque manu contracta est. Illa in magnas coniecta angustias, ad Aringisilum Abbatem venit: eoque iubente, ad sepulcrum beati antistitis cum fide properè abit. Sed cùm ostia obserata inuenisset, ante valuas sanctæ basilicæ se prosternit, orans cum lachrymis sanctum Episcopum, vt ipsam sanet. Mox digiti palmis fortiter affixi, laxato rigore, ad pristinum reuocantur statũ, abitque ad propria mulier læta & incolumis, quæ tristis & contracta aduenerat.

Cap. 22. Claudus ambulat.

Per idem tempus Ciaro homunculus pedibus contractis, gemino suffultus scipione, vix pedetentìm, idque cum ingenti iniuria, ingrediebatur. Is ad monumentũ sancti viri cùm se in preces prostrauisset, laxatis neruis, surrexit sanus & hilaris, & ad domicilium suum firmo gradu reuersus est, qui eò baculis sustentatus accesserat. Hæc nos pauca è plurimis huius beati viri miraculis & operibus bonis, pro nostra facultate in scripta retulimus. Quòd si verò bona omnia, quæ ille gessit, stylo exarare vellemus, vastum opus & ingens lectori exhiberemus. Voluimus autem è multis saltem aliqua narrare, nè lectori & auditori fastidium pareremus: freti auxilio omnipotentis Dei & redemptoris nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, Amen.

Item de eodem beato Episcopo ex Gestis Metensium Pontificum. Antiquus MS. codex non habet nomen authoris: sed non dubito esse Paulum Diaconum, qui eo loco, quem suprà annotauimus, se testatur de Episcopis Metensibus scripsisse. Itaque hìc nihil de stylo mutauimus.

Pappolus Episcopus Metensis.

POST Pappolum Episcopum ad regimen ecclesiæ (Metensis) beatissimus Arnulphus vicesimusnonus assitus est, vir per omnia lumine sanctitatis & splẽdore generis clarus. Qui ex nobilissimo fortissimoque Francorum stemmate ortus, ità Dei ecclesiæ præfuit, vt & palatij moderator existeret. Hic deniq; & in corpore permanẽs, simul & post vitæ exitum multa admiranda patrauit. Quæ si quis nôsse desiderat, libellum, qui de eius specialiter actibus cõscriptus est, legat. Vnum tamen eius admirabile factum referam, quod satìs miratus sum, quo ordine prætetierit is, qui eius contexuit vitam. Hic deniquè, cùm pœnitẽtiam pro aliquibus excessibus ageret, contigit, vt per Mosellæ fluminis pontem transiret. Cumq; subterfluentium aquarum profundos nec visu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiæ spei fidutiam mente gerens, extractum digito annulum in illam aquarũ profunditatem proiecit: Tunc, inquiens, me putabo culparum nexibus absolutũ, quandò istum, quem proijcio, recepero annulum.

S. Arnulphi pœnitentia

Post aliquot verò annos, cùm ad Episcopatûs assendisset officium, ei die quadam piscator quidam piscem attulit: quem ille sibi, quia carnibus abstinebat, ad refectionem vespertinam iussit præparari. Cumque eius minister officij more solito eum exenterâsset, eundem annulum intrà ipsius piscis intestinum reperit. Ille factum admiratus, sed rem nesciens, beato Arnulpho detulit. Quem ille vt vidit, statìm recognouit, ac Deo omnipotenti, iam de remissione peccatorum fidus, gratias retulit: ac deincèps non remissiùs vitam duxit, sed maiori se potiùs abstinentia coarctauit. Nec dissimiliter pater hic venerabilis, quàm olìm Gedeon ille signũ à Domino poposcit. Ille etenim indicium per vellus in area positum capere voluit, vtrùm in bello victoriam

Non vescitur carnibꝰ.

Miri quiddam.

Iudic. 6.

am de inimicis habere potuisset: iste annulum in profundissimum fluminis gurgitem proijciens, experiri cupit, vtrùm de inimicis iam victoriam cepisset. Fortes quidem erant, quos ille deuicerat: sed hi, quos iste superauerat, fortiores. Hæc ego nõ à quolibet mediocri persona didici, sed ipso totius veritatis assertore, præcelso Rege Carolo referente, cognoui: qui de eiusdem beati Arnulphi descendens prosapia, ei in generationis linea trinepos extabat.

Hæc nõ obscurè pdũt Paulũ Diaconũ authorem, quippe Carolo admodùm familiarem.

Nam venerandus iste vir, vt ad superiora redeam, iuuentutis suæ tempore ex legitimi matrimonij copula tres filios procreauit, id est, * Anchisum, Vualachisum, & Clodulphum. Cuius Anchisi nomẽ ab Anchise patre Aeneæ, qui à Troia in Italiam olìm venerat, creditur esse deductum. Nam gens Francorum, sicut à veteribus est traditũ, à Troiana prosapia trahit exordium. Cùm igitur hos tres, de quibus præmisimus, venerabilis Arnulphus filios haberet, quoniam erat misericors, & ad pietatis opera semperintentus, prædictis filijs suis cœpit suadere, vt ei assensum præberent, quatenùs omnes suas facultates ad vsus pauperum dispertiret. Tunc vnus filius, id est, Clodulphus se hoc posse facere, id est, vt portionem sibi debitam, patri largiretur, omnimodis denegauit. At verò alter filius, id est, Anchisus, fidens de Christi pietate sibi plura condonari, ad omnia, quæ pater vellet, se libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, & prædicit ei, plura ipsum, quàm reliquerat, habiturum. Insuper benedixit eum, cũctamque progeniem nascituram in posterum. factumque est ità. Nam & plures Anchiso, quàm reliquerat, diuitiæ accesserunt, & ità in eo paterna est constabilita benedictio, vt de eius progenie tam strenui fortesque viri nascerentur, quòd non immeritò ad eius prosapiam Francorum sit regnum translatum.

Vide Paulũ Aemylium.

Et vt agnoscere hoc possis, paucis animaduertere docebo. Anchisus genuit Pipinum, quo nihil vnquàm potuit esse audacius. Pipinus genuit Carolum, viris omninò fortissimis conferendum: qui inter cætera & magna bella, quæ gessit, ità præcipuè Saracenos detriuit, vt vsque hodiè gens illa truculenta & perfida, Francorum arma formidet. Hic porrò genuit Pipinum, sapientia nihilominùs & fortitudine satìs clarum: qui inter reliqua, quæ patrauit Vascones, iamdudùm Francorũ ditioni rebelles, cum Vuaifario suo principe felicitate mira debellauit & subdidit. Huius itẽ filius, magnus rex Carolus extitit, qui Francorum regnum, sicut nunquàm anteà fuit, dilatauit. Deniquè inter plura & miranda, quæ gessit, Longobardorum gentem, bis iam à patre deuictam, altero eorum rege, cui Desiderius nomen erat, capto: alteroque, qui dicebatur Adalgisus, & cum genitore regnabat suo, Constantinopolim pulso, vniuersam sine graui prælio suæ subdidit ditioni, & quod rarò fieri assolet, clementi moderamine victoriam temperauit. Romanos præterea, ipsamque vrbem Romuleã, iampridèm eius præsentiam desiderantem, quæ aliquandò mundi totius domina fuerat, & tunc à Longobardis depressa gemebat, duris angustijs eximens, suis addidit sceptris, cunctaque nihilominùs Italia miti dominatione potitus est. De quo viro nescias, virtutem in eo bellicam, an sapientiæ claritatem omniumque liberalium artium magis admireris peritiam.

S. Arnulphi posteritas.

Hic ex Hildegarde coniuge quatuor filios & quinque filias procreauit. Habuit tamen ante legale connubium ex Himmiltruda nobili puella filium, nomine Pipinum. Natorum sanè eius, quos ei Hildegardis peperit, ista nomina: Primus dictus est Carolus, scilicet patris ac proaui vocabulo nuncupatus. Secundus itèm Pipinus, fratri atque auo æquiuocus. Tertius Ludouicus, qui cum Clotario, qui biennis occubuit, vno partu est genitus. Ex quibus iam, Deo fauente, minor Pipinus regnum Italiæ, Ludouicus Aquitaniæ tenent. Mortua autem Hildegarde, Rex excellentissimus Carolus Fastradam duxit vxorem.

Res à Longobardis ereptas Romanæ ecclesiæ, restituit Adriano Papæ. Vide Eginhartum & alios.

Porrò Hildegardis apud vrbem Metensem in beati Arnulphi oratorio requieſcit: Pro eo deniquè, quòd à beato Arnulpho iam dicti Reges originem ducerent, suorum ibì charorum defuncta corpora posuêre. Nam ibì humatæ sunt duæ Regis Pipini filiæ, quarum vna * Rothaidis, altera Adelhaidis appellata est. Ibì quoquè & iunioris Regis Caroli duæ nihilominùs natæ sunt tumulatæ, scilicet Adelhaidis & Hildegardis: quæ Hildegardis materno nuncupata nomine, matrem morientem citiùs subsecuta est.

* Hunc alij Ansegisum vocant.

MAR-

MARTYRIVM SANCTI MARTYRIS MAMANTIS: AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

Nos verò capitula margini adiecimus.

17. Auguſti ſecundùm Latinos. Cap. 1. S. Mamãtis parentes & patria.

MAMAS magnus & inſignis martyr Chriſti, patriam quidem habuit Paphlagoniam: erat autem clarus & pietate, & genere. Nam erat ei quidem pater Theodotus, mater verò Ruffina, religione quidem ambo fideles, genere autem inſignes, vt qui orti eſſent ex patricijs: & qui non ſoli in filijs, ſed etiam in omnibus, qui erant ſui generis, conſeruarent nobilitatẽ. Hi, cùm eſſet vehemens eorum amor in Chriſtum, & nec poſſent quidem internum continere deſiderium: ſed & liberè profiterentur pietatem, & multos ad eam excitarent, accuſantur apud Alexandrum, qui tunc erat legatus ciuitatis Gangræ, & cui mandatum fuerat ab imperatore, vt deorum quidem cultum omni ſtudio augeret & extolleret: qui inuenirentur autem, Chriſtianos multis ſubijceret ſupplicijs. Quòd ſi in ſua perſeuerarent religione, etiam morti traderet.

Cap. 2.

Alexander ergò diuinum Theodotum, productum ante ſuum tribunal, cogebat ſacrificare ſimulacris. Sed ille ne aurem quidem præbebat ijs, quæ dicebantur. Legatus autem, cùm eſſet paratus eum punire, prohibebatur à dignitate parentum. Non enim ei permittebatur contumelia afficere filios patriciorum, niſi Imperator permitteret. Eum itaque mittit in Cappadociæ Cæſaream ad Fauſtum Præſidem. Ille autem, qui quo erat in impietate ardentior, eo erat ſæuior, cùm accepiſſet Theodotũ,

Conijciuntur parẽtes eius in carcerem.

eum ſtatim conijcit in carcerem. Eius verò coniunx, etsi eſſet grauida, maritum tamen eſt ſecuta, & cum Theodoto ingrediente carcerẽ, vnà quoquè eſt ingreſſa. Interim autem dum ſimul degerent, Theodotus & ſciens carnis imbecillitatem, & non ignorans tyranni ſæuitiam, ſtatuit ad Deum confugere: quem precabatur, vt ipſe potiùs moreretur cum vxore, quàm aliquid accideret eorum mente indignum, dum nõ poſſent ſuſtinere vehementiam ſuppliciorum. Deum itaque rogabat, dicens: Domine Deus virtutum, dilecti filij tui pater, tibi benedico, & te glorifico, quòd vel in carcere habitare propter nomen tuum ſum condemnatus. Sed te rogo, Domine, ſuſcipe animã meã in his vinculis, qui meam nõſti imbecillitatẽ: nè aliquandò in me glorietur inimicus. Hæc ergò is eſt precatus. Qui verò finxit ſingulatim corda noſtra, qui intelligit omnia opera noſtra, mente ante opera ſuſcepta, poſt finẽ orationis, ei mortem affert ueſtigiò. Atque ſic quidem exceſſit Theodotus, corpore mortuo relicto in cuſtodia.

Nota preces ſancti Theodori.

Pſal. 32. Feliciter obit pater eius.

Cap. 3.

Coniunx autẽ eius Ruffina, non ferẽs afflictionẽ carceris, cùm ipſa quoquè intempeſtiuè peperiſſet filiũ, vtpotè quòd magna illa afflictio effeciſſet, vt pareret præter naturam, diſtrahebatur multis ac varijs animi perturbationibus. Eam grauiter angebat mors mariti, premebant grauiſſimæ de infante ſolicitudines, & Præſidis crudelitas efficiebat, vt extrema timeret & contremiſceret: & tamen à nullo horũ vincebatur: ſed Deo quidem infantem commendat & dedicat: ipſa autẽ aſſidens mariti reliquijs, & partim quidem miſerabiliter deflens ſolitudinem, partim autem non ſuſtinens cõiugi relictam eſſe ſuperſtitẽ, in lachrymis & ſuſpirijs hæc dicebat Deo: Qui finxiſti hominem, & ex eius latere Euam es fabricatus, concede vt ego quoquè eádẽ via ingrediar, qua maritus, & liberata ab his rebus caducis & fluxis, trãſeam ad ea, quæ ſunt apud te tabernacula & manſiones, quę ſunt æternę, & in quas nõ cadit interitus. Hęc Deũ precata eſt Ruffina, & voti facta cõpos, perindè ac preces conſequẽs, ipſa quoq; decedit.

Gen. 2.

Obit Ruffina mater S. Mamantis.

Cap. 4.

Ea ergò beatum illud ad Deum iter ingrediente, ſolus infans iacebat viuus inter parentum reliquias. Protinùs autem quædam diuina viſio in habitu & figura adoleſcentis, appáret cuidam mulieri claræ & genere & opibus, neque minùs pietate ac religione: vocabatur autem Ammia: & ei iubet, vt petat quidem à Præſide corpora ſanctorũ qui dormiérunt in carcere: tollat autem infantem quoquè, qui iacet inter eos, & eum ſibi adoptet in filium, & magnã eius curam gerat. Illa verò (carebat enim liberis, & erat vidua) ſicut ei mandauit ſomnium, ad Præſidẽ citò accedens, habuit eum facilè annuentem eius petitioni. Nam eum quoquè morem gerentem effecit diuina gratia. Statim enim reddidit, quæ Ammiæ iuſſa fuerant. Quamobrèm cùm & ſanctorum

corpora & infantem exportâſſet, illa quidẽ ſplendidè ſimul & magnificè in ſuo horto ſepelit: infantem autem ſibi educat in filium, & nõ ſecùs, atquè ſi ipſa cum periſſet, eum alebat & erudiebat, atque adeò maiorem, quàm ſi fuiſſet mater eius, curam gerebat.

Mamas adoptatur à vidua opulenta.

Cap. 5.

Peractus autẽ iam erat annus, ex quo fuerat adoptatus: & quo magis puer creſcebat, eo magis procedente tempore, ſimul quoquè creſcebat in eum amor Ammiæ. Eum enim videbat, tanquàm fructum ſui uteri, & exiſtimabat ſe eum habiturum, qui ipſam pulchrè in ſenectute aleret. Iam ſecundum annum infans attingebat, & lingua tenera Ammiam vocat mammam. Hoc autem lingua Romanorum ſignificat matrem. Itaque prima infantis balbuties, proprium nomen ei tribuit, & Mamas vocabatur ab omnibus, & decæterò agnoſcebatur. Cùm fuiſſet autem quinque annos natus, eum commendat Ammia magiſtris literarum. Ille verò mouebatur earum vehementi amore, & in doctrina ac diſciplinis erat longè ſuis æqualibus ſuperior: eratq; eius animus totus intentus, & planè defixus in eruditione.

Adhibetur ſcholæ.

Cap. 6.

Romanorum autem ſceptra tunc tenebat Imperator Aurelianus, qui cogebat omnes ſacrificare dæmonibus, non ſolùm viros & mulieres, ſed etiam pueros. Maximæ autem ei curæ erant pueri. Exiſtimabat enim ſe facilè eos eſſe inducturũ propter ætatis teneritatem. Sed alij quidem pueri re vera cedebant voluntati Imperatoris: qui autem cum Mamante ventitabant ad ludum literarium, imitabantur ipſi quoquè eanam pueri prudentiã, & nec verba quidem audire neceſsè habebant. Quotidiè enim docebãtur honeſto illo pulchri Mamantis ſpectaculo & exẽplo, ſolum verum agnoſcere Deum vniuerſi opificem, & ei rationale animorum offerre ſacrificium: eos autem, qui ab impijs & coluntur & adorantur dij, nugas exiſtimare, & plenos probro & dedecore. Fauſti autem Cæſareæ Præſidis ſucceſſor creatus Democritus, vir valdè ſpirans impietatem, & accenſus vehementi eius æmulatione, cùm primùm aſſcendit Cæſaream, bonum Mamantem ad eum ſtatim deferunt, quòd non ſolùm ipſe deos non coleret, ſed ſuos quoquè æquales & condiſcipulos ad errorem ſuum omnes induceret. Mamas autem iam quintumdecimum agebat annum ætatis: & honeſta matrona (hoc enim erat Ammiæ epithetum) morte priuatus, fit ſucceſſor & hæres eius facultatum.

Mamantis pueri mira pietas.

Cap. 7.

Democritus ergò cùm hæc audiſſet de Mamante, fuit protinùs efferatus in puerũ. Et cùm effeciſſet, vt ad ſuum tribunal ſiſteretur, primùm quidem interrogat, an eſſet Chriſtianus: deindè, an ille eſſet, qui neque ipſe dijs ſacrificat, & perſuadet condiſcipulis, nè pareant Imperatori. Ille autem maiorem, quàm ætas patiebatur, præ ſe ferens animi conſtantiam, & nihil conturbatus: Ego, inquit, veſtram valdè condemno caniciem, quòd tanta circunfuſi ſitis erroris caligine, vt nec poſſitis quidem adſpicere ad radios veritatis: ſed vero & viuo Deo relicto, acceſſiſtis ad dæmones inanimos & ſurdos. Nam ego quidem à meo Chriſto nunquàm recedam, & quoſcunque potero, ad eum adducam. Admiratus eſt Democritus pueri dicendi libertatem: & ſtatim ab initio deſperans ſe poſſe eum inducere, ſimul & minatus eſt adoleſcenti, & ijs, qui eum circunſtabant, iuſſit ducere puerum ad aram Serapidis, vt vel inuitus deo ſacrificaret. Ille autem nihil à minis effœminatè affectus & illiberaliter: At non licet, inquit, tibi me punire, qui ſum educatus à matre maxima & clariſſima, & luculentam ab ea accepi hæreditatem, & maximas diuitias, adijciens nomen Ammiæ. Cùm hæc autẽ audijſſet Democritus, & ab ijs, qui circunſtabant, de beata matrona & Mamante accuratè omnia didiciſſet, & cognouiſſet ſe non poſſe eum punire, ferreis vinctum vinculis Aegas eum mittit ad Imperatorem, omnia vt ſe habent, ſignificans literis Imperatori.

Mamas puer ſiſtitur ad tribunal.

Egregium eius reſponſum.

Cap. 8.

Ille autem cùm literas accepiſſet, & eas perlegiſſet, puerum variè aggreditur: & cùm eum in ſuum conſpectum adduxiſſet, nunc quidem minabatur, & magnum terrorem intendebat: nunc autem promiſſis inuitabat, & ei proponebat munera & honores, & dicebat: Si ad magnum accedens Serapidẽ, ei ſacrificaueris, ô pulcher puer, eris nobiſcum in palatio: & primùm quidem aléris regaliter, deindè te multi mirabuntur & laudabunt, beatusque eris decæterò, & cui poſſit inuideri. Hoc autem faciebat Aurelianus, & hæc duo ſimul, nempe & minas proferebat, & promiſſa, vt vel minis eum terreret, & extremũ ei metum afferret, aut promiſſis eius ſolidã frangeret conſtantiam, & in ſumma eum molliret, eiusque oculos pręſtringeret, & adduceret ad impietatem. Hæc autem magis acuebant alacre & promptum ſtudium adoleſcentis:

Offertur Imperatori, & ab eo variis modis tẽtatur.

lescentis: &, Absit, respondit, O Imperator, vt has, quæ à vobis honorantur, statuas in honore habeam, aut earum vllam ducam rationem, quæ sunt surdæ & inanimæ, & quæ arguunt, quàm sitis crassi & nullo sensu præditi, quòd ea colere & in honore habere omninò sustinetis. Desine ergò minas intentare terribiles, vt tibi videtur, & maxima polliceri. Nam puniens quidem, benefacies: benefaciens autem, damno afficies maximo. Pro Christo enim mori, est mihi quouis honore & lucro præstantius.

Cæditur flagris. His vehementer iritatus Aurelianus, iubet corpus pueri cædi flagris. Atq; adolescenti quidem prudentia cano cædebatur tenerum & modò florens corpus: ille verò perindè afficiebatur, atquè si pateretur in somnis.

Cap. 9. Cùm autem Imperator coipso tempore, quo torquebatur puer, ei adularetur, & eum omni ratione conaretur emollire, dicebat enim: Dic vel solis labris te sacrificaturum: & statim liberaberis ab omni supplicio: Non ego, inquit Mamas, ô Imperator, solum mihi verum Deum & Regem Christum, neque labris, nec corde negauerim, etiamsi præsentibus lõgè graviora excogitaueris. Quineriam magnas tibi habeo gratias, quòd me per hæc tormenta ei, quem desidero, concilies: & opto solùm, nè manus defatigentur tortoribus, quæ iam, vt vides, mihi magna bona procurant: sed robustiæ potiùs reddantur & valentes. Aurelianus autem postquàm vidit eum tam parùm curare verba, iubet ei nudatum corpus totum torreri lucernis ignis: vt cùm carnes paularim eliquarentur & diutiùs versaretur in tormento, & dolores sentiret graviores. Et hoc quidem deductum est ad effectum, & admotæ sunt lucernæ corpori martyris. Sed & ignis reuerebatur athletam, & in milites spirabat vehementiùs. Atque martyr quidem sine dolore admittebat lucernas: illæ autem magis vrebant animum persecutoris. Nam cùm ne minimùm quidem corpus martyris attingerent, eo illi maiorem flãmam excitabant insaniæ. Deindè iubet martyrem verberari lapidibus. Ille autẽ perindè erat affectus, atquè si adspergeretur rosis, & spe futuri lætabatur.

Constantia eius eximia.

Ignib⁹ torretur, sed non sentit.

Verberatur lapidibus.

Cap. 10. Cùm itaque valdè animi dubius esset omni ex parte Aurelianus, & nullum supplicij genus posset excogitare, quod cor Mamantis attingeret, iubet globum plumbeũ eius collo alligari: & sic in medium mare ductum martyrem, proijci in profundum. Et iussus quidem deductus est ad effectum: sed ne tunc quidem, ô Mama, Deus tui est oblitus. Angelis enim suis mandat de te, vt te custodiant. Et statim Angelus in forma humana in orbem circumiens, terrorem quidem affert ijs, qui ipsum ducebant, & eos verit in fugam: iubet autem martyrem venire in montem, qui est Cæsareæ, & illic degere. Cùm fuisset ergò in monte, & totos quadraginta dies mansisset ieiunus, fit hic alius Moses. Ei in manus nouum traditur testamentum, quod non tunc quidem primùm esse cœperat, sed iam fuerat datum patribus. Et quod tunc deerat Mosi, hoc nunc adimpletur in martyre. Nam Moses quidem solummodò è cælo accepit tabulas: ad hunc autem & vox, & virga ab alto descendit. Cùm autem virgam accepisset, & vt vox significabat, ea terram dissecuisset, quomodò priùs mare Moses, accipit Euangelium editum è terræ visceribus.

Pſal. 90. Angelus eũ liberat.

Manet 40. dies ieiunus

Exod. 31.

Cap. 11. Quid opùs est ea dicere, quæ sunt posteà consecuta? Non ampliùs nobis martyr Moses, sed fit alius Paulus prædicans. Euangelium. Cùm quoddam autem templum

1. Cor. 4. construxisset, in quo orare consueuerat, quoniam oportebat eum, sicut Paulus, operari manibus, diuina virtute ad se ducit omnes feras: & lac mulgens fœminarum, quæcunq; id scilicet præbent poculentum hominibus, efficiebat caseum: & eius quidem parùm sibi relinquebat & reponebat: reliquum autem, descendens Cæsaream, distribuebat egentibus. Quoniam autem magnus Mamas fama & sermone multorum celebrabatur, Alexander quidam alius, non is, quem priùs diximus, tunc creatus præses Cappadociæ, vir crudelis, si vllus alius, & contendens in impietate à nemine superari, cùm de eo omnia intellexisset, mittit quosdã equites ad eum quærendum, vt cùm inuenissent, ad eum adducerent. Cùm illorum itaque aduentum præsciuisset martyr, fit eis obuiàm. Illi autem postquàm simul conuenissent, neque scirent hunc esse illũ, rogabant eum, vbinàm, & in quo loco esset Mamas. Ille verò: Vos quidem, inquit, ô amici, oportet nunc ex equis descendere, vt eamus ad cœnam: posteà autẽ ostendam vobis Mamantem. Hi ergò ab eo hospitio accepti, caseum & panem lubenter comederunt. his enim egregius eos accepit Mamas, dominus conuiuij.

Nota rem miram.

Excipit suos hostes hospitio S. Mamas.

Cap. 12. Interim autem ad martyrem accedunt, vt consueuerant, fœminæ animantes, vt vnaquæque suo lacte mulgeretur. Quod cùm vidissent equites, eos inuasit stupor & timor: & cœna relicta, confugiunt ad martyrem. Ille verò cùm metum eis ademisset, & eos

& eos bono & fideli animo esse iussisset, deindè vellet etiam eorum animos à cura liberare, dixit se quidem verè eum esse, qui quærebatur, Mamantem, nè amplius eum quærerent. Eos ergò dimittit, pollicitus seipsum quoquè mox venturum. Deindè cùm equites protinùs recessissent, (tali enim viro credebant, neque in eo poterant vllum suspicari mendacium) cùm vnum ex ijs, qui erant in monte, leonibus, martyr nutu ad se vocâsset, iubet eum, postquàm ipse ingressus fuerit stadium, cursìm pergere ad Græcos & Iudæos, qui lingua maledica nomini vnigeniti detrahunt, & id maledictis incessunt, & eis afferre interitum. Hæc cùm iussisset feræ, à monte proficiscitur: & accedit ad equites, qui eum expectabant ad portam ciuitatis. Cùm ij itaque eum assumpsissent, ducunt ad Alexandrum. Ille autem protinùs: Tu'ne es, inquit, ille, qui es magia insignis? Martyr autem Mamas prudenter dicit: Ego sum Christi seruus: qui eis quidem, qui credunt in ipsum, & faciunt eius voluntatem, dat salutem: magos autem & incantatores, & eos, qui adorant idóla, igni tradit æterno. Sed quanam de causa me accersijsti? Quòd nec possum quidem, inquit Præses, perspicere, quibusnam vtens præstigijs & incantationibus, viribus inexpugnabilia & fera animalia inducis, vt cum eis degas, & apud eas verseris: imperes autem propemodùm, tanquàm ratione præditis. Respondens autem martyr: Qui seruit, inquit, Deo meo, qui solus viuit, & est verus, ne vel parùm quidẽ sustinuerit versari & vitam agere cum * idolatris & maleficis. Quamobrèm ego mihi duco esse præstantius, versari simul cum feris, quàm vobiscum habitate. Nam illæ quidem non nostris inducuntur, vt putas, incantationibus, & ideò mihi redduntur cicures & domesticę: neque enim scio, quid sibi velit vel solum nõmen incantationis: sed etsì sint prudẽtiæ expertes & rationis, sciunt tamen ipsæ quoquè meum reuereri Dominum, & in honore habere eius famulos. Vos verò estis longè, quàm ipsæ, minùs participes rationis, quòd cùm illas habeatis exemplar honorandi Domini, ne sic quidem intelligitis.

Feræ & leones obediũt sancto Dei.

Siſtitur coram Alexãdro præside.

Præclarum eius responsum.

Præses autem cùm aduersùs hæc ne posset quidem cõtradicere, conabatur apertè vim afferre. Cur autem eò, aiebat, processisti stultitiæ & audaciæ, vt insurgas quidem aduersùs Imperatorum constitutiones, impudenter autem nos quoquè allicias contumelijs? Sed tormenta te vel inuitum omninò ea, quæ oportet, docuerint. Et statim iubet eum suspensum valdè cædi. Ille autem, etsì adeò acerbè lacerraretur, perindè erat affectus, atquè si nullum dolorẽ sentiret penitùs. Neque enim tortores adspexit effœminatè, nec se mollem præbuit in tormento, non humile & illiberale aliquid est locutus: sed rectà in cælum suos defixerat oculos, & consolationem expectabat à superis. Cùm verò Præses suppliciorum & dolorum acerbitatem intenderet, & instaret, vt martyr laniaretur vehementiùs, vox quædam diuina, quæ extitit è superis, ei quidem leuat magnam partem doloris: confirmat autem & corroborat id, quod laborabat, & reddit eum quibusuis tormentis superiorem. Eam cùm multi audijssent ex fidelibus, firmiores & cõstantiores euaserunt in pietate. Alexander autem postquàm vidit generosum Mamantem nihilifacere ferreas illas vngulas, quibus laniabatur, corde magis lacerabatur ab insania: & ipsum quidem illinc deducit: accendit autem fornacem ignis, vt athleta in eum iaceretur. Atque iam quidem accendebatur fornax ignis: Præses verò, quoniam tunc erat occupatus in alijs, satiùs esse putauit, parumpèr martyrẽ tradere in custodiam. Quadam enim spe ducebatur, quòd si ei tempus daretur, vt apud se esset, & consideraret accuratiùs, fore vt & experientia malorum, quæ præcesserant, & metu futuræ fornacis, accederet mollior ad secundas interrogationes, & non parùm priorem suam mutaret sententiam. Atque ille quidem vir generosus conijcitur in carcerem: ad quadraginta autem Christianos, qui in eo priùs detinebantur, ibi inuentos liberat à vinculis: & cùm carceris claues & vectes labefactâsset sola precatione, & totas portas aperuisset, eis quidem concedit, vt sine labore exeant: relinquitur autem ille solus in custodia, in qua Angeli præsentia excitabatur & confirmabatur ad futura certamina.

Siſpensus diré cęditur

Cęlesti voce cõfirmatur.

Ducitur in custodiam.

Liberat indè 40 Christianos.

Intereà ergò iam accensa erat fornax: & Præses, abiectis alijs curis, rursùs producit martyrem ad tribunal, & dicit: Tanta omninò nostra in rebus maximè necessarijs occupatio, & diuturna in illis mora, præbuerunt tempus incundi consilij, quod esset tibi vtile. Sin minùs, tu vides, quàm sit alta fornax: nihil tamen dicam, donèc inconsiderata hæc tua constantia effecerit, vt te multùm deplores. Ille autem vir egregius: Iam tibi, ô Præses, priùs meam aperui sententiam: cur de ijsdem rebus tibi rursùs exhibes negocium? Cùm inceperis, finẽ impone: nè differas ea, quæ mihi es minatus. Præses

Cap. 13.

Cap. 14.

Mittitur in fornacem. Dan. 3.

autem eum protinùs immittit in fornacem. Sed qui pueris, qui erant in Assyria, fornacem aliquandò rore adsperſit Deus, is hîc quoquè aderat, auferens ignis operationem. Martyr autem verſabatur in flamma, tanquàm in prato florido. Toto certè tempore, quo in igne eſt moratus, canebat hymnos ad Deum. Atque tres quidem dies eum tenuit fornax. Deindè cùm flamma ceſsâſſet, & eſſent in cinerem diſſoluti carbones, iubet Præſes lictoribus, vt efferant, ſi quid ſit reliquum ex oſſibus martyris.

In eo tres dies manet illæſus.

Illi autem cùm veniſſent ad fornacem, illius vocem apertiſſimè audiunt Deum laudantem. Illi verò protinùs reuerſi, Præſidi renunciant rem illam admirabilem. Ille verò: Per magnum, inquit, Serapionem, & alios omnes deos, hoc eſt apertè incantatio & præſtigiæ. Et multa alia nugatus eſt aduersùs veritatem: adeò erat attonitæ & planè emotæ mentis. Populus autem, quicunque, inquam, paululùm poterant intueri ad veritatem, cùm nec ignis veſtigium, neque vllam fuliginem adſpexiſſent ferre athletam, illius Deum laudabant, & ei ſoli adſcribebant miraculum.

Cap. 15.

Stolidus autem Præſes, poſtquàm ex fornace rursùs adſtitit martyr ſanus & ſaluus ante illius tribunal, cùm nec eius quidem pilum ignis attigiſſet, longas in eum effudit nugas, eum inſimulans magicæ & veneficij, & hæc vocans dæmoniaca. Ille autem ne reſponſo quidem eum eſt dignatus. Et Præſes quidem eum deduxit ad certamen, futurum, vt putabat, cœnam beſtijs. Ille autem ſequebatur ſubridens. Et in martyrem quidem immiſſus fuit pardus, & fœuus vrſus. Sed vrſus quidem eum reuerenter adorabat, & ad eius pedes procumbebat. Dixiſſes, ſi vidiſſes, eum amplecti illius veſtigia.

Ferę illũ reuerentur.

Pardus autem lenis & manſuetus, in eius humeros citra vllam inſiliens moleſtiam, lingua abſtergebat eius ſudorem, & eum demulcebat, perindè àc eum deliniens, & ægrè ferens ea, quæ patiebatur. Et quæ à Præſide quidem immiſſæ ſunt beſtiæ, ſic, vt videtis, meum tractârunt athletam. Sed non ſic leo, qui ab illo ſignum accepit, quem ipſe armauit aduersùs impios, vt priùs diximus. Nam dentibus ſtridens, & iram ſpirãs, properè deſcendit de monte: & cùm conturbâſſet theatrum, & in partes diſſecâſſet, ex eis quidem multos diſcerpſit dentibus & vnguibus. Quo quidem tempore innumerabilis multitudo infidelium, intelligẽtes virtutem diuinam, quæ erat in martyre, eius Deum magnificè extollebant. Hæc, quæ vel ipſos poterant mollire lapides, reddebant Præſidem duriorem: & leonem rursùs in ipſum immittit. Ille autem quantùm qui præceſſerat, efferatus fuerat in impium theatrum, & eis quauis morte vitam effecerat acerbiorem, tantùm hic acceſſit mitis & manſuetus martyrem: adeò vt multis videretur immiſſus eſſe à Præſide ad eum conſolandum, non autem ad puniendum.

Cap. 16.

Cùm itaque ſpem omnem abiecíſſet impudens ille Præſes, rogat quendam exijs, qui ei parebant, vt in præclari huius martyris viſcera ferreum adigat tridentem. Et ille quidem eum ambabus manibus torquet in Martyrem. Martyr autem ſanguine manantia fert inteſtina, adeò vt quædam mulier ex ijs, quæ beneuolæ erant martyribus, quamprimùm accurrens, cratere guttas ſanguinis ſuſceperit: & lætus ingreditur per medium theatrum: magnam enim à vinculis ſecuritatem præbebat ei finis, qui mox expectabatur: & egreditur lætus è ciuitate, onere, quod geſtabat, ſibi placens, dum internam naturæ compoſitionem in manibus ſuauiſſimè circunferebat, vt qui gauderet, quòd ea oblata eſſet hoſtia ei, qui formauerat, & grato animo reddita eſſet ei, qui dederat. Cùm ergò duo ſtadia peruaſiſſet, & Chriſto agonothetæ viſum eſſet eum ſatìs laborâſſe, recumbit in quadam ſpelunca, & adſpicit ad eas, quæ illic ſunt, coronas. Vox autem deſupèr exiſtit, vocans athletam ad æterna illa tabernacula & præmia, ad eum qui illic eſt ſplendorem, & delicias, ad quas tranſit protinùs, ab illis exceptus ſecundo menſis Septembris. Quæ detur omnibus nobis conſequi gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, Cum quo patri ſimul cum ſancto ſpiritu gloria, honor & potentia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Grauiter vulneratur S. Mamas.

Reddit ſpiritum.

MAR

MARTYRIVM SS. PAVLI ET IVLIANÆ, QVI APVD VRBEM PTOLEMAIDEM ILLVD

ſuſceperunt, Authore Simeone Metaphraſte. Numerum capitum ad marginem adſcripſimus.

AVRELIANVS Imperator per totum orbem terrarum contra Chriſtianos edictum propoſuit, vt omnes idólis ſacrificarent: qui verò id facere noluiſſent, vita peſſimè priuarentur. Ille igitur cùm in Iſauriam veniſſet, in vrbem Ptolemaidem ſe cõtulit, vt omnes Chriſtianos cogeret idólis ſacra facere. Cùm verò beatiſſimus Paulus vnà cum ſorore ſua Iuliana Imperatorem in vrbem ingredientem vidiſſet, Chriſti ſigno frontem notauit, & ad ſororem cõuerſus: Eſto, inquit, bono animo, ſoror mea, neque timeas. dico enim tibi, magnam quandam tentationem Chriſtianis imminere.

Augusti 17. Cap. 1.

Vide antiquiſſimam morẽ Cruce ſe ſignandi.

Cap. 2.

Vidit Aurelianus, cùm Paulus Chriſti ſigno frontem notauit, & miſit qui illum corriperent. Quem cùm in media turba ſtare iuſſiſſet: Miſerrime, inquit, homo, quidnam tibi propoſuiſti, vt, me in vrbem ingrediente, frontem ſignare auderes? An ignoras edictum contra Chriſtianos propoſitum? Reſpondit Paulus: Audiui equidem edictum tuum, ſed nemo vnquàm poterit tantum timorem nobis inijcere, vt Chriſtum verum Deum abnegemus. tua enim tormenta breuia ſunt, neque eos lædere poſſunt, qui Deum metuunt. At Dei tormenta, ſempiterna illa ſunt. Eodem modo voluptas & gloria, quam Deus Chriſtianorum generi largitur, æterna eſt. Quis igitur tam amens eſt, vt viuentem Deum derelinquat, & ſurda atque muta iſta veſtra idóla colere velit, cùm ipſe author noſtræ ſalutis Ieſus Chriſtus dixerit: Quicunque negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt?

Matth 10.

Cap. 3.

Cernis, inquit Aurelianus, quandiù te nugantem paſſus ſum ac ſuſtinui? Accede iam, & dijs ſacrifica nè peſſimo mortis genere conſumaris. At Paulus: Ego nullum aliun Deum cognoui, nisi Dominũ Ieſum Chriſtum, quem colui ſemper indè vſque à patribus meis puro corde atque animo. Tum Aurelianus dixit: Suſpendite hominem iſtum, & acriter torquete, donèc venerit Dominus ipſius, & eum liberet. Suſpenderunt igitur illum carnifices. & cruciatibus affligere cœperunt. Cumque affligeretur, voce magna Deum inuocans, dicebat: Domine Ieſu Chriſte, vera Dei veri & Patris progenies, cuius ortum nemo comprehendere poteſt, non Angeli, non Archangeli, non Throni, non Dominationes, non Principatus, nõ Poteſtates, non Virtutes, non Cherubini, aut Seraphini, nisì Pater ſolus: tu, inquam, afferas opem mihi humili & abiecto ſeruo tuo, & ex manibus Aureliani me liberes. Deus autem protinùs ità cruciatus illos leues effecit, vt beatus Paulus nihil ſentiret.

Paulus ſuſpentus cruciatur.

Non ſentit pœnas.

Cap. 4.

Sancta verò Chriſti ſponſa Iuliana, cùm fratrem ſuum ità cruciari vidiſſet, cucurrit ad tribunal, & voce magna clamans: Aureliane, inquit, tyranne, cur ità crudeliter fratrem meum innocentem crucias? Tum Aurelianus: Deteqite mox iſtius mulieris caput, & eius genas vehemẽter percutite, nè ſic temerè loquatur: iſtum verò nefarium hominẽ conſtanter cruciate, eô quòd Chriſti, quem dicit, patrocinium & adiumentum ſe habere ait. Riſit Iuliana, &, Miror, inquit, quomodò Imperator cùm ſis, deliras, neque potentiam Chriſti cognoſcis, quemadmodùm ſcilicet tormenta his hominibus, qui eum inuocant, leuiora efficit. Aurelianus ad ſuos conuerſus, dixit: Muliercula iſta ex mea clementia maiorem in modum elata eſt. Itaque illam toruè intuens: Accede, inquit, & dijs immola. non enim manus meas te euaſuram confidere debes. Ad hæc Iuliana: Ego neque tua tormenta extimeſco, neque minas tuas ad me pertinere arbitror: eſt enim Deus in cælis, qui poterit eripere nos de iniquis manibus tuis. Quæcunque igitur habes torquendi inſtrumenta, mihi admoueas, vt ex hisipſis Dei & Saluatoris Ieſu Chriſti opem mihi præſentem eſſe cognoſcas.

Iulianę cõſtantia.

Cap. 5.

Hæc dixit Iuliana. Cui Aurelianus: Video, inquit, pulchritudinem tuam talem eſſe, vt illius rationem habens, te perdere nolim. Te igitur adhortor, vt dijs ſacrifices, quô legitimam mihi vxorem te deligere poſſim, & mecum vnà regnes, Imperio meo

omni tempore fruens. Quinetiam fratri tuo iniuriam compensabo, & faciam, vt amplissimum dignitatis gradum apud me habeat. Erexit Iuliana oculos suos in cælum, & Crucis signo cùm frontem notâsset, risit. Cui Aurelianus: Cur, inquit, Iuliana, multam benignitatem meam contemnens, risisti? Non, inquit illa, contempsi benignitatem tuam: sed rideo, gaudens, quòd sponsus meus cælestis, qui vult omnes homines saluos fieri, sedet in solio sancto suo, eiusque diuinitatis pulchritudinem contemplor: qui etiam me hortatur, vt certamina ipsa libenter sustineam, te verò nugacem & futilem hominem contemnam: quippè qui, cùm te Imperatorem appellari facias, & ligna & lapides adoras. Audiens hæc Aurelianus, bili percitus: Suspendite, inquit, mulierem istam, eamque constanter cruciate, vt intelligat se ante Imperatoris tribunal consistere. Cœperant iam carnifices illam cruciare, cùm Paulus eius frater eam intuens: Nè timeas, inquit, soror, Tyranni cruciatus, neque ipsius minas formides. Sustineamus paulispèr, vt perpetuò requiescere possimus. Infligite huic, inquit Aurelianus, cruciatus assiduos, eique inculcate, nè superba & stulta verba effutiat. Audiens hæc Iuliana, iterùm risit, & ait: Aureliane Tyranne atque inique, Dominus Iesus Christus facit, vt neque labores, neque tormenta hæc sentiam. Tunc Aurelianus: Quanuis, inquit, multas nugas effundas, & simules te cruciatus non sentire, faciam tamen, vt diutiùs crucieris, & doloribus succumbas. Non sinet, inquit illa, Christus ipse, me vnquàm à te superari. Ille est, qui mihi opem affert, & nunc, & semper ad finem vsque opitulabitur, quô ipsius potentiam, & nostram Christianorum patientiam cognoscere possis. Te verò ipse Deus meus æterno igni puniet: exiget enim à te animas, quas perdidisti.

2. Tim. 2.

Iuliana quoque suspensa torquetur.

Nec ipsa sentit dolores,

Cap. 6.

His verbis magis exarsit Aurelianus, & iussit lebetem afferri, ac picem in eum conijci, atque ignem multum infra lebetem accendi, ità vt nemo propiùs accedere posset. Iussit autem in illum conijci Paulum & Iulianam. Qui cùm fuissent coniecti, oculos in cælum erigentes, ac tanquàm vno eodemque ore precantes, hæc dicebant: Domine Deus patrum nostrorum, Abraham, Isaac & Iacob, qui descendisti in fornacem ignis ad Sidrach, Misach & Abdenago in Babylonis regione, neque illos igne lædi permisisti: tu, Domine Iesu Christe, lux illa immensa, Patris mysterium & gloria, Deique altissimi dextera, qui homo factus propter peccata nostra, inter homines versatus es, da salutem animabus, quas inimicus diabolus miserrimè deceptas & corruptas, vsque ad infimam tartareæ sedis voraginem detrudere conatur: quemadmodùm Aurelianus iste, ipsius diaboli discipulus, nunc facit. Hæc cùm illi precantes dixissent, pix efferuescens, in gelidam aquam conuersa est, ità vt qui præsentes erant, Dei potentiam admirarentur.

Mittitur in feruentem picem.

Dan. 3.

Pix frigescit, in aquâ mutata.

Cap. 7.

Nihilominùs tamen Aurelianus proprio furore oppressus, Deo gloriam non reddebat, sed magicis artibus ea fieri existimabat. Iussit posteà è lebete illos extrahi, in quibus nec picis odor aliquis inerat: quin etiam neque in lebete ipso picis aliquid inuentum est, sed tantùm frigida aqua. Tunc Aurelianus, Existimatis ne, inquit, eos, qui præsentes sunt, à vobis circunueniri, & adduci, vt putent auxilium à Deo vestro vobis allatum, & non magicis potiùs artibus hæc facta esse? Non ità, per deos ipsos, res se habebit: faciam enim, vt cruciatibus affecti, igne consumamini, nisi dijs ipsis victimas obtuleritis. Ad hæc Paulus respondit: Minimè nos possumus viuentem Dominum Deum relinquere, cæli & terræ creatorem, qui nos è tenebris eripuit, & à manibus tuis eosdem liberauit. Nunquàm igitur, Aureliane Imperator, nobis persuadere poteris, vt lapidibus & statuis vestris, voce, auditu & anima carentibus, cultum præbeamus. Itaque decæterò tormenta, quæcunque vis, nobis admoueas, vt Dei nostri vim cognoscas.

Dei virtutē Aurelianus magicis adscribit artibus.

Cap. 8.

Iussit Aurelianus duas ferreas sedes illuc afferri, & è balneis publicis carbones congeri, & sedes illas vehementer succendi: suum verò abdomine illitos martyres ipsos supra candentes sedes imponi. Quod cùm mox factum esset: Iam, inquit Aurelianus, artibus vestris omnibus superatis, potestis discere, quisnam sit Aurelianus Imperator. Veniat nunc Christus vester, si potest, & vobis laborantibus opem afferat. Respondit statim Aureliano Iuliana: Nobiscum hoc in loco Christus est, nobis opē affert, neque sinit ab igne nos tangi. Tu verò illum non vides, cùm eius visione indignus sis. Moneo te, Aureliane, vt insaniam istam omittas, & ad Christum accedas. nam si ei credere voluëris, te resipiscentem amplectetur, cùm benignus sit ac misericors, & humana peccata condonet. Quòd si non credideris, æterno igne puniéris.

In ignitas sedes imponūtur martyres.

Magis

Magis iratus est Aurelianus, & iussit carnifices capite truncari, quasi pecunias à Christianis accepissent, vt illis parcerent. Cùm verò ad mortem ducerentur carnifices, hortabatur eos Paulus his verbis: Nolite timere. neque enim in æternum moriemini, sed Sanctorum participes futuri estis, & cælestis regni hæredes. Hæc cùm audissent carnifices, constiterunt, ità Deum orantes: Domine Iesu Christe, quem Paulus & Iuliana prædicant, adesto nobis, & in confessione tua fac nos perfectos esse: quoniam nihil mali fecimus, & morimur. Hæc cùm dixissent, obtruncati sunt. Eorum alter, Quadratus: alter, Acacius dicebatur.

Cap. 9.

Vide insaniā Tyranni qua iubet carnifices decollari.

His igitur martyrio consummatis, iussit Aurelianus alios carnifices ignem afferre, & supra carbones sal adspergere, vt ignis ipse vehementer accenderetur. Tum Iuliana: Aureliane, inquit, Tyranne & nefarie, cur teipsum affligis? Video enim te cruciari, & omnibus modis furore detentum affligi, deniquè vt serpentem aliquem exibilantem, venenum contra nos effundere: sed nihil tamen proficies, cùm Deus ipse nos corroboret, vt prauas tuas cogitationes sustinere possimus. Itaque cùm aduersùs nos nihil efficere potueris, magis erubesces, & à nobisipsis abstinebis. Aurelianus iussit illos exolui, & in carcerem detrudi, atque ligna quædam maximi ponderis in eorum ceruices imponi, pedes etiam compedibus ligari, catenis manus deuinciri, & ferreos clauos sterni, vt illis configerentur, neque Christianorum aliquem permitti ad eos ingredi, nè cibus afferretur. Illos igitur carnifices in carcerem duxerunt, quæque ab Aureliano iussi fuerāt, eis fecerunt. Cùm verò media nocte martyres Deum precarentur, lux quædam magna effulsit in carcere, & Angelus coram illis stetit, eisque dixit: Paule & Iuliana serui Dei altissimi, surgite & Deum orate. Hæc dixit Angelus, & ad eos accessit: ac statim instrumenta, quibus eorum colla constricta erant, tetigit, statimque tam illa, quàm reliqua ferrea & lignea vincula confracta, de iustorum martyrum corporibus exciderunt: duæ autem sedes pannis stratæ, & mensa coram ipsis ilicò apposita est, omnigenis ferculis plena: eisque Angelus dixit: Venite, requiescite, & cibum sumite, quem misit vobis Iesus Christus. Paulus & Iuliana ea re lætati, discubuerunt. Cumque panem ipsum in manus sumpsissent, & oculos in cælum erexissent, Deo ipsi gratias egērunt, & cibi participes facti sunt. Viderunt carceris custodes lucem illam magnam: cumque ad eos repentè introiuissent, quod factum fuerat didicerunt, ipsos insuper comedentes, & hilares factos viderunt. Itaque cum illis recumbentes & ipsi comederunt, Deoque laudem & gloriā dederunt, qui talem gratiam filijs hominum contulisset, ità vt plerique ex ipsis Deo crediderint, & Christiani euaserint.

Ducūtur in carcerē, & pessimè habentur.

A vinculis absoluūtur.

Cœna illis diuinitùs præparatur.

Tertio pòst die Aurelianus, cùm in tribunali sedisset, iussit sanctos martyres Paulum & Iulianam illuc duci, quibus ait: An nondùm tormenta ipsa vos docuerunt, vt ab ista insania vestra discedatis, & deos adeuntes, illis victimas offeratis? Hæc, inquit Paulus, stultitia mihi sit, & omnibus, qui Deum ipsum diligunt. Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus: & sapientia hominum, stultitia est apud Deum. Desipiens profectò & insanus essem, si à Deo ipso deficiens, dæmones vestros colerem. Denuò Aurelianus bili percitus, iussit illos in ligno suspendi, & cruciari. At illi Deum orantes, hæc dicebant: Domine Iesu Christe, fili Dei viuentis, lux Christianorum, & fides, quæ neque concuti, neque ab aduersarijs expugnari, aut dissolui potest: ostende faciem tuam, & nobis opem feras, neque nos destituas propter sanctum nomen tuum. Cùm igitur carnifices diutiùs illos cruciarent, & Christus eorum cruciatus subleuaret, nihil omninò martyres tormenta illa sentiebant.

Cap. 11.

1. Cor. 1.

In ligno suspensi cruciantur.

Vnus verò è carnificibus, nomine Stratonicus, cùm staret ad sinistrum Iulianæ latus, & tormenta in eam inferret, eius pulchritudine captus, manus ab ea continebat. Cuius sensum atque animum cùm beata & sancta Iuliana cognosceret, sinistrum pedem extendit, & calce illum verberans: Stratonice, inquit, fac quod iussus es à Tyranno Aureliano, neque manus à me contineas mihi parcens: ego enim habeo Regem meum Dominum Iesum Christum, Deum æternum, & animæ meæ curatorem, qui corporeis laboribus me subleuat, atque ità præsentes cruciatus non sentio. Hæc cùm Stratonicus audiuisset, statim ensem, quem manu tenebat, abiecit: cumque ad tribunal Aureliani cucurrisset, clamans: Aureliane, inquit, tyranne & temerarie, curnàm hæc facinora contra Christianos patrare audes? Quidnam homines Deo seruientes commiserunt, vt ità crudeliter & immaniter eos crucies? An quia Christum omnium dominatorem venerantur? Hæc cùm audiret Aurelianus, ità obstupuit, vt hora vna

Cap. 12.

Stratonic carnifex fit Christianus

mutus remanserit. Tandèm respondens: Tu´ne etiam, inquit, Stratonice, istorum stultitiæ atque insaniæ particeps factus es? An Iulianæ pulchritudo te decepit & eius iucundis sermonibus allectus es? Stratonicus cùm in cælum oculos erexisset, deinde Paulum ac Iulianam in ligno suspensos circūspexisset, Crucis signo munitus, illorum adspectus tales vidit, quales Angelorum Dei facies esse solent. Mox accurrit, & deorum aram calcibus conculcauit, eamque euertens, ait: En & ego Christianus sum. facias licet, quicquid libet. Furore accēsus Aurelianus, iussit eius caput abscindi. Cumque sententiam Imperator tulisset, vénit ad eum locum, in quo martyrium obiturus erat: vbì cum genua inclinâsset, ità orauit: Domine Iesu Christe, quem Paulus & Iuliana confitentes, inuicti permanent, à diuinitate tua seruati, & Aureliani tyrannidem confundentes: tu, quæso, & animam meam accipe in cæleste regnum tuum, meam, inquam, animam, qui breuissimæ horæ spatio nomen tuum confessus sum, præsente Aureliano tyranno. His dictis, ille caput extendit, & à carnifice obtruncatus est. Venerunt autem Christiani, & eius reliquias collegerunt.

Crucis signo munitur.

Capite plectitur.

Cap. 13. Paulus verò & Iuliana cruciatus fortiter sustinebant. Tunc Aurelianus Iulianam affatus: O scelesta, inquit, & impia muliercula, quomodò in tormentis existens, carnificem decipere potuisti, eique mortis causam afferre? Non ego, inquit Iuliana, illum decepi, vel mortis causam attuli: sed qui me assumpsit Iesus Christus, ille ipse & hunc dignum fecit, ac vocauit: nisì enim dignus fuisset, nunquàm ad martyrij palmam peruenire potuisset. Illum igitur in regno cælorum requiescentem adspicies: te verò in gehennæ flamma puniri senties. Tunc quidem pectus tuum infelix percuties, cùm inferiorem hominem, teipso apud Christum præstantiorem videbis, & dolore affectus, clamabis, Dei misericordiam implorans, quam tamen impetrare non poteris. Posthæc iussit Aurelianus illos è ligno detractos, in carcerē interiorem cōcludi, & omnes veneficos ac præstigiatores vocari, qui feras omnes, quascunque haberent, acerbissimas, hoc est, viperas, aspides, cerastes ac dracones, afferrent, vt vnà cum Paulo & Iuliana in carcere concluderentur. Cùm igitur feras attulissent, quemadmodùm à Tyranno iussi fuerant, simul cum Paulo & Iuliana eas concluserunt. Serpebant autem feræ illæ, & ad pedes beatorum martyrum assidebant, intētis quidem oculis eorum facies adspicientes, sed nihil tamen nocentes. Paulus autem & Iuliana sedebant psallentes, & Deum collaudantes.

De hac reproborum pœnitentia & dolore lege cap. 5. libri Sapientiæ.

Nihil læduntur à viperis &c. Paulus & Iuliana.

Cap. 14. Manserunt antē serpentes illæ tres dies & tres noctes cum martyribus clausæ. Tertio autem die misit Aurelianus sub noctis tempus, vt disceret, an à serpentibus consumpti essent. Venerunt, qui missi fuerant ad eum locum: cumque ad ianuam accessissent, eos, psalmos canentes & Deum laudantes, audiuerunt. Cùm verò accuratiùs scire vellent, quo pacto res se haberet, ascenderunt in locum quendam superiorem. Vndè per senestram speculati, viderunt Paulum sedentem simul cum sorore sua Iuliana, & Angelum Dei stantem in conspectu ferarum, neque permittentem feras accedere. Cucurrerunt igitur illi, & Aureliano omnia, quæ viderant, nunciârunt. Surrexit Aurelianus diluculo, & sedit pro tribunali, & iussit veneficos feras suas illinc euocare, & martyres duci ad tribunal. Accesserunt venefici ad ianuam, & feras eo modo, quo solebant, vocare cœperunt. Cùm verò feræ ipsæ illis non obedirent, ianuam patefecerunt, & feræ vno impetu omnes exiērunt, & quoscunque infideles homines prope ianuam inuenerunt, statìm interfecêre, & ad deserta loca aufugerunt.

Iuliana.

Multi infideles à feris perimūtur.

Cap. 15. Carceris autem custodes Paulum & Iulianam ad Aureliani tribunal duxerunt. Tyrannus igitur eos intuens, ac ridens: Beatum, inquit, me hodiè existimo, quòd vestra consuetudine fruor. fortasse enim magnum aliquid à vobis lucrifaciam: & per deos ipsos, si quidem mihi verum dixeritis, multa & magna dona à me percipietis, & regni mei potestas penès vos erit. Nunquìd vos deum Apollinem præsentem, & vobis opitulantem, vt audiui à quibusdam speculatoribus, vidistis? Nos, inquit Paulus, nullum Apollinem cognouimus: nam sumus ex eorū numero, quibus Deus salutem dedit. Tua verò anima ad mortem vsque perdita est. non enim sapis, neque resipiscere vis: quinimmò multus tyrannidis tuæ furor ad blasphemiam te conuertit, quippè qui Angelum, quem misit Dominus Iesus Christus ad obturanda ora serpentum, quę tua est arrogantia & temeritas, Apollinem fuisse dicis. Tunc iratus Aurelianus, iussit plumbeis glebis Pauli maxillas contundi, atque illi dici: Nè ità insipienter & arroganter loquaris, cùm scias te Imperatori assistere.

Imperator eorū liberationē Apollini adscribi

Cap. 16. Iussit posteà è tribunali Paulum abduci, & Iulianam eius sororem coràm sisti, quam his

his verbis aggressus est: Quæso, animæ meæ domina Iuliana, quæso, inquam, & te hortor, nè fratris tui insaniam imiteris. Video te puellam prudentissimam, multa sapientia refertam. Obtempera consilijs meis, & columnas aureas per totum terrarum orbem, tuo nomine inscriptas, erigam. Tūc illi Iuliana: Minimè, inquit, me decipies, Aureliane tyranne & impie. Non circunuenies Dei altissimi seruam. Nè mihi æternam mortem suggeras. Vis´ne me priuare Dei gloria & cælesti regno, quo tu indignus es & alienus? Iussit Aurelianus Iulianam semoueri, & Paulum reduci: cui dixit: En, Paule, soror tua promisit mihi se dijs sacrificaturam: quæ idcircò mihi vxor erit, totiusq; regni mei domina. Fac igitur & tu quod dico, & sinas tibi persuaderi, vt dijs sacrifices. Ad hæc Paulus: Verè, inquit, mentitus es, idq; tuo malo: sed nihil alienū fecisti à patris tui diaboli disciplina, cùm id facias, quod ille solet: neque enim aliquem subripere potestis, nisì mendacia confingendo. Sed frustrà laboras. nanque nos non decipies, ne si totius quidem orbis terrarum imperium nobis pollicereris. Minimè, inquam, nos circunuenire poteris.

Iuliana fortiter tyrāni blādimenta contemnit.

Quousquè tandèm, inquit Aurelianus, iniuriam nobis facis? An non erubescis, nugator & insipiens? Per deos ipsos ego vos omnium generum tormentis affligam, & nemo è manibus meis vos auferre poterit. Iussit igitur ignē afferri, & quatuordecim virgas ferreas, easq; in ignem conijci, & valdè accendi: tum Pauli manus & pedes ligari, ferreumq; vectem inter manus & pedes inijci, & in terram defigi, ac sic virgis ignitis binis per vices Paulum percuti: Iulianam verò iussit in lupanari constitui. Itaque multi è turba illa, quæ circunstabat, scelesti & nefarij homines, certatìm contendebant, quis ad eam primus ingrederetur. Erant enim velut equi hinniētes, eius puellæ forma incitati. Cùm verò in eo loco, in quo Aurelianus iusserat, constituta esset, statìm Angelus Domini descēdit de cælo, & dixit: Nè timeas, Iuliana: Dominus enim Iesus Christus, quem tu colis, misit me, vt te protegam, & sanctum nomen eius notum faciam omnibus timentibus eum. Cùm verò multi ad virginem accederent, & eius pulchritudine frui vellent, Angelus excussit è pedibus suis pulnerē, & in eorum oculos iniecit, ità vt eos excæcârit. Quapropter neq; ampliùs cernebāt, vbì essent, aut quò irent, neq; ad illam accedere poterant. Id cùm turbæ vidissent, quod admirabiliter factum fuerat, vno animo clamabant: Magnus est Deus Pauli & Iulianæ, qui vbiq; eos seruat & protegit, qui illum timent. Qui autem excæcati fuerant, flexis genibus supplices eius opem implorabant, dicentes: Iuliana, serua Dei altissimi, peccauimus quidem contra te, cùm stultè atq; insipienter nos gesserimus: sed tu da, quæsumus, nobis veniam, vt Dei serua: & precare Christum tuum, vt nobis visum restituat. Eorum misericordia commota Iuliana, paululùm aquæ accepit: & cùm oculos in cælum extulisset, Deum inuocauit, ità dicens: Domine Iesu Christe, author omnium salutis, exaudime, & nunc etiam ostende miracula & prodigia, quæ facis propter nos filios hominum. Restitue his viris facultatem videndi, vt sanctum & gloriosum nomen tuum celebretur. Hæc cùm dixisset, aquā supra turbas illas infudit, & omnes, qui excæcati fuerant, visum receperunt. Tum illi ad terram prostrati, gratias Deo reddebāt, pœnitentiam agentes. Cumque peccata sua confessi essent, Christiani facti sunt.

Angelus tuetur Iulianam.

Cap. 17.

Sæuissima tormenta Paulo admouentur.

Iuliana ducitur in lupanar.

Cæcos Iuliana illuminat.

Paulus verò, de quo dicebamus, cùm à carnificibus cruciaretur, virgis illis ferreis diutiùs percussus vociferabatur, hæc dicens: Aureliane tyranne & nefarie, quidnam mali commisi, vt sic crudeliter & impiè me crucies? Verùm me quidem à tormentis Dominus meus Iesus Christus subleuat: te verò manet hæreditas æterni illius ignis, qui paratus est tibi, & diabolo hæc aduersùs nos suggerenti. Et vbinàm, inquit Aurelianus, Paule, est Iuliana soror tua, quam ais esse temperantem & virginem? En illa ad lupanar ducta est. Num putas adhuc esse virginem? Ad hæc Paulus: Scio, inquit, illum ipsum Deum, qui semper à tuis prauis cogitationibus me liberauit, sororis etiam meę propugnatorem fuisse, & intactam ab omni labe conseruâsse. Misit enim Angelum suum è cælo, vt eam custodiret. En vt sine macula, & virginitatem puram habens, reuertitur, vt videat vincula mea. Miserat enim Aurelianus, vt Iuliana duceretur. Quæ cùm veniisset ad tribunal, & Paulus eam vidisset, multo gaudio plenus risit. Aurelianus verò: Num, inquit, Iuliana, amatores tui pulchritudine tua satiati sunt? At illa dixit: Mea pulchritudo, meū ornamentum & decus Christus est, qui misit Angelum suum, & me abiectam atque humilem seruam protexit: quoniam fidem & spem meam in illo fixam habeo. Quapropter gratias illi ago, & sanctum eius nomen collaudo, quòd ipse est, qui facit mirabilia solus, & non est alius Deus præter ipsum.

S. Paulꝰ assens, nouit quid suæ sorori Iulianę contigerit.

Psal. 71.

Cap 19. Iussit deincèps Aurelianus Paulum exolui, & foueam quandam effodi, tam longam, quanta est trium hominum statura: tum ligna & ignem afferri, atque in foueam illa succēdi. Fecerunt carnifices, quod iussum fuerat, admodùm studiosè: nam & foueam statim effoderunt, & ignem vehementer accēderunt. Itaq; Aurelianus iussit Paulum & Iulianam in ignem illum conijci. Sancti verò martyres Deum collaudantes, Saluatorem ac Dominum Iesum Christum inuocabant ad opem sibi ferēdam. Cùm autem ad eum locum venissent, sua membra Crucis Christi signo muniērūt, & spontè se in ignem coniecerunt. Erant autem in igne illo Deum laudantes, & eius gloriam prædicantes. Eccè autē Angelus Domini descendit de cælo, & fumum vnà cum igne forâs excussit, neq; permisit sanctos martyres vel paululùm ab igne perturbari. Stabāt itaq; in fouea illa rectis corporibus, diuinas laudes proferentes in hanc sententiam: Benedictus es Domine Deus Rex seculorum, qui memor fuisti humilitatis nostræ, & præsentia tua ignis flammam extinxisti propter bonitatem tuam, quæ facit, vt peccata nostra non recorderis. Tu nos indignos, saluos atq; incolumes eripuisti à cogitationibus tyranni Aureliani, qui suo Imperio ità intumescit, quasi futurus sit immortalis. Hæc cùm martyres precarentur, multi ex Græcis, Dei potentiam contemplantes, animo compuncti, ab idolorum superstitione defecerūt, & Christi fidem secuti sunt: multi etiam carnifices, qui eos verberauerant, cùm Dei tanta in illos beneficia collata vidissent, mutato consilio, Christi fidem amplexi sunt.

Mittūtur in foueā igne ardentem.

Nihil vrun-tur.

Multi credunt in Christum.

Cap. 20. Perlata verò sunt hæc omnia ad Aurelianum, qui iussit illos, ità vt erant, in foueā lapidibus obrui. Sed eccè repentè tonitrui sonitus cū multis fulguribus, & nubes huc atq; illuc agitatæ, & ignis plenæ, vsq; ad Aureliani conspectum deuenerunt, & ignem illum in terram effuderunt, voxq; hæc è cælo ad eum demissa est: Aureliane, ingredere in abyssum gehennæ ignis, paratam tibi & patri tuo diabolo. Hæc cùm facta essent, misit Aurelianus, & iussit athletas & Christi martyres ex foueā illa extrahi, & in carcerem conijci. Itaq; sancti martyres Dei gloriam laudabant in omnibus his, quæ Deus ipse mirabiliter illorum causa fecerat. Septimo die posteà diluculò Aurelianus sedit in tribunali, & iussit sacerdotes afferre quotcunque idóla habebant argento & auro confecta, ac preciosis lapidibus ornata. Quæ sacerdotes ipsi mox in conspectu Aureliani constituerunt, cùm strauissent sub eius pedibus purpuram regalem. Tum Aurelianus: Vocate, inquit, Paulum & Iulianam. Quos cùm vidisset ante tribunal cōsistentes, animo & vultu valdè irato illis minatus, dixit: Ite nunc, & dijs sacrificate: nolim enim existimetis, manus meas vos euasuros. Subrisit Paulus, & ait: Nunquàm, Tyranne, Deum nostrum derelinquemus, qui cælum & terrā effecit. Nè putes ampliùs, idólis tuis cultum nos allaturos. Tum Aurelianus: Violēta, inquit, morte dignus es. Idolâne tibi hæc videntur? Neque intelligis, quæ vis in illis sit?

Vox cælitùs ad Aurelianum facta.

Cap. 21. Ad hæc Paulus: Iupiter iste, quem tu deum esse dicis, homo quidam fuit fugitiuorum filius, qui artem magicam benè edoctus fuerat: cumq; præter cæteros homines esset incontinētissimus, & libidini maximè deditus, ac quorundam pulcherrimas vxores atque filias adamâsset, se continere non potuit, quin cum illis commisceretur. Qui modò in taurum mutatus, modò aui similis, aquilæ scilicet, ac cygno, mulieres nonnullas ex iam dictis circunuénit, & à mente alienatas in eam miseriam impulit, vt ipsum, tanquàm deum, colerent. Ad hæc & alias mulieres per formæ mutationem & præstigias decepit, in aurum commutatus. Et nè alia eius libidinosa facinora hoc loco narrem, (Scio te ad iracundiam concitari: sed licèt irascaris, dicam tamen nihil veritus) iste, qui prope Iouem positus est, & Apollo dicitur, an non ex adulterio genitus est è muliere quadam, quæ Latona dicebatur, quæq; illum peperit inter duas arbores, qui & ipse opera nefaria commisit, patrem Iouem imitatus? Eodem modo & Dionysius vester ille deus, an non & ipse ex adulterio genitus est ex Semele Cadmi filia? Nugator, inquit Aurelianus, & sceleste, an non ex Iunone deorū matre Bacchus genitus est? Risit Paulus, & ait: Est ne deus, qui ex muliere genitus incipiat esse deus, aut qui vxorem habeat? Tunc Aurelianus: Quousquè, inquit, multas nugas effundens dijs maledices? an non & vester Christus, quē vos Christiani Deum cęlestem esse dicitis, ex muliere genitus est? Respondit Paulus: Nō es tu dignus, qui Dei mysterium audias. Verùm nè oratione tua multos eorum, qui præsentes sunt, circunueniās, necessè est aperire id, quod quæris.

Iouis fœdæ libidines.

Apollo ex Iouis adulterio natus.

Cap. 22. Gen. 1. Initiò Deus ipse cùm cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, effecisset, hominem effinxit ad imaginem & similitudinem suam. purum enim à malitia, innocentem,

centem, iustum, pietate præditum creauit illum Deus, & in paradiso deliciarum pleno eum collocauit. Pater autem vester diabolus non ferens tantam hominis felicitatem, Euam seduxit, & per illam, Adam ad diuini præcepti transgressionem impulit. Quo factum est, vt & Adam ipse tanquàm trāsgressor è paradiso expulsus sit, & genus omne humanum morti & peccati pœnæ obnoxium euaserit. Quamobrèm cælestis Pater & omnipotens Deus misericordia motus, humano generi subuenire volens, misit filium suum, vt humanam carnem susciperet, & Adam solueret, eosque qui ab iniusto detinebātur. Ipse igitur Deus, Verbum Dei, ac Patris filius, ante secula omnia est sapientia ipsius, & potentia & dextera: qui per Archangelum Gabrielem annunciatus fuit sanctæ illi Virgini, puræ atque honestissimæ, ex prophetico & regio genere originem ducēti. In cuius vtero Deus ipse, hoc est, cæleste Verbum, quod oculis corporeis non cernitur, habitans, suscepit corpus, cùm Gabriel ità Mariam ipsam affatus esset: Aue gratia plena: Dominus tecum. & paulò pòst, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Genitus igitur fuit Deus & cæleste Verbum per Virginem, omni labe purissimam, corpore, tanquàm veste quadam, indutus propter humanæ salutis dispēsationem. Nemo enim poterat Deum verum, ità vt est, præsentē videre, cùm Deus ipse sit ignis consumens, neque homo aliquis viuens Dei faciem videre possit. Huius igitur dispensationis causa Deus noster, quòd ad carnem pertinet, genitus fuit, & vt infans lacte nutritus est, cùm esset tamen diuinitate perfectus. Insuper factus est puer, & iuuenis, cumq; hominibus, vt homo, conuersatus est annos trigintatres, vrbes, regiones & castella orbis terrarum pertransiens, & benefaciens omnibus, ac liberans eos, qui à diabolo vexabantur. Posteà in ligno Crucis suffixus est, vt salutem daret mundo, qui perierat diaboli violentia & fallacia. Idem corpore mortuus est. Cumque ad inferos descendisset vnà cum sancta anima illa sua, contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit: atque in caliginosa inferorum penetralia ingressus, eripuit eos, qui vinculis detinebantur, & ex carcere diaboli illos in superiorem regionem eduxit. Quod totum ipsius benignitati acceptū refertur. Cùm verò ità post tres dies à mortuis resurrexisset, apparuit suis Discipulis atq; Apostolis, & alijs multis, qui verè in eum crediderant: & cùm aliquoties comedisset & bibisset cum Apostolis per dies quadraginta, sic posteà in cælum assumptus est, & sedet ad dexteram patris cum corpore illo, quod ipse Deus Verbum sibi copulauit. Nunc igitur diabolus dolore affligitur. illum enim Christus ipse Christianorum pedibus cōculcari fecit, qui per sanctum ipsius nomen ingrediuntur in regnum cælorum: à quo regno tu alienus es. habes enim sortem & partem, ęternam ignis gehennam, hęreditatem diaboli patris tui percipiens.

Gen. 3. Mysterium redēptionis nostræ, per ordinē aperit S. Paulus martyr.

Luc. 1.

Ibidem.

Heb. 12. Exod. 33.

Act. 10.

Psal. 106.

Act. 1.

His auditis, Aurelianus præ furore vultu mutatus est, & dentibus stridere cœpit, exardescens in illum, cui & respondens: Multas, inquit, nugas te modò effundentem passus sum, patientiam in te, nugax & sceleste, audiendo retinens. Tu verò quandiù perges me contemnere, & dijs maledicere? Nunc igitur nisi dijs immolaueritis, pessimis modis vos perdam, ità vt nemo possit è manibus meis vos eripere. Tum Paulus & Iuliana concordi animo & magna voce clamantes: Nos, inquiunt, Christiani sumus, & in Christo ipso spes nostras collocatas habemus: dæmones non adoramus, idólis tuis non seruímus, tormenta tua non timemus. Excogita igitur quoscunq; vis cruciatus. fidem enim in Deo habemus, fore vtà nobis supereris, quemadmodùm pater tuus diabolus à Christo superatus fuit, qui nos etiam robustos facit, & prauas artes tuas expugnat. Hæc cùm audîsset Aurelianus, iussit lignum quoddam magnum afferri. Quod cùm allatum fuisset, fecit Paulum in eo alligari. Carnifices verò eius manus colligârunt. Tunc Aurelianus præcepit accensas lampades afferri, & in eius faciem injici, præcone ità vociferante: Nè in orbis terrarum dominos cōtumelioſus sis, néve in deos ipsos maledicta conijcias.

Cap. 23.

Paulus igne aduritur.

Cap. 24. Iuliana cùm fratrem suū igne comburi spectaret, summa voce clamauit: O tyrāne & sceleste, quid mali frater meus commisit, vt ità crudeliter eum crucies? Iussit Aurelianus & Iulianam in ligno alligari, & accensas faces in os eius, & in totum corpus adhiberi: cui & dixit: Impudentissima mulier, erubesce, quēadmodùm mulieres decet. Tum Iuliana ridens: Verè, inquit, Aureliane, te admonentem acceptum habeo, eò quòd dixisti, Cùm sis mulier, erubesce: reuereor enim, & erubesco Christum Dei viuentis filium, qui est ante faciem meam, neque illum possum derelinquere, & dæmo-

Iterū Iuliana.

nes

nes colere. Furore accensus est Aurelianus, cùm se ab illis irrisum videret. Itaque iussit carnifices ignem per totum corpus illorũ circunferre. Quod cùm illi mox fecissent, tota ciuitas, quæ sanctorum martyrum spectaculo intererat, voce magna clamabat:

Capitali supplicio condemnãtur.

Imperator Aureliane, iniustè iudicas, iniustè illos crucias. Si nolũt dijs sacrificare, sententiam contra illos feras. Tum Aurelianus, cùm metueret, nè populus seditionẽ adversùs ipsum concitaret, sententiam tulit, vt eorum capita truncarentur, & corpora canibus ac feris & volucribus cæli proijcerentur.

Cap. 25. Psal. 43.

Itaque decimoseptimo die mensis Augusti exiêrunt simul lætantes, atque versum hunc psalmi cõcinentes: Saluâsti nos, Domine, ab affligentibus nos, & odientes nos confudisti. Cùm verò ad locum martyrij venissent extra vrbem, Paulus rogauit carnificem, vt Iulianam priùs, quàm ipsum, securi percuteret. Iuliana verò, cùm faciem suam Christi signo munîsset, admodùm læta collum extendit, eamq; spiculator securi percussit. Paulus igitur cùm sororem Christi martyrio perfunctam vidisset, oculos in cælum erexit, & Deo gratias egit, ac Crucis signo se itidèm muniens, collum suum extendit: quem & spiculator mox obtruncauit.

Nota q̃ frequens apud priscos Crucis cõsignatio.

Cap. 26.

Erant illorum corpora extra vrbem iacentia, cùm è loco illo ea tollere Christiani prohiberentur. Milites enim, ità vt iusserat Aurelianus, obseruabant, nè quis reliquias illas auferret. Veniebant autem in eum locum lupi, canes & volucres, & circa sanctorum martyrum corpora sedentes, illa custodiebant: cumq; muscas & eiusmodi animalia supra corpora illa sedentia viderent, aues ipsæ alîs ea expellebant, non permittentes, vt in sanctis illis corporibus insiderent. Itaq; septem dies & septem noctes ferę ac volucres cæli circa martyrũ reliquias consederunt. Cęterùm nunciata sunt omnia hęc à militibus Aureliano. Qui cùm ea audiuisset: O furorem, inquit, pessimum Christianorum istorum, quos ne mortuos quidem superare potuimus. Misit igitur, & milites ipsos noctù illinc abduxit: neque enim volebat de die eos illinc remouere, nèà Christianis irriderentur. Cùm verò dies illuxisset, exiêrunt Christiani, & martyrũ corpora curantes, sumptuosè in pace condiderunt, regnante Domino nostro Iesu Christo: Cum quo patri simul & sancto spiritui sit gloria, honor & imperium nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Corpora eorum à feris illæsa cõseruãtur.

PASSIO BEATISSIMORVM SEPTEM MARTYRVM, QVI APVD CARTHAGINEM PASSI SVNT

sub Hunerico rege, Authore Victore Episcopo Vticensi. Sunt autem hi martyres, Liberatus Abbas, Bonifacius diaconus, Seruus & Rusticus subdiaconi, Rogatus & Septimus monachi, & Maximus puer monachus.

Augusti 17. secundùm Martyrologia.

PRAEDICATVRVS triumphos martyrũ beatorum, ad enarranda quę gesta sunt, auxilium exposco diuinum: vt qui illis præstitit superandi victoriam, mihi indigno & immerito quantulacunque verborum porrigat ornamenta. Tunc etenim valebo, quæ desiderata sunt, indicare, si ipsi dignentur pro me Domino supplicare. Septimus nanque agebatur annus crudelissimi atque impijssimi Hunerici, & eccè antiquus hostis, veternosus vtiquè anguis, trisulcæ linguæ venena vibrans, Cirila quodam Arriomanitarum episcopo ministro vsus est, subuertẽs & obtinens animum Regis cruenti, vt ità suaderet non posse eum pacatum atque longæuum obtinere regnum, nisì nomen perderet innocentum. Qui tamen Dei iudicio post non multos dies turpissima morte præuentus, scatens vermibus, expirauit. Insectari cœpit ore cruento omnem Catholicorum multitudinem, quæ per totam prouinciam Africanam in modum, sicut prædictũ est Abrahæ patriarchæ, arenæ maris fuerat multiplicata: vt eam rebaptizationis sauciaret machæra, atq; stolam illam singularis & puri baptismatis, quam Christus vino carnis suæ purificans, prælo exprimens Crucis, fecerat dealbatam, tetræ nigredinis turparet illuuie sordidulenta.

Vltio diuina in Arrianum Cirilã.

Gen. 22.

Gen. 49.

Accipiens quoquè tyrannus, vt erat ducibilis & ferus, serpentinam suggestionem, ferali-

ferali edictis vno tempore totã cœpit Africam commouere. Primò sacerdotum & ministrorum copiosissimam & maximam turbam, in lõginquis & extremis regionibus exilio crudeli detrusit. Quibus bìs acutum genus frumenti, quod iumentis solis edere concessum est, nequaquàm industria molari contritum, sed manente furfuris cortice loricatum, pro miseratione dare præcepit. Pòst verò, crescente impietatis insania, etiam hoc auferri crudelissimus imperauit. Post modicum quoquè temporis vniuersas simul ecclesias, præiudicatis venerabilibus portis, cæmentis ingẽtibus claudi mandauit. Vniuersa nanque monasteria virorum vel puellarum sanctarum, gentibus, id est, Mauris cum habitatoribus donare præcepit. Vnus fuit omnibus ciulatus, vnus pro Christo moriendi integer & plenus affectus. Paria currebãt flumina lachrymarum, quia permiserat Dominus cibari eos pane lachrymarum, & potari eos in lachrymis mensurarum, aut forsitan sine mensura. Etsì reperta est exiens de arca, inhians cadaueribus mortuis, pars aliqua pereuntium coruorum, maior est tamen in nomine Trinitatis numerus felicium columbarum. Quanti nobiles & optimi viri, ampli & lati cæspitis domini, terram cum cælo commutauerunt, & simul corpus cum substantia tradiderunt: atque delicatæ & nobilissimæ fœminæ, contra verecundiam naturę, spectante vulgo, virgis cæsæ, varijsq; tormentis cruciatæ, victricia trophęa portârunt. Quanti infantuli irridentes edicta feralia, antè mundum contempserunt, quàm illecebrosam eius semitam introirent?

Squitia Hunerici in Clerum.

Monasteria omnia largitur Mauris cum habitatorib⁹.

Psal. 79.

Gen. 8.

Multi martyres.

Tuncappræhensi sunt & septem fratres, quantùm pertinet ad concordiam Dominicæ seruitutis, in monasterio habitantes in vnum: quia bonum est & iucundum, habitare fratres in vnũ: Id est, Bonifacius diaconus, Seruus subdiaconus, Rusticus subdiaconus, Liberatus Abbas, Rogatus monachus, Septimus monachus, & Maximus monachus, in numero scilicet Machabæorum germanorum. Quos vna mater Ecclesia catholica genuerat, & per viscera fontis æterni salubriter pepererat, de territorio Capsensis ciuitatis, cui præfuit S. Vindemialis sacerdos egregius, & Christi fidelis antistites. Quibus attractis ad vrbem Carthaginensem, primò eis illecebrosis blandimentis serpens voluit sibilare, promittens honores caducos, & diuitias ingentium voluptatum, necnon & regis amicitias, vel alia multa, quæ solent insipientium animas, aucupante diabolo, visco mundiali captare. Sed hæc omnia milites Dei, acsì contagia, respuerunt, clamantes vno ore: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Nec poterit in nobis, adiuuante Domino, iterari, quod in sancto Euangelio semèl præceptum est dari: quia qui semèl lotus est, non habet necesse iterùm lauari, quia mundus est totus. Facite quod vultis, inferte pœnas corporibus nostris. Melius est temporalia ad modicum sufferre supplicia, quàm æterna péndere & subire tormenta. Habete quæ promittitis, cum ipsis diuitijs post paululum perituri. Nobis verò nullus de potibus frontium valebit euellere, quod in vno baptismate artifex Trinitatis dignatus est titulare.

Psal. 132.

Septẽ è monasterio fratres trahuntur Carthaginem.

Tentantur blãdimẽtis.

Respuunt.

Ephes. 4.

Iohan. 13.

Quid multa? Dum tali constantia diuinitùs munirentur, iussi sunt carcerali custodiæ mancipari. Et ità crudeliùs onerati ferri ponderibus, tenebrosis deputati sunt locis, vbì nulla miseratio arrideret lenitatis. Sed populus ille memoratę vrbis, in Domino semper fidelis, dato munere carcerarijs, die ac nocte Christi martyres frequentabat, & ità ab eis doctrina & virtute fidei roborabatur, vt talia etiam ipsi pro Christi nomine plena delectatione perferre cuperent, & capulo persequentis facilia supponerent colla. Hoc autem tyrannicas peruenit ad aures. Qui ebrietate furoris accensus, iubet eos adhuc inauditis supplicijs adigi, & maioribus vinculis onerari, naiumquè imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atque in eadem omnibus alligatis, in medio pelago igne supposito concremari. Eductisque illis de custodia, multitudo populi Dei, bellatores Trinitatis quasì agnos innocuos ad victimam deducebat, & rigentium pondera catenarum quasì quædam monilia peruidebat: quia non fuerunt illa vincula, sed potiùs ornamenta. Incedebant itaq; cum fidutia ad supplicium, quasì ad epulas concurrentes, vna voce per ambitus platearum Domino decantantes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiua nobis hæc dies est, & omni festiuitate festiuior. Eccè nunc tempus acceptabile, eccè nunc dies salutis, quandò pro fide Domini Dei nostri perferimus præparatum supplicium, nè amittamus acquisitæ fidei indumentum. Sed & populis publica voce clamabant: Nè timeatis ô populi Dei, neq; formidetis minas atque terrores præsentium tribulationum: sed potiùs moriamur pro Christo, quomodò ipse mortuus est

Traduntur in carcerẽ.

Multos ad se venientes populos in fide roborant.

Luc. 2.

Eũt ad mortẽ iucundissimis animis.

pro

pro nobis, redimens nos precio sui sanguinis salutaris. Vnum tamen vehementi conatu, qui inter eos infantulus videbatur, nomine Maximum, cupiebant authores malorum à sanctorum consortio separare, dicentes: Infantule, quid festinas ad mortem? dimitte eos, insaniunt, & audi consilium nostrum, vt possis inuenire vitæ remedium, & tanti regis adire palatium. Tunc ille ætate quidem puerili, senili tamen maturitate clamabat: Nemo me separat à sancto patre meo Liberato Abbate, & fratribus meis, qui me in monasterio nutriêrunt. Cum ipsis sum in timore Dei cõuersatus, cum ipsis desidero passionem susc ipere, cum quibus credo me & futuram gloriam inuenire. Nolite putare, quia potestis seducere pueritiam meã. Simul nos Dominus septem voluit cõgregare, simul dignabitur omnes vno martyrio coronare. Quomodò nemo perire potuit de septenario illo numero felicium Machabęorum, ità etiam septenus nostræ congregationis numerus, nullum inueniet detrimentum. Nam si negauero eum, & ipse negabit me: quoniam ab ipso dictum est: Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Et qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælis.

Monachi pueri mira constantia.

Matth. 10.

Perducti itaque cum festinatione ad nauale supplicium pro voluntate infandi regis, vel crudelium ministrorum, extensis manibus & pedibus, clauati feruntur potiùs, quàm ligati. Qui dum ignis fuisset lignis iniectus, statim imperio diuino, videntibus cunctis, extinctus est. Et dum sæpiùs renouatur nutrientibus pabulis, iterùm atque iterùm extinguebatur rogus globo flammarum. Et cùm exindè magis tyrannus furore simul esset & rubore repletus, iussit eos remorum vectibus enecari, & ità singulos in modum canum cerebris comminutis extingui. Qui tali genere mortis, debitum spiritum feliciter Domino reddiderunt. Nec expauerunt lignis quatientibus mortificari, quibus semper fuit spes omnis in ligno. Sed cùm in mari venerabilia corpora iactarentur, ilicò (quod contra naturam est æquoris) eádem hora illæsa corpora pelagus litori reddere maturauit: nec ausum fuit, vt moris est, triduana dilatione in profundo retinere, nè præcepto Dominico minimè paruisset. Ad quod miraculi genus & ipse tyrannus, licèt impœnitens, vt fertur, expirauit. Gaudens autẽ quę aderat multitudo, corpora sanctorum martyrum diligenti tradidit sepulturæ, præeunte clero venerabili Carthaginensis ecclesiæ. Vbi etiam & prædicandi diaconi, tertiò iam confessores effecti, Salutaris & Muritta, geruli reliquiarum affuerunt. Humatæ sunt igitur cum hymnis solennibus lipsanæ beatæ sanctorum, in monasterio Biguæ, continuo basilicæ, quæ dicitur Celebrinæ. Et sic in confessione Trinitatis beatissimi martyres passi sunt, & speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino, perfecerunt: Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Ignis diuinitùs extinguitur.

Crudeliter trucidãtur.

Eijcit mox eorũ corpora mare.

Fecè veterẽ morẽ rumpendi Christianorum corpora, precedente videlicet clero, & cum hymnis solennibus.

Qui contra hoc faciunt hodiè, ipsi se hæreticos esse produnt.

DE S. HELENA, MATRE CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS, EX EVSEBII CAESAREENSIS *Episcopi De vita eiusdem Constantini, Lib. 3. interprete Iohanne Christophorsono Angliæ Episcopo.*

Agunsti 18. Cap. 41.

HELENA mater Constantini, cùm Deo omnium gubernatori debitum piæ mentis & affectionis munus impertire in animo haberet, & pro filio suo, tanto & tam præclaro Imperatore, proque liberis eius Cæsaribus, Deo charissimis, suis nepotibus, gratias per preces esse agẽdas putaret: ætate iam ingrauescente, singulari quodam consilio & prouida animi cogitatione, vereque regia, adducta, properè instàr adolescentulæ venit, tum sacrosanctam terram oculis lustratura, tum gentes Orientem incolentes, plebemque pariter ac populi multitudinem conspectura. Ac posteaquàm in locis, in quibus Seruatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibuerat, idq; conuenienter prophetico sermoni, dicenti: Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius: pietatis suæ monimenta, quibus post se relictis, posteris hominibus prodesset, statim fabricare aggreditur.

Grandæua S. Helena visitat terrã sanctam.

Psal. 131.

Nam

Nam Deo, quem adorauerat, duo dicauit templa: quorum alterum ædificauit in monte, vbi assenderat: alterum, ad obscurum illud antrum natiuitatis eius. Etenim nobiscum Deus in terris nasci (locus autẽ illius natiuitatis, proprio nomine apud Hebræos Bethleem appellatur) pro nobis sustinuit: ac propterea Imperatrix sanctissima, Deiparæ partum eximijs monimentis exornare, & sacrum illud antrum varijs cuiusq; generis insignibus illustrare studuit. Imperator autem paulò pòst eundem locum ornamentis regalibus honorare, & monimentis ex auro & argento, varijsque aulæis matris suæ magnificentiam adaugere cœpit. Rursùs eius mater, quô omnium nostri Seruatoris in cælos assensionis memoriam celebraret, excelsa quædam ædificia in monte Oliuarũ extruere parat. Ac primùm in summo totius montis vertice sanctuarium ęcclesiæ Dei erexit: templumque inferius etiam exædificauit in eoipso antro, in quo, vt vera & sacrata Dei testantur eloquia, discipuli & Apostoli à Seruatore omnium, arcanis mysterijs initiati fuerunt. Imperator quoq; ibidèm varijs monimentis & insignibus regem magnum Deum veneratus est. Ista igitur duo tẽpla, memoria perpetua celebranda, augusta & eximia, in duobus obscuris quasi antris & mysticis, Helena Augusta, pij Imperatoris pia mater, suę piæ mentis tanquàm indicia, Deo Seruatori fundauit, filio suo ei opem per regiam suam potentiam & authoritatẽ porrexit. Itaq; illa, neq; adeò multò pòst, præmia digna laboribus reportauit. Nam cùm iam planè grandis esset, inq; omnium bonorum affluentia omne vitæ suæ tempus ad extremam vsq; senectutem obijsset, & tum verbis, tum rebus ipsis veros pietatis fructus, quos præcepta Seruatoris præscribunt, extulisset, atq; ità vitam suam florentem & expertem cuiusque molestiæ, valenti corporis simul & animæ virtute transegisset: deinceps eximium pietatis suæ exitum, & præclaram rectè factorum à Deo remunerationem, etiam in hac vita consecuta est.

Cap. 42. Duo illic tẽpla cõdit.

Vide studiũ ornandi templa.

Imperator ei suam fert opem.

Porrò autem dum regiarum opum magnificentia instructa, omnem Orientẽ peragrat, cùm vniuerso populo, quasq; ciuitates incolenti, simul: tum priuatim singulis eorum, qui ad ipsam accedebant, infinita munera largita est. Infinita etiam ordinibus militaribus, quasi plena manu distribuit. Quæ verò pauperibus, omnibus rebus nudatis, omniq; ope & auxilio destitutis dispertierit, vix enumerari possint: quippè in alios grandem pecuniarũ vim conferre, alijs corporis integumenta prolixè & largiter suppeditare, vinculis eripere alios, alios tum laboribus in metallis effodiẽdis afflictatos, tum fraude & iniuria oppressos liberare, denique ab exilio alios in patriam reuocare dignata est.

Cap. 43. Mira eius liberalitas & beneficẽtia

Eximia humanitas.

Quæ quidem, licèt eiusmodi rebus esset insigniter nobilitata, alia tamen in Deum pietatis munera minimè neglexit. Nam vbiquè cernebatur in ecclesiam Dei intrare, templaque splendidis exornare monimentis: inq; ædes sacras vel in minimis vrbibus extructas, suam benignitatem ostendere licebat: præterea eam & decoro eximioque apparatu admirabilem, videre sæpè versari cum multitudine, & verum cultum erga Deum omnibus pijs vitæ officijs declarare.

Cap. 44. Ornat templa vbique.

Demùm verò, cùm naturam satietate viuendi expleuisset, & ad meliorem statum euocaretur, octogesimumq; ferè ætatis suæ annum confecisset, & ad extremum vitæ exitum propè venisset: decreuit secum, statuitque coram Imperatore filio suo, vnico principe mundi potentissimo, huiusq; liberis Cæsaribus, nepotibus suis, testamẽtum suum facere: & singulatim nepotibus suas, quę sibi in toto orbe terrarum suppeterẽt, facultates dispertire. Quibus rebus ad hunc modum constitutis, suo filio, tanto tamque eximio Imperatore, ipsi prestò assistẽte, sedulò inseruiente, & manus illius tenente, finem ità viuendi fecit, vt beatissima quidem iure optimo non mori prudentibus videretur, sed vitam caducam & fragilem cum cælesti & æterna reuerà commutare. Animus igitur corporis compagibus solutus, ad immortalem & Angelicã naturam, atq; adeò ad ipsum Seruatorem assumptus est.

Cap. 45. Condit testamẽtum.

Obit feliciter.

Eius autem tabernaculum, splendidis est exequijs decoratum. Nam maxima satellitum turba ad ciuitatem, quę principem locum tenet imperij, deportatum fuit, ibiq; regali sepulcro cõditum. Sic igitur Imperatoris mater diem suum obijt: quæ quidem est immortali planè memoria celebranda, non modò propter pia vitæ officia, sed etiam propter eximium illud & admirabile germen ab ipsa editum, Constantinum dico: quem quidem cùm ob cæteras res omnes, tum ob pietatem in parentem & procreatricem suam, beatum iudicare par est: qui illam, cùm iam anteà pietate minimè esset imbuta, ità piam reddidit, vt à primo tempore ætatis, ab ipso cõmunis omnium

Cap. 46. Humatur Constantinopoli.

Cõstãtinus suã matrem conuertit.

Seruatoris ore instituta fuisse videretur: ità etiã honore regio exornauit, vt cùm apud omnes gentes, tũ apud eos, qui aliquo gradu militari collocati essent, Augusta & Imperatrix nuncuparetur, aureaque numismata eius imprimerentur effigie. Iam verò thesauro regio pro arbitratu vtendi, prodi; animi sentẽtia, & vt sibi commodissimum fore putaret, singula liberè dispensandi, filius liberam ei fecit potestatem, quô etiam in his omnibus eam & splendore eximiam, & amplitudine admirabilẽ efficeret. Quarè inter ea, quæ ad eius memoriam illustrandam faciant, ista etiam non sine causa repetita sunt: quæ dum propter singularem pietatis præstantiam in matre colenda exercebat, præcepta etiam diuina, quæ honorem parentibus decenter impertiendum tradunt, accuratè expleuit.

Exod. 20.

ITEM DE EADEM S. HELENA, EX THEODORITI HISTORIA *Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 18. eodem interprete.*

Seruit officiosissimè sacris virginibus.

ILlustrissima illa, & maxima digna admiratione Imperatrix Helena, aliud facinus, quod posteriorum memoriæ meritò commẽdari debet, obijt. Nam mulieres, quæ toto vitæ tempore virginitatẽ excolebant, primùm omnes in vnum congregari, & sedibus præparatis accumbere iussit. Deindè illaipsa ancillæ munus exequi, apponere cibaria, pocula illis porrigere, fundere vinum, & gutturnium cum malluuio afferre, aquam deniquè earum manibus, dum lauant, ministrare non dedignata est. Quas res atq; similes hisce cùm cõfecisset, redijt ad filium: atq; non multò pòst lato animo ac tranquillo, vbi filio de pia viuendi ratione plurima præceperat, & eum benedictionibus, quæ ab exeuntibus è vita dari solent, muniuerat, hinc ad alteram vitam demigrauit. Cui post mortem talis tributus est honos, qualis ei, quæ Deum omnium moderatorem tam assiduo atq; adeò ardenti studio coluerat, meritò tribuendus erat.

Helenæ obitus.

Quomodò ab eadem beatissima Imperatrice inuenta sit Crux & claui Saluatoris nostri, Lector videre potest in S. Crucis inuentione, de qua agitur Tomo 3. die Maij 3.

VITA SANCTI AGAPITI MARTYRIS, PER ADONEM REVERENDISS. ARCHIEPISCOPVM *Treuirensem collecta.*

Augusti 18.

APVD Prænestinam vrbem miliario ab vrbe trigesimo tertio, natale sancti Agapiti martyris, sub Aureliano Imperatore, Præside Antiocho.

Neruis crudis cæditur S. Agapitus.

Cùm esset annorum quindecim, & amore Christi martyrio feruoret, iussu Imperatoris tentus, & primò neruis crudis diù cæsus est. Deindè Præsidi, vt impelleretur sacrificare, traditur. Qui in dirissimo carcere eum reclusit, & per quatuor dies cibum omnẽ negauit. Indè de carcere exhibitus est Præsidi, qui prunas ardentes super caput eius iussit imponi. Et cùm gratias Deo martyr ageret, flagellis est cæsus, & nudus suspensus capite deorsùm verso, acri subtèr fumo facto. Et cùm diceret Præsidi, Sapientia tua & vanitas in fumo laborat: iterùm flagellis cæditur à quatuor sibi intricèm succedentibus. Deindè bullientem aquam super ventrem eius ministri diaboli effuderunt, & maxillas eius confregerunt.

Prunis ardẽtibus caput eius exuritur.

Grauissimè cruciatur. Vindicta diuina in pessimum Iudicem.

Intereà Iudex de tribunali suo cadens, collectus à ministris in lecto reclinatur, & sentiens Dei virtutem in martyre, post modicum tristem animam emisit.

De beato verò Agapito renunciatum est Imperatori. Qui beatum virum iussit leonibus subijci. Sed mansuetæ factę ferę, pedibus martyris ad lambendum se inclinauerunt. Hoc videntes sceleris ministri, tulerunt de medio sanctum martyrẽ, & venerunt contra ciuitatem Prænestinam, vbi sunt duę columnę, & ibi eum gladio percusserunt quintodecimo calendas Septembris.

Obijcitur martyr leonibus. Capite plectitur.

Corpus

Corpus eius noctù sublatum est à Christianis, & positum miliario primo à ciuitate in agro, in sarcophago nouo, nutu diuino ibi inuento.

Nutu Dei præparatur ei sarcophagus.

MARTYRIVM S. ANDREÆ, DVCIS EXERCITVS ET SOCIORVM, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE. *Vocatur autem hic Andreas etiam Magnus. numerum capitum ad marginem annotauimus.*

IMPERATORE Maximiano, homine valdè impio, persecutio quædam magna contra Christianos commota est, præcipuè autem in regionibus Syriæ. Erat tempore illo Antiochus quidam, superstitioni plurimùm deditus, militares ordines sub imperio suo regens: qui propter idolorum insaniam, contra pios homines furorẽ acrem spirabat. Sub eo viro, quem Antiochum nominatum diximus, multi Tribuni militares eiusdem erroris participes numerabantur. Inter quos velut rosa florebat inter spinas, & inter graueolentes odores fragrans aliquis vapor, fidelissimus Dei seruus & martyr Andreas: qui latuerat quidem anteà, sed posteà manifestè apparuit. Hic propter ardentem zelum atq; pietatem, magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi opem assecutus, aduersantium bellorum hostes superabat, & multis egregijs ac strenuis facinoribus excellebat.

Augusti 19. Cap. 1.

Multa præclara facinora & victoriæ S. Andreæ.

Tempore illo accidit, vt Persicarum copiarum pars quædam fines trãsiliret, & bellum aduersùs Antiochum susciteret. Quoniam igitur repentina hostium incursio, & eorum multitudo non mediocriter ipsum perturbauit, Andreæ tunc Tribuni militarem peritiam & strenuitatem recordatus, illum ad consuetos ordines accersiri iussit, hortans eum, vt forti animo esset. Vtens autem his sermonibus: Tuæ, inquit, fortitudinis facinora quæque aduersùs hostes, & mihi, & ei, qui sceptra Imperij tenet, maximè nota sunt, & admodùm manifesta: quapropter & dignitatis istius gradum sortitus es. Itaque magnum hoc & repentinum bellum fortitudini tuæ committo, vt per præsentis certaminis occasionem, ad gloriam tuam superiorem maior cumulus accedat. Hos cùm audisset sermones optimus Christi miles Andreas, non copijs, non armis aut curribus, sed solo præpotente Deo fretus, magnum illum Gedeonẽ æmulatus est, & paucos quosdam milites ad eiusmodi aciem assumpsit. Eos enim solos, quos manifestè cælestis gratia ei designauit, secum habens, oppositis hostibus prælium intulit.

Cap. 2.

Bellũ aduersùs Persas ei demãdatur.

Iudic. 7.

Iam verò cùm esset congressurus cum hostibus, eorum ingentem multitudinem diuinæ cognitionis argumentum suis militibus proposuit: nondùm enim Christi Dei nostri fide donati fuerant. Hæc igitur illis enarrabat: Præsens opportunitas, cælestis & diuinæ cognitionis conciliatrix nobis erit: statùm enim cognoscetis, quòd dij gentium verè dæmonia sunt, quodque verus Deus ille est, quem ego colo, qui cælum & terram effecit. Ipse igitur, cùm omnia possit, opem affert ijs, qui eum inuocant, eosque fortes in bello efficit, & hostium cohortes facit terga vertere. En igitur, vt videtis, hostes ipsi è regione nobis sunt oppositi, copijs innumerabiles, & nobis validiores. Sed agitè errorem idolorum omittentes, mecum vnà Deum, qui verè Deus est, inuocate, ac statìm videbitis hostes ipsos, velut fumum quendam aut puluerem, coram vobis deficientes. Hæc ille dicebat. Cui milites credentes, & cum multa fidutia irruentes, oppositas phalanges in fugam conuerterunt, & illustrem de hostibus ipsis victoriam deportârunt. Milites autem illos eius prælij victores, reique admirabilis supra omnium opinionem testes, sanctus vir Dei Andreas, vt electos Christi viros, perfectè, quantùm in illo erat, confirmauit, & ad Dei cognitionem adduxit.

Cap. 3.

Psal. 95.

Insignis victoria diuinitùs ei collata.

Ea re putatísne parùm aduersarium diabolum conturbatum, qui victoriam illam contra se trophæum quoddam erectum cogitauit, neque aliquid aliud eam rem fuisse, nisi propriæ potestatis casum, existimauit? Cæterùm maximus Dei Athleta, ad stadium progredi paratus, quasì pignora quædam cælestia, præstantia dona ab ipso Deo percipiebat, cùm & ejiciendorum dæmonum miraculis abundaret. Multos igi-

Cap. 4.

Multos sanat dæmoniacos.

tur in singulos dies impuris spiritibus perturbatos liberabat, sicque lethale vulnus diabolo infligebat, & inuidum & superbum hostem maximè subijciebat. Cùm verò quæ ad bellum pertinebant, viro sancto ex sententia processissent, & aduersùs Persas trophæum statuisset, vénit cum suis militibus in vrbem Antiochiam. Statim autem illum milites quidam ex ijs, qui cum ipso fuerant, inuidia & liuore incitati, cùm bonum illud non voluntariè delegissent, apud Antiochum detulerunt, quòd Deum Dux confiteretur & celebraret, qui in Cruce suffixus fuerat. Ea res maximam iram Antiocho attulit, & misit quosdam ex ordine militari, qui ab eo discerent, quod verum erat, & planum facerent. Cumque per eos, qui missi fuerant, rem ità se habere certò audiuisset, apud eum per internuncios partim assentationibus, partim minis, partim admonitionibus vsus est: commemoransque suum in Christianos odium & acerbitatem, per ipsos internuncios ei dicebat: Cùm nóueris, quemadmodùm & qualibus tormentis sustulerim Eutychium Polyeucti filium, & multos eorum, qui vnà cum illo Christi fidem secuti sunt, ac quemadmodùm neminem ipsorum misericordia prosecutus fuerim, tu quo nunc consilio, aut qua spe hominis in Cruce suffixi mentionem proponis?

Accusatur à quibusdam militibus apud Antiochum.

Cap. 5.

Ad hæc Andreas respondit: Maximè istis verbis, quæ dicit, constantiam meam Antiochus corroborat. Nam si omnes, quos nominatim protulit, grauibus tormentis ab illo subiecti, victores ipsius extiterunt, & Christo Deo coronati athletæ adstiterũt, quarè non & ego studere debeo amicus, vel potiùs Domini mei Iesu Christi seruus, omni tempore permanere, vt eadem, quæ illi, consequar præmia? Has voces per eos, qui celeriter, quæ dicebãtur, excipiebant, & literis mandabant, à sancto viro prolatas accepit Antiochus ille arrogans, & à Dei pietate abhorrens, cumque vinctum ad se duci iussit, & omnibus audientibus interrogari, & apertè fateri, num Imperatoris edicto, an suo Deo, parére vellet. Ille autem præsentibus hominibus, Angelis, & tota spectabili & creata natura, distinctè, apertè & confidenter Christum confessus est. Itaque superbissimus Præses acerbissimum supplicium aduersùs illum excogitabat, & ironia quadam vtens: Quoniam, inquit, multum laboris Andreas in bellis perpessus est, & victorijs nõ paucis coronatus fuit, remissionis & requiei viam ac rationem ipsi excogitauimus. Iussit igitur æreum lectum componi: qui cùm valdè accensus fuisset, sanctum virum Andream supra illũ poni iussit. At ille præsenti & alacri animo in lectum illum, tanquàm in molle aliquod stratum, insiliuit, & in illo decubuit, statimq; vehementem cruciatum sensit, cùm totum eius corpus comburetur, & vndiq; ignis ardore feruesceret. Mox verò propter eximium fidei suæ feruorem, requiem & recreationem habuit, cùm ignis ipse relaxatus esset. Duxit etiã nefarius ille Iudex quosdam ex eorum militum numero, qui vnà cum ipso strenuè in bello se gesserant, & verè in Deum crediderant, ipsorumque manus in lignis, quadratam figuram habẽtibus, suffigi iussit: ridensq; ab eis quæsiuit, num ea res esset illis voluptati. Repentè illi animo valdè prõpto sibi eam rem iucundissimã esse affirmârunt, hæc addẽtes: Vtinàm Christi simus imitatores, qui propter nos in ligno Crucis suffixus fuit. Deincèps ad diuinũ Andream Tyrannus interrogationes suas conuertens, periculum faciebat, num talem cruciatum expertus, sententiam mutâsset, & à Christianorum fide animum auertisset. Sed cùm is respondisset se coronam illam, quam, qui ad finem vsque patiẽtiam retinent, adipiscuntur, à Deo expectare, neq; vnquàm ab ijs, quæ rectè & firmiter statuta sunt, se decessurum, iussit tyrannus Andream è loco illo eductum, in carcere diligenter custodiri, verbo quidem, quòd martyri tempus dare vellet, vt rem suam meliùs consideraret, & sententiam mutare posset: re autem vera hoc faciebat, vt ipse interea scire posset, quænam esset super Andrea, cæterisque militibus Christianis, Imperatoris sententia.

Præclara ei confessio.

Iucũdo animo insilit in ignitũ lectum æreũ.

Sociorũ militum cruciatus.

Mittitur in custodiam.

Cap. 6.

Statim igitur ad Maximianum literas misit, & rem illam significauit. Maximianus cùm de Andrea & ijs, qui cum illo erant, certior factus est per eas literas, quas suprà diximus, existimans non parùm perturbationis & tumultûs ad eum peruenturum, si tam insignem & clarum Ducem exercitûs, totque & tãtos viros, qui cum ipso erant, milites optimos gladio percuti iuberet, rescripsit ad Antiochum, vt artificio aliquo aut versutia viros lateret ad id, quod vellet, perficiendum alliceret, neq; rerum nouandarum, aut seditionis occasionem toto exercitui præberet. Hæc scripsit Imperator, illud considerans, quòd si, cùm aliquibus obscuris hominibus, quorum crimina sint incerta, pœnam iudex inferre vult, ad illorum causam defendendam plerique pro-

Iniquũ Maximiani Imperatoris consilium.

pensi sunt, eo magis in hoc viro id fieret, qui & dignitatis gradum tenebat, & non vulgares labores, multorum virorum testimonijs comprobatos, pertulerat, ac ordini militum nõ contemnendo præerat. Quamobrèm in suis ad Antiochum literis adiunxit: Placet mihi, huiusmodi viros à carcere liberari, quasi anteactarum rerum venia ijs concessa: paulò autem posteà, nisi resipuerint, tanquàm ob aliud crimen delatos, illos ipsos grauiter puniri.

Antiochus igitur cùm has literas à Maximiano accepisset, fecit quod Imperator iusserat, & insignem Dei seruum Andream, & omnes qui cum ipso erant, ex vinculis eduxit, & libero ac securo animo vitam degere permisit. At sanctus Dei minister Andreas, eiusmodi fallaciæ inuentum diuinitùs sibi patefactum cognouit: & eos, qui cum ipso laborauerant, eiusque admonitionibus ad diuinam cognitionem perducti fuerant, secum habens, in Ciliciam ad Tarsum metropolim se contulit: iamdudùm enim propositum habuerat, per Petrum, qui tempore illo religiosè & sanctè præfidebat iamdictæ metropoli, & multis egregiè factis præstabat, Deoque ipsi gratus erat, ad salutarem baptismum perduci. Nam etsi fuerat ab initio, vt suprà dictum est, fidelissimus Dei minister, & eius donis refertus, nondùm tamen diuini baptismatis particeps factus erat. Antiochus cùm Andreæ, & eorum qui cum ipso erant, discessionem cognouisset, furore accensus, consiliarios suos, & quibus vti consueuerat, accersiit, quæque Andreas fecerat, cum illis communicauit, & literas misit ad Seleucum, qui in Ciliciæ administratione, quòd ad militare opus pertinebat, eius vicarius erat. Literæ autem illæ ità se habebant: Puto te audiuisse de Andrea, qui olim dux fuit in exercitu maximorum Imperatorum, quòd nunc non solùm seipsum amentiæ tradidit, sed plurimos etiam militum, quos secum habebat, concitatos, ad eam sentẽtiam impulit, vt regalibus & diuinis edictis aduersarentur. Quoniã verò cognouimus clàm hinc ipsum discessisse, & in Cilicum prouincia nunc existere, æquitati tuæ placeat regiæ volũtati obtemperanti, & Andream, & eos qui cum ipso sunt, persequi, ac detentos & vinctos, nostris manibus tradere. Quòd si aduersati fuerint, aut fugere iam cœperint, militaribus gladijs confice.

Cap. 7. Dimittũtur martyres p summã fidem.

Veniũt Tarsum Ciliciæ baptismi suscipiẽdi gratia.

Seleucus cùm eiusmodi literas accepisset, expeditos & probatissimos milites, quos Romani Ordinarios appellant, quamplurimos secum habens, (erat enim & ipse contra Christi seruos nimio furore pércitus) ad Tarsensium vrbem properauit, cùm sanctorum hominum cateruam illic esse didicisset. Andreas verò sanctus vir, cùm id præcognouisset, petijt à beato Petro Episcopo sanctissimum baptisma. Quod multo cum desiderio & certandi ardore suscepit vnà cum fidelissimis militibus, quos secum habebat. Erat autem cum Petro Episcopo & Nonnus Episcopus Beroææ. Post hæc Andreas celeritate vsus, exijt in locum, qui dicitur Taxanite, non metu id faciens, sed vt præceptum Domini seruaret, quod ità definit: Cùm persecuti vos fuerint, ex vna ciuitate fugite in aliam. Seleucus verò cùm audiuisset diuinum illum virum ex ea vrbe migrauisse, solicitudine & confusione quadam affectus, & præ tristitia vultum mutatum habens, intento cursu & ipsum, & eius socios insequebatur. Porrò Andreas, cùm & è loco Taxanite discessisset, totum montem Taurum peragrauit vsque ad fines eius regionis, quæ Tamalme dicitur. Cùm venisset autem ad castellum, quod dicitur Orchesum, in Armeniorum prouincia situm prope Melitinensium illustrem metropolim, peruénit indè ad Chausorij & Charauatinensium regiones. Id cùm nesciret Seleucus, neque rationem aliquam inire posset, qua sciret, per quam viam sanctus ille vir iter fecisset, venit accurrens ad eum homo quidam, Martinus nomine, qui significauit, Andream ad Taurum montem peruenisse, & per eum ad alia loca transijsse. Tum persecutor ille, cùm id didicisset, celeriter venit ad locum, qui dicitur Capsurius. Celeberrimus autem martyr vnà cum fidelissimis illis militibus secum versantibus, properauit ad eam regionem, quæ dicitur Androcaloni, & in Tauri montis angustias se deiecit. Causam verò quarè angustiæ vocentur, eius loci figura declarat. Duo enim montis iuga vicissim sibi opposita, ac paulatim coëuntia, ferè inter se copulantur: sed flumine præterfluente distincta, angustias quasdam efficiunt, quę ferè inuiæ sunt: hiatum verò præcipitem inter se habent, magnum illum quidem, & vel ijs, qui ipsum adspiciunt, terribilem. Hac de causa eius loci situs, talem appellationem accepit.

Baptizãtur à Petro Tarsensi Episcopo.

Matth. 10. Fugiunt, nõ metu, sed certa ratione.

Tauri mõtis angustiæ.

Magnus ergò & celeberrimus martyr, cùm ex diuina prædictione loca illa suo

Cap. 9.

& eorum omnium, qui cum ipso erant, martyrio præfinita esse cognouisset, (Oportebat enim eum, qui diuinum cursum conficiebat, & per angustam & arctam viam ambulabat, ad cæleste Dei regnum ingredi) vlteriùs progredi destitit. Tunc Seleucus vénit, & vidit loca, in quibus viri illi à Deo ducti constiterant: in eos autem exercitum, quem secum habebat, immisit. Id cùm sensisset Dei minister, & se & socios suos ad preces excitans, ait: O amici & commilitones, ac filij mei, nunc est tempus acceptabile, nunc dies salutis: perstemus in Dei amore, resistamus animo æquo & forti, quemadmodùm præcepit nobis Deus: manus nostras non ad vlciscendos persecutores, sed ad Deum precandum, eique gratias agendum erigamus: quòd nobis concesserit, vt ad horam hanc venire poterimus, quò partem & sortem cum omnibus ijs, qui sanctitate præditi sunt, assequamur. Supplices ab illo postulemus, quod martyrũ primus celeberrimus Stephanus, cùm lapidibus obrueretur, à Deo petiuit, dicentes & nos: Domine Iesu Christe, accipe spiritus seruorum tuorum, quos in manus tuas commendamus.

Act. 7.

Cùm verò in medio ipsorum constitisset, manibus atque oculis in cælum erectis, Deum orauit, hæc dicens: Domine Deus, qui magnus es & omnipotens, accipe mei peccatoris & indigni serui tui preces, eorumque omnium, qui mecum sunt, & fidem tuam immobilem seruauerunt: omnibusque his, qui necessitatis tempore nostra, qui sumus indigni, nomina inuocauerint, præsta petitiones illas, quæ ad salutem pertinent: quique ad locum hunc confugerint, eos protege, & à malo ac necessitate libera, largiens ipsis sanitatem animæ & corporis: & quo loco humilis sanguis noster effusus fuerit, fiat illic curationum fons, & spirituum impurorum redargutio ac liberatio, vt terribilis & sancti, benedictique nominis tui, vnigeniti etiam Filij tui Christi Dei nostri sanctissimi, & vitam dantis Spiritûs sancti gloria celebretur in secula seculorum, Amen. Completis his precibus, adstiterunt statìm persecutores, feris immitibus crudeliores. Ipsi verò, tanquàm agni simplices ad immolandum ducti, mansuetè & leniter seipsos illorum manibus tradiderunt, communem omnium Dominum imitantes.

Cap. 10. Orat S. Andreas pro ipsos inuocaturis.

Profani igitur illi & nefarij persecutores, ferociter & cum quodam (vt ità dicam) dẽtium stridore ac fremitu irruentes, strictis gladijs beatissimos viros interfecerunt, & illorum multo sanguine præterlabentem fluuium impleuerunt. Statìm autem, quemadmodùm sanctus martyr precibus suis postulauerat, locus, in quem venerandus sanguis ille defluxerat, fons quidam effectus est, omnigenarum ægrotationum sanitatem afferens: qui fons ad hodiernum vsque diem gratijs redundat, & curationem singulis accommodatam largitur. Quamobrèm non ad eos solùm, qui propè, & in eo loco ac finitima regione sunt: sed ad ipsos etiam, qui longè absunt, & ab illis locis multùm distant, huius viri sancti fama celeriter peruénit: quæ facit, vt omnes tã parui, quàm mediocres & summi viri, concursu magno illuc proficiscantur, & miracula, quæ illic fiunt, gloriosè celebrent. Cursum igitur martyrij sui beatissimus Andreas cũ tota sua forti & à Deo electa phalange perfecit decimonono die mensis Augusti, die Dominico, hora secunda.

Cap. 11. Cæduntur sancti martyres. Nota rem miram.

Petrus verò, Tarsensis vrbis Episcopus, qui diuino baptismatis lauacro eum purgauit, Nonnus Episcopus Berœensium, Theodulus & Synesius Diaconi, Marinus & Nicolaus, Eusebius & Lamyrion Lectores, cùm Andreas ipse, & ij qui cum eo erant, certamen perpessuri essent, è longinquo sequebantur, cupientes eorum finem cognoscere, quem & cognouerunt, communem, inquam, illorum omnium in Domino consummationem: quorum & venerandas reliquias reposuerunt, congruentem venerationem adhibentes. Viderunt & fontem illum venerandum, & multorum miraculorum effectorem, ex iusti & magni martyris defluente sanguine scaturientem: qui fons cùm primùm scaturijt, repentè curationum gratiam emisit: statìm enim vnum ex Lectoribus, quos diximus, Lamyrionem, à spiritu quodam prauo & impuro perturbatum, neque ad illum vsque diem liberatum, inprimìs curauit, qui cum alijs Lectoribus sanus redijt. Idcircò illi Deum hymnis celebrârunt, qui verè in sanctis suis gloriosus efficitur. Cæterùm in Ciliciam ampliùs redire noluerunt, quoniam Petrum Tarsensis vrbis Episcopum, qui martyrem Andream cum socijs, vt dictum est, baptismate purgauerat, Seleucus capere studebat. Abiêrunt igitur, diuina prouidentia ducti, in Isauriam, laudantes, simul & benedicentes Domino Iesu

Cap. 12.

Reliqæ eorũ reuerentẽr habẽtur.

Iesu Christo: Cum quo patri simul & sancto spiritui sit gloria nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA S. BERTVLPHI ABBATIS BOBIENSIS, AVTHORE IONA ILLO, QVI ETIAM

vitam S. Columbani Abbatis conscripsit: sed stylum F. Laur. Surius ferè mutanit in gratiam Lectoris, adiectis ad marginem capitibus.

QVAM præclara sint monimenta iustorum, per temporum vicissitudines docti homines studuêre ad posteritatis notitiam perferre. Ità ergò & nos, quæ nostris sunt gesta temporibus, nequaquàm debemus silentio premere, & negligentia atque desidia prætermittere. Sicut enim nobis præcedentium exempla, vberiora adferunt religionis studia & incitamenta: ità ijs, qui post nos futuri sunt, eorũm patrum, qui nostra ætate fuêre, res gestæ ad consectandas virtutes calcar addent. Et nos quidem dum alijs imitanda proponimus, nobis quoquè crebrò commemoranda apponimus. Quis igitur quantusque fuerit venerabilis Bertulphus, Bobiensis cœnobij Abbas, non debemus committere, vt taciti præterijsse videamur. Et primò quidem dicendum est, qualis eius fuerit in seculo conuersatio. Genere sanè nobilis fuit, at tamen gentilis, sanguine coniunctus beato Arnulpho Metensi Episcopo: quem cùm post mundi huius honores, pompasque & insulas, ad religionis cultum & studia anhelare conspiceret, conatus est etiam ipse, calcatis rebus caducis & terrenis, cælestibus inhiare. Posthabito itaque patre, neglecto natali solo, spretis seculi pompis, conuenienter voci Euangelicæ, amissis omnibus suis facultatibus nudus, crucem tulit suam, seque sibimetipsi abnegando, secutus est Christum, adiungens se ad eum, quem diximus, Arnulphum præsulem.

Augusti 19. Cap. 1.

Genus S. Bertulphi.

Matth 19. Luc. 7.

Cùm autem apud eum aliquandiù mansisset, ad venerabilem virum Eustasium Luxouiensem Abbatem se contulit, atque illic monasticæ regulæ & religioni subditus diù permansit, omnibus charus & gratus. Adueniente autem eò beato Attala ex Ausoniæ partibus, cum bona pace & voluntate venerabilis Eustasij, ei se adiunxit. Erat enim ei cum Eustasio cor vnum & anima vna, nec quicquam discordiæ intercessit, vt qui sibi mutuò subiecti essent. Abijt ergò cum venerabili Attala, Ausoniæque finibus receptus, in Bobiensi cœnobio sub eius obedientia permansit. Cùm autem rerum omnium conditor beatum patrem Attalam ex his seculi ærumnis ad cælestia regna euexisset, omnis concio monachorum, vocibus animisque coniunctis, paterni honoris successorem Bertulphum acclamauit, quippe qui annis tredecim omni studio & diligentia plebem salutaribus monitis instituere non omisisset.

Cap. 2. Fit monachus Luxouiensis.

Abit ad monasterium Bobiense.

Fit Abbas.

Sed hîc memoriæ tradendum est, quid hisce annis ille fecerit. Cùm enim bonitate, disciplina & scientia instructus, optimis moribus plebem imbueret, antiquus serpens mentem eius cœpit rebus aduersis infestare. Excitauit enim quendam, Procum nomine, * Cleronensis vrbis pontificem, vt aduersùs eum primates linguis, pontifices verò prauis muneribus commoueret. Cumque is iunctum sibi gauderet Regem, illum adijt animo persuadendi, quod optabat. Regnabat enim eo tempore * Auriouualdus Longobardus. Sed cùm nihil aliud à Rege responsi tulisset, nisi vt Ecclesiastico iure probaret, cœnobia procùl ab vrbibus posita, Episcoporum debere parére dominio, ille omnes, quos potuit, in suam sententiam pertraxit.

Cap. 3. * Arioaldus

Cumque hæc agerentur, quidam ex aula Bertulpho indicauit, quid rerum gereretur. Misit ergò Bertulphus quosdam ad Regem explorandi causa, quibus Auriouualdus Rex ait: Non est meum, sacerdotum causas discernere, sed synodalis examinatio ad purum debet cuncta excutere. Illis scisitantibus, num Episcoporum velit fauere consi-

Cap. 4. Nota responsum quãnis barbari regis.

consilijs, ità respondit: Nequaquàm ego illis fauebo, qui Dei famulo vellent creare molestias. Cernens ergò Bertulphus ità se gerere, quanuis barbarum & Arrianæ sectæ addictum, regem, poscit vt publico supplemento fultus, Romam ad sedem Apostolicam peruenire queat.

Cap. 5. Venit ad Papam Honorium.

Regio igitur subsidio Romam veniens Bertulphus Abbas, cuius obsequio ego interfui, Honorium Papam accessit: cumque ei causam aduentùs sui patefecisset, ille deinduſtriâ quærit, quæ sit regularis consuetudinis disciplina. Postquàm ille omnia alacri animo Pontifici explicauit, placuit beato Honorio, vt regularis series religionisque cultus, humilitatis indicia teneret. Porrò aliquandiù quotidianis colloquijs Bertulphum roborare nitebatur, vt cœpti itineris laborem non abijceret, & Arrianæ pestis perfidiam Euangelico mucrone feriret. Erat enim venerabilis præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarus, comitate & humilitate pollens: lætaturque è gentibus socium se inuenisse, qui suauis esset eloquio: nec prorsùs ferre sustinuit, vt citò ab eius consortio separaretur. Cùm autem æstus vehemens longa quiescendi spatia præberet, optatum illi munus impertijt, priuilegijs sedis Apostolicæ eum afficiens, nè quis Episcoporum in eius monasterio quodlibet sibi dominij ius vendicaret. Illud peroptatum munus adepti, ad nostros remeare studuimus. Vbi autem confecto itineris spatio, Tuscana arua & Apennina rura attigimus, & prope castrum Bismantum vénimus, tanta vis febrium Bertulphum oppressit, vt omninò moriturus crederetur. Aeger enim ab Vrbe excesserat. Omnes itaque mœror occupauit, non tam ob iter prolixum, quàm laborem ægroti patris: nullaque nobis de eius sospitate spe relicta, tenso tentorio in locis asperis, admodùm nos premente tristitia, commorati sumus. Erat tum Vigilia passionis beatorum Petri & Pauli Apostolorum.

Honorij Papæ encomiũ

Bobiẽse cœnobium eximitur.

Incidit in grauissimã febrim sanctus Bertulphus.

Cap. 6.

Atra indè nocte irruente, ille inter ignes febrium me accersiuit, curque mens curis dedita esset, sciscitatus est. Me autem respondente, omnia iam rectè esse constituta, ille ait: Et tu hîc apud stratum meum tota nocte, donèc illucescat, excubato. Me igitur vsque ad intempestàm noctem vigilantem tantus sopor oppressit, vt sursùm caput attollere non valerem: omnesque qui circa tentorium ad sarcinas vel equos excubabant, simili sunt sopore correpti. In tanto igitur omnium silentio beatus Apostolorum princeps Petrus aduenit, & supra stratum ægri patris stans, Surge, inquit, & sospes abi ad sodales. Illo inquirente, quis esset, Petrum se esse respondit, cuius tum sacra toto orbe solennia celebrarentur. His dictis, abscessit. At Bertulphus timore perculsus, anxio & trepido corde sciscitabatur, quid rei esset. putabat enim & audiuisse me vocem, & visionem vidisse. Vt autem comperit me nihil neque vidisse, neque audijsse, Non cernis, inquit, fuluam lucem, qua Petrus Apostolus proficiscitur? Me respondente, nequaquàm eam me videre, siluit. Tum verò ego animi dubius, quid rei secum versaret, vix tandèm precibus obtinere potui, vt mihi panderet veritatem: quam ille planè reticuisset, si me audiuisse & vidisse nouisset.

Sacra Apostolorũ solẽnitas toto orbe celebratur.

Cap. 7.

Cùm quodam tempore, expleto psallendi officio, vnà cum fratribus hora diei secunda è beati Petri ecclesia egrederetur, obuium habuit hominem, Viatorem nomine, dæmonis rabie plenum. Eo viso, sublatis ad cælum oculis, conditorem rogauit, vt, suis votis faueret, hominemque plenum malo dæmone, flexus precibus suis curaret. Exaudiuit precantem Dominus, & vis rabida dæmonis profligata est, nec prorsùs ausus est satan Dei imaginem contaminare: sed miserabiliter hominem discerpens, fugit ab eo. Protinùs autem salus consecuta est, & homo sospes ab ecclesia cum fratribus egressus, permanensque incolumis, gratias persoluit creatori, quòd famulo suo tam facilè fauendo, eiusque orationibus obtemperando, ipsius absoluisset cruciatus. Interiecto indè tempore, alius sæua dæmonis infestatione vexatus infantulus, (Dominicus is dicebatur, filius Vrbani cuiusdam) ad eum salutis causa productus est. Diù ergò ille dæmonem increpans, coëgit ab homine exire.

Dæmonia cum purgat

Itẽm aliũ.

Cap. 8.

Alio tempore quidam multa lepra perfusus, qui nulla vnquàm medicorum opera se salutem consecuturum speraret, ad venerabilem virum Bertulphum venit, orans, vt precibus ipsius posset Dei misericordiam experiri. Eum vt adspexit vir fiducia plenus, indoluit hominem tam graui vltioni subiacére: imperauitque, vt apud ipsum donèc curatus esset, permaneret. Itaque mens virtutum conscia, cælos penetrans, suis precibus conditorem omnium excitauit: peractoque biduano ieiunio, oleo perfudit

Sanat lepr. fum.

perfudit lepra obsitum: moxque didicêre membra post viscerum putredinem redire ad sanitatem, pristinumque recuperare decorem. Ità nanque sanus ille effectus est, vt nec vestigium lepræ in eius corpore apparéret. Sic nimirùm præpotens Deus propenso fauore opitulatur famulis suis, vt multo virtutum vigore roborati, calcent fluxa & labentia, semperque suspirent ad cælestia.

Hîc sequuntur aliquot aliorum facta memorabilia.

Cap. 8.

PLeroſque verò monachos itidèm experti sumus virtutes patrare, putamusque nos facturos operæpreciũ, si ex ijs nonnullas his interseramus. Cùm tẽpore quodam Blidulphus presbyter ab Attala Ticínum missus esset, & in media eius vrbis via ambularet, obuium habuit * Arioualdum, Ducem Longobardorum, hominem genere nobilissimum, Agilulphi generum, Adulualdi cognatum, sectæ Arrianæ studiosum, qui post Adulualdi obitum regnum Longobardorum obtinuit. Is ergò vt vidit Blidulphum, De Columbani, inquit, monachis est iste, qui nobis salutantibus non dignatur ità, vt par est, respondere. Cumque iam haud procùl abesset, irridiculè salutauit eum. Respondit Blidulphus: Precarer equidem salutem tibi, nisì tu seductoribus tuis & doctrinis à veritate alienis faueres: diceresque eos sacerdotes, qui per mendacium hoc sibi nomen vsurpant. Præstaret verò, ineffabilem Triniratem in vna Deitate confiteri: non tres potestates, sed tres personas: nec vnam trium nominum personam, sed tres in vnitate patris & filij & spiritûs sancti personas, vna potestate, voluntate, essentia. Hæc ille pauliſpèr audiens, & indè progrediens, querebatur se non hâbere eius crudelitatis administros, qui cæca noctis caligine reuertentem illum monachum fustibus vel sudibus cæsum enecarent. Tum verò vnus cæteris vesanior, ait se ad id facinus perpetrandum paratum, modò ipse iubeat. At ille: Si hoc, inquit, feceris, postera luce ego te muneribus afficiam. Progreditur ergò, & alium sui similem adiungit sibi sceleris socium, viamque petris impeditam in tenebris obsidet. Remeat indè per eandem viam monachus & presbyter, reuertens à cœna, ad quam à quodam Christiano inuitatus fuerat, & necopinatò in satellites incidit, percussusque interijt, cerebro & omni corporis compage fustibus & sudibus contusa, nec tamen vllo è populo id sentiente. Erat enim abditus locus, nec clamare ille poterat, & loco & ictibus præpeditus. Diù ergò exanime, vt putabant, cadauer cædentes, memorato illi sceleris authori patratum facinus nunciant. Cumque iustus presbyter, qui Blidulphum inuitauerat, euentum rei nescíens, timeret nè in Arrianorum manus ille incideret, arrepto baculo & pane, abit post eum, reperitque iacentem, & tanquàm somno pressum excitare conatur. Tum ille tanquàm è lecto surgit incolumis, vix plagarum vestigijs apparentibus: abeuntque pariter ad hospitium: vbi inquirenti iusto, quid ei accidisset, respondit nihil sibi vnquàm euenisse suauius, nec dulciori somno se potitum esse. Illo rursùs interrogante, num quos sentiat membrorum dolores, respondet se nunquàm rectiùs habuisse, prorsusque nescire quippiam ipsi aduersi accidisse. Expeditis indè rebus necessarijs, ad monasterium redijt. Porrò is, qui se vltrò ad hoc designandum facinus obtulerat, mox post discessum monachi à Ticíno, arripitur à dæmonio, & diuersarum pœnarum incendijs flagellatur. Facinus quoquè suum exitiabiliter confitetur, clamatque ad omnes, Si quis aliquid eiusmodi, quale ego feci, Bobiensibus monachis intulerit, pari vltione plectatur: & qui Arrianorum persuasionibus fidem commodat, talem iusti iudicis iram experiatur. Id vbì conspexit miser * Ariouualdus, putà flagitium illud diuinitùs manifestatum, confusus & metuens, nè quid simile ipsi accideret, illum, qui tam dirè torquebatur, cum socijs ad beatum Attalam misit, orans pro se, vt admissum crimen condonet, affirmansque se paratissimum ad præstanda illis officia, si eius dona recipere velint. Videns autem beatus Attala membri sui iniurias diuinitùs vltas, rogat vt cuncti pro pestifero orent, vt vis aduersæ potestatis à misero homine pellatur. Porrò impij hæretici munera nunquàm se accepturum respondet. Cunctorum ergò orationibus Dominus placatus, ad tempus homini pepercit. Statìm enim reualescens, sospes abijt, at tamen lucis huius vsura non diù fruiturus. Nam sedens in hospitio suo, cùm ab alijs obiurgaretur, quòd id fecisset, insultantis voce respondit: Etsi verò id sponte fecissem, quid tum posteà? Mox correptus febrium ardoribus, inter pœnas incendij & calamitates vita priuatus est. Eum sanè haudquaquàm iuxta aliorum sepulcra humare ausi fuêre, sed procùl ab hominibus in quodam loco omnium oculis expositò,

Blidulphus presbyter & monachus.

Præclara Blidulphi de Trinitate fides.

Dirè cæditur Blidulphus.

Diuinitùs mirè curatur.

Vltio diuina in eius persecutorẽ.

expoſito, vt prætereuntes dicerent: Hîc iacet ille miſer, qui in Bobienſes monachos ſua petulantia crudelitatem exercuit.

Cap. 10. Eodem tempore alius monachus, Meroueus nomine, à beato Attala Dertonam vrbem miſſus, & cauſa eius negocij, propter quod venerat, longiùs ab vrbe progreſſus, ad quandam villam Yræ fluuio adiacentem acceſſit: vbi fanum quoddam arboribus conſitum videns, allatum ignem ei admouit, congeſtis in modum pyræ lignis. Id verò cernentes fani cultores, Meroucum apprehenſum, diuque fuſtibus cæſum & ictibus contuſum, in flumen illud demergere conantur. Sed vnda monachum non auſa fuit ſuſcipere, licèt ille eius rei, quam geſſerat, nomine mori paratus eſſet. Cernentes ergò illi non poſſe eum mergi, quem Domini clementia ſeruaret, manè inter ſe communicato conſilio, ſuper vndas eum proſternunt, materiamque ſuper eum coaceruant, vt immani pondere deprimeretur. Cumque id ſcelus ſe iam confeciſſe putarent, relicto, vt putabant, cadauere, ad litus redeunt. Illis abeuntibus, Meroueus nihil moleſtiæ ſentiens, incolumis à fluuio ſurgit, diruptis nexibus, ſoſpes Dertonam ingreditur, ac poſteà ad monaſterium redit. Eccè autem repentè diuina vltio in eus aduerſarios animaduertit. Quotquot enim in eo fuêre contubernio, diuerſis ſunt calamitatibus affecti: alij cæcitate, alij ignis aduſtione, quidam publica contractione, plerique omnium membrorum debilitate: ità vt diuerſi diuerſas ſentirent pœnas. At vbi compererunt Meroucum ſoſpitem ad Bobienſe monaſterium reuertiſſe, quidam ex ijs eò adducti ſunt: & perpaucis quidem pœnitentiæ medicina remedium attulit, reliqui omnes ea vltione periêre.

Meroueus monachus non poteſt ſubmergi.

Puniuntur diuinitùs eius perſecutores.

Cap. 11. Ità ſanè mirificum famulis ſuis Deus munus impertit, cùm poſt damna corporis, & poſt irrogatas iniurias, & in præſenti vita adiutorio ſuo eos roborat, & in futura poſt certamina coronando glorificat, quos hîc propter nomen ſuum illatâ iniuriam ſponte excipere ſentit. Vidimus nos in eodem Bobienſi monaſterio etiam aliorum monachorum felicem virâ, felicioremq; exitum, qui multa virtutum de ſe exempla præbuêre, è quibus nos aliqua ſaltem referemus, vt viuentibus, eorumque viram imitari cupiêtibus, vberior adhortatio accedat. Monachus quidam, Agibodus nomine, qui beati Attalæ tempore monialium monaſterium gubernârat, in extremis angoribus poſitus, ſui exitûs expectabat horam. Cumque iam fratres adſtarent, qui animæ è mundo emigranti ſuprema officia perſoluerent, atque de more ad pſallêdi munus ſeſe præpararêt: elapſa è corpore anima, vidit æternam lucem ſibi paratam, ſolemque miro fulgore micantem. Cùm autem ea viſione ſtuperet, diceretque ſe nunquàm talem ſolem vidiſſe, vel claritatem, quæ ei poſſet æquiparari, vnus è cælicolis accedens, ſciſcitatur quid ſic attonita intueatur. Illa reſpondet: Solem micantem ſe intueri, cui nunquàm alium ſimilem viderit. Ait cælicola: Nóueris te hodiè venturam ad nos, & in hac admirabili luce habitaturam, ſeptieſque vincente Solis lumen, iuſtorũ choris inſerendam. Reuerſa igitur, vale dic fratrum collegio, atque ità porrò redibis ad nos. Reuerſa igitur anima in corpus, Agibodus fratribus vltimum vale dixit. Quodam autem è fratribus percontante, quandiù in eo ancipiti exitu moratus eſſet, ei indicauit quid vidiſſet, & quanta ipſi eſſet claritas promiſſa, quodque eádem hora obiturus ſit, poſtquàm viaticum perceperit, & fratribus valedixerit. Sumpto indè ſacratiſſimo Domini corpore, omnibus oſculo præbito, orat vt charitatis officia corpori impendant. Itaque promiſſionem cæleſtem mox finis proſecutus eſt, felicemque obtinuit exitum, magno ſuî deſiderio ſuperſtitibus derelicto. Hunc enim ſanctorum remunerator poſteris voluit exemplo eſſe, vt qui eius coronã ante exitum promiſſam cognouiſſent, eius puritatis & religionis in omnibus imitatores ſe præberent. Fuerat is à puero ſub diſciplina regulari eruditus, ſub Columbano à ſeculo conuerſus, ſimplex, & omni bonitate inter fratres conſpicuus, obedientia & religione pollens, denique iuxta Pauli ſententiam, malitia omninò paruulus. Quid enim ſibi vult, quòd clementiſſimus Deus exeunti de mundo monſtrare voluit, qualis poſteà futurus eſſet, niſi vt oſtendat eos, qui ſimili ſimplicitate viuant, & obedientiæ ac mortificationi voluntariè ſubijciantur, ſimilem expectare remunerationem, & æterni luminis eſſe claritate potituros?

Agibodo reuelatur futura ipſi⁹ beatitudo.

Virtutes Agibodi monachi.

1. Cor. 14.

Cap. 12. Vidimus & alium, huic obedientia, pietate & mãſuetudine ſimilem Theodoaldum, feliciter ex hac vita abeuntem, & ſumma animi exultatione ad æterna gaudia properantem. Cùm enim lætus in ſuo ſtrato decumberet, rogat vt fratres omnes ad ipſum veniant: ijſque omnibus ſupremum vale dicens, ſe eadem hora ait è corpore egreſſurum.

Theodoaldi monachi beatus obitus.

ſurum. Qua autem ratione exitum ſuum cognouerit, nobis haudquaquàm voluit indicare. Cumque iam omnibus valedixiſſet, viaticum poposcit. Quo accepto, antiphonam ipſe impoſuit, ità dicens: Ibunt ſancti de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. Abſolutaque antiphonæ melodia, lætus & ſumma hilaritate refertus, animam reddidit creatori: vt nobis, qui præſentes eramus, apertè liceret intelligere, eum de gloria cæleſti & promiſſo præmio vſqueadeò exultâſſe.

Pſal. 83.

Alius monachus ſub Abbate Bertulpho, nomine Baudacharius, cùm tempore vindemiæ deputatus eſſet vineæ cuſtodiendæ, nè ea ab auibus & beſtijs aliqua iniuria vel detrimento afficeretur: euénit vt triginta fratres eiuſdem vineæ tuendæ cauſa eò aduenirent. Ille ergò charitate plenus orat, vt illic poſt laborem feſſa mẽbra reficiant, cùm nihil aliud haberet, quàm parùm panis, quem in ſuos vſus ſecum attulerat. Obiurgante autem cum Præpoſito, dicenteque nè quid tale attentaret, quandoquidem panes conficere non poſſet: ille ait: Largæ mecum dapes ſunt, quibus poſſint etiam plures ſatiari. Præpoſito ſciſcitante, quænam illæ ſint dapes, reſpondet anatem ſibi à Domino datam. Tum verò Præpoſitus: Fac, inquit, ſicut dixiſti. Diuiſit itaq; anatem triginta fratribus, atque adeò illi exatiati ſunt, vt dicerent ſe nunquàm ità cibo expletos fuiſſe. Auxit enim fides, quod dapibus deerat.

Cap. 13.

Anate Baudacharius monachus reficit 30. fratres.

Leopardus quoquè monachus alio tempore vineę tuendæ deputatus, inuénit vulpeculam botrum vorantem: quam obiurgans, minis intentatis iuſſit, nè ampliùs vineam attingeret. Sed cùm ille abijſſet, furax beſtiola redijt ad carpendas vuas: quas vbi contrà illius prohibitionem guſtauit, hærente in ore cibo vetito, extincta eſt: moxque Leopardus monachus vineam ſtudio circumiẽs, reperit vulpem mortuam, in ore prohibitos tenentem cibos.

Cap. 14.

Vulpes ex vetito cibo edens, moritur.

Alio tempore, eodem Leopardo cum Meroueo, cuius ſuprà fecimus mentionem, ſepta vineæ ex Abbatis imperio defendente, arborem ſecuri ſuccciderunt, & ramis ſepem densârunt. Cumque arborem totam ramis nudâſſent, inter ſe ſtatuerunt humì proſtrati Dominum rogare, vt ipſe vires ſuppediret, quibus poſſint arboris truncum integrum ad ſepem abſportare. Indè ab oratione ſurgentes, inuocato ſanctiſſimo nomine omnipotentis Dei, truncum corripiunt, & in locum deſtinatum perferre conantur. Et eccè quem vix multi eò pertrahere potuiſſent, duo homines fide armati, leui motu portant. Poſteà verò multi fratres ſimul collecti, eundem truncum mouere volentes, leuare nequibant: atque ità omnipotentis virtutem agnouerunt, quam duo illi fratres nulli indicare voluêrunt, ſed ſecretò alij alijs patefecerunt. At nos fortaſsis rodet quiſpiã & carpet, quòd hæc inferere hoc loco voluïmus: ſed nos tamen, quæ ad Dei gloriam faciunt, ſilere nequiuimus. Illе verò dijudicet, recipiendáne ſint, vel reijcienda hæc Dei dona, qui talia non abnuit, nec abijcienda ſentit, quæ fidei canon admittit.

Cap. 15.

Truncũ ingẽtem duo fratres facilè abſportãt

DE S. MARIANO RECLVSO. EX DIVO GREGORIO TVRONENSI, DE GLORIA *Confeſſorum, cap.* I.

Auguſti 19.

VIT autẽ in Termi termino Marianus eremita, cui non erat alter cibus, niſi pompa agreſtia: & ſi ei aliquotiès à quibuſdam mel delatum fuiſſet, aut ſi ipſe reperire potuiſſet in ſyluis, hoc ei erat cibus. Qui cùm plerunquè viſitaretur à plurimis, quodam tempore à quærẽtibus non poterat inueniri. Inueſtigantes autem eum viri, qui venerãt, deprehenſo veſtigio, inuenerunt locum, in quo flexo genu aquam hauſit à fluuio: & exindè progreſſi reperiunt eum ſub vna arbore malo iacentem mortuum. Vndè celebre ferebatur in populo, eum præcipitatum ex arbore, ſpiritum exhalâſſe: ſed euidenter non eſt cognitum, quoniam à nullo refertur viſum. Tunc viri, qui aduenerant, eleuantes eum, attulerunt ad vicum Euannenſem. Quem ablutum, dignisque indutum veſtibus, ſepeliêrunt in Eccleſia. Feſta verò obitûs eius per ſingulos celebrantes annos, atque conuenientes populi, crebrò ab infirmitatibus ſanabantur.

Vide mirã ſancti viri abſtinentiã

Nota conſuetudinem abluendi corpora mortuorũ.

Quidam autẽ de vicinis annonas diù infectas aqua, ac germine producto cõflatas, facto

facto igne ſuper vimina cõtexta coquere parat ad pocula facienda. Accedens autem vnus vicinorum eius, ait: Quid tu, ô homo, detineris in opere? An ignoras quòd ſolennitas eſt beati Mariani? Qui cum furore reſpondit: Putas, ô tu, qui hæc loqueris, quia homo eliſus ex arbore propter compendia gulæ, angelorum ſit relatus conſortio, & vt ſanctus debeat adorari? Melius eſt, crede mihi, opus neceſſarium in domo exercere, quàm talem ſanctum excolere. Quod ille audiens, diſceſſit, & cum reliquis ad baſilicam ſancti abijt, relicto domi vicino in opere laborante. Nec mora flante vento apprænditur domus incendio, exuritur omnis, nec quicquam de ſubſtantia reſtat hominis. Exindè eleuati globi flammarum ſuper hoſpitiola, quæ circũlocata erant, huius hominis aream, ſepes, tuguriola vel porcorum, vel pecudum, ac reliqua quæ ad eum pertinebant, flamma percuſſit, nec quicquã remanſit huic miſero, quod non fuerit igni ſuccenſum. Quod ſi euenisſe quis fortuitò putat, admiretur, quòd nulli vicinorum circummanentium nocuit. Quid nunc agis, ô cruda ruſticitas, quæ ſemper in Deum, & eius amicos murmuras, vt tibi exindè damnum acquiras?

Diſce ex hoc loco ſanctos venerari, & illis non detrahere.

Alterius autem hominis boues malitia furis abſtulerat, qui apprænſo veſtigio, & eo inter infuſos aqua viarum tramites, ad profundas luti voragines perdito, ad ſancti recurrit ſepulcrum, fuſaque oratione, dum de baſilica fuiſſet egreſſus, aduertit hominem per aggerem publicum venientem, qui boues illos ante ſe cum caballo exitinere laſſo proſequens adducebat. errauerat enim à via, & quaſi amens factus, in illam partem, de qua egreſſus fuerat, mente turbata redibat. Cognoſcit vir ille boues quos perdiderat, eosque recipiens, hominem abſque calumnia redire permiſit, quia cognouit hoc ſibi per virtutem ſancti Mariani præſtitum, cùm in illa hora repererit perditum, qua eius adiuit plenus fide ſepulcrum. Quæ poſtquàm geſta ſunt, diligentiore cura confeſſorem Dei cœpit excolere Bituriga.

Aliud miraculum.

DE S. LVDOVICO EPISCOPO TOLOSANO ET CONFESSORE, DIPLOMA IOHANNIS XXII. Pontificis Maximi. *Nos capitula margini adiecimus.*

Auguſti 19 Cap. 1.

IOHANNES Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus, vniuerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis & alijs eccleſiarũ rectoribus per vniuerſum orbem conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sol oriens mundo in altiſſimis Dei, Deus Dei filius, ex paterno vtero ante Luciferum genitus, Deus Verbum, qui rerum in principio fundans terram in ſapientia, cælos prudentia ſtabiliuit: adornãdo cælos ſideribus, germinantibus cunctis terram: quique in fine temporum pro humani generis ſalute noſtram aſſumendo naturam, texit nube noſtræ carnis fragilis ſemetipſum: nunc hora inſtante nouiſſima, illuminando per cuncta reſpiciens, opus produxit mirabile, charitate gloriæ ſuæ plenum, bonitatem ſuam monſtrans magnificè, ſponſamque ſuam ſanctam matrem Eccleſiam reddens nouitate tam claræ ſobolis lætabundam. Nam qui facit mirabilia magna ſolus, dilectum ſuum, cõfeſſorem eximium, beatum videlicet Ludouicum, puritate candidum, charitate feruida rubicundum, electum ex millibus, produxit nouiter vt exemplar præfulgidum, cunctis fidelibus imitandum, eius vitæ ſingularis excellentiam ſignis probans & prodigijs coruſcantibus, crebris miraculis manifeſtans.

Prouer. 3.

Pſal. 135.

Igitur lętentur cæli & exultet terra, iucundetur pariter totus orbis. Nam qui effulſit in templo, dum viueret, in medio nebulæ ſuæ carnis vt matutina ſtella ac luna plena ſolari lumine, veluti vt ſol refulgens, in ſua formoſus ſtola, in virtute multa repentinè ad ſummã graditur, regalibus dignus adſpectibus, vt candens lilium, ac odoris ſuauiſſimi roſa rubens. Huic cæli præſtant hoſpitium: cæli ciues vt ſibi conformem & comparem, ad ſuum hunc conſortium admittunt in ſupernis: Chriſtus hunc reficit, idemipſe prandium & conuiua. Hic felix ſanctus ex regali proſapia, patre videlicet claræ memoriæ Carolo Rege Siciliæ: matre verò, chariſſima in Chriſto filia noſtra, Maria Sicilię Regina ex Hungaria, originem ſuam trahens, altum ſui generis recuſauit ſapere

Cap. 2. Eccli. 50.

Genus & parentes S. Ludouici.

ſapere, humilia ſemper diligens & amplectens. Sciebat nanque, quòd excelſus Dominus, alta de longinquo proſpiciens, humilia è vicino contemplatur. Quanquàm autem ſingula præclara operà lucidæ vitæ ſuæ verbis paucis enarrari non poſſent, aliqua tamen de quamplurimis ad vtilitatem legentium referemus: vt ex his Deum patrem glorificent, & in his reperiant viuendi regulam, quam ſequantur. Pſal. 137.

Sanctus iſte, ſicut probãtum eſt teſtimonijs fidedignis, in ætate exiſtens tenera, ſub magiſtri religioſa diligentia cum ſuis fratribus tenebatur. Ipſe tamen ibi maturis intendendo moribus, ſub tenello pectore geſtare ſe ſenilem animum oſtendebat. Dudum in Cataloniam, cum duobus è ſuis fratribus datus obſes pro liberatione antè dicti Regis, tam feruenter dedicauit ſe ſtudio, quòd infra ſeptennium, quo etiam ibi obſes fuit, ſub inſtructione fratrum Minorum, quos ſecum habebat in ſocios, in primitiuis ſcientijs & ſacra pagina ſic profecit, quòd vir Dei pollẽs ingenio, de prædictis ſcientijs non ſolùm publicè ac priuatè ſubtiliter diſputare valeret, ſed & ſolenniter Clero & populo proponere verbum Dei: vt putaretur ſcientia hæc infuſa ſibi magis diuinitùs, quàm humanitùs acquiſita. Cap. 3. Obſes mittitur in Hiſpaniam. Multũ prõficit in hiſcientijs.

In orationibus ſedulus & deuotus, mentem ad Deum eleuatam tenuit: profectò ſciens, quòd oratio humiliantis ſe nubes penetrans, pro exauditionis ſuffragio Deum adit. In tempore nanque dicto, ſacramentali confeſſione præmiſſa, Miſſas audiebat deuotè. In magnis verò feſtiuitatibus, cum præparatione multa corpus ſumebat Dominicum. Factus autem ſacerdos, diebus ſingulis celebrabat. Audientiæ verbi Dei inſiſtebat attentè. Pro paſtu verò animæ, in ſcripturis deuotus ſtudens, habebat ad hoc pro ſolatio ſanctos libros. Caſtitatis autem amor à puero affecerat eius mentem adeò, quòd ob ipſius fidam cuſtodiam, mulierum conſortia fugiebat omninò, intantum quòd niſi forſan cum matre & ſororibus, ſolus cum ſola nullo vnquàm tempore loquebatur. Mulierem nanque amariorem nouerat eſſe morte. Verba etiam inhoneſta horrebat audire, ac loquentes talia grauiter arguebat: attendens prudenter, quòd corrumpunt mala colloquia bonos mores. Fratres nihilominùs duo, & interdùm quatuor, in ſuã iacebant camera, in ſuæ teſtimonium nitidæ puritatis. Cum Apoſtolo Paulo, ſobrietate cibi & potũs, corpus ſuum caſtigabat aſſiduè, ſeque frequenter manu ſua, quãndoquè autem alicuius fratris conſocij, cum catenis ferreis diſciplinans, veſtiendo pro camiſia rude ſtamen, & deferendo ad nudum pro cingulo chordam groſſam, ipſam carnem in ſeruitutem redigebat. Sũmo etiam ſtudio terrena cuncta calcare ſtuduit ex deſiderio ærernorum. Conſiderans etiam ſanctus iſte, quòd mundus totus ſit poſitus in maligno, quodque cum concupiſcentia ſua tranſit, ipſum fugiendo deſeruit totaliter & contempſit. Nam rediens de Catalonia cum Regè prædicto, votum, quod de intrando Ordinem fratrum Minorum in obſidione fecerat, in conuentu eorundem fratrum de Monte Peſſulano, voluit adimplere. Sed videns, quòd timore dicti Regis ipſum fratres recipere non audebant, votum ipſum ſolenniter iterauit. Eccles 7. 1. Cor. 15. 1. Cor. 9. Catenis ferreis ſe cędit. 1. Iohan. 5. 1. Iohan. 2.

Et quia vouentibus præceptum nouerat de reddendo, ſuadenti felicis recordationis Papæ Bonifacio prædeceſſori noſtro, quòd aſſenſum præberet prouiſioni de ſe factæ eccleſiæ Toloſanæ, nullatenùs conſenſit, quoaduſquè votum dictum, quod fecerat, compleuiſſet. Cuius deuotioni annuente prædeceſſore noſtro prædicto habitum Ordinis prædicti ſuſcipiens, in præſentia bonæ memoriæ Iohannis Epiſcopi Portuenſis, tunc eiuſdem Ordinis generalis Miniſtri, expreſſam profeſſionem flexis genibus in manibus * ſuis fecit: ſicque prouiſioni prædictæ ſuũ præbendo aſſenſum, mandatis Apoſtolicis obediuit. Et quanquàm de iuſſu prædeceſſoris eiuſdem, dictum habitum velatum portauerit vſque ad feſtum beatæ Agathæ tunc vicinum, in dicto tamen feſto in præſentia duorum Cardinalium recepit publicè: ac ſic extunc portauit continuè, atque ipſo die ad ſanctum Petrum parenter detulit prædicando. Miranda res, & aliàs inſucta. Vir nanque virtutum poſitus in ſublimi, iuri primogenituræ renunciauit & regno, regalis ſolij ſpreta pompa, pro regno corruptibili, æternum ac plenum delicijs regnum mercans. Cap 5. Pſal. 75. Fit monachus Franciſcanus. * eius Item Epiſcopus Toloſanus.

Mirà verò compaſſione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam priuatas, quàm publicas, eleemoſynas faciebat. Vndè iam factus Epiſcopus Toloſanus, per vnum ſuum familiarem ſecretarium mandauit inquiri de ſuorum quantitate reddituum, quantumque ſibi ſufficeret pro moderatis expẽnſis faciendis & rationabilibus: volens quòd totum reſiduum in ſuſtentandis pauperibus poneretur, quanquàm prælatus Cap. 6. Benignitas eius in pauperes.

tus tam magnus esset, & filius tanti Regis. Cùm autem iret Parisius, pauperem quendam nudum reperit: cui multùm compatiens, absconditè cappam cõtulit, quã portabat, sibique fecit aliam secretè apportari. In hoc etiam Christi imitatione, nihilominùs humilitas vera fulsit. Attendit nanque, quòd Deus, qui mœrentes sospitate erigit, ponit humiles in sublimi. Ipse enim vigintiquinque pauperes in domo sua reficiebat quotidiè, aquam in manibus fundebat, manuque sua ipsis fercula apponebat ac panes scindebat, eisdem etiam genu flexo, in ipsis Christo seruire, & ipsum recipere se delectans. Hospitalia pauperum aliquotiès visitabat. Sciens deniquè quòd qui vestiuntur mollibus, in hoc à Domino non laudantur, post Diaconatûs sumptum ordinem, semper veste humili vsus fuit. Post ingressum verò prædicti Ordinis, vili habitu ac bruno colore in tapetijs, cortinis & lecti coopertorijs vtebatur.

Iob 5. Insignis humilitas. Matt. 11.

Cap. 7. Officiũ boni Episcopi.

Pontificatûs etiam officium exercebat cum diligentia seruus hic Christi fidelis & prudens, Missas dicendo assiduè, deuotissimè Ordines celebrando, Clericos, quibus de beneficijs prouidere volebat, examinando de virtutibus & vitijs & articulis fidei, vita & moribus diligenter. Iudæos & Gentiles, zelo feruens Dei, inducebat sedulè ad baptismum, ac quosdam eorũdem sacro de fonte leuauit. Demùm glorioſus iſte ſanctus, cursu vitæ consummato, feliciter ad Deum fontem viuum, quem auidè sitiërat, migraturus, infirmitate decumbens vltima, deuotissimè sumpsit corpus Dominicum, quanuis debilis, de lecto exiliens in occursum Domini Saluatoris. Cruce autem sibi data per quendam ex socijs, deosculabatur illam, genuflexus in lecto, vt potuit, ac in oratione deuota & silentio postmodùm diù mansit. In Cruce nanque Domini nostri Iesu Christi, & non in alio, didicerat gloriari. Tandèm glorioſam resolutus in mortem, qui hîc viuus ambulauit in innocentia in medio domûs suæ, ad Deum suum contemplandum in gaudio, facie reuelata in sua innocentia est ingressus. Verùm quia decebat multùm diuinæ magnitudinem bonitatis, quòd illum, quem in terris, ipsum præclaris adornando virtutibus, suæ imagini fecerat tam conformem, secum ostenderet regnare in cælis virtutis suæ testimonijs: quædam per eum miracula operati dignatus est, quæ ad sancti huius declarandã gloriam, præsentibus duximus annotanda.

In infirmitate sumit sacramenta ecclesiastica. Felicissimi eius obitus.

Cap. 8. Miracula post eius obitum.

Quædam nanque duorum annorum puella, quæ vi febris, quam passa fuit duobus mensibus, expirauit: facto voto per patrem sancto isti, quòd ipsi imaginem de cera offerret, si vitam à Deo filiæ suæ impetraret, resuscitata, vbera matris suxit. Quidam etiam quinque annorum puer, vehementia febris continuæ vita functus, facto voto per patrem, est vitæ pristinæ restitutus, nec dictæ febris in eo apparuit vllum signum. Quædam puella annorum septem, quæ per septimanas tres febrem passa continuam, expirauit, facto ad dictum sanctum voto per suos, spiritum recuperauit, & reuixit.

Tres mortui reuiuiscunt.

Cap. 9. Item duo alij.

Quædam deniquè mulier, quæ duas conceperat filias, vna illarum in ventre mortua, ex casu dictæ matris de asino, & in eius ventre ex mora diutina putrefacta, cœpit puerperio laborare. Cumque dictus partus iam putridus per frusta fuisset extractus, & alia filia mortua, iam educta esset obstetricum ministerio violenter, & proiecta in stabulo super fimum: emisso ad ipsum sancto voto, quòd si partus ille resurgeret, vnã sibi ceræ imaginem præsentaret, puella palpitare cœpit, & baptizata, septem mensibus superuixit. Quidam etiam puer ætatis annorum septem, dum sub lecto, in quo cum suis iacebat parentibus, repertus mortuus, rigidus & frigidus aliquo tempore permansisset, facto per parentes ad hunc sanctum voto, fuit diuinitùs suscitatus.

Cap. 10. Mulier mortua reuiuiscit. Surda audit.

Mulieri cuidam, quæ propter vehementem infirmitatem diem extremum clauserat, emisso per suos ad sanctum istum voto, eius meritis reddita fuit vita. Quædã puella nobilis, quæ ex casu ad terram de nutricis brachijs, per octo menses passa fuerat surditatem, facto voto ad prædictum sanctum per patrem, à dicta surditate ad plenũ extitit liberata. Quidam nanque, cùm post febrem continuam perdidisset loquelam,

Mutus loquitur.

& sic mutus per mensem integrum permansisset, ad ductus ad sepulcrum sancti huius, fuit ibidèm loquelæ, finita Missa, restitutus.

Cap. 11. * patrem,

Mulier quædam, quæ subitò muta & impotens de vno brachio facta fuit, hac infirmitate sibi per mensem durante, emisso voto per *matrem, statim ad sanitatem pristinam est reducta. Quædam etiam mulier, dum ex partu quodam violento de puero mortuo, & in eius vtero transuersato, contracta in manibus & pedibus & femoribus biennio permansisset: facto voto ad sanctum præfatum, quòd si curaretur, scoparet in tota vita ecclesiam, in qua iacet, dormire cœpit, & expergefacta, à morbo prædicto penitùs est curata. Vir quidam passus annis sex guttam in manu & brachio, ventre

Multi alij à suis infirmitatibus curantur.

ventre ac humero, facto voto, quòd eius limina visitaret, statim fuit sanitatis beneficium consecutus. Quidam deniquè presbyter passus guttam in latere, quæ ipsum afflixit grauiter diebus septem, facto voto ad memoratum sanctum, diligentiùs eius tumulum visitando, recepit continuò sanitatem.

Cap. 12. Comitialis fœmina sanatur.

Quædam mulier, quæ per octo annos morbo epilentico quasi quotidiè grauabatur, emisso voto, quòd sepulcrum eius, si curam reciperet, annis singulis visitaret, curam recepit, sicque extunc de morbo ipso penitùs nihil sensit. Monialis quædã, quæ post febrem longam, quam passa fuerat, dolorem incurrebat in omnibus membris eius, intantùm quòd in duodecim diebus nisi alieno adiutorio de lecto non poterat se mouere: portato sibi pedali panno, qui quondam sancti huius dicebatur fuisse, ac sibi applicato ad carnem, sana & incolumis est effecta. Cùm homo quidam, qui miraculis istius sancti detrahere nitebatur, reuersationem faciei & oculorum turpiter incurrisset, sicque manens per dies sex, huic sancto cum deuotione, qua poterat, se deuouisset, ad sepulcrum eius veniens, & offerens caput cereum, antequàm exiret ecclesiam, perfectè reperit se curatum.

Nota quid cõferãt etiã viles panni sanctorum.

Cap. 13.

Hæc sunt mirabilia opera solius altissimi, quibus & alijs quampluribus mirificare voluit sanctum istum, ac toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnificè Deus noster, cuius dextera huic Episcopo confert stelliferum regni diadema. Applaudant & isti pariter cæli ciues, quorum cœtibus sanctus hic sole splendidior est insertus. Canant quoquè altissimè Franciæ, Siciliæ ac Hungariæ regna felicia, de quorum horto candoris niuei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem vuam, cuius liquor cælos lætificans, abundè funditur in calice summi Regis. Lætetur insuper ciuitas Tolosana, tanto ditata præsule, quem apud Deum aduocatum habet sedulum & patronum: Verè felix es ô tu Marsilia, facta diuinorum aromatum tam sancti corporis apotheca. Sed & fratrum Minorum Ordo conspicuus, nouæ laudis canticum promere non desistat, in aula cælesti tam præclrum alumnum diuinis festiuè conspectibus repræsentans.

Tolosanæ ciuitatis Patronus S. Ludouicus Episcopus.

Cap. 14.

Cæterùm quia conuenit, vt quem Dominus in cælo magnificat, mundus colat, nos de sanctitate vitæ ac veritate miraculorum ipsius, inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem, & studiosam examinationem & discussionem solennẽ, supplicatione deuota & humili prælatorum omnium, tũc apud sedem Apostolicam existentium, cum instantia requisiti, de fratrum nostrorũ consilio & assensu, de omnipotentis Dei virtute confisi, authoritate quoquè beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, & nostra, ipsum septimo die Aprilis sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum. Ideoque vniuersitatem vestram monemus & exhortamur attentè, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenùs quartodecimo Calendarum Septembrium festum eiusdem Episcopi & confessoris deuotè celebretis solenniter, & faciatis à vestris subditis deuotione congrua celebrari: vt pia eius intercessione hîc à noxijs protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

In Sanctos refertur.

Cap. 15.

Et vt ad mirabile eius sepulcrum ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebriùs eiusdem confessoris colatur festiuitas: omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui cum reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, duos annos & duas quadragenas: accedentibus verò ad prædictum sepulcrum annis singulis infra eiusdem festi octauam, vnum annũ & quadraginta dies de iniũctis sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis & volũtatis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Datum Auinione 7. Idus Aprilis, Pontificatûs nostri anno primo.

Indulgẽtiæ concessæ S. Ludouici festum celebrantibus.

DE EODEM BEATO LVDOVICO QVAEDAM EX *egregio MS. codice, per F. Laurentium Surium mutato ſtylo deſcripta.*

S. Ludouicus Episcopus Regis Siciliæ filius.

LVDOVICVS Christi confessor, clarissimo stemmate prognatus, patrem habuit Carolum Siciliæ Regem, & matrem Mariam Regis Hungarorum filiã. Cùm adhuc paruulus esset, tanta Dei in illo emicuit gratia, vt posthabitis eius ætatis ineptijs, diuino sese cultui maneciparet. Vbi decimumquartum ætatis annum attigit,

vt tanquàm lapis electus quadraretur, patris redimendi causa ductus est obsès in Cataloniam cum alijs quibusdam: cumque omnes militari custodia tenerentur, ipse eorum animos salutaribus adhortationibus erigebat & consolabatur. Oblato verò in eo exilio magna opportunitate, toto septennio se in fratrum Minorum, quos semper apud se comites habebat, tradidit disciplinam, vt ab eis literis institueretur: in quibus sanè intrà illud tempus tantas fecit progressiones, vt & promptus esset ad eloquendum, & benè idoneus ad concionandum, & admirabilis in disputationibus de rebus Theologicis suscipiendis. Pro sola verò animi pietate & deuotione, non ex vllo debito vel obligatione, quotidiè Ecclesiasticum persoluebat officium eo ritu, quo solent fratres Minores. Legebat etiam extensis brachijs officium Dominicæ passionis, vt crucifixo Saluatori posset saltē aliqua ex parte conformari. In vigilijs, ieiunijs, pauperibus exhibendis ministerijs sedulum se præbebat: crebrò percipiebat sacrosanctam Eucharistiam, sæpiùs apud se statuebat seculo valefacere.

Preces eius quotidianæ.

Tandèm pace inter patrem eius & Aragoniæ Regem confecta, eo tempore, quo celebrabantur nuptiæ sororis eius, quæ pacis causa agebantur, præsentibus duobus Regibus, & totidem Apostolicæ sedis Legatis, palàm accepta tonsura Clericorum, in magna prælatorum frequentia publicè insignem habuit concionē die solenni omnium sanctorum. Indè Romam cum patre & fratribus profectus, & à Pontifice Bonifacio honorificè exceptus, subdiaconus ordinatus est. At verò curiæ strepitum fugiēs, Neapolim se contulit, atque illic Diaconus & presbyter effectus est. Porrò quodam in loco fratrum Minorum se habitationi adiunxit, vt studiosè posset sacræ lectioni dare operam, & studiosiùs in pias preces incumbere.

Palàm accipit Clerici tonsuram.

Fit Subdiaconus.

Itèm Diaconus & sacerdos.

Intereà sede Tolosana vacante, prudens pontifex Bonifacius animum adiecit ad præficiendum illi Ludouicum, virum eximium, tametsi ille absens prorsùs id ignoraret, nec quicquam eiusmodi appeteret. Vbi autem comperit, quid Pontifex ea de re mandâsset, prorsùs assentiri noluit, nisi priùs ea occasione permissum ei esset & habitum fratrum Minorum induere, & in manibus Ministri generalis sancti Francisci institutum solenniter profiteri. Id posteaquàm fecit, inuitus tandèm in Episcopi cathedra se collocari sustinuit: in qua sanè quanto se vidit sublimiorem, tanto arbitratus est viliorem atque abiectiorem. Nec deincèps pati voluit alijs se vestibus indui, quàm susceptI Ordinis vili habitu & cingulo nodoso. Iam enim oblatus erat se Regis filium, nesciebat se Episcopum: solùm cogitabat se fratrem esse instituti Minorum. Canes venaticos, rapaces volucres, histriones & leuitates omnes à suis ædibus arcebat, vt personis Ecclesiasticis ipsi assistentibus posset tanto expeditiùs diuina promere eloquia, & sanctæ vitæ de se exempla præbere. Inter omnia diuina charismata, præcipuè in eo relucebat eximia humilitas, haud aliter atquè carbunculus in aureo ornamento. Annis singulis die Cœnæ Dominicæ duodecim pauperum abluebat manus, cibum potumque illis apponebat, ac deindè in genua se submittens, eorum itidèm lauabat pedes. In quibus officijs tametsi præ se ferre videretur seruilem personam, at nihilominùs honorificans ministeriū suum, pontificiam seruabat authoritatem. Erga miseros enim & calamitosos humanum & mansuetum se exhibebat ductus misericordia: erga superbos & tumidos peccatores iustitiæ seueritate vtebatur. Itaque in illorum, quibus conferre debebat beneficia Ecclesiastica, mores & scientiam accuratè inquirebat, nullaque habita ratione conditionis, precum aut fauoris, ijs prouidebat. Clericos quoquè peccantes, absque respectu personarum regulari subdebat disciplinæ: cumque id expedire cerneret, etiam beneficijs priuabat. Rarus omninò dies illi abijt, quo non Missam celebraret.

Fit Minorita.

Fit Episcopus Tolosanus.

Singulatis eius humilitas.

Ecclesiastica beneficia quibus conferit.

Et quia sicut esca corporea citò corrumpitur, nisi salis acrimonia seruetur, sic vitæ sanctimonia facilè labascit, nisi pœnitētiæ austeritate fulciatur; vir Dei victûs parsimonia, asperitate vestium, vigilijs, ieiunijs, curis & laboribus carnem domabat, & cogebat spiritui parére. Nodosa enim reste cingebat nudam carnem, & stamine aspero vtebatur pro interula. Vrgentibus ecclesiæ ipsius causis, vt aliò proficisceretur, diuersas Italiæ & Galliæ perambulans regiones, & vbiquè verbum Dei prædicans, venit Lutetiam Parisiorum: atque indè proficiscens, superatis Pyrenæis montibus, Hispaniam adit, peragrataque Catalonia, reuersus est in Prouinciam. Ad eius conciones audiendas tanta auiditate accurrebant homines, vt propter turbas sese inuicèm comprimentes, quidā in mortis discrimen adducerentur. Diuina tandèm dispensante clementia, cùm breuì explêsset tempora multa, sanctus antistes in eo loco, qui Brimonia,

Carnē domat.

monia dicitur, annos natus trigintatres, ardentium vi febrium correptus, anno salutis 1297. 14. Calendas Septembris feliciter migrauit ad Dominū. Corpus eius Massiliæ humatum est in ecclesia fratrum Minorum: vbi, mirificante Domino sanctum suū, cæcis, surdis, claudis, mutis, paralyticis, hydropicis, cæterisque morbidis præstantur remedia ab eo, qui solus facit mirabilia, viuens & regnans per infinita secula, Amen.

Abit è vita in iuuenili ætate.

Miracula ad sepulcrū eius

Psal. 71.

VITA SANCTI PHILIBERTI ABBATIS, SCRIPTA AD ABBATEM COSCHINVM ET FRATRES

Gemmeticensis cœnobij. Stylum mutauit F. Laur. Surius.

PRAEFATIVNCVLA AVTHORIS.

CVM prisca Patrum gesta commemoramus, ad nosmetipsos nos reuocamus, & velut in speculo nostros contemplamur vultus. Vt verò sitiens potum, & famelicus panem appetit: ità ego diuinam imploro opem, vt præstet mihi syncerā animi deuotionem, & oris facundiam: vtì nè temeritati adscribatur id, quod ego patris spiritualis Coschini Abbatis, fratrumque omnium Gemmetici monasterij iussu & voluntate suscepi, cupientium mea opera habere monumentum aliquod rerum à patre nostro Philiberto gestarum. Quibus vt morem gererem, pauca excerpsi è multis, quæ ad animarum ædificationem faciant: vt nec lectoribus oneri, nec auditoribus fastidio sint, satisfiatque piorum precibus, quandoquidem fortis est vt mors dilectio. Sufficiant autem, quæso, pauca è pluribus, conuenienter illi sententiæ: Cui pauca non sufficiunt, multa nil proderunt.

Cant. 8.

VITAE HISTORIA.

TAQVE beatus Philibertus, Helisano territorio ortus, secularis literaturæ minimè rudis, pro gentis illius more planè strenuus, in vico Iulij est educatus, ea potissimùm ratione, quòd patrem eius Philibādem, fauore regio laicæ functionis ministerio absolutum, eius loci ciues sibi Episcopum expetijssent. Qui cùm iampridèm cognouisset adolescentem Philibertum bona ac liberali esse indole, cum Regi Dagoberto cōmendauit, quem inter Francorum Reges constat fuisse fortissimum. At verò Philibertus nobilitate conspicuus, in Audoëni optimatis familiaritatē admissus est: qui sanè, aureo licèt balteo cinctus, Deum impensè amabat, & inter alios aulæ proceres cumprimìs illustris habebatur: clarissimisque vitæ meritis insignis, Rothomagensis ecclesiæ factus Episcopus, virtutum signis modò egregiè coruscat in terris.

Augusti 20. Cap. 1.

Venit ad aulā Dagoberti regis.

Audoënus posteà Rothomagēsis Episcopus.

Vbi verò Philibertus adolescens vicesimum ætatis expleuit annum, diuina præcepta audiens, apud se deliberauit Christi fieri discipulus, facultatibus omnibus derelictis. Nec tamen suo voluit viuere arbitratu, sciens non debere illum præesse alijs, qui subesse non didicerit: nec à subditis exigere obedientiam, qui eam superioribus non exhibuerit. Dedit ergò operam, vt alicubì reperire posset Dei seruum, eximia religione probatissimum. Comperit autem eiusmodi esse Agliū, Rasbacensis cœnobij præfectum: quod Cœnobium sanctus Audoënus cum socijs quibusdā in suo fundo condiderat, & hunc Aglium virum Dei, è Luxouiensi monasterio accitum, huic suo cœnobio Patrem constituerat. Rebus igitur omnibus, quas habere poterat, in pauperes erogatis, ità vt nihil quicquam indè amicis aut parentibus impartiret, sed haud secùs, atquè regia negocia ipsi credita, cautè & religiosè dispensaret, ad cœnobium Rasbacense se contulit: atque illic à beato Aglio amanter exceptus, capitis comam depositi, Christique iugum suaue & onus leue sustulit, atque adeò in omni religione & sanctitate excreuit, vt etiam perfecti viri in eo cernerent, quod meritò imitarentur.

Cap. 2.

Aglius primus Abbas Rasbacēsis.

Fit monachus Philibertus apud Rasbacēses

Iussus autem in prima mensa sedere, omnibus ministrare studuit, vt ipsa eius refectio, in fraterna seruitia & officia mutaretur: absolutoque prandio vel cœna, à mensa minimè satur abiret. Cumque antiquus hostis, eius inuidens abstinentiæ, pulsaret animum eius, vt largioribus epulis indulgeret, volente Deo, fraus eius detecta est,

Cap. 3.

Abstinentiam eius sua fraude diabolus nititur impedire.

nequissimo dæmone illi in somnis ostenso. Cùm enim nocte quadam cibo refectus esset, improbus ille ventrem eius palpans: Modò, inquit, hîc benè, modò hîc benè. Tum verò Christi miles agnoscens ignita hostis iacula, Cruce se consignat, statuitque repetere pristinum abstinendi rigorem, & diuinum aduersùs fallacis dæmonis machinas auxilium implorare. Nocturnis horis illo ad ecclesiam abeunte, tortuosus coluber tribus modis eum voluit impedire. Prima nocte, sumpta vrsi specie, intrà ecclesiam eum terrere cùm vellet, & alia nocte candelabri ferrò confodere niteretur, atque tertia nocte transuersùm in ecclesiæ foribus stans, eum aditu arcere conaretur, cuncta hæc machinamenta virtute Christi Philibertus dissoluit, Crucis expresso signo.

Virtus signi Crucis.

Cap. 4. Creatur Abbas.

Postquàm autem beatus Aglius obdormiuit in Domino, fratrum vnanimi consensu Philibertus in eius locũ subrogatus est. Quem tum videre licebat humilitate pollentem, hospitalitatis studiosum, abstinentiæ deditum, prudentia eximium, charitate feruentem, zelo Dei inflammatum, domum ipsi creditam strenuè gubernantem, nullius personam accipientem, vitia reperta radicitùs extirpantem. At verò quidam è fratribus, maligno spiritu eos impellente, excitata rebellione aduersùs sanctum virum, eum non dubitârunt ex ecclesia extrahere. Sed vltrix manus præpotentis Dei, non passa est impunè id abire. Vnus enim ex eis, fulminis ictu interijt, alius instàr Arrij in sterquilinium viscera effudit, indignamque vitam digna morte finiuit. Quæ res cæteris metum attulit, ità vt veniam ab illo petentes, in pristinum honoris gradum eum reuocarent, & deincèps amanter ei obedirent.

Vltio diuina in rebelles monachos.

Cap. 5. Multa perlustrat monasteria.

Sed quia perfecti viri semper ad meliora contendunt, sacerdos Christi sanctorum lustrauit cœnobia, vt posset aliquid haurire emolumenti ex illorum perspecta sanctitate. Itaque inuisit Luxouiense, Bobiense, & alia S. Columbani institutum complexa monasteria: nec ea duntaxàt, sed quæcunque in Gallia, Italia, Burgundia extabãt, solerti animi industria, instàr apis prudentissimæ, optima quæque colligẽs viuendi instituta & exempla. Legebat studiosè Basilij præclaras constitutiones, Macarij regulã, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima: atque ità onustus virtutum aromatibus, sectatoribus suis egregia de se exempla præbebat.

Cap. 6.

Quandò autem visum fuit omnipotenti Deo, lucernam tantam ponere super candelabrum, vt longè lateque eius se lumen & virtutum radij diffunderẽt, eam illi voluntatem adspirauit, vt sua opera monasterium extruendum curaret. Itaque à Rege Francorum Clodouco, & eius coniuge Baltilde locum in pago Rothomagensi supplici prece obtinuit, quem antiquitùs Gemmeticum appellabant, atq; illic egregium cœnobiũ ædificauit. Congruè sanè locus ille Gẽmeticus est dictus, quippè qui instàr gemmarũ, multiuario sit decore conspicuus. Videas illic arborũ comas syluestrium, multigenos arborum fructus, solum fertile, prata virentia, hortorũ flores suaueolentes, botris grauidas vites, humum vndiquè cinctam aquis, pascua pecorum vberrima, loca venationi apta, auium cantu circunsonantia. Sequana fluuius illic cernitur latè ambiens, & deindè suo pergens cursu, vno duntaxàt commeantibus aditu relicto. Ibi mare nunc increscens eructat: nũc in sinum suum reuolutum, nauium fert compendia, commercia plurimorũ. Nihil illic deest: quicquid vehiculis pedestribus & equestribus, plaustris & ratibus subministratur, abundè suppetit. Illic castrũ condidêre antiqui: ibi stant in acie illustria castra Dei: ibi præ desiderio paradisi suspirantes gemũt, quibus posteà opùs non erit in flammis vltricibus nihil profuturos edere gemitus. Ibi denique almus sacerdos Philibertus multiplici est laude & prædicatione efferendus, qui instàr Patriarchę Iacob in animabus septuaginta demigrauit in hanc eremum, addito grege septemplici propter septiformem gratiam spiritus sancti. Ibi enim eius prudentia constituit mœnia quadrata, turrita mole surgentia, clausträ excipiendis aduentantibus mirè opportuna. Intùs domus alma fulget, habitatoribus digna. Ab Euro surgit ecclesia Crucis effigie, cuius verticem obtinet beatissima virgo Maria. Altare est ante faciem lectuli cum dente sanctissimi patris Philiberti, pictum gemmarum luminibus, auro argentoque comptum. Ab vtroque latere Iohannis & Columbani aræ dant gloriam Deo. Adhærent verò à Borea Dionysij martyris & Germani confessoris ædiculæ. In dextra domûs parte sacellum nobile extat S. Petri, à latere habens S. Martini oratorium. Ad Austrum est sancti viri cellula, è petris habens margines. Saxis cinguntur clausträ camerata. Is decor cunctorum animos oblectans, eum inundantibus aquis geminus vergit ad Austrum. Haber autem ipsa domus in lon-

Cõdit Gemmeticũ cœnobium.

Situs amœnus eius loci.

Gen. 46.

longum pedes ducentos nonaginta: in latum, quinquaginta. Singulis legere volentibus lucẽm transmittunt feneſtræ vitreæ. Subtus habet geminas ædes: alteras condendis vinis, alteras cibis apparandis accommodatas.

In hunc locum conueniunt, Deo dignè seruire cupientes, nihil sibi ceu proprium vendicantes, nullo compendio indigentes. Sperantes enim in Domino non deficient omni bono. vereque completur in eis illud scripturæ diuinæ: Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum. Mira illic fulget charitas, multa abstinentia, summa humilitas, præcipua castitas. Habent illic & suum è marinis belluis solatium vel compendium: quod mirum sanè est, & à seculo inauditũ. Vncis enim, retibusq; & ratibus capiunt pisces maris, longos pedes quinquaginta: ex quibus nõ solùm escas sibi parant fratres, sed etiam pinguedine illorum fouent lucernas. Faciunt hoc merita sancti Philiberti, & multorum aliorum illic quiescentium sanctorum fratrum: qui fideliter Domino seruiêrunt, & tempore pacis cum Christo Cruci affixi sua voluntate, martyrium obiêre, & cum Christo corpore mortui, expectant iudicij diem, magnorum certaminum coronas recepturi. Et hæc quidẽ de situ loci breuiter diximus: nunc ad gestorum ordinem reuertamur.

Cap. 7. Psal. 33.

Psal. 118.

Nota de marinis piscibus.

Cùm ergò vir Domini eo in loco præclaris meritis & virtutibus augeretur, & quicquid sibi abstinentiæ studio subtraheret, in pauperes & hospites conferret: quodam die laborantibus fratribus panis defuit. Tum verò ille confirmans eorum animos, aiebat scriptum esse & promissum, non afflicturum Dominum fame animam iusti. Eccè autem repentè adest Francus quidam, septem panes & sex farinæ sata adferens, idque eà hora, qua corpora reficere cogebat necessitas. Ea re corroborati fratres, & sibijsis indè satis accepêre alimoniæ, & aduentantibus hilariter obtulerunt. Porrò deincèps nunquàm eius loci habitatoribus frumenta necessaria defuêre. Volebat vir Dei cuiusdam negocij expediendi causa (erat autem illud monasterij sui negocium) mittere ad Ebroinum Francorum principem: sed cùm eum comperisset acri febre prostratum, in virtute Christi negocium obedientiæ illi demandans, solo verbo ait ad eum: Abi, & reuertere, & desine hac febri laborare. Mox ille surgit incolumis, & sine mora exequitur, quod erat iussus à sancto viro: cuius sermo & causam obtinuit, quam volebat, ab Ebroino, & morbum abegit à fratre.

Cap. 8. Prou. 10.

Panis fratribus eo carentibus præter spem offertur.

Verbo curat febricitantem.

Inciderat quandoq; discordia quædã, cuius causa properè Lutetiam se cõtulit. Sed malignus dæmon, qui, vt suprà diximus, semper ei infestus esse conabatur, eius felicibus actibus inuidens, quò lites procaces sereret, vnum è ciuibus incitauit, vt chirothecas beati viri surriperet. Ablatis igitur chirothecis, cùm eas postero die vir sanctus non inueniret, suo more sedato animo id tulit. Sed infelix ille fur percussus à Domino, magnis cœpit clamare vocibus se ardere, nec quicquam aliud eloqui potuit, sed extensis manibus palàm omnibus indicabat sinum suum, in quem chirothecas abdiderat: atque paulò pòst vita functus est. Homines autem eius ciuitatis secuti virum Dei, ad monasterium eius chirothecas apportârunt.

Cap. 9.

Pœnas furis improbi.

Quadam nocte in basilica S. Petri illo vigilante & psallente, quidam monachus intrinsecùs vigilans, subitò vidit oculos eius instàr lampadarũ spiritus sancti gratia splendentes. Habebat verò etiam gratiam lachrymarum, ità vt in preces incumbentis oculi, repentè multo lachrymarum imbre manarent: atque summoperè id illi curæ erat, vt non antè ad sumendum cibum accederet, quàm illius pectus compunctionis gratia Christus visitâsset.

Cap. 10.

Gratia lachrymarum in S. Philiberto.

Quidam monachus ad extrema perductus, loquendi facultatem omnem amisit. Ingressus ad eum vir beatus, blanditer hortabatur, vt si quod haberet occultum facinus, cuius eum nondùm pœnituisset, quodque pœnitentia non expiâsset, manũ ipsius stringeret. Quod vbì ille fecit, vir Dei in beatissimę Mariæ virginis ecclesiam ingressus, Dominum deprecabatur, vt ægroto restitueret loquelam, nè malus dæmon animam illius propter absconditum peccatum in tartarũ deportaret. Surgenti indè illi ab oratione, frater quidam nunciat posse loqui fratrem illum, cupereque sua peccata confiteri. Itaque confessus est, & accepta pœnitentia, animam reddidit, vt neque vir sanctus de Domini misericordia diffideret, nec æger in desperatione à corpore exiret.

Cap. 11.

Fratri mutoredditur loquela.

Die quodã fratribus fruges metẽtibus, & manipulis sparsìm per agrum iacentibus, seua orta tempestas est, & furentes extitêre ventorũ turbines. Nè igitur suo labore frustrarentur fratres, extensis brachijs vir sanctus clamauit ad Dominũ Iesum. Vt autẽ ab oratione se erexit, cælesti virtute horrida tempestas in duas distracta partes, profligata

Cap. 12.

Sedat tempestatem.

est. Atque ità reddità serenitate, monachi Deo laudes gratesque egérunt.

Cap.13. Dies erat Dominicus, & vir Dei confecto itinere festinabat ad cœnobium, vt solennitatem celebraret. Vbi ad Sequanam ventum est, cum fratribus ingressus est in nauiculam, equis in pascuis derelictis. Porrò quidam Regis forestarius conspecto equo, cui vir sanctus insederat, illum abegit. Postquàm autem cubitum iuit, repentè exurgens, videt totam domum suam flammis exitialibus conflagrare. Cùm verò vxor eius flammas non videret, & eum anxium cerneret, subitò etiã ipsa vidit, quod priùs non viderat, cœpitque percontari, num quid è rebus seruorum Dei per fraudem sibi vendicâsset. Illo rem, vt erat, exponente, ambo pariter nullam sibi dedêre requiem, donèc & equus esset redditus, & accepta pœnitentia veniam impetrâssent. Monachus quidam, cui erat pro more ægrotorum cura demandata, cùm aduersa laborare valetudine videretur, vir Dei, vbi id resciuit, ait ad eum: Habeto fidem, & ægrotis seruiens, liber esto ab hac infirmitate. Simulatquè audiuit iussionem patris monachus, morbo absolutus, ad fratrum malè habentium ministeria se contulit.

Vltio cælestis in raptorem.

Liberatur æger à sua infirmitate.

Cap.14. Proficiscebatur quandoquè vir sanctus apud Isaram fluuium, & cùm Romanorum attigisset portum, non inuento illic nauigio, ad supplices preces se prostrauit. Surgens indè à terra, cernit nauiculam à Domino missam. In eam cum multa Dei laude ingressus, cum socijs flumen transmisit. Quædam religiosa fœmina in villa Pinuerno virum Dei in suo excepit domicilio, orans, vt in cellarium ingressus, vas vinarium benediceret: simulque cibo sumpto, ea nocte apud ipsam permaneret. Assensit vir beatus, & pro eius honore cunctis eius domûs tum hospitibus, tum habitatoribus, largiter exillo vino bibentibus, postquàm maturè ille indè recessit, fœmina in cellarium descendit, idemque vas adeò inuenit plenũ vino, vt nihil indè haustum fuisse videretur. Cellarius viri Dei è pustula adeò laborabat, vt iam mori cerneretur. Venit ad eum vir sanctus, benedictionem ei impertit, vulnus ilicò in seipso tabescit, & citra vlla medicæ artis fomenta, homo totus fit sanus. Nauigante illo in Sequana, ex immodica tempestate summum nauibus periculum imminere videbatur. Orat vir Dei, & eccè, cæteris nauibus remanentibus, ea sola, quæ illum vehebat, ad litus appellitur.

Nauiculam precibus à Deo obtinet.

Vinũ dum bibitur, nihil minuitur.

Cellarius sanatur à pustula.

Cap.15. Solebat vir pius ob animarum curandam salutem, fratres è monasterio ablegare, vt suis exhortationibus homines instituerent. Itaque confluebant ad eum viri nobiles & potentes, propriaque calcata voluntate, Christi seruitio se mancipabant. Cumque in monasterio fratrum numerus increuisset, aliud cœnobium condidit, quod Pauliacum vocant, decimo milliario à Gemmetico: atque in eo habitare voluit sanctas fœminas, quibus præfecit matrem prudentissimam, illustri familia ortam Austrebertham. Multa quoquè alia eius exemplo constructa sunt monasteria in Neustria. Longum est enarrare per ordinem singula, quantumque eius opinio creuerit, vt etiam Abbates alij sua monasteria relinquerent, vel probatissimos monachos suos ad eum ablegarent, vt multo tempore apud eum degentes, eius vitam & conuersationem discerent, sicque ad suos reuersi, rectiùs illis consulere possent. Eos omnes vir sanctus & in fide vera probè instituebat vel confirmabat, & vt mutuam synceramq; inter se charitatem retinerent, admonebat. Multa tum ei pecunia à Rege & fidelibus offerebatur: cuius ille decimam partem indè septiès detraxit. Cumque id anno integro feciſset, semper plus ei pecuniæ accessisse comperit, quàm ipse indè abstraxisset. Eas verò decimas captiuis redimendis & alendis pauperibus assignabat, idque adeò liberaliter, vt etiam monachos suos cum onustis nauibus in regiones transmarinas mitteret, qui illic captiuorum greges redimerent. Si qua etiam pro fratrum vtilitate vellet opera fieri, plus mercedis solebat dare, quàm seculares homines consuecuissent. Atque ità lætante vicino populo, iustos labores dignis compensabat præmijs.

Multi nobiles fiũt monachi.

Cõdit monasterium virginum.

Humanitas eius erga captiuos & pauperes.

Cap.16. Porrò autẽ cùm pestifer ille Ebroinus, qui ob nimiam crudelitatem à Francorum gente Palatino fuerat honore nudatus, & in Luxouiensi cœnobio tonsus, posteà vilis apostata factus, malignitatis eum impellente spiritu, multa rabie ferri cœpisset in nobiles Christi sacerdotes & Francos, multisque ei consentientibus, contra Dei mandatum pristinum recuperâsset honorem, S. Philibertus ad eum profectus, apostatam eum appellauit, asserens, nullum hominem Christianum cum ipso communicare debere. Fecit hoc vir Dei, quòd speraret se ferro trucidatum, ad martyrij palmam peruenturum. Sed Dominus eum multorum profectui seruauit, qui eius opera vocandi erant ad regna cælorum.

Ebroinus taxatur.

Eum seuerè corripit Philibertus.

Cap.17. At verò diabolus instàr rapacis lupi sæuiens, & animarũ greges immanissimis dentibus

tibus lacerare volens, quosdam in beatum virum Rothomagenses clericos inflammauit: qui vt inter eum & beatum Audoënum Rothomagensem præsulem discordiã serarent, apud illum Episcopum virũ Dei falsò detulerũt, tantumq; efficere potuerunt, vt Philibertum, quẽ anteà præcipuè charum habuerat, iusserit in custodiam duci. Sed eccè dum vir Dei in illo ergastulo psalmos Dauidicos concinit, vespertiliones, qui illic magno numero congregati erãt, diuina virtute suauissimũ de se reddunt odorem. Indè è carcere literis Audoëni dimissus, ad Ansoaldum virum nobilem, Pictauorum Episcopũ, monasterij cõstruendi causa profectus est, quòd eorum hominum, qui eius prædicationibus conuertebantur, multitudinem locus vnus capere non posset.

Falsò delatus, ducitur in carcerem

Per id tempus seculari potentia plus satìs florebat Ansoaldus. Itaq; vir Dei illum secrerò reprehendit, multaq; ei futura prædixit, quę posteà rei probauit euentus. Cernẽs autẽ electus Dei sacerdos Ansoaldus virum beatũ etiam prophetico pollere spiritu, & eximia sanctitate conspicuum esse, totum se illius consilijs cõmendauit, & sub eius religionis disciplinam, pontificiam cœpit potentiam inclinare. Cumq; eum vellet secum in vrbe retinere, ille verò semper eremi vastitatem appeteret, in maris insula Herio cœnobium construxerunt, Ansoaldus ope & liberalitate, Philibertus religione, opere, doctrina & monachorum frequentia. In quem locum de Gemmetico fano mella commigrârunt cum animarum examine: atque eundem locum Ansoaldus vir Apostolicus, magnis muneribus ditauit ex rebus proprijs, facta etiam villarum commutatione cum ecclesia Pictauensi.

Cap.18. Multa futura prædicit.

Monasteriũ in Herio insula.

Interea cùm S. Philibertus nec cum Ebroino cõmunionem iũgere, nec in Neustriam redire vellet, sanctusq; Audoënus loco illius alium vellet constituere Abbatẽ, sed monachi fortissimi, absq; permissu rectoris sui, nec minis & terroribus, nec blanditijs possent ad consentiendũ permoueri vt aliũ Abbatem admitterent, & fidem Philiberto datam infringerent: Crodobertus miser homunculus, cuius filium olìm in seculo Philibertus è sacro fonte susceperat, quique posteà factus monachus, ei obedientiam promiserat: contra iustitiæ præscriptum, eius monasterij regendi curam suscepit. Sed eodem die diuinitùs percussus, tanta doloris acerbitate afflictus est, vt ex eius viuentis corpore ossa excíderent, & miserabilem vitam miserrima morte finiret. Succedens autem ei ex beati Audoëni voluntate Ragentrannus Archidiaconus, Abrincatinæ ecclesiæ est præfectus: atque eodem tempore Ebroinus apostata interfectus est. Tum verò sanctus spiritus beati Audoëni pectus sua charitate inflammans, id effecit, vt is legatos suos mitteret ad Philibertum, qui eum hortarentur redire, vt mutua inter ipsos posset concordia sarciri. Ità ergò recuperauit Philibertus cœnobium suum: gratulante Neustria vniuersa præsentia tanti viri, & monachorum agmine obuiàm illi procedente cum laudibus & sacris reliquijs, cumque intrà suum monasterium reducente. Cùm autem duo illi eximij sacerdotes, Audoënus & Philibertus, in mutuos venissent conspectus, veniam à se inuicèm precabantur, colla manusque vicissìm osculabantur, & tanto inter se amoris ardore copulati sunt, vt nulla vnquàm posteà inter ipsos dissensio intercesserit. Octauus tum erat annus, quòd à suo monasterio absuerat, iamque noni anni initia agebantur: quod quidem ità fore ipse anteà prædixerat. Nam cùm infelix quidam Diaconus monasterij Crucem furto abstulisset, idq; demùm noni diei initio fuisset depræhensum, vir Dei quibusdam secretò ait, tot annis monasterium illud pastore carituram, quot diebus Crucem amisisset.

Horrenda vindicta in vsurpatorẽ functionis eius.

Pollet spiritu prophetico.

Vt autem firma inter Audoënum & ipsum charitas permaneret, conuénit inter eos, vt vbicunquè visum esset, Philibertus degeret, atque alijs suis monasterijs, rectores preficeret, quandoquidem longo interuallo alia ab alijs distabant. Manente autem eo in Gemmetico cœnobio, Ansoaldus præsul eius inuisendi causa eò aduenit. Illisque pariter consedentibus nuncius allatus est, quendam monachum à maligno spiritu vexari. Cumque simul abijssent ad eam domum, in qua æger iacebat, & pro eo Dominum orâssent, mox fugit satan, & homo redijt ad sanitatem.

Cap.19.

Cap.20.

Dæmon à fratre depellitur.

Eodem tempore Vuarratto palatij princeps, in Caltino territorio oppidum donauit S. Philiberto, vt in eo virginum monasterium construeret. Villare id appellant: vbi hodieque viget sacra religio. Vir Dei profectus Pictauium, cum multo gaudio ab Ansoaldo Episcopo exceptus est: abijtque ad Quinciacum monasterium, egregio constructum loco: quod monasterium monachis ille implenuit, cùm priùs veteres indè eliminâssent errores: atque illic Christus per seruos suos assiduè laudatur. Voluit autem, id alijs consulentibus, Aichadrum, virum sanè

Cap.21.

Quinciacẽ monasterium.

idoneum

idoneum & electum discipulum suum, Gemmetici monasterij administrationem suo loco suscipere. Etsi autem fratres dolerent se destitutos patris Philiberti præsentia corporali, tamen eius per gratiam præsentis voluntati obtemperantes, Aichadro obedientiam promiserunt.

Cap.22. Ad eos visitandos vir Dei Philibertus veniens, sedulò hortabatur, vt semper religionem opere seruarent. Deindè commendans eos Domino, cùm eis esset benè precatus, in insulam Herio est reuersus: Quinciaco autem monasterio vnum è suis monachis præposuit. Manente autem eo in insula, quidam frater acerrimo dentium dolore cruciabatur: cui, ex fide eam petenti, oblata est aqua, qua beati viri pedes abluti erant: qua simulatquè locum dolentem attigit, repentè dirus ille dolor, Christi virtute profligatus, abscessit.

Vide quid præstet Deus Sanctis suis.

Frater quidam eodem loco febre afflictus, ad sancti patris mensam accessit. Cumque vir Dei paululum olei cum panis fragmine ei porrexisset, adiuncto præcepto ne deincèps eo modo laboraret: vbi ille panis oleatam buccellam comedit, eueſtigiò se sensit diuinitùs curatum. Alius quoquè frater, dum in culinæ ministerio sedulò versatur, casu corruit, & brachio è sua iūctura moto, cum dolore surgit: & iam penè deficiens, aduenientem virum Dei orat, vt brachij afflictum locum Cruce consignet. Ille pietate motus, sub casula, qua erat indutus, signum Crucis contra brachium ægri exrimit, & dolore abeunte, brachium restituitur.

Quidam frater liberatur à febribus.

Crucis signi magna vis.

Ambulanti aliquandò in monasterio viro Dei, cellarius monasterij Sidonius, indicauit ei non suppetere ipsis oleum, quo posset foueri lumen, ex more in ecclesia ardens. Interrogatus autem, num vel parùm aliquid supersit, respondit non nisi olei libram dimidiam restare, quam in hospitum & ipsius vsum seruâsset. Iubet ergò vir sanctus, vt id olei mittat in lampades, fore promittens, vt mox accipiat tantam olei copiam, quæ toto anno sufficiat. Indè in vesperam inclinãte die, nuncius venit à portu maris, indicãs ab vrbe Burdegalensi adesse nauim, quæ habeat quadraginta olei modios, ab amicis eius viro Dei missos. Atque ità cum prophetiæ spiritu fœcundauit eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus eius. Alio quoquè tempore cùm eiusmodi liquore lucernæ fratrum indigérent, beato viro Dominum instanter orante, vt ipsius munere fratrum inopia suppleretur: manè annunciauit ei monachus, mare grandem piscem mortuum iecisse in litus. Ex illo pisce fratres triginta modios pinguedinis ad lucernas fouendas extraxêre.

Cap.23.

Psal.44.

E piscis pinguedine fouent lucernas.

Accidit quandoquè, vt nautæ Britones eius monasterij iumẽtum furtim auferrent. Sed cùm vellent indè abire, mare intumescens, præsens eis cœpit periculum minitari. Itaque quidam ex illis sanæ mentis, animaduertentes ob suum facinus in discrimen se conijci, cùm diligenter inquisissent, repererunt pellem & carnes bouis. Reuersi ergò, vento impellente, ad monasterij insulam, ablata restituerunt, fidem dederunt, nihil se eiusmodi quandoquè facturos: & ità impetrata venia pariter & benedictione, ad sua cum pace abiêrunt.

Cap.24.

Coguntur fures restituere ablata.

Alio tempore Pictauense territorium magna annonæ caritate infestante, vir Dei pro fratrum necessitate solicitus, attentè in preces incubuit. Manè inueniunt fratres magnam vim piscium, qui simul erant ducenti triginta & septem, mari recedente, in litore hæsisse. Ij pisces toto anno non solùm fratribus solatio fuêre, sed etiam permultis monasterijs & pauperibus præbuêre alimoniam. Hærebant quandoquè ad litus naues Britannicæ, vento eas retardante, & interim nautæ ex fame in discrimen adducebantur. Humanitate permotus vir Dei, iubet eis duo animalia & farinam atque panes dari: simulque cum fratribus orans pro eis Dominum, optatum eis ventum impetrauit, cuius secundo flatu altera luce profecti sunt. Sedebat quodam die cum fratribus, & prophetico repletus spiritu: Planè, inquit, fratres, gratias agamus Domino Iesu Christo. Propedièm enim aderunt nobis è partibus transmarinis opportuna solatia. Non multò pòst aduentat quædam Scotorum nauis, diuersis onusta mercibus, fratribus vestes & calceos abundè suppeditans.

Cap.25. Multos pisces non sine miraculo fratribus mare præbet.

Eius propheria.

Nostra quidem facultas tanta non est, vt eius facta omnia commemorare possimus. Ille hoc potest, qui numerat multitudinem stellarum. Erat hoc in illo præclarum, vt quicquid alijs faciendum prædicaret, id ipse priùs re ipsa præstaret. Erat multa in eo pietas, insignis humanitas & misericordia, prompta concionandi facultas, magna ingenij & intellectûs perspicacia, in ieiunãdo discretio, in colloquijs amabilis affabilitas, multus animi vigor, egregia hospitalitas. Erat redemptor captiuorũ, mœrentium consolator, ædificator ecclesiarum. Permulti quoquè eius exemplis incitati, eum imitari nitebãtur. Mendacium haud secùs atquè virus exitiale vitabat. Castitatem, sobrietatem, in omni opere bono perfectionem illius quis explicet? Semper in ore eius Christus, semper in eius pectore spiritus sanctus versabatur. Tandèm flentibus populis, lætantibus Angelis, anima eximij sacerdotis tertiodecimo Calendas Septembris, è mundi huius ludibrijs migrauit ad Christum, perceptura à Domino palmam gloriæ sempiternæ: Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Cap.26. Psal.146.

Catalogus virtutum eius.

VITA S. BERNARDI ABBATIS, SANCTITATE ET DOCTRINA EXIMII, V. LIBRIS *comprehensa.*

PROLOGVS VVILHELMI ABBATIS SANCTI THEODORICI *Rhemensis, in librum primum.*

SCRIPTVRVS serui tui vitam ad honorem nominis tui, prout tu dederis Domine Deus, ipsius, per quẽ Ecclesiam nostri temporis in antiquum Apostolicę gratię & virtutis decus voluisti reflorere, eum inuoco adiutorem, quem iam olim habeo incentorem ad amorem tuum. Quis enim de amore tuo quantulumcunq; spiraculũ vitæ habens, & videns testimoniũ gloriæ & honoris tui tam præclarum, & tam fidele, temporibus nostris mundo insolitũ effulsisse, non agat & satagat, non det operam quantamcunque potuerit, nè lumen à te accensum, tuorum quempiã lateat: sed quantùm humano fieri stylo potest, quod meliùs ipse tamen per virtutem operum facis, manifestatum & exaltatum luceat omnibus, qui in domo tua sunt? In quo cùm ego iam olim vellẽ, prout possem, qualẽcunq; ministerium agere vicis meę, seu timore, seu verecundia prohibitus sum vsque adhuc: modò quidem suprà me iudicans esse dignitatem materiæ, & dignioribus opificibus reseruandam: modò etiam post obitũ eius, quasi superuicturus ei, meliùs hoc & cõpetentiùs deliberãs aggrediendum: cùm iam homo non grauaretur laudibus, & tutiùs id fieret, cùm iam securus esset à conturbatione hominum & contradictione linguarum. At ille vigens & valens, quanto infirmior corpore, tanto fortior fit & potens, non cessans agere digna memoriæ, & magna maioribus semper accumulans, quæ ipso tacente scriptorem requirant. Ego verò iam delibor, vrgentibus infirmitatibus & molestijs corporis huius, & mẽbris meis omnibus incipientibus habere responsum vicinæ mortis, sentio instare tempus resolutionis meæ: plurimumq; timeo, nè serò me pœniteat tandiù distulisse, quod, priusquàm pereffluam, velim omnimodè peregisse. Sed & fratrum quorundam pia beneuolentia plurimùm ad hoc me impellit & cohortatur: qui cùm viro Dei iugiter assistunt, omnia eius nouerunt: ingerentes quædam diligenti inquisitione inuestigata, plura etiam, quibus, cùm fierent, interfuerunt, & viderunt & audiêrunt. Qui cùm multa suggerant & præclara, quæ per seruum suum Deus, ipsis præsentibus, operatur, & nota eorum religio & schola magisterij ab omni me líberet suspicione falsi: adhuc etiam ad testimonium sibi assciscunt probabiliũ authoritatem personarũ, Episcoporum, clericorum, monachorum: quibus fidem non adhibere nulli fidelium licet: quanquàm id superfluè dixerim, cùm totus ea nouerit mundus, & virtutes eius narret omnis Ecclesia sanctorum. Quapropter attendens diuinæ laudis mirificam materiam omnibus se offerentem, neminem verò suscipientem, dissimulantibus eis, qui meliùs hoc ac digniùs poterant: suscepi in ea agere ipse, quæ potero, non vanitate de se confidentis, sed præsumptione diligentis. Metiens tamen memetipsum in memetipso, & meipsum comparans mihi, nequaquàm totam vitam viri Dei suscepi digerendam: sed ex parte, experimẽta scilicet aliqua viuentis & loquentis in eo Christi, opera quædam exterioris cum hominibus conuersationis eius, quæ de ipso viderunt, quibus hoc datum est, & nos quoquè ex parte vidimus & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt. Cùm enim hoc ipsum ex parte magna de seipso sentiendum sit, quod de eo, qui dicit: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. & alibi: An, inquit, experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? non inuisibilem illam vitam viuentis & loquentis in eo Christi enarrare proposui: sed exteriora quædam vitæ ipsius experimenta, de puritate interioris sanctitatis & inuisibilis conscientiæ,

Gal.2.

2.Cor.13.

conſcientię, per opera exterioris hominis, ad ſenſus hominis exteriores micantia: quę ſicut omnibus ſcire, ſic etiam quibuſlibet vtcunquè ſcribere in promptu eſt: præſertim cùm nec ipſa quasi accuratiùs digerenda, ſed ſaltem in vnum congerenda & reponenda ſuſceperim, nec edenda viuente ipſo, ſicut nec ſcribuntur ipſo ſciente. Confido autem in Domino, quoniam poſt nos & poſt obitum eius exurgent, qui meliùs ac digniùs perficient, quod nos conati ſumus: qui etiam exteriora interioribus comparare poterunt, & precioſam in conſpectu Domini mortem eius, vitæ ſimilem continuare ſcribendo, & de vita mortem, & de morte vitam commendare. Iam ergò, iuuante Domino, propoſitum aggrediamur.

VITÆ LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Auguſti 20.

BERNARVS ergò Burgundiæ oppido oriundus fuit, parentibus claris ſecundùm dignitatem ſeculi, ſed dignioribus ac nobilioribus ſecundùm Chriſtianę religionis pietatem. Pater eius Teſſelmus, vir antiquæ & legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, iuſtitiæ tenax. Euangelicam, nanque ſecundùm inſtituta præcurſoris Domini, militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus ſtipendijs ſuis, quibus ad omne opus bonum abundabat: & ſic conſilio & armis ſeruiebat dominis ſuis temporalibus, vt etiam Domino Deo ſuo non negligeret reddere, quod debebat. Mater Aleth, ex caſtro, cui nomen Mons Barrus, & ipſa in ordine ſuo Apoſtolicam regulam tenens, ſubdita viro, ſub eo ſecundùm timorem Dei domum ſuam regebat, operibus miſericordiæ inſiſtens, & filios enutriens in omni diſciplina. Septem quippe liberos genuit, non tam viro ſuo, quàm Deo: ſex mares, fœminam vnam: mares omnes monachos futuros, & fœminam ſanctimonialem. Deo nanque, vt dictum eſt, non ſeculo generans, ſingulos mox vt partu ediderat, ipſa manibus proprijs Domino offerebat. Propter quod etiam alienis vberibus nutriendos committere illuſtris fœmina refugiebat, quasi cum lacte materno, materni quodammodò boni infundens eis naturam. Cùm autem creuiſſent, quandiù ſub manu eius erant, eremo magis, quàm curiæ, nutriebat, non patiens delicatioribus aſſuefieri cibis, ſed groſſioribus & communibus aſſuefaciens, & ſic eos præparans & inſtituens, Domino inſpirante, quasi cõtinuò ad eremũ tranſmittẽdos. Hæc cùm in ordine generandorum filiorum, tertium Bernardũ haberet in vtero, ſomnium vidit præſagium futurorum, catellum ſcilicet candidum totum, in dorſo rufum & latrantem, ſe in vtero habere. Super quo territa vehementer, cùm religioſum quendam virum conſuluiſſet, continuò ille ſpiritum prophetię concipiens, quo Dauid de ſanctis prædicatoribus Domino dixit, Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo: trepidanti & anxiæ reſpondit, Nè timeas: benè res agitur. Optimi catuli mater eris, & qui domũs Dei cuſtos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus eſt latratus. Erit enim egregius prædicator, & tanquàm bonus canis, gratia linguæ medicinalis, in multis multos morbos curaturus eſt animarum. Quo reſpõſo mulier pia & fidelis quasi à Deo ſuſcepto, lęta efficitur, & iam tunc in amorẽ nondùm nati tota trãsfunditur, cogitans cùm ſacris literis erudiendum tradere, ſecundùm modũ viſionis & interpretationis, qua ei de illo tam ſublimia deitatis dona promittebantur. Quod & factum eſt. Mox enim, vt felici partu edidit, non modò obtulit Deo, ſicut de alijs agere conſueuerat: ſed ſicut legitur de ſancta Anna matre Samuelis, quæ petitum à Domino & acceptum filium, in tabernaculo eius deſtinauit perpetuò ſeruiturum: ſic & ipſa eum in Eccleſia Dei acceptabile obtulit munus. Vndè & quo citiùs id potuit fieri, in eccleſia Caſtellionis, quæ poſtmodùm, ipſius Bernardi ope, à ſeculari conuerſatione in ordinem regularium canonicorum ſublimata cognoſcitur, magiſtris literarũ tradens erudiendum: egit quicquid potuit, vt in eis proficeret. Puer autem & gratia plenus, & ingenio naturali pollens, citò in hoc, matris deſiderium impleuit. Nam in literarum quidem ſtudio ſupra ætatem & præ coætaneis ſuis proficiebat: ſed in rebus ſecularibus iam mortificationẽ futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat quippè ſimpliciſſimus in ſecularibus, amans habitare ſecum, & publicum fugitans, mirè charitatiuus,

Parentes S. Bernardi.

Luc 3.

Ephes. 5.

Omnes fratres S. Bernardi monachi fuêre, & ſoror, monialis.

Vide, nobilis matrona vt ſuas educet proles.

Viſio matris eius.

Pſal. 67. Prophetia de eo.

1. Reg. 1.

Adhibetur literis.

Virtutes eius adhuc pueri.

ritatiuus, parentibus obediens & ſubditus, omnibus benignus & gratus: & domi ſimplex & quietus, foris rarus, & vltrà, quàm credi poſſit, verecundus, & nuſquàm multùm loqui amans, Deo deuotus, vt puram ſibi pueritiam ſuam conſeruaret: literarum etiam ſtudio deditus, per quas in ſcripturis Deũ diſceret & cognoſceret. In quo quantùm in breui profecerit, & quàm perſpicacem in diſcernendo induerit ſenſum, ex eo, quod ſubiungimus, aduerti poteſt.

CAP. II.

CVM adhuc puerulus graui capitis dolore vexaretur, décidit in lectum. Adducta autem ad eum eſt mulierecula, quasi dolorẽ mitigatura carminibus. Quam cùm ille appropinquantem ſentiret cum carminalibus inſtrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere conſueuerat, cum indignatione magna exclamans, à ſe repulit & abiecit. Nec defuit miſericordia diuina bono zelo ſancti pueri: ſed continuò ſenſit virtutem, & in ipſo impetu ſpiritûs ſurgens, ab omni dolore ſe liberatum eſſe cognouit. Ex quo cùm non parùm in fide proficeret, adiecit ei Dominus apparére, vt olim puero Samueli in Silo, & manifeſtare illi gloriam ſuam. Aderat nanque ſolennis illa nox natiuitatis Dominicæ, & ad ſolennes vigilias omnes, vt moris eſt, parabantur. Cumque celebranda nocturni officij hora aliquantiſpèr protelaretur, contigit, ſedentem expectantemque Bernardum cum cæteris, inclinato capite paululùm ſoporari. Affuit ilicò puero ſuo ſe reuelans pueri Ieſu ſancta natiuitas, teneræ fidei ſuggerens incrementa, & diuinæ in eo inchoans myſteria contẽplationis. Apparuit enim ei velut denuò procedens ſponſus de thalamo ſuo: apparuit ei quasi iterùm ante oculos naſcens ex vtero matris virginis verbum infans, ſpecioſus forma præ filijs hominum, & pueruli ſancti in ſe rapiens minimè pueriles affectus. Perſuaſum eſt autem animo eius, & nobis nonnunquàm dicere conſueuit, quòd eam credat fuiſſe horam Dominicæ natiuitatis. Sed facile eſt aduertere his, qui eius auditorium frequentauerunt, in quanta benedictione ea hora præuenerit cum Dominus, cùm vſque hodiè in his, quæ ad illud pertinent ſacramentum, ſicut ipſe quoquè fatetur, & ſenſus ei profundior, & ſermo copioſior ſuppetere videatur. Vndè & poſtmodùm in laudem eiuſdem genitricis & geniti, & ſanctę eius natiuitatis, inſigne edidit opuſculum, inter initia operum ſuorum ſeu tractatuũ, quos poſtmodùm plures inuenitur edidiſſe, ſumpta materia ex eo Euangelij loco, vbi legitur: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilęæ, & cætera, quæ ibi ſequuntur. Neque illud tacendum, quòd ab ipſis iam pueribus annis, ſi quos poterat nummos habere, clandeſtinas eleemoſynas faciens, & verecundiæ ſuæ morem gerebat, & pro ætate, immò ſupra ætatem, pietatis opera ſectabatur. Cùm autem poſt hoc aliquanto tempore deuoluto, proficiens ætate & gratia apud Deum & homines, puer Bernardus de pueritia tranſiret in adoleſcentiam, mater eius liberis feliciter & fideliter educatis, & vias ſeculi ingredientibus, quasi peractis omnibus, quæ ſua erant, feliciter migrauit ad Dominum. De qua nequaquàm prætereundum eſt, quòd cùm multo tempore vixiſſet cum viro ſuo honeſtè & iuſtè ſecundùm iuſtitias & honeſtates ſeculi huius, & legem fidemque coniugij, & per aliquot ante obitum ſuum annos, in eo ad quod filios ſuos nutrire videbatur, prout potuit, & licuit mulieri ſub viri poteſtate conſtitutæ, nec habenti proprij corporis poteſtatem, omnes ipſa præuenit. Etenim in domo ſua & in profeſſione coniugali, & in medio ſeculi, eremiticam ſeu monaſticam vitam non paruo tempore viſa eſt æmulari, in victûs parcitate, in vilitate veſtitûs, delicias & pompas ſeculi à ſe abdicando, ab actibus & curis ſecularibus, inquantùm poterat, ſe ſubtrahendo, inſiſtendo ieiunijs, vigilijs & orationibus, & quod minus profeſſionis aſſumptæ habebat, eleemoſynis & diuerſis operibus miſericordiæ redimendo. In quo de die in diem proficiens, ad extrema deuénit, & perficienda in futuro in eo, in quo profecit, de ſeculo migrauit. Obdormiuit autem pſallentibus clericis, qui conuenerant, & ipſa pariter pſallens: vt in extremis quoquè, cùm iam vox eius audiri non poſſet, adhuc moueri labia viderentur, & palpitans lingua Dominum confiteri. Demùm inter litaniæ ſupplicationes cùm diceretur, Per paſſionem & Crucem tuam libera eam Domine: eleuans manum ſuam, ſignauit ſe, & emiſit ſpiritum, ità vt manum non poſſet deponere, quam leuauit.

Repellit puerulus fœminam carminibus medentem.

1. Reg. 3.

Viſio eius.

Pſal. 18.

Pſal. 44.

CAP. III.

EX hoc Bernardus ſuo iam more, ſuo iure victitare incipiens, eleganti corpore, grata facie præeminens, ſuauiſſimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, & acceptabili pollens eloquio, magnæ ſpei adoleſcens prædicabatur. Cui tanquàm

Luc. 1.

Benignitas pueri in egenos.

Obitus matris eius.

Mater eius in medio mundo vitã agit monasticam.

Mundus blanditur S. Bernardo.

ingredienti ſeculum, plures ſe viæ ſeculi ipſius offerre cœperunt, & omnes aſſurgere proſperitates vitæ huius, & magnæ ſpes vndiquè arridere. Obſidebánt autem benignum iuuenis animum, ſodalium diſſimiles mores, & amicitiæ procelloſæ, ſimilem ſibi facere geſtientes: quæ ſi ei dulceſcere perſtitiſſent, neceſsè erat amareſcere illi, quod in hac vita dulcius cordi eius inſederat, caſtitatis amorem. Cui præcipuè inuidens coluber tortuoſus, ſpargebat laqueos tentationũ, ac varijs occurſibus calcaneo

Inſidiatur pudicitiæ eius.

eius inſidiabatur. Vndè cùm aliquandò matrona quędam, pulchritudine, diuitijs, cultu & alijs huiuſmodi iritamentis concupiſcẽtiæ & peccati prœcellens, in ſecretiori domûs cubiculo eum aggreſſa, pertraheret ad peccatum, ille eam lenibus verbis demulcens, donèc è manibus eius & amplexibus elaberetur, fugit & euaſit, & in medio ignis non eſt æſtuatus. Altera autem vice, cùm curioſiùs adſpiciendo, defixos in quandam oculos aliquandiù tenuiſſet, continuò ad ſe reuerſus, & de ſemetipſo erubeſcens apud

Seueriſſimè punit in ſe ipſo incautum fœminæ adſpectum. Iob 31.

ſemetipſum, in ſeipſum vltor ſeueriſſimus exarſit. Stagno ſiquidem gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collotenùs inſiliens, tandiù inibi permanſit, donèc penè exanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis, etiam à calore carnalis concupiſcentiæ totus refriguit: induens illum caſtitatis affectum, quem induerat, qui dicebat: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne quidem cogitarem de virgine.

Circa idem tempus, inſtinctu dæmonis, in lectum dormientis iniecta eſt puella nuda. Quam ille ſentiens, cum omni pace & ſilentio partem ei lecturi, quam occupauerat, ceſſit, & in latus alterum ſe conuertit, atque dormiuit. Miſera verò illa aliquandiù iacuit, ſuſtinens & expectans, & deindè palpans & ſtimulans, demum etiam vnguibus eum lacerans & cruentans. Nouiſſimè cùm immobilis ille perſteret, illa, licèt impudentiſſima eſſet, erubuit, & horrore ingenti atque admiratione perfuſa, relicto eo, ſurgens aufugit. Contigit itèm, vt cum ſocijs aliquot apud matronam aliquam Bernardus hoſpitaretur. Conſiderans autem mulier adoleſcentem decorum adſpectu, capta eſt laqueo oculorum ſuorum, & in concupiſcentiam eius exarſit. Cumque tanquàm honoratiori omnium ſeorsùm feciſſet ei lectum præparari, ſurgens ipſa de nocte, impudenter acceſſit ad eum. Quam Bernardus ſentiens, nec conſilij inops, clamare cœpit: Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier. familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, ſed minimè inuenitur. Ad lectulos ſinguli redeunt, & fit ſilentium, fiunt tenebræ ſicut priùs: pauſant cæteri, ſed non illa miſera requieſcit. Exurgit denuò, & Bernardi lectulum petit: ſed denuò ille proclamat: Latrones, latrones. Quæritur iterùm latro, latet iterùm, nec ab eo, qui ſolus nouerat, publicatur. Vſque tertiò improba mulier ſic repulſa, vix tandèm, ſiue metu, ſiue deſperatione victa, ceſſauit. Cùm autem die ſequenti iter agerẽt, arguentes Bernardum ſocij, curnàm totiès vnà voce latrones ſomniauerit, perquirebãt. Quibus ille: Veraciter, inquit, latro aderat: quia quod mihi

Eius eximia caſtitas.

Attẽde eius prudentiam in depellendo à ſe mulierẽ inhoneſtam.

*irreparabilẽm

preciosius eſt in hac vita, caſtitatem videlicet, hoſpita nitebatur mihi auferre, * incomparabilem vtiquè theſaurum.

Inter hæc tamen cogitans & perpendens, quod vulgò dicitur, Non eſt tutũ diù cohabitare ſerpenti, fugam meditari cœpit. Videbat enim mundum iſtum & principem eius, exteriùs ſibi multa offerentem, multa promittentem, & magnas res, ſpes maiores, ſed fallaces omnes, & vanitates vanitatum: veritatem verò ipſam interiùs iugiter audiebat clamantem, & dicentem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Perfectiùs verò relinquere deliberans, cœpit inquirere & inueſtigare, vbi certiùs & puriùs inueniret requiem animæ ſuæ ſub iugo Chriſti. Inquirenti autem, prima, quæ animo eius inſideret, occurrit Ciſtertij innouatę monaſticę religionis noua plantatio, meſſis multa, ſed operarijs indigens: cùm vix adhuc aliquis conuerſionis gratia declinaret illuc, ob nimiam vitæ ipſius & paupertatis auſteritatem. Quæ tamen cùm animum verè Deum quærentem minimè terrerent, poſthabitâ omni hæſitatione ac timore, illuc vertit intentionem: poſſe ſe æſtimans omninò ibi deliteſcere, & abſcondi in abſcondito faciei Dei ab omni conturbatione hominum: maximeque ad effugium vanitatis, ſeu de ſeculari generoſitate, ſeu de acrioris ingenij gratia, ſeu fortè de alicuius nomine ſanctitatis.

Matt. 11.

Ciſtertiẽſis cœnobij origo & rigor.

Carnales eius amici, nituntur eũ ad huius ſeculi amorẽ pertrahere.

Vbi verò de conuerſione tractantem fratres eius & qui carnaliter eum diligebant, perſenſerunt, id omnibus modis agere cœperunt, vt animum eius ad ſtudium poſſent diuertere literarum, & amore ſcientiæ ſecularis, ſeculo arctiùs implicarent. Qua nimirùm

rùm ſuggeſtione, ſicut fateri ſolet, propemodùm retardati fuerãt greſſus eius: ſed matris ſanctę memoria, importunè animo iuuenis inſtabat, ità vt ſępius ſibi occurrentem videre videretur, conquerentem & improperantem, quia non ad huiuſmodi nugacitatem tam tenerè educauerat, & non in hac ſpe erudierat eum. Demùm cùm aliquandò ad fratres pergeret, in obſidione caſtri, quod Granceium dicitur, cum Duce Burgundiæ conſtitutos, cœpit in huiuſmodi cogitatione vehemẽtiùs anxiari: inuentaque in itinere medio eccleſia quadam, diuertit: & ingreſſus, orauit cum multo imbre lachrymarũ, expandens manus in cælum, & effundens ſicut aquam cor ſuum ante conſpectum Domini Dei ſui. Ibi ergò firmatum eſt cor eius. Nec verò ſurda aure percepit vocem dicentis: Qui audit, dicat: Veni. Siquidem ab illa hora ſicut ignis, qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes, hincindè viciniora quæque corripiens, poſtmodùm in vlteriora progreditur: ſicut ignis, quẽ Dominus miſerat in cor ſerui ſui, volens vt arderet, primò quinq; fratres eius aggreditur, ſolo minimo ad conuerſionem minùs habili, ſeniori patri ad ſolatium derelicto. Deindè cognatos, & notos, & ſocios, & amicos, etiam de quibuſcunq; poterat eſſe ſpes conuerſionis. Primùm omniũ Galdricus auunculus eius abſque dilatione aut hæſitatione, pedibus, vt aiunt, iuit in ſententiam nepotis, & conſenſum conuerſionis, vir honeſtus & potens in ſeculo, & in ſecularis militiæ gloria nominatus, dominus caſtri in territorio Heducẽſi, quod Tuillium dicitur. Continuò etiam Bartholomæus occurrens, iunior ceteris fratribus, & neddùm miles, ſine difficultate eádem hora ſalutaribus monitis dedit aſſenſum. Porrò Andreas Bernardo etiam ipſe iunior, nouus eo tempore miles, verbum fratris difficiliùs admittebat, donec ſubitò exclamauit: Video matrẽ meam. Viſibiliter ſiquidem ei præſens apparuit, ſerena facie ſubridens & congratulans propoſito filiorum. Ipſe etiam continuò manus dedit, & de tyrone ſeculi, factus eſt miles Chriſti. Nec ſolus vidit Andreas tantorum matrem filiorũ lætantem, ſed confeſſus eſt & Bernardus, eandem ſimiliter ſe vidiſſe. Guido primogenitus fratrum, coniugio iam alligatus erat, vir magnus, & magnoperè in ſeculo radicatus. Hic primùm paululùm hæſitans, ſed continuò rem perpendens & recogitans, conuerſioni conſenſit, ſi tamen coniunx annueret. Verùm id quidem de iuuencula nobili, & paruulas filias nutrienti, penè impoſſibile videbatur. At Bernardus de miſericordia Domini ſpem concipiens certiorem, incunctanter ei ſpopondit, aut conſenſuram fœminam, aut celeriter morituram. Demùm tùm omnimodis illa renueret, & vir eius magnanimus, immò ea iam prœuentus virtute fidei, in qua poſtmodùm excellenter emicuit, virile conſilium, Domino inſpirante, concepit: vt abijciens quicquid habere videbatur in ſeculo, vitam inſtitueret ruſticanam, laborare, ſcilicet manibus proprijs, vndè ſuam ſuſtentaret & vxoris vitam, quam inuitã dimittere non licebat. Interìm ſuperuenit Bernardus, qui vndiquè alios atq; alios colligebat diſcurrẽs. Nec mora: flagellatur prędicta vxor Guidonis infirmitate graui. Et agnoſcens, quia graue ſibi eſſet contra ſtimulũ calcitrare, accerſito Bernardo, veniam deprecatur, & prior ipſa conuerſionis petit aſſenſum. Deniquè iuxta morem Eccleſiaſticum ſeparata à viro, interueniente parili voto caſtitatis, in cœtum ſanctimonialium tranſit fœminarum, religiosè vſque hodiè ſeruiens Deo.

Apoc. 22. Pſal. 82.

Galdricum auunculum conuertit.

Itẽm Bartholomæum fratrẽ ſuũ.

Itẽm Andream.

Itẽm Guidon ni primogenitum fratrem.

Vxor Guidonis Curioſio ſe conſecrat.

Secundus natu poſt Guidonem, Gerardus erat, miles in armis ſtrenuus, & magnæ prudentiæ, & benignitatis eximiæ, & qui ab omnibus diligebatur. Qui cæteris, vt dictum eſt, primo auditu & prima die acquieſcentibus, vt eſt mos ſapientiæ ſecularis, leuitatem reputans, obſtinato animo ſalubre conſilium & fratris monita repellebat. Tum Bernardus, fide iam igneus, & fraternæ charitatis zelo mirum exaſperatus in modum: Scio, inquit, ſcio: quia ſola vexatio dabit intellectum auditui. Digitumque lateri eius apponens, Veniet, inquit, dies, & citò veniet, cùm lancea lateri huic infixa, peruium faciet iter ad cor tuum conſilio ſalutis tuæ, quod aſpernaris: & timebis quidem, ſed minimè morieris. Sic dictum, ſicque factum eſt. Pauciſſimis interpoſitis diebus, circunuallatus ab inimicis, captus & vulneratus, iuxta verbum fratris, lanceam geſtans ipſi lateri, eidemque infixam loco, trahebatur, & mortem quaſi iam præſentem metuens, clamabat: Monachus ſum, monachus ſum Ciſtertienſis. Nihilominùs tamen captus & recluſus in cuſtodia eſt. Vocatus eſt Bernardus per celerem nuncium, & acquieuit aliquatenùs, vt veniret: Sciebam, inquit, & prædixeram, quòd foret ei durum contra ſtimulum calcitrare: nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, ſed ad vitam. Et factum eſt ità. Siquidem de vulnere præter ſpem citò conualuit: propoſitum verò ſeu votum, quod vouerat, non mutauit. Cumque iam liber ab amore ſeculi,

Prædicit S. Bernardus Gerardo cuentura.

Caſtigatur Gerardus, ad vitę emẽdationem.

culi,hostilibus adhuc vinculis teneretur, & hoc solum esset, quod conuersionis eius propositum retardaret,in hoc etiam citò affuit ei misericordia Dei. Venit frater eius, laborans vt ërui posset,sed non profecit. Demùm cùm nec loqui ei permitteretur,accedens ad carcerem,clamauit: Scito frater Gerarde,quia ituri sumus in proximo,& monasterium intraturi. Tu verò,quandoquidem exire non licet,hîc monachus esto: sciens,quod vis & non potes,pro facto reputari. Cumque Gerardus magis ac magis anxiaretur,paucis interpositis diebus,audiuit vocem in somnis, dicentem sibi: Hodiè liberaberis. Percontanti modum, dictum est: Pater tuus & alius quidam te liberabunt. Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audiërat,compedes suas tetigit: & eccè ferrum ex parte crepuit in manu eius,vt minùs iam teneretur, & aliquatenùs incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obseratum,& pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen,& non tam spe euadendi,quàm tædio iacendi,seu curiositate tentandi,accedens ad ostium subterraneæ domûs,in qua vinctus & clausus erat, mox vt pessullum tetigit, sera tota inter manus eius collapsa est,& ostium domûs apertum. Exiens pedetentim, sicut homo compeditus, ad ecclesiam,vbì adhuc vespertina celebrabantur officia,pertendebat. Porrò mendici,qui pro foribus domûs adstabant, videntes quod fiebat, diuinitùs exterriti, in fugam conuersi sunt, nihil clamantes. Cumque iam appropinquaret ecclesiæ, egrediens quidam de familia domûs captiuitatis suæ, germanus illius, à quo custodiebatur, videnscque eum ad ecclesiam properantem: Tardè, inquit, Gerarde venisti. Expauescente illo: Festina, ait: adhuc superest, quod audias. Oculi quippe eius tenebantur, nec prorsùs, quid ageretur, agnoscebat. Sed ad altiores gradus ecclesiæ cùm data manu Gerardum subleuâsset, introëunte illo ecclesiam,tunc demùm,quid ageretur,agnouit: & conatus eum retinere,non potuit. Hoc ergò modo Gerardus à captiuitate amoris seculi huius, captiuitate filiorum seculi liberatus, votum quod vouit, fideliter persoluit. In quo potissimùm notum fecit Dominus, à quanta perfectione sanctæ conuersationis gratiam iste Dei famulus ceperit,qui in eius spiritu,qui fecit quæ ventura sunt, quod erat futurum, videre potuit quasì iam factum. Præsentialiter quippè in latere fratris eius lancea apparebat, quandò digitum in loco applicuit vulneris mox futuri,sicut ipse postmodùm confessus est nobis.

Magno miraculo Gerardus frater eius liberatur è carcere.

Gerardus se monachum fore pollicetur.

Cùm autem cæteri, vt diximus, fratres prima die in eodem essent cum Bernardo spiritu congregati, manè intrantibus eis ecclesiam, Apostolicum illud legebatur capitulum: Fidelis est Deus,quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet vsque in diem Iesu Christi. Quod deuotus iuuenis haud secùs accepit,quàm si de cælo sonuisset. Exultans itaque iam spiritualis pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, & manû Domini intelligens secum operantem, cœpit ex hoc palàm vbique prædicationi insistere,& quoscunque poterat,aggregare: cœpit nouum inducere hominem,& cum quibus de literis seculi, seu de seculo ipso agere solebat, de serijs & conuersione tractare: ostendens gaudia mundi fugitiua, vitæ miserias, & celerem mortem,vitam,post mortem temporalem,siue in bonis, siue in malis perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei & verbo virtutis eius, & oratione & instantia serui eius, primò cunctati, & deindè compuncti, alter post alterum credebant & consentiebant. Adiunctus est etiam ei dominus Hugo Matisconensis, nobilitate & probitate morum, possessionibus & diuitijs seculi ampliatus. Qui hodiè merito religionis suæ & sanctitatis potiùs, quàm nobilitatis seu diuitiarum gratia, raptus à Pontiniacensi cœnobio, quod ipse ædificauit, Antisiodorensi ecclesiæ præest merito & honore Pontificis. Hic audiens de conuersione socij & amici charissimi,flebat quasì perditum, quem seculo mortuum audiebat. Vbì autem primò data est vtrique facultas mutui colloquij, post dissimiles lachrymas & gemitus dissimilium dolorum,verba verbis cœperũt conferri, & res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiæ Hugoni infunderetur spiritus veritatis,aliâ iam faciem habere cœperunt verba mutuæ collocutionis. Datis itaq; dextris in sodalitium nouæ vitæ, longè digniùs veriusque facti sunt cor vnum & anima vna in Christo,quàm in seculo antè fuerant. Post paucos autem dies nunciatur Bernardo,subuersum Hugonem ab alijs socijs, à proposito resilire. Opportunitate ergò inuenta,quòd magnus quidam Episcoporum conuentus illis in partibus haberetur,festinat vt reuocet pereuntem, iterumque parturiat. Obseruantes autem prædicti

Philip.1.

Multos adhoratur ad mundi contemptũ & vitam monasticam.

Hugo Antisiodorensis Episcopus.

Hugo vir nobilis & opulentus conuertitur.

Resilit à proposito.

dicti sodales & subuersores Hugonis,viso eo,prædam ambiunt suam,& omnem ei loquendi adimunt facultatem,omnem aditum intercludunt. At ille cùm loqui ei non posset,clamabat pro eo ad Dominũ. Quo orante cum lachrymis,subita & vehemens inundatio pluuiæ mox erupit. Confederant autem in campo, eò quòd aër serenus esset,& nil rale sperarent. Dispersi ergò omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens: Mecum, ait, sustinebis huius pluuiæ guttas. Cumque soli remansissent,non fuerunt soli,sed Dominus fuit cum eis,reddens eis continuò & aëris & animi serenitatem. Ibì renouatum est fœdus, & propositum confirmatum,quod non potuit deincèps violari.

à B. Bernardo admonitus resipiscit.

Videbat ista peccator,& irascebatur: dentibus suis fremebat & tabescebat: iustus autem confidens in Domino,gloriosè de seculo triumphabat. Iamque eo publicè & priuatìm prædicante, matres filios abscondebant, vxores detinebant maritos, amici amicos auertebãt: quia voci eius spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, vt vix aliquê aliquis teneret affectus. Crescête siquidem eorũ numero,qui in hanc cõuersionis vnanimitatem consenserant,sicut de primitiuis Ecclesiæ filijs legitur, Multitudinis eorum erat cor vnum & anima vna in Domino, & habitabant vnanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se coniungere eis. Erat enim Castellioni domus vna propria & communis omnium,vbì conueniebant & cohabitabant & colloquebantur: quam vix ingredi aliquis audebat,qui non esset de cœtu eorum. Sed & si quis intrabat,videns & audiens,quæ ibì gerebantur, sicut de Christianis Corinthijs Apostolus dicit,omnibus quodammodò prophetantibus, conuincebatur ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus,& adorans Dominum,& confitens quòd verè Deus esset in eis, aut ipse vnanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus & in illis partibus erat inauditum,vt alicuius adhuc in seculo commorantis conuersio præsciretur. Ipsi verò quasì mensibus sex post primum propositum in habitu seculari stabant, vt perindè plures congregarentur,dum quorundam negocia per id temporis expediebantur.

Psal.111.

Act.4. & 5.

1.Cor.14.

Cùm autem iam suspecta inciperet esse multitudo, nè quem de numero eorum subriperet is,qui tentat,placuit Deo super hoc,quod futurum esset, reuelare. Adspiciebat enim quidam in visione noctis,& videbat quasì eos omnes consedisse in domo vna,& per ordinem singulos quasì communicare de cibo quodam miri candoris & saporis. Quem cæteris omnibus optimè suscipientibus,& cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat à cibi illius salutaris participatione vacuos remansisse. Alter nanque eorum nec sumebat: alter quidem sumere videbatur, sed tanquàm minùs cautè sumeret, spargebatur. vtrunque verò posteà probauit euentus. Alter enim,priusquàm ventum esset ad rem, conuersus retrorsùm, in seculum redijt: alter cum cæteris cœpit quidem opus bonum, sed non bono fine concluſit. Vidi ego eum in seculo posteà vagum & profugum à facie Domini, sicut Cain, quantùm animaduertere potui,hominem humilimum,& miserabilis confusionis, & nimiæ pusillanimitatis. Qui tamen in vltimis Clarauallem redijt, infirmitate corporis & inopia cogente,cùm homo benè natus,ab omnibus cognatis & amicis proijceretur: ibique proprietati renuncians,sed non omninò propriæ voluntati, obijt non quidem intùs, vt frater & domesticus: sed foris, misericordiam postulans,sicut pauper & mendicus. Iam verò adueniente die reddendi voti,& complendi desiderij,egressus est de domo paterna Bernardus,pater fratrum suorum, cum fratribus suis, filijs suis spiritualibus, quos verbo vitæ Christo regenerauerat. Cumque exirent de mansione Guidonis primogeniti,quæ Fontanæ dicebatur, Guido videns * Niuardum fratrem suum minimum in platea puerum cum pueris alijs: Eià,inquit,frater Niuarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. Ad quod puer non pueriliter motus: Vobis ergò, inquit,cælum, & mihi terra? Non ex æquo diuisio hæc facta est. Quo dicto, abeuntibus illis,tunc quidem domì cum patre remansit: sed modico pòst euoluto tempore, fratres secutus,nec à patre,nec à propinquis seu amicis potuit detineri. Supererat de domo illa Deo dicata pater senior,cum filia,de quibus etiam suo loco dicemus.

Visio vnius ex socijs S. Bernardi.

Gen.4.

* Vuinardũ

Niuard⁹ sequitur ad monasteriũ fratres suos

Eo tempore nouellus & pusillus grex Cistertiensis, sub Abbate degens viro venerabili Stephano,cùm iam grauiter ei esse tædio inciperet paucitas sua, & omnis spes posteritatis decideret,in quam sanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ sanctitatem,sed refugientibus austeritatem: repentè diuina hac visitatione tam læta,tam insperata,tam subita lætificatus est, vt in die illa

Esa.54. responsum hoc à spiritu sancto accepisse sibi domus illa videretur: Lętare sterilis, quę non pariebas: erumpe & clama, quæ non parturiebas: quia multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habet virum: de quibus postmodùm visura es filios filiorum vsque in multas generationes. Nam anno priore vni ex eisdem Cistertiensibus primis fratribus in extremo iam posito, apparuit innumera hominum multitudo prope basilicam, ad fontem lauans vestimenta sua: & in ipsa visione dictum est ei, quia fons Ennon vocaretur. Quod cùm indicâsset Abbati, intellexit protinùs vir magnificus diuinam consolationem: & multùm quidem iam tunc de promissione, sed plurimùm posteà de exhibitione lætatus, egit gratias Deo per Iesum Christum: qui cum eo & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Visio fratris Cistertiensis.

CAP. IIII.

S. Bernard⁹ cũ 30 socijs fit monach⁹ Cistertiẽsis.

ANno ab incarnatione Domini millesimo centesimo tertiodecimo, à constitutione domûs Cistertiensis quintodecimo, seruus Dei Bernardus annos natus circiter vigintitres, Cistertium ingressus cum socijs fermè triginta, sub Abbate Stephano suaui iugo Christi collum submisit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos vsque ad mare, & vltra mare propagines eius. Quia verò ex prædictis socijs eius, vocati aliqui fuerant, & vxores quoquè cum viris idem votum sacræ conuersationis inierant: per ipsius solicitudinem ædificatum eis cœnobium sanctimonialium fœminarum, quod Villetum dicitur, in Lingonensi parochia, Domino cooperante, magnificè satis excreuit, vsque hodiè religionis opinione celeberrimum, & personis ac possessionibus dilatatum: sed & propagatũ iam per loca alia, & non cessans adhuc ampliorem facere fructum. Hæc quidem fuêre viri Dei conuersionis sancta principia. Conuersationis autem eius insigni. , quomodò vitam Angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non viuat de spiritu, de quo ille vixit. Solius quippè donantis & accipientis est nôsse, quantùm mox in conuersionis exordio pręuenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ, & quanta repleuerit gratia electionis, quomodò ab vbertate domûs suæ inebriauerit eum. Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, & eo adhuc tempore absconditam & penè nullam, intentione ibidèm moriendi à cordibus & memoria hominum, & spe delitescendi & latendi, tanquàm vas perditum, Domino aliter disponente, & eum sibi in vas electionis præparante: & non solùm ad ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed ad portandum nomen suum coram gentibus & regibus, & vsque ad extremum terræ. Ipse verò de se nil tale æstimans aut cogitans, potiùs ad custodiam * oris sui & propositi constantiam, hoc semper in corde, frequenter etiam in ore habebat: Bernarde, Bernarde, ad quid venisti? Et sicut de Domino legitur, quia cœpit Iesus facere & docere, à prima die ingressûs sui in cellam nouitiorum, ipse cœpit agere in semetipso, quod erat alios docturus. Postmodùm enim, cùm iam Claræuallis Abbas ordinatus esset, aduentantibus nouitijs & festinantibus ingredi, audire eum soliti sumus prædicantem & dicentem: Si ad ea, quæ intùs sunt, festinatis: hîc foris dimittite corpora, quæ de seculo attulistis. Soli spiritus ingrediantur: caro non prodest quicquam. Quod tamen nouitijs, ad nouitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum, clementiùs exponendo, dicebat carnalem concupiscentiam foris dimittendam. Ipse autem cùm nouitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solùm concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt, sed & sensus per quos fiunt. Cùm enim iam interiore sensu illuminati amoris dulciùs ac frequentiùs sentire inciperet desursùm spirantem sibi suauitatem, sensui illi interiori timens à sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conuersationis societatem. Quod cùm continui vsûs instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodò vertebatur in naturam: totusque absorptus in spiritum, sæpè tota in Deum directa intentione spiritali, tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat: nil sapiebat gustanti: vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Iam quippè annum integrum exegerat in cella nouitiorum, cùm exiens indè, ignoraret, vtrùm adhuc desupèr celata esset domus ipsa. Multo tempore frequentauerat intrans domum ecclesiæ, cùm in eius capite vnam tantùm esse fenestram arbitraretur.

Sanctimonialiũ cœnobium extruitur.

* cordis

Actor.1.

Ingressuri monasteriũ debẽt foris relinquere sua corpora

Curiositatis enim sensu mortificato, nil huiusmodi aduertebat: vel si fortè aliquandò cum contingebat videre, memoria, vt dictum est, alibì occupata, non sentiebat.

Consuetudo altera est natura.

Adhuc no uitiùs, mirè est tot⁹ Deo intentus.

Celata, pro Testudinata.

bat. Sine memoria quippè sensus sentientis nullus est. Natura quoquè in eo non dissentiebat à gratia. Nauraliter enim iam ab initio hoc erat homo iste, quod legitur: Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam: & cùm magìs essem bonus, ueni ad corpus coinquinatum. Ad contemplanda quippè spiritualia quæque seu diuina, cum gratia spirituali, naturali quadã virtute pollebat ingenij: sortitusque in hoc etiam erat animam bonam, sensualitatem non curiosè lasciuam, nec superbè rebellem: sed congaudentem spiritualibus studijs, & in eis, quæ ad Deũ sunt, sponte subditam spiritui & seruientem. Corpus etiam nullius vnquàm contaminatum consensu flagitij, etsì neglectum minùs curaretur, quàm oportebat, ad seruiendum spiritui in seruitio Dei aptissimum instrumentum. Sed cùm caro in eo ex dono prævenientis gratiæ, & adiutorio subsequẽtis naturæ, & vsu bono spiritualis disciplinæ, vix iam aliquid concupiscceret aduersùs spiritum, hoc est, quod spiritum læderet: spiritus supra vires, supra virtutem carnis ac sanguinis, tanta aduersùs carnem concupiscebat, vt infirmũ animal cadens sub onere, vsque in hanc diem non adijciat vt resurgat. Quid enim dicam de somno, qui in cæteris hominibus solet esse refectio laborum, & sensuum aut mentium recreatio? extunc vsque hodiè vigilat vltra possibilitatem humanam. Aliquandò dormit, sed somno tenuissimo, & qui nulli hominum, præter ipsum, qualemcunque refectionem conferre posset. Nullum enim tempus magis se perdere conqueri solet, quàm quo dormit: idoneam satìs reputans comparationem mortis & somni: vt sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodò apud Deum mortui dormientes. Vndè etiam si quem fortè religiosum in dormiendo seu duriùs stertentem audierit, seu minùs compositè viderit iacentem, patiẽter vix ferre potest, sed carnaliter eum seu seculariter dormire causatur. In ipso nanque tenuem victum tenuis somnus comitatur. In neutro enim vllam indulget corpori suo satietatem, nisì quòd in vtroque sumpsisse aliquid, sat ei est. Quantùm enim ad vigilias, vigiliarum ei modus est, non totam noctem ducere insomnem. Porrò ad comedendum vsque hodiè vix aliquandò voluptate trahitur appetitûs, sed solo timore defectûs. Etenim comesturus, priusquàm comedat, sola cibi memoria satur est. Sic accedit ad sumendum cibum, quasì ad tormentum. A primo siquidem conuersionis suæ anno, seu egressionis de cella nouitiorum, natura eius cùm teneræ nimìs semper & delicatæ complexionis fuisset, ieiunijs multis & vigilijs, frigore & labore, durioribus & continuis exercitijs attrita, corrupto stomacho, crudum continuò per os solet reijcere, quod ingeritur. Quòd si quid naturali decoctione digestum transfunditur ad inferiora, ibì nihilominùs partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis, non nisì cum graui tormento egreditur. Si quid autem residuum est, ipsum est alimentum corporis eius qualecunque, non tam ad vitam sustentandam, quàm ad differendam mortem. Semper autem post cibum quasì pensare solitus est, quantum comederit. Si aliquandò ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehenderit, impunè abire non patitur. Sed & vsus parsimoniæ sic ei in naturam versus est, vt etsì aliquandò corporalis sibi cuiuslibet refectionis plus aliquid solito velit indulgere, non possit. Sic autem ab initio fuit inter nouitios nouitius, monachus inter monachos, spiritu validus, corpore infirmus, nil indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem, nil remissionis de communi labore vel opere sibi fieri aliquandò acquiescens. Cæteros nanque, sanctos esse arbitrabatur & perfectos: se verò, sicut nouitium & incipientem, nequaquàm emeritorum perfectorumque indulgentijs & remissionibus indigere, sed feruore nouitio, & ordinis districtione, & rigore disciplinæ. Propter quod communis vitæ seu conuersationis feruentissimus æmulator, cùm opus manuum aliquod fratres actitarent, quod seu minor vsus ei, seu imperitia denegabat: fodiendo, seu ligna cædendo, & proprijs humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æquè laboriosis illud redimebat. Vbì verò vires deficiebant, ad viliora quæque opera confugiens, laborem humilitate compensabat, & mirum in modum is, qui tantam in contemplatione rerum spiritualium ac diuinarum acceperat gratiam, circa talia non solùm occupari patiebatur, sed & plurimùm delectabatur. Sed mortificata, vt dictum est, sensualitate, cuius seu curiositate, seu infirmitate, in huiusmodi laborum corporalium distractionibus, perfectorum etiam quorunque mentes sæpè necesse est, etsì non intentione, certè memoria & cogitatione, ab interiore vnitate spiritûs aliquam pati dissolutionem: ipse priuilegio maioris gratiæ, in virtute spiritûs simul & totus quodammodò exteriùs laborabat, & totus interiùs

Sap. 8.

Naturæ eiꝰ bonitas.

Mirus feruor spiritûs.

Vigiliæ supra vires humanas.

Cibũ haud aliter arquè tormentum accipit.

Spiritu robustus, corpore infirmus.

Eximia eius perfectio.

Deo vacabat: in altero pascens conscientiam, in altero deuotionem. Laboris ergò tempore, & semper intùs orabat seu meditabatur, absque intermissione exterioris laboris: & exteriùs laborabat, absque iactura interioris suauitatis. Nam vsque hodiè quicquid in scripturis valet, quicquid in eis spiritualiter sentit, maximè in syluis & in agris meditando & orando se confitetur accepisse, & in hoc nullos aliquandò se magistros habuisse, nisi quercus & fagos, ioco illo suo gratioso inter amicos dicere solet. Quantùm verò in scripturis valeat, palàm omnibus est, qui vel loquentem eum audire, vel aliqua, quæ scripsit, legere potuerunt.

Quercus & fagos habet magistros.

Messis tempore fratribus ad secandum cum feruore & gaudio sancti spiritûs occupatis, cùm ipse quasi impotens & nescius laboris ipsius, sedere sibi & requiescere iuberetur: admodùm contristatus, ad orationem confugit, cum magnis lachrymis postulans à Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei, desiderium religiosi. Continuò namque, quod petijt, impetrauit. Et ex illo die in labore præceteris peritum se esse cum quadam iucunditate gratulatur, tanto in hoc opere deuotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse. Feriatus autem ab huiusmodi labore vel opere, iugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, vtebatur: sin autem, vbicunquè seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, vbiquè solus erat. Canonicas autem scripturas simpliciter ac seriatìm libentiùs ac sæpiùs legebat, nec vllis magìs, quàm ipsarum verbis eas intelligere se dicebat: & quicquid in eis diuinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis suæ fonte magìs, quàm in decurrentibus expositionum riuis sapere testabatur. Sanctos tamen & orthodoxos earum expositores humiliter legens, nequaquàm sensibus eorum suos sensus æquabat, sed subijciebat formandos: & vestigijs eorum fideliter adhærens, sæpè de fonte, vndèilli hauserant, & ipse bibebat. Indè est, quòd plenus spiritu, quo omnis sacra scriptura diuinitùs est inspirata, tam confidenter & vtiliter ea vsque hodiè, sicut Apostolus dicit, vtitur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum: & dum prædicat verbum Dei, quicquid de ea affert in medium, sic patens & placens efficit, & circa id, vndè agitur, efficax ad monendum, vt mirentur omnes, tam seculari, quàm spirituali prædíti doctrina, in verbis gratiæ, quæ procedunt de ore eius.

Monachorum, est aliquandò vacare corporalib⁹ operibus.

Diuinitùs præstatur ei peritia metendi.

Legit reuerenter scripta Patrũ.

2.Tim.3.

Magna dexteritate docet verbum Dei.

CAP. V.

CVm autem placuit ei, qui eum segregauit à seculo, & vocauit, vt ampliore gratia reuelaret in eo gloriam suam, & multos filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum: misit in cor abbatis Stephani, ad ædificandum domum Clarævallis mittere fratres eius, & cum eis alios viros religiosos. Quibus abeuntibus, ipsum etiam dominum Bernardum præfecit Abbatem, mirantibus sanè illis, tanquàm maturis & strenuis, tam in religione, quàm in seculo viris: & timentibus ei, tum pro tenerioris ætate iuuentutis, tum pro corporis infirmitate, & minore vsu exterioris occupationis. Erat autem Clarauallis locus in territorio Lingonensi, non longè à fluuio Alba, antiqua spelunca latronum: & antiquitùs dicebatur Vallis absynthialis, seu propter abundãtis ibì absynthij copiam, seu propter amaritudinem doloris, incidentiũ ibì in manus latronum. Ibì ergò in loco horroris & vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum, templum Dei & domum orationis. Vbì simpliciter aliquanto tempore Deo seruiêrunt in paupertate spiritûs, in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigilijs & angustijs multis. Pulmentaria sæpiùs ex folijs fagi conficiebant. Panis instàr prophetici illius, ex hordeo & milio & vicia: ità vt aliquãdò religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio, plorans vbertim, clàm absportauerit, quasì pro miraculo omnibus ostendendum, quòd indè viuerent homines, & tales homines. At virum Dei minùs ista mouebant. Summa ei solicitudo de salute multorum, quæ à prima die cõuersionis suæ vsque ad hoc tempus, tam singulariter sacrum illud pectus nosci tur possidere, vt erga omnes animas maternum videatur gerere affectum. Erat ergò vehemens in præcordijs eius, sancti desiderij & sanctæ humilitatis conflictus. Modò enim seipsum deijciens, fatebatur indignum per quem fructus aliquis proueniret: modò oblítus suî, æstuabat flagrantissimo ardore, vt nullam nisì ex multorum salute consolationẽ posse admittere videretur. Sanè fiduciã charitas parebat: sed eandẽ castigabat humilitas. Contigit autẽ inter hæc, vt aliquandò temperiùs solito surgeret ad vigilias. Quibus peractis, cùm vsque ad matutinas laudes supereſſet interuallum, egressus foràs, & loca vicina circumiens, orabat Deum, vt acceptum haberet

Fit Abbas Clarçuallis.

Clarauallis quid loci fuerit.

Summã penuriam patitur cum suis in Claraualle.

Conflictus in eo charitatis & humilitatis.

beret obsequium suum & fratrum suorum: & in eo, quod diximus, spiritualis fructûs desiderio cõstitutus, subitò stans in ipsa oratione, modicè intercluſis oculis, vidit vndiquè ex vicinis montibus tam infinitam diuersi habitûs & diuersæ cõditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, vt vallis ipsa capere non posset. Quod quid significauerit, iam manifestum est. Hac ergò vir Domini visione magnificè consolatur. Exhortatus est etiam fratres suos, commonens eos, de misericordia Dei nunquàm desperare.

&

Visio eius.

CAP. VI.

CVm verò ante instantem hyemem Gerardus frater eius, cellerarius domûs, apud eum duriùs quereretur, ad necessaria domûs & fratrum, multa desse, nec habere se, vndè ea coëmeret, & vrgente necessitate, iam nullam reciperet verborum consolationem: res autem in promptu non esset, quæ daretur: Vir Dei, quãtum ad præsentes interìm angustias sufficere posset, inquisiuit. Ille verò vndecim libras respondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Post paululum verò rediens Gerardus, mulierem quandam de Castellione, foris esse, & velle ei loqui nunciauit. Ad quam cùm egrederetur, procidens ad pedes eius eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum suffragia implorans viro suo periculosè ægrotanti. Quam breuiter allocutus, dimisit à se: Vade, inquiens, sanum inuenies virum tuum. Illa verò abiens in domum suam, sicut audierat, sic inuénit. Abbas verò consolans pusillanimitatem cellerarij sui, ad sustinendum Dominum decæterò reddidit fortiorem. Nec tamen semèl ei hoc contigisse, certum est: sed sæpè, cùm huiusmodi necessitas instaret, repentè vndè non sperabatur, auxilium ei à Domino affuisse. Propter quod viri prudentes, intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis eius, à delicijs paradisi nuper egressæ, rerum exteriorum solicitudine grauare cauebant, eas ipsi intrà semetipsos, vt poterant, digerentes, & tantummodò de interioribus conscientijs suis, & causa animarum suarum eum consulentes. In quo tamẽ penè hoc eis contigit, quod filijs Israel legimus olìm de Moyse contigisse, cùm diù cõuersatus cum Domino in monte Sina, & de caligine nubis regrederetur & descenderet ad populum, & ex colloquio Domini facies eius cornuta appareret & terribilis, adeò vt fugeret populus ab eo. Egressus enim vir ille sanctus à facie Domini, qua in solitudine Cistertij, & sublimioris altitudine contemplationis in silẽtio aliquandiù fruitus erat, quasì de cælo afferens inter homines miraculum quoddam conquisitę sibi apud Deum plusquàm humanæ puritatis, homines quos regere, & inter quos conuersari veniebat, penè omnes à se abstertuit. Siquandò nanque de spiritalibus & ædificatione animarum sermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum, & vix intelligebatur. Maximè autem in his, quæ ad mores hominum pertinebant, ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat, tam perfecta exigebat ab eis, vt durus videretur sermo: intantùm non capiebant, quæ dicebantur. Rursùm cùm singulatìm audiret eos confitentes sibi, & semetipsos accusantes super diuersis illusionibus cogitationum communium humanarum, quas nullus in carne viuens homo penitùs vitare potest: hoc potissimùm fuit, in quo luci illi ad tenebras illas conuentio esse non potuit, scilicet quòd homines inueniebat, quos in hac parte Angelos æstimabat. Angelicam enim magna ex parte degustans puritatem, & ex conscientia iam olim acceptæ gratiæ à Deo singularis simplicitatis, præiudicans vniuersæ conditioni humanæ fragilitatis, in tentationes seu inquinationes cogitationum harum nullum religiosum virum posse incidere, vel si incideret, verè religiosum esse non æstimabat. Sed viri verè religiosi & piè prudentes, & in prædicatione sermonum eius venerabantur etiam quæ non capiebant, & in confessionibus suis, licèt ad nouum stuperent auditum, eò quòd seminarium quoddam desperationis præferre videretur infirmis, tamen iuxta sententiam sancti Iob, nefas putabant contradicere sermonibus sancti: non excusantes, sed accusantes infirmitatem suam in conspectu hominis Dei, in quo nemo viuens iustificari potest in conspectu Dei. Vndè factum est, vt fieret magistra magistri, pia humilitas discipulorum. Cùm enim ad nutum arguentis humiliarentur, qui arguebantur: cœpit etiam spiritualis magistro aduersùs fratres humiles & subiectos zelus suus esse suspectus, intantùm, vt ipse iam potiùs accusaret ignorantiam suam, & defleret necessitatem, quòd silere non liceret, cùm nesciret loqui: quòd non tam alta ad homines, quàm indigna hominibus loquendo, læderet conscientias auditorum: quòd tam scrupulosè perfectio-

Sanat ægrotum absentem.

Sæpè diuinitùs præstantur ei necessaria.

Exod. 34.

Tãta facundia claruit, vt lingua crederetur loqui Angelica.

Eius summa vitæ perfectio, principiò fratribus onerosa fuit.

Iob 6.

Psal. 142.

Humilitas fratrũ facit, vt rẽperet zelum suũ.

fectionem à fratribus ſimplicibus exigebat, in quo ſe nondùm inueniret ipſe perfectũ. Cogitabat nanque, eos multo meliora & viciniora ſaluti ſuæ in ſilentio ſuo meditari, quàm ab ipſo audirent: deuotiùs & efficaciùs ſalutem ſuam operari, quàm ex eius exemplo acciperent: ex prædicatione verò eius ſcandalizari potiùs, quàm aliquid concipere ædificationis. Cumque ſuper hoc vehementiùs conturbaretur & contriſtaretur, & diuerſæ cogitationes aſſcenderent in cor eius, poſt multos cogitationum fluctus & cruciatus cordis, decreuit ab exterioribus omnibus ad interiora ſua recolligere ſe, ibique in ſolitudine cordis & ſecreto ſilentij cõtinere, & præſtolari Dominum, donèc quocunque modo miſericordiæ ſuæ ſuper hoc ei ſuam reuelaret voluntatem. Thren. 3.

Nec diſtulit miſericordia Dei auxilium in tempore oportuno. Paucis ſiquidem diebus euolutis, vidit in viſu noctis puerum, claritate quadam diuina adſtantem ſibi, & magna authoritate præcipientem fidutialiter loqui, quicquid ei ſuggereretur in apertione oris ſui: quoniam non ipſe eſſet, qui loqueretur, ſed ſpiritus ſanctus, qui loqueretur in eo. Et extunc manifeſtiùs in eo & per eum loquens ſpiritus ſanctus, & ſermonem potentiorem ei, & ſenſum in ſcripturis abundantiorem ſuggerens, in apertione oris ſui apud auditores quoquè gratiam ei addidit & authoritatem, & intellectũ ſuper egenum & pauperem, & peccatorem pœnitentem, & veniam poſtulantem. Viſio eius.

Cumque iam aliquatenùs didiciſſet inter homines conuerſari, & humana agere ac tolerare, iamque inter fratres ſuos quasì vnus ex eis & cum eis inciperet frui fructibus conuerſionis ſuæ, pater quoquè, qui ſolus domì remanſit, veniens ad filios ſuos, appoſitus eſt ad eos. Qui cùm aliquod tempus ibì feciſſet, obijt in ſenectute bona. Soror quoquè eorum, in ſeculo nupta, & ſeculo dedita, cùm in diuitijs & delicijs ſeculi periclitaretur, tandè aliquandò inſpirauit ei Deus, vt fratres ſuos viſitaret. Cumque veniſſet quasì viſura fratrem ſuum venerabilem, & adeſſet cum comitatu ſuperbo & apparatu, ille deteſtans & execrans eam, tanquàm rete diaboli ad capiẽdas animas, nullatenùs acquieſcere voluit exire ad videndum eam. Quod audiens illa, confuſa & compuncta vehemẽter, cùm nullus ei fratrum ſuorum occurrere dignaretur, cùm à fratre ſuo Andrea, quem ad portam inuenerat monaſterij, publicè ob veſtium apparatum, ſtercus inuolutum argueretur, tota in lachrymis reſoluta: Etsì peccatrix ſum, inquit, pro talibus Chriſtus mortuus eſt. Quia enim peccatrix ſum, idcircò conſilium & colloquium bonorum requiro. Etsì deſpicit frater meus carnem meam, nè deſpiciat ſeruus Dei animam meam. Veniat, & præcipiat: & quicquid præceperit, facere parata ſum. Hanc ergò promiſſionem tenens, exijt ad eam cum fratribus ſuis frater eius. Et quia eam à viro ſeparare non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu veſtium, & in omnibus ſeculi pompis & curioſitatibus interdixit, & formam vitæ matris ſuæ, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, & ſic eam à ſe dimiſit. Illa verò obedientiſſimè párens præcepto, redijt ad proprtia, mutata repentè ſecundùm omnipotentiam dexteræ excelſi. Stupebant omnes adoleſcẽtulam nobilem, delicatam, ſubita mutatione in habitu & victu, in medio ſeculi vitam ducere eremiticam, & inſtare vigilijs, ieiunijs & orationibus, atque ab omni ſeculo prorsùs ſe facere alienam. Biennio poſteà ſic vixit cum viro ſuo: illo ſanè, ſecundo maximè anno, dante Deo honorem, nec temerare vlteriùs præſumente templum ſpiritus ſancti: qui etiam tandèm virtute eius victus perſeuerantiæ, liberam à ſe dimittens iuxta ritum Eccleſiæ, facultatem ei conceſſit ſeruiendi Deo, cui ſe probauit. Illa verò optata libertate potita, monaſterium Villeium, cuius ſuprà meminimus, adiens, cum ſanctimonialibus inibì Deo ſeruientibus, reliquum vitæ ſuæ Deo vouit: vbì tantã ei gratiam Dominus contulit ſanctitatis, vt non minùs animo, quàm carne, illorum probaretur virorum Dei eſſe germana.

Pater eius fit monach⁹

En vt ſe gerit erga ſororẽ, cũ põpa ipſum inuiſentem.

Sororis eius admiranda cõuerſio & cõuerſatio.

Fit Monacha ſoror eius.

CAP. VII.

CVm autem miſſus nouiter Clarauallem Bernardus, ordinandus eſſet in miniſterium, ad quod aſſumptus erat, & ſedes Lingonenſis vacaret, ad quam ordinatio ipſa reſpiciebat: quærentibus fratribus, quò eum deducerent ordinandum, citò ſe obtulit bona fama venerabilis Catalaunẽſium Epiſcopi, opinatiſſimi illius magiſtri Vuilhelmi de Capellis, illucque eum tranſmittendum eſſe diffinitum eſt. Sicque factum eſt. Abijt autem Catalaunum, aſſumpto ſecum Elbodone, monacho quodam Ciſtertienſi. Intrauit ergò prædicti Epiſcopi domum iuuenis exeſi corporis & moribundi, habitu quoquè deſpicabilis, ſubſequente monacho ſeniore; & magnitudine & robore corporis eleganti, alijs ridentibus, aliis irridentibus, alijs rem, ſicut erat, interpretando venerantibus. Cùm autem quæreretur, quis eorum eſſet Abbas, Epiſcopus primus oculos in eum apertos habens, agnouit ſeruum Dei, & ſuſcepit eum ſicut ſeruum Dei. Cùm enim primò in priuato colloquio omni meliùs locutione prudentiam iuuenis magìs magisque proderet verecundia loquendi, intellexit vir ſapiens diuinam viſitationẽ in aduentu hoſpitis ſui. Nec defuit hoſpitalitatis pia inſtantia, donèc vſque ad familiarem fidutiam & libertatem loquendi producto colloquio ad alterutrum, iam meliùs eum commendaret conſcientia ſua, quàm verba vlla. Quid multa? Ex illa die & ex illa hora facti ſunt cor vnum & anima vna in Domino, intantùm, vt ſæpè alter alterum hoſpitem deinceps haberet, & propria eſſet domus Epiſcopi, Clarauallis: Clarauallenſium verò efficeretur non ſola domus Epiſcopi, ſed & per ipſum tota ciuitas Catalaunenſis: quinetiam & Rhemenſis prouincia, & Gallia tota per eum in deuotionem excitata eſt & reuerentiam viri Dei, ità vt huius temporis præſenſiſſe in eo gratiam videatur homo tantæ authoritatis, ſic affectus erga ignotum monachum, & monachum tantæ humilitatis. Humanitas eius & hoſpitalitas quanta fuerit.

Modico verò pòſt tempore tranſacto, cùm eouſquè infirmitas Abbatis ingraueſceret, vt iam non nisì mors eius, aut omni morte grauior vita ſperaretur, ab Epiſcopo viſitatus eſt. Cumque viſo eo Epiſcopus ſe nõ ſolùm vitæ eius, ſed & ſanitatis ſpem habere diceret, ſi conſilio eius acquieſcens, ſecundùm infirmitatis ſuæ modum aliquam corpori ſuo curam pateretur impendi: ille verò à rigore vel vſu conſuetudinis ſuæ minùs facilè flecti poſſet, profectus Epiſcopus ad Capitulum Ciſtertienſe, ibì coram pauculis Abbatibus, qui conuenerant, pontificali humilitate & ſacerdotali charitate toto corpore in terram proſtratus, petijt & obtinuit, vt toto anno vno in obedientiam ſibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tanta poſſet authoritate negari? Reuerſus itaque Clarauallem, extra clauſtrum & terminos monaſterij domunculam vnam ei fieri præcepit, ordinans & mandans in cibo vel potu, ſiue aliquo huiuſmodi, circa eum nullam ei ibì teneri ordinis diſtrictionem, nullam de tota cura domûs ad eum referri ſolicitudinem: ſed ſibi cum ibì viuere ſecundùm modum ab eo præſtitutum. Eodem tempore & ego Clarauallem, ipſumque frequentare cœpi. Quem cùm ibì cum quodam Abbate altero viſitarem, inuẽni eum in ſuo illo tugurio, quale leproſis in compitis publicis fieri ſolet. Inuẽni autem ex præcepto, vt dictũ eſt, Epiſcopi & Abbatum, feriatum ab omni ſolicitudine domûs, tam interiori quàm exteriori, vacantem & Deo & ſibi, & quasì in delicijs paradiſi exultantem. Ingreſſusque regium illud cubiculum, cùm conſiderarem habitationem & habitatorem, tãta mihi (Deum teſtor) domus ipſa incutiebat reuerentiam ſuî, acsì ingrederer ad altare Dei: tantaque ſum affectus ſuauitate circa hominẽm illum, tantoque deſiderio in paupertate illa & ſimplicitate cohabitandi ei, vt ſi optio illa die mihi data fuiſſet, nil tam optâſſem, quàm ibì cum eo ſemper manere ad ſeruiendum ei. Cumque & ipſe viciſsim nos cum gaudio ſuſcepiſſet, & quæreremus quid ageret, quomodò ibì viueret, modo illo ſuo gratioſo arridens nobis: Optimè, air. Ego, cui hactenùs homines rationales obediebant, iuſto Dei iudicio, irrationabili cuidam beſtiæ datus ſum ad obediendum. Dicebat enim de quodam homine ruſticano & vano, nil prorsùs ſciente, ipſumque ab infirmitate, qua laborat, curaturum ſe iactante: cui ad obediendum ab Epiſcopo & Abbatibus & fratribus ſuis traditus erat. Ibique cum eo manducantes, cùm arbitraremur hominem tam infirmum, tantæque prouidentiæ commiſſum, ſicut oportebat, procurandũ, & videremus ei, agente medico ſuo illo, offerri cibos, quos ſanus quis vix præ anguſtia famis attingeret: videbamus & tabeſcebamus, vix regulari ſilentio nos cohibente, quin in illum, quasì in ſacrilegum & homicidam, ira & contumelijs inſurgeremus. Ipſe autem, in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta ſumens, æquè omnia approbabat: ſicut qui ſenſu ipſo corrupto & penè emortuo, ſapore nil diſcernebat. Nam & ſagimen crudum, per errorem ſibi oblatum, pro butyro multis diebus noſcitur comediſſe: oleum bibiſſe, tanquàm aquam: & multa talia contingebant ei. Solam quippè aquã ſibi ſapere dicebat, eò quòd cùm eam ſumeret, fauces & guttur ei refrigerabat. Sic ergò tunc eum inuẽni, & ſic habitabat in illa ſolitudine ſua vir ille Dei. Sed non erat ſolus, cum quo erat Deus, & cuſtodia & conſolatio ſanctorum Angelorum. Quod etiam manifeſtis indicijs monſtratum eſt. Nocte enim quadam ſolito attentiùs orando, effuderat ſuper ſe animam ſuam: cùm tenuiter ſoporatus, voces audiuit tanquàm tranſeuntis multitudinis copioſæ. Euigilans autem, & voces eaſdem pleniùs audiens, cellam quoque, Vuilhelmus inſignis epiſcopus Catalaunenſis.

Vide inſignẽ epiſcopi humilitatem & charitatem.

Affect⁹ ſcriptoris vitæ ei⁹ erga ſanctam religionem.

Diſcãt huiꝰ exemplo ſuperbi monachi ſubeſſe ſimpliciorib⁹ prælatis

Sũma eius patientia & mortificatio.

Visio eius. quoquè, in qua iacebat, egreditur, & persequitur abeũtes. Haud procùl aberat locus densis adhuc spinarum vepriumque frutetis abundans: sed nunc longè mutatus ab illo. Super hunc aliquandiù stabant velut alternantes chori, hincindè dispositi, & vir sanctus audiebat & delectabatur. Cuius tamen mysterium visionis nõ priùs agnouit, quàm translatis post aliquot annos ædificijs monasterij, eodem in loco positum oratorium cerneret, vbì voces illas audisset. Mansi autem ego indignus paucis diebus cũ eo, & quocunquè oculos vertebam, mirans videbar quasì cælos mihi videre nouos, & terram nouam, & antiquorum Aegyptiorum monachorum, patrum nostrorum, antiquas semitas, & in eis nostri temporis hominum recentia vestigia.

Præclara initia Claraualléſis monasterij. Erat enim tunc temporis videre Claræuallis aurea secula, cùm viri virtutis, olim diuites in seculo & honorati, tunc in paupertate Christi gloriantes, Ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore & ærumnis, in fame & siti, in frigore & nuditate, in persecutionibus & contumelijs & angustijs multis, præparantes Claræualli eam, quã habet hodiè, sufficientiam & pacem. Neque enim se tam sibi, quàm Christo & fratribus, ibidèm Deo seruituris, viuere æstimantes, pro nihilo habebant, quicquid sibi deesset, dum relinquerent post se, quod illis sufficeret, & ad subsidium necessitatis, & ad aliquam conscientiam voluntariæ pro Christo paupertatis: primaque facie ab introeuntibus Clarauallem, per descensum montis Deus in domibus eius cognosceretur, cùm in simplicitate & humilitate ædificiorum, humilitatem & simplicitatem habitantium pauperum Christi vallis muta loqueretur. Deniquè in valle illa plena hominibus, in qua nemini licebat esse ociosum, omnibus laborãtibus, & singulis circa iuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium à superueniẽtibus inueniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres in laude Dei occuparentur. Porrò silentij ipsius ordo & fama tantam etiam apud seculares homines superuenientes suî faciebat reuerentiam, vt & ipsi non dicam praua vel ociosa, sed & aliquid etiam, quod ad rem attineret, ibì loqui vererentur. Loci verò illius solitudo inter opaca syluarum, & vicinorum hincindè montium angustias, in quo serui Dei latebãt, speluncam illam sancti Benedicti patris nostri quodammodò repræsentabat, in qua aliquãdò à pastoribus inuentus est: vt cuius imitabantur vitam, habitationis eius ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippè etiã in multitudine, solitarij ibì erant. Vallem nanque illam plenam hominibus, vt dictum est, ratione ordinis charitas ordinata singulis solitariam faciebat: quia sicut homo inordinatus, etiam cùm solus est, ipse sibi turba est: sic ibì vnitate spiritũs & regularis lege silentij in multitudine hominum ordinata, solitudinem cordis sui singulis ordo ipse defendebat. Domibus & habitaculis simplicibus, victus inhabitantium persimilis erat. Panis nõ tam furfureus, quàm terreus videbatur, duris fratrum laboribus vix de terra deserti illius sterili productus: cætera quoquè cibaria vix erãt aliquid saporis habentia, præterquàm fames seu amor Dei faciebat. Sed & ipsum nouitij feruoris simplicitas sibi tollebat, cùm quasì venenum arbitrantes, quicquid comedentem vtcunquè delectabat, recusarent dona Dei propter gratiã, quam in eis sentiebãt. Cùm enim circa omne genus carnalis tolerantiæ cum adiutorio gratiæ Dei, studiũ spiritualis patris in eis hoc effecisset, vt plurima, quæ homini in carne constituto impossibilia priùs videbantur, iam non solùm cõstanter peragerent & sine murmuratione, sed etiam cum ingenti delectatione: ipsa delectatio aliam in eis pepererat murmurationẽ, & eo periculosiorem, quo eam æstimabant quasì remotiorẽ à carne, spiritui propinquiorem. Persuasum quippè habẽtes, & quasì cum testimonio conscientiæ suæ memoriæ fideliter cõmendatum, inimicã esse animæ omnem delectationem carnis: quicquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur, fugiendũ arbitrabantur. Quasì enim per aliam viam reduci se putabant in regionem suam, cùm præ dulcedine amoris interioris, amara æquè ac dulcia delectabiliter edendo, delectabiliùs viuere in eremo sibi viderentur, quàm priùs vixissent in seculo. Cumq; in hoc suspectam aliquatenùs haberent spiritualis patris quotidianam correptionem, quasì carni eorum plùs quàm spiritui deferentem, aliquandò ad iudicium Episcopi, qui tunc fortè aderat, res delata est. Super quo vir ille potens in verbo, sermonẽ ad eos aggressus, ad eum finẽ perduxit, vt omnem hominẽ, qui quæcunq; dona Dei recusaret propter gratiam Dei, inimicũ esse gratiæ Dei, & spiritui sancto resistere pronũciaret. Adducta siquidẽ historia de Elisęo propheta, & filijs prophetarũ, cum eo in desertis locis vitã eremiticã ducentibus, quomodò aliquãdò, cũ ad horã refectionis ventũ esset, amaritudo quædã mortis in olla decoctionis eorũ inuen-

Magnum silentiũ fratrum.

Victus pertenuis & horridus fratrum.

Ecce quid facit amor Dei: sed tamen indiscretus hic fuit fratrũ zelus.

4. Reg. 4.

inuenta, per virtutẽ Dei & ministerium prophetæ per infusionem farinulæ dulcorata est: Olla, inquit, olla illa prophetica, olla vestra est, nil in se, nisì amaritudinem habens: farinula verò, amaritudinem in dulcedinem conuertens, gratia Dei operans est in vobis. Sumite ergò securi & cùm gratiarum actione id, quod cum naturaliter minùs aptum fuerit vsibus humanis, ad hoc per gratiam Dei vestris est vsibus aptatum, vt vtamini & comedatis. In quo si inobedientes & increduli permanetis, resistitis spiritui sancto, & gratiæ eius ingrati estis. 4. Reg. 4.

CAP. VIII.

HAEC ergò fuit in tempore illo sub Abbate Bernardo & magisterio eius in clarissima & charissima valle illa spiritualium schola studiorũ: hic feruor regularis disciplinæ, omnia eo faciente & ordinante, & tabernaculum Deo in terris ædificante secundùm exemplar, quod ei in monte ostensum est, cùm in solitudine Cistertiensi cum Deo in nube habitaret. Et vtinàm post rudimenta primæ eius conuersationis cum hominibus, postquàm didicit aliquatenùs & consueuit homo cum hominibus esse, & intelligere super egenum & pauperem, compatiendo infirmitatibus hominum: vtinàm se circa semetipsum talem exhibuisset, qualem circa cæteros, tam benignum, tam discretum, tam solicitum. Sed continuò, cùm ab annuæ illius obedientiæ vinculo solutus, & sui iuris effectus est, velut arcus distentus, ad pristinum rigorem, & sicut torrens detentus & dimissus, ad prioris cursûs consuetudinem reuersus est: quasì repetens à semetipso pœnas diutinæ illius quietis, & damna laboris intermissi. Videres hominem imbecillem & adhuc languidũ, conari & aggredi quæcunq; vellet, minùs considerare quid posset, & solicitum pro omnibus, circa se negligẽtem: omninò in omnibus alijs obedientissimum, sed desepso vix aliquandò seu charitati, seu potestati obedientem. Semper enim priora sua nulla reputans, maiora molieba-

Magna virẽ seueritas in B. Bernardo

tur, & ad non parcendum corpori, ad studijs spiritalibus robur addendum: corpus suum, varijs infirmitatibꝰ per se attenuatum, ieiunijs insuper & vigilijs sine intermissione atterendo. Orabat stans die noctuque, donèc deficeret, donec genua eius infirmata à ieiunio, & pedes eius à labore inflati, corpus sustinere non possent. Multo tempore & quàm diù occultum esse potuit, cilicio ad carnem vsus est: vbì verò sciri aduertit, continuò illud abijciens, ad communia se conuertit. Cibus eius, cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes erant, quales infantibus fieri solent. Cætera vel infirmitas eius non recipiebat, vel parsimoniæ studio ipse recusabat. Vino si quandò vtebatur, raro & minùs modico, cùm magìs aquam & infirmitati suæ, & apperitui competere testaretur. Sic autem affectus & confectus, à communi fratrum labore, seu diurno, seu nocturno, vix se aliquandò patiebatur esse excusatum, seu ab occupationibus & laboribus ministerij sui. Videbant eum & conuersationem eius homines medici, & mirabantur, tantamque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, acsì agnus ad aratrum alligatus, arare cogeretur. Nam cùm crebra illa ex corruptione stomachi per os eius indigestæ cruditatis eruptio alijs inciperet esse molestior, maximè autem in choro psallentium, non tamen ilicò collectas fratrum deseruit: sed iuxta locum stationis suæ procurato ac defosso in terra receptaculo doloris illius, sic aliquandiù, prout potuit, nècessitatẽ illã transegit. At vbì nec hoc permisit intolerantia rei, tunc demùm collectas deserere, & seorsùm habitare compulsus est, nisì quantùm collocutionis siue consolationis gratia, siue disciplinæ claustralis necessitate, conuentui eum fratrum aliquandò interesse oportebat. Et hæc fuit tristis illa necessitas, qua primò sancta illa fraternitas, sanctæ illius paternitatis iugi consortio carere coacta est. In quo dolemus quidem & plangimus infirmitatis eius tristem effectum, sed sancti desiderij & spiritualis feruoris affectum veneramur: quanquàm nec infirmitatis eius effectus vsquequaquè plangendus sit & dolendus. Quid enim, si voluit sapientia Dei per infirma potiùs illius hominis tot tantaque confundere fortia mundi huius? Quid verò aliquãdò pro qualibet infirmitate eius remansit infectũ, quod per eum secundùm datam gratiam fieri oporteret? Quis enim nostra ætate, quantunuis robusti corporis & accuratæ valetudinis, tanta aliquandò fecit, quanta iste moribundus & languidus, ad honorem Dei & sanctæ Ecclesiæ vtilitatem? Quantum posteà numerum hominum verbo & exemplo traxit de seculo, non solùm ad conuersionem, sed & ad perfectionem? Quantas per totum Christianum orbem constituit domos seu ciuitates refugij: vt quicunque peccauerint ad mortem, & æternæ

Eius preces perpetuæ.

Cibus eius.

Multam naturæ suæ vim infert.

Propter stomachi cruditatem nimiam, cogitur abesse à fratrum cõuentu.

Multi eius labores pro Ecclesia & fructus ingentes.

mortis rei iudicati fuerint, reminiſcantur & conuertantur ad Dominum, & confugiant ad eas,& ſaluentur in eis? Quæ ſchiſmata Eccleſiæ nõ ſedauit? quas non confudit hæreſes?& quam pacem inter diſſidentes eccleſias & populos non reſtituit?Et hæc quidẽ cõmunia ſunt. Cęterùm quę bona innumeris hominibus ſingulatim præſtitit, pro cauſa,pro perſona,pro tempore,pro loco,quis enumeret?Porrò ſi nimietas in eo

Non debet in ſanctis viris reprehendi temerè feruor animus.

reprehenditur ſancti feruoris, habet certè apud pias mentes exceſſus iſte reuerentiam ſuam: quia quicunque ſpiritu Dei aguntur,multùm verentur reprehendere in ſeruo Dei nimiam iſtam nimietatem.Habet & facilem apud homines excuſationem, cùm vix audeat eum quiſquam condemnare,quem Deus iuſtificat,tam multa, tam ſublimia cum eo & per eum operando.Felix,cui ſoli reputatur ad culpam, quod cæteri ſibi præſumere ſolent ad gloriam. Fuerat autem bono iuueni ſuſpecta iuuentus ſua,

Prouer. 28.

(beatus quippe,qui ſemper eſt pauidus) vndè fuerat ei ſtudium,tantam virtutum plenitudinem, quam habebat ex gratia, aliqua etiam laboris ſui conſcientia cumulare. Sed & vita eius, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentiæ exemplo carere nõ debuit. In quo ſeruus Dei etsi nimietate exceſſit, pijs certè mẽtibus non

Iob. 9.

de nimietate, ſed de feruore exemplum reliquit. Quid autem in hoc eum nitimur excuſare, in quo ipſe, qui veretur omnia opera ſua, non confunditur vſque hodiè ſe accuſare, ſacrilegum arguens ſemetipſum, quòd ſeruituti Dei & fratrum abſtulerit corpus ſuum, dum indiſcreto feruore imbecille illud reddiderit ac penè inutile? Sed

Heb. 11.

conualuit de infirmitate,& infirmus, fortior & potens factus eſt. Virtus nanque Dei, vehementiùs in infirmitate eius refulgens, extunc vſquè hodiè digniorem quandam apud homines ei effecit reuerentiam, & in reuerentia authoritatem, & in authoritate obedientiam. Iam enim tunc ad opus & virtutem prædicationis diuinitùs aptabatur,ad quod,ſicut ſuprà dictum eſt, ex vtero matris ſuæ,cum teſtimonio diuinæ reue-

Ad prędicationem diuinitùs ordinatur vt patet cap. 1. huius vitæ. Eſt reformator ordinis.

lationis,olim fuerat præſignatus.Nec tunc tantummodò, ſed & omni tempore conuerſionis,& ſubiectionis, & prælationis ſuæ, ipſo ordinante, quo & agente, congruo ordine ad hoc inſtituebatur, ignorans quid de ſe fieret: cùm non ſolùm monaſtico, ſed & omni Eccleſiaſtico ordini in hoc præparabatur. Et primùm quidem circare-

ſuſcitandum in monaſtico ordine antiquæ religionis feruorem,primitias iuuentutis ſuæ dedicauit,exemplo & verbo cõuentui fratrum intrà ſepta monaſterij ad hoc omni ſtudio vacans.Poſtmodùm autem, cùm ad alium vitæ & conuerſationis ordinem infirmitate corporis cogeretur, & ſicut dictum eſt, neceſſitas infirmitatis & ordo neceſſitatis, à communi eum conuerſatione conuẽtûs plùs ſolito ſequeſtraret, hæc prima cœpit eſſe occaſio, vt quaſi hominibus de ſeculo expoſitus, quorum iam ad eum

Multi ad eũ ſeculares confluunt.

multitudo magna cõfluebat,ipſe etiam præſentiam ſuam liberiùs eis ac liberaliùs accommodans, verbum prædicaret. Cumque & longiùs aliquandò à monaſterio pro cauſis Eccleſiæ communibus obedientia traheretur,& quocunquè veniret, vndecunquè locuturus, de Deo ſilere non poſſet,& agere quæ Dei ſunt, nõ ceſſaret: ſic in breui

1. Cor. 12.

innotuit apud homines, vt Eccleſia Dei tam vtili membro in corpore ſuo reperto vti,ad quodcunque oportebat, non diſſimularet. Sed & licèt à primo flore ineuntis ætatis fructibus ſpiritûs ſemper abundauerit, ab hoc tamen tempore copioſiùs ei addita eſt, ſicut Apoſtolus dicit, manifeſtatio ſpiritûs ad vtilitatem: ſermo ſcilicet fœcundior ſapientiæ & ſcientiæ cum gratia prophetiæ, & operationes virtutum, & diuerſarum opitulationes ſanitatum. Quorum quædam, quæ certa narratione didici, qua fide à fidelibus mihi viris aſſignata ſunt, eadem & ipſe legentibus reſigno.

CAP. IX.

Miracula eius.

PRimum ergò ſignum hoc fuit, quod in manu ſerui ſui mundo celebre Chriſtus effecit. Cùm aliquantos iam in Clarauallę explêſſet annos, contigit Ioſbertum quendam nobilem virum de caſtello proximo, cui Firmitas nomen eſt, ægrotare. Cumque ingraueſcente ſubitò ægritudine obmuteſceret, & iam mori incipiens,ſine viatico hinc abiret: cœperunt omnes eô magis dolore affligi,tam ipſius ægri filius alter Ioſbertus, quàm propinqui cæteri & amici, omnisque familia, quòd ſine confeſſione peccatorum & cõmunionis ſacræ perceptione moreretur, vir honeſtus ſecundùm ſeculum,& magnificè honoratus. Erat autem cognatus viri Dei ſecundùm carnem. Cumque ad eum cucurriſſet nuncius, rediens à monaſterio trium Fontium, quod in parochia Catalaunenſi primum omniũ ipſe fundauit, diuertit ad eccleſiam quandam, & pro eodem infirmo obtulit hoſtiam ſalutarem. Eádem autem hora in ſe re-

ſe rediens homo,locutus eſt,& peccata ſua cum lachrymis fatebatur. Sed vt diligenter probatum eſt, vbi ſanctus vir ſacrificium conſummauit, ille quoquè obmutuit, vt priùs. Cùm autem deſideratus Chriſti ſeruus adeſſet cum Gerardo fratre ſuo & auunculo Galdrico, ab amicis ipſius obnixiùs rogabatur, vt pro eo oraret. Compaſſus autem tanto dolori, & confortatus in Domino, & bonitate & potentia virtutis eius, ſancto ſibi ſpiritu reuelante,cur hoc ſibi accidiſſet, cum omni fiducia eis reſpondit:Scitis quanta mala fecerit homo iſte, & quanta abſtulerit. Reddat ablata, & conſuetudines prauas ſuper pauperes vſurpatas, abneget tam ipſe, quàm filius & familia ſua, & Chriſtiano more morietur. Obſtupuêre omnes ad tantæ fidutiæ promiſſionem, eô quòd ignota adhuc hominibus gratia erat diuinitùs collata viro Dei. Maximè verò turbati & territi ſunt qui venerant cum eo,frater & auunculus. Quid plura? Factum eſt quod præcepit, & continuò ſecutum eſt etiam quod promiſit. Solutum eſt vinculum linguæ eius,cõfeſſus eſt cum gemitu & lachrymis peccata ſua,cum magna deuotione deoſculans manus eius: & accepto viatico communionis ſacræ, rurſus peractis omnibus, quæ facere eum oportebat, ſequenti nocte in ſpe miſericordiæ Dei expirauit.

Mutus reſtituitur, dum pro eo ſacrificium offert vir ſanctus.

Reuertebatur etiam aliquandò à pratis,& obuiam habuit mulierem,paruulum filium in brachijs deportantem, quem de longè attulerat ad eum, ab vtero matris habentem manũ aridam, & brachium tortum. Motus autem lachrymis matris & precibus, iuſſit puerum deponi: factaquè oratione, continuò ſignans puerum, & brachium,& manum eius,dixit mulieri,vt vocaret filium ſuum. Vocauit illa infantem, & occurrit,& vtroque brachio amplexatus matrem ſuam,ſanus factus eſt ex ea hora. Erant autem huius beati fratres & filij ſpirituales mirantes ſuper his, quæ audiebant & videbant de eo. Nec tamen more carnalium, in gloriam eleuabantur humanam: ſed iuuenili eius ætati & nouæ adhuc cõuerſationi, ſpirituali ſolicitudine metuebãt. In quo nimirùm zelo Galdricus auunculus eius & Guido primogenitus fratrum, cæteros anteibant,vt ipſos geminos tanquàm ſtimulos carnis ſuæ, nè gratiarum magnitudo eum extolleret, accepiſſe diuinitùs videretur. Neque enim parcebant, verbis durioribus exagitantes teneram verecundiam eius, calumniantes etiam benè geſta, ſigna omnia annihilantes,& hominem manſuetiſſimum nihilque contradicentem, frequenter vſq; ad lachrymas improperijs & opprobrijs affligentes. Narrare ſolet venerabilis Epiſcopus Lingonenſis Godefridus, ſancti viri & propinquus ſanguine, & in conuerſione ſocius,& extunc per omnia indiuiduus comes,primo miraculo,quod per manus eius fieri vidit,prædictum germanum eius affuiſſe Guidonem. Erat enim eis tranſitus per caſtrum Nantonis in territorio Senonum, & iuuenis quidam, cuius pedem fiſtula occupauerat,prædicti patris factum & benedictionem cum multa ſupplicatione petebat.Signatus autem, ſtatim conualuit:& poſt pauciſſimos dies regreſſi per eundem locum, ſanum atque incolumem inuenerunt. Cæterùm ſæpè dictus beati viri frater, ne ipſo quidem poterat compeſci miraculo, quô minùs increparet eum, & præſumptionis argueret, quòd acquieuerit tangere hominem: tanta ſiquidem charitate pro eo ſolicitus fuit.

Pueri cuiuſdam ſanat manum a-ridam.

Increpatur à ſuis auunculo & fratre,nè ſeſe extollat & ſuperbiat.

CAP. X.

CIrca idem tempus accidit, vt auũculus eius Galdricus, qui & ipſe zelo ſimili eius manſuetudinem,ſicut prædiximus, duris increpationibus obruebat, grauiſſimis febribus laboraret. Demùm ingraueſcente morbo, ipſa doloris magnitudine ſuperatus, Abbatem humili ſupplicatione compellit, vt ſui miſereatur, & opem ſibi ferat, quam cæteris conſueuit. At ille, cuius ſpiritus ſuper mel dulcis, primùm leniter breuiterque commemorans crebras ſuper huiuſmodi obiurgationes ipſius,& imponens ei,nè forte hæc diceret tentans eum: perſiſtenti tamen manum imponit, & febrem abſcedere iubet. Nec mora:ad imperium eius reliquit eum febris,expertum in ſemetipſo, quod in cæteris arguebat. Et is quidem Galdricus, cùm in Clarauallę aliquot iam perageret annos, feruens ſpiritu,& totius boni æmulator, ex luce migrauit. Qui ante ferè vnam horam mortis, turbatus ad momentum, & toto corpore terribiliter motus infremuit: ſed ad priſtinam ſtatim ſerenitatem reuerſus, deinceps vultu placidiſſimo expirauit. Noluit autem Dominus ſolicitum Abbatis animum huius rei cognitione fraudari. Siquidem poſt aliquot dies idem Galdricus apparens ei in viſu noctis, cùm omnia erga ſe proſpera eſſe ſciſcitanti reſponderet, & in magna ſe gratula-

Liberat auunculum à febre.

Galdrici auunculi S. Bernardi obitus.

retur felicitate locatum, demùm interrogatus est, quid sibi voluërit tam acerbà illà in morte, tamque repentina commotio. Dicebat autem, quòd duo spiritus nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parâssent: vndè territus, ità contremuit: sed beato Petro accelerante ereptus, nihil sensit deincèps læsionis. Longum est cuncta enarrare, quæ super his, qui de hac vita discesserant, & eorum felicitate, seu etiam necessitate, diuina ei gratia reuelare ab ipsis initijs consueuit. Vnum tamen dicam, quod ob fratrum commonitionem aliquotiès etiam ipse commemorare solebat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros fratres conuersationis, & minùs compatiens, quàm deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies viro Dei apparuit vultu lugubri & habitu miserabili, significans nõ ad votum cuncta sibi succedere. Interrogatus quid sibi esset, quatuor lacertis sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuò impulsus est, & quasi præcipitanter expulsus à facie viri Dei. Qui grauiùs ingemiscens, post tergum eius clamauit: Præcipio tibi in nomine Domini, vt qualiter tecum agatur, post paucos dies mihi iterum innotescas. Et conuersus ad orationem pro eo, & oblationem hostiæ salutaris, aliquos fratres etiam, quorum ampliorem nouerat sanctitatem, eidem similiter subuenire monebat. Nec verò destitit, donèc post aliquot dies, sicut præceperat, per aliã reuelationem cognita eius liberatione, meruit consolari.

Nota pœnã fratris defuncti, erga alios, dum viueret, seuerioris.

Precibus liberat fratrẽ à pœna sui purgatorij.

Vir reuerentissimus Hunbertus, Igniacensis posteà cœnobij ædificator, & primus pater, in Claraualle tam acriter morbo epilepsiæ laborabat, vt septiès corruens vna die, demùm etiam cerebro turbato, vix multorum manibus fratrum colligatus, in lectulo teneretur. Aduenientes aũt venerabilis Abbas, & sic inueniẽs virum, quem pro sua sanctitate speciali venerabatur affectu, repletus est zelo, & ait: Quid facimus? Eamus, oremus. Vt autem ingressus oratorium genua flexit, prædictus vir inter manus tenentium obdormiuit. Qui sequenti die Dominica de manu eius sacramenta susciens, perfectam adeptus est sospitatem, vt nihil tale vnquàm deincèps pateretur.

Epilepticus sanatur.

Circa hoc tempus in regno Galliæ & finitimis regionibus fames inualuit: seruorum suorum horrea, Domini benedictio cumulauit. Siquidem vsque ad annum illum nunquàm eis laboris sui annona suffecerat: sed tunc post messem collectam, diligenter omnibus supputatis, vix vsque ad Pascha sibi sufficere æstimabant. Cùm autem emere vellent, sumptus non inuenerunt, quòd longè cariùs solito venderetur. Itaque à tempore Quadragesimali pauperum ad eos maxima multitudo confluxit: Quibus erogantes fideliter, quod habebant, Domino benedicente, ex modica illa annona vsque ad messem, ipsi pariter, & qui superueniebant, pauperes sustentabantur.

Frumẽtum fratrũ diuinitùs augetur.

Virum pauperem, non longè à monasterio habitantem, vxor adultera maleficijs cruciabat. Sicut enim ei in ira & furore fuerat comminata, ità egerat per malignas incantationes, vt miser homo consumptis carnibus nec posset mori, nec viuere permitteretur. Sepiùs deniquè & vocis vsum, & sensum omnem corporis amittebat, iterumque redibat, non ad vitam, sed ad mortem prolixiorem crudeliter reuocatus. Adducitur tandèm homo ad virum Dei in monasterio demorantem, & ei tragœdia miserabilis explicatur. Qui vehementer indignans, antiqui hostis malitiam tantum sibi in Christianum vsurpãsse, vocans duos è fratribus ante sanctum altare hominem deportari, ibique superposito capiti eius vasculo Eucharistiam continente, in ipsius sacramenti virtute à læsione Christiani iubet dæmonem prohiberi. Factum est, vt præcepit, & miserum hominem post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati.

Eucharistia asseruata, pellit dæmonem.

CAP. XI.

ERat Robertus, eius sancti viri monachus, & secundùm carnem propinquus: qui in adolescentia sua quorundam persuasione deceptus, Cluniacum sese contulerat. Venerabilis autem Pater, postquàm aliquandiù dissimulauit, eundem fratrem statuit per epistolam reuocare. Quo dictante, venerabilis Gulielmus, Rieuallis posteà monasterij primus Abbas, in membrana scribens, eandem excipiebat epistolam. Erant enim ambo pariter sub dio sedentes: ad dictandum quippè secretiùs, septa monasterij egressi fuerant. Subitò autem inopinatus imber erupit, & is, qui scribebat, sicut ipso referente didicimus, chartam reponere voluit. Ad quem pater sanctus: Opus, inquit, Dei est: scribere nè timeas. Scripsit ergò epistolam in medio imbre sine imbre. Cumq; vndiquè pluueret, chartam expositam virtus charitatis operuit: & quæ dicta-

Scribitur Epistola cũ

dictabat epistolam, schedelam quoquè pariter conseruabat. Et hæc quidem epistola, ob tam grande miraculum, in codice epistolarum eius à fratribus non immeritò prima est ordinata.

in imbre sine imbre.

Agebatur solennitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacra communione suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum eius cum cæteris, nimiùm præsumptuosus, accessit. Intuitus autem eum, quia causa latẽs erat, repellere hominem nolebat: sed intimo corde orabat Deum, vt de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiã, non poterat ad interiora traijcere: & diu multumq; conatus, cùm nullo modo prævaleret, anxius & tremebundus clausam ore seruabat. Expleta deniquè hora orationis Sexta, patrem sanctum traxit ad partem: cuius pedibus aduolutus, cum multis lachrymis ei, quod patiebatur, aperuit, & aperto ore, ipsam quoquè Eucharistiam ostẽdebat. Increpans autem eum confitentem absoluit, & extunc sine difficultate recepit Dominica sacramenta.

Eucharistiã temerè percipiens, gluttire eam nõ potest.

In minimis etiam rebus magna per eum nouimus contigisse. Venerat aliquandò *Fusniacum, quæ est Abbatia vna de primis, quam ipse ædificauit, in Laudunensi territorio sita. Cumque ibidèm oratorij dedicatio pararetur, ità illud occupauerat muscarum incredibilis multitudo, vt earum sonitus improbusque discursus grauem minimis introeuntibus molestiam generaret. Nullo ergò succurrente remedio, dixit sanctus: Excommunico eas: & manè omnes mortuas inuenerunt. Cumque pauimẽtum omne operuissent, palis eijcientes eas, ità demùm basilicam mundauerunt. Hocautem tam notum & tam celebre fuit, vt inter vicinos quoquè, quorum ad dedicationem magna multitudo conuénit, muscarum Fusinacensium maledictio in parabolam verteretur.

* Fusinacũ

Muscas excõmunicat, & omnes moriuntur.

In eo quoquè monasterio, cui, Charus locus, est nomen, puerum quendam, qui incessabiliter flebat & * vigilabat, vir sanctus osculo sanauit. Cùm enim per multos dies sine intermissione plorans, nullam reciperet consolationem, quod genus morbi medici non ignorant, miserabiliter deficiens tabescebat. Quem seorsùm alloquens Pater sanctus, monebat vt suorum confessionem faceret delictorum. Facta autem confessione, subitò vultum serenans, petijt à beato Patre osculum sibi dari. Acceptoque ex ore sancti osculo, in omni pace protinùs quieuit, & lachrymarum fonte siccato, lætus & incolumis regressus est in patriam suam.

* for. vlulabat

Osculo sanat miserabilẽ puerũ.

Exeunte aliquandò Abbate post fratres reliquos ad laborem, filium claudum ei quidam pater obtulit, supplicans, vt ei manum imponere dignaretur. Intumuerant enim mirum in modũ genua eius. Excusabat autem se vir Dei, dicens se nõ esse illius meriti, à quo talia beneficia deberent postulari. Claudis reddere gressum, Apostolicæ esse, non suæ, virtutis. Victus tandem patris instantia, signauit puerum ac dimisit. Qui ex ea hora conualuit, & infra paucos dies, omni tumore deposito, ab eodem iterùm patre multa gratiarum actione reductus, incolumis oblatus est viro Dei.

Curat claudum puerũ.

Diuertit aliquandò nobilium cohors militum Claraualle m, vt sanctum viderent Abbatem. Propè autem erat sacrum Quadragesimæ tempus: Et illi omnes ferè iuuenes, dediti militiæ seculari, circumibant quærentes execrabiles illas nũndinas, quas vulgò torneas vocant. Cœpit itaque ab eis petere paucos illos, qui ante Quadragesimam supererant dies, nè armis interìm vterentur. Quibus obstinato animo eius acquiescere monitis renuentibus: Confido, ait, in Domino, quoniam ipse mihi dabit inducias, quas negatis. Et accersito fratre, iubet eis ceruisiam propinari, benedicens eam, & dicens, vt potionẽ biberent animarum. Biberunt ergò pariter, quidam tamen inuiti præ amore seculi, metuentes eum, quem posteà experti sunt, diuinæ virtutis effectum. Vt enim egressi sunt fores monasterij, mutuis sese cœperunt inflammare seruonibus, quia cor eorum erat ardens in eis. Inspirante ergò Deo, & currente velocitèr verbo eius, eádem hora reuersi, & conuersi à vitijs suis, spirituali militiæ dextras dederunt. Quorum quidam adhuc militant Deo: quidam verò regnant cum eo, vinculis carnis absoluti.

Aliquot nobiles reuersi, fiunt eius monachi.

Quid autem mirum, quòd deuotis hunc hominem colit obsequijs maior ætas, in cuius deuotione diuina virtus ipsam quoquè infantiam excitat, expertem adhuc rationis, & deuotionis ignaram? Norunt multi illustrem iuuenẽ Vualtherum de Monte mirabili, cuius patruus frater Vualtherus inter eos, quos prædiximus, milites sacrã in Claraualle militiam est professus. Hunc ergò Vualtherum minorem, cùm adhuc

Sancta consuetudo eius.

infantulus esset, & necdùm ab ortu suo mensem tertium expleuisset, mater sua benedicendũ obtulit viro Dei, gratulabunda & exultans, quòd in domo sua mereretur habere tam sanctum virum. Cumque vir Dei, sicut semper in omni loco facere consueuerat, de salute & ædificatione animarum ad circumpositos loqueretur: prædicti mater infantis, tenens eum in gremio, sedebat secùs pedes eius. Accidit autem, vt inter loquendum manum aliquandò protenderet, & apprehendere eam conaretur infantulus. Aduertitur autẽ conatus paruuli, cùm sæpiùs id fecisset, & mirantibus vniuersis, datur ei facultas, vt manum possit apprehendere, quam optauit. Tum verò mirum in modum cum reuerentia alteram manum suam supponens, altera tenens eam detulit ad os suum, & osculatus est eam. Neq; id semèl tantùm, sed totiès faciebat, quotiès beatam manum tenere permissus est.

Infantulus admodùm reuerenter osculatur manũ eius.

CAP. XII.

INfirmabatur aliquandò homo Dei, & velut riuulus quidam phlegmatis incessanter ab eius ore fluebat. vndè exhausto corpore vsquequaquè deficiens, paulominùs ad extrema deuénit. Cõuenerunt itaque filij & amici eius, velut ad exequias tanti patris, & egoipse inter cæteros adfui, quòd me quoquè eius dignatio in amicorum numero reputaret. Cumque extremum spiritum iam trahere videretur, in excessu mentis sue ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Adfuit autem & satan ex aduerso, improbis cum accusationibus pulsans. Vbi verò ille omnia fuit prosecutus, & viro Dei esset pro sua parte dicendum, nihil territus aut turbatus, ait: Fateor, non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere cælorum. Cæterùm duplici iure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet patris, & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat: ex cuius dono iure illud mihi vendicans, non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conuentus ille solutus, & homo Dei in se reuersus est. Rursùs autem velut in litore quodam positus, videbatur sibi nauem, quæ se transueheret, expectare. Cumque applicuisset nauis ad litus, festinabat ingredi: & illa cedens, impingebat in aquam. Vsque tertiò ità faciens, tandèm relicto eo, nauis ibat, & non reuertebatur. Intellexit autem protinùs, necdùm tempus suæ nauigationis adesse: adhuc tamen crescebat dolor, eo vtiquè magis molestus, quo minùs cum spes imminentis exitûs solabatur. Contigit autem aduesperascente iam die, vt cæteris fratribus iuxta consuetudinẽ accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diuersorio, in quo iacebat. Cumque vehementiùs affligeretur, vt supra vires dolor accresceret, aduocãs alterum è duobus, iubet citiùs oratum ire. Excusantem deniquè, & dicentem, Non sum ego talis orator: obedientiæ authoritate compellit. Itum est & oratum ad altaria, quæ in eadem basilica erãt tria: primum in honore beatæ Dei genitricis: duo circunposita in honore beati Laurentij martyris, & beati Benedicti Abbatis. Eádem hora adfuit viro Dei prædicta beata virgo, duobus istis stipata ministris, beato scilicet Laurentio, & beato Benedicto. Aderant autem in ea suauitate & serenitate, quæ eos decebant: & tam manifestè, vt ex ipso introitu cellulæ, personas discerneret singulorum. Imponentesque ei manus, & loca doloris attactu pissimo lenientes, omnem protinùs ægritudinem depulerunt. Siccatus est enim ilicò phlegmatis riuus, & dolor omnis abscessit.

Infirmatur vsq; ad mortem, S. Bernardus.

In spiritũ raptus, accursantem ipsum diabolum mirè pudefacit.

Appáret ei beata Virgo eũ SS. Laurentio & Benedicto, & sanat eũ.

Cùm autem & ego ægrotarem aliquandò in domo nostra, & me iam nimiùm fatigâsset & attriuisset in longum nimiùm se protendens ægritudo, audiens hoc, misit ad me fratrem suum, virum bonæ memoriæ Gerardum, mandans me venire ad Clarauallem, spondens me ibi citò aut curandum, aut moriturum. Ego verò quasì diuinitùs accepta vel oblata facultate, seu apud eũ moriendi, seu aliquandiù cum eo viuendi: quorum quid tunc maluerim, ignoro: profectus sum statìm illuc, quanuis cum labore nimio & dolore. Vbi factum est mihi, quod promissum fuerat: & fateor, sicut volui. Reddita mihi quippè sanitas est à magna & periculosa infirmitate: sed sensìm & paulatìm vires corporis rediêrunt. Deus enim bone, quid mihi boni contulit infirmitas illa, feriæ illæ, vacatio illa? Nam cooperabatur necessitati meæ toto illo tempore infirmitatis meæ apud eum infirmitas eius, qua & ipse tunc temporis detinebatur. Infirmi ergò ambo, tota die de spirituali physica animæ conferebamus, de medicamentis virtutum, contra languores vitiorum. Itaque tunc mihi disseruit de Cantico Canticorum, quantum tempus infirmitatis meæ permisit, moraliter tantum,

Author huius historiæ curatur ab eo.

tum, intermissis altioribus mysterijs scripturæ illius: quia sic volebam, & sic petiëram ab eo. Singulisque diebus, quæcunque super hoc audiebam, nè mihi effugerent, scripto alligabam, inquantùm mihi Deus donabat, & memoria me iuuabat. In quo cùm benigne & sine inuidia exponeret mihi & communicaret sententias intelligentiæ, & sensus experientiæ suæ, & multa docere niteretur inexpertum, quæ non nisì experiendo discuntur: etsì intelligere non poteram adhuc, quæ apponebantur mihi, plùs tamen solito intelligere me faciebat, quicquid ad ea intelligenda deesset mihi. Sed de his hucusquè dixisse sufficiat. Cùm autem instante Dominica, quæ Septuagesima nominatur, vespera ipsa sabbati, Dominicam ipsam præcedentis, iam tantum conualuissem, vt valuissem de lecto surgere per me, & intrare possem & exire, cœpi disponere de reditu nostro ad fratres. Quod ipse auditum omninò prohibuit, & vsq; ad Dominicam Quinquagesimæ omnem mihi spem reditûs & conatum interdixit. Acquieui facilè, cùm quod præcipiebatur, voluntas non abnueret, & infirmitas requirere videretur. Cùm autem vltra Dominicam illam Septuagesimæ à carnibus, quibus vsque ad diem illam ipso præcipiente, & necessitate infirmitatis cogente, vescebar, vellem abstinere, & hocipsum prohibuit. Super quo cùm nec prohibenti acquiescerem, nec rogantem audirem, nec obedirem præcipienti, sic vespere illo sabbati ab inuicèm discessimus: ille tacitus ad completorium, ego ad lectum. Et eccè infirmitatis meæ rabies rediuiua, quasì resumptis viribus omnibus, cùm tãta me vehementia & ferocitate inuadens corripuit, tantaque me malignitate tota nocte illa deuastando cruciauit supra vires, supra virtutem, vt de vita desperans, vix saltem vsque ad diem, vt vel semèl adhuc loquerer viro Dei, crederem me victurum. Cumque in dolore illo totam noctem duxissem, summo manè accersitus ille aduénit: nõ tamen afferens, quem solebat, vultum compatientis, sed quasì arguentis. Subridens tamen: Quid, inquit, hodiè comedetis? Ego verò, qui, hoc ipso tacente, hesternam inobedientiam certissimè interpretabar causam esse nocturnæ illius afflictionis meę: Quicquid, inquam, præcipietis: Quiescite ergò, ait, non moriemini modò: & abijt. Et quid dicam? Cõfestim & omnis dolor abijt: nisì quòd fatigatus nocturno dolore illo meo, tota ipsa die vix de lecto surgere valui. Quis enim, aut qualis fuit ille dolor? non recolo similem me aliquandò fuisse perpessum. In crastino autem sanus factus sum, & vires recepi: & paucis interpositis diebus, cum benedictione & gratia bona boni hospitis mei, ad propria reuersus sum.

Abbas Vuillelmus, dũ sancti viri nõ obtemperat volũtati, in mortem recidit.

Idem ab eò instruitur in rebus diuinis.

CAP. XIII.

CVmque dilectus Deo & hominibus Bernardus, in illa valle sua, & vicinis ciuitatibus & regionibus, quas aliquotiès eum inuisere domesticæ curæ ratio cogebat, tantis floreret virtutibus & miraculis, cœpit etiam seu communibus ecclesiæ necessitatibus, seu charitate fratrum, seu obedientia maiorum, ad remotas pertrahi regiones, paces desperatas inter dissidentes Ecclesias & principes seculi reformare, causas humano sensui & consilio interminabiles, auxilio Dei pacificè terminare, & virtute potiùs fidei, quàm spiritu huius mũdi de multis huiusmodi impossibilibus possibilia faciendo, quasì montes transferendo, in oculis omnium mirabilis & venerabilis magìs ac magìs apparére. Maximè verò intantùm in eo enitescere cœpit virtus prædicationis, vt dura etiam corda auditorum sæpè ad conuersionem emolliret, & vix aliquãdò vacuus domum rediret. Postmodùm verò feliciter proficiente, & vsu sermonis, & exemplo conuersationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei, tam copiosas piscium rationabilium multitudines cœpit concludere, vt de singulis eius capturis nauicula domûs illius impleri posse videretur. Vndè factum est, vt in breui maiori miraculo, præ omnibus, quæ in hac vita gessit, miraculis, per vnum hominẽ languidum & seminecem, tantummodò loqui valentem, obscura vsq; ad illud tempus illa vallis, & re & nomine Clarauallis efficeretur, diuinæ cuiusdã claritatis lumen, quasì de summo quodam apice virtutum, diffundens in deuexa terrarum: & extunc apud vallem illam, quæ priùs dicebatur Vallis Absynthialis & amara, cœperunt montes stillare dulcedinem. Quæ vacua fuit & sterilis ab omni bono, cœpit abũdare frumento, & de rore cæli & benedictione Dei, intantùm pinguescere omnia deserta eius, & multiplicata gente magnificare lætitiam, vt impletum in ea videatur, quod olim per prophetam dictum est ad ciuitatem Hierusalem: Adhuc, inquit, dicẽt in auribus tuis filij sterilitatis tuæ: Angustus est locus: fac locum, vt habitemus. Et dices in corde tuo:

Multùm crescit opinio sanctitatis eius.

Vis concionum eius.

Amos 3.

Esaiæ 49.

Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & nō parturiens: & istos quis enutriuit? Iam enim de locis angustioribus vallis illius, domus clausträlis habitationis, non sine diuinis quibusdam reuelationibus, translatæ in locum planiorem & spatiosum magnificatę & amplificatæ sunt, & adhuc multitudini inhabitantium angustus est.

Mirum in modum sub illo auxerit numerꝰ monachorum & cœnobiorum.

Iam domus Ordinis illius, filiæ domûs ipsius, citra & vltrà Alpes & maria, deserta plurima impleuerunt, & adhuc sunt, & quotidiè confluunt, quibus locus quærendus est. Et petuntur vndiquè fratres, & mittuntur, cùm beatos se æstimant reges gentium, & præsules ecclesiarum, ciuitates & regiones, quæcūq; de domo illa & disciplina viri Dei contubernium aliquod sę gaudent adipisci. Quid dico? Vltra homines vsque ad barbaras natiões, in quibus naturalis feritas naturam quodāmodò exuit humanam, religio hæc profecta est, vbi per eam bestiæ syluæ, homines fiunt: & cum hominibus assuetæ conuersari, discunt cantare Domino canticum nouum. Quapropter piscator Dei, præcipiente Domino, nō cessat laxare retia in capturam, & alijs abeuntibus, alijs succedētibus in locum eorum, nunquàm minuitur sanctæ illius congregationis plenitudo. Hoc vsque nunc egérunt, & quotidiè agunt mirę eius capturæ, Catalaunensis, Rhemensis, Parisiensis, Moguntinensis, Leodiensis, & aliarum nonnullarum ciuitatum: Flandriæ quoquè, Germaniæ, Italiæ, Aquitaniæ, & aliarum regionum, quascunque quacunque necessitate contigit aliquandò, seu adhuc vsque hodiè contingit virum Dei visitare. Cooperante siquidem gratia spiritussancti, quocunquè vadit, plenius redit, & sua eum plenitudo vbiquè comitatur. Nec dimittit suos, quos à se transmittit, sed vbicunquè sunt, & ipse semper paterna solicitudine cum eis est. Et sicut ad locum, vndè exeunt, flumina reuertuntur: sic ad ipsum quotidiè seu læta, seu tristia filiorum suorum. Sæpè etiam sine omni relatione carnis & sanguinis, paternæ eius solicitudini diuinitùs innotescit, quid circa aliquos eorum longè à se distantes agatur: si quid eis prouidendum, si quid in eis emendandum sit: tentationes & excessus eorum, infirmitates & obitus, & quarumlibet secularium tribulationum incursus. Nam & pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpè orationem indicit: nonnunquàm etiam morientes in alijs locis, ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem eius & licentiam postulantes: nimirùm agente hoc obedientia missorum, & charitate mittentis.

Ecclę 1.

Si homo in corpore degens, ità nouit res absentium: quanto magis sancti in cælis?

Veneram aliquandò ad eum, & dum loquerer ei, vidi & audiui, quod silere nō debeo: Aderat monachus quidam Fusniacensis, continuò ad suos rediturus. Cumq; responso accepto super his, pro quibus venerat, iam ab eo egrederetur, in spiritu & virtute Eliæ reuocans eum propheta Dei, & nomine fratris cuiusdam de domo illa præmisso, de occultis quibusdam, me audiente, mandauit ei, vt corrigenda corrigeret: sin autem, iudicium Dei super se in proximo expectaret. Stupefactus ille, quis ei hæc dixerit, requisiuit. Quisquis, inquit, dixerit mihi: tu vade, & dic, quæ ego dico tibi, nè, si dissimulaueris, te quoquè inuoluat par pœna peccati. Mirabar super hoc: sed mirāti mihi, in simili causa mirabiliora de eo narrata sunt.

Nouit occulta peccata absentiū

Guido nanque frater eius, maior natu inter fratres suos, cuius grauitatis & veritatis fuerit vir, omnes sciunt, qui scire eum potuerunt. Hic, cùm simul alicubi essemus, & de huiusmodi loqueremur, & quærerem ego ab eo, sicut iucundæ ad amicos collocutionis esse solebat: Fabulæ, inquit, sunt, quæ auditis. Cumque suo more & solito studio fraternas virtutes deprimeret, mihi tamen nollet esse molestus: Quæ, inquit, nescio, nō dico vobis: sed vnum narrabo, quod scio & expertus sum, multa ei in oratione reuelari. Deindè narrauit mihi, quomodò, cùm primò melliflua illa spiritualium apum aluearia, noua de se examina circunquaquè proferre, nouasque ex eis domos ordinis sui ædificare cœpissent: petente & agente domino Gulielmo Episcopo in Episcopatu Catalaunensi eam, quæ trium Fontiū dicitur, construxerūt. Ad quam cùm Abbatem cum monachis emisissēt dominum Rogerium, virum nobilem secundùm seculum, sed nobiliorem sanctitate, & viros quosdā similis formæ cum eo: spirituales pater filios, quos emisit, nō dimisit, sed paterna solicitudine & pia affectione cū eis erat. Vndè cùm die quadā simul soli essent Abbas & ipse frater eius, cuius hoc relatione didici, & de fratribus ipsis ad alterutrū loquerentur: subitò altiùs solito suspirans, durius aliquid solito de eis corde suo sibi respōdente: Vade, inquit fratri suo, ora pro eis: & quicquid ostenderit tibi Deus, refer ad me. Ipse enim grauissima valetudine ea hora laborans, in lectulo tenebatur. Ad quod ille vehemēter expauescens: Absit, inquit: nō sum, qui hoc modo nouerim orare, q hoc merear impetrare. Perseuerante tamen

Guidonis, de fratre suo Bernardo narratio

Abbas Rogerius qualis fuerit.

tamen eo in sententia, itum est & oratum. Ille igitur per singulos, in quantùm præualuit, pro singulis fudit ad Deum animam suam: tantaque per singulos in orando perfusus est suauitate conscientiæ, tantaque impetrandi fiducia, & omni gratia spiritualis consolationis, vt in omnibus certa fide exauditum se exultaret spiritus eius, exceptis duobus, in quibus oratio titubauit, hæsitauit deuotio, fiducia defecit. Quod cùm retulisset ad eum, à quo missus erat, ille statim pronūciauit de illis duobus, quod postèà probauit euentus.

Prędicit futura de duobus fratribus.

Abbas autem Rogerius & aliqui, qui cum eo erant, ipsi fuerunt, quos vir Dei aliquandò de Catalaunensi traxit ciuitate, de quibus vel in quibus etiam tunc simile quid factum fuerat. Cùm enim gratia Episcopi Catalaunum frequentaret, rediens aliquandò, traxit secùm multitudinem copiosam nobilium & literatorum, clericorum & laicorum. Quibus adhuc in domo hospitum demorantibus, dum nouellas plantationes cælestibus irrigaret eloquijs, superuenit portarius monachus, nuncians Stephanum de Vitreio magistrum eorum, adesse ad renunciandum seculo, & cum eis commorandum. Quis alius de talis viri aduentu non exultâsset vehementer, cùm vallis illa huiusmodi frumento non multùm adhuc abundaret? Ipse verò, reuelante sibi spiritusancto insidias spiritualis nequitiæ, tacitus aliquantulùm ingemiscens, erupit in vocem audientibus vniuersis: Malignus, ait, spiritus huc eum adduxit. Solus venit, solus reuertetur. Obstupuêre omnes, qui priùs, audito eius aduentu, non se poterant capere præ lætitia. Veruntamen nè pusillos adhuc scandalizaret filios suos, susceptit hominem, & de perseuerantia alijsque virtutum studijs studiosè commonuit, & sciens & præuidens omnia promittentem, nihil acturum, cum verè Deum quærentibus & perseueraturis, in cellam nouitiorum probandum intromisit. Sed de omnibus, quæ prædixerat, nihil cecidit in terram. Vidit idem Stephanus, sicut confessus est, cùm in cella nouitiorum adhuc demoraretur, Maurulum quendam puerum ab oratorio se extrahentem. Vbi sex fermè mensibus degens, nouissimè tamen defecit, & vt de eo dictum fuerat, sicut solus venerat, sic solus recessit. Frustrata estautem versutia inimici, & quem nouitiorum parauerat in ruinam, de ipsius ruina ipsi confirmati sunt.

Nota prophēticam gratiam.

Ecce tibi insidias Satanæ.

Priusquàm à Catalauno recedamus, cùm aliquandò pater sanctus indè rediret, frigore & vento tam ipse, quàm qui cum ipso erant, grauiter laborabant. Cumque præcedentibus multis, qui tunc fortè in comitatu eius erant, nec præ angustia frigoris ad eum attendentibus, penè solus ipse sequeretur: contigit equum vnius è duobus, qui cum eo erant, incautè dimissum euadere, & excurrere per planitiem latè patentem. Quem cùm apprehendere non possent, & intemperies aëris ad hoc non permitteret, vacare diutiùs: Oremus, inquit. Flexisque genibus in oratione cum fratre, qui cum eo erat, vix adhuc Dominicam poterant orationem expleuisse, cùm ecce equus ille cum omni mansuetudine rediens, subtitit ante pedes ipsius, & redditus est sessori suo.

Ingens vis precū eius.

Et vt à Catalauno ad Rhemensem ciuitatem perrtranseamus, contigit aliquandò, dissentientibus Archiepiscopo & populo Rhemensi, ad conciliandos eos adesse virum Dei. Cumque in palatio eiusdem ciuitatis cum Iosleuo Suessionensi Episcopo consedissēt, & magna Cleri plebisque frequentia repleta domo, de pace tractaretur: Ecce misera mulier coram omnibus filium suum plenum, vt putabatur, dæmone ei offerens, misericordiam precabatur. Siquidē iam ipso die insurgens in matrem suam, penè eam occiderat, & mutus effectus, & surdus, & cæcus, apertis oculis non videbat, & stupentibus in eo sensibus omnibus, etiam sine intellectu permanebat. Compassus verò miseræ matri, quam maximè sensus doloris illius excruciabat, misero adolescenti blandiens, & pijs manibus caput eius & faciem demulcens, alloqui eum cœpit, & quomodò in matrem suam manus mittere præsumpsisset, scisciatari. Ille verò ad se reuersus, peccatum suum continuò recognouit, & deincèps emendationem promittens, incolumis restitutus est matri suæ.

Discordiarum conciliator S. Bernardus.

En quàm facilè curat tam miserū hominem.

In monasterio quoquè, quod Alpense dicitur, inter cæteros, qui curam requirebant, infirmos, venit ad eum mulier, quæ caduco morbo laborabat. Hæc in ipsa hora cùm staret coram eo, à repentino impetu mali illius corruit. Sed apprehensa manu eius, continuò erexit eam: nec tantùm in hora illa, sed perfectè omninò curata est ab infirmitate sua.

Epilepticā celerrimè sanat.

CAP.

CAP. XIIII.

Præclara conuersio Ducissæ Lotaringiæ.

DVcissa Lotaringiæ, fœmina quidem secundùm seculum nobilis, sed ignobiliter nimis victitans, cùm vidisset aliquandò in somnis illum hominem Dei, serpentes septem horribiles de vtero eius, manibus proprijs extrahentem, postmodùm ad religiosè viuendum commonitione & doctrina eius conuersa vsquè hodiè se esse, de qua septem dæmonia ejecerit, gloriatur. Nouì clericum quendam, Nicolaum nomine, seculo penè desperabiliter deditum, sed per eum de seculo liberatum: qui cùm in Claraualle monasticæ conuersationis habitum & ordinem suscepisset, videns eos, qui de seculi illuc naufragio confugerant, naufragij sui damna continuis lachrymis redimere, idemque ipse facere volens, nec valens præ duritia cordis sui: rogabat eum cum magno cordis dolore, vt sibi impetraret à Domino gratiam lachrymarum. Orauit, tantamque ei & tam continuam impetrauit compunctionem cordis cum gratia lachrymarum, vt vix aliquandò inueniretur vultus eius in diuersa mutari, vel oculi sine lachrymis, cùm iret per viam, vel cum quolibet loqueretur.

Gratiam lachrymarum impetrat cuidam fratri.

Tot sunt & tãtæ, quas in hunc modum de eo audiuimus & vidimus, virtutes & sanitates, & circa diuersas hominum necessitates diuersæ opitulationes, vt si omnes velim vel verbo vel scripto pronunciare, timeam nè fastidiosis incredulitatẽ, vel incredulis fastidium inueniantur generare. Aliquanta siquidẽ adhuc narrare volenti, plura se offerunt, non solũ de præterito, sed & de p̃senti, quæ vsq; hodiè non desinit operari. In omnibus autem operibus suis quàm purus sit ei oculus intentionis, manifestè denunciat corpus lucidæ operationis. Summos quippè honores Ecclesiasticos, & seculariũ principum fauores, quasì dignũ eum prosequentes, non iactanter respuendo, sed religiosè & rationabiliter declinando, quid in omni operatione sua semper quæsierit, quid ambierit, manifestè declarat. Mediolani, Rhemis, Clero eligente, populo acclamante, in Archiepiscopum nominatus est: Catalauni, Lingonis in Episcopum: & idipsum in multis iam alijs ciuitatibus actum fuisset, si consensûs eius aliqua spes esse potuisset. Cumq; dignus esset vt cogeretur, nescio quo iudicio Dei & singularis reuerentia sanctitatis, iam olim apud omnes obtinuit, nè aliquandò ad aliquid contra voluntatẽ suam cogatur. Sed cùm hoc modo huius mũdi modò fugit honorem, omnium honorum non effugit authoritatem. Dignus in conscientijs omnium est, qui in timore & amore Dei timeatur & ametur: quo præsente, vbicunquè fuerit, nil contrà iustitiã audeatur: cui, vbicũquè aliquid loquitur vel agit pro iustitia, ab omnibus obediatur. Et hac fultus authoritate, vbicunquè necessariũ est in Ecclesia Dei, cùm obedientiæ vel charitatis vrget necessitas, nullã refugit incommoditatem laboris sui. Cuius enim voluntati tantum detulit, cuius consilio sic se humiliauit omnis tam secularis quàm Ecclesiasticæ dignitatis altitudo? Reges superbi, principes & tyranni, milites seculi huius & raptores, sic eum timent & reuerentur, vt videatur in eis impletum, quod in Euãgelio Dominus legitur dixisse discipulis suis: Eccè dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnẽ virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Porrò inter spirituales, & vbì spiritualia spiritualiter examinãtur, longè rei alia authoritas est. Sicut enim dicitur per prophetam de sanctis animalibus, quia cùm fieret vox super firmamentum, quod imminebat capiti eorum, stabant & submittebant alas suas: sic hodiè vbiq; terrarũ spirituales quique, loquente eo seu tractante, stant, cedendo præcedenti, & sensibus eius seu intelligentijs submittunt sensus suos omnes & intelligentias suas. Testantur hoc scripta eius, quæ vel ipse scripsit, vel alij scripserunt, sicut ex ore eius exceperunt. Tanta ergò virum illum sanctum vsq; hodiè & apud Deum & homines commendant sacrarũ insignia virtutum, testimonia circunuallant sanctitatis, charismata sanctiſpiritûs illustrant: quodq; maius his omnibus & difficillimum est in humanis rebus, hæc ei omnia sine inuidia adesse videntur. Compescit autem ab eo inuidiã, quòd omni inuidia maior est, inquantùm nequitia cordis humani hoc sæpè cessat homini inuidere, quò non potest adspirare. Sed & ipse omnẽ inuidiam, aut mortificat exemplo humilitatis, aut mutat in melius prouocatione charitatis, aut si nequior aut durior est, obruit pondere authoritatis. Quis enim tam affectuosæ peritiæ hodiè inuenitur ad fouendã charitatem, vbì est: ad prouocandam, vbì nõ est? tam, ad quoscunq; potest, beneficus, ad omnes benevolus, tantam habens gratiam ad amicos, patientiam ad inimicos? Si tamen vllum aliquandò habere potuit inimicum, qui nulli aliquandò voluit inimicari. Sicut enim amicitia non nisì duorũ est, nec nisì inter duos amicos haberi potest: sic nec inimicitia, nisì duorum

Multos episcopatus recusat.

Magna eius apud omnes authoritas.

Luc. 10.

Ezech. 1.

Qui diligentem se odit, non inimicus, sed iniquus dicendus est.

duorum inimicorum est. Qui enim odit diligentem se, non tam inimicus, quàm iniquus est. Sed qui omnem hominem diligens, nullum aliquãdò inimicum habet virtute sua: nonnunquàm est tamẽ quod patiatur, inimicante sibi gratis iniquitate aliena. Charitas autem, quæ totum eum possidet, patiens est, benigna est, sapientia vincens malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate. 1. Cor. 13.

Ea, quæ sequuntur, ad calcem primi Libri, eius authore defuncto, adscripsit Burchardus Abbas Balernensis.

PRæscriptũ opus, quod de vita sanctissimi viri Bernardi Claræuallis Abbatis, à venerabili Vuilhelmo, pridèm sancti Theodorici Abbate, sed tũc iam monacho Signiacẽsis cœnobij, ad quod desiderio solitudinis & quietis sese contulerat, conscriptum est, vsquè ad tempus schismatis, aduersùs Innocentium Papam à Petro Leonis conflati, digestum esse cognoscitur. Fuit autem præfato fideli viro specialis causa scribendi, amicitia & familiaritas, quibus viro Dei multo tempore coniunctus erat, Vndè & tantam apud illum inuenerat gratiam, vt vix alter magis inueniretur intimus ad secreta communicanda mutuæ dilectionis, ad spiritualium mysteriorum conferẽda sacrosancta colloquia. Cuius familiaritatis gratia ex eo præcipuè vsquè modò prodit ad manifestationem: quia plures epistolas idem sanctus scripsit ad illum, in quibus, quãtum sentiat de illo, liquet manifestè legentibus illas. Scripsit etiam ad ipsum librum Apologeticum, & alterum De gratia & libero arbitrio. Fuit tamen eidem Vuilhelmo, speciali valentior, generalis causa scribendi, videlicet vtilitas totius Ecclesiæ Dei, nè cùm absconditur vas plenum thesauro desiderabili, ipse quoquè thesaurus pariter abscondatur. Vnde non immeritò conqueritur, qui exponi desiderat, dicens: Thesaurus inuisus, & sapientia abscondita, quæ vtilitas in vtrisque? Exponit iste diuitias salutis, thesaurum desiderabilem, nè lateat cùm gleba, quod gleba non est, sed preciosissima margarita. Accidit tamen ei contra desiderium suum: quia, sicut ipse in præfatione sua vereri se denunciauit, præoccupatus morte, non expleuit, quantum animo conceperat stylo mandandum. Itaque qui accedit ad lectionem operis huius, facilè satìs intelliget, à qua perfectiõe pius puer & religiosus Bernardus, velut alter Benedictus, primordia conuersionis fuerit aggressus: qui & in vtero matris sanctificationem visus est accepisse, de qua concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis illius, vitæ pariter & doctrinæ. Sicut refertur de illo, nunquàm suxit vbera nutricis, nisì matris: vt cum lacte piæ matris pietatem sugeret, non errorem. Sunt infantes, qui pendẽtes ad vbera matrum, vultu turbulento & toruis oculis præfigurant, quales sint futuri. Sunt & alij, qui lactentes, lactantium mammas pugnis & capitibus quasì furiosi contundunt. At infans Bernardus bonæ indolis, exhibuit semper signa pietatis. De matris vtero exiẽrunt cum illo indicia bonitatis, facies gratiosa, vultus placabilis, oculi columbini. Quicquid fuit illi ad indicium bonitatis ex dono naturæ, per donum gratiæ transijt in virtutem. Infans, nondùm fans lingua, fari videbatur gratia iam accepta. Auulsus à lacte, & transiens iam in puerum, iam aliquid maturum prætendebat, puerilia iura transcendens. Quid agere cœperit etiam adolescens, in præscripto narratur opere, ac deincèps vsque ad virum perfectionis depingitur diligenter, quantùm, sicut iam dictum est, licuit optimo pictori, sed præoccupato.

Dominus Vuilhelmo primi libri author vitæ defungitur, quæ restant à posteris conscribenda relinquens.

Præfatio Bernardi Bonæuallis Abbatis, in secundum librum vitæ beati Bernardi Clarauallensis Abbatis, Ordinis Cistertiensis.

MIrorum illustrium gesta nonnulli Scriptorum laudibus attollentes, verbis ea solennibus celebrârunt, quantùm excellentis ingenij & disertæ linguæ potuêre conamina. Cumque tractator & opus, iunctis complexibus pari sunt fœdere coniugati, & ad propositum thema, vt dictum est, ordinandum, ingenium & eloquentia conuenerunt, prosperè actum est, & ad quietum tranquillumque portum directo cursu materia dignè ordinateque disposita appulit. Vbì verò sublimitas negocij sub imperito artifice naufraga eliditur scopulis, & succumbente sensûs hebetudine, tractatoris lassatur præsumptio, serò de correctione initur consilium: quia quæ in multos effusa sunt, nec reuocari possunt, nec

nec corrigi,& dissonantiam scripti & operum venustius esset abradi, quàm emendari. Hæc ego mecùm reputans & reuoluens, omninò timeo, nè sicut ipse multorum imprudentiæ soleo indignari, qui cùm scientia & facundia careant, ad scribendum præcipites,cùm se vehemẽter emunxerint, eliciunt sanguinem: ità & ego,si, quod supra me est, aggrediar, meipsum derisioni exponam. Quis enim ego sum, qui ad scribenda gesta sanctissimi viri Bernardi Claræuallis Abbatis adspirem, qui nostris temporibus singulari religione floruit & doctrina, cuius odor exinanitus vniuersam repleuit Ecclesiam, cuius gratia, cooperante Domino, signis & miraculis declaratur? Quot in monasterium eius literatos viros,quot rhetores,quot philosophos seculi huius scholæ miserunt ad conuersationem theoricam & mores diuinos? Quæ non ibi floruit disciplina,vbi erãt examina magistrorum,& egregij viri, exercitato intellectu insignes: qui adinuicèm diuinis studijs inhærentes, multis gratiarum authoramentis inuicèm seipsos edocent & accendunt? Quorum vnanimis vniuersitas cantat canticũ graduum,& ascendens cum Iacob,in summitate scalæ in decore suo Deum videt,radiante corona perspicuũ. Debuerant vtiquè viri illi, quibus nihil in aliqua gratia deest, hunc laborem assumere,& eorum esset,venerabili patri inscalpere monimẽta, vt esset eorum studio delectabilis pagina, quam quasi viuentem traderẽt legendam discipulis, & perpes foret consolatio, secùs positis reliquijs sacri corporis & sermonis. Sed extrema æmulari, & quæ homines lateãt, Claræualis cõsueuit humilitas: & proferre in publicum aliqua sui indicia,viri illi nobiles erubescunt,& quietiores eos facit contemptus & abiectio,quàm quælibet oblatio dignitatis,in qua sibi professio humilitatis periclitari videtur. Ob huiusmodi causas sese intrà silentij cardines retinentes, magis in sacco eremi,quàm in serico palatij delectantur: nec iam in stylo,sed in cruce gloriam quærunt. In hoc ergò,sicut & in cæteris eiusmodi, negociorum suorum sarcinas alijs libenter imponunt. Et nunc sublato venerabilis memoriæ domino Vuilhelmo, qui eiusdem viri sancti & glorioſa primordia feliciter & deuotè conscripsit, ad meam exiguitatem huius operis deuénit petitio, & imposuit mihi dilectæ Ecclesiæ charitas,vt coquam pulmentum filijs prophetarum. In quo si colocyntidas miscuero negligens,superiecta,vt confido,farinula amaritudinem cõdiet Eliseus: & excessus insipientiæ, obedientiæ bonitas condonabit.

Multi literati, rhetores, philosophi, facti monachi in Claraualle. Gen. 28.

Nota humilitatem primorum monachorum Claraualensi.

4. Reg. 4.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Obitus Honorij Papæ.

IA tempestate Honorius Papa,cuius adhuc instituta nitent & redolent, viam vniuersæ carnis ingressus est. Nec mora,in electione distidẽtibus Cardinalibus,& diuisa Ecclesia, plures numero & seniores consilio, vita probabiles, viri virtutum,persbyteri,diacones, Episcopi,Innocentium elegerunt,cuius vita & fama & ætas & scientia digna summo sacerdotio habebatur. At verò pars altera, infames ausus violentia,non ratione,corroborans,Petrum Leonis,ad hunc apicem adspirantem, fraudulentis machinãtionibus seorsùm & præcipitanter nominauit Anacletum, & cæteris renitentibus ordinauit. Qui verò in parte catholica erant,electum suum solenniter ordinatum collocârunt in cathedra,& per loca illa,in quibus sessiones habent ex antiqua consuetudine Romani Pontifices, circũduxêre,& pro tempore honor debitus Apostolicæ affuit dignitati. Extunc sanè circa Lateranense Palatium morabantur, nec erat eis iam tuta in domibus proprijs mansio, cùm eos acerrimè Petrisatellites infestarent. Ibi etiam diù resistere non valentes, per confœderatos sibi quosdam ex nobilibus Romanis, ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt. Sed nec in eis perseuerauit fidelitas: nam in breui aut fortitudine temerariæ multitudinis, aut precio corrupti sunt. Nam Petro tam propria generis virtute,quàm adhærentium sibi affinitate, multitudo tanta erat,vt ferè eum tota ciuitas sequeretur, vel pecunijs, vel commodis obligata. Congregauerat sanè opes innumeras in exactionibus curiæ,& in legationum negociationibus,quas ad expectandas nundinas reseruârat. Insuper ex * paternà censûs ampla congerie, eatenùs sigillata, modò distributa in populum,ad fas,ad nefas venalem plebẽ armauerat. Quibus erogatis, donaria Regum in ornamẽtis ecclesiæ ab ipsis euulsit altaribus: & cùm calices frangere,& Crucifixos aureos mẽbratim diuidere ipsi prophani Christiani vel timerent,

Innocentius substituitur Petrus Leonis Antipapa.

Persecutio eorum, qui Innocentiũ elegerunt.

* paterni

Petri Leonis sacrilega

rent,vel erubescerent,quæsiti sunt Iudæi,qui ad derisionẽ religionis nostræ,sacra vasa & imagines Deo dicatas,audacter comminuerent. Igitur quisq; pro modo suo secundùm maius & minus conducti ad scelus,sacramentis generalibus publicè Petro vendiderunt assensum,& in omnem sanguinem manus exposuerunt & arma,& quotidianis congressibus partem,quæ cum Innocentio erat, maledictis infectabantur & gladijs. Habuêre igitur serui Dei consilium,& qui vi humana tueri se poterãt,cedere elegerunt. Et prouocatis clàm nauigijs,de ore Leonis & de manu bestiæ per Tyberim in mare Tyrrhenum elapsi,prosperis ventis carbasa impellentibus,citò in portu Pisano feliciter appulerunt. Audito tantorum virorum aduentu, & cognita causa, propter quam de vrbe exierant,gratulata est Pisa,quòd ad se Romani nominis gloria trãsferretur, & illis perpetuæ sibi infamiæ insculpentibus notam,sibi nominis æterni & perennis famæ inscriptio pararetur. Occurrunt ergò honorati & cõsules, & domini Papæ pedibus aduoluti,gratias agunt,quòd eos tãto dignos iudicâsset honore,vt eorum eligeret vrbem,quam propria dignaretur illustrare præsentia. Tua est,inquiunt, ciuitas,nos populus tuus: nostris stipendijs famulamur tibi: immò in vsus tuos respublica,quicquid apud se repositum habet,exponet. Nihil duplicitatis inuenies in Pisanis: non modò adhærebunt, modò resilient: modò iurabunt,modò iuramenta dissoluent. Non inhiat populus iste rapinis domesticis & cædibus intestinis. Non est gens nostra domi audax,nec extrà meticulosa. Nos nec serui sumus, nec domini: sed conciues & fratres,honore inuicèm præuenientes,non seditiosis ausibus alterutrum prouocantes. Domi mansuetudine vtimur: fortitudinem nostram sæpè extranei experiuntur. Nos, Pœnis subactis, & Balearibus insulis subiugatis, terra mariq; de piratis & dyscolis triumphantes, Reges eorũ captiuos in vinculis Pisam induximus: de quorum spolijs & varia supellectili hodiè in aduentu tuo ornantur compita & plateæ,& lætabunda ciuitas coronatur. Post huiusmodi verba populo obuiàm procedente,præ innumerabili multitudine vix patebat aduenientibus via: sed pedetentim procedentes, desideratam suî copiam prospicientibus per fenestras matronis & virginibus & paruulis Cardinales præbebant,& porrectis hincindè benedictionibus,vsque ad beatæ Mariæ canonicam,dominus Papa cum comitatu suo gloriosè deductus, & honorificè susceptus est.

Innocentius 2. Papa, in primis honorificè Pisis excipitur.

Pisani Pœnos & Baleares insulas subigũt.

Præmissi,antequàm de vrbe egrederetur,à domino Papa in Gallias fuerant nunci, qui dissensionis & schismatis à Petro facti ordinem Gallicanæ intimarent ecclesiæ, & hortarentur Episcopos, vt in vltionẽ præsumptionis huius accingerentur, & damnata parte schismatica, subscriberent vnitati. Necdùm verò ad plenum tenor operis innotuerat Episcopis,nec priuatim quisquã cõmodare præsumpsit consensum, donèc collecto Stampis generali conuentu,in commune decernerent,quid reciperent,quid damnarent. Neq; enim Francia,cæteris regionibus procliuibus ad schismata,aliquandò Guiberti vel Burdini susceptione fœdata est, nec malignorũ acquieuit erroribus, nec fabricata est idolũ in Ecclesia,nec venerata in Petri cathedra monstrũ. Nec enim talibus in causis principalia aliquando terruerunt edicta,aut generalibus vtilitatibus priuata cõmoda prætulerunt: nec declinantes in partem,personis detulêre,sed causis. Sed si quid oportuit,fortiter persecutionibus obuiârunt,nec damna,nec exilia formidârunt. Conuocato igitur ad Stampas concilio, Abbas sanctus Clarauallensis Bernardus,specialiter ab ipso Rege & præcipuis quibusq; pontificibus accersitus,sicut postèà fatebatur,non mediocriter pauidus & tremebundus aduénit,periculũ quippè & pondus negocij non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis, Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem, vnde sperauit pacem sinè dubio prouenturam. Vbi verò ad locum ventũ est, celebrato priùs ieiunio,& precibus ad Deum fusis, cùm de eodem verbo tractaturi Rex & Episcopi principesq; consedissent, omnium vnum consilium fuit,vna sententia, vt negocium Dei famulo imponeretur, & ex ore eius causa tota penderet. Quod ille, timens licèt & tremens, monitis tamen fidelium virorum acquiescens, suscepit: & diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris, electi aperuit os suum,& spiritus sanctus impleuit illud. Vnus ergò omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum Pontificem Innocentium nominauit,& ratum esse omnes pariter acclamauerunt. Et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentij omnes pariter subscripserũt. Interea dominus Papa, multis in Pisis & in Tuscia,& in alijs prouincijs potestatiuè dispositis, valefaciens

Francia omniũ olim Regionum Christianarum.

Synodus Stampensis in Gallijs.

Visio S. Bernardi.

Vide quanti fit vir sanctissimus.

Innocẽtius Papa honorificè suscipitur in Gallijs.

Pisanis & gratias agens,in Prouinciam nauigio delatus est:& Burgundiam transiens, Aurelianum peruẽnit. Vbi occurrentibus Episcopis,à Rege pijssimo Francorum Ludouico alacriter & honorificè susceptꝰ est.Indè à Gaufredo Carnotensi Episcopo magnarum virtutum viro, Carnotum deducitur: vbi etiam Anglorum gloriosus Rex Henricus cum maximo ei Episcoporum & procerum comitatu occurrit.Hunc quoquè Regem venerabilis Abbas ad eum præmissus adduxit: quem vix persuasit Innocentium recipere,ab Episcopis Angliæ penitùs dissuasum.Cùm enim omnimodis recalcitraret & detrectaret,ait: Quid times? Times peccatũ incurrere,si obedias Innocentio? Cogita,inquit,quomodo de alijs peccatis respondeas Deo: istud mihi relinque: in me sit hoc peccatum. Ad hoc verbũ persuasus Rex ille tam potens,etiã extra regnum suum domino Papæ occurrit vsq; Carnotum. Multa ibi dicta & facta sunt,multaque ibi secularia & ecclesiastica negocia definita. Reuersi de Germania legati domini Papæ,tam Episcoporum quàm Regis consensum & literas detulerunt, & deprecationẽ publicam,vt ad eos transiens,suã eis desideratã exhiberet præsentiã. Facilè enim persuasi sunt recipere eũ,quem iam cęteri recepissent.Sed detinuit eũ dilectio & deuotio ecclesiæ Gallicanæ,& singuli & omnes visitationẽ Apostolicã expetebant. Perlustrata igitur Francia,Rhemis conuocauit concilijũ: in quo multis ad honorẽ Dei dispositis,Regem Ludouicũ,viuente patre,pro Philippo fratre coronauit in Regẽ, & vnxit. In omnibus dominus Papa Abbatẽ à se separari non patiebatur: sed cũ Cardinalibus rebus publicis assidebat.Sed & priuatìm,quotquot habebant negocia, virũ Dei secretiùs consulebant. Ipse verò audita referebat ad curiã, & oppressis patrocinia exhibebat. Igitur soluto concilio,Leodium dominus Papa Romanorũ Regi occurrit,& honorificè quidẽ susceptus est,sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidẽ importunè idem Rex institit,tempus se habere reputans opportunum,Episcoporum sibi restituì inuestituras,quas ab eius prędecessore Imperatore Henrico per maximos quidẽ labores & pericula multa,Romana Ecclesia vendicârat. Ad quod verbũ expauêre,& expalluêre Romani,grauius se apud Leodium arbitrati periculũ offendisse,quãm declinauerant Romæ. Nec consilium suppetebat,donèc murum se opposuit Abbas sanctus. Audacter enim resistens Regi, verbũ malignum mira libertate redarguit, mira authoritate compescuit. Rediens autem à Leodio, Clarauallẽ dominus Papa perse metipsum voluit visitare. Vbi à pauperibus Christi,non purpura & bysso ornatis, nèc cum deauratis Euangelijs occurrentibus,sed pannosis agminibus scopulosam baiulãtibus Crucem: non tumultuantium classicorum tonitruo,non clamosa iubilatione, sed suppressa modulatione affectuosissimè susceptus est. Flebant Episcopi, flebat ipse summus Pontifex, & omnes mirabantur congregationis illius grauitatem, quòd in tam solenni gaudio omnium oculi humì defixi,nusquàm vagabunda curiositate circunferrentur: complosis palpebris ipsi neminem viderent,& ab omnibus viderentur. Nihil in ecclesia illa vidit Romanus,quod cuperet: nulla ibì supellex, eorum solicitauit adspectum: nihil in oratorio nisì nudos viderũt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio: nec damnosa poterat esse fratribus huiusmodi pręda, cùm minui nõ posset absportata religio. Gaudebant omnes in Domino, & solennitas non cibis, sed virtutibus agebatur. Panis ibì opicus,pro similа: pro careno, sapa: pro rhombis,olera: pro quibuslibet delicijs,legumina ponebantur. Si fortè piscis inuentus est,domino Papæ appositus est,& adspectu,nõ vsu,in commune profecit. Inuidit diabolus, & seruorum Dei gloriam,quos tanti hospitis nobilitauit præsentia,ferre non valens, dum in choro alacriter psallerent & deuotè, præsentibus etiam nonnullis ex Cardinalibus, qui in auditu & adspectu eorum delectabantur,aliquantos fratrum horribili pauore turbauit. Nam & vnus præ cæteris occupatus,blasphema quædam verba locutus: Discite,inquiens,ego sum Christus,& alij plures territi & tremebundi,ad beati patris vestigia confugerunt. At ille cõuersus ad cæteros: Orate,inquit: ac deinceps sub silentio ipsos,qui turbati videbantur,eduxit atq; compescuit: vt nequissimus ille, qui conuentum pietatis transferre conabatur in theatrũ,& scholam innocentię in derisum,non, vt putabat,æstimationem religiosorum hominum corrumpere posset, sed se proderet,& conatus suos experiretur infirmos. Tanta siquidem celeritate omnia sunt sedata, vt personas illas,quæ propè adstabant, omninò latuerit quod acciderat, & malignꝰ hostis velociter increpatus,non modò scandalum eis,quod parabat,inferre nequiuerit,sed nec ad illorum notitiam rem perferre: factumq; est ex eo, vt diligenti solicitudine & ampliori custodia se fratres munirent,& merito,& numero, & possessionibus

Item à Rege Angliæ,

Item à Germanis.

Concilium Rhemense, præsente Papa.

Imperatorẽ cõpescit S. Bernardus.

Papa venit in Clarauallem.

Attende inuidiam diaboli, qui vt leo rugiens semper quęrit perturbare gregem Domini.

deincèps

deincèps crescèret Clarauallis: & multiplicatis conuentibus, ferè per omnem latitudinem loci illius dilataretur religio,ipse etiam Abbas sanctus amplius solito miraculis clarearet & signis.

CAP. II.

LOngas in Gallijs facere moras dominus Papa non potuit: sed sicut inter se & Regem Lotarium condixerant, Romam ei occurrit, & vi exercitûs in Lateranense palatium deductus est. Multi etiam ex nobilibus Romanis, fideles Ecclesiæ, eum honorificè susceperunt. Verùm Petrus Leonis, non ponẽs Deum adiutorem suum, sed confœderatorum stipatus malitia, in editioribus & tutioribus turribus manens, Lotarij ludificauit virtutem: & interdicens suis congressus publicos, nec sibi securitatis suæ fecit periculum, nec causas conflictûs hostibus dedit: sed tamen liberum eorum discursum machinis superioribus & obstaculis varijs impediuit. Vitauit etiã obstinatissimè Imperatoris colloquium, nec minis, nec blandimentis flexus est, nec de statu suo consilium cuiuslibet personæ admisit. Relicto igitur Romæ Innocẽtio, aliàs Imperator digreditur. Petrus verò post eius discessum crebros mouens per vrbem discursus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens igitur Innocentius Romam sibi infructuosam eo tempore,ad horã cessit,nè præsentia sua illius bestiæ rabiem efferaret: Et rursùs Pisas reuertitur, ibiq; aggregatis totius Occidentis Episcopis, alijsq; religiosis viris, magnæ gloriæ synodus celebratur. Affuit per omnia & consilijs & iudicijs, & diffinitionibus omnibus sanctus Abbas, impendebaturq́ue ei reuerentia ab omnibus,& excubabant ante limina eius sacerdotes: non quòd fastus,sed quòd multitudo communem prohiberet accessum: & alijs egredientibus,alij introibant,ità vt videretur vir humilis,& nihil sibi de his honoribus arrogans, nõ esse in parte solicitudinis, sed in plenitudine potestatis. Actiones concilij longum est prosequi: summa tamen in excommunicatione Petri, & irregressibili * factorum eius dejectione constitit, & vsque hodiè hæc sententia perseuérat.

Innocentiũ Papã Imperator reducit in vrbẽ.

Petri Leonis pertinacia.

Crudelitas eius.

Concilium Pisanum præsente Pontifice.

* Fautorum

Soluto concilio, ad Mediolanenses reconciliandos dominus Papa Abbatem Clarævallis,quem multis supplicationibus expetiërant, & Guidonem Pisanum, & Matthæum Albanensem Episcopum à latere suo direxit, qui schisma per Anselmum in eádem vrbe factum abluerent. Abbas ergò cùm prædictis viris, quos à domino Papa collegas acceperat,addidit consortio & communi consilio virum venerabilem Gaufredum Carnotensem Episcopum,cuius innocentiam & synceritatem in multis probauerat. Et visum est Cardinalibus bonum,vt tanto adiutore negociũ tanti ponderis fulciretur. Transcenso itaq; Appennino, vbi audiêrunt Mediolanenses, Abbatẽ desideratum suis finibus propinquare, lõgè à ciuitate milliaribus septẽ omnis ei populus obuiat: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasì de ciuitate migrarẽt, pprios lares deserunt,& distinctis agminibus,incredibili reuerentia suscipiũt. Omnes pariter delectantur adspectu: felices se iudicant, qui eius possent frui auditu. Deosculabantur pedes eius vniuersi: & licèt hæc ille molestè acciperet, nulla poterat pronos & deuotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant, de indumentis eius, & ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant: omnia sancta,quæ ille tetigisset,iudicantes,& se eorum tactu vel vsu sanctificari. Præcedẽtes itaq; & subsequentes, lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati, & diù inter agminum spissamẽta detentum, tandèm solenni reddidêre hospitio. Et cùm tractatum esset in publico de negocio, propter quod tam vir Dei,quàm Cardinales aduenerãt, oblita fortitudinis suæ ciuitas, omni feritate deposita, se ità Abbati substrauit, vt obedientiæ eorum non incongruè ille posset aptari poëtæ versiculus: Iussa sequi,tam velle mihi,quàm posse, necesse est.

Mediolanẽsium erga S. Bernardũ mirum studium & reuerentia.

Pacatis omnibus reconciliata ecclesia, formatis inter plebes concordiæ pactionibus,alia cœperunt nasci negocia, & insanienti diabolo, & in quibusdam obsessis corporibus debacchanti oppositum est vexillum Christi, & increpante viro Dei de possessis atrijs superueniente eminẽtiori virtute, territa & tremebunda diffugêre dæmonia. Eccè noua legatio,non Romanum pragma circunferens,sed diuinis legibus fidei pragma allegans,prolatis in mediũ literis, sanguine Christi conscriptis,& bulla Crucis impressis: quæ figura authoritate suâ terrestria & inferna sibi subdit & ciruat. Inaudita est nostris tẽporibus tanta populi fidẽs, tanta in homine virtus: inter quos religiosa erat contentio,cùm signorum gloriam Abbas credulitati eorum,illi verò sanctitati Abbatis asscriberent,& hoc de eo indubitanter sentirent, vt quicquid à Domino peteret, impetraret.

Mediolanẽses concilijantur per eum.

Fugat dæmones ab obsessis Mediolani.

Adducunt ergò ad eum nihil hæsitãtes mulierem omnibus notam, quam septem annis immundus vexauerat spiritus: & postulãt supplices, vt in nomine Domini dæmoni imperet fugam, & mulieri restituat sospitatem. Quæ populi fides nõ minimam verecundiam viro Dei ingerebat, & humilitate magistra conscius sibi, inconsueta experiri non præsumebat: & instante petitione populi, erubescebat, si charitati postulantium obstinatiùs resisteret: & videbatur ei, quòd offenderet Deum, & omnipotentiam eius diffidẽtia obnubilare videretur, si à fide populi fides propria dissentiret. Aestuabat igitur secùm, & licèt signa non fidelibus fieri oportere assereret, ausus tamen suos spiritui sancto committit: & orationi incumbens, cælitùs elapsa virtute, satanam in spiritu fortitudinis increpat & fugat, mulierem reddit incolumem & quietam. Lætabantur qui aderant, & leuantes manus ad sidera, Deo, qui de excelso eos visitauit, gratias agunt. Auditum est verbum, & percrebuit fama, & repentè totam perculit vrbem, per ecclesias, per prætoria, per compita omnia. Conueniunt vndiquè, de viro Dei sermo habetur vbiquè: dicitur publicè, nihil ei impossibile esse, quòd à Domino postulet, & ad preces eius apertas Dei aures credunt, & dicunt, & prædicant, & affirmant. Nec possunt adspectu eius vel auditu vllo modo satiari: irruunt alij in præsentiam eius: alij, donèc exeat, præ foribus præstolantur. Cessatum est ab officijs & artibus: tota ciuitas in hoc spectaculum suspensa est. Concurrunt, postulant benedici: & tetigisse eum, singulis salutare videtur.

Attẽde ignitã eius charitatem.

1. Cor. 14.

Sanat dæmoniacam, admiranda populi gratulatiõe & applausu.

Tertia die ad ecclesiam sancti Ambrosij, diuina celebraturus mysteria seruus Dei procedit. Vbi expectante innumera populi multitudine, inter ipsarum Missarum solennia, dum clericis cernentibus ipse secus altare sederet, paruulam ei puellam offerentes, quam vehementi impetu vexabat diabolus, orant vt miserè subueniat, & diabolum in ea debacchantem elidat. Audita supplicatione adstantium, intuitus personam dentibus frendentem & stridentem, vt etiam intuentibus esset horrori: compassus est ætati, & vehementiæ anxietatis illius condoluit. Patenam igitur calicis, in quo diuina celebraturus erat mysteria, postulat: in qua digitis superfuso latice, intra se orans & de Domini virtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, & corpori eius stillam medicinalem infundit. Nec mora: quasì vreretur satanas, infusionis illius virtutem ferre non potuit: sed vrgente intrinsecùs Crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit. Sic persona purgata, diabolo profugo & confuso, laudes debitas canit ecclesia, & post acclamationes lætabundas alacer populus ibidèm, donèc diuina compleantur mysteria, immobilis perseuerat. Sub adspectu itaque omnium incolumis puella à suis domum reducitur, & vix tandèm à populo dimissus, ad hospitium vir Dei reuertitur. Nescio quo Dei iudicio, ea tempestate in Mediolano, iuxta illud Esaiæ verbum, pilosi clamabant, alter ad alterum, & occurrebant onocentauris dæmonia, & effrenatis discursibus plurimos infestabant, nec erat, qui insolentiæ eorum resisteret, cùm diù sub Anselmi schismate, qui Petri fautor extiterat, sacerdotes gementes, virgines squalidæ, sanctificationes maledictæ, altare pollutum, iram Dei in populum prouocâssent. At verò in viri Dei aduentu, abdicatis indè Anselmi præstigijs, & ad Sedis Apostolicæ obedientiam sub Innocentio reuocata ecclesia, impedita illa dæmonum licentia, quotidiè ad preces viri Dei diffugiebat diabolus, & si quandò resistere conabatur, in ipso conflictu succumbens, gloriosiùs pellebatur.

A qua digitis suis infusa curat puellam dæmoniacam.

Esaiæ 34.

Nota in schismate licentiam dæmonum & sæuitiam apud Mediolanenses.

CAP. III.

INter eos ergò, qui vexabantur, mulier grandæua, ciuis Mediolanensis, & honorata quondàm matrona, vsque ad ecclesiam beati Ambrosij, post beatum virum à multis tracta est. In cuius pectore pluribus annis diabolus sederat, & iam ità suffocauerat eam, vt visu & auditu & verbo priuata, frendẽs dentibus, & linguam in modum promoscidis elephantinæ protendens, monstrum, non fœmina, videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitatoris satanæ colluuia testabantur. Hanc cùm adspexisset vir Dei, nouit inhærentem ei & inuisceratum diabolum, nec facilè egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Cõuersus igitur ad populum, cuius innumera aderat multitudo, orare iubet attentiùs, & Clericis ac monachis, secùm iuxta altare consistentibus, mulierem ibidèm iubet constitui & teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolica, non naturali virtute, recalcitrans, non sine aliorum iniuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuetè ille contempsit, & in eius

eius expulsionem, non indignatione iræ, sed pacifica & humili supplicatione, Deũ inuocat adiutorem, & ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quotiès tamen eandem hostiã signat, totiès ad mulierem conuersus, eodem signo Crucis edito, spiritum nequã fortis athleta impugnat. Nam & ille malignus, quotiès aduersùs eum signum Crucis intenditur, percussum se indicans, acriùs sæuit: & recalcitrans contra stimulum, quidnam roleret, prodit inuitus. Expleta autem oratione Dominica, efficaciùs hostem aggreditur vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas: iam resiste, si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passus: Nunc, inquit, princeps huius mundi eijcietur foràs. Hic illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite Crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis assendit in cælum. In huius ergò maiestatis terribili potestate tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deincèps non præsumas. Cumque eam inuitus deserens, & vltrà manere non valens, atrociùs afflictaret, tam magnam iram, quàm modicum tempus, habens: rediens sanctus pater ad altare, fractionem hostiæ salutaris ritè compleuit, diffundendamq; in populo pacem ministro dedit: & confestìm pax & salus integra reddita est mulieri, & iniquus ille viuifica mysteria quãtæ sint efficaciæ & virtutis, non confessione, sed fuga coactus, ostendit. Fugato diabolo, mulier, quam in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis suæ compos effecta, redditis cum ratione sensibus, reuoluta intrà fauces lingua, confessa Deum, gratias egit, & intuita curatorem suum, pedibus eius aduoluta est.

Non fert signũ Crucis impijs dæmon.

De corporali Christi præsentia in Eucharistia, habes hic exemplum memorabile. Iohan. 12.

Demoniacã restituitur sanitati.

Ingens per ecclesiam attollitur clamor: omnis ætas iubilat Deo: personãt æramenta: benedicitur ab omnibus Deus: excedit veneratio modum, & seruum Dei supra hominem, si dici fas est, liquefacta charitate ciuitas veneratur. Audiebantur hæc, quę Mediolani fiebant, & per totam Italiam viri Dei discurrebat opinio, & diuulgabatur vbiquè, quòd surrexisset propheta magnus, potens in opere & sermone: qui inuocato nomine Christi, & infirmos curaret, & obsessos à dæmonibus liberaret. Maxima quidem ei erat in curationibus ægritudinum gratia, sed in dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat: quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia currebat, & maiorum operatio virtutum, minores obscurabat effectus. Iam verò præ frequentia populi, qui à manè vsque ad vesperam foribus assidebat, oppressiones vulgi propter corporis imbecillitatem non ferens, ad feneſtras domûs procedens, se eis conspiendum præbebat, & eleuata manu benedicebat eis: panes quoquè & aquam deuehebant secùm, quibus benedictioni eius suppositis, domum ea pro beneficijs sacramentalibus referebant. Ex vicinis sanè castellis, & vicis, & vrbibus multi ad virum Dei confluxerant, & communia tam aduenarum quàm ciuium in Mediolano studia erant, prosequi sanctum, expetere beneficium, audire verbum, videre signum: & doctrina ac miraculis vltrà, quàm credibile est, delectabantur.

En quanti facit religiosa plebs Mediolanẽ. panẽ & aquã a viro Dei benedicta

Aderat inter eos quidam ex suburbanis, qui puerum dæmoniacum illuc adduxerat. Qui repentè coram omnibus, ad signum Crucis quod vir Dei edidit, de baiuli sui brachijs ruit, & elisus humì, quasì mortuus sine vllo sensu immobilis visus est: neque vox, neq; halitus erat in eo: tantùm circa præcordia exiguus ei supererat vapor. Dant ei cæteri locum, vt posset procedere & admitti ad virũ Dei seminecis pueri baiulus, & attonita multitudo, tam miserabilis casûs præstolabatur euentum. Ingressus igitur ad virum Dei homo est, & puerum stupidum, nec aliquid sentientem ante pedes Abbatis exposuit, & ait: Puer iste, domine pater, quem ante pedes tuos posui, iam triennio est vexatus à dæmone acerrimè, & quotiès vel ecclesiam ingreditur, vel salibus exorcizatis adspergitur, vel signum ei Crucis imponitur, vel Euãgelium audire compellitur, vel diuinis interest sacramẽtis, offenditur habitator eius diabolus, & torquetur atrociùs. Dumque modò cum cæteris ego pro foribus expectarem, signum sanctæ Crucis figurante te, & extẽdente in populos manum, sacramentalium signorum virtute exacerbatus diabolus, vehemẽtiùs solito totus ad pueri vexationem se contulit, & sicut vides, totum corpus eius occupans, ferè etiam ei vitalem spiritum intercluſit. Sed & ipse puer, cùm audita esset apud nos gratiæ, quàm à Deo accepisti, opinio: ex aliorum curationibus suam sperãs salutem, rogauit me, vt ad te eum adducerem. Obsecro igitur per misericordiam Dei, vt & laboribus meis, qui in eius custodia operam damnosam & periculosam impendo, & illius miseriæ, quæ tanta est, quantam ipse o-

Nota quibus rebus erucietur diabolus, & eius adm nistri hæretici.

culis probas, pio & consueto affectu subuenias, & rabiem dæmonis nõ vsquequaquè procedere patiaris. Flebat igitur, & lachrymis ora perfusus, præsentes quoquè commouit, vt omnes pariter supplicarent.

Attẽde virtutem signi S. Crucis.

Tunc vir Dei, confidere eos in Dei misericordia iubens, baculo arundineo, cui innitebatur, collum pueri leniter tangit. Sed & frater eius Gerardus, volens experiri, quæ à rustico dicta fuerant, latenter dorso eius signum Crucis impressit. Cumq; priùs sine motu & sensu, nec vidẽs, nec audiens, ante pedes Abbatis diù extensus pauimento hæsisset, ad tactum baculi & ad signum Crucis infremuit, & turbatus ingemuit. Iubet igitur Abbas super proprium lectum eum poni. At ille, quasi ex iniuria offensus, reiecit se in pauimentum, & stridebat dentibus, & mordebat procuratorem suum: & capillis eorum, qui aderant, manus inijciens, quo poterat conatu, se ab eorum manibus abstrahebat, & ab eis vix teneri poterat. Eià (inquit Abbas) ad lectum nostrum eum reducite. Orante itaque Abbate, & fratribus in oratione prostratis, quasi ardentibus paleis, quæ in lecto continebantur, diabolus vreretur, tormento æstuantis vi diuina propinquante, passionem clamoribus testabatur. Iubet ergò vir sanctus in os patientis aquam benedictam infundi. Quam ille pressis labijs & dentibus non admittens, vix tandèm cuneo infixo dissoluente pressuram, vellet nollet, intrà fauces & guttur recepit. Confestimq; vt penetrans sanctificatio ad interiora descẽdit, quasi infuso antidoto, vis maligna erupit, & vomitu sordidissimo, quasi torrentis impulsu, festina præcipitatione rotatus, cũ ingenti contumelia dæmon exiuit. Repentè, qui videbatur mortuus, viuit: & de lecto Abbatis quietus & incolumis surgẽs, patruumq; amplexatus: Deo gratias, sanus sum, inquit. Gratias agunt omnes communiter Deo, & qui modò flebant, lætabantur: foris clamor effunditur: res intùs gesta, supra tecta solenniter prædicatur: tota ad spectaculum conuenit ciuitas: benedictus Deus in Abbate, tanti operis patratore, totius plebis requiescit affectus.

Vide quàm torqueatur diabolus aqua benedicta.

Multos curat morbidos aqua benedicta & Crucis signo.

Febricitantibus multis idem sanctus manus imponens, & aquam benedictam porrigens ad bibendũ, sanitatẽ obtinuit: aridas manus & membra paralysi dissoluta tangens, incolumitati restituit: cæcis etiã sub multorum testimonio in eadem ciuitate, vt viderent, impositò signo Crucis, à patre luminum potẽter obtinuit. Per idem tempus Albanensis Episcopi, quem Dominus Papa in eádem legatione sibi collegam dederat, gratia tractandorum negociorum hospitium intrauerat, & de his, quæ iniuncta fuerant, agebant ad inuicèm: cùm repentè irruit super eos adolescens, cuius arida erat manus & retorta ad brachium: & aduolutus pedibus eius, suppliciter postulat sanitatem. Ille aliàs occupatus, benedixit quidem & abire præcepit, & nè ampliùs sibi molestiam faceret, verbis solito seuerioribus interdixit. Recedebat ille, non consecutus quod quæsierat, cùm venerabilis Episcopus sub omni celeritate eum regredi iubet, & manu arreptum tradit Abbati: Huic, inquit, qui minimè beneficiũ consecutus, tibi vt recederet, obediuit, tu nè claudas viscera misericordiæ: quinpotiùs tu obédi, & virtute obedientiæ, me iubente, adstrictus, fac quod postulat, largire quod petit: & confidens in eius virtute, per quem expetit sanitatem, postula, & impetrabis: vt & tu de Dei munere, & ille de optata glorietur salute. Ad præceptum Episcopi Abbas apprehensa manu pueri, inuocauit Dominum, & exaudiuit eum: & signo Crucis edito, nerui, qui obriguerant, extensi sunt, & caro, quam assidens congelauerat morbus, redeunte sospitate ità mobilis facta est & flexibilis, vt dicto citiùs languidum diù membrum conualuerit. Obstupuit Episcopus, tam repentinæ virtutis admirãs effectum, & mira extunc veneratione virum Dei coluit, & miraculorum eius ipse testis extitit & relator. Coëgit igitur Abbatem, vt secùm ea nocte cœnaret: Cuius rei assensum vix & cum magna difficultate obtinuit, ea duntaxàt ratione suasum, quòd intolerabilis populus vndiquè expectaret, nec sine periculo egredi posse videretur. Inter cœnandũ verò, paropsidem, in qua Abbas comederat, Episcopus ministro familiari seruãdum tradidit, & præcepit, vt seorsùm reconditam, cum omni diligentia custodiret. Elapsis exindè aliquot diebus, idem Episcopus febrium vehementi ardore corripitur: & recordatus hominis Dei, familiarem iubet accersiri ministrum: Discum, inquit, Abbatis, quem nupèr tradidi conseruandum, huc aduehere nè cuncteris. Cumque ille obtulisset allatum: Infunde, inquit, aquam in eo, & panis exiguas buccellas conscinde. Quod cùm factum esset, confidens in Domino, & Abbatis precibus se commendans, comédit & bibit, & absque dilatione conualuit.

Manũ aridã celerrimè sanat.

Nota lector de paropsi de, vndè vir Dei comederat.

Augebatur aduentantium numerus, & mirifica opera populos ad se inuitabant, nec

nec vsquàm viro Dei dabatur requies, dum ex lassitudine eius alij sibi requiem procurarent. Abeuntibus occurrebant aduenientes, & succedebant sibi beneficia mendicantes. Inter quos miles quidam in vlnis suis puellam ad virum Dei attulit, quæ ità exosam habebat lucem, vt semper clausis palpebris, etiam brachium opponeret oculis, nè aliquo modo aliqua lucis particula se ei ingereret. Auellebantur aliquãdò oppositæ brachia violenter, & cùm ei lumen se infunderet, clamabat & flebat: & erat ei claritas pro cruciatu, & lux visa quasi aculeos eius cerebro infigebat. Benedicit infantulæ vir Dei, & signaculum Crucis faciens super eam, tranquilliorem dimittit: & dum domum referretur, vltrò aperit oculos, & pedes sine vectore ipsa reuertitur. Et ipso in loco mulieri à dæmonio vexatæ, multis adstantibus, à patre misericordiarum idem sanctus obtinuit sanitatem.

Signo Crucis sanat oculos puellę

Item dæmoniacam.

CAP. IIII.

IAm Papiam aduenerat, & fama virtutum aduentum eius præcesserat, & cum debito gaudio & apparatu tantæ gloriæ virum ciuitas lætabunda suscepit. Et nè diù populi desiderium dilatio suspenderet, qui, sicut Mediolani miracula facta audierat, signum ab eo optabat videre: aduenit post eum repentè rusticus quidam, qui de Mediolano secutus eum fuerat, vxorem dæmoniacam secùm adducens, quam ante pedes eius, lachrymabili voce intrinsecas protestans anxietates, deposuit. Nec mora: in contumeliam Abbatis per os miseræ mulieris diabolus locutus est, & irridens seruum Dei: Non me, inquit, de anicula mea hic, porrulos edens & brassicas deuorans, expellet. Multa in hunc modum in virum Dei iactabat conuicia, vt blasphemijs prouocatus, impatienter ferret opprobria, & confunderetur in præsentia populi, cùm lacessiri se indignis audiret sermonibus. Sed vir Dei astutias eius intelligens, irrisorem irrisit, & vltionem ipse non expetens, sed ad Deum remittens, ad ecclesiam sancti Syri dęmoniacam duci præcepit. Voluit quippè curationis illius gloriam dare martyri, & primitias operationũ virtuti eius ascribi. At verò sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negocium, nec in ecclesia sua quippiam sibi deferens, intactum opus reduci ad Abbatem voluit. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hospitium, garriẽte per os eius diabolo, & dicente: Non me Syrulus eijciet: non me expellet Bernardulus. Ad hæc seruus Dei respondit: Nõ te Syrus, nec te Bernardus eijciet: sed Dominus Iesus Christus. Et conuersus ad orationem, pro salute mulieris Domino supplicabat. Tunc verò spiritus nequam, velut priori improbitate mutata: Quàm libèns, inquit, egrederer ab hac anicula mea, nihil in ea sentiens, nisi molestiã magnã: quàm libèns egrederer, sed non possum. Interrogatus causam: Quia necdùm vult magnus Dominus, inquit. Cui sanctꝰ: Et quis est magnus Dominus? Et ille: Iesus Nazarenus. Ad quẽ rursùm vir Dei: Vndè enim Iesum nõsti, aut si vnquàm eum vidisti? Vidi, inquit. Vbinàm eum vidisti? In gloria. Et tu in gloria fuisti? Fui quidem. Et quomodò indè existi? Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ, audientibus omnibus, loquebatur. Respondente autem sancto Abbate: Nunquid in illam gloriam redire velles, & restitui in gradum pristinum? Rursùm voce mutata, & miro modo cachinnans: Hoc, inquit, tardum est. Et nihil vltrà loquens, orante attentiùs viro Dei, nequissimus ille victus abscessit, & mulier sibi reddita sanitate, quantas potuit gratias egit. Reuertitur ergò vir cum muliere, per totam viam incolumitati eius congaudens: expectantibus amicis, domui suæ redditur. Lætabantur omnes, qui ordinem rei gestæ audierant: sed repẽtè gaudium vertitur in mœrorem: quia vbi domũs suæ limina attigit, rursùs intrat diabolus in eam, & infestior solito, miseram discerpit atrociùs. Quid faceret miser maritus, quò se verteret, nesciebat. Cohabitare cum dæmoniaca, molestissimum: relinquere, impium videbatur. Surgit igitur, & assumpta secùm muliere, rursùm Papiam reuertitur. Vbi cùm virum Dei non inuenisset, vsque Cremonam prosequitur abeuntem. Indicat, quid factum sit, & vt gratiam inueniat, lachrymabiliter deprecatur. Nec defuit piæ petitioni Abbatis clementia: sed præcipit, vt Ecclesiam ciuitatis illius ingrediatur, & ante confessorum corpora orans expectet donèc ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, cæteris dormitum euntibus, ipse, vno tantùm prosequente, Ecclesiam ingreditur, & tota nocte illa orationi vacans, obtinuit à Domino, quod petebat: & impetrata mulieri sanitate, iubet eam securè reuerti ad propria. Sed cùm reditum ad se diaboli, sicut iam experta fuerat, formidaret, collo eius alligari chartulam, hæc verba

Procacitas dæmonis.

Attendant ista noui nostri Sadducæi.

Eijcit nequissimum dæmonem.

Rursùs in fœminam dæmon reuertitur.

Iterùm à Sapatre expellitur.

litur, & virtute characteris, nomẽ Iesu continentis, ampliùs nõ est reuersus.

continentem, præcepit: In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi dæmon, nè hanc amodò præsumas mulierem contingere. Quod mãdatum cum tanto timore susceperit diabolus, vt mulieri regressæ ad propria, nunquàm deincèps appropinquare præsumpserit.

Erat etiam in eadem ciuitate quidam dæmoniacus, cuius passio multos ad risum commouebat, cùm alij, qui seuerioris animi erant, clementissimo ei compaterentur affectu. Hic ità latrabat, vt, si audires, nec personam videres, canem crederes. Hunc ad se adductum, vir Dei cùm latrãtem audisset, ingemuit: qui eo modo latrabat, quo solent percussi & obruti canes irasci & fremere in percussores: sed in præsentia viri Dei anhelans & latrãs, acriùs solito turbabatur. Increpato itaque diabolo, & in virtute Christi expulso, homini imperat vt loquatur. Purgatus homo intrat ecclesiam, interest sacramentis, Crucis signo se munit, audit Euangelia, confitetur & orat, & cætera sanæ mentis officia Deo reddit, & consecrat.

Dæmoniac purgatur.

Cùm secundò per Mediolanum eodem anno pater sanctus transiret, oblata est ei dæmoniaca mulier. Nam eo tempore aberat, quo primùm vir Dei ciuitatem prædictam sua illustrauit præsentia. Hanc possidebat dæmonium, quod modò Italica, modò Ibera lingua loquebatur: nec satis certum erat, vtrùm vnus esset bilinguis, vtriusq; sermonis idiomate vtens, an duo: sed tam propriè modò hæc, modò illa sonabat, vt diceres: Hic qui loquitur, Ligur est, hic Hispanus. Hæc etiam genuum passione & poplitis tremore turbabatur. Hæc cùm ad virum Dei adducta fuisset, saltu concito scamnum, in quo sedebat, inopinata celeritate transilijt. Reducta & interrogata, quid sibi vellet saltus & fuga, & vndè ægrotanti & vetulæ tanta virtus & velocitas veniisset, respondit hanc sibi agilitatem ex præsentia inesse diaboli, vt currentes comprehenderet equos, & eorum dorsa sine adminiculo transiliret. Hæc sequenti die dum in ecclesia diuinis, quæ ille celebrabat, officijs interesset, crudelissimè & diutissimè coram omnibus vexata est. Compassus Abbas mulieri, iam sæpè in talibus expertus Dei clementiam, imperat diabolo, vt recedat. Ille ad imperium serui Dei tremebundus, euanuit: mulier verò non solùm ex vexatione, sed etiam à neruorum contractione, in momento conualuit.

Dæmoniaca sanatur.

Hæc & alia multa intrà Alpes cõstitutus, operatus est vir Dei, & diuersa loca perlustrans, benefaciebat his, qui infirmabantur, illuminando cæcos, erigendo debiles, curando febricitantes, maximè oppressos à diabolo diligentiori studio purgans: & quæ malignus fœdauerat spiritu et pectora, templa Deo acceptabilia consecrabat. Multa in hunc virum probabilia & laude digna cõcurrunt: & alij quidem doctrinam, alij mores, & alij mirantur miracula. Ego quidem congruum his omnibus honorem defero, sed præ omnibus, quantùm in me est, hoc sublimius duco, hoc propensiùs prædico, quòd cùm esset vas electionis, & nomen Christi coram gentibus & Regibus ferret intrepidus, cùm obedirent ei principes mundi, & ad nutum eius in omni natione starent Episcopi, cùm ipsa Romana Ecclesia singulari priuilegio veneraretur eius consilia, & quasi legatione generali cõcessa, subiecissent ei gentes & regna, cùm etiam, quod gloriosius iudicatur, dicta eius & verba confirmarentur miraculis, nunquàm excessit, nunquàm supra se in mirabilibus ambulauit: sed semper de se humiliter sentiens, venerabilium operum non se authorem credidit, sed ministrum: & cùm esset omnium iudicio summus, suo sibi iudicio constitit infimus. Soli Deo, quicquid fecit, ascripsit: immò nihil boni aut velle aut posse se, nisi inspirante Deo, & sensit, & dixit. Sed aderat vis diuina in tempore accepto, & in die salutis, segregans in Euangelium suum seruum suum, cuius humilitatem respexit, cuius animam spiritu sanctus ornauerat: & quia synceritatem eius nulla maculabat duplicitas, nec interrumpebat bonum eius quælibet conspersio falsitatis, in loco suo idem spiritus manebat immobilis. Qui vt semper splendidior esset & purior, quotidiè in fornace probabatur: & nè quid ei rubiginis obreperet, crebris malleorum ictibus in incude tundebatur, flagellabatur & arguebatur, non ad pœnam pro crimine, sed ad gloriam pro virtute. Nunquàm ei defuit stimulus ægritudinis: & cùm sciret virtutem in infirmitate perfici, sufficientem sibi in hoc experiebatur gratiam, quòd videret suos omnes, quantuluncunquè extraordinarios, motus, lima illius quotidianæ afflictionis abradi. Erat quippè caro infirma, sed spiritus promptus: & quia in corpore delectari non poterat, totus delectabatur in Domino: nec aliqua seculi huius ambitione pulsabatur, qui solis cælestibus inhiabat. Quot ecclesiæ pastoribus destitutæ, sibi eum in Episcopum elegerunt?

In S. Bernardo quid præcipuè suspiciendum.

Viri sancti perpetuę ægritudines. 2. Cor. 12.

Multæ ecclesiæ eum eligunt sibi episcopum, sed renuit.

Elegit

Elegit eum domestica Lingonensis ecclesia, elegit Catalaunensis: intrà Italiam ciuitas Ianuensis & Mediolanum, metropolis Ligurum, hunc optauerunt & pastorem & magistrum. Rhemis nobilissima ciuitas Franciæ, secundæ Belgicæ prouinciæ caput, eius dominationem ambiuit. Omnibus his vocationibus postpositis, non solicitauit animam eius honor oblatus, nec motus est pes eius, vt inclinaret se ad gloriam: nec magis cum delectabat tiara & annulus, quàm rastrum & sarculus. Petentibus se non aliquandò negabat, quod petebant, nec concessit: sed dicebat eis, se non esse suum, & quod obedientia iuberet, facturum vt seruum. Aiebat autem se venisse non ministrari, sed ministrare, & à ministerij seruitute, cui obligatus esset, nisi fratrum voluntate, non posse absolui. Quæ res cũ referretur ad fratres, respõdebant: Nos omnibus, quæ possidebamus, venditis, inuentam pretiosam margaritam comparauimus. Ad patrimonia distracta redire non possumus. Quòd si precium & appreciatum nobis perierit, & substantijs ac margarita priuati fuerimus, expectationi nostræ malè prouisum est: si oleo nostro effuso, clausis ianuis, sicut fatui, mendicemus. Prouiderãt enim sibi ex consilio sanctissimi fratres, & domini Papæ authoritate muniti erant, nè quis gaudium eorum tollere posset ab eis, & aliorum consolatio, eis fieret tribulatio, & eorum inopia, aliorum plenitudinem cumularet. His alijsque rationibus serui Dei expugnauerant petitores, & iam diuulgatum erat vbiquè, Abbatem sic statutum esse in Ecclesia à Deo, sicut in Hebræorum populo Moyses fuit: qui, cùm non esset pontifex, Aaron tamen vnxit & sacrauit pontificem, & dispositionibus eius tota Leuitica successio omni tempore paruit.

Amor fratrũ Claraualleñs. erga S. Bernardum.

Matt. 25.

Leuit. 8.

CAP. V.

IAm Alpes transcenderat, & descendebant in occursum eius de summis rupibus pastores & armentarij, & agreste hominum genus, & conclamabant à longè, benedictionem petentes, & reptabant per fauces montium, regredientes ad caulas suas, colloquentes ad inuicèm & gaudentes, quòd sanctum Dei vidissent, & manu sua super se extensa, optatæ benedictionis gratiam accepissent. Tandèm Chrysopolim veniens, vsq; Lingonas solenniter deducitur: circa quos fines fratres ei Clarauallenses occurrunt. Prouoluti pedibus, surgunt ad oscula, & vicissìm ei colloquentes, Clarãuallem cum deducunt alacriter. Assunt fratres in vnum congregati, & mira deuotione dilectum patrem suscipiunt: Agitur sine tumultu cum omni grauitate lætitia: facies quidem purior, hilaritatem dissimulare non poterat, sed castigatus actionum & locutionum modus, metas proprias non transgrediebatur, & cohibebant se affectiones ipsæ, nè quid agerent, in quo dissolutionis nota, religionis maturitatem offenderet. In tanta Abbatis mora, nihil in Claraualle potuit diabolus texere, nihil interìm rubiginis synceris affricuit mentibus, nec aliqua parte domus Dei supra petram fundata, mota est. Ità opus suum seruus Dei absens corpore, præsens spiritu, orationum instantia muniërat & solidârat, vt nec ruina aliqua in tantis constructionibus dehiscere videretur. Nullæ in aduentu eius lites seruatæ sunt, non odia nutrita, in præsentia iudicis eruperunt. Nihil iuniores aduersùs priores de austeritate aut duritia: nihil priores aduersùs iuniores de dissolutione aliqua vel remissione causati sunt. Integer vniuersorum status, consors societas, mira vnitas: omnes vnius moris in domo Dei, in pace & sanctimonia inuenti sunt, ascendentes scalam Iacob, & festinantes ad intuitum Dei, cuius delectabilis adspectus in superioribus eminebat. Abbas autem videns satanam sicut fulgur cadentem de cælo, eo humilior & subiectior Deo erat, quo intelligebat desiderijs suis Deum adesse propitium. Nec de hoc in se gloriabatur, quòd subijciebantur ei dæmonia: quin potiùs in Deo gaudebat, quòd nomina fratrum suorum scripta videbat in cælo, quorum vnanimitas immaculatam se custodiret ab hoc seculo.

Chrysopolis.

Fratres reuertentem amatissimè excipiunt.

Gen. 28.

Luc. 10.

Aderant ei in consilijs suis venerabiles fratres sui, aderat Godefridus Prior eiusdem loci, propinquus eius & carne & spiritu, vir sapiens & constans, qui etiam religionis & prudentiæ merito, postea in ecclesia Lingonensi factus Episcopus, & sanctitatis formam retinens, & dignitatis, in qua est, honorem non minuens, vsque hodiè egrediens & ingrediens, laudabiliter perseuerat. Hi ergò atque alij plures viri prouidi, & de communi vtilitate soliciti, virum Dei, cuius conuersatio in cælis erat, aliquandò descendere compellebant, & indicabant ei, quæ domus necessitas exigebat. Insinuant itaque ei locum angustum & incommodum, in quo consederãt, nec capa-

Godefridus Prior Clarauallensis, postea Episcopus Lingonensis.

cem

cem tantæ multitudinis: & cùm quotidiè cateruatim aduentantium numerus augeretur, non posse eos intrà constructas recipi officinas, & vix oratorium solis sufficere monachis. Addunt etiam, se considerare inferiùs aptam planitiem, & opportunitatem fluminis, quod infrà illabitur: ibique locum esse spatiosum ad omnia, quæ ad monasterij necessitates conueniunt, ad prata, ad colonias, ad virgulta, ad vineas: etsi ex vna parte syluæ videatur deesse clausura, facilè hoc parietibus lapideis, quorum ingens ibi est copia, posse suppleri. In primis vir Dei non acquieuit consilio: Videtis, inquit, quia multis expensis & sudoribus domus ista parata est, sublimis est ecclesia, domus lapideæ consummatæ sunt, aquæ ductus cum maximis sumptibus per singulas officinas traducti. Si hæc omnia confregerimus, poterunt homines seculi de nobis malè sentire, quòd aut leues sumus & mutabiles, aut nimiæ, quas tamen non habemus, diuitiæ faciant nos insanire. Cumque certissimum vobis sit, penès nos non esse pecunias, verbo Euangelico vobis dico, quia ædificaturo turrim, futuri operis necessè est supputare expensas. Alioquìn cùm cœperit & defecerit, dicetur ei: Hic homo fatuus cœpit ædificare, & non potuit consummare. Ad hæc fratres respondent: Si consummatis his, quæ ad monasterium pertinent, habitatores cessaret mittere Deus, stare posset sententia, & cessandum ab operibus rationabilis foret censura. Nunc verò cùm quotidiè gregem suum Deus multiplicet, aut repellendi sunt, quos mittit, aut prouidenda mansio, in qua suscipiantur. Nec dubium est, qui parauit mansores, quin præparet mansiones. Absit autem, vt pro diffidentia sumptuum, confusionis huius incurramus discrimina. Audiens hæc Abbas, fide & charitate eorum delectatus est, & aliquandò tandèm consilijs eorum acquieuit, plurimis tamen super hoc ad Deum precibus suis fusis, nonnullis quoquè reuelationibus præostensis. Gauisi sunt fratres, vbi verbum effusum est in publicũ. Audiuit hoc sanctæ memoriæ nobilissimus princeps Theobaldus, & multa in sumptus dedit, & ampliora spopondit subsidia. Audiêrunt Episcopi regionum, & viri inclyti, & negociatores terræ, & hilari animo sine ractore, vltrò ad opus Dei copiosa contulêre suffragia. Abundantibus sumptibus, conductis festinanter operarijs, ipsi fratres per omnia incumbebant operibus. Alij cædebant ligna, alij lapides conquadrabant, alij muros struebant, alij fundabant Ecclesiam, alij diffusis limitibus partiebantur fluuium, & extollebant saltus aquarum ad molas. Fullones, & piscatores, & coriarij, & fabri, alijque artifices, congruas aptabant suis operibus machinas, vt scaturiret & prodiret, vbicunquè opùs esset, in omni domo subterraneis canalibus deductus riuus vltrò ebulliens, & demum congruis ministerijs per omnes officinas expletis, purgata domo, ad locum cardinalem aluei reuerterentur, qui diffusi fuerant, & fluuij propriam redderent quantitatem. Inopinata celeritate cõsummati sunt muri, totum monasterij ambitum spatiosissimè amplectentes. Surrexit domus, & quasì animam viuentem atque motabilem haberet, nupèr nata ecclesia, in breui profecit & creuit.

Luc. 14.

Ecce tibi vel terrẽ piorum hominũ erga monasteria construenda liberalitatem.

CAP. VI.

LAborabat ea tempestate sub schismaticorum oppressione, tota Burdegalensis ecclesia, & non erat in Aquitania, qui posset resistere principi, cuius animam induerat Deus: qui, annuente Gerardo Engolismensi Episcopo, & instillante in cor eius dissensionis semina, factus est schismatis defensor & auctor. Quicunque susceptioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alij damnis, alij proscriptionibus mulctabantur: alij à sedibus proprijs pulsi, exulare compellebantur. Sibilabat in auribus Comitis illius crebris persuasionibus, quasì serpens, antiquus veterator ille, qui diù in partibus illis Sedis Apostolicæ fuerat legatus, & nunc à magistratu tanto deiectus, non poterat se pati suæ solius ecclesiæ Episcopum, qui se viderat totius Aquitaniæ principẽ & magistrum. Erubescebat enim ad primam domum redire, cuius potentatui & Turonica, & Burdegalensis, & Anxiensis prouinciæ subditæ fuerant, & quicquid à collibus Iberorum vsque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus, paruërat eius imperio. Consuetus igitur prædari prouincias, & sub titulo iustitiæ de causis emergentibus facere quæstum, infinitas aggregauit pecunias, quæ sibi erant in idolum, & in apostasiæ simulacrum. Videns igitur perisse sibi exactionum authoritatem, & solã domum, quæ nupèr multis stipata clamoribus, iam carebat ærarijs, impatienter ferens, quòd manus eius non implerentur muneribus, homo serpentinæ astutiæ festinatò ad Petrum Leonis misit, vt ei legationem concederet, & ipse

Aquitaniæ princeps persequitur Pontificis fautores.

Iste Guilhelmus comes, postea sanctissimè vixit.

ipse ei fidelitate iurata obediret: insuper & principem terræ, & quoscunque posset, ad eius imperium inclinaret. Gauisus homo perditionis, quia locũ, in quo dilataret malitiam suam, se inuenisse putauit, citò annuit, & libenter ei in adstipulationem erroris Gilonem Tusculanum Cardinalem Episcopum, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi Episcopo ei adhæserat, celeriter delegauit. Porrò Gerardus, qui priùs se mutilatum dolebat, resumpsit cornua, & deincèps cœpit securior & audacior apparere. Nam & quod antè non fecerat, publicè procedebat mitratus, vt ipsa sacri officij insignia ampliorem ei reuerentiam in populos vendicarent. Aggreditur ergò Comitẽ multis pecunijs, inuadit animam eius rationibus venenatis, & hominem promptum facilè seducit & corrumpit. Inprimis ab vrbe Pictauensi Vuilhelmus Episcopus, vir honestus, homo catholicus, in societate & defensione vniuersalis Ecclesiæ stabilis, violenter expellitur, & à Gerardo & Cardinale adiutore suo, quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant & aliæ familiares causæ, pro quibus ei à multo tempore Comes infensus, data occasione, libentissimè eum persequitur & abiurat. Visum est autem tam Gerardo, quàm Comiti, vt ad confirmationem partis suæ, sine mora Pictaui crearent Episcopum: & inuenerunt hominem ambitiosum, nobilem quidem genere, sed degenerem fide: quem, vt genus suum cum eo in causa ponerent, quibusdam ex clericis consentientibus elegerunt: & prophanas ei imponentes manus, execrabile caput eius non tam vnxerunt, quàm contaminauerunt. Simile huic monstrum in Lemouicensi ecclesia instruxerunt, Ramnolphum quendam Dorotensem Abbatem, quem non multò pòst vltio diuina secuta est: & cadens resupinus de equo in via plana, vno tantùm lapide vltore, qui ad hoc ibi erat relictus, infixo capiti eius, quassato cerebro, expirauit.

Gerardus Engolismẽsis Episcopꝰ fouet partẽ Antipapæ admodùm flagitosè.

Legitimis exturbatis Episcopis, substituuntur Pseudoepiscopi.

Vltio diuina.

Audiens hæc & huiusmodì vir venerabilis Gaufredus Carnotensis Episcopus, cui à Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuit commendata, vehementer indoluit, & succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis alijs negocijs, sine dilatione vlla decreuit. Abbatem ergò Clarauallensem petit & obsecrat, vt sibi ad tanta mala eliminanda succurrat. Assensit vir Dei, & se in proximo congregationem monachorum in Britaniam, in locum, quem iuxta Nannetum Comitissa Ermengardis parauerat, ducturum intimat, & promittit, disposita illa domo secundùm genus & species suas, secum eo in Aquitaniam profecturum. Ibant igitur simul, & nè multis ambagibus vtar, simul Nannetum venerũt. Erat autem in regione illa misera mulier, quæ à quodam petulante diabolo vexabatur. Apparuit autem ei lasciuus ille diabolus in specie militis, valdè pulchri adspectu, & in amorem suum intùs suggestione latenti, extrà locutione blandienti, animum eius fallaciter inclinauit. Cumque assensum mulieris obtinuisset, expansis brachijs, pedes eius super vnam manuum suarum posuit, altera verò manu caput eius operuit, sibique eam huius fœderis signo dotauit. Illa quidem virum habebat strenuum militem, sed huius execrabilis commercij penitùs ignarum.

Britania minor, pars Franciæ nobilissima.

Diabolus mirè abutitur vxore militis cuiusdam.

Abutebatur ergò ea, etiam in eodem loco cubante marito, inuisibiliter impurissimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo verò anno confusa est in se ipsa, & expauit, tum propter colluuionem tam continuæ turpitudinis, tum propter timorem Dei, cuius iudicio singulis momentis timebat intercipi & damnari. Confugit ad sacerdotes, & piaculum confitetur. Peragrat loca sancta, & sanctorum implorat suffragia: sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidiè, vt priùs, & importunìùs, à dæmone infestatur. Deniquè in publicum tantum scelus effusum est. Quo audito & cognito, maritus eius contubernia execratur. Intereà ad locum prædictum vir Dei cum comitatu suo aduenerat: cuius vt audiuit aduentum infelix mulier, se ad pedes eius tremebunda proiecit. Aperit ei lachrymis perfusa passionem horribilem, & ludificationem inueteratam, & quòd ei nihil profecissent, quæcunque fecisset sibi à presbyteris imperata. Addit sibi ab oppressore suo aduentum eius prædictum, & minaciter* ei interdicit, nè ante eius veniret præsentiam: quia nihil ei prodesset, & ipse, recedente Abbate, qui fuerat amator, crudelissimus ei fieret persecutor. Audiens hæc vir DEI, blandis verbis consolatur mulierem, & de cælo promittit auxilium: præcepitque, vt die altera (iam enim nox instabat) confidens in Domino reuertatur. Reuersa manè, cùm viro Dei blasphemias & minas, quas eadem nocte ab incubo suo audiërat, retulisset: Nè cures, inquit vir Dei,

* fortè interdictum.

Dei, minas eius: sed tolle baculum hunc nostrum, & pone in lecto tuo, & si quid potest, agat. Egit mulier quod iussum fuerat, & recubans in lecto suo, signo Crucis munita, iuxta se baculum ponit. Adest ille continuò, sed nec ad consuetum opus, nec ad ipsum cubile præsumpsit accedere: tamen minatur acerrimè, quòd discedente viro Dei, ipse in eius supplicia reuerteretur. Instabat dies Dominica, & voluit vir Dei per edictum Episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam conuenisset, inter Missarum solentia, comitantibus Episcopis Gaufredo Carnotensi, & Brictio Nannetensi, ipse ad ambonem conscendit, & vt omnes, qui in ecclesia erant, accensas candelas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod & ipse cum Episcopis & clericis faciens, inauditos diaboli ausus publicè aperit, & forni. catorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta etiam contra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium, qui aderant, subscriptione anathematizat, & authoritate Christi tam ad illam, quàm ad omnes mulieres deincèps interdicit accessum. Extinctis itaq; sacramentalibus illis luminibus, extincta est deincèps tota virtus diaboli, & mulieri post confessionem communicanti, nunquàm postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit.

Ecce quid valeant etiã viles sãctorum res.

Profligat mirabiliter impurissimũ dæmonem a fœmina.

His itaq; patratis, simul Abbas & legatus ingrediuntur Aquitaniam. Interim Gerardus assensu Comitis, Burdegalensem Archiepiscopatum occupauerat, & simul Burdegalensem & Engolismensem detinebat ecclesiam. Sed effluentibus pecunijs, quas in assentatorum manus iniecerat, magis ac magis cognita veritate: iam defluebant ab eo subsidia principum, & perfidiæ eius timebant existere defensores. Morabatur itaque in locis illis, in quibus securiorem se putabat, nec iam facilè se conuentibus præsentabat. Vt enim priùs gesta breuiter repetamus, vbi primùm cœpit audiri, quid aduersùs Ecclesiam Dei Gerardus ille machinaretur, ab Innocentio Papa, adhuc in Gallijs demorante, missi sunt Abbas noster Clarauallensis, & Iosceuus venerabilis Episcopus Suessionensis, & Pictauum vsque venerunt, vt tam ipsum quàm prædictũ principem conuenirent. At ille, iam eodem principe persuaso, impudenter in ecclesiam Catholicam, à qua se præcidebat, conuicia cœpit iaculari, & pollicitam priùs Innocentio obedientiam subtrahere, Anacletum suum electum digniorem, & quicũq; ei non obedirent, erroneos & acephalos nominare. Vndè factum est, vt animati & armati in insaniam Clerici, publicè ex ea die persecutionem Catholicis intentarent. Priùs tamen, quàm ab vnitate seipsos taliter præcidissent, obtulerat Abbas sanctus in eorum ecclesia sacrificium Deo. Post cuius discessum, Decanus eiusdem ecclesiæ altare, in quo diuina mysteria celebrârat, impiè quidem, sed non impunè, confregit. Siquidem post breue tempus percussus à Deo, cùm spiritum exhalaret, domum, in qua moriebatur, plenam videbat dæmonibus, & se à dæmonio iugulari clamitans, cultellum à circũstantibus postulabat, quem immergeret gutturi suo, vt extracto dæmone viueret. Sed diabolus, cui datus erat, eum inter hæc verba extinxit, & pestilentem animam in infernum demersit. Archipresbyter quoquè, qui Petri inuasoris Pictauensis ecclesiæ synodum denunciabat, coram ipsis, quos ad conuentum perfidiæ inuitabat, à diabolo correptus est. Sed & in alios multos, qui in schismate illo feruentiores extiterant, manus diuina manifestam exercuerat vltionem. Propter hęc & alia huiusmodi, ante homines confundi cœperat Gerardus, & timens opponi sibi, quæ negari non poterant, conuentus publicos euitabat.

Mittitur cũ Episcopo Suessionẽsi ad cõponẽdam pacem Ecclesiæ.

Gerardus Episcopus schismaticꝰ Catholicos persequitur

Terribilis vindicta in decanũ, & alios schismaticos.

Significatum est interìm Comiti per viros illustres, qui ad eum securiùs audebant accedere, quòd Abbas Claræuallis & Episcopus Carnotensis, alijque Episcopi & religiosi viri, colloquium eius expeterent: quorum etiam studium esset, vt secùm de pace Ecclesiæ, & de malo remouendo tractarent: persuasumq; est illi, nè tantorum virorũ deuitaret colloquium: quia poterat fieri, vt communicato cum eis consilio, & facile esset, quod modò videbatur difficile: & quod videbatur impossibile, repentino prouentu possibile redderetur. Itaque apud Pertinacum hincindè conueniunt, & inprimis de diuisione Ecclesiæ, & de scissura & obstinatione, quæ infra Alpes in sola Aquitania quasì nebulæ corruptela consederat, multis modis & rationibus à seruis DEI Comiti intimatum est, quòd Ecclesia vna est, & quicquid extra eam est, quasì extra arcam, iudicio Dei necesse est interire & dilui. Adducta quoquè exempla Dathan & Abiron, quos reatu schismatis terra viuos absorbuit: nec tanto malo vindictam Dei aliquandò defuisse, monstratum est. His auditis, Comes ex parte sano vsus est consilio, & respondit, in obedientiam Innocentij Papæ posse dare consensum: sed

Num. 16.

sed in restitutionem Episcoporũ, quos de sedibus suis expulerat, nulla ratione induci: quoniam implacabiliter eum offenderant, & iurauerat, se nullo tempore eorum pacem aliquandò susceptum. Diù per internuncios protractus est sermo, & dum vicissim verbis se mutuò occupant, vir Dei efficaciora sibi arma arripiens, ad altare sanctũ oblaturus & supplicaturus accedit. Intrauerant ecclesiam, quibus licebat diuinis interesse mysterijs, Comes sustinebat pro foribus. Peractis itaque consecrationibus, & pace data ac diffusa per populũ, vir Dei iam non se agens, vt hominem, corpus Domini super patenam ponens, ignea facie & flammeis oculis, non supplicans, sed minax, foràs egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem: Rogauimus te, inquit, & spreuisti nos: Supplicauit tibi in altero, quem iam tecùm habuimus, conuentũ seruorum Dei ante te adunata multitudo, & cõtempsisti. Eccè ad te processit filius Virginis, qui est Caput & Dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet. Nunquìd & ipsum spernes? Nunquid & ipsum sicut seruos eius cõtemnes? Lamentabantur vniuersi, qui aderant, & orationibus intenti, præstolabantur exitum rei, & omnium suspensa expectatio nescio quid diuinum cælitùs fieri expectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehemẽti procedentem, & sacratissimum corpus Domini in manibus ferentem, expauit & diriguit, membrisq; treme bũdis metu, & dissolutis, quasì amens solo prouoluitur. Eleuatus à militibus, rursùm in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, saliuis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum vir Dei ad eum, ppiùs accessit, & pede pulsans accliuem, surgere iubet, & stare supra pedes, & DEI audire sententiam. Præsens est, inquit, Pictauensis Episcopus, quem ab ecclesia sua expulisti. Vade, & reconciliare ei, & in osculo pacis iungito fœdera, & ipse ad Sedem suam eũ reducito: & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in vniuerso principatu tuo diuisos & discordes ad charitatis reuoca vnitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoquè electo à DEO, tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, authoritate spiritus sancti, & sanctorum sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum, & eádem, qua eum abiurauerat, manu cum totius exultatione ciuitatis, ad propriam sedem eum reduxit. Sed deincèps Abbas cum Comite iam familiariùs & suauiùs loquens, paternè eum monuit, nè ad impios & temerarios ausus vltrà exurgeret, nè Dei patientiam in tantis irritaret flagitijs, nè pacem factam in aliquo violaret.

Nota historiã memorabilem, & de corporali Christi in Eucharistia præsentia.

Recipit comes Pictauẽsis Episcopũ in osculo pacis.

Huius Guilhelmi Comitis mutè conuersi vita habetur Tomo I. 10. Februarij.

Pace itaque omni Aquitanicæ ecclesiæ reddita, solus Gerardus perseuerat in malis: sed non multò pòst adueniente die iræ, in domo sua miserabiliter extinctus est. Et cùm dicat scriptura, Est peccatum ad mortem: pro eo non dico, vt roget quis: impœnitens & subitò mortuus, sine confessione & viatico de corpore egredientem spiritũ diabolo reddidit, cuius minister vsque in finem extiterat. Corpus eius à nepotibus suis, quos in ecclesia illa honoribus sublimauerat, inuentũ in lecto suo exanime & enormiter tumidum, in basilica quadam humatum est. Sed posteà à Gaufredo Carnotensi Episcopo, sedis Apostolicæ legato, indè extractũ, aliasq; proiectũ est. Nepotes quoquè eius ab eádem ecclesia posteà eliminati sunt, & omnis progenies & plantatio à radice euulsa, per extera regna, tanti iudicij circunferens querimonias, exulauit. Tanto ergò malo obruto, & schismate Gerardi redacto in cineres, vir Dei cũ magno gaudio Clarauallem reuertitur. Assunt fratres circunfusi pedibus eius: gratias agunt Deo, qui bonis initijs feliciores prouentus accumulat, & vbiquè Abbatis sui humilitatem glorificat & exaltat. Nactus verò vir DEI aliquod quietis tempus, alijs se negocijs occupauit: & secedens in casulam, pisatijs torquibus circuntextam, solus meditationibus diuinis vacare disponit: & repentè occurrunt ei in diuersorio humili, quasì ad præsepe Domini consistenti, amatoria Cantica, & spiritualium fercula nuptiarum. Consi derat & expauescit, quòd sponsus speciosus forma, præ filijs hominum, in quem etiã Angeli desiderant prospicere, fuscam adamauerit sponsam, & decoloratã à sole, tanto extollat præconio, vt dicat eam totam formosam, nec vllam in ea maculam esse. Ipsam quoquè sponsam dilectione languere miratur, & inquirit diligenter, quæ sit illa charitas, cuius oscula dulciora sunt vino, ad quorum delibationem tanto affectu anima impatienter anhelat: cumque sponsus multis laudibus sponsam attollat, non tamen in omnibus plenam ei sui copiam præbeat, nec vsque ad plenitudinem satietatis se sponsæ desideranti concedat: quęsitus aliquandò non inueniatur, & post longos

Nota schismatice, & time similẽ vltionem.

1. Ioan 5.

Psal 44. Cant. 1. &c.

Exponit Cãtica Cantico rum.

circuitus repertus, teneatur, nè fugiat. Multo tempore in harum meditatione rerum animam ſuam effudit, & multipliciter hæc exponens, quantùm in ſe profecerit, qui quotidiè in illis epulabatur delicijs: quantùm in nobis, quibus illius benedictionis reliquias in ſcriptura ſeruauit, manifeſtum eſt legentibus eam.

CAP. VII.

Literis Pontificis euocatur ad vrbem, vt adſit laboranti Eccleſiæ.

INtereà literæ Apoſtolicæ virũ Dei vocant, & vt aſſit laboranti Eccleſiæ, ſupplicant Cardinales. Intermittuntur ſtudia, & quæ modò continua erant, interpolatis diſcurſibus reſumuntur. Nulla vacatio ſupereſt: ſeruus Dei aut orat, aut meditatur, aut legit, aut concionatur. Videns ergò excuſationes fruſtrà expendi, & neceſsè eſſe obedire mandatis, cõuocatos à multis partibus fratres, diù profundeq; ſuſpirans, affatur: Videtis fratres, in quantis tribulationibus laboret Eccleſia. Pars quidem Petri & in Italia & in Aquitania, authore Deo, eliſa, iam non parturit, ſed abortit. Euaſati ſunt in his regionibus ſchiſmatis defenſores: Romæ magna pars nobiliũ Innocentium ſequitur, & fauent ei multi fidelium: qui tamen temerariæ multitudinis impetũ formidantes, non audent publicè confiteri, quem Innocentio firmauêre, conſenſum. Coniuratos habet Petrus homines perditos, quos corrumpit pecunia: & munitionibus corũ occupatis, non Simonis Petri fidem, ſed Simonis Magi repræſentat præſtigias. Contra vnam gentem, Occidente edomito, ſupereſt lucta. Orantibus vobis & iubilantibus, Iericho corruet: & cùm extenderitis cum Moyſe manus ad Dominum Amalech victus aufugiet. Ioſue pugnat, & vt ad conſummationem victoriæ dies ſufficiat protelata, ſoli vt ſtet, non tam orat, quàm imperat: & meretur fides tam ſolis obedientiam, quàm de hoſte proſtrato victoriam. Nobis ergò pugnantibus, vos ferte præſidium, & auxilium de cælo ſupplicibus animis implorate. Agite, quæ agitis, & ſtate in gradu, quo ſtatis. Et licèt vobis nihil conſcij ſitis, iudicio tamen veſtro non æſtimetis vos iuſtos: quia ſolus Deus quos iuſtificat, iudicat, & perfectiſſimus quiſq; iudicij diuini diſtrictum examen ignorat. Iudicari autem ab humano die non multùm curetis, neq; veſtra propria, neque aliena iudicia approbantes, ſub timore Dei ſic ſtate, vt nec vos quempiam iudicantes, ali quandò extollamini: nec aliorum curantes iudicia, excidatis in nugas. Singula verò proſequentes, vos ſeruos inutiles reputetis. Eundum autem eſt nobis, quò nos obedientia vocat: & huius domûs fraternitatem & veſtrî cuſtodiã, Deo, pro quo hunc aſſumimus laborem, confidentes de eius clementia, tradimus & commendamus.

Exod. 17. Ioſue 10.

Eccè quàm ſit res temeraria, aliquẽ iudicare.

Venit Romam, Pontifice & Cardinal. bꝰ gratulantibus.

Hæc dicens, & benedicens, flentibus vniuerſis, diſceſſit: & cum multa reuerentia vbiquè receptus, demùm Romam peruénit. In cuius aduentu tam dominus Papa, quàm fratres lætati ſunt: & communicatis cum eo conſilijs, ſecundùm rerum prouẽtus, & ſtatum cauſarum, Abbas in opus egreditur: nec in curribus, nec in equis ſpem ponens, ſed colloquia quorundam ſuſcipiens, ſciſcitatur, quæ ſit eorum facultas, qui fautorum animi: vtrùm errore, an malitia ſeducti, tantum ſcelus protrahant & protelent. Intellexit ex ſecretis, Clerum, qui cum Petro erat, de ſtatu ſuo ſolicitũ, ſcire quidem peccatum, ſed non audere reuerti, nè perpetua notatus infamia, vilis inter cæteros haberetur: & mâlle ſub vmbra honeſtatis interìm ſic eſſe, quàm expelli à ſedibus ſuis, & publicæ mendicitati exponi. Eorum, qui de Petri erant proſapia, hæc erat reſponſio, quia iam credi eis à nemine poſſet, ſi dimembrarent genus ſuum, & eum relinquerent, qui cognationis ſuæ caput eſſet & dominus. Cæteri iuramento fidelitatis excuſabant perfidiam, nec aliquis ex ſana conſcientia parti illi conferebat ſuffragia. Denunciabat itaque Abbas eis, colligationes impietatis eſſe ſacrilegas, & prophanas conſpirationes, legibus & canonibus condemnatas, iuramentis nõ poſſe muniri: nec poſſe, nec debere veritatis ſacramenta mendacio ſuffragari: inſanire autem eos, qui rem illicitam ſacramenti patrocinio conſtare exiſtimant, cùm oporteat extraordinarias pactiones, quocunque religionis obtentu ſancitas, reuocari in irritum, & authoritate diuina diſſolui: Auditis his & alijs viri Dei ſermonibus, defluebãt à Petro, & quotidiè partis illius diſſociatis agminibus, vincula rumpebantur: ipſius quoquè Petri anima tabeſcebat, quia ſe quotidiè minui, Innocentium verò creſcere minimè dubitabat. Defecerant pecuniæ, contabuerat curiæ amplitudo, aruerant miniſteria domûs, rarus menſas eius frequentabat conuiua, deliciæ in plebeia cibaria mutatæ, cultus obſequentium vetuſtate obſcurus, macri & acuti ſtipendiarij, ære alieno oppreſſi, & tota domûs effigies pallida, diſſolutionem proximam indicabat.

Attende ſanam eius doctrinam.

Intereà Rex Siciliæ Rogerus, qui ſolus iam ex principibus obedire Papæ Innocentio de-

tio detrectabat ad eum mittit epiſtolas, petens, vt Aimericum Cancellarium ſuum & Abbatem Claræuallis ad ſe mitteret, nihilominùs à Petro Leonis idem petens, vt Petrum ſibi Piſanum à ſuo latere delegaret. Aiebat autem ſe diſſenſionis huius, quę iam diù induruerat, velle ſcire originem, & cognita veritate, aut corrigere errorem, aut ſancire ſententiam. Mittebat autem in dolo: quia audierat Petrum Piſanum eloquẽtiſſimum eſſe, & in legum & in Canonum ſcientia nulli ſecundum: putabatq́ue, ſi eloquentiæ eius in publico conſiſtorio audientia pręberetur, declamationibus rhetoricis ſimplicitatem Abbatis poſſe obrui, & ſilentium ei in verborum & rationum pondere imponi. Nè diù moret, venit pars vtraq; Salernum: ſed militauerat vltio, & præuenerat tanti ſceleris machinamentum. Parato nanq; ad bellum innumerabili exercitu aduerſùs Rannulphũ Ducem, idem Rex in cãpum armatas produxerat acies, cũ ſubitò viſo Duce audacter obuiàm ꝓcedente, territus fugit, effuſumq́ue exercitũ prædæ & cædibus expoſuit, & innumeris militibus captis & interfectis, inuitus Ducem ditauit opibus, & gloria ſublimauit. Quæ quidem ei omnia iuxta verbum viri DEI contigerunt. Cùm enim primus eorum, qui vocati fuerant, Abbas ſanctus adueniens, Regem in caſtris poſitum inueniſſet, per multos dies vicinas acies, nè committerent, impediuit, denuncians Regi, quia ſi conflictum iniëris, victus & confuſus abibis. Nouiſſimè verò, cùm eiuſdem Regis plurimùm creuiſſet exercitus, ignorãs, quòd non in multitudine foret euentus belli, virum ſanctum quærentem ea, quę pacis erãt, vlteriùs audire contempſit. At ille ducem Rannulphum & catholicorum aciem verbis potentibus adhortans, ſicut Regi fugam, ſic illis victoriam pollicitus eſt & triumphum. Cumq́; ad proximam villulam declinâſſet, & inſtaret orationi, repentè fugientium & inſequentium clamor auditur. Siquidem per eundem locum fugiẽtem Regis exercitum Rannulphus perſequebatur. Egreſſus itaque frater quidam ex his, qui cum Abbate erant, vni ex militibus occurrit, & quid accidiſſet interrogabat. At ille (ſiquidem literas nouerat) Vidi, inquit, impium ſuperexaltatum & eleuatum, ſicut cedros Libani: & tranſiui, & eccè non erat. Nec mora, Dux ipſe ſecutus, mox vt monachum vidit, ſicut erat armatus, equo deſilijt, & eius pedibus aduolutus: Gratias ago, inquit, Deo & fideli ſeruo eius: quia nõ noſtris viribus, ſed fidei eius collata hæc victoria eſt. iterumq́ue inſiliens equo, hoſtes inſequebatur.

Rogerus Siciliæ rex, ſo detrectat obedire Innocentio Papæ.

Magna eius Regis calamitas.

Prænunciat S. Bernardꝰ Regis ruinam, & Ducis Rannulphi victoriã

Pſalm. 36.

Nec tamen hac plaga ſibi inflicta cælitùs, correctus eſt animus Regis, nec detumuit procella, quam conglomerauerat prauæ mentis elatio: ſed poſt fugam reuerſis, qui euaſerant, ſimulans alacritatem, regio ſe ornatu attollens, ſtipata militibus curia, vtranque partem iubet accerſiri: & priùs inſtructo Petro, & multarum promiſſionum authoramentis accenſo, de cauſæ ſuæ rationibus eloqui iubet. Prior Petrus electionem domini ſui canonicam aſſerit, & verba ſua multis canonum aſſertionibus munit. At verò vir Dei non in ſermone, ſed in virtute regnum Dei eſſe intelligens: Scio, inquit, te Petre, virum ſapientem & literatum eſſe, & vtinàm ſanior pars & honeſtior à te occupâſſent negocia. Vtinàm te patronum cauſa iuſtior obtineret, & ſine dubio rationalia eloquentem, nulla poſſet impedire facundia. Et nos quidem agreſtes, ſæpiùs ligonibus, quàm pragmaticis aduocationibus aſſuęti, ſi cauſſa fidei non eſſet, inſtitutum ſilentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore paſſionis nec ethnicus præſumpſit ſcindere, nec Iudæus, Petrus Leonis lacerat & dirumpit. Vna eſt fides, vnus Dominus, vnum baptiſma. Nos neque duos dominos, neque geminam fidem, nec duo baptiſmata nouimus: vt ab antiquis ordiar, vna arca tempore diluuij fuit. In hac octo animæ, cæteris omnibus pereuntibus, euaſerunt: & quotquot extra arcam inuenti ſunt, periẽrunt. Arcam hanc typum tenere Eccleſiæ, nemo eſt qui ambigat. Arca alia nupèr fabricata eſt: & cùm ſint duæ, alteram neceſsè eſt eſſe adulteram, & in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, ſi ex Deo eſt, neceſsè eſt, vt arca quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo Orientalis Eccleſia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi & Angli, & Barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio * Camaldrenſis, & Carthuſienſis, & Cluniacenſis, & Ciſtertienſis, & Præmonſtratenſis, aliaq́ue innumerabilia ſeruorum Dei & ancillarum collegia, neceſſe eſt, vt ſub vno turbine corruant in abyſſum. Epiſcopos & Abbates, & reliquos Eccleſiæ principes, collo præcipiti mola aſinaria alligata pelagus vorax excipiet. Solus ex principibus mundi arcam Petri intrauit iſte Rogerus, & cæteris omnibus enecatis, ipſe ſolus ſaluabitur? Abſit, vt totius mundi religio pereat, & ambi

Iohann. 19.

Ephes. 4.

Gen. 6.

1. Pet 3.

Obſeruã, quinam pereant Romano Pontifici.

tio Petri(cuius vita,palàm eſt,qualis extiterit)regnum cælorum obtineat.

Rationalibus argumẽtis,Petrum Piſanum & cæteros oratores in ſuã partem trahit S. Bernardus.

Ad hæc verba non vltra ſe poterant,qui præſentes aderant,continere: ſed abominati ſunt & vitam Petri, & cauſam. Abbas autem tenens manum Petri, eleuauit eum,& ſimul ipſe ſurrexit:Tutiorem, inquiens,ſi mihi credis,intrabimus arcam. Et ſicut iampridèm mente conceperat,ſalutaribus illum aggrediens monitis,cooperante gratia Dei,protinùs perſuaſit,vt ad vrbem rediens, Innocentio Papæ reconciliaretur. Soluta concione,Rex necdùm voluit obedire:quia ſancti Petri patrimonium, quod in Caſſinenſi & Beneuentana prouincia ampliſſimum eſt, cupidus occupauerat:putabatque huiuſmodi ſuſpenſionibus aliqua extorquere priuilegia, per quæ in ius proprium deincèps ſibi ſtabiliretur hæreditas. Sic Hærodes videns Saluatorem, contempſit:& quem deſiderauit abſentem, contempſit præſentem. Sed omnipotens Deus claritatem, quam accepit à patre, dedit hominibus: & contemnentes ſe facit inglorios,& erigit in ſublime humiliatos. Igitur circa curationem cuiuſdam viri nobilis,& in vrbe Salernitana notiſſimi,ſuccumbentibus medicis, quorum præcipuè ibì ars viget & ſtudium,eidem vitam de medicorum auxilio deſperanti, noctù quidam per ſomnium appárens,intimauit aduenìſſe Salernum virum ſanctum, & incurationibus efficacem. Hunc inquirere iubet, & de lauacro manuum eius bibere. Quæſiuit,inuénit,aquam petijt,bibit,conualuit. Hoc verbum per totam vrbem diuulgatum,ad aures Regis & procerum eius peruenit. Cùm omnium igitur populorum fauore,ſolo Rege in malitia permanente, Abbas Romam reuertitur:prædictũ verò Petrum Piſanum & quoſdam alios reconciliauit Eccleſiæ, & Innocentio Papæ confœderat.

Luc.23.

Iohan.17.

Hominẽ à medicis deſperatũ ſanat aqua, qua abluit vir Dei manus ſuas.

Aduenerat tempus,in quo completa Amorrhæi malitia, Angelus percutiens,gladium iam vibrabat, & pertranſiens domos, quarum ſuperliminaria agni ſanguis imbuerat, ad domum Petri Leonis veniens, ſalutare in ea non reperit ſignum. Percuſſit ergò miſerum: nec tamen ilicò defungitur, ſed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, & in peccato ſuo moritur deſperatus. Miſerabili pompa corpus eius effertur,cadauer eius in latebris ſepelitur, & vſque hodiè fouea illa à Catholicis ignoratur. Attamen pars illius,Papam ſibi pro illo alterum ſtatuerũt, non tam ex pertinacia ſchiſmatis,quàm vt opportunius per aliquam tẽporis moram Papæ Innocẽtio reconciliarentur. Quod ſine mora per manus ſerui ſui effecit Dominus. Nam & ipſe ridiculus pontifex,Petri Leonis hæres, ad eundem virum Dei nocte ſe contulit,& ille eum nudatum quidem vſurpatis inſignibus, ad Domini Innocentij pedes adduxit. Quo facto,gratulabunda ciuitas lætatur, Innocentio Eccleſia redditur,Romanus populus,vt paſtorem & dominum, Innocentium veneratur, Abbas Claræuallis mira reuerentia habetur, ab omnibus author pacis & pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles proſequuntur,acclamat populus,matronæ ſequũtur,& omnes ei prompto animo obſequuntur. Sed quandiù gloriam illam tolerauit? Quandiù pace fruitus eſt poſt tam diuturnum laborem? Nec diem pro anno recipere acquieuit. Sedatis omnibus & compoſitis,vix quinque dies teneri potuit, qui ſeptem annis & vltrà pro reſarcienda eádem ſciſſione ſudauit. Exeunti autem vniuerſus populus occurrit,lachrymantur poſt eum,& ſe ab eo poſtulant benedici, & orationibus eius cum omni deuotione ſe commendant.

Exod.12.

Antipapa diuinitùs percuſſus perit.

Viri Dei opera ſchiſma tollitur.

Accepta igitur ab Innocentio licentia,confirmata pace, vir Dei egreditur,& maximum domi reportans gaudium, à fratribus cum gratiarum actione deuotè ſuſcipitur. Interea Romæ Innocentius poteſtatiuè agenda diſponit, vndiquè viſitatores occurrunt:alij cum negocijs,alij gratia congaudendi aduenìunt:proceſſiones per Eccleſias celebrantur: depoſitis armis,ad audiendum verbum Domini plebes accurrunt, poſt multifarias egeſtates, ciuitas in breui opulenta refloret. Quæ diſcordiæ tempore diſtracta fuerant,pax ſolidata reducit & reuocat:arantur ſolitudines, pinguéſcunt deſerta. Requieſcunt ſinguli ſub vite & ficulnea ſua,nocturnæ ſilent excubiæ, & apertis ianuis,omnis timor excluditur. Dato tempore, Innocentius Eccleſiæ ruinas reſtaurat,recolligit exules,eccleſijs antiqua ſeruitia,depopulatas colonias expulſis reſtituit,inſuper & dona congrua largitur per ſingulos. Monaſterium etiam apud aquas Saluias,in S.martyris Anaſtaſij honore conſtituit:quod quidem ibi fuerat priùs, ſed hoc tempore ſolus in eccleſia deerat habitator. Conſtructis itaque cœnobialibus manſionibus,& reformata Eccleſia,aſſignatis etiam ad alimonias domibus, agris & vineis, à Claraualle Abbatem & conuentum fratrum ſibi mitti dominus Papa voluit

Redit ad ſuum monaſterium Clarauallenſe.

luit & obtinuit. Mittitur ergò Bernardus, Piſanæ olim Eccleſiæ vicedominus,& religioſi cum eo fratres, qui ſecundùm beati Benedicti Regulàm, in eodem loco Domino deſeruirent. Citò profecit illa plantatio,& aſſociatis ſibi viris indigenis,ſeruorum Dei multiplicatus eſt numerus, & pinguibus ac congruis nutrimentis incolume & multiplex in breuì produxêre peculium.

Mittũtur è Claraualle monachi, qui Romæ degant in monaſterio S. Anaſtaſij.

CAP. VIII.

ABbas ſanctus ad ſtudia ſua reuerſus,dilectũ amplectitur epithalamiũ. E diuerſis etiam regionibus,odore religionis illius vbiq; diffuſo, fratres ad fundanda monaſteria inuitantur: Fundata quoquè & ſtatuta,ſe ditioni eius ſubijciunt, & arctioris ineunt regulas diſciplinę. Sed & diuerſarum regionum ciuitates ex hoc collegio meruêre Epiſcopos. Imprimìs Roma ſummo ornatur Pontifice: Prænęſte Stephanũ habuit totius modeſtię virum: Oſtia virum magnum Hugonem. In ipſa quoq; Romana curia Henricus & Bernardus,alter preſbyter, alter diaconꝰ ordinati ſunt Cardinales: Prope vrbem Romam Nepa quoq; ſub Huberto refloruit. In Tuſcia Piſis,natalis ſoli gloria,& magnum Eccleſiæ lumẽ,Balduinus effulſit. Citra Alpes Lauſannæ datus eſt Amedeus,Seduno Garinus, Lingonis Godefridꝰ, Antiſiodoro Alanus,Nannetis Bernardus,Beluaco Henricus,Tornaco Giraldus,Eboraco Henricus. In Hybernia duo Epiſcopi,re & nomine Chriſtiani. In Alemania ciuitate Curia Algotus,ſapientia, ætate & gratia reuerendus. Hæc luminaria,de Claraualle aſſumpta, fulgore puro pdictas vrbes ſua illuſtrauêre præſentia, & paſtoralis officij elucidantes gloriam, exemplum cæteris Epiſcopis facti ſunt doctrinæ & vitæ,& in altitudine ſua ſemper humiles conſtiterunt.

Epiſcopi complures è Clarauall. creati.

Defuncto ſiquidem Innocentio Papa,& ſucceſſoribus eius Cęleſtino & Lucio quãuelociter conſummatis,Bernardus,quem priùs apud S. Anaſtaſium Abbatem diximꝰ ordinatum,Papa vrbis efficitur,& Eugenius tertius appellatur. Hic ſeditione orta in populo,puluerem pedum in litigantes excuſſit,& relictis eis,in Frãciam venit. Cumque Romæ ſe comederent ac morderent,& ſe inuicèm conſumerẽt, expectauit in pace,donec fatigati conflictibus,& damnis afflicti, eius præſentiam cuperent & optarẽt. Qui interìm celebrato Rhemis Concilio, Claramuallem humiliter viſitat, & gloriã pontificatûs Romani pauperum ẽpræſentat adſpectibus. Mirantur in tanta altitudine humilitatem immobilem,& in tam excellenti culmine,propoſiti ſancti permanere virtutem: vt altitudini ſociata humilitas,pro officio exteriùs fulgeat, & pro virtute nequaquàm interiùs inaneſcat,. Adhærebat carni eius lanea tunica,& diebus ac noctibus cuculla veſtitus,ſic ibat, ſic cubabat. Intùs monachi habitum rẽtinens, extrà ſe Pontificem & moribus & veſtibus exhibebat: rem difficilem agens,diuerſarum in vno homine proprietatem exhibens perſonarum. Segmentata ei circunferebantur puluinaria: lectus eius pallijs opertus,cortina ambiebatur purpurea: ſed ſi reuolueres opẽrimenta,inuenires ſuperiectis laneis compoſta ſtramina & paleas cõglobatas. Homo in facie,Deus videt in corde: ipſe verò bona coram hominibus prouidebat. Alloquitur fratres non ſine lachrymis,miſcens ſermonibus aulſa à corde ſuſpiria, hortatur & conſolatur,& ſe inter eos fratrem & ſocium,non dominum,exhibet,vel magiſtrũ. Cumq; eum ibì morari diutiùs non pateretur magna eum proſequens comitantium multitudo,ſalutatis fratribus,iter in Italiam dirigens,abſceſſit, & ad vrbem peruénit. Scripſit ad eũdem Papam vir ſanctus multę ſubtilitatis librum, in quo acutiſſima indagatione tam ea,quæ circa eum,quàm infrà ſunt,proſequens,etiam ad ea, quæ ſupra ipſum ſunt,aſſcendens,tanta de natura diuina diſſeruit, vt videatur in tertio cælo aſſumptus,audîſſe quędam verba,quæ non licet homini loqui,& Regem in decore ſuo vidiſſe. In his,q̃ infra,& quæ circa ipſum ſunt,morũ ſocietas,naturę æqualitas,officiorum diſtantia,conſideratio meritorum,dijudicatio prouectuum ſubtiliſſimè diſtinguitur,& ſingulis in ſuo genere ſuî cognitio intimatur. In his quæ ſupra hominem ſunt, ſpeculatur cęleſtia,non eo modo,quo Angeli,qui ſemper adhærent Deo,conſiderant: ſed eo modo,quo poteſt homo puri animi & mentis ſyncerę diuina contingere,& conformari Hierarchiæ cæleſti ſacerdotium temporale. Cùm enim in cæleſti militia conſtet alios alijs principari, & miniſteriales ſpiritus ad nutum ſuperiorum poteſtatum ad diuerſa officia delegari: quidam viciniùs aſſiſtentes, ab ipſo accipiunt, quæ alijs vel agenda vel intelligenda inſinuent. Cumque exigat homo præpoſituræ ſuæ reuerentiam exhiberi,ad honorem ſummæ poteſtatis cuncta referri neceſsè eſt:

Eugenius 3. fit Rom. Pontifex.

Concilium Rhemenſ. præſente Eugenio.

Nota in Pontifice ſtrati duritiam.

1. Reg.16.

Libri ſancti Bernardi de conſideratione.

In cęleſtiũ ſpirituũ ordinib. alijs alijs principantur.

Omnes multo magis debemus subijci Deo.

quia cùm sit subditus homini homo, vel spiritui spiritus, subdi maximè oportet Deo; de cuius munere datur ista prælatio, & quo docente fit, vt pateat homini tam cognitio sui, quàm per fidem & spem ad diuinam contemplationem pro modo data & indulta accessio. Dictabat vir Dei & nonnunquàm scribebat in tabulis cereis, non patiebatur perire inspirata sibi diuinitùs: sedabat lites Ecclesiarum, & appellationes importunas, quas inter se clerici discordes concitabant, blando spiramine componebat. Interdùm etiam duriùs increpante eo, redibat tranquillitas, & detumescentibus procellis, qui seditiosi ante eum venerant, & bile diffusa scaturientes declamationibus, pacifici reuertebantur.

Comitis Theobaldi erga virum Dei summũ studium & insignis liberalitas.

Adhæsit ei præ omnibus Comes Theobaldus, & dilectionem beneficijs prosecutus, & se & sua in subsidia Claræuallis exposuit, & in manibus Abbatis posuit animã suã, depositа altitudine principali, se inter seruos Dei conseruũ exhibens, non dominum, ità vt obediret ad omnia, quæcunq; domûs illi⁹ infimi imperâssent. Emebat ergò fundos, construebat domos, Abbatijs nouis præbebat impensas, & vbicunq; serui Dei extendissent propagines, delegabat pecunias: non vnam domum, sicut Salomon Hierosolymis statuens: sed vbicunq; huius schematis consedissent personę, satagebat eis ministrare necessaria, quasi Christo in terris præsenti propriam faceret mansionem. Sed & hoc in arbitrio viri Dei posuit, vt quibuscunq; egentibus, eo mandante, ad opus Dei sumptus præberet. Videns ergò Abbas promptum principis animum, pietatem pietate accendit, & maximè quidem domesticis fidei voluit esse eum obnoxium, & immortalia templa fundare cõsuluit, & eleemosynas ea sagacitate disponere, vt semper fructificantes, rediuiuis & renascentibus accessionibus nouas semp eleemosynas parturirent. Deinde egenis, quos hàc atq; illàc, quasi vespæ pungentes, stimuli paupertatis exagitant, omnimodis docuit misereri: alijs indumenta, alijs alimenta largiri monuit: & suggessit, vt per seipsum Xenodochia visitaret, nec horreret adspectus languẽtium: quia in hoc duplicaretur clementiæ bonum, si videret & foueret, si consolaretur & reficeret. Humiliare pauperum oppressores, defendere pupillum & viduã, misereri & commodare, sermones suos in iudicio disponere, prouidere quieti Ecclesiæ,

Officium Principis. Ezech. 1. Theobaldo Comes, exemplum optimi principis.

rationem gladij intelligere, quasi elementarium instruxit, summam principalis officij ei intimans, & hoc exquiri à principe ex debito, vt laudi bonorũ & vindictæ malorum intendat. Hęc & alia huiusmodi salubria monita homo rationabilis reuerenter accipiens, luxum curiæ & fastum altitudinis in humilitatem & honestatem conuertit: nec erat, qui in præsentia eius auderet aliquid indecens vel agere, vel loqui: sed in hoc etiam ei placere studentes, siue ficto, siue puro animo, ea in quibus dominum suũ delectari videbant, ipsi quoquè sæpiùs factitabant. Introducebant igitur ad eum, qui familiariùs ei assistebant, pauperes patientes calumniam: nunciabant, languentes in plateis iacentes, & quosque in amaritudine & miseria constitutos: & ipse oblata sibi occasione clementiæ lætabatur, & altiori gratia amplectebatur, quos de huiusmodi rebus videbat esse solicitos. Deniq; duos religiosos viros, de Præmonstratensi Ordine

Duos Monachos elecmosynę suę prępositi idem Comes.

euocatos, eleemosynæ suæ præposuit, ad quorum curam spectaret circumire castella & vicos, in quibus ipse maneret, & de propria mensa languentes & leprosos omnes, q ibi manebant, quandiù in illis locis esset, abundanter reficiri iussit: sed & alijs pauperibus largas & cõgruas eleemosynas siue in cibis, siue in vestibus, eorum ministerio donari instituit. Et illis quidem tãtum in domo sua voluit esse dominium, vt potestatiuè pincernis & pistoribus & cocis, & reliquis ministerialibus, quæ vellent, iuberent: q placerent, tollerent: nec esset, qui aliquid prohibere auderet vel referre ad Comitem, si in aliquo prodigi viderentur. Hi duo, quos prædixi, timentes Deum, & Comiti placere volentes & Deo, nec magnificentiam principis minuebant, qui charitatis plenitudinem de suis impleri pręceperat: nec Deo ingrati esse volebant, si inuenirentur desides & auari, quos promptos & expeditos dispensatores esse tam voluntas Dei, quàm principis sufficiens bonitas iniunxisset. Erat præterea horum officio deputatum, vt monachis & religiosis viris, quos ad curiam diuersa mittebant negocia, hospitia prouiderent, & de penu & horreo Comitis necessaria ministrarent. Circunferebãt etiam rigente bruma, aptatis sarcinis, pauperum indumenta & pelles, & birros, & calceamẽta, in quibus nec axungia deerat, quæ per vicos indigis erogabant. Nullum in Comitatu illo clementiæ opus deerat: ad portum illum naufragi omnes tutum habebant

Genes. 47.

refugium. Temporibus famis non sicut Pharao frumenta venundedit populo, nec in seruitutem sibi erogatis annonis subiecit Aegyptum: sed Abbate sancto, quasi altero Ioseph,

Ioseph, diuiniore vsus consiliario, gratis egenis aperuit horrea, nec exhausit populũ pecunia, nec astu circunuénit afflictos, nec re publica ad se translata, priuatos in terra cumulauit thesauros: sed in cælo potiùs thesaurizans infatigabilis distributor, cum magna alacritate & pecunias distribuit, & annonas.

En principẽ longe optimus in quã horrendam incidit tentationem.

Nec defuit viro inhianti cælestibus, magni ponderis & horrenda tentatio: sed aggressus est eum tam Rex, quàm princípes, & eo commota est & cõtremuit terra, & quasi iratus esset ei Deus, rapinis & incendijs ferè omnia ad eum pertinentia depopulatoribus exposita erant, & operuit faciem terræ Regis exercitus, & passim omnia vastabãt. Nec erat ei tutum resistere vel obuiare persecutoribus: quia & sui deseruërunt eum, manifestè infestantes: & qui remanserant, in insidijs, non ad subsidia, erant, & erãt vndiq; angustiæ graues: quia nec domi sibi cauere, nec extrà poterat congrua prouidere, qui omninò, qui sui essent, nescire: & tam de perfidia refugarũ, quàm de duplicitate suorum, prorsùs diffideret. Inter has angustias conuersus ad Dominum, de cælo quęsiuit auxilium: & accito viro Dei, cuius consilio maximè vtebatur, non desperans de misericordia Dei, hoc ex eius respõso accepit, vt intelligeret, quia flagellat De⁹ omnẽ filium, quem recipit, & huiusmodi correptiones vel purgant, vel probant animam: & glorioſiorem fuisse Iob, cùm sederet in sterquilinio, quã fuisset, cùm circunstante exercitu, sedisset illæsus in solio. Ostendit ei vir sanctus Salomonem peccâsse in ocio, & abusum bono pacis, defluxisse in vitia: cùm Dauid Pater ei⁹, Absolon filio psequente & vniuerso Israële, permansisset in gratia. Intimauit etiam, quomodò ipsum satanas colaphizauit Apostolum: in qua tribulatione immobiliter perseuerans, illud meruit audire: Quia virtus in infirmitate perficitur: & quia in præsenti segniores nos faciunt prospera, & circunspectiores aduersa. Hęc audiens venerabilis Comes, magnificè animatus, duo immensi ponderis & miri operis vasa aurea, in quibus preciosissimæ gemmæ habebantur inclusæ, quæ in solennitate coronę suę Rex Anglorũ Henricus auunculus eius, ad ostentationem diuitiarum suarum & gloriæ suæ, in mensa coram se habere consueuerat, sub omni celeritate proferri iussit in medium: & à corde suo delectationem huiusmodi auellens, gemmas à retinaculis suis abstrahi iussit, & aurum cõfringi pręcepit, vt venundaretur, & de precio eorum dilecta Domino super aurum & topazion tabernacula fundarẽtur. Nec desistebat Amalech ab infestatione Israël, sed Moyses eleuatis in cælum manibus, potitus est victoria: & retrahentibus se hostibus, Abbas sanctus sequester solicitus, clamantibus ad Dominum, & domi plorantibus fratribus, irrupit in acies, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio: & allegationibus diuinis intercurrentibus, detumuêre procellæ, & reuersa est inter regem & principem tranquillitas, & pacis desiderata serenitas.

Prou. 3. Iob 2. 2. Reg. 15. &c. 2. Cor. 12.

S. Bernardo author pacis inter discordes principes.

Prologus domini Ganfridi monachi Clarauallensis, & quondàm beati Bernardi notarij, in tres vltimos libros de vita eiusdem.* * Gofridi

CLarissimi patris nostri Bernardi Clarauallensis Abbatis memoriam, viri insignes ad laudem Christi & multorum ædificationem literis commendârunt. Inuenta sanè materia vberi, prout cuiq; licuit, & certior ei gestorum innotuit veritas, non eam totam, sed partes aliquas digessêre. Videtur autem nonnullis, quòd multò minùs eum silere debeat puer sanctitatis ipsius, dignationis filio, benignitatis alumnus: quẽ ab eius vberibus post annos circiter tredecim, quod sine singultu nec meminisse debeo, nec proferre queo, sola tandem, quæ sola potuit, mors auulsit. In quo tibi vtinam sic complaceat etiam nunc, pater sancte, sicut aliquando videbatur, & aliquandiù cõplacere. Et quis alter tibi tam debitor, quis tam obnoxius, quis tam tuus? Momordit, fateor, momordit mors improba, sed non totum pariter deglutiuit. Amputauit, non extirpauit: sine misericordia portionẽ, quę se cõtingebat, accepit. Tulit adspectum, tulit eloquiũ, corporale etiã tulit obsequiũ: sed non rapuit fidem p̃sentis etiã nunc opitulationis, non absorbuit spem futurę aliquando visionis, non deniq; filialis absumpsit deuotionis affectũ. Cæterùm mihi quidẽ, vt optimè nóui, præsertim tanto idonea operi, nec scientia, nec eloquentia suppetit. Sed tua sanè magnalia & tuas dignè eloqui laudes, non Origenis ingeniũ, non Ciceronis lingua sufficeret. Nec desperandum tamen, q̃ tuorum magìs operum fructus carpere prudens lector, q̃ verborum nostrorũ folia indigna, debebit: vt illorum magìs suauitate gustata, quàm illorum ariditate culpata, nõ tam nequiter

ista mordeat,quàm illos delectabiliter edat. Nam & securiùs & syncerius visa solent, quàm audita,narrari: & in tertium vas transfusa,faciliùs coacescunt. Sed & dulciùs ea bibitur aqua,quæ exiguo licèt aluco fontis hauritur,quem confestim repleuerit vena scaturiens,quàm quæ ex riuo tollitur,longiùs iam progresso, vel ex flumine iam copioso. Indè est,quòd intactis eorum libris,qui de eiusdem beatissimi patris nostri initijs seu etiam medijs conscripserunt,nè tanquàm super alienum ædificâsse videar fundamẽtum: circa ea potissimùm noster sermo versatur,quibus penè omnibus præsens adfui: interdùm etiam,licèt pauca interserens,quæ fidelissima fratrum, qui aderant, relatione cognoui. Veruntamen opus istud libellis tribus,partitum lector inueniet: quorum quidem primus ea maximè,quæ ad habitum,mores atque doctrinam huius beati patris visa sunt pertinere: secundus autem virtutes multas,per eum factas, eloquitur: tertius in eiusdem beato fine completur. Illud etiam admonendum,in rerum narratione gestarum,cohærentiam similitudinis magis, quàm temporis obseruari. Siquidem nec signa ipsa,nec opera quædam eo ordine scripta, quo facta sunt: sed interdùm aliqua,prout occurrere locis opportunioribus videbantur,inserta. Firmior enim videri,& haberi acceptior solet oratio, quæ suis innititur & illustratur exẽplis, velut fabrica quædam,idoneis fulta columnis. Nonnulla quoquè transportata sunt, vt similibus alijs iungerentur,& quę erant eiusdem generis,sibi aptiùs cohęrerẽt. Verùm hæc in duobus quidem libellis prioribus. nam in tertio, penè per omnia ordini ipsi ipsius temporis,series narrationis obsequitur.

Quid tres libri posteriores contineant.

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

INnumeris quidem signis atque miraculis, vt orbis comperit vniuersus, fidelem famulum suum Bernardum Clarauallensem Deus glorificauit Abbatem,sicut gloriosus semper in sanctis suis, & in sua mirabilis est maiestate. Cæterùm, sicut Malachiam sanctum idemipse commendat, primum maximumq; miraculum, quod exhibuit, ipse fuit: serenus vultu, modestus habitu,circunspectus in verbis,in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione deuotus: & sicut alios ipse monebat, crebra siquidem experientia persuasus,de omni re magis fidens orationi, quàm industriæ propriæ vel labori. Magnanimus in fide,longanimus in spe, perfectus in charitate, summus in humilitate,præcipuus in pietate. In consilijs prouidus,in negocijs efficax, nusquàm tamen minùs, quàm in ocio ociosus. Iucundus inter opprobria, inter obsequia verecundus,suauis moribus,meritis sanctus,miraculis glorioſus, plenus deniq; virtute & sapientia & gratia apud Deum & homines. Cuius sanctæ animæ adiutorium simile sibi fecerat Deus, & speciali præuentum benedictione corpus aptauerat. Apparebat in carne eius gratia quædam specialis,spiritualis tamen potiùs, quàm carnalis: in vultu claritas præfulgebat,non terrena vtiquè,sed cælestis: in oculis Angelica quædam puritas, & columbina quædam simplicitas radiabat. Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo,vt cuidentibus quibusdam indicijs foràs erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ, copiosè perfusus homo quoquè exterior videretur. Corpus omne tenuissimum & sine carnibus erat: ipsa quoque subtilissima cutis in genis modicè rubens. Illò nimirùm,quicquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio & studium compunctionis attraxerat. Cęsaries ex flauo colorabatur & cãdido: barba subrufa,circa finem vitæ eius respersa canis. Statura mediocritatis honestæ,longitudini tamen vicinior apparebat. Aliàs autem thesaurus iste in vase fictili erat,contrito penitùs & conquassato. Laborabat siquidem caro eius multiplicibus infirmitatum incommodis,vt in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis,nil penitùs siccum, vix solidum aliquid admittentis: molestior erat stomachi defectus,viscerum corruptio. Hę continuę illi, præter alias sæpiùs incidentes. Summũ eius studium,fugere admirationem, & tanquàm vnũ sese agere cæterorum. At persequebatur gloria fugientem, sicut eregionè captantes sese alios fugere consueuit. Prouerbium illud in ore ei frequenter, semper in corde: Qui hoc facit quod nemo,mirantur omnes. Quò nimirùm intuitu vitam regulamq; commu

Catalogus virtutum beatissimi Bernardi.

Dotes corporis eius, & formæ habitudo.

Multiuarijs morbis laborat.

communẽ ampliùs æmulabatur,nil in suis actibus præferens obseruantiæ singularis. Ob hoc deniquè & cilicium,quod pluribus annis occultè gestauerat, deponere maluit,quàm vt ferre sciretur: minimè illum latére velle contestans, qui cum cæteris eiusdem professionis sibi communia non sectatur. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas,& deuotio non communis. Nihil negligens & minima quæque cum studio & intentione tractabat, ex propria siquidem experientia diffinire solitus sapientem, cui quæque res sapiunt prout sunt.

Fugiendâ monachõ singularitas.

Sapientis definitio.

A primis ferè annis sic euasit illecebras gulæ, vt ipsam quoquè saporum discretionem ex magna parte perdiderit. Quotiès pia sibi ministrantium fraude deceptus, liquores alios pro alijs sumpsit? Nam & oleum sibi per errorem aliquandò propinatum bibit, & penitùs ignorauit: nec priùs id cognitum, quàm superueniens quidam labia eius miraretur inuncta. Cibus eius buccella panis, in aqua calida penitùs emolliti,exigua sorbitiuncula erat. Modicus ille quidem,sed non modicam partem eius crudam reijcere stomachus solebat,nè qua illi foret in cibo voluptas: quem sumere, periculum: sumptum tenere,dolor: reijcere,miseria. Sic nimirùm fideli seruo iuxta desiderium cordis sui dispensatio diuina prouiderat, vt nec fructus ei deesset abstinentiæ singularis,& odiosam admirationem declinaret sub vmbra necessitatis. De vino quidem aliquando ipse nobis dicebat,decere monachum, quandò sumere oportet,sic gustare illud,nè exinanisse calicem notaretur. Quod sic ipse seruabat, quotiès sibi vinum patiebatur apponi,vt non modò post vnum potum, sed post qualecunq; prandiũ,suum vasculum,in quo ci ppinabatur, vix aliquãdò videretur minùs plenũ à mensula reportari. Minùs quidẽ stare poterat,sed erat sedens penè iugiter, & rarissimè mouebatur. Quotiès subtrahere se poterat negocijs,aut orans, aut legẽs, aut scribẽs,aut insistens doctrinę erat & fratrũ ędificationi,aut in sacra meditatione pśistens. In quo nimirũ studio spirituali obtinuerat gratiã singularem,vt non tædiũ in illo,nõ difficultatem aliquandò sustineret,liberè secum habitans,& deambulãs in latitudine cordis sui,& ibi exhibẽs Christo, vt monere alios ipse solebat,cœnaculũ grãde stratũ. Omnis ei ad meditandũ hora breuis, locus omnis congruerat: frequenter tamẽ, licèt sic affectus, diuino vrgente metu, immò regente spiritu, studiũ hoc lucris vberioribus postponebat,doctus quærere non quod sibi erat vtile,sed quod multis. Alioquin in quolibet cœtu hominũ vel tumultu, nisì eius intentionẽ causa depoſceret, tota facilitate animum colligens,interiori quadam,quam vbiq; ipse sibi circunserebat,solitudine fruebatur, nil prorsus attendens,quod sonaret vel appareret exteriùs.

Vinum ità bibit, vt vix bibisse videatur.

Exercitia eius.

Nõ quod sibi erat vtile, sed quod multis quęrebat.

Cùm iam Dei famulus annos aliquot in Clarauallẽ peregisset, subijt animum ejus, vt sanctum Hugonem Gratianopolitanum Episcopum & Carthusienses fratres deuotionis gratia visitaret. Quem prædictus Episcopus tam gratanter & tam reuerenter susceptt,diuinam intelligẽs in eiusdem hospitis visitatione pręsentiam,vt prostratus solotenùs adoret. Videns autem seruus Christi Episcopum ętate grandæuum, celebrem opinione,sanctitate conspicuum,coram se procidentem, vehementer expauit: & ipse quoquè corruens ante eum,ita demùm susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam,non sine graui gemitu causabatur. In cuius pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum,vt fierent deinceps duo illi filij splendoris, cor vnum & anima vna, & se inuicèm fruerentur in Christo. Sicut enim regina Saba de Salomone testatur, vterque in altero longè ampliùs, quàm fama vulgâsset,inuenisse gratulabatur. Carthusiæ quoq; à viro reuerẽtissimo Guigone Priore, & à cæteris fratribus eodem affectu & eadẽ veneratione susceptus est seruus Christi, exultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolã priùs nouerant, talem inuenerunt & præsentem, Cęterùm cùm in reliquis omnibus ædificarentur, vnum fuit, quod prędictum Priorẽ Carthusiensem aliquatenùs mouit, stratura videlicet animalis,cui idem vir venerabilis insidebat, minùs neglecta,minùs prę ferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis,quòd mente conceperat: sed locutus vni è fratribus,aliquatenùs moueri sese confessus est & mirari. Cumque ille ad patrem sanctum,quod audierat,retulisset,nõ minùs ipse miratus,qualis illa esset stratura,quærebat: quòd ità scilicet à Claraualle Carthusiam vsque venisset,vt nunquàm eam vidisset,nunquàm consideasset,& vsque in horam illam, qualis esset, omninò nesciret. Neque enim suum erat animal illud,sed à quodam monacho Cluniacensi,auunculo suo,& in sua vicinia demoranti,fuerat commodatum: & erat, sicut sibi sternere ille solebat. Quod verbum sæpe dictus Prior audiens,in eo potissimùm mirabatur, quòd sic

Inuisit sanctum Hugonem Gratianopolitanum Episcopum.

3. Reg. 4.

Itèm fratres Carthusianos.

Vide rem admiratiõe dignam.

sic ille Dei famulus foris oculos circumcidisset, intùs animum occupâsset, vt quod ipsum primò offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset, non considerasset omninò. Iuxta lacum etiam Lausanum totius diei itinere pergens, penitùs eum non vidit, aut se videre non vidit. Cùm enim vespere facto de eodem lacu socij loquerentur, interrogabat eos, vbi ille lacus esset: & mirati sunt vniuersi.

CAP. II.

DEsiderauerat tamen ab initio omnimodis subtrahere se negocijs, & nusquam egredi, sed in monasterio residere. Quod & postmodùm ex defectu corporis occasionem inuenisse se reputans opportunam, aliquandò statuit, & aliquandiù tenuit, donèc illum exire coëgit necessitas Ecclesiæ Dei, & summi Pontificis atque omnium Abbatum sui Ordinis iussio: quibus per omnia tanquàm patribus deferebat, ipse omnium Pater. Ex quorum etiam mandato, præter tunicam & cucullam, laneo panno in modum chlamydis decurtatæ, & pileo simili vtebatur, inter tantos languores corporis & labores, nullis vnquàm vti pellibus acquiescens. In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes nunquàm: Nimirùm animi fore indicium, aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut foris humanam gloriam affectantis. Incessus eus & habitus omnis, modestus & disciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reuerentiam, solo visu lætificans intuentes. De risu dicimus, quod ex ore eius frequenter audiuimus, dum cachinnos religiosorum hominũ miraretur, non meminisse se à primis annis suæ conuersionis aliquãdò sic risisse, vt non potiùs ad ridendum, quàm ad reprimendum sibi vim facere oporteret, & risui suo magis stimulum adhibere, quàm frenum. Vocẽ illi in inualido corpore validam satis, intelligibilemque contulerat, qui in opus prædicationis segregauerat illum ex vtero matris suæ. Sermo ei, quotiès opportuna inueniebatur occasio, ad quascunque personas de ædificatione animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores & studia nouerat, quibusque auditoribus congruens habebatur. Sic rusticanis plebibus loquebatur, àc si semper in rure nutritus: sic cæteris quibusque hominum generibus, velut si omnem inuestigandis eorum operibus operam impendisset. Literatus apud eruditos, apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectionis & sapientiæ affluens documentis, omnibus se coaptabat, omnes cupiens lucri facere Christo. Cautus erat artificiosissimè obseruare, quod ad Eugenium Papam scribens, de sui cordis plenitudine eructauit:

Præclara eius obedientia.

Nunquàm vtitur pellibus.

Mora quàm fuerit à risu alienus.

Sermonem suum accõmodat auditoribus.

Lib. 2. De Consideratione, sub finem.

CAP. III.

NVgæ si incidant, interdum, inquit, ferendæ fortassis, referendæ nunquàm. Interueniendum cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum sanè in serium quid, quod non solùm vtiliter, sed & libenter audiant, vt supersedeant ociosis. Quàm verò placabilem & persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei DEVS, vt sciret, quem & quandò deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret aut increpatio, nôsse poterunt aliquatenùs, qui ipsius legerint scripta: etsi longè minùs ab eis, qui verba oris eius sæpiùs audierunt. Siquidem diffusa erat gratia in labijs eius, & ignitum eloquiũ eius vehementer: vt nõ posset ne ipsius quidem stylus eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere feruorẽ. Mel & lac sub lingua eius, & nihilominùs in ore eius ignea lex, iuxta illud Cantici Canticorum: Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Indè erat, quòd Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu, & ex sermone eius, quem intelligere, vtpotè alterius linguę homines, non valebant, magis quàm ex peritissimi cuiuslibet post eum loquentis interpretis, intellecta locutione ædificari illorum deuotio videbatur, & verborum eius magis sentire virtutem. Cuius rei probatio certa, tunsio pectorum erat, & effusio lachrymarum. Vtebatur sanè scripturis tam liberè commodeque, vt non tam sequi illas, quàm præcedere crederetur, & ducere ipse quò vellet, authorem earum ducem spiritum sequens. Quem nimirùm, vt in medio Ecclesiæ aperiret os eius, sic spiritu Deus impleuerat sapientiæ & intellectûs, vt, secũdùm quod in libro Iob legitur, profunda quoquè fluuiorum scrutaretur, & absconditа proferret in lucem. Nam & confessus est aliquotiès, sibi meditanti vel oranti, sacram omnem velut sub se positam & expositam sibi apparuisse scripturam. Cæterùm q̃ gratis euangelizauerit, quis dignè prædicet? quis dignè miretur? Minùs fore credidit, nullas sibi ab auditoribus transitorias petere facultates, nisi oblatas sæpiùs refutaret etiam Ecclesiasticas dignitates. Parùm illi fuit, nulla quærere

Secundia c. 3. & in p. ferendo ser mone gratias.

Psalm. 44. & 118.

Cant. 4.

Iob. 28.

Omnis diuinæ scripturæ sensus et diuinitùs explicatur.

restipendia militantem: ne insignia quidem recipere acquieuit. Deniquè velut alter Dauid processurus ad bellum, bellica arma sibi grauiora causatus est, vtpotè quibus multos, suo præsertim tempore, cerneret prægrauari: & in simplicitate sua gloriosiùs triumphabat. Tantam enim gratiam virtus diuina ei contulerat, vt licèt abiectus esse elegisset in domo Dei, vberiùs tamen fructificaret in ea, quàm alij quilibet in sublime porrecti: ampliusq; luceret Ecclesiæ, velut de sub modio humilitatis suæ, quàm cæteri supra candelabra constituti. Nimirùm quo humilior, eo semper vtilior fuit populo DEI in omni doctrina salutari: in quo tamen nunquam tenere voluit locum doctoris. Beatus planè, qui, sicut ipse de quodam sanctorũ ait, legem dilexit, & cathedrã non affectauit. Quàm feliciùs siquidem in virtutum cathedra sedere meruit, dum sedere noluit in cathedris dignitatum. Deniquè sicut iustus & fortis in prædicatione Euangelica laborauit, sic prudens & temperans cauit sibi semper ab Ecclesiastica prælatione. Nec enim contumaciter vnquàm renuit, sed frequenter & ad maximos electus honores, prudenter egit, diuina sibi cooperante gratia, nè cogeretur aliquandò. Moyses quidem sanctus Pontificium concessit Aaron fratri suo, quia linguæ erat impeditioris: Bernardum nostrum, non ab opere Euangelistæ necessitas aliqua, sed ab honore solo, sola humilitas reuocauit. Meritò proindè apud DEVM & homines obtinuit gratiam singularem, qui non modò sine sumptu, verumetiam sine gradu dignitatis, non auten sine fructu fraternæ salutis, Euangelium posuit, & populo Dei semper prodesse studuit, nunquàm præesse sustinuit. Rarò tamen, nec nisi ad loca proxima, vt prædicaret, exiuit: sed quotiès eum necessitas aliqua traheret, seminabat super omnes aquas, publicè & priuatim annuncians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex mandato summi Pontificis actitabat: ad nutum quoquè Præsulum cæterorum, vbicunquè eorum aliquem contigisset adesse, similiter faciebat. Nimirùm quantò magnus erat, humiliabat se in omnibus: & eo magis sacerdotibus omnibus deferebat, quo plenius intellexerat, quæ ministris Christi reuerentia deberetur,

1. Reg. 17.

Respuit multas sibi oblatas dignitates.

Exod. 3.

Eccl. 3.

CAP. IIII.

NEC tacendum, quòd ex prædicatione itineris Hierosolymitani graue contra eũ quorundam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpsit, cùm tristior sequeretur effectus. Quod tamen verbum dicere possumus ab eo quidem initium non sumpsisse. Cùm enim multorum iàm animos permouisset audita necessitas, à Rege Francorum semel & iterùm propter hoc expetitus, Apostolicis etiam litterismonitus, non sic acquieuit super hoc loqui, vel consilium dare: donèc per ipsius tandèm summi Pontificis generalem epistolam iussus ab eo est, tanquàm Romanæ Ecclesiæ lingua, exponere populis atque principibus. Cuius epistolæ tenor fuit, vt in pœnitentiam & remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri. Hæc & huiusmodi super hoc poterant veraciter dici: sed dicendum potiùs id, quod potius fuit. Euidenter enim verbum hoc prædicauit, DOMINO cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis & quàm multiplicibus signis? Quanta numerare, nè dicam narrare, difficile foret. Nam & eodem tempore scribi cœperant: sed ipsa demùm scriptorem numerositas scribẽdorum, & materia superauit authorem: nimirùm cùm aliquãdò vna die vigin ti seu plures ab incommodis varijs sanarentur, nec facilè ab huiusmodi dies vlla vacaret. Deniq; plures eo tempore Christus per serui sui tactum & orationem, ab ipsis etiã matris vteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos cõualescere, surdos fecit audire & mutos loqui, mirabiliùs restituente gratia, quod minùs præstitum fuerat à natura. Nec tamen ex illa profectione Orietalis Ecclesia liberari, sed cælestis lætari meruit & impleri. Quòd si placuit Deo tali occasione plurimorum quidem eripere, si non Oriẽ talium corpora à paganis, Occidentalium animas à peccatis: quis audeat dicere illi, Quid fecisti sic? Aut quis certè sapientis illorum sortem magis non doleat, qui ad priora, vel fortè ad peiora prioribꝰ scelera redierunt, q̃ eorum mortẽ, qui in fructibꝰ pœnitentiæ purgatas varijs tribulationibus animas Christo reddiderunt? Alioquin quanli bèt dicant Aegyptij, dicant filij tenebrarum, qui veritatẽ nec videre valent, nec proferre, Callidè eduxit eos, vt interficeret in deserto: patienter tolerat Christus Saluator opprobrium, quod tantarum animarum salute compensat. Meminit huius verbi ipse quoq; venerabilis Pater, inter cætera dicens: Si necesse sit vnum fieri ex duobus, mâlo in nos murmur hominum, quàm in Deum, esse. Bonũ mihi, si dignetur me vti pro

Innumeris claret miraculis.

Viginti ægri aut plures aliquando vno die curantur.

Libenter hõminum Sycophantias & obloquia tollerat propter Christum.

pro clypeo:libens excipio in me detrahentium linguas maledicas,& venenata ſpicula blaſphemorum,vt non ad ipſum perueniant. Non recuſo inglorius fieri,vt non irruatur in Dei gloriam. Hoc ſiquidem ille in libro de Conſideratione.

Accidit autem, vt vbì primùm de eiuſdem exercitûs diſſipatione lamentabilis intrà Gallias inſonuerat rumor,vt illuminandum Dei famulo cæcum filium offerens pater, multis precibus vinceret excuſantem. Et imponens ſanctus puero manum,orabat ad Dominum, quatenùs ſi ab eo verbum prædicationis illius exiërat, ſi prædicanti ſpiritus eius affuerat,in illius illuminatione oſtendere dignaretur. Dum verò poſt orationẽ orationis præſtolaretur effectum,Quid facturus ſum? ait puer. Video enim. Attollitur ilicò clamor adſtantium. Plures enim non modo è fratribus, verumetiam è ſecularibus aderant:qui vt puerum vidêre videntem, multipliciter conſolati, Deo gratias referebant.

Cæcum illuminat.

Illud etiam iucundè ſatìs credimus conſiderâſſe nonnullos, quòd eádem hebdomada, qua feliciſſima anima eius carnẽ ſoluta eſt, eccleſia Hieroſolymitana magnificè ſatìs fuerit diuino munere conſolata,ſicut ſæpiùs nouerãt illum promiſiſſe. Siquidem capta eſt Aſcalon illa munitiſſima, paucis à ſancta ciuitate milliarijs diſtans,& periculosè inſtans calcaneo eius. Aduersùs hanc quinquaginta annis & eo ampliùs nihil profecerant Chriſtiani laborantes.nam & tunc non humana virtute capta eſt, ſed diuina. Nec incongruum nunc ipſius interſerere verba, quæ eodem ſcripſerat anno ad virum optimum militem templi,tunc miniſtrum,nunc etiam magiſtrum militiæ templi, qui ipſius ſecundùm carnem auunculus erat: Væ principibus noſtris,ait. In terra Domini nihil boni fecerunt:in ſuis,ad quas velociter rediêrũt, incredibilem exercent malitiam,& non compatiuntur ſuper contritione Ioſeph. Confidimus autem,quia non repellet Dominus plebem ſuam,& hæreditatẽ ſuam non derelinquet. Porrò dextera domini faciet virtutem, & brachium ſuum auxiliabitur ei: vt cognoſcant omnes,quia bonum eſt ſperare in Domino,quàm ſperare in principibus.Sed de his hactenùs.

Aſcalon capitur, diuina potiùs quàm humana virtute.

Pſalm. 117.

CAP. V.

IAM & illud propter poſteros memorandum, quàm multipliciter viri ſancti doctrina Eccleſiæ ſanctæ profuerit in catholicorum moribus corrigendis,in ſchiſmaticorum furoribus reprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis. Siquidem præter eos, quos docuit ſobriè & iuſtè & piè viuere in hoc ſeculo, quanto etiã perfectiùs valedicere ſeculo perſuaſerit,vel ex hoc liquet, quòd non ceſſauit, quandiù vixit,deſerta ſeculi, ſeculi deſertoribus implere. Cuius miniſterio videtur propheticum illud etiam corporaliter exhiberi: Poſuit deſerta in ſtagna aquarũ, & terrã ſine aqua in exitus aquarũ: Et collocauit illic eſurientes,& conſtituerunt ciuitatẽ habitationis: Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas,et fecerunt fructũ natiuitatis: Et benedixit eis,& multiplicati ſunt nimìs,& iumenta eorum non minorauit. Sanè in diebus ſchiſmatis generalis, quàm fideliter ſeruus Domini ſtetit in confractione in cõſpectu eius, vt auerteret iram eius: quàm efficaciter ſtetit & placauit, ceſſauitque quaſſatio: quàm denique euidenter in tempore iræ factus eſt reconciliatio, nõ modò latiùs proſequendum. Sufficere interìm poteſt,ſi ipſius ſuper hoc ſcribentis ad eum Innocentij Papæ verba ponamus: Quàm firma,ait,quàm perſeuerantiq; conſtantia cauſam beati Petri & ſanctæ matris tuæ Romanæ Eccleſiæ, incandeſcente Petri Leonis ſchiſmate, feruor tuæ religionis & diſcretionis ſuſceperit defenſandam,& ſe murum inexpugnabilem pro domo Dei ponens,animos regum ac principum,& aliarum tam eccleſiaſticarum quàm ſecularium perſonarum ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem,ac beati Petri ac noſtram obedientiam frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laborauerit, magna, quæ Eccleſiæ & nobis prouenit, vtilitas manifeſtat. In quibus autẽ pro fide quoquè magnificè egerit ſeruus fidelis & prudens,breuiter annectendum eſt.

Tit. 2.

Pſalm. 106.

Innocentij Papæ literæ ad S. Bernardum.

Petrus Abailardus, vir doctiſsimus, ſed hæreticus, ſpargit impia dogmata.

Fuit in diebus illis Petrus Abailardus, magiſter inſignis & celeberrimus in opinione ſciẽtiæ,ſed de fide perfidè dogmatizans. Cuius cùm blaſphemijs plena grauiſſimis volitare vndiquè ſcripta cœpiſſent,prophanas nouitates vocum & ſenſuum execrati viri eruditi atque fideles,ad hominem Dei retulerunt. Qui nimirùm ſolita benignitate & bonitate deſiderans errorem corrigi,hominem non cõfundi,ſecreta illum admonitione conuénit. Cum quo etiam tam modeſtè,tamque rationabiliter egit, vt ille quoquè compunctus, ad ipſius arbitrium correcturum ſe promitteret vniuerſa. Cæterùm cùm receſſiſſet ab eo Petrus idem, conſilijs ſtimulatus iniquis, & ingenij ſui viribus

viribus plurimoque exercitio diſputandi infeliciter fidens, reſilijt à propoſito ſaniori. Expetẽs deniquè Senonenſem metropolitanum, eó quòd in eiuſdem eccleſia celebrandum foret in proximo grande concilium, Clarauallenſem cauſatur Abbatem ſuis in occulto detrahere libris: additque paratum ſe eſſe in publico ſua defendere ſcripta,rogans vt prædictus Abbas dicturus, ſi quid haberet, ad concilium vocaretur. Factum eſt,vt poſtulauit: ſed vocatus Abbas,venire penitùs recuſauit,ſuum hoc non eſſe renuncians. Poſteà tamen,magnorũ virorum monitis flexus,nè videlicet ex ipſius abſentia & ſcandalum populo, & cornua creſcerent aduerſario, demùm pergere acquieuit, triſtis quidem nec ſine lachrymis annuens, ſicut in epiſtola ad Innocentium Papam ipſe teſtatur,vbì pleniùs lucidiusque omne negocium proſequitur.

Affuit dies, & Eccleſia copioſa conuénit, vbì à Dei famulo Petri illius in medium ſcripta prolata ſunt, & erroris capitula deſignata. Demùm illi optio data eſt, aut ſua eſſe negandi, aut errorem humiliter corrigendi,aut reſpondendi, ſi poſſet, objiciẽdis ſibi rationibus pariter & ſanctorum patrum teſtimonijs. At ille nec volẽs reſipiſcere, nec valens reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur, vt tempus redimeret, ſedem Apoſtolicam appellauit. Sed & poſteà ab egregio illo catholicæ fidei aduocato monitus, vt vel iam, ſciens in perſonam ſuam nihil agendum, reſponderet tam liberè quàm ſecurè,audiendus tantùm & ferẽdus,hoc quoquè omnimodìs recuſauit. Nam & confeſſus eſt poſteà ſuis, quia ea hora maxima quidem ex parte memoria eius turbata fuerit, ratio caligauerit, & interior fugerit ſenſus. Nihilominùs tamen Eccleſia, quæ conuenerat, dimiſit hominem, mulctauit abominationem, à perſona abſtinens, ſed dogmata praua condemnans. Quandò verò Petrus ille refugium inueniret in ſede Petri, tam longè diſſidens à fide Petri? Et ipſum ergò authorem eadem ſententia cum erroribus ſuis Apoſtolicus Præſul inuoluens,hæreticumque denuncians,ſcripta incendio, ſcriptorem ſilentio condemnauit.

Concilium Senonenſe.

Petrus Abailardus, licèt hæreticus, tamen agnoſcit Ro. Pontificis authoritatem.

Damnatur à Ro. Pontifice.

Fuit item Gillebertus, quem cognominauêre Porretanum, Pictauorum Epiſcopus, in ſacris libris plurimùm exercitatus,ſed ſublimiora ſe etiam ſæpè ad inſipiẽtiam ſibi ſcrutatus. Siquidem de ſanctæ Trinitatis vnitate,& de diuinitatis ſimplicitate non ſimpliciter ſentiens, nec fideliter ſcribens, diſcipulis ſuis panes proponebat abſconditos, furtiuas propinabat aquas: nec facilè,quid ſaperet, immò quantùm deſiperet, perſonis authenticis fatebatur. Timebat enim, quod apud Senonas Petrum dixiſſe eiferunt:

Gillebertus Porretani errores.

Tunc tua res agitur,paries cùm proximus ardet.

Nouiſſimè tamen, cùm iam fidelium ſuper hoc inualeſceret ſcãdalum, creſceret murmur, vocatus ad medium eſt: & librum tradere iuſſus, in quo blaſphemias enormat, graues quidem, ſed verborum quodam inuolucro circunſeptas. In concilio igitur, quod in vrbe Rhemorum Papa venerabilis Eugenius celebrauit, egit cominùs aduersùs hunc Gillebertum Eccleſiæ ſanctæ ſuo tempore ſingularis athleta Bernardus, primò quidem totum,quod ille verborum cauillationibus occultare nitebatur, eliciens: Deindè verò tam ſuis ratiocinijs, quàm ſanctorum teſtimonijs biduana diſputatione redarguens: conſiderans ſanè nonnullos ex his, qui præſidebant, iam quidem animaduertentes blaſphemiam in doctrina, adhuc auertentes tamen iniuriam à perſona: accenſus eſt zelo, & domeſticam ſibi eccleſiam ſeorsùm conuocat Gallicanam. Communi deniquè conſilio à patribus decẽ prouinciarum, alijs autem Epiſcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, nouis dogmatibus opponitur ſymbolum nouum. Cui etiam ſubſcribũtur nomina ſingulorum, vt eorum videlicet omnium, ſicut fides irreprehenſibilis, ſic irreprehenſibilis zelus innoteſcat. Ità demùm Apoſtolico iudicio & authoritate vniuerſalis Eccleſiæ, error ille damnatur: Epiſcopus Gillebertus, an eidem damnationi conſentiat,interrogatur: conſentiens, publiceque refutans, quæ priùs ſcripſerat & affirmauerat, indulgentiam ipſe conſequitur: maximè quòd ab initio cautus fuiſſet ea lege eandẽ ingredi diſceptationem, vt promitteret ſine vlla obſtinatione ſeſe pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum liberè ſuam opinionem.

Concilium Rhemenſe, præſente Eugenio Pontifice.

Gillebertus agnoſcit errorẽ ſuũ, & impetrat veniã in Concilio.

In partibus Toloſanis Henricus quidam, monachus olim, tunc apoſtata vilis, peſtimæ vitæ, pernicioſiſſimæque doctrinæ, verbis perſuaſibilibus gentis illius occupauerat leuitatem, & vt prædixit Apoſtolus de quibuſdam, in hypocriſi loquẽs mendacium, fictis verbis de eis negociabatur. Erat autem hoſtis Eccleſiæ manifeſtus, irreuerenter Eccleſiaſticis derõgans ſacramentis pariter & miniſtris. Nec mediocriter

Nota de Henrico monacho apoſtata, typo hæreticorũ noſtri tẽporis. 1. Tim. 4.

in ea iam malignitate profecerat. Sicut enim de eo ſcribẽs venerabilis pater ad principem Toloſanum, inter cætera ait: Paſsìm inueniebãtur iam eccleſiæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reuerentia, ſine Chriſto deniquè Chriſtiani. Paruulis Chriſtianorum, Chriſti vita intercludebatur, dum baptiſmi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationesque pro mortuis, ſanctorum inuocationes, ſacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, baſilicarum ædificationes, dierum ſolennium vacationes, chriſmatis & olei conſecrationes, & omnes deniquè inſtitutiones Eccleſiaſticæ ſpernebantur.

Hac neceſſitate vir ſanctus iter arripuit ad eccleſiam regionis illius, ſæpiùs iam antè rogatus, & tunc demùm à reuerẽdiſſimo Alberico Oſtienſi Epiſcopo & Legato ſedis Apoſtolicæ perſuaſus, pariter & deductus. Veniens autem, cum incredibili deuotione ſuſceptus eſt à populo terræ, acsì de cælo Angelus aduenisſet. Nec moram apud eos facere potuit, eò quòd irruentium turbas nemo reprimere poſſet: tanta erat frequentia diebus ac noctibus aduentantium, benedictionẽ expetentium, flagitantium opem. Prædicauit tamen in ciuitate Toloſa per aliquot dies, & in cæteris locis, quæ miſer frequentâſſet ampliùs, & grauiùs infeciſſet, multos in fide ſimplices inſtruens, nutantes roborans, errantes reuocans, ſubuerſos reparans, ſubuerſores & obſtinatos authoritate ſua premens & opprimens: vt, non dico reſiſtere quidem, ſed nec apparére præſumerent. Cæterùm etsì tunc fugit Henricus ille & latuit, ità tamen impeditæ ſunt viæ eius, & ſemitæ circunſeptæ, vt vix alicubì tutus, poſteà tandèm captus & catenatus Epiſcopo traderetur. In quo itinere plurimis etiam ſignis in ſeruo ſuo glorificatus eſt Deus, aliorum corda ab erroribus impijs reuocans, aliorum corpora à languoribus varijs ſanans.

Impuriſſimi hæretici cõmenta vir ſanctus profligat è populo.

In itinere multa ſigna facit.

Eſt locus in regione eadem, cui Sarlatum nomen eſt: vbì ſermone completo, plurimos ad benedicendum panes, ſicut vbiquè fiebat, Dei famulo populus offerebat. Quos ille eleuata manu & ſigno Crucis edito, in Dei nomine benedicens: In hoc, inquit, ſcietis vera eſſe, quæ à nobis: falſa, quæ ab hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri, guſtatis panibus iſtis, adepti fuerint ſoſpitatem. Timens autem venerabilis Epiſcopus Carnotenſis, magnus ille Gaufridus, (ſiquidem præſens erat & proximus viro Dei) Si bona, inquit, fide ſumpſerint, ſanabũtur. Cui pater ſanctus, de Domini virtute nihil hæſitans: Non hoc ego dixerim, ait: ſed verè, qui guſtauerint, ſanabuntur: vt proindè veros nos & veraces Dei nuncios cognoſcant. Tam ingens languentium multitudo, guſtato eodem pane, conualuit, vt per totam prouinciam verbum hoc diuulgaretur, & vir ſanctus vicina per loca regrediens, ob concurſus intolerabiles declinauerit, & timuerit illò ire.

Confirmat verã fidem miraculis.

Benedicto pane ſanat plurimos.

CAP. VI.

CEleberrimum ſanè miraculum, quòd per ſeruum ſuum in partibus Toloſanis Chriſtus exhibuit, paralytici cuiuſdam clerici curatio fuit. Hunc in domo regularium clericorum ſancti Saturnini, quorum ipſe vnus erat, ad petitionem Abbatis & fratrum viſitans homo Dei moribundum inuenit hominem, qui extremum ſpiritum trahere videretur. Conſolatus itaque miſerum, & data benedictione egrediens, ſicut poſteà confeſſus eſt, loquebatur in corde ſuo fidelis ſeruus Dei, ad Dominum tam fiduialiter, quàm fideliter dicẽs: Quid expectas Domine Deus? Generatio hæc ſignum quærit. Alioquin minùs apud eos noſtris proficimus verbis, nisì abs te fuerint confirmata ſequentibus ſignis. Eádem hora exilijt paralyticus ille de grabato, & accurrens, ſecutus & conſecurus eſt eum, ſacra veſtigia deuotione, qua debuit, amplexatus. Cui ſubitò procedenti obuians ex concanonicis vnus, expauit & exclamauit: ſiquidem phantaſma putabat. Quandò enim de lectulo crederet ſurgere potuiſſe? Egreſſam magìs à corpore eius animam phantaſticè ſibi apparuiſſe arbitratus, aufugit: ſed demùm ipſa tam ei, quàm cæteris, rei veritas fidem fecit. Egreditur exindè ſermo inter fratres, curritur ad ſpectaculum tam iucundum, ipſe etiam inter primos accurrit Epiſcopus & Legatus: indè pergitur ad eccleſiam eo ipſo, qui conualuerat, præeunte, & conclamatur in laudes Dei, eodem pariter concinente: ruit vndiquè populus, & benedicitur Deus, triumphat fides, infidelis quiſque confunditur, exultat pietas, & impietas contabeſcit. Porrò vir Dei cellam, vbì manebat, ingreſſus, diligenter omnes obſeruari aditus, obſerari ianuas iubet, nè quis pateat acceſſus populo concurrenti. Sanè is quidem Bernardus, qui ſanus factus eſt, (hoc enim clerico nomen erat) corporali beneficio non ingratus, magisque ſolicitus pro remedio ſpirituali, ſecutus eſt ſeruum

Paralyticus moribũdus repentè curatur.

Idem paralyticus poſt curationem

ſeruum Chriſti, monaſticum in Claraualle ordinem profitens, & habitum ſumens. A quo etiam miſſus ad partes iterùm Toloſanas, & Abbas illic conſtitutus, hodieque monaſterio præeſt, quod Vallis Aquæ dicitur.

Fit monach' Clarauallẽſis & Abbas Vallis aquẽ.

Cùm autem per totum ab eadem prouincia reditum viri ſancti magìs magisque ſigna crebreſcerent, & multiplicarentur in dies, non prætereũdum, quidnam ipſe animi inter hæc gereret, qui à Chriſto humilitatem cordis & manſuetudinem didiciſſet. Diſputans enim ſecum in cogitationibus ſuis, & ex ipſa demùm locutus abundantia cordis ſui, domeſticis ſibi religioſis quibuſdã fratribus aiebat: Plurimùm miror, quidnam ſibi hæc miracula velint: quid viſum ſit Deo, talia actitare per talem. Nil mihi videor in ſacris paginis ſuper hoc genere legiſſe ſignorum. Siquidẽ facta ſunt aliquandò ſigna per ſanctos homines & perfectos, facta ſunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conſcius ſum, nec fictionis. Scio enim ſanctorum mihi non ſuppetere merita, quæ miraculis illuſtrentur: confido autẽ nec ad eorum ſortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur. Hæc & huiuſmodi crebriùs ſecretiusq; cum viris ſpiritualibus conferebat. Nouiſſimè verò opportunum ſibimet viſus exitum reperiſſe: Scio, inquit, huiuſmodi ſigna non ad ſanctitatem vnius, ſed ad multorum ſpectare ſalutem: nec Deum in homine, per quem talia operetur, perfectionem conſiderare, ſed opinionem: vt in eo cõmendet hominibus, quæ illi creditur ineſſe, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt: ſed pro eis fiunt magìs, qui vident illa vel ſciunt. Nec eo fine per eos iſta Deus operatur, vt ipſos probet cæteris ſanctiores, ſed vt cæteros magìs amatores & æmulatores faciat ſanctitatis. Nihil ergò mihi & ſignis iſtis, quandoquidem meæ illa famæ magìs, quàm vitæ, nouerim exhiberi: nec ad meam fieri commendationem, ſed ad cõmonitionem potiùs aliorum. Satìs nimirùm huius viri mirabitur animũ, quiſquis hęc diligenti conſideratione penſauerit: nec præſtantius reputabit æſtimator quiſque fidelis, ſigna atq; prodigia mirabiliter operari, quàm perpetrata taliter interpretari. Sibi quoquè non minùs vtile iudicabit, imitandos eius affectus, quàm mirandos actus, & morum inſignia, quàm operum ſigna cognoſcere. Sed ad hæc quis idoneus?

Vide inter tot miracula humilitatem ſanctiſſimi viri.

Matth 7.

In huius ſiquidem pectore viri Dei puritas ſuauitasq; conſederant pari fœdere: ſatìs quidem vtraque mirabilis, ſed mirabilior vtriuſque complexus. Indè nimirùm tam ſingulariter in vnum hominem totius orbis vota pariter concurrebant, quòd puritatem ſuauitas amabilem faceret, ſuauitatem puritas acceptabilem: vt difficile fuerit æſtimare, gratiæne an reuerentiæ amplius obtineret. Quis enim tam rigidæ conuerſationis, qui Clarauallenſem non reuereretur Abbatem? Quis tam diſſolutæ, qui non erga eundem dulciter afficeretur? Dulciſſimis enim affectibus plenum pectus ipſe gerebat: ſed quàm liberè eos, quotiès cauſa poſceret, coërcebat. Humaniſſimus in affectione, magìs tamẽ fortis in fide. Et vt breue aliquod huius rei proferamus exẽplum, ſicut ipſe quoquè teſtatur in ſermone ſuper Cantica Canticorum viceſimoſexto, ſiccis oculis germani ſui, & germani tam neceſſarij, tam dilecti, Gerardi videlicet, celebrauit exequias, ſiccis oculis corpus eius tradidit ſepulturæ, nè affectus fidem vincere videretur. Nam extraneũ quenlibet vix aut nunquàm ſine lachrymis ſepeliuit. Talem ſibi illũ, vberiùs proindè fructificaturum, manus diuina formauerat, vt auſteritatem ſuauitas morum tolleret, authoritatem ſanctitas conſeruaret. Cui enim vel tanta benignitas eſſet oneri, vel tanta bonitas non eſſet honori? Legimus de Salomone, quòd omnis terra deſideraſſet videre vultum illius. Grande præconium: ſed forſitan in hac parte nõ minus, quàm Salomon, hic. Neque enim ſatis credibile eſt, Salomonem illum in omni gloria ſua tam vniuerſalem orbis obtinuiſſe fauorem, quàm hunc in ſua humilitate. Immò verò difficile omninò videtur, ex hiſtorijs aliquibus inuenire hominem vnum, conuerſantem adhuc cum hominibus, in vniuerſa terra tam celebre & amabile obtinuiſſe nomen, à ſolis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari. Vt enim illas memoremus prouincias, ex quibus vſq; hodiè monimenta certiora ſupereſſe noſcuntur, & in Eccleſia Orientali, & apud ſoles occiduos Hybernorum, & à meridie in remotiſſimis finibus Hiſpaniarum, & ab Aquilone in inſulis, quæ procùl ſunt, Daciæ Suediæque opinio eius celeberrima fuit. Crebras vndiquè recipiebat epiſtolas, & reddebat. Vndiquè ei xenia mittebantur, vndiquè eius benedictio petebatur. Poſtremò quaſi vitis abundantiſſima, eius opinio ſuos vndiquè palmites propagauit, excepto quòd in terram Hieroſolymitanam, quanuis locus eſſet à Rege paratus, ob incurſus paganorum & aëris intemperiem, non acquieuit mittere fratres ſuos. Neq; verò Epiſcopus

Mira in eo puritas & ſuauitas morum.

Facilè imperat affectibus ſuis.

Siccis oculis ſepelit dilectũ ſuum germanum Gerardum.

3. Reg. 10.

Celeberrima fama beati viri.

ſcopus ille incongruum aliquid vſurpâſſe videtur, qui poſt ſacrum eius obitum, dum fratres conſolaretur, inter cætera hoc quoquè in ipſius proſecutus eſt laudem: quia in omnem terrã exiuit ſonus eius, & in fines orbis terræ verba illius. Vincebat tamen ſublimitatem nominis, humilitas cordis: nec tantùm poterat vniuerſus mundus eum erigere, quantùm ſe ipſe deijcere ſolus. Summus reputabatur ab omnibus, infimum ipſe ſe reputans: & quem ſibi omnes, ipſe ſe nemini præferebat. Denique ſicut nobis ſæpiùs fatebatur, inter ſummos quoſque honores & fauores populorũ vel ſublimium perſonarum, alterum ſibi mutuatus hominem videbatur, ſeque potiùs reputabat abſentem, velut quoddã ſomnium ſuſpicatus. Vbi verò ſimpliciores ei fratres, vt aſſolet, fidutialiùs loquerentur, & amica liceret ſemper humilitate frui, ibi ſe inueniſſe gaudebat, & in propriam rediſſe perſonam. Innata ei à puero verecundia, vſque ad diem perſeuerauit extremum. Indè erat, quòd licèt tam magnus eſſet & excelſus in verbo gloriæ, nunquàm tamen, ſicut ſæpè audiuimus eum proteſtantem, in quanlibèt humili cœtu ſine metu & reuerentia verbum fecit, tacere magis deſiderans, nisi conſcientiæ propriæ ſtimulis vrgeretur, cum timore Dei & charitate fraterna.

Quãto magis mundus eũ extulit, ſeipſum deiecit.

Perpetua ei⁹ verecundia vſque ad obitum.

Patientiam eius maximè quidem Dominicis flagellis exercitatam nouimus & probatam: qui nimirùm ab ipſo ſuæ cõuerſionis initio vſque ad diem ſacræ depoſitionis tanta ſuſtinuit, vt vita eius his, qui nouerant, non nisì quçdam mortis protelatio videretur. Cæterùm erga homines quoquè, etsì rarior ei occaſio minora forſitan patientiæ poruit experimenta præſtare, dicendum tamen vel breuiter, ne huius quidem apparuiſſe eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ ſolitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum iniurias, ad damna rerum, & ad corporis læſionem: de ſingulis ſingula ſaltem proponamus exempla, quæ interìm nobis occurrunt. Scripſerat aliquandò Dei famulus ad Epiſcopum aliquem de curia & conſilio Regis, monens eum ſuper quibuſdam negocijs Regi ſuadere & conſulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amariſſimam condidit epiſtolam, dicens in ſalutatione prima, Salutem, & non ſpiritum blaſphemiç: ranquàm videlicet vir ſanctus (quod horror eſt dicere) ex blaſphemiæ ſpiritu illa ſcripſiſſet. Ad quod verbum manſuetiſſimus Chriſti ſeruus, memor Dominicæ reſponſionis, Ego dæmonium non habeo: ſicut hodieque extans eius epiſtola continet: Minimè quidem, ait, ſpiritum blaſphemiæ me habere credo, ſed nec maledixiſſe cuiquam, aut maledicere velle me ſcio, præſertim principi populi mei. Nec minùs poſteà charum, nec minùs familiarem eundem Epiſcopum habuit: ſed elogium illud prædictum ſic fuit, quasì non dictum.

Eius in perpetuis moleſtijs eximia patientia.

Iohan. 8.

Abbas Farcenſis conuentum fratrum à Claraualle vocauerat, monaſterium eis ædificaturus: ſed Romanus impediuit Antiſtes, & ſibi tollens eos, in alio loco ordinauit. Vndè plurimùm dolens prædictus ille vir magnus & magnæ deuotionis, collectam pecuniam ſexcẽtarum ferè marcarũ argenti, depoſuit ſub chirographo: quam, ad Dei hominem veniens, obtulit ei, rogans, vt quod non meruerat in partibus ſuis, vel citra Alpes nouum exindè cœnobium conderetur. Miſſum eſt pro argento, & prorsùs totum amiſſum. Nec reſpondit aliud homo Dei, cùm ei nunciaretur, quàm, Benedictus Deus, qui nobis pepercit ab onere. Nam & illis, inquit, qui abſtulêre, leuiùs indulgendum: ſunt enim Romani: & pecunia videbatur immanis, ac vehemens fuit illa tentatio. Gratulari autem conſueuerat, decem circiter monaſteria, vel ædificandis monaſterijs loca congrua numerans, fraudulenter ſibi & violẽter ablata, dum contendere nollet, & magìs eum vinci, quàm vincere, delectaret.

Ingentis pecuniç iactura fert placidiſſimè.

Item decẽ monaſteriorum.

Veniens aliquandò Clarauallem clericus quidam ex his, quos Regulares canonicos vocant, importunè ſatìs inſtabat, vt in monachum reciperetur. Suadente patre ſancto, vt ad ſuam reuerteretur eccleſiam, nec acquieſcente recipere eum: Vt quid ergò, ait, in libris tuis perfectionem tantoperè cõmendâſti, ſi eam deſideranti, opem renuis exhibere? Et maligno ſpiritu iracundiæ vehementer inſtigatus, ſicut poſtmodùm euidenter apparuit: Iam, inquit, ſi illos tenerem, diſcerperem libros. Cui vir Domini: Puto, ait, in nullo illorum legiſti, non poſſe te in tuo clauſtro eſſe perfectum. Morum correctionem, non locorũ mutationem, (ſi benè memini) in libris omnibus commendaui. Tum verò impetum faciens homo, velut inſanus, in eum, percuſſit maxillam eius, idq; tam grauiter, vt ſuccederet ſtatìm rubor ictui, tumor rubori. Iam qui aderant, in ſacrilegum inuolabant: ſed præuenit eos famulus Domini, clamans & adiurans per nomen Chriſti, nullatenùs eum tangere, ſed educere eum cautè, & curam eius habere, nè ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam diſtrictè præcepit,

Attendant hunc locum inſtabiles monachi.

In maxillã grauiter percuſſus, grauiſſimè interdixit, nè quid mali fiat percuſſori.

cepit, vt miſer ille timens & tremens, abſque omni iniuria eductus ſit & deductus.

Et quidem in libertate ſpiritûs Dei famulus excellenter enituit, cum humilitate & manſuetudine tamen, vt quodammodò videretur & vereri neminem, & omnem hominem reuereri. Increpatione rariùs vtebatur, monitis & obſecrationibus potiùs agens. Quàm verò inuitus, & nõ ex cordis amaritudine, verbum proferret amarum, ex eo maximè animaduertebatur, quòd perfacilè eiuſmodi impetum cohiberet. Siquidem mirabatur hominum improbitatem, quos aliquandò fortè turbatos, excuſationem quanlibèt rationabilem, ſatisfactionem quanlibèt humilem admittere, grauat: quòd ipſa ſuæ turbationis paſſio miſeros ſic delectet, vt oderint omne remediũ, vt contineant aures, claudant oculos, obijciant manus, & omnimodis ſatagant, nè ſemèl orta commotio, ſedari valeat & ſanari. Eius tamen obiurgationem non minùs facilè aliquandò compeſcebat grauis & turbulenta reſponſio, quàm humilis & modeſta, vt ab aliquibus proindè diceretur cedenti inſiſtere, cedere reſiſtenti. Dicebat enim, vbì reſonat vtrinquè modeſtia, dulce eſſe colloquium: vbì vel ex parte altera, vile: vbì ex neutra, pernicioſum: Vbì enim hincindè duritia ſonat, iurgium eſt, non correctio: nec diſciplina, ſed rixa: vt deceat magìs diſſimulare prælatum interìm, & commotione ſanata, vtiliùs caſtigare ſubiectos: aut certè, ſi ità res exigit, obſeruare conſilium ſapientis, Quia ſtultus non corrigitur verbis. Loquitur ipſe de increpationibus, minùs vtiliter, minùs patienter acceptis, in Sermone ſuper Cantica Canticorum quadrageſimoſecundo, dicens inter cætera: Vtinàm neminem obiurgare neceſsè ſit: id enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere: magìs autem vrget charitas. Quòd ſi arguero, & fecero quod meum eſt, illa autem procedens increpatio minimè, quod ſuum eſt, faciat, neque ad quod miſi illam, ſed reuertatur ad me vacua, tanquàm iaculum feriens & reſiliens, quid me animi tunc habere putatis fratres? Nónne angor? nónne torqueor? Et vt mihi vſurpem aliquid ex verbis magiſtri, quia de ſapientia non poſſum, coarctor prorsùs è duobus, & quod eligam neſcio: placere ne mihi in eo, quod locutus ſum, quoniam quod debui, feci: an pœnitentiam agere ſuper verbo meo, quia quod volui, non recepi. Et infrà: Dicas forſitan mihi, quòd bonum meum ad me reuertatur, & quia liberaui animam meam, & mundus ſum à ſanguine hominis, cui annunciaui & locutus ſum, vt auerteretur à via ſua mala, & viueret. Sed etsì innumera talia addas, me tamen minimè iſta cõſolabuntur, mortem filij intuentem: quasì verò meam illa reprehenſione liberationem quæſierim, & non magìs illius. Quæ enim mater, etiamsì omnem, quam potuit, curam & diligentiã ægrotanti filio adhibuiſſe ſe ſciat, ſi demùm ſe viderit fruſtratam, & omnes labores ſuos eſſe penitùs inefficaces, illo nihilominùs moriente, propterea vnquàm à fletibus temperabit? Et hæc hactenùs.

Stultus non corrigitur verbis.

Iacob. 3.

Philip. 1.

Ezech. 18.

Decæterò, tantus æmulator erat manſuetudinis & pacis, vt ſi fortè improbus quiſquè petitor duriùs extorſiſſet à negante reſpõſum, haud facilè deincèps cum eadem repulſa dimitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter, vt fatebatur, oderat omne ſcandalum: & grauamen cuiuſlibet hominis ſuſtinere, ei admodùm graue: non ſentire, impoſſibile erat. Ideò neminem ſpreuit, nullius hominis ſcandalum paruipẽdit, etsì veritatem Dei iuſtitiamque prætulerit. Nam & quotiès oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam conſideratè fiebat, vt abundanter ipſi quoquè, qui læſi viderentur, haberent, vndè ſibi pro eo ſatisfacerent in cogitationibus ſuis. Sanè vidimus ex ipſis nonnullos, & de quibus id minùs videbatur poſſe ſperari, ampliori deuotione eius poſtmodùm vel obſequijs deſeruiſſe, vel etiam adhæſiſſe veſtigijs. Dicitur tamen & inuidos habuiſſe, vt haberet meritum ex eis. Cæterùm tam ſingulariter eminebat gloria nominis eius, vt peſtis illa magìs deſperatione, quàm liuore, tabeſceret, & timeret agnoſci. Quinetiam humilitate eius & manſuetudine vincebatur, beneficijs ſuffocabatur, obruebatur obſequijs. Nimirùm doctus erat vincere in bono malum, ſicut ad quoſdam fratres ſcribens, inter cætera ait: Adhærebo vobis, etsì nolitis: adhærebo, etsì nolim ipſe. Inuitis præſtabo, ingratis adijciam, honorabo & contemnentes me. Vſqueadeò ſiquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, vt eorum ſcandalo (ſicut ipſe fari ſolebat) grauiùs vreretur, quibus nullam videretur occaſionẽ ſcandali prębuiſſe. Plùs enim pijſſimum pectus, gratuitum alterius affligebat ſcandalum, quàm propriæ immunitas conſcientiæ ſolabatur. Siquidem minùs ſperabat poſſe ſanari, quod, vndè procederet, non vi-

Eximia eius mãſuetudo & tranquillitas.

Inuidiã vincerit.

Nulli ꝑbet occaſionẽ ſcandali.

debat: magnum ſibi eregionè ſolatium fore perhibens, quotiès inueniret vndè ſatisfacere poſſet vel homini pro ſe, vel Deo pro homine, non ſine occaſione turbato.

Summũ ei⁹ gaudium ſalus animarum.

Erga omnium quidem hominum ſpirituale commodum incommodúmve ampliùs afficiebatur: & ſummum ei deſiderium, ſummum gaudium erat, animarum fructus, conuerſio peccatorum. Et corporeas tamen quorunlibet hominũ neceſſitates pijſſimo miſerabatur affectu: cuius tanta erat humanitas, vt non modò hominibus, ſed irrationabilibus etiam animantibus, auibus & feris, compateretur, nec compatienti deerat virtutis effectus. Contigit enim aliquotiès, vt iter agens, fugitantem, &, vt vidébatur, protinùs capiẽdum vel lepuſculum à canibus, vel auiculam ab accipitribus, ſigno Crucis edito mirabiliter liberaret: dicereréque ſequentibus, fruſtrà ſeſe conari, nec vllatenùs ſe præſente eiuſmodi exercere poſſe rapinam.

Eius cõmiſeratio ad omnẽ creaturam.

CAP. VII.

HAEC nos quidem de ſacris moribus patris noſtri, pro modulo noſtro, ſub breuitate perſtrinximus. Cæterùm longè eminentiùs in ſuis ille libris appáret, & ex bonis proprijs innoteſcit. In quibus ità ſuam expreſſiſſe videtur imaginem, & exhibuiſſe quoddam ſpeculum ſuî, vt illud quoquè Ambroſianum meritò illi poſſe videatur aptari: Laude ipſe ſe ſonet & laureatus ſpiritu, ſcriptis coronetur ſuis. Si quis enim nôſſe deſiderat, quàm ſolicitus ab initio ſuîipſius dijudicator & ſcrutator extiterit, primum opus illius de Gradibus humilitatis inſpiciat. Indè ſi quæritur piæ mentis religioſa deuotio, tranſeundũ ad Homilias in laudibus Virginis matris, & illum, quẽ de diligendo Deo edidit, librum. Si feruens contra ſuorum vel aliorum vitia zelus, legatur is, quem Apologeticum vocat. Si vigil in zelo cordis & circunſpecta diſcretio, de Præcepto & diſpenſatione differens audiatur. Quàm verò fidelis cuiuſlibet piæ conuerſationis commendator extiterit & adiutor, Exhortatorius ad milites templi ſermo declarat. Quàm non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de gratia & libero arbitrio tam fideliter quàm vtiliter diſputauit. Quàm liber in voce, quàm diſertus, & in rerum ſuperiorum pariter inferiorumque ſcientia locuples, in his, quæ ad Papam Eugenium de Conſideratione ſcripſit, diligens conſiderator agnoſcet. Quàm deuotiſſimus prædicator alienæ ſanctitatis, tam diligenter Epiſcopi ſancti Malachiæ vitam proſecutus oſtendit. Nam & in ſermonibus ſuper Cantica, & myſteriorum inueſtigator, & morum ædificator magnificus innoteſcit. In Epiſtolis, quas ad diuerſas perſonas ob negocia diuerſa dictauit, prudens lector aduertet, quo feruore ſpiritûs iuſtitiam omnem dilexerit, omnem æquè oderit iniuſtitiam. Fidelis etenim ſeruus Chriſti non quærebat aliquid ſuum: quicquid tamen erat Chriſti, ſic curabat vt ſuum. Quæ enim ſcelera non arguit? quæ odia non extinxit? quæ ſcandala non compeſcuit? quę ſchiſmata non reſarciuit? quas hæreſes non confutauit? Quid verò ſanctum, quid honeſtum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid virtutis aut laudabilis diſciplinæ, ſuis ortum in qualibet religione diebus, non roborauit eius authoritas? non fouit charitas? diligentia non promouit? Quid antè promotum, dilatari ampliùs non optauit? quid fortè collapſum, non totis pro loco & tempore viribus egit, vt repararetur? Quis malitiam quancunque diſponens, eius zelum & authoritatẽ non timuit? Quis proponens quodcunque bonum, eius, ſi potuit, non conſuluit ſanctitatem? non conſiderauit fauorem? opem non flagitauit? Quis ad ſacrũ in eius pectore habitantis templum diuinitatis, de quacunque tribulatione fideliter clamaturus acceſſit, & inefficaciter laborauit? Mœſtus ab eo ſolatium, afflictus auxiliũ, conſilium anxius, æger remedium, pauper ſubſidium reportabat. Ità ſeſe omnium fecerat ſeruum, àc ſi toti genitus orbi: ità tamen líber ex omnibus, conſcientiæ ſuæ ſolicitudinem gerens, tanquàm ſoli deditus curæ & cuſtodiæ cordis ſui. Et quidem diuiſiones gratiarum commendat Apoſtolus, & ſi quis diligenter quærat, inueniet diuerſos ab initio Dei famulos in diuerſis enituiſſe muneribus. Legimus enim viros in fide magnificos, multiplicibus claruiſſe miraculis: alios ſpiritũ habuiſſe propheticum, & futura quaſi præſentia, occulta velut ſub oculis poſita mirabiliter cognouiſſe. Alios nihilominùs antiquorũ literæ proteſtantur grauiori abſtinentiæ deditos, parſimoniam coluiſſe: alios in humilitatis propoſito, ſpretis dignitatibus huius ſeculi, authori ſeculi plurimùm placuiſſe: alios in doctrina verbi ad ſalutis ſcientiam plurimos erudiſſe, vt ſecundùm promiſſionem ſcripturę ſanctæ, luceant quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Alij quoquè in ædificandis cœnobijs laborantes, amplificauerunt nomen ſanctitatis: alij in ſedandis ſcandalis & turbinibus huius ſeculi, promouendisque Eccleſiæ Dei

Omnium ſeruũ facit.

1. Cor. 12.

Diuerſa ſanctorũ hominum charismata.

Daniel.

Perſequitur vitia.

Fouet virtutes.

Dei negocijs efficaciter occupati, vtiles in actione: alij in ſacris meditationibus ſpiritualiter feriati, ſublimes in contemplatione fuerunt. Quid horũ noſtro videbitur defuiſſe Bernardo? Immò quid horum tam inſigne in eo non fuit, vt ad commendationem ſatis eſſet, etiamsì cęterorum aliquid non adeſſet? Nam etsì multiplicibus Eccleſia ſui tẽporis, tam in ſuprà memoratis negocijs, quàm in alijs pluribus, actionis eius vtilitatem meruit experiri: magnificè tamen etiam gratia contemplationis in eo tã ex viſionibus & reuelationibus Domini, quàm ex ſcriptis ſuis, quæ ſpiritalibus exuberant ſenſibus, eluceſcit. Porrò monaſteriorum fructus, quæ per eum Dominus ordinauit, tam copioſus & euidens, humanis ſeſe ingerit oculis, vt nullis egeat literis cõmendari. Magis autem & ex ipſa quoquè eorundem multitudine cœnobiorum, omnis deincèps generatio certũ capere poterit documentum, quantos collegerit ad ſeruitium Chriſti, qui tam multos vndiq; propagauit. Quòd ad reliqua ſpectat, de humilitate eius, & dignitatibus refutatis, ſed & de tenuiſſimo victu, ſuperiùs proſecuti: ex his, quæ ad prophetiam pertinent, oſtenſionemq; virtutum, ſub alio quidem principio curabimus annotare perpauca de multis. Et nunc igitur iam ſuper his, quæ in ſignis exterioribus & multiplici virtutum exhibitione conſiſtunt, ſecundus, vt præmiſſum eſt in præfatione, libellus aliquanta narrabit.

S. Bernard⁹ verò omnibus videtur dotatus gratijs.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

SIcut Sermone ſuper Cantica Canticorum viceſimoquarto ſeruus Domini Bernardus Clarauallẽſis, gratulatur & gratias agit illi, tertiò quidem reditũ ab Vrbe ſuum clementior è cælo reſpexit oculus: quia ſerenior tandèm vultus arriſit, eô quòd quieuiſſet rabies Leonina, accepiſſet finem malitia, recepiſſet pacem Eccleſia. Tanta verò exultatione eccleſia illum Gallicana recepit, vt non minorem videretur de ſuo reditu exhibere, quàm de pace reddita lætitiam nũciare. Vndè etiam mirari ipſe, ſæpiusq; cauſari ſolebat, quòd dum ſibi poſt tam graues frequentias hominum & tumultus, velut ab exordio valefaciendum ſeculo iudicaret, & tanquàm de nouo adoriendum ſacræ propoſitum conuerſationis, tunc potiſſimùm vberioribus ſuſciperetur gaudijs, obſequijs coleretur. Rediens autem pater ſanctus ab Vrbe, ex ſanctorum Apoſtolorum martyrumque corporibus xenia ſecum tulit precioſa, haud modicum hunc ſibi reputans fructum eſſe laboris. Inter quę beati Cæſarij dentem quonam modo receperit, memorãdum. Cùm enim integrum ei prædicti martyris caput Græci monachi, in quorum baſilica repoſitum eſt, exhiberent, vt tolleret indè, quod vellet, dari ſibi petijt dentem vnum. Fruſtrà verò aliquandiù fratres, qui cum eo venerant, laborantes, conceſſum ſibi trahere penitùs non valebant. Fractis enim cultellis duobus aut tribus, quos applicuerant, nihilominùs dens immobilis permanebat. Tunc ille: Orandum eſt nobis, ait. Nec enim habere poſſumus, niſì martyr ipſe concedat. Facta deniquè oratione, reuerenter accedens, incredibili facilitate duobus digitis, quod ferreis anteà moueri non poterat inſtrumentis, accepit.

Petro Leone mortuo recepit pacẽ Eccleſia.

Sacras ab Vrbe reliquias gratulabũdus abſportat.

Eccè tãtus vir quãti facit dentem vnũ ſancti martyris.

Fratres autem Hieroſolymitani templi, fidelis militiæ profeſſores, cùm nouam habere eo tempore domum in Vrbe cœpiſſent, redeunte prędicto patre ſpecialique patrono ſuo, tunicam eius pro eximia benedictione ſeruabant. Apud quos eodem anno ſacerdos quidam grauiſſima febre correptus, deſperabiliter ægrotabat. Vt autem omninò deficiens, deueniſſe viſus eſt ad extrema, portari ſeſe in oratorium, & prædictam beati viri ſuperponi ſibi tunicam fecit, in ſola poſitus expectatione exitûs mortis. Cùm ſubitò raptus in quendam mentis exceſſum, ac velutì carne ſolutus, videre ſibi viſus eſt corpus ſuum eodem, quo iacebat, in loco exanime iam circundatũ multitudine ſacerdotum, apertos tenentium libros, & celebrãtium exequias ex more ſolennes. Nec mora, in vultu habituque prædicti patris ſancti reuerenda quædã perſona prodiens ex altari, manu illis innuit, vt tacerent, voce pariter prohibẽs, nè mortuum reputarent, cuius vitam Clarauallenſi Abbati donauerat Deus. Confeſtìm deniquè ad ſe rediens, ſanum ſe reperit, & quod viderat, fratribus indicauit. Qui quidem, vt à fidelibus viris nupèr accepimus, hodieq; ſuperſtes, & in partibus Aquitaniæ degens, beneficium, quod accepit, ſedulò confitetur in eius præconium, cuius merito viuit.

Tunica eius pro inſigni benedictione ſeruatur.

Illa tunica vitæ reſtituit hominem: mortibundum.

Si quis hoc minùs miratur, animaduertat de beato Nicolao ex innumeris, quibus decoratus est, miraculis in natalis eius annua commemoratione tãquàm eximiũ commendari, quòd Imperatorem Constantinum ab interitu quorundam, longè constitutus, per visum deflexit. Nec illud dissimile est, quod annectimus.

Abbas Gerardus proximũ Clarævalli monasterium, quod Mores dicitur, regens, testatus est nobis, vidisse se eum aliquandò psallentium fratrum circumire choros, & sicut frequenter agebat, excitare torpentes, ità vt affectuosiùs & virilìùs psallerctur, quod reliquum fuit vigiliarum. Cumq; die sequẽti apud eum familiariter causaretur, tardiùs illum, quàm oportuerat, ea nocte visitâsse psallentes: Ego, ait, nocturnis horis corporeo grauiter occupabar incommodo: sed quod non potuit corpus, spiritus fecit. Expauit ille, audiens non fuisse in corpore, quem tamen diù corporeo spectâsset intuitu circumeuntem vtrunq; chorum, & dormitantes quosque, vt consueuerat, excitantem, & manum singulis imponentem.

Abſens corpore, ſpiritu præſens, excitat dormitantes in Choro.

Tempore, quo pater sanctus apud Vrbem morabatur, contigit fratrem quendam, Robertum nomine, in Claraualle grauiter infirmari. Huic apparuit iuuenis quidam, similis fratri infirmario, præcipiens vt sequeretur se. Visum est, quòd sequeretur præeuntem, venitq; ad montem excelsum, in quo Dominum inuénit Iesum cum Angelis suis, audiuitque eum illi ductori suo dicentem: Custodi mihi istum. Iamque misit etiam Dominus in cor ipsius infirmi quædã verba, quæ suę Claręualli per illum mandauit. Facto ergò manè, resedit, qui moriturus ilicò putabatur, mirantibusque omnibus, dominum Godefridum, tunc Priorem, nunc Lingonensem Episcopum, vocari fecit. Cui præsenti inter cætera dixit: Mandat vobis Dominus, vt domos amplas faciatis, quæ gentem possint capere, quam ipse multam missurus est vobis: fratribusque grangiarum mandate, vt honestè se habeant, formamq; boni exempli hominibus secularibus præbeant: quia væ ei, per quem vnus retrò abierit. Post dies fermè viginti, cùm eádem adhuc valetudine desperabiliter laboraret, admirabilis pater Bernardus corpore absens, sed spiritu præsens, Clarauallem aduénit, languentem visitauit, matutinos hymnos circa eum cum ingenti fratrum multitudine decantauit, noctemq; illam ibidèm iuxta illum fecit, & manè facto, idem frater sanus apparuit, modum etiam suæ liberationis fratribus indicauit.

Viſio fratris Roberti.

Adeſt S. Bernardus ſpiritu fratri moribundo, & ſanat eum.

Ad multorum aures famam credimus peruenisse viri venerabilis Guilelmi, qui olim Montis Pessulani dominus, nunc verus Christi pauper & humilis monachus, degit in cœnobio, quod Grandisylua vocatur. Ipsius enim relatione didicimus, quod dicturi sumus, sicut ab eius ore, cui contigerat, se accepisse dicebat. In ciuitate Auxitanorum, quæ metropolis est Vasconiæ, miles quidam infirmabatur. Cuius cùm inferiores corporis partes à renibus & deorsùm morbus sæuiens occupâsset, erat diebus multis lecto decubans, non modica parte præmortuus. Compunctus deniq; & confisus de misericordia Dei, ad seruũ eius, cuius circunquaq; tam celebris sese virtutum fama diffuderat, quocunq; labore se præcipit deportari. Iam per dies aliquot processerat, profeceratq; non minùs in fide & deuotione, quàm in itinere ipso: cùm miseratus hominem Deus, mirabiliter satìs & infirmitati eius subuenire dignatus est, & parcere fatigationi. Occurrens enim quidam in via, quisnam esset, aut quò tenderet, inquisiuit. Acceptaq; itineris eius necessitate: Ego, ait, ex parte illius sancti præcipio tibi, vt reuertaris, sciens quòd vbì domum véneris, sanus eris. Persuasit illi Deus, vt crederet, cuius nimirùm dispositione omnia gerebantur. Redijt, rediensque, paulatim recepit eam, quæ sibi promissa fuerat, misericordiam, vt non priùs domum pertingeret, quàm plenariæ donum perciperet sospitatis.

Vir nobilis miro modo redit ad ſanitatem.

Anglorum quoquè Regina Mathildis, tantum huic famulo Dei exhibuit aliquandò deuotionis affectum, vt venienti Boloniam, extra vrbem cum populo pedes occurreret, grauida tamen ipsa, multumque iam grauis. Quæ post dies aliquot, vt parièndi tempus aduénit, tam grauiter est afflicta, vt tam ipsa, quàm domus omnis, de vita eius penitùs desperarent: iamque omni reliqua supellectili pauperibus & ecclesijs delegata, vestis etiam regia pararetur, in qua sepeliretur, tanquàm protinùs moritura. Tum subitò recordata hominis Dei, & nomen illius inuocans plena fide, in ipsa protinùs inuocatione sine periculo partum edidit desperatum. Nec distulit legatum destinare fidelem, per quem gratias ageret celeri subuẽtori, ipsum sic natum, non immeritò natum eius appellans. Verùm ille, quotiès tale aliquid contigisset audire, non minùs humiliter, quàm iucundè refutans, dicere consueuerat: Hoc certè mihi sic est imputan-

Regina Angliæ in ſummo periculo abſentẽ virũ Dei inuocans, mox liberatur.

imputandum, sicut ei, qui conscius omninò non fuit.

In monasterio, cui nomen est Belleuallis, prope vrbem Chrysopolim, homo quidam à dæmone vexabatur, mira eo instigante faciens, mira loquens. Post multas igitur orationes fratrum, cùm improbè persisteret illa nequitia spiritalis, recordatus est venerabilis Abbas loci illius Pontius, hodieque superstes, habere se stolam, qua aliquandiù beatus pater vsus fuerat in oblatione hostiæ salutaris. Nec cunctatus, tulit protinùs arma potentia Deo, fidutialiterque aggressus est inimicum. Vix limen attigerat cellulæ, in qua miser homo iacebat, cùm subitò malignus ille horridis vocibus victum se profitens: En, inquit, egredior, recedo protinùs, manere vltrà non possum. Respondente autem Abbate, Per nomen Domini, & ipsius beati viri meritum, cuius hæc stola fuit, tibi præcipio, exi citiùs, nè moreris: continuò dæmon fugatus ab homine, homo liberatus est. Quis alter non periculosè forsitan exultâsset, vsq; adeò sibi spiritus esse subiectos, vt cederent & absenti? Verùm ille, Abbate ipso nunciante, nil motus, magisq; subsannans eos, quos videbat magna super hoc admiratione moueri, hæc eadem verba respondit: Quidni facilè nos duo prævaluissemus in vnum? Leuiter illum eijcere potuit Deus, præsertim cùm ego, vt dicitis, socius ei datus sim & adiutor. Huiusmodi nempe responsis in huiusmodi rebus sæpiùs vtebatur. Nouerat siquidem verus & verax, non ostentator, sed æmulator humilitatis, efficaciùs dissuaderi posse hominibus, quod stupebant, obliqua quadam & artificiosa obiectione, quàm aperta excusatione: quę humilitatem magìs prędicabilem pręferẽdo, æstimationem non minueret hominum, sed augeret. Vndè quodam loco ex propria loquens experientia: Verus, inquit, humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari.

Pontius Abbas Belleuallis.

Insigne miraculum.

Serm. 16. in Cantica.

CAP. II.

ILlud quoq; notissimum fuit, quòd adhuc in carne degens, apparens autem in spiritu, fratri cuidam obitûs sui prænunciauerit diem. Infirmabatur nouitius quidam frater in Claraualle, bonæ conuersationis & bonæ indolis adolescens: Nec longè aberat dies, qua post annuam ex more probationem nouum indueret hominem, si non priùs hominem exuisset. Siquidem consummatus in breui, expleuit tempora multa placita enim erat Deo anima eius. Quinto igitur die ante vltimũ diem suum, visitante se fratre Gerardo, qui hodiè Abbas est monasterij Longipontis, idem nouitius exhilaratus plurimùm, inter alia spiritalis gratiæ verba: Eccè, inquit, quinta die moriar. Hodiè enim pater noster dominus Abbas mihi apparuit cũ multitudine monachorum, & blanda consolatione refouens, quinta die moriturum me esse dicebat. Exijt sermo inter fratres, & antequàm impleretur, diuulgatum est verbum. Expectabatur ab omnibus dies illa, sed multo magìs ille beatus in expectatione sua fuit. Iam dies quinta inclinabatur ad vesperam: illius autem spiritus magìs eleuabatur ad Deum. Demùm circa vndecimam horam in ipso agone mortis positus, obducto prorsùs, vt assolet, lumine oculorum, & nemini iam intendens, ad exitum festinabat. Interìm visitans eum pater sanctus, velut ab alto somno reuocat, & quasì retrahit commeantem, nec insalutatum abire permittit. Ad cuius vocem aperiens oculos, & mirum in modum facie serenata, aliquandiù intendebat in eum. Mirabamur omnes mortalem hominem, immò iam morientem, eatenùs triumphare de morte, vt in ipso mortis articulo exultaret in gaudio, nobis exhibens illud Poëtæ:

Gerard⁹ Abbas Longipontis.

Appáret vir ſanctus nouitio, & ei prædicit diem obitûs ſui.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

Ecl. 4. Buc. Virgilij.

Tunc verò consolans cum pater beatus, nil timere iubet, sed recto protinùs cursu pertingere ad Dominum Iesum Christum, & offerre ei humilem pauperis suæ familiæ salutationem. Ad hanc vocem, qua potuit capitis inclinatione & motu annuens labiorum, iterùm clausit oculos, & eádem hora in pace quieuit. Multa quidem huic Dei famulo reuelata per spiritum, multa sine præcedenti reuelatione mirabiliter ab eo prædicta cognouimus, ex quibus exempli gratia pauca subnectimus.

Nouitij felix obitus.

Cùm esset aliquandò pater sanctus in vrbe Nouiomensium in domo Episcopi Simonis, adductus est ad eum Herueius de Baugenceio, puer admodùm gratiosus, ortus ex regio sanguine, & prædicti Episcopi nepos. De quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post longa tempora futurum. Siquidem videbatur sibi tanquàm in Missarum celebratione Angelo cuidam pacis osculũ dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de reuelatione, eundem Herueium renunciaturum seculo, & futurum aliquandò deuotum Christi famulum promittebat. Quæ promissio adeò celebris extitit & vulgata, vt ipse quoquè Herueius nobis postèà fateretur, adolescen-

Prædicit Herueiũ nobilẽ puerũ monachum futurum.

lescenti sibi ad omnes arguentis conscientiæ stimulos semper occurrere, impossibile esse, vt post viri sancti tale promissum in seculari habitu moreretur. Nec fraudatus est à spe sua. Siquidem venerabilis Gualerannus, Vrsicampi cœnobij primus Abbas, monachum illum fecit, & Angelico functus officio, pacem, quam ex ore patris sancti ipse susceperat, communicauit Heruei o. Cuius talis postmodùm apparuit conuersatio, vt tali dignus oraculo videretur. Nam & prædicto Gualeranno in regimine monasterij Vrsicampi ille successit, & nouissimè obitum suum imminentem sanus adhuc & incolumis, eodem Gualeranno per reuelationem sibi annunciante, præsciuit atq; prædixit.

Idē Heruei⁹ pōst Gualeranno fit Abbas.

Apparuerunt aliquandò viro Dei in Trecensium vrbe posito venerabiles eius filij, iam quidem carne soluti, Galdricus & Gerardus: quorum etiam secundùm carnem alter germanus, alter auunculus eius extiterat. Cumque velut accelerātes, citiùs pertransirent, reuocanti & retinere volenti respondebant, eundum sibi pro fratre Gaufrido monacho, qui eorundem à prima cōuersione socius, strenuè satis in multis cœnobijs extruendis militauerat Deo. Continuò excitatis fratribus pater sanctus accelerari iubet, & ad monasterium veniens, ipso die, sicut eis prædixerat, eundem Gaufridum iam positum reperit in extremis.

Appārent ei frater eius & auūculus.

Infensus aliquādò Rex Francorum senior Ludouicus quibusdam sui regni Episcopis, suis eos sedibus & ciuitatibus exturbauit. Vndè etiam hic vir reuerendus plures scripsit epistolas, pro eorum pace laborans, quarum hodieque exemplaria perseuérant. Accidit autem, vt præsente eodem patre sancto, Episcopi multi, indignationem Regis flectere cupiētes, tota humilitate prostrati solotenùs, eius tenerent vestigia, & nec sic gratiam obtinerent. Qua ex re vir Dei religiosa animositate permotus, die altera Regem duriùs increpans, quòd Domini sacerdotes spreuisset, liberè quoquè denūciauit, quod eádem sibi nocte fuerat reuelatum. Hæc, inquit, obstinatio progeniti tui Philippi Regis morte mulctabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo Ludouico ad pedes Episcoporum, quos herì contempseras, inclinatum, & protinùs intellexi, Philippo celeriter facto de medio, pro Ludouici substitutione ecclesiam, quam nunc opprimis, te rogaturum. Quod quidem non longè pòst miserabilis casus impleuit: & decedēte Philippo, egit pater, vt is, qui feliciter hodiè regnat, Ludouicus iunior vngeretur.

Diuinitùs punitur rex ob cōtemptos sacerdotes.

CAP. III.

Theobald⁹ Comes potentissimus & pijssimus mirè vexatur.

FIdelissimum principem Theobaldum Comitē, in magna tribulatione probatū, non minùs mirabiliter, quàm misericorditer Dominus liberauit. Is nimirùm potentissimus & secundus à Rege, diuersos & immēsos tenens in regno Franciæ principatus, totus tamen eleemosynis deditus, & studio pietatis intentus, omniumque seruorum Dei, sed specialiter Bernardi Clarauallensis, amator deuotissimus erat. Quem eatenùs impugnari & affligi passus est Deus, vt Rege pariter & vicinis potentibus ferè cunctis coniurātibus aduersùs eum, vsqueadeò de eius euasione desperaretur, vt publicè quoquè iam insultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemosynis derogaretur. Monachi & Conuersi, inutiles eius milites & balistarij dicebantur. Necnon & apud extraneos, sed in ipsis quoq; eius ciuitatibus & castellis, eiusmodi iam blasphemiæ personabant. Deniquè congregatis aliquandò Episcopis pluribus, alijsque personis, presente etiam viro Dei, dum super his agerent & colloquerentur, Episcopus quidam, eo tempore ætate & opinione prudentiæ celeberrimus, aiebat: In manu Regis est Comes Theobaldus: non est qui possit eum eruëre. Respondente alio quodam antistite, Est qui possit liberare eum: multùm ille miratus, quisnam crederetur posse, quærebat. Demùm audiens, quia potest eum eripere, qui omnia potest, Deus, non parùm substomachans: Potest, inquit, si manifestus appareat, si clauam teneat, si hinc inde percutiat: sed hactenùs ista non fecit. In tanta igitur desperatione, cùm prædictum principem vehementer vrgerent extranei, grauiùs tamen impugnarent, qui ab eo defecerant, omnes ferè homines sui, nec minùs eum affligerent pauci, qui residui videbantur, ex aliorum defectu ipsi quoquè suspecti: Lingonensis Episcopus Godefridus frequenter & familiariter Dei hominem consulebat, quidnam sibi Dominus super his reuelaret. Cui ille cùm iam sæpiùs respondisset, nihil sibi apparére, nisi tribulationem super tribulationem: demùm aliquandò scisciranti, ait, quia quinto mense pax erit. Sanè vltima die quinti mensis reformata est pax, ipso quidem & orante, & cooperante, vt non esset ambiguum, eius potissimùm studio simul & merito, illum

Prædicit vir Dei quinto mense eundem comitem liberā. dum.

illum principem pijssimum, à tam grauibus imminentibusque periculis liberatum.

Post annos aliquot inter eundem Regem Francorum & Gaufridum Comitē Andegauensium, exercebantur inimicitiæ graues. Causa erat, quòd virum nobilem Gerardum de Monasteriolo, Rege prohibente, in munitissimo oppido suo Comes obsidens, compræhenderat cum vxore ac liberis & propinquis, ipsamque diruerat munitionem. Tractabat ergò vir sanctus de reformanda pace, multis ad hoc ipsum Episcopis & principibus congregatis: cùm subitò Comes ille, amaritudinis felle cōmotus, insalutatos omnes relinquens, equo insilijt, & recessit. Confusis deniquè omnibus, iam conuentus in desperatione pacis soluebatur: & prædictus Gerardus accedens ad hominem Dei, licentiam postulabat, velut in mortem & carcerem rediturus. Sub obsidibus enim ad colloquium illud erat adductus. Cumque vir Domini consolaretur eum, grauiùs ille flens & eiulans: Meam, inquit, minùs doleo sortem: meos omnes lugeo pariter morituros. Compassus itaque vir beatus: Nè timeas, ait: certus esto, quia Deus tibi tuisque subueniet, idque celeriùs, quàm valeas vel sperare. Siquidem recordatus visionis, quam veniens ad id colloquium viderat, tanquàm lecturum se Euangelium, à sancto Episcopo Malachia petere benedictionem, confisus est pacem sine dubio prouenturam. Necdùm Gerardus ille limen domûs attigerat, à facie eius egrediens, cùm subitò quidam occurrens, redire Comitem nunciauit. Mirati sunt omnes, tam celerem audientes promissionis effectum. Eádem etenim hora Comes redijt, & pariter pax desiderata prouénit. Erat autem idem Comes pro eodem negocio ex mandato summi Pontificis anathematis vinculis innodatus, sed absoluendus, humiliari, vt debuit, vel culpam super hoc fateri suam, penitùs recusauit: magis autem, vt erat plurimùm animosus, Deum sibi culpam huiusmodi nunquàm remittere imprecabatur, innocentem se reputans & iniustè ligatum. Quamobrèm discessit pater sanctus non parùm tristis ab illo, dicens ei: (siquidem literas nouerat) In qua mensura mensus fueris, remetietur tibi. Eádem autem die, causantibus super hac improbitate personis quibusdam, & principem illum grauiter errâsse dicentibus, accēsus zelo Dei famulus, aiebat: Grauiter satis hæc temeritas punietur. Fieri omninò non potest, quin hoc eodem anno Comes ipse aut moriatur, aut euidentem aliam diuinæ indignationis sentiat vltionem. Hoc verbum & ex ipsis & ex alijs audiêre non pauci. Quod tam celeriter est impletum, vt Comes idem infra diem quintum decimum moreretur.

Prædicit' mœstissimo nobili fut urā eius cōsolationē.

Matth. 7.

Ecce vltio diuina in cōtemptorem anathematis.

Ingressus aliquandò seruus Christi Germaniæ regnum, festinabat ad partes Moguntinorum, pacē reformaturus inter Regem Lotarium & prædecessoris eius Henrici Regis nepotes, Conradum scilicet, qui Lotario posteà successit in regnum, & Fridericum, patrem huius Friderici, qui post Conradum electus, obtinet hodiè principatum. Venerabilis autem Metropolitanus Moguntinorum Albertus, honorabilem clericum quendam, nomine Mascelinum, viro Dei obuiàm misit. Hic igitur Mascelinus cùm à domino suo missum se esse diceret ad seruiendū ei, paulispèr intuitus illum vir Dei: Alius, inquit, Dominus ad sibi seruiēdum te misit. Expauit Teutonicus, & miratus quid dicere vellet, firmiùs asserebat à domino suo Mogūtino sese Archiepiscopo destinatum. Econtrà seruus Chri: Falleris, ait: maior est Dominus, qui misit te, Christus. Tunc demùm intelligens homo, quorsùm vellet vibrare sermonem: Putas, inquit, quòd monachus fieri velim? Absit à me: non cogitaui, nec ascendit super cor meum. Nihilominùs tamen, renuente illo, Dei famulus affirmabat omnimodis fieri oportere, non quod ipse de se cogitauerat, sed quod de eo disposuerat Deus. In eodem deniquè itinere conuersus ad Dominum, seculo valefecit, & cum alijs pluribus literatis honoratisque personis, quos collegit eo tempore seruus Christi, ipse quoquè, sicut sibi prædictum fuerat, secutus est eum. Henricum quoquè, germanum Regis Francorum, qui Beluacensem hodiè cathedram ornat, non dissimili Dominus conuersione mutauit. Accidit enim, vt veniens idem Henricus ad hominem Dei, super quodam seculari negocio locuturus, conuentum etiam fratrum visitans, eorum sese orationibus commendaret. Cui pater sanctus inter verba sanctæ exhortationis: Confido, ait, in Domino, nequaquàm te in eo statu moriturum, in quo nunc positus es: sed velociter experimento proprio probaturum, quantùm tibi istorum prosit oratio, quam expetisti. Quod eodem postmodùm die non absq; multorum admiratione completum est, & de tanti iuuenis conuersione cœnobium omne exultatione repletum. Lugentibus autem socijs, & familia omni, acsi mortuum illum cernerent, eiulante:

Prædicit nihilminùs cogitāti Clerico, ipsum monachum futurum.

Multi literati & honorati fiūt monachi.

Hērricus frater Regis fit monachus.

eiulante: præ cæteris Andreas quidam Parisiensis Henricum ebrium, Henricum inscium vociferabatur, nec conuicijs, nec blasphemijs parcens. Econtrà sanè Henricus pro illius potissimùm conuersione, Dei hominem dare operam precabatur. Cui vir sanctus, audientibus multis: Dimitte, ait, hominem modò: anima enim eius in amaritudine est: nec pro eo multùm solicitus sis, quia tuus est ille. Cumque ampliùs spe concepta Henricus instaret, vt loqueretur Andreæ, seueriùs intuitus eum vir Dei, ait: Quid hoc est? Nunquìd non iam dixi tibi, quia tuus est ille? Andreas audiens hæc, (siquidem præsens erat & ipse) sicut & plurimùm improbus erat, & à sacra conuersione vehementer abhorrens, talia secum, vt posteà confessus est nobis, tacita cogitatione voluebat: In hoc nunc falsum scio te esse prophetam. Hoc enim certus sum, quia locutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi ego coram Rege & principibus in celebri quocunque conuentu improperare non parcam, vt tua omnibus falsitas innotescat. Cæterùm quàm mirabilis Deus in consilijs super filios hominum, ridens eorum vana conamina, vt propositum suum, quandò & quomodò ipse voluërit, impleatur. Siquidem die altera ibat Andreas, mala omnia imprecans monasterio, vbì dominum dimittebat, ipsam quoquè desiderans vallem funditùs subrui cum habitatoribus suis. Nec parùm moti sunt & mirati, qui prædictum viri sancti de ipso audiërant verbum, cùm taliter videretur abire. Sed non diù pusillanimitatem eorum & fidem modicam tentari passus est Deus. Illa tantùm die procedens & repellens quodammodò gratiam Dei, nocte proxima victus & quasì vinctus, trahente se & vim faciente spiritu Dei, diem expectare non potuit: sed exurgens ante diluculum, velociterque ad monasterium rediens, alterum nobis Saulum, vel magìs de Saulo Paulum alterum exhibebat.

Nota gratiam prophecicá in Abbate Bernardo.

Multa mala imprecatur monasterio Andreas quidam.

Fit monachus idem Andreas.

Inter cæteros, quos de vana conuersatione seculi per ministerium serui sui Christus cripuit, de partibus Flandriæ multi aliquandò sapientes, multi nobiles & literati viri, sub ipsius magisterio sacram professi sunt seruitutem. Quorum primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui postmodùm in Claraualle Prioris officio functus est, & in eo defunctus. In quibus euidentissimè vidimus euangelicum illud impleri: Multi dicent vobis, Eccè hìc est Christus, eccè illic. Plurimis enim persuasionibus actum est cum eis, vt aliam magìs eligere professionem & loca alia debuissent, donèc occurrit Dei famulus iam propè dispersis, & in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius, pristina omnis hæsitatio facta est de medio, & omnium pariter in ipsius consilio irrefragabiliter est firmata voluntas. Quod quidem factum est non sine subita penitùs quorundam ex ipsis mutatione animorum. Deniquè cùm iam virum Dei ad monasterium sequeretur prædictus ille Gaufridus, grauissima cœpit tentatione pulsari. Intuitus autem illum vnus è fratribus, Quid est, inquit, quòd facies tua exterminata, & tristitiæ quodam nubilo obuoluta videtur? Cui Gaufridus: Scio, inquit, scio, quòd nunquàm ampliùs lætus ero. Quod verbum cùm ad famulum Dei idem frater satìs anxius retulisset, videns ille basilicam prope viam, per quam gradiebātur, diuertit, & ingressus orabat. Cæteris autem deforìs præstolantibus, Gaufridus ille grauatus tædio, super lapidem obdormiuit. Demùm cùm ambo pariter surrexissent, ille de oratione, iste de somno, apparuit idem Gaufridus tanto iucundior & hilarior cæteris, quanto tristior priùs. Cumq; ei prædictus frater verbum mœstitiæ, quod locutus fuerat, amicabiliter improperaret: Etsì tūc, inquit, dixi, Nunquàm ampliùs lętus ero: sed nunc dico, Nunquàm ampliùs tristis ero.

Multi nobiles & literati Flādri fiūt monachi.

Matth. 24.

Vide tentationē inuidi satanæ.

Mira vis precum beati viri.

Idem quoquè Gaufridus primo tempore tyrocinij sui, pro patre suo viro nobili & potenti, quem in seculo dereliquerat, filiali pietate solicitus, Patrem sanctum pro eius conuersione rogare Dominum affectuosiùs exorabat. Cui vir Dei: Nè timeas, inquit, ego illum probatum monachum manibus meis in hac Claraualle sepeliam. Vtrunque secutum est: & perfectus monachus factus est, & à patre sancto, sicut prædixerat ipse, in Claraualle sepultus est. Tanquàm enim mori illo absente non posset, quinque mensibus infirmatus, & creberrimum, immò continuum in seipso mortis responsum habēs, sustinuit donèc pater sanctus rediret, qui, vt olìm promiserat, eum traderet sepulturæ.

Eius ꝓphetia de conuersione nobilis viri.

Regina Franciæ, supradicti Ludouici iunioris vxor, plures cum eo fecerat annos, & sobolem non habebat. Erat autē vir sanctus apud Regem pro quadam pace laborās, & Regina in contrarium nitebatur. Cumque eam moneret desistere cœptis, & Regi suggerere meliora, inter loquendum illa cœpit conqueri super sterilitate sua, humiliter

ter rogans, vt sibi partum obtineret à Deo. At ille: Si feceris, inquit, quod moneo, ego quoquè pro verbo, quod postulas, Dominum exorabo. Annuit illa, & pacis non tardauit effectus. Qua reformata, prædictus Rex (nam verbum ei regina suggesserat) à viro Dei promissum humiliter exigebat. Hoc autem tam celeriter est impletum, vt circa idem tempus anno altero eadem Regina pepererit. Dominus Abbas Rainardus Cistertiensis, quem ex Claraualle assumptum, pater sanctus & vt filium amplectebatur, & reuerebatur vt patrem, ob quorūdam monasteriorum ordinationem Prouinciæ partes intrauit. De quo vir Dei in Claraualle consistens, dum fratri cuidam loquerctur, subita inspiratione permotus: Dominus, ait, Cistertiensis aut mortuus est, aut in proximo moriturus. Nec parùm ille frater miratus est, audiens verbum: magis tamen obstupuit, cùm eiusdem Abbatis post dies paucos audiret obitum nunciari.

Impetrat prolē reginæ Frāciæ.

Abbatis Cistertiensis mors ei diuinitùs reuelatur.

Eodem anno, quo de hac vita pater sanctus fuerat exiturus, tres adolescentes de proximo oppido, quod Barrum dicitur super Albam, monasterium Clarævallis gratia conuersionis intrauerant, quorum tertius, suadente maligno, ad vomitū est reuersus. Qua ex rè pro duobus alijs magìs soliciti fratres, ipsis quoquè præsentibus, patri sancto super hoc loquebantur. At ille intuens in eos: Hic, inquit, nulla vnquàm tentatione laborabit: iste verò multa, sed tamē prævalebit. Vtrunq; sicut audiuimus, sic vidimus, adeò vt frequentiùs alteri obijceremus, cùm aliquoties in tētatione penè deficeret, & inciperet iam abire, impossibile esse vt vinceretur, quem vir sanctus dixerat nulla tentatione vincēdum. Pernoctabat aliquandò Dei famulus in oratione, in suo Clarauallensi cœnobio constitutus, & solita intentione Dominum deprecabatur. Contigit autem eádem hora pauperem quendam, & verè pauperem spiritu, in cella hospitum mori, cuius animam cum vocibus canoris in cælū deferri pater sanctus audiuit: & interrogatis manè fratribus, qui affuerant, illam fuisse horā obitūs eius comperit, qua prædictas audiërat in sublime tendentium voces.

Quæ sint duobus fratribus euētura ꝓdicit.

Audit voces Angelicas ad obitum cuiusdam.

CAP. IIII.

CVm beatus Episcopus Malachias, cuius vitam virtutibus plenam pater sanctus studiosè descripsit, iuxta desiderium cordis sui in Claraualle beatā cęlo animam reddidisset, offerens pro eius transitu venerabilis Abbas hostiam salutarem, gloriam eius, Domino reuelante, cognouit, & eodem inspirante, sacrificio iam expleto, formam mutauit orationis, & collectam intulit, quæ ad sanctorum pontificum celebritates, non ad commendationes pertinet defunctorum, ità dicens: Deus, qui beatum Malachiam pontificem, sanctorum tuorum meritis coæquâsti, tribue quæsumus, vt qui precioſæ mortis eius festa agimus, vitæ quoquè imitemur exempla. Deindè reuerenter accedens, sacra eius vestigia deuotissimè osculabatur. Modum tamen aut seriem visionis nec cuiquam aperire, nec in eiusdem Episcopi vita scribere acquieuit: hoc tantùm respondens, cùm plurimùm super hoc rogaretur, nimìs ad propriam sui ipsius pertinuisse personam. Nec sanè dubiū, plura eum similia occultâsse similiter, quæcunque videlicet passus est Dominus occultari. Nam & Virduni aliquādò, quæ est ciuitas Lotaringorum, cùm ad tumulum reuerendissimi viri Alberti Episcopi Ostiēsis, nouiter antè defuncti, pro commendatione eius sacrificiū laudis offerret, Collectam similiter in fine mutauit: de quo tamen quid vidisset, nec interrogatus est, nec confessus, cùm sine certa reuelatione id feciſſe minimè videatur.

Reuelatur ei gloria S. Malachiæ Episcopi.

Item S. Alberti Episcopi Ostiēsis.

Super his, quæ ad gratiam pertinent sanitatum, tam multa per hunc famulum suum operatus est Christus, vt in eo quoquè videretur exhiberi, quod de ipso Iohannes Euangelista testatur. Si enim omnia scriberentur, ne ipsum quidem mundum capere eos arbitror, qui scribendi fuerant, libros. Cæterùm nos saltem pauca de pluribus exempli gratia proferamus. Castrum Villanum accolæ vocant, quod à Claraualle, vt aiunt, sex milliarijs distat: vbì mulier prægnans, tempus omne transierat pariendi, & aliquot mensibus iam decursis, cùm necdùm pareret, ampliùs mirabatur. Cuius cousquè dilatus est partus, vt tam sibi, quàm cæteris quibusque vicinis, morbus potiùs videretur, nec iam crederetur prægnans esse, sed tumens. Quis enim credere posset infantulum anno integro visceribus posse teneri maternis? Desperata igitur mulier, ad monasterium viri Dei ducitur, sic se habens. Sistitur ad portam misera, & portario fratri causa tam miserabilis intimatur. Rogatus ille & inaudito compassus incommodo, supplex adijt patrem sanctum, fideliter ei indicans necessitatem mulieris, fideliter explens negocium susceptæ legationis. Et ô mira diuinæ virtutis operatio, mirabiliùs accelerantis, quod mirabiliter tardabatur. Tanquàm enim

Iohan. 21.

Facilimè im petrat partum desperatæ mulieri.

hoc ſolùm tempore tanto naſciturus expectauerit infans, hora eádem fœmina pepe-
rit, & præcurrente remedio, ad portam rediens frater ille, incommodum, quod nun-
ciauerat, non inuenit.

Alio tempore in territorio Antiſiodorenſi apud oppidum, quod Cona vocatur, mulier quædam mirabiliter laborans, periclitabatur multis diebus, eô quòd veniſſet filius vſque ad partum, & vires non haberet parturiens. Cumq; ſuperueniſſet interìm ſeruus Chriſti, poſtulanti benedictionem, aquam benedictam miſit. Guſtauit mulier, & confeſtìm natus eſt puer. Quem venerabilis Epiſcopus Carnotenſis Gaufridus baptizauit, Bernardi ei nomen imponens.

Eccè vim aquæ benedictæ.

In eodem itinere & in territorio eodem, dum febricitantium multitudo, ſicut vbiquè ſolebant, à Dei homine panem peteret benedictum, Gerardus quidam clericus ex caſtro cui nomen eſt Clamyteium, malè ſciolus & ſubſannans fidem populi, blaſphemabat. In ipſis autem verbis blaſphemiæ grauiſſima febre correptus, vſque Antiſiodorum abeuntem ſequi coactus eſt virum Dei, & pœnitentiam agens apud eum, ipſam, cui detraxerat, multis obtinuit precibus benedictionem. Tam multis verò guſtata eiuſmodi benedictio reddidit ſanitatem, vt ſolius Dei, cuius hæc virtute fiebant, poſſent notitia comprehendi. Vidimus in Meldenſi territorio militem deuotiſſimas referentem gratias viro Dei, quòd ad primum guſtum panis ab eo benedicti, plenam receperit ſoſpitatem à febre quartana: qua ſic grauiter laborauerat menſibus fermè decem & octo, vt in hora acceſſionis quasì phreneticus, nec matrē agnoſceret ſuam.

Pœna irridẽtis miracula viri Dei.

Nota miraculũ benedicti panis.

Virum quoquè venerabilem, Gerardum Lemouicenſem Epiſcopum teſtantem audiuimus, iuuenem quendam de familia ſua lethaliter in capite ſaucium, cùm iacéret ſpumãs & impos mentis, immiſſa ſibi in os buccella panis, quem benedixerat homo Dei, tam celerem ſenſiſſe virtutem, vt incolumis ſurgeret ipſa hora. Neq; illud tacendum, quòd ipſam quoquè ſubſtãtiam panis ab omni corruptionis iniuria eadem benedictio vendicabat, adeò vt plures viderimus, qui per ſeptennium & vltrà eoſdem ſeruauerant panes, nec colore nec ſapore mutato. Ante hos paucos dies venerabiles Abbates Gerardus & Henricus de Suediæ partibus venientes, dum ſuper his conferremus, teſtati ſunt nobis, panem ante vndecim annos eius benedictione ſignatum, manere adhuc apud ſe penitùs incorruptum. Nec diſſimilem apud aliquos noſtrûm vſq; hodiè nouimus, & apud alios multos credimus eſſe repoſitum. Et nunc idoneum ſatis & euidens teſtimonium huius rei proferamus.

Item aliud.

Efficacia benedictionis viri Dei.

Vir magnus & magnificè honorandus Danorum Archiepiſcopus Eskillus patrem ſanctum vnico venerabatur affectu, vnica deuotione colebat. Nec contentus eſt in filijs eum videre, cùm nouum cœnobium extruxiſſet, & impetrâſſet ab eo deſideratum ſacræ congregationis examen. Prævaluit apud eum deſiderium vehemens, vt homo tantę authoritatis, & in inſulis illis tam eccleſiaſtica quàm ſeculari authoritate ſingulariter potens, expoſitis ſuis omnibus, etiam ſemetipſum periculis multis traderet & labori. Nam de expenſis dicere non eſt magnum, quanuìs eundem audiërimus proteſtantem, quòd expenderit in itinere ipſo argenti marcas ampliùs quàm ſexcentas. Venit igitur Clarauallem perſona humilis & ſublimis, quam à finibus terræ non curioſitas audiendæ ſapientiæ, ſed fidei zelus & plenitudo deuotionis attraxit. Vbì quantùm fleuerit, qualem ſeſe non modò erga eum, quem tam vnicè diligebat, ſed etiam erga minimos quoſlibet fratrum exhibuerit, non eſt facile dictu. Demùm rediturus ad propria, vt benedictum à Dei famulo panem referre poſſet, & diutiùs cõſeruare, humano ſenſu præcepit, vt in clibano recoquatur, ſicut ſolent, qui maria tranſeunt, panem referre bis coctum. Audiens autem ſanctus, non eſt paſſus errare hominem tam deuotum: ſed amicabiliter arguens, in hac parte fidem eius modicam inueniri: Itáne, inquit, non poterit benedictio ipſum panem magìs, quàm recoctio, conſeruare? Et non acquieuit benedicere illum: ſed communem ſibi panem præcipiens exhiberi, benedixit & dixit: Eccè hunc tolle tecum, nihil deincèps de corruptione ſolicitus. Tulit, & ad ſuos per multa quidem proſperè rediens, vſq; hodiè gloriatur fidei ſuæ defectum euidentiſſima rei veritate cõuinci. Nec enim paſſus eſt patris ſancti non viſitare ſepulcrũ, nec minùs nunc erga eum afficitur, nec minùs, quàm olim in viuente, confidit, nimirùm quem veriùs viuere non ambigit. Confeſſus eſt etiam nobis de pane, quẽ retulit, quòd nuncuſque, cùm iam tertius annus tranſierit, illæſum ei beati viri fides & benedictio cuſtodiuit.

Eskillus Archiepiſcopꝰ Lundenſis venit in Clarauallem.

Nõ vult panẽ benedicere bis coctũ, ſed cõmunem ſibi exhiberi iubet.

Narra-

Narrauerunt etiam nobis idem reuerendus Antiſtes, & qui cum eodem Archiepiſcopo venerãt viri religioſi, miraculum dignum memoria, nupèr factum in cœnobio, quod, vt ſuprà meminimus, in terra ſua ipſe fundauit. Erat enim, inquit Archiepiſcopus, in eadem regione noſtra adoleſcens nobilis, meus quoquè ſecundùm carnem propinquus, ſed ob multa ſua flagitia minùs charus. Correptus autem ægritudine, vix impetrauit viſitationem meam, & per manum meam ad prædictum ſeſe cõtulit monaſterium, vbì & cum maxima cordis contritione renuncians ſeculo, per dies aliquot in humili & fideliſſima confeſſione perſiſtens, magìs ac magìs eadem ægritudine laborabat. Qua demùm inualeſcente, exitum ſibi imminere cognoſcẽs, Abbatis & fratrum præſentiam miro amplectebatur affectu, mira eos deuotione monebat, vt ſpiritualia arma arriperent, egreſſuram protinùs animam ſibi commendatam efficaciter protecturi, & exhibituri fideliter neceſſarium prorsùs inter imminentium hoſtium crudeliſſima tela conductum. Cumque in huiuſmodi ſupplicatione diuinis iam ſacramentis munitus, & de eorundem ſeruorum Dei patrocinio & Domini miſeratione pijſſima deuotione præſumens, ac proindè circunſtantibus omnibus multam ſuæ ſalutis relinquens fiduciam, expirâſſet, offerebant fratres pro commendatione animę eius, quam deuotiſſimè poterant, Dominici corporis ſalutarem hoſtiam. Tum ſubitò inimicus humanæ ſalutis, ex eiuſdem, ſicut indubitabile videtur eſſe, liberatione animæ, quam ex multis diebus irreparabiliter ſeſe occupâſſe credebat, iram magnam concipiens, eandem, permittente Deo, crudeliter nimìs exercens, vnum è fratribus repentino furore peruaſit. Clamabat igitur horrendis vocibus miſerabilis homo, & vix multorum manibus tenebatur. Demùm cum maximo quidem labore abſportatus, & in lectulo religatus, tam ſua quàm adſtantium membra dentibus appetens, diriſſimè vexabatur. Nec illa, quam priùs nôſſet, lingua, ſed noua quadã, quam nec adſtantium quiſquam nouerat, loquebatur. Et cùm nihil, quod diceret, intelligerent, tam liberè tamen & ſine offendiculo non inconcinnas eum audiebant edere voces, vt indubitanter crederent, quòd lingua aliqua loqueretur. Poſt aliquantas igitur horas, cùm vehementer confuſi fratres, quid agere poſſent, anxiè cogitarent & ſtudiosè conquirerent, vnus ex eis ſalubre conſilium, Domino inſpirante, concipiens, ſacra pignora, à meipſo nupèr ibidèm commendata, videlicet de capillis & barba & dentem vnum domini mei ſancti Bernardi afferri monet, & eius pectori ſuperponi. Quod vt factum eſt, Germanica lingua per os illius cœpit horrendis vocibus nequam ſpiritus exclamare: Tollite, tollite, amouete Bernardum. Et dicebat: Heu Bernarde, quàm onerоſus, quàm grauis, quàm intolerabilis factus es mihi. Cùm hęc & ſimilia aliquandiù clamitans loqueretur, factum eſt breue ſilentium: & ſubitò frater idem, Domino miſerante, purgatus, aperuit oculos, ac velut de ſomno euigilans, circunſtantes fratres & ſua plurimùm vincula mirabatur, verecundè ſatìs, quidnam ſibi vellent hæc, vel quid accidiſſet, interrogans. Ex ea igitur hora priſtinam ſanitatem mentis & corporis per beati patris merita ſancta recepit, nil penitùs, quod in illo tam graui caſu fecerit, aut locutus fuerit, recordatus. Hæc quidem à nobis de teſtimonio viri reuerendiſſimi Eskilli Danorum Archiepiſcopi, ex occaſione panis, à Dei homine benedicti, nõ ſine quadam anticipatione ſunt dicta: decæterò iam ex ordine reliqua proſequamur. Non modò autem hominibus, ſed pecoribus etiam & armentis tam frequenter eius benedictio profuit, vt monaſterij ſui cellerarium durè aliquandò increpârit, quòd ſibi non indicans, mori animalia permiſiſſet, vndè fuerant Chriſti pauperes ſuſtentãdi. Dehinc, vt ſolitus erat, benedixit ſal, & animalibus iuſſit apponi: & protinùs lues orta ceſſauit. Quod in alijs quoquè monaſterijs vidimus & cognouimus, vt audiens fratrum animalia mori, interdùm etiam non rogatus, ſed ipſe prior admonens eos, eodem remedio ſubueniret.

Eccè quantum valeat ꝓ defunctis Dominici corporis oblata hoſtia.

Eccè q̃ torquetur diabolꝰ exiguis reliquijs S. Bernardi.

Salis ab eo benedicti virtus.

Gaudium dicitur locus quidam Caſiacenſium monachorum, vbi vir ſanctus cùm aliquandò pernoctaret, exhibitum ſibi iuuenem claudum oratione & benedictione ſanauit, ità vt poſt dies pauciſſimos per eundem locum redeunti incolumis & deuotus adſtaret. In eiſdem partibus in vico, cui nomen Algorrium eſt, mulierem phreneticam populus obtulit tranſeunti. Cui manus imponens & orans, ſanam dimiſit, & abijt. Hanc in eodem loco vidimus poſteà viro Dei cum gratiarum actionibus occurrentem. In remotis etiam regionibus, quocunquè eum Eccleſiæ ſanctę neceſſitas traxit, virtus eſt proſecuta ſignorum. Apud Viride Folium (ſic enim dicitur caſtrum territorij Toloſani, quod, vt ſuperiori libro meminimus, aliquandò pater ſanctus introĩ-

Claudum ſanat.

Item phre-neticam.

ens,multis ibidèm virtutibus claruit) puer mancus & claudus ex vtero matris ſuæ,ad cuiuſdam memoriam martyris, vtriuſq; pedis & alterius manûs receperat ſanitatem.

Itèm cuiuſdam pueri manum inualidam.

Huius alteram manum adhuc inualidam,tanquàm diuinitùs ſibi ſeruatam,pater ſanctus benedicendo ſanauit, vt ſanctorum innoteſceret particeps eſſe virtutis. Caturcium dicitur ciuitas Aquitaniæ, per quam viro Dei ipſo tempore tranſitus fuit. Ibì præter alia beneficia, quæ præſtitit infirmantibus multis, vnus de pueris Epiſcopi ciuitatis ipſius,qui ex vulnere graui, alterius oculi lumen amiſerat, ſub manu eius viſum recepit.

Oculum reſtituit.

In pago quoquè Engoliſmenſi,loco cui nomẽ eſt Caſtellare,poſt oblationẽ hoſtiæ ſalutaris,adſtantibus venerabilibus Epiſcopis, Lamberto Engoliſmenſi & Gerardo Lemouicenſi, puerum ex matris vtero claudum & mancum, cuius in modũ pilæ cubiti cum genibus vmbilico,pedes autem natibus adhærebant, Dei famulo offerebãt. At ille ſingula membra, edito priùs ſigno Crucis, attrectans, mira facilitate extendit protinùs,& ſanauit.Apprehendens deniquè manum eius,erexit illum,& dimiſit liberè gradientem. Populus autem pro tantis nimirùm virtutibus, magnis vocibus Dominum collaudabat.Nam & die ſequenti in pago Lemouicenſi, in vico, quem ſanẽti *Germani nomine vocant,ſigna per eum plurima claruerunt. Vndiquè enim cõfluebant,qui incommodis varijs laborabant,& virtus erat Domini ad ſanãdum eos.Vbì inter cæteros puer fermè decennis, cæcus ex vtero matris ſuæ, coram omni populo oblatus eſt viro Dei. Qui in digitos ſuos expuens, & liniens oculos eius, breuem fecit orationem,& in nomine Chriſti aperuit oculos cæci nati.

Celerrimè curat miſerè cõtractũ puerum.

*Geniani

Itẽ cæcum natum.

Regnum quoquè Germaniæ cùm introiſſet aliquandò vir beatus,tam excellenter enituit in gratia ſanitatũ,vt nec verbis exprimi,nec credi valeat,ſi dicatur. Nam & teſtati ſunt,qui adfuêre, in territorio Conſtantienſi circa vicum, quem * Donignem nominant,ex his,quæ diligentiùs inueſtigârunt & viderunt oculis ſuis, vna die illuminatos ad eius impoſitionem manûs cæcos vndecim, ſanatos etiam mancos decem, & claudos decem & octo. Cæterùm nè feciſſe nos inopes copia videatur, ex innumera multitudine ſaltem pauca memoriæ cõmendamus,maximè quæ in locis celebrioribus facta noſcuntur. Cùm veniſſet Conſtantiam homo Dei, & vndiquè ſe virtutum eius fama diffunderet,Abbas Augienſis,quod intrà lacum Lemannum antiquum extat & nobile monaſterium, cæcum hominem, quem ſuis eleemoſynis ſuſtẽtabat,miſit ad eum,& confeſtim videtem illum recepit.Heitereſeim dicitur locus,ad eiuſdem diœceſin pertinens ciuitatis, ſed plurimũ à ciuitate remotus. Ibì quoquè, ſicut & cæteris illius prouinciæ,per quæ tranſijt, locis, multis in ſeruo ſuo miraculis glorificatus eſt Deus,vbì etiam cæcus natus,ſub manu eius viſum recepit. Itèm alteri à natiuitate ſurdo & muto,auditus redditus eſt & loquela.In ciuitate etiam Baſilea,cùm ex more ſermonem habuiſſet ad populum, vt impleretur in eo, quod de ſanctis Apoſtolis legitur,qui videlicet profecti,prædicauerunt vbiquè,Domino cooperante, & ſermonẽ confirmante ſequentibus ſignis: oblata eſt ei fœmina muta, & orante eo, locuta eſt: oblatus eſt ei claudus,& ambulauit:oblatus eſt cæcus,& vidit.Apud Spirenſium ciuitatem, præſente Romanorum Rege Conrado, qui Dei hominem ab Eccleſia ad hoſpitium deuotiſſimè deducebat,offerebant puerum claudum, rogãtes, vt ei manum imponere dignaretur.Quem ſignatum protinùs erigens,ſuper pedes ſtatuit,& liberè gradiebatur,in Dei laudem acclamantibus vniuerſis.

*Dõingẽ

Vno die ſanat homines 39.

Venit Conſtantiam.

Alium cæcũ illuminat.

Itèm alium

Itèm ſurdũ & mutum curat.

Mar.16.

Itèm alios debiles.

Venit Spiram.

Itèm claudum.

Itèm in Capella Epiſcopi ciuitatis ipſius,Rege ipſo videte,viſum reddidit cæcę cuidam mulieri,& claudo nato greſſum donauit. Multa quidem & alia in manu eius ibidèm Chriſtùs effecit,ſed ad exemplũ pauca ſufficiant.Nonnullos enim pauperculos, etiam pueros,Rex ipſe deuotus ſuis illi manibus offerẽs,de multorum curatione meruit gratulari. Necnon apud prædictam Spirẽſium vrbem,ſed & apud Franckenfurt, Moguntinæ diœceſis locum, innumeris virtutibus idem Dei ſeruus effulſit. De tota ſiquidem regione quotquot patiebãtur,afferebant ad eum:& tantus erat concurſus, vt prædictus Rex,cùm aliquandò populum comprimentem coërcere non poſſet,depoſita chlamyde, virum ſanctum in proprias vlnas ſuſcipiens, de baſilica abſportârit. Inter plurimos ſanè, qui ibidèm adepti ſunt ſanitatẽ, ſenex quidam paralyticus de vicinia illa, homo notus & honoratus, multis ſuorum precibus & non ſine multo labore introductus eſt ad hominẽ Dei.A quo poſt breuiſſimam, vt ſolebat, orationem erectus protinùs, non modò incolumis, ſed & fortis apparuit: vt poſſes credere,ſi videres,non tam alteratum hominẽ eſſe,quàm alterum.Iamq; eo viriliter procedente,

Venit Francofurtũ, & innumeris claret miraculis.

parabant

parabant alij tollere lectum eius, in quo ſubuectus erat, cùm reuocans eum vnus ex circunſtantibus, Hugo Tullenſis eccleſiæ Archidiaconus, Euãgelici illius memor paralytici,Non ſic,ait,nõ ſic vacuus reuertéris: tolle grabatum tuum,& ambula. Et imponens in humeros eius,dimiſit eum liberè procedentem. Sed & omnis plebs,vt vidit,dedit laudem Deo.Ibidèm etiam ſurdus puer & mutus ex vtero matris ſuæ,ſubleuatus per ſcalam,& in feneſtra accedens ad virum Dei, ſub manu eius auditum recepit pariter & loquelam.Sed & quædam paralytica mulier de regione eádem, diues & honorata,ibidèm recepit amiſſam ex multo tẽpore ſoſpitatem. Dumq; exiliens ambularet, omnes quidem lætati ſunt, qui videbant: ſed præ cæteris exultauêre milites, qui attulerãt & obtulerant eam. Nam & ipſius ſibi particeps eſſe virtutis religioſa deuotio videbatur.Per idem tempus tranſeunte ſancto viro prope vicum,in litore Rheni poſitum, quem Bobardum vocant, & varios per vniuerſam prouinciam curante languores,oblatus eſt paralyticus in grabato. Audita ſiquidem fama virtutũ à prædicto viro, in occurſum eius ſe fecerat apportari. Cui in medio populi manus imponens,erexit hominem,incolumemque remiſit ad propria.

Iohan.5.

Curatur ſurdus & mutus.

Sanatur paralytica.

Itèm paralyticus.

Eodem anno ingredienti vrbem Treuirenſium Chriſti ſeruo,ex more obuiàm ruit populus vniuerſus. Offerunt autem ei ſorores duas,quæ ab annis quatuor lumẽ amiſerant oculorum. Quarum ille vtriq; imponens ſignum Crucis, viſum reddidit lucis: & videntes virum Dei,cum cæteris ſequebantur. In eiuſdem baſilica ciuitatis,cùm ad altare beati Petri vir Apoſtolicæ gratiæ immortalem hoſtiam immolâſſet, oblatus eſt ei claudus,& ambulauit:oblatus eſt cęcus,& vidit:oblata eſt ſurda mulier,& audiuit. Hæc in ſomnis admonitam ſe eſſe dicebat, vt Dei hominem peteret, cuius beneficio receptura eſſet auditum. Apud Confluentiam, Treuirenſis diœceſis nobile caſtrum, Moſellam fluuium,qui ibidèm in Rhenum labitur,Dei famulus pertranſibat. Cumq; paululùm proceſſiſſet, oblatum ſibi & ſignatum hominem claudum, deponi iuſſit & ambulare:ſed non fuit,qui obediret.Nec mora: claudus idem retractum priùs femoris neruum clamat ſpontè laxari,& dum neſcit, extẽditur velut ab altero genu ſuum: quod,quanlibèt antè conatus,nullo modo potuiſſet. Mirantur omnes: probatur ſub omni velocitate, quod dicitur: deponitur ilicò, ilicò graditur, ilicò ſanus & incolumis innoteſcit.

Treuirenſes honorificè cum excipiunt.

Claudus eiº iuſſu ambulat.

Non eſt nobis Colonia tranſeunda. Magna eſt ciuitas: magna illic Dei famulo virtus adfuit:magna illum deuotio coluit populorum. Oſtenditur vſq; hodiè in clauſtro beati Petri,ſicut à perſonis veridicis nupèr accepimus, adoleſcẽs olim claudus, nunc liberè gradiens:qui oblatus viro Dei, ad impoſitionem manûs eius, greſſum recepit. Vndè etiam filius eius publicè cognominatur.Abbas Henricus de Suedia,cuius ſuprà fecimus mentionẽ, nupèr retulit nobis,fœminã nobilem, germani ſui olìm vxorem, cùm poſt obitũ viri ſui præ dolore phreneſim incurriſſet, & multo tempore ſic ſe habẽs,in vinculis teneretur,eidem patri ſancto in ciuitate præfata oblatã,& vix tenuiter turba circunſtrepente ſignatam, dum ex more ligata reuehitur, mentem priſtinam atq; integram recepiſſe ſalutem. In eadem etiam ciuitate filiam ſurdam eidem patri ſancto parentes nobiles obtulerunt.Hanc aiebant à pueritia traditam ſanctimonialium monaſterio fœminarum, ibidèm prorsùs amiſiſſe auditum, & annos plurimos in eodem incommodo peregiſſe. Cuius aures, ſigno Crucis edito, pater ſanctus attrectans,protinùs & auditum ei,& parentibus reddidit audientem.Accedens inter hæc mulier honorata, Colonienſis itidèm ciuis, quæ alterius oculi lumen amiſerat,plurima iam per quinquenniũ inutiliter ſeſe in medicos expẽdiſſe dicebat. Et ipſam quoq; continuò per ſignum Crucis illuminans vir beatus, quod gratìs acceperat, gratis dedit. Sed & matronam alterã, in beati Petri baſilica oblatã in lectulo,idem Chriſti ſeruus erexit protinùs, & incolumem ſuis pedibus abire præcepit. Huius ex multo iam tempore nerui fœmorum fuerant ſic retracti,vt nec erigi vllatenùs poſſet,nec cõſiſtere pedibus ſuis. Nam ex perſonis alijs perhibebãt,qui ſtudioſiùs obſeruârunt,ad eiuſdem ſancti viri orationem & manûs impoſitionem in ciuitate prædicta infra triduum, quod ibì fecit, duodecim claudos erectos,mancos duos ſanatos,& quinque cæcos illuminatos,loquelam redditam mutis tribus,& decem ſurdis auditum.

Et ſurdam puellam.

Itèm cæcã.

Et contrariam.

Atque alios multos.

Aquiſgrani ſede regia,dum in illa famoſiſſima toto Romanorum Orbe Capella vir beatus Miſſãrum ſolẽnia celebraret, claudo homini greſſum, & cæcis quatuor viſum ſub manu eiuſdem ſerui ſui Rex regum ſummus, & vnicus Dominus dominantiũ reparauit, & potenti virtute reſtituit. Eodem etiam tempore intrà Leodienſium fines,

Venit Aquiſgranum.

Multi debiles Aquisgrani & Ledoij curantur.

præter innumera alia,quæ breuitatis ſtudio præterímus,iuxta oppidum,quod Fontanas vocant,orante eo,aperuit Dominus oculos cæci nati. Huius non modò oculi cęci,ſed ipſæ etiã palpebræ clauſæ & emortuæ erant. Quas ſacratiſſimis digitis ſuis aperiens vir beatus,diuino munere & vigorem palpebris,& pupillis præſtitit claritatem. Confeſtim deniquè idem puer lucem miratus ignotã, maxima cum exultatione clamabat:Video diem,video homines, video capillatos: plaudens quoquè manibus & tripudians: Deus,inquit,ex hoc iam non offendam ad lapides pedes meos.

Cameraci curat ſurdũ & mutum.

In vrbe etiam Cameraco celebranti Miſſarum ſolennia viro Dei, ſurdũ & mutum à natiuitate puerum offerebant.Quem audientem & loquentem qui propiùs aderãt, ſupra gradum ligneum ſtatuêre, vt de loco eminentiori nouo ſermone populum ſalutaret. Nec mirum, quòd mira plebis deuotio, mira protinùs vociferatio ſit ſecuta. Et hæc quidem ſuper his,quę in regno Germanię in manu ſerui ſui mirabiliter operatus eſt Deus,è pluribus pauca ſufficiant. Nam & in Hiſpanijs, vbì præſens ipſe nõ fuit, ſanctitatis eius indicia claruerunt. Cùm enim fidelis ſeruus & prudens, precioſum Crucis Dominicæ fructum vndiquè colligeret,iterumque propagaret vbiquè: contigit vt de filijs ſuis in Hiſpanias mitteret,in illis quoquè,ſicut & in cæteris gentibus,aliquem habere fructum deſiderans. De quorum numero Albertus quidam faber in loco,cui nomen Superadum,grauiſſima valetudine occupatus, per multum iam tempus iacebat paralyticus in grabato. Interim per Abbatẽ ſuum incommodum ſuum nunciat patri ſancto,& vt ſibi miſereatur,exorat.Eadem autem die,qua vir beatus in Claraualle pro eodem paralytico ad petitionem ſui illius Abbatis orauit, currente velociter verbo virtutis, & virtute orationis, ille in Hiſpanijs repentè conualuit,tanquàm vas plenum aqua ſuo ſentiens capiti ſuperfundi.Regreſſus ſiquidẽ Abbas, cùm prædictum fratrem incolumem reperiſſet, diligenter ſciſcitatus ab eo & modum & tempus ſuæ liberationis, certiſſimè comperit, orante in Gallijs Dei famulo, illum in Hiſpanijs eſſe curatum.

Claret ſanctitatis eius nomen in Hiſpanijs.

Precib⁹ abſentẽ reſtituit paralyticum.

Et quia ſemèl ad Hiſpanias vertimus ſtylum, illud quod contigit de viro reuerendiſſimo Petro Aſturienſi Epiſcopo,proſequamur. Is quidẽ Petrus nobilis genere,monachus profeſſione,pietate deuotus,in cœnobio quodam, quod eo tempore ipſe regebat,tam vehementi dolore capitis laborabat, vt nulla die regulam obſeruare ieiunij,nulla hora ſine pellicijs poſſet aut pileis ſtare. Sic miſerabilis homo aliquandiù victitabat,vel magìs diù moriebatur. Audiens autem celeberrimam virtutum famam, quæ per Dei hominem efficiebantur,per quendam fratrem legationẽ mittit ſuæ ſupplicationis,& opem flagitat eius interceſſionis. Cui vir ſanctus lancũ,quo ipſe vtebatur,pileum miſit, & promiſit ægro capiti de Domini virtute remedium. Suſcepit ille miſſam ſibi benedictionem maxima cum reuerentia & deuotione. Confitens enim quàm ſolicitè potuit delicta ſua, & ſtola ſeſe induens ſacerdotali, ità demùm velut Chriſti fimbriam tangẽs,ſerui Chriſti pileum ſumpſit,& impoſuit capiti ſuo. Nec tardauit fidei fructus,& benedictionis effectus: ſed miratus & ipſe eſt,celerem protinùs ſentiens medicinam: & extunc vſq; hodiè ab eiuſmodi languore ſanus & incolumis, annunciat omnibus, quam experiri meruit ipſe, virtutem. Nam & Epiſcopus factus, xenia illa diuiſit,partem mediam ſuis ſecum in ſcrinijs honorificẽtiſſimè ferẽs, mediam in monaſterio ſub eadem veneratione deponens, nec locum ſcilicet, vndè vocatus: nec ſedem,cui prælatus eſt,volens tanta benedictione fraudari.

Pileo ſuo ſanat acerrimos capitis dolores.

Ex hoc nobis ad ea quoquè, quæ mirabiliter egit in regione propria, redeundum. Nam in eo fortè etiam plus, quàm propheta, dici poſſe videtur, quòd propheticus ei non defuerit honor in patria ſua.Henricus quidam,vir magnus & potens in domo & familia Ducis Bauarorum, ex multo iam tempore, miſero penitùs & miſerabili quodam incommodo deſperabiliter laborabat. Siquidem tãquàm viuum aliquid & mortabile intrà præcordia ſentiens,& ex magna parte phreneticus, nec cõſolari poterat, aut ſecurus eſſe:nec quid timeret aut pateretur,agnoſcere,nisì quòd dęmonium eſſe ſuſpicabatur.Talis ad Dei hominem de Bauaria Clarauallẽ vſque perductus, eius oratione perfectam meruit ſoſpitatẽ. Cui etiam formam vitæ & mandata, quæ deincèps obſeruaret,idem ſanctus imponens,incolumem remiſit ad propria. Nam & vſque in preſentem diem,ſicut certa relatione didicimus,tam obediens perſeuérat,vt nõ modò ſuis contentus ſit ſtipendijs,ſed operibus etiam pietatis intentus: ità vt mirabilior eius morum conuerſio, quàm curatio, videatur. Muſſeium dicitur villa ſuper Sequanam fluuium, paucis à Claraualle milliaribus diſtans. Ex hac virum hydropicum ad

Medetur cuiuſdam magni viri gratiſſimo incommodo.

Dei

Dei hominem adduxerunt. Cui manus imponens & orans, proprio quoquè cingulo ſuo tumentem enormiter vterum eius accinxit,præcipiens, vt incolumitate recepta, priſtinum ſibi cingulũ reportaret. Nec tardauit ſanitas,ſed paulatìm tumor abſceſſit. Deniquè circa viceſimũ diem gracilis incolumisque reuerſus,cingulum ſimul & gratias multas ſuo retulit curatori. Exeunti aliquãdò alio tempore monaſterij clauſtra, ſenem paralyticũ ex proximo viculo, qui Mundiuilla dicitur, obtulerunt. Subſiſtens autem modicè,& breuiter orans, tetigit hominem, & incolumem ſuis pedibus abire præcepit. Quo abeunte, populus multus, qui in occurſum viri Dei confluxerat, non ſine lachrymis Dominum collaudabat. Itèm redeunti aliquandò de via, pro foribus monaſterij oblatus eſt ei ſurdus & mutus. Expuens igitur,tetigit linguam eius,& digitos immiſit in aures eius. Protinùs autem aurium eius obſtacula facta ſunt de medio, & ſolutum eſt vinculũm oris eius. Maliuilla dicitur vicus,tribus circiter milliaribus à monaſterio diſtans. Hunc quandoquè pertranſiens vir beatus, mancam puellam tetigit & curauit, quam nũc vſq; ſuperſtitem & incolumem eſſe nupèr percepimus.Per idem tempus in finibus illis apud caſtrum,quod nominant Burdemontem,duo milites de beati patris virtutibus conferebant: ſed minùs credulus alter, Si hunc, inquit, puerum ſanauerit,extunc firmiùs credam. Dicebat autem ſurdum quendam & mutum,qui apud eos nutritus,nec locutus fuiſſet aliquandò, nec audîſſet. Poſt dies paucos, tranſeunte propiùs patre ſancto, ambo pariter puerum tollunt & offerunt ei. Impoſita igitur manu puero,& ſignãs os illius & aures, allocutus eſt eum, & loquentem protinùs audientemque dimiſit. Apud Riſnelmum oppidum regionis eiuſdem, vſque modò cernere eſt adoleſcentem, Simonem nomine, ſatìs notum, qui præfato Dei famulo oblatus eſt,& ſub manu eius greſſum recepit.Eodem etiã tempore prope viculum,cui nomẽ eſt Malenuilla,puella manca ad eius tactum ſanata eſt: & vt nobis teſtati ſunt,qui viderunt & nouerunt,etiam hęc incolumis vſque hodiè perſeuérat.

Itèm ſurdi & muti.

Manca puella fit incolumis.

Itèm ſurdus & mutus puer.

Itèm claudus & puella manca.

Barrum ſuper Albam dicitur oppidum,tribus,vt aiunt,leucis diſtans à monaſterio Claræuallis. Ibì quoquè ſæpiùs per hunc hominem Dei,diuinæ virtutis opera claruërunt. Siquidẽ præter ea,quæ minùs diligenter curauimus inueſtigare,eò quòd omnis noſtra curioſitas ſignorum multitudine vinceretur, quatuor illic claudos, ad ipſius orationem & manûs impoſitionem,diuerſis temporibus Chriſtus erexit,cæcos duos illuminauit, duobus æquè ſurdis & mutis auditum præſtitit & loquelam. Sed iuxta alterum Barrum ſuper Sequanam, ad eius tactum illuminatus eſt cæcus, conualuit etiam paralyticus,greſſum recepit puer claudus ex vtero matris ſuæ.

Multi ægri & hoc loco curantur.

Cùm reuerendiſſimus Papa noſter Eugenius tertius ex monacho Clarauallenſi, & Abbate ſancti Anaſtaſij in vrbe Romana, ad Apoſtolicam aſſumptus cathedram, Gallias intrâſſet, ibat cum eo vir ſanctus: nec minùs Apoſtolica virtus in illo, quàm dignitas in illo præeminebat. Tantus enim ad beatum virum erat concurſus incommodis varijs laborantium, vt cùm aliquandò ſummus Põtifex baſilicam,vbì ille Miſſarum ſolennia celebrabat, deuotus intrâſſet, expleto ſacrificio, & ex more accedentibus eis, qui curam deſiderabant, paulominùs idem Papa comprimeretur à turbis, & vix potuerit per miniſtrorum manus educi. E plurimis ſanè, quæ in eiuſdem Apoſtolici viri facta ſunt comitatu, duo ſcribimus, quæ nos obliuiſci ipſa, quam vidimus, magnitudo lætitiæ non permittit. Chaleta dicitur vicus, inter Prouignum caſtrum & Sequanam fluuium conſtitutus,vbì puer fermè decennis ab anno priore paralyticus ſic iacebat, vt nec ipſum caput flecteret, nisì ab altero moueretur. Quem afferentes in culcitra mater eius cæterique propinqui, offerebant viro ſancto, prope eundem locum per ſtratam publicam tranſeunti. At ille ſanatum erigens, ſtatuit ſupra pedes ſuos, & ire præcepit. Nec mora:exilijt puer, & ambulabat, magnificans Deum. Qui tandiù ſanctum proſecutus eſt abeuntem, donèc ille, inuitum licèt & renitentem, redire præcepit. Vbì non immeritò quidem magna admodùm facta eſt admiratio, magna exultatio omnium, qui videbant: ſed præ cæteris frater iunior in ipſius,tanquàm rediuiui, oſcula ruens,multos eorum ad lachrymas vſque permouit. Hunc quidem puerũ & poſt annos quatuor in eodem vico vidimus,quem beato viro mater offerens, ſacros monebat oſculari pedes: Hic eſt,inquiens, pater tuus, qui tibi vitam reddidit, & te mihi. Eodem anno apud Ciſtertium iuxta morem Abbatibus congregatis,prędictus Papa venerabilis adfuit, non tam Apoſtolica authoritate præſidens, quam fraterna charitate reſidens inter eos, quasì vnus ex eis. Vbì cùm ad cellulam,in qua iacebat, facto veſpere & conuentu ſoluto, Dei famulus diuertiſſet, ſur-

Vide mirabilem morbidorũ concurſum ad virum Dei.

Puer decẽnis paralyticus ſanatur.

Eugenij Pontificis inſignis modeſtia.

dum ei puerum obtulerunt. Erat autem puer ille de vicinia eádem, & ſicut poſteà didicimus, ex longo antè tempore vigilans in cuſtodia gregis ſui, ſubito terrore percuſſus, amiſerat prorsùs auditum. Orans itaq; pater ſanctus, & puero manus imponens, vtrùm audiat, ſciſcitatur. At ille mira deuotione proclamans, Audio, domine, audio: tam firmiter amplexatus eſt eum, vt vix ab eo poſſet auelli. Auditum eſt verbum, oblatus eſt puer ſummo Pontifici alijsque perſonis, celeberrimumque hoc miraculum fuit.

Surdus puer audit.

Venerat pater ſanctus ad monaſterium in diœceſi Biſuntina, cui nomen eſt Charus Locus, & erant cum eo ex Abbatibus ſui Ordinis multi. Vbì matrona quædam de finibus illis, ex multo tempore iam clauda, in carro allata, oblata eſt ei. Orans verò breuiter, & ſignans eam in nomine Domini, erexit & ſanauit, vt eádem hora incolumis remearet ad propria. Eodem tempore in monaſterio Morimundo, quæ eſt Ciſtertienſis Ordinis Abbatia vna de primis, monachus quidam iacebat vſque adeò paralyſi diſſolutus, vt reliquis omnibus membris officio proprio deſtitutis, in ſolo vigere videretur capite ſenſus, in ſolo deincèps pectore vitalis ſpiritus palpitare. Non manum mouere, non pedem: tantùm loqui poterat, & videre. Intereà ſuperueniens vir beatus, paralyticum viſitat, manum poſtulatus imponit, & continuò opem ſentit ægrotus. Vt tamen gratius eſſet miraculum, velut gradatim per aliquot dies ad ſingulas eius viſitationes magìs ac magìs conualeſcens, iam mouebat manus, priùs alteram manum, poſteà alteram recuperans: iam pedibus conſiſtebat, iam paulatim gradiebatur, donèc fratrum collegio redderetur incolumis. Sicque exindè profectus Abbas ſanctus, palliolo ſuo operuit poſtulantem, & ſub eo in breui obtinuit etiam reliqui corporis ſoſpitatem.

Matrona quędā clauda erigitur.

Monachus paralyticus ſanatur.

In monaſterio Albæripæ monachus quidam adoleſcens vſum vocis amiſerat, vt nec pſallere inter fratres, necà quoquam, niſì multùm proximo ſibi, intelligi poſſet, quid loqueretur. Cui vir ſanctus, dum idem monaſterium viſitaret, aquam frigidam benedicens, potum dedit, & continuò frigidus ex pectore eius ſudor erupit. Denique ipſa die ab eodem incommodo liberatus, pſallere cœpit quasì vnus de cæteris fratribus: & hoc illi beneficium vſque hodiè perſeuérat.

Reſtituit vocem adoleſcenti.

Nôrunt multi deuotum iuuenem, qui Lugdunenſis olìm eccleſiæ filius, modò monachus Ciſtertienſis, patrui ſui ſancti Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani, cuius & nomen meruit, mores imitatur. Huius conuerſione vir ſanctus audita, gauiſus eſt, quia patruo eius ſingulari fuerat charitate deuinctus, & cõſolatorias illi literas miſit. Contigit autem, vt eodem tempore idem iuuenis febre correptus, grauiter laboraret. Suſceptam igitur debita veneratione epiſtolam, fideli deuotione collo ſuo ob remedium ſalutis appendit, & vſque modò gratulatur perfectam ſe protinus obtinuiſſe ſoſpitatem. Cùm veniſſet aliquandò pater ſanctus ad monaſterium Trium Fontium, oblatus eſt ei clericus quidam ex his, qui Regulares nominantur, homo grandæuus & cæcus. Impoſuit ei manum, & breuem ex more fecit orationem, & eádem hora videntem illum remiſit ad eccleſiam ſuam.

Epiſtola ei⁹ collo appẽſa, pellit febrem.

Cæcus videt.

In Trecenſium vrbe multa per hunc Dei famulum miracula claruerunt. Equibus duo, quæ præſentibus Epiſcopis, Godefrido Lingonenſi & Henrico Trecenſi facta ſunt, memoramus. Puellam curuam in prędicti Trecenſis Epiſcopi domo, propinqui & noti cum multis ei precibus offerebant. Tantus verò concurſus erat, vt cùm eam ſignatam Dei famulus, acsì molle lutum inter ſacras manus mirabiliter formans erexiſſet, & erectam incedere præcepiſſet, locus non potuerit inueniri. Demùm ſupra menſam magnam, quæ propè poſita erat, ſtatuerũt illam, & erecta liberè gradiebatur, magnificè Dominum collaudantibus vniuerſis. Hanc quoquè adhuc ſuperſtitem ab his, qui eam nouêre, nupèr audiuimus. In eádem vrbe filiam mutam patri ſancto obtulit mater, cui morbus epilepſiæ loquendi ademerat facultatem. Nec mora: ſeruo Chriſti imponente ei manum, ſolutum eſt vinculum oris eius, & loquebatur rectè. In eiuſdem vrbis diœceſi loco, cui nomen Domnamant, cùm vir ſanctus Miſſarum ſolennia celebrâſſet, cæcum illi filium obtulit pater. Expuens autem in digitos ſuos, & palpebras eius liniens, eádem hora videntem illum reddidit patri ſuo. Nec longè ab eodem vico apud oppidum Argillerias, poſt Miſſarum ſimiliter celebrationem, fœminam claudam, quæ in præbenda Odonis, eiuſdem caſtri domini, mendica viuebat, cùm baſilicam egrederetur, ſignans & ſanans, populum multum, qui vndiquè fuerat congregatus, admiratione & exultatione repleuit.

Puella curua erigitur.

Mutæ vox reformatur

Cæco lumẽ redditur.

Clauda ambulat.

In

In exitu quoquè oppidi, quod Roſnaium vocant, paralyticum hominem ſic extenuatum corpore, vt ſolam circũferre pallidę mortis imaginem videretur, impoſitum plauſtro tranſeunti offerunt viro Dei. Is quoquè, vbì ſignatus eſt, deponi & incedere iuſſus, plauſtrũ ſuũ ſuis pedibus incolumis ſequebatur, vehementer ſtupentibus & in Dei laudẽ acclamãtibus vniuerſis. Alio tempore proximum caſtrum Brenam tranſiens, obuium habuit populum multum, ſicut vbiq; ſemper & vndiquè in ipſius occurſum confluebat innumera multitudo. vbì, cernentibus cunctis, fœminam claudam ex eodem oppido tetigit & erexit: quam & ibidèm poſteà vidimus occurrentem cum cæteris, & præ cæteris gratias referentem. In pago Senonico apud caſtrum, quod Triangulum vocant, intrà Miſſarum ſacra ſolennia, fœmina, cuius ibidèm per annos decem cæcitas omnibus innotuerat, ſub manu viri Dei, mirantibus omnibus, viſum recepit.

Item paralyticus.

Clauda item.

Cæca videt.

Apud Monaſteriolum quoquè, vbì Iona & Sequana confluunt, præſente pijſſimo principe Comite Theobaldo, cuius ſuprà fecimus mentionem, alijsque adſtantibus non paucis potẽtibus viris, offerenti diuina ſacrificia viro Dei, paralyticam fœminam obtulerunt. Quam, expletis ſolennijs, tangens & erigens, ipſa hora ſanam remiſit ad propria: ità vt ſuis pedibus illa abeunte, grabatum, in quo fuerat apportata, in eádem baſilica vacuum remanſiſſe viderimus. Eiuſdem quoquè Diœceſis caſtrum Iouiniacum tranſeunti eidem famulo Chriſti, in ſtrata publica fœminam cæcam offerebãt. Subſtitit, & breuiter orans, eidem fœminæ manus impoſuit, & Dominus aperuit oculos eius. Vt autem videre viſa eſt, exultatio magna ſecuta eſt omnium, qui aderant: & clamantes alter ad alterum, Anna videt, Anna videt, (Hoc enim eidem fœminæ nomen erat) copioſiùs confluebant. Intereà vir ſanctus accelerans, declinabat turbas, & egrediebatur, cùm iuuenis quidam, altero oculo cæcus ab vtero matris ſuæ, ſecutus & conſecutus eſt eum. Qui quidem continuò & ipſe ad eius benedictionẽ viſum recepit, & geminata eſt lætitia populi proſequentis.

Paralytica ſanatur.

Item cæca.

Et cæcus.

Antiſiodorum aliquandò veniens vir beatus, orationis cauſa monachorum baſilicam introiuit, vbì Confeſſor Domini glorioſus Germanus Epiſcopus requieſcit. Cui poſt orationem regredienti mulier clauda, genibus repens & manibus, vt ſuì miſereretur, ſupplicabat. At ille ſigno Crucis edito, appræhendit manũ eius, & erexit eam: exiensq; dimiſit incolumem, & Deo gratias reddituram, ad prædicti confeſſoris memoriam miſit, ſuis pedibus gradientem.

Clauda erigitur.

Chableia nomen eſt vico, qui eidem proximus ciuitati, inſignem beati Martini baſilicam habet. Nam & fundus ipſe ad poſſeſſionem ſpectat Eccleſiæ Turonenſis, vbì corpus iacet eiuſdem glorioſiſſimi Confeſſoris. Hunc verò vicum Dei famulo tranſeunti, claudum adoleſcentem populus offerebat. Quem ad eius orationem erectum protinùs & liberè gradientem, ad prædictam beati Martini baſilicam deduxerunt, magnificè Dominum collaudantes, qui Martini ſui ſpiritum ſuſcitauerat in Bernardo.

Item claudus.

CAP. V.

NOnnullas etiam ſanitates, quas per manus fidelis ſerui ſui mirabiliter Chriſtus effecit, per viſum ei mirabiliùs præoſtendit: multas ipſe, cùm fierent, animi virtute perſenſit: ad aliquas etiam, ſpiritu ſuggerente, non rogatus acceſſit. E quibus nè videatur in immenſum proceſſiſſe narratio, exempla pauca ſubijcimus: illud etiam eregionè monentes, nè quis fortè tam breuiter ſcribi opera tanta miretur. Siquidem multa ex his in tam breui fieri vidimus, vt tam celeriter ea proloqui nequeamus: & cùm dici ſoleat, nil eſſe facilius dictu: huic tamen Dei famulo per gratiam, quam acceperat, ſigna facere magìs facile videbatur, quàm nobis facta narrare.

Quantam ſignorum gratiam ei Dominus contulerit.

Egredienti aliquandò patre ſancto monaſterium, homo quidam de finibus illis occurrens, ſanandum filium offerebat. Nam intrà monaſterium quidem infirmis imponere manum, difficiliùs acquieſcebat, nè videlicet, ſi concurſus hominum illic fieret, quies cœnobij turbaretur, & diſciplina periret. Erat autem prædictus puer ille fatuus & mẽtis inops, claudus quoquè, & ſurdus, & mutus. Qui eádem hora per ipſius orationem & manûs impoſitionem ab omni ſimul incommodo liberatus, audiebat, & loquebatur, & ambulabat, & ſanæ mentis effectus, à priore penitùs inquietudine & furore ceſſabat. Cumque eundem iam incolumẽ filium pater deuotus ad oratorium beatæ Dei genitricis cum gratiarum actione deduceret, loquebantur mutuò fratres, de tam multiplici vnius incommodo pueri conquirentes. Ad quos pater ſanctus;

Spiritu præuidet quædam sua miracula.

ctus: Flagellum, inquit, Dei erat, & maligni spiritûs dira vexatio. Vidi enim nocte præterita hoc eodem in loco (erat enim iuxta fluuium Albam, vbi sanatus est puer) hîc, inquam, vidi oblatum puerum talem, exeunte ab eo spiritu nequam, omnem recipere protinùs sospitatem vsumque membrorum. Addidit etiam vir beatus, de eâdē scilicet visione: Cumque paululùm processissem in eodem itinere, quo nunc pergimus, iuxta proximum vicum (dicebat autem de eo, quem nominant Longum campum) offerebatur mihi fœmina clauda, & Dominus ei gressus reddebat. Audiêrunt & mirati sunt fratres, futuri magis attoniti expectatione miraculi, quàm recordatione præteriti. Quid enim vnquàm simile mundus audiuit? Ventum est ad locum, inuenta ibi protinùs mulier clauda, expectans Dei hominem transiturum, & à simul transeuntibus iuxta verbum, quod prædixerat, expectata. Oblata igitur ab eis, qui attulerant eam, & sicut prædictum fuerat, signata ab homine Dei, ex Dei munere gressum recepit, & ibat gratias agens.

Mulier claudа recipit gressum.

Item alia.

Anno altero causa extitit, vt vir sanctus Lingonas peteret, inter Episcopum & Clerum ciuitatis illius orta graui admodùm simultate. Vbi cùm prima die inefficaciter laborâsset, & manè facto, abire pararet, dicebat fratribus: Quia vidi per visum noctis, introëunti mihi ecclesiam offerri claudā fœminam, & sanari. Post vnam ferè horam, cùm iterùm Clerici conueniissent, præter spem omnium reformata pace, multis precibus coëgerunt illum beati Mammetis martyris intrare basilicam, & quia fames inualuerat, populum ad eleemosynam exhortari. Vbi inter loquendum, sicut prædixerat, oblata est ei clauda mulier & erecta, mirantibus quidem omnibus, sed eis ampliùs, qui sicut videbant factum, ità se recordabantur audîsse futurum.

Item aliæ restituitur gressus.

In pago Treuirensi antiquum extat cœnobium, quod Rutinense vocatur: vbi celebrante aliquandò Missarum solennia viro Dei, innumerabilis aderat multitudo. Interea Guntranus de Sura, quod est oppidum eidem proxmum monasterio, claudam illuc fecit fœminam afferri. Hæc ex multo iam tempore repens humi, penitùs erigi non valebat: sed scabellula tenens manibus, pedes emortuos post se trahere consueuit. Cùm autem pre multitudine populi ad Dei hominem introduci fœmina non valeret, in basilica media repentè conualuit: & exiliens ambulabat, non sine lachrymis gratias agens Deo. Cuius scabellula populus iubilans tulit protinùs ad altare, vt sisteret ea Domino & Bernardo seruo eius. De cuius nobis curatione confessus est pater sanctus, quòd præcedēti nocte sibi præostensa fuisset. Videbatur enim sibi in eâdē basilica in medio populi circunstantis clandestinus & ignotus eiusmodi fœminā tangere & transire, ac penitùs eam videre sanatam, plurimùm sibi ipse con-

Duo cęci vident, & duę claudæ ambulant.

gratulans & exultans, quòd agnitus non fuisset. Eâdem etiam die rutilauit Rutinæin beati viri præsentia lux cælestis, cuius benedictio alijs quoquè claudis duabus fœminis gressum, visum reddidit cæcis æquè duobus. Sæpissimè verò contigit, vt inter orandum indubitanter Dei seruus agnosceret virtutem adesse diuinam. Cuius tamen modum cognitionis se posse nullis verbis exprimere fatebatur. Nonnũquàm verò, cùm signâsset aliquos & transisset, sanatos esse dixit: & regressus aliquis ex his, qui audiĕrant, sicut dictum erat, inuénit.

Surdus audit.

Egressus aliquandò Basileam vrbem, surdum quendam signauerat & transiĕrat. Cumque paululùm processisset, vocans Alexandrum Colonienſem: Reuertere, ait: quære, vtrùm audiat homo. Redijt, & illum reperit audientem. Similiter ipso die,

Cæco oculus restituitur.

cùm signâsset alium cæcum altero oculo, & abiret: Deus, inquit, aperuit oculum eius. Hoc etiam prædictus Alexander cùm ad inquirendum reflexisset iter, ità esse cognouit. Iste est Alexander, qui in eisdem diebus ad viri Dei sacra monita ostensionemque virtutum, inter alios & cum alijs fermè triginta, seculo valefecit, & secutus est eum. A quo etiam deindè post modicum tempus promotus, Abbas vsque hodiè est ordinatus in monasterio Tolosanæ diœcesis, quod Grandissylua vocatur, cuius suprà fecimus mentionē. In Constantiensi quoquè diœcesi prope castrum Frieburg, cùm homini cæco in via manum imposuisset, remisit qui videret eum: & inuentus est videns.

Item tribus alijs.

Quod duobus alijs cæcis in pago Colonienſi prope monasterium, quod Bruuiler dicitur, similiter fecit: & cùm videre nunciarentur, confessus est se quoquè sensisse virtutem. Vtriusque rei, tam illorum illuminationis, quàm ipsius confessionis, vsque hodiè testis est Abbas de Campo, quod est cœnobium non ignotum parochiæ Colonienſis & Ordinis Cistertienſis. In territorio etiam Senonensi, in oppido, quod

Surdæ redit auditus.

quod sancti Florentini nomine vocant, oblata est viro Dei mulier surda. Cui manus imponens, per spiritum sensit virtutis effectum, cùm illa adhuc stupida & tumultuosa, vt est genus illud, & vt antè solebat, nihil se audire clamaret. Manè autem facto, cùm nec illa rediret, nec alter aliquid indicaret de ea, sciens sanctus diuinam misericordiam adfuisse, accersiri fœminam iubet. Inuenta igitur auditum recepisse, venit glorificans Deum, & Dei famulo gratias agens.

Egrediebatur idem pater Metensium ciuitatem, & ex more deuotus eum populus deducebat cum eorum Episcopo Stephano, & fratre eius Reinaldo Barrēsi Comite, alijsque personis tam ex clericali quàm ex militari ordine multis. Interìm causa extitit, vt rogaret nobilem virum Henricum de Salmis super verbo quodam, quod ipsĕ ei Episcopus & alij, qui conuenerant, suggerebant: vt videlicet Metensi ciuitati & populo pacem daret, cui grauiter inimicabatur. Ille verò renuere penitùs cœpit & abiurare, nec vllis precibus flecti. Inter hæc superuenientes alij, offerebant beato viro hominem surdum, obsecrantes, vt ei manum imponere dignaretur. At ille fidei zelo succensus, sicut interdùm ob causas necessarias terror quidam & authoritas supra hominem in eius facie rutilabat, conuersus ad militem: Tu nos, inquit, audire contemnis, quos continuò coram te audiet surdus. Et imponens manum homini, signauit eum, & in aures eius digitos misit. Quo protinùs audiente, pauens Henricus & tremens, ruit ad pedes hominis Dei, humiliter satisfaciens, & liberè annuens, quicquid fuerat postulatus.

Nobilem quendam miraculo cogit paci studere.

Transiens aliquandò seruus Christi Brenam oppidum, mendicantem in platea vidit fœminam cæcam. Quam aliquantispèr intuitus, cùm ex more à transeuntibus eleemosynam flagitaret: Tu, inquit, petis argentum, & Deus tibi donabit visum. Accedens ergò, tetigit eam, & oculos eius aperuit. Quæ beneficium sentiens insperatum, non minùs misericordiæ magnitudinem, quàm lucem insolitā mirabatur. Inter primas propagines, quas abundantissima vitis emisit, in Rhemorum parochia monasterium Igniacense plātatum, feliciter radicauit. Quod aliquandò visitans idem sanctus, vicum Mātronæ fluuio proximum, quem Riuolium nominant, pertransibat. Vir quoquè magnificus & deuotissimus eius amator Samson Rhemorum Archiepiscopus comitabatur illum, solita veneratione deducens. Senex autem claudus, ad mendicandum positus erat in via, cui vnus ex fratribus eleemosynam dedit. Secutus Abbas sanctus, cùm iam hominem pertransisset, conuertit se, & paulispèr intendens in eum, quid patiatur, interrogat circunstantes, & sibi illum præcipit exhiberi. Suspicati homines, quòd esset ei amplius aliquid ipse daturus, Domine, inquiunt, claudus est, nec moueri potest: nos ad eum feremus, quod voluĕris dare. Quo repetēte verbum, & dicente, Tollite eum, & afferte ad me, primò quidem præ admiratione mutuò sese intuebantur, ignorantes quid esset facturus. Demùm agnoscentes eum, clamabant adinuicèm: Abbas est Claræuallis, & protinùs illum sanabit. Nimirùm solitus erat, quotiès poterat, operam dare, nè in vicis agnosceretur, & interdicere socijs, nè cui ex occurrentibus manifestarent eum, aut de eo aliquid loquerentur: sed quærentibus quis transiret, dicerent monachos esse, aut aliquem de personis simul euntibus nominarent. Igitur agnito Dei famulo, ruunt vndiquè: & leuantes hominem, ferunt & offerunt ei: Qui imponens vtranque manum capiti eius, & in cælum suspiciens, ac breuiter orans, deponi illum iubet & ambulare. Excusante illo, & dicente, Non possum: Ego tibi, ait, in nomine Domini & eius virtute præcipio, Vade, sanus esto iam ab hac hora. Quid plura? Statìm depositus, statìm sanatus est, statìm liberè gradiebatur, repletus stupore & ecstasi in eō, quod contigerat sibi. Sed & vicini eius & noti pariter congratulantes, Dominum collaudabant, qui miserabilis hominis & meritum simul & votum, abundantia suæ pietatis excessit. Vndè etiam vsque hodiè locus ab incolis demonstratur, vbi signum tam euidens diuinæ virtutis effulsit, vbi senex claudus ex multis annis, tota inferioris corporis sui parte præmortuus, & à renibus deorsùm omni prorsùs membrorum destitutus officio, dum stipem postulauit, sanitatem recepit, oranti seruo fideli, & omnipotēte Domino operante. Hic fuit viri sanctissimi nouissimus in Rhemorum partes ingressus: siquidem factum est hoc ante sacram eius depositionem corporis anno vno: de qua felicium eius actuum felicissima consummatione erit nobis iam, sed sub alia narratione, dicendum. Nimìs enim fallitur, si quis arbitratur huius sanctissimi viri facta mirifica posse cuncta narrari: & tam necessè est multa fileri, quàm impossibile omnia compræhendi.

Samson Rhemorū Episcopus.

Ecce vt se cupit celatum.

Claudus repentè fit sanus.

LIBER

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

CVM post tantos & tam multos iam labores ac sudores Dominus dilecto suo Bernardo Clarauallensi Abbati, diù desideratum pretiosæ mortis somnum dare disponeret, & fidelem seruum in requiem introducere suam: cœpit magis ac magis promptus in * ipsum proficere spiritus, & caro infirma deficere. Cognoscens enim vir sanctus propè esse iam brauium, solito currebat alacrius, & terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis vberioribus adspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis. In cuius purissimo pectore sacri sese desiderij flamma non capiens, crebris erumpebat indicijs, & ignitum eloquium vehementer feruoris interni vehementiam declarabat: sicut in sanctis animalibus per prophetam inter cætera describuntur & scintillæ, quasi adspectus æris candentis. Corpus lectulo decubans, varijs exercebatur incommodis: animus tamen nihilominùs liber & potens, quæ Dei erant, exercebat inuictus, non cessans in medijs quoquè doloribus meditari sacrum aliquid, aut dictare, & orare affectuosius, fratres studiosiùs exhortari. In oblatione hostiæ salutaris, quam vsque ad defectum vltimum vix aliquandò intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritûs sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suauitatis. Quo tempore ad auunculum suum Andream militem templi, qui & ipse regionis Hierosolymitanæ columna maxima habebatur, Epistolam scribens, inter cætera ait: Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram. In illis diebus causa extitit, vt fratrum aliquis in remotas Germaniæ partes pro quibusdam mitteretur agendis. Et missus est frater Henricus monachus, quem ante sex annos de Constantiensis diœcesis partibus cum pluribus alijs idem pater sanctus adduxerat. Hic ergò dum mitteretur, longioris itineris pericula timens, (nimirùm hyems erat) illud tamē maximè verebatur, nè contingeret, vt idem pater sanctus, priusquàm ipse rediret, ab hac vita migraret, & absens ipse benedictionis extremæ participio fraudaretur. At ille benedicens ei, & dicens, Ne timeas: & incolumis reuertéris, & me quoquè, sicut desideras, inuenies, consolatum illum emisit. Profectus idem frater, in territorio Argentinensium adstrictum glacie fluuium pertransibat. Tum subitò fracta glacie sub pedibus muli, quo vehebatur, corruit, & sub glaciem vehemēs illum vnda trahebat. Quid faceret mersus flumine, glacie clausus? Recordatus est patris sui, recordatus est promissionis eius, quæ inanis esse non potuit. Continuò siquidem, vt hodiè quoquè fatetur, patrem sanctum sibi visus est habere præsentem: tantaque suauitate perfusus est, vt nec impetum amnis, nec molestiam frigoris, nec spirandi difficultatem, nec vllum denique incommodum sentiret aut metum. Nec mora: contra fluminis impetum sine suo conatu diuina virtute reductus, ad ipsum, per quod antè ceciderat, foramen se reperit, marginem arripit, exit intrepidus, illæsus euadit, expleto negocio redit incolumis, & fideli promissione, sicut ipse promisit, inuenta, multiplices gratias agit, ad sacrum cuius tumulum tam deuotus hodieq; persistit, quàm certus est eius sese meritis, velut de tumulo, & quidem satis horribili, reuocatum. Sed non est nobis super hoc declamandum. Alij antiqua miracula conferant: nec minùs hunc mirabiliter, quàm beati Benedicti puerum Placidum, nec minori afferent à periculo liberatum: qui etiam, si viderent, quem adstrictus glacie, reddidit fluuius, ei compararent, quem euomuit cetus: nobis sufficit breuis & pura narratio.

Ezech. 1.

Corpore lāguente, spiritus robustus fortiter diuina exercet.

Nota rem memorabilem de absente viro beato.

Ionæ 2.

Intereà dum adhuc pater sanctus in suo Clarauallēsi cœnobio, licèt lectulo decubans, cursum vitæ viriliter consummaret, grauis admodùm plaga Metensi populo superuénit. Egressi enim in multitudine graui aduersùs vicinos principes, à quibus præter morem lacessitam se esse tāta ciuitas indignabatur, traditi sunt multi in manus pauciſſimorum. Concluſi deniquè inter Frigidi Montis (ſic enim eum appellant) & Mosellæ amnis anguſtias, ac mutuo ſeſe impetu collidētes, vna hora, ſicut dicebatur, plùs quàm duo millia corruerunt, quidam gladijs trucidati, plures amne ſubmerſi. Vehementi ergò indignatione concepta, nobilis illa ciuitas totis ad vltionem viribus parabatur, cùm eregionè aduerſarios quoquè & fortiores præda copioſa, & audaciores feciſſet euentus. Imminebat totius prouinciæ certa vaſtatio, cùm venerabilis eorum

eorum metropolitanus * Hillius Archiepiscopus Treuirensis, dignam gerens suorum solicitudinem filiorum, vnicum in tanta necessitate petijt refugium, & expetijt virum Dei Bernardum. Veniens ergò Clarauallem, ipsius atque omnium fratrum vestigijs tota humilitate prostratus, rogabat & obsecrabat, vt se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo modum posse ponere videretur. Dominus autem, sicut semper fidelis serui sui direxerat vias, & in præcipuis quibusque causis aptissimo vsus fuerat instrumento, ex paucis antè diebus ęgritudinem corporis eius aliquatenus releuârat. Quibus diebus cùm ad literas venerabilis Hugonis Ostiensis Episcopi rescriberet, ait: Verum est, quod audîstis. Infirmatus sum vsque ad mortem: sed interìm, vt sentio, ad mortem reuocatus, atque hoc, vt me sentio, non diù. Vitam quippè mortalem, mortem magis, quàm vitam reputans, non à morte, sed ad mortem reuocatum se sentiebat, cùm ab exitu reuocaretur, licèt præsentiens non diutiùs differendum. Et hoc quidem sæpiùs erga eum prouidentia diuina disposuit, in cuius manu placita erat anima illius, vt quoties eum grandis aliqua necessitas euocaret, vincenti omnia animo vires corporis non deessent, mirantibus, qui videbant, eum & robustos homines in tolerantia superare. Expletis nanque negocijs, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, vt vix viueret feriatus, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in opere nouissimo tam manifestè tamque magnificè diuina adfuit virtus, vt ex laboribus vires capere videretur. Accidit autem, cùm in prædicti Mosellæ fluuij litore residentibus hincindè partibus, fidelis mediator rogaret, quæ ad pacem erant, vt pars altera nimis ægrè ferret, quòd exigebatur: ex tanta siquidem hostium strage ferocior, & humiliari, vt erat necesse, non sustinens: subitò deniquè, tanquàm agitati furijs, discesserunt, virum Dei insalutatum, solam verò cæteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sanè ex contemptu aliquo, sed ex metu reuerentiæ eius inîêre fugam. Siquidem verebantur, nè præsentium quanlibèt improbas mentes facilè flecteret, minùs considerantes, quid ille per spiritum nusquàm absentem, posset etiam in absentes.

* Illinus

Vide Archiepiscopi exi miā humilitatem.

Mortalem vitam vir Dei mortē nuncupat.

Iam conuentus in magno turbine soluebatur, sola vtrinq; meditabantur arma, sola inibant consilia malignandi: cùm vir sanctus eos, qui secum venerant, consolatus fratres, Nè turbemini, inquit: licèt enim per multas difficultates, omninò tamen pax desiderata proueniet. Quibus etiam, vndè id nôsset, innotuit, dicens: Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare solennem. Cumque expleta paulominùs oratione prima, recordarer Angelicum ex more canticum, id est, Gloria in excelsis Deo, præcedere debuisse, erubui, & quod oblitus omiseram, Canticū inchoans, vobiscum pariter ad finem vsque compleui. Iam medium noctis transierat, cùm vir sanctus de prædictorum pœnitudine principum legatione susceptā, iucundè satis conuersus ad nos: Agnoscite, ait, promissæ vobis canendæ gloriæ & cantici pacis præparationem. Interìm ergò partibus conuocatis, per dies aliquot de pace tractatum est, & ob maximas difficultates occurrentes vtrinquè, sæpiùs desperatum, nisi quòd omnes iam consolabatur, quæ omnibus innotuerat, Abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio. Nec parùm ipsa dilatio profuit, ijs præsertim, qui varijs incommodis laborantes, remedia consequebantur in carne, seu etiam qui videntes ædificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, vt multitudine pariter atque importunitate sua ipsum quoquè negocium reformandæ pacis penè desperabiliter impedirent, donèc quæsita tandèm in medio flumine insula, partis vtriusque primarij in nauiculis accesserunt. Vbì compositis omnibus, secundùm quod fidelis arbiter diffiniuit, datis sibi inuicèm dextris, reconciliati & confœderati sunt in osculo pacis.

Visio sancti viri.

Ecce quantùm vir Dei laborauerit in componenda pace inter discordes.

Inter omnes sanè, quas per manū serui sui ibidèm præstitit Dominus, sanitates, celeberrima fuit cuiusdam mulieris curatio. Hæc ab annis octo pessima ęgritudine laborabat, vehementi tremore & validis motibus vniuersa pariter membra concutiens. Cùm autem videretur, grauioribus ortis difficultatibus, propemodùm excidisse spes pacis, Domino disponente, venit mulier ità tremens, nec minùs horribilis, quàm miserabilis, & omnes pariter ad spectaculum conuenerunt. Orante deniquè Dei famulo, sub oculis omnium paulatìm concussione sedata, perfectam adepta est protinùs sospitatem. Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quosque permouit, vt percutientes pectora sua, per horam ferè dimidiam cum lachrymis acclamarent. Tantus deniquè factus est impetus & concursus procidentium & deosculantium viri Dei sacra vestigia, vt propemodùm comprimeretur, donèc tollentes

Insigni miraculo multorum compunguntur animi, & pax deplorata reformatur.

cum fratres, & imponentes in nauiculam, à terra modicè subduxerunt. Cumque accedentes ad se principes, vt cœperat, pro pace rogaret, suspirantes dixerunt: Oportet nos libenter eum audire, quem, vt ipsi cernimus, Deus diligit & exaudit: & audito eo multa facere, pro quo tanta facit Deus in oculis nostris. Quibus ille, vt semper cautus erat competenter huiusmodi gloriam declinare, Non propter me, inquit, sed propter vos facit.

Simili quoquè miraculo, & in simili opportunitate, ipsa etiam die Metensium animos Dominus inclinauit ad pacem. Ingressus enim sanctus Metensium ciuitatem, Episcopum simul populumque ad ea, quæ pacis erant, vehementer vrgebat. Grauiter autem vrebat eos vulnus acceptum. quibus enim validè satis rependere cogitauerant, secus, quàm vellent, remittere cogebantur. In ipsa hora oblata est ei mulier paralytica in ciuitate eádem. Cui manus imponens, & orans, dignatus est palliolum quoquè proprium, quo vtebatur ipse, super eam extendere, tenendum Episcopo tradere adstanti, & sub eodem velamine debilia tangere membra. Expleta autem oratione, & benedictione data, erexit illam: omnibusque mirantibus, per medium illorum incolumis ibat, quam attulerant in grabato. In flumine quoquè prædicto Mosella dum ob intolerabilem concurrentium multitudinem vir Dei nauicula veheretur, vnus ex his, qui curam desiderabant, cecus clamabat in litore, obsecrans vt duceretur ad eum. Cumque ille iam pertransiret, audiens homo nauigantem post eum haud procùl à litore piscatorem, diffibulatam protinùs chlamydē, qua erat opertus, porrigens illi, rogat vt in nauiculam reciperetur. Factum est: & vt peruenit ad sanctum, iuxta fidei suæ magnitudinem, magna velocitate sub manu eius visu recepto, miratus clamabat se videre colles, videre homines, videre arbores & cætera vniuersa.

Sanat paralyticam mulierem.

Cæco celerrimè reddit visum.

Paucis ab eodem loco milliaribus distat cœnobium, quod sancti Benedicti nomine vocant: vbi puer claudus & à renibus infrà, omni prorsùs membrorum destitutus officio, solis ad mouendum manibus vtebatur & renibus, pedes emortuos simul cum tibijs post se trahens. Quem ex Burgundiæ partibus pater aduectum, ante annos quatuor ibi reliquerat, & extunc fratrum eleemosynis alebatur. Itaque cùm beati viri sanctitatem & virtutes, quas Dominus operabatur in ipso, per omnem prouinciam celebris fama vulgaret, impositum plaustro eundem puerum, prædicti cœnobij fratres adduxerunt ad eum, rogantes, vt solita pietate misero subueniret. Acquieuit, imposuit manus, orauit, & eádem hora sanum reddidit, líberè stantem, líberè gradientem. Deniquè sicut ab eiusdem loci Abbate nupèr accepimus, vsque hodiè fratrum pecora idem puer incolumis sequitur & custodit: & si quis scire desiderat, Iohannes est nomen eius.

Claudus reualescit.

Item alius,

Alter etiam claudus, in eiusdem monasterij vicinia degens, eodem tempore ad prædicti patris sancti benedictionem sanatus est, & gressum recepit. Sed & prope Leucorum vrbem loco, cui nomen est Gunderuilla, idem vir Dei fœminam cæcam illuminauit sub oculis plurimorum, quide tota confluxerant regione. Cæterùm nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia vniuersa complecti: sed neque propositi nostri est, eiusmodi modò prosequi signa, & narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, pater dulcissime, finis beatus, & hic labor vltimus fuit.

Cæca videt

In hoc opere non minùs vtili, quàm difficili, nec minùs desperatæ, quàm necessariæ pacis labores tuos gloriosè compleuit, qui magnificè semper honestauit te in laboribus tuis, & te in suo nomine, & nomen suum in te glorificant, Rex gloriæ Dominus Deus tuus.

CAP. II.

Corripitur vir sanctus graui morbo & suauissimo spiritu tendit ad finem.

VT expleta Metensium reconciliatione, & prouinciæ illi pace reddita, pater sanctus ad monasterium redijt, graui admodùm iamiamque deficientis languore corporis occupatus, in tanta tamen suauitate & dulcedine spiritûs quotidiè propinquabat ad exitum, acsi in portu nauigans, paularim vela deponeret. Euidenter quoque fratribus aiebat: Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cùm præterita hyeme ægrotarem, non vobis esse, quod adhuc timeretis: æstate proxima imminere mihi credite huius corporis dissolutionem. At quàm euidenter proprio didicimus experimento, quod de sanctis Apostolis Euangelia sacra testantur, quòd dum suam eis prædiceret Dominus passionem, erat verbum absconditum, ab eis, & capere non valebant. Nimirùm quod tam vehementer horrebat animus, minùs facilè persuadebatur vt

Luc. 18.

vt crederet: præsertim cùm & ipse compatiens filijs, eiusmodi verba supprimeret. Cæterùm factis quodammodò clamans, Opera consummaui, quæ dedit mihi pater vt facerem, ac magis & magis actus omittere, affectus retrahere, & sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præiactis, vicino iam litori hærere firmiùs, commodiusque applicare. Deniquè cùm venerabilis antistes sedis Lingonicæ Godefridus, de quibusdam eum solicitaret agendis, & minùs apponere animum miraretur: Nè mireris, inquit: ego enim iam non sum de hoc mundo.

Non vult in sua infirmitate apponere animū ad temporalia.

Videns autem pater sanctus, compassionis & misericordiæ visceribus affluens, charissimos sibi fratres & filios miserabiliter admodùm tabescentes & arescentes præ timore & expectatione iamiamque imminentis desolationis grauissimæ & lamentabilis orbitatis, dulcissimis eos consolationibus refouebat: & monens eos in tuto diuinæ clementiæ sinu spei fideique suæ ancoram per inconuulsibilem charitatem firmiùs radicare, se quoquè promittebat nec post mortem eis aliquándò defuturum. Propensiùs autem, quàm noster queat exprimere sermo, rogans obsecransque per multas lachrymas, timorem Dei & sacræ puritatis ac totius perfectionis amorem nostris immittere & imprimere animis conabatur. Sed & monebat, & cum lachrymis obtestabatur, vt si quid fortè virtutis aut exemplo nobis commendâsset, aut verbo, id æmularemur, id firmiter teneremus, & proficeremus in eo: alijs quidem verbis, sed eodem spiritu illud Apostolicum loquens: Rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodùm accepistis à nobis, quomodò vos oporteat ambulare & placere Deo per omnia, sic & ambuletis, vt abundetis magis. Atque vtinàm tam efficaciter persuaserit, quàm affectuosè suasit.

Consolatur & adhortatur vir pijssimus fratres mœrētes.

1. Thes. 2.

Modum autem ægritudinis eius si quis nôsse desiderat, extat Epistola, quam ad amicum quendam paucissimis diebus ante sacram à nobis profectionem suam ipse dictauit. Quam nimirùm huic narrationi nostræ duximus inserēdam, quòd videlicet etsi aliena quoquè de ipso, ampliùs tamen nos ipsius de se verba, delectent. Suscepimus charitatem vestram in charitate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, vbi totum sibi vendicat amaritudo? Nisi quòd solùm nihil comedere, vtcunquè delectabile est. Somnus recessit à me, nè vel beneficio sopiti sensûs dolor vnquàm recedat. Defectus stomachi ferè totum, quod patior, est. Frequenter in die & in nocte exigit confortari modico admodùm qualicunque liquore. nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parùm, quod dignatur admittere, non sine graui molestia sumit: sed timet grauiorem, si sesè vacuum omninò dimiserit. Quòd si plusculum quid interdùm admittere acquiescat, id grauissimum. Pedes & crura tumuerunt, quemadmodùm hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, nè quid lateat amicum, de statu amici solicitum, secundùm interiorem hominem, vt minùs sapiens dico, spiritus promptus est in carne infirmâ. Orate Saluatorem, qui non vult mortem peccatoris, vt tempestiuum iam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, vt is, qui insidiatur, inuenire non possit, vbi figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipse dictaui, sic me habens, vt per notam vobis manum, agnoscatis affectum.

Epistola ei⁹ ad Abbatē Bonquallis Arnoldum, quæ est in eius Epistolis 310.

Hoc exemplar Epistolę, quam, vt nos diximus, & ipsa quoquè eius verba declarant, pater sanctus exitu iam imminente dictauit. Ex cuius tenore posset nimirùm diligens lector sacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere, quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas animi, suauitas spiritûs, quanta sub fiduciæ culmine radix humilitatis. Sed nostrum sub tam graui articulo inconsolabilem luctum aliquatenùs illi æstimare ac sibimet exhibere licebit, pallidasque, si piè sensérit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exangues, genas lachymis sordentes, suspiria quoquè pectorum ac singultus. Quis enim apud nos erat tumultus cogitationum, quod naufragium animorum, cùm thesaurus tam amabilis raperetur à nobis, & præsentibus & cernentibus, quia nec spes esset retinendi, nec facultas aliqua commeandi? Pater erat, sed qualis pater, qui videbatur abire? Nobis quodammodò proprius, veriùs tamen toti mūdo communis. Erat enim omnium & bonorum gloriatio, & malignantium metus: vt de eo non incongruè videretur esse psallendum: Videbunt recti & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum. Quo præsente, sanctitas omnis iucundabatur, præsumptio frenabatur, duritia compungebatur. Quo ptæsente, celebris quisque conuentus velut quodam sole resplenduit: absente, caliginosus & quodammodò mutus apparuit. Quàm deuotè, quàm piè

Ingēs dolor nec tamē immeritò, fratrum ob sancti viri decessum.

Psal. 106.

4.Reg.2. singulis noſtrùm & tunc hodieque clamandum, Pater mi, pater mi: currus Iſraël, & auriga eius. Tu fluctuantium portus, clypeus oppreſſorum, &, vt de ſeipſo beatus Iob loquitur, cæco fuiſti oculus, & pes claudo. Tu perfectionis exemplar, virtutis forma, ſpeculum ſanctitatis. Tu gloria Iſraël, tu lætitia Hieruſalem, tu deliciæ tui ſeculi, & vnicum tui temporis decus, oliua fructifera, vitis abundans, palma florida, cedrus multiplicata, platanus exaltata. Vas electionis, & vas honoris in domo Dei: vas auri ſolidum, ornatum omni lapide precioſo, fide & ſanctitate ſolidum, & varijs chariſmatibus tanquàm gemmis ornatum. Tu Eccleſiæ ſanctæ fortiſſima ſplendidiſſimaq; columna, tu vehemens tuba Dei, tu dulciſſimũ ſancti ſpiritûs organum, pios oblectans, deſides excitans, debiles portans. Cuius medicinalis manus & lingua, morbos vtraq; curabat, illa corporum, iſta morum. Cuius erat ſimplex habitus, ſimplex vultus dulcis facies, gratioſus adſpectus. Cuius denique vita fructuoſa, cuius mors precioſa: quia tibi quoque Chriſtus viuere fuit, & mori lucrum. Quòd ſi nobis alterum fortaſsis vtilius, ſed alterum multo melius tibi. Et quod tibi tam commodum, nobis, ſi piè ſapimus, non poteſt non eſſe iucundum. Cæterùm etsi pium eſt congaudere tibi, pater bone, qui in gaudium Domini tui feliciter introiſti: non tamen impium ſuper noſipſos flere, quos nimirùm, abeunte te, ſolito grauiùs horror geminus circunſepſit, dum nobis eſt vita tædio, mors timori. Etsi pium congaudere tibi, qui beato tranſitu mortis, ad torrentem voluptatis, quem ardenter ſitiebas, acceſſiſti: noſtram tamen vicem dolere non impium, quibus & viuendi omnis pariter eſt ſublata ſuauitas, & moriendi necdùm collata ſecuritas. Etsi pia tibi impenditur gratulatio, felix anima, quæ in plenitudine lucis exultas: non tamen impia ſuper nos aſſumitur lamentatio, qui relicti ſumus: poſt mirificam, in qua hactenùs exultauimus, claritatem, horrere magis tenebras ſubintrantes: poſt aurea, quæ paulò antè vidimus, ſecula, grauiùs ferre hoc planè ferreum, quod ſucceſſit. Sed reflectamus ſtylum ad ordinem narrationis, & paternum, quibus poſſumus, votis exitum proſequamur, exitum nobis lugubrem: nam illi potiùs triumphalem.

S. Bernardi præconium.

Ante patris huius exceſſum accedentes ad eum filij, quos per Euangelium ipſe genuerat, pijſſimum eius animum lachrymabili ſupplicatione pulſabant, & hæc atque huiuſmodi loquebantur: Nunquid non miſereris huic monaſterio pater? Nunquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactâſti vberibus, paterna conſolatione fouiſti? Quomodò ſic exponis labores tuos, quos in loco hoc laborâſti? quomodò tam dilectos hactenùs filios ſic relinquis? Tunc flens ipſe cum flentibus, & columbinos in cælum oculos porrigens, ac mente tota Apoſtolicum illum ſpiritum concipiens, teſtabatur ſe eſſe coarctatum è duobus, & quid eligeret ignorantem, diuinæ totum arbitrio tribuere pietatis. Nam & hinc paterna illum vrgebat charitas, filiorum votis annuere, vt maneret: & indè trahebat Chriſti deſiderium, vt migraret. Cui tamen ab olim iam & altiùs radicata in pectore eius humilitas perſuaſerat, vt ex intimo cordis affectu ſeruum inutilem ſe eſſe diceret, & arborem ſterilem reputaret, ex cuius vita nullus ſibi fructus, nullus alteri cuiquam proueniret. Nam & ſolitus erat in familiari collocutione fateri, vix credere ſe hominibus, quòd ſic eum ſibi vtilem crederent, vt dicebant. Sed nec paruum ſeſe in ſuis ſuper huiuſmodi cogitationibus perhibebat aliquandò ſuſtinuiſſe conflictum, quòd nec tam veraces homines fallere velle, nec tam prudentes falli poſſe veriſimile videretur, cùm alterutrum excuſare non poſſet. Quem enim totus mirabatur orbis, ſolus ipſe, quod erat mirabilius, non videbat, ſuæ videlicet operationis opinionisve ſplendorem: ſicut ille quondàm vir ſimplex & rectus, nec ſolem cùm fulgeret, nec lunam incedentem clarè, vidiſſe ſe memorabat.

Pię fratrum preces & querimoniæ apud virum Dei ad extrema tendentem. Philip.1.

Vide tanti viri humilitatem.

Iob 31.

Nouiſſimè cùm exterioris habitaculi vndiquè iam ſoluta compago, deſideranti animæ liberum præſtaret egreſſum, magnus dies ille illuxit, quo perpetuus illi ortus eſt dies. Ad cuius exitum, vicini Epiſcopi cum Abbatum multitudine copioſa & fratrum fuerant congregati. Hora autem diei penè tertia ſingularis lucerna ſuæ generationis, ſanctus ac verus Abbas Bernardus, à corpore mortis in terram viuentium feliciter, Chriſto duce, migrauit ex filiorum circunſtantium & inter graues ſingultus ac lachrymas vberes vtcunque pſallentium choro, ad multorum, quos ipſe præmiſerat, cœtus tranſiens lætabundos, ad ſanctorum cuneos gratulantes, ad obuia agmina Angelorum. Felix anima, quam ſic leuabant excelſa ſuorum priuilegia meritorum, quam ſic pia filiorum proſequebantur inferiorum vota, ſic quoque ſuperiorum

Felicisimè obdormit in Domino vir beatiſsimus.

rum deſideria ſacra trahebant. Felix ille & verè ſerenus dies, quo plenus ei meridies Chriſtus illuxit, dies cunctis diebus vitæ ſuæ tantis ab eo expectatus deſiderijs, expetitus ſuſpirijs, frequentatus meditationibus, orationibus præmunitus. Felix tranſitus de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brauium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem. De quo etiam tranſitu eius multa nouimus apparuiſſe quammultis, & quidem non indigna relatu: ſed difficile nimis, ſingula inueſtigare: & ſcribere omnia, nimis longum. Nam & vſque modò multifariè multisque modis paternus erga filios amor, verè etiam tunc, immò veriùs nunc viuens & vigens, crebris reuelationibus eorum dignatur ſolari lachrymas, releuare mœſtitiam: vt quo ei dulciùs congaudent, minùs anxiè doleant ſibi. Si qua tamen ex his, nimis prolixam deſiderantia narrationem, lector ſcire deſiderat, proprio magis nouiſſimoque capitulo credimus reſeruanda. Interim cætera proſequentes, quanta poſſumus violentia animos auertamus ab illo tam graui gemitu & rugitu, quo nimirùm grex miſerabilis, paſtore migrante, perſonuit. Parcamus paginæ, & quantùm poſſumus, ſtringamus oculos, palpebras complodamus aduersùs lachrymas illas, quibus in illo ſuæ claritatis abſceſſu vallis noſtra fluebat, Eccleſiæ protinùs vniuerſæ calicem ſui propinatura mœroris, cui hactenùs conſueuerat ſtillare dulcedinem, gaudia fundere, fluere conſolationes.

Crebrò apparet fratribus.

Dum fidelis miniſter & ſacerdos altiſſimi ingreditur in locum tabernaculi admirabilis, ad altare Dei, ſacram ei & acceptabilem hoſtiam ſui ſpiritûs oblaturus, corpus etiam ritè paratum & ornatum ſacerdotalibus veſtimentis, oratorio beatæ Mariæ Dei genitricis infertur. Plurima quoquè nobilium & ignobilium de vicinis quibuſque locis gemebunda protinùs turba conuénit, & vallem totam ploratus & vlulatus multus implebat: amariùs tamen pro foribus monaſterij lamentabatur ſexus miſerabilior mulierum, quòd accedentibus ad eius veſtigia viris, monaſtici Ordinis diſciplina inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingreſſum. Biduo manſit in medio gregis paſtor extinctus, dum priſtina illa gratia dulciſſimi vultus nil minorata, ſed aucta magis, omnium in ſe figeret oculos, animos traheret, ſepeliret affectus. Creſcebat autem ſupra modum ruens vndiquè populi multitudo, & intolerabilis iam fiebat impetus concurrentium, ac deſiderabiles tenentium pedes, oſculantium manus, applicantium panes, balteos, nummos, & alia quæque, ſeruanda ſibi pro benedictione, & varijs neceſſitatibus profutura. Maximè tamen parati in diem tertium, ſolennem per loca proxima præſtolabantur reponendi ſacri corporis eius horam, copioſiùs vndiquè conuenturi. Nam & ſecunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, & tanto pietatis zelo ſtipati, vndiquè ſacrum corpus obſederant, vt nulla penè Epiſcopis reuerentia, nulla fratribus haberetur. Vndè veriti, nè quid ſimile, aut fortè grauius accideret, die tertia præoccupantes horam, & manè diuina ex more ſacrificia conſummantes, ſicut & biduum iam in celebratione Miſſarum & iugi fecerant melodia, puriſſimum illud balſamum vaſculo commiſêre, * ſub lapide reponentes lapidem precioſum, optimam margaritam.

Sacrũ eius corpus oratorio Mariæ virginis inferitur ſepeliendum.

*in

Conſummatis ergò feliciter vitæ ſuæ diebus, & annis circiter ſexagintaquatuor expletis, dilectus Domini Bernardus, Clarauallenſis cœnobij primus Abbas, aliorum quoquè ampliùs quàm centum ſexaginta monaſteriorum pater, tertiodecimo Calendas Septembris, inter filiorum manus obdormiuit in Chriſto: ſepultus eſt autem vndecimo Calendas eiuſdem menſis. Sed & pectori eius ipſo in tumulo capſula ſuperpoſita eſt, in qua beati Thaddæi Apoſtoli reliquiæ continentur, quas eodem anno ab Hieroſolymis ſibi miſſas, ſuo iuſſerat corpori ſuperponi: eo vtiquè fidei & deuotionis intuitu, vt eidem Apoſtolo in die communis reſurrectionis adhæreat. Priùs tamen, quàm ſacratiſſimum illud corpus tumulo redderetur, vnus è fratribus, qui ex multis annis caduco morbo grauiter laborauit, plena fide opem flagitaturus acceſſit. Quem nunc vſque ſuperſtitem nouimus, & nihil vnquàm ex ea hora prædictæ infelicitatis expertum.

Numerus annorũ vitæ eius.

160. monaſteria condidit.

Comitialis frater ſanatur.

Facta ſunt hæc eodem anno, quo beatus Papa noſter Eugenius tertius, eiuſdem patris ſancti in ſancta conuerſatione filius, ab hac luce, vel magis ab hac caligine migrauit ad lucem: cuius merita in ipſa, cui tam inſigniter præfuit, Vrbe miraculis pluribus illuſtrata coruſcant, ſucceſſore eius Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ præſidente: regnan-

Eugenius Papa poſt obitum miraculis coruſcat.

tibus autem in Romanorum Imperio Friderico illustri, in Francorum regno pijssimo rege Ludouico, filio Ludouici: principatum Ecclesiæ vniuersæ, ac totius creaturæ visibilis & inuisibilis monarchiam tenente Dei filio Iesu Christo, anno ab incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimotertio: Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

CAP. III.

IAm de suprà memoratis reuelationibus pauca dicturi, ab eo sumamus initium, quod prædictum est anno septimo, antequàm fieret. Erant duo fratres in monasterio, de sacra beati patris vita & felicibus actibus eius colloquentes: quorum alter ab ineunte adolescentia educatus ibidèm, ad alterum ait: Nôsti, quot annis sit victurus hic beatissimus pater noster? Cui ille: Nescio, inquit. Et alter: Ego, ait, nôui eum sex aut septem annos adhuc in carne victurum. Hoc autem vndè sciret, minimè iam scire possumus: quia nec tunc indicauit, & ante patrem sanctum ipse decessit. Porrò alterius hodieque superstitis relatione hoc verbum nobis innotuit, qui tunc primùm magis miratus est se audîsse, quandò, vt ab olim audierat, ità vidit. Talis verò ille est, de cuius testimonio nec nos ambigimus, nec cuilibet alteri, qui eum nouerit, dubitandum credimus. Neque id solùm, sed quod non minori dignum admiratione videtur, nomen quoquè & personam successoris ipsius, indicante sibi eodem fratre, ex tunc innotuisse testatur. Manifestè enim eádem hora frater ille prædixit, quia dominus Robertus, qui hodiè Abbas est de Dunis, post hunc beatum patrem Abbas futurus est Claræuallis. Nam quòd disiunctiuè sex aut septem annos victurum dicebat, ad hoc pertinuisse videtur, quòd inuentus sit terminus idem vltra sextum annum, intrà septimum tamen.

D. Robert⁹ Abbas Dunensis post S. Bernardū Abbas Clarauallen. factus.

Propè iam erat tempus, & festinabat sanctus pater ad metam. Infirmabatur enim, sicut in huius libelli principio memorauimus, adeò vt in illa iam infirmitate ipsius perfici virtus, iam imminere exitus videretur. Intereà fratres institêre supplicationibus & obsecrationibus, quibus poterant, apud Deum. Vndè etiam sanctus ipse cognoscens, precibus eorum desiderium suum differri, cùm aliquanto meliùs secundùm corpus habere cœpisset, congregatis fratribus, hæc eadem verba locutus est: Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis, & inualuistis. Parcite, quæso, parcite: finite me abire. Priùs tamen, cùm in summo periculo & timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas suas, vni eorum visio talis apparuit: Occurrebat cum multa exultatione viro Dei extra monasterij claustra innumerabilis multitudo. In qua processione solos quatuor præeuntes idē frater, qui videbat, agnouit, magnum illum dilectorem eius atque dilectum, cuius & ipse in libro quarto de consideratione cum laude meminit, Gaufridū Episcopum Carnotensem: Humbertum quoquè, qui Igniacensis cœnobij fuerat primus Abbas, & duos eius germanos, Guidonem scilicet & Gerardum. Exceptus itaque reuerenter, & post osculum amica diù colloquia miscens pater beatus, cum his quatuor stabat, expectante seorsùm multitudine cæterorum. Nouissimè salutantes eum prædicti viri, ex hoc sibi redeundum iam esse dicebant. Tum verò expalluit ille, & cicunfusa sibi mœstitia internum declarans animi dolorem, Quid ergò, ait, sine me vultis abire? Et illi: Non possumus adhuc tuo nostroque satisfacere desiderio, donèc veniat tempus nouorum. Dicebant autem tempus nouorū, quo fruges nouæ colligerentur, sicut euidenter postmodùm probauit euentus, dum in Augusto mense decessit. Manè ergò frater ille, cui hoc ostensum fuerat, consolatus est cæteros, velut iam imminentem patris obitum formidantes, & quod viderat & audierat, indicauit. Adhuc autem hyems erat.

Fratrū precibus dolet se in vita retineri.

Visio fratris cuiusdam.

Eodem tempore altera quoquè visio, prioris confirmatio fuit, nisi quòd euidentiùs iam vtriusque completa veritas probat, quàm euidenter in vtraque, quod futurum erat, Dominus reuelauit. Videbat enim frater quidam, & eccè parabat vir beatissimus ascendere Hierosolymam: iamque ipso in procinctu itineris erat. Ad quem venerabilis Odo, qui à primis ferè annis strenuè satis & laudabiliter conuersatus in monasterio, absentium consueuerat Præpositorum supplere vices, reuerenter accedens, dicebat se præcessurum. Cuius visionis sic ostensa est veritas, vt prędictus vir Deo dignus, ad cælestem Hierusalem, vbi vera visio est pacis, parantem iam egredi, & paulò pòst secuturum patrem sanctum, felici functus legatione, præiret.

Item alterius fratris visio.

Sed & Abbas quidam, satis ei & loco & habitatione vicinus, nec minùs animo & affe-

affectione deuotus, paucis diebus ante felicissimum patris huius excessum, videbat eum pręciosissimis ornatum sacerdotalibus indumentis, & excellenti perfusum gloria, cum ingenti solēnitate ad altare deduci. Ad cuius introitum ecclesia magna, magnis exultans vocibus, exclamabat: Puer natus est nobis. Verè etenim ipse puer erat, mitis & humilis corde, & sicut paruulus accipiens regnum Dei: in cuius meritò gratulabunda natali Angelica multitudo, & omnis pariter sanctorum Ecclesia, dum nobis videretur mori, sibi illum nasci, dum hîc consummaretur, ibi incipere, non tam sonoris vocibus, quàm votis paribus concinens, exultabat. Si enim ad vnius pœnitentiam peccatoris, tota illa cælestis regio in lætitiam suscitatur: quænam illi gaudia exhibuisse credenda est, per quem tanta gaudia receperat de tam multorum conuersione peccatorum? Quis enim valeat æstimare, quantis in seculari habitu & conuersatione manentibus, compluribus vtriusque sexûs ad alias transeuntibus congregationes, per huius fidelis famuli ministerium dedit Dominus pœnitentiam ad salutem? Aut quis numeret eos, qui sub eius cura in centum sexaginta monasterijs, per Dei benignitatem ad pœnitentiam sunt adducti? Nam & his solis, qui speciales eius filij videbantur, præter eos, qui iam cursum vitæ feliciter consummauerāt, præter eos, qui per alia loca fuerant propagati, ea die, qua felicissimus pater ex Clarauallе montem ascendere meruit clariorem, reliquit inhabitantes in ea septingētas septuaginta fermè animas, Domino seruientes. Quid igitur mirum, si gratus curiæ, si acceptus Regi, si exceptus cum lætitia & exultatione credatur, in quo gratia vsqueadeò vacua non fuit, qui tam fideliter, tam efficaciter plùs omnibus sui temporis & multarum retrò generationum laborauit, qui talentum sibi traditū, tam copiosè multiplicauit, tanta deniquè lucra retulit de negocio? Sed de his hactenùs, nè quis nos arguat eius, quam polliciti sumus, metas excedere breuitatis.

Visio Abbatis cuiusdā. Luc. 15. Nota māgnū numerum fratrū Clarauallēsium sub B. Bernardo.

Sanè in monasterio prædicti illius Abbatis, qui sic natalem eius præuiderat, ea nocte, quam nobiscum pater sanctus, manè profecturus, vltimam fecit, venerabili Præposito eius appárens, valefecit illi, & ait: Nóueris, quia iam migro, nec vlteriùs hîc morabor. Quod vt suo indicauit Abbati, accelerans Abbas, & Clarauallem veniens, ipso die Abbatem sanctum, sicut prædixerat, reperit iam migrâsse.

Vir sanctus appáret vni præpósito familiari, exitum suū denunciās.

Frater Vuilhelmus de Monte Pessulano, cuius & suprà fecimus mentionem, vir magnificus olim in seculo fuit, sed magnificentior in seculi fuga. Hic in monasterio Grandisyluæ monachus factus, patrem sanctum deuotissimè visitauit. Rediturus autem, lachrymabiliter querebatur, quòd non esset eum vltrà visurus. Cui vir Dei: Nè timeas, ait: adhuc me sine dubio videbis. Huius effectum promissionis deuotissimus ille Vuilhelmus expectans, ipsa nocte, cùm beatus pater ex hac vita decessit, in monasterio Grandisyluæ apparentem sibi videre meruit, & dicentem: Frater Vuilhelme. Et ille: Eccè ego domine. Veni, inquit, mecum. Ibant igitur pariter, & ad montem quendam altissimum peruenerunt. Interrogauit autem sanctus, an sciret, quò venisset. Ille verò se nescire professus est. Cui ipse: Ad radices, inquit, montis Libani vénimus. Et nunc manebis hîc: ego autem ascendam in montem. Interrogatus, qua de causa vellet ascendere: Discere volo, inquit. Miratus ille: Quid, inquit, vis discere pater, quem nulli hodiè in scientia credimus esse secūdum? Ad quem sanctus: Nulla, ait, hîc scientia, nulla veri cognitio: sursùm scientiæ plenitudo, sursùm notitia veritatis. Et in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subijt coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est, & protinùs occurrit ei verbum illud, quod ad Iohannem olim de cælo sonuit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Vt ergò manè locutus est Abbati suo & fratribus, patrem sanctum ex hac vita migrâsse dicebat. Et notantes diem, ac diligentiùs inquirentes, vt audiérant, inuenerunt. Eugè pater sancte, qui ascensiones in corde dispositi in valle lachrymarum, feliciter iam ascendisti de Clarauallе in montem Libani, montem candidationis, plenitudinem lucis, celsitudinem claritatis. Innocens manibus & mundo corde, ascendisti in montem Domini, ad diuitias salutis, ad thesauros sapientiæ & scientiæ peruenisti, vbi purè puram videas veritatem, vbi vnus tibi cum omnibus sanctis magister est Christus, vbi omnes iam docibiles Dei. Trahe nos post te, quæsumus, & de monte excelso misericorditer respice vallem tuam. Adesto laborantibus, sūbueni periclitantibus, manum porrige ascendentibus. Dat fidutiam tua nobis ab olim experta, nec exinanita modò, sed ampliùs cumulata benignitas: quinetiam visio, quam subnectimus, ab eadem nostra præsumptione non discrepat.

Vir sanctus appáret fratri cuidam post decessum suum. Terrena scientia imperfecta: quæ de sursùm est, perfectissima. Apoc. 14. Iohan 6.

Proxima nocte, postquàm sacrum corpus eius sepulturæ traditum fuerat, quãtam adhuc pro filijs solicitudinem gereret pater sanctus, & quomodò suos, quos in mundo dilexerat, in finem quoquè diligeret, euidenter ostendit: Apparens cuidam fratri in multa gloria, & fulgore magno vestis & vultûs: & desiderãtem tenere citò pertransiens, aiebat, Quia pro quodam fratre simplici vẽni. Audiẽrũt hoc fratres, & mirabantur: sed circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis. Defunctus est enim quidam laudabilis admodùm simplicitatis frater, & sicut omninò credibile est, animam eius tanto duce felicem, qui pro eo venire se dixerat, secũ tulit. Paucis quoquè expletis diebus alteri cuidam fratri magnificè satìs apparens, & arguẽs de suo nos doluisse decessu, post verba multæ consolationis & promissionem felicitatis æternæ in sua perseuerantibus obedientia & doctrina: Hoc etiam scito, ait, & dicito fratribus, cuiusdam verè sancti corpus, cuius & ego vestem habeo, in oratorio esse sepultũ. Dicebat autem Episcopum Malachiam. Ipsius enim tunicam, in qua sanctus ille feliciter obdormiuit, ad Missarum sibi seruauerat celebrationem, & moriturus, in ea se se iusserat sepeliri, sicut & sanctum illum in sua sepeliẽrat veste. Quod tamen verbum & ipsi fratri, & compluribus alijs, vsque ad visionem istam, prorsùs erat ignotum.

Appáret iterùm post obitum suũ in magna gloria.

Alia eius apparitio.

Nota de S. Malachia Episcopo.

Felix pontifex, cuius merita pater sanctus & viuens prædicauerat, & defunctus. Felix charitas, quæ in morte non excidit: felix societas, quam nec illud diuortium, cæteris tam crudele, diremit. Glorioſi siquidem Patres, quẽadmodùm in vita sua dilexerant ſe, ità & in morte non sunt separati. Nam & post dies circiter quadraginta, Abbas quidam ex maioris Britanniæ insula, sacræ illius societatis virtutem feliciter experiri meruit in seipso. Qui eodem tempore cum cæteris coabbatibus suis ex more Cistertium petens, in Claraualle remanserat, gemino quodam desperabiliter occupatus incommodo, pleuritidis scilicet & febris quotidianæ. Iamque eatenùs longa vexatione defecerat, vt solùm animæ eius exitum fratres, qui ei nunquàm deerant, obseruarent. Cumque animum eius angeret, non tam desiderium vitæ præsentis, quàm absentium desolatio filiorum, quòd peregrè morereturr, obnixè petijt, vt ad tumulũ sancti deportaretur Abbatis. Vbì cùm orâsset tota deuotione, qua potuit, beati quoquè Episcopi Malachiæ, in Aquilonari ipsius oratorij latere positum cogitauit visitare sepulcrum, auxilium flagitare: sed fatigationem veritus, & quasì iam securus de incolumitate, quod cogitauerat, non impleuit. Die altera manè iterùm fratres aduocans, vt ad oratorium veniat, opem sibi postulat exhiberi. Causantibus illis, (periculum siquidem verebantur) Omnimodis, inquit, oportet, vt sancti Malachiæ tumulũ petam. Cùm enim nocte præterita vix tenuiter obdormissem, expergefactus subitò, audiebam vocem dicentem mihi: Sanatus iam ab altera ægritudine tua, si ab altera vis sanari, Episcopum pete. Fecerunt illi, vt ille voluit: & continuò factum est, vt dictum erat ad illum. Eodem die sanus factus, post pauciſſimos dies iter arripuit, & incolumis reuersus est ad suos. Tuum in hoc opere spiritum, tuam agnoscimus dulcissime pater zelum, tuam consideratione: tuum hoc opus, sic deferre collegæ tuo, vt hunc quoquè ei communicares honorem & amorem, cum quo feliciter apud Dominum gloriæ gloriaris. Immò verò tui sunt hæc omnia operis, tui muneris Deus noster. Tu enim replêsti ab initio temporis terram præsentia tuæ diuinitatis, omnem aliquandò repleturus gloria maiestatis: cuius tamen partes interìm quasdam & æterno præelecta loca consilio excellentiùs visitans, reples speciali gratia sanctitatis. Fac Domine spiritali semper abundare frumento Vallem, quam vt faceres tam re quàm nomine clariorem, dignatus es tam eximiæ claritatis sideribus illustrare duobus. Custodi domum: in qua tibi geminum hoc tam preciosum depositum custoditur.

Abbas quidam ex maiori Britannia venit in Clarãuallẽ.

Is graui morbo laborat.

Ad sepulcra SS. Malachiæ & Bernardi sanatur.

Matth. 6.

Fiat nobis deniquè iuxta verbum tuum, vt vbì est thesaurus tuus, ibì sit & cor tuum: ibì gratia, & misericordia, & respectus assiduæ pietatis super omnes, ibidèm in tuo nomine congregatos, quod est super omne nomen, sicut & tu super omnia Deus benedictus in secula, Amen.

VITA

VITA S. STEPHANI PRIMI REGIS HVNGARORVM, QVI EOS AD CHRISTI RELIGIONEM TRADUXIT: *ab Episcopo Chartuitio conscripta, sed stylo mutato per F. Laur. Surium. Nos numerum capitum ad marginem adiecimus.*

PRAEFATIO AVTHORIS AD COLOMANNVM REGEM.

DOmino suo Colomanno, Regi excellentissimo, Chartuitius Episcopus, spiritale ministerium Dei benignitate adeptus, post huius vitæ terminum, illud Eugè precatur sempiternũ. Aggredior nunc opus, sereniſſime Rex, iussu tuo mihi demandatum, à quo hactenùs ingenioli mei imperitia abhorruit, ob id præsertim, quòd Priscianus Grammaticus, mihi olìm sat benè perspectus & cognitus, procùl à me digressus, iam decrepito mihi, tanquàm caligine quadam septus, faciem exhibet obscuriſſimã. Sed cùm alia ex parte dignitatis tuæ attenderem authoritatẽ, vicit tandèm anxiæ mentis dubitationem omnem, virtutũ omnium lux & gemma, obedientia: cuius forti præsidio fretus, tametsì mihi vires cernerem haudquaquàm suppetere, operis inchoandi fidutiam concepi. Cùm sint autem plerunquè inuidiæ obnoxia, quæ bona animi fidutia geruntur: supplex oro regiam sublimitatem tuam, vtì opusculi huius susçipere nè grauetur patrocinium: nec offendatur parùm commoda dictione, aut ordinis & rerum gestarum confusione. Quòd si occurrat quippiam, quod fœdam habeat offensionem, mâlim codicem ignibus absumi, quàm liuoris materiã cuipiam offerri. Et quia bona omnia ad nos ex diuina misericordia proficiscuntur, ipsius munere sic libet opusculum præsens auspicari.

Is Colomãnus est 3. Hungarorum rex. Matth. 25.

VITA.

OMNE datum optimum & omne donum perfectum, desursùm est, descendens à patre luminum. Huius quidem patris datum optimum & donum perfectum, ad omnes largiter dimanans, (Neminẽ enim spernit, sed vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, ad Hungaros vsque, quos olìm Christianorum flagellũ fuisse constat, sese diffudit. Quod quẽadmodùm & quandò factum sit, styli officio ad posterorum notitiam transmittere visum est. Ea quidem tempestate, qua Hungarorũ gens, Dei Ecclesiam populabatur, fuit in ea princeps quidam, quartus ab eo, qui Hungaris in Pannoniam ingressuris ducẽ se præbuit. Is Geisa dicebatur, seuerus sanè & crudelis homo in suos, potenter eis imperans: erga alios verò, præsertim Christianos, humanus, misericors & liberalis. Etsì autem paganisini adhuc erroribus esset implicatus, attamẽ cælestis gratiæ luce spiritali appropinquante, cum omnibus vicinis circunquaquè prouincijs de pace cœpit accuratè tractare, vt iam in illo liceret animaduerti, cuius optaret esse filius, dicente in Euangelio Domino Saluatore: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Edicto quoquè proposito, iussit Christianis omnibus, in ipsius ditionem siue Ducatum ingredi volentibus, hospitalitatis & publicæ fidei studium & curam impendi. Porrò Clericis & Monachis fecit potestatem in ipsius quoquè conspectum veniendi, eosque propenso animo audiuit: atque ità factum est, vt orthodoxæ fidei semen in pectoris eius horto satum, in fruges erumpere gestiret.

Augusti 20. quo die trãslatæ sunt eius reliquiæ. Obijt verò 15. Augusti. Cap. 1. Iac. 1. 1. Tim. 2. Alludit ad dictũ Attilæ

Geisa Dux Hũgarorũ.

Matth. 5.

Eius humanitas erga Christianos

Quid multa? Adest tempus cælitùs dispositum: credit ipse cum familiaribus suis: vndis salutaribus expiatus, omnes ditionis suæ homines pollicetur se ad Christianismum perducturum. Cùm autem multùm esset solicitus de edomandis rebellibus, ritibus sacrilegis abolendis, ad sanctæ Ecclesiæ profectum pro sua æstimatione statuendis Episcoparibus, mira quadam visione nocte eum Dominus consolatus est. Misit enim ad eum iuuenem speciosiſſimum, qui diceret ei, Pax tibi Christi electe: faceſſat cura isthæc & solicitudo. Nõ fiet per te id, quod meditaris. Habes enim manus humano sanguine pollutas. Nascetur autẽ tibi filius, qui diuinæ prouidentiæ consilio id efficiet, quod tu animo cõcepisti. Erit is Rex, & ex eorum Regũ numero, quos Dominus elegit, coronã regni temporarij æterna cõmutaturus. Tu verò hominem spiritali legatione

Cap. 2. Credit in Christum.

Eius visio, qua edocẽt, est de nascituro sibi filio.

gatione apud te functurum, honorificè excipito: Exceptum, reuerenter habeto, eius adhortationibus syncerum pij pectoris assensum adhibeto. Experrectus princeps, stupens ad visionem, priùs secum, deindè cum Christianis & suis hominibus pertractãs, humi totus prostratus, expansis manibus humiliter gratias agit Deo, seque principatumque suum cum filio nascituro curæ illius, qui non dormit, neque dormitat, lachrymabundus commendat.

Psal. 120.

Cap. 3.

Admirante autem eo de viro diuinitùs ipsi prædicto, nunciatur illi, beatum Adalbertum Boëmensis ecclesiæ antistitem, ad ipsum venire, ad Christianam religionem fidemque non fictam cum traducere, & ob fidei profectum Domino laudis hostiam immolare cupientem. Is nũcius nouis Christi tyronibus ineffabilem attulit lætitiam: Dux procedit obuiàm seruo Christi cum fidelibus quibusque, honorificè eum excipit, & vt in visione erat admonitus, modis omnibus se obedientiæ filium fore demonstrat. Deindè iubente ipso, fit vbiquè congregatio indomitæ gentis: per sanctũ Episcopum fiunt conciones, eius adhortationibus mox illi conuertuntur & baptizantur, multis locis ecclesiæ conduntur. Lux enim illa, quæ illuminat omnem hominẽ, profligatis tenebris, cœpit in Hungaria enitére, & completum est in ea, quod propheta ait: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Lux lucis inuisibilis Christus est, quem tunc gentiles videre meruerunt, quandò è tenebris reuocati, illum esse & verum Deum & hominem verum perfectè credidêre.

Adalbertus Pragensis Episcopus Hungaros conuertit.

Esa. 9.

Non est autem silentio prætereundum, vt omnis ambiguitas tolleretur è medio, & nè parùm fidei habere videretur visio Duci oblata, etiam vxorem eius, iam partui propinquam, eiusmodi diuinitùs consolatione affectam: Apparuit illi beatus Leuita & protomartyr Stephanus, Leuitici habitûs insignibus ornatus, ità eam compellãs: Confide mulier in Domino, & certa esto te filium parituram, cui primo huius gentis & regnum & corona debetur. Tu verò illi nomen impones meum. Cùm autem fœmina non sine admiratione sciscitaretur ex eo, quisnam aut esset, aut vocaretur, sic respondit: Ego sum Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium obiui. ijs dictis, disparuit. Nascitur itaque, vt prædictum erat, filius principi, notus Domino, secundùm propherã, priusquàm in vtero conciperetur, & per Stephanum protomartyrem à Domino appellatus antè, quàm natus. Eum verò beatus & Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizauit, & nomẽ Stephani ei impositum est, non sine nutu & consilio Dei, vt nos quidem persuasum habemus. Stephanus enim Latinè coronam significat. Et illum Deus voluit tum regni temporarij, tum futuræ beatitudinis redimire corona, vt vita & gloria perfruatur sempiterna. Oppido quidẽ Strigonienſi natus est, & illic quoquè puer præceptis Grammatices ad plenum imbutus est. Interea creuit accuratè educatus. cumque iam excessisset pueritiæ metas, pater eius conuocauit Hungariæ proceres & reliquos ordines, cõmunicatoque cum eis consilio, illum post se regnaturum constituit. Vtque ea res firmior esset, singulos ad sacramentum adegit. Deindè iam grandæuus, anno à Christo nato noningentesimo nonagesimoseptimo vitæ huius ærumnas cum cælestibus gaudijs commutauit. Eodem autem anno beatus Adalbertus, cùm in Prussiam, gentis eius conuertendæ causa, profectus esset, martyrij palmam adeptus est.

Cap. 4. Visio vxoris Geisæ Ducis.

Ierem. 1. Stephanus rex nascitur.

Obitus Geisæ. Martyrium S. Adalberti Episcopi. Cap. 5.

Post obitum patris, Stephanus adhuc adolescens, principum & plebis fauore patri subrogatus, ardentiori animo in veritatis propagationem incubuit. Nam tametsi etiamnùm esset adolescens, non tamen illi cor in ore, sed in corde os erat. Scripturarum diuinarum, quarum amore impensè flagrabat, non immemor, iudicium & iustitiam semper ob oculos versabat, & pulchrè quadrabat in eum illud Salomonis: Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Cumque omnia Dei præcepta sedulò obseruare conaretur, apud se pertractabat, quèadmodùm populum suum ad vnius Dei cultũ adducere posset. Animaduertẽs autem sine vicinarũ gentiũ cõfœderatione id nequaquàm fieri posse, cum exteris prouincijs pacem fecit, fidemque inchoatã egregiè confirmauit, vt posset eo securiùs id quod animo constituerat, in nouella plãtatione efficere. Sed hostis totius boni & aduersarius diabolus, malignitate & inuidentia plenus, vt eius sanctum propositum disturbaret, intestina ei bella excitauit. Eius enim instinctu populus gẽtilis, Christianæ fidei iugo colla supponere noluit, & cum principibus d omini sui imperio subducere se moliebatur. Itaque depopulabantur eius vrbes, prædia vastabant, possessiones diripiebant, ministros cædebant, & vt cætera taceam, etiã ipsi insultabãt. Cumq; ab huiusmodi improbitate reuocare

Prou. 1.

Hungari seditiones mouent aduersùs suũ principem Stephanum

uocare se nollent, nec suo furori & amentiæ modum statuerent, Dux ipse, diuinæ virtuti confidens, ad edomãdam illorum rabiem, cum sui exercitus copijs sub signis Deo dilecti Pontificis Martini, & clarissimi martyris Georgij mouit in hostes, qui tum fortè vrbem obsidebant, quam vulgò Vesprinum vocant. Quod quidem illi in eius fecêre contumeliam, vt quem ad locũ ille familiariùs consueuisset accedere, ibi ipsi considérent, esset que ex eo loco facilior ipsis aditus ad alia præsidia occupanda. At ille diuina fretus ope & clementia, illos aggressus est: & illis quidem suis armis confidentibus, ipso verò fide armato, vtrinquè congressi sunt. Victis tandèm hostibus, & partim cæsis, partim captis, Dux victor abscessit: & sapienter quidem de illorum villis & agris siue possessionibus statuens, non quemadmodùm olim Saul, qui superatis Amalechitis, contrà quàm Dominus iusserat, ex eorum spolijs optima quæque seruârat: sed quia Pannonia beatissimum Martinum apud se natum gloriatur, cuius etiam meritis vir Christo fidelis, vt iam dictum est, ex hostibus victoriam reportauit: nihil de rebus eorum in suos vsus conuertit: sed ex Dei amantium cõsilio, iuxta eiusdem sancti præsulis fundum eo loco, qui Sacer Mons dicitur, vbi sanctus Martinus, cùm in Pannonia degeret, precari solitus erat, sub eius nomine monasterium construxit, possessiones & redditus sufficientes ei attribuẽs. Idem verò de Episcopis constituit, ex illorum captiuorum facultatibus decimas persolui volens, idque adeò exactè, vt si quis decem haberet proles, decimam prolem S. Martini cœnobio daret.

Edomantur ab illo.

1. Reg. 15.

Monasterium condit Stephanus in honorem S. Martini.

Ità ergò hostibus sub iugum missis, Christi miles gaudio spiritali perfusus, omnem ingenij sui vim contulit ad consectandam doctrinam Euangelicã. Itaque dabat operam eleemosynis, vacabat precibus, crebrò adhærens ecclesiæ pauimento, cum lachrymis orabat Dominum, vt animi sui propositum ad effectum perduceret: vt qui sine illo nihil posset efficere, eius opitulante prouidentia, bona, quæ facere decreuisset, cum virtutum incremento etiam re ipsa exequi valeret. Cùm autem facilè intelligeret, ad hæc inchoanda & consummanda fidelium Christianorum consilium sibi esse necessarium, per nuncios & literas in partes omnes suum declarauit votũ & desiderium. Multi igitur presbyteri & Clerici, sancti spiritûs gratia compuncti, relictis sedibus suis, Christi causa peregrini esse voluêre. Abbates & monachi, nihil proprij habere cupientes, sub tam religioso principe statuerunt ad sui instituti præscriptum viuere: in quibus fuit Astricus Abbas cum discipulis suis: è quibus Bonifacius loco patris Abbas posteà creatus, & à beato Rege in inferiores Hungariæ partes causa prædicationis missus, in vertice gladio percussus, etsi superuixit, non est martyrij corona frustratus. Venerunt etiam duo è Polonia, eremiticæ vitæ cõtemplationis causa studiosi. Ex ijs alter Andreas dictus, confessionis merito choris Angelicis est adiunctus, haud obscurè id declarantibus miraculorum signis, quæ per eum Dominus effecit. Alter Benedictus nomine, pro Christo sanguine fuso, insigniter est laureatus. Porrò Astricus Abbas cum suis honorificè acceptus, ad radices Montis Ferrei cœnobium in S. Benedicti honorem construxit, vbi hodieque monachorum est congregatio, regulari disciplina pollens, temporalium rerũ copijs ex Ducis liberalitate superabundans, nullius indigens, nisi vt ad Euangelij præscriptum, suos aliorumque pedes quotidianis precibus & lachrymis lauet. Cum his Dei seruis princeps Christianissimus, modò communiter cum omnibus, modò separatim cum singulis colloquia miscẽs, vsqueadeò diuinis conspectibus gratum & acceptum se præbuit, vt per eum omnes militiæ eius comites ad veri Dei cultum adducti sint. Quos autem alios deos colere animaduertit, eos minis & terroribus subiugauit, & conuenienter doctrinæ Ecclesiasticæ illos instituens, in eorum ceruices disciplinæ iugum & legem imposuit, omnesque dæmonum spurcitias prorsùs eliminauit.

Astricus Abbas venit in Pannoniã.

Extruit idẽ Abbas ibi monasteriũ

Posteà verò prouinciam in decem Episcopatus distribuit, quorum metropolim & magistram esse voluit ecclesiam Strigonienſem. Non ignorans autẽ vir prudens Astrici Abbatis religionem, Episcopũ eum Colocẽsem constituit, canonica electione creatum. Deinde quarto à patris obitu anno diuinitùs permotus, eundem Astricũ præsulem, qui etiã Anastasius dictus est, ad sanctorum Apostolorum limina misit, à Petri Apostolorũ Principis successore petitutũ, vt recèns cõuersæ Pannoniæ largam benedictionem impertiret, Strigonienſem ecclesiam sua authoritate metropolim constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, & ipsum Ducem regio diademate cohonestaret: vt eo fultus honore, quæ diuinæ gratiæ adiutorio cœpisset, ea magis magisq; promouere & constabilire posset. Per idem tempus etiam Miesca Polonõ.

Cap. 7. X. Hungariæ Episcopat'.

Nota summi Pontifi. eis authoritatem.

Mieſca dux Poloniæ ſit Chriſtianus

lonorum Dux, Chriſtianam complexus fidem, legatos ſuos Romã miſerat, vt Pontificis benedictionem & regium ipſi titulum impetrarent. Aſſenſerat quidem Pontifex, & iam coronam egregio opere confici curârat, quam ei mitteret, ſua benedictione adiuncta. Sed quia nouit Dominus, qui ſint eius, qui etiam duobus ab Apoſtolis propoſitis, Matthiam ſocio ſuo prætulit, & cum Apoſtolis annumerãdum curauit: illa corona Stephanum ornari voluit, poſteà feliciùs gloria ſempiterna coronandum. Nocte enim eius diei, quo ſtatuerat Pontifex coronam Polonorum principi dare perferendam, apparuit ei Angelus Domini, aitque ad eum: Nóueris crás hora dici prima ignotæ gentis nuncios ad te venturos, ſuo Ducicoronã regiam & Apoſtolicæ benedictionis munus abs te expetituros. Eam ergò coronam, quam parari iuſſiſti, illis incunctanter tribue, ad ipſorum Ducem eam abſportaturis: nec dubites illi eam cum regni gloria pro vitæ eius meritis deberi. Itaque craſtina luce, ea hora, qua prædictum erat, Præſul Aſtricus ad Pontificem venit, demandatumque ſibi officium prudenter exequens, ſanctique Ducis res geſtas ordine referens, à ſede Apoſtolica regni coronam petijt, oſtendens dignum eſſe Ducẽ eo honore & dignitate, quippè qui diuina fretus ope, multos ſibi populos ſubiugâſſet, multosque infideles ſua potentia ad Chriſtum conuertiſſet.

2. Tim. 2. Act. 1.

Cap. 8. S. Stephan⁹ à Pontifice Apoſtolus vocatur.

Ijs auditis, mirè exhilaratus Põtifex, precibus illis libenter annuit, Crucemque ante Regem, ceu Apoſtolatûs inſigne, geſtandã adiunxit: Ego, inquiẽs, ſum Apoſtolicus: at ille meritò Chriſti Apoſtolus dici poteſt, cuius opera tantum populũ ſibi Chriſtus acquiſiuit. Atque ea cauſa, quemadmodùm diuina gratia ipſum docebit, eccleſias Dei vnà cum populis noſtra vice ei ordinandas relinquimus. Omnibus impetratis, quæ poſtulârat, Antiſtes Aſtricus lætus ad ſuos reuertitur, illud ſecum ferens, cuius cauſa iter illud emenſus erat. Allatis verò Apoſtolicę benedictionis literis cum Corona & Cruce, Præſules cum Clero, Comites cum populo, in laudes Dei prorumpũt, & Deo dilectus Stephanus princeps vngitur in Regem, & diademate regio feliciter coronatur. Ea autem dignitate auctus, quam ille vitam egerit, qua prudentia & moderatione fuerit, illud ſatis declarat, edictum, quod ab illo cum Epiſcopis & Hungariæ Primoribus promulgatum eſt: quo ſingulorum vitijs ſingula adhibuit remedia, & vt pacis, qua Chriſtus orbem coadunauit, ſe filium oſtenderet, inter cætera cauit, nè quis alium hoſtiliter inuaderet, nè quis vicinum ſuum abſque iudicij ſententia læderet, nè quis viduas & pupillos opprimeret. Id verò decretũ, perpetui fœderis ſubſcriptione, ad poſteros ſuos tranſmiſit.

Primus ſit Hungariæ rex.

Cap. 9. Ducit vxorem Giſelã filiã S. Henrici Imperatoris.

Giſelæ regi næ pietas.

Porrò conſortem regni, præcipuè ſobolis propagandæ cauſa, ſibi adſciuit Henrici Imperatoris filiam Giſelam: qui Imperator, ob morum comitatem & manſuetudinem, Pius eſt appellatus. Ea autem Giſela, Chriſmate vncta, & corona regia inſignita, qualem ſe præbuerit erga Dei cultum ornandum, quàm frequens & benigna ac liberalis erga Chriſto ſeruientium congregationes fuerit, multarum eccleſiarũ Cruces, vaſa ſacra & vtenſilia, miro opere effecta vel contexta, in hunc vſque diem teſtantur: præcipuè tamen Eccleſia Veſprienſis, quam illa à fundamentis conſtructam, rebus omnibus, quæ ad Dei miniſterium ſufficiant, in auro, argẽto, multigenisque veſtibus præclarè ornauit. Ipſe verò Rex nupèr inchoatos Epiſcopatus, id eſt, tam metropolitanam, quàm cæteras cathedrales Eccleſias, ampliſſima ſingulis aſſignata diœceſi, & idoneo præfecto antiſtite, Abbatias quoquè, prædijs, chortibus, familijs & redditibus regia planè munificentia inſtruxit, Crucibus, vaſis ſacris, aliaque ſupellectile ad Dei miniſterium ſpectante, pro cuiuſque neceſſitate vel indigentia, ſatis exornauit, annisque ſingulis, quoàd vixit, munera & oblationes ſemper auxit, nè aliquid extrinſecùs conquirere cogerentur, qui rebus diuinis peragendis præerant. Monachorum quoquè vitam & conuerſationem modò per ſeipſum, modò per alios accuratè inueſtigans, deſides arguebat, alacres & vigiles charos habebat. Canonicorum miniſterium, Epiſcoporum moderationi & circunſpectioni ſub Chriſti & Eccleſiæ teſtificatione commendabat, cum Apoſtolo omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret.

1. Cor. 9.

Cap. 10.

Ea tempeſtate in monaſterio ſancti Martini erat monachus quidam, Sebaſtianus nomine, cuius vita probabilis, & in Dei cultu religioſa deuotio habebatur. Eum venerabilis Rex miro cœpit amore complecti: (Quanto enim quiſque eſſet religioſior, tanto illi quoquè charior erat) atque ob vitæ eius merita dignum eum cenſens, qui Epiſcopi dignitate polleret, Strigonienſis eccleſiæ Archiepiſcopum eum eſſe voluit. Sed

Sed quia flagellat Deus omnem filium, quem recipit, Sebaſtianum illum, vt eius pãtientia probaretur, ad tempus vtriuſque luminis orbitate afflixit. Nè verò nouellus grex, paſtoris gubernatione deſtitutus, à recto itinere deflecteret & aberraret, Romano Pontifice aſſentiente, Aſtricum Colocenſem Epiſcopum, cuius iam crebrò eſt habita mentio, in eius locum Rex ſubſtituit. Triennio indè euoluto, Sebaſtianus ex Dei benignitate recuperauit viſum: & Pontifice Romano approbante, Aſtricus cum pallio redijt ad ſuam Colocenſem eccleſiam, Sebaſtianus Strigonienſem gubernandam recepit.

Hebr. 12.

Sebaſtian⁹ prim⁹ Strigonienſis Archiepiſcopus.

Cap. 11.

Erat ſanè Rex ille fidelis & integer in omnibus factis ſuis, Deo toto pectore deditus & addictus: ſeipſum quoquè & regnum ſuum per votum & oblationem in perpetuæ Virginis Mariæ tutelam aſſiduis precibus contulit. Cuius ſacratiſſimæ Virginis honor & gloria tam eſt celebris apud Hungaros, vt feſtum Aſſumptionis eius, tacito proprio nomine, ſua lingua diẽ Dominæ appellent. Atque vt Rex pijſſimus propensiorem tantæ Virginis defenſionem & patrocinium poſſet promereri, in ipſa regiæ ſedis ciuitate, quam Albam vocant, in eiuſdem perpetuæ Virginis laudem & honorẽ, grandem & inſignem atque inprimis celebrem baſilicam condidit, opere ſanè mirifico celatis Chori parietibus, & pauimento marmore ſtrato. Quam baſilicam qui vidit, teſtimonium perhibet dictis noſtris, innumera illic haberi palliorum & eorum, quæ paramenta vocant, genera: tabulas altarium non paucas ex auro puriſſimo, precioſiſſimorum lapidum ordinibus conſpicuas: Euchariſtiæ ædiculam, quam ciboriũ dicunt, arte mirabili ſupra Chriſti menſam extructam: conclaue, omni genere vaſorum cryſtallinorum, onychinorum, aureorum & argenteorum abundè refertũ. Tantæ verò elegantiæ eccleſiam vſqueadeò Rex ſibi vni vendicauit, adeoque immunem eſſe voluit, vt nullus Epiſcopus quicquam in ea iuris haberet. Quibus autem diebus abſolutio eſſet pœnitentibus impendenda, aut ſacrum Chriſma conficiendum, eum Epiſcopum voluit in ea & abſoluere pœnitentes, & Chriſma conficere, quem ipſe vel præſens id facere iuberet, vel quem abſens eò mitteret. Diuina quoquè Miſſarũ ſolennia, Rege illic præſente, eum duntaxàt Epiſcopum celebrare, cui Rex, conſentiente cum fratribus Præpoſito, id demandaret: abſente autem Rege, abſque Præpoſiti & fratrũ bona venia, nullum Epiſcopũ illic ſibi vel Miſſas celebrandi, vel cuiuſlibet pontificalis miniſterij exercendi licentiam vſurpare. Prætereà eius eccleſiæ populum tanta libertate & immunitate gaudere voluit, vt nulli omninò Epiſcopo decimas pénderet: ſed ſoli Præpoſito & fratribus, prout ipſe inſtituiſſet, ſeruitiũ exhiberet.

Mariæ Virginis apud Hungaros quanta veneratio.

Auguſtiſſimũ B. Mariæ templũ in Alba regali.

Cap. 12.

Quæcunque autem ſeruus Dei per id tempus acquirere potuit, ea in Chriſtum refundere ſtuduit, à quo illa profecta non ignoraret: vt qui eum mundi huius gloria & honore dignum fecerat, etiam cæleſtis patriæ ciuibus clementer adſcribere dignaretur. Et in Prophetis quidem de Apoſtolis ſcriptum legimus, in omnem terram exiuiſſe ſonum eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non debet autem hoc de ſolis illis duodecim accipi, ſed de omnibus, à Deo ad euangelizandum miſſis, quorum fide, verbis & moribus, Eccleſia ſuis augeſcit incrementis. Ex eorum autem numero ille, de quo agimus, Chriſtianiſſimus Rex non minimus ſuiſſe putandus eſt, vt qui bonæ voluntatis & piorum operum famam, quam eccleſijs in propriæ ditionis amplitudine conſtruẽdis ſibi peperit, in longinquas regiones & vrbes celeberrimas diffuderit ac propagârit. Extruxit enim in ipſa Hieroſolyma, vbi Dominus noſter Ieſus Chriſtus in carne verſatus eſt, monachorum cœnobium, idemque prædijs & vineis, vndè eis quotidiani victûs copia ſuppetat, ditauit. Romæ quoquè, quæ eſt mundi caput, ſub protomartyris Stephani titulo, duodecim Canonicorum collegium condidit, rebus neceſſarijs & ad eiuſmodi collegium attinentibus abundans: domos quoquè & hoſpitia Hungarorum, qui orationis cauſa Romam ad beati Petri Apoſtolorum principis limina venirent, exædificauit, muro ea lapideo circundans. Tum quoquè vrbem regiam Conſtantinopolim noluit ſuæ liberalitatis eſſe expertem, mirifici operis in ea condens eccleſiam, rebus omnibus neceſſarijs ei adiunctis. Itaque nõ immeritò ſuæ ditionis Apoſtolus appellatus eſt. Etſi verò ille ſibi euangelizandi munus non ſumpſit, at tamen ceu quidam concionatorum dux & magiſter, defenſionis & ſuſtentationis ſolatia eis ſuppeditauit.

Pſal. 18.

Cœnobium condit⁹ à rege Hieroſolymis.

Romæ Canonicorum collegium.

Eccleſiam Conſtantinopoli.

Cap. 13.

Inter omnia autem cæleſtis gratiæ munera, beato Regi diuinitùs collata, illa vel præcipuè admiranda & ſcriptis commendanda videntur, quæ etiam ad promerenda æternæ vitæ gaudia primarium locum obtinent, putà miſericordia & veritas. In cunctis

ctis enim felicibus factis ſuis hoc vel maximè ſibi conſectãdum exiſtimabat, quod in Euangelio ſcriptum, fidelibus interioris hominis oculis contemplatus erat, ipſa veritate ità dicente: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.& alio loco: Date, & dabitur vobis. Tanta igitur miſericordia, benignitate & pietate pauperes Chriſti, immò in pauperibus ipſum Chriſtum complectebatur, vt nullum vnquàm hoſpitem & peregrinum abſque aliquo ſolatio à ſe diſcedere patereturᵗ,& ad recreandos egenos quotidianas expenſas abſque intermiſſione fieri iuberet. Iam verò etiam nocturnis horis multa alacritate & hilaritate abluebat fidelium pedes, & in ſinu pauperum abſcondebat eleemoſynas, Chriſtum inopem in mẽbris eius conſolari in hac vita cupiens, vt cum illo quandoquè in illa cæleſti domo, bonis omnibus refertiſſima, æternùm exultare mereretur.

Matth. 5. Luc. 6. Benignitas eius in egenos.

Cap. 14. Quadam autem nocte, diuino permotus inſtinctu, nemine ſciente, crumenã nummis plenam accipiens, puſillum Chriſti gregem ſuo more ſolus inuiſit. Et eccè pauperes cæleſtis theſauri diſtribuendæ pecuniæ nimiùm inhiantes, beati viri barbã cuulſerunt, ea improbitate illius meritis teſtimonium perhibentes. At ille gaudio perfuſus ingenti, ad beatiſſimam creatoris omnium matrem ſe confert: humì proſtratus, gratias agens, exclamat: Regina cæleſtis & mea, en quem tu Regem conſtituiſti,eum ſic honorârunt milites tui. Quæ ſi mihi ab aliquo hoſte illata eſſet iniuria, tuo fretus adiutorio, non ſinerem eam inultam abire. At nunc ſciens hinc mihi parari æternam felicitatem, impensè lætor, gratias agens illis pijſſimi Saluatoris conſolatorijs verbis, quibus diſcipulos ſuos confirmauit, Capillus, inquiens,de capite veſtro non peribit. His dictis, cùm ſe vir Dei cæleſti gratia & ſpiritali chariſmate perfuſum ſentiret, ſtatuit nunquàm pectoris ſui oſtia opem poſcẽtibus claudere: atque deincèps per ſeipſum & alios, præcipuè tamen Chriſti ſeruos & familiares, nempe Clericos & monachos, cælitùs ſibi daras facultates pauperibus impertijt, in æternis theſauris per illorũ manus reponendas. Eius rei permulti ſunt teſtes, atque in ijs beatus Guntherus, exſecularinobilitate conuerſus, & eremita atque monachus effectus, cum illo nunc vitæ beatæ particeps. Is humaniſſimi Regis tanta liberalitate illectus, è Boëmiæ regione crebrò ad illum venire ſolebat. Quotiès autẽ ſua præſentia eius aulam illuſtraret, curam regni ei demandabat Rex. Tum ille rebus, quas in aula inueniſſet, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, cœnobia & eccleſias erogatis, breuì illam exinaniebat. Ad eius quoquè nutum Rex Deo deuotus monaſterium, quod Beel vocant, inchoauit, bonis omnibus illud locupletans: in quo Gerardus monachus, qui Venetijs eò venerat, viram duxit contemplationi addictam: & poſteà diuina ordinatione creatus Epiſcopus, poſt obitum ſancti Regis,orta Chriſtianorum perſecutione,lapidibus oppreſſus, diuino munere, martyrum contubernio dignus effectus eſt. Nec hîc prætermittendum puto, quòd diuina virtus in beati viri vita demonſtrare voluit, cuius meriti eſſet. Nam quotiès ad aures eius peruenisſet, quempiam aduerſa laborare valetudine, medicinæ loco miſit ei ſiue panis,ſiue pomi, vel herbæ odoriferæ particulam, ſimul mandans, vt ſanus ſurgeret. Mox verò, diuinæ miſericordiæ fauore eius ſermonem proſequente,incolumis ille efficiebatur.

Magnã iniuriam fert hilariter.

Luc.21.

B.Guntherus eremita.

S Gerardus monachus, Epiſcopus & Martyr.

Multos ſanat ægros.

Cap. 15. Poſt glorioſam in cælos aſſcenſionem, & mirabilem in paterna dextra conſeſſum, Saluator noſter paucis corporaliter apparuiſſe legitur: per viſionem autem multos conſolans, de rebus futuris eos fecit certiores. Idem verò præſtitit etiam huic ſancto Regi. Quadam enim nocte ex reuelatione experrectus, veredarium quendam intrà diem & noctem iuſſit properè ire ad Albam Tranſſyluaniæ, & omnes ruricolas, vt ad vrbes munitas celerrimè ſe conferant, admonere, quòd ſuperuenturi eſſent Chriſtianorum hoſtes Beſſi, (qui tum Hungaris infenſi & infeſti erant) eorumque res deprædaturi. Vix nuncius compleuerat, quæ iuſſus erat: & eccè Beſſorum inopinata incurſio & impetus, incendijs & rapinis depopulatur omnia, corporibus hominum illæſis, quòd ex beati viri præmonitione in tutiora loca ſe recepiſſent.

Hæc Alba Iulia dicitur.

Beſſorũ aduentũ prædicit rex.

Cap.16. Defuncto autem beati Regis amico, Romanorum Imperatore Henrico, Conradus ei in imperio ſucceſſit. Is pacis tranquillitate interturbata, totius Germaniæ viribus & copijs contractis, Pannoniæ infeſta ſigna inferre conatus eſt. Tum verò Rex Stephanus, Epiſcoporum & principum coacto conuentu, in patriæ defenſionem totius Hungariæ exercitum euocauit. At priùs tamen ſecum perpendens, ſe nihil poſſe ſine Chriſti adiutorio,manibus & corde ſurſùm erectis,Dominæ ſuæ,perpetuæ

tuæ Virgini & Dei genitrici, ſuas iniurias commendans, in eiuſmodi prorupit voces: Si placet tibi,Domina mundi,tuæ partem hæreditatis ab inimicis deuaſtari, & nouellam Chriſtianiſmi plantationem diſſipari: nè, quæſo, ſinas illud imputari diffidentiæ meæ, ſed potiùs diſpoſitioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit culpa paſtoris,ipſius luat: oues, quæſo,inſontes nè patiaris affligi. His dictis, tanquàm accepta conſolatione ab ea,fidẽter mouit in hoſtes. Altera die nuncius venit ad ſingulos quoſque duces exercitûs Germanorũ,ab Imperatore literas adferens, quibus iubebãtur pedẽ retrò referre. Illis ergò diſcedentibus, ſanctus Rex diuina miſericordia adiutum ſe ſentiẽs, humì ſe abijcit, gratiasque agit Deo & ſanctiſſimæ genitrici eius, cuius protectioni ſeque regnumque ſuum aſſiduis precibus commendare ſolebat. At Imperator ſuorum tam repentina defectione perterritus, ſciſcitatur quidnam rei ipſis acciditſſet: audiensque de nuncio, qui eos ipſius nomine redire iuſſiſſet,ſciensque illum à ſe haudquaquàm miſſum fuiſſe, non dubitauit conſilio & voluntate omnipotentis Dei rem geſtam ob fideliſſimi Regis corroborandam ſpem: ſeque deincèps ab eius inuadendo regno, timore illius iudicis æterni, cohibuit.

Precibus abſterrit à ſe immane bellum.

Cap.17. Porrò Rex pijſſimus, erga regni ſui politicam gubernationem religioſa ſolicitudine occupatus, diurnum tempus colloquijs & conſultationibus impendebat, nocturnis horis in vigilias, preces, lachrymas, rerum diuinarum contemplationem incumbebat, orans ſedulò iuſtum iudicem, vt ipſe ſua moderatione quotidiè diſcutiendis rebus & ferendis ſententijs adeſſe dignaretur. Quod quidem cùm ille magno ſpiritalis deſiderij ſtudio frequẽtaret, nocte quadam procùl à templo Dei, (deſcenderat quippè cum illo ſuo magno & nobili comitatu) in loco campeſtri fixis tentorijs, in cordis ſui cubiculum ſe recepit: & flexis genibus, ſolo labiorum motu, ad ſempiternæ miſericordiæ fores gemitibus & lachrymis pulſabat. Cùmque diutiùs precibus inhæreret, Domini ſui Regis æterni miniſtris ad ſuſcipiendas preces eius aduenientibus, papilio ſuper eum extẽſus, à terrà ſublatus eſt: atque tandiù in aëre manſit ſuſpenſus, donèc vir Dei ad ſe reuerſus àb illa contemplatione, ſpiritum à precibus relaxauit. Quod licèt inuiſibiliter illi ſoli, qui res nouit antè,quàm fiant,& ſecretorum eius conſcijs Angelis eſſet cognitũ: àt tamen etiam cuidam magnæ ſimplicitatis & innocẽtiæ viro, qui tunc fortaſsis ſimili erat operi intentus, innotuit. Quem Rex, Dei ſpiritu id reuelante, arcani ſui conſciũm ſciens, ad ſe accerſitum blandis primùm verbis appellat: rogat, quidnam viderit. Deindè ſeueriter interdicit, nè cui id, dum ipſe ſit in humanis, reuelet.

Eius tentorium ab Angelis in aere ſubleuatur.

Cap.18. Fama nominis eius in multas gentes diuulgata, & iudicijs oris eius cùm multa laude vbiquè propalatis, ſexaginta Beſſi, quorum ſuprà meminimus, cum vniuerſo apparatu ſuo,auri argentique copia, & multiuarijs ornamentis curribus onuſtis, è finibus ſuis egreſſi, ad Regem venire volebant. Cumque ad Pannoniæ fines acceſſiſſent, multi è ſeruis, quorum animi inſtàr ceræ facilè flectuntur in vitium, malignitatis ſuæ facibus inflammati, ijs exiêre obuiàm: & quoſdam gladijs cædentes,illorũ res omnes abſtulerunt, eosque vacuos & ſemineces reliquerunt. At illi ea, quæ paſſi erant, ad Regem relaturi, cœpto pergunt itinere: cumque in Regis conſpectus veniſſent, ad eius genua prouoluuntur. Rex ijs viſis, percontatur quid mali perpeſſi ſint. Tum illi: Nos, inquiunt, ſerui tui, domine Rex,nihil cuiquam mali machinantes, ad te properabamus, audituri iudiciorum tuorum diſciplinam. Quidam autem in nos incurrentes, pecuniam omnem, quam apud nos habebamus, nulla culpa noſtra abſtulêre: atque inſuper quoſdam apprehenſos è nobis cecíderunt. Deniquè vix compotes vitæ huc acceſſimus, vt eam rem tibi indicaremus. Rex ijs auditis, vt erat prudens,neq; vultu, neque verbis minatus eſt eis: ſed conuenienter illi ſententiæ Salomonis, Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus,ſapiens differt & reſeruat in poſterum: miſit ocyus ad tribunal, ſub quo militabant illi, & ad certum diem iuſſit coram ſe ſiſti omnes. Factum eſt ità,& ad eius conſpectum adducti ſunt,ab illo diſcutiendi. Eos ergò ſic appellat Rex: Cur poſthabita & contempta lege diuina, non eſtis vſi miſericordia, ſed homines innoxios tam malè mulctaſtis? Sicut ergò feciſtis, ità hodiè vobis coram mè faciet Deus. Legis enim tranſgreſſores feriri par eſt. Lata igitur in eos ſentẽtia,educti ſunt, & ad omnes regni aditus bini ſuſpenſi. Quod ille credendus eſt zelo iuſtitiæ ità iuſſiſſe, vt exemplo ſuo perditi illi homines alijs terrorem adferrent. Cùm enim regnum ſuum exteris omnibus in illud aduentantibus, ceu portum quendam tutiſſimum & aſylum eſſe vellet, liberum quoquè in illud omnibus voluit patére ingreſ-

Prudentia eius eximia. Prou. 29.

Seueritas eius in homines malignos.

ſum, ità vt nemo auſus eſſet quenquam ex ijs lædere aut moleſtiã ei exhibere. Quod etiam ſua authoritate conſecutus eſt, quandò illo viuente nullus quencunque hoſpitem in aliquo violare auſus fuit.

Cap. 19. Act. 14. Nec tamen beatus & pius Rex immunis fuit ab eo, quod Apoſtolus dicit, Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei: & quod habetur in Prouerbijs Salomonis: Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet ſibi. Multis enim modis caſtigauit eum Dominus. Tribus annis perpetuò laborauit aduerſa valetudine. Qua cùm tandèm diuinæ miſericordiæ medicina eſſet liberatus, in obitu filiorum ſuorum, quos adhuc infantes mors rapuit, æterni iudicis flagella perſenſit. At tamen dolorem, ex ea orbitate conceptum, amore filij ſuperſtitis, bonæ indolis pueri Emerici temperauit: quem ſanè ceu vnicum impenſiùs amans, quotidianis precibus Chriſto & eius genitrici, Virgini perpetuæ commendabat, eumque ſibi ſuperſtitem, & regni hæredem votis omnibus expetebat. Et vt idoneus ille foret tanti regni tenendis gubernaculis, Catholicorum virorum doctrinis quotidianæ lectionis vſum, & vtraſque tam animi, quàm corporis aures, eum voluit adhibere: atque inſuper paterni amoris impulſus ſtimulis, libellum ei compoſuit de morum inſtitutione, in quo illum verbis ſpiritalis adhortationis fideliter & accuratè compellat: docens eum, quemadmodùm ante omnia debeat retinere Catholicam fidem, confirmare ſtatum Eccleſiaſticum, honorem habere præſulum dignitati, principes & milites amare, iudicij tenax eſſe, in cunctis ſuis actibus ſtudere patientiæ, hoſpites benignè recipere, benigniùs alere & fouere, ſine cõſilio nihil agere, Maiores ſuos ſemper ob oculos exemplum ſibi ſtatuere, precibus crebrò vacare, pietatem & miſericordiam cæterasque virtutes colere & conſectari. His & id genus alijs diſciplinis præclarus ille iuuenis imbutus, ex diuinæ voluntatis moderatione, cui omnia parére neceſsè eſt, Dominicæ incarnationis anno milleſimo triceſimo, vitam hanc corruptibilem cum ſempiterna commutauit, ſupernorum ciuium choris adiunctus. Eius animam eaipſa hora, qua deceſſit, cuidam Græcorum Epiſcopo, ſanctæ conuerſationis viro, diuinitùs reuelatum eſt, Angelicis manibus in cælos deportari. Cùm autem proſanctitatis ſuæ meritis ſummè ab omnibus diligeretur, omnium extitit luctus ingens, inprimis verò principum: inter quos pater, tanto accepto orbitatis vulnere, grauiter ſuſpirabat, & pietatis affectu ductus, dolebat ſe omni poſteritatis ſpe deſtitutum. At tamen ſciens ſcriptum eſſe, Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum: & illud in Canonibus, Neminem propter obitum charorum niminm debere contriſtari: poſito animi mœrore, totum ſe contulit ad largam Dei miſericordiam promerendam. Cœnobiorum enim & eccleſiarum miniſtris, monachis & Clericis multa elargitus eſt, multamque ea beneficentia attulit conſolationẽ: quicquid verò ei ſuperfuit, peregrinis, viduis & orphanis erogauit. Exterarũ quoque prouinciarum monaſterijs regiæ munificentiæ dona innumera per nuncios ſuos crebrò miſit. Eam, quam in iuuentute ſuſceperat, morũ grauitatem ad ſupremum vſque vitæ diem præ ſe tulit. Vix vnquàm ridere viſus eſt, ſciens ſcriptum, Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat: ſemper ità ſe comparans, acsi ſtaret ad tribunal Chriſti, eius præſentiam oculis interioribus ſereno vultu contemplans. Chriſtũ in ore, Chriſtum in corde, Chriſtum in cunctis actibus ſuis circunferebat. Extremum vitę diem ſemper ob oculos mentis habebat, & magno cordis deſiderio ad illam ſupernorum ciuium frequentiam adſpirabat, quendam Angelicæ conuerſationis habitum præ ſe ferens. Deniquè cunctis ornatus virtutibus, in ſanctitate & iuſtitia coram Deo omnibus diebus vitæ ſuæ viuere conſtituerat, vt in eo iam quædam futuræ gloriæ ſpecies elucere videretur.

Cap. 20. Nec diù pòſt in morbum incidit, qui ei poſteà mortem attulit: diuturnaque eius morbi moleſtia increſcente, pedibus inſiſtere non potuit. Quod vbi aduerterunt ex Palatinis nobiliſſimi quatuor, ſcilicet Regem diù grauiterque laborãtem, cùm etiamnùm cordis perfidia tenerentur, iniquum inter ſe conſilium iniêrũt, vt eum è medio tollerent. Iam die adueſperaſcente, antequàm in domo Regis lucerna accenderetur, vnus ex ijs audacior, cælo obſcuro ingreſſus eſt, nudum enſem ſub chlamyde ferens, quo erat Regem pijſſimum iugulaturus. Sed cùm eò inferret pedem, vbi Rex quieſcebat, cæleſti reuerà impulſu gladius ei excidit, & inter cadendum tinnitum quendam edidit: quem Rex ſtatim ſentiens, quid is ſibi vellet, perquiſiuit, cùm iam diuinitùs id præſciret. Tum ille territus corruit, agnoſcit conſilium amentia plenum, dolet,

Eius multæ afflictiones

Libellus ei de morum diſciplina.

Emericus filius eius ſanctè obit.

Prou. 21.

Munificentia Stephani regis.

Morum grauitas. Prou. 14.

Chriſtum ſemper gerit in corde ſuo.

Cap. 20. Quatuor virt primarij in eius necem conſpirant.

let, accedit propiùs, procumbit in genua, Regis pedes amplexatur, ſe peccâſſe confitetur, petit tanti parricidij veniam. Rex pius ab eo faciem non auertit, propenſo animo ignoſcit. At verò iubet inquiri illos immanes parricidas: in repertos tanto ſceleri congruentem mortis profert ſententiam.

Vni eorum venia oranti ignoſcit Rex.

Cap. 21. Dignus tandèm, qui centuplex cæleſtis regni brauium conſequeretur, febre correptus eſt: ſentiẽsque adeſſe migrationis tempus, accerſitis Epiſcopis & primoribus palatij, Chriſtiano nomine gloriantibus, primùm tractauit cum eis de ſubſtituendo ſibi Rege. Deindè paternè monuit eos, ſeruare Catholicam fidem, quam accepiſſent, amare iuſtitiam, fraternæ charitati ſtudere, humilitati dare operam, ante omnia verò nouellæ Chriſtianiſmi plãtationi curam & ſolicitudinem adhibere. His dictis, mànus & oculos in cælum erigens, Regina cæli, inquit, mundi inclyta reparatrix, tuo pãtrocinio ſanctam Eccleſiam cum Clero & Epiſcopis, regnumque cum primatibus & populo tuis precibus commendo: quibus ego nunc vltimum vale dicens, animã quoquè meam tuis manibus committo. Inſtabat tunc præcipua ſolennitas, celebris Angelis & hominibus Aſſumptionis beatiſſimæ Mariæ dies: in cuius gaudijs vt ſui corporis fieret diſſolutio, precibus à Domino contendit, lachrymis & genuitibus impetrauit, ſperans cumulationis miſericordiæ ſe ſpem habiturum. Aderat ergò felix ille dies, eius obitu mox felicitatis aliquam acceſſionem habiturus, circũſtabant cum Clero Epiſcopi, cum miniſtris Principes & Comites. Rex in medio iacens, ſacram percepit Vnctionem, ſanctamque animam, corporis & ſanguinis Chriſti recreatam viatico, anno Dominicæ incarnationis milleſimo triceſimoquarto, in manus perpetuæ Virginis & ſanctorum Angelorum, æternæ quietis beatitudini inferendam, tradidit.

Sub mortẽ accipit extremã Vnctionem & Euchariſtiã

Cap. 22. Extitit mox planctus ſanctorum haud vulgaris, Angelis lætantibus: ſed planctus ille poſteà mutatus eſt in gaudium perenne tam præſentium, quàm futurorum populorum. Ad exequias eius ex omnibus Pannoniæ plagis concurſum eſt, corpus ad vrbem regiam, putà Albam, perductũ: ſed cùm eccleſia beatiſſimæ Virginis ab eo conſtructa, necdum conſecrata eſſet, communicato inter ſe conſilio, priùs Epiſcopi ſtatuunt ſanctificandam baſilicam, poſteà in ea corpus humandum. Abſoluta igitur dedicationis ſolennitate, ſacrum corpus in media æde ſarcophago è candido marmore confecto impoſitum eſt, vbi compluribus annis ob eius merita Dominus permultis malè habentibus, febribus vexatis, afflictionem & miſeriam ſuam fatentibus, innumera præſtitit beneficia. Sæpè quoquè illic noctibus Angelicæ melodiæ auditæ ſunt à multis, ſæpè odoris ſuauiſſimi fragrantia per templum ſeſe diffudit.

Multa miracula poſt eius obitũ.

Cap. 23. Iacuit in eo loco ſacrum corpus annis quadragintaquinque, occulta quadã omnipotentis Dei diſpoſitione, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, marmoris pondere preſſum, & in puluerem redactum, vt tempore præfinito digniùs declararetur, & in reſurrectionis die glorioſiùs renouetur. Id verò quid ſignificet, quandò ſine diuina ordinatione & diuino affectu factum minimè putamus, libet oculis interioribus ſpeculari. Fortaſsis nonnihil terreni pulueris, diuinæ examinationis igne purgãdum, in illo remanſerat, ſine quo Reges, magna potentia fulti, vitam præſentem vix, aut ne vix quidem tranſigere poſſunt. Illis ergò euolutis annis quinque & quadraginta, cùm ad præſtanda per eum mortalibus ſuæ miſericordiæ beneficia, ſancti ſui iam vellet Deus merita declarare, Romani Pontificis literis mandatum fuit, vt eorum corpora eleuarentur, qui in Pannonia Chriſtianæ fidei ſemina ieciſſent, & ſua vel prædicatione, vel inſtitutione ad Dominum eam conuertiſſent. Itaque Ladiſlaus Rex, qui tùm ad Reipublicæ gubernacula ſedebat, omni morum honeſtate conſpicuus, & virtutibus illuſtris, diuino cultui & laudibus Dei totus addictus, ſancto illum ſpiritu permouente, communicato cum Epiſcopis & proceribus, totiusque regni ſapientibus viris conſilio, triduanum cunctis ieiuniũm indixit: vt quod communi Catholicorum vtilitati, ſpiritũs ſancti muneribus, animarum & corporum ſalutem efficientibus, profuturum videretur, id communi omnium deprecatione, ieiunijs & eleemoſynis fulcita, per ſignorum manifeſtationem expeteretur. Sed vt oſtenderet Dominus, quanta miſericordia Rex adhuc manens in corpore, præditus fuerit, quam etiam iam cum Chriſto regnans præ cæteris operibus ſe approbare declararet, cùm triduo totis viribus in id incumberent, vt eius ſacrum corpus eleuarent, nulla id arte loco mouere potuerũt. Eo nanque tempore ob hominum culpas inter eum, quem diximus, Ladiſlaum Regem & fratrem eius Salomonem, grauis fuit orta ſimultas & ſeditio, cuius nomine captus Salomon, cuſtodia tenebatur. Dùm ergò in corpore eleuando fruſtrà ſudarent,

Mandatur eius corpus & aliorum ſanctorum eleuari.

Is S. Ladiſlaus, fuit 7. Hungariæ Rex.

Non poteſt moueri ſacrum Regis corpus.

darent, quædam incluſa apud eccleſiam ſancti Saluatoris, (Charitas ea dicebatur) cuius vitæ tum erat celebris opinio, ex diuina reuelatione mandauit Regi, conatus eorum omnes irritos & inanes fore, nec poſſe transferri ſancti Regis corpus, donèc Salomon venia impetrata, liber è cuſtodia dimitteretur. Illo igitur è carcere educto, & rursùs triduano exacto ieiunio, cùm ad ſacras transferēdas reliquias tertio die ventum eſt, grande ſaxum ſarcophago impoſitum, tanta facilitate ſublatum eſt, acsi nihil ponderis haberet. Abſoluto autem eius diei veſpertino officio, cunctis diuinæ benignitatis beneficia per beati viri merita præſtolantibus, ſubitò Chriſto plebem ſuam viſitante, per ſanctæ ædis amplitudinem cælitùs miracula coruſcant. Quorū multitudo quoniam ea nocte numerum exceſſit, libet hîc illud ex Euāgelio dicere, quod Saluator Iohanni, per nuncios ſciſcitanti, an ipſe eſſet, qui venturus ſit, voluit reſponderi: Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, leproſi mundantur, mali corriguntur, paralytici curantur. Sed tamen, quandò omnia non poſſumus, quædam ex eis annotabimus.

Res memorabilis in eleuatione corporis S. Stephani Regis.

Matth. 11.

Cap 24. Paralyticus reualeſcit.

Iuuenis quidam, membris omnibus diſſolutus, duodecim annis manſit paralyticus, manuum & pedum officio deſtitutus. Is parentum opera eò perductus, totius corporis eſt incolumitate potitus, atque ad altare currens alacriter, omnium Chriſti laudes promentium gaudia cumulauit. Fuit hoc eius noctis primum miraculum.

Cap. 25.

Contractus puer ſanatur.

Alius ſeptennis puer, ab ipſo ortu contractus, genibus & manibus reptabat. Eum parētes plena fide ad beati Regis ſepulcrum adducunt, illicq; proſtrati, eius ſuffragia implorant. Mox voto potiti ſuo, mirantur contractos neruos in filij corpore laxari. Vident omnes eum ſolidatis plantis & genibus ambulantem, & Chriſti nomen in beati viri meritis laudabili clamore concelebrant. Porrò Rex pius, præ nimio gaudio lachrymans, puerum è terra leuatum ad altare adfert, & in Dei laudes erumpens, pro tanto beneficio, illi puero collato, cum omnibus qui aderant, profusè gratias agit. Ità totam noctem illam Deus, pro famuli ſui veneratione, multorū ſplendore ſignorum mirificè illuſtrauit: & populus, vigilijs & precibus vacans, ſingula miracula laudis & prædicationis vocibus proſequi non ceſſauit.

Cap. 26.

Nota miracula eriam in abſentib⁹

His verò illud quoquè adiungendum videtur, non ſolùm illic præſentes, ſed etiam procùl poſitos, eius ſuffragantibus meritis, celerem ſalutis effectū adeptos eſſe. Cùm enim eius eleuandi fama paſsim increbuiſſet, varijs afflicti morbis, ex cunctis Pannoniæ finibus, quo quiſque poterat modo, ad ſanctum eius tumulum properârunt. Sed cùm alijs præcedentibus, alij maiori morbo retardati, ſimul eò pertingere non poſſent, eádem tamen miſericordia innumeri in ipſo itinere ſanati ſunt. Quamobrèm etiam ob perpetuam benefici Regis conſeruandam, & ad poſteros propagandam memoriam, complures eius meritis ſalutem adepti, in ijs ipſis, quibus curati ſunt, itineris ſui locis grandes lapidum aceruos effecerunt, qui poſteà longo illic tempore permanſerunt, Sed & mulier quædam exanime corpus vnici filij ſui, qui interìm ſpiritum exhalârat, apud ſancti Regis ſepulcrum depoſuit, Dei & ſancti eius opem imploratura. Mira quidem res, & noſtris temporibus ſtupenda: non priùs fœmina orare deſtitit, quàm viuentem cerneret filium ſuum.

Mortuus reuiuiſcit.

Cap. 27.

Miri quiddam de eius ſarcophago

Manè diei, ab Aſſumptione beatiſſimæ Virginis quinti, conuenientibus in eccleſiam cum Rege principibus, cum Clero Epiſcopis, primùm Miſſa pro defunctis celebrata eſt: deindè ſublata tabula marmorea, quæ erat pauimēto eminētior. Poſtquàm autem ad ſarcophagum peruentū eſt, tanta indè ſuauiſſimi odoris fragrantia in omnium nares dimanauit, vt ſibi in paradiſum deliciarum Dei rapti viderentur. Ipſe verò ſarcophagus plenus fuit aqua aliquantùm ſubrufa, & quasì oleo permixta, atque in ea, perindè atquè balſami liquore, oſſa precioſa quieuêre. Quibus in mundiſſimum linteamen collectis, in ipſo liquore diutiſſimè quæſiêrunt annulum, ſancti Regis dexteræ inſertum. Sed cùm non inueniretur, iuſſu Regis aqua illa in argentea vaſa effuſa eſt, vt poſſet annulus certiùs reperiri. Sed modo ſanè admirabili factum eſt, vt quo plus exhauriretur aquæ, eo magis ſarcophagus impleretur. Id vbì animaduerſum eſt miraculi, aquam hauſtam ſuo reſtituêre loco: nec tamen, ea accedente, ſarcophagus magìs abundare viſus eſt. Tum verò cooperto ſepulcro, laudes & gratias egérunt diuinæ pietati. Porrò interìm dum ex inuento theſauro reparant beatiſſimæ matris Dei & perpetuæ Virginis altare, Deus, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, profuſis benignitatis ſuæ muneribus & euidentibus miraculorum ſignis ſe præſentem declarauit, intantùm, vt tempus illud, quo Saluator vixit inter homines, redijſſe videretur,

tur, de quo ſcriptura diuina ait: Omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Ieſum, & curabantur. Hæc verò omnia virtus diuina, non ſolùm illo die, ſed poſteà quoquè longo tempore ob merita ſerui ſui effecit, ità vt etiam ab exteris regionibus, cognita beati viri fama, ſalutis recuperandæ cauſa permulti, varijs affecti morbis, ad ſancti Regis imploranda ſuffragia cupidiſſimè aduolarent.

Luc 4.

Cap 28. Mathildis Comitiſſa ſit ſana.

Comitiſſa Mathildis, eximiæ nobilitatis matrona, tribus annis perpetuo viſcerum dolore laborans, iam morti proxima videbatur. A ſuis verò ad monumentum beati Regis allata, vbì illud attigit, paulatìm cœpit habere melius: breuique recuperata priſtina valetudine, magnalia Dei per famuli eius merita in ſe renouata diuulgauit. Alia miracula cælitùs perpetrata non idcircò prætermiſi, quòd ea faſtidiam: ſed cùm non mihi vni pluat Dominus, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: tantam beneficiorum eius copiam, omnium vtilitati conſulere cupiens, innumeris ſapientibus viris, quos Hungaria fouet & complectitur, ſtylo proſequendam relinquo.

Matth. 5.

Cap. 29.

Illud ſolùm ſub libelli finem adijcere libet, miro diuinæ benignitatis munere, diù quęſitum & minimè repertum annulum, cum ipſius beati regis dextera, poſt eius peractam tranſlationem, inuentum eſſe. Nam monachus quidam, Mercurius nomine, (qui cùm eſſet Clericus, theſauri beatiſſimæ ſemperque Virginis Mariæ cuſtos fuerat, & iam amore cæleſtis patriæ ſeculo valefecerat) ea hora, qua ſancti Regis tumulus apertus fuit, nè quid ſacrarum reliquiarum ad ſe raperet, obiurgatione Regis procùl indè remotus fuit. Sedenti igitur in Choro triſti vultu, iuuenis quidam candido amictus habitu, pannum inuolutum tradidit, ità dicens: Hunc pannum tibi ſeruandum commendo, opportuno tempore in lucem proferendum. Sacro indè expleto miniſterio, monachus in quodam angulo domûs explicat pannum, integramque pij Regis manum cum annulo mirifici operis cernens, expaueſcit, nulloque conſcio, ad monaſterium ſuum, cui præfectus erat, ea abſportat, tempus à iuuene ipſi memoratum præſtolaturus. Et diù ſanè theſauri illius in agro abſconditi ſolus ipſe cuſtos peruigil fuit. Deindè monaſterij eius fundatoribus rem aperuit. Poſtremò, appropinquante iam tempore, quo erat arcanum illud in publicum efferendum, ad Regis quoquè notitiam perduxit. Is verò mox accitis Epiſcopis, & Hungariæ primarijs viris, cùm multa interìm Chriſtus miraculorum beneficia exhiberet, celebrem præfixit diem beati Regis dexteræ eleuandæ. Sed quid ſibi vult, fratres mei, quòd cæteris membris reſolutis, & carne in puluerem redacta, ſolam dextram manum cum eius cute, oſſibus & neruis, Deus integram conſeruauit? Equidem ſic ſentio, diuini conſilij altitudinem id hac re demonſtrare voluiſſe, eleemoſynæ ſtudium omnes virtutum gradus tranſcendere. Quamobrèm etiam in Euangelio Dominus ait: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. itemque: Date, & dabitur vobis. & alio loco ſcripturæ diuinæ: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Meritò igitur ſancti Regis dextera, corruptionis manſit expers, quæ ſemper miſericordiæ floribus reuiuiſcens, ad alendos pauperes nunquàm muneribus diſtribuendis vacua fuit. Nanque pijſſimus Rex opem tulit calamitoſis & indigis, liberauit oppreſſos captiuitatis iugo, veſtes & hoſpitalitatis officia impendit peregrinis, viduarum & pupillorum miſeriam & inopiam, ſuam putauit. Mandatum Saluatoris de lauandis aliorum pedibus, quotidiè impleuit, pauperum pedes abluens: eleemoſynas præſtitit non ex rapinis aut aliorum damnis, ſed de ſuis facultatibus. Vt domos Dei locupletaret, ſibijpſi interdixit habendi voluntatem. Deniquè omnibus pro dignitate prodeſſe cupiens, carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifixit. Indè eſt ergò profecta corporis & dextræ manûs eius admiranda & iucunda veneratio: indè ſuauis & beata ſempiternæ vitæ retributio: indè optatiſſima ſupernorum ciuium cohabitatio: Vbì cunctos illuſtrat ſemper lucens, nec vnquàm deficiens ſplendor vnius ſummæque diuinitatis, patris & filij & ſpiritus ſancti per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Dextera ſancti Stephani traditur Mercurio monacho ſeruāda ab Angelo.

Dextra ſancti regis manus, pluribus annis manſit incorrupta.

Matth. 5. Luc. 6. Eccles 3.

Dextera manus eius eleemoſynarum largitrix.

Iohan. 13.

MARTYRIVM S. PRIVATI EPISCOPI GAVALITANI ET MARTYRIS, VT HABETVR IN ANTIQUIS MS. CODICIBUS: *cui fidem conciliat S. Gregorius Turonensis Lib.* I. *De Historia Francorum, cap.* 30. *&* 32. *&c. Stylum hincindè nonnihil elimauimus.*

Augusti 21.

VALERIANO & Gallieno Imperatoribus, Romanæ reipublicæ præsidentibus, sæua in Christianos persecutio mota est, adeò vt innumeris illorum edictis compulsi iudices, cum officio ac militari manu certatim vbiquè discurrentes, captos Dei cultores custodijs manciparent, & ad iudicia pertractos, verberibus agerent, bestijs lacerandos obijcerent, ignibus torrerent, & diuersis tormentorum generibus excruciarent: vt posset etiam ab ijs mortis remedium desiderari, quos constabat gratulabundos torqueri. Ea tempestate Romæ Cornelius, Cyprianus Carthagine, summi antistites, pro Christi nomine glorioso martyrio coronati sunt. Vndè factum est, vt tanta crudelitate prouocata Domini indignatio, tandèm sese declararet. Nam cùm per id tempus Romani Imperij status, pacatis hostibus, incolumis haberetur, repentè omnes penè barbaræ nationes, è suis sedibus erumpentes, aduersùs rempublicam quasi coniunctis animis arma tulêre; Orientemque & Occidentem vastantes, vrbes euerterunt, populos trucidârunt, omnia diripuerunt, & terras in quasdam horrendas redegêre solitudines.

Alij Cornelium sub alijs passũ aiunt.

E quibus tum Alemani, transmisso Rheno, Gallias petiêrunt, non tam virtute, quàm numero, prævalidi: quos Regem * Scorconẽ illo tempore habuisse confirmat antiquitas. Illi igitur multitudine innumerabili, cùm instàr locustarum non solùm per Gallias peruagarentur, sed etiam obuia quæq; protererent, vt hodieque magnarum vrbium ruinæ testantur, in Gaualitanæ regionis excidium animos atque arma conuerterunt. Quod cùm loci incolæ comperissent, in montem Gredonensem pro rei necessitate confugiunt, expetentes præsidium montis excelsi, quem eatenùs non cura & ars muniĕrat, sed natura: adeò vt ad eius loci tutelam etiam peregrini populi concurrentes, intolerandam hostium sæuitiam se euasisse gratularentur. Ei verò regioni siue ecclesiæ tum præerat sanctus Priuatus Episcopus, sedem habens in viculo Mimatensi, quòd qui ante eum Episcopi illic fuĕrant, eo loco & commorati & sepulti essent. Is autem sanctus vir tum religionis studio feruens, tum de quiete solicitus, in eius montis supercilio, quod illi viculo supereminet, cryptam sibi grandi studio & eleganti operè confecit, in qua perpetuò manens, nunquàm indè prodijt, nisì cùm ad agenda pro more solennia egrederetur. Cùm se ergò iam dictæ vrbis homines in Gredonensis montis munitione inclusissent, sanctum Priuatum Episcopum in eius, quam diximus, cryptæ receptaculo hostilis furor reperit: in qua ille degens, licèt Gredonensibus corpore non adesset, oratione tamen non defuit. Nam quos præsentia sua consolari non poterat, spiritu confouebat.

* Chrocum

Alemani vastãt Gallias.

Manet semper in crypta S. Priuatus Episcopus.

Intereà Barbari regionem omnem populabundi peruagantur, & tandèm ad Gredonensem locum confluunt, non solùm in eo indigenas, sed etiam exteros populos obsessuri. Cùm autem permultos primarios viros ex alijs regionibus, eò se conferentes, eádem obsidione premerent, non solùm omnem sibi expugnationis spem, sed etiam oppugnandi aditum, præclusêre. Itaq; incerti & planè desperabundi, feroces animos adhibuerũt, vt quos magno suo malo vallauerant, diuturno tempore clausos tenerent: & qui vi expugnari non possent, vel fame compellente vincerentur. Dum autẽ in hac intentione persistũt, fama ad eos perfertur, Episcopũ regionis eius non esse cùm obsessis, sed in receptaculo, quod pacis tempore sibi fecisset, cõmorari. Eo comperto, mox ad rapiendũ illũ hostes aduolant, ea vel maximè spe, quòd si ille veniret in manus ipsorum, idq; obsessi cognoscerent, continuò eorum animi frangerentur, atq; ad eam conditionem spontè descenderent, qua suum viderent antistitem teneri. Eunt ergò confestim ad cryptam, deponuntque sanctum virum in collem, qui erat inter montem & ecclesiam, in quo quoddam est propugnaculum, cui Tutoris nomen vetustus conditor

Alemani Gredonen. locum obsident.

Cõpræhenditur ab hostibus Episcopus.

conditor imposuit. Et cùm ibì, vt barbarorum habet vel necessitas, vel consuetudo, per interpretem sanctus vir compellaretur, discerétque ea causa se * pertinaciter captum, vt suorum animos ad deditionem persuasione sua permoueat, plebemque & Dei & loci beneficio tutam, ad spontaneam captiuitatem ipse captiuus adducat: respondit se hoc nequaquàm facturum, affirmans nec sacerdotem par esse tale suæ plebi præbere consilium, nec populum, loco tutissimo commorantem, deditioni animos accomodaturum: satiusque fore, in quæuis ipsum discrimina conijci, quàm ad tale facinus præbere consensum.

* perniciter

Eo responso barbari commoti, statìm eum fustibus cædunt, multisque actum verberibus, ad vicum vsque perducunt, sibi persuasum habentes, eum vel post supplicia sententiam mutaturum. At ille in eádem voce persistens, hoc solùm addidit, potuisse illis semèl dicta sufficere, si qua prudentia vel humanitate essent præditi: sibi verò, quod ab ipso poscerent, minimè licere. Tum illi maiori indignatione accensi, quippè rationis expertes, ad multo atrociora prosiliunt, tantæ sanctitatis virum ad immolandum idolis compellentes: vt qui ciuium suorum malè suadendo hostis esse nollet, vel animæ suæ inimicus efficeretur. Itaque funesta sacrificia componunt, vtque ea offerat, multis intentatis minis vrgent, aiuntque eum aut ipsorum immolare idolis, aut tormentis confici oportere. Sanctus Episcopus sine cunctatione respondet: Miror vos qualemcunque antistitem ad tam execranda compellere. Si enim vlla vobis inesset humana prouidentia, posset apud vos absque mea assertione constare, multo esse rectius, loci mei hominem quenlibet etiam atrocissimæ mortis subire cruciatus, quàm plebem sibi creditam prodere, & dum ipse perit, illi perditionis authorem existere.

Cæditur fustibus, dum non vult deponere sibilitos.

Nõ vult sacrificare dæmonibus.

His auditis, illi quanùs barbari, tamen moderationem vtcunquè fingentes, respondent: Num te ad illicita & solis barbaris vsitata compellimus? An non & Imperatores vestri, & eorum iudices idola colunt, & Christianos omnes sacrificare compellunt? Sanctus Episcopus dixit: Tametsì grauissimum id est, tamen agnosco vera esse quæ dicitis. Perspicua enim sunt Romanorum principum in gentili prophanatione non tam peccata, quàm crimina. Quod nisì ità esset, ad concutiendam & vexandam eorum Rempublicam non tantæ existerent barbararum nationum vires. Quicquid enim in perniciem nostram vos geritis, non à virtute vestra, sed nostrorum Imperatorum falsa religione, id proficiscitur. Sed est tamen Dei nostri, quem vos penitùs ignoratis, ea virtus & potentia, vt temporis momento & principes, quos nobis obijcitis, liberare possit ab errore, & idola vestra prosternere, & nobis, quos præsentium afflictionum verberibus castigatis, solita benignitate opitulari. Ego verò spe bonorum æternorum, quæcunque mihi tormenta intuleritis, planè contemno.

Mox barbari immaniora proferentes supplicia: Aut sacrifica, inquiunt, sine mora, aut varijs tormentorum generibus te nóueris interficiendum, & in exemplum cæterorum, noua & execrabili morte periturum. At sanctus Episcopus ex Dei munere præsentem animum ad omnia toleranda afferens: Adhibete, inquit, cruciatus omnes, & finem mihi vitæ imponite. Ego in nomine Dei mei aliud, quàm sum, esse non possum. Melius mihi est, præsentes ferre pœnas, quàm vobis & dæmonibus vestris stultissimè seruiendo, æternos gehennæ experiri cruciatus. Hæc & id genus alia illo dicente, perindè acsì tum primùm inciperent, atrociter in eum barbari sæuiunt, actoribusque flagris, ardentioribus flammis, & nouis pœnarum vulneribus adeò eum excruciant, vt exanimis putaretur. Eo ergò relicto, cùm se nihil proficere cernerent, ob id tantùm ad Gredonensem locum, vndè profecti fuerant, se retulerunt, vt ab inclusis pacem postularent.

Magna eius constantia.

Durissimè excruciatur

Ità ergò mutata rerum vice, obsessi præstant, quod rogare debuerant: vt illos potiùs crederes obsidione liberatos, qui datis multis muneribus, pacem & commercia ab obsessis impetrârunt. Id verò quis dubitet sancti præsulis & confessoris meritis Deum præstitisse, vt mox ab eius passione hostes omnes ab obsidione discederent? Plebs verò egrediendi tandèm libertate potita, ilicò ad Episcopum & confessorem gratulabunda accurrit, alijque eius genibus aduoluuntur, alij suo ore eius sacro corpori inflicta lingunt vulnera, deniquè ab omnibus in domo Domini pro tantæ miserationis beneficio in cõmune gratiæ aguntur. Beatus verò confessor aliquandiù posteà mansit in corpore: at tamen illis cruciamentis quassatus, non multò pòst è seculo excedens, ad gloriam & sedem ipsi debitam cõmigrauit. Et quia per id tempus, vt diximus, aduersùs

Eius precibus fuit ab obsidione liberantur.

Decedit è vita.

aduersùs Christianos vbiquè feruebat persecutio, & tanta erat persecutorum rabies, vt nec sanctorum cineribus parcerent, quos iniùstissimè puniebant, assistente sancto antistite suo, salubriori eius consilio vsi, sepulturæ eius cryptam in loco subterraneo effecerunt, in eaque sanctum corpus eius cum summa veneratione condiderunt: vbi Dominus Deus noster virtutum suarum beneficia penè quotidiè, sancti martyris sui suffragantibus meritis, exhibere dignatur.

DE S. SYMPHORIANO MARTYRE EX ANTIQVIS MS. EXEMPLARIBVS. CONSENTIVNT *vetustissima Martyrologia: & meminit historiæ huius Gregorius Turonensis, De Gloria Confessorum cap. 77. Stylum F. Laur. Surius passim nonnihil expoliuit.*

Augusti 22.

AVRELIANO principe aduersùs Christianum nomen persecutionis diram procellam excitante, & ad abolendam Catholicæ legis religionem, imperij sui decreta conuertente, * Augustoduni erat Symphorianus, Fausti nobilis viri filius, Christiana familia ortus, literis & moribus probè institutus, ità vt primæ ætatis florentes annos, senum mores & grauitatem præ se ferens, immaculatæ mentis synceritate superaret. Is itaque cùm pueritiæ & adolescentiæ metis prætergressis, ad virilis ætatis robur peruenisset, tantam virtutum suarum omnibus bonis spem fecit, vt eum boni omnes iam cum supernis virtutibus meritorum consortium habere putarent, idque non sine admiratione statuerent. Illustrabat enim eum cælestis sapientiæ spiritalibus gemmis ornata simplicitas, & ipse iustum vitæ tramitem tenens, felicis gubernaculi moderatione seruatus, malè blandientis mundi naufragia vitauit. Per id tempus Heduorum ciuitas Augustodunum, antiquæ nobilitatis titulis & sacrilegæ religionis referta cæremonijs, errorique seruiens, diuersis gloriabatur idolorum templis, multoque vanæ superstitionis tenebatur amore: inprimìs autem Berecynthiæ, Apollinis, & Dianæ cultum studio propensiori complectebatur.

Patria & genus Symphoriani.

Berecynthia est, quã Cybelem vocant.

Conuenerat tum ad Berecynthiæ matris dæmonum profanam solennitatem multa populi frequentia. Porrò Heraclius consularis id temporis in ea vrbe residebat, ad perquirendos discutiendosque Christianos cumprimìs sagax & curiosus. Adfuit & Symphorianus, & cùm nollet statuam Berecynthiæ, quæ carpento vehebatur, agminibus stipata populorum, per contemptum adorare, publicæ seditionis prætextu comprehensus tenetur, & Heraclio consulari offertur. Is verò pro tribunali sedens, ait ad eum: Nomen tuum conditionemque edicito. Ille respondit: Symphorianus dicor, Christianus sum. Iudex dicit: Christianus es? Nos igitur, vt video, latuisti. Nobis huius nominis professio non magni momẽti videtur. Sed cur deę matris effigiem, profana abusione despectam, adorare noluisti? Symphorianus respondit: Paulò antè iam dixi, Christianus sum. Deum viuum adoro, qui regnat in cælis. Simulacrum verò dæmonis non solùm non adoro, verumetiam, si permittis mihi, malleis illud mea authoritate comminuam. Iudex ait: Iste non solùm sacrilegus, sed etiam rebellis conatur existere. An huius loci ciuis sit, dicat Officium. Dictum est ab Officio: Hinc est: & quidem ex nobili familia. Iudex ait: Applaudis tibi Symphoriane gloriosa indole, & hęc fama cœpit tibi sub ambiguo mendacium persuadere. Et forsitan ignoras, quid principum nostrorum decreta sanxerint. Ea ergò ab Officio recitentur. Lectum est ab Officio:

Offertur Iudici pro tribunali sedẽti S. Symphorianus.

Decretum Aureliani eidem prælegitur.

Aurelianus Imperator administris & rectoribus suis: Comperimus ab his, qui se nostris temporibus Christianos dicunt, legum præcepta violari. Hos ergò comprehensos, nisi dijs nostris sacrificauerint, diuersis pœnis subdite: vt habeat & districtio prolata iustitiam, & in resecandis criminibus vltio terminata iam finem. Lectis Imperatorijs edictis, iudex ait: Quid ad hæc Symphoriane dicis? Num possumus nos principum decreta conuellere? Duplex tibi crimen intenditur: Vidéris & deorum contemptu sacrilegus, & legum abusione proteruus & contumax. Sed nisì iussis obtemperaueris, hæc tuo sanguine diluentur. Sanctus Symphorianus respondit: Nunquàm ego

ego hanc statuam aliud, quàm diabolicæ persuasionis infaustum simulacrũ, & publicæ perditionis execrandum dæmonem putabo. In chaos tartareum procliui semita prolabitur, quisquis Christianus, damnatis prioribus passionibus, ad mala deterioris vitæ conuersus, retrò respicit: statimque deuio gradu semita exorbitante iactatus, & parati muneris gratia destitutus, antiqui hostis retibus paret. Deus verò noster, vt nouit remunerare rectè facta, ità nouit etiam punire peccata. Nomini suo obedientes viuificat, rebelles interficit. In eius ergò confessione firma animi stabilitate duranti, longè mihi præstabilius est sempiterni Regis tenere portum, quàm in mortiferum sæuientis diaboli naufragium conijci.

Præclarum S. Symphoriani responsum.

Vbi sensit Iudex, sanctum Symphorianum dictis suis minimè parére, iussit eum cædià lictoribus, & indè carceri mancipari. Posteà ad certum diem rursùs eum iubet sisti coram se. Producitur ergò è tenebris filius lucis: ex illo feralis ergastuli latibulo, cum æterno Rege semper victurus. Acriores nexus liuentium lacertorum, macie cutis attenuata laxauerat: dumque animum suum ad cælestia contemplanda gaudia sustolleret, inter beata supplicia non minus fuit consumpsisse sanguinem, quàm fudisse. Ait ad eum Iudex: Quanto rectiùs faceres Symphoriane, si immortalibus dijs seruientem, ex ærario publico muneratum te præclaræ militiæ splendor eucheret. Si ergò hodiè venerandum deæ matris simulacrum prostratus adorare vis, Apollinis quoquè & Dianæ sublimium numinum te cultorem venerabundum declarare, thure redolentia iubebo altaria sertis redimiri, & incensi odoribus sacrificia digna persolui. Symphorianus respondit: Non debet Iudex, cui Reipublicæ cura demandata est, ineptis & friuolis vti sermonibus. Quòd si periculosum est, ad animæ profectum non quotidiè aliquid adijcere: quanti periculi est, animæ salute posthabita, scopulis criminum naufragio vrgente illidi? Iudex ait: Sacrifica dijs, vt possis palatij honoribus perfrui. Symphorianus respondit: Iudex tribunal suum polluit, qui gladijs legum publicitùs latrocinatur: animæque suæ perpetuæ calamitatis mortem affert: & vita eius perennis opprobrij maledictis proscinditur. Nos vitam, quam Christo soluturi sumus ex debito, quidni ex voto soluamus? Sera pœnitudo est, ad sui iudicis timuisse conspectum. Munera vestra, fucati mellis permixta dulcedine, malè credulis mentibus venena parturiunt. At nostræ opes & diuitiæ semper in Christo sunt, quas nulla vnquàm vetustas, nulla temporis diuturnitas corrumpit. Cupiditas vestra, etiam omnia habendo, nil possidet: quandoquidem diabolicis obnoxia laqueis, infelicis lucri perpetuis vritur æstibus. Nobis verò nihil in hoc mundo aufert humanæ fragilitatis lapsura conditio. Gaudia vestra, instàr vitri ad solis splendorem crepantis, dissiliunt. Quicquid finis interimit, casus inuoluit, & cum perenni mundi vertigine rapax tempus obducit. Solus Deus noster beatitudinem vendicat sibi. Eius gloriæ exordium, cùm non fuerit illius conscia, rerum nescit antiquitas: eius quoquè terminum, qui nunquàm futurus est, scire non potest series inueterata seculorum.

Cæsus ducitur in carcerem.

Cotemnit oblatos honores.

Irridet falsos deos.

Iudex ait: Nimiùm te diù, Symphoriane, de Christi nescio cuius magnitudine & maiestate inaniter disputantem, patientiæ meæ tenore sustinui: sed nisì deæ matri sacrificaueris, hodiè te pœnis omnibus excruciatum, capitali sententiæ subijciam. Symphorianus dixit: Ego Deum omnipotentem & viuum timeo, & illi vni seruio. Tu corpus meum ad tempus habes in tua potestate, animam non habes. At nunc in idoli huius cultu portentosam attende superstitionem vestram, quod tu ad opprobrium & exitium tuum veneraris: in cuius sacris excisas corporum vires castrati adolescentes infaustæ imagini exultantes illidunt, & execrandum facinus pro grandi sacrificio ducitis sacrilegi sacerdotes: vt quod immane scelus est, religionis prætextu veletur. Vbi perstrepentes buxos & tibias, fanatici furoris inflati insania, vbi cymbala pulsant Corybantes. Apollinem verò istum quis nesciat apud Amphrysum fluuium Admeti regis egisse pastorem? qui voluptatum suarum illecebras recolens, laureis delectabatur coronis, & per implicatas ambages mugientes pecudes, formas dæmonum & voces Delphico miser recessu exercuit: vbi cùm crebrò falleret, fertur nonnunquàm vera ceciniisse. Dianam quoquè dæmonium esse meridianum, sanctorum industria inuestigauit: quę per compita curstrans, & syluarum abdita perlustrans, incredulis hominum mẽtibus zizania & tribulos sceleratis artibus suis inserit: dumq; in vijs tendit insidias, Triuiæ sibi cognomen obtinuit. Hæc sancto Symphoriano prosequẽte, iudex furore percitus ait: Symphorianus publici criminis reus, qui dijs nostris sacrificare detrectans, sacrilegio se obstrinxit, sacris etiã aris nefarijs vocibus iniuriam irrogauit, gladio

vltore

vltore feriatur: vt dum crimina funesta coërcentur, deorum pariter & legum vindicetur iniuria. Ea prolata sententia, cùm vir beatus duceretur ad mortem, Christi victima futurus, venerabilis mater eius de muro sedula illum voce & oratione ità exMater eius egregiè illũ confirmat. hortabatur: Nate, nate Symphoriane, memento Dei viui. Concipe fili, concipe animi constantiam. Timere non possumus mortem, quæ citra dubium perducit ad vitam. Sursùm, fili, erecto corde, adspice illum, qui regnat in cælis. Hodiè tibi, nate, vita non tollitur, sed mutatur in melius. Et quanuis angustus collis & iter durum atque scrupulosum ærumnas & afflictiones adferat: at tamen hęc via est, in qua percussorem tuum prostratus interficis. Facessat igitur metus omnis tormentorum, quandò breuissimo vitæ curriculo propinqua meta finem imponit. Si hodiè perduraueris, illi, ad cælestem gloriam & supernam nobilitatem felicissima commutatione migrabis. Ità ergò sanctus Symphorianus extra muros eductus, à carnifice cæsus est, purpurei sanCapite trũcatur. guinis sui vnda perfusus. Porrò homines religiosi eius corpus latenter indè sustulerunt. Conditus autem est apud fontem, qui est extra agrum publicum, in cellula parua, at tamen semper se suis virtutibus prodens, ità vt ipsis quoquè gentilibus, ob miracula & sanitatum beneficia stupentibus, in maximo honore ea tempestate haberetur, non longè à basilica sua, quæ studio summo antistitis nostri celsum protulit ædificata fastigium, fulgetque non vno muneris sui ornata priuilegio, sed præcipuis patroni nostri Symphoriani martyris referta virtutibus: Qui præteruolantis vitæ naufragia, dum
S. Symphoriani defensor patriæ suæ. de te diabole triumphat, exclusit, defensor factus patriæ suæ, dum ad veram festinat patriam: Apparuitque turris fortitudinis contra faciem aduersantis inimici, quam sanguinis sui effusione construxit. Inexpugnabilem murum auxilio corporis sui perennis patrocinij mediator attollit, innumeras curationes meritorum suorum virtute efficit. Deniquè per eum nobis apud Dominum Iesum Christum cuidens misericordiæ panditur via, & in omnium votorum plenitudinem felix aperitur ingressus: Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui est vita omnium sine fine sanctorum, & regnat cum patre in vnitate spiritûs sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

DE S. SIDONIO ARVERNORVM EPISCOPO, EX HISTORIAE FRANCORVM GREGORIJ *Turonen. Episcopi, Lib. 2.*

Augusti 23. Lib. 2. ca. 21

Sidonij genus nobilissimum.

MIGRANTE Eparchio Aruernorum Episcopo, Sidonius ex præfecto substituitur, vir secundùm seculi dignitatem nobilissimus, & de primis Galliarum Senatoribus: ità vt filiam sibi Auiti Imperatoris in matrimonio sociaret. Huius tempore, cùm adhuc apud vrbem Aruernam Victorius, cuius suprà meminimus, moraretur, fuit in monasterio beati Cyrici vrbis ipsius Abbas, Abraham nomine, qui fide atque operibus Abrahæ illius prioris refulgebat, sicut in libro vitę eius scripsimus.

CAP. XXII.

Egregia S. Sidonij eloquentia. SAnctus verò Sidonius tantæ facundiæ erat, vt plerunquè eximprouisò luculentissimè quæ voluisset, nulla obsistente mora, componeret. Contigit autem quadam die, vt ad festiuitatem basilicæ monasterij, cuius suprà meminimus, inuitatus accederet, ablatoque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solennia agere consueuerat, is ità paratus ex tempore cunctum festiuitatis opus explicuit, vt ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adstantibus, hominem ibi locutum fuisse, sed Angelum. Quod in præfatione libri, quem de Missis ab eo compositis coniunximus, plenius declarauimus.

CAP. XXIII.

Mira in pauperes liberalitas. CVM autem esset magnificæ sanctitatis, atque, vt diximus, ex Senatoribus primis, plerunquè nesciente coniuge, vasa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cùm cognosceret, scãdalizabatur in eum: sed tamen dato egenis precio, species domui restituebat. Cumque ad officium Dominicum fuisset mancipatus, & sanctam ageret in seculo vitam, surrexerunt contra eum duo Presbyteri, &
Duo presbyteri valdè eũ premũt. ablata ei omni potestate à rebus ecclesiæ, arctum ei victum & tenuem relinquentes, ad summam eum contumeliam redegerunt. Sed non longi temporis spatio inultam eius iniuriam diuina voluit sustinere clementia. Nam vnus ex his nequissimis & indignis

gnis presbyteris, cùm ante noctem minatus cum fuisset de ecclesia velle extrahere, signum ad matutinos audiens fuisse commotum, feruens felle, cõtra sanctum Dei surrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractauerat. Ingressus autem in secessum suum, dum ventrem purgare nititur, spiritum exhalauit. Expectabat enim puer foris cum cereo dominum egressurũ. Iamq; aduenerat lux, & satelles Horrenda mors presbyteri. eius, id est, alius presbyter mittit nuncium, dicens: Veni, nè tardaueris: vt quæ die hesterna nobis conuenerant, pariter expleamus. Sed cùm responsa dare differret animis, eleuato puer velo ostij, reperit dominum super sellulã secessûs defunctum. Vndè indubitatum est, non minoris criminis hunc reum esse, quàm Arrium illum, cui similiter in secessu fuerunt interna deposita, per partes inferiores egesta: quia nec illud sine hæresi potest accipi, vt in Ecclesia nõ obediatur sacerdoti Dei, cui ad pascendum Nota hanc sententiam. oues commissæ sunt: & ille se ingerat potestati, cui neque à Deo, neque ab hominibus aliquid est commissum.

Hinc beatus sacerdos, vno adhuc manente nihilominùs inimico, suæ restituitur potestati. Factum est autem post hæc, vt accedente febre, ægrotare cœpisset: qui rogat suos, vt eum in ecclesiam ferant. Cumque illuc illatus fuisset, conueniebat ad illum multitudo virorum ac mulierum, simulque etiam & infantium, plangentium atq; dicentiũ: Cur nos deseris pastor bone, aut cui nos quasi orphanos derelinquis? Nunquid erit nobis post transitum tuum vita? nunquid erit postmodùm, qui nos sapientiæ sale sic condiat? aut ad Dominici nominis timorem talis prudẽtiæ ratione redarguat? Hæc & his similia populis cum magno fletu dicentibus, tandèm sacerdos spiPrædicit successurũ sibi Aprunculum, & abit è vita. ritu in se sancto influente, respõdit: Nolite timere, ô populi. Eccè frater meus Aprunculus viuit, & ipse erit sacerdos vester. Qui non intelligentes, putabant eum loqui aliquid in ecstasi. Quo migrante, presbyter ille nequam, alter ex duobus, qui remanserat, protinùs omnem facultatem ecclesiæ, tanquàm si iam Episcopus esset, inhians cupiditate præoccupat, dicens: Tandèm respexit in me Deus, cognoscens me iustiorem esse Sidonio, largitusque est mihi hanc potestatem. Cumque per totam vrbem superbus ferretur, adueniente die Dominico, qui imminebat post transitum viri, præparato epulo, iussit cunctos ciues in domo ecclesiæ inuitari, despectisque senioribus, primus recumbit in toro. Cui offerens pincerna poculum, ait:

Visio pincernæ presbyteri cuiusdam nequam, & æmuli S. Sidonij. Domine mi, vidi somnium, quod si permittis, edícam. Videbã hac nocte Dominica: & eccè erat domus magna, & in domo erat thronus positus, in quo quasi iudex residebat, cunctis potestate præstantior: cui assistebant multi sacerdotum in albis vestibus, sed & promiscuæ populorũ turbæ innumerabiles. Verùm cùm hæc trepidus contemplarer, vidi inter eos beatũ adstare Sidonium, & cum presbytero illo tibi charissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migrauit, attentè litigantem. Quo denicto, iubet Rex, vt in imis carceris angustijs retrudatur. Ablatoque isto, contra te iterùm suggerit, dicens te in eo scelere, propter quod prior ille dãnatus fuerat, fuisse participem. Verùm vbi iudex, quem ad te transmitteret, solicitè cœpit inquirere, ego me inter reliquos occulere cœpi, & à tergo statui, tractãs apud memetipsum, nè fortè ego, qui nefas sum, homini mittar. Dum hęc mecùm tacitus volucrem, amotis omnibus, remansi solus in publico: vocatusque à iudice, propius accedo. Cuius virtutem atque splendorem contuens, cœpi hebes effectus titubare præ metu. Et ille: Nè timeas puer, inquit: sed vade, dic presbytero illi: Veni ad respondẽdam causam: quia Sidonius te accersiri deprecatus est. Tu verò nè moram facias ad eundum, quia sub grandi testificatione mihi præcepit Rex ille hæc loqui, dicens: Si tacueris, morte pessima morieris.
En etiã alterius presbyteri terribilẽ mortem. Hæc eo loquente, exterritus presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritum, ac derecubitu ablatus mortuus, sepulturæ mãdatus est, possessurus infernum cum satellite suo. Tale iudicium super contumaces clericos Dominus in hunc prætulit mundum, vt vnus Arrij sortiretur mortem, alius, tanquàm Simon magus Apostoli sancti oratione, ab excelsa arce superbiæ præceps allideretur. Qui non ambiguntur pariter possidere tartarum, qui simul egérunt nequiter contra sanctum Episcopum suum.

S. Aprunculus, cædem sibi paratã fugiens, fit Episcopus Aruernorũ Interea cùm iam Francorum terror resonaret in his partibus, & omnes eos amore desiderabili cuperent regnare: sanctus Aprunculus, Lingonicæ ciuitatis Episcopus, apud Burgundiones cœpit haberi suspectus. Cumq; odium de die in diem cresceret, iussum est, vt clàm gladio feriretur. Quo ad eum perlato nũcio, nocte à castro Diuionensi per murum demissus, Aruernos aduenit, ibique iuxta verbum Domini, quod posuit in ore sancti Sidonij, vndecimus datur Episcopus.

MARTYRIVM SS. CLAVDII, ASTERII, ET NEONIS, ITEMQVE DONVINAE ET THEONIL.

læ, ex MS. codice, cui vetusta Martyrologia adstipulantur, per F. Laur. Surium mutato stylo descriptum.

Augusti. 23.

LYSIAS Præses Lyciæ, apud Aegeam vrbem sedens pro tribunali, dixit: Offerantur examini meo Christiani, qui huius Vrbis magistratui traditi sunt ab officio. Eulalius Commentariensis dixit: Iuxta præceptum tuum Domine, quos huius vrbis magistratus comprehendere potuit, Christianos offert tres pueros fratres, & duas fœminas cum infantulo. Ex ijs vnus adstat in conspectu claritatis tuæ. Ecquid de eo præcipit nobilitas tua? Lysias Præses dixit: Quis díceris? Respondit: Claudius vocor. Lysias Præses dixit: Noli florem iuuentutis tuæ per amentiam perdere: sed accede, & sacrifica dijs, quēadmodùm iussēre Augusti domini nostri, vt possis parata tibi tormēta vitare. S. Claudius ait: Deus meus id genus sacrificij non habet opùs: eleemosynis ille potiùs & vitæ sanctimonia delectatur. Dij autem vestri, impuri dæmones sunt, gaudentq; huiusmodi sacrificijs, quibus animæ illorum æternum sibi exitium conscisc unt, qui eos colunt. Nulla igitur ratione mihi poteris persuadere, vt illos colam. Lysias dixit: Ad virgas iste aptetur: non enim alia via eius poterit insania domari. Claudius ait: Etiamsì his grauiora adhibeas tormenta, me quidem prorsùs nihil lædis, tuæ verò animæ æterni ignis supplicia paras. Lysias Præses dixit: Domini nostri Imperatores iusserunt, vt Christiani dijs sacrificent. Si qui id nolint, eos puniri volunt: porrò obtemperātibus honores & munera pollicentur. Claudius ait: Illorum munera, temporaria sunt: Christi autem confessio, æternā animarum salutem conciliat. Tum Præses eum iussit in eculeo suspendi, & eius pedibus flammas admoueri: particulas quoquè ex eius calcaneis præcisas, illi offerri. Claudius ait: Qui Deum timent, nec ignibus, nec vllis tormentorum pœnis possunt lædi: immò verò cædent hæc eis ad salutem sempiternam, quòd propter Christum ea patiantur. Lysias Præses eum vngulis vexari præcepit: ille verò dixit ad Præsidem: Mihi hoc propositum est, vt ostendam tibi dæmonum te esse patronum. Mihi verò nec tantillùm nocebunt cruciatus tui, quibus animæ tuæ flammas inextinguibiles comparas. Præses ait: Testis asperrimis eius latera radite, & candelas ardentes applicate. Quod cùm fieret, Claudius ait: Ignis tuus & tormenta tua saluam faciunt animam meam. Quæ enim patior propter Deum, in magno lucro ponenda mihi sunt: atque adeò mors ipsa, Christi causa tolerata, diuitiæ putandæ. Tum Lysias iratus, iussit eum ab eculeo depositum, in custodiam duci.

Claudius sistitur corā Lysia.

Virgis cæditur.

Horrendi cruciatus eius.

Memorabilis Claudij sententia.

Eulalius Commentariensis dixit: Quemadmodùm præcepit potestas tua, domine Præses, Asterius adest frater secundus. Lysias Præses dixit: Vel tu fidem commoda dictis meis, & sacrifica dijs, non ignorans, quæ supplicia maneant rebelles. Asterius respondit: Vnus est Deus, qui venturus est ad viuos & mortuos iudicandos: qui in cælo habitans, in magna virtute sua humilia respicit. Hunc ego vt colerem & amarem, me mei docuêre parentes. Quos verò tu colis, quosque tu deos appellas, ij certum adferūt exitium & tibi, & omnibus tibi assentientibus. Eorum cultus, humana adinuētio est, non veritas. Lysias Præses, his auditis, iussit eum quoquè suspēdi in eculeo, ità dicens: Vexantes latera eius, dicite: Vel nunc credens, sacrifica dijs. Asterius ait: Frater sum illius, qui paulò antè abs te interrogatus, respondit tibi. Mihi verò & illi vnus est animus, eademque confessio. Fac, quod potes. Habes in tua manu corpus meum, animæ facere nihil potes. Lysias dixit: Vngulas ferreas capessite, & pedibus eius colligatis fortiter eum torquete, vt sentiat & corporis & animi cruciatus. Asterius ait: Stulte & insane, quam ob causam ità me excrucias, nec cogitas, quid pro his recepturus sis à Domino? Lysias dixit: Carbones ardentes pedibus eius substernite, virgis & neruis durissimis dorsum & ventrem eius conscindite. Id cùm factum esset, Asterius ait: Tu quidem planè cæcus es: sed ego hoc abs te peto, vt nullam corporis mei partem, vulneris expertem esse sinas. Asterius dixit: Custodiatur cum cæteris.

Psal. 137.

Asterius in eculeo torquetur.

Pedes eius vrūtur, corpus immaniter flagellatur.

Eulalius Commentariensis ait. Adstat Neon, frater eorum tertius. Lysias dixit: Vel tu

Vel tu fili accede, & fac dijs sacrificium, à pœnis immunis futurus. Neon respondit: Si qua est virtus in dijs tuis, ipsi se tueantur ab illis, qui eos negant esse deos, nec tuum patrocinium requirant. Si verò malitiæ eorum socius es, multo equidem melior sum ego & te & dijs tuis, quandoquidem vobis non obtempero, sed vnum colo verum Deum, qui fecit cælum & terram. Lysias dixit: Frangite ceruicem eius, & dicite: Noli blasphemare deos. Neon ait: Itáne tibi blasphemus videor, dum dico veritatem? Lysias dixit: Extendite eum, & carbones ardētes in eum conijcite, & neruis dorsum eius conscindite. Id cùm factum esset, Neon ait: Quod mihi vtile esse scio, & lucrum adferre animæ meæ, id ego faciam, nec possum ab hac sententia deduci. Lysias dixit: Sub cura Eulalij Commentariensis & Archelai speculatoris, foris ante atrium hi tres fratres, vt digni sunt, Cruci affigantur, & corpora eorum auibus lacerāda relinquantur.

Neonis supplicia.

Tres fratres crucifiguntur.

Eulalius Commentariensis dixit: Sicut iussit claritas tua, adstat * Donuina. Lysias ait: Cerne mulier, qui ignes & quæ tormenta parentur tibi. Si ergò vis illæsa abire, offer dijs sacrificia. Donuina respondit: Ego verò, nè in ignem æternum & tormenta semper duratura corruam, Deum colo & Christum eius, qui fecit cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt. Vestri autem dij, lapidei sunt & lignei, hominum manibus effecti. Lysias dixit: Vestibus nudatam extendite, & omnia eius membra virgis lacerate. Archelaus speculator ait: Per sublimitatem tuam, Donuina iam defecit. Lysias dixit: Iactetur corpus eius in fluminis locum profundum.

Donuinæ martyriū.

Eulalius Commentariensis ait: Præstò est etiam Theonilla. Lysias dixit: Vidisti mulier, quæ supplicia, quæ flāmæ eos excruciârint, qui ausi fuêre cōtradicere. Quamobrèm habeto honorem dijs, & sacrifica, vt possis ab his seruari pœnis. Theonilla respondit: Ego ignem æternum timeo, qui potest & animā & corpus perdere, eosque crematurus est, qui impiè defecêre à Deo, & adorauerunt idola & dæmones. Lysias dixit: Alapis faciem eius contundite, humique prostratam, ligatis pedibus eius, acriter excruciate. Theonilla ait: Num tibi æquum & bonum videatur, vt mulierem ingenuam & peregrinam his subijcias cruciamētis, tu nōsti. Nec latet Deum quid agas. Lysias dixit: Suspensam capillis, in faciem cædite. Theonilla ait: Non tibi sufficit, quòd me nudam statuisti, cùm ea re nō me duntaxàt, sed etiam matrem tuam & vxorem ignominia affeceris? Omnes enim fœminæ, vnius generis corpꝰ habemus, quod tu quoquè non ignoras. Lysias dixit: Habes maritum, aut vidua es? Theonilla respondit. Iam annos tres & viginti sum vidua, & propter Deum meum sic permansi, ieiunijs, vigilijs & precibus vacans, postquàm immunditijs valefeci, & cognoui Deum meum. Lysias dixit: Nouacula acuta radite caput eius, vt vel sic erubescat: cinctamque rubo campestri, ad quatuor palos extendite, & loro totum eius corpus proscindite. Carbones quoquè eius ventri imponite, atque ità moriatur. Eulalius Commentariensis & Archelaus speculator dixerunt: Domine, iam exanimata est. Lysias ait: Corpus eius culeo insutum, mittatur in mare. Eulalius Commentariensis & Archelaus speculator dixerunt: Quemadmodùm iussit celsitudo tua, ita factum est. Passi sunt sancti martyres apud Aegeam sub Lysia Præside, 10. Calendas Septembris, Augusto & Aristobulo Consulibus: regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui est honor, gloria, laus & virtus in secula seculorum, Amen.

Theonilla dirè cruciata, nō cedit tyranno.

Diocletiano Augusto & Aristobulo, consules fuere anno Christi 285.

IOSEPHI HVMILIS ET MINIMI LAVDATIO IN SANCTVM APOSTOLVM BARTHOLOMÆUM, *quam in decem capita diuisimus.*

Habetur in Simeone Metaphraste.

Augusti. 24. Cap. 1.

HIVS concionis author, & diei festi iucunditatem spiritualem nobis afferentis hilaritas, est beatus Apostolus Bartholomæus: qui cū diuinus sit Apostolus, & luminis splendore, purisque sancti Spiritūs fulgoribus tantùm illustretur, quantùm verbis explicari non potest: nobis etiam lumen suggerit, qui sacram & gloriosam eius memoriam celebramus. Agè igitur, diuinis vocibus illum collaudantes quàm maximè possumus, diuina ipsius narratione delecte-

mur, & laudationibus honoremus virum, quouis hon[illegible] superiorem. Laudemus Apostolum, à Deo ipso laudatum. Beatum prædicemus [illegible]m, qui semper beatus est. Eius gloriam celebremus, quem extulit diuina gloria. Videamus quisnam antè fuerit, & qualis posteà euaserit: quemadmodùm qui priùs idiota erat, & pauperem vitam agebat, omni ex parte sapiens effectus, & omnium bonorum diuitijs ornatus fuerit: quemadmodùm è terrestri cælestis euaserit, è minimo maximus, & ex piscium piscatore, hominum piscator factus sit.

Bartholomeus piscium piscator.

Itaque cùm Deus ipse homo factus, propter misericordiæ suæ viscera nostrum corpus gestaret, & discipulorum delectum haberet, is, inquam, qui prænouit omnia, priusquàm generentur, celeberrimum Apostolum Bartholomæum delegit, amicumq; sibi verum & fidelem cooptauit. O diuinæ vocationis præstantiam, ô magnam & singularem felicitatem, ô qualem hic inuenit magistrum, qui maximis mysterijs eum initiauit, & sapientem effecit: ô beatam illam animam, dignam habitam, quæ cum Deo versaretur, cum Deo & omnipotente Domino cibum sumeret, & sacra doctrina, orationem & facultatem omnem superante, instrueretur.

Cap. 2. Electio eius ad Apostolatum.

Cap. 3.

Posteà verò, quàm Magistrum suum in Cruce suffixum, eundemque sepultum, & post resurrectionem ad cælos assendentem vidit, & sanctissimi spiritûs dono æquè, ac reliqui Apostoli, donatus est, tanquàm generosus aliquis miles, validissimis armis vndiquè munitus, aduersùs hostile bellum profiluit: & ipsos quidem hostes validissimè percussit, his verò, qui ad vitam ipsam venire studebant, salutem conciliauit. Tetendit orationis suæ retia, & gentes ipsas è profundo ereptas, illas quidem captiuas, sed ad vitam tamen ductas, conseruauit: euertit idolorum templa, & Dei ecclesiase. rexit: humana corda in sterilitatem conuersa, cælestis doctrinæ aratro renouauit: eaque ità excoluit, vt tanquàm feraces campi, fructum ferre possent: accendit miraculorum facem, & affectuum humanorum caliginem profugauit: in quascunque partes permeabat, velut stella quædam iustitiæ solem prædicans, illustremque fulgorem emittens, fallaciæ tenebras destruebat: & oratione quidem dæmones ipsos fugabat, precibus autem morbos insanabiles curabat, leprosos mundos faciens, cæcis visum restituens, claudos ad currendum expeditos reddens, corda denique & animos imbecilliores confirmans.

Res à S. Bartholomæo præclarè gestæ.

Cap. 4. Prædicat Hierapoli cũ Philippo Viperã colunt Hierapolitani.

Erat vnà cum Bartholomæo & beatus ille Apostolus Philippus, quo cum multo tempore diuinum Euangelium prædicauit. Hi cùm in vrbem Hierapolim venissent, cui priùs nomen erat Ophioryme, multas ærumnas, & cruciatus nõ mediocres sustinuerunt, cùm eius ciuitatis homines violenti essent, & valdè inhumani: quippè qui viperam colere consueuerant, venenum pestiferum & lethale, tanquàm fructum aliquem percipientes. Illi cùm diuinos Apostolos vidissent, dicebant nouum quendam Deum ab illis nunciari, & à vetere cultu ipsos auerti, atque à paternis traditionibus abalienari. Quamobrèm cùm manus in eos iniecissent, admirandæ sanctitatis virum Apostolum Philippum cruce condemnauerunt. Diuinus autem Bartholomæus, instàr alicuius bouis aratoris, à suo compare separatus ingemiscebat, ac lamentabatur quidem, sed non desinebat tamen suauem illum sulcum ducere, qui animarum agricolæ Deo vberes fructus allaturus esset: quinimmò ita vt consueuerat, huc atque illuc ò bibat, fidei sermonem disseminans, prauam zizaniam euellens, & quicquid salutare ijs esset, qui eum susciebant, diligenter declarans. O beatos illos pedes, Euangelicis gressibus speciosos factos, & ad infinitarum animarum adeptionem recta via progredientes: ô linguam illam diuinam, ex qua salutaris potus effluxit, qui ab impietatis æstu multos liberauit: ô manus, quæ violentos hostes expugnârunt, & animas ipsas è diaboli manibus eripuerunt: ô diuinos & illustres oculos, per quos multorum oculi patefacti sunt, qui erant perfidiæ tenebris obscurati.

S. Philippus crucifigitur.

Cap. 5. Similiter & S. Bartholomæus versõ tamẽ in terram capite vt S. Petrus.

Cùm igitur regiones illas ità peragraret, vénit ad vrbem quandam: cuius ciues cùm idolorum superstitione liberâsset, ab eius loci Præside crucis supplicio & ipse condemnatus est. Ad quam dum beatus ille accederet, totus gaudio perfusus: Salue, inquit, Crux, per quam humanum genus gaudio affectum est. Salue, eius Crucis imitatio, per quam mors mortem dissoluit, & mortales ipsos immortalitate donauit, Salue Crux, in quam cùm Christus assendit, terrenos homines cælestes effecit. Saluè Crux, quæ mihi hinc migranti vehiculum effecta es, quo ad cælos perduci possim: quæ denique mei præceptoris imitatorem me fecisti. Ad te assendo, neque moram duco: iam enim tempus meum completum est. Bonum certamen certaui, cursum consum-

consummaui, fidem seruaui: opus, quod mihi Christus magister meus tradidit, perfeci. Hæc cùm dixisset, & Deum precatus esset, rogauit carnifices illos, vt verso in terram capite, in cruce suffigeretur: nec rectus, quemadmodùm eius magister, in crucem ageretur: ità & in ipsis cruciatibus suam in magistrum reuerentiam conseruabat. Quinetiam in cruce suffixus, cum fratribus loqui non destitit, quoàd sanctissimam illam animam Deo tradidit. Cuius assẽsum Angeli applausu exceperunt, aër purgatus est, & diuinorum Apostolorum chorus exultauit.

Cùm verò multum temporis præterijsset, eius regionis Tyranni, vitæ prauitatem exercentes, & multorum deorum ebrietate debacchãtes, cùm viderent loculos illos, in quibus beati Apostoli Bartholomæi reliquiæ conditæ erant, splendida quædam & illustria miracula edere, & eos à morbis liberare, qui eò accedebant, prauum consilium & suo proposito dignum iniërunt. Venite, inquiunt, in profundum mare corpus hoc demergamus. Sed, ô miseri, eiúsne corpus in mare demergetis, qui profundum illum draconem in altum demersit, qui salutaris aquæ fontem aperuit, & abundè cælestia dogmata hominibus impertiuit? Venite, inquiũt, mari obruamus. Eúmne vos obruetis, qui veritatem anteà obrutam detexit, & infidelitatis falsedinem exterminauit? Venite, inquiunt, & temerarium furorem effundentes, in maritimas vndas hoc corpus proijciamus, nè ex eo, tanquàm è rationali aliquo flumine, salus ad eos defluat, qui morborum anguſtijs comprimuntur.

Cap. 6. Demergitur eius sanctũ corpus in mare.

Hæc cùm dixissent, quod cogitârant, aggressi sunt, & vnà cum quatuor aliorũ martyrum loculis, beati Bartholomæi reliquias in mare deiecerunt. Martyres autem illi glorioſi, Apostolum Bartholomæum valdè inclytum, duo à dextera, & duo à sinistra parte, medium habentes, Pontum ipsum sine fluctuatione aliqua transmittebant. Cumq; ad Bosphorum Thracium in Propontidem venissent, Hellespontiq; angustias transierunt: deindè transmisso Aegeo & Ionio mari, ad Siciliam applicuerunt: & Syracusas ad sinistram derelinquentes, atque Occidentem versùs tendentes, ad insulam Liparim peruenerunt. Itaque celeberrimus ille Apostolus ad eam insulam deductus est. Diuini autem illi martyres cùm id compleuissent, quod Deus voluërat, quamcelerrimè rediêrunt in eam viam, in quam vnumquemque diuina prouidentia direxit. Statìm autem is, qui Ecclesiã Liparis insulæ gubernabat, per diuinam reuelationem didicit, Christi Apostolum ad maris litus appulisse.

Cap. 7. Vt eius reliquiæ in Liparim venerint.

Erat eius Ecclesiæ gubernator Agatho ille, cuius gloria longè lateque apud omnes celebrabatur. Cùm ille igitur properâsset, & loculos ad continentem appulsos vidisset, stupore & gaudio repletus, summa voce: Benè, inquit, quòd huc venisti, vt portus salutaris, ad eos, qui pelagi fluctibus periculosis agitamur. Benè quòd venisti, diuinũ Spiritûs paracleti flumen, ex quo veritatis aquæ scaturiunt, & pietas multa redundat. In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. Veni, & animas nostras irriga, affectuum nostrorum feruorem reprime, cordium ianuas patefactas gratiarum tuarum muneribus repleas. Hoc à te Liparis insula supplex petit, quam habitare feliciter voluisti. Hæc, inquam, insula his verbis te alloquitur: Tu, qui multo lumine illustris es, & illius diuini Orientis verè amicus, quomodò factum est, vt talis tantusq; apud meæ paupertatis Occidentem diuersatus sis, ab Orientis partibus commotus, & per maritimos sinus nobis ostensus? Dives facta sum, quæ anteà paupertate laborabam, thesaurum magnum hodiè sum consecuta: neque vlla in re Roma illa ipsa vrbe decantata, beatos Apostolos Petrum & Paulum habitatores tenente, inferior ego sum: Bartholomæum enim habitatorem possideo. Omnes insulæ mihi gratulemini, omnes vrbes, quæ vbiquè estis, mecùm vnà exultate. In vobis multorum sanctorum corpora posita sunt: mihi satis est vnus pro omnibus.

Cap. 8. Agatho Episcopus Liparitanus excipit sanctorum reliquias. Psal. 76.

Sed, ô beatissime, & diuinis Angelis par factus Apostole, quis tua præclara facta pro dignitate laudaret? Quis pericula, pro Christo à te susceptа, enumerare posset? Quæ cùm quotidiè subires, à tristibꝰ periculis mortales liberâsti. Tu verè sal illud es, quod corda illa, quæ euanuerant, atque insipida euaserant, condiuisti: & inscitiæ fallsedine purgata, putredinem ex multorum deorum superstitione contractam, expurgâsti. Tu es rationale illud flumen, ex diuina sede profectum, iuncorum plenum torrentem abluens, Ecclesiæ verò sulcos replens, prauitatis riuos exsiccans, ipsius denique terræ faciem irrigans. Tu es sagena illa solidissima, quæ rationales pisces, in erroris profundo natantes, comprehendisti, eosque supernæ illi mensæ obsonium obtulisti. Tu es aureum illud candelabrum, in quo paracleti Spiritûs ignis, tanquàm fax

Cap. 9. Matth. 5. Eximia S. Bartholomæi præconia.

quædam, aduenies, multiplicis vitij zizania combussit, & diuinæ cognitionis splendorem emisit. Tu es diuini Solis lucidus radius, qui à summo cælo vsq; ad extremum percurrens, & erroris tenebras imminuens, & ijs, qui sedebant in vmbra mortis, hoc est, in malis lethalibus, effulgens, per lauacrum regenerationis, Dei filios, mortales homines effecisti. Tu es preciosus ille lapis, ab angulari lapide illo missus, in quo Ecclesiam Christus ipse ædificauit, quæ nullo vnquàm tempore quassari aut concuti poterit. Tu es purissimum illud aurum, & cælestis Dei preciosissimum munus, lucis columna, Ecclesiæ fundamentum, Spiritûs sancti diuersorium, magniloquentiæ præco, aquila in altum volans, suaue canens luscinia, cælestis cicada, Angelus denique in humano corpore versans, aurea columna, stella lucidissima, florens paradisus, Spiritûs sancti myrothecium, ægrotantium medicus, diuinæ gratiæ tuba, vitis fœcundissima, olea fructifera, fluctuantium portus, peccãtium patronus, defessorum recreatio, oppressorum refugium, miraculorum fons, dæmonũ profugatio, Apostolorum gloria, Angelorum ciuis, qui Prophetis sublimior, & martyrum consors fuisti, eius deniquè gloriæ, quæ reuelanda est particeps, sempiternorum bonorum hæres, mundilumen, omnium (vt summatim dicam) bonorum thesaurus.

Cap. 10. Itaq; salue, Bartholomæe, illius magni tonitrui fulgur, quòd in rota mundi huius apparuisti, & idolorum insaniam ac noctem extinxisti. Salue, Bartholomæe, ille Spiritûs sancti calamus celeriter scribẽs, qui legem in tabulis cordis pulcherrimè descripsisti: Legem, inquam, illam nõ veterem, sed valdè nouam. Salue Bartholomæe, potentis Verbi sagitta acutissima, quæ hostium corda vulnerâsti, dæmonum per aërem vagantium turmas percussisti, & mortalium animas vitio vulneratas, sanas effecisti. Salue, Bartholomæe, qui idolorum templa solo adæquâsti, & homines ipsos viuentis Dei templa reddidisti. Salue Spiritûs sancti gladius, qui alienigenarum turmas sermonis acie, & omnes mentes ad Christi obedientiam captiuas duxisti. Salue concinna sancti Spiritûs paracleti cithara, rationalis tibia, Christi instrumentum, quòd cælestia dogmata nobis ceciniſti, & prauæ impietatis modulationes confudisti. Salue cælum perpulchrum, diuinis splendoribus illustre, in quo ille sol iustitiæ requieſcit, & orationis dux, quo tu innixus, fallaciam omnem euertisti. Te quidem laudationibus extollere vellem, sed rerum multitudine confundor, & dictionis infirmitate opprimor: nã vel hi, qui oratoria facultate maximè præstant, inferiores sunt, quàm vt te laudare possint: neq; quisquam est, qui pro dignitate laudes tuas narrare valeat. Tuis igitur precibus Deum ipsum nobis propitium facias, & peccatorũ perturbationem, quia vexamur, sedare velis, quique tuum diem festum recolimus, nobis omnibus delictorum veniam, & cælestis gaudij participationem tuis orationibus impetres, in Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria cum patre & Spiritu sancto, nũc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Pſal. 44.

Inuocat author S. Bartholomæũ.

SEQVITVR B. PETRI DAMIANI SERMO DE SANCTO BATHOLOMAEO APOSTOLO.

LAETAMVR, & gloriamur in Domino, dilectissimi, de sancto vestræ dilectionis affectu, quia quantò vberiùs diuini verbi poculum bibitis, tantò feruẽtiùs in idipsum desiderij faucibus æstuatis. Nec immeritò. Nam ità est omnis Apostolici culminis beatitudo coniuncta, & tot gratiarum compage, vt glutino, probatur vnita, vt cùm vnius eorum festiuitas colitur, protinùs omnium Apostolorum nõ diuersa sublimitas interioribus obtutibus ingeratur. Vna scilicet inter eos excellentia iudiciariæ potestatis, eadem dignitas ordinis, nec diuersa in ligando, siue soluendo virtutis habetur auctoritas. Hæ sunt enim illæ preciosæ margaritæ, quas in Apocalypsi beatus Ioannes se conspexisse pronunciat, ex quibus etiam cælestis Hierusalem portas perhibet esse constructas. Singulæ, inquit, portæ erant ex singulis margaritis. Ipsi nimirum portæ, ipsi sunt nihilominùs margaritæ, quia dum signis, atq; prodigijs quosdam diuini splendoris radios mittunt, ad supernã Hierusalem gloriam conuersis ad fidem Gentibus aditum pãdunt. Et quicunq; saluatur, per hos quasi portas ad vitã viator ingreditur. Quorum mysticã tenuere figuram & lapides illi, qui, Deo iubente Moysi, rationali summi Sacerdotis leguntur impressi; quod quidem rationale Sacerdos ferebat in pectore, cùm ingrederetur

Sanctorum Apostolorũ festa colenda.

Apoc. 21.

Exod. 25. Sensus mystico in scriptura quærendus.

retur sancta sanctorum. Præceptum est ergò, vt in eo ponerentur duodecim lapides, terni per quatuor angulos, inclusi auro, quia nimirùm sancti apostoli per quadrifidũ orbem, de Trinitate, quæ Deus est, prædicarunt catholicæ fidei veritatem. Qui etiam lapides auro referũtur inclusi, quia & beati Apostoli in sapientiæ cælestis arcano perseuerant inuiolabiliter confirmati.

S. Apostoli ecclesiæ bases & columnæ. Legitimũ ergò est, vt sacerdos, cùm ingreditur sanctuarium, duodecim preciosos lapides in rationali pectoris deferat, quatenùs quisquis sacris altaribus appropinquat, Apostolicæ sibimèt rectitudinis exempla proponat, vt quorum ministerio fungitur, eorum vitam, in quantum præualet, imitetur, & quorum gerit officium, in eos sanctę æmulationis studio mẽtis defigat obtutum. Et quid mirùm, si nos imbecilles, & paruuli, beatorum Apostolorum, qui sanctæ Ecclesiæ bases sunt, & columnæ, iubeamur imitari normam, sanctamq; tenere doctrinã, cùm & ipsi Apostoli priorum suorum, antiquorum scilicet patrum, sint auctoritate firmati? Vndè & in cõstructione tabernaculi, vt columnæ argenteæ interiùs starent, paxilli ærei figi per circuitum exteriùs iussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur. Columnæ itaq; argẽteæ interiùs, paxilli verò ærei in circuitu figuntur, atq; in ipsis funes ligati sunt, vt tabernaculũ fixum maneret, quia videlicet vt sancti apostoli in luce sermonis sui solidi starent, vtque totum tabernaculum, id est sancta Ecclesia, in fidei integritate consisteret, tanquàm paxilli ærei in circuitu patres testamenti veteris, ac Prophetæ exteriùs fixi sunt, qui verborũ suorum funibus prædicatorum mentes in soliditate constringerent, atq; hoc habitaculum Dei fidei stabilitate ligarent. Extra verò paxilli sunt, quia ante tempus huius sanctæ Ecclesię fuerunt. Sed tamen eos ligant, qui in ipsa sunt, quia dum cælestia mysteria ventura prædicant, hæc postquam ostensa sunt, credibilia omnia fecerunt. Vt ergò intùs columnæ immobiles stent, foris paxilli funes continent, quia vt sancti apostoli perfectæ incarnationis Dominicæ mysterium crederent, illorum prædicatio obtinuit, qui hoc, priusquàm fieret, & videre, & prædicare potuerunt. Vndè rectè quoq; ipse primus apostolorum, magna scilicet columna veri tabernaculi, loquitur dicens: Habemus firmiorẽ propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, quasi lucernæ in caliginoso loco. In quibus verbis indicat (quãuis ad alta surrexerit) ex culmine, vbi religata persistat in fide. Quæ tamen lucerna prophetici sermonis iam quidem intelligentibus lucet, sed adhuc nõ intelligentibus cooperta allegoriarũ obscuritatibus permanet. Vndè etiã per Psalmistã de eisdẽ dictis Prophetarum dicitur: Tenebrosa aqua in nubibus aëris: quia videlicet occulta est sapiẽtia in Propheris.

Exod 38.

Prophetæ paxilli ærei in circuitu tabernaculi id est ecclesiæ.

Petrus primus Apostolorum prædicatur. 2. Pet. 1.

Pſalm. 17.

Nec immeritò columnæ argenteæ, paxilli verò ærei facti sunt, quia quod clarè iam Apostoli prædicant, hoc Prophetæ sub intellectu mystico obscurè locuti sunt. Rectè verò per æris metallum signati sunt, qui clari in suis prædicationibus non fuerunt. Sancti verò Apostoli, quia de Redemptoris nostri mysterio lucem prædicationis habuerunt, argenteis columnis expressi sunt. Et notandum quia argentum sonat & lucet, æs verò sonat, & non lucet, quia prædicatores noui testamenti apertè locuti sunt, quæ etiam monstrare potuerunt; prædicatores verò testamenti veteris, quia per allegoriarum vmbras de cælesti mysterio obscura dicta protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt; quanquàm æs & sanctis aliquandò congruere reperiatur Apostolis, de quibus sub Aſer specie per Moysen in Deuteronomio dicitur: Ferrum, & æs calceamentum eius. Calceamentum quippè in scriptura sacra munimentum prædicationis accipitur, sicut scriptum est: Calceati pedes in prædicatione Euangelij pacis. Quia ergò per ferrum virtus, per æs autem perseuerãtia longanimitatis exprimitur, ferrum & æs, apostolorum dicitur esse calceamentum, nẽcnõ & sanctorum quorumlibet prædicatorum. Per ferrum scilicet aduersantia mala patienter tolerãt, per æs verò bona proposita longanimiter seruant. De quibus apostolis, siue apostolicis viris, prædicatoribus, scilicet sanctis, ad eundem Aſer, cùm præmisisset: Ascensor cæli auxiliator tuus: ilicò subdidit: Magnificẽtia eius discurrunt nubes. Quis ẽnim est ascensor cæli, nisi Saluator noster, qui postquàm mortis imperium moriens perdidit, cælum Angelis comitantibus, & discipulis suspicientibus, penetrauit? Huius magnificentia nubes discurrunt, quia eius auctoritate Doctores sancti per mundum salutiferæ prædicationis imbrem pluunt. De quibus & Propheta; Qui sunt, inquit, isti, qui vt nubes volant?

Deut 33.

Ephes 6.

S. Apostoli ferro, æri, & nubibus cõparantur.

Eza. 60.

Istæ nubes resoluuntur in aquam, cùm terram cordis nostri doctrinæ suæ fluentis inebriant, vt eam ad proferenda pij operis germina fertilem reddant. Vndè & Bar-

Nomẽ Bartholomæi

quid significet. tholomæus(quod vtiq; Syrum nomen est, nō Hebræum)interpretatur Filius suspendentis aquas, filius vtiq; Dei, qui prædicatorum suorum mentes ad cælestia contemplanda suspendit,vt quantò liberiùs se ad intelligēdum Creatorem suum pennis virtutum librant, tantò feraciùs & vberiùs imbrem cęlestis eloquij nostris cordibus infundere valeant; vtque ex illo fonte suspensi bibant, quod in nos postmodùm propinando transfundant. Vndè benè Moyses mysticè de sancta dicit Ecclesia: Non est terra, ad quam ingredimini possidendam, similis terræ Aegypti, de qua existis, vbi iacto semine, in hortorum morē aquæ deducuntur irriguæ, sed de cælo pluuias expectans, quam Deus suus inuisit omni tempore. Secularis enim prudentia, quasi coluber per humum serpit, & huc illucq; lubrica varietate declinat, diuina verò sapientia de cælestibus intonat. Hortus etiam hîc siniſtram habet significationē. Nam carnalis scientiæ videtur designare lasciuiā. Sicut & illic, vbi Achab petijt vineā Naboth. Da mihi, inquit, vineam tuam, vt faciā mihi hortum olerum. Ille quippè in hortum conatur vineam vertere, qui rigorem virtutis iucunda carnalis illecebrę vult amœnitate mutare. Et Psalmista superbos oleribus comparat dicens: Tanquàm fœnum velociter arescent, & sicut olera herbarum citò cadent.

Deut.11.

3. Reg. 21.

Psal.36.

Sensus scripturæ à patribus hauriendus est.

Terra itaque repromissionis, hoc est sancta Ecclesia, de cælo pluuias præstolatur, quia sapientiæ cælestis imbre perfunditur, & nubes eius, scilicet Doctores, de cælesti vno fonte inuisibiliter hauriunt, quod in nos postmodùm suauiter eructando transfundunt. Vndè Propheta; Memoriā, inquit, abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt. An non ad illum fontem Paulus, magna scilicet nubes, redijt, cùm supra tertium cælum raptus, verba, quæ loqui non licebat, audiuit? An non ad eundem fontem reuersus est Petrus, cùm in extasim subitò rapitur, & non modò diuersa animantium genera, sed & serpentia mactare, & manducare iubetur? Nam hæc quidem nubes non erat tunc aqua sapientiæ pleniter grauida, quia communis omnium gentiū vocationis erat ignara. Sed accessit ad fontem, & hausit limpidissimam, atque perspicuam de salute gentium puritatē. Nunquid & beatus iste Bartholomæus de plenitudine fontis huius haustum cælestis gratiæ non percepit, quandò super eum cum coapostolis suis omnibus venit Spiritus sanctus in ignitarum diuersitate linguarum? Sed qui ignem audis, aquam forsitan non intelligis. Audi quomodò Dominus eundem spiritum sanctum, qui in igne super apostolos venit, aquam vocauit. Si quis, inquit, sitit, veniat ad me, & bibat. Moxq; subiungit: Qui credit in me(sicut dicit scriptura)flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem(ait Euangelista) dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. De quibus credentibus per Prophetam dicitur: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ. Philosophi dicunt, spatium aëreæ crassitudinis non plusquàm decem stadijs à terra distendi, quæ nobis aliquandò Solis splendorem subtrahit, & pluuias fundit. Istæ verò, de quibus nunc loquimur, nubes cælorum celsa transcendunt, & lumen veri Solis non auferunt, sed ostendunt. De quibus etiā sub fluuiorum nomine per Salomonem dicitur: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum, vndè exeunt, flumina reuertuntur, vt iterùm fluant.

Act. 2.

Spiritus sanctus aqua viua dicitur.

Iohan.7.

Psalm.35.

Eccle.1.

Inter quos vtique fluuios beatus Bartholomæus insignis est, atque conspicuus, qui quodā præsagio futurorū, huius mystici vocabuli titulo cernitur insignitus. Nā cùm dicitur Filius suspendentis aquas, dicitur proculdubiò filius Dei, non quidē naturalis generationis origine, sed propensioris gratiæ dignitate. Erat enim verè Dei templum, cælestis gratiæ sanctuarium, arca fœderis, tabernaculum testimonij. Nam sicut arca illa legalis ex imputribilibus lignis sethim mystica fuerat arte composita, auro quoq; purissimo resplendebat, intùs & extrinsecùs inaurata; ità vir iste mirabilis, qui spem suam in æternitate posuerat, & exteriùs radiabat imitandæ vitæ splendore, & intrinsecùs prælucebat diuinæ sapientiæ claritate. In illa quoq; arca erat vrna aurea, in qua manna seruabatur, tabulæ nihilominùs testamenti, & virga Aaron, quæ fronduerat. Quid est autem vrna aurea, nisi caro Christi munda, syncera, atque ab omni reatùs contagione purissima? Quæ reconditum habet manna, Angelicum videlicet panem, hoc est diuinitatis æternæ dulcedinem. Duæ verò lapideæ tabulæ inuiolabilem vtriusque testamenti significant firmitatem. Quid autem Aaron virga, nisi summi veriq; Pontificis nostri salutare vexillum, & viuificæ Crucis exprimit sacramentum? Quæ etiam in eo, quòd germinasse perhibetur, prefigurauit beatam Crucem immortalis memoriæ viriditate vernantem.

Exod.25.

Egregia sacræ scripturæ expositio.

Hæc

Hæc sunt sacramenta vniuersalis Ecclesiæ, hæc etiam salutaris institutio cuiuscunque fidelis animæ Christianæ. Quod enim arca per adumbratam prætendebat imaginem, hoc nunc Ecclesia, vel quæque mens iusti per efficacissimam, & apertam possidet veritatem. Hæc beati Apostoli mysticæ refectionis alimenta portabant, hæc tanquàm panem paruulis exponendo frangebant. Nam postquàm Euangelicus ille Sermo prorupit, quoniàm aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, prophetica querela cessauit, qua dicitur: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Hic est panis ille quotidianus, fratres mei, quem nos veritas docuit inhianter expetere; hoc cælestis sapientiæ pabulum, quod debemus iugiter esurire.

Thren.4.

Audiamus itaque per os Salomonis sapientiam nos ad mensam spiritualis alimoniæ claris vocibus inuitantem. Sapientia, inquit, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam; misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus, veniat ad me; venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Christus enim, qui sapientia Patris est, victimas immolauit, cùm ad nostræ imitationis exemplum beatos Martyres occidi permisit. Miscuit vinum, quia propinauit credentibus Spiritum sanctum. Proposuit mēsam, quia cælestem parauit hominibus gloriam. Misit ancillas suas, id est sanctos Verbi ministros, qui se infirmos, & fragiles asseuerant. Quid ergò iam restat, nisi vt, relicta fame seculi, properemus ad mensam Dei? Sed ad hanc ingrediendi aditum reperire non possumus, nisi per sanctos Apostolos, quibus claues commissæ sunt Regni cælorum. Vndè scriptum est: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum. Ipsi quippè sunt caput turbarum, foresque portarum, quia ipsi sunt populorum principes, ac supernæ Hierusalem, sublimioris excellentiæ priuilegium, ianitores. Ipsi sunt regales illæ sedes, de quibus in libro Sapientiæ dicitur: Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus, Domine, de cælo à regalibus sedibus venit. In aduentu quippè Domini medium silentium omnia continebant, quia iam & Prophetæ cessauerant, & nondum Apostoli ad prædicandam nouæ fidei gratiam veniebant. In quodam planè mundus meditullio consistebat, dum nec Prophetarum oracula superessent, & Apostolica nondùm prædicatio coruscaret. Quid autem hîc nox intelligitur nisi diabolus, qui auctor est tenebrarum? qui nimirùm quodammodò tunc ambulat, cùm non facilè valet implere quod optat; tunc verò currit, cùm malitiæ suæ vota absque vllo contradictionis obstaculo perficit; & nō iam viæ marginem, sed medium iter tenet, dum nihil sibi videt occurrere, quod sui cursus impetum valeat retardare. Cùm igitur sub tam noxio mundus silentio conticesceret, & hæc ad perdendos homines occasio diabolum prouocaret, ille non modò medium iter habebat, sed currebat, quia quicquid nequitiæ suæ mente conceperat, efficaciter adimplebat. Nam & cuncta iam Romanum occupabat imperium, & necesse erat eos, qui legem Dei eatenùs saltem vtcunquè tenuerant, iam subesse legibus paganorum. Sub hoc igitur pereuntis mundi silentio, sermo Domini à regalibus sedibus venit, quia de pectoribus Apostolicis, quæ Regis æterni veraciter sedes sunt, verbum Euangelicę prædicationis erupit. Ipsi quippè regales sunt sedes quas Deus inhabitat: Ipsi Reges & patres Ecclesiæ, sicut dicitur: omnis gloria eius filiæ Regum abintùs. Isti sanè Reges, armati gladio spiritûs, quod est verbum Dei, debellârunt principem mundi: de quo nimirùm Apostolorū gladio legitur. Durus debellator in mediā exterminij terram prosiliuit gladius acutus in similatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cælum attingebat, stans in terra.

Prouer.9.

Prouer.1. S. Apostoli principes populorum & ianitores cæli dicuntur.

Sap.18.

Item Regales sedes Regis æterni, & patres Ecclesiæ.

Psalm.44. Ephes.6. sap.18.

Istorum itaque Regum dilectissimi subdamur imperijs, eorum magisterijs instrui, eorum patrocinijs elaboremus absolui: quatenùs absoluti per concessam beatis Apostolis authoritatem, ad ipsum Apostolicæ dignitatis introducamur authorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum,

Amen.

VITA

VITA S. AVDOENI EPISCOPI ROTHOMAGENS. CVIVS ETSI MS. IDEMQVE PERVETVstus codex authorem non exprimit, puto tamen eam esse, quam scripsit Anno salutis 956. Fridegodus. S. Odonis Diaconus. Stylum in gratiam Lectoris passim nonnihil correximus.

PRAEFATIO AVTHORIS.

Diuersa dona sanctorũ hominum.

COnditor mundi omnipotẽs Deus, sicut sphæram cælestem multis, sed diuersis, distinxit sideribus: ità Ecclesiam adhuc in terris peregrinantem, quasì quibusdam luminibus illustrare non desinit: In quibus alij miraculis coruscant, alij doctrina salutari quasì pluuia corda piorum irrigant: pleriq; per martyrij gloriam rubent instàr rosæ: non pauci virginitatis integritate candent vt lilium: Hos prudentia prudentes, illos iustitia iustos, alios fortitudine fortes, non nullos temperantia temperantes reddit. Vnum tamen vinculum charitatis eos omnes & sibi inuicèm, & suo conditori coniungit & sociat: per quam & singularia vniuersorum, & vniuersa fiunt singulorum: & sicut hortꝰ diuersis herbarum vel aromatum generibus consitus, odorem suauissimum longè lateque diffundit: ità isti Deo & hominibus, virtutibus suauiter redolentes, dicunt: Christi bonus odor sumus Deo, & illud: Alijs quidem sumus odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortẽ. In qua sanctissima Dei Ecclesia beatus Audoënus antistes, quasi quædam splendidissima stella, vel solidissima columna, vel etiam candidissimum lilium emicuit. Siquidem populos doctrinæ suæ radijs illuminauit, contra omnes impetus diabolicæ atque hæreticæ prauitatis vt columna immobilis stetit, vt lilium virtute castitatis enituit. Tum etiã honore virtutis insignis, pudoris admiratione laudabilis, dignitate præclara excelsus, humilitate lucidissima submissus fuit. Vitia deniquè, quibus humana vexatur fragilitas, patientiæ virtute calcauit, inanes curas procùl abegit, animi motus validis constãtiæ habenis ceu athleta insignis, mirabiliter cõpressit. Gemino nanq; certauit agone, quandò & ciuibus suis verbum immortalitatis semper abundè suppeditauit, & saluti animæ suæ perpetuò consulere non destitit: tanto proindè nunc clarior & glorioſior apud Dominum, quantò priùs in certamine fortior. De cuius egregia vita vt aliquid dignè stylo exarare possimus, inuocanda nobis est summa maiestas sanctæ & indiuiduæ Trinitatis: vt quæ brutæ quondàm asellæ id præstitit, vt humana posset voce loqui, nobis sensuum verborumq; copiam tribuat ad enarranda munera diuina.

2. Cor. 2.

Num. 22.

VITAE HISTORIA.

CAP. I.

24. Auguſt.

S. Audoeni patria.

TEMPORIBVS Clotarij clarissimi principis, filij Chilperici Regis Francorum, anno plùs minùs vicesimo regni eius, pago Suessionico, quinque milliaribus ab ipsa ciuitate distante, eo loco, quem Sanciacum vocant, orti sunt tres venerabiles viri, ex vno semine nobiles in seculo geniti, & gratia omnipotentis Dei cælitùs illuminati: puta, Ado, Dado, & Rado. Nati sunt autẽ patre Authario, matre verò Aiga. Cùm essent autem nobilissimi carnis origine, fuêre nihilo minùs erga Christianę religionis deuotionem perquàm studioſi. Cuncta enim, quæ possidebãt siue in fundis, siue in diuitijs, in hospites, in pauperes, in pegrinos, in monachos summo studio conferebant: operantes quidem, vt Apostolus docet, bonum in omnes, maximè tamen ad domesticos fidei. Erant ambo fidei integritate puri, longanimitatis spe præcipui, charitate non ficti, verbum vitæ aurę percipere, & corde retinere, sine fatigatione satagebant, idque ab ijs, quorum doctrinam & fidei puritas, & morum sanctitas commendaret. In eorum domo, non vt assolet in quorundam secularium conuiuijs, mimorum vel histrionum carmina fœda,

Parentum eius religio & integritas.

Galat. 6.

da, sed Euangelica, vel Apostolica, siue Prophetica personabant oracula: illum diem sanctum, illum duxêre solennem, quandò aliquem diuini verbi præconem hospitio recipere meruissent.

CAP. II.

S. Columbanus venit in Gallias.

COntigit autem eo tẽpore, virum Deo dilectum Columbanum, genere Scotum, cœnobiorum Luxouiensis in Gallia, Bobiensis in Italia fundatorem, ex Hybernia insula in Gallias peruenire: qui relicto paterno solo, parẽtum domo, cunctisque, quibus mundi amatores pro magno vtuntur, voluntariam paupertatem & saluberrimam peregrinationem, pro amore Christi & regni cælestis arripuit. Cuius viri doctrina vel vita qualis fuerit, qui scire desiderat, ex libro, qui vitam moresque eius ornato edisserit sermone, scire poterit. Accidit autem eisdem temporibus, beatum Columbanum, insignem Dei cultorem, de domo Hagnerici summi consiliarij Regis Clotarij remeantem, ad villam quandam, in litore amnis * Mátronæ sitam, Vuilcia- cum nomine, peruenire, ibique prædictum virum illustrem Autharium cum nobili coniuge sua Aiga inuenire. Qui cùm virũ Dei magno exultantes gaudio suscepissent, & venerabilibus obsequijs ei gratificari studerent: inter cætera salutifera beatorum virorum colloquia, religiosissima materiam dictorum trium puerorum ad benedicendum infantulos vero Dei cultori obtulit, obsecrãs vt eis benè precaretur. Videns autem eos vir sanctus, præscius futurorum, secundùm piæ matris fidem infantulis benedixit, & prophetico spiritu prædixit eos futuros in Christianæ religiõis virtutibus eximios, honoribus & dignitate seculari claros, in aula etiã regum glorioſos. Nec potuit tãti viri benedictio, cassa vel fortuita vlla ratione putari. Mox ergò, vt pubescere cœperunt, primùm Clotario Regi, deindè Dagoberto in cunctis inuenti sunt gratissimi. Sed illi ad cælestia tendẽtes, inter pestifera mundi huius negocia, religioſa semper hominum sanctorum consortia amabant: & licèt ordine diuerſo, at singulos tamen promissionum est effectus consecutus.

Eius vita habetur sexto tomo 21. Nouembris.

* Maternæ

Prophetiã S. Colũbani de Adone, Dadone, & Radone.

CAP. III.

NAnque primogenitus Ado, cuncta mundi huius obstacula contemnens, semetipsum abnegans, & proprijs voluntatibus renuncians, ex Dei beneficio in castris Regis æterni perpetuò militare elegit: monasticamque appetens vitam, mortiferam mundi huius calcauit dulcedinem. Itaque monasterium Lodariense ad * Mátronæ fluuium præclarè condidit in proprio solo, in quo ad præscriptum regulæ almi patris Columbani viuerent fratres, ad eam rem adiuuante eũ beatissimo germano suo Audoëno: ditauitque illud rebus & opibus omnibus, atque etiam disciplinis Ecclesiasticis instruxit.

Monasterium Lodarien.

* Maternæ

CAP. IIII.

RAdo verò, qui extremum natiuitatis ordinem tenebat, thesaurorum regalium summus procurator effectus est: quos ille thesauros iusto dispensans ordine, fideliter & Christianè custodiuit. In ipsis autem seculi dignitatibus nihilominùs fuit sanctæ religioni subditus, erga Dei præcepta iustus & religioſus, dilectione amabilis, eleemosynis largus, in militia prouidus: deniquè iustè ac piè viuendo, in demandatis ipsi palatinis fascibus, fidum ac strenuum sese declarauit.

CAP. V.

Audoenus est Regi Dagoberto à secretis: Itemq; eius scriba seu Cãcellarius

POrrò sanctus Audoënus, cognomẽto Dado, auricularij locum & munus in aula Regis obtinuit: itemque ad obsignanda scripta vel edicta regia, quæ ab ipso conscribebantur, sigillum vel annulum Regis custodiebat. Erat verò sensu profundus, eloquio copioſus, consilio prouidus, iudicio iustus, corporis statura procerus, vultu decorus, & ante omnia in Christi charitate fundatus: Regi verò etiam charus, cunctisque principibus & optimatibus fuit venerabilis. Ad illius nutum omnia palatij negocia gerebantur: eius consilijs optimates omnes, atq; ipse etiam Dagobertus Rex, ceu diuinis oraculis parebãt. Neque enim vllum erat aliud eius consilium, nisì quod & Regi & populo vtilitatem adferret. Et assiduè sanè hortabatur Regem, vt Regem omnium Christum, conditorem ac redemptorem suum, sine quo nemo iustè regnat vel impat, diligendo, timendo, cunctisq; eius mandatis obediendo piè coleret: subditorũ sibi populorũ sociũ se potiùs, quã dominũ existimaret, subiectis parceret, debellaretq; superbos: fines imperij sui ab hostiũ incursib⁹ strenuè defenderet, immò verò, ob abundantiorẽ ecclesiæ Christi pacẽ, eosdẽ fines etiã proferre ac dilatare cõtenderet:

Optimè admonet eum dẽ Regem:

homines

Hæretici, homicidæ, latrones & alij flagitiosi homines, è medio tollēdi.

homines flagitiosos, putà fures, latrones, homicidas, maleficos, hæreticos, cæterasque infames personas, è regno exturbaret. Admonebat deniquè, vt ecclesiarum & sancto. rum locorum præ omnibus curam gereret, renouandorum & construendorum coenobiorum studio insisteret: pauperibus, peregrinis, viduis, orphanis, omnibusque necessitatem patientibus piè subueniret: hoc dicens iustum esse, vt cunctorum, qui eius ditione tenerentur, necessitati condoleret. Rex verò Dagobertus aurem viro Dei libenter in omnibus, quæ hortabatur, accommodabat: atque eam ob rem & cunctis hostibus fuit fortior, & omnibus Francorum Regibus, qui ante ipsum regnauerant, felicior. Nam per id tempus nobilissima sanctorum virorum examina, instàr apum inclyta Francorum regio protulit: quorum mellifluo collegio idem vir Domini Audoënus apocrisarius Regis, velut splendidissimum sidus, magnus Christi miles in ecclesia quandoquè futurus, iam emicabat. Vndè non est mirum, si ille Rex, malorum infestatione submota, ponendis hincindè præsidijs pacis, tanta est vsus prosperitate, qui tam prudenti silentiario potiebatur.

CAP. VI.

Eligius in aula Regis Audoeni sodalis.

FLorebat verò in aula Regis etiam beati viri sodalis Eligius, virtutum sanctitate mirandus, quem haud secùs atquè animam suam diligebat: eratq; eis amor vnus, cor vnum & anima vna: pariqúe intentione sub habitu adhuc seculari æterno Regi militabant, ambo fide Christiana firmissimi, ambo Euangelica doctrina repleti. Ab eis omnes Francorum proceres capiebant exempla Christianæ religionis, ab eis hauriebant monita doctrinæ salutaris. Nouerant illi animarum salutem & patriæ cælestis beatitudinem & dulcedinem prædicare: & tanquàm duo fortissimi milites, paribus armis fidei, Christi Ecclesiæ seruiebant. Eorum arma hæreticæ prauitatis iacula tentare poterant, penetrare non poterāt. Etsi autem beatus Audoënus in palatio Regis militari habitu tectus videretur, at tamen ab omnibus ferè monachus potiùs, quā laicus habebatur. Nam sæpissimè preciosis vestibus & aureo balteo extrinsecùs ornatus, subtùs vtebatur cilicio: perstrebatque infatigabiliter in orationibus, in vigilijs, in ieiunijs, in lectione diuina, in excipiendis hospitibus: pauperum verò & infirmorum ministerio penè semper deditus erat. Terrena patria instàr exilij ei erat: cælestem vt propriam diligebat: illa vtebatur tanquàm exul, ad hanc ceu auis tendebat.

S. Audoenus in aula Regis monachum repræsentat.

CAP. VII.

Monasteriū Rasbacense condit.

ITaque in Brigiensis syluæ recessibus Rasbacis fluuioli officinas perlustrans, cunctisque Dei seruis necessarijs habitaculis instruens, in suo patrimonio monasterium supradictæ regulæ, quod Hierosolymam voluit dici, efficaciter construxit: vbi non solùm præsentem quietis pacem veris Christi cultoribus, verumetiam certam cælestis visionis requiem suis sectatoribus tum præsentibus, tum posteris feliciter comparauit. Idem verò monasterium opimis possessionibus, ornamētis ecclesiasticis, libris atque alijs diuersis rebus, ad Dei seruitium & cultum pertinētibus, deuotus impleuit, & sanctorum monachorum multitudinem illic congregans, Abbatem vnum ex almi patris Columbani discipulis, virum in disciplinis regularibus apprimè eruditum, Aglium nomine, eis præfecit. Iamque meditabatur, vt cunctis seculi dignitatibus rejectis, soli Deo intrà monasterij claustra absque impedimento seruiret: sed resistebāt tam Rex, quàm optimates omnes eius tam piæ voluntati, dicentes debere eum potiùs plurimorum vtilitati consulere, quàm priuatæ suæ deliberationi obsequi. Videns ergò vir Deo dilectus, ratione simul & authoritate se constrictum, (sciebat enim scriptum omnibus, Potestatibus sublimioribus subditi estote. &, Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari) ab hac intentione ardentem animum ad tempus reuocauit: atque interim diuina id agente prouidentia, ecclesiæ Rothomagensis futurus seruabatur antistes, vt eius vrbis ciuibus viam salutis sacris admonitionibus aperiret, imperitosque populi sensus luculentis exemplis institueret.

Abbatem eidem præficit nomine Aglium.

Rom. 13. Matt. 22.

CAP. VIII.

Hæresis Monothelitarum.

INtereà verò defuncto Dagoberto Rege Christianissimo, filius eius Clodoueus in regnum successit: in cuius regni exordio hæresis infanda totū penè fœdauit Orientem: intantùm vt ipse etiā Paulus Constantinopolitanus episcopus, & Alexandrinus quoq; patriarcha, peruerso dogmate corrumperentur. Asserebat enim illa pestis, Dominum nostrum Iesum Christum non veram carnem ex Maria Virgine sumpsisse. Cumq; ea de re à Paulo & cæteris infausti dogmatis assertoribus, cū authoritate etiā Impe.

Imperatoris Constantij tertij, nepotis Heraclij, beato Martino Pōtifici Romano scripta dirigerentur, vt ipse huic sententiæ assentiret & subscriberet: gustum mortiferæ suasionis summa cum execratione respuit, ità dicens: Etiamsi totus orbis dogmata peregrina & à fide aliena complecti velit, se nec minis cuiusquam, nec blandimentis, nec morte ipsa, à doctrina Euangelica & Apostolica vllo pacto posse auelli.

Execratur illam hæresin Rom. Pontifex Martinus.

Mox verò ad Regem Francorum legatos mittens, rogat vt viros in fidei puritate fundatos, verbo & sapientia prouidos, quamprimùm ad se mittat: vt cum illis & totius Italiæ præsulibus, Domino auxiliante, aliquam aduersùs tantæ prauitatis venena antidotum adhibere possit. Rex igitur cunctis regni sui sacerdotibus in vnum coactis, quid Legati tanti Pontificis afferant, exponit: iuberq́ue vt ex semetipsis viros tales eligant, quos ad suscipiendum tantæ rei munus, puritate fidei & verbi sapientia idoneos nōrint. Tum illi vno animo beatum Audoënum cum sancto Eligio ei rei destinandos eligunt. Tanta enim erat in viro Dei Audoëno sapientia, vt quanuis Ordinem sacerdotalem nondùm adeptus esset, tamen penè omnibus eius temporis Galliæ vel Franciæ sacerdotibus sapientia anteferretur, vel, vt moderatiùs dicam, æquaretur. Sed obstitit tunc quiddam, nè Romam mitterentur.

CAP. IX.

Synodus Aurelianēs.

HAud multo pòst tempore quidam ipsius impij dogmatis assertor ex Asia pulsus, in Galliarum ciuitatem Heduam, quæ nunc Augustudunum dicitur, perfidus apostata peruénit. Cumque in aula Regis Francorum relatum esset, anguem tortuosum virus horrendum in ea ciuitate iam latè vibrâsse, multosque ibidèm infecisse, ilicò synodalem conuentum sacerdotum apud Aurelianensem vrbem adunari iussit: vbi sanè beati viri Audoënus & Eligius, illius hæretici versutijs obiectionibus validissimis restitère, cunctisque eius argumentis, quibus ceu foueis quibusdam se occulere nitebatur, detectis, omnibus qui illic aderant, mortiferum dogma & vitandum & execrandum, tum manifesta ratione, tum diuina authoritate persuasère: interìm tamen, modestiæ causa, eius victoriæ palmam beato Saluio Episcopo & martyri concedentes. Conuictus autem hæreticus, etiam è regni Francorum finibus expulsus est. Id verò non contra hunc duntaxàt, sed etiam hæreticos omnes Audoënus facere solebat, vt quos in conflictu superâsset, eos in longinquas regiones confestìm aufugere compelleret.

Beatus Saluius Epis. & martyr, Audoëni æqualis.

CAP. X.

SS. Audoēnus & Eligius todentur.

POsteà verò tum Regis voluntate, tum multorum religiosorum hominum, præcipuè tamen beatissimi Eligij, quem præ cæteris singulari amore prosequebatur, consilio & hortatu, Clerici tonsuram accepit, vno eodemque tempore, etiam ipso Eligio viro Dei, comam ponente. Instabat porrò quotidiè magìs atque magìs, vt Ecclesiæ fides intemerata cōseruaretur, & à recto tramite nulla prauitate abduceretur. Videns autem Simoniacam hæresim nimiùm in regno Francorum inualuisse, quę ab impiæ Brunihildis tempore cunctas penè Francorum polluerat Ecclesias: cœpit suadere Regi & cunctis optimatibus, vt patriam ea tabe corruptam, salutari adhibita medicina liberarent, nec vlla ratione consentirent, vt quisquam sacros Ordines vel emeret, vel venderet: dicens, tale commercium diabolica fraude repertum, atque idcircò ab Ecclesiasticæ fidei puritate penitùs eliminandum: potiusque eligendos esse ad sacrorum * Ordinum fastigia, quos non aurum, sed fidei synceritas, doctrinæ suauitas, & morum probitas commendaret.

* Ordinationum

CAP. XI.

Creatur S. Audoēnus Rothomagens. Epis.

INtereà temporis defuncto Romano, Rothomagensis vrbis Episcopo veneratione digno, beatus Audoënus consensu omnium ad eius Episcopatûs subeūdum onus compellitur. Illum enim solum ea sede dignum tam Rex, quàm proceres, itemque Clerus & populus, vna voce testabantur, quippe cuius & fides, & doctrina, & mores tantæ sedi suscipiendæ conuenirent. Ille autem, licèt humiliter recusaret, sciens tamen, quantum sit obedientiæ bonum, voluntati propriæ imperium præposuit plurimorum. Accepta autem sede pontificia, non statìm ausus fuit sacrū Ordinem præceps percipere, sciens videlicet cum quanto periculo, & quibus fluctibus cōiuncta sit neophyti ordinatio: nè in superbiam elatus, in iudiciū incidat & in laqueum diaboli. 1. Tim. 3. Etsi autem à sancto viro elatio omnis esset alienissima, vt tamen posteris humilitatis exempla relinqueret, tantæ dignitatis gradū improuidè, vt dictum est, non sine quadam trepidatione, suscipere noluit.

CAP. XII.

Prædicat verbũ Dei in longinquis locis.

MOx verò penitùs valere iussis curis palatij, & propria sede relicta, ob verbum Dei gentibus procùl positis prædicãdum, exulem se fecit. Transmissis nanque Sequana & Ligeri fluminibus, cunctos in ijs regionibus habitantes lumine verbi salutaris quasi Sol quidam illustrauit: in alijs fidei fundamenta ponens, alios in fide confirmans: quosdam etiam hæresi deprauatos, ad normam Ecclesiasticæ fidei reuocans. Cumque in Hispanias peruenisset, reperit populos illic commorantes, iamdudùm nimia siccitate laborare. Iam enim septem anni fluxerãt, quibus nec exiguum pluuiæ stillicidium eas regiones irrigârat. Videns autem vir Deo plenus, si ea aëris incommoditas diutiùs perseueraret, non solùm periculum, sed etiam exitium portendere: gladium iam quodammodò in aëre pendentem, & ad feriendum paratum, auertere studuit. Itaque in preces se prosternens, obsecrat omnipotentem
3.Reg.17. Dominum, vt qui quondàm Israëlitico populo propter idololatriam & impijssimam Iezabel annis tribus & mensibus sex cælum clauserit, tandemque, orante beatissimo Elia, pluuia copiosa reserauerit: nunc quoquè suæ miserationis dona populo, ob sua peccata iustè afflicto, largiri dignetur, pluuiaque salubri terram siccitate squalentem irrigare non differat: vti per miraculum foris exhibitum, corda populorum in fide torpentia, in laudem creatoris fortiùs inardescant. Tum verò sine mora preces viri Dei ranta pluuiæ abundantia consecuta est, tantaque aëris commoditas subitò redita est, vt penè veterum malorum damna, præsens abundantia compensare videretur. Cernere tum licebat rorare cælos, imbres ruere, guttulis vberrimis distillare aëra, cælorum beneficijs arua compleri, scatere fontes, agros pinguescere, fructibus onerari arbores, plantaria existere, campos passim vestiri segetibus, colles vinetis affluere, purpurascentes proferre oliuas, rosarum liliorumque suaues spirare odores, deniquè agricolas, resumptis viribus, iuuencorum fatigare terga. Nec mirum, Deo dilectum virum, instàr Eliæ clausum cælum sacris orationibus referare potuisse, quem constat, in multis virtutũ Eliæ sectatorem fuisse. Virginitatis enim priuilegio floruit,
3.Reg.21. vt Elias: Reges & potentes delinquentes asperè increpauit, vt Elias: nullius eum neque terrores, neque blandimenta à rectitudinis & iustitiæ tramite abducere potuêre,
4.Reg.1. vti nec Eliam: vestibus sæpè asperis vtebatur, vt Elias. Atque ità virtutes beatissimi viri plurimis celebrantur locis, & fidei eius meritum per orbem terrarum latè prædicatur. Porrò confirmatis Hispaniarum populis in fide verbis & miraculis, ad sedem propriam iam tandèm redire constituit.

Septem annorũ sterilitatẽ auertit suis precibus.

CAP. XIII.

Pœna laborantis Dominico die.

CVm autem reuertendo, per Andegauensem regionem iter ageret, obuium habuit pauperculũ quendam: qui cùm Dominico die contra vsum Ecclesiasticum opus seruile exerceret, atque in mola farinam conficeret, manum, qua lapidem molarem circumagebat, repentè aridam & inutilem sensit. Nam pollex eius adeò affigebatur superiori illius parti, vt sanguis indè promanaret: ipsumque lignum, quo mola versabatur, inter pollicem & palmam tam strictè tenebatur, vt nullo pacto indè posset auelli. Prócidens ergò pauper ille ad pedes sancti viri, miseriam suam lachrymabundus eiexponit, simul etiam culpam suam & negligen tiam confitetur. At vir

Signo Crucis sanat manum læsam. beatus contractæ manui signum sanctæ Crucis imprimit, & pristinę seruire consuetudini naturæque institutum exercere iubet: pauperem nihilo minùs admonens, vt Dominicis & Festis diebus potiùs ad ecclesiam veniat, verbum Dei audiat, opere impleat, sanctam percipiat communionem, quàm molam versęt, aut vllum prorsùs seruile opus sine summa necessitatè exerceat. Si enim Iudæi, inquit, decreta legis per Moysen datæ, tanta diligentia custodiunt: quanto magis conuenit, Christianos præcepta Euangelij per Christum promulgata, feruenter & audire, & custodire? Sicut ergò Iudæi nullum opus seruile faciunt in sabbato: ità Christiani in die Dominicæ resurrectionis debent ad ecclesiam conuenire, verbum Dei auribus percipere, mente retinere, & ab opere seruili abstinere.

Die Dominicæ resurrectionis, dicit omnẽ diẽ Dominicum.

CAP. XIIII.

* Nouiomensis

PErueniens indè Rothomagum, ordinem pontificalem ad præscriptum Ecclesiastici & Canonici dogmatis, vnà cum beatissimo Eligio suscepit. vno nanque die apud Rothomagum ambo pariter ordinati sunt, sanctus Audoënus eiusdem vrbis Archiepiscopus, sanctus verò Eligius * Nouiomagensis Episcopus, anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo tricesimoquinto pridiè Idus Maias, Dominico die antæ Litanias.

Videtur hîc esse mẽdum in numeris annorum.

Catalogus virtutũ eius

Litanias. Suscepto verò Episcopatu, qualẽ se deincèps exhibuerit, quis pro dignitate explicare queat? aut quis tanta sermonis copia instructus est, vel cuius oratio tanq; affluentiæ vbertate exundat, vt omnes eius virtutes & rectè facta, ità vt par est, dicendo consequi possit? Idem semper robustus permanens, & in virtutis studia continenter incumbens, in cœpto proposito constantissimè perseuerabat. Eadem in corde humilitas, eadem in vultu grauitas erat. Eandem pauperum curam & solicitudinem, quam priùs, retinebat. Eadem fraterna dilectio, eadem mentis constantia illi permanebat: nisì quòd Episcopalis dignitas, quę alijs pompæ & fastûs fomenta subministrare solet, ei maioris abiectionis studium attulit: atque vndè alij ad tempus videntur extolli, id ille maioris humilitatis sibi materiam effecit. Christo semper subditus, deuotione armatus, doctrina præcipuus, põtificio honore dignus, in eo verò recusando humilis, in susçipiendo morigerus, exul spontaneus, fide plenissimus, erga Dei præcepta obediens, erga promissa credulus, peregrè locuples, industria solers, in opere docilis, spe longanimis, in colloquijs sapiens, consilio prudens, in castigandis hominum vitijs strenuus, in amando feruens, patiens in aduersis, fortis in periculis, mansuetus in disciplinis, largus in eleemosynis, in studijs assiduus, mortis meditatione solicitus. In timore Dei eximius, religione magnificus, in celebrãdis exequijs deuotus, misericordia præclarus, ingenio excellenti præditus, iustitia insignis, seueritate terribilis, promptus ad gratiam, paratus ad ignoscentiam, humilitate summus, hospitalitate præcipuus, gregis sui nutritor pijssimus, pastor Ecclesiæ prouidus, dispensator fidelis, moderator insignis. Peccata nè ipse admitteret, cauebat: ab alijs admissa, haud secùs àc sua lugebat: plebi salutares adhibebat admonitiones, & Christi eam præcepta docebat. Proteruos non armis vincebat, sed patientia: superbos Christi iugo suauissimo subdebat. Semper erga pauperes obsequiosus, erga peregrinos diligens erat: quibus certè eiusmodi præstabat humanitatis & charitatis officia, vt nisì quis fundatam in Christo haberet mentem, non dignaretur vel æqualibus impéndere, quæ ille perpetùm luridis & abiectis hominibus exhibebat. Deniquè omni Pontificio fastu posthabito, populorum agminibus neglectis, principum spreta frequentia, famulantium obsequijs postpositis, pauperum & captiuorum consortijs semper delectabatur. Sed quid his diutiùs commemorandis immoror, quandò, vt verum fatear, nunquàm quis quam ea tempestate in bonis inchoandis studiosior, nunquàm in inchoatis perseuerantior & constantior in Gallijs fuit? Posset enim quis vel rarò arripere, sed vix aut difficilè perpetuò tenere. Hic verò, quod semèl proposuit, perpetuò retinuit. Quod Deo primum vouit, id nullis mundi negocijs voluit obligatum. Quod initio arripuit, ad finem vsque perduxit: in ieiunijs assiduus, in vigilijs pernox.

Episcopalis dignitas ei humilitatis materiam ministrat.

Summa humanitas erga pauperes & captiuos.

CAP. XV.

Eius abstinentia, lachrymę corporis cruciatus.

RIgorem sanè nimiæ abstinentiæ ora pallida demonstrabant: maxillæ lachrymis humectæ, cordis contritionem prodebant. Lactea colla ferrei premebant circuli: ventrem & brachia ferrum æquè constringebat. Talia miles Christi in suo corpore stigmata circunferens, voluptatum illecebras & diabolicas persuasiones, Deo miserante, facilè contempsit. Sciebat enim, Dominum Iesum Christum, vt nos ab æternis pœnis liberaret, multo grauiora pertulisse: & multa martyrum millia persecutionis tẽpore, vincula, carceres, ignes, bestias atque inumera tormentorũ genera Christi causa tolerâsse. Eius quoquè lectus, non ex mollibus plumis, pictísve tapetîs, Lectus.
sed ex asperis virgultis sternebatur. In eo corpusculum, ieiunijs & vigilijs defessum, ceu acceptam Deo victimam reponebat: secundùm Apostoli præceptum, corpus Rom.12.
suum exhibens hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: illud quoquè eiusdem Apostoli decantans: Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram glo- Rom.8.
riam, quæ reuelabitur in nobis.

CAP. XVI.

Multa condit monasteria.

ARdebat verò summo studio monasteria & loca sacra per omnes Franciæ prouincias construendi, maximè verò in propria diœcesi: vbi sanè multa cœnobia, eaque ampla & nobilia, à fundamentis condidit: non pauca verò, priorum Antistitum & Abbatum desidia neglecta, instaurauit. Inprimis autem ipsam matrem Ecclesiam, præ omnibus, qui ante eum fuerunt, Episcopis, rebus, opibus, thesaurisque plurimis locupletauit, atque inter alia ornamenta lectum fecit auro inclusum, ob amorem perpetuæ Virginis & sanctissimæ genitricis Dei. Clerum quoquè plurimum adunauit, eumque Ecclesiasticis disciplinis mirabiliter imbuit, & in subministrandis

Ecclesiam Rothomagensem ornat egregiè.

alimentis rebusque neceſſarijs, largum ſe illi procuratorem exhibuit. Xenodochia quoquè & matriculas extruxit, annonam ſufficientem illic habitãtibus ſuppeditans. Eádem cura & diligentia vicos publicos & plebeias eccleſias fundauit, vel etiam reparauit: nec vlla diœceſis in cunctis Galliarum prouincijs eius temporibus Rothomagenſi diœceſi in pietate & deuotione erga Deum & religionẽ æquiparari, nedùm anteferri potuit. Tantus enim ibi erat numerus cœnobiorum diuerſi ſexûs, putà monachorum & monacharum, quæ ad eius inſtitutionem tanquàm diuinæ ſationis meſſes quædam, ſubitò enituêre, vt & multitudine & religione Aegypti monaſteria, ab Antonio quondàm inſtituta, æquare viderentur. Ipſe verò ſine intermiſſione verbum
2. Tim. 4. Dei prædicabat, inſtans, ſecundùm Apoſtolorum, opportunè, importunè, arguens, obſecrans, increpans cum omni patientia & doctrina.

CAP. XVII.

INter cætera autem virtutũ miracula, quæ idem egregius præſul effecit, illud omninò prætereundum non eſt, quòd illuſtrem virum Vuaningum ſua oratione optatæ
Vuaningũ virum nobilẽ ſanat. ſanitati reſtituerit. Fuit ille Vuaningus ſanè prędiues & potens: ſed morbo correptus acerbo, in ecſtaſi multa impiorum ſupplicia vidit. Cumque eodẽ morbo adhuc premeretur, beatus Audoënus antiſtes, cùm priùs orâſſet, benedictionem ei impertijt, & reddita illi eſt priſtina incolumitas. Hortabatur autem eum Audoënus, vt locũ illum
S. Eulaliæ vita, celeberrimæ apud Hiſpanos martyris, habetur tomo 6. die 10. Decembris. Deo dicaret. Admonitus enim ille fuerat à beata Eulalia, vt in prædio ſuo Fiſcano, vbi iamdiù decubuerat, ad ſancti præſulis Audoëni iuſſionem cœnobium extrueret: ſimulque indicatum erat ei, viginti annis illum in corpore victurum. Itaque vitæ reditus, & ad ſeſe reuerſus, clariſſimum pontificem Audoënum orat, vt ad ſe venire velit, vnà cum ſacerdote Chriſti Vuandregiſilo. Adfuit verò etiam Rex iuuenis Clotarius, Ludouici iunioris Regis filius, inſigne illud, quod in Vuaningo perpetratum erat, miraculum magno deſiderio cernere cupiens. Non ſolùm autem Rex, ſed & cuncti proceres, & omnis populi multitudo, qui cum illo aderant, viderunt, & omnipotẽtis Dei clementiam collaudârunt, beatumque Audoënum colere & venerari cœperũt. Tum demùm S. Audoënus vnà cum Vuaningo iam Deo conſecratum cœnobium, nobiliſſimamque & beatam virginem Childemarcham Abbatiſſam, cum multis Deo ſacratis virginibus ſancto viro Vuandregiſilo, vt ſub eius eſſent magiſterio, tradidêre: quem olim ſanctus Audoënus ſacris ordinibus ornauerat, & cui à Rege Clodoueo locum, qui Fontanella dicitur, ad monaſterium conſtruendum impetrauerat. Eius, inquam, operibus bonis & exemplis atque regularibus diſciplinis monaſterium hoc docendum & inſtruendum commiſêre. Atque his virtutum miraculis fulgens idem Chriſti miles & beatus præſul Audoënus, cùm eſſet humilitate munitus, non nouerat extolli: immò verò oppida, rura, caſas, vicos, caſtella peragrans, cunctis vitam annun-
Eius cubiculũ luce cæleſti irradiatur. ciabat & mortem, tormenta impiorum & iuſtorum gloriam. Si qua autem illi eſſet à concionibus intermiſſio, orationi vacabat, & terrenis curis abſolutus, mente cæleſtia contemplabatur. Et ſæpiſſimè quidem in cubiculo eius lux immenſæ claritatis cælitùs effuſa, à diſcipulis eius viſa eſt. Sed quia in cœnobiorum mentionẽ incidimus, opportunum arbitramur, vt quemadmodùm locus, qui nunc Crux S. Audoëni dicitur, primitùs ei oſtenſus eſt, hoc loco commemoremus.

CAP. XVIII.

CVm tempore quodam parochiam ſuam prædicando perluſtraret, & per hunc ipſum locũ iter ageret, curru vectus, (Non enim poterat nimio feſſus ſenio, iam
Videt Crucem luculẽtam in aëre. equo vehi) muli, qui currum trahebant, ſubitò ſubſtitêre. Cumque auriga flagello eos vrgeret ad procedendum, nullo modo indè eos potuit amouere. Sentiens autem vir Dei, non ſine nutu diuino animalia manere immota, confeſtim ſurſùm erectis luminibus, vidit Crucis vexillum, multo ſplendore latè circunfuſum. Cumque Domino reuelante intelligeret, eum locum ſuo illum ſeruitio & cultui deſtinâſſe, mox reductis oculis, conſpicit hominem quendam arantem. Accepto ergò eius ſtimulo, figuram S. Crucis efficit, eaque terræ infixa, & ſanctorum reliquijs ei impoſitis, diſcedit. Sole indè ad veſperam terras relinquente, columna ignea in eo loco per totam noctem viſa eſt tanto ſplendore, vt ſolis claritatem vincere videretur. Nec ea ab vno ſolo, ſed à totius prouinciæ hominibus conſpecta eſt. Itaque confluxit eò hominum multitudo, offerrentium Deo vota ſua: diuerſiſque affecti morbis, illic priſtinam ſanitatem
Nota miracula ad Crucis effigiem. recuperârunt: cæci viſum, ſurdi auditũ, muti linguæ officium, leproſi mundationem. In quo etiam loco Leutfridus eccleſiam condidit, quæ in S. Crucis & reuerendiſſimi Audo-

Audoëni Pontificis honorem dedicata eſt: vbi hodieque monachi non pauci ad monaſticæ regulæ præſcriptum Deo ſeruiunt.

CAP. XIX.

NEc illud intrà ſilentij latebras abdendum eſt, quod de eo certum & compertum habemus. Iter illo quodam die per Rothomagenſem parœciam faciente, ad quendam locum venit, haud procùl à Sequana fluuio apud inſulam Belcionacam ſitum. Ibi verò paululùm ſe dixit velle quieſcere, diuino hauddubiè inſtinctu admoni-
Viſio eius. tus. Cumque ſancto ſopore eſſet oppreſſus, Angelicis eſt colloquijs fruitus, atque in eodem, quo quieſcebat, loco, vt in beati protomartyris Stephani honorẽ baſilicam ædificaret, admonitus. Accerſito deindè Anſberto, qui per id tempus Fontanellæ cœnobij, in cuius territorio locus ille eſſe videtur, Abbas erat, eius Eccleſiæ conſtruendæ ei negotium dedit. Is verò clariſſimi Pontificis votis fauens, ſacram illic ædicu-
Curat conſtrui monaſteria S. Audoënus Epiſcopus. lam exiguo quidem, vt ſeſe habet loci ſitus, ſed eleganti tamen opere, fabricandam curauit. Porrò eximius paſtor & egregius Pontifex Audoënus xenodochium pauperum ob memoriam nominis ſui ſempiternam ibidèm inſtituit, ac patrimonium quoddam, cui Childriaci vocabulum eſt, in Dunenſi pago ſitum, pauperibus eius xenodochij gratuita benignitate largitus eſt, ſciens ſcriptum, eam hæreditatem benè recondi, quæ Deo cuſtode ſeruetur.

CAP. XX.

ALio etiam tempore, cùm ſuas parœcias verbũ Dei ſeminando circumiret, venit in pagum Cõſtantinum. Vbi autem ad monaſterium beati Marculphi acceſſit, rogatus eſt à Bernoino, eius monaſterij Abbate, vt corpus S. Marculphi in alium locum transferret. Eius precibus vir Dei ſatisfaciens, tranſtulit ſacrũ corpus in apſidem cum hymnis & congruo honore. Poſteà verò petijt ab eodẽ Abbate, vt permitteret ipſi ſumere quippiam de illo corpore. Abbate benignè aſſentiente, beatus Audoënus caput ſancti Marculphi pro reliquijs ſecum abſportare ſtatuebat. Sed co iſthuc me-
Cælitùs chartula ei mittitur. ditante, abimprouiſò reperta eſt in eius palma chartula cælitùs miſſa, quæ illum admonuit, nè caput ſancti Marculphi à corpore ſeparare auſus eſſet: ſed alijs locis ex corpore eius reliquias pro voto acciperet. O virum Deo vſqueadeò dilectum, vt adhuc in terris degenti, è cælis epiſtolam ſcribere dignatus ſit.

CAP. XXI.

COntigit verò in eodem pago, vt quendam illic lapidem inſigni forma videret: cumq; accuratiùs eum eſſet intuitus, ait eum aptum & opportunum eſſe eorum vſibus, qui equitandi curam gerant: atque ea cauſa optauit eum eſſe in Briſniacenſi villa. Cumque eo indè recedente, quidã homo ſecularis, animo tumidus, id audîſſet, continuò miſſo plauſtro, lapidem illum ad ſe adduci iuſſit. Veniũt eius famuli, ſaxum plauſtro imponunt, eunt proſperè & expeditè vſque ad biuium illud, cuius vna pars ducebat in villam Briſniacenſem, altera ad villam hominis ſecularis, qui illud ſaxum ſibi vendicare voluit. Vbi eò ventum eſt, ne paſſum quidem vnum boues ſe mouere
Saxum moueri nõ poteſt. potuerunt. Iungunt illi multa boum paria, ſed cùm nihil proficerent, tandèm amotis bobus, ad dominum ſuum caſſo labore reuertuntur. Poſtquàm verò id ſancto Audoëno renunciatum eſt, vocat Anſtardum famulum ſuum, in eádem domo ſeruientem, iubetque, vt ſaxum ad villam adducat. Illo dicente, ſe non nisi duas vaccas habere, eas iungere iubet. Páret ille iuſſis viri Dei, veniensque ad ſaxum, vbi illud plauſtro impoſuit, tãta facilitate peruénit ad villam, acsi nullum illi plauſtro onus impoſitũ eſſet. Cùm autem ſaxum collocatum eſſet in eum vſum, quem vir Domini priùs dixerat, aliquanto pòſt tempore mulierecula quędam ex animi leuitate in illo ſedere auſa fuit. Obiurgabant autem eam vicinæ circunſtantes, quòd non eſſet verita inſidere ſaxo ſancti Audoëni. At illa reſpondit: Audoënus homo fuit, ſicut & ego. Nulla verò in-
Nota vltionẽ cœleſtem in fœminã, quæ virum Dei cõtempſit. tercedente mora, vltio diuina verba ſuperbiæ caſtigauit. Repentè enim oculorum eius orbes è ſuis ſedibus excluſi ſunt. In illo enim ſaxo nulla fœmina ſedere conſueuerat, poſteaquàm à ſancto viro, illic vt ſtatueretur, iuſſum fuit.

CAP. XXII.

ILlud etiam cur reticeam celeberrimum miraculum, quod per eius diœceſim multorum latè ſparſit rumor & aſſertio? Quodam tempore permultæ ranæ inconditis vocibus religioſi antiſtitis auribus obſtrepebant. Iuſſit ergò ſacerdos Dei, vt conticeſcerent, ac reuerentiam ſacræ orationi deferrent. Mox circunfuſus ille ſtrepitus con-
Irrationalia animalia illi obediũt. quieſcit, licebatq; cernere plaudẽs tacitas, & irrationalia animantia per reuerentiam

agnoſcere,quod per naturam ignorabant: cùm ediuersò tanta hominũ immodeſtia ſit,vt pleriq; deferre neſciant mentiũ religioni, quod aurium voluptati deferunt. His atque alijs permultis miraculis inſignitus licèt Chriſti miles beatus Audoënus, neſcit tamen inflari. Inferiora enim deſpiciẽs,terrenorũ obliuiſcens,alta cælorũ tota mentis intentione deſiderans, pangens nunc caſtitatis, nunc temperantiæ modulos, ſobrietatis carmen,integritatis melos, quæ retrò ſunt obliuiſcens, & ad anteriora ſe extendens,tendebat ad brauiũ ſupernæ vocationis. Quis verò, quanùs doctiſſimus, quanùs ſumma dicendi facultate inſtructiſſimus, vel ſcripto explicare, vel ſermone commemorare queat,quanta diuinitùs illi collata ſint miracula, Galliarũ Francorumq́ue populo in exemplũ relicta? Quis iter arduum & anguſtum, quo ille ad ſupernas properauit ſedes,poſſit imitari? Quis enim dicere auſus ſit, illũ vnquàm cibũ aut potum ad ſatietatem accepiſſe, aut ſomno pluſculùm indulſiſſe, cuius Angelicus vultus, vigiliarum & ieiuniorum pallore cernebatur afflictus? Erat ſanè erga omnes humaniſſimus, omnes miro complectebatur amore, adeò vt ſuum putaret lucrum, quicquid alijs gratiæ diuina benignitas contuliſſet. Aliorum profectibus lætabatur, aliorum pericula mœtiſſimum illi pariebant luctum. Gaudebat, ſi quos didiciſſet ad ſumma proficere: triſtabatur, ſi qui ad ima deuoluerentur.

Mira cibi potusq́ue & ſomni parcitas.

CAP. XXIII.

Romam Pontificitur.

ITaque poſt fundatam in fide eccleſiam, poſt doctrinæ fluenta, poſt tot ædificata monaſteria,poſt tranquillatum totius Franciæ regnum, vrbem Romam, caput orbis & Chriſtianæ religionis, quam Apoſtolorum principes ſuis corporibus ornant, martyrum cateruæ ſacris oſſibus decorant, pontificatum eius vrbis tunc in annum quartum obtinente Adeodato Papa, adire tandèm conſtituit. Cumq́ue hoc longè lateq́ue fama vulgaret,vndiquè cõueniunt ad virum Dei innumeri homines religioſi, auri argentiq́ue pondera multa ei afferentes, ſimulq́ue obſecrantes, vt ad corpora ſanctorum Apoſtolorum & martyrum pro redemptione animarum ſuarum, ea deferri iubeat,partem etiam pauperibus illic ſuis ſacris manibus diſtribuat,ipſosq́ue ſuis precibus Chriſto commendet. Multi etiam venerabiles viri & Deo deuoti, vnà cum illo proficiſci ſibi licere gratulabantur. In quibus erat S. Sidonius,genere Scotus, extructor monaſterij,quod nunc per metonymiam,ſanctum Sidonium, appellant. Stipatus igitur vir Deo dilectus ſanctorum comitum turba, eleemoſynarumq́ue benedictionibus onuſtus, ad limina ſanctorum Apoſtolorum hilaris, vt quondàm vas electionis, cùm diuerſarum eccleſiarum benedictiones in miniſterium ſanctorum Hieroſolymam apportaret, peruénit. Ad ſingulas autem Apoſtolorum & martyrum memorias ſe proſternens,vota & ſupplicationes tam pro ſe,quàm pro totius Eccleſiæ Catholicæ pace,obtulit,lachrymas tamen vberiùs,quàm verba,fundens. Vbicunquè enim in oratione proſtratus iacebat,flumina lachrymarum pauimentum irrigabant. Deniquè cùm ad beati Petri confeſſionem hunc verſum inciperet, Exultabunt ſancti in gloria: diuinitùs reſponſum eſt, Lætabuntur in cubilibus ſuis. Sed quis cõmemorare ſufficiat, quanta liberalitate & munificẽtia per Romanas eccleſias & ſanctorum memorias traditam ſibi pecuniam diſtribuerit? Cumulabantur altaria ſanctorum auro & argento, itemq́ue pauperum manus implebantur, gaudebat vrbs tota cum, qui toto eſſet notus in orbe,ad ſe veniſſe. Et vt paucis expediam, adeò illius aduentu & beneficijs gratulabatur, acsi fidei ſuæ fundatores coràm oculis corporeis intuerentur. Abſolutis verò apud loca ſanctorũ diù optatis precibus, diuinis acceptis reſponſis, cum multarum reliquiarum ſuffragijs tandẽm venerabilis ſenex, altiſſimis Alpium iugis tranſmiſſis, in Gallias reuertit.

Nota prifcorũ Chriſtianorum erga ſacra loca & ſanctos deuotionem.

Rom.15.

Pſal.149.

Elargitur multas eleemoſynas.

CAP. XXIIII.

Redit ad ſuos, & honorificè excipitur, onuſtus ſanctorũ reliquijs.

CVM autem ad ſuæ diœceſis fines peruenisſet,omnes tam ciues,quàm ſuburbani homines,maximo affecti gaudio, cateruatim illi occurrerunt cum Crucibus & lampadibus, gratias agentes Domino, quòd propriũ paſtorem atque pontificẽ ipſis incolumem reſtituiſſet. Iamq́ue velox fama volans,Regis perfertur ad aulam. Itaque Rex & Regina cunctiq́ue palatij proceres laudant creatorem,quòd tantus antiſtes & tutor regni, ipſis ſaluus eſſet redditus. Quid hîc dicam de ſacerdotibus & agminibus monachorum? qui omnes vnanimiter,in cælum ſublatis manibus,canebant: Gratias agimus tibi Ieſu Chriſte, fili Dei viui, qui exaudîſti voces ad te clamantium, & reddidiſti nobis paſtorem animarum noſtrarum, & corporum procuratorem.

CAP. XXV.

Ità

ITà ad ſedem propriam reuerſus, audit palatij Principes, quos authore Deo, Romam proficiſcens, concordes reliquerat, inſtigante diabolo, iam diſcordiæ peſte correptos. Spiritalia igitur arma capeſſens, putà, vigilias, preces, ieiunia, ſpiritalem hoſtem è palatio pellere, & priſtinam concordiam inter commotos principes ſarcire conatur. Quàm verò multa,quàm grauia & alta ſuſpiria duxit,quàm multas moleſtias & afflictiones beata ſenectus pertulit, vt inter ſe conciliaret,quos inuidia diaboli in mutuas animorum acerbitates coniecerat? Certè nè ſanguis humanus funderetur à Chriſtianis, libens ipſe mortem erat oppetiturus, non immemor illius Euangelicæ ſententiæ: Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Nec labor tanti viri caſſus eſſe potuit. Principes enim, pulſa diſſenſione, libenter amplexi ſunt amiſſam pacem.

Iohan.10.

CAP. XXVI.

Authoritas eius quanta fuerit.

IAm verò regnante Theodorico, qui beatum virum non minùs,quàm Reges ſuperiores, charum habuit, inter reliqua eius beneficia id ab eo præſtitum eſt ſancto Audoëno,vt in eius paroecia nec Epiſcopus,nec Abbas vel Abbatiſſa,neque Comes, neque alius quiſquam iudiciaria poteſtate præditus, abſque eius conſenſu rectorem vel ſucceſſorem conſtituere auderet, niſi quem vir ſanctus vel de ſuis, vel aliundè pro vitæ merito inſtituere vellet. Erat tum in eius, quem diximus, Regis palatio primaria dignitate vir illuſtris Vuaratto. Is filium habuit ſtrenuum & induſtrium, ſed animo ferum ac moribus aſperum, & ipſi parenti ſuo inſidiantem. Giſlemari nomen erat illi: nec deſtitit à concepta malitia,donèc patrem ſuo principatu deiecit. Etsi verò obiurgaret eum beatus Audoënus, quòd tantam nequitiam aduersùs parentem exerceret, at ille tamen monita eius ſalutaria audire noluit. Sed non multò pòſt à Deo percuſſus,impijſſimam animã exhalauit, quemadmodùm ei vir Dei antè prædixerat.

Giſlemarus ſuum parentẽ principatu deijcit.

CAP. XXVII.

Vir ſanctus venit Coloniam. Attẽde quãti fecerint patres noſtri ſanctorũ reliquas. Curat mutam.

ORta autem diſcordia inter Francos & Auſtraſios, vir beatus componendæ pacis cauſa Coloniam vénit. Vbi cùm martyrum monumenta perluſtraret,atque ſuo more reliquias ex eorum monumentis ablatas, ſecum magno cum honore abſportaret,obuium habuit mutum quendam,qui iam annis vndecim nullum cuiquam verbum fudiſſet. Permiſit autem Dominus tot annis illum ſic permanere in famuli ſui Audoëni honorem,vt per eum facultas ei loquendi reſtitueretur,& diù tacens lingua, in Chriſti laudes erumperet. Illi ergò muto vir Dei ſignum Crucis impreſſit, caput eius cõſignans: moxq́ue locuta eſt lingua,tandiù tacens. Tum verò inter diſcordes populos inſtaurato pacis fœdere, indè diſcedens in Neuſtriam, Virdunum peruénit.

CAP. XXVIII.

Curat dæmoniacam.

CVm autem in eius vrbis eccleſiam ingrederetur,mulier quędam dęmoniaca vexari cœpit miſerabiliter: frendensq́ue dẽtibus, in virum Dei rapido curſu inuehebatur. At vir beatus manu caput eius ſtringens, ilicò dæmonem eiecit, ſanamq́ue illam parentibus reddidit. Indè ad palatium veniens,quæ de cõficienda pace proſperè geſſiſſet, cuncta explicauit. Sed iam tempus eſt, vt de precioſiſſimi viri obitu calamus noſter quædam annotet.

CAP. XXIX.

Aubertum

Feliciſſimus obitus eius.

ANno igitur * decimoſexto regni Theodorici Regis & * Cratildis Reginæ,res palatij adminiſtrante Vuarattone ſubregulo,apud villam Clypiacum, vbi tum vir beatus de pace inter Francorum populos conſtituta nuncium attulerat, iam longæuæ ætatis ſenio confectus, in morbum incidit. Appropinquabat enim dies optatus, quo cupiebat diſſolui,& eſſe cum Chriſto: terraq́ue relicta,penetrare cælos,& videre iam facie ad faciem,quod in ænigmate iampridèm vidiſſet. Cumq́ue febribus corpus attenuaretur,& obitum ſuum iam imminere cerneret,obſecrabat Dominum,vt ſuas oues idoneo paſtori committere dignaretur. Deniquè hortabatur Rẽgem,vt Abbatem * Anſbertum ſibi faceret ſucceſſorem: quod & factum eſt. Poſtremò fuſis ad Dominum precibus, gregem ſibi creditum illi deotè commendauit, atque ità ſpiritum reddidit in manus creatoris, cæleſtibus choris ſociandum, & gloria ſempiterna paradiſi fruiturum. Rexit autem Rothomagenſem eccleſiam annos quadraginta & tres,menſes tres,dies decem. Nonagenarius migrauit ad Dominum nono Calendas Septembris, die Dominico, anno ab incarnatione Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimoſeptimo.

1. Cor.13.

CAP. XXX.

Magnũ eius decessus luctum affert.

COmpletur intereà luctu ingenti domus regia, omnis palatina dignitas mœret, omnis sublimitas humiliatur, gaudium omne in lamentum vertitur, risus omnis excluditur, plangunt cuncti prudentissimum consiliariũ, pacem populo Dei semper conciliantẽ, & humani sanguinis profusionem instántissimè amolientem, prædicatorem egregium, monasteriorum fundatorem, pauperũ consolatorem, monachorum patrem, pastorem clericorum, hæreticorum persecutorem, regni tutorem, & Ecclesiæ Catholicæ propugnatorem. Inter hæc verò parent iam beato pontifici cælorum palatia, secretorum arcana referantur. Eius merita excedunt montium cacumina, eius sacerdotij dignitas superat altitudinem siderum. Sociatus iam choris sanctorum & legionibus Angelorum, glorificatus est inter arces apostolicas, collocatus inter patriarcharum & prophetarum turmas, & in lucidissimis beatorum castris numeratus. Plebs vniuersa pium plangit pastorem, & miles Christi cum fiducia in Christo liberalissimo remuneratore exultat. Rex, Regina, palatij proceres, non cessant à lachrymis, & ille eius sine cunctatione contendit faciem intueri, cui in hac vita sedulæ seruitutis officia præstitit. Tristantur ciues & vicini, & Audoënus laboris sui mercedem accipiens, iucundissimè lætatur. Tunduntur manibus pectora, pijs ora rigantur lachrymis, & beatus antistes se mundi nexibus gaudet absolutum. Regni tutorem omnes expetunt, quem plateæ cælestis Hierusalem coronatum excepére. O quãta fuit tunc plaudentium Angelorum lætitia: & tamen non mediocriter pium est flere Audoënum, qui vt cælestem vitam duxit in seculo, ità modò rogatus gaudet in cælo, & in tabernaculis iustorum magna cum tranquillitate requiescit, stipatus frequentia Angelorum.

Funus eius honorificè curatur.

Postquàm autem planctus paululùm quieuit, Episcopi, qui aduenerãt, Rex & Regina, Maior domûs, siue magister equitum, cunctiq; palatij principes, beati viri corpus feretro imponentes, sacras exequias cõcelebrârunt. Lætabantur singuli, & in maximo lucro ponebant, si corpus sancti viri in humeros sustollere liceret. Cumque ad pontem Isaræ cùm maximo honore, & digno funeris ornamento laudibus & hymnis decantandis peruenissent, noctem totam in Dei laudibus exegêre. Indè verò regia dignitas cum multo animi dolore redijt ad sua, cernens ablatam à se Domini margaritam.

CAP. XXXI.

TVm verò permultis Episcopis in vnum conuenientibus, adiunctisque venerabilibus Abbatibus, sacerdotibus, monachis & clericis, itemque viris illustribus & turbis populorum, cum Crucibus & lampadibus atque thymiamaterijs in Volcassinensem prouinciam sunt ingressi, summoque cum honore beatum corpus humeris gestantes, laudes & hymnos Deo canebant, non sine multis lachrymis respectantes feretrum pastoris sui. Ità demùm Rothomagum cum sacro corpore perueniunt, atq; illic in beati Petri Apostoli basilica, loco, quem ipse sibi præparauerat, decentissimè illud sepeliunt.

Rothomagi sepelitur.

CAP. XXXII.

ILla verò basilica, in qua sancta eius membra quiescunt, miro opere quadris lapidibus Gothica manu à primo Clotario Francorum Rege, olim nobiliter constructa fuit, anno plùs minùs quarto & vicesimo regni eius, sedem Rothomagensem obtinente Flauio Episcopo. In qua etiam duæ eius vxores & Reginæ conditæ sunt, Haldetrudis & Berretrudis, itemque Dagobertus filius Sigeberti Regis, quem totondit Grimoaldus: atque etiam Childericus Rex, frater Theodorici, cum vxore Bilhilde & filia: quos ipse vir sanctus iam olim illic sepeliërat: qui satellitum suorum Amalberti & Vigoberti insidijs, vita atque regno priuati fuêre. Vbi Dominus Iesus Christus, meritis beati præsulis Audoëni suffragantibus, multa virtutum signa vsq; in hodiernum diem efficere non cessat. Ibi enim cæci illuminantur, leprosi mundantur, claudorum reformantur gressus, dæmoniaci curantur, & diuersi languores sanantur. Nec in eius duntaxàt ea fiunt sepulturæ loco, sed in multis etiam prouincijs, quas vir Domini docendo peragranit. Quæ si quis plenius nósse velit, perlustret Galliam, Aquitaniam, Hispaniam, Italiam, gesta regum Frãcorum, vitam & actus beatissimi Eligij Episcopi, ab ipso conscriptos, vitas quoquè venerabilium Abbatum & confessorum temporis sui, atq; illius ciuitatis scrinia, itemque monasteriorum, quę Reges & Reginæ permultique alij viri religiosi, illo adhortante, construenda curârunt, perlegat. Quibus in locis omnipotens Deus ad honorem nominis sui, per merita sancti pontificis, multa admiranda vsque in præsens operatur. Testantur ergò loca, vbi ea fiunt miracula, patres

Ad sepulcrũ eius multa edũtur miracula.

Iſtius S. Eligij vita habetur 1. Decemb. tomo sexto.

tres matresque docent liberos suos, magistri discipulos, senes iuuenculos, ob memoriam ad posteros transmittendam. Requieuit autem beatissimi viri corpus in eodem loco, quo conditum fuit, annis tribus & mensibus nouem.

CAP. XXXIII.

POsteà autem visum est antistiti successori eius, vt in locum editiorem illud transferretur, nempe ad plagam orientalem altaris S. Petri Apostoli. Conuocatis igitur permultis monachis, omnique clero & populo vrbis eius & totius prouinciæ, totam noctem in laudibus & hymnis peruigilem duxit. Finitis verò matutinis laudibus, cum choris modulantium, quorum vocibus cantuque suaui omnia circunsonabant, corpus sacratissimum à loco, vbi humatum fuerat, cum multa veneratione ipso die Assensionis Domini, tertio Nonas Maij, transtulit in locum prędictum, vbi nunc vsq; honorificè illud homines venerantur. Fuit enim tam ab omni corruptione alienum repertum, quàm olim fuerat virginea integritate conspicuum. Fecit verò idem Episcopus super eius sepulcrum fabricam quandam mirifici operis, in quam contulit argenti talentum maximum, auri plurimum, gemmisq; optimis eam exornauit. Atque intrà illam condidit lectum, quem sanctus Audoënus flagrantissimo ardore iusserat parari, atque intùs & foris auro mirabiliter includi, vt in honorem Domini nostri Iesu Christi, ad sanctam resurrectionem in Hierusalem perferretur. Sed nè id fieret, sanctæ eius voluntati multa tum fuêre impedimenta obiecta.

Trãsfertur sacrum eius corpus, post triennium, adhuc incorruptum.

CAP. XXXIIII.

QVod autem ipso translationis eius die declaratũ est miraculum, id paucis commemorandum est: Inciderat is, quem diximus, Episcopus in molestissimam corporis valetudinem, quam Tertianam febrem vocant. Cumq; non mediocriter is cum morbus infestaret, ità vt mortem sibi prę foribus adesse susp icaretur, subitò intrà Missarũ solennia, coram sacerdotibus, Clero & populo febre omni profligata, pristinam sanitatem recepit. Tum verò sudarium de capite beati Audoëni, pro reliquijs manu sua cum fide sustulit, vndè & ipsi & quãplurimis alijs, Domino largiente, salus collata est. Fecitque ob amorem sanctissimi viri, omnibus opiparum conuiuium, & tanquàm Christo assistens, ambulando sumebat cibum, & illis recumbentibus officiosè inseruiebat. Porrò pauperioribus non solùm alimoniam, sed etiã innumeram solidorum copiam distribuebat. Quanta autem veneratione prosequendus est hodiernus antistitis nostri Audoëni sacratissimus dies, quo ille iunctus Christo, Angelicis fruitur paradisi delicijs, & à nobis magno cum honore atque officiosissimè colitur tumulatus? Pauperes sanè in eius beatæ depositionis die in vnum collecti, laudabant Dominum, & gratias incessabiles agebant, quòd ipsorũ bonus pastor Audoënus, sicut in vita duplicem ipsis alimoniã abundè præbuisset, ità post decessum suũ tam magna eis prandia præpararet. Eius nos orationibus adiuti, conemur totis viribus illius vitam, fidem & mores imitari, vt mereamur ad coronam gloriæ, quam ipse adeptus est, etiam nos quandoquè pertingere: Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum æterno patre & spiritusancto viuit & regnat Deus in Trinitate perfecta, in secula seculorum Amen.

Tertiana febris profligatur.

Miracula sudarij etc.

Debemus sanctorũ fidẽ & mores imitari.

CERTAMEN S. EVSEBII ET SOCIORVM EIVS MARTYRVM, EX SPECVLO HISTORIALI S. VINCENTIJ *lib.* II. *cap.* 119. *cui coresp ondent Martyrologia.*

IMPORIBVS Commodi sæuiente persecutione in Christianos, aduenientẽ natali die ipsius, decretum ab eo exijt, vt omnis plebs Romanæ vrbis in vnũ aduenirẽt, & in laudẽ Herculis ac Iouis pompatica voce acclamaret. Ventum est, & circunstat Regẽ penè vniuersus orbis. Ipse aũt deformiter indutus, regiã cum mitra ascendit sedẽ, ac priùs thurificauit aureã Iouis statuam. Tantæ enim superbiæ erat tantæq; iactantiæ, vt indueret se pelle leonis, designare in vestimẽto volens, q̃ sicut leo bestiarũ sic & ipse esset Rex & magister populorũ. Cui omnis populus acclamauit, dicens: Protector est Hercules reipublicæ & defen-

Augusti 25.

Antonini Commodi Imperatoris superbia quanta.

& defensor libertatis Romanę audacię. Eodem tempore morabantur in vico, qui appellabatur Carnarius, Christiani nominis cultores, inter quos erant viri religiosi Eusebius, Vincentius, Peregrinus, atq; Potentianus, serui Dei orationibus instantes, mori pro Christo desiderantes. Hi ad imitationem Apostolorum sua omnia vendiderũt & pauperibus erogauerunt, quatenùs nudi ab hoc seculo liberiùs soli seruirẽt Deo. Qui cùm audissent huiusce modi rem à Commodo gestam, ridiculo ac superstitioni hoc deputantes, vicos & vrbes perlustrant, trinum & vnum Deum prædicant, dicentes: Recedite charissimi à cultura dæmoniorum. Date honorem Deo trino & vni, patri & filio & spiritui sanctoomnipotenti, & agite pœnitentiam & baptizemini, nè simul cum Commodo pereatis.

S. Eusebius cum socijs Christum prædicat.

Itaq; quidam senator Iulius audiens monita huiusmodi salutaria, introduxit eos in domum suam, & audiens solicitè prædicationẽ, credidit: & facultates suas varias, per manus eorum distribuit. Accersito igitur quodã presbytero Rufino, baptismum cum omni domo sua suscepit. Cœpitq; ipse publicè profiteri Christum, & pro eo mortem concupiscenti animo desiderare. Quod cùm audisset Cæsar, amaritudinis felle exagitatus, iussit eũ ad se induci, & sic eum cœpit affari: Iuli, qualiter amẽs effectus es, vt deserens Iouem & Herculẽ, sequaris nescio quam amentiã vanam? Cui viriliter respondit Iulius, dicẽs: Tũ simul peribis cum dijs tuis, quos vano errore deos esse, temerario ore mentiris. Confusus itaq; Cæsar his & alijs verbis, accersiuit quendã virum nomine Vitellium magistrum peditum, animo fero, opere crudelem, omnibusq; vitijs obsessum, & præcepit ei, dicens: Exquire diligenter facultates huius sacrilegi, & compelle eum ad sacrificandũ inuictissimo Herculi. Qui nisì acquieuerit, non protrahas eum diutiùs viuere. Suscipiens Vitellius Vicarius, fecit eum coarctari in custodia. Post triduum verò iussit sibi tribunal præparari in tellude, & sanctum Iulium catenis adstrictum ante se exhiberi. Erat autẽ corpore nudus, sed ex integro, fide munitus. Quem sic alloquitur, dicens: Audisti quid iussit princeps? Depone iam pertinaciam, & adora deos, per quos vniuersus subsistit orbis Romanus. Nam si non feceris, diuersis afflictus pœnis puneris. Cui sanctus constanter respondit: O miser & miserande, simul cum tuo principe perfido peribis. Ad hæc Vitellius dixit: O Iuli, in quo confidis, cùm iam damnatus sis? Iulius respondit: Fidutia mea vita æterna est, spes mea Christus est, qui te cum tuo principe damnabit in æternum interitum. Hæc audiens Vitellius, iracundiæ stimulis instigatus, iussit eum fustibus cædi. Qui dum cæderetur, emittens spiritum, cælestia petijt. Cuius corpus præcepit Vitellius ante amphitheatrum iactari. Quod audientes Eusebius, Vincentius, Peregrinus, atque Potentianus, collegerunt corpus sanctissimi Christi martyris, & sepelierunt in cœmeterio Calepodij xiiij. Calen. Septembris.

Iulius Senator cũ omni domo sua credit.

Sistitur Iudici Vitellio S. Iulius senator.

Dum cæditur fustibus obdormit in Domiuo.

Hæc audiens Vitellius, perquiri eos fecit, sibiq; præsentatis dixit: Manifesta assertio est, diripuisse vos facultates Iulij, cùm & corpus illius collegistis, simulque & sepulturæ tradidistis. Tunc gloriosus vir Eusebius locutus est: Quod nobis obijcis, proculdubiò fecimus, quodque meruimus præsule Christo executi sumus. Iudex nequissimus dixit: Quia meruistis thesauros diripere, difficultas non sit vobis reddere, nè pereatis, sicut & ille perijt. Respondit Eusebius: Hoc omnibus votis appetimus, hoc communi animo concupiscimus. Cumque constanter persisterent, confusus Vitellius, eadem hora iussit vt in eculeo facie ad faciem suspenderentur, obtunderẽtur neruis, & fustigarentur. Quibus suspensis, præco etiam clamabat: Deos & principes nolite blasphemare. Diutiùs autem eis tortis, iussit cessare paululùm à tormentis. Quibus dixit: Parcite vobis, & sacrificate dijs. Eusebius ad hęc: Miser, inquit, quod incepisti perfice, noli desistere. Antè enim tibi deficiet tẽpus ad torquendum nos, quàm noster deficiat in Christo persistens animus. Nè ergò putes nos terreri, nec separari nos à fraternitate Domini nostri Iulij. Vitellius circunstantibus ait: Isti securi de arte magica, in tormentis gaudent. Respondit Vincentius: Nos gaudemus & exultamus in Domino nostro Iesu Christo. Tyrannus verò iussit extemplò flammas applicari eorum lateribus. Illi alacres effecti, dicebãt: Gloria tibi Domine, qui nos tua visitatione circũdas. Igitur vnus carnificũ Antoninus, intẽtis oculis eminùs vidit cũ spongia iuuenẽ stantẽ, fulgore nimio coruscantẽ, & eorũ latera extergẽtem. Tũc emissa voce, cũ ingẽti gaudio cœpit clamare: Vnus verus Deus est Christianorum, quẽ hi euidentissima ratione pdicant. Video enim Angelũ Domini circunstantẽ eos, & à pressura flammarũ protegentẽ. Tunc velut leo frendens Iudex, cum clamore ait: O magica ars, ó seductores, qui

Eusebius cũ socijs in eculeo suspẽditur & grauiter fustigatur.

Vrũtur eorum latera.

qui alienauerunt mente sua hominem clarissimum ac probatissimum in republica. Antoninus autem pœnitentia ductus, deuouit se crediturũ Christo Domino. Statìm verò Antoninus Rufinũ presbyterum adijt, & vt ab eo baptizaretur, humiliter impetrauit. Itaq; Vitellius sanctos martyres de eculeo deponi iussit. Quibus depositis ait: Vt quid tam crudeles estis vobis ipsis? Cur non deponitis insaniam vanam, adorantes deos & glorificãtes, quos iusserunt principes, vt nobiscum frui mereamini vita æterna? Beatus Vincentius ait: O omnium infelicissime & crudelissime, qui tibi ipsi non parcis. Nos in gloria iam constituti sumus, tu verò cum principe tuo in gehenna periturus es. Tunc Vitellius iussit linguam præcidi sancti Eusebij, æstimans illi deesse linguæ officium, in cuius ore semper Christus resonabat. Antoninus autem accurrens clamabat: O Vitelli miserrime, quid tibi & iustis his? vt quid eos crucias? Tunc Vitellius per os sanguinem vomere cœpit, recto scilicet iudicio Dei, vt qui exarsit ad puniendum os iusti, acri dolore torqueretur in suo. Athleta verò Domini Eusebius sine lingua laudes in excelsum Christo dabat. Huic igitur lamentabili spectaculo quidam vir interetat Christianus clarissimus, nomine Faustus. Qui colligens linguam martyris Christi Eusebij, reposuit eam sub tunica sua in sinu suo, & fugiendo latuit. Dehinc iussu Vitellij Antoninus ductus est à carnificibus via Aurelia iuxta formam Traianam, & capite plexus XI. Calen. Septembris.

Antoninus carnifex credit & baptizatur.

S. Eusebius præcisa lingua loquitur & Deum laudat.

Plectitur capite S. Antoninus.

Porrò Eusebium ac socios eius diutiùs maceratos supplicijs, in ima carceris iussit retrudi. Ibì non diebus neque noctibus ab oratione cessabant. Percurrebat autem eorum opinio circunquaquè. Ad quos veniens non minima multitudo Christianorum, & audiens ab eis æternæ vitæ monita, non mediocriter proficiebat. Post triduum apparuit eis beatus Iulius, cunctisque audientibus, ventura prophetando hæc intulit: Saluate custodẽ carceris. Hæc dicens, ab oculis eorum euanuit, mentesq; eorum sua gratissima visitatione lætificauit. Tantã verò contulerat Dominus vim virtutis suę suis fidelibus, vt vndiquè illuc populorum confluentibus turbis, varijs detentis languoribus nulla difficultas esset in conferenda sospitate eorum orationibus. Veniẽs itaq; sacerdos Capitolij, nomine Lupulus, qui ritu paganismi fungebatur officio illo sacerdotali vanissimo, rogauit vt instrueretur à sanctis martyribus, & baptizaretur. Erat enim cæcus. Cui dixerunt: Si credideris ex toto corde, illuminaberis, & vita æterna nobiscum frueris. Respondit Lupulus: Ego absque vlla ambiguitate credo in quem vos creditis, nec vllatenùs cupio separari à vobis. Ideò enim ad vos confugi, desiderans vobiscum in his vinculis pro amore Christi mancipari. His auditis, confestìm miserunt, & rogauerunt ad se venerabilem Rufinũ presbyterum venire. Qui veniens ad carcerem, catechizauit & baptizauit eum. Tunc subitò ab oculis eius caligo discessit, & lumen Christi in eis emicuit. Tunc accurrens custos carceris, & videns illustratum supernò lumine, qui annis quatuor cæcus fuerat, misit se ad pedes sanctorum, & vt baptizaretur rogauit. Quẽ ilicò beatus Rufinus sacro baptismate purificauit, eumq; armis fidei muniuit. Abiẽs Vitellius, intimauit Regi omnia, quę à sanctis gesta erant, qualiter superâssent omnia tormentorũ genera, & quomodò contẽpsissent dijs libare sacrificia, qualiterque loqueretur Eusebius sine lingua. Cui ità Rex ait: Extingue eos. Qui iubens tribunal pręparari sibi, & illos introduci ait: Afferte tripodam, vt sacrificent hi. At illi expuentes contempserunt eum. Cuius etiam cor impœnitens, admirans, beatus Eusebius ait: O miser, cuius cor est sedes Sathanę. Tunc Vitellius fecit eos ante amphitheatrum tandiù plumbatis acriter cædi, donèc spiritum exalarẽt. Quorum corpora beatus Rufinus collegit, & non longè ab vrbe Roma sepeliuit, viij. Calend. Septembris.

Apparet SS. martyribus S. Iulius eos sua visitatione lætificans.

Multi ægri curãtur eorum orationibus.

Lupulꝰ idolorum sacerdos per fidẽ & baptismũ à duplici ęcitate curatur.

SS. Martyres plũbatis occiduntur.

MARTYRIVM S. GENESII ARELATENSIS, AVTHORE B. PAVLINO NOLANO EPISCOPO.

PROLOGVS AVTHORIS.

PRoprium atque indigenam Arelatensis vrbis beatissimum Genesium martyrem, alumnum eiusdem iure nascendi, patronum virtute moriendi, celebrare iam à principio atque extollere, omnium fidelium studia, omnes religiosorum literæ debuerunt: vt tanti meriti glorioſa documenta, consignata scriptorum fide, & viuacibus cõmendata monumentis, illibata atq; integra ad posteros perue-

peruenirent, quæ admiratio ſemper faceret noua, & veneratio probaret antiqua. Sed quoniam ſuccedētes ſibi per incertum vitæ tempus ætates, tradere hæc inuicèm memoriæ mutuæ, quàm mandare literis, maluērunt: vel nunc oportet eadem fidelibus ſcriptis in tempora ſecutura trāſmittere, nè ea, quæ adhuc viua recordatione rerum, vt ſunt geſta, referuntur, euaneſcente per tempus vel tradentium, vel accipientium fide, fabuloſa credantur.

HISTORIA.

Auguſti 25. SANCTVS itaq; Geneſius in iuuentutis flore primæuo, prouincialis militiæ tyrocinium ſuſcepit, eam officij partem ſtudio & arte complexus, quæ patronorum verba vel noua ſignorum velocitate, vel dexteræ, ſonum vocis æquaret: ſpiritalem futuræ glorię imaginem prefigurans, vt qui præcepta diuina celeriter audiret, ea fidelibus notis piæ mentis exciperet. Accidit autem, vt, cùm ante tribunal exceptoris fungeretur officio, iniuſto atque ſacrilego mandato perſecutionis iuſſa ederentur, quæ deuotus Deo repudiaret auditus, & imprimere ceris manus ſancta reſpueret. Abiectis ergò tabulis ante pedes iudicis, miniſterium ſacrilegum ſacrata iam Domino mens refugit. Et vt in nullo à preceptis Euangelicis actus martyris deuiarent, quibus declinare perſecutionis impetum vel permittimur, vel iubemur, alia atque alia nòn ſolùm latebra, verumetiam ciuitate mutata, cùm & alio loco ſcriptum ſit, Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma: ab ira ſe furentis iudicis pauliſpèr occuluit. Qui cùm eum corripi protinùs offerriq; iuſſiſſet, neque inueſtigatio ad procuratam latebram peruenire, crudeliſſimis pœnæ miniſtris, vt vbì repertus fuiſſet, gladio eũ interficerent, imperauit. Quod vbì beato Geneſio vel occultis nuncijs, vel rumore compertum eſt, diuerſa latēdi loca, vt exitus docet, non infirmitate ſpiritûs, ſed carnis trepidatione, mutauit. Atq; interìm, licèt ſuperfluò, de præſumptæ fidei cõfirmatione ſolicitus, quoniam nondùm erat ex aqua & ſpiritu ſancto renatus, per fidos internuncios à Catholicæ religionis antiſtite donum baptiſmatis poſtulauit. Sed ille vel temporis anguſtijs impeditus, vel iuuenili ætati diffidens, ardētia vota diſtulit, ac fideliter indicauit, quòd plenam conſummationem etiam huius muneris daret prompta pro Chriſto cruoris effuſio. Et hæc quidem cunctatio ſacerdotis, diuino, vt æſtimo, prompta nutu atq; iudicio prouocata diſpoſitaq; eſt: vt circa eius ſolennem conſecrationem officia humana ceſſarent, cui vnius baptiſmatis duplex gratia, ex vtroque ſcilicet Chriſti latere & aqua & ſanguis parabatur.

S. Geneſius exceptoris fungitur officio, nec ſcribere vult edicta contra Chriſtianos.

Matth. 10.

Matth. 26.

Cruoris per martyrium eſſuſio alter eſt baptiſmus.

Iohan. 19.

Sed iam Dominus, qui per Spiritum ſanctum futuri martyris ſeruabat arcana, ſubeundæ conſtantiam paſſionis vel fecerat, vel videbat: neque patiebatur differri coronam, cùm videret paratam eſſe victoriam. Itaque percuſſoribus ſuis eum obtulit, & ijs, quorum in eundem auida crudelitas inhiabat, oſtendit. Atque is vbì ſe perſpicit deprehẽſum, inſtinctu Domini Rhodanum petijt, & ſancta fluuio membra commitit: vt eum illic à contagione mortali, velut alterius Iordanis vndis, occultus baptiſta purgaret: & mutuo alternoq; myſterio & aquis corpus, & aquas corpore conſecrauit. Atque hæc cauſa profectò extitit, vt natādi adminiculo peruenirent, qui exemplo beatiſſimi Petri ad Chriſtum tendens, per ſumma gurgitum ambulare potuit. Tranſgreſſum continuò in vlteriora fluminis, & ſubeundi præmij paſſionis Chriſto ſponſore ſecurum, in eo loco, quem effuſioni ſanguinis glorioſi Dominus elegerat, quiq; nunc oratione aſſidua & votis nunquàm irritis frequentatur, percuſſor aſſequitur, exoptatoq; gladij ictu feſtinantem ad Deum animam vinculis corporis, quibus tenebatur, abſoluit: & vtraq; ſubſtantia proprię originis elementa repetente, terrena interìm terris membra commendat, & cæleſtem ſpiritum emittit ad cælum.

Matth. 14. Iohan. 21.

Gladio percuſſus, abit ad Dominũ.

Prouiderunt tamen fideles temporis illius Dei ſerui, vt vtranque fluminis rīpam, geminatis vrbibus ambiendam, vnius martyris tutela muniret. Nam in ipſo beatæ paſſionis loco conſecrati cruoris veſtigia relinquentes, in alterum fluuij latus honoratas reliquias tranſtulerunt, vt vtrobiquè preſens S. Geneſius, illic ſanguine haberetur, hîc corpore. Hæc omnia fideliter, atq; vt geſta ſunt, vel comperta, vel dicta, libentibus

Duæ vrbes ad vtrãque Rhodani rīpam ſancti reliquijs celebres.

tibus deuotisq; animis, qui noueratis, recognoſcite: qui ignorabatis, agnoſcite, & gloriam tanti martyris, per ſingula annorum ſpatia creſcentem, & in ſecula æterna victuram, mentis oculis contuentes, vnuſquiſq; pro viribus ad ſimilia, ſi ità fides deſideraverit, animos præparate, & vt beatus Geneſius, throno Domini vſq; in vindictæ ſuæ tempus aſſiſtens, ſacerdotibus, miniſtris, Clero nobisq; omnibus, & ei, qui inſtructioni veſtræ iſta compoſuit, patrocinetur, orate: Amen. Apoc. 6.

EIVSDEM BEATI GENESII INSIGNE MIRACVLVM, *à beato Hilario Arelatenſi Epiſcopo conſcriptum.*

OPera Dei narrare, honorificum eſt. Ergò operæprecium eſt, miracula diuini operis, ad ſancti martyris Geneſij gloriam referenda, narrare. Natalis enim ipſius die frequens ille in ciuitate Arelatenſi caſus, pontis abrupti periculo, vrbem totam nimio tremore concuſſit, & animis ſubiti pauoris diſcrimine concuſſis, ſolennitatis lętitiam recepta ſalutis gratia, lætiorem reddidit, iucunditate duplicata. Nam cùm ſuos in hac celebritate plùs etiam, quàm ſuos, Arelas populus coëgiſſet, quorum in illa die gaudijs agendis ipſa ciuitas anguſta erat, ſemitæ & ſpatia camporum, hærente in agmine, & laborantibus ſua cunctis denſitate, ibat in vlterioris fluminis ripam, in honorẽ martyris, Chriſto deuotus exercitus, cum charis coniugibus, dulcibus pignoribus, plura ſimul beneficia habere feſtinans. Nec contẽtus vno in loco vota profundere, in eccleſia peruigil, antelucanus ad locũ cędis & ſanguinis feſtinabat: ìtèm ad ſepulcrum, gaudiorum immolās hoſtias, quaſi occupaturus aures martyris, properabat. Nec clericorum officia ſolenniter ordinata, nec ipſum deniquè lucis tempus expectabat. Splendor ſiquidem feſtiuitatis, colluctẽte vrbe tota, omnem omnimodìs pepulerat noctis horrorem. Interìm via illa naualis, qua inter cõfœderatas ſibi vrbes, illius terribilis Rhodani terga calcantur, ſubitò aut ſub iniuſto faſce, aut nimio materiarum pondere, aut per obliquum amnis illapſum, prona diffuſa eſt. Incertum eſt, quo caſu: certum tamen, cuius inſidijs precioſum onus, hoc eſt, fidelium turmam in medijs fluctibus malè pendula ſtrata depoſuit, adſtante me, quod veraciter loquor, & pedem ab ipſo, vt ità dixerim, ponte referente. Ingens ilicò fragor populi tam ruentis, quàm circunſtãtis, exoritur: pauor tota vrbe percurrit: hic coniugi, ille filijs, alij propinquis, alij amicis: omnes ſimul diuerſis affectibus metuunt: qui parùm, ciuibus. Tobiæ 12.

Solennitas S. Geneſij.

Pons medio inter præno minatas vrbes.

Pōte rupto, multi ruunt in aquas.

Inter hæc ſanctæ recordationis antiſtiti Honorato, quo tunc ille populus paſtore gaudebat, vni quidem pro omnibus metuenti, omne cladis pondus incumbit. Quos tunc illa pietas ſtimulos accepit? quàm ſubita animi ægritudine ægris ægrior fuit? Erectis confeſtim ad cælum oculis, intentione cordis luminibus exæquata, ità à nobis circunſtantibus mentis * exceſſu totus abſceſſit, vt nemo dubitaret, quin tribunalibus Chriſti cum S. Geneſio, opem præſentis mali impetraturus, adſtaret. Agebantur interìm grandi tumultu miſeranda naufragia: mixti hominibus phalerati equi, impedito indignantes natatu, altis pectoribus crura iactabant: quicquid obuium fuerat, ſeu admoniti periculo, ſeu pauidi inſtinctu, proculcātes pauida virtute: impliciti charis onoribus, matrum vlnam, & preſſi caueis matronalibus famuli, & tota itineris ſui immixta fragminibus pompa ſolennis. Nemo hoc loco malus interpres occurrat, nemo tantam Martyris gloriam maligna obtrectatione * obſcuret, & ripę vicinam turbam nullus alleget, nemo vadis exceptos aſſerat, quos palàm dextera diuina ſaluauit. Depreſſa peregrinorum mercibus quotidiè ijſdem ripis ineſtimabilium onerum nauigia iunguntur: nauem illic ferendis pontibus tanquàm iacere fundum deſperaret aggeribus, ordinatio antiqua conſtituit. Tantum in hoc vaſto gurgite ſtipati populi pondus expoſuit, quantum longiſſimis, validiſſimis, eodemq; confractis põdere trabibus, acceperat. Iſtius S. Hogenotati vita habetur 1. tomo ſecũdæ editiõis 16. Ianuarij.

Locus mendoſus.

* dubitet

Occurrat nunc animis atq; oculis iſta replicantium, ſimul totum, Rhodanus, ruina, naufragium, implicanda turba miſerorum diuerſa, in vnum diaboli inſidijs cõglomerata pernicies. Nihil periculo defuit, vt ad gloriam Martyris nil deeſſet. Quandò enim alumnos ipſius mergeret fluuius, quem eodem die pijs natalibus conſecrâſſet? O magna Dei gloria. Erupit è vaſto gurgite glorioſus exercitus. Iordanẽ iterùm crederes, rupto diuinitùs amne, patuiſſe: aut iterùm maria populo Dei, ſicut ſub Moyſe Ioſuæ 3. Exod. 14.

Omnes illæsi euadunt è flumine, martyris intercessione.

quondàm Duce, in virgę imperio iter inter fluenta ſolidum præbuiſſe. Neminem ruina quaſſauit, neminem grauatum veſtibus fluuius inuoluit, nemini hauſtum ſuũ fluuius ingeſſit. Illęſos omnes atq; incolumes vernacula ac familiaris ripa ſuſcepit. Pōpa omnis, ſicut ingreſſa fuerat, egreſſa eſt. Matres familiâs ex pfundo famulorũ ſuorum ceruicibus mobiliũ cubiculorum ſecreta viderunt. Comptę in honorẽ Dei virgines, nulla fluitantium monilium detrimenta ſenſerunt: acus ipſæ, vt ità dixerim, ſicut affixæ fuerant maternis manibus, hæſerunt. Nemo damnum aliquod rei, nemo diſpendium ſalutis accepit. Occurrunt pignora chara pignoribus: vnuſquiſq; proximum ſuum, cui plurimùm timuerat, lætus amplectitur. Cuius hîc, nisì Chriſti, per interceſſionem Martyris ſui, præſens virtus operata eſt? Conuénit vtiquè Epiſcopus Martyrem, & Dominum martyr. Oſtenſum eſt ſalute dignum fidelis populi officium. Et deniquè plurimi (quod mecum forſitan & qui feciſtis, agnoſcitis) ilicò, nè vel leuiter turbare deuotionem ſanctam liceret inimico, veſtibus, vt erant, madidis nauigia conſcendũt, & matutinum rigorem fluuij, ſpe feruente contemnunt: feſtini, quò intenderant, ad locum ſcilicet cædis, animo victore perueniunt, alacritate maiori poſt periculum recens vota ſuſuri. O dignæ audiri preces, quæ non fractæ iniurijs, imputare neſciunt, quòd periclitati ſunt: grates referre ſciunt, quòd euaſerunt. Omnes gaudio tripudiãt: aſſiſtunt deniquè ſolennibus læti: interfuiſſe periculis iuuat: quia conſpicabile, interfuiſſe miraculis. Tanti cuique fuit de ſalute dubitâſſe, vt ſalutem ſuam mirabiliter acquireret. Integro ſuorum numero Honoratus paſtor exultat: qui quidem hæc manu politiori maioriquę gratia manſuris perpetuo ſeculo ſcriptis mandare potuiſſet, nisì diuini muneris cōſcius, in legatione ſancti martyris particeps deſignatus, quòd ſe prę-ſule Dominus hæc contuliſſet, inſolentiùs exultare timuiſſet. Et quidem ad nos beneficia per plures diffuſa perueniunt: cæterùm quanti in ſe priuata cognoſcunt? Quod ſoli Deo adſcribimus, qui omnium conditor & conſcius, colitur & viuit cum filio & ſpiritu ſancto, per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

ITEM DE EODEM S. GENESIO ARELATENSI, SERMO *ex ijs, qui Euſebio Emiſeno Epiſcopo adſcribuntur.*

Paſſiones martyrum cur natales vocentur.

HOdiè natale ſancti Geneſij celebramus, & meritum. Beatorum martyrum paſſiones, natales vocamus dies, quandò eos Martyrij vita, & gloriæ fides, dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia breui dolore parturijt. Meritò planè dicendi natales dies, per quos illi, qui nati fuerant in hanc fragilitatis humanę miſeriam, ſubitò renaſcuntur in gloriam, vitæ perennis initium de mortis fine ſumentes.

Etenim illos dies natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis & doloribus naſcimur ad dolores, quibus in hunc mundum cum fletu infantiæ vagientes ingredimur, omnis homo quaſi futuræ per totam vitam prophetia miſeriæ, & infelicitatem naturæ prima illa lachrymabili voce teſtatur: ſiquidem primo ſtatu vita naſcentium, quæ ad omnem ſuſpecta curſum, in tribulatione agitur: Iuſtiùs ergò iſti celebrantur natales, quibus ſancti ex corruptibili luce in nouam illam futuri ſeculi veniunt claritatem, & filij hominum in adoptionem diuinæ paternitatis aſſcendunt, & conſortes pauloantè mortalium, ſubitò ciues incipiunt eſſe Angelorum.

Iuſtè celebrãtur ſanctorũ feſta

Ex eorum numero erat beatus ille, cuius hodiè præclarum glorioſi agonis celebramus triumphum. Qui adhuc Catechumenus, adhuc à diuinis legibus peregrinus, adhuc alienus, omnia in ſe ſubitò mandata pietatis, fidei plenitudine conſummauit. Catechumenus, ad confeſſionis certamina progreditur. Non tingitur fonte, ſed abluitur paſſione. Non viuificatur baptiſmate, ſed morte regeneratur. Et quid tandèm crederet, vel quid pro eo redemptori ſuo deberet, profuſione ſanguinis confitetur.

Rom. 6. Non poteſt quidem dicere, Conſepultus ſum Chriſto per baptiſmum in mortem: ſed poteſt dicere, Per mortẽ illi iungor in baptiſmo, id eſt, in morte. Ipſe enim Dominus

Luc. 12. mortem ſuam baptiſmum pronunciauit, dicens: Baptiſmate habeo baptizari, quod vos non ſcitis. Beatus ergò & inclytus Chriſti teſtis, hanc Domini ſui mortẽ, etsì non edidit myſterio, plus eſt, quòd imitatur exemplo.

Vis diuini amoris.

O quantum agit ille in pectoribus humanis diuinus ignis? Catechumenus æternam comperit vitam. Nondùm profectus ad Chriſti militiam, & iam dignus ad amicitiam:

citiam: nondùm aſſumptus ad famulatum, & iam idoneus ad teſtimonium: nondùm intromiſſus in Eccleſiæ ianuã, ſubitò ipſam penetrat cæli regiam: nondùm miles Dei, & iam cohæres: nondùm domeſticus in domo Dei, & iam filius in regno Dei. Et ſanè hanc meruit gloriam inconcuſſa illa in tanto martyre animi virtus & fidei magnitudo, occulto (dico) Chriſti amore nutrita, & ſubitis approbata documentis. Nam cùm ſecretus adhuc Dei famulus in exceptorum ordine militaret, & ante tribunal pagani Cæſaris aſſiſteret, audiens eum in caput Chriſtianorum cruentas pronũciare ſententias, piam dexteram ab excipiendo tanquàm ſacrificando reuocauit: & implere ſacrilega verba contremuit, quia Chriſtum paginis cordis gerebat inſcriptum.

Nõ vult obtẽperare impijs pręceptis Imperatoris.

Proiectis itaq; codicibus ante oculos prophani iudicis, nefarias eius voces, & edicta impia atq; decreta, tota iam martyris libertate condemnat. Tormenta in oculis erant, dolor eorũ, quos pœna lacerauerat, vſq; ad metum carnificum, vſq; ad tremorem torquentium perueniebat, & inter hæc ille Chriſtianum ſe eſſe tota exultatione clamabat, tanquàm Chriſtiani non ad ſupplicia, ſed ad præmia quærerentur. Quanta & quàm noua ſpectacula Deo atque angelis ſuis præbuit fides piorum?

Præclara S. Geneſij cõfeſſio.

Eccè in ſacrilegi tyranni miniſterio militem ſuum Chriſtus inuenit. Solebat Eccleſia ad tribunalia perſecutorum martyres mittere: eccè nunc ſtupendo genere Eccleſiæ martyrem tribunal perſecutoris emiſit. Pronunciat itaque, Chriſtianus ſum: & omnis inſania perſecutoris verſo in illum furore conſurgit: æſtuat dolore & confuſione iudex cruentus: plùs erubeſcit, cultorem fidei de parte emerſiſſe perfidiæ. Incumbente itaq; perſecutionis mole, inſequentibus diaboli miniſtris, Rhodani ſe immittit fluentũs, in vlteriorem ripam, de ciuitate in ciuitatem, flumine obſequente, tranſgreditur: non vt glorioſam mortem fugeret, ſed vt martyrij ordini nil deeſſet, dicẽte ipſo Domino: Si vos perſecuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam. Illic appræhenſus, Matth. 10. Chriſto immolatur, & triumphali cruore perfunditur. Vnda precioſi ſanguinis, baptiſmi Sacramenta complentur: cadit in precium veritatis, hoſtis pietatis.

Sub ipſa itaq; feliciſſimæ ciuitatis mœnia, fidelium humeris funus inclyti victoris infertur. Vndè nunc inter vtraſque vrbis illius partes gemino honore glorioſus, illam ripam triumpho ſanctificat, hanc ſepulcro: illam ſanguine illuſtrat, hanc corpore. Fideles itaque populi peculiariùs exultantes de perpetui propugnatoris auxilio, ferunt ad tumulum vota, de tumulo votorum referunt gaudia. Pulſant hi precibus, reſpondet ille virtutibus: vincuntur per quotidiana Martyris beneficia, alumnæ vrbis obſequia. Vndè meritò in proſperis colunt, quem præſentem in periculis cognouerunt. Frequentibus itaq; tribulationibus approbãrunt, quantùm apud Deum poſſit proprius ſuffragator. Quàm precioſa ſunt martyrum vulnera, quàm glorioſa certamina, inter quæ tormentis viuẽtes, & mortibus triumphantes, vexati in paucis, benè diſponuntur in multis. Coram hominibus afflicti, coram angelis glorificandi, breuem Deo vitam ſub æternitatis commercio fœnerauerũt. Et ideò ſicut aurum in fornace ignis, ità illi in camino tribulationis probati, fulgebunt ſicut ſol. De quibus per beatum Iohannem vox diuina teſtatur: Hi ſunt, qui venerũt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni, propter hoc ſtabunt in conſpectu throni. Hos ergò chariſſimi ità miremur, vt homines fuiſſe meminerimus: hos, inquam, ità miremur, vt eos noſtrî ſimiles nouerimus, & ſub eadem, qua nos ſumus, carnis fragilitate vixiſſe: & per hoc ſequamur, inquantùm poſſumus, fidem illorum: Martyrũ fides & virtutes imitari debemus. ſectemur animi virtutem, qua terrena & præſentia reſpuentes, vim regnis cæleſtibus intulerunt. Superauerunt illi corporum dolores, nos ſuperemus morum & cordium paſſiones: vicerunt illi tormenta, nos vitia. Illi ſacrificari dæmonijs horruerunt, nos malitiam, inuidiam, obtrectationes, contentiones, tanquàm prophana ſacrificia, deteſtemur: vt inter huius mundi conflictiones, vitia, perſecutores virtutis, probent eſſe nos martyres. Perſequamur in nobis peccata, & iniquitates noſtras: expugnemus ſuperbiã, debellemus iracundiã: ipſi in nobis, & perſecutoris partes exequamur & martyrum, per caſtigationem vigiliarum, per contritionem ieiuniorum, per cuſtodiam viuentem, ſanctam, placentem Deo, acquiramus nobis nouum, nõ carnis morte, ſed carnalis vitæ mortificatione martyrium, vt de nobis quoquè etiam viuentibus dici poſſit: Precioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius. Pſal. 115.

S. Geneſius ꝓpugnator fidelibꝰ perpetuus.

Sap. 3.

Matth. 13. Apoc. 7.

Ergò inquantùm fieri poteſt, extinguatur in nobis, quicquid peccati eſt: mortificetur morti, quod ſeculi eſt, vt preciola perficiatur in cõſpectu Domini mors viuentium: vt animoſitates, cupiditates, atque præſentium blandimenta rerum, ſicut ea

mors extorquebit inuitis,ità ea nobis veritas fidei & Dei auferat timor: vt non neceſ-ſitas ea à nobis ſeparet,ſed voluntas : vt terminum vitijs, vt finem concupiſcentijs ac delictis noſtris non interitus faciat,ſed profectus.

DE S. GENESIO ROMANO MARTYRE, EX VETVSTIS EXEMPLARIBVS MS. QVIBVS CONſentiunt antiquiſs. Martyrologia. Dictionem nonnihil expoliuit Frater Laurentius Surius.

Auguſti 25.

Geneſius mimus.

DIOCLETIANO Imperatore, cùm per annos quatuor Eccleſiæ omnes clauſæ eſſent, Romæ mimus quidam fuit, Geneſius nomine: Is cùm verum ignoraret Deum, Chriſtianos ſæpiſſimè irridebat. Volens autem arte ſua quippiam eiuſmodi efficere, quo placeret Diocletiano Imperatori, apud Chriſtianos diuini ſecreta myſterij perſcrutabatur: & cùm omnia accuratè didiciſſet, ad theatrum ſe contulit: ingreſſuſq; in ſcenam, ſalutauit diſcipulos ſuos, ab eisque reſalutatus aſſedit, aitque ad illos: Scitis Imperatoribus noſtris cumprimis inuiſos eſſe Chriſtianos? Illi reſponderunt: Adeò hoc omnibus compertũ eſt, vt qui id neſciat, inueniri nemo poſſit. Geneſius ait: Si ergò vultis, vt placeamus inuictiſſimo Imperatori, prodamus coram illo myſteria Chriſtianorum. Illis libentibus animis eius ſententiam approbantibus, docet eos diuina myſteria, diligenterque inſtituit, quid facere, quidve dicere debeant. Vbi autem aduénit ſpectaculi exhibendi dies, ille inſtàr ægroti lecto decumbit, dicitque ad ſocios: Eià noſtri, grauem me ſentio: equidem perquàm velim leuis fieri. Reſpondent illi: Qua nos ratione leuem te reddemus, ſi grauis es? Itáne fabros nos arbitraris, qui runcina leuiorem te efficere poſſimus?

Baptiſmi ritus ſcrutatur, & palàm irridẽdos exhiber.

Hæc atque his ſimilia illis dicentibus, & populi riſum concitantibus, Geneſius diuinitùs permotus, ait: Veſani, ego Chriſtianus mori cupio. Reſpõdent collegæ: Quid ità? Geneſius dicit: Vt in illa die ceu fugitiuus, in Deo inueniar. Ijs auditis, Diocletianus riſum tenere non potuit. Illi porrò, vt conſtitutũ erat, exoreiſtam & preſbyterum ironicè repræſentant, ijque ingreſſi, dicunt ei decumbenti: Quamobrèm ad nos filii miſiſti? Geneſius non iam ſimulatè, ſed ex animo reſpondet: Cupio adipiſci Chriſti gratiam, vt renatum me ſentiens, líberer à præcipitio facinorum meorum. Fit clamor populi: curſores aduolant, adferunt munera ab Imperatore tranſmiſſa. Cùm iam autem omnia diuinorum myſteriorum ſecreta completa eſſent, indutus eſt veſtibus albis, panemq; & dulciaria cereosque elargiebatur. Intereà mox accurrũt milites, tanquàm ab Imperatore miſſi, correptumque eum, adducunt ad iudicem. Sed ille dum ad commentitiam & ſimulatam rapitur perpeſſionem, ad veram & ſynceram cõfeſſionem accedit: atq; adeò in albis veſtibus ad illum contendit locum, vbi expectabat Imperator: aſcendensque pulpitum, in quo erat Veneris ſtatua, ità concionatur:

Simulatio vertitur ei in rẽ ſeriã.

Diuinitùs bona mens ei præſtatur.

Nota de veſtibus albis baptizatorum.

Audi Imperator, & ſapientes omnes auſcultate. Antehàc quoties ego Chriſtianos nominari audiui, intolerabili implicatus errore, iungebam me illis, qui eos publicè trahebant, pariterque trahebam, & qui tormenta conſtanter perferrent, illis inſultabam, furoremque populi in eos incendebam. Tantum verò eius nominis odium me ceperat, vt etiam parentes & affines ea de cauſa reliquerim, maluerimque ęgrotationum & egeſtaris moleſtias perpeti, quàm vlla ratione in patria manere apud Chriſtianos. Viſum autem mihi fuit hiſce diebus, perſcrutari res & myſteria Chriſtianorum, non vt crederem, ſed vt illis in publicum proferendis, populo riſum mouerem. At verò ſimulatquè nudum me in conſpectu veſtro aqua illa perfudit, interrogatusque, reſpondi me credere ea, quæ proponebantur, vidi ſupra me manum cælitùs porrectam, atque Angelos Dei ignea radiantes facie, mihi propiùs aſſiſtentes, flagitiaque omnia, quæ à primis ætatis initijs vſq; in præſens admiſiſſem, è libro recitantes, atque ità ad me dicentes: Aqua hæc diluit ea omnia, quæ te agnoſcis perpetrâſſe. Cumque vnda baptiſmatis tinctus eſſem, ſimul etiam liber ille perfuſus, niue candidior apparuit, ità vt ſuperioris ſcripturę nulla prorsùs in eo veſtigia cernerentur. Dixeruntque Angeli

Vide admirandam baptiſmi vim.

Angeli ad me: Nóueris te ab omni culpa mundatũ: vide nunc, vt gratiam perceptam conſerues. Iam tu igitur Imperator & vos alij omnes decernite, quid faciendum mihi ſit. Ego enim dum volo vobis terrenis placere Imperatoribus, ad Regis cęleſtis gratiam peruéni: dumq; hominibus riſum facere ſtudeo, Angelos lætitia affeci. Nunc igitur ab hac ipſa hora, quemadmodùm vos omnes hactenùs hiſce myſterijs, perindè vt ego, nullam fidem adhibuiſtis, ignorantia ſeducti: ità iam vnà mecum credentes, deincèps ea irridere nè velitis, quandò ex me cognoſcitis, apertum me vidiſſe cælũ, manumque cælitùs mihi impoſitam ea hora, qua aqua perfundebar: conſpexiſſe etiam Angelos, peccata omnia prorsùs obliterata, cæleſte lumen, adhortationesque audiuiſſe Angelicas, Dei gloriã cordi meo ſenſiſſe impreſſam, quæ me docuit, verum Deum eſſe Dominum Ieſum Chriſtum, eum eſſe lumen, veritatem, pietatem, ſalutem omnium, qui eius gratiã per baptiſmum ſint aſſecuti. Audite, quæſo, me vos boni Principes, & vos optimi viri, meumq; erga vos amorem ità probate, vt ſtudio ſalutis comparandæ, à me edocti, credatis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe Deũ verum. Quod tamen experiri non poteſtis, niſi vos vnda illa perfuderit, quam Pater & Filius & Spiritus ſanctus nominis ſui inuocatione ſacrauerit.

Hortatur S. Geneſi' Imperatorẽ & Principes eius fieri Chriſtianos

His à Geneſio dictis, Diocletianus immodico furore accenſus, iubet coram ſe ſiſti eos omnes, qui eius ludi ſocios ſe illi adiunxiſſent, virgisque acerrimè cædi. putabat enim illos quoquè credidiſſe. At illi ſanctum nomen blaſphemantes: Domine Imperator, inquiunt, nos longè diuerſa ſumus animi ſententia. Hic verò amentia correptus, contempta tum ſua, tum pietatis tuæ & totius populi iucunditate & lætitia, Chriſtianorum luctum complectitur. Quod ergò ſolus admiſit, ipſe ſolus luat. Tum verò Imperator incredibili in Geneſium furore pércitus, parùm abfuit, quin eius ſanguinem biberet, nî horrore prohiberetur. Iubet verò, vt inſpectante populo cædatur fuſtibus, animi ſui ſæuæ perturbationi obſecundãs. Altero die præcipit Plutiano Præfecto, vt tandiù tormentis eum afficiat, donèc paratus ſit idolis ſacrificare. In eculeo igitur ſuſpẽſo dicit Plutianus: Inſane & miſerrime, ſacrifica dijs, vt poſſis redire in gratiam cum dominis noſtris. Geneſius reſpondet: Ambiant horum Regum gratiam & amicitiam, qui non timent illum Regem, quem ego vidi, quem & adoraui, & adoro. Ille enim verus Rex eſt, quem ego patentibus cælis cõſpexi, qui mihi dignatus eſt impertiri miſericordiam ſuam, meque indignum & irriſorem & incredulum, illuſtrare myſterijs ſuis: vt qui planè cæcus eram, verum lumen adſpicerem, & eius cognoſcerem veritatem. Quamobrèm miſerũ me lugeo, quòd vobiſcum hactenùs errauerim, & ſanctum nomen in Chriſtianis abominatus ſim. Pro quo ſcelere ſupplicia omnia me commeruiſſe putabo. Satìs enim ſerò ad verum adorandum Regem acceſſi. Dicit ei Plutianus: Quis eſt iſte Rex præter noſtrum Regem? Geneſius reſpondit: Iſte Rex, quem tu dicis, homo mortalis eſt: At ille, quem ego adoro, Deus eſt. Tuus Rex ad certum tempus terris imperat: Chriſtus verò & in cælis, & in terris, & in mari imperat. Rex tuus habet ſibi præfinitum tempus, certumq; vitæ finem: At Chriſtus ſemper glorioſus viuit & regnat in cælis.

Diocletianꝰ mirè excandeſcit, dum videt conuerſum Geneſium.

Genſeus ſuſtibus cædi-tur.

Dolet S. Geneſius ſe aliquandò erráſſe.

Cùm ſic ergò in eculeo ſuſpenſus diù vngulis laceraretur, lampadibus inflammaretur, ac nihilo minùs in confeſſione inuicto animo perſeueraret, diceretq; iudici: Etiamsì pœnas has vel cẽtiès admoueas, etiamsì vel milliès me comburas, at Chriſtum tamen mihià corde auferre non poteris. Geſta omnia Plutianus Diocletiano in palatio legenda obtulit. Quibus perlectis, iuſſit eum Dioclerianus capite puniri.

In eculeo ſuſpẽſus, laceratur & vritur.

Capite trũcatur.

Eam verò ſententiam beatus martyr Geneſius hilariter excipiens, cæſus eſt propter nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui eſt cum Deo Patre honor & virtus & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

DE CONVERSIONE, MIRACVLIS AC OBITV AREDII ABBATIS: EX HISTORIAE FRANCORVM S. Gregorij Turonenſis lib. 10. cap. 28.

Auguſti 25.

INTEREA fuit quidam, nomine Aredius, qui hoc anno terras relinquens, vocante Domino, migrauit ad cælum. Lemouicinæ vrbis incola fuit, non mediocribus regionis ſuę ortus parentibus, ſed valdè ingenuis. Hic Theodoberto Regi traditus, aulicis & palatinis adiungitur. Erat autem tunc temporis apud vrbem Treuericam vir eximiæ ſanctitatis Nicetius Epiſcopus, qui non ſolùm in prædicatione admirabilis facundiæ, verumetiam in operibus bonis ac mirabilibus, celeberrimus habebatur in plebe. Qui intuẽs puerum in Regis palatio, neſcio quid in vultu eius cernens diuinum, præcepit ei ſe ſequi. At ille, relicto Regis palatio, ſecutus eſt eum. Cumq; ingreſſi in cellulã, de ijs, quæ ad Deum pertinent, confabularentur, expetijt adoleſcens à beato ſacerdote ſe corrigi, edoceri, inſtrui, ac in diuinis voluminibus ab eodem exerceri. Cumq; in huius ſtudij flagrantia cum Antiſtite memorato degeret, tonſurato iam capite, quadam die pſallentibus clericis in eccleſia, deſcendit columba à camera: quæ leuiter volitans circa eum, reſedit ſuper caput eius, illud indicans, vt opinor, eum Spiritûs ſancti gratia iam repletum. Quam cùm ille non ſine pudore conaretur abigere, hæc paululùm circunuolans, iterùm ſuper caput eius aut ſcapulam reſidebat: quę non modò ibì, ſed etiam cùm in cellulam Epiſcopi ingrederetur, iugiter comitabatur eum. Quod per dies plurimos factũ, non ſine admiratione Epiſcopus animaduertebat.

Nicetius Epiſcopus Treuirenſis inſtituit Aredium.

Quid colũba in capite Aredij reſidens præſignãrit.

Exindè vir Dei, Spiritu, vt diximus, ſancto repletus, ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur, conſolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum conſanguineum præter hanc ſobolem ſpectabat. Vbi cùm ieiunijs atque orationibus vacaret, deprecatur eam, vt omnis cura domûs, id eſt, ſiue correctio familiæ, ſiue exercitium agrorum, ſiue cultus vinearum, ad eam adſpiceret, nè ſibi aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione ceſſaret: vnum tantùm ſibi priuilegium vendicans, vt ad eccleſias ædificandas ipſe præeſſet. Quid plura? Conſtruxit templa Dei in honorem ſanctorum, expetiuitq; eorum pignora, ac ex familia propria tonſuratos inſtituit monachos, cœnobiumq; fundauit, in quo non modò Caſſiani, verumetiam Baſilij & reliquorum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum atque veſtitum ſingulis miniſtrante. Nec minùs hæc tamen, impedita hoc onere, in Dei laudibus perſiſtebat, ſed aſſiduè in eis verſabatur: & ſi quiddam operis exerceret, ſemper orationem Domino, tanquàm odorem incenſi acceptabilis, offerebat. Intereà ad ſanctum Aredium cœperunt infirmi confluere, quos, manus ſingulis cum vexillo Crucis imponens, ſanitati reddebat. Quorum ſi ſingularìm nomina ſcribere velim, nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare. Vnum tamen nóui, quòd quicunque ad eum æger aduénit, ſoſpes abſceſſit. De maioribus verò miraculis parua proponimus.

Pelagia mater Aredij.

Nota de monaſterio ab Aredio conſtructo.

Signo Crucis Aredius multos ſanat.

Quodam tempore dum cum genitrice iter ageret, & ad ſancti Iuliani martyris baſilicam properaret, venerunt veſperè in quẽdam locum. Erat autem locus ille aridus, & abſque fluentis currentibus infœcundus. Dixitque ad eum mater eius: Fili, aquam non habemus, & qualiter hîc nocte præſenti quieſcere poſſumus? At ille proſtratus in orationem, diutiſſimè preces fudit ad Dominum: & erigẽs ſe, defixit virgam in terra, quam manu gerebat, eamque cùm bis, aut tertiò vertiſſet ad ſe, lætus extraxit, moxq; vnda aquæ ſecuta eſt tam valida, vt non ſolùm ipſis de præſenti, ſed etiam pecoribus affatim deincèps pocula miniſtraret.

Aquam copioſam precibus impetrat.

Nuperrimo autem tempore, cùm iter carpere cœpiſſet, nimbus ad eum pluuiæ aduenire cœpit. Quod ille cernens, paululùm ſuper equum, in quo ſedebat, caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Conſummata verò oratione, diuiſa eſt nubes in duas partes, ac in circuitu maxima deſcendit pluuia: ſuper eum autem ac ſocios eius nulla, ſi dici fas eſt, gutta deſcendit. Viſtrimundo verò, cognomento Tattoni, cui Turonico, dentes grauem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat. Quod

Quod cùm beato viro oſtendiſſet, ille manum ſuper locum doloris poſuit: ſtatimque dolor fugatus, nuſquàm deincèps ad iniuriam hominis excitatus eſt. Hæc ipſe, qui paſſus eſt, retulit. De his verò ſignis, quæ per virtutem ſancti Iuliani martyris, Martinique confeſſoris beati, in eius manibus Dominus operatus eſt, pleraque in libris miraculorum ſcripſimus.

Pellit dentium dolorem.

Poſt has verò & multas alias virtutes, quas Chriſto cooperante compleuit, aduénit Turones poſt feſtiuitatem ſancti Martini, ibiq; paululùm cõmoratus, dixit nobis, ſe aut longæuo tempore adhuc in hoc mundo retineri, aut certè velociùs diſſolui. Et vale dicens, abſceſſit, gratias agens Deo, quòd priuſquàm obiret, ſepulcrum beati Antiſtitis oſculari promeruiſſet. Cumque ad cellulam acceſſiſſet, teſtamento condito, ordinatisq; omnibus, ac ſancto Martino, Hilarioque Antiſtitibus hæredibus conſtitutis, ægrotare cœpit, ac dyſenteriæ morbo grauari. Sexta verò ægrotationis eius die, mulier, quæ à ſpiritu immundo ſæpiùs vexata, à ſancto emundari non poterat, ligatis per ſe à tergo manibus, clamare cœpit, ac dicere: Currite ciues, exilite populi, exite obuiàm martyribus, confeſſoribusque, qui ad exceſſum beati Aredij conuenerunt. Eccè adeſt Iulianus à Brinate, Priuatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialisque ab vrbe propria. Adeſt Saturninus à Toloſa, Dionyſius ab vrbe Pariſiaca, nonnulli & alij, quos cælum retinet, quos vos vt Confeſſores & Dei Martyres adoratis. Hæc cùm in exordio noctis clamare cœpiſſet, à domino ſuo reuincta eſt. Quæ nequaquàm potuit retineri, ſed rumpens vincula, ad monaſterium cum his vocibus properare cœpit. Moxque beatus vir ſpiritum tradidit, non ſine teſtimonio veritatis, quòd ſit ſuſceptus ab Angelis. Mulierem nanque in exequijs ſuis, cum alia muliere nequiori ſpiritu vexata, vt eſt ſepulcro tectus, à nequitia infeſti dæmonis emundauit. Et credo, quòd ob hoc, Dei nutu eaſdem in corpore poſitus non potuit emundare, vt exequiæ illius hac virtute glorificarentur. Poſt celebratum verò funus, mulier quædam rictu patulo ſine vocis officio ad eius acceſſit tumulum: quo oſculo delibato, elocutionis meruit recipere beneficium.

Nota ſancti viri deuotionem.

Defunctus duas ſanat dæmoniacas.

VITA S. HVNEGVNDIS VIRGINIS, AB EPISCOPO QVODAM, VT APPARET, ANTE ANNOS ſexcentos conſcripta, cuius nomen vetuſtus MS. Codex non habuit. Stylum obſcuriorem mutauit paſſim F. Laur. Surius, adiecto ad marginem capitum numero.

AVTHORIS PRAEFATIO.

BEATORVM ac venerandorum Patrum ſcripta memorabilia, quibus membra & verſutias callidi hoſtis, Euangelico accincti gladio, confecerunt, interiorem hominem noſtrum diuinis perfundunt eloquijs: nec minùs exteriorem & corruptibilem, quadam ſermonis difficultate impeditum, materna eademque virginea excitat & confirmat collatio. Ex his enim genus victoriæ extitit egregiũ, quo diabolus vnà cum ſuis armis, omni eſt dominatu exutus: quodque primis parentibus vitæ excidiũ attulit, per id rurſùs in ſuî augmentum cæleſtis patriæ regnum profecit. Eadem planè natura, quæ viro obtulit guſtum pomi exitialis, per ſanctas virgines exempla præbuit à vitijs ſeſe continendi: quæque primùm facilè conſenſit, vt caderet, eſſetque calamitatis & miſeriæ mater: poſteà per Chriſti gratiam fortiter reſtitit, vt proſtrato malo dæmone, ſoror & mater Saluatoris, gratuita eius electione fieret. Ad hanc diuinæ gratiæ ſortem admiſſa beatiſſima Hunegundis virgo, ex immaculato diuini fontis vtero renata, & in Catholicæ matris Eccleſiæ ſinu educata eſt. Cuius pauca quædam vitæ geſta ſcribenda ſuſcepi, quem admodùm à fidelibus hominibus accepi. Obſecro autem, vt me peccatorum principem, & vltimum ſacerdotum, veſtrarum precum ſuffragijs adiuuetis, vt ſanctus mihi ſpiritus adeſſe dignetur, qui & facinorum noſtrorum maculas diluat, & linguam ad explicandas virginis res geſtas efficiat diſertam.

Gen. 3.

VITAE HISTORIA.

Augusti 25. Cap. 1.

SVMMA & incomprænhensibilis diuinitatis prouidentia, cùm sua omnipotenti virtute mundi principem debellare, eiusque machinas prorsùs elidere & profligare institueret, non solùm potenter illum vicit, eiusque spolia abstulit: verumetiam ijsipsis spolijs pro sua misericordia eam præstitit fragrantiam, vt sordidissimi hostis dominia contriuerint, factaque sint præclara Christi luminaria, quæ fuerant antea tenebrosa & obscura. Atque hoc ordine mundi Principis sceptra crudelissima mutantur, omnis portio tenebrarum cum suis satellitibus tanto iubare dissipatur, oritur per orbem terrarum noua lux & gaudium, submittunt mortales colla sua Regi regum, paulatimque à solis ortu vsque ad occasum, Christi imperium propagatur. In quibus Francorum gens, multis egregijs facinoribus conspicua, nec paucis triumphis celeberrima, tametsi tardiùs ad Christi religionem accessit, vbi eius persensit clementiam, passim religione increscente, multam eamque sanctam Deo Patri prolem edidit: ex cuius sacratissima propagine, sancta mater & virgo, Christi Ecclesia dilatata est, quæ oblita populum suum & domum patris sui, Trinæ Vnitati sinum cordis aperuit, vndè sibi præpotens Dominus impollutam familiam consecraret. Atque in ipsa Franciæ tellure pagus Veromandensis seu Veromanduorum, quem clarissimi martyris Quintini suffragia ornant, summoperè id expetebat, vt posset offerre Deo munus gratum, in odorem suauissimum.

Frãcia sanctorum hominum ferax Psal. 44

Hodiè dicitur S. Quintini oppidũ.

Cap. 2.

In eius pagi villa, quam Lembaidem vocant, sancta virgo Hunegundis nobili stirpe genita est, parentibus non modò genere claris, sed etiam Christiana religione initiatis. Eam è sacro fonte ferunt susceptam ab Eligio Nouiomensi ac Veromandensi Episcopo: vbi immortalis sponsi accepit arrham, vestemque preciosam, immortalitatis insignibus candidatam, passionisque triumpho illustrem, & castæ dilectionis regiam atque sacerdotalem, sed mysticam, coronam. Vbi etiam in septem baptisterij gradibus, septem adepta est dona spiritûs sancti, Episcopali benedictione confirmata, & sacro chrismate delibuta. Quibus vndiquè fulcita, ità per septena dierum curricula sancta puella viuere studuit, vt septiès septem auctis accessionibus, monade adiecta, iubilei fructum in præsenti vita perciperet: eoque corpore & anima duplicato, post peractum vitæ cursum, fructum carperet centesimum, sanctis virginibus consecratum.

S. Eligius Nouiomẽs. Episcopus: eius vita habetur tomo 6. prima Decembris.

Virginum fructus centesimus.

Cap. 3.

Cùm esset autem, vt diximus, claris orta natalibus, in ipsis incunabulis aiunt eam cuidam desponsatam fuisse, qui pari esset generis claritudine. Sed quia sponsus cælestis eam sibi seruare constituerat, occulto Dei iudicio, ille morte subtractus est. Postquàm autem sancta virgo adoleuit, essetque liberali atque eleganti vultu, Eudaldus quidam, homo nobilis, eam sibi despondit, multis ei collatis muneribus, mancipijs & villulis. Qua in re licèt à parentibus inuita cogeretur, at tamen vultu placido & mente casta id perferens, iam secum animo meditabatur, quemadmodùm se & dotem suam Christo sponso offerret, fieretque sanctimonialis in beatissimæ matris Virginis monasterio, capitis insignita velamine, vt cum veri Regis spõsa posset etiam ipsa illud ex Canticis dicere: Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem: ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cellaria sua. itemque illud: Nolite me considerare, quòd fusca sim: quia decolorauit me sol. Talis intentio, tamque præclara cogitatio versabatur perpetùm in puellari pectore, flosque virgineæ matris ex sancta redolebat virgine, multaque virtutum charismata ex virgineis elucebant profectibus.

Prius sponso defuncto alteri nolẽs despõdetur Hunegũdis

Cant.

Ibidem.

Cap. 4.

Porrò autem cùm iam sanctum mentis suæ propositum in opus conferre vellet, sapienti vsa consilio, sponsum qua potuit arte tentauit blanditer emollire, & quadam mellita ingenij dexteritate ab amplexibus omninò auocare, ità eum blandissimè compellans: O dulcissime atque amantissime sponse, quandò Christianissimis & orthodoxis sumus parentibus prognati, non decet nos libidinosis commixtionibus pollui, perindè vt gentes, quæ ignorant Deum, & sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Placeat tibi, obsecro, salutare consilium meum, dictisque assentire meis, atque inter nos perquiramus, quemadmodùm possit Deo gratum effici coniugium nostrum,

Spõsum auocat à nuptijs. Psal. 31.

nostrum, & non terrena ex nobis, sed cælestis soboles procreari. Mihi quidẽ hoc consultum videtur, nec dubito vtilitatis habere plurimum, si Apostolorum principem inuisamus, & loca sancta perlustremus, vt Apostolica munitis benedictione eueniat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace. O te beatam virginem, ô superni Regis sponsam: quæ cùm sis deuota Deo, optare te dicis, vt floreſcat tibi mũdus, qui iam aruit in pectore tuo, quemque toto animo contemnis, haud secùs atquè stercus putidissimum. Quid multa? Ità quidem sponsi solicitudo delusa est, & nuptiarum prorogatus dies: sumptusq; apparandis destinati nuptijs, in res itineri necessarias conferuntur. Cùm enim esset virgo tenerrima, & tam ætate quàm voluntate necdùm nubilis, sponsus verò Christum coleret, & animo religiosus esset, consensit virgini: cœpitque etiam ipse author esse & hortator itineris suscipiendi, sperans euentura ea omnia, quę illa commemorauerat.

Cap. 5. Proficiscitur Romam cum sponso suo.

Omnibus igitur, quæ profecturis essent necessaria, cõparatis, gratias agentes Deo, dant se itineri: & sponsus quidem extrinsecùs lætabatur pompa seculari, virgo autem intrinsecùs longè vberiùs spiritali perfundebatur iucunditate: quòd cerneret Christum sponsum suum omnia sibi prospera tribuere, cui iam fide vera, spe firma & integra charitate, se deuouerat perpetuò seruituram: quem etiam intrà se tacitis precibus pulsabat, vt cor & corpus ipsius seruaret immacultatum, nè illecebrosis mundi huius voluptatibus implicaretur. Orabat mens immotis labijs, & protegentem se Dominum cordis oculis contemplabatur. Simul etiam gratissimis alloquijs beatorum legiones Angelorum, vt sibi opem ferrent, deprecabatur, & sanctos omnes, vt sibi adessent, cum lachrymis obsecrabat. Exaudit verò Christus sponsam suam, & sua illam prosequens misericordia, maiora illi solatia adhibet. Sentit virgo adesse sibi sacrosancta præsidia, quæ ab omnibus incommodis defensam, cum omni corporis & fidei integritate ipsam Romam perducant. Quò cùm peruenissent, & loca Vrbis, orbis dominæ, perlustrarent, & sponsus quidem superbo apparatu, sodalibus vndiquè septus, diuersa sanctorum inuiseret pignora, illa vitans ambitiosum comitatum, sola ad Apostolorum limina accedebat. Sponso autem existimante eam præ multæ viæ lassitudine captare requiem, ipsa velut mente renouata & robustior effecta, omnia & intrà & extra Vrbem oratoria inuisebat. Ille ruitura quandoquè mœnia oculis corporeis contemplans mirabatur: Hunegundis verò lucidas illas æternumque duraturas cælestis Hierosolymæ mãsiones animo lustrabat: semperque patriæ cælestis amore ad Apostolorum limina in precibus, vigilijs, ieiunijs perseuérans, vix ad hospitium reuertebatur: spretisque rebus caducis omnibus, relicto sponso & eius sodalibus, pernox in oratione manebat, corpus vigilijs & inedia macerans, & omnia, quæ habere poterat, pauperibus erogans.

Religiosè inuisit Romæ loca sancta.

Cap. 6.

Ità nimirùm monacha efficitur, quæ sponsa putabatur, terrestrisque copula cum pompa omni fastiditur, dum è supernis sedibus castitas virtutum regina diffunditur. Lætabatur interìm, tanquàm iam posset, quod diù concupierat: nec ad momentum indè abduci se passa est, quod tam celeriter esset adepta. Vbi verò dies aduénit Apostolicæ stationis, ad pedes Antistitis sanctæ & Catholicæ matris Ecclesiæ aduoluta, Christo suam offert virginitatem, ab illo defensam, exemplum imitata perpetuæ Virginis & matris eius: oratque Pontificem, vt capitis velamen sibi imponat, sub eiusdem incomparabilis Virginis matris patrocinio & famulatu victuræ. Eius verò pijssimam intentionem & animi promptam deuotionem Pontifex cognoscens, mentemque eius diuinitùs illustratam intelligens, tantam in puella sapientiam admirans, cum lachrymis dixisse fertur: Benedictus es Domine Deus omnium, qui in casti cordis & corporis virgineo toro tuum efficis domicilium, & in sexu fragili multa operaris admiratione digna. Te ergò laudent ora omnium. æquum est enim, laude & prædicatione pro huiusmodi efferre te Dominum vniuersorum. Equidem pro his te Domine ærnùm laudabo, & glorificabo nomen tuum in secula. Indè conuersus ad castam Dei virginem, Quæso te, inquit, filia, quam ob rem aut quibus ab orîs huc ad nos accesseris, tum quo voceris nomine, & quæ sit gentis tuæ fides & religio, nobis explicato. Puto enim te nobilissima stirpe editam, & ab ipsa infantia Ecclesiasticæ disciplinæ literis eruditam. Tum illa mente & facie sereniſſima, vultu submisso, ità respondit: Si de gente meâ, Pater & domine, quæris, equidem Franca sum natione: dicor autem Hunegundis, & in pago Veromandensi nata, indè huc aduéni. Educata à parentibus Christianis, non solùm contra meam, sed, vt arbitror,

Christo sua vouet virginitatem, petitque à Ro. Põtifice capitis velamẽ sibi imponi.

Romano Põtifici exponit gentẽ & patriam suam &c.

arbitror, etiam contra Dei voluntatem iuuenculo desponsa sum: quem ego fugiens & deuitans, Christi me charitate vrgente, Christo duce & fautore, corpore integra sum & mente impolluta. Illi verò me deuoueo, qui creator est omnium, & fidem, quam nôsse cupis, illi integram conseruo. Quam si audire libet, exponam pater optime. etsi enim natione barbara sum, at eam tamen nos confitemur fidem veram atque sanctam, quæ in fine seculorum ab hac sancta Sede Apostolica & Catholica matre Ecclesia ad nos allata est. Sed dum tua sanctitas à nobis fidem exigit, videtur instàr Saluatoris à Samaritana aquam petere: qui sanè illud fœminæ colloquium non respuens, clàm innuit, neminem à fide in qualibet regione excludi. Vndè etiam nos, quia fidem non erubescimus, non pudet Prouincię nostræ, cùm Dauid iubeat omnes gentes plaudere manibus, & iubilare Deo in voce exultationis. & alibì dicat: Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. & Dominus pro populo, qui vitulum adorârat, Moysi deprecanti respondit: Viuo ego, quia implebitur gloria mea vniuersa terra. & per Prophetam Malachiam testetur, A solis ortu vsque ad occasum, magnum esse nomen suum in gentibus. atque expressiùs etiam per Esaiam nos, quanuis belluinos & veneficos, se conuersurum promiserit: Nè memineritis, inquiens, priorum, & antiqua nè intueamini. quoniam eccè ego facio noua: Ponam in deserto viam, & in inuio flumina: Glorificabunt me bestiæ agri, dracones & struthiones.

A sede Apostolica fides in Gallias peruénit
Iohan.4.
Psal.46.
Psal.21.
Num.14.
Malch.1.
Esa.43.

Proindè nos quoquè in Dei misericordia vocati, & eius gratuita pietate redempti atque renati, etsi patriam secundùm carnem nouimus, sed iam nunc non nouimus: quin potiùs semen Abrahæ fieri cupientes per fidem, terram nostram omnemque cognationem antiquam respuimus, incolas nos & peregrinos fatemur in terra, sicut & Patres nostri. Itaque quandiù sumus in corpore, peregrinamur à Domino: quia regionem nostram, paradisum scimus esse, quem recuperauimus baptismate renouati, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis confessione. Sed quia Apostolicis institutionibus admonemur, omnibus id poscentibus reddere rationem de spe & charitate, quæ in nobis est, gloriâ fidei nostræ, tuæ beatitudini paucis expromemus. Credimus & confitemur absque principio & fine temporis, summum & incircunscriptum spiritum, vnum omnipotentem esse Deum, iuxta illud, quod ait Moyses: Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Vnus est, inquam, Deus Pater ingenitus, vnus Filius vnigenitus, vnus Spiritus sanctus, ab vtroque procedens, patri & filio coæternus. Sed semper idem Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus: ex quo omnia, per quem omnia, in quo sunt omnia, & sine quo factum est nihil.

Cap. 7.
2.Cor.5.
1.Pet.3.
Confessio fidei.
Deut.6.

Non autē sicut tres personas, ità & tres deos credimus: sed in tribus personis vnam Deitatem confitemur. Trinitatem sanctam credimus in subsistentibus personis: vnitatem verò, in natura & maiestate ac substantia Deitatis. Omne igitur, quod est, in duo diuidimus. Quicquid enim extra sacrosanctam Trinitatem est in cælis, in terris & in mari, id creaturam esse dicimus: solum verò Deum, creatorem. Sed & filium Dei credimus in nouissimis temporibus conceptum esse de spiritu sancto, natum ex Maria virgine, carnemque naturæ humanæ & animam suscepisse: in eaque carne crucifixum, sepultum, resurrexisse à mortuis, ascendisse etiam in ea carne, sed alterius gloriæ, in cælos, vndè eum iudicem venturum expectamus viuorum & mortuorum. Carnis quoquè nostrę resurrectionem confitemur integram atque perfectam, in qua carne nunc viuimus & mouemur: atque in ea consecuturos nos vel pro rectè factis præmia iustorum, vel pro maleficijs & prauis operibus supplicia impiorum. Sed & peccatorum remissionem plenissima fide confitemur, & velut alteram gratiam suscipimus, de qua Apostolus dixisse videtur ad Corinthios: Volui priùs venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis. Hic est nostræ fidei thesaurus, quem Ecclesiastico symbolo consignatum custodimus, quod in baptismo accepimus. Ità coram Deo corde credimus, ità coram omnibus hominibus ore confitemur, vt hominibus fidem sua cognitio faciat, & imago sua Deo testimonium reddat.

Cap. 8.
2 Cor.1.
Rom.10.

Hæc & alia permulta fidei sacramenta palàm omnibus exponens Hunegundis virgo pijssima, ijs absolutis, cōticuit. Tum venerabilis summæ & Apostolicę Sedis Pontifex, non hominem, sed spiritū Dei, in castis visceribus habitantem, ista prolocutum sentiens, coram omnibus ità ait: Benedicta filia tu à Domino Deo exercituum, quæ in tua pura mente iucundū Deo preparâsti habitaculum. Non oportet ergò sanctum contristari spiritum, cuius mens pudica sacrarium est. Et multùm in te venerandus est summus

Cap. 9.
Mens pudica, sacrarium Spiritûs sancti.

summus ille artifex, qui operatur omnia in omnibus, diuidens singulis, prout vult. Eià ergò virgo casta & pudica, susципe quod æterno amori in te cumulando proficiat. Oblata tibi sub specie pietatis à corruptibili homine munera abiecisti: accipe nunc per nostram benedictionem tibi à Domino præstitam dotem, qua te Christi sponsam sempiternam cognoscas, & contemptis rebus labentibus, semper duratura gaudia appræhendas. Ille, quid tuo in animo geras, adspicit: quàm religiosè ipsius virgines imiteris, attendit. Itaque vt cum eius adolescentulis ab eo diligaris, summoperè contende, & in odorem vnguentorum eius curre vnà cum illis. Semper illi pro collatis beneficijs gratias age: pro conferendis humiliter deprecare. Sint, quæso, affixa animo tuo, & in eorum cogitatione versare, quæ in illa vita beata obtinere appetis: vt cuius te sponsam profiteris in terris, eius amplexibus perfrui merearis in gloria sempiterna.

1.Cor.12.
Cant.1.

His dictis, velum capitis & reliqua indumenta, corporis & animi castitatem, mundique contemptum sua humilitate significantia, super altare sanctum composita, sanctus Pontifex benedixit, & pro more eam consecrans, impertita ei benedictione, Christo eam, sicut popposcerat, seruituram dedicauit, orans Dominum hunc in modum: Respice Domine super hanc famulam tuam, vt sanctæ virginitatis propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Sit in ea, Domine, per donum spiritûs tui prudens modestia, grauis lenitas, casta libertas. Ferueat in charitate, & nihil extra te diligat. Laudabiliter viuere studeat, & laudari non appetat. Te timendo super omnia amet, & amando in omnibus timeat. Tu ei Domine sis gaudium, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium. In iniuria sis defensio, in paupertate abundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate medicina. Quod est professa, custodiat, vt & hostem antiquum deuincat, & vitiorum sordes expurget: quatenùs centesimo fructu cum decore virginali ac virtutum lampadibus exornetur, & ad electarum virginum consortium peruenire mereatur. Cumque omnes respondissent, Amen, sanctus Antistes deosculans caput sanctæ virginis Hunegundis, dimisit eam in pace.

Cap. 10.
Pontifex S. Hunegundi imponit velum, eāque Deo consecrat.

At verò Eudaldus sponsus eius hæc audiens, cùm se cerneret à virgine contēptum, toto animo commotus, statuit eam gladio confodere. Sed veritus nè homicidij pœna plecteretur, simul etiam Apostoli sententia territus, quòd non sit contristandus spiritus Dei, cuius sancta virgo erat domicilium, & quòd eum, qui templum Dei violauerit, disperdet Deus: pœnitentia ductus, non fuit eam ausus contingere: sed missis nuncijs, separauit eam à consortio suo, solam illam relinquens, & etiam res tanto itineri conficiendo necessarias, ei subtrahens. At illa, humano destituta solatio, viriliter egit, & seipsam in Domino confortans: Dominus, inquit, regit me, & nihil mihi deerit. oransque, ait: Misericordia tua Christe, obsecro, præcedat & subsequatur me, vt merear peruenire ad optatum seruitium perpetuæ virginis & matris tuæ Mariæ. Atque ità solam se dedit itineri, in Gallias proficiscens, semperque sanctorum suffragia implorans. Ibat ergò per viam, perindè acsì iam in monasterio degeret, vel potiùs instàr eremicolæ, Christo in remota solitudine famulantis. Diebus festis solo pane, & aqua parcissima contenta: reliquis, pane cineribus permixto, & herbarum arborumque pastu defessum fouebat corpusculum.

Cap. 11.
Ephes.4.
1.Cor.3.
Spōsus eam deserit.
Psal.22.
Vide virginis abstinētiam.

Quod autem per eam Dominus voluit efficere miraculum, non est nostro silentio tegendum. Cùm Eudaldus, vt diximus, ferret ægerrimè se ab illa contemptum, & vellet quidem, sed non auderet, eam interficere: consilio cuiusdam comitis sui, cum magna celeritate ad paternam contendit domum, venditis & distributis illis, quæ possent suo pōdere iter retardare, vt citiùs rediret ad suos. Iam enim statuerat secum, omne sanctæ virginis patrimonium & res hæreditarias distrahere: quę verò non possent vendi, ea prorsùs destruere, & cum omni supellectili & mancipijs dissipare. Ibat ergò cum equis velocissimis expedito itinere: sed virginem sanctam, in cuius pectore morabatur Dominus sciens omnia, nihil huius latuit. Quamobrèm diuino permota instinctu, & Christi spiritu vegetata, vt erat pedes, alia pergens via, equos & currus eius omnes anteuertit: veniensque in patriam, omnia sua pro voto loco illi, quem vulgò Humolarias vocant, beatissimæ genitrici Dei, seque simul, vt cōcupierat, Christo illic seruituram obtulit.

Cap. 12.
Omnia sua largitur Humolariensi cœnobio.

Porrò non diù pòst Eudaldus secutus, rerum & facultatum eius omnium sibi dominium vendicat, nescíens eas iam diuino cultui & sanctissimæ virginis Mariæ patro-

Cap. 13.

patrocinio mancipata & addicta. Vbi autem id comperit, in ſeſe reuerſus, ſecum tacitus & mirari & venerari cœpit, animaduertens quanta per virginem Dominus miracula feciſſet. Mox igitur gratias & laudes Deo offert, quòd ipſum ab improbo conatu repreſſerit, nè peccaret in ſanctam virginem, quodque ſubita morte ipſum furentem non extinxerit. Dignos proindè pœnitentiæ fructus faciens, non potuit reperire, quibus vel laudibus virginem afficeret, vel muneribus placaret, vt poſſet in eius admitti conſpectum, & Chriſto illius precibus commendari. Tandèm cum multa cordis & corporis humilitate coram beatiſſimæ matris Dei altari proſtratus, veniam ab ea poſcit, orans, vt quem noluiſſet habere ſponſum; dignaretur habere ſeruum: Quandoquidem, inquit, non me mortali aut corruptibili amatori poſtpoſuiſti, nec mihi quemlibet vel potentem vel humilem ſponſum, ſed Regem ſeculorum & creatorem omnium prætuliſti, tibique cæleſtem ſponſum in torum virgineum aſſciuiſti, & me ipſum & mea propenſo animo illi offero, & quæ olim tibi munera nuptiarum nomine largitus ſum, ea tu tradas ſponſo vero Ieſu Chriſto, vt in ſororum & pauperum cedant alimoniam. Ego verò, dum ſpiritus hos reget artus, in rebus externis fidum me tibi procuratorem exhibebo: cumque obiëro, facultates meas omnes & mancipia huius teſtamenti mei authoritate volo cedere in ius & honorem omnipotentis Dei, & ſanctiſſimæ matris eius. Tu, quæſo, virgo caſtiſſima ſuſcipias hæc à me, & cadauer meum hoc in loco tumulandum curato, vt cùm te ſponſus & Rex immortalis in ſuum introduxerit thalamum, ego quoquè nuptiali amictus veſte, & agni niueo vellere tectus, inter cõuiuas menſæ eius vel vltimus merear inueniri. His dictis, poſtquàm impetrauit, quod voluit, cum ſancta animi deuotione incolumis diſceſſit: præſtititque illi Dominus gratiam benè viuendi, eiusque vota ad optatum perduxit finem. Multo enim plura, quàm poſceret neceſſitas, ſacratiſſimæ virgini ſuppeditauit, inſtitutoque xenodochio victum & veſtes præbuit. Fultus deindè multimoda Chriſti virtute, in huiuſmodi operibus vitam exigens ſuam, exutus eſt huius mundi contagijs, audiuitque à Domino: Eugè ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Pro eius anima virgo Hunegundis per manus ſacerdotum ſacrificium Deo obtulit: corpus verò in monaſterio ſuo iuſſit ſepeliri.

Sponſus reſipiſcẽs, veniam petit, & multa ei largitur.

Matth. 25.

Felix obitus ſponſi eius.

Eo autem vita functo, arctiori ſe & ſeueriori vitæ tradidit, etiam cogitationes, haud ſecùs atquè mala opera, deplorans & caſtigans, crebrisque ieiunijs & vigilijs macerãs corpus defeſſum, non ignorans ad ſalutem ſatis non eſſe cœpiſſe benè, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, illum ſaluum fore. Atque in hac ſancta animi meditatione & deuota fidei operatione moriens mundo, & viuens Chriſto, totum vitæ ſuæ tempus duxiſſe fertur, non rarò illud cum Pſalmiſta dicens: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: atque illud cum Apoſtolo: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Introduxiſti enim me Chriſte in cellam vinariam, id eſt, in myſteria acerbiſſimæ paſſionis tuæ: & ordinâſti in me charitatem, dum per dilectionem proximi, ad tuí me amorem pertingere feciſti. Et quia læua tua, id eſt, præſens vita mihi ſubiecta eſt, amplexetur me (obſecro) dextera tua, id eſt, beatitudo æterna: vt & videri, & videre mereat in Sion. Non defuit autem ſanctis eius deſiderijs ſuperna pietas, ſed longanimem eius peregrinationem attendens, dum quodam die oraret extenſis manibus, corporis magnis ardoribus & moleſtijs eam affici permiſit. Non deerãt autem illi ſolatia Angelorum & ſanctorum omnium ſuffragia, quę etiam in illa afflicta valetudine implorare non ceſſabat. Aderant autem ei vtriuſque ſexûs permulti Chriſto ſeruientes, qui ex vicinis & lõginquis locis ad tantæ matris & virginis deceſſum cõuenerant, multo dolore & luctu occupati, quòd ſe tanto ſolatio deſtitui viderent: tametsi non ambigerent, eius ſuffragia in cælis nunquàm ſibi defutura. At illa conuerſa ad eos, qui illic aſſidebant, preſbyteros, ſacræ Vnctionis oleum & Euchariſtiã ſibi petijt miniſtrari. Tandèm Dominici corporis & ſanguinis percepto viatico, roſeo vultu & facie decora, regum Regi præſentanda in cæleſti thalamo, iubet circunſtantes pſalmos Dauidicos promere: atque ex cilicio & cinere caput erigens, inter cætera dicebat: Adſum ego Chriſte ancilla tua: veni, obſecro, Rex pijſſime, & me benignè ſuſcipe. Cumque in huiuſmodi voce ab hora noctis media vſque in tertiam diei horam perſiſteret, repentè cum immenſo lumine odor ſuauiſſimus illic diffuſus eſt, ità vt præ ſplẽdore vix poſſent, qui illic aderant, pedibus ſuis conſiſtere, quanuis odoris illius mira fragrantia corroborati. Aiunt verò etiam vocem pariter auditam, quam tamen terrore conſternati intelligere non potuêre. Interìm illa ſancta anima 8. Calendas Septembris migrauit

Matth. 10. & 24.

Pſalm. 119. Philip. 1. Cant. 2.

Ibidẽm.

S. Hunegũdis ante mortem petit ſibi ſacrã Euchariſtiã & extremã vnctionem adminiſtrari.

Felix obitus eius.

migrauit ad Dominum, qui eſt ſolus ſine principio, regnans in Vnitate & Trinitate perfecta, vnus idemque Deus, nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Cap. 15. Quæ deinceps ſequũtur, nos in compendiũ redegimus.

Cùm autem diù ſacrum corpus eius ſub terra conditum iacuiſſet, quædam ſanctimonialis, Berta nomine, miræ abſtinentiæ, multæ patientiæ, paupertatis valdè ſtudioſa, eximiæ humilitatis, miſericordiæ operibus dedita, ieiunijs, vigilijs & precibus intenta, ex diuina reuelatione locum ſepulturæ eius cognouit anno ſalutis noningenteſimo quadrageſimoſexto, Ludouico regnante. Cumque immenſo affecta gaudio, tantum theſaurum ſubitò eleuare vellet, venerandus preſbyter Giſo, ſanctorum pignorum Quintini & Victorici martyrum cuſtos, caſu ſuperueniens, eam obiurgauit, dicens fas non eſſe, ſine authoritate Epiſcopi ſacrum corpus leuari. Ità ad dies triginta duos intactus manſit ſarcophagus iam apertus, apud quem diù noctuque ſacris vigilijs incumbentes, Epiſcopi aduentum ſuſtinebant. Quo ſpatio multa illic diuinitùs ſunt declarata miracula, atque ingens ſplendor perpetuò ad ſacrum corpus permanſit, ità vt à pectore virginis & ſurſùm, pro ſordibus pulueris nitentia relucerent fragmina margaritarum, & quibuſdam clariſſimis erumpentibus ſcintillis, adſpicientium reuerberarentur obtutus. Tanta etiam ibidèm ſentiebatur odoris fragrantia, vt omnium nares ineffabili ſuauitate cõplerentur. Quicunque autẽ ſacrum illud corpus intueri poterant, quocunque eſſent affecti morbo, ilicò curabantur. Porrò odoris illius ſemper increſcebat ſuauitas. Inter cætera autem miracula, ipſo die eleuationis ſanctiſſimæ virginis, cùm fœuiſſimus morbus totum illum pagum adeò occuparet, vt vix eſſet domus, in qua non iaceret ægrotus, omnes illi cum eleuato ſacro corpore ſimul è ſuis lectulis ſani ſurrexêre. Tandèm enim accerſito Rodulpho, Nouiomenſis Eccleſiæ Archidiacono, poſteà eiuſdem vrbis religioſo Epiſcopo, & ex collegio beatiſſimi martyris Quintini accitis Patribus, Giſone, Rotberto, alijsque plurimis, magna pietate viris, peractis Miſſarum ſolẽnijs, itum eſt ad tumulum, ibidèm etiamnùm circa caput & pectus ſanctæ virginis illo, quod diximus, cæleſti lumine adeò coruſcante, vt nemo poſſet ad plenum intueri: leuatumque eſt ſanctiſſimum corpus è ſepulcro, ſeptimo Idus Nouembris. Libet his pauca adiungere miracula.

Nota de defuncto corpore virginis.

Morbi oẽs viſo eius corpore curantur.

Eleuatur corpus eius.

Homines quidam improbi, ſuis viribus freti, audaci temeritate porcos ſuos in ſyluam monaſterij ſanctæ virginis Hunegundis adduxêre, apud pagum Dediniacum ingreſſi: & cùm porcos illos pauiſſent, nolebant precium monaſterio pro datis damnis perſoluere. Eccè autem dum ſic liberè vagantur per ſyluam, ſancta Hunegundis illis apparet forma terribili, rogat quid ità auſi ſint ſyluæ ipſius fructus porcis ſuis deuorandos præbere, concutit virgam, quam manu geſtabat, & omnis ille porcorũ grex præcipiti curſu fertur ad Humolarienſe monaſterium, atque in pagũ ingreſſi, per plateas & chortes ſeſe ſeparatìm diffundunt: nec fuit quiſquam vnquàm, qui eos repeteret. Ità factum eſt, vt porci, quorum paſtum iuſto precio domini illorum compenſare nolebant, in ius cederent familiæ ſanctæ Hunegũdis. Eius rei hodieque multi teſtes ſuperſunt.

Cap. 16.

Pœna illorum, qui ſanctæ iuriam ſuis monaſterio irrogãunt.

Eodem ferè tempore nobilis quidam, Magenerus nomine, captus amore cuiuſdã ſanctimonialis eiuſdem monaſterij, more ſuo acceſſit ad monaſterium, vt ſuam cum illa libidinem expleret. In ipſo autem cœnobij atrio viſibiliter ei apparuit S. Hunegundis, & acerrimè illum obiurgans, ſciſcitabatur, quò tenderet. At ille ad vocem eius pudefactus, ad tempus ſe ab illo facinore cohibuit. At monacha laſciua & petulans, contemptam ſe putans, callidè hominem ad ſe reuocat: ait non ſanctam Hunegundem ipſi apparuiſſe, ſed quandam ſuam æmulam id ſimulâſſe. His inflammatus vir ſpurciſſimus, alia via per apertum clàm oſtiolum ad eam ingredi conatur: ſed rurſùs adeſt ſancta Hunegundis, baculo eum verberat in inguine: fit miſer exanguis, & corruit: alienis manibus exportatus, cùm eius coxa intumuiſſet, in eo dolore vitam finit: ſed tamen anno priùs integro ante obitum coxa illa computruit. Pro eius curatione amici ampliſſima munera ſanctæ Virgini obtulerunt, quæ tamen haud ſecùs atquè putentiſſima ſtercora reiecta ſunt. Cùm enim plurimos illi nummos offerrent, repentinus turbo ità illos diſſipauit, vt ne vnus quidem vlli poſteà mortalium conſpectus ſit.

Cap. 17.

Vide num ignorêt ſancti res humanas, ſimúlque obſerua pœnã volentis ſanctam violare virginẽ.

Anno Dominicæ incarnationis nongenteſimo ſexageſimoquarto in ipſis ferijs beatæ Hunegundis, in villa, quæ dicitur Saſnulphi chors, meſſores frumenta ſecabant. Eos preſbyter illorum Lantfridus crebrò reprehenderat, dicens ſe interfuiſſe ſynodo, in qua Rodulphus Nouiomenſis Epiſcopus iuſſiſſet, ſanctæ Hunegundis feſtum

Cap. 18.

deuotissimè celebrari. At illi se excusabant, quòd vicinos suos cernerent laboribus insudare. Itaque Rotgildis puella, presbyteri huius, sicut ipse nobis retulit, ex sorore neptis, colligebat spicas, quas illi messores relinquebant. Eccè autem dum se inclinat ad eas colligendas, eam, quam primam sustulit, recenti sanguine madẽtem conspicit. Admirans, vndè ille esset sanguis, reijcit spicam. Tollit alteram, tollit tertiam, quartam, quintam, & multas alias, & omnes videt sanguinolentas. Territa valdè, currit ad patrem suum, qui tum fortè in agrum exiërat, indicat quid sibi acciderit. Pater ceu puellari leuitate ductam repræhẽdit, iubet redire ad cœptum opus. Illa verò trepidante, sequitur eam pater, simulque plurimas colligunt spicas cruore madidas. Inquirunt, num quis ex messoribus digito saucio sit. Illis obstupescentibus, & sanctè affirmantibus nullius esse læsam manum, quasdam spicas ad ecclesiam perferunt, offerunt presbytero, remque ei omnem exponunt. Ille ait, nisi certiora adferant documenta, se hominibus incredulis non ausum esse pro concione id indicare. Illo hoc dicente, quasi crassæ quędam lachrymæ, è spicis sanguineæ prorumpentes guttæ, in terram décidunt. Tum ille penè exanimis effectus præ timore, sicut priùs timuerat indicare illud populo, ità nunc multo etiam magis celare timet, nè sua negligentia tardiùs ad populi notitiam perferatur. Dato igitur signo, populum ad Ecclesiam conuocat, eius inobedientiam reprehendit, diuinum exponit miraculũ. Illi audito tam insolito miraculo animis consternantur, ad agendam pœnitentiã se promptissimos exhibent. Deniquè ab ecclesia egressi, circunquaquè vicinis suis denunciant, nè deinceps vacent operi, sed ad ecclesiam se conferant, rem stupendam visuri. Exterrentur omnes, missa faciunt opera haud aliter, quàm si hostes imminentes fugerent: orant supplices, nè cœlesti vltione plectantur. Intereà rusticus quidam, Rotbertus nomine, in eadem villa frumentum excutiens, dum hæc ad ipsum perferuntur, proijcit è manibus flagellum, promittit se ab opere cessaturum. Sed homo ineptus, quasi id leuius esset, scopas arripit, conuerrit in area frumentum. Mox verò brachium eius obrigescit, humique prostratus, clamat se reum, & ilicò è vita abiturum. Ea res superiorẽ timorem auxit. Presbyter verò circunquaquè discurrens, sanguinolentas spicas vicinarum ecclesiarum presbyteris ostendit. Turbantur omnes, conuocatisque suarum parochiarum hominibus, cum Crucibus & cereis simul omnes nudis pedibus cum votis supplicibus, comitante etiam illo, cuius brachium obrigueràt, & puella spicas sanguinolentas ferente, ad monasterium perpetuæ Virginis Mariæ & S. Hunegundis, properè contendunt: ibique prostrati, fatentur culpam suam, petunt humiliter, vt fratres pro ipsis Dominum deprecentur: quod etiam factum est. Eant iam, qui non credunt huic signo, & calumnientur illud pariter cum eo, quod itidèm in sanguine patratum est in Aegypto sub Pharaone. Nos verò benedicamus Deum, qui mirabilis est in sanctis suis, qui dat virtutem & fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus in secula, Amen. Hoc cruentarum spicarum miraculum testatur author se suis oculis vidisse, quem satis constat ante annos sexcentos ista scripsisse.

Hinc potest colligi ætas Authoris huius.

Nota rem prodigiosam.

Vult Deus vt sanctorũ suorũ festa celebrẽtur.

Vltio cælestis in eum, qui in S. Hunegundis festo laborauit.

Exod. 7.

Psal. 67.

VITA SANCTI LVDOVICI, REGIS FRANCORVM EXIMII, EXCERPTA, VT OPINOR, EX ILLA, *quam conscripsit Gaufridus de Bello Loco, ipsius Regis Confessarius. Dictionem nonnihil expoliuimus in gratiam Lectoris: & ad marginem capitula adiecimus.*

Augusti 25. Cap. 1. Hæretici Albigenses.

BEATVS Ludouicus, Francorum pijssimus Rex, patrem habuit Ludouicum Christianissimum Regem, qui in Albigesio & Comitatu Tolosano hæreticos oppugnauit. In reditu autem lethali correptus morbo, die decimo ad Montem Penserium excessit è viuis mense Octobri, anno ab orbe redempto millesimo ducentesimo vicesimosexto, vir vtiquè benè Catholicus & sanctus. Nunquàm corporis sui vllam admisit pollutionem, vnica vxore legitima contentus. Corpus eius exanime ad beati Dionysij Ecclesiam apportatum, iuxta patrem honorificè conditũ est. In eius locũ succe ssit filius primogenitus Ludouicus, Rhemis ab Episcopo Suessionensi, quòd Ecclesia Rhemensis tum pastore orbata esset,

Exemplum insignis cõtinentiæ in Rege.

set, regia corona insignitus & consecratus, annos natus duodecim, aut circiter. Eius coronationi complures è præcipuis nobilibus, licèt vocati essent, interesse noluerũt: quòd propter dolorem defuncti Regis & regni desolati, lachrymis & luctui illic potiùs, quàm lætitiæ & iucunditati, se darent.

Cap. 2. Blancha mater S. Ludouici.

At puer sanctæ indolis, strenuissimo patre orbatus, sub tutela & moderatione matris Blanchæ, Regis Castellæ filiæ, permansit: quæ illum tenerrimè diligens, ex consilio religiosorum hominum, præsertim Dominicanorum & Franciscanorum, singulari cuidam magistro tradidit moribus ac literis instituendum. Ille verò pius puer, & velut alter Salomon, ingeniosus & bonam sortitus animam, præ suis coætaneis mirè profecit in vtrisque. A primis enim ætatis initijs, deditus fuit pietatis & sanctitatis studijs, ferturque vitam omnem absque mortiferi peccati perpetratione exegisse. Eius verò sanctitati gratulãs Blancha mater: Mâllem, inquit, fili te mortuũ cernere, quàm creatorem tuum mortali crimine offendentem. Quæ verba vsqueadeò illius animo hæsêre, vt diuina ipsum gratia protegente, nũquàm in se eiusmodi crimen admiserit.

Sap. 8.

Nota vitæ mirã innocentiam.

Cap. 3. S. Ludouici vxor.

Agente autem matre & proceribus regni, anno salutis millesimo ducentesimo tricesimoquarto duxit vxorem Margaretam, Comitis Prouinciæ filiam, quæ Lutetiam venit intrà octauas Assensionis Christi, cùm priùs esset coronata apud Senones. Anno proximo dira fames afflixit Gallias, præsertim in Aquitania, ità vt homines instàr iumentorũ, herbis agrestibus vescerentur. Nam frumẽti sextarius apud Pictauos centum solidis veniebat. Sequenti anno Arsacidas senior Assassinorum, misit nuncios in Franciam, quibus id mandati dederat, vt Regem Ludouicum interficerent. Sed Deo animum eius ad pacem & humanitatem inclinante, crudelis mandati pœnitentia ductus, misit alios celeres nuncios, qui Ludouicum Regem admonerent, vt à primis legatis sibi caueat. Cùm autem priores nuncij diligenter inquirerentur, inuenti, ad Regem Ludouicum adducti sunt. Ijs conspectis, Rex lætatus, vtrosque nuncios muneribus afficit, Regi Arsacidæ non pauca magni precij munera, quibus pacis & amicitiæ studiosum se declararet, per illos transmittit. Sed ab eo tempore plures suo corpori tuendo custodes adhibuit, qui perpetuò clauas æreas ferrent.

Magna caritas annonæ.

Cap. 4.

Anno millesimo ducentesimo quadragesimosecundo, Ludouicus Rex duxit exercitum in Hugonem Marchiæ Comitem, quòd is aduersùs Regem rebellâsset, Henrici Angliæ Regis & Richardi fratris eius auxilijs fultus: qui ambo habebant vxores filias Comitis Prouinciæ, sorores Reginæ Franciæ: cùm Hugo Comes vxorem haberet ipsius Angliæ Regis matrẽ. Anno quidem superiori Ludouicus multam regni sui militiam ad Saliminum conuocans, Alphonsum fratrem illic * militem creauerat, cui anteà Iohannam, filiam Tolosani Comitis, vxorem dederat, cum Aruerniæ, Pictauorum & Albigensium terris quibusdam. Voluit autem Rex, vt Hugo Marchiæ Comes Alphonso se sacramento deuinciret: quod cùm ille detrectaret, ab vxore persuasus, Regis in se animos concitauit, adeò vt is anno altero cum numerosissimo exercitu in eius ditionem ingressus, aliquot * castra expugnaret, & nobiles ampliùs quadraginta captos, cum multis alijs partim Parisios, partim aliò mitteret, in custodia asseruandos. Intereà verò Comitis Marchiæ vxor, quosdam è suis, muneribus & promissis illectos, ad Regis Ludouici aulam misit, qui Regem & fratres eius veneno tollerent è medio. Sed illi à Rege compræhensi, in carcerem abducti sunt. Commissum tandèm est prælium non sine multa strage Anglorum, qui Hugoni Comiti suppetias ferebant. Nocte autem Angliæ rex cum Hugone Comite, relictis Santonibus, quò ex fuga se receperant, aufugêre, ciuesque eius vrbis manè claues Ludouico Regi obtulerunt. Eodem die Hugo filius Comitis Marchiæ primogenitus, ad Ludouicum Regem venit, cum eo de pace tractaturus. Postera luce Comes Marchiæ cum vxore aduenit, cum lachrymis & suspirijs à Rege veniam petit, & impetrat.

*Pictonum ducẽ, habet Aemilius.

* oppida

Comitis Marchiæ strages.

Cap. 5.

Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimotertio, natus est Ludouicus primogenitus Ludouici Regis: atque altero indè anno in lucem editus est Philippus secundus filius. Indè circa Idus Decembris Ludouicus Rex apud Pontisarã ex morbo decumbens, adeò extra se raptus est, vt multi putarent eum iam planè obijsse. Sed ad se reuersus, mox transmarinæ militiæ Crucem petijt, & accepit. Operam sanè dedit Rex ille pijssimus, vt proles suas & verbis & exemplis ad amorem Dei, ad mundi contemptum, ad sui cognitionem institueret. Cùm enim per ocium liceret vacare sibi, inuisebat liberos suos, & instàr Tobiæ monita salutis dabat eis: docebat ante omnia timere Deum, & ab omni semper peccato abstinere. Serta, è rosis aut flo-

Ecstasis S. Ludouici.

Optimè instituit liberos suos.

ribus confecta, aut alia id genus, non ſinebat eos ſexta feria in capitibus ferre, quòd eo die Saluator noſter in ſuo capite tulerit è ſpinis cõtextam coronam. Cumque non ignoraret, à delicijs caſtitati, à diuitijs pietati, ab honoribus humilitati magna impendere pericula, ſobrietati, humilitati, miſericordiæ dedit animum, à mundi, carnis & ſatanæ inſidijs ſolicitè ſibi cauens: atque cum Apoſtolo corpus ſuum caſtigans, & in ſeruitutem redigens, multo tempore intima veſte cilicina vtebatur: qua ſi non eſſet vſus, dehortante eum confeſſario propter nimiam imbecillitatem, volebat vt idem confeſſarius pro quadam compenſatione diebus ſingulis quadraginta ſolidos Pariſienſes clanculùm in pauperes erogaret. Semper ieiunauit ſextis ferijs, nec ijs diebus, præſertim in Aduẽtu & Quadrageſima, piſcibus aut fructibus veſci voluit, vigilijs, orationibus, & clandeſtinis abſtinentijs perpetìm ſe affligens.

1. Cor. 9. Vtitur cilicio.

Cap. 6. 2. Reg. 6. Humilitas eius.

Quanto autem maior erat, tanto humiliùs & ſummiſſiùs, inſtar Dauidis Regis, ſe gerebat, & coram Deo propria exiſtimatione vilior ſibi videbatur. Quolibet ſabbato in loco ſecretiſſimo aliquot pauperum ſuis manibus abluebat pedes, lotos tergebat, terſos exoſculabatur. Deindè lauabat etiam illorum manus, & ſingulis certam pecuniæ portionem largiebatur. Crebrò etiam cẽtum viginti pauperibus, qui in eius aula quotidiè abundè reficiebantur, atque certis quibuſdam diebus & ſolennibus vigilijs ducentis pauperibus, priuſquàm ipſe cibum ſumeret, ſuis manibus cibos apponebat. Semper & in prandio & in cœna prope ſe tres habebat ſenes inopes, ijsque de poſitis ſibi ferculis humaniſſimè tranſmittebat. Interdùm ſcutellas & cibos, quos illi Chriſti pauperes manibus contrectauerant, offas præſertim quibus libenter veſcebatur, vt indè aliquid ederet, ad ſe reportari iubebat, Chriſtum pauperem in eius pauperibus venerans, dum non abhorret à cibis, qui ipſis ſuperfuerant. Vidit quandoquè vnum ex tribus illis pauperrimis non benè edentem. Iuſſit igitur pius & humilis Rex ſcutellam ſibi propoſitam, cum cibo ad illum ſenem deferri: eamque, cùm ſatìs ille cõmediſſet, ad ſe referri. Ità nimirùm, vt interior animi eius humilitas in ſolius Dei cedebat honorem: ità exterior morum & habitûs modeſtia & humilitas, cunctis mortalibus poterat eſſe virtutis incitamẽtum. Purpurea, aut viridi, aut alioquì preciosa veſte, vel pellibus varijs & magni precij, nolebat vti, maximè poſteaquàm primùm è locis tranſmarinis redijt. Fidei propagationem ſummoperè ſitiebat. Itaque ſi quid ab inquiſitoribus, quod ad fidem pertineret, eſſet ad eum relatum, id, alijs negocijs omnibus poſthabitis, audiebat, & inſtàr Phinees, magno zelo in Chriſtianæ fidei violatores animaduertebat. Ciuis quidam Pariſienſis blaſphemiæ reus, illo iubente, cauterio in labijs inuſtus fuit. Ea enim pœna decreta erat ab ipſo in eos, qui ſceleratè iurarent & blaſphemarent. Eam rem cùm plerique carperent, & regem tyrannidis inſimularent, ille ait: Equidem in meis labijs libens eiuſmodi inuſtionem perpetuò feram: tantùm vt impia iuramenta è regno meo profligentur. Decreuit quandoquè pius Rex ſeptennio peregrinari, & loca ſancta inuiſere. Venit igitur Peruſium ad S. Aegidium Franciſcanum inſtàr pauperis peregrini & ignoti, vnà cum ſocijs ſuis. Oſtiario autem monaſterij indicante Aegidio, peregrinum quendam ipſius expetere colloquium, ille ſpiritu docente agnoſcens quis eſſet, properè accurrit, pariterque flexis genibus, in mutuos ruunt amplexus & oſcula, ſed nihil loquuntur, cùm vtrique alterius cor pateret.

Multos alit pauperes.

Itẽ benignitas eius in pauperes.

Num. 25.

Is S. Aegidius fuit ex primis ſocijs S. Franciſci.

Cap. 7. Tres Cruces in aëre.

Anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quadrageſimooctauo Crux prædicabatur in diœceſis Colonienſis pago, quem vulgò * Bedonſtiſium vocant. Ibi tum menſe Maio feria ſexta ante Pentecoſten tres Cruces viſebantur in aëre, vna candida versùs Aquilonem, altera eiuſdem coloris ad Auſtrum: tertia colore medio, in qua cernebatur ſuſpenſi hominis effigies extenſis brachijs, & capite inclinato, atque in manus & pedes eius adacti claui. Eaque mediũ tenebat inter alias locum, in quibus nulla cernebatur hominis figura. Alio tempore in Enchuſen Phryſiæ oppido, cùm illic prædicaretur Crux, alia Crucis forma iuxta ſolem apparuit colore cæruleo, quã multi viderunt. In Traiectenſi quoquè diœceſi in Doccum, vbì S. Bonifacius martyr trucidatus fuit, Crux viſa eſt in eiuſdem martyris feſto die, ingens ſanè & albi coloris, perindè acsì trabi altera trabs tranſuerſìm artificioſè impacta eſſet. Creduntur autem bis apparuiſſe Cruces, nè quis ambigeret de prima apparitione: atque ità factum eſt, vt Colonienſis prouincia ad trecentas ferè naues appararet.

Cap. 8. Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimoſeptimo, petente Ludouico Chriſtianiſſimo Rege, magna Dominicæ Crucis portio Cõſtantinopoli Pariſios trãſlata

lata eſt. Proximo inde anno Rex Ludouicus ſexta feria à Pentecoſte iter tranſmarinum ſuſcepit, multis eum è Lutetia cùm Proceſſionibus vſque ad ſanctum Antoniũ deducentibus. Iuerunt cum eo Odo Tuſculanus Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, & duo fratres Regis, Robertus Comes Atrebatenſis, & Carolus Andegauenſis Comes, cum vxoribus ſuis, & multis Franciæ Epiſcopis & nobilibus. Erat quidẽ etiam Alphonſus Comes Pictauenſis, Regis frater, Cruce ſignatus: ſed eo anno, cum Blancha regina matre, ob regni tuitionem manſit domì. Die quinta & viceſimà Auguſti Rex cum ſuis in nauim ingreſſus, biduo ſuſtinuit ventos ſecundos. Viceſimooctauo Auguſti die à portu ſoluens, Chriſto duce, proſperè nauigans, paulò ante beati Matthæi ferias nocte ad Cyprum appulit. Comitis Atrebatenſis coniunx, quòd eſſet prægnans, ab Aquis Mortuis in Franciam reuerſa fuit. Rex verò conſilio nobiliũ ſuorum & regni Cypri, quòd naues & triremes cum baliſtis necdũ aduenìſſent, tum etiam propter impendentem hyemem & quaſdam alias res vſque in Paſchales ferias diſtulit profectionem ſuam. Interìm rex Cypri & omnes ferè regni eius nobiles & Eccleſiarum præfecti ſiue prælati, Crucis ſignum accipiunt, & ſe cum Francię Rege, quocunquè ipſos ducere velit, aduersùm Saracenos profecturos iureiurando confirmant.

Magna S. Crucis portio Lutetiam venit.

Rex ſanctus nauigat in Syriam.

Venit in Cyprum.

Per id tempus Sulthanus Aegypti, qui per ditiones Chriſtianorum Damaſcum petere decreuerat, Regis Francorum cognito aduentu, conſilium illud mutauit. Interceſſerant enim illi inimicitiæ cum Damaſci & Alapiæ Sulthanis. Ijſdem temporibus obijt Robertus Bellouacenſis Epiſcopus, & comes Montisfortis, cum multis alijs eius expeditionis ſocijs. Porrò extremo ferè Decembri menſe venerunt ad Ludouicum Regem nuncij à quodam Tartarorum principe, qui ipſius nomine multa eum ſalute impertirent. Ij ipſo die Natiuitatis Chriſti fuêre cum Rege Ludouico ſub ſacrificio in eccleſia, & ad prandium in aula eius: itidemque in feſto Epiphaniæ: nec poterat in eis animaduerti, quod à Chriſtianorum more diſcreparet. Literæ autem iuſſu Regis in ſermonem Latinum conuerſæ ſunt. Cumque Rex diligenter de ipſorum principe & rebus Tartarorum ex ijs percontatus eſſet, tandèm dimiſit eos, adiunctis nuncijs cum literis & muneribus, quæ ad Tartarorum regem & ipſorum principem perferrentur. Miſit etiam per eoſdem nuncios ſuos Regi Tartarorum, quem Cham vocant, tentorium è purpura elegantiſſimè confectum, in quo res geſtæ Saluatoris noſtri graphicè expreſſæ viſebantur. Addidit etiam particulas Crucis Dominicæ, literis humaniſſimè & Regem & principem adhortans, vt qui per gratiam ſuam eos vocâſſet ad cognitionem nominis ſui, illum accuratè colerent, & in eius amore ſemper permanerent. Miſit vnà literas ſuas Odo Legatus Pontificis ad Regẽ Tartarorum & principem ſupradictum, eorumque prælatos, oſtendens eis, ſacroſanctam Romanã Eccleſiam cupidiſſimè eos ceu filios chariſſimos complexuram, modò fidem orthodoxam conſtanter retinere, & Chriſti vicario morigeros ſe præbere velint. Eius legationis primarij, à Rege Francorum miſſi, fuêre frater Andreas Dominicanus cum duobus alijs eiuſdem inſtituti fratribus, itemque duo Clerici & totidèm miniſtri Regis, profectique ſunt octauo Calendas Februarij cum ijs, quos diximus, nuncijs Tartarorum. Porrò F. Andreas, quem Rex illis præfecerat, non multò pòſt ad Regem literas miſit, quarum exemplum vnà cum principis Tartarorum literis, Rex matri ſuæ Blanchæ in Gallias perferendas curauit.

Cap. 9. Legati Tartari cuiuſdã Chriſtiani ad Regem.

Ödo legatus Pontificis.

Intereà Aegypti Sulthanus, quem Babyloniæ vocant, vbì comperit Regem Ludouicum in Cypro hybernaturum, rursùs Damaſcum ire contendit, per Hieroſolymam proficiſcens, in eam curam intentus, vt poſſet Alapiæ Sulthanum & ei fœderatos, ad ſe adiungere: ſed ille Aegyptij Sulthani malitiam non ignorans, non fuit auſus ei fidẽ adhibere. Scripſerũt autem Magiſter militum templi & Mareſtallus hoſpitalis Ludouico Regi, Sulthanum Babylonicum cum magno exercitu veniſſe in loca Gazæ propinqua, eo animo, vt ſibi conciliaret Damaſci & Alapiæ Sulthanos, metumque eſſe, nè Ioppen vel Cęſaream obſidione premat. Scripſit poſteà iterùm Magiſter ille Regi, quendam Sulthani Babylonici Admiraldum ad ſe veniſſe percontatum de voluntate Regis Francorum, quòd dominus ipſius cuperet cum eo pacem componere. Ea verò res & Regi & nobilibus eius valdè moleſta fuit, maximè quòd Magiſter diceretur à Sulthano petiiſſe, vt Admiraldum ad ipſum mitteret. Mandauit ergò Rex per literas Magiſtro, nè deincèps eiuſmodi nuncios iniuſſu ſuo admitteret, vel cum eis colloqui auſus eſſet. Affirmabant enim omnes, eo ingenio Syros eſſe, vt quantumcunquè oppreſſi,

Cap. 10. Mareſtallũ quidam vocant magiſtrũ ſtabuli equitum.

preſſi, nunquàm primi velint inducarum mentionem facere, ſed eouſquè id differre, donèc multa inſtantia, vt eas faciant, inuitentur.

Cap.11. Eodem tempore, quo Rex cum Regina Margareta, coniuge ſua in Cypro morabatur, Armeniæ Rex, eius aduentu comperto, ad eum ſpectabiles nuncios miſit, Archiepiſcopum Armenorũ & alios aulicos, per literas eius ſe offerens voluntati: quos ille honorificè excepit. Cùm autem didiciſſet, inter eum & Antiochiæ principem diſcordiam extitiſſe, miſit ad vtrunque legatos ſuos. Illis verò ſuos quoquè ad eum legatos mittentibus, duorum annorum pactæ ſunt induciæ. Per id ferè tempus capti ſunt quidam, qui ſe dicerent à Sulthano Babylonico miſſos eſſe, vt Regem Ludouicũ & primarios eius exercitûs viros veneno enecarent. Tãdèm permultæ venêre naues, cum magna militum manu, qui in inſulis hyemauerãt. Indè ſabbato poſt Domini Aſcenſionem mandatum eſt, vt omnes ad Damiatam contenderent. Eodem die Rex ſoluit à Cypro, ſed vi tempeſtatis bis in Cyprum reiectus eſt: vbi tum ſe iunxit illi princeps Achaiæ cum magnis ſubſidijs, itemque Burgũdiæ dux. Tum verò dant vela ventis, & ſexto die veniunt in Aegypti conſpectum, ac paulopòſt etiam Damiatæ, in cuius portu naues ancoris fixêre. Sed cùm viderent in eo portu magna eſſe Turcorum præſidia, Rex communicato cum proceribus conſilio, iuſſit vt die altero ſummo manè exirent in terram, eamque eo loco occuparent, vbi inter ipſos & vrbem fluuius intereſſet. Eo ergò die, omnibus in triremes & alias naues ſeſe recipientibus, Rex cum legato Pontificis ſacroſanctam geſtans Crucem nudam & apertam, in cymba vehebatur, iuxta cum præcedente in alia cymba beati Dionyſij vexillo, fratribus quoquè illius & alijs nobilibus & ſagittarijs comitantibus: atque ità in terram egreſſi ſunt, multis in hoſtes contortis telis, qui eos arcere magna vi nitebantur. In ea concertatione penè nulli ex Chriſtianis vulnerati ſunt: permulti autem Saraceni & eorum equi interfecti, & in ijs tres proceres.

Rex ſoluit à Cypro.

Attende antiquũ vſum S. Crucis, & vexillorum ſanctorum.

Cap.12. Eodem die profligatis Saracenorum triẽribus, Chriſtianorum triremes fluuij oſtia occupârunt. Hiſce tam proſperis initijs feliciores etiam ſucceſſus Dominus adiecit. Perterritis enim, qui intrà vrbem erant, Saracenis virtute diuina, omnes in fugam verſi, ex vrbe exceſſerunt, inſtructis priùs ignibus, quibus vrbs conflagraret. Multi itaque è caſtris Regis, per pontem naualem, quem ſatis integrũ reliquerant Saraceni, in oppidum ingrediuntur: Rex quoquè certior factus, nonnullos è ſuis intromittit, fixis tentorijs ſuis ad põtem, vt ſi ità res poſceret, ſuis ſuppetias ferret. Multus ibi commeatus repertus eſt, ità vt multi affirmarent, eam ciuitatem vi capi minimè potuiſſe. Proſpexerant enim ſibi in longum tempus Saraceni, ità vt diuino potiùs miraculo ea victoria tribuenda ſit. Deindè verò ea ciuitate à mortuorum cadaueribns repurgata, igneque extincto, Legatus Pontificis cum patriarcha Hieroſolymitano, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & magna parte eorum, qui conuenerant, itemque Ludouicus Rex cum permultis alijs, nudis pedibus, præſente Rege Cypri cum non paucis nobilibus, in vrbem ingreſſi ſunt: cumque legatus ædem quandam prophanatam reconciliâſſet, & gratias egiſſent Deo, in honorem ſanctiſſimæ matris Dei, ab eodem Legato ſacrificium oblatum eſt. Rex autem conſtituit, Deo benè volente, illic canonicorum inſtituere collegium, qui Domino ſeruirent. Capta eſt Damiata, quam alij Eliopolim vocant, anno ab orbe redempto milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono: manſitque illic Rex tota æſtate cum exercitu Chriſtiano, donèc fluuius detumeſceret, qui exercitui periculum allaturus videbatur.

Damiata capitur à Chriſtianis.

Cap.13. Eodem anno ſub finem menſis Iunij, Alphonſus Pictauorum Comes & Regis Ludouici frater, matre Blancha ad regni defenſionem relicta, iter ingreſſus eſt cum copioſo milite, & ſub finem Octobris ad Damiatam applicuit. Indè die Nouembris viceſimo Rex Ludouicus, tam nauali quàm terreſtri exercitu inſtructo, relicta Damiata, contra Saracenos mouit, qui tum apud Maſſeram, quam quidam Pharamiã vocant, frequentes conuenerant. In eo itinere non parùm detrimenti illatum eſt Saracenis. Deindè cùm ventum eſt ad pugnam paulò ante Chriſti natalem, multi ex eis cęſi ſunt, complures Nili aquis extincti. Poſteà tranſmiſſo flumine non ſine ingenti periculo, rursùs cum eis Chriſtiani confligentes, multos trucidârunt, neque ſexui, neque ætati parcentes. At vbi Saraceni didicerunt noſtros temerè progredi, reſumunt animos, & in Chriſtianos impetu facto, magnam etiam nobiliũ edunt ſtragem, in quibus fuit Robertus Atrebatenſis Comes, frater Ludouici Regis. Tandèm tamen noſtris eo die victoria ceſſit. Proxima luce, iubente Rege, plures è Chriſtianis flumen tranſgreſſi,

Cæduntur Saraceni.

ſi, Saracenorum euerterunt machinas, & pontes nauales inſtituerunt, vt poſſent noſtri facilè fluuium tranſire. Non diù pòſt Saraceni, collectis viribus, omni ex parte in Chriſtianos ſumma vi & contentione irruunt, ſed magno numero proſternuntur. Poſt dies aliquot in caſtra eorum venit Sulthani Aegyptij filius, (iam enim pater eius obiërat) quæ res auxit animos Saracenorum. At Chriſtianorum res, occulto Dei omnipotentis iudicio, deteriores reddebantur, multis eorum morbo abſumptis ità vt ex triginta duobus millibus vix millia ſex ſupereſſent. Magna enim commeatûs penuria laborabant, nec pauci fame & inedia periêre, Saracenis itinera obſidentibus, nè poſſet à Damiata commeatus aduehi in caſtra Regis. Ea res coëgit eos Damiatam repetere. Die quinto Aprilis, illis iam proficiſcentibus, Saraceni cum maximis copijs in eos incurrunt, ipſum Ludouicum ſanctiſſimum Regem & duos fratres eius Alphonſum & Carolum capiunt cum multis alijs, eosque in carceres conijciunt, multo fuſo Chriſtianorum ſanguine, Deo id fortaſsis propter quorundam peccata permittente, vel etiam vt pijſſimi Regis virtus & patientia illuſtrior appareret.

Multa Chriſtianorum millia fame & morbo pereunt.

Sanctus rex capitur.

Cap.14. Porrò autem ſceleratiſſimi illi & impuri Saraceni, præter contumelias in Saluatorem noſtrum iactatas, Chriſtianis inſpectantibus, Crucifixi effigiem flagellis verberârunt, & per ſummam ignominiam impiè eam conſpuentes, in Chriſtianæ religionis dedecus pedibus conculcârunt. Poterat ſanè facilè elabi ſanctus Rex, cùm illi ad manum eſſet nauis, ſed ſponte illis ſe capiendum obtulit, vt poſſet captiuos Chriſtianos, quorum erat ingens numerus, redimere. Egit poſteà apud Regem Sulthanus minacibus verbis de paciſcendis inducijs, de reſtituenda Damiata, de præſtandis damnis ſarciendisque ſumptibus, quos feciſſet ipſe à capta Damiata. Tandèm initæ ſunt induciæ decennales, his conditionibus, vt Sulthanus Regem Ludouicum & captiuos Chriſtianos omnes è ſuis ditionibus liberos à ſe dimittat: vt Chriſtiani retineant loca aliquot terræ ſanctæ: porrò Rex Ludouicus reſtituat Damiatam, & pro factis in illud bellum impenſis octo millia Byzantiorum, reddatque captiuos Saracenos omnes. His confectis inducijs, Sulthanus, dum cum exercitu Damiatam proficiſcitur, à quibuſdam è ſuis, fruſtatim gladijs conciditur: moxque grandi numero properant Saraceni ad Regis Ludouici tentorium, illum & Chriſtianos omnes iugulaturi. Sed immenſa Saluatoris virtus eorum animos fregit, mutataque ſcelerata voluntate, poſtulant à Rege, vt ſtet pactis conuentis. Rex, cùm nulla eſſet ſeruandæ Damiatæ ſpes, mâluit paciſci cum illis inducias, quàm & ſe & Chriſtianos omnes perdere. Itaque ad certum diem Damiata illis redditur, Rex & fratres eius & nobiles Franciæ, ditionis Hieroſolymitanæ & Cypri, è carcere dimittũtur. Sperabat iam pius Rex, fore vt etiam reliqui captiui, vti conuentum erat, à Saracenis dimitterentur: ſed cùm diù expectâſſet, ex duodecim millibus, ægrè quadringentos recepit, impijs illis Saracenis fidem iureiurando firmatam violantibus: qui etiam de cæteris rebus nihil voluêre remittere, & quod eſt longè immanius, egregios quoſdam iuuenes Chriſtianos è captiuis illis, coëgerunt impuriſſimi Mahometis profiteri ſectam, Chriſtiana religione abiurata. Impoſuerant enim nudos enſes ceruicibus eorum, & ſi qui nollent eis conſentire, illos iugulabant. Ex ijs quidam imbecilliores, à Chriſto ad Mahometem defecerunt: alij coronas martyrij, contempta morte, reportârunt.

Aemilius habet, octo millia auri pondo.

Perfidia Saracenorũ.

Cap.15. Cernens autẽ Ludouicus Rex Saracenos venire contra inducîarum fidem, conſtituit nobiles ſuos & milites religioſos, quid agendum ipſis videretur. Illis magna ex parte afferentibus, ſi quidem nunc recedant, terras illas & captiuos in ſummum diſcrimen venturos: ſin autẽ maneant ad tempus aliquod, poſſe indè vtilitatis nonnihil accidere Chriſtianis, præſertim quòd inter Aegyptium & Alapianum Sulthanos acerba extaret ſimultas: Rex pius mâluit hærere in Syria, quàm res Chriſtianorum & ipſius Chriſti, in ea deſperatione tantoq; diſcrimine relinquere. Alphonſum verò & Carolum fratres ſuos ad Reginã matrem conſolandã remiſit in Gallias. Acta ſunt hęc anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo. Quis verò hîc non agnoſcat ſtupendum prępotentis Dei miraculum, gentem illam ferociſſimã parcere tanto Regi? gentem cupidiſſimam Regem opulentiſſimum ſoluere captiuitate pro longè minori precio, quàm obtinere potuiſſent? Rex autem quinque deincèps annis manſit in Syria, nec ocioſus ſanè, ſed multos Saracenos ad Chriſti religionem traducens, multos captiuos redimens, & vrbes aliquot & caſtra egregiè communiens. Offendit tum apud Sidonem permulta cæſorum Chriſtianorum corpora iam putentia, non pauca à feris belluis lacerata. Ea proprijs manibus ſepeliuit humiliter & deuotè, vſus opera quorundam

Cap.13.

Pius rex quinquennio hæret in Syria.

rundam è suis, qui illorum fœtorem vix ferre potuerunt. Quotidiè autem manè flexis genibus Dauidicum Psalterium recitabat. Postquàm autem resciuit de obitu matris Blanchæ, nobilibus ipsius id consulentibus, in Gallias reuersus est. Cùm ergò nauigarent, tertia nocte nauis, quæ Regem habebat, bis tanta vi appulsa est ad rupem vel terræ lingulam, vt nautæ & alij illicò submersum iri putarent. Ea concussione excitati sacerdotes, clerici & cæteri, sanctum Regem inuenerunt coram sacrosancto Christi corpore deuotè orantem: omnesque in ea fuêre sententia, mortis tam præsens discrimen, eius meritis & precibus se euasisse.

Precibus suis summum auertit discrimen.

Cap.16. Reuertitur in Frãctam.

Indè in Franciam reuersus Rex, summa omnium gratulatione excipitur, atque ab eo tempore magis magisque de virtute in virtutem proficiscens, ad omnimodam vitæ perfectionem peruênit. Etsi verò ab infantia cum illo creuerat miseratio, deincèps tamen euidentius eam declarauit in afflictos & inopes, quibus omnibus pro viribus opitulabatur. Iussit enim extrui domos hospitales, monasteria religiosorum, & in diuersis regni sui locis multas quotannis distribui pecunias ijs, qui maiori pressi inopia videbantur. Multa Dominicanorum & Franciscanorum condidit cœnobia à fundamentis, multisque alijs pauperibus religiosis ecclesias & ædificia opportuna construxit, largis additis eleemosynis. Cæcis in qualibet ferè ciuitate & castello regni sui, domos ipsis congruas & opportunas benignissimè attribuit, certos illis prouentus assignans. Non pauca diuersorum Ordinum monasticorum cœnobia ex integro extruxit, & magnis ea redditibus instruxit: in quibus etiam non rarò miræ humilitatis & charitatis officia exhibuit, suis manibus humiliter ac deuotè seruiens ægrotis. Cùm veniret Parisios aut ad alias vrbes, domos hospitales, in quibus magna erat malè habentium copia, humanissimè inuisens, nulliusque morbidi deformitatem aut sordes refugiens, infirmis omnibus, flexis genibus fercula offerebat. In Abbatia Regij Montis, Cistertiensis Ordinis, quam ille magnificè inprimis & condidit, & ditauit, vt res ipsa testatur, crebrò id genus officia præstitisse fertur. Erat ibi monachus quidam leprosus, quem fœdus ille morbus horridum & abominabilem reddiderat, naso eius & oculis planè corrosis & exesis. Ei sanctissimus Rex prandenti in os cibum & potum inferebat, absque vlla abominatione officiosissimè illi inseruiens genibus flexis, ità vt Abbas, qui tum aderat, & vix id intueri sustinebat, in gemitus & lachrymas prorumperet. Quanuis autem nulli indigenti sua benignitate non ferret opem, at illis tamen, qui diuino cultui & saluti animarum vacarent, liberaliùs & crebriùs eleemosynas præstabat: solebatque dicere nonnunquàm familiaribus suis de magnis illis eleemosynis, quas conferebat quotannis Parisijs in fratres Dominicanos & Franciscanos: O Deus, quàm benè collocatæ sunt hæ eleemosynæ in tot tantosque fratres, ex toto orbe terrarum Lutetiam aduentantes: vt quod hîc ex diuinis scripturis hauriunt, in totum mundum effundant in honorem Dei & salutem animarum. Alias eius tum annuas, tum quotidianas eleemosynas quis vel enumerare queat?

Nota summâ humanitatem & humilitatẽ.

Genibus flexis inseruit pauperibus.

Cap.17. Sanctarum reliquiarũ veneratio.

Christi corona spinea Lutetiæ.

Ierem.9.

Cap.18. Nota tantî Regis reuerentiam erga signum Crucis.

Præcipua verò deuotione sanctas venerabatur reliquias, cultumque Dei & honorem sanctorum semper amplificare nitebatur. Parisijs in palatio regali sacellum elegantissimum extruxit, in quo sacrosanctam Domini Iesu coronam spineam, magnam sanctæ Crucis portionem, ferrumque lanceæ, quod Saluatoris latus fodit, admodùm reuerenter reposuit cum multis alijs reliquijs, quas à Constantinopolitano Imperatore immenso labore & magnis impendijs acceperat. Cùm in ecclesia diuina officia persoluerentur, nullius admittebat colloquium, nisi aut necessitas cogeret, aut euidens vtilitas id poscere videretur: sed neque sic tamen, nisi breuiter & succinctè, nè ipsius lachrymæ & pietas siue deuotio interturbarentur. Nam instàr Ieremiæ, in precibus suis & exercitijs pietatis lachrymarum fontem sitiens, suo confessario quandoquè in familiari colloquio fatebatur, nonnunquàm sibi oranti diuinitùs datas fuisse lachrymas, quæ per genas in os influentes, non solùm cor, sed etiam os ipsius gustu suauissimo affecissent.

Tanta reuerentia sanctæ Crucis signum prosequebatur, vt si illud humì expressum vidisset, calcare pedibus ausus non esset: exegitque à multis cœnobitis, nè deincèps in suis monasterijs permitterent illud in pauimento effingi: & sicubì iam humì effictum esset, id penitùs abolerent. Quàm verò reuerenter annis singulis in Parasceue ad adorandum sanctæ Crucis lignum, solutis capillis, flexis atque etiam nudis genibus accesserit, testantur eorum oculi, qui tunc eum sine lachrymis conspicere non potuerunt. Illum diem, in quo, vt pauloantè diximus, sacras reliquias à Constantinopolitano

no Imperatore acceptas, in palatij sacello collocauit, annua voluit solennitate celebrari, idque triduo, ità vt primo die diuina officia peragerent Dominicani, secundo Minores, tertio alij monachi: atque ad eam rem magnas à Sede Apostolica condonationes siue Indulgentias impetrârat. Cùm Saraceni ab eo exigerent, vt quæ cum ipsis pactus erat de numeranda pecunia pro suî & Christianorum liberatione, ea conditione firmaret, vt testaretur se velle Christi fidem abiurâsse videri, si non staret promissis: prorsùs abhorruit, dicens: Etiamsì corpus occidatis, animam occidere non potestis. Sed cùm quidam è suis dicerent: Sine peccato ità eum iurare posse: placidè respondit: Ego verò vsqueadeò hæc verba de neganda fide exhorreo, vt ea ore exprimere non possim. Orabant eum quidam, cùm esset in locis transmarinis, vt nobilem quendam Saracenum, qui recèns Sulthanum interfecerat, militem crearet. at ille respondit: Absit à me, vt vel pro seruanda vita, vel morte declinanda, quencunque à Christiana religione alienum, balteo militari donare velim.

In regni administratione eam prudentiam & authoritatem adhibebat, vt sine acceptione personarum, controuersijs quorumcunque diligenter excussis, iustam ferret sententiam. Consiliarij eius & regni proceres, cernentes eum sapientia Dei præditum, & syncerè atque ex animo diligebant illum, & non mediocriter verebantur. Cùm autem formidaret pius Rex, causas pauperum non magnæ illis curæ esse, vt minimùm, bis hebdomadibus singulis in loco publico residens, audiebat eorum querelas: & tum iustitia, tum misericordia eas expendens, celeriter illos expediebat. Duella, vt quæ iure essent vetita, ad nullius preces admittere voluit: sed alia ratione, quæ iuri consentanea esset, etiam magnatum maleficia castigabat. Et vt vsurarum immanis vorago obstrueretur, statuit, vt eos, qui per literas Iudæis aut alijs publicè vsuras exercentibus se obligâssent, non cogerent ad solutionem iudices. Et quia verissimè dixit Esaias, Erit opus iustitiæ, pax: Deus iusto & pio Regi pacem, & regno tranquillitatem præstitit.

Cap.19. Eius iustitia in ferendis sententijs.

Duella & vsuras summoperè detestatur.

Esa.32.

Habebat hoc peculiare à Deo munus, vt qui inter se discordia laborarent, eos vtplurimùm conciliaret. Quàm fuerit autem Deo grata tanti Regis summa humilitas, Rex regum omnium Christus Deus euidenti miraculo declarauit: Comes Gelriæ nuncium cum literis miserat Parisios, ilicò rediturum. Ex eo reuerso scisciabatur Comes, num Regem Franciæ Ludouicum vidisset. Tum ille subsannans, collumque contorquens: Vidi, inquit, vidi illum miserum papilardum Regem, ad scapulas capitium gestantem. Vix verba finierat, & facies eius retrorsùm acta, ità contorta permansit. Tandèm post multorum annorum curricula, quibus se in omni virtute exercuit sanctus Rex, certa ad eum fama allata de vastatione & periculis terræ sanctæ, instàr Matathiæ cum filijs suis mala gentis Christianæ & sanctorum ferre non sustinens, Deo ipsum permouente, alteram susceptt nauigationem cum tribus filijs suis comitibus, itemque cum regni Proceribus & Nobilibus, multaque populi frequentia. Cumque iam naues conscensuri erant, filios suos blando vultu adspiciens, & primogenitum speciatìm appellans, ait: Vide, fili, vt ego iam grandæuus secundò hoc iter capessam, quandò iam etiam Regina mater tua prouectæ ætate est, & nos regnum nostrum, fauente Deo, absque vlla perturbatione obtinemus, diuitijs, delicijs & honoribus, quantùm fas est, affluentes. Vide, inquam, vt Christi & Ecclesiæ eius causa non parcam senectuti meæ, nec me flectat desolatio matris tuæ, delicias & honores contemnam, opesque meas pro Christo impendam. Vide, vt te & fratres tuos & sororem primogenitam mecum ducam, simul etiam quartum filium ducturus, si aliquantò maturiori esset ætate. Hæc verò idcircò te audire volui, vt cùm post obitum meum ad regnum pertigeris, pro Christo & Ecclesia atque fide Catholica tuenda, nulli rei parcas, non vxori, non liberis, non regno. Volui enim & tibi & fratribus tuis de meipso præbere exemplum, vt, si res postulet, vos similiter faciatis.

Vltio diuina in eius irrisorem.

1.Mach.2.

Attende quàm prudenter instruat primogenitũ, vt sua sequatur vestigia

Itaque anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, Calendis Martijs, Ludouicus Rex Christianissimus, nihil fractus superiorum temporum laboribus & expensis, quas in priori expeditione fecerat, cum tribus liberis, Philippo, Iohanne, Petro, è Massiliæ portu soluit, adiuncto etiam sibi Nauarræ Rege, & permultis ecclesiarum præfectis & nobilibus. Vt autem faciliùs terram sanctam recuperare possent, consultissimum eis visum est, vt regnum Tunetanum, quòd magna in Syriam nauigantibus obijceret impedimenta, ante omnia in suam redigerent potestatem. Iam ceperant

Cap.21. Alterã expeditionẽ suscipit in Syriam.

*qui rant portum Carthaginis, * quæ Tuneto haud procùl abeſt, & eccè morbus, qui illo anno iis in locis mirè graſſabatur, in Chriſtianorum exercitum inuadit, ex Regis filijs tollit Iohannem, tollit ipſum quoquè ſanctiſſimum Regem cum multis è nobilitate & plebe. Quàm ſanctè autem & piè à vita migrârit Chriſtianiſſimus Rex, gener eius Nauarræ Rex Tuſculano Epiſcopo perſcripſit. Nam correptus morbo, non ceſſauit laudare Deum, ſæpè illam orationem interſerens: Fac nos Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. & pro illis, quos ſecum adduxerat, ità orãs: Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos. Morti propinquus, voluit ſe corporis Chriſti ſacramento muniri. Cumque ſacerdos id ei oſtenderet, perquireretque, num crederet ibi eſſe filium Dei, reſpondit minus id apud ſe habere dubij, quàm ſi videret Chriſtum in ea forma, qua aſcendit in cælos. Iam ſupremum trahens ſpiritum, ſuſpiciens in cælum, ait: Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Quibus dictis, feliciſſimè obdormiuit in Domino.

Moritur piiſſimus rex cum multis alijs.

Nota certã eius fidẽ de Chriſti præſentia in Eucharistia.

Eius morte non mediocriter conſternato Chriſtianorum exercitu, & Saracenis lætantibus, Carolus Siciliæ Rex, in bellis ſtrenuus, cum multo milite aduénit, animosque Chriſtianorum confirmauit. Etsi autem longè plures eſſent Barbarorum, quàm Chriſtianorum copiæ, non tamen auſi fuêre cum noſtris inſtructa vtrinquè acie committere, ſed leuibus prælijs & crebris excurſionibus non mediocriter vexârunt Chriſtianos. Tandèm obſidione preſſi à noſtris, coacti ſunt pacem petere, quæ his potiſſimùm conditionibus confecta eſt, vt omnes Chriſtiani, qui in eo regno captiui tenebantur, abirent liberi: & vt Dominicanis & Franciſcanis atq; alijs libera eſſet facultas toto illo regno Chriſtum prædicandi, credentesque baptizandi: vtque Rex Tunetanus Regi Siciliæ annuum tributum quadraginta millium aureorum perſolueret.

Cap. 22. Carolus Siciliæ Rex.

Dominicanis & Franciſcanis datur libertas apud infideles prædicandi.

Obijt autem piiſſimus rex Ludouicus viceſimaquinta Auguſti, & tum in vita, tum poſt obitum multis claruit miraculis. A Bonifacio Pontifice, eius nominis octauo, in ſanctos relatus eſt. Robertus Gaguinus libro ſeptimo de geſtis Francorum teſtis eſt, in archiuis Caroli quinti Regis Gallorum, repertam eſſe chartulam præceptorum, quæ hic ſanctus Rex filio ſuo primogenito, dum Tunetum obſideret, dictauit & ſcripſit: eamque ex Caroli theſauro receptam, Girardum de Montaguto regium ſcribam, Carolo exhibuiſſe anno ſalutis milleſimo trecenteſimo ſexageſimoquarto. Ea præcepta & inſtitutiones habentur etiam in manuſcriptis codicibus, vndè nos ea ſtylo mutato deſcripſimus.

Cap. 23.

S. Ludouicus rex, catalogo ſanctorum inſcribitur.

Inſtitutiones ſanctiſſimæ, Philippo primogenito filio à S. Ludouico Rege ſub mortem propoſitæ

Charitas. FIlli mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, vt diligas Deum. nemo enim poteſt eſſe ſaluus, nisi Deum amet.

Odium peccati. Caue, nè vnquàm admittas peccatum mortiferum: ſed omnia potiùs ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam.

Patientia. Cùm aduerſa accidunt, feras æquo animo, & cogites te commeruiſſe: atque ità lucrum tibi indè accedet.

Humilitas. Cùm rebus proſperis frueris, humiliter agas gratias Deo, nè indè animo elatus, efficiaris deterior, vndè te oportuit fieri meliorem.

Confeſſio. Crebrò confitearis peccata tua. deligasque tibi ſapientes confeſſarios, qui te poſſint inſtituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ità te compares, vt audeant ſyncerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

Precandi ſtudium. Officium diuinum deuotè auſcultes: faceſſant ibi fabulæ & nugæ, nec oculi huc atque illuc circunferantur: ſed ores Deum ore, & etiam meditando corde, idque præcipuè ſub ſacrificio poſt peractam conſecrationem.

Miſericordia. Animo ſis pio & humano erga pauperes & calamitoſos homines, illisque pro viribus opituleris.

Si quid angat animum, id mox explices confeſſario tuo, aut alicui viro bono: ità fiet, vt facilius id feras.

Qui adſciſcẽdi, itémque vitãdi. Da operam, vt quorum vteris conſuetudine & familiaritate, ij ſint homines probi & integri, ſiue religioſi illi ſint, ſiue ſeculares, & cum illis libenter miſce colloquia: porrò nequam & improborum virorum commercia deuita.

Sermones,

Sermones, qui fiunt de Deo, publicè & priuatim lubens audias, preces quoquè & condonationes ſiue indulgentias ſtudioſè expetas. Conciones. Indulgẽtiæ.

Amato bonum, odito malum omne.

Vbicunque fueris, nemo auſus ſit quicquam eiuſmodi te præſente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget: nec tu vnquàm de vllo malè loquaris obtrectandi animo. Obtrectationes cauendæ.

Non patiaris quenquam, te audiente, peruersè de Deo aut ſanctis eius loqui, nec id ſinas impune abire.

Crebrò gratias agas Deo pro bonis omnibus ab illo tibi collatis, vt dignus ſias potioribus eius beneficijs affici & augeri. Gratitudo.

In adminiſtranda iuſtitia ſis rectus & ſeuerus, & ità vt leges præſcribunt, eam exerceas erga ſubditos, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflectens: pauperumque querimonias non reijcias, donèc veritas innoteſcat. Iuſtitia.

Si quis habeat aduersùm te querelam aut controuerſiam, ſemper ab illo ſtes contra teipſum, donèc rem certam comperias. Ità enim fiet, vt conſiliarij tui fidentiùs iuſtam ferant ſententiam.

Si quid poſſideas rei alienæ, etiamſi id acceperis à maioribus tuis, incunctanter reſtituas iuſto poſſeſſori, vbi certò id tibi conſtiterit. Sin autem dubia res eſt, cura vt viri ſapientes accuratè & ſine mora inquirant. Id enim vel maximè ſtudere debes, vt qui ſunt in ditione tua, pace & iuſtitia fruantur, inprimis homines religioſi, & qui in Clero ſunt. Reſtitutio.

Parentibus tuis debes amorem, reuerentiam & obedientiam. Beneficia Eccleſiaſtica non conferas nisi benè dignis, & qui nulla eiuſmodi beneficia habeant, idque ex conſilio bonorum virorum. Eccleſiaſtica beneficia dignis conferenda.

Bellum, præſertim aduersùs quemlibet Chriſtianum, ſine multo conſilio vide nè ſuſcipias. Si neceſſitas cogat ſuſcipere, eccleſias & inſontes nullo patiaris damno affici. Pax.

Si qua exiſtat vel tibi, vel ſubditis tuis contentio, vel bellum, quoàd poteris, componere & ſedare coneris.

Vide vt bonos habeas prætores & magiſtratus, & de illis ſolerter inquiras, vti ſe gerant.

Semper ſis addictus & deuotus Romanæ Eccleſiæ, & eius Pontifici haud ſecùs, atquè ſpirituali patri, te morigerum præbeas. Reuerentia erga Rom. Pontificẽ.

Da operam, vt impenſæ tuæ, moderatæ ſint, & rationi conſentaneæ.

Sub finem hortor & adiuro te fili mi, ſi me contigerit ante te migrare ex hac vita, vt toto regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deo preces & Miſſæ ſacrificia.

Ad extremum, fili chariſſime, quicquid boni poteſt bonus & pius parens precari filio ſuo, id ego precor tibi. Sacroſancta Trinitas & ſancti omnes ſeruent te ab omni malo, præſtetque tibi Deus gratiam rectè ſemper agendi, & ipſius faciendi voluntatem, ità vt ille per te honoretur, & nos poſſimus poſt hanc vitam pariter eſſe cum illo, eumque contemplari & laudare per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

VITA SANCTI ALEXANDRI MARTYRIS, PER ADONEM ARCHIEPISCOPVM TREVIRENSEM *collecta.*

APVD vrbem Italiæ, quæ Bergomum dicitur, natale ſancti Alexandri martyris ſub Maximiano Cæſare. Qui cùm eſſet miles vnus è legione Thebæorum, Chriſtianus factus eſt. Audiens hoc Maximianus poſt dies quindecim, mittens accerſiuit eum, dicens ei: Pro nulla re alia vocaui te, nisi vt ſacrifices. Comperi enim te derelinquentem deos noſtros Chriſtianum eſſe factum. Et hoc dicens, petijt ſibi menſam. Eaque appoſita & linteamine cooperta, cœpit agere cum beato Alexandro, vt ſacrificaret. Sanctus Alexander ad cælum adſpiciens, dixit: Atque vtinàm tantam mihi Deus gratiam daret, qui cuncta per Ieſum Chriſtum poſtulantibus præſtat, vt poſſem & tuam voluntatem ad Dei agnitionem conuertere, & vaniſſimam iſtam incredulitatem à te auertere. Sed tu quidem inſana-

Auguſti 25. Alexander iſte vnus fuit ex numero Thebæorum.

Apponitur ei menſa, ad ſacrificãdũ aptata.

insanabile habes malum,& vetustate huic vanitati adhærens credere non vis: Me autem vocauit ille,qui ex gentibus ad suam gratiam olim vocare promisit. Parce consilijs tuis diabolicis,plange & cognosce actus tuos malos,& crede in Deum viuum qui fecit omnia. Tunc Maximianus ad tãtam eius fidutiam commotus,iussit adstantibus, vt de appositio sacrificio inuito ei offerrent, applicitis armatis econtrà. At ille beatissimus confundens regiam iniquitatem,& eius præcepta fide armatus contemnens,calce mensam percussit,euertens eam cum omnibus appositis. Iracundia repletus Maximianus,iussit eum tradi vni ex ministris, qui euaginato gladio, stetit stupidus, ferire non valẽs. Cui Maximianus: Adhuc stas male miles? At ille respondit: Caput eius sicut mons est ante me, vndè totus contremisco. Tunc Maximianus tradidit eum alijs, vt occideretur. Gaudio itaque repletus martyr, aquam petijt, & manus suas lauit: flectensque genua,& cernicem in terra humilians,oratione fusa ad Dominum, animad uersus est. Post aliquot dies quædam matrona castissima,nomine Grata,collegit corpus eius,& posuit illud in prædiolo suo non longè à muro ciuitatis Pergamensis. Cuius passio completa est, septimo Calend. Septembris.

Calce mensam percutiens euertit.

Stupendum miraculum.

Capitis abscisione punitur.

MARTYRIVM SS. GEORGII DIACONI, AVRELII, FELICIS, NATALIAE ET LILIOSAE AB EVlogio quodam eorum contemporaneo, &, vt equidem sentio, presbytero & martyre,non dubia fide conscriptum. nos numerum capitum ad marginem adiecimus.

Augusti 27. Cap. 1. S. Aurelius ex matre Christiana natus. Extra ecclesiã non est salus.

IVIT iuuenis quidam sub Rege Abdirama apud Cordubam Hispaniæ ciuitatem, natalibus & rebus plurimos antecellens. Is in infantia matre Christiana & patre gentili orbatus,tutela amitæ suæ fidelissimæ vsq; in adolescentiæ annos fouebatur, docebaturque Christum verè credere Deum,nec nisi in Ecclesia salutis viam & iter regni cælestis posse reperiri. Quam doctrinam venerabilis puer à puero imbibens,licèt Arabica demùm erudiendus literatura, studijs affinium traderetur, tamen affixam cælitùs animo fidei sanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta mutare potuêre: sed corde semper Christianismum retentans, cùm ad solam irrisionem meditationi perituraru insisteret literarum, eo ampliùs in amorem Christianæ fidei exardescebat, quo liquidiùs deliramenta peruersi dogmatis probans,subtilem dæmonum fallaciam aduertebat. Et cùm non posset publicè fidei suę cultum exercere,at tamen vbiquè Dei sacerdotibus sese commendans, pro se ardentiùs orari poscebat.

Cap. 2.

Intereà strenuus adolescens factus,cogitur adhortatione propinquorum,congruum suæ nobilitati connubiũ apperere. Itaque crebris precibus cæleste numen orans, petebat vt talis ipsi coniunx daretur, quæ secretum ipsius tegere nõsset, faueretque mente & corpore cultori latenti. Hac igitur contemplatione tandèm reperit sibi honesto germine virginem,moribus comptam,rebus locupletem: quæ cùm præcipuo venustatis habitu extrinsecùs decoraretur, præstantiùs tamen intrinsecùs spiritali enitebat decore. Erat illa parentibus paganis progenita, & adhuc cunabulis incubans, patre orbata est. Eius autem genitrix alteri viro nupsit,qui fidem Christi occultè retinebat: isque coniugis errorem corrigens,priuignam Christo assignare studuit, eamque ex sacro baptismate Nataliam appellauit. Etsì autem publicè admiscerentur paganis,gestabat tamen vterque firmiori deincèps animo religionem. Hanc ergò puellam memoratus iuuenis sibi coniugem assciuit, completis sponsalium titulis: sicque pari consortio per aliquod tempus fidem Christi clàm venerabantur.

Aurelius ducit vxorem Nataliam.

Cap. 3. Felix & Liliosa

Fuit quoquè & ipsi proximus genere vir quidam, nomine Felix, idemque sancta dilectione connexus. Et is quoquè filiam occultè Christianorum, Liliosam nomine, ducens vxorem,vnà cum illa Christum in abditis colebat. Itaque mutuò sibi cohærentes,constantem inter se conseruabant familiaritatem & beneuolentiam,& nec prosperis,nec aduersis à se inuicèm separabantur,eratque illis idem animus, eademque sententia. Denique sanctæ huius deuotionis ardor tantam vtrique fratri,putà Aurelio & Felici,charitatis perfectionem attulit, vt nec vita, nec mors diuideret, quos par

par religio consociârat. Non plurimis autem exactis annis, ad forum Aurelius profectus est eo die,quo Iohannes ille, cuius mentionem recolo me alibì habuisse, odio Christiani nominis vsque ad necem verberibus fuit cruentatus,& instàr fœminæ sedere compulsus asello,immenso vinculorum pondere coarctatus ferebatur: cuius ponderis tanta erat immanitas,vt in partẽ illam iumenti instratum inclinaretur, ad quam vis onerosa crurum dependebat. Atque ità præcedentibus illusorum præconibus,per totam circunductus vrbem,tandèm satellitum ministerio ad spectaculum vulgi pertractus est. Poteras tunc audire hincindè voces exprobrantium, atque insultando dicentium: Nequaquàm dignam sui sceleris pœnam persoluit hic homo,qui gentis nostræ vatem improba subsannatione non est veritus impetere. Hunc enim pseudopropheta,cuius causa videbantur zelo accensi, Ismaëlitarum gens solum in veneratione habet,tanquàm per eum salutis didicerit viam.

Martyrium Iohannis cuiusdam.

Mahomẽtem dicit.

Hoc ergò spectaculo futurus athleta,amore compunctus martyrij, & cælesti quodammodò flamine adspiratus,credidit mox sua causa id contigisse,tanquàm diuinitùs indè admoneretur, nè formidaret eos, qui corpus occidũt,cùm nihil detrimenti animabus possint afferre: sed illũ potiùs timeret,qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Admirans verò stabilitatem & constantiam tantæ fidei: Verè,inquit,super Euangelicam petram tabernaculum credulitatis viri huius fundatum est,quod tanta vis tormentorum non impulit,nec labentium pœnarum aura concussit. Hæc cùm inter crebra suspiria cœpisset animo ruminare,regressus domum,retulit piæ sodali cuncta,quæ viderat,lætoque spiritu addidit: Tu semper dulcissima coniunx, cùm ego mihimet viuerem,& Deo mortuus essem,sedulò me tuo hortatu ad meliora inuitabas: instabas tota die, à seculi voluptatibus me nitens auellere, vt præferrem tenebrosis huius mundi affectibus felicitatem regni æterni. Labentia cuncta, & omne quod fine arctatur,cum omni festinatione suadebas vt despicerem: prædicabas monachos mundo renunciantes: religiosarumq; virginum conuersatione oblectata, vitam sæpiùs suspirabas sanctorum. Sed ego hæc audiens,differebam operibus exequi, licèt aliquandò ea tenuiter animo meditarer. Nunc verò tempus est, charissima, vt assentiar omnibus quæ laudabas. Quamobrèm primò omniũ munditiæ castitati studentes, vacemus orationi,quò facilius ad reliqua sanctitatis opera properemus. Fiat dehinc soror, quæ hactenùs coniunx fuit: & spreta conglutinatione corporum cœnosa, nouerit mens præstantior,spreto carnis oblectamento, perpetuæ incolumitatis producere germina,si quo modo digni reddamur martyrij præmio.

S. Aurelius viso spectaculo agonis prædicti Iohannis, animatur ad pœnitentiã & martyriũ

Is posteà cũ sua coniuge viuit continenter & sine concubitu.

Cap. 4.

Matt. 10.

Suscipit lætantibus animis venerabilis mulier pium viri consilium, gaudensque multis modis in tam subita insperatæ salutis oblatione: Hæc sunt,inquit, quæ semper optabam audire,videlicet vt carne morientes, viuamus spiritu, vnum pariter effecti cum illo,sicut scriptum est: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Quamobrèm mi domine,quia hoc tibi non humanitùs inspiratum creditur,absoluamus nos cunctis facinorũ vinculis,& studeamus desiderio vitę perennis. Fit proindè vtrorunque communis in Dei seruitutem assensus. Diuiduntur concubitu, votis iungitur Angelicis. Fulgent tori fulcra operimentorum colorumque varietate, quò suam conuersationem vulgo celent: sed in interioribus alterius cubiculi,extructis è crudis lateribus toris,ac hispidis tantùm adiectis è cilicio instratis, separatìm cubant. Quod diuortium sancti propositi, diuino est tali decoratum miraculo: Quadam nocte cùm in huiusmodi stratis membra quieti dedissent, iam noctis medio eccè subitò videt venerabilis mulier agmen candidatorum,patentibus foribus, in domum suã ingredi. Quæ turba cælestis dum pauimentum linteis niueo candore micantibus sternit, sole clarior simul inducitur splendor. Dehinc post paululũ subsecutus iuuenis,incomparabili nitore redimitus,quẽ nemo sine multo terrore humanis oculis intueri posset, accessit ad torum nobilis Aurelij: muniensque illum signo Crucis vndiquè, dixit ibì quædam solennia verba,quę illa professa est præ nimio metu se intelligere nequiuisse. Posteà verò ad Nataliæ stratum accedens,celebrauit eadem,pariterque cum ipso splendore recessit. Nos quidem,iuuenis tanto stipatus obsequio, quis fuerit, lectoris arbitrio censendum relinquimus: non tamen absurdè ille, qui in suo sancto Euangelio promittit, vbì duo vel tres congregati sint in nomine ipsius, ibì se fore in medio eorum: suos milites, ad tantum agonem destinatos, visitâsse intelligitur. Si quis autẽ, quod minimè credimus, hoc fabulosum autumauerit,sciat testem esse conditorem omnium & arbitrum, ità me ab illis accepisse,qui se illam hæc eadem sæpè audisse narrantem dicebant.

Nota lectio-lorum aspe-ritatem.

Visio S. Nataliæ.

Matt. 18.

Cap.6. Alia eius visio.

Testabatur etiam eadẽ Christi electa, quia viderit nupèr domum penetrari eãdem à turba monachorũ, dicentium: Eccè venit Domina, Eccè venit Domina. Cumque hæc loquerentur, ilicò successisse quandam virginem, inæstimabili specie cultuque vestium nimis vernantem: quæ confestim adiens virum ipsius, arrisit ei, hincque recessit.

S. Dei genitrix amatrix castitatis. Exercitia Aurelij & Nataliæ.

Hanc fatebatur genitricẽ Domini nostri Iesu Christi fuisse, quæ semper castitatis amatrix, cunctos huius gratiæ sectatores adiuuando circuit, fouet, ac blandè amplectitur. Igitur his tam magnis rebus animati, non elationis permoti sunt stimulo, sed magis ac magis in dies in Dei seruitio feruebant, ieiunabãt sæpè, orationi insistebant ex animo: & quęcunque poterant ex scripturis diuinis discere audiẽdo, interiecto vigiliarum labore, ea meditabantur. Credebant enim posse se dęmoniorum fraudem talibus euincere studijs. Gerebant nihilominùs curam pauperum, & visitabant omni studio loca sanctorum. Et quoniam iussio Regis egerat, vt post venerabilem beati Isaac necem, vel aliorum sanctorum, nonnulli ex presbyteris & diaconibus Ecclesiæ, carceri, in quo prędictus erat Iohannes, manciparentur, tanquàm ipsi excitâssent eos ad martyrium: aderant illi frequenti discursu circa compeditos, ministrantes eis, prout poterant, de suis. Detinebantur quoquè his vinculis, quanquàm in alia parte separatim, duæ virgines, Maria scilicet & Flora, quarum vltima diris nupèr fuerat flagris pro Christo cruciata. Ibì etiam, cùm ego peccator Eulogius vnà cum alijs ex interiori iam eductus carcere residerem, non solùm ipsum sæpè nominatum virum Aurelium agnoui: sed &, fauente Deo, eius merui amicitiam obtinere.

Maria & Flora. Hic habes nomen authoris, qui posteà pro Christo occisus est.

Cap.7.

Intereà cœpit deprecari se instituì à nobis, quid ageret illis diuitiarum copijs, quibus multùm abundabat: num protinùs eas fisco inferendas relinqueret, & nihil de ijs ipse ordinaret. De filiabus etiam in ætate adhuc parua positis, quas vtiquè post suum & coniugis discessum profano tradendas ritui altiùs dolebat. Cui cùm omnia intuitu regni cælestis & causa retributionis æternæ non solùm relinquenda, verumetiam fugienda esse potissimùm respondissem, confestim subiunxi: At si prouida * facultas suppetit, qua hæc omnia, magistra discretione intercedente, ordinentur: vtilius primùm iudico, sobolem ad tutiorem transponi locũ, vbì Christo liberiùs assignetur: res quoquè iuxta mandatum Domini venditas erogare, quò expeditior vobis pateat deinceps post Christũ ingressus. Sic enim ipsa veritas scisciranti se iuueni, quemadmodùm vitam æternam possideret, respondit: Si vis perfectus esse, vade: vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælis. Sed etsì pars aliqua in subsidium relinquatur infantum, culpabile esse non poterit: quod multa Patrum insinuant documenta. Ideoque si ad hanc dispensationem potestis attingere, optima res & perfectum opus erit, quod vos expensis omnibus expeditos, securiùs ad cæli militiam faciat properare. Non enim cunctandum est spernere patrimonium, quod multo melius & latius in cælum, quò vos nitimini, proficisci constat. Nec filiarum affectus societati sanctorum præponendus, cùm & illas tueri possit in hoc seculo, cui prouida de omnibus cura est. Et reuerà non omnes paruuli fouentur parentum industria, nec educantur cuncti eorum labore. Nam etsì eorum solertia nonnunquàm benè enutriuntur, solet tamen euenire, vt suo posteà deprauentur vitio, ponentes lucem tenebras, & dulce in amarum. Quapropter committite filias vestras diuinæ tantùm misericordiæ, vt votum vestrum nullius obligationis vinculo retentum, ea iuuante, consummare possitis.

* facilitas Instruit Aureliũ S. Eulogius.

Matt.19.

Vt sequamur Christum, non sunt curandi liberi.

Cap.8.

Igitur cùm nos, quandiù illa horribilium claustra carcerum habuêre, non desisteret visitare, frequentiùs tamen prudentissima eius coniunx locum illum, quo sanctissimæ virgines Flora & Maria detinebantur, non solùm die, verùm & noctù, quasì vna è compeditis, incoluit: vtì consolaretur eas, nè deficerent in pressuris, vel se affectui commẽdaret certantium. Instabat siquidem precibus, & laborabat obsecrationibus, vt memores essent sui viri & ipsius, si quo modo mererentur ad palmam martyrij pertingere. Dant ad hæc fidutiam præstandi beneficium sanctæ virgines, quæ suas nouerant in nullo repulsam pati post victoriam preces: nec poterant suæ comparticipi quicquam negare, quæ se non dubitabant præstantiùs audiri post adeptum sponsi consortium. Cùm ergò peruenissent intrà brẽue spatium ad id, quod optabant, consummato agonis cursu per pœnam gladij, apparuerunt eidem Natalię quadam nocte in somnis, niueis amictæ indumentis, velut in medio candidatorum, in circuitu residentium. Hi videbantur phialas in manibus, & quorundam florũ manipulos vnà cum ipsis Deo dicatis virginibus tenere. Quas cùm illa, vt arbitrabatur dignum, humilima supplicatione ad sedendum vellet inuitare, nec auderet, territa maiestate cælicorum: vix tenui allocutione tandèm aggreditur eas, dicens: Quam fidutiam, ó sacratissimæ virgines, me iubetis habere in his, quæ mihi nupèr non estis dedignatæ polliceri, dum detineremini adhuc intrà carceris claustrum? & si vtorum meorum commodis potitura sim, gratissimis, si placet, explicate responsis, nè vires mei conatûs vano consumantur labore, dum aliud intentio quærit, & aliud merita expectant. Cùm enim Deus plùs meritis, quàm precibus faueat, vereor nè meorum repellantur congestà precaminum, quam non iuuat dignitas meritorum. Quapropter dominæ meæ, sponsæ Christi, si deincèps sustinendi præmium sponsionis vestræ spes nobis fida subsistit, enarrare studete, quò promptiùs ego & vir meus ad superna tendamus, ac validiùs in certamen roboremur. Tunc eam sanctæ virgines alloquijs, cælestium diffusione gratiarum prædítis, demulcentes: Commoda, inquiunt, vestri laboris in æthere repositâ, tempore necessario vobis metenda seruantur: nec labatur eorum merces in certamine, quia faciet insupèr athletas inuictissimos ire ad regnum. Deniquè martyrium vobis à constitutione mundi diuinitùs præscitum & prædestinatum cognoscite: quod solito felicioribus insistentes sanctitatum studijs, post paululùm vos congruit implere. Qua in re libamina sacerdotum laboribus vestris adsciscite, suffragia implorate sanctorum, vbiquè vos precibus seruientium Christo committite, votiuo veneranda Dei sanctuaria discursu incolite, & omnium religiosorum expetite obsecrationes. Quanùs enim ea, quæ diximus, quandoquè vobis euentura sint præmia, per hæc tamen velutì quibusdam gradibus innitendo, vos tantæ celsitudinis arcem faciliùs contingetis. Nostrum autem sermonem certum esse huiuscemodi indicio testamur, quòd instante die certaminis vestri, cœnobita quidam, conseruus noster, à Domino directus aderit, qui vobiscum assequi palmam martyrij cælitùs ordinatus est.

SS. Flora & Maria virgines cędũtur gladio. Apparent S. Nataliæ.

Libamina sacerdotũ, dicit Missarum sacrificia.

Iste cœnobita est S. Georgius.

Post hæc cùm visio oculis est intuentis subducta, vehementiùs tantæ rei miraculo concutitur, & mox hilarior à somno exurgens, auget opera sanctitatis, fragilemque sexum fortem ad pugnam erigit, ac superno munere vires ad certandum corroborat. Hinc iam spe certiori animata, virum informans, omninò eum, vt terrenis exuatur actibus, edocet, sciens eos, qui à principio mundi cælestibus essent dedicati militijs, continuò post victoriam cælicolis admisceri. Atque ità magìs magisque, redemptore & sanctis omnibus fruendi, ignito feruescentes desiderio, natorumque negligentes affectum, spernebant quicquid mundi peritura specie continetur. Omnia distrahunt, vendunt quicquid adhuc supererat, quò liberiores Christum sequerentur. Ex eo autem precio quippiam filiabus relinquẽtes, cætera omnia visibus applicant egenorum.

Cap.9.

Aurelius & Natalia pręclarè se pręparant ad martyriũ.

Visitabant quoquè virorum ac fœminarum monasteria, sed præcipuè Tabenense cœnobium, quod famosissimum in illis habebatur locis. Erat enim vtrique sexui aptum, virorum scilicet ac mulierum. Ibì etiam Natalia frequenter cum ancillis Dei morabatur, quærens ab eis discere totius sancti timoris religionem. Nam & geminum filiarum pignus ipsa & maritus sub earum tutela decreuerant constituere: quarum prior Felicitas, annorum (vt dicebatur) octo, sequens Maria, quinquennis esse credebatur. E quibus ego post necem parentum minorem reperiens, vix tenerrimo ore ab ea rogatus sum, vt parentum gesta vel passionem scribere non differrem. Cumque, quid pro hoc ab ea beneficij deberem præstolari, exquirerem: Impetrabo, inquit, tibi pater, à Domino paradisum.

Tabenense cœnobium virorum ac fœminarũ.

Cap.10.

Parentum meritis, benedicuntur liberi.

Hæc autem interseruì, vt ostenderem merito parentum illuminari sæpè à Domino proles. Mirum quippè poterat videri, hæc illam proloqui ætatem. Sed vt ad proposita redeam, referendum est, quomodò iam dicti Dei homines cælestibus intenti vigilijs ac orationibus, frequenter superno lumine in cubiculo, in quo ista meditabantur, perfusi sint, adeò vt illapsum iubar æthereum, omnem præsentis speciem luminis obscuraret, perindè acsì nihil in se splendoris haberet. Quamobrèm amore & suauitate eius lucis ad superna subleuati, aiebant se non sine graui molestia corporeum onus ferre, quod se scirent pro Christo deponere debere. Non post multos autem dies, antequàm ad passionis certamen vocarentur, accidit vt sola Natalia domì residens, Christum, quibus posset suspirijs, obsecraret. Et eccè subitò adstare sibi miræ pulchritudinis cernit virginem, Angelico decore venerabilem, primæ, vt videbatur, florem adolescentiæ ferentem. Cui cùm illa diceret, Tu quæ es, filia? &, si è vicino accedis, causas tui aduentûs edissere: protinùs spectabilis virgo: Filia, inquit, sum amici tui Monteſi, quam tu mundi huius ærumnis olìm scis

Visio S. Nataliæ.

exemptam, quamque tu eadem hora, qua ſupremis laborabam angoribus, priuſquàm propiùs viſitares, reperiſti exanimem : & licèt te in ſeculo degens minimè nouerim, ipſo tamen obitûs mei momento, quæ eſſes, Domino reuelante, cognoui. Et nunc, eo mittente, præuia nunciatrix palmæ tuæ acceſſi. Inſtat nanque iam vobis tempus exequendæ victoriæ: adſunt dies publicè profitendi fidem Catholicam, hoſtemque expugnandi teterrimum. Quo victo, cælorum vos aula coronandos aſſumet, perpetua deincèps gloria potituros. His itaque dictis, agnoſcit ilicò rem hanc ità, vt dixit puella, à ſe olim geſtam, nec aliter ſe habere, quàm illa eſſet proſecuta. Vndè & de reliquis dictis certior effecta, cùm ei vellet grates, prout ſibi dignum videbatur, exóluere, elabitur è conſpectu ipſius illa virginalis ſpecies ætherei nuncij & index venturi certaminis. Fit prorsùs venerabilis mulier tali oraculo læta, & tanto ſpe firmiori ad prælium excitatur, quanto patratæ actionis veritate cernitur informari.

Cap.11. Verùm vt attentiùs ſcopum deſtinationis ſuæ intenderet vterque, eſſentque non dubij de mercede repoſita, iuxta ſanctarum ſuperiùs memoratarum virginum edictum, octo diebus antè, quàm compræhenderentur, promiſſus ille cœnobita contubernalis eorum aſſciſcitur, & inſeparabiliter illis quodammodò alligatur, vt felici martyrio ſub vno die pariter coronarentur. Debet autem hîc interſeri eiuſdem monachi hiſtoria: & quia vehementi admiratione ætatem noſtram eius cauſa concuſſit, ſucceſſuris quoquè generationibus relegenda mandetur, vt ex eo Catholicorum religio & pietas incremento fidei augeatur, in quo ſui redemptoris oraculum ſpeciali quodammodò veritate cernit eſſe impletum. Prædixerat quippè magiſter noſter & Matt.8. Dominus, quòd multi ab Oriente & Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cælorum. Quod teſtimonium certis contuemur indicijs in ipſo monacho & Leuita Georgio omninò perfectum : cui tellus Bethleemitica ortum, & incolatum peregrina Hiſpaniæ rura contulerunt. Hic, inquam, vir ab adoleſcentia ſua ſeruitutem Dei amplectens, viginti & ſeptem annis apud monaſterium ſancti Sabæ, quod ab Hieroſolymis in partem Auſtralem octo millibus diſpalatur, ſub regulari magiſterio conuerſatus eſt. Qui à venerabili Dauid Abbate eiuſdem cœnobij ob ſtipendium monachorum ad Aphriçam directus, nullo modo tot interiacentium terrarum & marium diſtulit ſubire diſcrimina, quibus vtiquè incunctanter ſe fructum ſummæ virtutis, id eſt, obedientiæ, nouerat promereri. Sed cùm ibidèm vapulare Dei Eccleſiam incurſatione tyrannorum reperiſſet, atque ibidèm minimè ſe in ijs, pro quibus venerat, fratrum neceſſitatibus proficere cerneret, indè cum conſilio & hortatione Carthaginenſis Epiſcopi in Hiſpaniam proficiſcitur. Erat enim, vt de eo certiſſimè ſcitur, ſummæ humilitatis, magnæque abſtinentiæ vir. Apparebat iucundus admodùm & hilaris cum modeſtia. In omni autem colloquio illius, timor Domini reſonabat, adeò vt os eius ſemper de corde puro charitatem exhauriens, fauum dilectionis promere videretur. Cum vitijs verò & concupiſcentijs mortificare iuuabat membra, vt in aduentu Domini rediuiuo animatus vigore, glorioſior cum ipſo apparéret. Et cùm hæc ſtudioſè videretur agere, nimiùm recuſabat videri iuſtus, vel dici. Reuerà à die, quo monaſterium petijt, vſque ad finem vitæ ſuæ, vt ipſe quibuſdam ſecretiùs retulit, nec eſt vſus balneis, neque aqua perfuſus. Veſtes autem, quibus vtebatur, erant viliſſimæ, vt vix duplici poſſent nummi æſtimatione penſari. Edebat ſanè ità parcè, vt magis abſtinentem iudicares, quàm comedentem. Nec purum vllatenùs vini calicem, ſed infuſam mero aquam, pro more habebat bibere. Inſipidus nanque guſtus nec bibere nimiùm, nec inebriari conuiuam ſinebat.

Hiſtoria S. Georgij monachi & martyris.

Eius ſermones.

Carnis mortificatio.

Veſtes.

Abſtinẽtia.

Cap.12. Preces & Vigiliæ. Pſal.33. Feſtinabat ſedulè diuinam exorare clementiam, & vigilabat attentiùs: habebatque illum Pſalmographi verſiculum in vſu decantare, ſi vel ad modicum daretur ei quies: Benedicam Dominum in omni tempore : ſemper laus eius in ore meo. Cordis verò compunctionem ex amore cæleſtis deſiderij cenſebat eſſe maximè requirendam. Sed quid opùs eſt iſta in longũ proſequi, & quaſi quiddam virtutis homini Dei inculto ſermone adhibere, præſertim cùm qualis & quantus extiterit, ipſe effuſus propter iuſtitiam eius cruor inſinuet? Et quæ potiùs laus militem Dei valet extollere, quàm vt pro Chriſto non timeat mori, ſicut ille non dedignatus eſt ferre mortem pro ipſo? Vndè & Pſalmiſta cùm dixiſſet, Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? protinùs ſubiunxit : Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Ergò beatus vir quomodò ad celſitudinẽ huius calicis propinquauerit, meliùs ipſius, quàm noſtro,

Pſal.115.

noſtro, credimus eloquio explicandum. Sed æſtimo primùm breuiter inſerendũ, quod tacitè in ſuis dictis præterijſſe videtur. Nam ante vnius ſeptimanæ euolutionẽ, non ſolùm adeſſe ſibi mortẽ pro Chriſto, verumetiam, quibus eſſet in eadẽ conſociãdus, prædixit. Sed & quandiù nobiſcum conuerſatus eſt, nulli omninò ſui ordinis dignitatem reuelauit, niſi cùm iam detineretur carcere. Tunc etenim profeſſus eſt ſe Diaconũ eſſe. Ibi etiam ſui itineris prolixitatem, necnon & martyrij oſtenſionẽ ſibi reuelatam, prout potuit, ſcribere curauit, ac fratribus ſuis cognoſcendam direxit. Erat autem peritus Græcæ linguæ & Arabicæ, qua Iſmaëlitæ vtuntur : Latinam verò non ſatis valebat exprimere : mâluit tamen eaipſa iuxta hunc modum in ſubiecto vti ſermone :

Claret ſpiritu prophetico.

Cap.13. Epiſtola eius. In nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti. Glorioſis patribus ac fratribus congregationis ſancti Sabę, quingentorũ numero virorum, Georgius peccator, necnon monachus & Diaconus, perpetuam in Domino Ieſu Chriſto ſalutem. Cognoſcite, ô venerabiles, introitum meũ in Hiſpaniam non fuiſſe alium, niſi gratia ſtipendij veſtri, qui ſub arctiſſima regula & regimine ſancti patris noſtri Dauid Hieroſolymæ degitis. A quo ad Aphricam miſſus deincèps ad Hiſpaniam commigraui. Sed hancipſam regionem nimìs afflictam reperiens, cœpi cogitationibus varijs æſtuare, ſi aut propriũ ſolum reuiſerem, aut regnũ Chriſtianorũ, id eſt, Francià appeterem. Et cùm chariſſimos quoſdam amicos ſuper hac re conſulerem, nonnulli peragrare me eam iubebant: plerique ad cœnobiũ reuerti inuitabant. Hinc velut ebrius, diuerſo præpeditus tractatu, cui me primùm cogitationi ſubmitterẽ, neſciebam. Sed tandèm deliberans, quòd ad patriam potiùs redire deberem, perrexi de Corduba ad Tabenenſe cœnobium, quatenùs fratrum & ſanctarum ſororum ibidèm degentiũ benedictio iter meũ potuiſſet comitari. Vbi Abbas loci illius, vocabulo Martinus, eiuſq; ſoror Deo dicata Elizabeth, dixerunt mihi : Veni frater, & accipe etiam benedictionem itineri tuo ancillæ Dei Nataliæ. Quę mox vt me intuita eſt, Promiſſus, inquit, noſter comes & collega hic monachus eſt. Ego verò agnita eius cauſa, & ratione penitùs comperta ilicò pedibus eius aduolutus, pro me Dominum eam orare rogaui, ſi fortè ſpiritûs ſancti reſpectu illuſtratus, ad illa, quæ pollicebatur, peruenire meruiſſem. Et illa : Vndè hoc nobis, pater, vt cum peccatoribus pergas? Cumque eadem nocte ibi manſiſſem, apparuit mihi in viſione noctis ipſa venerabilis mulier, neſcio quod genus odoramenti precioſiſſimi accommodans, referebatque : Ditior mihi ab hoc theſaurus eſt. Manè autem facto, deſcendimus ambo in ciuitatem ad virum ſuũ Aurelium. Quem cùm vidiſſem, proſtraui me nihilominùs pedibus eius, petens ab eo, vt oraret etiã ipſe pro me, quatenùs ad promiſſum Dei donum vnà cum ipſis dignus accedere poſſem. Qui vt rogandi votum ſuſcepit, exarſit in me, fateor, vaſtus ignis cæleſtis amoris, ità vt iam deliberatum reuertendi iter obliuiſcerer. Atque extunc omnes pariter in domo Aurelij congregati, reddebamus Domino cum iucunditate vota laudationis. Reperi etiã apud illos B. Felicem cum ſua coniuge Lilioſa : qui & ipſi etiã omnia ſua vendiderant, & per loca ſancta ſeu pauperibus erogauerant, parati omne genus tormentorũ propter filium Dei & dilectionem eius ſuſcipere. Poſteà exiui ab eis, & cauſas, quibus prepediebar, cum omni feſtinatione diſpoſui, & ſic ſecurior ad eos reuerſus ſum. Qui læti & exultantes de reditu meo, gratias Deo retulerunt, dicentes : Scimus, frater chariſſime, quia Dominus miſit te ad nos, vt palmam nobiſcum martyrij dignus exciperes.

Venit in Hiſpaniam S. Georgius Leuita, vt cum Aurelio & ſocijs eius martyrium ſubeat.

Cap.14. Hoc loco abrupta videtur Epiſtola. Matt.10. Prætereà omnes in commune dehinc cogitare cœperunt, quomodò ad deſideratam peruenirent coronam. Vndè, Domino diſpenſante, viſum eſt illis, vt pergerent vxores beatorũ Aurelij & Felicis reuelatis vultibus ad eccleſiam, ſi fortè eos alligandi daretur occaſio. Et hoc, non quaſi immemores præcepti Dominici, qui ait : Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: ſed vt exemplum fierent illis, qui pro fide Chriſti diuerſis erant vinculis mancipati, nè quandò ad martyrij palmam properare timerent. Nam reuertentibus de eccleſia mulieribus, accidit vt quidam exactor malignus eis obuius eſſet : cumque cauſam cultûs agnoſceret, ilicò, ſumpta occaſione, viros earum quaſi neſcius interrogat, quid ſibi vellet talis fœminarũ progreſſus. Qui reſponderunt : Fidelium, vt ſcitur, mos eſt eccleſias viſitare, & atria venerabilium martyrum piæ deuotionis humilitate requirere. Ergò & nos, quia eiuſdem religionis ſumus, profitemur nos ac mulieres noſtras, eodẽ accenſos zelo, ipſius fidei ſanctum geſtare vexillum. Statimq; delator iudicem aggrediens, ei omnem eorũ rationem expoſuit. Interèà vadit dominus Aurelius ad iam dictum monaſterium, filias viſitaturus, ac ſanctorum ibì Deo ſeruientium ſe orationibus commendaturus. Quibus cum pacis

Nota antiquũ morem Chriſtianorum.

oſculo valedicens, cæleſti virtute armatus, ad martyrij prælium cum ſocijs reuertitur.

Cap.15. Igitur cùm prolatam aduersùs ſanctos Dei iudex quęſtionem intenderet, ſciretque authorem eſſe huius rei Aurelium, grauiùs ex hoc interiùs vulneratus, præcepit eos quam properè ſuis conſpectibus præſentari. Tunc milites rapido curſu domum ſancti Aurelij occupantes, in qua omnes ſancti collecti erant, in foribus adhuc clamare cœperunt: Exite miſeri, exite citiùs morituri: quibus eſt vita tædium, & mors pro gloria computatur. En iudex præſtò eſt, paratus iam decretum vltionis in vos effundere. Pergite nunc debitum mortis malæ exoluere, & pendentem commiſſæ præuaricationis ſuſtinere ſententiam. Exin viri cum mulieribus ſuis quaſi ad epulas læti proſiliunt, vt putares eos credere iam apud iudicem ſua inuenire donaria, qui nihil aliud penè poterant habere, quàm tormenta. At ſanctus Georgius, cùm minimè cerneret à lictoribus ſe teneri, ilicò ſuperna fretus fidentia, cum exprobratione proclamat: Quarè moleſtiam hanc fidelibus irrogatis, & vanam ſequi violenter cogitis ſectam, quos ſibi ſancta fides proprios vendicauit? Vt quid alieni à Deo vero, perditioni veſtræ agglomerare nitimini prædeſtinatos ad vitam? An non poteritis vos inferni claustra adire, nisi nos comites habeatis? Nunquid non ſine nobis æterna vos cruciamenta adurent? Vos, vos abite illuc, vbi ſimul cum duce veſtro inferorum delicijs perfruamini. Quid nobis & tartaro, quem Chriſtus Deus noſter illæſus penetrauit, expoliauit, & vicit?

Alacriter prœperant ſancti ad martyrium.

Præclara S. Georgij vox

Cap.16. Vix hunc ſermonem compleuerat, & iam furens dextera ſatellitum in iniuriam monachi laborabat: quem diuerſis laceratum ſtimulis allidentes, calcibus etiam pugnisque acerrimè tutuderunt. Cui cùm ſancta Natalia feruore animi, quo ſemper ardebat, Surge pater, eamus, acclamaret: ille quaſi nihil mali eſſet perpeſſus, ait: Hæc omnia, ſoror, commodis proſunt meritorum, augentque ampliùs, quàm minuant coronam à Domino nobis reſeruatam. Et ità cum ſeminecem à terra leuantes, vnà cum alijs iudici adſtare fecerunt. Quibus oblatis, cùm primò ab eis blando affatu requireret, cuius rei intuitu, à ſuorum inſtitutis recederent, vellentque temporariam felicitatem, multiplici deliciarum flore vernantem, quos vtiquè etiam in futuro, non ſolùm muliebris oblectatio admirabilis, verumetiam dignitatum & ferculorum copia demulcendos expectarent: protinùs quaſi ex vno ore reſpondent: Nulla, ô iudex, temporalis affluentia lucris comparatur æternis: quorum gratia hanc vitam deſpicientes, per fidem Ieſu Chriſti, qua omnis operator bonus iuſtificatur, eandem, quæ in futuro ſanctis promiſſa eſt, requiem nos adepturos confidimus, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Omnem verò cultum, qui à Chriſti pietate diſſentit, nec profitetur ſanctæ Trinitatis eſſentiam, & vnum Deum, vnam fidem, vnum baptiſma, omninò reprobum iudicamus.

Cap.16. S. Georgius dire verberatur.

Sancti martyres præſentantur iudici.

1.Cor.2.

Cap.17. Hæc & multa alia diffuſo ore ſanctis ante iudicem aſſerentibus, ſectamque ipſius fortiter expugnantibus, in furorem maximum concitatus iudex, rapido curſu eos carceri mancipandos inſinuat, & intolerabili vinculorum onere aggrauari iubet. Illi autem vt adiêrunt ergaſtulum carceris, cœperunt orationi cum gaudio inſiſtere, laudes hymnosque virtute, qua poterant, Deo exoluere: quo fauente, credebant ſe maiora perſecutionis argumenta ſuperaturos. Hinc de palma ſecuri manentes, & Chriſtum, cui fideliter ſeruiêrant, cernere ocyùs anhelantes, dilatam vſque in quintum diem mortem, ſeram putabant. Vndè nè viderentur ſpe ſua fruſtrari, oſtenſum eſt vni eorum, quam haberent ſortem in cælis repoſitam. Vila eſt nanque miræ magnitudinis ſcala, cuius altitudo videbatur cælum attingere, dictumque eſt obſtupenti ad illam, quia ipſa eſſet via, qua iurè haberent omnes ſimul tendere ad Chriſtum. Reuelata ſunt etiam eorum nonnullis, vt erant in carcere poſiti, & alia mira, quę ego propter compendium meliùs cenſui non ſcribenda. Itaque cùm debuiſſent produci die adueniente, vt in foro proſternerentur, cœpit beata Natalia ſolitò ſanctum Aurelium ſanctis armare alloquijs. Sicut enim quondàm illa beati Adriani, ità & iſta merito & nomine non diſſimilis, ſuum non ceſſabat virum virtute, qua poterat, inſtruere ac confortare.

Cap.17. Martyres traduntur in carcerē.

Viſio.

Iſta Natalia nō diſſimilis illi quę fuit S. Adriani vxor.

Cap.18. Poſt hæc iuſſum eſt ex præcepto iudicis duci eos in palatium, atque ſiſti in conſpectu conſulum. Qui cœperunt eis primò minas & terrores incutere: deindè opes atque faſces dignitatum polliceri, quibus, ſi eorum cederent conſilijs, fruerentur. Ijs verò inconcuſsè durantibus in ſua confeſſione, lictoribus eos aſſignant perimendos.

San-

Sanctum verò Georgium decernunt ſolummodò abire, pro eo, quòd ipſi optimates & priores palatij nil conuiciorum audiſſent eum proferentem aduersùs vatem ſuũ. Illos enim ſolos cenſent Saraceni interimendos, qui relicta eorum ſecta, vertunt ſe ad Chriſtianam fidem, vel qui blaſphemias iactant aduersùs legiſlatorem ſuum. Sed ille egregius teſtis protinùs vt ſe cõperit derelinqui, nec ſub vno cum ſocijs ictu mucronis perimendum adiudicari: Num, ait, ô Principes, de profeſſione mea, quam coram vobis nondùm protuli, dubitatis? Aut putatis me de magiſtro veſtro diſcipulo, ſatanæ quicquam boni cogitare? Ego enim, vt veriùs agnoſcatis, illum, qui eidem præceptori veſtro, transfigurans ſe in Angelum lucis, apparuit, dæmonem fuiſſe credo, & hunc perfidum cunctis abiectiorem hominibus ſentio, vtpotè diabolo credentem, & Antichriſti miniſtrum, ac vitiorum omnium labyrinthum. Qui non ſolùm ſe in voraginem barathri immerſit, verumetiam & vos pediſſequos ſuos, per inania ſtatuta æternis dedicauit incendijs. Tunc inſania proceres cõcitati, pari cum ſimul cum cæteris ſententia necari præcipiunt. Cùm aurem ducerentur, rursùs bellatrix Dei Natalia cœpit virum ſuum monere & alloqui his verbis: Aequo eſto animo, domine meus, & ſuſtine paululùm, ſciens te mox palma martyrij potiturum, & coronam incorruptibilis vitæ adepturum. Non enim timendum eſt mori pro Chriſto, qui ſuis reuerà prædixit, Qui perdiderit animam ſuam propter ipſum, eum in vitam æternam cuſtodire illam.

Egregia libertas S. Georgij monachi.

Iohan.12.

Hæc verò audientes lictores, commoti ſunt ira, & cœperũt alter alteri dicere: Iſta meretrix & impoſtrix ſuaſit viro ſuo noſtra deſerere inſtituta, & adhuc nõ timet eum nobis præſentibus animare, nè dubitet hanc vitã propter Crucifixũ amittere. Atque ità humi eam proſternentes, auulſerunt capillos capitis eius, pugnis & calcibus immaniter eam cędentes, donèc eò peruenirent, vbi debebat cum ſocijs trucidari. Tum verò primùm beatum Felicem, deinde S. Georgium, pòſt venerabilem Liliosam, atq; ad extremum egregios agoniſtas Aurelium & Nataliam gladio interemerunt. Quorum corpora Chriſtiani noctù furãtes, ac præ nimia infeſtatione malignorum, diuerſa in loca ferentes, ea cum timore & reuerentia in eccleſijs ſepeliêrunt. Beatos verò Georgium & Aurelium condiderunt ſeparatim apud cœnobium, quod dicitur * Pennamellenſis, in oratorio Domini noſtri Saluatoris. Prædixerat quippè idem martyr Chriſti Aurelius, quòd in eum locum eſſet deportandus poſt mortem, atque ibi tumulandus. Nam veniens eò cauſa orationis, tribus ferè diebus antè, quàm comprehenderetur, vna ex ijs Deo ſacratis fœminis, quæ ibidèm erant incluſæ, dixit ad eum: Domine Aureli, eccè habes nunc ad martyrium pergere. Quid ergò mihi dabis? Et ille: Non habeo, inquit, quod poſſim modò donare tibi: dabo tamen poſteà memetipſum, annuente Domino. Factumque eſt, vt ſeculo mortuus, quod promiſerat, iam viuens cum Chriſto, adimpleret: Præſtante ipſo, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

Cap.19. S. Natalia atrociter cæditur.

Martyres capite plectuntur.

Honorificè à Chriſtianis ſepeliuntur.

VITA S. CAESARII EPISCOPI ARELATENSIS, A CYPRIANO QVODAM EIVS DISCIPVLO CONSCRIPTA,

qui ſe teſtatur pleraque ipſius Cæſarij relatione, multa viſu, nonnulla ab eius presbyteris & diaconis didiciſſe. Stylum paſsim nonnihil expoliuit F. Laur. Surius, capitum numero ad marginem adiecto.

PRAEFATIO AVTHORIS AD CAESARIAM *Abbatiſſam & ſororem S. Cæſarij.*

QVia reuerenda nobis virgo Cæſaria, cum choro ſodalium monacharum tibi commiſſo, petis à nobis, vt vitam & conuerſationem beatæ memoriæ S. Cæſarij inſtitutoris veſtri, ab exordio repetentes, literis comprehendamus: per quam illius vita præmio fruitur, cuius beatitudo ſermone mortalium non poteſt explicari: Etsi autem iam olim, ipſo adhuc in terris degente, toto orbe eius vita honorificè fuit diuulgata, nefas tamen eſſe credimus tam ſancto deſiderio non parére: præſertim cùm id monaſterio veſtro, vel eius potiùs, illum abſentem quodammodò poſſit repræſentare: nosque dum de illo loqui-

*MS codex habet, ratione, sed mẽdosè, opinor.

mur, eum non propemodùm videre gratulemur. Deo igitur nos iuuãte, aggredimur implere, quod postulâstis: & multa quidem ipsius domini Cæsarij nobis *relatione comperta, multa à nobisipsis visa, nonnulla etiam venerabilium presbyterorum & diaconorum, eius discipulorum sermone didicimus, præcipuè verò Messiani presbyteri & Stephani diaconi, virorum fidelissimorum, qui ab adolescentia illi seruiêrũt. Commemorabimus autem ea duntaxàt, quæ minùs onerent, & sint à prolixitate aliena. Sed vnum hoc in præsentis opusculi deuotione à lectoribus petimus, vt si casu aliquo simplicitas eloquij nostri ad eruditorum aures & censuram adducatur, nõ arguant, quòd stylus noster videtur pompã verborum & artis Grammaticæ leges negligere. Nobis enim, actus & verba & merita tanti viri, bona fide narrantibus, lux sufficit operum eius & ornamenta virtutum. Nanque etiam ipse dominus Cæsarius, quẽ habemus in manibus, dicere solebat, plerosque rusticitatem sermonis vitare, sed à vitæ & morum vitijs non abhorrere. Meretur verò hoc etiam virginum Christi pura synceritas, vt nihil fucatum, nihil mundana arte compositum, vel oculis eorum offeratur, vel auribus: sed de fonte simplicis veritatis manantia purissimæ relationis verba susc ipiant. Atque eam ob rem noster hic sermo integritatis religione contentus, mundanam fastidit pompam, respuitque cum eius operibus pariter mundanæ gloriæ iactantiam, mâlens ad piscatorum se accommodare eloquia, quàm rhetorum. Itaque det quisque operam, vt viuendo imitari velit, quod legendo cupit cognoscere.

Plerique sermonis rusticitatẽ vitant, sed non vitæ & morũ vitia.

VITAE HISTORIA.

27. Augusti. Cap. 1.

for. *egregia

S. Cæsarius puer dat vestes suas pauperibus.

SANCTVS ac beatissimus Cæsarius, Arelatensis Episcopus, territorij Cabilonẽsis fertur fuisse indigena. Cuius parentes *æqua prosapia, quod est illustre & præcipuum nobilitatis exemplum, præ cunctis ciuibus suis fide & moribus floruerunt. Cumque is sanctus puer septimum, aut eo ampliùs, ætatis ageret annum, ex vestibus, quas apud se habebat, incũctanter pauperibus impertiebatur. Sæpè autem seminudus domum reuertẽs, à parentibus seuerè examinabatur, quid suis fecisset vestibus. Quibus ille hoc solùm respondebat, à prætereuntibus ipsi fuisse ablatas. Igitur sicut arbusculæ quædam nobili stirpe fructificare citiùs solent, quàm crescere, in quibus vtiquè quanto est ætas minor, tanto vbertas gratior: ità in illo sancto viro inter ipsa infantiæ rudimenta, lætum vernantis spei germen adeò erupit, vt priusquàm vnius anni præteriret spatium, ignorante familia & parentibus, ciuis cupiens regni cælestis effici, se illius temporis Pontificis sancti Syluestri vestigijs, præmissa supplicatione prosterneret, petens vt ablatis sibi capillis, mutatoque habitu, diuino ipsum antistes seruitio manciparet, nec pateretur vltrà se à parentibus ad prædium, affectusque pristinos reuocari. Agente ergò Pontifice gratias Christo, nulla iniecta est votis optimis mora: cumque ibi biennio aut eo ampliùs sub hac inchoatione seruisset, diuinæ gratiæ instinctu permotus, deliberat arctiùs sese expeditiusque, cõuenienter sancto Euangelio, diuino tradere cultui, & regni cælestis amore, non solùm parentibus, sed etiam patriæ se extraneum exhibere.

Fugit parẽtes, & tonditur mutato habitu.

Matth. 19.

Cap. 2. Fit monachus Lirinensis.

Arrepta itaque salubriter fugiendi deseculi compedibus libertate, Lirinense monasterium tyro sanctus expetijt. Cumque iter cum vno tantùm famulo socio ageret, & corã inquisitoribus, ab eius matre missis, flumen transiret, visus ab eis non est. Diabolus verò in quendam miserum ingressus, & eius iter insequens, sine cessatione à tergo illius clamabat: Cæsari, non vadas. Quem ille, porrecto ei bibenti poculo benedicto, statim curauit. Quod à memorato eius comite referente compertum, eamque, constitit, illum primam fecisse virtutem, siue miraculum. Susceptus igitur à S. Porchario Abbate & à cunctis senioribus, cœpit esse promptus in vigilijs, in obseruatione solicitus, in obediẽtia festinus, in labore deuotus, in humilitate præcipuus, in mansuetudine singularis: ità vt quem instituendum susceperant in disciplinæ regularis initijs, perfectum se inuenisse gauderent in totius institutionis augmentis. Itaque post breue tempus in congregationis Cellarium eligitur. Cœpit igitur attentè & studiosè illis velle largiri, quibus esset necessarium, etiamsì abstinentiæ amore nihil peterent: quibus verò cognouerat nec essarium non esse, nihil dabat, quanuis velent accipere.

Catalogus virtutũ eius adhuc nouitij.

Fit Cellarius.

accipere. Vndè factum est, vt quibus inuisa erat sancta discretio & moderatio, Abbati supplicarent, vt eum à Cellarij functione remoueret. quod etiam factum est. Mox ea cura liberatus, vsqueadeò sese optata legendi, orandi, vigilandi assiduitate macerauit, vt imbecille adolescentiæ corpus, quod fouere potiùs, quàm conficere & debilitare oportebat, immodica afflictione curuaret & frangeret, exigua oleris seu pulticulæ coctione, quam Dominica die parabat, vsque in aliam Dominicã contentus.

Immodica abstinentia pene confecit sese.

Atque hæc in ipsis monasticæ vitæ exordijs meritorum eius bona fulsêre, quæ deincèps per omnem vitam multiplicibus sunt aucta virtutibus. Corporis enim detriuit robur, vt virtutem spiritûs, spei & fidei soliditate firmaret, &, vt ait Apostolus, de seipso sibi triumphans, coronam adipisci mereretur: interioríque homini exteriorem subdens, præstantis animi imperijs rebellia corporis incitamenta domaret. Sed interìm tamen stomacho fatiscente, in quartanam febrem incidit: cumque sanctus Abbas eius incommoda valetudine admodùm doleret, & inter magistrum & discipulum quædam esset morbi partitio, illo animo, hoc verò corpore laborante: cerneret autem sanctus pater in cœnobio nullum ei posse remediũ adhiberi: vbi etiamsì medicus adesset, tamen feruens adolescentis ad spiritalia exercitia consuetudo, nihil sibi pateretur de abstinentiæ frenis & vigiliarum rigore laxari, iubet eum, immò etiam compellit Arelatem se transferre valetudinis curandæ causa. Erat tum in ea vrbe Firminus vir illustris & timens Deum, eiusque propinqua Gregoria clarissima materfamiliâs: quorum studio, cura & benignitate erga Clerum & monachos, erga ciues & pauperes, vrbs illa illustrior reddebatur. Vterque enim proprias opes non in mundi huius luxum conferebat, sed in paradisum pauperum manibus transmittebat. Illi verò sanctum Cæsarium misericordiæ studio ad se receperunt. Erat autem illis admodùm familiaris Pomerius quidam, professione rhetor, Afer genere, quem ipsis singulariter charum Grammaticæ artis doctrina reddebat. Concipiunt igitur animo generosi homines, vt B. Cæsarius, tanta Dei gratia refertus, & tam insigni memoria ex Christi beneficio instructus, ei instituendus tradatur, vtì secularis scientiæ disciplinis monastica eius simplicitas ornaretur. Sed eruditionis humanæ figmenta non recepit, quem per se instituendum diuina sibi gratia seruauerat. Itaque codicem, quem ei magister ille legendum obtulerat, casu vigilijs delassatus, in lectulo sub scapula reponit: cumque ità obdormijsset, mox diuinitùs terribili visione percellitur: videt scapulam & brachium, quo innitebatur codici, dracone colligante, arrodi. Mox expergefactus, & ipso visu territus, terribiliùs sese pro suo facto obiurgat, quòd lumen salutaris regulæ, stultæ mundi huius sapientiæ voluerit copulare. Ocyùs igitur illa contemnit, sciens non deesse perfectæ locutionis ornatum, in quibus spiritalis intelligentia emineret.

Firminus & Gregoria Arelatẽses, mirè benigni in pauperes &c.

Visio S. Cæsarij.

Cap. 3.

1. Cor. 9.

Laborat febre quartana.

Post aliquot autem dies illi homines illustres, quos diximus, S. Eonio ciuitatis eius Episcopo indicârunt, esse quendam apud ipsos venerabilem monachum, & omni laude dignissimum, cuius ipse personam familiari & priuato colloquio deberet cognoscere. Iubet igitur eum ad se perduci, ex oblato sibi accuratè scisciatur, cuius loci ciuis, & quibus sit parentibus procreatus. Illo & patriam & parentes indicante, sancta alacritate illi gratulans sanctus Episcopus ait: Meus ciuis es, fili, pariter & propinquus. Nanque & parentes tuos ego optimè nóui, & propter sanguinis coniunctionem paterno affectu complector. Cœpit ergò iuuenem, non iam vt peregrinum vel extraneum, sed attentiori obtutu intimis cordis oculis contemplari: moxque ab Abbate Porchario illum expetijt, & licèt ab inuito, etiam impetrauit. Ilicò primùm Diaconus, deindè presbyter ordinatur, nec vnquàm tamen canonicam monachi modulationem, nunquàm Lirinensium fratrum instituta relinquit. Ordine & officio Clericus, humilitate, charitate, obedientia, cruce monachus permanet. In ecclesiam matutinis alijsque conuentibus primus ingreditur, vltimus indè discedit. Non oculi, non aures eius animum à cælestium bonorũ contemplatione auocant, ità vt in eius vultu nescio quid cæleste semper elucere videretur.

Cap. 4. Eonius Episcopus Arelatensis.

S. Cæsarius ordinatur diaconus & presbyter.

Defuncto autem in suburbana ciuitatis insula Abbate, ab Episcopo Eonio cò Cæsarius mittitur, vt monasterium rectore destitutum, ipse in eádem reuerentiæ authoritate succedens, monastica disciplina informaret. Itaque in suburbano monasterio libens eam cõplectitur vitæ rationẽ, quam etiam intrà vrbẽ quotidianis semper studijs coluisset, & perpetuis optâsset votis. Ipsum verò monasteriũ ità quotidiana instantia & diuinis informauit officijs, vt hodieque, Deo propitio, illic videre licet. Cùm aũt in ea insula

Cap. 5. Fit Abbas.

Beatus Eonius petit sibi substitui S. Cæsarium in Episcopatu.

insula vltra triennium Abbatis officio fungeretur, S. Eonius Episcopus Clerum & ciues aliquot alloquitur, ipsosque rerum dominos per internuncios appellat, vt postcaquàm ipse Dominо volente decesserit, nullum alium, quàm Cęsarium, sibi substituant, vt Ecclesiasticum vigorem, quem querebatur, se aduersa impeditum valetudine, in multis esse laxatum, per Christi seruum Cæsarium in suum locum & statum fraternitas reuocatum gratuletur, sitque successoris labor, aliquod decessoris emolumentum, & tali post se relicto Episcopo, in sanctissimi viri electione æternę hęreditatis percipiat incrementum, nec desit etiam post obitum electionis socius voto suo, qui esset eius suo decreto author. Itaque his omnibus diuina prouidentia fideliter constitutis, securus de successore, beatus Eonius migrauit ad Dominum.

Cap. 6. Vide honoris contemptum.

Cùm autem peruenissет ad notitiam patris nostri, de quo agimus, quòd esset ordinandus Episcopus, intrà quædam sepulcra sese abscondit. Sed latére non potuit, quem detexit non culpa, sed gratia. Trahitur igitur è quodam sepulcro viuus, quem non mortuum, sed celatum, vitæ claritas ostendebat: cogitur Episcopatûs sarcinam

Fit Episcop⁹ Arelatensis.

susсipere. Et ille quidem, ceu mansuetum Christi iumentum, impositũ sibi onus modesto fert temperamento: porrò de cunctorum profectibus solicitus & prouidus pastor, mox instituit, vt quotidiè Tertiæ, Sextæ, & Nonæ officium in S. Stephani basilica, Clerici cum hymnis persoluerent, vt si quis fortè secularium vel pœnitentium, sanctum opus exercere cuperet, absque excusatione aliqua quotidiano posset officio interesse. Ipse verò, reiecta omni cura & solicitudine terrestri, instàr Apostolorum, culturæ solertiam dispensationi Diaconorum & eorum, quibus ea demanda-

Act. 6.

ta esset, cum diuini nominis obtestatione commissam voluit, seque totum verbo Dei,

Vacat Deo & sacris ad populum concionib⁹

& lectioni atque sacris concionibus addixit. Reuerà spiritalis medicus, qui vt vitiorũ morbos curaret, quicquid oculis videre potuisset, pro audientium ædificatione, quadam à simili adhibita consolatione, proponere nouerat. Ita sacrorum voluminum seriem citabat, vt cùm semper noua congereret, nihil omitteret de antiquis: similis templo Dei, quod & nouos quotidiè hospites excipit, & fouet veteres: atque ità semper aductantium augeretur accessu, vt nunquàm superiorũ recessu minuatur. Adeò, inquam, quantunuis multa, si res poscеret, è diuinis voluminibus exempla & sententias adferebat, vt non tam è memoriæ thesauris olim lecta depromere, quàm ex libro

Matth. 13.

proposito ea recitare videretur, vt posset de illo quoquè dici, quod in Euangelio Dominus ait de homine, proferente de thesauro suo noua & vetera.

Cap 7.

Aduentantes ad ipsum Episcopos, presbyteros, quoscunque diuini Ordinis ministros, ciues & extraneos, post salutationem & preces, paulispèr de communi vel priuata suorum salute & statu interrogare solebat: mox armis spiritalibus correptis, disserebat de vmbris & vanitate præsentium, deque vitæ cælestis sempiterna beatitudine: atque alios blandis inuitabat sermonibus, alios acrioribus perterrebat. Hos minis & seueritate, illos comitate corrigebat, & à vitijs reuocabat. Alios generali quadã adhortatione prouocãs, alios asperiùs nec sine diuini nominis obtestatione castigãs, & vt salutaribus sese consilijs accommodarent, cum lachrymis supplicia minabatur, prout singulorum aut virtutes, aut vitia poscere viderentur. Deniquè in suis concionibus ea moderatione vtebatur, vt & bonos inuitaret ad gloriam, & malos à pœnis gehennæ retraheret: atque instàr periti medici diuersis vulneribus diuersas admouebat curationes, nõ tam ea proferens, quæ singulos delectarent, quàm quæ remedium adferrent: nec tam attendens, quid vellent morbidi, quàm quid eorũ salus reposcere videretur. Ipsos quoquè sanctos Episcopos & cæteros ecclesiarum præfectos grauiter & acriter admonebat, vt plebi commissæ spiritalem alimoniam indesinenter suppeditarent, ità dicens ad singulos: Obtines, frater, in Christi nomine primi ordinis in spiritali militia locum. Considera ea, quæ pastorem decet, solertia diuinitùs accepta talenta, & da operam, vt fœneratori ea duplicata restituas. Audi prophetam: Væ mihi,

Præditia & moderatio eius in exhortando.

Esa. 6. 1. Cor. 9.

quia tacui. Audi Apostolum, non sine metu dicentem: Væ mihi erit, si non euangelizauero. Vide, nè, dum tu occupas cathedram, alius excludatur, qui te magis sit idoneus: dicaturque illud ex Euangelio etiam de te: Tulerunt clauem scientiæ, & nec

Luc. 11.

ipsi intrãt, nec alios sinũt intrare, qui fortasis maiori cum fructu cathedrã tenuissent.

Cap. 8.

Habuit hoc peculiare vir sanctus, Deo id in illo agente, vt dum suas quibusq; admonitiones proponeret, singulis ipsorum vitam omnem ob oculos statueret: vt qui eum audirent, non solùm cordium scrutatorem, sed etiam suæ quodammodò conscientiæ testem confiterentur. Sicut autẽ erat erga sese seueriſſimus, ità etiã circa alios corigen-

corrigendos rigidus videbatur. Voluit verò, atque etiam compulit laicos & populares homines psalmos & hymnos promere, altaque & modulata voce instàr Clericorum alios Græcè, alios Latinè prosas & antiphonas decantare, nè illis spatium supeteret ad fabulas in ecclesia effutiendas. Conciones pijssimas, & ad animos compungendos aptissimas, tempori & festis diebus congruentes introduxit & instituit. Aegrotis verò mirè cõsuluit, amplissimis eis assignatis ædibus, in quibus sine vllo strepitu diuina officia, quæ in basilica peragebantur, auscultare possent. Lectos quoquè & lecticas, sumptus & homines, qui seruire & mederi eis possent, illis cõparauit. Locum & copiam, si quid vellent, suggerendi captiuis & pauperibus nõ negauit: immò verò ministro suo semper dicere solebat: Vide, num qui pauperes sint præ foribus, nè pro nostra fortasis quiete, trepida & verecunda paupertas, non sine culpa nostra expectans, iniuria afficiatur. trahensque prolixa ab imo pectore suspiria, dicebat: Reuerà Christus factus est mendicus, & garrulus, & surdus: & tamen rogat omnes, hortatur, admonet, contestatur. Addebat etiam: Nostris proculdubiò cumulandis profectibus in hoc seculo pauperes donati sunt, vt ijs Christo fideiussore commendemus in terris, quæ posteà nobis restituantur in cælis.

Non sunt in ecclesia effutiendę fabulæ.

Aegrotorũ saluti vt cõsuluerit.

Humanitas erga pauperes.

Nota quid nobis conferat pauperes.

Accidit autem, vt sancti viri tranquillum animum post aliquot dies liuida satanæ malignitas infestaret: & cui non posset vlla corporis obijcere vitia, ei fœdam proditionis notam inurere conaretur. Nam Licumannus beati viri notarius, homo nequam & perditus, nõ dubitauit talem se gerere erga virum Apostolicũ, qualem olim Iudas aduersus Saluatorem. Armatur improbus ille fœuæ delationis veneno: suggerit Alarico Regi per eos, qui illi erant à secretis, beatissimum Cæsarium, è Gallijs genus ducentem, totis in id viribus incumbere, vt ditionem & vrbem Arelatensem Burgundionibus prodat: cùm ille pastor præstantissimus, flexis genibus pacem gentium, vrbiũ tranquillitatẽ diebus ac noctibus à Domino precaretur. Qua re magis etiam credendum est, diabolo instigante, in sancti viri exilium barbaram ferocitatem incitatã esse. Non enim gratus aut charus est hosti, qui id orat, quod cum eius factis & conatibus pugnet. Itaque ijs, qui tum aderant, instigantibus, nec innocentiæ fides attẽditur, nec accusationis veritas inquiritur: sed vana & iniqua delatione damnatus, ab Arelate extractus, cogitur apud Burdegalẽses exulare. Sed nè obscura esset in illo gratia Dei, casu accidit, vt nocte quadã ea ciuitas voracibus vastaretur flammis. Tum verò ciues ocyùs accurrunt ad hominem Dei: Sancte Cæsari, clamitant, precibus tuis extinguas ignem sæuientem. Audiens id vir Dei, dolore pariter & pietate commotus, venienti flammæ procedit obuiàm, humì ad preces prosternitur, mox igneos premit abigitq; globos: concurrunt eò omnes, & diuinæ virtutis consonis vocibus laudes celebrantur. Deincèps verò in tanta apud omnes admiratione fuit, vt in ea vrbe non solùm vt Pontifex, verumetiam instàr Apostoli haberetur, & persecutionis author diabolus pudefieret, cernens eum, quem proditionis reum peragere nisus esset, diuini operis miraculis clarere. Id verò ità gestum esse, vt diximus, fideli relatione comperimus.

Mittitur in exilium.

Suis precibus incendium compescit.

Cùm autem illic degeret, vtì semper & vbiquè consueuerat, Ecclesiam docuit reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo: Obedire, iuxta Apostolũ, Regibus & potestatibus, quandò iusta præcipiunt: sed in Arriano principe contemnere dogmatis prauitatem. Atque ità, quemadmodùm testatur Veritas, non potuit lucerna abscondi supra candelabrum Domini posita: sed quocunquè accessit, omnes illuminauit. Posteà verò, quàm beati viri innocentiam comperit nefarius princeps, orauit, vt ad suam reuerteretur sedem, seque & ciuibus & Clero exhiberet: porrò delatorem eius iussit lapidibus opprimi. Populo igitur ad lapides concurrente, subitò ad aures viri Dei iussio Regis perfertur. Properat ilicò, & sua intercessione mâluit accusatorem suum seruare agẽdæ pœnitentiæ, quàm iusta animaduersione puniri: vt animam eius per pœnitentiam curaret, quam ipse iniqua delatione diabolo captiuam reddiderat, & hosti domestico clementer ignoscens, antiquum aduersarium in vna re conscientia pura bis vinceret.

Cap. 10. Matth. 22. Rom. 13.

Matth. 5.

Delatorem suum seruat à morte.

Solebat verò sanctus vir id accuratè obseruare, vt nemo ex illis, qui ipsi parebant, siue serui illi essent, siue ingenui, si pro culpa sua flagellandi essent, ampliùs trigintanouem ictibus ferirentur. Si quis verò in graui culpa deprehensus esset, permittebat quidem, vt post dies paucos iterùm vapularet, sed paucis: cõtestabaturque ecclesiæ præfectos, si quis iuberet quempiam diutiùs flagellari, & ea verbera illi mortem afferrẽt, vt is homicidij reum se sciret. Vbi autem percrebuit apud Arelatenses hominem Dei

Cap. 11.

reuerti,

Reuertitur ab exilio, & honorificè excipitur.

reuerti, iamque eum vrbi appropinquare, omnes vtriusque sexûs cum Crucibus & cereis ei processêre obuiàm, psallentes, & ingressum eius opperientes. Cùm soleat autem Christus seruos suos illustrare virtutibus, & perfidos aperta mirabilium operum luce confundere, ad aduentum sancti viri Dominus terram, longissima siccitate arentem, largissimo perfudit imbre, vt cum reuertente gratissimo dispensatore, fructuum quoquè vbertas sequeretur.

Cap. 12.

Populum vt in cõcione retinuerit.

Cùm die quodam esset ad altare, animaduertit quosdam lecto Euangelio ex ecclesia egredi, quòd sancti viri conciones auscultare initiò detrectarent. Mox igitur aduolat, appellat his vocibus populum: Quid facitis filij? quid ità foràs abscediti mala persuasione subuersi? State pro animabus vestris ad accipienda verba adhortationis nostræ, eaque auscultate soliciti. Non licebit id vobis in illo tremendi iudicij die. Moneo & clamo atque contestor. Nè sitis, obsecro, vel surdi, vel profugi. Auditis oris mei buccinam, perindè acsi animas vestras suo mucrone satan iugulârit. Non ego taciturnitatis arguar. Hac de causa sæpissimè ostia lectis Euangelijs occludi iussit, donèc propitio Deo, ipsi gratularentur ea *coërcione se profecisse, qui solebant esse fugitiui.

Cap. 13.

Clodoueus occidit Alaricum regẽ.

Constituit autem homo Dei, Domino id illi inspirante, vt non solùm magna Clericorum frequentia, sed etiam virginum choris, Arelatensis ornaretur ecclesia, & ciuitas muniretur: vt sic plenam segetem, non deses & infructuosus agricola, in cælestibus horreis viuens conderet, & defunctus sui exempli imitatione docerer etiam alios id facere. Sed hac in re conatus eius nonnihil retardauit inuidus serpens & hostis antiquus. Francis enim & Burgundionibus vrbem obsidentibus, Alarico Rege à fortissimo Clodoueo rege in conflictu perempto, Theodoricus Italiæ Rex, missis ducibus suis, in eam prouinciam ingressus erat. In hac ergò obsidione, monasteriũ, quod sorori eius & cæteris virginibus construebatur, magna ex parte destructum est, tabulis & cœnaculis barbarorum ferocitate direptis & euersis. Cùm autem vir Dei laborem, quem ipse accelerari iussisset, suaque manu & sudore promouisset, subrui videret, gemino quodam dolore correptus est. Tum enim Clericus quidam, ciuis & cognatus eius, se captum iri metuens, iuuenili leuitate permotus, malo dæmone beati viri odio eum incitante, funiculo sese noctù à muro submisit, & proxima luce vltrò se dedidit hostibus, vrbem obsidione prementibus. Quod vbi Gothi, qui erant intrà oppidum, compererunt, incurrunt in sanctum virum: populus & inprimis Iudæi impotenter insultant, motaque seditione, vociferantur antistitem vrbis prodendæ causa conciuem suum ad hostes noctù ablegâsse. Nullus hîc fidei, nullus probationi, nullus denique puræ conscientiæ relinquitur locus, Iudæis præsertim & hæreticis procaciter & sine intermissione clamantibus. Itaque ex ecclesiæ domo extrahitur antistes, atque in palatio arctissimæ custodiæ traditur, vt noctù in Rhodanum demergatur, aut certè in castro Vgernensi detineatur, donèc exilio mulctatus, prolixiores det pœnas. Domus itaque ecclesiæ & cubiculum antistitis ab Arrianorũ turbis occupatur: sed eccè dum Gotthus quidam, cæteris contradicentibus, in eius lectulo recumbit, diuinitùs percutitur, & altera die excedit è viuis, ne quisquam deincèps serui Dei locum polluta conscientia violare auderet.

S. Cæsarius traditur in custodiam.

Cap. 14.

Reuocatur in suum palatium.

Sed cùm ex vtraque ripa *drumonem, qui hostium obsidione iniectus fuerat, Gotthi Dei nutu erigere non valerent, nocte sanctum virum in palatium reuocârunt, sed vsque adeò eius celantes personam, vt vtrùm adhuc esset in viuis, nullus catholicorum scire posset. Dum ergò diabolo exultante & Iudæis plaudentibus hæc geruntur, Iudæis etiam in nostros vbiquè, nulla cuiusquam habita ratione, perfidiæ probra iactantibus, nocte quadam vnus ex illis ex eo loco, quem ad agendas in muro excubias sorte acceperat, ligatam saxo epistolam, tanquàm in hostes illud vibrans, in castra illorũ conijcere conatus est. In qua nomen suum religionemque exprimens, hortabatur, vt noctù eo loco, quo ipsi excubarent, scalas admouerent, vrbem ingressuri ea conditione, vt pro tanto beneficio id redderent Iudæis, nè quisquam eorum aut caperetur, aut rerum suarum iacturam faceret. Manè verò digressis nonnihil à muro hostibus, quidam è propugnaculo egressi, epistolam illam conspiciunt, tollunt, secum intrà vrbem absportant, cunctisque in foro publicitùs ostendunt. Mox author epistolæ producitur, conuictusque punitur: sæua Iudæorum immanitas, Deo & hominibus inuisa, tandèm euidentissimè confunditur. Daniel noster, id est, sanctus Cæsarius, è lacu leonum educitur, satraparum accusatio publicatur, completur in eorum authore

Iudæi, dum insultant Christianis, pudefiunt.

thore illud propheticum: Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Porrò Arelaten Gotthis cum innumera captiuorum turba reuertentibus, replẽtur sacrę basilicę, repletur Ecclesię domus infidelium multitudine, & cùm multa inopia laborarent, quæ ad victum vestitumque pertinerent, affatim eis præbuit vir beatus, donèc omnes ab ipso essent redempti eo argento, quod venerabilis Eonius antecessor eius ecclesiæ mensæ reliquerat, obseruans illud, quod Dominus in paropside intinxit panem, non in vase argenteo, discipulisque præcepit, nè possiderent aurũ vel argentum. Hoc autem sanctum opus ità persecutus est, vt etiam ab illis, quæ ad diuini ministerij dispensationem pertinent, non abstineret, thuribulis, calicibus, patenis pro eorum redemptione datis, excussisque, à cancellorum columnis, ornamentis argenteis. dicebat enim: Ne homo rationalis, Christi sanguine redemptus, amissa libertate & dura pressus seruitute, aut Arrianus efficiatur, aut Iudæus, aut ex ingenuo seruus, aut ex seruo liber. Ornauit igitur & defendit, non deformauit Ecclesiam. Patére voluit filijs viscera matris, non præcludi, hoc sæpissimè dicens: Velim respondeant mihi plerique domini sacerdotes & reliqui è clero, qui nescio quo superfluitatis amore nolunt dare insensibile argentum & aurum ex Christi donarijs pro mancipijs Christi: velim, inquam, dicant mihi, si quo casu ipsi in eam calamitatem inciderent, vellémne eiusmodi insensibilibus donarijs in libertatem vindicari, aut potiùs sacrilegij loco haberent, si quis eis ex diuinis munusculis subueniret. Equidem non puto id ingratum esse Deo, de suo ministerio redemptionem parari, qui seipsum pro hominibus redimendis dedit. Sic ille: Nos verò videmus quosdam laudare in sancto viro, quòd ità fecerit, nec tamen vllo pacto velle imitari. An nõ in vitro habetur sanguis Christi? An non à ligno suspensum fuit eius sacratissimum corpus nostræ salutis causa? Nos quidem credimus & confidimus in Domino, misericordia, fide & precibus B. Cæsarij id effectum esse, vt ipsius temporibus ità obsessa sit ab hostibus ciuitas Arelatensis, vt tãmen nec capi potuerit, nec prædæ patére. Atque sic deinde à Visigotthis in Ostrogothorum ditionem peruénit: hodieque in Christi nomine páret clarissimo Regi Childeberto: vt possit de ea quoque dici: Transiêrunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, & non permisit Deus sub illo hominem nocere Arelatensibus suis.

Psalm. 7.

Ecclesiæ opibus & sacris vasis multos captiuos redimit S. Cæsarius.

Eius vt creditur meritis cõseruata est ciuitas Arelatẽ.

Psal. 104.

Inter hæc autem præcipuum illud monasterium, quod sorori suæ condere cœperat, instàr prioris instaurauit: & quasi alter quidam nostri temporis Noë, propter tempestates & procellas, in latere ecclesiæ fœminarum extruxit cœnobium, tanquàm arcam, euocataq; è Massilienſi cœnobio venerabili sorore sua Cæsaria, (q̃ idcircò eò missa erat, vt disceret quod doceret, & priùs esset discipula, q̃ magistra) in præparata domicilia cum duabus aut tribus sodalibus, eam introduxit. Confluxerunt autem ad illam multæ virginum cateruæ, rebus suis & facultatibus atque ipsis etiam dulcissimis parẽtibus renunciantes, & rerum labentium flores tum fallaces, tum caducos respuentes. Cæsarij patris & Cæsariæ matris expetebant gremium, vt cum eis, accensis lampadib⁹ ad cælestis regni expectarent ianuam, & in eam ingressæ, Christi perpetuis mererẽtur amplexibus inhærere. Erant autem in illo loco adeò inclusæ, vt vsq; ad supremum vitæ diem nulli earum fas esset extra monasterij ostium progredi.

Cap. 15. Cõdit monasterium fœminarũ.

Matt. 25.

Sed hoc quoq; nomine in beatum virum inuidiæ facibus inflammatus satã, denuò in eũ accusatione cõficta ideffecit, vt Rauẽnam vsq; sub custodia pertraheretur, vt impleretur etiam in illo, quod habet scriptura diuina: Tanq̃ aurum in fornace probauit electos Dominus. Venit ergò in palatium ad Theodoricum Regem, eumq; intrepidè salutat. Cernens Rex eum nihil formidantem & adspectu venerabilem, reuerenter ei assurgit, eumque depositis capitis ornamentis, clementer resalutat. Deindè placidè sciscitatur ex eo de labore itineris, de Gotthis suis & Arelatensibus. Posteà egresso sancto Pontifice, Rex ad suos ait: Non parcat illis Deus, qui tantæ sanctitatis & innocentiæ virum frustrà compulerunt tam prolixum iter conficere. Quantus enim ille sit, vel hinc licet animaduerti, quòd cùm ad salutandum me ingrederetur, totus contremui, vidique in eo Angelicum vultum, vidi virum Apostolicum, prorsusq; nefas puto de tam venerabili viro quicquàm diutiùs statuere, aut malè de eo sentire. Deinde beato viro in hospitium ingresso, misit magni precij discum argenteum, librarum plùs minùs sexaginta, & cum eo solidos trecentos, iussitque illi sic dici: Accipe sancte Episcope: rogatque te filius tuus Rex, vt vasculum istud pro munere tua beatitudo dignetur suis vsibus pro ipsius memoria reseruare. At vir sanctus, qui præ-

Cap. 16.

Sap. 3.

Theodorici Regis erga eum reuerentia.

Multos captiuos redimit.

ter cochlearia, nihil vnquam argenti ad ſuæ menſæ vſum adhiberi paſſus erat, tertio indè die per miniſtros ſuos diſcum priùs æſtimatum iuſſit publicè vendi, eiusque precio multos redemit captiuos. Illicò Regis ſatellites ad eum referunt, ſe vidiſſe regium munus palàm proſtare, coq; diſtracto S. Epiſcopum multos è captiuis liberâſſe. Tam enim ad eiꝰ hoſpitiũ ingens confluebat pauperum multitudo, vt præ miſerorum, ſuas ei calamitates exponentium, denſitate vix ad ſalutandum eum patéret acceſſus. Vidimus verò etiam per plateas miſerorum immenſos greges curſitare, euntium ad virũ Dei, atque reuertentium.

Benignitas eius erga pauperes.

Cap. 17. Plurimi eũ facit Theodoricꝰ Rex & eius proceres.

Poſtquàm autem rem ab eo geſtam comperit Theodoricus Rex, tãta eum laude & admiratione proſecutus eſt, vt in eius palatio ſeruientes ſenatores ac proceres, certatim offerrent beato viro munera, quæ eius manibus diſpenſarentur, magno Dei beneficio id ſibi præſtitum affirmantes, q̃ talem antiſtitem digni fuiſſent conſpicere, qui ipſorum temporibus dictis & factis germanum ſe Apoſtolorum ſucceſſorem & verè Apoſtolicũ declararet. Et quia nihil fama velocius eſt, cùm in eiuſmodi ſanctiſſimo opere frequens eſſet vir ſanctus, Romæ celebris eius extitit opinio: tantoque eius viſendi deſiderio arsêre omnes, Pontifex, Clerus, Senatus, proceres & populus, vt priùs eum iam animo complecterentur, quàm oculis conſpexiſſent. Intereà captiuos omnes vltrà * Duriam, maximeque Arauſicenſes, qui omnes capti erant, quorum etiam pleroſque Arelate liberauerat, in Italia * vinctos, vt potuit, redemit: & vt pleniori gauderent libertate, exhauſtos, curauit iumentis & plauſtris impoſitos non ſine ſuorum ſolatio ad propria reduci.

* Durẽ tiam * inuentos

Cap. 18.

Erat tum Rauennæ vidua quædam, quæ filium habuit præfecto miniſtrantem, & ſuis ſtipendijs ipſius inopiam ſuſtentantem. Is ſubitò correptus morbo, iacebat exanimis. Cumq; nulla ſpes ab humana cura vel affulgeret arte, mater eius, illo relicto, properat ad virum Dei: coràm illo humì proſternitur, mánant ab oculis lachrymarũ imbres, dat voces lugubres, & ſola in ea vigente fide, complexa ſancti Epiſcopi genua, exclamat: Credo diuina benignitate huc te adductum, ſancte pater, vt filium reddas matri. Recuſat pauliſpèr vir pius: ſed tamen durum exiſtimans talibus lachrymis nõ moueri, ſolita miſeratione permotus, vult quidem debitum charitatis affectum afflictæ mulieri impẽdere, ſed ita tamen in Dei nomine exercere virtutem, vt prorsùs effugiat vanitatem. Itaq; ad eius tuguriũ occultè accedit, atq; illic fuſa prece, vbi ſuo more proſtratus, diuinam virtutem ſuę vocationi per ſpiritum ſanctum ſenſit adeſſe, abſcedit: relictoq; illic Meſſiano, tunc eius notario, nunc venerabili preſbytero, id dat negocij, vt cùm adoleſcens ad ſe redierit, quamprimùm id ipſi renunciet. Meſſiano igitur ad adoleſcentis lectulum excubante, intrà vnius horæ ſpatium ille à mortis tenebris ad lucem reuocatur, moxq; oculorum explicatis orbibus, matrem ità compellat: Curre mater mea ad ſeruum Dei, cuius orationibus & tibi & vitę ſum redditus: ciq; gratias age, quòd meritis & virtutibus eius Deus effectum largitus eſt. Abit mater celerrimè, gratias agit non tam verbis, quàm lachrymis & vocibus ab animi exultatione expreſſis: ſimulq; orat, vt quem Deus ipſius precibꝰ reuocauit ad vitam, in Gallias proficiſcens, non ſinat à ſuo diſcedere famulatu. At vir beatus altiori ingenio reſpondit, eam illi potiùs debere gratias agere, cuius virtus & clementia mœſtis & calamitoſis adeſſe conſueuit. Hoc tam illuſtre miraculum non modò illam ciuitatem, ſed prouinciam omnem, fidelium deuota relatione peruagatum eſt.

Sancti in operãdis miraculis ſentiunt ſibi Diuinã adeſſe virtutẽ.

Excitat mortuum S. Cæſarius.

Cap. 19.

Elpidius Diaconus & medicus, regię poteſtati ſedulis officijs cumprimìs familiaris & intimus, diabolica infeſtatione non ſolùm diuerſis vexabatur inſidijs, ſed ſaxorum quoq; imbre, crebrò in ſuis ædibus appetitus eſt. Orat igitur ſanctũ Cæſariũ, vt ſuis precibus eas mali dæmonis iniurias à ſe auertat. Venit ad eius domum vir beatus, eamq; ſanctificaturus, benedicta aqua conſpergit: moxque adeò omnis illa vexatio profligata eſt, vt deincèps nihil eiuſmodi acciderit.

Aqua benedicta abigit dæmonem.

Cap. 20. Venit ad Symmachũ Papam.

Poſt hæc Romam veniens, beato Symmacho Pontifici, ac deindè Senatoribus exhibetur. Agunt omnes gratias Deo & Regi, quòd licuerit ipſis corporeis oculis illum intueri, quem iamdudùm animi obtutibus conſpexiſſent: virumq; Apoſtolicum nõ iam de fama, ſed preſentia comprobantes, certatìm diligere & venerari ſtudent. Atq; ipſe etiam Pontifex Symmachus, præclara eius meritorum dignitate permotus, non ſolùm eum veriſſimè metropolitani honore præditum voluit, ſed etiã ſpeciali quodam priuilegio pallij vſum ei permiſit, & diaconos eius, perindè vt Romanæ Eccleſiæ diaconos, dalmaticis vti voluit. His ità geſtis, ſanctus vir Arelatem reuerſus, excipitur cum

Vſus pallij antiquiſſimus.

cum pſalmodijs & cãticis: & qui in Italiam exulatum ierat, confecta captiuorum redemptione, octo ſolidorum millia ab Italia ſecum reportauit. Qua autem die Arelatem ingreſſus eſt, daturus benedictionem, ſub veſperã in eccleſiam ſe recepit. Ibi tum fœmina quædam tremore correpta, ſpumans, eiulans & clamitans, cunctis in eccleſia obſtupeſcentibus, proripit ſeſe: moxq; appræhenſa, ad aram beato antiſtiti offertur: orant pro ea omnes, vt morbo pulſo, reddatur incolumis. Tum ſuo more ſanctus vir pro eius ſalute deprecaturus, humi ſe abijcit: deindè capiti eius imponit manum, ſenſus omnes & vultum ſacro oleo perungit: fugit morbus: nec auſus eſt, in Chriſti nomine abſcedere iuſſus, denuò moleſtus eſſe mulieri.

Sanat fœminam mieram.

Inter alia vel maximè ei ſtudio & curę fuit redemptio captiuorũ, cui ſanè tam præclaram & illuſtrem nauauit operam, vt nulliꝰ id poſſit oratione explicari. Cùm enim quodam tempore deeſſet ſanctis manibus aurum & argentum, rogaretur q; ſtipem à paupere, Quid tibi vis, inquit, faciam miſelle? Equidem quod habeo, hoc tibi do. ſicq; ingreſſus in cubiculum ſuum, caſulam, qua in proceſſionibus vtebatur, & albam Paſchalem indè profert, datq; egeno, iubetq; vt vendat vni ex Clero, & earum precio redimat captiuum ſuũ. Nec illi ſoli redẽpti ſunt, qui ab illo id expetiẽrũt: ſed ipſemet Carcaſſonam proficiſcẽs, captiuos liberauit: nec rarò per loca diuerſa Abbates, diaconos & Clericos miſit, qui miſeros è captiuitate extraherent. Tot autem in illo vno diuinę gratiæ virtutes emicuêre, quot vix permultis Dei ſeruis conſpiciantur: & tamen adeò ille vnam aliquam virtutem excolere ſemper ſtuduit, acsì illa ſola præditus eſſet: & tãdiù præcedens virtus in eo formoſiſſima & gratiſſima videbatur, donèc à ſequentibus vinceretur. Quis eius patiẽtiam, quis puritatem, quis charitatẽ, feruorem ſpiritũs, diſcretionem ſiue moderationem, benignitatem, zelum ſanctũ, iugem die ac nocte in lege Domini meditationẽ enarrabit? Fuit ille egregiꝰ aſſertor fidei, forma ſacerdotũ, eccleſiarum decus, gratiæ prædicator, iurgiorum pfligator, charitatis ſeminariũ, diſciplinę norma, morum caſtigator & cenſor, conſilij libramentum, defenſor pupillorũ, captiuorum redemptio. Nunq̃ ab ore illius obtrectatio, nunquã mendacium, nunq̃ maledictum in quencunq; hominẽ proceſſit: nec modò nemini ipſe detraxit, ſed nec detractionem patienter tulit. Si quis ex eius familia ſubitò iurâſſet, aut forſan cuiq̃ maledixiſſet: pro ratione perſonæ non permiſit inultum abire. Si ipſe fortaſsis in aliquem commotus eſſet, hæc eius pro maledicto erat benedictio: Obliteret Deus peccatum tuum: aboleat Deus peccata tua: caſtiget Dominus culpam tuam: nè in poſterũ vltio te maneat, hîc Dominus corrigat errorem tuum.

Cap. 21. Magnũ ſtudium erga à. priuos redimendos.

Catalogus virtutũ eius

Deteſtatur omne mendacium & detractiões.

Eius hominem interiorem prodebat exterior. Nam vultu ſemp erat placido & Angelico, ita vt conuenienter diuinæ ſcripturę, corde lętante, vultus floreret. Vt autem nunq̃ in riſu plùs æquo remiſſior, ità nunquã mœrore nimio oppreſſus fuit, nisì fortè aliena peccata lugeret. Nunq̃ aliquẽ odio habuit, nec pro amicis duntaxàt, ſed etiam p inimicis toto pectoris ſtudio precabatur. Nec docuit verbis, q̃ factis & exemplis nõ p̃ſtaret. Nullam diei horam abſq; diuinorũ eloquiorum meditatione abire paſſus eſt, immò nè dormiens quidẽ. Sæpè enim & dormiẽs meditari viſus eſt. Cumq; à pſalmorum meditatione aut p̃dicatione ceſſare putaretur, lector aut notarius corã illo legere nõ ceſſabat, ità vt poſſet illud ex Pſalmo veriſſimè dicere: Meditatio cordis mei in cõſpectu tuo ſemp. Cùm aliquãdò circa Alpes iter ageret, vir venerabilis S. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus cum illo erat. Accidit tum, vt in media via infelix & morbida mulier eis occurreret, manibus & pedibus contractis, p terram reptãs. Quam cũ eſſet intuitus beatus Cæſarius, interrogauit ſanctum Eucheriũ, quid hoc eſſet, quòd illa per terram ità ſe traheret. Eucherius interrogat fœminam, illa reſpondet ſe multis annis membris omnibus fuiſſe contractam. Beatus Cæſarius dicit ſancto Eucherio: Deſcende, & conſigna eam. Illo quasì trepidante & excuſante ſeſe, Cęſarius inſtat & vrget. Tandèm Eucherius deſcendit, & conſignat eam, aitque: Eccè feci, quod iuſſiſti. Dicit ei Cęſarius: Extenſa manu appręhende manum illius, & erige eam. Ille reſpondet: Quicquid aliud iuſſeris, non recuſabit Eucherius tuus: iſtud vt faciam, adduci non potero. Tuum hoc eſt facere, cui præſtitit Deus gratiam & animas & corpora languentium curandi. Cæſarius ait: Tu interìm facito, quod dico. Illo planè renitente, & cum multa modeſtia & lachrymis ſeſe excuſante, diuque facere detrectante, Cæſarius dicit: Túne obedientiæ cauſa in ignem ingreſſurus es, qui nec miſericordia adduci potes, vt facias quod charitas iubet? Mitte in nomine Domini manum tuam, & erige eam. Tum ille obediens, porrigit fœminæ manum, & ſubleuat eam.

Pſalm. 18.

Eucherius Lugdunen. Epiſcopus.

S. Eucherij humilitas et ſingularis modeſtia.

Mulier contracta ſanatur.

Cap. 22. Prouer. 17.

eam. Illa verò mox integrè sanata, abijt ad hospitiolum suum.

Cap. 23. In agro suburbano monasterij B. Cæsarij, frequẽtes erant apri. Itaq; Comites & alij viri militares ex vrbe egressi, non sinebãt homines in suis domibus habitare & laborare, sed miserè eos mactabãt, quòd apros auerterent & absterrerẽt. Illi verò tandèm nõ ferẽtes iniurias & vexationes illas, veniunt ad B. Cæsariũ, dicuntq;: Fac nobis, quicqd visum tibi est. Nos enim neq; seruire tibi, neq; durare hîc possumus. Tum ille solicitè perquirit, quas habeant querelas. Respondent illi: Propter apros veniunt Comites & Gotthi & diuersi venatores, nosq; interficiunt. Mox vir Dei, sublatis in cælum manibus & oculis, alta voce dicit: Domine Iesu Christe, nunquàm deincèps pateat illis beluis accessus ad hunc locum. Ab ea hora vsque in præsentem diem nunquàm illic apri, vt antè consueuerant, pascuntur, nec quicquam conspicitur, quod venatores insectentur. Meritò sanè illi belluæ paruërunt, qui vitia omnia profligauerat. nec difficilè illi fuit impetrare à Deo, qui eius præcepta nunquàm violauerat.

Nota vim precũ eius.

Cap. 24. Partherius patritius, qui cæteris seruis præfectus, apud dominum suum præcipuum gratiæ locum obtinebat, nequissimi spiritûs vexatione sæpiùs in terram, sensibus destitutus, corruebat. Cumq; is morbus, animi potiùs quàm corporis esse videretur, ex maligni dæmonis infestatione profectus, oleo beatissimi viri benedictione sacrato punctus est. Mox ità omnis illa satanę tentatio compressa est, vt quem, cessante medici opera, Christus per seruum suum reddiderat sanitati, cum dominus eius in terroris exemplum, domui suæ præponeret.

Oleo sacrato curat hominem.

Cap. 25. Non est silentio premendum etiam illud factum memorabile, quod plus & admirationis & formidinis habet. Cùm vir sanctus diœcesin suam circumiret, in villa, quę Lannico dicitur, ab eius loci dominis exceptus est. Postquàm autem discessit, Anatolius medicus, homo pestifer in illum lectum, quo vsus fuerat sanctus Episcopus, scortum sibi voluit adduci. Sed confestim ab incentore diabolo publica vexatione correptus, coram alijs in terram elisus est: dumque palàm confiteretur temeritatis suæ sedare pœnas, & viri Dei virtutem & suum facinus prodidit.

Pœna hominis petulantis.

Cap. 26. Multa quidem per intercessionem serui sui Dominum miracula fecisse scimꝰ, sed ea omnia cõmemorare longum est. Vnus è nobis, qui hæc scripsimus, benedictum ab eo oleum petijt, ampullulam plenam accepit, diligenter secum absportauit domum, & haud secùs atque præclaras reliquias asseruauit. Non diù post tertianæ febris ardoribus afflictus, ampullulam illam cum multa veneratione, magni præsidij loco, ad caput suum iussit suspendi. Erat autem mundissimo inuoluta linteo, sed, vt arbitror, famulorum negligentia fracta fuit, interìm nihilo minùs oleo adeò intrà illam sese cõtinente, vt ne in ipsum quidem linteum quicquã indè distillaret. Vbì animaduersum est fractam esse, summa celeritate in aliud vasculum oleũ transfusum est, mox ampullula illa dissilijt: ab eo autem, qui hæc veracissimè commemorat, Domino adiuuãte, febris quamprimùm abscessit.

Insigne miraculum.

Cap. 27. In differendis scripturis diuinis, & obscuritatibus elucidandis quanta in illo gratia enituerit, gs explicet? Erat illi summæ voluptati, si quis eum inuitaret ad obscura loca interpretanda: sed etiam ipse sæpissimè inuitabat nos, dicens nobis: Scio vos nõ intelligere omnia. Cur igitur non interrogatis, vt possitis cognoscere? Non semper vaccæ ad vitulos, sed plerunq; vituli ad vaccas properant, vt de maternis vberibus possint famem explere suam. Quodquidẽ etiam vos omninò facere debetis, vt sciscitãdo etiã nos exerceatis, dum ea ratione compellimur ꝓquirere, vndè vobis spiritalia mella ꝓmamus. Cernere in beato viro licebat virtutes omnes, virginitatẽ cum synceritate cõiunctam, modestiam cum verecundia, prudentiam cum simplicitate, seueritatem cũ mãsuetudine, eruditionẽ siue scientiam cum humilitate: deniq; vitã immaculatam, vitam nulli reprehensioni obnoxiam, vitam sui semper similem. Vę mihi misero Cypriano, qui ad discendum tam tepidus fui, vt modò & agnoscam & doleam, me de tãti fontis vbertate non tantùm hausisse, quantùm mea postulabat ariditas. Ecquis verò charitatis eius eximiæ, qua mortales oẽs complectebatur, ardorem imitari queat? Erat illi hoc vel maximè & in ore, & in pectore, vt inimicos diligeremus, quò etiam nos tum sermonibus suauissimis, tum exemplis suis prouocabat. Deniquè biennio antè, quàm è vita excederet, merces pro rectè factis eius in cælis reposita, in spiritu ei ostensa est, dictumque est illi: Lætare in domino. eccè enim quæ tibi parata sint pro labore tuo. Multa eius adhuc supersunt & præclara, quæ prolixitatis declinandæ causa omittimus.

Dexteritas scripturas exponendi.

Hîc author prodit nomen suum.

Hoc

Hoc loco desunt nonnulla in duobus MS. codicibus, quæ sola habuimus.

De S. Hermete martyre videat Lector 3. Maij. in Martyrio S. Alexandri Papæ, &c. Tomo 3.

VITA S. AVGVSTINI EPISCOPI PRÆSTANTISSIMI ECCLESIAE DOCTORIS, EDITA À POSSIDIO, primùm eius discipulo, posteà Episcopo Calamensi.

* Possidonio

PROLOGVS AVTHORIS.

INspirante rerum omnium factore & gubernatore Deo, mei memor propositi, quo per gratiam Saluatoris, omnipotenti ac diuinę Trinitati per fidem seruire decreui, et anteà invita laicorum, & nũc in officio Episcoporum: studens ex qualicunq; accepto ingenio & sermone ædificationi prodesse sanctæ ac veræ Christi Domini catholicæ Ecclesię, de vita ac moribus prędestinati & suo tempore ꝓsentati sacerdotis optimi Augustini, quę in eodem vidi, ab eodemque audiui, minimè reticere debeo. Id enim etiam ante nos factitatum fuisse à religiosissimis sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ viris, legimus & comperimus: qui diuino afflati spiritu, sermone proprio atque stylo, & auribus & oculis scire volentium, dicendo & scribendo, similia studiosorum notitiæ intulerunt, quales quantiq; viri sancti ex communi Domini gratia in rebus humanis & viuere, & vsque in finem obitus perseuerare meruerunt. Idcireo ipse quoq; dispensatorum omnium minimus, fide non ficta, qua Domino dominãtium omnibusque bonis seruiendum & placendum est fidelibus, de prædicti venerabilis exortu viri & procursu & debito fine, quæ per eum didici & expertus sum, quamplurimis annis eius inhærens charitati, vt Dominus donauerit, explicandum suscepi. Verùm summam quæso maiestatem, quò munus huiusmodi à me arreptum ità geram & peragam, vt nec patris luminum offendam veritatẽ, nec bonorum ecclesiæ filiorum vlla ex parte fraudare videar charitatem. Nec enim attingam ea omnia insinuare, quæ idem beatissimus Augustinus in suis Confessionum libris de semetipso, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisque iam sumpta viueret, designauit. Hoc enim facere voluit, vt ait Apostolus: nè de se quisquã hominum suprà, quàm se esse nouerat, aut de se auditum fuisset, crederet vel putaret, humilitatis sanctæ more vtens, & iam nullũ fallens: sed laudẽ non suã, sed sui Domini, de propria liberatione ac munere quærens, ex ijs videlicet, quæ iam ꝓceperat, & fraternas preces poscens de ijs, quæ accipere cupiebat. Sacramentum igitur Regis, quod Angelica authoritate prolatum est, bonum est abscondere: opera autem Domini reuelare & confiteri, honorificum est.

Iacob. 1.

2 Cor. 12.

Tob. 12.

NARRATIO.

CAP. I.

AVGITVR beatissimus Augustinus ex prouincia Aphricana ciuitate Thagastensi, de numero curialium, parentibus honestis & Christianis progenitus erat, alitusque ac nutritus eorum cura ac diligentia impensisque, secularibus literis eruditus apprimè, omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam & Grammaticã priùs in sua ciuitate, & Rhetoricã in Aphricæ capite Carthagine posteà docuit. Consequenti etiam tempore trãsmare in vrbe Roma, & apud Mediolanum, vbì tunc temporis Imperatoris Valentiniani minoris comitatus fuerat constitutus. In qua vrbe tunc Episcopatum administrabat, acceptissimus Deo, & in optimis viris præclarissimus sacerdos eximius Ambro-

Augustini Patria & parentes S. Augustini.

S. Ambrosij encomium.

brosius. Huius interea verbi Dei prædicatoris frequentissimis in ecclesia disputationibus adstans in populo, intendebat suspensus atq; affixus. Verùm aliquãdò Manichęorum apud Carthaginem adolescens fuerat errore seductus: & ideo cæteris suspensior aderat, nè quid vel pro ipsa, vel contra ipsam hæresim diceretur. Sed prouénit Dei liberatoris clementia, sui sacerdotis Ambrosij cor pertractantis, vt contra illum errorẽ incidentes legis soluerentur quæstiones, atq; ità edoctus sensim atq; paulatim, hæresis illa miseratione diuina eius ex animo pulsa est. Protinusq; ipse in fide catholica confirmatus est, proficiendi in religione eidem amoris ardor tantus innatus est, vt ꝓpinquantibus diebus sanctis Paschæ salutis aquam perciperet. Et factum est, diuina præstante opitulatione, vt per illum talem ac tantum antistitẽ Ambrosium, & doctrinam salutarem Ecclesiæ catholicæ, & diuina Augustinus perciperet sacramenta.

Augustinus Manichęus.

Baptizatur ab Ambrosio.

CAP. II.

MOxque ex intimis cordis medullis ad Deum conuersus, spem omnem, quam habebat in seculo, dereliquit, iam non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores seculi quærens: sed soli Deo cum suis seruire statuit, in illo & ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens: Nolite timere pusillus grex: quoniam complacuit patri vestro vobis dare regnum: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: Facite vobis sacculos non veterascentes, thesauros non deficientes in cælis. Et illud, quod iterùm dicit Dominus, idem vir sanctus facere cupiens: Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me: Et super fidei fundamentum ædificare desiderans, non ligna, fœnum, stipulam, sed aurum, argentum & lapides preciosos. Et erat tunc annis maior triginta, sola superstite matre, nomine Monica, sibiq; adhærente, & de susceptо eius proposito seruiendi Deo ampliùs, quàm de carnis nepotibus exultante. Nam eius pater, Patritius dictus, anteà defunctus erat. Renunciauit etiam scholasticis, quos Rhetoricen docebat, vt sibi magistrum alium prouiderent, eò quòd seruire Deo ipse decreuisset.

Mira conuersio.

Luc. 12.

Matth. 19.

1. Cor. 3.

CAP. III.

ACplacuit ei, percepta baptismi gratia, cum alijs ciuibus & amicis suis, Deo pariter seruientibus, ad Aphricam & propriam domum agrosq; remeare. Ad quos veniens, & in quibus constitutus fermè triennio, & à se iam alienatis curis secularibus, cum ijs, qui eidem adhærebant, Deo viuebat, ieiunijs, orationibus, bonisq; operibus vacans, in lege Domini meditans die ac nocte. Et de ijs, quæ sibi Deus cogitanti atq; oranti intellecta reuelabat, & ꝓsentes & absentes sermonibus ac libris docebat. Contigit fortè eodem tempore, vt quidam ex ijs, quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem regium constitutus, benè Christianus Deumq; timens, cõperta eius bona fama atq; doctrina, desideraret atq; optaret eum videre, ꝓmittens se posse mundi huius oẽs contẽnere cupiditates atq; illecebras, si aliquandò ex eius ore Dei verbũ audire meruisset. Quod cùm ad se fideli suisset relatione delatum, liberare animã cupiens ab huius vitę periculis, morteq; ęterna, ad memoratam vltrò atq; confestìm venit ciuitatẽ, & hominẽ visum allocutus frequẽtiùs atq; exhortatus est, quãtùm Deus donabat, vt quod Deo vouerat, redderet. Hęc se ille facturũ de die in diem polliceba-
tur, nec tamen in eius tunc hoc impleuit præsentia. Sed vacare vtiq; & inane esse non potuit, quod per tale vas mũdum, in honorem vtile Domino, ad omne opus bonum paratum, in omni loco diuina gerebat prouidentia.

Proficiscitur in patriã vbi ieiunijs, orationibꝰ, ac pijs vacabat operibꝰ.

Eius studiũ in lucrãdis animis.

CAP. III.

EOdem itaque tempore in ecclesia Hipponensi catholica, Valerius sanctus Episcopatum gerebat. Qui cùm, flagitante ecclesiastica necessitate, de prouidendo & ornando presbytero ciuitatis, Dei plebẽ alloqueretur, & exhortaretur: iam scientes catholici sancti Augustini propositum & doctrinam, manu iniecta, quoniam & idem in populo securus & ignarus, quid futurum esset, adstabat. Solebat autẽ laicus, vt nobis dicebat, ab eis tantùm ecclesijs, quæ non haberent Episcopos, suam abstinere præsentiam. Eum ergò tenuerunt, & vt in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id vno consensu & desiderio fieri perficiq; petentibus, mágnoq; studio & clamore flagitantibus, vbertìm eo flente: nonnullis quidem lachrymas eiꝰ, vt nobis ipse retulit, tunc superbè interpretantibus, & tanq̃ eum consolantibus ac dicenti-

Valerius Episcopus Hipponen.

Ordinatur presbyter S. Augustinus

centibus, quia locus presbyterij, licèt ipse maiore dignus esset, appropinquaret tamen Episcopatui. Cùm ille homo Dei, vt nobis retulit, maiori consideratione intelligeret & gemeret, q̃ multa, & quàm magna suæ vitæ pericula de regimine & gubernatione ecclesiæ impendére ac iam hinc prouenire spectaret, atq; ideò fleret. Et eorum tũc, vt voluerunt, completum est desiderium.

CAP. V.

FActus ergò presbyter, monasterium intra ecclesiã mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundùm modũ & regulã, sub sanctis Apostolis constitutam: Maximè, vt nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia cõmunia, & distribueretur vnicuique, prout cuique opùs erat: quod iam ipse prior fecerat, dũ de transmarinis ad sua remeâsset. Sanctus verò Valerius ordinator eius, vt erat vir pijssimus & Deum timens, exultabat & Deo gratias agebat, suas exauditas à Domino fuisse preces: quas se frequentissimè fudisse narrabat: scilicet vt sibi diuinitùs homo concederetur talis, qui posset verbo DEI & doctrina salubri, Ecclesiam Dei ædificare: cui rei se homo natura Græcus, minusque Latina lingua & literis instructus, minùs vtilem peruidebat. Et eidem presbytero potestatem dedit coram se in ecclesia Euangelium prædicandi, ac frequentissimè tractandi, contra vsum quidem et consuetudinem Aphricanarum ecclesiarum. Vndè etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac prouidus, in Orientalibus ecclesijs id ex more fieri sciens, vtilitati ecclesiæ consulens, obtrectatorum non curabat linguas, dummodò factitaretur à presbytero, quod à se Episcopo impleri minimè posse cernebat. Vndè accensa & ardens, eleuata super candelabrum lucerna, omnibus qui in domo erant, lucebat. Et posteà currente & volante huiusmodi fama, bono præcedente exemplo, accepta ab Episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram Episcopis, populis tractare cœperunt verbum Dei.

Constituit monasteriũ in quo secũdùm Regulã Apostoli cam ab eo conscriptã monachos viuere voluit.

Matth. 5. Luc. 8.

CAP. VI.

SAnè tunc in illa Hipponensi vrbe Manichæorum pestilentia quamplurimos ciues & peregrinos infecerat & penetrauerat, seducente & decipiente eiusdem hæresis quodam presbytero, nomine Fortunato, ibidèm conuersante atque morante. Interea Hipponenses ciues & peregrini Christiani, tam catholici, quàm etiam Donatistę, adeunt Augustinum presbyterum, atquè deposcunt, vt illum hominem Manichęorum presbyterum, quem doctũ credebant, videret, & cum eodem de lege tractaret. Quod idem, vt scriptum est, paratus ad responsionem omni poscenti se rationem de fide & spe, quæ in Deo est, potens q; exhortari in doctrina sana, & contradicentes redarguere, minimè renuit: sed vtrùm etiã hoc Fortunatus fieri vellet, scisciatus est. At illi cõfestìm ad ipsum Fortunatũ id detulerunt, petentes & exhortãtes ac flagitantes, quòd id minimè recusaret. Sanè quoniã idem Fortunatus iam apud Carthaginem sanctum nouerat Augustinum, adhuc in eodẽ secùm errore constitutum, cum eodem congredi pauitabat. Veruntamen suorum maximè instantia coactus ac verecundatus, ꝓmisit cominùs se esse venturum, certamenq; disputandi subiturum. Vndè condicto die & loco, conuenerunt in vnũ, concurrentibus quamplurimis viris studiosis turbisq; curiosis: & apertis notariorũ tabulis, disputatio cœpta primo, & secundo finita est die. In qua ille Manichæus præceptor, vt gestorum continet fides, nec Catholicam assertionem potuit euacuare, nec Manichæorum sectam subnixa veritate valuit comprobare: sed deficiens responsione, vltimò collaturum se cum suis maioribus ea, quæ refellere non potuit, prosecutus est, & si sibi fortè de his satis minimè fecissent, suæ animæ consulturum: atq; ità ab omnibus, apud quos magnus & doctus videbatur, nihil valuisse in suæ sectæ assertione iudicatus est. Qua ille confusione affectus, & sequenti tempore de Hipponensi ciuitate profectus, ad eandem ampliùs non remeauit: Ac sic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa, quæ gesta sunt, cognouerant, error ille ablatus, catholicaq; est intimata ac comperta syncera religio.

Fortunatus presbyter Manichæus

Tit. 1.

Disputat cũ Fortunato Augustinus

Cõfusione affectus Fortunatus abit.

CAP. VII.

ET docebat ac prędicabat ille priuatìm & publicè, in domo & in ecclesia salutis verbum cum omni fidutia aduersùs Aphricanas hæreses, maximeq; contra Donatistas, Manichæos & Pelagianos, libris confectis, ac repetitis sermonibus, ineffabi-

Hęreticos egregiè confutat Augustinus.

liter admirantibus Christianis & collætantibus, & hoc ipsum, vbì poterant, non tacentibus, sed diffamantibus. Sicque, adiuuante Domino, leuare in Aphrica Ecclesia Catholica exorsa est caput, quæ multo tempore illis conualescentibus hæreticis, præcipueque rebaptizante Donati parte maiorem multitudinem Aphrorum, seducta & oppressa iacebat. Libros verò eiusdem siue tractatus, mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos omni rationis copia, atque authoritate sanctarum scripturarum, ipsi quoquè hæretici concurrentes, cum Catholicis ingenti ardore audiebant: & quisquis, vt voluit & potuit, notarios adhibens, etiam ea, quæ dicebantur, excepta descripsit. Et indè iam per totum Aphricæ corpus præclara doctrina, odoráq; suauissimus Christi, diffusa & manifestata est, congaudente, hoc quoquè comperto, Ecclesia Dei transmarina. Quoniam sicut dum patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ità etiam cùm glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Per idem tempus coram Episcopis, hoc illi iubentibus, qui plenariũ totius Aphricæ concilium Hippone agebant, de fide & symbolo presbyter adhuc Augustinus disputauit.

1. Cor. 12.

Hipponẽse Concilium.

CAP. VIII.

Attende sãctum beati Valerij animum, qui Ecclesiæ saluti studens rogat Augustinum sui loco ordinare Episcopum.

ILle verò beatus senex Valerius, cæteris ex hoc ampliùs exultans, & Deo gratias agens de concesso sibi speciali beneficio, metuere cœpit, vt est humanus animus, nè ab alia ecclesia sacerdos probatus ad Episcopatum quæreretur, & sibi auferretur. Nã & id prouenisset, nisì & hoc idem Episcopus cognito, ad locum secretum eum transire curâsset, occultatumque à quærentibus minimè inueniri fecisset. Vndè ampliùs formidans idem venerabilis senex, & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis literis apud Primatem Episcopum sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatem, & obsecrans, vt Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ cathedræ non iam succederet, sed cõsacerdos accederet Augustinus. Quæ igitur beatus Valerius optauit & rogauit, satagens rescripto impetrauit. Post quam petitionem ad visitandum aduenientem ad Ecclesiam Hipponensem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo, Valerius Antistes Episcopis, q fortè tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponensibus & vniuersæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem: omnibusq; audientibus & gratulãtibus, atq; id fieri perficiq; ingenti desiderio clamantibus, Episcopatũ susciperе contra morem Ecclesiæ, suo viuente Episcopo, presbyter Augustinus recusabat. Dumq; id fieri solere ab omnibus suaderetur, atq; id ignaro transmarinis & Aphricanis Ecclesiæ exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, & Episcopatûs curam, & maioris loci ordinationem susceрit. Quod in seipso postea fieri nõ debuisse, vt viuo suo Episcopo ordinaretur, & dixit & scripsit, propter concilij vniuersalis vetitum, quod iam ordinatus didicit: nec, quod sibi factum esse doluit, alijs fieri voluit. Vndè etiam fategit, vt concilijs constitueretur Episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis, omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda.

Cogitur esse Episcopus Valerio viuente.

CAP. IX.

ATque ita factum est, vt Episcopatu susceрto, multo instantiùs ac feruentiùs maiore authoritate, non adhuc in vna tantùm regione, sed vbicunq; rogatus venisset, verbum salutis æternę alacriter ac suauiter, pullulante atq; crescente Domini Ecclesia, prędicaret, paratus semper poscentibus reddere rationem de fide & spe, quæ in Deum est. Et eius dicta atq; excepta, maximè Donatistæ in eadem Hipponensi vel vicina manentes ciuitate, ad suos Episcopos deferebant. Quę cùm audissent, & econtrà fortè aliquid dicerent, aut à suis refellebatur, aut eadem res ad sanctum Augustinũ deferebatur: eaq; comperta, patienter ac leniter, vt scriptum est, cum timore & tremore salutem omnium operabatur: Ostendens, quod nihil illi refellere voluërint ac valuerint, quamq; verum manifestumq; sit, quod Ecclesiæ Dei fides tenet & docet. Et hęc diebus ac noctibus ab eodẽ iugiter agebantur. Nam & epistolas priuatas ad quoscunque eiusdem erroris Episcopos, & eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atq; exhortans, vt vel ab illa sę prauitate corrigerent, vel certè ad disputationes venirent. Illi verò causa diffidentiæ nihil vnquã rescribere voluërunt: sed irati furiosa loquebantur, atq; seductorem deceptoremq; animarum Augustinum esse, & priuatim & publicè conclamabant, & velut lupũ occidendum esse, in defensionẽ gregis scilicet sui, dicebant & tractabant, omniaque peccata à Deo indubitanter esse credendum posse dimitti ijs, qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec

Pugna cum Donatistis. Philip. 2.

Nota sæuitiam Donatistarum.

nec homines erubescentes. Et vt eorum causæ diffidentia cunctis innotesceret, elaborauit: & publicis gestis conuenti, non sunt ausi conferre.

CAP. X.

Circũcellionum immanitas.

HAbebant etiam ijdem Donatistæ per suas penè omnes ecclesias inauditum hominum genus, peruersum ac violentum, velut sub professione continentiũ ambulantes, qui Circuncelliones dicebantur. Et erãt ingenti numero & turba, p omnes ferè Aphricanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus, audacia superba & temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquandò parcebant, contra ius fasque * in causis interdicentes hominibus: & nisì obedissent, damnis grauissimis & cędibus afficiebant, armati diuersis telis, bacchantes per agros villasq;, vsque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes. Sed dum verbum Dei sedulò prędicaretur, & cum ijs, qui oderunt pacem, pacis ratio haberetur, illi pacem loquentem debellabant gratìs. Cumque aduersus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant & poterant, sese indè vel eripiebant, vel subducebant, & paci atque vnitati Ecclesię cum suis, quibus poterant, cohærebant. Vndè illi sui erroris congregationem minui videntes, atque augmentis Ecclesiæ inuidentes, accensi exardescebant ira grauissima, & intolerabiles persecutiones vnitati Ecclesiæ compacti faciebant: ipsisque sacerdotibus catholicis & ministris aggressiones diurnas atq; nocturnas, direptionesq; rerum omnium vi inferebant. Nam & multos Dei seruos cędibus debilitauerunt: aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Vndè etiam suis ijdem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant.

* incautis

Psalm. 119.

Sæuiunt in Ecclesię ministros Circucelliones

CAP. XI.

Nota cũ S. Augustino in monasterio vixisse seruos Dei.

PRoficiente verò doctrina diuina, sub sancto & cum sancto Augustino in monasterio Deo seruiẽtes, Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente & clarescente de die in diẽ Ecclesię catholicæ prędicationis veritate, sanctorumque seruorum Dei proposito continentiæ & paupertate profunda, ex monasterio, quod per illum venerabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere Episcopos & clericos pax Ecclesiæ atque vnitas & cœpit primò, & posteà consecuta est. Nam fermè decem, quos ipse nóui, sanctos ac venerabiles viros, continentes & doctissimos, beatus Augustinus diuersis ecclesijs, nonnullis quoquè eminentioribus, rogatus dedit. Similiterque & ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes, Domini ecclesijs propagatis, & monasteria instituerunt, & studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris ecclesijs promotos fratres ad susciрiendum sacerdotium pręstiterũt. Vndè per multos & in multis salubris fidei, spei, & charitatis Ecclesiæ innotescente doctrina, non solùm per omnes Aphricanas partes, verumetiam in transmarinis & per libros editos, atque in Græcum sermonem translatos, ab illo vno homine, & per illum multis, fauente Deo, multa innotescere meruerunt. Atque hinc, vt scriptum est, peccator videns irascebatur, dentibus suis frendebat & tabescebat: serui autem Christi, vt dictum est, cum ijs, qui oderunt pacem, erãt pacifici, & cùm loquerentur, debellabantur gratìs ab eis.

Multi eius ad Epis. copatum assumuntur.

Psalm. 111.

Psalm. 119.

CAP. XII.

Circũcelliones ei insidiantur.

ALiquoties verò etiam vias armati ijdem Circuncelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum fortè iret rogatus ad visitandas, instruendasque & exhortandas catholicas plebes: quod ipse frequentissimè faciebat. Et aliquandò contigit, vt illi succenturiati hactenùs perderent captionem: euénit quidem Dei prouidẽtia, sed ductoris hominis errore, vt per aliam viam cum suis comitibus sacerdos quò tendebat, venisset, atque per hunc, quem postea cognouit, errorem manus impias euasisset. Et cùm in omnibus liberatori Deo gratias egisset, illi omninò suo more nec laicis, nec clericis pepercerunt, sicut publica testantur gesta. Interea silendum non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregij in ecclesia viri studium, domusq; Dei zelum, aduersùs prædictos rebaptizatores Donatistas gestum & perfectum est. Cùm fortè vnus ex ijs, quos de suo monasterio & clero Episcopus ecclesiæ propagauerat, ad suam curam pertinentem Calamensis ecclesiæ diœcesim visitaret, vt quę dicerat pro pace Ecclesiæ, contra illam hæresim prædicaret: factum est, vt in medio itinere, cùm eorum insidias incurrisset, ægrè cum omnibus se comitantibus euaserit, iniu-

Is fuit Possidius.

iniuria tamen, ablatis per vim iumentis alijsque rebus, grauissimè affectus. De qua re, nè pacis ecclesię amplius impediretur profectus, defensor ecclesię inter leges nõ siluit. Et præceptus est Crispinus, qui ijsdem Donatistis in Calamensi ciuitate & regione Episcopus fuit, prædicator scilicet falsus, & multi temporis doctor, ad mulctam teneri auraria̅, publicis legibus contra hæreticos constitutam. Qui resultans legibus, cùm præsentatus apud Proconsulem se negaret hæreticum, oborta est necessitas, vt illi, recedente Ecclesiæ defensore, à catholico Episcopo resisteretur, & conuinceretur, eum esse, quod se fuisse negauerat: Quoniam si à Catholico dissimularetur, fortè Catholicus Episcopus, qui erat hæreticus, crederetur, illo se, quod erat, negante, atque ità ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur. Et tunc memorabili Augustino antistite omnimodis instante, ad controuersiam ambo ipsi Calamenses Episcopi, Catholicus scilicet & hæreticus, venerunt, & de ipsa diuersa communione tertio conflictu secùm egerunt, magna populorum Christianorum multitudine causæ exitum, & apud Carthaginem, & per totam Aphricam expectante: atque ille Crispinus proconsulari & libellari sententia est pronunciatus hæreticus: Proque illo apud cognitorem catholicus Episcopus intercessit, ne auraria multa exigeretur, & ei beneficium est impetratum. Vndè cùm ingratus ad pijssimum principem prouocâsset, ab Imperatore est responsum & consequenter præceptum, nullo prorsùs loco hæreticos Donatistas esse debere, & eos ad vim legum omnium, contra hæreticos latarum, vbique teneri debere. Ex quo & idem Crispinus, & cęteri sibi compares hæretici, præcepti sunt denas auri libras fisci iuribus inferre. Sed protinùs opera data est per Catholicos Episcopos, præcipuè per sanctæ memoriæ Augustinum, vt illa omniũ condemnatio, memorati principis dimitteretur indulgentia. Et Domino adiuuãte, perfectum est. Qua diligentia & sancto studio multùm creuit sancta Ecclesia.

Crispinus hæreticus confusus succumbit.

CAP. XIII.

ET de his omnibus, pro pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus & hîc palmã dedit, & apud se iustitiæ coronam reseruauit: ac sic magìs magisque iuuante Christo, de die in diem augebatur & multiplicabatur pacis vnitas, & Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maximè factum est post Collationem, quæ ab vniuersis Episcopis Catholicis apud Carthaginẽ cum eisdem Donatistarum Episcopis postmodùm facta est, adiuuante glorioſissimo & religioſissimo Imperatore Honorio: propter quod perficiendum, etiam à suo latere Tribunum Marcellinum ad Aphricam iudicem miserat. In qua controuersia illi omnimodis confutati, atq; de errore à catholicis conuicti, sententia iudicis notati sunt, & post eorum appellationem, pijssimi Regis responso iustè inter hæreticos condemnati sunt. Ex qua ratione solito ampliùs eorum Episcopi, cum suis clericis & plebibus communicauerunt, & pacem tenẽtes Catholicam, multas eorum, qui catholicam aspernabantur fidem, persecutiones, vsque ad membrorum amputationem & internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, vt dixi, per sanctum illum hominem Augustinum, cõsentientibus coëpiscopis & pariter sat agentibus, & cœptum, & perfectum est.

Collatio Catholicorum cum Donatistis apud Carthaginẽ

CAP. XIIII.

PORRÒ autem quoniam post illam, quæ cum Donatistis facta est, Collationem, nõ defuerunt qui dicerent, permissos non fuisse eosdem Episcopos apud potestatẽ, quę causam audiuit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam catholicæ cõmunionis cognitor sue fauebat Ecclesiæ: licèt hoc deficientes & victi, ad excusationẽ iactarent: quandoquidẽ & antè controuersiam ijdem hæretici catholicę communionis eundẽ esse nouerant, & cùm ab eodem conuenirentur publicis gestis, q̃ ad Collationem occurrerent, se esse facturos prosecuti sunt. Poterant vtiq; suspectũ eum habentes recusare congressum: tamen omnipotentis Dei præstitit auxilium, vt posteà in Cęsareensi Mauritaniæ ciuitate constitutus venerabilis memoriæ Augustinus, quò eum venire cum alijs coëpiscopis Sedis Apostolicæ literæ compulerunt, ob terminandas videlicet alias Ecclesiæ necessitates: hac ergò occasione prouenit, vt Emeritum, eiusdem loci Donatistarum Episcopum, quem suę sectæ præcipuum in illa Collatione habuerũt defensorẽ, videret, & cum eodem publicè in ecclesia, populo adstante diuersæ communionis, ex hoc ipso disputaret, & prouocaret gestis Ecclesiasticis: vt quod fortè, sicut

Nota authoritatem Rõ. Pontificis.

sicut dicebant, prosequi potuit in Collatione, sed pmissus non fuerat, in presenti sine alicuius potestatis prohibitione aut potentia, securus dicere minimè dubitaret, & in sua ciuitate, suis omnibus præsentibus ciuibus, fidutialiter propriam defendere communionem non denegaret. Ille nec hac hortatione, nec suorũ parentum & ciuiũ instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur se ad eius redituros cõmunionem, etiam cum discrimine patrimoniorum, salutisq; suæ temporalis, si modò catholicam superaret assertionem. At ille ampliùs dicere illis gestis nihil voluit, nec valuit, nisì tantùm, Iam illa, inquit, gesta continẽtur apud Carthaginem inter Episcopos cõfecta, vtrùm vicerimus, an victi fuerimus. Et dum à notario alio loco, vt responderet, admoneretur & reciteret, eius cunctis manifestata diffidentia, Ecclesiæ Dei augmenta ac firmamenta prouenerunt. Quisquis ergò diligentiam & operã beatissimæ memoriæ Augustini pro Ecclesiæ Dei statu cognoscere plenìus voluẽrit, etiam illa percurrat gesta: & inueniet quæ vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquẽtem & prædicatum hominem prouocârit, hortatusque fuerit, vt pro suæ defensione partis, quod vellet ediceret, illumque victum cognoscet.

Emeritus hæreticus vincitur.

CAP. XV.

SCio itèm non solùm ipse Possidius prę̃sul, qui vitam hãc conscripsi, verùm etiam alij fratres & conserui, qui nobiscùm tunc intrà Hipponensem ecclesiam cum eodem sancto viro viuebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse: Aduertistis hodiè in ecclesia meum sermonem, eiusque initium & finem contra meam consuetudinem processisse: quoniam non tam rem terminatam explicuerim, quam proposueram, sed pendentem reliquerim? Cui respondimus: Ità nos in tempore miratos fuisse & scimus, & recognoscimus. At ille: Credo, ait, quòd fortè aliquem errantem in populo Dominus per nostram obliuionem & errorem doceri & curari voluerit, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri. Nam cùm propositæ quæstionis latebras pertractarem, in alium sermonis excursum perrexi, atq; ità non conclusa vel explicata quæstione, disputationem terminaui, magis aduersùm Manichæorum errorem, vndè nihil dicere decreueram, disputans, quàm de ijs, quæ asserere proposueram. Et post hæc, nisì fallar, eccè alio die vel post biduum venit quidam, Firmus nomine, negociator, & intrà monasterium sedente sancto Augustino coram nobis, ad pedes eius genibus peruolutus, sese iactauit, lachrymas fundens, & rogans, vt pro eius delictis sacerdos cùm suis Dominum deprecaretur, confitens quòd Manichæorum sectã secutus fuisset, & in ea quamplurimis annis vixisset, & propterea pecuniam multam ipsis Manichęis, vel eis, quos dicunt electos, incassùm erogâsset: ac se in Ecclesia per Dei misericordiam fuisse eius tractatibus nupèr correctum, atq; catholicũ factum. Quod & ipse venerabilis Augustinus, & nos, qui tunc aderamus, ab eodẽ diligenter inquirentes, ex qua re potissimùm in illo tractatu sibi fuerit satisfactum, & referente eo, nobisq; omnibus sermonis seriem recognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes & stupentes, glorificauimus sanctũ eius nomen & benedeximus: qui cùm voluërit, & vndè voluërit, & quomodò voluërit, & per scientes, & per nescientes animarum operatur salutem. Ex eo ille homo proposito seruorum Dei adhærens, negociatoris dimisit actionem, & proficiens in Ecclesiæ membris, in alia regione ad presbyterij quoquè Dei voluntate petitus & coactus officium accessit, tenens atque custodiens propositi sanctitatem: & fortè adhuc vsque nunc in rebus humanis viuit trans mare constitutus.

Possidius ille huius historiæ scriptor.

Manichæus conuertitur eiꝰ cõcione nõ sine miraculo.

CAP. XVI.

APud Carthaginem quoq;, dum per quendam domûs regię procuratorẽ, nomine Vrsum, fidei catholicę hominem, ad quosdam Manichęorum, quos electos vel electas dicunt, blasphemis operibus præsentes perueniretur, atq; ad ecclesiam ab eodem deducerentur, & perducerentur ab Episcopis, ad tabulas auditi sunt. Inter quos etiam sanctæ memoriæ Augustinus fuit, qui præ cæteris illam execrabilem sectam nouerat, & eorum prodens eiusmodi damnabiles blasphemias, ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichæi, vsque ad confessionem earundem blasphemiarum eos perduxit: & quę inter se illi suo more malo indigna & turpia facere consueuerunt, à fœminarum illarum velut electarum proditione, illis ecclesiasticis gestis declaratũ est. Atque ità pastorum diligentia Dominico gregi & augmentum accessit, & aduersùs fures

Sanctus Augustinus Manichæos ad confessionẽ suarũ blasphemiarũ vsque perducit.

Felix Manichæus conuertitur.

fures atq; latrones defensio competẽs procurata est. Cum quodã etiã Felice de numero eorum, quos electos dicunt, ijdem Manichæi, quiq; Hipponem venerat, eundem seminaturus errorem, publicè in Hipponensi ecclesia notarijs excipientibus disputauit beatus Augustinus, populo adstante, & post secundam vel tertiam collationẽ ille Manichæus, frustrata vanitate & errore illius sectæ, ad nostram conuersus est fidem atq; Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura.

CAP. XVII.

Pascentius Comes fidẽ catholicam oppugnat atrocissimè

PRætereà cum quodam etiam Pascẽtio, Comite domûs regiæ Arriano, qui per authoritatem suæ personæ fisci vehementissimus exactor, fidem Catholicam atrociter ac iugiter oppugnabat, & quamplurimos sacerdotes Dei, simpliciori fide viuentes, dicacitate ac potestate exagitabat & perturbabat, præsentibus honoratis & nobilibus viris, apud Carthaginem ab illo prouocatus, coràm contulit. Sed idem Hæreticus tabulas atque stylum, quod magister noster & ante congressum & in congressu instantissimè fieri volebat, vt adessent omnimodò recusauit: & dum id pernegâsset, dicens quòd legum metu publicarum periclitari tabulis scriptis nollet: interpositis stylo & tabulis, Augustinus Episcopus cùm suis, qui aderant, consacerdotibus id placere videret, vt absquè vlla scriptura priuatim disputarent, collationem suscepit, prædicens quod postmodùm contigit, quòd post solutum conuentum esse cuiquam posset liberum fortè dicere, nullo scripturæ documento se dixisse, quod fortè nõ dixerit, vel nõ dixisse, quod dixerit. Et sic miscuit cum eodem sermonem, atq; asseruit quid crederet: & ab illo, quid teneret, audiuit, & vera ratione atque authoritate scripturarum probata docuit & ostendit nostræ fidei firmamẽta: Illius autem asserta, nulla veritate, nulla scripturarum sanctarum authoritate suffulta docuit & frustrauit. Et vt à se inuicẽ partes digressæ sunt, ille magis magisq; iratus & furens, mendacia multa pro fide sua falsa iactabat, victum esse à seipso proclamans, multorum ore laudatum Augustinũ. Quæ cùm illum venerabilem virũ minimè laterent, coactus est ad ipsum scribere Pascentiũ, propter illius metum omissis nominibus cõferentium: & in eis literis, quicquid inter partes dictum vel gestũ fuerat, fideliter intimauit, ad ea, si negarentur probanda magnam testium habens copiam, clarissimos scilicet atq; honorabiles, q̃ tunc aderant, viros. Atque ille ad duo sibi directa scripta, vnum vix reddidit rescriptum: in quo magis iniuriam facere, quàm suę sectæ rationem valuit declarare. Quod à volentibus & à valentibus legere comprobatur. Cum ipsorum quoq; Arrianorũ Episcopo quodam Maximino, cum Gotthis ad Aphricam veniẽte, apud Hipponem quamplu-

Impudens Pascentij mendaciũ.

Disputat cũ Maximino S. Augustin.

ribus volentibus atq; petentibus, & præclaris interpositis viris, contulit, & quid singulæ asseruerint partes, scriptum est. Quæ si studiosi diligenter legere voluẽrint, procul dubiò indagabunt, & quid callida & irrationabilis hæresis ad seducendum & decipiẽdum profiteatur, & quid Ecclesia catholica de diuina teneat & p̃dicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de sua multa in collatione loquacitate victorem se de ipsa collatione recessisse iactauit, & mẽtitus est, quæ vtique non facilè à diuinæ legis ignaris examinari & dijudicari possent: à venerabili viro Augustiño sequenti tempore stylo, & illius totiùs collationis de singulis obiectis & responsis facta est recapitulatio: & quàm nihil ille obiectis referre & responsis contradicere potuerit, nihilominùs demonstratum est, additis supplementis, quę in tempore collationis angusto cũcta inferri & scribi minimè potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis, vt sua nouissima prosecutione multùm longissima, totum, quod remanserat, diei spatium occuparet.

CAP. XVIII.

ADuersùs Pelagianistas quoquè, nouos nostrorum temporũ hęreticos & disputatores callidos, arte magis subtili noxia scribentes, & vbicunque poterant, publicè & per domos loquentes, per annos fermè decem laborauit, librorum multa condens & edens, & in ecclesia populis ex eodẽ errore frequentissimè disputans. Et quoniam ijdem peruersi Sedi Apostolicæ per suam ambitionem eandẽ perfidiam persuadere conabantur, instantissimè etiam concilijs Aphricanis sanctorum Episcoporum gestum est, vt sancto Papæ vrbis Romæ, & priùs venerabili Innocentio, & postea sancto Zozimo eius successori persuaderetur, quàm illa secta à Catholica fide abominanda & damnanda fuisset. At illi tantæ Sedis Antistites, suis diuersis tẽporibus eosdem

dem notantes, atq; à membris Ecclesiæ præcidẽtes, datis literis ad Aphricanas Orientis & Occidẽtis Ecclesias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Ecclesiæ catholicæ prolatum iudicium, etiam pijssimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Vndè nonnulli ex eis, ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, vndè resiliërant, rediêrunt, & adhuc alij redeunt, innotescente & præualescente aduersùs illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate. Et erat ille memorabilis vir Augustinus, præcipuum Dominici corporis membrum, circa vniuersalis Ecclesiæ vtilitatẽ solicitus semper ac peruigil. Et illi diuinitùs donatum est, vt de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere prouenisset: priùs quidem in Hipponensi Ecclesia & regione, cui maximè præsidebat vnitate ac pace perfecta; deindè in alijs Aphricæ partibus, siue per seipsum, siue per alios, & quos ipse dederat sacerdotes pullulâsse, & multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam peruidens, illosq; Manichæos, Donatistas, Palagianistas & Paganos ex magna parte defecisse, & Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens. Profectibus quoquè & studijs fauens erat & exultans bonorum omnium, indisciplinationem piè ac sanctè tolerans fratrum, ingemiscensq́e de iniquitatibus malorum, siue eorum, qui intrà Ecclesiã, siue eorum, qui extra Ecclesiam sunt constituti, Dominicis, vt dixi, lucris semper gaudens, & damnis mœrens. Tanta autem ab eodem dictata & edita sunt, tantaq́ue in Ecclesia disputata, excepta atque emendata, vel aduersùs diuersos hæreticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, vt ea omnia vix quisquam studiosorum nôsse & perlegere sufficiat. Veruntamen nè veritatis auidissimos in aliquo fraudare videamur, statui, Deo præstante, in huius opusculi fine etiam eorundem librorum, tractatuum & epistolarum indiculum adiungere. Quo lecto, qui magis Dei veritatem, quàm temporales amant diuitias, sibi quisque, quod voluerit, ad legendum & cognoscendum eligat, & id ad scribendũ vel de Bibliotheca Hipponensis ecclesiæ petat, vbi emendatiora exemplaria fortè potuerit inuenire: vel vndè vasuerit inquirat, & inuenta describat & habeat, & petenti ad scribendum, sine inuidia etiam ipse tribuat.

Pelagiani dãnantur à Rõ. Pontificibus.

Recipitur edictũ Pontificis ab Honorio tum. peratore.

Magna scriptorum & operũ eius copia.

CAP. XIX.

SEcundùm Apostoli quoquè sententiam, dicentis: Audet quisquam vestrûm aduersùs alterum negocium habens, iudicari ab iniquis, & non apud sanctos? An nescitis, quia sancti mundum iudicabunt? Et si in vobis iudicatur mundus, indigni estis iudiciorum minimorum? Nescitis quia Angelos iudicabimus, nedùm secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis inter vos, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis loquor. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum dijudicare, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Interpellatus ergo beatus Augustinus à Christianis, vel à cuiuscunque sectæ hominibus, causas audiebat diligenter ac piè: cuiusdam verò sententiam ante oculos habens, dicentis se mâlle inter incognitos, quàm inter amicos causas audire: eô quòd de incognitis, pro quo arbitrata æquitate iudicaretur, amicum posset acquirere: de amicis verò vnum esset, contra quem sententia proferretur, perditurus. Et eas aliquandò vsque in horam refectionis, aliquandò autem tota die ieiunans, semper tamen noscebat & dirimebat, intendẽs in eis Christianorum momenta animorum, quantùm quisque vel in fide bonisq́ue operibus proficeret, vel ab ijs deficeret: atque compertis rerum opportunitatibus, diuinæ legis veritate partes docebat, eamq́ue illis inculcabat, & eos quo adipiscerentur vitam æternam, edocebat & admonebat: nihil aliud quærens ab ijs, quibus ad hoc vacabat, nisi tantùm obedientiam & deuotionẽ Christianam, quæ & Deo debetur & hominibus: peccantes coram omnibus arguens, vt cæteri timorem haberent. Et faciebat hoc tanquàm speculator à Domino constitutus domui Israël, prædicans verbum, atque instans opportunè, importunè, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate & doctrina, præcipueq́ue operam dans instruere eos, qui essent idonei & alios docere. Rogatus quoquè à nonnullis, in eorum temporalibus causis, epistolas ad diuersos dabat. Sed hanc suam à melioribus rebus occupationem tãquàm angariam deputabat: suauem semper habens de ijs, quæ Dei sunt, vel allocutionem, vel collationem fraternæ & domesticæ familiaritatis.

1. Cor. 6.

Audit cautius omniũ accuratè & piè.

1. Tim. 4.

CAP. XX.

NOuimus quoquè eum, à ſuis chariſſimis literarum interceſſum apud ſeculi poteſtates poſtulatum, non dediſſe, dicentem, cuiuſdam ſapientis ſeruandam eſſe ſententiam, de quo ſcriptum eſſet, quòd multa ſuæ famæ cõtemplatione amicis non præſtitiſſet: Illud nihilominùs ſuum addens, quoniam plerunq; poteſtas, quę præſtat, premit. Cùm verò intercedendum eſſe rogatus videbat, tam id honeſtè ac temperatè agebat, vt non ſolùm oneroſus ac moleſtus nõ videretur, verumetiam mirabilis exiſteret. Nam dum exorta neceſſitate ſuo more apud quendam Aphricæ vicarium, nomine Macedonium, pro ſupplice literis interueniſſet, atque ille paruiſſet, hoc modo reſcriptum tranſmiſit: Miro modo afficior ſapientia tua, & in illis, quæ edidiſti, & in ijs, quæ interueniens pro reis mittere non grauaris. Nam illa tantùm habent acumi-nis, ſcientiæ & ſanctitatis, vt nihil ſuprà ſit: & hæc tantum verecundiæ, vt nisì faciam, quod mandas, culpam penès me remanere, non in negocio eſſe, dijudicem, domine meritò venerabilis & verè* ſuſcipiende pater. Non enim inſtas, (quod plerique homines iſtius loci faciunt) vt quodcunq; ſolicitus petitor voluerit, extorqueas: ſed quod tibi à iudice tot curis obſtricto petibile viſum fuerit, admones, & rogas ſubſeruiente verecundia, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia eſt. Proindè ſtatìm commendatis effectum deſiderij tribui. Nam ſperandi viam antè patefeceram.

Vt pro alijs interceſſerit.

Epiſt. 51.

CAP. XXI.

SAnctorum concilia ſacerdotum, per diuerſas prouincias celebrata, cùm potuit, frequentauit, non in eis quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quærens, vt vel fides ſanctæ Eccleſiæ catholicæ inuiolata maneret, vel nonnulli ſacerdotes & clerici, ſiue per fas, ſiue per nefas excommunicati, vel abſoluerentur, vel abijcerentur. In ordinandis verò ſacerdotibus & clericis, conſenſum maiorẽ Chriſtianorum, & conſuetudinem Eccleſiæ ſequendam eſſe, arbitrabatur.

Non quæ ſua ſunt quærebat, ſed quæ ſũt Ieſu Chriſti

CAP. XXII.

VEſtis eius & calceamenta & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abiecta plurimùm: quia his plerunque vel iactare ſe inſolenter homines ſolent, vel abijcere, ex vtroque non quæ Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, ijdem quærentes. At iſte beatus, vt dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in ſiniſtram declinans. Menſa vſus eſt frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquandò, propter hoſpites vel quoſque infirmiores, continebat. Semper autem vinum habebat, quanuis modicè & temperanter, quia nouerat & docebat, vt Apoſtolus dicit, quòd omnis creatura Dei bona ſit, & nihil abijciẽdum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et vt idem Auguſtinus in ſuis Confeſſionum libris poſuit, dicens: Non ego immunditiam obſonij timeo, ſed immunditiam cupiditatis. Scio enim Noë omne genus carnis quod cibo eſſet vſui, manducare permiſſum, Eliam cibo carnis refectum, Iohannem mirabili abſtinentia præditum, animalibus, hoc eſt, locuſtis in eſcam cedentibus, non fuiſſe pollutũ. Scio & Eſau lenticulæ concupiſcẽtia deceptum, & Dauid propter aquę deſiderium à ſeipſo repræhenſum, & Regem noſtrum, non de carne, ſed de pane eſſe tentatum. Ideoque & populus in eremo, non quia carnes deſiderauit, ſed quia eſcæ deſiderio contra Deum murmurauit, meruit improbari. De vino autem ſumendo Apoſtoli extat ſententia, ad Timotheum ſcribentis ac dicentis: Noli vſque adhuc aquam bibere, ſed vino modico vtere propter ſtomachum & frequentes tuas infirmitates. Cochlearibus tantùm argenteis vtens, cætera vaſa, quibus menſæ inferebãtur cibi, vel teſtea, vel lignea, vel marmorea erant: nõ tamen neceſſitatis inopia, ſed propoſito voluntatis. Sed & hoſpitalitatẽ ſemper exhibuit. Et in ipſa menſa magìs lectionem vel diſputationem, quàm epulationem potationemque diligebat: & contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis, in ea ità ſcriptum habebat.

Eius victus & veſtitus.

1. Tim. 4.

Lib. 10. c. 31.

Gen. 9.

3. Reg. 17.

Gen. 25.

2. Reg. 23.

1. Tim. 5.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam veritam nouerit eſſe ſibi.

Et ideò omnem conuiuam à ſuperfluis & noxijs fabulis & detractionibus ſeſe abſtinere debere admonebat. Nam & quoſdam ſuos familiariſſimos coëpiſcopos illius ſcripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam aſperè aliquandò repræhendit commotus, vt diceret, aut delendos eſſe illos de menſa verſus, aut ſe de media refectione ad ſuum cubiculum ſurrecturum. Quod ego & alij, qui illi menſæ interfuimus, experti ſumus.

Legis menſæ ipſius.

CAP.

CAP. XXIII.

PAuperum verò ſemper memor erat, eiſq́ue indè erogabat, vndè & ſibi ſuiſq́; omnibus ſecum habitantibus erogabatur, hoc eſt, vel ex redditibus poſſeſſionum eccleſiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè, vt aſſolet, de poſſeſſionibus ipſis inuidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, mâlle ſe ex collationibus plebis Dei viuere, quàm illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati, & paratum ſe eſſe illis cedere, vt eo modo oẽs Dei ſerui & miniſtri viuerent, quo in veteri teſtamento leguntur altari deſeruientes, de eodem cõparticipari. Sed nunquàm id laici ſuſcipere voluërunt.

Eius in pauperes liberalitas.

CAP. XXIIII.

DOmûs eccleſiæ curam omnemq́; ſubſtantiam, ad vices valentioribus clericis delegabat & credebat: Nunquàm clauem, nunquàm annulum in manu habẽs: ſed ab eiſdem domûs Prępoſitis cuncta & accepta, & erogata notabantur. Quę anno completo eidem recitabantur, quô ſciretur, quantum acceptum, quantumq́; diſpenſatum fuiſſet, vel quicquid indiſpenſatum vel diſpenſandum remãſiſſet: & in multis titulis magìs illius præpoſiti domûs fidem ſequens, quàm probatum manifeſtatumq́; cognoſcens. Domum verò, vel agrum, ſeu villam nũquàm emere voluit. Verum ſi fortè eccleſiæ à quoquam ſpontè tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, nõ reſpuebat, ſed ſuſcipi iubebat. Nam & aliquas eum hereditates recuſâſſe nouimus, nõ quia pauperibus inutiles eſſe poſſent, ſed quoniam iuſtum & æquum eſſe videbat, vt à mortuorum vel filijs vel parentibus vel affinibus magìs poſſiderentur, quibus, ab eis deficientes, dimittere noluerunt. Quidam etiam ex honoratis Hipponenſium, apud Carthaginem viuens, eccleſiæ Hipponenſi poſſeſſionem donare voluit, & cõfectas tabulas, ſibi vſufructu retento, vltrò eidem ſanctæ memoriæ Auguſtino miſit. Cuius ille oblationem libenter accepit, congratulans ei, quòd æternæ ſuæ memor eſſet ſalutis. Verùm poſt aliquot annos, nobis fortè cum eodem cominùs conſtitutis, eccè ille donator literas per filium ſuum mittens, rogauit vt illæ donationum tabulę ſuo filio redderentur, pauperibus verò erogandos direxit ſolidos centum. Quo ille ſanctꝰ cognito, ingemuit, hominem vel finxiſſe donationem, vel eum de bono opere pœnituiſſe, & quanta potuit, Deo ſuggerente cordi eius, condolente animo ex eadem refragatione dixit, in illius ſcilicet increpationem & correctionem: Et tabulas, quas ille ſponte miſerat, nec deſideratas, nec exactas, confeſtìm reddidit, pecuniamque illam reſpuit: atque reſcriptis eundem, ſicut oportuit, & arguit & corripuit, admonens, vt de ſua ſimulatione vel iniquitate cum pœnitentiæ humilitate Deo ſatisfaceret, ne cum tam graui delicto de ſeculo exiret. Frequentiùs quoquè dicebat, ſecuriùs ac tutiꝰ eccleſiam legata à defunctis dimiſſa debere ſuſcipere, quàm hæreditates fortè ſolicitas & damnoſas, ipſaque legata magìs offerenda eſſe, quàm exigenda. Commendata verò quæque ipſe non ſuſcipiebat, ſed volentes ſuſcipere clericos non prohibebat. In his quoque quæ eccleſia habebat & poſſidebat, intentus amore, vel implicatus cupiditate non erat: ſed maioribus magìs & ſpiritalibus ſuſpenſus & inhærens rebus, vix aliquandò ſeipſum ad iſta temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat & deponebat. Quibus citiſſimè ille diſpoſitis & ordinatis, tanquàm à rebus mordacibus & moleſtis, animi recurſum ad interiora mentis & ſuperiora faciebat, quô vel de inuenien dis diuinis rebus cogitaret, vel de iam inuentis aliquid dictaret, aut certè ex iam dictatis atque tranſcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, & in nocte lucubrans. Et erat tanquàm illa religioſiſſima Maria, typum geſtans ſuperiæ Eccleſiæ, de qua ſcriptum eſt, quòd ſederet ad pedes Domini, atque intenta verbum eius audiret: De qua ſoror conqueſta, quòd ab eadem circa multum miniſterium occupata non adiuuaretur, audiuit: Martha Martha, ſolicita es: Elegit optimam partem Maria, quæ non auferetur ab ea. Nam fabricarum nouarum nunquàm ſtudium habuit, deuitans in eis implicationem ſui animi, quem ſemper líberum habere volebat ab omni moleſtia temporali. Non tamen illas volentes & ædificantes prohibebat, nisì tantùm immoderatos. Interea dum eccleſiæ pecunia deficeret, hoc ipſum populo Chriſtiano denunciabat, non ſe habere, quod indigentibus erogaret. Nam & de vaſis Dominicis propter captiuos & quamplurimos indigentes, frangi & conflari iubebat, & indigentibus diſpenſari. Quod non commemorâſſem, nisì contra carnalem ſenſum quorundam fieri peruiderem. Et hocipſum etiam venerabilis memoriæ Ambroſius in talibus neceſſitatibus indubitanter eſſe faciendum & dixit & ſcripſit.

Vide quibꝰ rebus animum occupârit ſuum.

Luc. 10.

sed & indè de neglecto à fidelibus gazophylacio, & secretario, vndè altari necessaria inferuntur, aliquandò in ecclesia loquens admonebat: quod etiam beatissimum Ambrosium, se præsente in ecclesia tractauisse, nobis aliquandò retulerat.

CAP XXV.

CVm ipso semper clerici, vna etiam domo ac mensa, sumptibusq; communibus celebantur & vestiebantur. Et nè quisquam facili iuratione etiam ad periurium decidisset, & in ecclesia populo prædicabat, & suos instituerat, nè quis iuraret, nec ad modicum quidem. Quòd si prolapsus fuisset, vnam de statutis perdebat potionem. Numerus enim erat suis secùm commorantibus & conuiuantibus poculorum præfixus. Indisciplinationes quoquè & transgressiones suorum à regula recta & honestate, & arguebat, & tolerabat, quantùm decebat & oportebat: in talibus præcipuè docens, nè cuiusquam cor declinaretur in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis. Docebat ibidèm, dum quisque offerret munus suum ad altare, & illic recordatus fuisset, quòd frater suus haberet aliquid aduersùs illum, relinquendum esse munus ante altare, atq; eundem fratrem esse reconciliandum: & tunc veniendum, & munus ad altare offerendum. Si verò ipse aduersus fratrem suum aliquid haberet, corripere eũ debere in parte: & si eum audisset, lucratus esset suum fratrẽ: si minùs, adhibendum esse vnũ aut duos. Quòd si & ipsos cõtemneret, Ecclesiam adhibendam. Si verò & huic non obediret, esset illi vt ethnicus & publicanus. Et illud addens, vt fratri peccanti & veniam petenti, non tantùm septiès, sed septuagiesseptiès delictum relaxetur, sicut quisq; à Domino quotidiè sibi postulat relaxari.

Pœna iurantis.

Nota de certo numero hauſtuum.

Pſalm. 140.

Matth. 5.

CAP. XXVI.

FOeminarum autem intrà domum eius nulla vnq̃ conuersata est, nulla mãsit, nec quidem germana soror: quæ vidua Deo seruiens, multo tempore vsq; in diem obitûs sui præpositа ancillarum Dei vixit. Sed neq; patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter Deo seruiebant: Quas personas sanctorum Episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore & neptibus secùm commorantibus, nulla nasci possit mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine alijs necessarijs secumque manentibus fœminis esse non possent, & quod eas etiam aliæ à foris intrarent, de ijs posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci, & illos, qui cum Episcopo vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum personis vnà commorantibus aut aduentantibus, tentationibus humanis posse perire, aut certè malis hominum suspicionibus pessimè diffamari: ob hoc ergò dicebat, nunquàm debere, fœminas cum seruis Dei etiam castissimis, in vna manere domo, nè, vt dictum est, aliquod scãdalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si forte ab aliquibus fœminis, vt videretur vel salutaretur, rogabatur, nunquàm sine clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis vnquàm est locutus, nec si secretorum aliquid interesset.

Nullã apud se fœminã patitur.

Nunquam ſine clericis teſtibus loquutus eſt mulieribus.

CAP. XXVII.

IN visitationibus verò modum tenebat ab Apostolo definitum, vt nõ nisì pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si fortè ab ægrotãtibus ob hoc peteretur, vt pro eis in præsenti Deũ rogaret, eisq; manus imponeret, sine mora pergebat. Fœminarum aũt monasteria non nisì vrgentibus necessitatibus visitabat. Seruandũ quoq; in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in institutis sanctæ memoriæ Ambrosij compererat: vt vxorem cuiquam nunq̃ posceret, neq; militare volentem ad hoc cõmendaret, neq; in sua patria petitus iret ad conuiuium: De singulis rebus præstans causas, scilicet, nè, dum inter se coniugati, casu iurgarent, ei maledicerent, per quem coniuncti essent. Sed planè ad hoc sibi iam illis consentientibus petitum interesse debere affirmabat sacerdotem, vt vel eorum iam pacta & placita firmarentur, vel benedicerentur. Et nè militiæ commendatus ac malè agens, suam culpam suffragatori tribueret. Et nè per frequentiam conuiuiorum, temperantiæ amitteretur modus. Indicauerat quoquè nobis, se prædicti beati viri Ambrosij in vltimo vitæ constituti audisse sapientissimum & pijssimum responsum, & multùm laudabat ac prædicabat. Nam cùm ille, inquit, venerabilis vltima iaceret ægritudine, & à fidelibus honoratis, lecto eius adstantibus, & videntibus eum de seculo migraturum ad Deum, & ob hoc mœrentibus, tanti scilicet ac talis antistitis morte ecclesiam posse

Iacob. 1.

Officium erga deſtitutos & ægros.

posse priuari verbi & sacramenti Dei dispensatione, cum lachrymis rogaretur, vt sibi à Domino vitæ poscere commeatum, eum illis dixisse: non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum dominũ habemus. Et hæc noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Idèo enim eum dixisse intelligendum est, Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus, nè crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: Hoc dixerat ad illud, quod homines de homine nósse poterant. Nã sciens examen æquitatis diuinæ, de bono Domino se dicebat magis, quàm de meritis suis, confidere, cui etiam in oratione quotidiana dicebat: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cuiusdam quoquè coëpiscopi & familiarissimi sui amici, in extremis vitæ de talibus frequentissimum referebat dictum: ad quem quum visitandum iam morti appropinquantem ventitâsset, & ille manuum gestu se de seculo exiturum significaret, atq; à se illi esset responsum, adhuc cum Ecclesiæ necessarium viuere posse, illum, nè putaretur huius vitę teneri cupiditate, respõdisse ei: Si nunquàm, benè: Si aliquandò, quare non modò? Et talem sententiam mirabatur & laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem, veruntamen in vila natum & nutritum, sed non multa lectionis eruditum scientia. Illud etiam cuiusdam ægrotantis dictum afferebat Episcopi, de quo sanctus in epistola sua, quã de mortalitate scripsit, martyr Cyprianus ità retulit, dicens: Cùm quidam de collegis & consacerdotibus nostris infirmitate defessus, & de appropinquante morte solicitus, commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti, & iam penè morienti iuuenis, honore & maiestate venerabilis, statura celsus, & clarus adspectu, & quem adstantẽ sibi vix posset humanus adspectus oculis carnalibus intueri, nisì quòd talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atq; ille non sine quadã animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timetis, exire non vultis: quid faciam vobis?

Memorabilis ſententia S. Ambroſij

Marth. 6.

Serm. de Mortalitate.

CAP. XXVIII.

ANte proximum verò diem infirmitatis obitûs sui, à se dictatos & editos recẽsuit libros, siue eos, quos primo tempore cõuersionis suę adhuc laicus, siue quos presbyter, siue quos Episcopus dictauerat: & quæcunq; in his recognouit aliter, quàm sese haberet Ecclesiastica regula, à se fuisse dictata & scripta, cùm adhuc Ecclesiasticum vsum minùs sciret, minusq; intelligeret, à semetipso & reprehẽsa & correcta sunt. Vndè etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus, De retractatione vel recensione librorum. Præceptos etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emẽdationem à nonnullis fratribus conquerebatur, licèt eos postmodùm emendâsset. Imperfecta etiam quædam librorum suorum, præuentus morte, reliquit. Quiq; prodesse omnibus volens, & volentibus multa librorum legere, & non valentibus, ex vtroq; diuino testamento veteri & nouo, præmissa præfatione, præcepta diuina seu vetita, ad vitę regulã pertinentia, excerpsit, atq; ex his vnum codicem fecit: vt qui vellet, legeret: atq; in eo, vel quàm obediens Deo, inobediénsve esset, agnosceret: & hoc opus voluit Speculum appellare. Verùm breuì consequenti tempore diuina volũtate & potestate prouénit, vt manus ingens, diuersis telis armata & bellis exercitata; immanium hostium Vandalorum & Alanorum, commixtam secùm habentes Gotthorum gentem, aliarumque diuersarum gentium personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis nauibus Africæ influxisset & irruisset, vniuersaq; per loca Mauritaniarum, etiam ad alias nostras transiens prouincias & regiones, omni sæuiens crudelitate & atrocitate, cuncta quæ potuit expoliatione, cædibus, diuersisq; tormentis, incendijs, alijsq; innumerabilibus infandis malis depopulata est, nulli sexuì, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus, vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis, seu instrumentis, vel ædificijs. Et hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem ille homo Dei; & factam fuisse & fieri, non vt cæteri homines, sentiebat & cogitabat: sed altiùs & profundiùs eam cõsiderans, & in hac animarum præcipuè vel periculà, vel mortes præuideris, solito amplius (quoniam vt scriptum est, Qui apponit scientiam, apponit dolorem. &, Cor intelligens, quasì tinea ossibus) fuerunt ei lachrymæ panes die ac nocte, amarissimamq; & lugubrem præ cæteris suæ senectutis iam penè extremam ducebat ac tolerabat vitã. Videbat enim ille homo Dei ciuitates excidio perditas pariter cum ædificijs, villarumque habitatores alios hostili nece extinctos, alios effugatos atque dispersos, Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virgines sacras & quosque continentes vbiquè dissipatos: & in his alios defecisse tormẽtis, alios gladio interemptos esse: alios

Speculum: Tomo 3.

Barbarorũ irruptiões.

Idẽ faciunt hodieque hæretici.

Ecc. 1.

Conferhæc cum noſtris temporibus

in captiuitate,perdita animi & corporis integritate ac fidei,malo more ac duro hostibus deseruire: hymnos Dei & laudes ab ecclesijs deperisse,ædificia ecclesiarum quamplurimis locis ignibus concremata esse: solennia quoque, quæ DEO debentur, de proprijs locis defecisse: sacrificia ac sacramenta diuina vel non quæri, vel quærenti qui tradat,non facilè reperiri: in ipsas montium syluas & cauernas petrarum & speluncas confugientes,vel ad quascunque munitiones: alios fuisse expugnatos & * interfectos,alios necessarijs sustentaculis euolutos atque priuatos, vt fame contabescerent: ipsosque ecclesiarum præpositos & clericos,qui fortè Dei beneficio vel eos non incurrerant,vel incurrentes euaserant, rebus omnibus expoliatos atque nudatos, egētissimos mendicare,nec ijs omnibus ad omnia,quibus fulciendi essent, subueniri posse. Vix tres superstites ex innumerabilibus ecclesijs,hoc est,Carthaginensem, Hipponensem & Cirtensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt,& earum permanent ciuitates,& diuino & humano fultæ præsidio,licèt post eius obitum vrbs Hipponensis incolis destituta,ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hæc mala ille homo Dei cuiusdam sapientis sententia consolabatur,dicentis: Non erit magnus, magnum putās, quòd cadunt ligna & lapides,& moriuntur mortales. Hæc ergò omnia ille, vt erat altè sapiens,quotidiè vbertim flebat. Accreuitque mœroribus & lamentationibus eius,vt etiam adhuc eo in suo statu consistente, ad eandem Hipponensium regionum ciuitatem ab ijsdem hostibus veniretur obsidendam. Quoniā in eius tunc defensione erat constitutus Comes quidā Bonifacius,cum Gotthorum quondàm fœderatus exercitu,quam vrbē fermè quatuordecim mensibus conclusā obsederunt. Nam & litus illi marinum interclusiōe abstulerunt: Quò etiam nosipsi de vicino cum alijs nostris coëpiscopis confugeramus,in eademq; omni obsidionis tempore fuimus. Vbi nobiscū super his infortunijs sæpissimè colloquebamur,& Dei tremenda iudicia præ oculis nostris posita cōsiderabamus,dicentes: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuū. Pariterq; dolentes,gementes & flentes,orabamus miserationum patrem & Deum omnis consolationis,vt de eadem nos tribulatione subleuare dignaretur.

* interceptos

Postea etiā has ecclesias Barbari Arriani occuparunt.

Psalm. 118.

CAP. XXIX.

ET fortè prouénit, vt vnà cum eodem ad mensam constitutis,& indè confabulātibus,cœperit coram nobis dicere: Noueritis me hoc tēpore nostrę calamitatis Deum rogare,vt aut hanc ciuitatem ab hostibus circundatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur,suos seruos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat,aut certè vt me de hoc seculo ad se accipiat. Quæ ille dicens,nosq; instruens, deincèps cum eodem & nos cum nostris omnibus,& ipsi,qui in eadem fuerant ciuitate,à summo Deo similiter petebamus. Et eccè tertio illius obsidionis mense decubuit lecto, febribus fatigatus,& illa vltima exercebatur ægritudine. Nec suum sanè Dominus famulum fructu suæ precis fraudauit. Nam & sibijpsi,& eidem ciuitati, quod lachrymosis deposcit precibus,in tempore impetrauit. Nóui quoquè eundem & presbyterum & Episcopum pro quibusdam energumenis petentibus,vt oraret,rogatum: eumque in oratione lachrymas fundentem, Deum rogâsse, & dæmones ab hominibus recessisse. Itemque scio ad eum ęgrotantem & lecto iacentem,quendam cum suo ęgroto venisse,& rogauisse,vt eidem manum imponeret,vt sanus esse posset: eumque respondisse, si aliquid in his posset,sibi hoc vtiq; primitùs præstitisset: illum dixisse, visitatum se fuisse,sibique per somnium dictum esse, Vade ad Augustinum Episcopum,vt eidem manum imponat, & saluus erit. Quod dum comperisset,facere nō distulit: & illum infirmum continuò Dominus sanum ab eodem discedere fecit.

Preces eius quanti fuerint apud Deum ponderis.

Aliquōt S. Augustini miracula.

CAP. XXX.

INterea reticendum minimè est,cùm memorati impendérent hostes, à sancto viro nostro coëpiscopo Thabennensis ecclesiæ Honorato,literis fuisse consultū, vtrumnàm illis aduentantibus,ex ecclesijs Episcopis vel clericis recedendum esset, an non. Eique rescriptis insinuâsse,quid magis ab illis euersoribus esset metuendum. Quam eius epistolam huic scripturæ inserere voluī. Est enim sacerdotum Dei & ministrorum moribꝰ valdè vtilis & necessaria. Isto modo rescriptum est ad eundē ab eodem:

Honoratus Thabenensis Episcopus.

Epist.150. Sancto fratri & coëpiscopo Honorato, Augustinus in Domino salutē. Charitati tuæ misso exemplo epistolæ, quam fratri Quoduultdeo nostro coëpiscopo scripsi, putabam me hoc onere caruisse, quòd mihi imposuisti, quærendo consilium, quid in his periculis,quę in tēpora nostra venerunt, facere debeatis. Quanuis enim epistolā,&c.

CAP.

CAP. XXXI.

Sanè ille sanctus in vita sua prolixa, pro vtilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ diuinitùs condonata,vixit annis septuagintasex: in clericatu autem vel Episcopatu annis fermè quadraginta. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueuerat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & sacerdotes, absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit vltima,qua defunctus est,ægritudine. Nam sibi iusserat Psalmos Dauidicos, qui sunt pauciissimi, de pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur,& legebat iugiter ac vbertim flebat. Et nè intentio eius à quoquam impediretur,ante dies fermè decem,quàm exiret de corpore, à nobis postulauit præsentibus,, nè quis ad eum ingrederetur, nisi ijs tantùm horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cùm ei inferretur refectio. Et ità obseruatum ac factum est, & omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei vsque ad ipsam suam extremam ægritudinem, imprætermisse, alacriter & fortiter, sana mente sanoque consilio in ecclesia prædicauit. Membris omnibus sui corporis incolumis, adspectu atque auditu, nobis adstantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace cum patribus suis, enutritus in bona senectute: & nobis coràm positis, pro eius commendanda corporis depositione, sacrificium Deo oblatum est,& sepultus est. Testamentum autem nullum fecit, quia vndè faceret,pauper Christi non habuit. Ecclesiæ Bibliothecam & omnes codices diligenter posteris custodiendos semper iubebat. Si quid verò ecclesia vel in sumptibus, vel in ornamentis habuit, fideli presbytero,qui sub eodē domûs ecclesiæ curam gerebat, dimisit. Nec suos consanguineos vel in proposito, vel extrà cōstitutos, in sua vita & morte vulgi more tractauit. Quibus dum adhuc supereesset,id, si opùs fuit, cp & cæteris erogauit, non vt diuitias haberent, sed vt aut non, aut minùs egerent. Clerum sufficientissimum & monasteria virorum ac fœminarum continentium cum suis præpositis plena ecclesiæ dimisit, vnà cum bibliothecis, libros & tractatus vel suos, vel aliorum sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantusq; in Ecclesia fuerit, noscitur, & in his semper viuere à fidelibus inuenitur: Iuxta quod etiam secularium quidam poëtarum, suis iubens, quo sibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent,pro epigrammate finxit, dicens:

Nota de Psalmis, quos pœnitentiales vocant.

Migrat ad Dominum.

Sacrificium offertur pro eo defuncto.

Nota de monasterijs.

Viuere post obitum vatem vis nôsse viator?
Quod legis, eccè loquor: vox tua, nempè mea est.

Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus & charus sacerdos, quantùm lucente veritate videre cōceditur, rectæ ac sanæ fidei, spei & charitatis catholicæ Ecclesiæ vixisse manifestatur. Quod agnoscunt, qui eundem de diuinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plùs ex eo proficere potuisse, qui eum & loquentem in ecclesia præsentem audire & videre potuerunt, & eius præsertim inter homines conuersationem non ignorauerunt. Erat enim nō solùm eruditus scriba in regno cælorum, de thesauro suo proferens noua & vetera, & vnus negociatorū, qui inuētam pretiosam margaritam, quæ habebat, venditis, comparauit: verumetiam ex ijs extitit, ad quos scriptum est: Sic loquimini, & sic facite: & de quibus Saluator dicit: Qui fecerit, & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorū. Peto autem impendiò vestram charitatem,qui hæc scripta legitis,vt mecum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumq; benedicatis, qui tribuit mihi intellectum,vt hæc in notitiam & præsentium & absentium præsentis temporis & futuri hominum,& vellem deferre, & valuissem: & mecùm ac pro me oretis, vt illius quondàm viri, cum quo annis fermè quadraginta Dei dono absque amara vlla dissensione familiariter ac dulciter vixi, & in hoc seculo æmulator & imitator existam, & in futuro omnipotentis Dei pomissis cum eodem perfruar,
Amen.

Matth.13.

Iacob.3. Matth.15.

AVGVSTVS.

DE S. IVLIANO MARTYRE, AVTHORE BEATO GREGORIO ARCHIEPISCOPO *Turonensi.*

Caput primum, De passione eius.

Augustin. 28. Psalm. 33. Iustorum orationes exaudit Dominus.

MAGNVM in nobis quodammodò igniculum ad iustitiæ suæ adipiscendum semitam, pietas diuina succendit, cùm dicit: Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum: Ostendens, quòd qui iustitiam ex toto corde dilexerit, cùm precatus fuerit, audiatur à Domino. Vtinàm quisque nostrùm cùm hæc tentare cœperit, statìm spretis mundi scandalis, neglectis concupiscentijs vanis, derelictisque semitis prauis, iustitiæ viam expeditus & sine impedimento secularium actionum, conaretur irrepere. Per hanc enim viam Abel iustus suscipitur, Enoch beatus assumitur, Noë reseruatur, Abrahã eligitur, Isaac benedicitur, Iacob dilatatur, Ioseph custoditur, Moyses sanctificatur, Dauid prædestinatur, Salomon ditatur, tres pueri inter incendia rorulenta vaticinantur, Daniel inter innocuas bestias pascitur: Per hanc viam Apostoli diriguntur, Martyres beati glorificantur. Et qualiter, inquis? Scilicet dum infirmos curant, mortuos suscitant, præsentia contemnunt, futura desiderant, tortores despiciunt, pœnas non sentiunt, ad cælestia regna contendunt. Quod proculdubiò virtute propria non obtinerent, nisì per viam iustitiæ rectissimè incedentes, à Domino audirentur.

Patria S. Iuliani. Matth. 10.

Sic & inclytus martyr Iulianus, qui Viennensi ortus vrbe, Aruernis datus est martyr, ab hoc igne succensus, hæc concupiuit, ac mente tota desiderauit. Quia cùm esset apud beatissimum Ferreolum, iam tũc martyrij ardore flagrabat: qui relictis diuitijs ac propinquis, tãtùm ob solius amorem martyrij Aruernis aduénit. Sed nec hoc sine diuino mandato peregit, cùm tunc persecutio in Viennensi vrbe ferueret. Legerat enim Dominum prædixisse, *Si vos persecuti fuerint in ista ciuitate, fugite in aliam.* Contulit ergò se hic in Aruerno territorio, non metu mortis, sed vt relinquens propria, faciliùs peruenire ad palmam. metuebat enim, nè ei parẽtes essent obuij, si inter eos hoc certamen iniuisset: & perderet miles Christi coronam gloriæ, si legitimè non certasset. Igitur instante persecutione, ad Briuatensem vicum, in quo fanatici erroris næniæ colebãtur, aduenit. Et cùm insequi aduersarios nutu Dei sensisset, à vidua quadam se occultari deprecatur. Quem illa tegens, ilicò martyre poscente detexit: qui suis insecutoribus ità dixit: Nolo diutiùs commorari in hoc seculo, quia sitio tota animi auiditate iam Christum.

Sitit tota animi deuotione Christum.

Caput ei amputatur.

At illi educta vibranti dextera framea, deciso capite, in tres (vt ità dicam) partes gloriosus diuiditur martyr. Nam caput Viennæ defertur, artus Briuate reconduntur, felix anima à Christo conditore suscipitur. Senes quoquè, qui sacrum corpus manciparant sepulturæ, ità reintegrati sunt, vt in senectute summa positi, tanquàm iuuenes haberentur. Caput quoquè eius Ferreolus martyr accepit: completoque certamine, tam illius membra, quàm istius caput, in vnius tumuli receptaculo collocantur. Quæ nè cuiquam fortasìs videatur incredibilis esse narratio, quæ audiui gesta, fideliter prodam.

Nota miraculum.

Cap. 2. De reuelatione capitis eius.

Nicetius Episcopus Lugdunensis.

QVodam tempore, dum ad occursum beati Nicetij antistitis, vsque Lugdunum processissem, libuit animo non aliter, nisì orationis causa, Viennam adire, & præcipuè sepulcrum visitare Ferreoli martyris glorioſi. Insederat enim menti, propter antiquam dilectionem eorum, me sic esse eius alumnum, vt Iuliani. Deniquè oratione facta, erigo oculorum aciem ad tribunal, conspicioque in eo versiculos hoc modo conscriptos

Heroas Christi geminos hæc continet aula:
Iulianum capite, corpore Ferreolum.

Cumque hæc legens, ædituum consulerem, cur hæc scripta sic fuerint, respondit: Basilica sancti martyris Ferreoli super ipsum Rhodani litus ab antiquis fuerat collocata.

Mamertus Episcopus Viennensis.

cata. Deniquè cùm impulsante violentia amnis, porticus, quæ ab ea parte erat locata, corrueret, prouidus sacerdos, Mamertus nomine, qui tunc Viennensem regebat ecclesiam, ruinam futuram præueniens, aliam basilicã eleganti opere & in ipsã mensura sagaci intentione constituxit, illuc sancti martyris transferre cupiens corpus. Aduénit autem ad hoc opus Abbatum atque Monachorum magnus numerus, vigilataque nocte, accepto sarculo fodere cœperunt. Cumque in profundo descenderẽt, tria sepulcra reperiunt, ac confestìm stupor mentes spectantium inuadit. Nec quisquam erat certus, quisnam esset beati martyris tumulus. Igitur cùm starent omnes in hebetate mentis attoniti, inspirante (vt credo) diuinitate, vnus ex circunstantibus exclamat, dicens: Antiquitùs referri solitum erat, & celebri per populos sermone vulgatum, caput Iuliani Confessoris in sepulcro retineri martyris Ferreoli. Sic opertorio amoto, vnusquisque consideretur, & sic potest, quæ sint membra Ferreoli martyris, protinùs inueniri.

Corpus S. Ferreoli integrum reperitur cũ capite S. Iuliani.

Hæc audiens sacerdos, cunctos iubet in oratione prosterni. Qua impleta, procedit ad tumulos: derectisque duobus, singulos in his quiescentes inuenit viros. Cumque aperuisset & tertium, inuenit in eo virum iacentem illæso corpore, integro vestimento: qui deciso capite, caput amplexus aliud, brachio detinebat. Erat enim acsì nupèr sepultus, neque pallore faciei demutatus, neque capillorum decisione turpatus, neq; vllà putredine resolutus: sed ità integer & illæsus, vt putares eum adhuc sopore corporeo detineri. Tunc antistes gaudio magno repletus, ait: Hoc esse cadauer Ferreoli, hoc est caput Iuliani martyris, dubium nõ habetur. Tunc cum magno psalterio plaudente populo, in loco, vbì nunc est, adoratur Domino annuente.

Hæc autem vt ad sepulcrum martyris ab ipso ædituo cognoui, fideliter retuli. Præbet tamen huic operi testimonium Sollius noster, ipsi Mamerto scribens his verbis: Tibi soli concessa est in parte orbis occidui, martyris Ferreoli solida translatio, adiecto nostri capite Iuliani, Vndè pro compensatione deposcimus, vt nobis indè veniat pars patrocinij, quia vobis hinc redijt pars patroni.

Cap. 3. De virtute fontis, vbì caput eius ablutum est.

Nota vim aquarum, quibus ablutum est caput S. Iuliani.

In loco autem illo, quo beatus martyr est percussus, fons habetur splendidus, lenis, dulcibus aquis vberrimus, in quo & à persecutoribus caput amputatum ablutum est, de quibus aquis multæ sanitates tribuũtur infirmis. Nam sæpè cæcorum oculi, ab his tacti, illuminati sunt: tertianarum quartanarumque febrium ardoribus accẽsi, vt potatum, qui patiuntur, iuerint, conquiescunt. Nam & si quis graui laborans incommodo, inspirante martyre desiderium habuerit hauriendi, protinùs vt hauserit, conualescit: & ità velociter extinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogum proiectis vndis incendia vniuersa restingui.

Multi ægri pristinæ sanitati restituuntur ad eius sepulcrum.

Cap. 4. De senibus, & matrona, cuius vir tenebatur captiuus.

Post passionem verò beati martyris ac fama præeunte de senibus, qui, dum sanctos artus sepulturæ mandarent, fortitudini pristinæ fuerint restituti, multa ibì beneficia expetentes credentesque, indulgente martyre, consequuntur. De quibus pauca perstringenti deprecor veniam condonari, quòd me minùs vel peritum, vel idoneum ad hæc narranda cognosco, nec imbutum grammaticis artibus, nec literis liberalibus eruditum. Sed quid facio, quod impellit me amor patroni, vt nequeam hæc silere?

Captiuus liberatur.

Vinctus quidam ab Hispanis & carceri deditus, apud Imperatorẽ Treueri cum capitali dijudicatus sentẽtia tenebatur. Quod coniunx illius cognitum, dum tumulare viri membra festinat, ad Briuatensem vicum peruenit: repertosq; viros, dum diuersa studio intento rimaretur, cognoscit, quòd in eo vel de martyre, vel de senibus fuerit gestum, fideliq; insinuatione credens, ad sepulcrum beati martyris deliberat properare, vt causam suggerat, casus referet, vel cunctum laborem sui doloris exponat. Asserentibus tamen prætereà hominibus: Absque dubio pollicemur, domina, tibi à martyre reddi lætitiam, qui senum quondàm decrepitæ ætatis, membra rigentia antiquo vigori restituit. Impletaq; hæc oratione, promittit, vt si sospitem reciperet coniugem, martyris sepulcrum, in quo possit spatio, cæmento contegeret. Fidè plena, & de martyris pietate secura, Treuerim est ingressa, inuenrumq; ob virum, & gratia imperiali receptum, læta regreditur. Inquisitoque tempore, quo vir relaxatus esset è carcere, nouit quòd hæc fuit absolutionis hora, qua illa martyris est auxilium precata. Dehinc pollicitationem, quam promiserat, cum immensis muneribus adimpleuit.

Cap.

Cap. 5. De eo, qui alium in basilica occidere voluit.

Erat enim haud procul à cellula, quam supra sepulcrum martyris hæc matrona constructerat, grande delubrum, vbi in columnam altissimam simulacrum Martis Mercurijque colebatur. Cumque delubri illius festa à gentilibus agerentur, ac mortui mortuis thura deferrent, medio è vulgo commouentur pueri duo in scandalum: nudatoque vnus gladio, alterum appetit trucidandum. At ille cernens nihil veniæ reseruari, cùm à dijs suis non defensaretur, nostræ religionis custodiam, nostræ confessionis veniam, nostræ contagionis medelam, cellulã experijt martyris glorioſi. Tunc ille, qui sequebatur, cùm in assultu gladij eum non potuisset contingere, & hic super se ostium * reserâsset, atque ille arrepto vtroque poste ostium conaretur infringere, ilicò inhærentes manus tabulis, dolore nimio quatiuntur, & tanta afflictione miser torquetur, vt vbertim lachrymæ, qualis esset dolor intrinsecùs, nunciarent. Interea stupente vulgo, incluſus qui fuerat, progreditur liber: parentes quoquè illius, qui virtute sancti retinebatur, cognoscentes martyris sepulturam, deuotis multis muneribus pro filio exorabant.

* Reserâsset, pro, obseſâsset.

Liberatur trucidãdus virtute S. martyris.

Cap. 6. De conuersione incolarum.

Factum est autem dum hæc agerentur, vt presbyter quidam via illa descenderet. Qui cùm didicisset quæ acta fuerant, pollicetur parentibus, si à gentilitate discederẽt, filium reciperent sanum. Ipse quoquè sacerdos sequenti nocte videt per somnium simulacra illa, quæ à gentilibus colebantur, numine diuino comminui, atq; in puluerem redacta, solo prosterni. Quarta autem die cùm gentilitas vellet iterùm dijs exhibere libamina, mœstus presbyter ad sepulcrum sancti prosternitur, & cum lachrymis exorat, vt tandèm gentilitatem hanc, quæ iacebat in tenebris, splendor diuinæ potentiæ visitaret, nec sineret vltrà martyr beatus alumnos proprios ista caligine detineri, cùm ille perpetuæ claritatis gaudia possideret. Confestim ad eius orationem commouentur tonitrua, renident fulgura, descendit imber igne mixtus, & grandine turbantur omnia. Concurrit vulgus ad cellulam, prosternitur coram sacerdote omnis caterua gentilium, & mixto cum lachrymis vlulatu, cuncti Domini misericordiam deprecantur, pollicenturque sacerdoti, si grando recederet, & martyrem patronum expeterẽt, & ad Deum eius, relictis simulacrorum cultibus, integro corde transirent. Porrò ille fusa oratione, cuncta quæ petijt, meruit obtinere. Recedente autem tempestate, puer cum parentibus credens, ipsa die à doloribus liberatur: gentiles in Trinitatis nomine baptizati, statuas quas coluerant, confringẽtes, in lacum vico amnique proximum proiecerunt. Ab eo enim tempore in loco illo, & fides Catholica & martyris virtus est ampliùs declarata.

Eo è quanti valeãt apud Deũ sanctorum merita, & iustorum orationes.

Multi conuertuntur ad Christũ, miraculis perterriti.

Cap. 7. Qualiter Illidius populum ab hostilitate liberauit.

Post hæc venientes quidam de Burgundionibus ad Briuatensem vicum, eum cum armorum multitudine copiosa circundant: captoque populo, direpto ministerio sacrosancto, vltra amnem transeunt, & viros gladio interficere, reliquum vulgus forte diuidere parant. Tunc Illidius quidam à Vellano veniens, &, vt aiunt, commonitione columbæ alitis incitatus, super eos irruit: Hortatusque socios, ità hostes ad internecionem cecidit, vt captiuis laxatis, triumphans in laudẽ martyris, amne transmisso, ad beatam cellulam tanquàm nouus Moyses cum omni populo canendo reuerteretur. Nec minor, vt arbitror, exultatio fuit ereptis, quàm quondàm Israëlitis, dimersis fuit Aegyptijs. Quod nè quis dubitet hanc beati martyris fuisse victoriam, insinuatio columbæ, aliquod mysterium creditur fuisse virtutis diuinæ. Nam veniente Illidio, hæc ei obuiàm venit, & cùm, vt ille assolet, aliquid demoraretur, hæc in circuitu illius volitabat: illoque progrediente, ista præcedebat, & reuertebatur obuiàm, quasi accelerare deprecans iter. Dum hæc agerentur, aduẽiens puer captiuitatem nunciat, & sic iste viam accelerauit, sed & ipso pugnante, columba semper circa eum visa est discurrere. Quod nè quis inuideat quasi confictum de columba, & homini præstitum Christiano, cùm Orosius consulem Romanorum, id est, Marcum Valerium, à coruo alite scribat adiutum.

Nota miri quiddã de columba.

Cap. 8. De interitu eorum, qui ministerium basilicæ absportauerunt.

Prostratis ergò ab Illidio hostibus, quatuor ex his per fugam lapsi, patenam & vr-
ceum, qui anax dicitur, in patriam deferunt: & diuisa in tantis, vt erant, partibus pate-
na, vr-

na, vrceum Regi Gundobaldo ob gratiam exhibent conquirendam. Reliquum verò argentum Reginæ sagacitas reperit, quod, additis multis muneribus, loco illi sancto restituit, fideliter insinuans Regi, non oportere eum, vt gratiam martyris sancti propter argenti paruitatem amitteret.

Pietas Reginæ & religio.

Cap. 9. De Fœdamia paralytica.

Pro quibus ac talibus virtutum ornamentis magna ibi basilica fabricata à fidelibus, virtutibus, vt præfati sumus, martyris beati refulget: in qua paralyticorum, claudorum, cæcorum, & aliorum quoquè morborum sæpiùs perita remedia conquirun-
tur. Fœdamia quædam mulier, paralysis humore constricta, cui nullum corporis membrum sine dolore vigebat, exhibita est, deferentibus propinquis, ad beatam basilicam, vt vel stipem à largientibus mereretur. Quæ dum in porticu illa, quæ sanctæ basilicæ coniungitur, decubaret, noctem Dominicam dum sacrosanctis vigilijs, populi fides deuota concelebrat, & illa quiescẽs lectulo paululùm obdormisset, à viro quodam per visum correpta atque increpata est, dicente sibi: Cur reliquis, excubias nocturnas Deo exhibentibus, illa deesset? Respondit se ab omni membrorum parte debilem, nec penitùs gressum agere posse. Tunc quasi sustentata à viro, qui loquebatur ei, & ad sepulcrum vsq; deducta, dum in sopore fundit orationem, visum est ei quasi multitudinem catenarum ab eius membris solo decidere, à quo etiã sonitu expergefacta, sensit omnium artuum recepisse plenissimam sanitatem. Protinùs surrexit à lectulo, & stupentibus cunctis, cum gratiarum actione vociferans, sanctam est ingressa basilicam. Ferunt etiam quidam, solitam fuisse eam referre habitum viri, qui eam fuerat allocutus. Dicebat eum statura esse procérum, veste nitidum, elegãtia eximium, vultu hilarem: flaua cæsarie, immixtis canis: incessu expeditum, voce liberum, allocutione blandissimum, candoremque cutis illius vltra lilij nitorem fulgere, ità vt de multis millibus hominum, quæ sæpè vidisset, nullum simile conspiceret. Vndè multis non absurdè videtur, ei beatum martyrem apparuisse. Quæ mulier post decem & octo annos sanata est.

Multa miracula fiũt in basilica S. Iuliani.

Egregium miraculũ.

Forma eius q. apparuit paralyticæ.

Cap. 10. De eo, qui percussorem suum de basilica conabatur extrahere.

Quidam dum in seditione, quam commouerat, oculum amisisset, hominem, qui ictum intulerat, de basilica conabatur extrahere. Quod dum agit, non modò amissi oculi non recipit lumen, verumetiam sensit alium eius, quem sanum habuerat, obcæcari. Porrò cùm peccata sua confiteretur, dicens, Merito mihi euenit iudicium sine misericordia, qui non feci misericordiam: prostratus coram sancto sepulcro cum populo, qui tunc ad festiuitatẽ aduenerat, indulgens lædenti, & visum recepit, & gratiam: sicque factum est, vt is, qui sancti auxilium expetierat, tutaretur: Ille verò, qui non credebat, argueretur. Et sic vterque lætus emendatusque discessit.

Iac. 2. Cuidã pœnitenti restituitur lumen oculorum.

Cap. 11. De contracto, qui die Dominica boues iunxit.

Alius quoquè ausu temerario die Dominica boues iungens, agrum sulcare cœpit. Appræhensaque securi, vt aliquid emendaret in vomere, protinus contractis digitis, manubrium in dextera eius adhæsit. Cumq; præ dolore nimio cruciaretur, post duos annos veniens ad beati martyris basilicam, vigilias fideliter celebrauit. Statimque in ipsa die Dominica reserata manus lignum, quod iuuitus tenebat, amisit, magnam inferens populo disciplinam, vt quod die Dominica fuerat perpetratum, ipsa quoquè die Dominica purgaretur. At ille magnificans gloriam martyris, recessit incolumis: nec vltrà die resurrectionis Dominicæ quicquam ausus est operari.

Vltio diuina in violatorem diei Dominicæ.

Cap. 12. De Anagilo muto, & surdo, ac cæco.

Sic & Anagilus quidam mutus, surdus, & cæcus, omnium membrorum compage debilitatus, ad limina sacrosancta proiectus est; scilicet vt vel ab stipe pasceretur deuotorum, qui victûs alimoniam proprijs manibus laborare non poterat. Igitur cùm per annum integrum ante sanctam ædem decubâsset, tandèm visitatus à virtute beati martyris, ab omni infirmitate sanatus est. Videtur autem mihi non incongruum, vt sicut sancti virtute curata morbida retexuntur, ità & infidelium prauitates oratione illius confutatæ, ad emendationem aliorum, nè similia appetant, declarentur: quia vtraque sancti gloria præstat, vt & hos sanitati reddat, nè ampliùs crucientur: & illos arguat, nè in futuro iudicio condemnentur.

Mutus, cæcus, & surdus misericorditer curatur.

Cap.

Cap. 13. *De his, qui Theodorici regis tempore basilicam irruperunt.*

Et licèt nullum latére credam aliquid de hostilitate Theodorici Regis, ac infirmitatibus Sigualdi, quæ ei in Aruerno posito cõtigerunt, propter virtutem tamen beati martyris est diligentiùs exponendum, quo faciliùs fides dictis adhibeatur. Igitur cùm ob direptionem Arueruorũ Rex antedictus festinaret, & ingrediens terminum, vastatione cuncta subigeret, pars aliqua ab exercitu separata, ad Briuatensem vicum infesta prorupit, fama vulgante, quòd in basilica essent incolæ cum multis thesauris absconditi. Cumque peruenissent ad locum, inueniunt multitudinem promiscui sexûs, obseratis ostijs, in templo ipso cum propriis facultatibus residere. Cumque intrare non possent, vnus per effractam ceu fur in altari sancto fenestram vitream ingreditur: quia qui non intrat per ianuam, hic latro est. Dehinc reseratis ædis illius valuis, exercitum intromittit. At illi direpta cuncta pauperum supellectili, cum ministris ipsius basilicæ reliquum populum, qui infrà erat, eductum foràs, diuiserunt haud procùl à vico. Quæ cùm ad Regem delata fuissent, comprehensos ex his aliquos diuersis mortibus condemnauit. Fugiens verò ille, qui irrupta æde caput fuit huius sceleris, igne de cælo dilapso consumptus interijt: super quem cum multi aceruum lapidum congregâssent, à tonitruis & coruscationibus detectus, terrena caruit sepultura. Qui verò de consentaneis, latentes Regem, in patriam sunt regressi, correpti à dæmone, diuersis exitibus hanc vitam finiêrunt. Hæc audiens Rex, omnia, exindè quæ fuerant ablata, reddidit. Præceperat enim, nè in septimo à basilica milliari quis vim inferret.

Iohan. 10.

Punitur templi effractor.

Item alij effractores à dæmone corripiuntur.

Cap. 14. *De Sigualdo pernasore.*

Tunc Sigualdus cum Rege præpotens, cum omni familia sua in Aruernam regionem ex Regis iussu migrauit: vbì dum multorum res iniustè cõpeteret, villam quandam, quam gloriosæ memoriæ Tetradius Episcopus Biturigensis basilicæ sancti Iuliani reliquerat, sub specie obumbratæ commutationis auidus peruadit: sed mense tertio, postquàm aggressus est, correptus à febre, & sine sensu effectus, declinauit caput ad lectulum. Cuius vxor dum de hoc exitu mœsta penderet, à quodã sacerdote commonita est, vt eum, si videre vellet incolumem, auferret à villa. At illa hæc audiens, præparatis carrucis, compositoq; plaustro, quo eum ducheret, mox vt prædium sunt egressi, protinùs diuina sunt pariter gratia munerati. Nam iste sospitatem, illa meruit ex huius incolumitate lætitiam. Ferunt etiam, in oratorio prædij illius sanctum Iulianum martyrem cum Tetradio Episcopo loquẽtem, cuidam religioso reuelatum fuisse, promittentem se Episcopo villam, quam pro animæ suæ remedio sibi reliquerat, recepturum. Sed & habitum beati martyris in eodem modo esse, vt quondàm paralytica exposuerat, referebat.

Tetradius Episcopus Biturigen.

Pœna occupantis Eccleſiæ villã.

Cap. 15. *De pastoris malitia.*

Pastor verò quidam, nõ strenuitate, sed nomine, ingenuus genere, dum in multis rebus contra basilicam sancti martyris iniustè ageret, ad hoc leuitas eius inimico ingrassante conualuit, vt colonias basilicæ concupiscens, quæ agro eius erant proximę, peruadere non timeret. Ad quem sacerdos loci cùm aliquos de clericis quasì legatos mitteret, vt accepta ratione quod malè peruaserat, relaxaret: ille quasì contra iniquũ hostem telis correptis prosilijt, fugatisq; sagittis clericis, res omnes in sua dominatione retinuit. Factum est autem, vt in proximo aduenire dies passionis martyris gloriosi. Ad quam ille immemor peruasionis suæ atque iniuriæ, quam intulerat clericis, ante quinq; dies solennitatis, ad vicum Briuatensem aduenit: qui cum in domo hospitalitatis suæ conuiuio cum lætitia & exultatione fungeretur, subitò coruscatione facta, tonitrum sonuit: rursumque iterato, iaculo igneo de cælis elapso percussus est, nullo tamen de reliquis pereunte. Deindè ad exemplum omnium, tanquàm rogus flãmeus ardens, paulatìm consumebatur. Ad quod miraculum populus, qui ad beati festa conuenerat, hæc cernens, cum admiratione metuebat: satisque illi fuit, nè de rebus sancti aliquid vltrà contingeret. Quod nè fortuitò actum quis putet, cernat inter multos innoxios vnum interísse sacrilegum.

Nota horrẽdum supplicium rei Ecclesiæ sibi vendicantis.

Cap. 16. *De contumacia Becconis Comitis.*

Quid etiam ad Becconis Comitis confutandam superbiam beatus martyr sit operatus, enarrabo. Hic cùm actiones ageret publicas, & elatus iactantia, multos contra iustitiam

iustitiam aggrauaret, casu contigit, vt dimissum accipitrem diù per diuersa vagantem perderet: similiter, vt vnus de seruientibus sancti Iuliani, accipitrem alium, dum per viam ambularet, quasì vagum * inuenit. Erat enim puer ille pincerna in domo basilicæ. Quod cùm ad Becconem peruenisset, quòd scilicet puer repertum teneret accipitrem, calumniari cœpit ac dicere, Meus ille erat, & hic furto eum sustulit. Deindè succedente auaritia, misit illum vinctum in carcerem, deliberans eum in sequenti, patibulo condemnare. Tunc sacerdos mœstus valdè, ad sepulcrum sancti properat, reseratisque cum gemitu * caulis, apprehensis decem aureis, per fideles amicos Becconi obtulit. Quod ille pro nihilo respuens, cum iuramento asseruit nunquàm se puerum dimissurum, nisì exindè aureos triginta acciperet. Quos presbyter desupèr sepulcro sancti accipiens, Becconi transmisit. * Quos acceptos satiata auri cupiditate, puerum restaurauit incolumem. Sed Deus omnipotens, qui pérmanet ante solem, secundùm bonitatis suæ diuitias humiliauit calumniatorem. Nam ipsius anni transacto curriculo, veniens ad sancti festiuitatem cum caterua satellitum, ingressus est limen sanctum. Procedente verò pastore, qui beatæ passionis recẽseret historiam, vt reuoluit librum, & in principio lectionis sancti Iuliani protulit nomen, confestìm Becco voce nescio qua teterrima ad terram corruit, cruenteque spumans, dare voces diuersas cœpit. Indè inter suorum manus sublatus, à basilica domum reducitur. Nec fuit dubium pueris eius, hoc ob iniuriam basilicaris famuli euenisse. Omnem quoquè ornatum, quem super se tunc habuit, tam in auro, quàm in vestimentis, basilicæ contulit, & multa deincèps munera misit: sed vsque ad diem obitûs sui sine sensu durauit.

* causis

Vide diuinã animaduersionem in iuiquum Comitem.

Cap. 17. *De Diacono, qui oues basilicæ abstulit.*

Fuit etiam quidã Diaconus, qui relicta ecclesia, fisco se publicè iunxit: acceptaque à patronis potestate, tanta perpetrabat scelera, vt vix posset à vicinis circũpositis sustineri. Accidit autem, vt saltus montenses, vbì ad estiuandum oues abiërant, circumiret, atque pascuaria, quæ fisco debebantur, inquireret. Cumque diuersos spoliaret iniustè, conspicit eminùs greges, qui tunc sub nomine martyris tuebantur: ad quos leni cursu euolans, tanquàm lupus rapax diripit arietes. Conturbati atque exterriti pastores ouium, dicunt ei: Nè, quæsumus, contingas hos arietes, quia beati martyris Iuliani dominio subiugati sunt. Quibus ille hæc irridens respondisse fertur: Putas'ne Iulianus comedit arietes? Dehinc ipsis verberibus affectis, quæ voluit, abstulit, ignorans miser, quòd qui de domibus sanctorum aliquid aufert, ipsis sanctis iniuriã facit, ipso sic Domino protestante: Qui vos spernit, me spernit: & qui recipit iustum, mercedem iusti accipiet. Contigit autem, vt post dies multos non religione, sed casu conferente, ad vicum Briuatensem properaret: proiectusque homo ante sepulcrũ, mox à febre corripitur, & tanta vi caloris opprimitur, vt neque cõsurgere, neque puerum euocare posset. Famuli verò cùm vidissent eum extra solitum plùs occumbere, accedentes: Quid tu, inquiunt, in tanta diuturnitate deprimeris? non enim tibi longus mos erat orandi aut deuotio. Ferebant enim de eo, quòd quandò quidem in ecclesia fuisset ingressus, parumpèr immurmurans, nec capite inclinato, regrediebatur. Tunc interpellantibus pueris cùm responsum reddere non valeret, ablatus manibus è loco in cellam, quę erat proxima, lectulo collocatur. Igitur inualescente febre, proclamat se miserum incendi per martyrem. Et quod primò siluerat, admotis animæ iudicij facibus, crimina confitetur, iactarique super se aquam, voce qua poterat, deprecabatur. Delatis quoquè cum vasculo lymphis in eum sæpè deiectis, tanquàm de fornace ità fumus egrediebatur è corpore. Intereà miseri artus, ceu combusti, in nigredinem conuertuntur, Vndè tantus procedebat fœtor, vt vix de adstantibus possent aliqui tolerare. Mox illis recedentibus, hic spiritum exhalauit: de quo haud dubium est, qualem illic teneat locum, qui hinc cum tali discessit iudicio.

Qui de domibus sanctorum aliquid auferẽt ipsis sanctis facit iniuriam. Luc. 10. Matth. 10.

Horrẽdum Dei iudicium in Diaconũ, res S. Iuliani auferentem.

Cap. 18. *De eo, qui caballum in vigilia sancti Petri furatus est.*

Alius autem per vigiliam festiuitatis equum alicuius, qui tunc fortè ad eandem solennitatem venerat, furto comprehendit. Ascensoque, velociter properat, scilicet vt qui lumen perdiderat veritatis, non inueniretur à luce: & cuius pectus cupiditatis tenebræ obsederant, eius & furtiuam fraudulentiam nox celaret. De talibus enim Dominus dicebat in Euangelio: Omnis qui malè agit, odit lucem. Albescente igitur cælo, dicebat: Iam securus sum. Nam triginta leucas à sancti basilica elongatus sum:

Iohan. 3.

iam secus propriam domum esse me credo. Dum hæc tacitus reuolueret intrà se, demotis ex axe tenebris, cognoscit seipsum vico propinquum inter populos deuagari: timensque nè scelus suum patefieret publico, cum cautela grandi caballum in loco, vndè digressus fuerat, reformauit. Sic miser virtute martyris tota nocte detentus in circuitu vici, &, vt ego credo, ab authore, qui eum obsederat, est delusus, vt viâ, quam apprehendere voluit, non valeret. O scelerata cupiditas, quid agis? Semper amatores tuos in confusionem præcipitas.

Fur equum non potest abducere.

Cap. 19. De eo, qui propter trientem peierauit.

Quidam alteri trientem præstiterat, quem interpositis paucis diebus recepit. Post annum verò in atrio sancti conuentum hominem, rem suam quasi non recepisset, sibi reddi deposcebat. At ille detestans, asserebat se reddidisse susceptum. Cumque diutissimè altercarentur, ille qui reddiderat, ait ad socium: Vsquequò vterque contendimus? sub iudicio hoc omnipotentis Dei ponamus. Eamus ad tumulum martyris, & quod sub sacramenti interpositione dixeris, discernat virtus sancta patroni. At ille nec dubitans, ingressusq; sepulcrum, dum audacter eleuat manus, vt periuret, infeliciter miser irriguit. Hæret vox in gutture, lingua coarctatur in fauce, vibrant labia vacua à sermone: ipsa quoquè brachia, quæ ad adiutorium frustrati sacramẽti erexerat, prorsùs retrahere non valebat. Ad hæc vulgo admirante, publicato scelere, multitudo cuncta populi vna voce prorumpens, Domini misericordiam ac beati martyris auxilium deprecatur. Post quatuor verò aut eo ampliùs horas, ad sensum regressus, quod iniustè repetebat, publica confessione patefecit, & sic sanus abscessit.

Nota pœnã ad sepulcrũ martyris peierare volẽtis.

Cap. 20. De eo, qui basilicam sanctam furto spoliauit.

Sæpè hæc ille audiërat, qui basilicæ sanctæ violentiam intulit: sed iniquam mentem semèl obsessam vitio, bonitas mollire non potuit, Salomone obtestante, In maleuolam animam non ingreditur sapientia. Aduenerat festiuitas, & eccè quidam è populo, conspicatur ornamentis immensis beatam basilicam effulgere. Concupiscit iniqua mente, quod adipiscens, non poterat occultare. Igitur discedente populo à basilica post gratiam vespertinam, hic se in angulo basilicæ reprimens, latitauit: ac dato cunctis nocturnæ quietis silentio, operienteque vmbrosa caligine mundum, confugit ab angulo, & nihil dubitans, vtiquè qui à satellite satana impellebatur, super cancellum beati sepulcri cursu prosilit rapido: detractamque à summo vnam gemmis coruscantibus Crucem, ad terram deiecit: collectisque velulis ac palliolis, de circuitu parietum pendentibus, vnum voluculum facit: impositoque humeris, ac eleuata Cruce manu, ad locum, vndè discesserat, repetit: ac posita capiti sarcina peccati, sopore compressus obdormiuit. Media verò nocte, circumeuntes custodes sanctam basilicam, adspiciunt in angulo vnam gemmam Crucis, tanquàm iubar cæleste, refulgere: obstupefacti, accedunt cominùs cum timore, admotoque cereo, inueniunt personam rebus furatis, quas auferre non potuerat, inibì decubare. Deniquè sub custodia illa nocte detentus, manè facto, cuncta, quæ fecerat, patefecit, asserens se lassum obdormisse, eò quod diutissimè circuiens cum fasce basilicam, ostium vndè egrederetur, reperire non poterat.

Sap. 1. Eccè etiam antiquitùs egregiè ornatas ecclesias.

Sacrilegus proditur.

Cap. 21. De eo, qui caballum in festiuitate perdidit.

Multa quidem & alia in præuaricatoribus ostendit, sed satis sunt ista ad coërcendam desidiam eorum. Nunc verò ad gaudia prosperitatum, quæ larga pietate præstat populis, reuertamur. Sed priùs illud non arbitror postponendum, quod expertum valdè cognouimus, quid in rebus perditis apud hunc patronum fidelis deprecatio consequatur, ex quibus vnum tantùm commemorare studui. Ad festiuitatem beati martyris deuotus pauper aduenerat, laxatoque equo, sacrã ingressus est ædem, ac vigilijs immobilis instans, noctem cum cæteris orando deduxit. Illucescente verò cælo, ad metatum regressus, caballum, quem reliquerat, non inuenit: quæsitoque diutissimè, nec signa quidem, in quam partem discessisset, agnouit. Transacto igitur biduo, recurrit iterùm per saltus, perscrutans à locorum incolis, si fortè aliquis aut teneret captum aut capi vidisset ab aliquo. Nullum dehinc indicij genus reperiens, anxius atque mœstus, ad sepulcrum sancti regreditur: ibique causas doloris ac mœroris exponens, aiebat: Ad tua sancte limina véni, nihil aliud, quàm paruitatis meæ vota deferre: nihil iniustè abstuli, nihil gessi indignum tua solẽnitate. Cùm, inquam, perdidi rem meam, rogo, vt restituas amissum, vt necessarium reddas. Hæc fletu addito

Sancti, patroni nostri sunt.

Nota dementiã eorum, qui putant sanctos ignorare res nostras.

dito loquens, vt egressus est templum, conspicit eminùs à quodam viro suum equum retineri. Ad quem accedens, quærit vndè sit, aut vndè venerit, aut ex quo tempore hunc habeat equum: didicitque ipsa hora eum fuisse repertum, qua ille beati martyris implorauit auxilium.

Cap. 22. De cæco illuminato.

Cùm autem quidam ab eo loco per incursum diabolicum, oculum perdidisset, & ad hospitiolũ suum viduatus lumine infeliciter resideret, ac manibus proprijs nihil laborare prævalens, spem alimoniæ non haberet, apparuit ei vir in visu noctis, commonens vt ad basilicam ambularet: ibique si deuotè preces suggerat, promittit auxilium inueniri. At ille nil moratus, arrepto bacillo, adminiculante puero, sanctum ingressus est locum. Qui post completam orationẽ Archipresbyterum, qui tunc locum ipsum regebat, nomine Publianum adiuit, supplicans, vt oculis cæcis Christi crucem imponeret. erat enim valdè religiosus. Quod ille dum iactantiam euadere cupit, euitans, tenetur à cæco, nec omninò dimittitur, nisì quæ petebat, adimpleret. Tunc ille prostratus ante sepulcrum, diutissimè martyris est suffragium imprecatus. Deindè admota oculis cæci manu, protinùs vt signum Crucis imposuit, visum iste recepit. Admiramini, quæso, virtutem martyris, cui cùm parùm sit per se exercere miracula, nunc etiam per manus discipulorum, adstipulante virtutis suæ fauore, publicè operatur: sed nec meritum discipuli fuit exiguum, cui hæc præstita esse cernuntur.

Signo Crucis cæcus illuminatur.

Cap. 23. De pede Galli, postmodùm Episcopi, sanato.

Erat tunc temporis apud vrbem Aruernam patruus meus, Gallus Episcopus, de quo non videtur omitti, qualiter in adolescentia sua fuerit à sancti virtute adiutus. Et sæpiùs commemoraui, quale excidium Aruernæ regioni Rex Theodoricus intulerit, cùm neque maioribus, neque minoribus natũ aliquid de rebus proprijs sit relictum, præter terram vacuam, quam secum barbari ferre non poterant. His temporibus glorioſæ memoriæ patruus meus, qui posteà, vt dixi, sacerdotali fasce Aruernam rexit ecclesiã, pupillus erat: cuius facultates ità direptæ sunt ab exercitu, vt nihil prorsùs remaneret in promptu. Ipse quoquè cum vno tantùm puerulo vsque ad Briuatensem vicum plerunquè itinere pedestri discurrebat. Accidit autem quodam tempore, dum hoc iter teneret, vt laxatis præ calore Solis calceamentis, nuda incedens planta, fudem calcaret spineam, quæ tunc fortassis incisa, adhuc terræ hærens, erecto acumine inter herbas virides latitabat. Quæ defixa plantæ, & supergressa effractaque, deorsùm extrahi nequibat. Igitur defluente sanguinis riuo, cùm gressum facere non valeret, beati martyris implorat auxilium: paululumq; dolore compresso, licèt claudicando, iter quod ceperat, expediuit. Tertia verò nocte cõputrescente vulnere, dolor maximus incitatur. Ille verò ad experta dudùm præsidia confugiens, sepulcro glorioso prosternitur: expletisque vigilijs, regressus ad lectulum, dum virtutem martyris præstolatur, somno incumbente deprimitur. Deindè consurgens, nullam doloris sentit iniuriam: adspectaque planta, pars fudis, quæ ingressa fuerat, non videtur: euulsam tamen sentiebat à pede. Quod lignum diligenter inquirens, in stratu suo reperit, admirans qualiter fuisset egressum. Solitus nanque erat in Episcopatu suo locum vulneris ostendere, in quo magna adhuc fossa conspiciebatur, obtestans in hoc beati martyris fuisse virtutem.

Gallus Aruernorum Episcopus.

Pedẽ læsum sanat sanctus martyr.

Cap. 24. De febre Petri fratris eius.

Post multum verò tempus aduenerat festiuitas beati martyris, & pater meus cum omni domo sua ad huius festiuitatis gaudia properabat. Nobis verò iter agentibus, Petrus frater meus senior ab ardore febriũ occupatur, & tam grauiter agit, vt neque vigere, neq; cibum sumere posset: totumque illud iter cum grandi agitur mœrore, & in discrimine res vertitur, vtrùm cõualesceat, an pereat. Deniquè cum isto labore peruenitur ad locũ: ingredimur basilicam, adoramus sacrosancti martyris sepulturam. Prosternitur & ægrotus in pauimento, deprecans medelam à martyre glorioso. post completam verò orationem ad metatum egressus, febris paululùm conquieuit. Veniente autẽ nocte, nobis ad vigilias properantibus, rogat se & ille deferri, incumbensque ante sepulcrum, tota nocte martyris suffragium deprecatur. Exactis deindè nocturnis excubijs, rogat vt de puluere, qui circa beatum erat tumulum, collecto vel potu darent, vel collo suspenderent. Quo facto, ità omnis ardor febriũ conquieuit, vt ipsa die & cibum caperet incolumis, & vbì delectatio vertisset animum, ambularet.

Festiuitas beati Iuliani.

Nota de puluere tumuli miraculũ.

Cap. 25. De mei capitis dolore.

Sequenti verò festiuitate, dum iterùm cum magno gaudio ad sanctã properamus basilicam, mihi caput à sole percussum, grauiter dolere cœpit. Qui dolor accrescens, febrem intrinsecùs generabat, ità vt nec cibum me capere, nec loqui permitteret. Cumque per duos dies ab hoc dolore consumerer, die tertia ad basilicam sancti Ferreoli, cui fons ille, de quo superiùs meminimus, est contiguus, aduenimus. Distat autem basilica à Briuatensi vico quasi stadijs decem. Cumque in locum illum venissemus, libuit animo ad fontem vsque procedere, confidens de virtute martyris, si me exindè leuis vnda perfunderet, mox sanarer. Adueniens verò, orationẽ fundo, aquam haurio, ob refrigerium caput infundo: statimque decedentibus lymphis, fugato dolore, sanus abscedo, & vsque ad sepulcrum martyris glorioſi lætus ingredior, admirãs & gratias agens martyri, quòd priùs me virtute sua dignatus fuerit visitare, quàm ipsius mererer cernere sepulcrum.

Dolor capitis sanatur aqua fontis martyris Dei.

Cap. 26. De febricitante, ad fontem sanato.

Est enim ad hunc fontem, quia ibidèm martyr percussus est, virtus eximia. Quidam à febre correptus, dum in extremis ageret, desiderium habuit de aqua fontis haurire. Ad quam etiam se deportari fideliter exorauit. Quem sui inter manus appræhẽsum, & in loco depositum, protinùs vt aquæ haustum accepit, & faciem caputq; perfudit, recipere meruit sanitatem, & aliorum manibus illatus, proprijs gressibus est regressus. Fuit autem incola huius vici, sed excidit nomen eius.

Nota de fonte aliud miraculum

Cap. 27. De tonitruo in basilica facto coruscatione

Quadam autem die orta tempestas cum magno venti impetu, super vicum Briuatensem rapidè descendebat. micabant enim de nubibus fulgura, ac tonitrua terribiliter voces dabãt, quatitur terra fragore, & exuri à coruscatione penè omnia putabantur. sola erat expectatio in virtute martyris glorioſi. Nec mora, dato cum *fulgore graui sono tonitrui, iaculũ igneum per aditum, quo funis ille signi dependet, ingreditur: percussisq; duabus columnis, frusta excussit. Indè repercutiens, per fenestram, quæ super sanctum habetur tumulum, est egressum, nullo tamen per beati custodiam de populo læso. O quàm magnus circa alumnos proprios beati martyris affectus: columnas finit percuti, non phalanges. Confringi passus est vitream, non cateruam. Permisit super sepulcrum propriũ prætterire coruscum, nè fieret multitudinis totius interitus. Igitur expulsum à basilica sancti martyris iaculum, aceruum fœni cõbussit, interfecit pecora, iumenta deleuit. Quòd si hæc fortuitù quis aduenisse putat, admiretur magis & stupeat inclyti potentiã martyris, quòd prætteriens ignis per mediũ populi, nemini nocuit: sed ibi tantùm expleuit vota, vbi se cognouit habere licentiam.

Stupeat inclyti potentiam martyris.

Cap. 28. De eo, qui præ multitudine populi ac sepulcrum non valebat accedere.

Clericus autem Aredij Lemouicini Abbatis, ad festiuitatem veniens, præ multitudine populi non solùm ad sanctum tumulum accedere, verùm etiam nec in ipsam basilicam potuit introire. Cumque mœstum metu se reddidisset, recubans in lectulo, obdormiuit. Protinùs adstitit ei vir in visu, dicẽs: Quid tu sopore deprimeris? vade celeriùs ad templũ martyris, & omnia inuenies reserata. At ille metu territus, exurgens credulus dictioni, properat velociter experiri, si vera essent, quæ sibi fuerãt indicata. Cumque venisset ad ostium, reperit remotos vndiquè populos vsq; ad sanctum altare, vel ipsum tumulum, via facta nullo obsistente. Et sic sine vlla impressione accedens, fusa oratione, cũ gaudio est regressus. Quod nè quis dubitet, testor omnipotentem Deum, quia ab ipsius Abbatis hæc ore cognoui, apud cuius monachũ gesta sunt.

Visio clerici & monachi.

Cap. 29. De festiuitate eius.

Huius festiuitatis tempus ignorans plebs, mœsta pendebat, nesciens diem, in quo martyr beatus deberet pro virtutis ac passionis gloria honorari. Et hæc ignorantia vsque ad beatum Germanum Antisiodorensem antistitem est protracta. Factum est autem, vt antedictus Pontifex Briuate aduenirẽt: scisciratusque ab incolis, quo tempore huius sacra celebrarentur, se nescire respondent. Tunc ille: Oremus, inquit, & fortassis nobis hæc Dominipotentia reuelabit. Quod cùm fecissent, manè orto, conuocatis senioribus loci ait, quinto Kalendas mensis septimi celebrandam esse solennitatem. Ex hoc nunc deuotus aduenies populus, vota præsuli reddens, refert & animæ & corporis medicinam.

Nota antiquam deuotionem.

Diuinitùs reuelatur dies solẽnitatis S. Iuliani

Cap.

Cap. 30. De energumenis.

Energumeni verò cùm aduenerint, plerunquè euomunt in sanctum Dei conuicia, cur sanctos alios ad sua conuocet festa, ipsosque nominatim confitentes, eorum fatentur virtutes & merita. Aiunt enim: Sufficiat tibi Iuliane, nos propria virtute torquere. Vt quid reliquos prouocas? Quid inuitas extraneos? Eccè Martinum Pannonium, inimicum iugiter nostrum, qui tres à nostris cauernis repulit mortuos. Adest Priuatus ex Gabalis, qui oues suas barbaris, nostra instigatione commotis, tradere noluit. Aduénit Ferreolus collega tuus ex Viennensibus, qui nobis in te supplicium, incolis præsidium misit. Quid Symphorianum Heduum? Quid Saturninum vocas Tolosanum? Aggregâsti concilium, vt nobis ingeras infernale tormẽtum. Hæc & his similia dicentes, ità sanctos Dei humanis mentibus repræsentant, vt nulli sit dubium, eos inibi commorari: multi tamen ab his infirmi curantur, & sani recedunt.

Vide demonum cõfessionem.

Cap. 31. De mansuetudine pecorum.

Sed & illud est memoratu dignissimum, quæ sit mansuetudo pecorum, in hac basilica votiuorum, qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunnientes suillæ, cùm limen sanctum ingressi fuerint, conquiescunt. Nam vidimus sæpè cothurnosos tauros, qui à quindecim aut eo ampliùs viris alligati funibus ducebantur, talem in hominibus impetum dare, vt putares eos ipsos quoquè disrumpere funes. Sed cùm ædem sanctam ingressi sunt, ità quieuerunt, vt arbitreris eos tanquàm agnos mansuetos haberi. Vidimus etiam per medias turmas multos ingredi inclinato capite, populos amouentes rostro, non cornibus, & tanquàm tribunal adirent iudicis, aliquẽ sensum habere timoris, non calcem mittere, non aliquem cornu petere, non oculis toruis adspicere, sed in omni mansuetudine vsque ad sanctum properantes osculantesque altare, rursùs in ipsa, qua ingressi fuerant, patiẽtia repedare. Sic & reliquorum iumentorum petulantia cùm illuc accesserit, depositò cuncto furore, mansuescit, vt eam mansuetudinem columbarum cum grandi admiratione conspicias. De his verò, quæ votiua sunt, nulli penitùs quippiam subtrahere licet: nullus, priusquàm ad basilicam veniat, aut commutare præsumit, aut emere. Nam qui fecerint, sæpiùs vltione diuina grauiter quatiuntur. Nam aut febris imminet, aut malum aliquod obrépit, aut damnũ graue succedit, aut hoc, quod abstulit, morbus aufert. Difficilè tamen sine præsenti vltione res præterit.

Immanissimæ bestiæ in æde S. Iuliani mãsuescunt.

Nota de votiuis iumentis.

Cap. 32. De reliquijs eius in Campaniam translatis.

De illis dixisse virtutibus sufficiat, quæ circa sanctam basilicam eius gesta sunt aut geruntur: nunc pauca de locis illis, in quibus habentur reliquiæ, differentes, finem huius libelli facere placet. Deuotione commouente, quidam apud Belgicæ secundæ prouinciam, id est, suburbano Rhemensis vrbis, basilicam in honore beati martyris studiosè constructam, cuius reliquias post perfectam fabricam expetijt fideliter ac deuotè. Quas acceptas dum viatùm psallendo regreditur, Rhemensem est ingressus Campaniam. Erat enim haud procùl à via ager cuiusdam diuitis Campanensis, ad quem scindendum magna multitudo conuenerat. Igitur appropinquante viatore cum his pignoribus, cœpit quidam de aratoribus malè torqueri, & quasi in excessu mentis dicere: En beatissimũ Iulianum appropinquantem, Eccè virtutem eius, Eccè gloriam eius: occurrite viri, relinquite boues, dimittite aratra, caterua omnis eat ei obuiàm. Stupentes illi, & quid narraret ignari, dum hebetati admirantur tam voces, quàm dicta personæ, protinùs miser relicto aruis vomere, elidens se in terram, verberansque palmas, in partem qua vir ille beati martyris ferens reliquias, veniebat, cursu celeri rapitur, clamans: Vt quid me sanctę sic crucias? vt quid me glorioſe martyr incendis? Cur regionẽ tibi non debitam aggrederis? cur habitacula nostra perlustras? Talia eo dicente, ad locum vbi iam sacerdos tabernaculum erexerat, turbulentus aduénit: prostratusque coram sanctis reliquijs, diutissimè humo incubuit. Tunc presbyter capsulam illam sanctam super eum vt posuit, ilicò erumpente ex ore eius sanguine, ab incursione diabolici erroris mundatus est: ac deinceps virtutem sancti prædicans, comes fuit huius itineris.

Quidã Belgicus basilicam in honorem martyris construit.

Crucíat demones reliquię sanctorum.

Cap. 33. De reliquijs eius in oriente exhibitis.

Quid de eius reliquijs in Oriente fidelium fratrum relatio signat, edícam. In quadam Orientis ciuitate, dum in ecclesia à dæmonio quidam torqueretur, in naui beati martyris prædixit esse reliquias. Cumque nauis portum fuisset adepta, hic ad eam saltuatim

Vide reuerẽtiam erga sacras reliquias.

tuatìm profilijt: ac prouolutus ſolo coram naui, erumpente ab ore & naribus tabe, perſona purgata eſt. Quæ cùm Epiſcopo nunciata fuiſſent, commouit populum cum accenſis cereis ad portum vſque procedere. Igitur nauclerus audiens, flensque præ gaudio, in occurſum Epiſcopi properat, nihil ſe aliud aſſerens de beati ſuſtuliſſe baſilica, nisì parumpèr pulueris, qui circa ſanctum iacebat tumulum: ſed Deus omnipotens comprobans fidem viri, occultari virtutem martyris non permiſit. Dehinc Epiſcopus ſublatas reliquias vſque ad ſanctam eccleſiam cum magno honore deportat. Negociator verò tanta cernens mirabilia, baſilicam in honore martyris ædificauit. In qua beatas reliquias collocans, multa deincèps miracula vidit operari.

Vide reuerētiam erga ſacras reliquias.

Mira vis pulueris.

Alia extruitur ſancto Dei baſilica

Cap. 34. *Qualiter Turonis in baſilica eius reliquiæ ſunt locatæ.*

Hæc ego dudùm expertus ſum. Contigit vt poſt ordinationem meam Aruernos accederem: profectusque, beati baſilicam adiui: expletaque feſtiuitate, diſruptis à palla, quæ ſanctum tegit tumulum, fimbrijs, in his mihi præſidium credens, impleta oratione diſceſſi. Apud Turonicam verò vrbem monachi in honore ipſius baſilicam, qualem poſſibilitas eorum habuit, ædificauerunt, cupientes eam eius virtutibus conſecrari. Audientes autem hæc pignora à me fuiſſe delata, rogant, vt dedicata ædes ijſdem augeretur reliquijs. At ego apprehenſa ſecretiùs capſa, ad baſilicā beati Martini incipiente nocte propero. Referebat autem mihi vir fidelis, qui tunc eminùs aſtabat, cùm nos baſilicam ſumus ingreſſi, vidiſſe ſe pharum immenſi luminis è cælo delapſam, ſuper beatam baſilicam deſcendiſſe, & deincèps quaſi intrò ingreſſa fuiſſet. Cùm enim nobis hæc in craſtinum à fidelibus relata fuiſſent, cōiecimus eam à virtute beati martyris proceſſiſſe. Depoſitis ergò ſuper altarium ſacroſanctis reliquijs, vigilata nocte cum grandi pſalterio, ad antedictam deferebantur baſilicam. Et eccè vnus ex energumenis, manibus in ſe colliſis, ore patulo cruenta proijciens ſputa, aiebat: Vt quid te Martine Iuliano iunxiſti? Quid eum in his prouocas locis? dum nobis erat præſentia tua ſupplicium, ſimilē tuî ad augenda tormenta vocâſti. cur hęc agis? Quarè nos cum Iuliano ſic crucias? Hæc & alia miſero declamante, expletis Miſſarum ſolennitatibus, dum ſe ante ſanctum altarium diutiſſimè collidit, profluente ſanie ex ore eius, ab infeſtatione furoris diabolici liberatus eſt.

Baſilica S. Iuliani.

Sacroſanctæ reliquiæ purgant dęmoniacum.

Cap. 35. *Quòd vinum ea nocte accreuit.*

Sed nec hoc ſilendum puto, quòd in nocte illa, priuſquàm ſanctæ reliquiæ ibidèm collocarentur, ſit geſtum. Monachus ipſius loci dum de aduentu ſolennitatis gauderet, & ſingulos quoſque ad cellariolum baſilicæ promptiſſimus inuitaret, hortans vt omnes in baſilica fideliter vigilarent, extracto à vaſe vino, cœpit eis cauſa deuotionis, cum gaudio propinare, dicens: Magnum nobis patrocinium in beatum martyrem pietas diuina largitur. Idcircò rogo charitatē veſtram, vt vnanimiter vigiletis mecum. Cràs enim eius reliquiæ in hoc loco ſunt collocandæ. Exacta quoquè cum ſacris hymnis modulisque cæleſtibus nocte, celebratis etiam Miſſarum ſolennijs, feſtiuitate ouans clericus, cœpit eos iterùm, quos priùs inuitauerat, rogare ad refectionem, dicens: Gratias vobis ago, quòd ſic ad vigilandum immobiles perſtitiſtis. Sed nec martyr diù diſtulit bonam voluntatem, virtutis ſuæ gratia munerari. Nam ingreſſus promptuarium clericus, reperit cupellam, quam penè mediam reliquerat, per ſuperiorem aditum redundare intantùm, vt copia defluentis vini, riuū per terram ad oſtium vſque duceret. Quod ille admirans, poſito deorsùm vaſe, ſæpiùs extulit plenum: ſed & de ipſo, cùm ſatis abundeque fuiſſet expenſum, nihil prorsùs defuit, ſed vſque in craſtinum, mirantibus cūctis, ſemper ſtetit plenum. Erat autem tertio Kalendas menſis quinti. O admirabilis virtus martyris, cùm produxit de vaſe ſine flore vindemiam. cùm ſit ſolitum, vt collecta vina condantur in vaſcula, protulit dolium muſta, in quo non vina, ſed virtus ſola defluxit: turgeſcit vaſculum à liquore, quò fructus non illatus eſt, ſed creatus. Agit hoc ille Dominus ad glorificandum martyrem, qui implens vterum virginis ſine ſemine, permanere præſtitit matrem in caſtitate. Sed tamen hîc nouo magis exuberat fructu, cùm ſine codicibus falerna porrigit. In alijs vineis, vix adhuc erumpunt gemmæ: in hoc verò vaſe vinum defluit à virtute: æquatur Maius Octobri, cùm noua porrigit pocula: plùs habet quàm ille, cùm in promptu non oſtenditur vinea, & in domo gignuntur falerna. Rudis etenim venit ſine torculari vindemia, quæ non in palmitibus, ſed in occultis eſt reperta: aceruus acinorum non premitur ab arbore, & vini defluunt vndæ: hauriuntur falerna, cùm in torculari non cernuntur impreſſa: vitis eccè non adſpicitur, & pocula largè complentur. Sed quid inquam? non enim deeſt fidelibus virtus illa cæleſtis. Nam qui quondàm in nuptijs de aquis præſtitit vina, nunc ſuis eadem largè porrigit ſine vllius elementi natura: & qui geminis piſcibus quinque millia hominum ſatiauit, nunc bonæ voluntati multiplicata reſtituit. In ipſius enim ortûs tempore Angelica vox teſtata eſt, dicens: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Sed iam ad ſequentia virtutum opera reuertamur.

Vinū diuinitùs excreſcit in vaſe.

Falernum, à regione Falerna vinū optimum.

Iohan. 2.

Matth. 14.

Luc. 2.

Cap. 36. *De contracto, in eodem loco ſanato.*

Seruiens huius monaſterij diù contractus, infeliciter trahebatur. Adueniēs autem ad ipſam ſanctam baſilicam, vigilias celebrat: quibus expletis, manè, dum ad ſtratum ſuum regreditur, inter portantium manus reſolutis ſanatus eſt neruis.

Contractus ſanatur.

Cap. 37. *De puella cæca illuminata.*

Puella quædam lippis erat oculis, & nimio imbre lachrymarum profluente, penè cæcata: cuius pater audita virtute martyris glorioſi, cum ea ad baſilicam ſanctam properat, celebratisque vigilijs, manè pauperibus, qui ad matriculam illam erant, cibum potumque protulit. Epulantibus verò illis, ſubitò puella capitis dolore ſe torqueri proclamat, & vt modicùm ſopori indulgeatur, implorat. Qua quieſcente, cùm coniuuæ epulum applicarent, illa ſurrexit, & ad ſanctum ſe altare duci depoſcit. Ante quod cùm ſolo proſtrata fuiſſet, & attentè Domini miſericordiam deprecaretur, reſtrictis lachrymis, purgatis lippitudine oculis, læta ſurrexit. Tunc patre gaudente, domì redditur ſana.

Item lippi oculi puellę

Cap. 38. *De alio contracto.*

Alius quidam puerulus paruulus, cuius parētes haud procùl ab ipſa baſilica commanebant, in ſecundo ortûs ſui anno membris totis cōtractus, ſinē ſpe alicuius boni nutriebatur. qui ità cōtractus erat, vt genua ab eius ore penitùs ſeparari non poſſent. At cùm ad ſancti baſilicam parētes eius vigilâſſent, & proiectum infantulum coram ſacroſanctis reliquijs dimiſiſſent, poſt paululùm reperiunt eum ſedentem, ac membris omnibus eſſe directum. Dehinc fuſa oratione, gaudentes ad domum ſuam regreſſi ſunt.

Item puer quidam cōtractus.

Cap. 39. *De periuris.*

Eſt autem in Turonico vicus, cui Gaudiacum nomen eſt, in quo beati martyris reliquiæ continentur. Qui cùm magnis virtutibus crebrò illuſtretur, in periuros tamen plerunq; agitat vltionem. Nam cùm ibidèm quis, inimico humani generis ſuadente, periurauerit, ità vltio diuina proſequitur, vt protinùs aut in ſucceſſione damni, aut in amiſſione proximi, aut in cōſumptione morbi manifeſta pateſcat, nec cauſam remanere inultā martyr prorsùs indulget. Sed nec inibì iam auſu temerario periurat barbarorum cruda ruſticitas. De quo negocio iſta ſufficiāt, quia longum eſt, ſingula, quæ de his acta ſunt, per ordinem memorare.

Prodantur diuina vltione periuri.

Cap. 40. *De reliquijs eius, quas Aredius presbyter ſuſtulit.*

Cùm autem ad me Aredius preſbyter ex Lemouicino veniſſet, vir valdè religioſus, cuius etiam in ſecundo virtutum beati Martini libro memini, dum ſolicitè vitam eius perſcrutarer, actionem inquirere cœpi, quæ ibidèm beatiſſimus Iulianus in miraculis prodidiſſet. In honorem enim beati martyris baſilicam ædificauit, quam & eius reliquijs illuſtrauit. Sicut ergò eſt verecundiſſimus, diù cunctatus, tandèm hæc & valdè inuitus expoſuit. Quandò, inquit, primùm beati Iuliani adiui baſilicam, parumpèr ceræ à ſepulcro ſuſtuli, indè veniēs ad fontem, in quo beati ſanguis effuſus eſt, abluta aquis facie, paruam ab his pro benedictione compleui ampullam. Teſtor omnipotentem Deum, quia antequàm ad domum accederem, colore, ſpiſſitudine atque odore in balſamum commutata eſt. Veniens verò ſacerdos ad dedicandam ædem, cùm hæc expoſuiſſem, nihil aliud prò reliquijs in ſanctum altare condere voluìt, nisì vaſculum, cuius aqua in balſamum commutata fuerat, dicens: Hæ ſunt certæ reliquiæ, quas martyr paradiſiacis virtutibus illuſtrauit.

Aredi⁹ preſbyter in honorē S. Iuliani eccleſiā ædificat & reliquijs ornat.

Inſigne miraculum.

Eccè conſecrationē eccleſiæ cum reliquiarū appoſitiōe.

Cap. 41. *De paralytico ſanato.*

Multa quidem & alia ſunt, de quibus plurima prætermittens, aliqua pando. Infirmus quidam omnibus membris debilis, plauſtro impoſitus, ad eius monaſterium

est aduectus. Qui cùm ante ipsam basilicam in hoc vehiculo nocte iacéret, videt eam subitò magno splendore fulgentem, vocesque in ea psallentium tanquàm multorum hominum audiebat. Dum hæc agerentur, & ille orationem funderet, quasi stupefactus, nec memor dolorum, eo appropinquante, splendor, quem viderat, præterit ante oculos eius. At ille fulgore demoto in se reuersus, sensit se pristinæ saluti recuperatum.

Paralytici restitutio.

Cap. 42. De cæco illuminato.

Cæcus quoquè, adminiculo deducente, ad sacrosanctum altare eius accedēs, dum de opertorio sanctarum reliquiarum oculos attigit, lumē recepit. Sed & energumeni ab hac palla cooperti, sępè mūdati sunt, & potestas iudicum, quotiescunquè in eo loco superfluè egit, confusa discessit.

Item cæci illuminatio

Cap. 43. De Cruce altaris furata.

Pendebat autem super ipsum altare Crux holochrysa, eleganti opere facta, & erat tam præclara visu, vt eam putares ex auro esse mundissimo. Aduenientibus verò Barbaris, à quodam esse aurea æstimata, direpta est, & sinu recondita. At is, qui eam sustulerat, tanto subitò pondere prograuatur, vt eam penitùs sustinere nō posset: statimq; compunctus virtute martyris, pœnitentia motus, de itinere transmissam loco sancto restituit.

Sacrilegus tollere non potest Crucem.

Cap. 44. Qualiter expetita sunt eius pignora.

Quæ postquàm gesta sunt, misit clericum suum, dicens: Vade ad beati Iuliani basilicam, & fundens orationem, supplica vt tibi aliquid ceræ vel pulueris de sepulcro iacentis largiri dignentur ęditui, vt delatum à me cum benedictione suscipiatur. Ille verò veniens, quæ sibi fuerant imperata, flagitat, ac suscepit. Et cùm susceptum ferre vellet, tanto grauatur pondere, vt vix ceruicem posset erigere: Vndè tremore magno concussus, pauimento prosternitur, & iterùm cum lachrymis orationem fundens, surrexit incolumis, & acceptam sensit abeundi habere se libertatem. Igitur arrepto itinere, incalescente nimiùm sole corripitur. Veniens autem ad villam viæ proximam, vnam casulam adit, aquam deposcens. De qua egrediens iuuenis dare responsum, vt eos vidit, in terram corruit, factusque est sicut mortuus. Concurrentes autem cognati eius, calumniabantur hominibus, asserentes consanguineum suum eorum magicis artibus fuisse peremptum. Et apprehensum puerum, cleuauerunt semiuium. At ille de manibus eorum elapsus, percussis palmis, cœpit debacchando clamare & dicere, quòd martyris Iuliani virtute exureretur. Clericus verò hæc audiens, posita super caput eius capsula cum pignoribus sanctis, fide plenus, orare cœpit attentiùs. Ipse quoquè cum vomitu sanguinem dæmoniumque proijciens, purgatus abscessit. Dehinc firmatus in fide, portitor iter totum cum psalmis & gratiarum actionibus carpens, ad locum præoptatum, martyre ducente, peruenit. Iam exindè tempore procedente, quanti ibì energumeni, frigoretici, vel diuersis morbis oppressi, martyris virtute sanati sunt, nec nomina retineri, nec numerus potuit colligi.

Dæmoniacus curatur.

Multa miracula.

Cap. 45. De puero ad ariolos ducto, & alio per virtutem Sancti sanato.

Inter reliqua verò insignia suscipiendorum miraculorum ponimus & istud, quod insipientes corrigat, & roboret sapiētes. Igitur Cautini Episcopi tempore, quo ingruentibus peccatis populi, Aruerna regio ab excidio luis, quam inguinariam vocāt, deuastabatur, ego Briuatēsem vicum expetij, scilicet vt qui meritis tutari nequibam, beati martyris Iuliani saluarer subsidio. In quo dum commorarer vico, vnus puer ex nostris, ab hoc morbo corripitur: reclinatoq; ad lectulum capite, grauiter agere cœpit. Erat autē febris assidua cum stomachi pituita, ità vt si aliquid acciperet, confestim reijceret. Nec erat ei cibus confortatio, sed magis exitus putabatur. Deniquè mei cùm viderent eum in extrema vexari, ariolum quendam inuocant. Ille verò venire nō differens, accessit ad ægrotum, & artem suam exercere conatur, incantationes immurmurat, sortes iactat, ligaturas collo suspendit, promittit viuere, quē ipse mancipauerat morti. Hæc autem me nesciente agebantur: quæ cùm mihi delata fuissent, amarissimus reddor, & cum graui suspirio illud cōmemoro, quod Dominus per Eliam Prophetam Ochoziæ Regi pronunciat, dicens: Quia dereliquisti Dominū Deum Israel, & consuluisti deum Accaron, ideò de lectulo, in quo ascendisti, non cōsurges, sed morte morieris. Nam iste post aduentum arioli validiùs febre succensus, spiritum exhalabat.

En quantū olim sanctissimi viri tribuerint Sanctis.

4. Reg. 1. Detestabile malum, cōsulere ariolos.

bat. Cuius post obitū, interpositis paucis diebus, puer alius simili laborare cœpit incommodo. Tunc ego, Eccè, inquio, accedite ad martyris tumulum, & aliquid exindè ad ægrotum deportate: & videbitis magnalia Dei, atq; cognoscetis, quid sit inter iustum & iniustum, & inter timentem Deum, & non seruientem illi. Accedētes autem, parumpèr puluēris circa sepulcrū iacentis sustulerunt. De quo vt hausit infirmus cum aqua, protinùs assecutus est medicinam, recuperatisq; viribus, ac restincta febre, conualuit. Intelligite ergò nunc, ô omnes, qui insipientes estis in populo, & postquàm ità discusseritis, scitote quia nihil sunt, quæ ad seducendum humanum genus diabolus operatur. Ideò moneo, vt si quis vexillo Crucis signatus, si quis baptismi ablutione mundatus, si quis vetustate depositā, in nouo nunc homine viget, talia postponat ac negligat: quærat autem patrocinia martyrum, per quos sanitatum miracula celebrantur: postulet adiutoria confessorum, qui meritò amici sunt domini nuncupati, & quæ voluērit, obtinebit.

Certè hoc præclarū est miraculum.

Nota cōsilium sanctissimi Episcopi

Cap. 46. De rosis, ad sepulcrum eius diuinitùs ostensis.

Eo tempore, cùm post obitum Perserij martyrarij, Vrbanus diaconus huius basilicæ ordinatur ædituus, mira res ad sepulcrum sancti apparuit. Nam vigilante diacono in lectulo suo, auditus est sonitus, quasì ostium basilicæ panderetur. Post multarum verò horarum spatium, audiuit ipsum iterùm claudi. Post hæc surgens de stratu, præcedente lumine, accedit ad tumulum sancti. Mirum dictu, vidit pauimentum rosis rutilantibus esse respersum. Erant autem magnæ valdè, cum * flagrantia odoris immensi: in ipsas quoquè cancelli cælaturas mirabatur rosas intùs. Nonus enim erat mensis, & hæ ità erant virides, vt eādem ipsa putares hora & momento ramis virentibus esse decerptas. Tunc cum grandi reuerentia collectas secretiùs posuit, multis exindè infirmis medicamenta distribuens. Nam energumenus quidam ex Turonico veniens, vt exindè delibuto potum sumpsit, eiecto dæmone, purgatus abscessit.

Rosæ pulcherrimę in Nouembri apud tumulū S. Iuliani

Energumenus curatur.

Cap. 47. De muliere illuminata.

Mulier quædam à natiuitate cæca erat, quæ se exhiberi à parētibus ad beati Martini tumulum deprecata est. Vbì cùm venisset, prostrata per triduum ad cancellos, qui ante sepulcrum sancti Antistitis habentur extrinsecùs, responsum accepit per somnium, dicente sibi sancto viro: Si lumen recipere desideras, require basilicam sancti Iuliani: in qua dum præsidium martyris expetes, ille coniunctus Martino, visum tibi necessarium, simul orationum suarum suffragijs reuocabit. Exurgens autem mulier, & ignorans, quòd in Turonico huius martyris reliquiæ tenerentur, ad Santonicam vrbem iter dirigit. Victorina etenim materfamiliâs, ex nobili stirpe progenita, in vrbis suæ territorio basilicam constructam erat, reliquiasque beati martyris condiderat. Ad hanc ergò ædem mulier accedens, orat per triduum. Die autem tertia aduenit natalis Baptistæ Dominici. Stante autem populo, & lectionum dogmata auscultāte, subitò murmur magnum oritur: presbyter verò, qui solēnia celebrabat, comprimere voces cupiens, interrogat quid hoc esset. Cui vnus ex adstantibus ait: Murmur mitescere non potest: quia virtus Domini miraculum prodidit. Eccè enim mulier illa, quæ se cæcam testabatur ortam, erumpente ab oculis sanguine, visum recepit. Tunc omnes benedixerunt Deum, cognoscentes pariter, quæ fuerant gesta.

Solēnis dies natalis S. Iohannis Baptistæ.

Cæca videt.

Cap. 48. De reliquijs, quas Nauinus presbyter detulit.

Nauinus presbyter domûs Vibriacensis, martyris huius glorioſi reliquias expetiuit, quas ex iussu beati Auiti Pontificis sumptas, cùm psallentio vsque ad basilicam sancti Ferreoli, quæ procùl ab ipso vico sita est, perduxisset, vnus ex energumenis est mundatus. Procedens autem psallendo, cùm ad Medianam peruenisset, palàm hoste improbo virtute sancti depulso, puella alia purgata discessit.

Alius energumenus purgatur. Item alia dæmoniaca

Cap. 49. Quòd eiusdem reliquijs multi infirmi sanati sunt.

Accedens autem ad locum, vbì oratorium, quod in honorem sancti construxerat, posuit hæc pignora in altari sancto. Veniens autem ad eum vnus cum amissis oculis, alius manu debilis, impleta oratione, hic lucē percipit post tenebras, manûs ille vsum post ocia diuturna. Mulier etiam, nomine Aeterna, cum filia, ab hoste iniquo vexata, ad hoc altare curata, cum prole sospes abscessit.

Multi sanantur.

Cap. 50. De alio cæco illuminato.

Frigoretici etiam in illo loco multi sanati sunt. Sed quoniam non est absurdum, si beatus

beatus Iulianus cum Iohanne aut Martino dona ſanitatum impertiatur, cum quibus victor ſeculi in cælo tripudiat: referam adhuc, qualiter cum Nicetio Lugdunenſi ſimili virtute floruerit. Igitur infra terminum territorij Turonici Litomeris quidam in honore ſancti martyris baſilicam ædificauit, in qua nos ex more ad benedicendum euocati, ſancti Iuliani martyris pignora cum Nicetij Lugdunenſis reliquijs collocauimus. Sed non multo pòſt tempore cæcus aduenies, dum fideliter orationem fudit, viſum recipere meruit. Memini huius rei in libro vitæ ſancti Nicetij: quia dignum eſt, vt communis virtus vtriuſque ſancti ſcripta connectat.

Cæcꝰ videt. Iſtius S. Nicetij vita habetur Tom. 2. Aprilis ſecunda.

Ex his miraculis Lector intendens intelligat, non aliter nisi martyrum, reliquorumque amicorum Dei, adiutorijs ſe poſſe ſaluari. Ego autem Domini miſericordiam per beati martyris Iuliani patrocinia deprecor, vt aduocatus in cauſis alumni proprij coram Domino aſſiſtens, obtineat, vt abſque impedimento maculæ vllius, huius vitæ curſum peragam, atque illa, quæ confeſſus ſum in baptiſmo, irrepræhenſibiliter teneam, fideliter exerceam, ac viriliter vſque ad conſummationem huius vitæ cuſtodiam, Amen.

Nota preces tanti pontificis.

COMMENTARIVS DE SANCTO PROPHETA ET PRAECVRSORE ET MARTYRE IOHANNE

Baptiſta, ex Simeone Metaphraſte. Nos numerum capitum margini adiecimus.

29. Auguſti Cap. 1.

IOHANNEM Baptiſtam, magnũ illud decus orbis terrarum laudare, deſiderare quidem licet omnibus: vt pro dignitate autem laudet, nemo poteſt cõſequi. Quis enim illi laudem cõtexet pro dignitate, quem omnibus hominibus eſſe ſuperiorẽ dixit omnium opifex? Quoniam autem hic eſt illius amicus, & perfectus imitator, ei quoquè omninò gratũ fuerit id, quod fit pro viribus. Sunt ergò à nobis res illius narrandæ, diuini Lucæ veſtigia ſequentibus, vndenàm ortus ſit, & quomodò, & quẽnam fuerit eius educatio, & quonam fine vitę vſus ſit hic vir magnus & admirabilis. Dicenda ſunt autem, non vt narrentur ijs, qui neſciunt, (Quomodò enim, cùm omnes res illius celebrentur ab omnibus?) ſed vt omninò percipiamus voluptatem in eis commemorandis. Sic verò habent:

Matth. 11.

Cap. 2. Luc. 1. 1. Para. 24.

Temporibus Herodis, qui fuit Rex Iudææ, ſacerdotem dicit fuiſſe diuinus hic Lucas, Zachariam quidem nomine, ex vice autem Abiæ: quæ in ſorte ſacerdotum octaua erat. Ei autem fuiſſe etiam vxorem, quæ orta quidẽ erat ex filiabus Aaron, vt vtrinquè eſſet Zacharias ſacerdos legitimus: Vocabatur autem Eliſabeth. Eis verò ſuo teſtimonio tribuit iuſtitiam ante oculos Dei. Ipſa enim eſt ea, quæ eſt vera iuſtitia: quandoquidem ei ſoli aperta ſunt corda hominum. Et quòd in omnibus eius mandatis & iuſtificationibus ambularent citra repræhenſionem. Quanquàm autem eſſent tanta virtute præditi, eos tamen dicit caruiſſe liberis: quod erat probro veteribus, non leue & contemnendum, ſed aliorum omnium grauiſſimum. Quod quidem vobis magno debet eſſe ſolatio, quicunq; bonæ quidem vitę vobis eſtis conſcij: ſæpè verò vobis minùs æquæ & proſperæ ſuccedunt res humanæ.

S. Iohannis parentes.

Carere liberis, patribus veteris teſtamẽti, maximo fuit probro.

Huic autem Zachariæ, dum ſacerdotali munere fungeretur, viſum eſſe dicit Angelum Domini ſtantem à dextris altaris. Cuiuſnam autem altaris? Incenſi. Erat enim alterum oblationum. Et Zachariam quidem illuc ſolum ſubijſſe in ipſa hora incenſi, totam autem populi multitudinem fuiſſe extrà, vtentem oratione. Conturbato verò & perterrefacto Zacharia propter ſpectaculum, Angelum ei ſoluentem metum, dixiſſe: Noli timere. auditæ ſunt enim preces tuæ. Te autem fuiſſe exauditum probatur, quòd & ſit tibi promiſſus filius, & ſignificetur, quemadmodùm ſit vocandus, & quòd propter eius ortum prædicatur gaudium. Sed quid, dixerit quiſpiam, eſt conſequens, vt ille, qui pro populi peccatis intercedit, accipiat promiſſionem, fore vt ei naſcatur filius? Eſt certè valdè conſentaneum & conueniens. Nam qui ab illo erat ſuſcipiendus, is erat futurus præco agni, qui tollit peccatum mundi: quemadmodùm ille ipſe clamat.

Cap. 3. Luc. 1.

Angeli apparentes hominib' ſemper metum foluunt.

Iohan. 1

Futurum

Futurum autem eum magnum prędicit, non quidem abſolutè, ſed coram Domino: Sicut etiam ipſos parentes priùs dixit iuſtos eſſe coram Deo. In quonam autem ipſum fore magnum dicit diuinus Lucas? Num omninò in abundantia ſpiritûs? Neq; enim diuinæ gratiæ eum ſolùm dicit futurum participem. Sed replebitur, inquit, ſpiritu ſancto, & non poſt aliquod tempus, neq; cùm ad aliquã peruenerit ętatem: ſed adhuc in vtero matris. Quod autem erit eius munus, & quidnam aget? Conuerſionem multorum filiorum Iſrael ad Dominũ Deum eorum. Adde etiam reliquam laudationem, ô Angele. Et præcedet coram eo in ſpiritu & virtute Elię. Nam ſicut ille erit præcurſor ſecundi aduentûs Chriſti, ità hic fuit primi, pari virtute, & pari poteſtate, & eodem ſpiritu. Et conuertet corda patrũ ad filios. Quid ſignificans, niſi quòd efficeret, vt Iudæi parérent doctrinæ Apoſtolorum? Hi enim erant illorũ filij cognatione ſanguinis: quorum etiam prudentiæ viſi ſunt obedire, qui tunc erant inobedientes. Eò enim tendit illud, Et parare Domino populum copioſum: nempe quòd, vt populus Iudaicus paréret Chriſto, etiam antequàm Chriſtus apparéret, ab Iohanne ſcilicet fuerit paratus, & eius linguæ præda factus fuerit.

Cap. 4. Elias ſecurſor ſecundi aduentûs Chriſti, Iohannes primi.

Quoniam autem tu (hæc enim dicit Angelus Zachariæ) viſus es non credere meis verbis, & eius, qui me miſit, & cui aſſiſto, virtutem non attendens, attendiſti potiùs imbecillitatem corporis, & ad hoc ſolùm adſpexiſti: imponetur tibi pœna, vocis mutatio, & donèc euenerint ea, quæ dicta ſunt, eris obnoxius ſilentio. Statìm autem pœna affuit, & ſimul cum Angeli voce extincta quoquè eſt vox Zachariæ. Apertum verò eius indicium, nutus. Erat enim, inquit, eis annuens, populo ſcilicet, propterea quòd ei ſermo deeſſet. Tuum ergò eſt hoc, ô maximi Præcurſor, & arcanæ tuæ ab initio potentiæ, vt & patri ſolueres linguæ vincula ex ſolo nomine, & matri naturalis pedicas ſterilitatis: ſicut etiam multis poſteà, pœnitentiæ prædicatione, ſoluiſti vincula peccatorum. Verumenimuerò Zacharias quidem, ab eo iam peractis diebus miniſterij, domum reuertitur: Eliſabethę autem poſteà ex inopinato elucet conceptio. Et abſcondit ſe, inquit, menſes quinque, quòd in ſenectute, tanquàm præter tempus, concepiſſet, erubeſcens.

Cap. 5. Zacharias ſilentio caſtigatur.

Luc. 1.

Sexto autem menſe (oportet enim ea connectere, quæ ſunt conſequentia ijs, quæ ſunt propoſita) quę ad eam genere attinebat, Maria, dico Deiparam, quæ degebat in domo ſpõſi Ioſeph, qui erat in ciuitate Nazareth, cùm ei illic allatus eſſet bonus nuncius carnis à Verbo ſuſceptionis, & propter rem nouam de naturę dubitaret legibus, apertè audit ab Angelo, & alioquì confirmante id, quod dixerat, & ad fidem trahente tali exemplo: Eccè enim, quòd cognata tua Eliſabeth ipſa quoq; concepit filium in ſenectute ſua: & hic eſt ſextus menſis ei, quæ vocatur ſterilis. Deindè paulopòſt conſequitur Mariæ cum feſtinatione in montana aſſcenſus, & eius in domum Zachariæ aduentus. Feſtinauit enim, vt gratularetur Eliſabeth de bono nuncio huius nouæ conceptionis. Accedit ergò, & benignè eam ſalutat ſeu appellat. Salutatio autem, eſt dulcis exultatio infantis, qui eſt in vtero. Iam enim ex vẽtre didicerat ſeruus Dominum, qui erat in ventre: & cùm ſenſiſſet eius in mundum aduentum, mirandum in modum lætabatur. Hoc enim apertè oſtendebat læta exultatio.

Cap. 6. S. Mariæ ſalutatio quãtę fuerit virtutis.

Nè te lateat autẽ magna Eliſabethæ moderatio, & ſubmiſſio cum admirabili prædictione. Erubeſcebat enim, quòd ad eam veniſſet Virgo, cùm id eius longè ſuperaret dignitatem. Et ideò, Vndè hoc mihi? inquit. Sicut etiam illius filius fecit ad Domini aduentum, Et tu venis ad me, dicens in tempore baptiſmatis. Vide aũt, quemadmodùm Virginem appellat. Eam & matrem, & dominam ſuam nominat, quinetiam benedictam dicit in mulieribus. Et id, quod geſtabat in vtero, fructum vẽtris eius appellat admirabiliter, & prętęr opinionem. Quid hoc ſignificans? Quòd ſeminis viri minimè erat particeps. Et in domo quidem Eliſabethæ habitauit Virgo circa tres menſes. Deindè ea quidem ſic domum reuertitur, Eliſabethæ autem impletum fuit tempus pariendi. Quanam verò de cauſa ad tres menſes, & non plures, fuit cohabitatio? An omninò, quòd tunc eſſet paritura Eliſabeth? Si enim circa ſextum menſem, ex quo ea cõceperat, miſſus fuit angelus ad Virginem, ipſa autem cùm apud Eliſabeth veniſſet, menſes tres apud eam permanet: clarum eſt, quòd cùm finitũ eſſet tempus conceptionis, quod nonus menſis circunſcribit, in domum ſuam Virgo reuertitur: & fortaſsè hac de cauſa, quòd vniuerſa multitudo erat ventura in ædes Zachariæ, cùm inſtaret tempus pariendi Eliſabeth, pudor autem virginalis hæc minimè ſuſtineret.

Humilitas S. Eliſabeth. Matth. 3.

Cur Maria non diutius quàm ad 3. mẽſes apud cognatam manſerit.

Vndenàm verò venit in mentem Eliſabethæ, vt infanti imponeret nomen Iohannis,

Cap. 8.

nis,quod reuerà erat nouum,& ab eorum genere alienum? Vndenàm autem,nisì reuerà ex spiritu sancto,& ex virtute eius, qui nascebatur? Neque enim ei hoc significauit maritus. Quomodò enim,cùm ei esset adhuc lingua præpedita? Certè etiam postquàm hoc scripto significauit Zacharias,(nutu enim non poterat) admirati sunt, inquit, omnes. Propter quamnam aliam causam, quàm propter parentum conuenientiam circa nomen infantis? Simulatquè ergò scribens nominauit, linguæ quoquè dissoluta sunt vincula, & cœpit loqui. Sed cur inuadit timor omnes, qui circùm habitabant? Quòd oportebat clara præcurrere miracula, & propter promissionem eius, qui erat nasciturus, & propter tam eximiũ illius partum,vt ab initio fide dignus præclarè apparéret. Significat autem hoc quoquè id, quod subiungitur, quòd admiratio & metus inuaserit omnes, scilicèt eos, qui audiebant: Quisnam erit, dicentes, hic puer?

Luc.1. Cur puer sit vocatus Iohannes.

Verumenimuerò ne hæc quidem nos prætereant, neq; socordię accusemur in ijs, in quibus debemus potiùs conferre studium & diligentiam. Vide enim quemadmodùm lingua Zachariæ, depositis quibus alligabatur vinculis,non solummodò loquitur, sed etiam, vt propheta, cœpit futura pulchrè prædicere, atque adeò de ipso filio prædicere,qui eius linguæ vincula immiserat, & ea relaxauerat. Prædicit enim eũ futurum prophetam altissimi,& præiturum esse ante eius faciem, paraturum autem esse vias eius. Sed hæc quidem sic. Consequebatur autem, inquit, Iohanni pro ratione ætatis, spiritalis quoquè gratiæ accessio. Hoc enim sibi vult Euangelista, dicens: Puer autem crescebat, & confirmabatur spiritu: & quæ sequuntur. Quinetiam eum dicit fuisse versatum in solitudinibus vsque ad tempus,quo se demõstrauit Israëli. Sed quanam de causa noluit conuersari cum populo,& peregrinationis amicus fuit,& solitudinis? Nè euanescseret populi in eum reuerentia, vt quæ offuscetur & flaccescat conuersationis assuefactione: quinetiam vt dum argueret, faciliùs admitteretur: & dum testimonium ferret,esset fide dignus, nunc quidẽ Iudæorum arguens improbitatem, partim autem Christo ferens testimonium.

Cap.9. Ibidèm. Ibidèm. S.Iohannes cur in solitudinẽ sese abdiderit.

Verumenimuerò Zacharias quidem senex & sacerdos, vt à patribus de eo tradita tenet narratio, cùm vitam produxisset vsque ad ipsum Dei & Saluatoris nostri ortum secundùm carnem,& cùm maternis vlnis (ô diuinam submissionem) eum vidisset gestari, & sic ab ea sæpè in templum introduci, & eum esse Deum minimè ignorâsset, propterea ei concedit, vt ingrediatur in sancta sanctorum, cùm cognouisset eam esse Deiparam, & vt illic stet, ei largitur propter excellentiam. Sed hæc quidem ità se habebant. Ea autem res clariores ex Iudæis (ità enim vult,quę traditur,narratio) ad iram accendit,& efficit,vt in senem grauiter insaniant. Etenim audiebant,inquit, ab eo Regem creatę naturæ ad humanam venisse generationem. Metu ergò, nè Regi parérent,concipiunt laborem,vt ait Esaias,& pariunt iniquitatem:& cùm essent procliues ad malitiam,& ad effundendum sanguinem,non minùs quàm aquam è manu, vna nocte in templũ irrumpentes,in conspectu (proh dolor)altaris occídunt Zachariam. Deindè cùm sanguis locum admodùm cruentâsset,& cędem factã planè argueret,terra effossa absconduntmortuum parricidæ,vt qui cædis quoq; scelus vellẽt abscondere. Hoc autem est reuerà difficile. Est enim scelus factu quidẽ facile: postquàm autem factum sit,celatu difficile. Et sic quidem narratur fuisse occisus Zacharias.

Cap.10. Esa.59. Cædes Zachariæ.

Aliud quoquè traditur non minùs receptum, quòd propter puerorum cædem ab Herode factam,is quoquè fuerit interemptus. Postquàm enim in omnem partẽ peruasit edictum, quod iubebat interfici pueros in Bethleem, simul & in montanis, vt communi cæde horum puerorum,eum etiam vnà interimeret, qui erat suscitaturus mortuos: & sic ipse metum exuëret principatûs:ea enim de causa omnes pueros fuerat aggressus occídere: (Proh dolor,ad cuiusmodi cœpta impelluntur homines propter gloriæ cupiditatem) tunc quærebatur quidem filius quoquè Zachariæ ad cædem,vt qui nupèr esset natus: non inueniebatur autem. Etenim quomodò Ioseph iubebatur fugere in Aegyptum cum Maria & puero,ità etiam Elisabeth quandam speluncam ingressa cum infante, in ea habitabat. Quoniam ergò infans ab eis apprehendi non poterat, totam iram ij, qui puerum quærebant, effundunt in Zachariam: & cùm in templo inuenissent,(etenim rursùs vice sua attendebat altari incensi) interficiunt celantem filium,vt qui eum nollet eis ad cædem tradere. Et sic duplicemasse quitur coronam,quòd & Deo ministrans, mactatur apud ipsum altare, & quòd cum infantibus primus Christo sacrificatur.

Cap.11. Matth.2. Ambitio qd efficiat. Matth.2.

Cùm

Cùm hęc sic processissent,& post multos quidem annos è viuis monarcha excessisset Augustus,Tiberius autem,qui monarchię ab illo susceperat dominatum,quindecim iam annos in imperio transegisset: quinetiam Herodis alienigenæ regno in quatuor principatus diuiso, & totidem numero filijs distributo, qui quidẽ erant Archelaus,& Herodes,& Philippus,& Lysanias: cùm prima quidem tetrarchia esset Iudæa, eam autem administraret Archelaus, qui erat primus inter filios: cumque omnibus sceptro Romano collum inclinantibus post primam descriptionem,ducesq; & præsides,quibus Reipublicæ cura mandabatur,Roma accipientibus,Pontius Pilatus tunc præses esset Iudęæ,qui quoniam Tiberio Cęsari erat intimus,ideò præmiũ suæ in eum amicitiæ,hãc acceperat administrationem: (Oportebat enim, cùm venisset Christus, cui imperare erat repositum, vt ait propheta, cessare principes ex Iuda) Et Galilææ quidem tetrarcha esset Herodes, vt sacrum dicit Euangelium: Philippus autem eius frater esset tetrarcha (oportet enim, tanquàm ornamento aliquo, ipsis vti eloquijs) Iturææ & regionis Trachonitidis: & Lysanias,Abilinę: sub Pontificibus Anna & Caipha, Iohannes definitum expectans tempus, (vt sacra dicunt eloquia) quo se Israeli ostenderet,morabatur adhuc in solitudine,quam habitauit vix solutus à fascijs,exercens vitã Angelicam,& liberam ab omnibus impedimentis & omni supellectile. Non enim tecto,non mensa,neq; aliquo alio ex ijs,quæ sunt huiusmodi,indigebat. Nõ terram arauit, non sulcum proscidit: non in sudore vultûs, quam quidem meam & paternam nóui pœnam,panem comédit: sed arborum quidem summæ frõdes alimentum parabant: ex pilis autem cameli rude & sine arte confectum induebat vestimentum, vt eos, qui erant in mundo, ad quos non ità multò pòst vénit, doceret victûs tenuitatem,& instrueret,vt & humana despicerent, & eam, quæ reuerà erat apud antiquos,exercerent frugalitatem: qua priùs Adam honoratus, minimè opùs habuit vestibus. Clarum est enim,ei post transgressionem opùs fuisse vestibus.

Cap.12. Filij Herodis Ascalonitæ. S.Iohannes vix solutus à fascijs manet in solitudine. Genes.3. Austeritas vitæ eius.

Cùm autem tempus iam dictum aduentâsset, & seipsum Israëli patefecisset, cuiusmodi erat ad afferendam admirationem homo, qui triginta annos habitârat in solitudine,& se velutì perpetuo damnauerat exilio,& cum nullo omninò homine versari statuerat, & ab ineunte ætate vitam elegerat monasticam, vt qui tunc primùm veniret in conspectum hominum? Statìm enim, vt iam diximus, ab incunabulis lubenter versatus fuit in solitudine,nulla re humana omninò indigens,simul cum moribus loquentem formam & vestem attrahẽs,vt qui fuisset filius Pontificis, & testimonium de eo ferentem Esaiam apertè induceret. Illud enim, Vox clamantis in deserto: de eo scilicet dictum est. Nouus quidem Elias ostẽsus ex omnibus, vel potiùs omnibus persuadens se habere illo aliquid amplius,quatenùs plus est omninò versari in solitudinibus,quàm in ciuitatibus,in quibus erat Elias. Ea de causa erat Iudæis mirandũ in modum venerabilis, & tolerabantur eius repræhensiones. Quomodò enim eos increpans & vocans genimina viperarum, etsì manu essent valdè prompti, & propensi ad cædem,eos non adegit ad insaniam?

Cap.13. Iohannes monachus ab infantia. Esa.40. Matth.3.

Verumenimuerò attendendum est, quàm fuerit Iudæis Baptista admirabilis. Eis enim iniecit suspicionem,nè ipse reuerà esset Christus. Et ideò extitit vox illa, quæ ex alto testimonium filij tribuebat ei, qui baptizabatur: & columba, quæ aduolauit, & apud illum solum mansit. Illum autem nihil ex his extulit,neque vnquàm visus est primas partes sibi vẽdicare,sed sibi potiùs extremam adscíscere humilitatẽ. Quid enim sibi vult illa calceamenti corrigia, nisì quòd omninò recusaret se cum Iesu conferri, & diceret se non esse idoneum, qui solueret corrigiam eius calceamenti? Et alioquì cùm à Iudęis,missis ad eum legatis ex sacerdotibus & Leuitis,interrogaretur, Confessus est,inquit,& non negauit: & confessus est,se nullo modo esse Christum: etsì illi ad exprimendam Baptistæ confessionem,quòd ipse esset apertè Christus, quid non faciebant? Eò enim cum alijs hæc tendebat interrogatio: Quid tu baptizas, si tu non es Christus? Quinetiã à proprijs discipulis Christo inuidentibus,& propter baptismum nonnihil vellicãtibus, (ad eum enim sensìm accedẽres, & ad æmulationem accedentes: Cui tu testimonium tulisti,aiebant, eccè is baptizat)ille ne tantillùm quidem abducebatur: apertè autem dicebat,seipsum non esse Christum,sed missum. Christum verò & Agnum Dei vocabat,& se quidem oportere minui,illum autem augeri confitebatur. Non autem erat Iudæis solùm venerandus Baptista,& verè dignus,qui haberetur in admiratione: sed etiam ipsi Herodi,& ei magìs, quàm Iudęis, quòd ei non solùm pudorem,sed metum quoquè iniecerat: Timebat enim,inquit,Iohannem,quòd

Magna humilitas ei⁹. Iohan.1. Iohan.3. Marc.6.

sciret virum sanctum & iustum eum esse. Quinetiam eum audiens, multa faciebat, & eum lubenter audiebat. Nam illud quidem habebat ex conscientiæ cõdemnatione, quòd eum timeret, inquam, cùm prauè & sceleratè viueret: hoc autem ex virtute dicentis, quòd omninò eum lubenter audiret. Et sic efficit quidem virtus, vt eam illi quoquè reuereantur, qui sunt ab ea omninò alieni.

Virtutem etiã improbi reuerentur.

Cap. 15.

Sed reuerà magnam vim habet intemperans cupiditas, & res est omnium efficacissima ad animam redigẽdam in seruitutem. Sicut etiam hunc Herodem miserè admodùm affecit, dũ non secùs àc mancipio, Rege (proh dolor) vsa est. Qui despecta sua vxore, (ea autẽ erat filia Aretæ Regis Arabum) & contemptui habito eius amore, plurimi faciebat amorem Herodiadis. Eam enim, cùm esset vxor fratris Philippi, duxit præter leges, cùm iam haberet semen fratris. Illis enim solis permittebatur hoc facere, quorum fratres reliquerãt vitam absque filijs. Permittebatur autem omninò hoc consilio, vt semen suscitarent fratribus. Propter hæc ergò Iohannes Herodem reprehendens, visus est surdo canere, & loqui in aurẽ mortuo: etsi solitus esset priùs eum lubenter audire, & sciret eum in magna haberi reuerentia. Sed amor Herodiadis, qui, vt diximus, eum inuaserat vehementiùs, efficiebat vt nihilifaceret verba Iohannis: & illum quidem coniecit in carcerem, Herodiadi autem gratiorem præbuit audiẽtiam, & liberam dedit potestatem sui explendi desiderij.

Deut. 25.

Libidinis mãcipium Herodes.

Cap. 16.

Cæterùm Baptista, vt qui esset propheta, vel potiùs propheta superior, cùm præcognouisset se per Herodem quidem mox esse excessurum ex hominibus, suos autẽ discipulos hominem quidem solùm existimare esse Christum, ipsum verò esse Christo longo interuallo præstantiorem: vellet autem hoc corrigere iudicium, vt quòd non rectè haberet, quoniam neque desiderabat assentationem, neque præter veritatẽ volebat ornari gloria: quid facit? Cùm ille elegisset duos ex suis discipulis, mittit ad Iesum, qui rogarent: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et hoc statuit facere, non ipse volens discere, sed illos doceri potiùs. Quomodò enim opùs habuisset discere, quem nouerat ex vtero, antequàm ex eo prodiret, & quem doctus à patre, apertè prædicauit in omnibus? Quibus, cùm venissent, & hæc Christo dixissent, ille quidem primùm nullam dat lingua responsionem, sed factis potiùs respondens, se ipsum esse ostendit, quem quærebant, signorum magnitudine, quoniam ea ipsa hora multa signa fecerat: deindè verò etiam per verba adijciens responsionem: Euntes, renunciate, inquit, Iohanni ea, quæ audistis, & quæ vidistis. Quænam autem ea sunt? Cæcorum correctio, leprosorum mundatio, surdorum auditio, mortuorum resurrectio: & quæ deincèps consequuntur. Propter quæ diuinè subiungit: Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Quid hoc dicens, aut quid volens ostendere? Quòd vel eius supercilia (vt ait diuinus Dauid) examinãt filios hominum, & quæ ab eis agitantur in cordibus, eius oculos minimè effugiunt. Ipsi enim apertè erant, qui scandalizabantur.

Matth. 11.

Cur S. Iohãnes discipulos ad Christũ miserit.

Psal. 10.

Cap. 17.

Postquàm autem ij redijssent ad Baptistam, volens Christus ijs quoquè mederi, quę turbæ circunsistentis animum perturbabant. (Iam enim rectè se habebant Iohannis discipuli.) Verisimile nanque erat turbam dubitâsse, num hæc dicta essent à Iohanne ambigente, vtrùm is sit, qui venit, an alium fortè expectare oporteat, vt qui vel propter carcerem in metum incidisset, vel etiam pœnitentia ductus esset eorum, quæ priùs dicta fuerant: Has, inquam, dubitationes Christus corrigens: Quid exîstis, inquit, visum in desertum? Arundinem vento agitatam? Aut eum, qui est in mollibus vestibus? vel prophetam tantùm? Hæc autem post discipulorum Iohannis reuersionem, sicut diximus. Neque enim eis præsentibus volebat laudes contexere Baptistæ, quoniam assentantis potiùs, quàm vera dicentis, existimata essent ea, quæ dicta sunt. Ad quid ergò exemplum arundinis, quæ vento facilè agitatur, quàm vt ostendat hominem facilem & mobilem, venti campum, vt est in prouerbio: & mentem, quæ facilè duci & transmutari potest, quæ seruit temporibus, & citò ab eis transfertur? Non ergò à priore illa mente & sententia traductus est Iohãnes: quoniam cum adducto exemplo pugnat ex diametro. Est enim ille firmus & solidus, arundini, quæ facilè circunfertur, omninò dissimilis. Quid autem illud, In mollibus vestibus? Eos innuit, qui viuunt in delicijs. Probabile enim erat Iudæos cogitare, quòd qui primùm fuerat firmus ac robustus, & assuetus laboribus, deindè delicijs vsus, tunc euaserat delicatus, & inierat fœdus cum mollitia: Quorum neutrum fuisse Iohannis animi & vitæ, certum testimonium est, & vestis, & carcer. Non enim cõdemnatus esset illum habitare,

Christus in absentia discipulorum cur Iohannẽ laudauerit.

bitare, si sciuisset seruire tempori, & cedere Regibus se iniquè gerentibus: cùm præsertim ei non esset necesse loqui ad gratiam, sed solùm tacere sufficiebat, vt omnibus modis obseruaretur & coleretur. Quomodò autem accipiendum est illud, Eum esse plus quàm prophetam? An quòd conspectus sit propinquus Christi aduentui ad homines? Mittam enim, inquit, Angelum meum ante faciem tuam. Quod quidem nihil aliud significat, quàm, proximè. Nam ij quoquè, qui in progrediendo præcedunt continenter Regibus, ij scilicet & maiorem, quàm alij, habent authoritatem, & sunt ei coniunctiores.

Malach. 3.

Et sufficit quidem lingua Dominica ad ferendum Iohanni testimonium de excellentia inter homines, & quòd nulla mulier eo maiorem pepererit. Inueniet autẽ qui velit, veritatem quoquè rerum idem dicere, si illius mensam cogitet, si illius viuẽdi rationem, si excelsam illius mẽtem. Tanquàm enim, qui è cælo venisset, sic terram obibat, corpus tanquàm superuacaneum & ociosum aliquid inferẽs, & eius ferè nullam curam gerẽs, hymnis & precibus assiduè deditus, propemodùm quidem nec terram tangens, ad cælum autem mẽte sublatus, & Deum solum purè contingens, nullam rem humanã vendicans, sed nouam vitæ viam ingrediens, vt qui esset simul tranquillus & vehemens. Etenim cum populo quidem Iudęorum strenuè & fortiter, cum Rege autem liberè, cum suis verò discipulis comiter admodùm & benignè loquebatur: non leuiter quidem & temerè, sed vnumquodque scilicet, vt oportebat. Quomodò ergò non erat hominibus maior, qui sic erat affectus? Quid autem sibi vult id, quod subiungitur, Minor quidem, in regno autem cælorum maior? An nè nimię laudes Iudæis aliquam parerent absurditatem, & darent eis occasionem, Christo præferendi Iohannem? Minorem autem omninò & ętate, & multorum opinione seipsum vocat. Erant enim quidam, qui ei non solùm tribuebant humilitatem, sed & voracem, & vinipotorem non verebantur eum vocare.

Cap. 12.

Sanctitas eiꝰ eximia.

Christus vt minor Iohanne. Matth. 11.

Sed iam ad eius quoq; mortem est transeundum, quã ille subijt propter reprehensiones, vt qui perpetuò aduersùs peccatum decertauerit, non timens dies (vt dicam cum diuino Dauide) non formidans vultus regum, qui Deum & leges despiciunt: sed apertè arguens eos seruos voluptatis, qui alijs (ô iura & leges) volent imperare. Nam postquàm iam fuisset incluſus carcere, (eo enim illic dimisso, digressi sumus) Herodes faciebat cœnam in suo natali proceribus, & tribunis, &, vt sacrum dicit Euangelium, primis Galilææ. Deindè in cœna oblectationes, & * honestæ recreationes. Oportet enim eas quoq; dicere, quibus Rex vsus est apud eos, qui inuitati fuerant. Accedit puella saltans, non plebeia aliqua, aut vna ex vulgo, sed quæ nominata fuerat filia Regis, & illius ipsius Regis, qui cõuiuio exceperat. Nec erubescebat Regina filiam, eamque, vt videbatur, virginem introducens, & saltantem producens in conspectum tot masculorũ, rem pudicis oculis non solùm iniucundam, sed etiam vitandam. Sed id consultò agebat, vt cognosceretur quàm esset honesta ea, quam Rex duxerat, & ex fructu arbor, & ex filia mater aperta euaderet. Et ipsa quidem per illam: qui duxerat autem, per vtranq; laudãdus videretur & beatus. Vide verò mali quoquè accessionem. Patri placuit id, quod fiebat, propter quod oportebat eum magis pudore affici: & sic placuit (ô regiam munificẽtiam) vt polliceretur se ei regnum suum esse diuisurum, ad remunerandam rem tam publicè vtilem, & magno studio dignam: & quod est deterius, cùm nec illa petijsset, sed ipse eam ad rogandum incitâsset.

Marc 6.

* for. inhonestæ

Ex fructu arbor cognoscitur.

Illa autem laudis quoquè & gloriæ mouetur cupiditate, & rem petit longè maiorem, vt quę cùm esset fœtus viperæ, didicisset ab ipsa matre petitionem. Quærit enim non dimidium regni sibi promissum, neq; aliquid eiusmodi, sed rem, proh dolor, quæ omnia regna terræ superat, & cum qua ne ipse quidem mundus potest conferri, si eius spectes precium: nempe caput viri, quod tu quoquè priùs, qui seruus es potiùs, quàm Rex, in maximo honore habuisti, vt ipsa dicunt Euangelia, & nos priùs ostendimus. Nunc autem propter à ratione alienum tui animi motum, & eius repræhensiones, in vincula conijcis virum illum venerãdum, & non solùm conijcis, sed etiam interimis: & illud caput malis vendis amoribus, tales, ô infelix, gratias ei largiens, cuius tu turpi amore tenebaris. Quis verò fuit hic prætextus? Nè iusiurandum transilires, iusti interemptio. Clarum est enim, te esse pollicitum, regni tui dimidium ei daturum. Hoc autem quid est aliud quàm opes, pecuniæ, iugera terræ, gloria ad tempus, quorum ipse eras dominus? Hæc enim si ei à te ex æquo essent diuisa, tuum conseruâssent iusiurandum. Viri autem cædes, viri dixi, immò verò plus quàm viri, quid cum his commune

Cap. 20.

Filia Herodiadis fœtꝰ viperæ.

habebat apud eum, qui temperanter viuit, & rectas leges sequitur? Nisi hoc tibi erat regnare, ó optime, subiectos nulla de causa interimere? Tu autem præ te tulisti te molestè ferre, vt qui necessè habuisses iusti viri cædem permittere, iurisiurandi, & non legum, solùm custos diligens. Sed satis intellectum est, te ad nouercæ, vt aiunt, flere tumulum, & præ te ferre te illud dare inuitum, quod magis gaudebas, quàm ij, qui petebant.

Simulatio Herodis.

Cap. 21. Infertur autem caput plenum sanguine, innitaris quidem tetrum spectaculum, & quod omnem conuiuij lętitiam poterat in dolorem conuertere, matri autem puellę maximam afferens voluptatē. Talem enim sitiebat eum videre, qui eam prohibebat, nè viueret ex sui animi sententia, & zelo linguam habebat non minùs gladio acuram, licèt mutam. Diuina enim quędā res est virtus, & quæ vinci non potest, vt quæ etiam post mortem eius, qui eam possedit, adhuc dominetur. Qui enim erat adeò turpis, & abominandus, & voluptatum seruus Rex, qui cædem talis viri, tanquàm vnius abiecti & cōtempti, iussu fecerat, vide quemadmodùm post illius mortem euadit timidus & meticulosus. Adeò certè timidus, vt eum, qui erat mortuus, putaret propè esse morte superiorem. Cùm enim de Iesu audijsset, Euangelium inquit, Herodes, & quænam faceret miracula: Hic est, inquit, Iohannes Baptista, hic surrexit à mortuis. Huius autem rei probatio erat: Virtutes enim dicebat operari in eo, Domini signorum & miraculorum sic vocans operationem. Postquàm autem fuit interfectus diuinus ille Iohannes, & magna contentione petendum caput præmium saltationis donatum fuit illi debacchanti iuuenculæ, & id per ipsam habuit mater: illa, cùm id accepisset, quod ardenter sitiebat, profundè infodit, & apud se turò abscondit: vt ex ijs, quæ à Patribus sunt tradita, narrationibus scriptisq; licet discere. Magnus enim timor, & magnitudo eius, quem habebat odio, efficiebat, vt ipsa sibi caueret. Neq; permittit caput coniungi cum corpore, dubitans nè sic resurgeret, & ad priores rediret repræhensiones: Sed si, inquit, apud me caput rectè abscondatur, id non facilè potuerit resurgere.

Virtus semper inuicta.

Matth. 14.

Caput S. Iohannis defoditur.

Cap. 22. Marc. 6. Luc. 9. Postquàm autem curæ fuisset eius discipulis, vt reliquum corpus in quodam loco insigni honorificè sepeliretur, ij ad Iesum venientes, omnia ei renunciant. Ille autem, vtpotè ex eo dolore affectus, non amplius patitur manere in regione: sed illinc surgit protinùs, & vnà cum suis discipulis nauem conscendens, venit in desertum quendam locum Bethsaidæ, & se, & illos quiete recreans, & velutì consolans tristitiam. Atque diuinus quidem Iohannes, cùm præter alia bona, quibus erat locuples, etiam, quod à Christo acceperat, testimonio fuisset honoratus, cælorum, quibus erat dignus, sortitus fuit habitationem, cùm triginta duos annos, & sex menses peregisset in terra. Herodem autem Dei iustitia, etsì vtplurimùm soleat esse tarda ad supplicium, tamen hîc fortassè insigne scelus habens odio, haud ità diù pòst inuadit. Postquàm enim ille suam vxorem, propter vehementem amorem in adulteram, & odio habuit, & repudiauit: ea non ferens contumeliam, vénit ad Aretam suum patrem, qui erat Rex Arabum, vt anteà dictum est, eique & insolentiam & alia omnia (vt semèl dicam) exposuit, & petijt, vt vlciscere tur rem, quæ mulieri est intolerabilis. Ille autem (neque enim eius solùm, sed suam potiùs propriam existimabat contumeliam) bellum commouit aduersùs Herodem. Et cùm rem rectè gessisset, & illius exercitum validè cecidisset: & alios quidem occidisset, alios verò redegisset in seruitutem, & subiectis flammis omnem esset populatus regionem, reuertitur. Et res quidem Herodis ità se habuerunt.

Bellum facit Herodi Aretas.

Cap. 23. Cæterùm huius adulteræ & illegitimæ vxoris Herodis, quomodò? Ipsa in longissimum quidem tempus vitam producit. Cùm suam autem vidisset filiam acerbo fine primùm vitam terminâsse, sic ipsa quoquè recedit, ijs, quæ illic sunt, omninò seruata supplicijs, & bibitura totam fæcem iustissimi calicis, qui est in manu Domini. Filia autem illius, quam quidem diximus perijsse ante matrem, cùm ad quendā locum proficisceretur, & tempore hyemis oporteret eam flumen traijcere, quoniam erat glacie concretum, id transibat pedibus. Cùm autem glacies non sine Dei numine omninò esset disrupta, ipsa quidem vsque ad caput defluxit misera, tunc quoquè velutì saltans laniationibus, non in terra, sed in aquis. Caput verò & glacie confractum, & validè amputatum, relinquitur supra gelu, admirabile indiciū Dei iudiciorum, ipsum quoquè diuisum à reliquo corpore, non gladio, sed glacie. Sed hæc quidem ità se habuerunt, & infame illud & sceleratum caput, propositum erat spectaculum omnibus, ea, quæ fecerat, in memoriam reuocans spectatoribus. Quemadmodùm autem illud verè

Pſal. 74.

Filiæ Herodiadis horrendus interitus.

verè sacrum, & magna cōtentione quærendum caput, in profundo terræ (sicut priùs diximus) à Baccha illa absconsum, admirabiliter rursùs eluxerit, & manifestum euaserit fidelibus, iam ad declarandum accedit oratio.

De inuentione capitis S. Iohannis Baptistæ.

Cap. 24. Duo monachi ex Oriente profecti, cùm eos teneret desiderium fruēdi conspectu sacrorum locorum Christi passionum, veniunt Hierosolyma. Alteri eorum dormienti appārens Baptista, & ostendit quisnam esset, &, cùm ad Herodis, inquit, Regis dominum veneritis, (illic enim est meum caput conditum) à vobis maximè curandum est, vt id tollatis. Manè ergò accedens, qui visionem viderat, ea comiti communicat. Ille autem id, quod visum fuerat, inánem dicit esse visionem, non veritatem. Ipsum enim fortassè mouebat ad incredulitatem affectio æmulationis. Ea ratione & negligebatur id, quod imperatum fuerat, & ad effectum minimè deducebatur. Sequenti ergò nocte singulatim accedens præco veritatis, vtrisq; mandat eadem, dicens, nihil oportere dubitare: sed omni incredulitate depositā & socordia, curam gererēt eius, quod fuerat imperatum. Cùm ergò ambo id, quod visum fuerat, rursùs sibi inuicèm significâssent, & soluta est incredulitas, & ab vtrisque via simul est confecta, Præcursore rursùs (vt semèl dicam) illam eis dirigente, & bono duce eis effecto. Breuì itaque ad locum perueniunt, & inueniunt sacrum caput, cuius amputatio fuerat pœna tempe rantiæ: & ideò non merebatur abscondi, sed potiùs prodire in lucem, ad sanctificationem & vtilitatem multorum.

Appāret S. Iohānes duobus monachis, eis indicās vbi lateat caput suū.

Inuenitur sacratissimū caput S. Iohannis.

Cùm id ergò sustulissent monachi, vt iussi fuerant, & in saccum ex pilis confectum id immisissent, (quod quidem fortassè factum fuerat de illius sententia, vt caput imitaretur indumentum totius corporis, quo vtebatur in solitudine) statìm se parant ad reditum, rem verè desiderabilem, & supra millia auri & argenti (vt cum diuino Dauid dicam) fidelibus afferentes. Figulus autem quidam illo tempore, ex ciuitate quidem Emesa genus ducens, sed tanta laborās inopia, vt ipsam odio haberet patriam, vt quæ eum non posset alere, ob idque charum etiam solum, nempe patriam ipsam, derelinqueret, & quasi secum habitantem paupertatem fugeret: hic cùm erraret in via, incidit in monachos, à quibus diuinus thesaurus, nempe Præcursoris caput, exportabatur. Cùm ergò ille vnà cum eis colloqueretur, & simul iter faceret, illi tradunt ferendum hoc excelsum & venerandum caput. Ignorante autem figulo quidnam esset, quod eius fidei commissum fuerat, illi appáret Præcursor, & in eius conspectum fugiens: Relictis, inquit, tuis comitibus, aufuge cum eo, quod habes in manibus. Hoc autem facit, monachorum quidem, vt est verisimile, frigiditatem condemnans & socordiam, vt qui rem tantam homini alieno & ignoto credidissent: Figulo verò hanc præbens occasionem, & rem gerendi rectiùs, & vitæ melioris. Nam cùm ille obedijsset, & latuisset, & cum tali thesauro domum esset reuersus, fuit deincèps florens opibus, & bonorum bonis per totam vitam repletus. Quomodò enim non erat futurus, qui non, vt ille comœdiæ Chremylus Plutum domum introduxerat, cæcum penitùs, & cui non est fidendum: sed veras diuitias, thesaurum, inquam, qui non exinanitur, secum habebat habitantes? Non oblítus autem ille, quum malè priùs rem suam gereret, sacrum illud & venerandum caput in omni honore habuit. Et hoc quidem tota vita sua fecit.

Ecce istorū monachorū socordiā, q tātum thesaurū ignoto concrediderunt.

Ditescit figulus asseruans sanctū caput.

Cùm autem esset decessurus, vbì illud imposuisset in hydria (sic enim fortè dispensabat, qui eius, qui propter me pauper est factus, paupertatem æmulabatur in omnibus) & deindè extrinsecùs eam arca inclusisset, & pulchrè signaculo obsignâsset, deponit apud sororem, ei, quæ euenerant, omnia aperiens, & quemadmodùm velutì quoddam inexpugnabile malum aliquandò ipsum atterebat paupertas: præter spem autem rebus mutatis, ad eas, quas nunc habet, opes peruénit, & bonorum affluentiam. Causam autem mutationis dicebat fuisse caput, quod in vase ostendebat inclusum: quod mihi, inquit, maiorem attulit vtilitatem, quàm, quod vulgò celebratur, Cornucopiæ. Cùm sic dixisset, diligenter præcepit, vt in omni quidem honore illud haberet: id verò, quod celabatur, ipsa non priùs aperiret, quàm ijs, quos nouit, modis Præcursor ipse id faciendum significaret. Hoc autem iussit, fortassè considerans, quòd qui suum Dominum, cùm adhuc esset intrà vterum, non ignorauit, sed in ventre exultando, eum significauit: is etiam post mortem capsa, tanquàm ventre, vtens, seipsum, cùm vellet, esset declaraturus. Atque quandiù quidem, sorori inquit, vixeris, vide vt omnis honor & cultus ei seruetur: postquàm autem videris tuum appro-

Cap. 25. Pſal. 118.

Cap. 26.

Moriturus tradit thesaurū hunc sorori suæ asseruari.

Luc. 1.

pinquare deceſſum, apud aliquem virum pium eſt hic tibi deponendus theſaurus. Sic ergò mulier, quandiù habuit quidem corpus, alacritati animi ſeruiens, curauit mandata fratris, & in ſeruiendo venerando capiti non fuit negligens. Poſtquàm autem peruénit etiam ad ſenectutem, & ad neceſſarium exoluendum debitum mors eam vocabat, implet hîc quoquè mandatum: & apud quendam, qui non ſolùm pietatem, ſed etiam caſtitatem ſibi vendicabat, deponit theſaurum, ea mandans ſimiliter, quæ ſibi quoquè mandata fuerant.

Cap. 27. Sãcti caput traditur cuidam monacho hæretico & puerſo

Ad multos ergò eodem modo donum tranſiens, deindè etiam ad quendam Euſtachium, monachum quidem & preſbyterum, ſed diuerſæ ab orthodoxis ſententiæ, & non conuenientem cum ijs, qui de fide rectè ſentiebant, bonum illud venit: cùm ignorâſſent, vt arbitror, qui depoſuerant, ſententiæ diuerſitatem. Ei verò non hoc ſolùm, ſed mens quoquè erat peruerſa, & mores conueniebant ei, quod ſentiebat. Idq; facilè probari poteſt. Quæ enim faciebat id, quod apud eum celabatur, & quæ diuina ſigna operabatur, ſibi improbè ille impius aſcribebat, & fur erat ſimul, precioſiſſimam thecam habens tanquàm marſupium, & non minùs quæ fiebant, quàm quæ immittebantur, cauponans, vt qui omninò ſimularet, & ea ad ſe traheret. Non oportet autem omninò admirari, ſi viro tali tam precioſum caput Baptiſta ſuſtinuit committi. Quid enim, qui & in improbæ mulieris manus priùs venire, & ab ea abſcondi: multò autem magis qui etiam illamipſam ſuſtinuit habere cauſam amputationis? Tandèm verò fuit euidens, quænam eſſet eius ſententia. Fauebat autem Arrio, & eodem morbo, quo ille, laborabat. Propter ipſam itaque hæreſim eadem hora expellitur ex ciuitate Emeſenorum, valdè quidem rogans & obſecrans, vt vnum ſolùm diem ſibi liceret manere in monaſterio. Cùm non fuiſſet autem exauditus (Neque enim oportebat, cùm diuinus non permitteret Præcurſor, futurùm malum egregiè proſpiciens: Volebat enim ſceleratus diuinum caput ſecum accipere, vt rursùs furaretur, & ſibi attribuere, quæ ab illo fiebant miracula, & ſic procurare, vt hæreſis rectè ſe habere, & Deo grata eſſe videretur) ille quidem malus malè ſtatìm expellitur: caput autem rursùs, ità vt erat, manet in monaſterio.

Aſſcribebat ille impius monachꝰ ſibi, q̃ fiebant p caput Baptiſtæ mira. cula.

Cap. 28. Vraniꝰ Epiſcopus Emeſanus. Viſio Marcelli Abbatis.

Cùm autem poſt multos, qui præfuerunt, diuino quoquè Marcello præfectura eius monaſterij fuiſſet credita, viſum eſt magno præconi veritatis ſeipſum oſtẽdere. Oſtenſio verò fuit admirabilis, & digna, quæ à fidelibus audiatur hominibus. Sic autem habet, vt illeipſe, cui fuit declaratum, Marcellus expoſuit. Erat quippè media hebdomada diuinorum ieiuniorum, & octauusdecimus menſis Peritij dies: Regnabant autem Valentinianus & Martianus, in primis pij Imperatores: Eccleſiæ verò præerat Vranius. Viſæ ſunt, inquit, mihi in ſomnis apertæ eſſe omnes portæ noſtri monaſterij: & ego conturbatus, putabam me abire hoc animo, vt portas clauderem. Deindè rursùs mihi ſum viſus videre fluuium in portam irruentem, & mirari, vndenàm eſſet tantus aquæ impetus. Cùm hæc autem in animo verſarem, audiebatur ſonus multitudinis populi & claſſium, quæ ab Oriente velutì ferebantur ſuper aquam, quæ ad nos quidem procedebat. Vnaquæque autem claſſis propria lingua vtens: Eccè, dicebat, magnus ille Præcurſor Chriſti Saluatoris noſtri & Baptiſta Iohannes oſtenditur. Cùm ego autem ſtarem ad portam meridionalem, & illa ſtatìm eſt aperta, & ingreſſæ ſunt acies. Ego verò ſimul relicta porta, currens ſum ingreſſus: & ſtans in initio ſcalarum, vidi ipſos ingredientes monaſterium.

Cap. 29.

In ijſdem autem ſcalis mihi adhuc ſtanti viſa ſunt duo atria, vnum quidem vergẽs ad occaſum, alterum verò ad meridiem: & magnum templum ſitum erat in medio eorum. Vnamquanque autem claſſem videbam ingredientem in atrium, quod vergebat ad occidentem. Deindè etiam cùm ad templum adorâſſent, ſtatìm abiêrunt ad portam meridionalem, & ſic deſtiterunt ab itinere. Deindè etiam audiui vocem aliorum rursùs clamantium: Eccè magnus Iohannes Baptiſta. Cùm ad hoc ſuſtuliſſem oculos, adſpexi illum in eo templo, quod videram. Prætereà autem duo quidam vnà cum eo aderant, vnus quidem à dexteris, alter verò à ſiniſtris. Iam verò vnamquanque claſſem ad ipſum accedentem benedicebat: & poſtquàm illæ ceſſârunt accedere, me quoquè ſubijt deſiderium ad ipſum veniendi, & ſimilem percipiendi ſalutationem & benedictionem. Me autem continui parumpèr, quòd nollem illis portis ingredi, per quas ingreſſæ erant illæ claſſes, & quoniam non videbam aliquem labra ori eius admouentem, niſì ſoli pectori. Tandèm nihilominùs in eius quidem conſpectum véni anteriùs, ſed tremebundus, & timidus, & humì figens oculos.

Deindè etiam humì procumbens, prænendo eius pedes. Ille verò me erigit, & barbam placidè tangens, & os ori admouens, amplectitur: & prætereà vas proferens lacte plenum, id tradit mihi, ſubiũgens: Hoc tibi erit ad benedictionem. Deindè cùm ſic viſum eſſet progredi, eum præcedebam: & ſimul ipſe, & qui cum eo erant, conuenerunt in hoc noſtrum monaſterium. A me autem, cùm attendiſſem, ante ipſum conſpecta fuit columna ignis: & cùm vidiſſem, non paruus mihi metus incubuit. Et ſtatìm è ſomno ſum excitatus.

Cap. 30. Viſio Iſaacij monachi.

Non multum tempus interceſſit, quòd mox fui à ſomno iterùm captus, & quæ viſa fuerant, ad finem peruenerunt. Nam erat quidem veſpera diei vnius ex ieiunijs. Ego autem dixi monachis: Vnuſquiſque veſtrùm ſuum pſalmum bìs dicat. Qui cùm ſic facerent, vni ex fratribus (erat autem ei nomen Iſaacius) cùm ſuſtuliſſet oculos, ignis apertè ardens viſus eſt in ſpelunca. Cùm ex eo autem eſſet timore affectus, vox eum recreauit, dicens: Noli timere. Eccè enim datus ſum vobis: Tu verò ſurge, & progredere, habens ſtellam, tuæ viæ bonam ducem futuram. Vbì autem illa abſorpta fuerit, ſi effoderis, nequaquàm carebis eo, quod eſt promiſſum: ſed me omninò inuenies in regione. Et hæc quidẽ vox extitit: ego autem terrore affectus & experrectus, ſtatìm ſurrexi, & vidi proximè ſtellam ante oculos, quæ iter ineũtem me præcedebat. Ego verò ibam eam ſequens, donèc illa ſtetit ſuper concham ſpelunca, vbì etiam defoſſum fuerat caput Præcurſoris.

Cap. 31. Incipit fodere terram in loco ſibi cælitùs demonſtrato Marcellus Abbas. Iterùm inuenitur ſacratiſſimũ caput S. Iohannis, ipſo reuelante.

Cùm ego hæc omnia ſpectâſſem, & iam fidem animo conciperem, procumbens in genua, adoraui Dominum, & ſuffumigans, vehementer oraui. Deindè in manus accepto ligone, cœpi vehementer fodere. Hæc autem mihi facienti, viſus eſt quidam locus calce validè ædificatus vſque ad quinque cubitos. Cùm pergerem fodere, à me audiebatur quidam ſonus quaſi fictilium. Cùm autem iam ſolum tangerem, video æris ramenta, velut arenam: & ſimul etiam vna egreditur tegula, ſub qua tabulam adſpexi nuceam. Quam cùm ſuſtuliſſem, ſub ipſa inuéni precioſam hydriam. Et deinceps diſtrahebar metu, ſimul & gaudio. Animo tamen confirmatus (ô manum audacem) & tremebundus, hydriam aperio, & ſanctum caput contrecto. Deindè cùm id etiam, ſicut oportebat, adorâſſem, rursùs operui hydriam. Nondùm finem acceperat id, quod fiebat, & ad nos accedit Archimandrita & diaconus, Gennadius, inquam: qui cùm nobis occurriſſet in oſtio ſpeluncæ, & ea dixiſſet, quę dici conſueuerunt, narrat viſionem, quam viderat in ſomnis. Ea autem ità ſe habebat: Putabam, inquit, nos ambos ſtare in hac ſpelũca: in ipſa verò poſitum eſſe panum cumulum. Atque erant quidem illi hordeacei, ſed æquè puri, atquè ſol. Erat autem eis impoſita quædã quoquè particula. Eos examen hominum, veniens in ſpeluncam, à nobis accipiebat. Neque verò eis deficiebant omninò panes, qui dabantur, neque ij ceſſabant venire. Poſtquàm autem panes iam ad finem veniſſent, ij viſi ſunt volare in noſtris manibus, & ſic ij, qui accedebant, ipſos participâſſe.

Viſio Gennadij Diaconi.

Cap. 32.

Hæc cùm audijſſem, ſtatìm apud me verſabam, quærens quęnam eſſet ſomnij ſignificatio. Videbatur autem hoc ab illo viſum eſſe non ſine Dei numine, neque ſolam in ſe nudam continere viſionem. Deindè Baptiſtæ diuinum ad nos aduentum aperio. Quæ cùm audijſſet, vehementer me rogauit, vt viſu locum apprænderet. Ego verò illum ſtatìm ei oſtẽdi. Poſthæc nobis è ſpelunca ſimul exeuntibus, ipſe cõſiderabam, quidnam eſſet nobis faciendum: & mihi optimum viſum eſt, hæc etiam aperire Stephano (erat autem is Archimandrita Daromnij) vt hæc ab eo rursùs deferrentur ad Epiſcopum. Accedẽtes ergò, ipſum quidem non inuenimus præſentem: iuerat enim ad monaſteria, quæ ſunt in regione. Cùm itaque cogitâſſem, oportere accerſere diaconum Cyriacum, qui erat Archimandrita eorum, quę in ea regione erant, monaſteriorum, & Præcurſoris res ei aperire, ſic feci. Ille autem ſtatìm venit accerſitus.

Cap. 33. Item Cyriaci Archimandritæ viſio ſimilis

Conſecutum quoquè eſt aliud pertinens ad ea, quæ ſunt propoſita. Narrat enim ipſe quoquè nobis ſomnium, quod noctù viderat. Erat autem illud quoquè valdè conſonans viſioni Gennadij. Poſtquàm verò ad eum delatæ ſunt res Præcurſoris, ille: Quid ergò, inquit, nobis eſt faciendum? Et ego: Epiſcopo, inquam, eſt ſignificandum: expedit enim. Poſtquàm autem intelleximus, non adhuc adeſſe dictum Archimandritam Stephanum, per quem volebamus vt id ei ſignificaretur, quinque dies poſteà expectauimus. Quid deindè conſequitur? Erat quidem ſabbatum veſperè: Nobis autem ambobus ſedentibus, & ſimul ſermocinantibus, vehementer percuſſus in genua, tanta vi inflector, vt ne poſſem quidẽ moueri, neque omninò aliquid aliud

Castigatur Marcellus Abbas ob suam negligentiam.

facere. Diaconus ergò Gennadius, videns me tam malè affectum: Quid verò? Non tibi dixi, aiebat, oportere ad Episcopum accedẽtes nos ea illi statim significare, quoniam non veniebat papa Stephanus? Atque ipse quidem mansi, plaga adhuc magis magisque castigatus: Gennadius autem & Cyriacus, posteaquàm ministerium suum ad finem deduxerunt, simul ad me accedunt, vbi eram iacens, & dicunt: Iam te scire oportet, quòd diuino Iohanni sumus polliciti, nos hæc Episcopo esse significaturos, priusquàm sol oriretur. Ego verò: Rectè, dixi, estis polliciti. Nondùm id, quod dixeram, finem acceperat, & mihi cessauit, & dissoluta est plaga.

Cap. 34.

Cùm statim ergò die sequenti cum Cyriaco & Iuliano monacho accessissemus, significamus omnia Vranio Episcopo, qui iam egrediebatur ex Matutinis, dicentes: Magnus Iohannes Baptista ostenditur. Ei autem, cùm audijsset, succurrit admirari: & cùm propiùs accessisset: Sed nemo, inquit, sciat, neque quis eum tangat omninò. Cùm verò rogâsset Cyriacus: Quandò ergò tu quoquè venies? Die crastino, inquit. Cùm itaque postridiè venisset, vt fuerat pollicitus, simul cum presbyteris & diaconis, vbi fuimus in loco, ipsi quidem procidentes adorabant: Malcho autem presbytero (erat is vnus ex ijs, qui sequebantur Episcopum) proh dolor, venit in mentem, vt minimè crederet: Et, Quanam, inquit, ratione credendum est id esse caput (simul ostendens & tangens) Præcursoris? Postquàm autem pilos quoquè simul tetigit, manus illi protinùs est arefacta, & hydriæ ori adhæsit. Eam autem recipere, aut illinc extrahere omninò non licebat. Quid ergò posteà est consecutum? Fiunt ab omnibus preces & orationes vehementissimæ. Et manus quidem vix tandèm fuit relaxata à vinculis, quæ non cadebant sub adspectum: Mansit verò admodùm imbecilla, & non paruas reliquias ferens castigationis. Episcopus ergò cum omnibus, qui erant cum ipso, accepta hydria, quæ magnas opes, diuinum nempe celabat thesaurum, in Diaconico, quod vocatur, sanctæ reponit Ecclesiæ. Et fuit is illic, donèc templum fuit ab eo ædificatum.

Nota reuerẽtiam priscorũ erga sacras reliquias.

Pœna incredduli.

Cap. 35.

Verumenimuerò cùm hæc iam esset faciẽda depositio, magnus ille Præcursor, fuit etiam præcursor ad misericordiam, & imitator eius, qui fuit ab eo baptizatus. Presbytero enim, qui non crediderat, apparens in somnis: Si in processione, inquit, meæ depositionis, manum tuam hydriæ imposueris, nullam ampliùs pœnam senties, sed eam habebis deincèps omninò validam & sanam. Cùm sic fecisset senex, non fuit promisso frustratus: sed manum habuit, & cum ipsa animam quoquè valdè sanam.

Præclara S. Iohãnis encomia.

Diuinus ergò Iohãnes Præcursor solis institiæ, stella lucifer, patris Apostolus, Baptista filij, cognitor sancti Spiritûs, diuinæ administer œconomiæ, Euangeliorũ principium, vox Verbi, præco Regis, tuba salutis, spõsi pronubus, inuctor cõtinentiæ, dux & princeps castitatis, lucerna lucidissima, præcursor & Baptista, vigesimo quidem quinto mensis Octobris, quadringentesimo & sexagesimoseptimo anno, Imperij sceptra: enentibus inprimìs pijs Principibus Valentiniano & Martiano, deponitur quidem in Ecclesia Emesenorum in suo templo: Inuenitur autẽ vigesimoquarto Februarij sextæ Indictionis: Ad gloriam magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi: Quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI CHRYSOSTOMI *Oratio, de amputatione capitis venerandi Præcursoris & Baptistæ. Habetur in Simeone Metaphraste.*

Augusti 29. 3. Reg. 21.

RVRSVS furit Herodias: rursùs perturbatur: rursùs saltat: rursùs quærit caput Iohannis Baptistæ sceleratè ab Herode amputari. Rursùs ambit Iezabel vineam Naboth rapere, & sanctum Eliam persequi ad montes. Existimo autem non solùm me esse in ecstasi: sed etiam omnes vos, qui auditis vocem Euangelij, mecum admirari Iohãnis quidem loquendi libertatem, Herodis autem leuitatem, & impiarum mulierum belluinam insaniam. Quid enim audiuimus? Herodes enim apprehendit Iohannem, & posuit in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Hîc meritò vituperauerit aliquis Herodis leuitatem, ab in-

Mar. 6.

ab infelicibus discerptam & conuulsam mulieribus. Quid verò dixerit, aut quomodò explicauerit quispiam intemperantem mulierum illarum improbitatem?

Mihi quidem videtur nulla esse in mundo fera, quæ possit conferri cum mala muliere. Sed nunc à me verba fiunt de mala. Scio enim esse multas moderatas & bonas, quarum me vitæ oportet meminisse ad ædificationem, & amorem eorum, quæ sunt bona & honesta. Nulla ergò fera est in mundo conferenda cum mala muliere. Quid inter quadrupedes est leone vehementius? Sed nihil est. Quid verò inter serpentes est dracone crudelius? Sed nihil est. Immò verò & leo & draco, illi in malo cedunt. Ei autem, quod dico, fert testimonium sapientissimus Salomon, qui dicit se mâlle habitare cum leone & dracone, quàm cum mala muliere & loquaci. Et nè putes prophetam dixisse ironicè, accuratè & diligenter discе ex rebus ipsis. Danielem in lacu leones sunt reueriti: iustum autem Naboth Iezabel occidit. Cetus Ionam seruauit in vtero: Dalila autem Sampsonem tradidit alienigenis. Dracones & aspides & cerastæ Iohannem formidârunt: Herodias autem ipsum in cœna interfecit. Corui Eliam in monte aluërunt: Iezabel autem ipsum post beneficium persequebatur ad cædem. Quid enim dicebat? Si tu es Elias, & ego Iezabel: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, si non cràs hacipsa hora ponam animam tuam, tanquàm vnius ex mortuis. Et timuit Elias, & ambulauit pro anima sua: & abijt in desertum viam quadraginta dierum: & vénit sub armathen: & petijt vt anima sua moreretur, & dixit: Domine Deus, sufficiat mihi nunc: accipe animam meam, quoniam non sum melior, quàm patres mei. Hei mihi, Prophera Elias timuit mulierem, qui pluuiã orbis terræ gestabat in lingua. Qui ignem è cælo deiecit, & precibus suscitauit mortuos, timuit mulierem? Certè timuit. Nullum enim vitium confertur cum muliere mala. Ei autem quod dico, fert testimonium sapientia, dicens: Non est caput super caput serpentis: & non est malitia super malitiam mulieris.

Mirè inuẽhitur vir sanctissimus in malas mulieres.

Prou. 21.
Eccli. 25.

3. Reg. 19.

3. Reg. 17.
4. Reg. 1.
3. Reg. 17.
Eccli. 25.

O malum, diaboli arma acutissima. Is per mulierẽ ab initio Adamum sauciauit in paradiso. Per mulierem, Dauid, qui erat mitissimus, incitauit ad dolo occidendum Vriam. Per mulierem, sapientissimum Salomonem vulnerauit ad transgressionem. Per mulierem, filios Eli sacerdotis humì prostrauit. Per mulierem, Ioseph vinctum inclusit in carcere. Per mulierem, totius mundi lucernam Iohannem occidit. Quid autem dico de hominibus? Per mulierem, Angelos è cælo deiecit. Per mulierem omnes interficit. Mulier impudens nulli parcit. Non honorat Leuitam: non colit Sacerdotem: nõ reueretur Prophetam. O malum, quouis malo peius, mulier praua. Etiamsì sit pauper, plena est improbitate. Quòd si habeat opes, opem ferẽtes improbitati, duplex malum. Fera est, quæ non potest curari. Scio aspides blanditijs mansuefieri, & leones, & tigres, & pardos cicures fieri & mites. Mulier autem mala si afficiatur contumelia, insanit: adulatione autem & blanditijs insolescit. Si maritũ habeat diuitem, eum verbis labefactans, ad cædem fraude faciendã incitat, sicut Herodias Herodem: & si maritum habeat pauperẽ, ad iras & pugnas eum excitat. Et si sit vidua, omnes prę se habet contemptui. Domini enim metu lingua non frenatur. Non ad futurum adspicit iudicium: non ad Deum intuetur: non nouit seruare leges amicitiæ.

Gen. 3.

Malũ quouis malo peius mulier praua.

Malæ mulieri nihil est, maritum suum tradere ad mortem. Iustum quidem certè Iob eius vxor tradidit ad mortem blasphemia, dicens: Dic aliquod verbum aduersùs Dominum, & morere. O improbam naturam. O impiam voluntatem. Non misérta est, videns sui mariti viscera à feruentibus pustulis, tanquàm à carbonibus scintillas emittentibus, vstulata, & totas carnes possessas à vermibus. Non inflexa est ad misericordiam, videns eum omninò circumagi, & laborare, patique difficultatem crebri & interrupti spiritûs. Non mota est miseratione, videns eum, qui aliquandò fuerat in regia purpura, tunc iacentẽ in sterquilinio nudo corpore. Non meminit veteris cum eo consuetudinis, neque quàm multa & glorioſa per eum fuerat consecuta, & quantùm propter ipsum florucrat. Sed dic aliquod verbum aduersùs Deum, & morere. O gratia mulieris. O malagma, dolores præmolliens. O lex amicitię coniugalis. Cùm tu ægrotares, taléne vnquàm verbum est elocutus: & non precibus & benefactis morbum absterſit, & expurgauit? Non enim sufficiebat ei, quæ erat ad tempus, disciplina: sed etiam & æternum conciliabat supplicium per blasphemiam. Nescis, quòd omne peccatum dimittetur hominibus: Quod autem est contra spiritum sanctum, non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro?

Iob 2.

Matth. 12.

Vis videre aliam quoquè coniugem eiusdem improbitatis? Vide mihi * Dalidam.

Iudic. 16. aliâs Dalila

Illa iam

Illa enim cùm virum fortiſſimum totondiſſet Sampſonem, tradidit ſuum maritum alienigenis: ſuum tori conſortem, quem fouebat, cui blandiebatur, cui aſſentabatur, quem ſimulabat ſe pluſquàm ſe amare: quem herì fouebat diligens, hodiè ſepelijt decipiens: quem herì diligebat, hodiè decipiebat. At non erat formoſus. Et quis fuit illo tempore formoſior? Qui ſeptem capillos ferebat in capite, portans imaginem gratiæ, quæ habet ſeptem lumina. At nō erat fortis. Et quis eo fortior, qui terribilem leonē ſolus in via ſuffocauit: & vna aſini maxilla decem millia proſtrauit? Quinetiam erat ſanctus & adeò ſanctus, vt ipſe aliquandò ſitiens, in aquæ inopia precatus fuerit, & ex mortua, quæ ab eo tenebatur, maxilla aqua ſcaturiērit, & ex ea ſitis hauſerit medicinam. Et eum, qui erat tam formoſus, tam fortis, tam ſanctus, cùm propria vxor vinxiſſet, tanquàm hoſtem, eum tradidit alienigenis. Quomodò autem factum eſt, vt eum, qui erat tam fortis, ſuperaret mulier? Ex ipſius mariti bonitate. Myſterium enim eius virium noctù ſuffurata, eum nudum loris validis alligauit. Et ideò tibi præcipit ſapientia: Caue à tua tori conſorte, nè ei aliquid reueles. Quænam, dic mihi, fera aduersùs ſuum maſculum talia eſt machinata? Quænam draconis fœmina ſuum maritum tradit ad cædem? Vides quàm aptè dixerit ſapientia: Non eſt caput ſuper caput ſerpentis: & non eſt malitia ſupra malitiā mulieris. Et vt ſemèl dicam, qui mulierem habet malam, ſciat ſe iam accepiſſe mercedem ſuarum iniquitatum. Neque hoc dicitur ſine teſte. Audi ſapientiam dicentem: Mulier mala dabitur viro iniquo pro malis operibus. Sed de malis mulieribus hæc hucuſquè dicta ſint. Oportet autem nos quoquè meminiſſe bonarum, maximè propter eas, quæ adſunt.

Gratia habet ſeptem lumina. Iud.14.& 15.

Mich.7.

Eccli.25.

Iā enarrat virtutes bonarum mulierum author.

Cur ergò bonæ? Quòd bonorum virtutes vident tanquàm proprias, & illorum labores tanquàm ſuos reputant. Bona mulier & hoſpitalis fuit illa beata Sunamitis, quæ cùm rogâſſet maritum, Eliſæo ædificauit domunculam, vt tranſiens abſque impedimento poſſet requieſcere, ei poſito lecto, & candelabro, & menſa: lecto, inquam, non ſine veſtibus, ſed qui ſtragulas veſtes habebat, prophetæ conuenientes: candelabro, non ſine candela, ſed cum oleo, quod lucem irrigabat: menſa, non defecta panibus, ſed cibis abundante. Quid autem dixerit quiſpiam de beata illa vidua, quæ ſuſcepit Eliam Prophetam? Cui nihil impedimenti attulit pecuniæ inopia, propter opes bonæ voluntatis. Cui non aderat frumentum, non vinum, non aliquid aliud terrenum ad conſolandam paupertatem. Non ager frumenti fertilis, ei ſemen panis afferebat. Non botrum ſuauiſſimum ei vitis producebat. Non dulciſſimum fructum arbor ei ferebat. Quomodò enim, cui ne erat quidem agri locus ad ſerendum vnius palmi, neque ſolum vnius cubiti ad plantandam vineam: ſed in tempore meſſis per agros curua incedens, ſpicas, quæ è manibus meſſorū excidebant, colligens, pro modo temporis, vnius anni reponebat alimentum. Ad hanc abijt Elias tempore famis, quandò vniuerſa terra propter humoris egeſtatem propemodùm feriabatur: & ſiccitate aperiebatur, quandò cælum inflammabatur, & aër erat æneus, & nubes refrenabantur: quandò non erat herba, non flos, non germē baccarum, non aura roſcida ſummas ariſtas agitabat: quandò fuerunt attenuati fluuij, & fontes vbera aquarum nimio æſtu cōſtrinxerunt: & mare ſalſum penitùs effectum eſt, repreſſis, quæ id ingrediebantur, dulcibus aquis & pluuijs: tunc, inquam, abijt Elias ad pauperculam, ad viduam. Qualia autem patiatur vidua etiam lętis rebus, ſcitis. Dimiſit propheta diuites, quibus erat copia panis: & è monte deſcendens, venit ad ipſam.

4 Reg.4.

3.Reg.17.

Cur dimiſſis diuitibus ad pauperculā Helias venerit. 4.Reg.1.

Cur autem, qui ignem de cælo verbo demiſit, non ad ſe potiùs panes detulit? Non poterat? Poterat certè. Sed hoc non fecit. Quamobrèm? Nè hoſpitalitatis fructibus priuaret viduam, & vt alioquì pugillum farinæ, & modicum olei multiplicaret per benedictionem. Non enim tantùm venit propheta vt aleretur, quantùm vt aleret pauperculam, & probaret cor occultum, & bona voluntate præditum. Hoc facit Deus. Nam cùm poſſit omnes, qui ſunt in mūdo, per ſe nutrire, ſuſtinet dationem, vt corda, quæ ſunt bona volūtate prædita, in tēpore hoſpitalitatis per fructus diſcernat. Quandò autem nulli fuerint, qui ipſos debeant excipere, aut nutrit per aues, vt Eliam in monte: aut per prophetam peregrinum, vt Danielem in lacu: aut per animal marinum, vt Ionam per cetum: aut ipſe per ſe pluit alimētum, ſicut patribus noſtris. Nam cùm non eſſent, qui eos deberent excipere, manna pluit è cælo, & aqua è petra ſcaturijt. Quandò autem fuerint ſancti in mundo verſantes cum alijs, dexteram ſuam manum retrahit: & ſi eos videt afflictos, emittit, vt per id, quod in ipſos confertur beneficium, det locum multis volentibus adipiſcendæ ſalutis.

3 Reg.17. Dan.14. Ion.2. Exod.16. & 17.

Abijt

Abijt ergò Elias ad viduam, quæ nihil aliud habebat, nisì pugillum farinæ, qui vix ei & eius filio ſufficiebat in tempore prandij. Et quid ei dicit? Sume mihi parùm aquæ in vaſe, & bibam. Cùm ea autem iret, clamauit poſt eam: Sumes etiam mihi fruſtum panis in manu tua. Illa autem id, quod non habebat quidem dixit: quod verò habuit, eſt confeſſa: Viuit Dominus, ſi eſt mihi panis, nisì pugillus farinæ, & parùm olei in lecytho. Mirandum eſt, quòd in tali ciborum inopia, non negauit eas, quæ ei aderant, reliquias paupertatis. Quàm multi nunc, qui aurum habent & argentum, ſi rogentur, renuunt amicis benefacere: & ſi etiam blanditijs deliniantur, inficiantur ſe habere. Quàm multi, qui ſi rogando inflexi fuerint ad dandum, conficiunt literas ferro valentiores: & manum, quæ ſuſcipit, alligant ſchedulis, ſatiſdatores & fideiuſſores auri requirentes. Illa autem vna voce pugillum farinæ non negauit.

Egregiè ſi dicat viduā Sareptanā.

Et quid ei dicit propheta? Feſtina, & fac mihi primùm panem ſubcineritium: poſtremò autem tibi, & filio tuo. Tentatio erat verbum prophetę, probatio cordis, examinatio voluntatis. Erat autem cor illius beatæ quodammodò poſitum in trutina, & dubium quonàm vergeret: ad filij ne ſui beneuolentiam, an ad hoſpitalitatem erga prophetam. Illa verò elegit potiùs ſe & filium adducere in anguſtias, quàm prophetam non ſuſcipere. Sciebat enim, quòd qui ſuſcipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui dat poculum frigidæ in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam. Quid eſt autem, quod dixit Propheta: Feſtina? Adeóne eſuriebat, vt opùs eſſet feſtinatione? Non omninò. Sed tacitè ſignificabat beneficētiam hilariter & ſpontaneè, & non cum dolore & neceſſitate impendi debere. Hilarem enim datorem diligit Deus. Feſtina, & fac primùm mihi, quomodò Abraham in aduentu Angelorum feſtinauit ad boues, & tulit vitulum, vt acciperet agnum. Et quomodò Sara feſtinauit ad panes ſubcineritios, vt acciperet panem, qui eſt occultus in cælis. Feſtina, & fac, ſicut Abraham, Deo ſacrificia. Non priùs tibi, & tunc mihi, ſicut Cain, & Ophni & Phinees, filij Eli ſacerdotis, qui Deum contemnebant, primi accipientes primitias donorum, quæ Deo offerebantur. Tunc ipſa quidem feſtinanter fecit, quod iuſſa fuerat: Ille autem cùm illum diuitem accepiſſet panem ſubcineritium, & guſtauit, & eius domum impleuit bonis. Non deficiet enim, inquit, pugillus farinæ ex hydria, & oleum ex lecytho, donèc dederit Dominus pluuiam ſuper terram. Quarè couſque? Oportebat enim, cùm noua gratia veniſſet, tāquàm pluuia, veterem legem finem accipere. Vides quemadmodùm fructus hoſpitalitatis perceperint bonæ mulieres? Bonorum enim laborum ſunt glorioſi fructus: & non poteſt radix excidere prudentiæ.

Matth.10.

2.Cor.9.

Gen.18.

1.Reg.2.

Hoſpitalitatis fructus quanti ſint.

Sap.3.

Audiuiſtis, mulieres, malarum mulierum actiones, & bonarum virtutes. Illas ergò odio habete, has verò diligite: vt earum curſūs inſiſtentes veſtigijs, annumeremini in eundem chorum ſanctorum: In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & potentia in ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI ANDREÆ ARCHIEPISCOPI CRETAE, HIEROSOLYMITANI ORATIO *de amputatione capitis venerandi Prophetæ, Præcurſoris & Baptiſtæ. Habetur itidèm in Simeone Metaphraſte. Nos capitula margini adiecimus.*

IPSA etiam ſenectus vtplurimùm exilit, roborata à promptо & alacri animi ſtudio. Imbecilla quoquè roboratur & confirmatur oratio, quæ vires cepit ab incitatione auditorum. Hocipſum nunc quoquè noſtræ vſuenit orationi, quæ ad ſuſcipiendum quidem argumentum encomiorum, impellitur ab ijs qui ſunt congregati. Sed quandò conſiderat eum, qui eſt laudandus, veretur ſuas educere copias. Et oratio quidem (vt dicam Apoſtoliсè) eſt imbecilla, & contexta ex inſtrumentis, quæ ſunt planè debilia: Encomiorum autem argumentum, eo magis cuiuſlibet orationis ſuperat facultatem, quo ex illa cum natis mulierum comparatione, maiorem præſtantiam adeptus eſt: adeò, vt ſola & prima illa voce opùs habeat primi & ſolius ſecundùm naturam Dei verbi,

Auguſti 19. Cap.1.

1.Cor.16.

verbi, virtutisque & potentiæ. Atque eiusmodi quidem est argumentum, & sic se habet: nostræ autem orationis imbecillitas qanta sit, fuit vtcunquè ostensum.

Cap. 2. Matth. 11. Et nobis quidem proponit argumentum Iohannem, qui est maximus inter natos mulierum: quo ex ijs, qui à seculo extiterunt, nullum maiorem, nec ex Patriarchis, nec ex Prophetis, pronunciauit Verbum salutare. Oratio autem Verbi, quod fuit ante secula, vocem laudare aggrediens, ad suas verò vires respiciens, illud propemodùm amplectitur silentium, quod Zacharias sustinuit in adytis propter incredulitatem: donèc ipsa nostrum præueniens sermonem, soluerit silentium, vt quæ verè sit vox Verbi, quod est secundùm naturam. Hoc autem dabit omninò, tanquàm vox ipsius Verbi: non vt ipse maiorem gloriam consequatur, (Quænam enim ei gloria accesserit, cui à Domino talis fuit contexta corona, quali ex terrigenis nullus fuit redimitus?) sed vt nos illius laudibus deducamur ad imitationem. Hoc enim vult Deus, qui glorificat eos, qui ipsum glorificant: & extollit eos, qui ipsum extollunt. Consequenter autem procemio æquum esse arbitror, vt præsentis diei scopum explicemus pro viribus, nè inutiles ac sine fructu hinc domum reuertamur. Is autem est, Baptistæ loquēdi libertas ad Herodem, quam hodiè aperiens liber Euangelicus, apertè enunciat. Illam dico loquendi libertatem, in quam nulla cadit reprehensio, vt quæ tota apparuërit pura, & minimè mixta ijs, quæ sunt creatæ naturæ. Libertatem, inquam, quæ tam plena fuit, & tam redundans, vt nihil interesse arbitraretur inter priuatum, & Regem: (Est enim in vtrisque communis redargutio, quandò actio ipsa similem exigit reprehensionem) quinetiam illam, vt quæ esset Dei prophetæ, conueniens erat despicere (quid enim aliud faceret, qui zelo incitabatur eius præceptorum?) purpuram, thronum, diadema, & omnia, quibus se iactant, qui sunt inflati tumore inanis gloriæ: liberè autem dicere veritatem, & absque vllo timore, & nihil reticendo, aperire legis authoritatem: quoniam volebat ostendere optimam esse legis constitutionem. Quomodò enim, qui est inter legem & gratiam intercessor, legis gloriam despiceret, cùm legem defenderet? Quòd autem legis defensor fuerit Domini Baptista, quis est adeò stolidus, vt non hoc, quod reliqua præcedit, statuat esse primum caput eorum, quæ ab illo rectè facta sunt? Qualis verò esset ei zelus, & quàm vehemens & inflammatus, declarabit Euangelium:

Vox Verbi, id est, Christi, Iohannes.

1. Reg. 2. Deo eos glorificat qui ipsum glorificant.

Legis defensor Iohānes Baptista.

Cap. 3. Matth. 14. Marc. 6. In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha de Iesu, & dixit pueris suis: Hic est Iohannes Baptista: ipse surrexit à mortuis: & ideò virtutes operantur in eo. Ipse enim Herodes tenuit Iohānem, & ligauit ipsum, & posuit in carcere, propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat enim ei Iohannes: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Et cùm vellet eum occidere, timebat turbam, quoniam eum habebant tanquàm Prophetam. Cùm ageretur autem dies natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Quamobrèm cum iureiurando est ei pollicitus se daturum quod petijsset. Illa verò inducta à matre sua, Da, inquit, mihi hîc in disco caput Iohannis Baptistæ. Et dolore affectus est Rex. Propter iusiurādum autem & propter eos, qui simul accumbebant, iussit dari. Et misso speculatore, decollauit Iohannem in carcere. Et allatum est eius caput in disco: & datum est puellæ, & illa tulit ad matrem suam. An non tibi videtur zelo fuisse incitatus, & omnium, qui zelo mouentur, zelo incitatissimus? adeò vt ne vsque ad occisionem quidem prodiderit veritatem, neque de zelo remiserit aliquid, idque apud Regem cōtendens? Cogita enim, quanta res erat, videre hominem pilis cameli indutum, & zona pellicea succinctum, Regem autem superbum, supercilia attollentem, in alto sedentem, sed quem vinctum tenebat tyrannis voluptatum. Cogita quantum interfit inter Regem, & priuatum: inter bellatorem, & eremitam: inter eum qui concionatur in ciuitatibus, & eum qui versatur in solitudinibus.

Zelus eius pro iustitia quātus fuerit. Matth. 3.

Cap. 4. Num. 25. Si vis, aliquem ex ijs, qui ante hunc virum in lege refulserunt, producamus: vt videamus, quis zelo fuerit feruentior. Vt, verbi causa, illum, qui inter zelo accensos est magnus Phinees, qui Seromaste Madianitidem confixit vnà cum Israelita. Sed res non sunt pares, nec in similibus rebus fuit contentio. Nam ibi quidem etsi ad multos scelus peruenerat, non erat tamen vir aliquis eximius & excellēs, in quem ille suum zelum intēdit: Hîc autem, Rex: & quid aliud, nisi in lingua ferens mortis sententiam, & accepta occasione spirans cædem in eos, qui erant in eius potestate? Quid verò ille magnus, & magno zelo accensus Elias, qui quadrijugem igneum currum egit, & super terram sublimis sublatus est: & zelo quidem frenum imposuit, vt diuturno tempore

4. Reg 2.

tempore non plueret, & in terra esset fames trium annorum: & semper clamabat, Zelans zelaui Domino. Et quomodò iram mulieris non ferens, exilium & fugam, tanquàm domum propriam: & solitudinem amplectebatur non secùs atquè ciuitatem? Cuius autem mulieris? libidinosæ, furore percitæ, quæ colebat idola, deosque & dæmones adorabat: In quibus etiam fecit infelicissima mulier, vt peccaret Israel. Sed hucusquè quidem nobis currens oratio, Iohannem ostendit æmulatorem præstantiorem, quàm ij, qui præcesserunt: quòd illi quidem impræuisam, hic verò manifestā, & ante oculos mortem habebat.

3. Reg. 17. & 19.

Præstātior æmulator Iohannes quàm Elias & Phinees.

Sed rogabunt fortè aliqui ex ijs, qui festis delectantur, quid sibi vult, quòd loquendi libertate & zelo, tanquàm magnifico aliquo & splendido ornamento, coronatur sacrosanctum caput Baptistæ, perindè acsi desit virtus aliqua, aut actio gloriosior, quæ possit ornare Domini Præcursorē. Et quis æquè fuit virtutibus supra modum plenus, atquè magnus ille Iohannes: qui solus ex omnibus inter natos mulierum, sacerdos & Baptista fuit electus ab eo, qui est solus & primus Pontifex, & qui omnes purgat spiritu & igne baptismatis? Habet quidem, ô dilecte, oratio multa argumenta rectè factorum Iohannis: sed non vacat, relicto diei argumento, ad alia nunc excurrere: quoniam non est hæc lex encomiorum. Ego autem magnarum & admirabilium, quæ illi insunt, rerum, & quibus insigniter cognoscitur, dimisso splendore, ad quem accedi non potest, statui veluti quoddam paruum condimentum oportere vobis proponere, qui festo delectamini, explicationem prius lectæ historiæ. Mauult enim Baptista suis ornari ornamentis, quàm alij externis. Agè ergò percurrentes ostēdamus tanquàm in tabula, multis laudibus celebrandam Præcursoris decertationem, quam audacter & strenuè peregit pro eo, quod bonum est.

Cap. 5. Matth. 14. Ecce festū decollationis Iohannis Baptistæ

Cap. 6. Matth. 14. In illo, inquit, tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam de Iesu, & dixit pueris suis: Hic est Iohannes Baptista. Ipse surrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in eo. Hæc quidem postea. Quæ autem antea fuerunt, qualia? Herodes quidem adulterabat vxorem fratris Philippi: Iohānes autem Herodem arguens, prohibebat nè se iniquè gereret. Quomodò, & quanam ratione? Non licet tibi, dicebat, habere vxorem Philippi fratris tui. Hoc Herodem ad furorem concitauit. Hoc effecit, vt is cædem spiraret. Sed non celebris ille & magnus inter prophetas, aut timore est repressus, aut cessauit reprehendere. Sciebat enim legem, quæ hanc de medio tollebat libidinem. Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Legi, inquit, Dei resistis, tabulis, quæ sunt à Deo impressæ characteribus, repugnas præscriptis Mosis. Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Et ille quidem à ratione alienæ voluptariæ congressionis obrutus delicijs, neque se potuit erigere, neque adspexit ad lucem veritatis: sed mansit grauatus crapula libidinis: Hic autem perseuerauit corrigere, docere, admonere, vt consentaneum fuit Dei propheta facere. Ille verò, etsi, vt dicit Euangelium, sciret eum esse virum iustum & sanctum, & eum libenter audiret, & audiens eum, multa faceret, nihil eorum aut intellexit, aut voluit intelligere. Non prophetam ijs, quos oportuit, affecit honoribus: non Legis gratitatem vel tantillùm est reueritus. Neque, si nihil aliud, supplicia quidem certè, quæ illa aduersùs eos, qui sunt tales, intentat, ipsum vllo pudore affecerunt.

Voluptas non finit Herodē iustū esse. Mar. 6.

Cap 7. Dicam id, quod est maius, & maximè cognitum. Ne illum quidem Achab, alterum mulieris mancipium, est imitatus, qui tunc habebat Iezabel, magistrum multorum deorum cultûs: sicut nunc hic Herodiadem libidinis & intemperantiæ. Nam ille quidem, cùm audijsset ab Elia Thesbita iram, quæ accendebatur in eum à Domino: & mala, quæ ei & suis erant apertè euentura: & reprehensionibus apertè esset consauciatus, propter improba & nefaria, quæ perpetrârat, facinora: non succensuit, non se insolenter gessit: non probrum duxit aut contumeliam, prophetæ reprehēsionem: sed vt Dei prophetam, & diuina loquentem, illum quidem in honore habuit: hæc verò, tanquàm Dei præcepta, prosecutus fuit reuerentia. Quid autem facit? Audi libros Regum. Et dixit, inquit, Dominus Eliæ Thesbitæ: Surge, & descende in occursum Achab Regis Israël, & loquere ei, dicens: Hæc dicit Dominus: Quoniam tu occidisti Naboth, & fuisti eius hæres, propterea hæc dicit Dominus: Inducam super te mala, & inflammabo post te, & exterminabo ex Achab mingentem ad parietem. Et alia, quibus iram minis intentat, non aduersùs illum solùm, sed etiam aduersùs Iezabel. Quomodò tentauit, inquit, facere malum coram Domino: & quomodò eum transtulit Iezabel vxor ipsius. Is, inquam, cùm hæc audijsset, quid facit? Non

Cap 7. Herodes & Achab mulierū mancipia.

3. Reg. 21.

cædem ſpirat: non ad iram incitatur: ſed mœrore affectus, ad triſtem ſe cõuertit habitum: & ſuum magis agnoſcit vitium, non ſe ſuperbè & inſolenter gerens aduersùs repræhenſionem prohibitam. A ſermone enim, inquit, compunctus eſt Achab à facie Domini. Et egreſſus eſt flens, & ſcidit tunicam ſuam, & ieiunauit, & ſacco eſt indutus. Quid ergò, qui omnium noſtrùm cõuerſionem expectat Deus, qui tardus eſt ad percutiendum, & velox ad ſeruandum? Audi ſcripturam. Et dixit Dominus: Vidiſti, Elia, quomodò compunctus fuit Achab à facie mea? Propterea non inducam malum in diebus eius. Vidiſti ſummam iram. Vidiſti celerem mutationem. Nõ oportebat Herodem hæc ſcientem hoc modo ſe gerere? Non, ſi hoc nolebat, ſuum ſaltem de Iohanne reuereri teſtimonium? Certè non irà ſe geſſit. Quid ergò? Ad cædem tranſtulit libidinem. A nuptialibus ad cædis inſtrumenta mẽtem traduxit ſceleratam. Mali mores: ſcopus & inſtitutum, quod nõ poteſt caſtigari. Oportebat enim, ſi ſuum nolebat vitium dimittere, at prophetam ſaltem non tangere, cùm ſciret eum eſſe iuſtum & ſanctum, & ſæpè eum audiret, & multa propter ipſum faceret, & lubenter ab eo doceretur. Sed qualis fuit ei finis conſiliorum, & ad quem improbitatis impetũ, eum ducens incitauit cædem ſpirans libido, audiamus Euangeliſtas:

Pœnitentiæ operibus Achab auertit iram Dei à ſe.

Herodis inſtitutũ pertimax.

Et cùm fuiſſet, inquit, dies opportunus, quandò Herodes in eius natalibus faciebat cœnam ſuis proceribus, & tribunis, & primis Galilææ, & ingreſſa eſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltâſſet, & placuiſſet Herodi, & ijs, qui ſimul accumbebant, dixit Rex puellæ: Pete à me quod voluẽris, & dabo tibi, vſque ad dimidium regni mei. Quamobrẽm cum iureiurando promiſit ei daré, quod petijſſet. Illa verò egreſſa, dixit matri ſuæ: Quid petam? Illa autem dixit: Caput Iohannis Baptiſtæ. Et ingreſſa cum feſtinatione ad Regem, petiuit, dicens: Volo, vt mihi des protinùs in diſco caput Iohannis Baptiſtæ. Et dolore affectus eſt Rex: Propter iuſiurandum tamen & propter eos, qui ſimul accumbebant, noluit ei abnuere. Et ſtatìm miſſo ſpiculatore, iuſſit Rex afferri eius caput. Ille autem eum decollauit in carcere, & attulit caput eius in diſco, & dedit ipſum puellæ, & puella dedit matri ſuæ. O acerbos natales, & cœnam cæde plenam. Conſeruâſti tibi hunc honorem? Has ad tuum natalem adduxiſti delicias? Tale tibi parâſti conuiuium? Eiuſmodi fluentis ſanguinis oportebat cœnam temperare conuiuis? Sic honorâſti tribunos, & tam benignè excepiſti amicos? Tu neque Dauidem es imitatus; qui à Nathan fuit repræhenſus, & pœnitentia, non autem inſolentia, à ſe peccatum depulit: Neque Saulem, qui à magno Samuele, præſente toto Iſraelitico populo, fuit quidem repræhenſus, ſed propter ſuam in Prophetam reuerentiam, nihil ei mali fecit. Non animaduertiſti, ó miſer, te Achab in Naboth ſcelus conduplicâſſe, quòd ille quidem propter vineæ cupiditatem, tu autem propter mulieris adulterationem, & fraterno cubili paratas inſidias, & quod eſt omnium extremum, cædem Prophetæ, idque in die deliciarum, & in myſterio natalium, quod tunc celebrabatur?

Cap.8. Mar.6.

Cruentæ Herodis epulæ.

2.Reg.12.

1.Reg.15.

Vtinàm non eſſes natus, neque in lucem veniſſes ſuper terram. Vtinàm perijſſet ſemen, ex quo germinâſti, & vterus, ex quo es egreſſus. Dic enim: Qua de cauſa interfeciſti Prophetam, qui vera tibi dixerat, & te repræhenderat de ijs, quæ non erant facienda? Cùm in promptu habere poſſes, vt malum cogitans reſipiſceres, & declinares à ſcelere, aut mentem ad arguẽdi libertatem dirigens, temperanti cogitatione adhibita, id quod eſt præſtantius, amplectereris, & in hoc ipſo victor fieres, prolapſus es ad contrarium, malum malo addens, non vt oportuit repellens. Et ſi repræhenſiones quidem ægrè ferens, eò deductus es, hoc apertè arguit te fuiſſe alienum à diſciplina. Diligere enim oportebat, non occidere, vt videtur Salomoni, eum, qui repræhendit: nè ipſe quoquè audires: Odio habuerunt in portis eum, qui repræhendit, & ſermonem ſanctum ſunt abominati. Si autem cùm velles ſeruare iuſiurandum, cædem propoſuiſti, vt qui fugeres barathrum periurij: at oportebat regiam prudentiam, iuſta intelligentiæ trutina alterius cum altero expendere comparationem, & ſtare à meliori parte. Inconſiderata autem mente factum eſt à te contrarium. Quis fuit, qui ab initio te coëgit iurare? Quid puellæ Mænadis ſaltationi commune eſt cum occiſione Prophetæ? Quænam eſt ſocietas iræ cum lætitia? Sin verò propter iuſiurandum, vt ipſe opinaris: at ne ſic quidem oportebat calculum ſententiæ permittere ebrietati. Lætitiæ enim erat tempus, non cædis. Resque erat planè abſurda & peruerſa. Opùs erat tempore ſobrio, & mente quieta ac tranquilla. Futura enim erat non leuis rei iactura. Verumenimuerò ſi quid ex tuis malis in te latens erat anteà

Cap.9.

Prou.9. Amos5.

Mænades, mulieres tunt, per inſaniã ſacra Bacchi celebrantes.

teà occultum, id aduersùs te manifeſtum reddidiſti, cæde aperiẽs flagitium, cuius arguebaris. Quid enim neceſsè erat eum, qui in occulto prohibebat adulterare, reprehendentem ducere in triumphum? Tu igitur dum cædem facis, argueris libidinis.

Ordinem conuiuij confudiſti, ô homo. Nam cùm cõuiuio ſtatuiſſes excipere, conſultò conuiuas affeciſti moleſtia. Quid facis, ô miſer? Pro cibo, hoc ad eſum caput Baptiſtæ introducis? Pro cratere, tale merum fundis conuiuis? Tale poculũ Rex ſuis temperat conſiliarijs? An non vides, quantum ſit malum intemperantia & actio libidinoſa? Ad te parùm redi, ſi vis, & intellige, quòd nihil hominem tanto afficit detrimento, aut externum tantùm depaſcit hominem, quantùm ira ei dominans. Tu autem cùm ex redundanti quadam copia his mentem coniunxiſſes, animæ ſenſum redegiſti in ſeruitutem. Atquì omnium earum, quæ ſunt in nobis, animi perturbationum, has duas maximè generales definiunt ij, qui ſunt in his rebus tractandis ſapientes, nempe, iram & cupiditatem. Quarum vtraque in te dominatum obtinens, tyrannico, non priuato, impetu regnauit infeliciter. Cupiditas quidem ſine vllis machinis adhibitis, obſeſſam tuæ mentis arcem capiens, & animi, qui regi non poteſt, effecta velut præſes: Ira autem te tandiù in ſeruitutem redigens, donec in profundum inferorum, & in profundam malorum charybdim præcipitauit. An non hæc eſt via eorum, qui iniqua perpetrant? Aliter ne putas eos, qui ſic capti fuerunt, à iuſtitia puniendos examinari? Sed rursùs audiamus vocem Euangelij.

Cap.10.

Ira & cupiditas in Herode dominarum occupant.

Cùm enim, inquit, agerentur natales Herodis, ſaltauit Herodiadis filia in medio, & placuit Herodi. O amentiam: Saltatio adoleſcentulæ, Regis cepit prudentiã. Fracti manuum motus, & pedum celeritas, & membrorum tractus, firmum & validum Regis ſenſum eneruârunt. Non audiuiſti Alexandrum Philippi filium, ſeptem Darij filias ad ſe ad conſuetudinem eſſe adductas, regaliter ægrè tuliſſe, & magnum illud & temperantiæ plenum dictum eſſe elocutum: Turpe eſt nos, qui viros vicimus, vinci à mulierum pulchritudine? Adeò es incautus? adeò intemperans? Non audiuiſti diuinam vocem, quæ dicit: Videte nè mors aſcendat per feneſtras? Dico autem ſenſus, quibus homo internus illaqueatur. Quid eorum, quæ ad voluptatem pertinent, non habet ſaltatio Corybantica? aut muſica inſtrumenta ad demulcẽda comparata, ſambuca, & cithara, & nabla, & tibia? Qua autem non eſt plenum turpitudine corpus, quod celeriter mouetur, & membra, quæ tanquàm turbo rotantur? quæ ſunt reuerà ſimulacra eorum, qui ſunt correpti à dæmone. Tu autem cùm his tanquàm cerui hinnulus eſſes telis confoſſus, & tanquàm volucris viſco implicatus, neque vt caprea ſeruatus es ex retibus, neque vt auis liberatus es à laqueo: ſed tibi fuit laqueus mulieris ſaltatio, & fouea præceps furor ille, quo in eam fuiſti concitatus. Et ſaltauit, inquit, filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi, & dixit: Pete à me, quod voluẽris, & dabo tibi. Et cùm iureiurando pollicitus eſt ſe ei daturum, quod petierit vſque ad dimidium regni ſui. Eſto, placuit tunc tibi puella, quæ ſaltauit: oportebat te aliquid munificè largiri puellæ, ſed eorum, quæ licent, & dari poſſunt: non eorũ, quæ ſunt nimis excellentia: eorum, quæ voluptate afficiunt conuiuas, non eorum, quæ moleſtia, non caput ſancti prophetæ.

Cap.11.

Saltatrices ſimulacra obſeſſorum à dæmonibus.

Cap.12.

Sed propter iuſiurandum, inquit, & eos qui ſimul accumbebant, noluit ei abnuere. O amentiam, & prætextum, qui eſt planè ſine ratione. Si enim petijſſet, vt à regno excederes, quẽadmodùm eſſes executus, quod ei iuraueras? Si autem petijſſet etiam, vt matris effoderentur oculi, aut etiam imperâſſet, vt omninò recederes ab eius conſuetudine, impleuiſſes ne quod petijſſet? Sed propter iuſiurãdum, inquit, & eos, qui ſimul accumbebant, noluit ei abnuere. Id enim, quod dicitur, eò deducit neceſſitatẽ inexcuſabilem. Quid ergò feciſſes, ſi ex ijs, quæ dicta ſunt, vnum propoſuiſſet? Sed, vt videtur, omnis qui facit peccatum, eſt ſeruus peccati. Nam qui voluptati ſuam ſubiecit rationem, fit quidem, ſed non apertè, ſeruus motuum animi. Qui autẽ iræ impulſione vtitur, vt ei deſeruiat, ſuam apertè indicat affectionem, vt qui morũ euentu illud aperiat, quod ſuggerebat affectio, cui ſubiectus fuerat, ira non priùs deſinente, donec voluptatis rete inſcium hominem condemnauerit. Vides in quantam tibi prolapſa ſit abſurditatem prolatio iuſiurandi? Magna inſania, mentis cæcitas, & vecordia hanc tibi peperit ſtultitiam. Pete à me, quod velis, & dabo tibi vſque ad dimidiũ regni mei. Adeò eras incautus, adeò leuis & facilis, vt non dimouereris à ſuſcepta cogitatione, neque perſpiceres te id, quod non oportebat, admittere citra examinationem? Conſidera, quò tibi rediẽrit, & quàm parùm in te eſſe conſilij arguerit, quòd temerè iura-

Serius peccati, qui peccat. Iohan.8.

Herodis temeritas.

ueris. Facilè autem abripi ad assentiendum, dico non esse Regis indicium. Profusi autem oris morbus intemperans, quem cùm ipse subijsti, quod non erat iudicatũ, tan, quàm iudicatum suscepisti, (talis enim est mens effrenis, & incauta oratio) non est eius, quod bonum est & honestum, iudicij, cogitationes moderãtis: sed mentis non prohibentis facere, quæ sunt contraria, quæ est etiam priuata sensu, qui est secundùm naturam. Sed Herodes quidem, qui tam leuiter & miserè est inductus, hoc retulit, vt eius semper fieret misera commemoratio.

Cap.15. Mar.6. Quid verò puella, iniquitatis esca, adulterij hamus, Herodis laqueus, in quem ille prolapsus offendit, & captus non effugit? Dixit, inquit, matri suæ: Quid petam? Cùm verò ab illa docta fuisset: Da mihi, inquit, hîc statim in disco caput Iohannis Baptistæ. Ibidem. Vide Euangelistam ea semper, quæ vera sunt, adducentem. Quid enim dicit? Herodias autem ei insidiabatur, & volebat eum occidere, & non poterat. Herodes enim timebat Iohannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & eum audiens, multa faciebat, & lubenter eum audiebat. Vides etiam ante iusiurandum, sceleratæ isti fœminæ mentem fuisse inimicam & infestam Prophetæ? Et quid hoc testimonio possit esse euidentius? Libertatem enim loquendi, & zelum Iohannis ostendit, propterea quòd Herodem reprehenderet: &, quæ longo tempore in profundo ab ea alebatur, iram producit in conspectum auditorum. Hoc enim simul significat & ostẽdit illud, Insidiabatur. Nam illud quoquè, Non poterat, ostendit Herodis in Iohannem honorem & reuerentiam, & quòd eum sanctum habebat & iustum, & eum audiens, multa faciebat, & lubenter eum audiebat. Si autem superiorum fiat comparatio cum inferioribus, ea magnam in se habent differentiam, & res non sunt æquales, vt quas temerè ageret is, in cuius eæ erant potestate. Nam prima quidem, nempe loquendi libertas, & zelus, & reprehensio, Regis increpabant amentiam, & ipsum se iniquè gerere, & fratris violare cubile, conducibiliter apertè arguebant: & tamen in honore habere, & reuereri Dei prophetam, tanquàm iustum & sanctum, tunc locum habuit. Quæ autem deinceps sunt consecuta, sunt dissimilia omninò, & discrepantia, & nullo modo conferenda cum prioribus. Quanam autem de causa, & propter quid? Temulentus enim diuertit ad leuem & friuolum prætextum, quasi propugnaculum ebrietatis. Quo factum est, vt propter frigidum iusiurandum, & conuiuarum reuerentiam, nefario concubitu maiorem pareret iniquitatem, vt qui tanquàm in scena ludens, actũ illum exercuerit, ratus fore, vt lateret oculum, qui minimè falli potest.

S. Iohannis magna in dicendo libertas.

Herodis item duplicitas.

Cap.14. Iuramentũ illicitũ non est seruandũ, nec malum malo perficiendũ. Matth.3. Quonam modo? Dolore, inquit, affectus est Rex. Sed propter iusiurandũ, & eos, qui simul accumbebant, noluit ei abnuere. Quid hac simulatione est magis abominandum? Quid autem illo iusiurando est miserius ad impietatem? Nam cùm ei liceret magis pio prætextu & regio sensu iusiurandum expellere, malum malo perfecit. Misso enim spiculatore, iussit abscindi caput Iohannis, & dari puellæ. Vidisti hebetudinem summam & leuitatem? Non oportebat potiùs pulchrè peierare, quàm improbè seruare iusiurandum? apertè mentiri, & Prophetam non tangere? Delicti veniam petere, quàm iustè vera dicentem, effici iniustum occisorem prophetæ, & sibi iustum reconderе iudicium, & gehennæ fieri filium? Si enim petijsset, vt in Deum peccaret, & idola erigeret, & eorum, qui eius parebant imperiõ, sanguinem libaret, filiosque & filias, matresque & fratres, & vxores etiam sacrificaret, quomodò de his factum repulisset iusiurandum? Quomodò autem id ausus esset implere, cùm Iudæa esset Romanis subiecta, cuius ipse malè gerens tetrarchatum, Rex erat? Sed ille quidem sic incitatus, fuit irretitus à misera puella. Illa autem cùm esset instrumentum ad improbitatem inuentum, & in se haberet impressam totam matris malitiosam & sceleratam mentem, induit personam eius, cui debetur, & tanquàm debitum inexcusabile petit à Rege petitionem: Da mihi hîc, & protinùs in disco, dicens. Quid dabo? Non aurum, inquit, non gemmas pellucidas, non si quid ex ijs quæ sunt in regia, est sumptuosum & pretiosum: sed caput Iohãnis Baptistæ. Quid dicis? Das caput, quod vel ipsi reuerentur Angeli? Das illud caput, super quod, cùm Verbum baptizaretur, spiritus in specie columbæ sedens volauit? Das pro paruæ voluptatis remuneratione illius caput, cuius dextera eum, qui sedet à dextera Patris, baptizans sanctificata est? Illud caput, nefarij ludi exoluis mercedem, cuius lingua in hodiernum vsque diem stetit clamans: Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui? Hoc tu caput das in disco puellæ, quoniam tuum amorem accendit ad adulterium, & sauciauit cor saltationibus? Quid facis miser? Fers has leges, quas qui seruat, se iniquè gerit? Ea decernis-

cernis, quæ à Deo separant, & ei, quod est iustum, damnum afferunt? Vndè tibi hoc impium & nefarium iussum? Quænam lex impia hæc dictauit? Apagè. Hæc non sunt Dei mei, aut legis Mosaicæ. Non audiuisti dicentem Prouerbiorum scriptorem: Libera eos, qui abducuntur ad mortem, & eme eos, qui occiduntur? Si dixeris, Nescio hoc: Scias, quòd Dominus nouit corda omniũ, & reddet vnicuique secundùm opera sua. Quid tibi congregas materiam ad æterni ignis conflagrationem? Prou.24. Psal.61. Rom.2

Cap.15. Sed propter iusiurandum, inquit, & eos qui simul accumbunt, hoc facio. Pulchrè. Et quis te ab initio coẽgit hoc polliceri? Quis te autem vlla ratione admiserit, aut leuiter laudauerit? Non præuisa enim res est, quæ in rebus obscuris & incertis fit cum iureiurando promissio, quandò sine distinctione profertur, quòd ratio non acceperit vtrinquè examinationem ad conferendum id, quod est bonum, & malum. Quod priùs quoquè vsu venit Iephte, magno illi & celebri iudici, qui inconsideratè vouit, & illud Deo promisit, quod inopia consilij non potuit præuidere, propter inopiam iudicantis rationis, & mentis discretionis, quæ fit in rebus agendis. Oportebat ergò te, cùm puellæ iurâsses, distinguere quoquè & definire aliquid, quod esset dignũ saltatione, non autem caput Præcursoris, quod nullis potest exæquari diuitijs, prodere, mercedẽ nefarij spectaculi. Quid enim tibi, qui Rex eras, volenti pretiosum aut magnificum deerat, quod dares saltatrici pro mercede saltationis? Sed cùm alio modo velles à te depellere reprehensionem nefarij concubitûs, maluisti permittere puellę, vt illam peteret mercedem, quæ, vt tu putas, tollebat reprehensionem. Id autẽ erat caput Baptistæ: Cuius, cùm esset Propheta, fuisti interfector, præter expectationem quidem & voluntatem, duorũ conuictus scelerum, adulterij & cædis, cum malo vnà inducens id, quod est longè pessimum. Quænam est hæc amentia? Quis te induxit, vt sic Deum offenderes, & cædem faceres in tempore lætitiæ? Iudic.11.

Cap.16. Tu quidem existimabas, de medio tollens Baptistam, simul etiam cum eo sublatum esse reprehensionem. Ille autem & si habitet in sepulcro, & lateat sub terra, nihilominùs in te expromit reprehensionem, dupliciter propter duplex crimen in tuam exclamans vanitatem. Existimabas quoquè te illius cæde esse animi motum vehementiùs accensurum, œstrumque amoris, quo eras stimulatus, aucturum, & inflammaturum esse voluptatem vehementiùs. Huius autem rei est apertum indiciũ, quòd non statim quidem obstruxeris aures ad abominandam illam petitionem, neque citò resilueris & deploraueris, ægrè ferens impudentem saltatricis appetitionem, nec valdè eiulaueris, dicens: Vęh mihi, si tam breuis & tam nullius momenti delectationis tantam tradidero mercedẽ, cui nullus in regia possit par esse thesaurus. Cur enim, cùm oporteret, ad te redeũdo, confidenter cõtraria obiectione negare petitionem, non repugnâsti, ô rex, puellæ petitioni, dicens: Non per Deum, qui in Mose loquebatur, non dabo, neque pro vili & breui spectaculo talem dabo mercedem. Precium enim meretricis est tanquàm vnius panis, vt dicit prouerbium. Quã ob rem ne tantillùm quidem ægrè tulisse, aut renuisse, erat signum animi sua sponte assentientis. Oportebat enim vocem statim emittendo vehementer deplorare, & flebiliter eiulare. Facilimè enim pœnam iurisiurandi abiurâsses, & illata negatione depulisses periculum periurij. Quonam modo? Contra iusiurandum intulisses iusiurandum, & prius secundo euertisses. In sanguinem autem Baptistæ & Propheræ nolle tale iusiurandum admittere, nedùm exequi, fuerit profectò viri sobrij ac temperantis, & qui scit absque ira ferre reprehensionem: quomodò rursùs non ægrè tulisse, nec tristem vultum ostendisse, aut, quod fuisset modestius, de re parumpèr deliberâsse, arguit te cupidè iusiurandum admisisse. Quod cùm nolles, aut vt veriùs dicam, non posses intelligere, protinùs immitem tulisti sententiam, vt illud caput amputaretur, quod in hodiernum vsque diem tuam arguit summam iniquitatem. Nam cùm liceret non iurare incautè, neque iusiurandum permittere ebrietati: sed toruè & asperè impudentem illam puellam & oculos perstringentem adspicere, vt terrore vultûs ei timorem incutiens, eò redigeres infelicem, vt ne ea quidem, quæ sunt pro pedibus, posset intueri, nedùm impudenter exigere ea, quæ sunt abominanda, fecisti contrariũ: Tam faciles aures præbuisti Mænadi, perindè àc si hanc, & non aliam, expectares ab ea peti mercedem sceleris. Prou.6. Herodes iurauit cupidè, vt perderet S. Iohannem.

Cap.17. Ità captus fuit Rex Iudæorũ. Sic in eum est debacchata illius mẽtis præceps amentia, ad hunc stuporem ebrietatis eum deducens dæmon, præcipitauit infeliciter, impellens, vt illud caput amputaret, quod longo tempore non tulerunt latibula terræ

in ſinu occultare, quod adhuc diſtillans ſanguine, nõ eſt veritus Herodes appoſitum tanquàm cibum, in diſco adſpicere. Sed illud quidem etiam amputatum clamat, & non ſuſtinet tacere, ſed adhuc liberè te arguens adulterantem, clamat: Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Fruſtrà ergò ſcelus eſt à te perpetratum. Inanis fuit conſiliaria. Vana etiam fuit petitio ſaltatricis. Et tu quidem, qui ſeruâſti iuſiurandum, ſemper fuiſti condemnatus. Iniquitates enim virum appræhendunt. Illa autem præter flagitium adulterij, cædis quoquè perpetrauit facinus. Mulier enim inſipiens, inquit, neſcit pudorem, ſed occurrit ad petram inferni. Libidinoſæ autem fœminæ lena ſaltatrix, vnà cum matre in cæde petulanter inſultans, nullam hinc aliam adepta eſt vtilitatem, nisì flammam gehennæ, in qua meritò luit pœnas. Inſipientiæ enim pedes deducunt eos, qui ea vtuntur, poſt mortem ad inferos: veſtigia autem eius non firmantur. Tales ſunt actus eorum, qui ſe iniquè gerunt: hunc fructum dat libido ſuis amatoribus: hæc præmia largitur impudicis vehemens voluptatum intemperantia.

Vox capitis amputati etiam nunc arguit adulterantem Herodem. Prou.5.

Præmia libidinis.

Cap.18. Hæc audite, quibuſcunque vſus & congreſſio intercedit cum cæteris, & quicunque vitam agitis cælibem & ſeparatam, & prouerbiorũ paſcamur ſermonibus, & eis aures noſtræ perſonent. Quid autem oportet dicere apud eos, quibus vt ea non ignorent, eſt innatũ? Sumus enim omnes docibiles Dei in Chriſto, vt ait Euangeliſta Iohannes Vtinàm nos quoquè, qui hîc ſumus ſacer collectus conuentus, talem eſſemus aſſecuti gratiã, vt non egeremus eo, qui ſit docturus, aut increpaturus: ſed ſolum ſufficeret exemplum, vt Herodis amentiæ omnem effugeremus imitationem: & neque præ ocio ac ſocordia, turbulentarum appetitionum vehementibus mentem dederemus impetibus, neque rurſùs voluptatum blanditijs ineſcatus animus, attraheretur ad conſenſum: qui quidem peccati mortem concipiens, mortem ipſam parit. Quod nè nobis accidat, nos ſemper conſeruemus, perpetuò effecti oculus, qui nulla clauditur dormitatione, nè nobis non animaduertentibus draco ſuffuretur theſaurum. Accipiamus ergò omnes ſimul doctorem Salomonem, nos munientem verbis præſeruantibus, & fuſiùs perſequentem offenſiones, quas accipiũt ſimpliciores ab inſidijs mulierum. Dicit itaque: Noli adhibere animum mulieri malæ: Mel enim diſtillat à labris mulieris meretricis, quatenùs ad tempus pinguefaciat guttur tuum: Senties autem poſteà felle amarius, & magìs acutum, quàm gladium ancipitem.

Iohan.6.

Prou.5.

Cap.19. Sed ne aut ſatietatem afferat, aut moleſta videatur oratio, adijciam pauca quædam ijs, quæ dicta ſunt, quæ ijs quidem, qui nôrunt, in memoriam reuocent: ijs autem, qui ignorant, non leuem præbeant cautionem. Bibe, inquit, aquas è vaſis tuis, & ex puteis fontis: & ſimul delectare cum muliere à iuuentute tua. Nam ſi in eius amicitia ſimul verſans vitam tranſigas, multiplicaberis. Et rurſùs: Nè ſis multùm apud alienam. neque te vlnæ complectantur non propriæ. In conſpectu enim oculorũ Dei, ſunt viæ viri. Nè dederis ſomnum tuis oculis, neque dormitaueris tuis cilijs, vt ſerueris tanquàm caprea ex retibus, & tanquàm auis ex laqueo. Et rurſùs: Nè te vincat concupiſcentia pulchritudinis, neque palpebris tuis confidas, nè attraharis ab eius oculis. Mulier enim virorum precioſas venatur animas. Viæ autẽ inferorum domus eius, deducentes ad promptuaria mortis. Tu autem fili audi me, neque declinet ad vias tuas cor tuum, & nè aberres in ſemitis eius. Multos enim vulnerauit & deiecit, & ſunt innumerabiles, quos occidit. Tu autẽ nè oculos tuos in eam defixeris, ſed reſilias: neque diù illic moréris. Sic enim trãſilies aquã alienam. Ab aqua autem aliena abſtine, & à fonte alieno nè bibas, vt viuas longo tẽpore, & adijcientur tibi anni vitæ.

Ibidèm.

Ibidèm. Prou.6.

Ibidèm.

Viæ inferorum, domus meretricis. Prou.7.

Cap.20. Atque ſufficiunt hæc quidem ad caſtigandum eos, qui ſunt hebetiores, quibus nos ſatìs communijt oratio Prouerbiorum, quæ viri illius diuini linguam defendit modeſtam, venerandi, inquam, Baptiſtæ, qui hanc nobis menſam appoſuit, non ſanguine conſperſam, non recenter occiſi caput proponentem, tanquàm cibum, non ſimul cum cruore effundentem vinum in crateribus. Hæc ſunt præmia Herodis vinolentiæ. His rebus ille inſtruit conuiuium. Ille conuiuis talia miſcet pocula. Sed non ità is, qui noſtro præeſt conuiuio. Abſit. Contrà enim animi magnitudinis & temperantiæ cœnam nobis appoſuit, cuius impleti obſonijs, euaſimus meliores.

Herodis epulę & pocula qualia ſint.

Cap.21. Quoniam autem Iohannis erga Herodem conſtantiæ magno tranſmiſſo pelago, in portum tranquillum, ſecundis eius ad Deum precum auris peruénimus, tempus eſt, laxatis velis, intrà portum ſiſtere remos orationis. Aequum eſt autẽ, vt arbitror, (nam hoc ſolent etiam nautæ facere) vt nos quoquè iuſta facientes, epilogo paruam adnectamus orationem, ſcripturæque floribus virum coronemus. Si is tamen vir eſt dicendus, qui inter natos mulierum apparuit maior. Hic enim eſt, quem in multis ſcripturæ locis variè contineri inueniemus, ſi eam, vt apis, diligenter obeamus. Multas enim eius appellationes attulit nobis rerum conſideratio, quarum vnicuique adiecto, quod par eſt, teſtimonio, oſtendit, quàm meritò ei nomina fuerint impoſita.

Matt.11.

Atque prima quidem eſt eius appellatio, Filius. Nè timeas, inquit, Zacharia: eccè Eliſabeth pariet tibi filium, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Eliſabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Infans. Et factum eſt, poſtquàm audiuit Eliſabeth ſalutationẽ Mariæ, exultauit infans in vtero eius, & impleta eſt ſpiritu ſancto Eliſabeth. &, Eccè enim, poſtquàm facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. Puer. Et tu Puer, propheta altiſſimi vocaberis. Puer autem creſcebat, & inualeſcebat ſpiritu, & erat in deſertis, & quæ deincèps ſequuntur. Magnus. Hic erit magnus coram Domino, & vinũ & ſiceram non bibet, & ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Iohannes. Et factum eſt in die octauo, venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpondens mater eius, dixit: Nequaquàm: ſed vocabitur Iohannes. Et Zacharias pater eius, petítis pugillaribus, ſcripſit: Iohannes eſt nomen eius. Homo. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Iohannes. Propheta. Quid exijſtis in deſertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, plus quàm Prophetam. Omnes enim prophetæ & lex vſque ad Iohannem prophetârunt. Elias. Et ſi vultis ſuſcipere, ipſe eſt Elias, qui eſt venturus. Et ipſe præcedet in ſpiritu & virtute Eliæ. Magiſter. Venerunt autem Publicani quoquè, vt baptizarentur: & dixerunt ei: Magiſter, quid faciemus? &c. Præparator. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Et, Parate viam Domini. Præco. Fuit Iohannes baptizans in deſerto, & prædicans baptiſma pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: Et prædicabat, dicens: Venit poſt me, qui eſt me fortior. Et quæ ſequuntur. Vox. Quis es, vt reſponſum demus ijs, qui nos miſerunt? Quid dicis de teipſo? Dixit: Ego ſum Vox clamantis in deſerto. Baptiſta. Venit Ieſus à Galilæa ad Iordanem ad Iohannem, vt baptizaretur ab eo. Erat autem Iohannes baptizans, & accedebant omnes, & baptizabantur. Confeſſor. Et confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, Non ſum ego Chriſtus. Teſtis. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Trinitatis ſubſcriptor. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem víderis ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper ipſum: is eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto & igne. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quòd hic eſt filius Dei. Iuſtus & ſanctus. Herodes autem timebat Iohannem, ſciens eum eſſe virum iuſtum & ſanctum. Apoſtolus, hoc eſt, miſſus. Vos ipſi mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim: Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum. Euangeliſta. Multa quoquè alia admonens, euangelizabat populo. Pronubus. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit ipſum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergò gaudium meum impletum eſt. Lucerna. Ille eſt lucerna ardens, & lucens: Vos autem voluiſtis exultare ad horam in lumine eius. Repręhenſio Herodis. Dicebat enim ei Iohannes: Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Herodes autem cùm repræhenderetur ab ipſo propter Herodiadem, incluſit ipſum in carcere.

Cap.12. Multa S. Iohannis nomina. Luc.1. Iohan.1. Luc.3. Iohan.3. Iohan.5.

His Iohannes vocatus eſt nominibus, his fuit honoratus. Habuit autem actiones conuenientes his appellationibus, Iohannes ille, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum. Hic eſt verè lucerna, de qua magnus canit Dauid, dicens tanquam ex perſona Dei Patris: Paraui lucernam Chriſto meo. Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea. Hic eſt magnus ille Elias, non Theſbites, ſed qui fuit medius inter legem & gratiam: & licèt tempore ſit ab illo ſecundus, prioris tamen Chriſti aduentûs præcurſor: qui cum eádem, qua ille, præceſſit inſpiratione & virtute, vt Archangelus præ- dixit Zachariæ. Cui Zachariæ? Cuius ſanguis clamat pluſquàm Abelis. Hic eſt, qui priùs exultauit: & priuſquàm prodiret in lucem, agnouit ſuum Dominum in vtero. Hic inſtrumento vtens lingua ſuæ matris, fœtum ſine patre, cùm adhuc in vtero geſtaretur, priùs eſt allocutus: Vndè hoc mihi, dicens, vt veniat mater Domini mei ad me? Hic cùm conuertiſſet corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parauit Domino plebem perfectam. Fructus ex promiſſione. Bonus Gabrielis nuncius. Germen præter ætatem. Sterilis flos genitalis. Propheta ex propheta. Ci-

Cap.23. Pſal.131. Luc.1. Ibidèm. Nominibus S. Iohannis res ipſæ reſpõdent.

uis deserti. Aliptes orbis terrarum. Astrum Solis. Lucerna lucis. Regis miles. Sponsi pronubus. Seruus Domini. Vox verbi. Sacerdos eius, qui est sacerdos secundùm ordinem Melchisedec: quandoquidem dignus est habitus, vt sacerdotis officio fungeretur in eius baptismate. Qui patrem audiuit, filium baptizauit, spiritum adspexit. Legis silentium. Gratiæ intercessor. Coronis prophetiæ. Prophetarum conclusio. Regis præco. Præcursor veritatis. Porta pœnitentiæ. Virginitatis ornator. Salutis præparator. Temperantiæ legislator. Frenum eorum, qui se iniquè gerunt. Dux eorum, qui iustè vitam agunt. Iohannes ille magnus, nomen à Deo vocatum. Quæ è cælis per vocem Archangeli scriptis mandata fuit nominis appellatio. Vox orta ex tacente. Qui perid, quòd voce carebat pater, sterilitatis sustulit infœcunditatem. Qui loquenti digito agnum ostendit. Magna gloria continentiæ. Qui erat in corpore expers carnis. Qui in luto margarita. Qui in vase fictili preciosus thesaurus. Qui inducit securim ad secandam animarum sterilitatem. Quæ solicitudine gaudet turtur Ecclesiæ. Os, quod non potest tacere. Quæ vbiquè tonat vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Quæ Deum effatur linguâ: cuius vox etiam post decessum reprehendet Herodem, & eum, qui venit, prædicat, dicens: Regnum cælorum appropinquat. Ei gloria & potentia in secula seculorum, Amen.

Psal.109.

S. Iohannes corpore, expers carnis. Esa.40.

ORATIO SEV ENCOMIVM DE EXPORTATIONE PRECIOSAE MANVS DEXTERAE SANCTI

Iohannis præcursoris, ex Antiochia: vt habetur in Simeone Metaphraste. Nos numerum capitum apposuimus margini.

Codex diē certum non habuit. Cap.1.

LCCE ad nos rursùs venit sacrosanctus Christi Præcursor, abundè fluenta emittens suarū gratiarum: & rursùs dies alius celebris redditur, qui maiora & potentiora alia ostendit argumenta, quàm quæ sint in alijs eius festis: & eos, qui festis delectantur, euehit ad excelsiorem miraculorum considerationem. Eccè Solis iustitiæ clarus & omni ex parte lucidus lucifer resplenduit, suis radijs illustrans totam Ecclesiæ plenitudinem, & suum festum læ tificans. Venit autem non vt priùs, per suam natiuitatem, neque vt deindè, per ab Herode factam ipsius capitis amputationem, neque vt posteà, per arcanam eiusdem mirifici capitis reuelationem: sed per manum, quæ fuit vel ipsis Angelis venerabilis, quę cælesti lumine illustratur, & sancti spiritûs gratia adumbratur: quæ, quicquid erat quidem graue & terrenum, in terra deposuit, & ad incorruptionem traducta est per vitam continentem, quæ erat supra hominem: quæ priùs quidem ingratis Iudæis ostendit Agnum Dei, & securem ad arborum radicem positam, & excisionem minabatur peccatoribus.

Sanctorum reliquias veneramur, quia sancti spiritûs gratia adumbrantur.

Cap.2. Nunc autem cùm illaipsa apparuerit, & præstantiori quodam modo manus euaserit barbaricas, à quibus videbatur teneri, tanquàm captiua, æquum est, vt in festi lætitiam piè & reuerenter afficiatur cœtus eorum, qui festum lubenter celebrant: & nubes quidem, quæ interiectę animam impediunt, eius illa, quæ intelligentia percipitur, illuminatione discutiat & dissoluat: alacri autem pede & exultante spiritu, ad ea, quæ sunt vel ipsis Angelis desiderabilia, mysteria festinet. Hoc est enim festum celebrare, paratos esse ad prompto & alacri animo occurrendum ijs, quæ sunt venerabilia, & extrinsecùs figuris & motibus fidei & affectionis internum ardorem ostendere. Hîc ergò mihi adsit omnis ordo eorum, qui sunt honorificè in excelsis remoti à materia, & eorum, qui sunt adhuc hoc circundati puluere: & communi contexta chorea, luminosum & perquàm clarum constituamus theatrum, eo duce vtentes, qui inter natos mulierum est maximus. Nam etsi humanæ naturę superauit terminos per vitam à carne & corpore alienam, vt qui tamen nostrarum naturalium particeps fuit proprietatum, lætatur nostris de se laudibus & celebrationibus, & bonam accipiens voluntatem, copiosam remetitur remunerationem.

Quid sit verè festum celebrare.

Cap.3. Cæterùm eius quidem conceptum & ortum, & vitam, quam egit in solitudine, & eius

eius ad Israëlem ostensionem, & veridicum testimonium, per quod Dei agnum ostendit, & ipsum primùm & posteà venientem per diuinam authoritatem, & humanæ naturæ pronunciauit susceptionem: & quemadmodùm exalto vocatus venit ad Iordanem, & cùm purum, & ab omni labe alienum, & quauis purgatione superiorem baptizâsset, illo contactu ostendit fontem sanctificationis, & quæ de ipso Iudæis is, qui fuit ab ipso baptizatus, per arundinis & mollium vestium amictûs similitudinem, ad eius dixit commendationem: eius vitę à rerum superfluarum cura abhorrentem simplicitatem, & in virtute firmitatem & constantiam, & eum veteri Eliæ æqualem, & moribus similem tacitè significans: & quæcunque sunt his consequentia, Euangeliorum quaternio ostendet apertiùs ijs, qui hæc scrutantur diligentiùs.

Iohan.1. Matt.11.

Quæ autem præsenti conueniunt celebritati, ea sunt enuncianda & docenda, vt cum argumento festi hic scopus congruat, nostrumque in hoc rectè studium conferatur. Ille in Mosaicis educatus documentis, & assiduè meditans in lege Domini, eius custodiæ & obseruationi omnia postponebat: solùm autem, vt in eius perseueraret iustificationibus, plurimum ponebat studij. Cùm verò Herodes vir libidinosissimus, qui erat Galileæ tetrarcha, decreta legis transgrediens, fratris Philippi vxorem, cùm sibi non liceret, propterea quòd Philippus ex illa liberos suscepérat, duxisset in matrimonium: & esset illud quidem scelus legis euersio, Dei autē contemptio, hominum verò ad deteriora adhortatio & inductio: tunc, tanquàm fortis athleta Iohannes, rectè institutus, & in laboribus priùs exercitatus, veritatis armis & telis munitus, aciem quidem struit aduersùs Tyrannum. Quænam verò ea erant? Non licet tibi habere vxorem fratris tui. O libertatem, quæ non potest perterreri: & fiduciam, quæ non potest euerti. O os diuinū, & linguam, quæ à Deo mouetur, quæ in ipsum cor reprehensionum infigens aculeos, fecit, vt ille superbus & insolens clypeum abijceret, & fugeret. O manum venerandam & sanctam, quæ ad sermonum mota elocutionem, reprehensionum quoquè augebat asperitatem, & fiduciam ostendebat & audaciam. Mos est enim ijs, qui verbis contendunt, manum simul cum ore mouere, & sermoni eius quoquè motum adhibere, & per vtrunque ostendere, quàm sit confidens & interitus is, qui loquitur. Hinc factum est, vt in carcerem, & in vincula conijceretur, cùm vesana mulier nefarium amatorem suum ad id compulisset.

Cap.4. Celebritas exportatæ manûs S. Iohannis.

Leuit.18.

Mittitur in carcerē veritatis præco.

Deindè dies festus natalis, potusque copiosus & immoderatus, cùm nimium vinum eum, qui celebrabat conuiuium, deuoluisset ad delirium. Potûs autem quænam est delectatio? Saltatio filiæ, quæ erat instàr meretricis, & petitio mercedis: & merces, Prophetæ interfectio. Ex qua Regis ficta tristitia propter œstrum, quod eum obsidebat intrinsecùs: obtemperatio tamen, & submissio, & aduersùs iustum Prophetam prolatio sententiæ: & paulopòst caput in disco allatum, & libidinosæ & adulteræ mulieri traditum. Quid hac inhumana actione inhumanius, & magìs nefarium? Quid hoc belluino facinore magìs insanum & belluinum, hominem ex ipso matris vtero sanctitate circundatū, qui temperantiam erat amplexus, castitatem adsciuerat, inedia se exercuërat, ab omni congressione hominū se seiunxerat, solitudinem, tanquàm ciuitatem, habitauerat, qui simul cum agri bestijs versabatur, cameli pilis tegebatur, pellicea zona cingebatur, sicut aues id, quod sua sponte nascebatur, habebat alimentum, carebat nutrimento, carebat vtensilibus, & planè carnis erat expers: qui totus quoquè cernebatur remotus à materia, quòd hæc materialis coagmentatio esset inedia attenuata & emortua, & ad materiæ vacuitatem traducta propter insignem continentiam: eum, inquam, pro iustitia, pro veritate, & nè lex in aliquo violaretur laborantem, dari mercedem mulieri adulteræ?

Cap.5. Herodis simulata tristitia.

Luc.1.

Admiranda Baptistæ Domini abstinentia & paupertas.

Sed quonam modo hæc quidem permissa sunt ab eo, qui omnia sapienter administrat, sciunt ij, quibus datus est spiritus ad hæc aliqua ex parte cognoscenda. Huius autem discipuli, cùm corpus à capite diuisum sustulissent, honoratæ mandârunt sepulturæ, nè, si hoc quoquè post decessum videretur à libidinosis & voluptuarijs, esset maior fomes inuidiæ, & maioris sceleris materia intemperantibus. Sic ergò corpus quidem sepultum occultabatur, cùm neque quisquam illud tunc perscrutari studuisset, neque ipse manifestâsset. Sed quandoquidem ad hunc locum peruéni, volo de hoc prophetico tabernaculo, & de manu, quæ ei coaluërat, quiddam, quod è veteri pendet narratione, huic sacro theatro explanare, & quæ de his audiuimus & cognouimus, & quæ veteres tradunt historiæ, explicare fusiùs, & vndenàm diuina hæc gratia translata est Antiochiam, & vbinàm fuit repositum translatum Propheticum illud taberna-

Cap.6. Matt.14.

Mandatur corpus eius post decollationem sepulturæ.

bernaculum,& quisnam fuerit quidem modus huius translationis, & quis rursùs ablationis & exportationis.

Cap 7. Matt.2. Herodes qui infantes occiderat, cùm Iudaicum multorum principatum traduxisset ad regnum,parebat quidem Romanis. Cùm multis autem modis quæreret, vt eis videretur beneuolus & fidelis,effecit quidem, vt Romani eum benignis adspicerent oculis,& nec fore,vt ab eis deficeret,vllam haberent suspicionem. Is, vt clarior esset sua in eos beneuolentia,inter alia condidit etiam ciuitatem,sitam non procùl ab Hierosolymis,sed distantem tantùm itinere vnius diei, eam vocans Sebasten, Latinè Augustam,vt Augusti Cæsaris appellatione significaret suam in eum beneuolentiam & seruitutem. In ea, qui post illum obtinuit principatum, tetrarcha Herodes fixit regiam, in qua etiam fuit illud conuiuium, quo Propheta fuit occisus, & iuxta quam fuerat in vinculis hic sacer Propheta in quodam tenebroso reorum domicilio. Cuius ex transuerso referunt sepultum fuisse corpus præconis veritatis. Quo etiam in loco dicunt priùs fuisse alterum sepulcrum Prophetæ Elisæi, adeò vt duo loculi viderentur simul iacentes in vno & eodem loco. Ibi quoque templum maximum olim extructum fuerat,quod propter ea,quæ in ipso fiebant, miracula & pulchritudinem, fuerat incomparabile. Cùm eius autem tectum tempore defluxisset,sub dio relicta sunt eius ædificia,adeò vt vna sola illæsa remanserit domuncula, quæ vocabatur Sacrorum vasorum custodia : in qua etiam inclusi loculi prophetarum conseruabantur absque vllo detrimento.

Sebaste cõditur ab Herode.

Sepulcrum Elisæi prophetæ.

Cap.8. Nota de manu S. Iohannis. Cùm autem Lucas Euangelista circunquaquè omnes obiret regiones, vbi etiam obeundo vénit Sebasten, Antiochiæ tactus desiderio, vt qui in ea esset natus, magno quidem tenebatur studio sacrum illud Præcursoris corpus tollendi integrum. Cùm autem non posset,quoniam diligenter seruabatur, ablata manu dextera, eam portauit in suam ciuitatem, loco alicuius alterius beneficij, & aliarum diuitiarum ei, quæ ipsum aluerat,hanc reddens mercedem educationis. Ab illo ergò tempore sita erat manus illa apud Antiochenos, in magno honore habita, & iugis, quæ in ea habitat, gratiæ fidem faciens miraculis.

Cap.9. Cùm autem Iulianus tyrannicè clauum arripuisset Imperij,quoniam eos, qui ipsum præcesserant, persecutores & Dei hostes contendebat superare sceleribus, & eorum, qui pro Christo decertârant,quæcunque erant reliquiæ,aut integrum tabernaculum, aut aliquid aliud ex ijs,quę sunt puræ nostræ fidei signa, ea omnia igni mandabat & cineri : magno deincèps studio venit Antiochiam,simul quidem immunda peracturus mysteria in ara simulacrorum,quæ sita est ad Daphnen : & simul etiam perscrutaturus,& si sanctorum aliquid in ea inuenisset repositum,id igni mandaturus. Cùm hoc ergò sæuum renunciatum esset eius decretum, qui erant Christianarum partium, sacram manum Præcursoris clàm in quadam turre ciuitatis, quæ vocatur Gonia, id est, angulus, studuerunt includere, nè capi posset ab idolatra. Qui autem Pontificalem sedem tenebat Hierosolymis, cùm auditione accepisset execrandum decretum, nec tyrannum omninò moraturum, quin ad sacra loca asscenderet, & quæ in eis erant preciosissima corpora,igni consumenda mandaret,hoc diligenter curat, & magnum adhibet studium,vt è loculo sublatum Præcursoris tabernaculum, transmitteret seruandum in ciuitate Alexandrina,alio quodam communi corpore pro eo repleta depositione.

Vide quem imitẽtur hostes sacrarũ reliquiarũ.

Dextera manus & corpus S. Iohãnis absconduntur à Christianis

Cap.10. Iuliani Apostatæ furor in sacras reliquias. Postquàm autem Antiochiæ omnia perscrutatus ille impius, ea est aggressus, quæ fieri non poterant, cùm absconsa manus nusquàm comparéret,eo ille sceleratus desiderio frustratus,& in reliquum propheticum corpus furore percitus, qui id scrutarentur,statim misit vsque ad Hierosolyma, vt Præcursoris igni mandarent tabernaculum. Quod cùm ad finem esset deductum,& commune, quod pro illo sepultũ fuerat,corpus ab ijs,qui missi fuerant,in cinerem esset redactum, illinc soluens, duxit exercitum ad obsidendam Edessam, vtpotè quòd qui in ea habitabant,planum esset eos stare à partibus Christianorum. Aiunt autem quendam ex suis famulis,qui liberè cùm eo loquebatur,& erat ei valdè coniunctus, ex animo verò res Christianorum colebat & honorabat,eum,à cœpto prohibuisse,& ad bellum aduersùs Persas gerendum incitâsse, ciuitatem cùm vellet, in potestatem eius venturam pollicens. Et sic consilio obtemperans, profectus est ad bellum contra Persas gerendum. In quo plaga diuinitùs immissa percussus, vitam finijt miserabiliter.

Iuliani apostatæ miserabilis interitus.

Cap.11. Postquàm autem ad fideles Imperatores redierunt sceptra Romanorum, & reddita fu-

ta fuit libertas Christianis,nesciebatur quidem, vbinàm esset preciosa manus, ab ijs, qui Antiochenam habitabant ciuitatem. Sed haud ità diù post per diuiniorem reuelatum fuit visionem, vbinàm esset absconsa. Quam cùm fideliter ex eo loco sustulissent, in ea honoranda erant insatiabiles. Cùm autem non parùm effluxisset temporis, Imperator Iustinianus inter alia, quæ piè gessit, fecit etiam tale quid. Hanc enim miraculorum effectricem Præcursoris dexteram, ex Antiochia, & Domini & Dei nostri tunicam, quæ erat in ciuitate Maratsemere, & maximè venerandum caput, ex Emesa transtulit ad regiam ciuitatem : quæ quidem ostendebantur obsignata signaculo sancti Imperatoris Constantini, ad hoc, vt non ampliùs ex eis auelleretur ab ijs, qui amplecterentur. Ablatis ergò signaculis, cùm templum Præcursoris, quod in Hebdomo est ab eo ædificatum, per Domini tunicam & eiusmodi sacras sanctificâsset reliquias, rursùs remisit suis obsignatas signaculis eò, vndè venerant, solam dexteram propheticam relinquens non signatam, vt quæ vngeretur vnguentis, & sustolleretur in festo Exaltationis.

Iustinianus Imperator fidelissimus

Tunica Christi, caput & dextera S. Iohannis trãsferuntur.

Et sic quidem de his relatum est à veteribus, alijs alia de manu narrantibus, conclusa tamen in vnam & eandem fidei notionem, & expellentia omnem incredulitatem, aberrante nemini procùl à veritate. Quòd si oportet etiam alicuius meminisse miraculi, Antiochia nobiscum ei, quod dicemus, feret testimonium : quod quidem auditione à nobis acceptum est ex quibusdam, qui illic sunt versati. In cauerna delitescebat quidam draco in eius finibus, quem, qui habitabant ciuitatem, in deos referentes, anniuersario honorabant sacrificio. Id autem erat puella virgo, quæ pauloantè peruenerat ad pubertatem,& propter non pollutam virginitatem, conseruabatur draconi sacrificium. Quis erat autem modus sacrificij ?

Cap.12.

Nota draconis cultũ & sacrificium horrendũ.

In eo ipso loco, in quo erat cauerna draconis, Antiocheni publicè confluentes, & frequens effecti theatrum, cùm puellam circunduxissent, præbebant deuorandam draconi. Is verò proserpens è cauerna, & insperatum & incredibile apparens miraculum, serpens & repens suis pedibus, & naturali, qui est intùs, spiritu incuruatus, & instàr vndæ tumefactus, hianti ore & dilatato thorace accipiebat sacrificium, & lacerabat dentibus. Pro more autem sors obtigerat cuidã Christiano, vt suam daret filiam draconi sacrificandam : qui stimulis sauciatus naturalibus, ex corde suspirabat ad maximum Prærcursorem. Et vt filia à morte seruari possit, tale quid excogitat : Cùm magnam vim auri apud se abscondisset, petit vt sibi permitteretur adorare manum sanctam ab eo, qui illam seruabat. Is autem concessit postulatum. Cùm verò is in his esset, & quod afferebat aurum latenter, tanquàm sub prætextu adorandi, humi effudisset, rectà processit ad adorandum. Aedituus autem, vt qui auidis oculis ad aurũ adspiceret, cucurrit ad illud colligendum. Ille autem, qui petierat, vt sibi liceret adorare, cùm se incuruâsset, & totum se in loculum inclinâsset, diuino sauciatus desiderio, cùm venerandę dexterę pollicem osculando, & labra admouendo mordicùs dentibus abscidisset, & occultâsset, à templo quamprimùm recessit. Cùm autem iam dies aduentâsset sacrificij, & ciuium eorumque, qui circumhabitabãt, collectum esset theatrum, accedit pater puellam adducens ad sacrificium. Et cùm fuisset prope draconem, & eum vidisset vasto ore hiantem, & horrendis sibilis eos, qui audiebant, terrentem, & sacrificium desiderantem, sacrum illum & venerandum digitum in mediam gulam iaculatus, eius iactu statìm quoquè mortem ei attulit.

Cap.13.

Quidã Christianus fidelis tollit digitum S. Iohannis.

Insigni miraculo necatur draco digito S. Iohannis.

His sic gestis, pater quidem viuã filiam domum reducit, & lachrymis simul & gaudio plenus, & admirabilem, & quæ præter opinionem acciderat, filiæ narrans redemptionem. Qui autẽ circunsistebat populus, insigni miraculo obstupefactus, ingentes Deo agebat gratias. Quo factum est, vt Prærcursori templum illic construerent, vbi factum fuerat miraculum, quod nominârunt χρεμαστὸν, id est, suspensum, siue propterea, quòd supra terram sit solum templi eleuatum, siue quòd ad tantam ædificiorum sublimitatem eius sit extensa latitudo, vt conspiciẽtibus propè videatur pendere in aëre. In quo cùm hunc sacrum & mirificum digitum deposuissent, eum festis honorant anniuersarijs, miraculum, quod factum fuerat, per commemorationem transmittentes ad posteros. Dicitur etiam aliud quoquè mirum tale fieri signum : Huius scilicet sanctæ manũs aliquandò quidem extendi digitos, aliquandò verò contrahi : quorum extensione quidem significari fertilitatem fructuum, contractione autem, inopiam & penuriam.

Cap.14.

Magnificũ templum S. Iohannis.

Cùm autem multi, qui ante nos fuerunt, Imperatores hanc manum desiderâssent quouis

Cap.15.

quouis modo possidere, nec sinere, vt tantum bonum maneret apud barbaras gen
res, quæ partes illas occupârant, captiuum: augebatur quidem, ac vigebat eius re-
desiderium: sed modus, quo id possiderent, nullo modo inueniri poterat. Et cùm eis
aliquandò visum esset, dando pecuniam, talem comparare thesaurum, aërem, vt est
in prouerbio, pugnis cædebant. Desiderabatur ergò ab omnibus, à quibus nomen
Rogãt Christiani obnixè Deum pro recuperatione manûs S. Iohannis. Christi est inuocatum: & quicunque in eius rei versabatur cogitatione, Deum roga-
bat gemitibus inenarrabilibus, vt benignis oculis suum adspiceret populum, & eius
cum efficeret possessorem & spectatorem. Quoniam autem diuinæ prouidentiæ
sunt omnia præfinita, ei qui omnia præsciuit ante mundum conditum, despicienti
tempora nostræ inscientiæ, placuit per multas suas miserationes, vt in hac quoquè
generatione reuelaretur hoc magnum & insigne miraculum, in qua Constantinus &
Romanus, qui digni sunt magnis laudibus, ab ipso ortu purpureis fascijs inuoluti, re-
gebant habenas Imperij. Id autem est, venerandæ Præcursoris manûs exportatio, &
reuocatio.

Cap. 16. Modus autem reuocationis, est valdè mirabilis & præter opinionem. Nam vir quidam, qui erat relatus in sortem diaconorum Antiochię ciuitatis, Iob nomine, supernè
inspiratus, & diuino zelo repletus, apud se cogitabat, posset ne Præcursoris suffuratus
dexteram, eam donum desideratum largiri Christianis: atque adeò ad talem processit
Templum S. Petri Antiochiæ. experientiam. Pulchrum templum & excelsum sub nomine Petri Apostolorum prin-
cipis positum est in ea ciuitate. In huius vestibulo cùm suam is fecisset habitationem,
cum sacrorum, quæ illic erant, vasorum custode inijt amicitiam, vt ea de causa tenta-
ret cum ipso tota nocte venerandæ manûs assidere loculo. Postquàm autem petitio-
ni non annuit is, cui credita fuerat custodia, inopinatũ quid cogitans, ad aliam transit
machinationem. Cùm sumptuosa & lauta mensa eum exhilarâsset, & amicè cum ad
bibendum inuitando, ad profundum & morti similem somnum deduxisset: & per
quandam fenestram intempesta nocte se in templum demisisset, sensim & sine strepi-
Iob diaconus clàm tollit manũ S. Iohannis, Cap. 17. tu, sacro aperto loculo, (ô rem & factu & auditu terribilem) accipit preciosam, quæ
desiderabatur, dexteram: & summo silentio reuersus, diligenter quidem apud se ser-
uat, quod furatus fuerat, nè cognosceretur ab aliquo barbarorum.

Hinc egreditur Antiochia, & iter inijt magno metu affectus, nè res fieret manifesta
inimicis, ad exequendum propositum multis sæpè vtens precibus. Locum autem lo-
co, & ciuitatẽ ciuitate commutans, festinabat ad exitum. Cumque lethiferas illas vias
sic peruasisset, peruénit ad fines Romanos, magnum quidem illum metum excutiens,
audaciùs autem & confidentiùs festinans ad regiam ciuitatem. Postquàm verò fide-
lis Imperator eius resciuit aduentum, & re admirabili fuit obstupefactus, Christo qui-
dem non poterat agere gratias pro dignitate, vt quem insperatum impediret gaudi-
Vide cum quanto honore sacra Præcursoris manus excipitur. um: eos autem, qui hoc sanctum cum hymnis, lampadibus & vnguentis essent susce-
pturi, & ad ipsum allaturi, emisit: vt sicut ipse vox clamantis in deserto parare vias Do-
mini, & semitas rectas facere, iussus erat: ità etiam ipsi Christianam ingredienti ciuita-
tem, & à qua eius gratia non longè aberat, pararentur honesti & decori ingressus.
Cùm ergò appropinquaret Chalcedonem, nauis quidem emissa est Imperatoria, &
pontifex cum sacerdotibus, & quicunque ex senatu erant clari & illustres simul, vt sa-
crum illum thesaurum inferrent in regiam, cum quibus fidelium quoquè multitudo
vrbe egressa, mari ei nauigârunt obuiàm, vt eum deducerent.

Cap. 18. Postquàm autem fuit susceptus in manus Pontificis, & eius ferebatur vlnis, & in
mare ascendit, licebat videre ipsam quoquè aquæ naturam placidam & tranquillam,
mollibus fluctibus ante nauem exiliẽtem, & ad Imperatores eius cursum dirigentem.
Porrò autem aliquid quoquè accidit alijs magìs admirabile, & dignum manu vene-
Festum sanctorum luminũ, Epiphania Domini est. randa Præcursoris. Aderat enim dies festus sanctorum luminum, in quo vera illa lux,
Iordanis fluenta complectens, humanæ naturæ contritionem reformauit. Et quoni-
am præcedente die ieiunio prępurgamur, accidit vt in ipsa hora vespertina, in qua mos
est Christianis peragere sanctificationem, diuina manus aduenerit: quam cùm Chri-
sti amantissimus Imperator, tanquàm cæleste donum & ab interitu alienum suscepis-
set, & amplexus esset, desiderijque & fidei lachrymas effudisset, reponit in medio tem-
plorum regalium: adeò vt omnes crederent illumipsum adesse Baptistam, etsi sub
adspectum non caderet, & propositas aquas sua sanctificare dextera. Hinc canebãtur
Nota de luminibus. hymnodiæ spiritûs, illata lumina templum illuminabant, omnium oculi ad sacram
capsam erant aperti, & adspectu hauriebant sanctificationem.

Sic

Sic quidem cùm festum sanctorum Theophaniorum, & sic etiam sequens, in quo Cap. 19.
sacri Præcursoris memoria est altiùs nobis tradita, quippè qui diuini baptismatis my-
sterio inseruierit, peregissemus & celebrauissemus, iudicauimus par esse manûs quo-
què honorare depositionem festis annuis, hac quoquè connumerata alijs eius festis, Festum annuũ depositæ manûs S. Iohannis.
vt ex rebus illius nihil sit non glorioſum & admirabile. Et nunc eccè adest hoc festum
clarum & insigne post circularem anni ambitum, distillans nobis imbres miraculo-
rum, & ea afferens, quæ sunt futura animis nostris conducibilia. Est ergò nobis pro-
posita omni ex parte gloriosa & veneranda manus Baptistæ & Præcursoris, incorpo-
reis circundata virtutibus, quæ admirantur sancti spiritûs virtutem, quæ in ea habitat.
Quodnam ergò est hoc templum hodiè pulchrius? Quænam ædes diuina venerabi-
lior, & magnificentior hac, in qua hic sacer & diuinus thesaurus repositus, innumera- Reliquiæ Sanctorum templũ sancti Spiritûs.
bilium luminum splendore cum cælestibus contendit spectaculis? Sub quibus quæ
supernè descendunt gratiæ sancti spiritûs, dispensantur pro modo vniuscuiusque fidei,
corum, qui laudant & celebrant, animabus: In Christo Iesu Domino nostro, cui glo-
ria & potentia in secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM S. SABINÆ, ILLVSTRISSIMAE MATRONAE, AVTHORE ADONE, TREVIRORUM *Archiepiscopo, in Martyrologio.*

ROMAE in Auentino, in oppido Vindinensi, ad arcum Faustini, natale beatissimæ & illustrissimæ Sabinæ martyris, quæ fuit vxor præclarissimi quondàm Valentini, & filia Herodis Metallarij: Quæ passa est, Adriano imperante, sub præfecto Elpidio. Augusti 29.

Hanc beata virgo Serapia, cùm in domo eius conuersaretur, persuasit in fide Domini Iesu Christi. Quæ postmodùm eandem virginem vsque ad locum passionis secuta est: & cùm ei præfectus Beryllus diceret, Quid tibi ipsa derogas? aut quarè temetipsam vilem reddis? aut quarè non consideras, quæ es, aut cuius filia es? Coniunxisti enim te Christianis, & oblita es natales tuos, & memoriam tanti viri, cuius fuisti, & deorum, quorum iram vereor nè incurras. Reuertere magìs ad domum tuam, & dimitte hanc nefandam, quæ maleficijs te & plures demutauit à cultura deorum: beata Sabina respondit: Illius sanctæ puellæ, de qua dicis, maleficijs vtinàm & tu suadereris, sicutì & ego suasa sum, & ab immundis recederes idolis, & verum & certissimum agnosceres Deum, qui bonos ad æternam vocat vitam, & malos in pœnam relinquit perpetuam. Præfectus non audet eã punire. Quod Præses audiens, reueritus illam dimisit. S. Sabina conuertitur à S. Serapia.

Vt verò beata Serapia glorioſissimo martyrio coronata est, illustrissima Sabina colligens reliquias eius, celebratis venerabilibus exequijs, vt thesaurum sempiternũ, vel precioſam margaritam reposuit in monumento suo, quod ipsa sibi cum summo studio & ornatu fecerat. Deindè interpositis aliquot diebus, comprehensa, iudici Elpidio præsentatur. Quam ille videns: Tu es, inquit, Sabina, vxor quondàm Valentini illustrissimæ memoriæ, & filia Herodis? Cui sancta matrona respondit: Ego sum, & gratias ago Domino meo Iesu Christo, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Serapiam, de multis sordibus & poteſtate dæmonum liberare dignatus est. Sistitur coram Elpidio Præfecto. Constantia eius.

Commotus postmodùm Præfectus, cùm videret in confessione Christi constantiam eius, dictauit sententiam, dicens: Sabinam dijs inobedientem, dominos quoquè & Augustos nostros blasphemantem, gladio percuti decreuimus, atque omnes facultates eius publicis titulis designari. Passa est autem beata famula Christi Sabina 4. Calendas Septembris: & à Christianis sublatum corpus eius, sepultum est in monumento, vbì ipsa venerabiliter reposuerat magistram fidei suæ virginem Serapiam, ad arcum Faustini, iuxta aream Vindiciani in oppido Vindinensi. Percutitur gladio.

VITA SANCTI MEDERICI ABBATIS, EX SPECVLI VINCENTII LIB. XXV. CAP. XCII.

Augusti 29.

ANNO Domini nongentesimo octogesimoquarto, qui fuit primus annus Ottonis tertij secundùm chronica, leuatum est Parisius corpus S. Mederici Abbatis, ipso die depositionis eius, scilicet quarto Calẽdas Septembris. Hic

S. Mederici patria & genus.

Eduæ ciuitatis pago ortus, nobilis genere, cùm tredecim annos implêsset, inuitis parentibus ad monasterium eiusdem ciuitatis abijt: & ingressus, tantę abstinentię fuit, vt in hebdomada non nisì bis edulij quicquam caperet, quod non nisì pane hordeaceo, vel quod vilius reperire poterat, & aquæ modico fiebat. Corpus cilicio asperrimo occultè tegebat, & desupèr in vestibus alijs fratribus similis

Abstinentia eius.

erat. Tandẽ mortuo Abbati successit, vbì nõ honorem, sed onus se accepisse considerans, omnibus sibi commissis verus pater apparere studuit. Ipso tempore, quidam monachus eiusdem loci, cùm libidinis æstu grauiter vreretur, & hoc patri pio indicâsset: ille tunicam, qua induebatur, ei ad induendum direxit. Qua indutus, ilicò dęmon incentor ipsius mali, fugiendo delituit, magnis vocibus proclamans: Sancte Mederice, cur incendis me precibus tuis? Vasculũ quod diù possederam abstulisti, & me inextinguibili incendio mancipâsti. Tunc sanctus diuina voce eum increpauit, & ille abcessit. Monachus verò ille postmodùm in tanta sanctitate permansit, vt plurimæ per eum virtutes efficerentur. Alius quoq; prædicti patris discipulus, ità erat diabolica illusione subactus, vt quandocunq; operi diuino insistere deberet, statìm vt synaxeos oratio consueta finienda erat, ab ecclesia exiret. Qua de causa frequenter admonitus, non tamen est emendatus. Tunc sanctus Abbas panem accepit, & benedicens, eulogias fratri tribuit, & ab eo mox inimicum exclusit. Cùm de diuersis regionibus, audita eius fama, ad eum multi properarent, desertum locum expetijt, & sub statu diù desiderato sese conclusit: ità vt quicquid ciborum sumendum esset, proprijs manibus elaboraret. Fratres verò de abscessu eius tristes effecti, per vastam eremum longè lateque eum perquirunt, & tandem inuentum, cùm reducere non possent, Episcopum adeunt. Qui cum eis pergens, sanctum in eremo reperit: & excommunicationis vinculo eum alligans, ad monasterium perduxit, vbì multa pòst sanctitate floruit, & multas infirmitates curauit. Tandem orationis causa, Parisius proficisci voluit: in quo etiam itinere, multa per eum Dominus miracula fecit. Deniquè Parisius veniens, in cellula quæ sub nomine S. Petri Apostoli fuerat consecrata, duobus annis & nouem mensibus Deo militauit, ac demùm vocatis discipulis suis, obitûs sui diem indicauit, in quo expletis omnibus, valedicens eis, inter verba orationis ad Deum migrauit quarto Calendas Septembris.

Creatur Abbas.

Tunica sua monachum liberat à libidinis æstu

Alium monachum ab infestatione diaboli pane benedicto eripit.

Vult latére mundum, sed non potest.

Felicissimus obitus eius.

VITA SANCTI FIACRII CONFESSORIS ET EREMITAE, VT HABETVR IN EGREGIO MS. CODICE *Ecclesiæ Traiectensis. nomen Authoris deerat, quod dolendum in eiusmodi libris rarò extare.*

Augusti 30. S. Fiacrij patria & parentes

BEATVS Fiacrius ex Hybernia nobilibus ortus parentibus, solitariam vitam appetens, Meldis ad sanctum Faronem Episcopum cum quibusdam socijs suis aduenit. Cuius desiderium cùm pontifex cognouisset, & ei locum in nemore, ad se ex proprio patrimonio pertinentem, nomine Brodolium assignâsset, eum ibidèm perduxit. Beatus autem Fiacrius, euulso nemore, monasterium in honore beatæ Mariæ Virginis construxit, & exiguam domum seorsùm ædificauit, in quà manens, hospites susciębat; & de die in diem virtuti studens, in Deo proficiebat, corpori proprio hostis nimìs austerus, & quod sibi subtrahebat, peregrinis & pauperibus erogabat. Fama igitur eius sanctitatis, longè lateque comperta:

Monasterium cõstruit & hospitale

perta: omnes robore priuati, elingues siue contracti, aut obsessi, aut alia incommoditate detenti, qui ad eum veniebant, vel deferebantur, sola manûs impositione sanitati pristinæ reddebantur. Cuius beata opinio vbiquè discurrens, sanctum Cillenum, qui ex Romanæ peregrinationis itinere applicuerat, adduxit ad videndum eum. Quem sanctus Fiacrius sibi sanguine coniunctum cognoscens, spirituali cognatione & gaudio susċepit: atque diuino alloquio cum eo vacans, aliquandiù apud se detinuit in Domino.

Claret miraculis.

In vita Faronis 28. Octob. Chillenus vocatur.

Posthæc Fiacrius non habens vndè inopiam aduenientium releuaret, accessit ad Episcopum, petens vt liceret ei tantum nemoris euellere, vt ibidèm posset hortum facere ad nutrienda olera pro pauperibus peregrinis. Cui pontifex tantum rogati nemoris, quantum in gyro circa domum suam propria manu fodiendo, in vna die fossato posset circundare: & quicquid intrà fossatum concluderet, liberum absque cauillatione, quasi hæreditarium possideret. Quo audito ad solitudinem reuersus, facta oratione, baculum quem manu tenebat, per terram trahebat, & quod est dictu mirabile, ad nutum viri Dei, tractu baculi, terra dehiscens patebat: & nemus hinc & indè funditùs corruebat.

Cum summo omnium stupore, baculo terram aperit, ad modũ fossę.

Intereà mulier quædam aduenit, quæ viso terræ dehiscentis miraculo, stupefacta ad Episcopum celeriter festinauit: Eremitam magnificum, esse magum, maleficum, & incantatorem asserens, & non Dei cultorem. Deindè cum celeritate ad eremum reuersa, sancto viro conuicia, contumeliasque & blasphemias irrogauit, & eum authoritate Episcopi ab incepto opere cessare præcepit: ipsum etiam Episcopum aduenire nunciauit. Hac de causa ab incepto opere cessans, sanctus contristatus, super petram resedit. Mirabilibus mirabiliora succedunt: Petra nanque durissima, nutu Dei, vt sessioni sancti esset habilior, sub ipso concauum eidem præstitit locum. Quæ petra in hodiernum diem, eodem in monasterio seruatur, & locus sessionis eius demonstratur, cuius tactu debiles sæpiùs restituuntur sanitati. Prouocatus igitur pontifex verbis mulieris, aduenit: & videns vtraque miracula, intellexit Eremitam magni esse meriti apud Deum, & deinċèps eum feruentiùs dilexit, & quandiù vixit, ei familiariùs adhæsit. Fossata verò tactu baculi viri Dei facta vsque in hodiernum diem ab incolis demonstrãtur. Ab illo tempore quo mulier sanctum virum Dei accusauit apud Episcopum vsque in præsens mulieres in eius monasterium non intrauerunt. Ad iram siquidem prouocatus à muliere, orauit quòd omnis mulier quæ eius monasterium ingrederetur, sui corporis infirmitatem incurreret.

Mulier accusat eum maleficij apud S. Faronem Episcopum.

Miraculum ingens.

Tenerè eũ diligit Episcopus.

Postmodùm igitur, quædam mulier dives & nobilis volens experiri quid accideret mulieri monasterium prædictum intranti, ad illud ancillam suam manibus proprijs impulit. Quo facto, videntibus omnibus qui aderant, ipsa vnum oculum amisit: ancilla verò illæsa permansit. Sed & moderno tempore mulier de Latiniaco in monasterio vnum pedem posuit, qui statìm intumuit, tumorque ascendendo, tibiam, genu & crus occupauit. Sunt & alia multa, quæ mulieres ab ingressu monasterij prædicti compescunt. Beatus itaque Fiacrius in eodem loco, signis & virtutibus coruscans, sursum vitę feliciter consummauit. Ad cuius tumulum quasi continuè gloriosa fiunt miracula.

Castigatio dimissis mulier temerata.

Item alia.

Obdormit in domino S. Fiacrius.

Inter quæ accidit quòd quidam vir de Montiaco, qui duos habebat paruulos, diutissimè infirmatos, & tandèm vt ad beatum Fiacrium duceret, iumento imposuit, vnum antè, alium retrò, medius verò ipse resedit. Et cùm iter aggressus peruenisset ad pontem, qui dicitur Pons rapidus, iumentum suum pedem offendit & in fluuium corruit, cum patre & filijs proclamãtibus, Sancte Fiacri succurre nobis. Et cùm rei exitus à circunstantibus præstolaretur: subitò pater emersit & filij. Aqua insupèr duorum hominum longitudine profunda, se calcabilem patri præbuit, qui filios dextera leuaque arripiens, sine difficultate ad terram reduxit, sanctum asserens sibi affuisse Fiacrium. Quod vt manifestiùs pateret, sicut de periculo, ità de morbo, quo, vt dictum est, diù priùs laborauerant, in ipso articulo liberati sunt.

Pater cum duob⁹ filijs à submersione eripitur.

Filij ab infirmitate curantur.

Quatuor pueri balneantes se, apud Nouiomum in flumen Isara nomine, fortuitò submersi, & à piscatoribus à sexta hora vsque ad solis occasum quæsiti nec inuenti: tandèm à matre duorum illorum, quos sanctus Fiacrius à submersione, & morbo pridèm liberauerat, inuocatus est, & ab ea adiuratus, vt simili facto ostenderet quantùm posset apud Deum. Post ipsius mulieris orationem, statìm pueri emer-

Quatuor Pueri submersi reuiuiscunt.

ſerunt viuentes: dicentes ſe à quatuor dæmonibus fuiſſe ligatos, ſed per ſanctum Fiacrium nunc ſolutos.

Quidam curatur à nasium polypo.

Quidam de territorio Ambianenſi, polypum quaſi ouum ſuper naſum habens, vt anſer ſibilans, omnibuſque monſtrum apparens, ad Sancti Dei monaſterium confluens, ibiquè orans, obdormiuit: ac ſtatim ſurgens ſanatum ſe inuenit.

Caſtigatur diuinitùs ſancti viri irriſores.

Septem peregrini de S. Dionyſio venientes, cùm non longè eſſent à monaſterio S. Fiacrij, dixerunt quatuor ex illis: Eamus ad ſanctum Fiacrium. Reliqui verò tres dixerunt: Nos viſcoſi non ſumus, non habemus neceſsè ire ad eum, ipſe non habet peregrinos nisì viſcoſos. Quatuor tamen ad Sanctum incedentibus, tres prædicti eos irridentes ſæpiùs clamabant: Ite viſcoſi ad medicum viſcoſorum. Nec mora: cæci facti ſunt, & apertis oculis nihil videbant. Pœnitentes igitur clamabant poſt quatuor ſocios, qui ad Sanctum Dei properabant. At illi putantes eos vt priùs irridere, ipſis non intenderunt. Tandèm viſitato ſancto Fiacrio reuerſi, prædictos ſex ſocios ſuos inuenerunt cæcos, errare per agros. Cognoſcentes verò culpam, eos ad ſanctum Fiacrium duxerunt, & cum ipſis Sancti miſericordiam implorantes, obtinuerunt eis viſum reſtitui. Tanta autem quotidiè, meritis beati confeſſoris perpetrantur in diuerſis partibus miracula, quòd de ſingulis non eſt noſtræ poſſibilitatis ſcribere.

Rursùs conſequuntur miſericordiá & à cæcitate liberantur.

MARTYRIVM SANCTORVM FELICIS ET ADAVCTI, VT HABETVR IN MS. CODICIBVS, *quibus ſuffragantur omnia Martyrologia & Ado.*

Auguſti 30.

CVM feruor Diocletiani & Maximiani ſanctos Dei diuerſis pœnis interficeret: duos fratres Felices nomine & opere, preſbyteros ſanctæ Eccleſiæ catholicæ, impietati ſuæ oblatos, ad Dracum vrbis præfectum dirigi iuſſerunt, dicentes: Si ſacrificare contemnerent, punirentur. Interea vnus ex ipſis Felix, qui erat ſenior frater, cùm ex iuſſione præfecti ductus fuiſſet ad templum Serapis iuxta ſecretarium vbì erat præfectus: dum cogeretur ad ſacrificium, exufflauit in faciem ſtatuæ æreæ, & ſtatìm cecidit. Ità ductus eſt in aliam ædiculam vbì Mercurij ſtatua erat conſtituta, vt ibì thura incenderet: ſimiliquè modo exufflauit in illam, & corruit. Item in tertiam quoq; ædiculam ductus eſt ad ſimulacrum Dianę, & exufflàs in eam, ſtatìm corruit. Tunc reductus ad prefectum, imponitur eculeo, & inquiritur quibus maleficijs hoc feciſſet. Qui reſpondens ait: Ego hoc non maleficijs diaboli, ſed beneficijs Dei mei omnipotentis egi. Tunc furore repletus prefectus, iuſſit eum duci iuxta murum vrbis via Oſtienſi ad locum qui ſecundo miliario ab vrbe erat. Et quia in eodem loco arbor excelſa ſtabat, ibì ſacrificare eum compelli fecit. Quod ſi minimè adimpleret, Draco præfecto renunciaretur. At vbì S. Felix adductus eſt in memoratum locum, vt nefandiſſimis ſacrificijs inquinaretur, inſufflauit in arborem, & ait: Precipio tibi in nomine Domini mei Ieſu Chriſti, vt à radicibus tuis corruas, & templum cum ara & ſimulacro eius ità comminuas, vt ampliùs per te animæ nullatenùs decipiantur. Et ſtatìm ad verbum ſerui Dei à radicibus euerſa eſt, & templum atque aram cum ſimulacro eius ità comminuit, vt nihil ex ipſis penitùs appareret. Quod cùm nunciatum fuiſſet ab officio, Draco vrbis præfecto, iuſſit eum eadem via duci, & in eodem loco decollari, corpusque eius inhumatum lupis & canibus derelinqui. Qui cùm duceretur, obuium habuit quendam virum Chriſtianum, hominibus quidem abſconditum, Deo verò manifeſtum. Hic cùm didiciſſet quòd beatus Felix preſbyter pro Chriſti nomine iuſſus eſſet capitalem ſubire ſententiam, cœpit clamare & dicere voce magna: Et ego ex eadem lege ſum, & ipſum quem hic ſanctus prædicat preſbyter, confiteor Dominum Ieſum Chriſtum, & pari ſententiæ ſubiacebo. Elegi enim cum eo potiùs ad tempus mori, & in æternũ triumphare cum Domino Ieſu Chriſto, quàm cum nefandiſſimis principibus veſtris

S. Felix efflatu tres comminuit deorum ſtatuas.

Similiter & arborem radicitùs deijcit, & templum ſubuertit.

Iubetur cũ quodam ſocio capitalẽ ſubire ſententiam.

veſtris ad tempus viuere, & in æternũ cum ipſis, pœnis perpetuis cruciari. Intereà ducti ad locum in quo prædicta arbor ſteterat, cùm eis ſpatium orandi datum fuiſſet, exurgentes ab oratione, oſculati ſunt ſe inuicèm, & pariter capitalem ſubiérunt ſententiam. Corpora autem eorum inhumata relicta ſunt, ſed Chriſtiani noctù venientes, ibidèm vbì arbor ſteterat, quia nimiam terræ altitudinem aperuerat euerſio eius, ſepelierunt eos. Altera verò die volentes pagani ex nimia rabie corpora eorum effodere, quicunque tentauerunt manus admouere, à diabolo arrepti ſunt. Vbì poſteà pacis tempore, baſilica fabricata eſt: in qua beneficia diuina exuberant vſque in hodiernum diem. Paſſi ſunt ſancti martyres Felix preſbyter & Adauctus, 3. Calend. Septemb. regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto ſine fine, Amen.

Arripiũtur à diabolo, volẽtes ſanctorũ prophanare reliquias.

SANCTI PATRIS NOSTRI GERMANI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI ENCOMIVM, *in adorationem venerandæ zonæ ſanctiſſimæ Deiparæ, & in depoſitionem ſanctarum faſciarum Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, necnon in Encænia templi, in quo illa depoſita fuerant. Habetur in Simeone Metaphraſte. Capitula margini adiecimus.*

Auguſti 31. Pſal. 86. Cap. 1.

GLORIOSA dicta ſunt de te, ciuitas Dei: nobis diuinus Dauid cecinit in ſpiritu: reuerà ciuitatem, de qua glorioſa dicta ſunt, apertiſſimè vocans ciuitatem magni Regis. Quænam ea eſt? Exiſtimo eum manifeſtiſſimè & ſine vlla contradictione dicere eam, quæ verè eſt electa, & omnibus ſuperior, non domorũ excellentia, & altitudine excitatorum ædificiorum, ſed diuinarum & ſublimium virtutum magnitudine & puritate omnibus antecellẽtem, Mariam nulli penitùs culpæ affinem, & caſtiſſimam Deiparam. In qua, qui verè eſt Rex regum & Dominus dominantium, habitauit, vel potiùs, in qua plenitudo totius diuinitatis habitauit corporaliter.

Maria, præclariſſima ciuitas & domus Dei.

Cap. 2.

Hæc verè glorioſa ciuitas, hæc Sion, quæ percipitur intelligentia. Hanc, vt arbitror, Dauid prædixit diuinus. Quòd ſi quis eius quoquè domum, glorioſam vrbem vocauerit, non alienum à vero & honeſto dixerit. Si enim ij, quorum nomina in terris celebrata ſunt, diuturno tempore nominis memoriam conſeruant: aliorum autem, quorum ne nomina quidem fas eſſet labijs proferre, columnæ, & templa, & ſimulacra vſque in hodiernum diem, etsì nomine tantùm, ſunt tamen extenſa, & ipſi tanquàm adhuc ſuperſtites, reſonant in auribus ſimpliciorum: quid dixerit quiſpiam de glorioſiſſima & laudatiſſima Virgine, quæ eſt omni ex parte intemerata, & nulli culpæ obnoxia? Nam ſi ea appellata eſt ciuitas animata Regis Chriſti, meritò illius quoquè templum ſanctiſſimum, cuius dedicationem hodiè celebramus, & eſt, & nominatur ciuitas glorioſa. Ciuitas non terreſtris, & mortali Regi in ciuium numerum aſſcribens eos, qui párent eius ditioni: ſed cælesti, qui tranſmittit ad vitam æternam, & præbet regnum ſuum ijs, qui ipſum ſequuntur.

Dedicatio templi.

Cap. 3.

Encæniorum autem nomen, id eſt, dedicationis, ô reuerendi auditores, nè recenter factis ædificijs, & modò coagmentatis conſtructionibus exiſtimetis ſolùm contineri: ſed eam etiam, quæ in ſpiritu fit, renouationem ſignificare, per quã homo noſter internus, cùm vetus & lacerum peccati exuêrit indumentum, nouum pietatis induens, viuit in vitæ nouitate. Illis enim delectatur Virgo, ab omni penitùs macula aliena, qui virtutibus & ſecundùm Deum vitæ pio inſtituto renouantur. Sic caſtæ caſtis caſtè fruamur Encænijs: & tanquàm ad ipſam præſentem, & omnia videntem acceſſuri: ità ad venerandum eius templum accedẽtes, omnia componamus, & omnia mutemus in id, quod eſt melius, actionem & contemplationem. Nihil ſit noſtro die indignum, non ingreſſus pedis, non riſus dentium, vt dicitur, non veſtis ornatus tendat ad indecorum. Quid dico? Ipſas quoquè componamus cogitationes, & inceſſu eas eſſe Deo dignas oſtendamus.

Encænia vt celebranda.

Cap.4. Hæc autem omnia præcedat etiam misericordia, quâ Deus colitur, vt mente, anima & corpore, encæniorum intemeratæ Dei secundùm carnem matris diem nouo modo celebremus. Nam cum ea vnà quoquè elucet venerandæ eius zonæ, & intemeratarum eius filij fasciarum Christi veri Dei nostri, depositio & adoratio: Zonæ, inquam, maximè venerandæ, fasciarum preciosissimarum: Zonæ illius, quæ sanctissimum illud corpus constringebat, & Deum, qui in vtero celabatur, cõtinebat: Zonæ illius, quæ Dei arcam pulchrè & honestè exornabat: Zonæ, quæ sæpè humectabatur ex guttis lactis intemeratæ Virginis.

Veneranda zona & intemeratæ fasciæ.

Cap.5. Nec existimet aliquis hoc esse absurdum ex ijs, qui lubenter reprehendunt, si ea, tãquàm animata alloquamur, & ea bonis verbis & laudibus prosequamur. Si enim vas, quod vnguentum vel breui tempore continuit, eo effuso, diù seruat odorem: quid dixerit quispiam de ea zona, quæ verè ineffusum & diuinum vnguentum, purissimum, inquam, & ab omni reprehensione alienum Deiparæ corpus diù inuoluit, & est complexa? Non seruabit in æternum odorem curationum: & eos, qui cum fide & desiderio ad eam accedunt, bono odore implebit, non quod eneruat & effœminat, & est abijciendum, sed diuino, & omni ex parte venerando, quod acerrimè expellit vitia animæ & corporis? Et si vas, vt diximus, inanimum, quod inanimum continuit vnguentum, scit esse eius qualitatis particeps, & grati odoris: quid dicemus de ea, quæ propinqua fuit animato Dei verbi habitaculo? Non accurremus? Non supplices humì procidemus? Non purgationem animæ & corporis ab ea postulabimus? Omninò. Quid verò? Non perindè ac viuam alloquemur, & ei laudum cantica afferemus? Id certè faciemus.

Egregium argumentũ à simili.

Cap.6. O zona, quæ ijs, qui ad te confugiunt, das lumborum quidem mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem. O zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatẽ adstringis & roboras: & inimicos nostros tam qui sub adspectũ cadunt, quàm qui non cadũt, impedis. Sed quî mihi accidit, vt dum sanctissimæ compungerer desiderio, & impetu vrgerer orationis, obliuiscerer fasciarum? Nõ mirum. Dum enim mater glorificatur, lætatur quoquè & voluptate afficitur filius. Quinetiam legi cedentes naturæ, etiamsì res sint supra naturã, matri primùm munus obtulimus. Neque omninò id ægrè feret, qui est summè bonus Dominus. Cùm enim verè homo ex ea progredi ei visum sit, & eius appellari filius, nos non condemnabit imprudentiæ, quæ extitit secundùm hominem, is qui est summè misericors.

Ecce quãta virtutis sit hæc sacratissima zona.

Cap.7. Sed facta mentione fasciarum, rursùs reuertor ad illam, quæ Dominum peperit. Ea enim illas suis castis confecit manibus. Ipsa, vt infantem oportuit, magnum Dominum maternis manibus in his inuoluit. Ipsa cum ijs eum ferens in gremio lactabat, qui supra rationem præbebat omni naturæ spiritum & alimentum. Sed ô fasciæ, quæ liberatorem Dominum inuoluistis, & nostrorum peccatorum catenas dissoluistis. O fasciæ, quæ fortem Dominum constrinxistis, & imbecillitatem nostri generis roborâstis. O fasciæ, quæ fideles quidem custoditis & conseruatis: eos autem, qui contrà se habent, ligatis & prosternitis. Sed ô fasciæ & zona veneranda, tribuite sanctificationem, corroborationem & expiationem ijs, qui fide accesserũt ad sanctum hoc templum, & cum desiderio vos colunt, & adorant.

Fasciarum Christi encomia.

Cap.8. Item zonæ venerandæ. O zona veneranda, quæ tuam ciuitatem circundas & contines, & conseruas à barbarica illæsam excursione. O zona preciosa, quæ Deum verbũ, cùm esset in vtero, inuoluisti, & curationum benedictionem affatim illinc hausisti. O iucunda zona, quæ à corruptione alienæ Dei matris summè honesto corpori honestè appropinquâsti, & illinc induisti incorruptionem, manens illabefactata, & aliena ab interitu: vt ad nos peruénit quædam narratio veritati consentanea. Sed quid conamur ingredi adyta, & sepra festinamus transilire, eis verborũ honorẽ pro dignitate conantes tribuere, quod profectò ne Angeli quidem possunt facere? Sed veniamus rursùs ad supplicationem.

Cap.9. O veneranda zona summè venerandæ Dei matris, accinge lumbos nostros veritate, iustitia & mansuetudine. Fac nos hæredes æternæ & beatæ vitæ, & hanc nostram vitam interitû obnoxiam conserua, nè eam lædant inimici, tam qui sub visum cadũt, quàm qui non cadunt. Tuam hæreditatem, tuum populum, ô intemeratæ zona intemerata, conserua rectos fide, saluos vita, quæ est secundùm Deum, & nullo damno & iniuria affectos. Habeamus te vires & auxilium, murum & propugnaculum, portũ & salutare refugium.

Cap.10. Tu autem ô castissima & optima, & summè misericors Domina, Christianorum

solatium, eorum, qui affliguntur, potentissima recreatio, paratissimum refugium peccatorum, nè nos relinquas orbos tua defensione. Nam si tu nos deseruëris, quonàm confugiemus? Quidnam autem de nobis fiet, ô sanctissima Deipara, spiritus & vita Christianorum? Quomodò enim corpus nostrum, vitalis signum operationis habet respirationem: ità etiam sanctissimum tuum nomen, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ & auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat & cõciliat. Nos protegas alîs tuæ bonitatis: nos custodias tuis ad filium tuum & Deum intercessionibus: præbeas nobis vitam æternam, ô spes Christianorum, quæ pudore non afficeris.

Vide quid antiquitas tribuerit sanctissimæ Virgini.

Nos, qui sumus egeni diuinorum operum & morum, per te nobis præbitas contemplati opes benignitatis, dicamus: Misericordia Domini plena est terra. Nos qui propter multitudinem peccatorum à Deo electi eramus, per te Deum quæsiuimus: & cùm inuenissemus, salui facti sumus. Potens ergò ad salutem est tuum auxiliũ, ô Deipara, & non indiget aliquo alio ad Deum intercessore. Hoc nos certò scientes, vt qui etiam, cùm sæpè petiërimus, experientia didicimus, te esse vehementissimam nostram defensionem: affatim postulandi sumimus occasionem, & in præsentia ad te confugimus tuus populus, tua hæreditas, tuus grex, qui tui filij appellatione exornatur & gloriatur. Psal.32.

Non est reuerà finis tuæ magnitudinis, non est vlla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est, qui saluus fiat, ô sanctissima, nisì per te. Nemo est, qui liberetur à malis, nisì per te, ô purissima. Nemo est, cui donum concedatur, nisì per te, ô castissima. Nemo est, cuius misereatur gratia, nisì per te, ô honestissima. Quamobrèm quis non te beatam pronunciabit? Quis non glorificabit? Quis non magnificabit, si non pro dignitate, at promptè quidem certè & alacriter, Te, quæ es glorificata: Te, quæ es dicenda beata: Te, quæ magnalia es consecuta ab ipso tuo filiò & Deo, verè magna & admirabilia? Quamobrèm te laudant omnes generationes.

Cap.11. Ecce quãta potestas sit sancta Dei genitrix.

Quis post tuum filium ità generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ità nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò præueniens, nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ corrigi non possunt, adeò repugnando excusat? Tu enim cùm habeas maternã apud tuum filium fiduciam & potentiam, nos, qui sumus condemnati, & nõ audemus intueri ad cæli altitudinem, tuis interpellationibus & intercessionibus ei efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio. Quamobrèm is, qui affligitur, ad te cõfugit. Qui iniuria afficitur, ad te accurrit. Qui est rebus asperis & aduersis implicatus, tuum inuocat auxilium. Omnia tua sunt admirabilia, ô Deipara. Omnia supra naturam. Omnia ingentia, & aliorum vires superantia. Propterea & patrocinium tuum maius est, quàm vt intelligentia comprehendi possit. Homines enim ipsos olim reiectos, expulsos, expugnatosque, tuo partu reconciliâsti, domesticos effecisti, filios & hæredes. Tu quotidiè peccatorum pelago fluctuantibus hominibus adiutricẽ manum extendens, eripis à fluctuatione. Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones, sola tui nominis inuocatione sanctissima repellens, tutos atque incolumes seruas. Tu implorantes te homines, ab omni necessitate ex omnigenis tẽtationibus opportunè liberas. Quamobrèm ad templum tuum studiosè accurrimus, in quo cùm stamus, in cælo ipso stare nos credimus: in quo te celebrantes, in Angelorum choro versari nos existimamus. Ecquodnã genus hominũ talis gloriæ diuitias assecutum est? talem opem, tale patrocinium possidet, quale Christianorum natio in te habet? Ecquisnam ex fidelibus venerandam tuam zonam intuens, non statìm animi iucunditate repletur? Quis feruenti animo ad eam prócidens, honesta petitione inanis redijt? Quis tuum characterem inspiciens, non subitò angustias omnes oblítus est? Nõrunt qui ad venerandum hoc templum tuum accedunt, in quo preciosam zonam reponi concessisti, & filij tui ac Dei nostri incunabula, quorum depositionem hodierno die celebramus: quanto gaudio, quanta delectatione, quanta hilaritate affici soleant. Non enim verbis explicari potest. O vas illud, ex quo recreationis manna nos, malorum ardoribus arefacti, ebibimus. O mensa, per quã esurientes nos panem vitæ abũdè adepti sumus. O lucerna, per quã, qui sedebamus in tenebris, magna luce illuminati sumus. Habes tu quidẽ à Deo ipso dignas & congruentes tibi laudes: sed nè, quæso, repellas hanc nostrã indignã quidem laudationẽ, sed ex animo tamẽ tibi oblatam.

Nota quid Catholici sentiant de matre Domini.

Refugium peccatorũ & consolatrix afflictorũ S. Maria.

Non dubiũ, quin sanctis suis intercessionibus hæc præstet Deipara.

tam. Nè repellas sordidis labijs pronunciatam orationem, quam beneuolè tibi offerimus. Nè, quæso, tenuis & indignæ linguæ supplicationem reijcias: sed animum remetiens, peccatorum nostrorum remissionem nobis concedas, sempiternæ vitæ fruitionem, & omnium malorum liberationem. Respice de sancto habitaculo tuo circunstantem fidelem populum, qui cùm te Dominam & patronam habeat, huc conuénit, vt toto animo te celebraret. Diuina igitur protectione tua præsentem visitans cœtum, ab omni calamitate & angustia, ab omni morbo & incommodo, atque violentia liberatum, omni gaudio, salubritate & gratia prosequere, atque in aduentu filij tui clementissimi Dei nostri, cùm assistemus omnes iudicandi, tu, quæso, vt maternam habens fidutiam, & maximam potentiam, valida illa manu tua ab æterno igne nos eripiens, fac vt sempiterna consequamur bona: gratia illius & benignitate hoc præstante, qui à te genitus est Dominus noster Iesus Christus: Cui gloria & Imperium nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

EVTHYMII MONACHI ENCOMIVM IN ADORATIONEM VENERANDAE ZONAE SANCTISSIMAE *Deiparæ, & Fasciarum Domini, necnon in anniuersarium diem Dedicationis Templi in Chalcopratijs, propter collocationem sanctæ capsæ, prædicta continentis. Habetur in Simeone Metaphraste.*

Nos capitum numerum ad marginem adiecimus.

Augusti 31. Cap. 1. Zona sanctissimæ Virginis veneranda.

PROPOSITA est nobis hodiè ad adorandum, & spiritaliter celebrandum (ô purum mihi adiutoriũ) veneranda & insignis & colenda vel ab ipsis supremis ministris nostri secundùm gratiam, qui non potest comprehendi, patris, integra, intacta & incorrupta zona, suprà quàm dici potest, benedictæ & glorioſæ semper Virginis, & intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ. Cùm itaque animas & corpora per virtutes, quæ reprehendi non possunt, & Deo dignæ sunt, nos omnes abluerimus, ità accedamus ad eius diuinum & suspiciendum, & quod supercælesti loco non est inferius, templum. In quod quicunque, vt videt, ingreditur, tanquàm in cælo quodammodò, perpetuos & indeficientes cultus, & glorificationes facit cum timore & cordis exultatione, maximè autem hodiè.

Cap. 2. O miraculum inprimìs nouum & alienum: quoniã post stupendam & lætam adorationem preciosissimæ & maximè regiæ, & Christo dilectæ zonæ, vel ipso, quod est in Eden, paradiso preciosius, vt diximus, hoc templum fuit dedicatũ. In quo etiam Domini nostri Iesu Christi, qui est vnus ex supersubstantiali & increata Trinitate, repositæ sunt (ô mysterium, ô rem nouam & inauditam) quæ precio æstimari non possunt, & Deum decent, fasciæ, lucidæ & fulgenti zonæ coniunctæ. Et quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes eius? aut quomodò possem ego hoc duplici luce resplendens Festum, verbis exornare splendidis, primùm quidem vt Deo placeam, & ei, quæ eum peperit sine semine, & planè ineffabiliter: deindè etiam, vt prosim ijs, qui conuenerunt & iucundè exultant?

Psal. 105.

Cap. 3. Actor. 1. Atquì vita quidem excelsa carens, quam conuenit habere eos, qui volunt scribere: (Primùm enim cœpit Iesus facere, deindè docere) quinetiam spiritali egens oratione, (oportet enim linguam habere theologicam, vt non opùs habeat aliò conuertere oculos, quàm ad viros diuinos, qui olim locuti sunt pulchrè & panegyricè) nihil aliud efficiam oratione, quàm molestia afficiam eos, qui conuenerũt, indecora verborum humilitate, & obscura, ac inornata dictione. Sed tamen viri fidelissimi implẽtes obedientiam, & eius, qui est diuinis repletus, eamus iam duplex ad festum laudandæ semper & beatæ Virginis. Dabit enim verbum, inquit, Dominus euangelizantibus virtute multa.

Psal. 67.

Cap. 4. Agè verò huic diuino, excellenti & iucundo diei nouum aliquod priùs comparemus & exæquemus spectaculum, & ità nobis orationem consequenter suppeditante ea, quæ sine vllis loci angustijs cepit, ac continuit consistens Verbũ patris, adijciamus coro-

coronas encomiorum his, quibus est gratum festum, & amborũ festo afferamus eã, quæ est consentaneum. Quomodò enim propositis geminis, qui gaudium afferunt oculis, sole, inquam, resplendente, & Orientem illustrante, & luna cum splendidis stellis noctem obscuram illuminante, aut etiam duobus solibus orientibus nutu & prouidentia diuina, & à patre mota volũtate, est admirabile & ineffabile ijs, qui hìc adsunt, spectaculũ: ità etiam, quæ nunc adest splendida & summa celebritas, in nos emittit radiorum micantia fulgura, & huius fidelissimi populi congregationẽ, tanquàm astrorum multitudinem penè innumerabilem, mittit ad templum eius, quæ est verè & propriè Deipara: diuinosque radios, odoresque suauissimè spirantes effundit innumerabiles, & persuadet Deum promptissimo glorificare animo, quomodò ex terrigenis nemo fuerit elocutus. Non potest enim exhauriri eius bonorum scaturigo. Est perennis thesaurus eius miraculorum.

Festũ zonæ Deiparæ virginis, & fasciarum Domini Iesu Christi.

Cap. 5. Si enim, vt diximus, est dulcis & desiderabilis & eximius, & læta efficit corda oriens hic sol, qui est ad tempus, & est interiturus, etiamsì solus fuerit lucens & illuminans: quanto magìs, putas, Christus sol iustitiæ nos illuminat iucundissima eius specie, & pulchritudine fruentes, per immateriales, inquam, glorificationes, & purissimas preces? Ego enim (inquit sapientia) eos, qui me amant, diligo. Qui autem diligit filium, & Deum & hominem Christum, diligit eum quoquè, qui ipsum genuit sine tempore, ante omnia secula, & ineffabiliter. Diligit verò etiam sanctissimum & paracletum spiritum, vt honore æqualem, & consessorem Patris, & Filij, & vt qui ex patre quidem procedit, per filium autẽ ad omnem pium mittitur. Diligit autẽ simul (ô excellentem Dei œconomiam) eam, quæ ineffabili & stupenda ratione in vltimis temporibus continuit vnigenitũ Verbũ Patris, & quod cum eo est expers principij.

Christus sol iustitiæ vt nos illuminet.

Prouer. 8.

De processione spiritus sancti recentium Græcorum more loqui videtur.

Habuit enim, habuit in vtero intemerata & impolluta Verbum illud, quod cælos constituit. Habuit in vtero eum, qui pugno omnia continet, & (ô castissimã, & nulli culpæ affinem, quam extimescunt intelligentes omnes hierarchiæ) gestauit in vtero eum, qui nec contineri, nec adiri potest ab vniuersa creatura, Deum perfectum, & (Verùm quid tibi rei, ô benigne & clemens, cum mendicis & abiectis?) hominem perfectum, duplicem natura, vna autem consistentem persona. Non enim dicimus hominem Deificatum tanquàm in visione ac phantasia: Absit: sed Deum incarnatum, & hominem factum, qui totum illud, quod nostrum est, susceptit, dogmate nostro tenemus. Verbum enim (inquit tonitrui filius) caro factum est. Non quòd conuersum ac mutatum sit ex eo, quod erat Verbum, sed quòd præterea acceperit, vt caro fieret: non mutata diuinitate in humanitatẽ, sed cum propria suæ diuinitatis essentia, in propria persona Dei Verbi & consistentis, comprehendens etiam esse hominem.

Cap. 6. S. Maria casta & impolluta, ac nulli culpæ affinis.

Iohan. 1. Mat. 3.

Hominem autem dico perfectè. Quæcunque enim homo, & qualia homo, & si quid est homo, accepit vnigenitus, vt in perfecto suo homine vniuersam salutẽ, cùm Deus esset, efficeret, hominis nihil relinquens: nè pars relicta rursùs fieret esca diaboli. Nõ enim vénit, vt mutaret naturam, carne indutus, vniuersorum Deus: sed vt eam reformaret, & efficeret puram à mutatione, vt etiam factum est. Quod enim fuimus, erimus, propter mysterium eius incarnationis eam, quæ ab initio erat, immutabilitatem accepturi, quam mihi & bonis omnibus perfecit, & corpus natura mundũ reddens à peccato, & intelligentem animam, voluntatem habentem immutabilem.

Cap. 7. Christus nihil hominis reliquit, sed totũ assumpsit hominẽ

Vno autem verbo vniuersum dico mysterium. Neque Deum nudum corpore, & ijs quæ sunt corporis, Christum esse credamus, neque nudum hominem absque vera diuinitate, & ijs quæ sunt diuinitatis: (Vtrunque enim apertè ostendunt doctrinã diaboli) sed Deum totũ, & eum ipsum absque conuersione totius hominis accepisse essentiam, corde puro credamus ad iustitiam, & ore Apostolicè & paternè confiteamur ad salutem. Hunc ergò ante secula Deum, qui comprehendi non potest, qui refulsit in duabus essentijs & operationibus, vna autem, vt diximus, persona, & nobis in omnibus fuit assimilatus præter peccatum, peperit quæ est verũ patrocinium Christianorum, & propriè vereque est Deipara: quæ est altior & superior quauis re creata, tam quæ sub adspectum cadit, quàm quæ non cadit: quæ est pura, impolluta, intacta Patris, qui nec videri, nec cõprehendi potest, ab omni repræhensione aliena, & pulcherrima spõsa: quæ est in omnibus glorioſa & benedicta, & in bonitate & benignitate est incomparabilis, conuenienter ei, qui ex ea natus est Deus & homo, & nobis ad indeficientem propositam opem & salutem.

Cap. 8. Rom. 12. In Christo gemina natura & operatio, sed vna persona.

Cap.9. Et quis non hodiè(vt superiùs diximus) accurrit ad venerabilem zonæ, quæ semper lucet, & omni ex parte resplendet, venerationem, & ad hanc longè clarissimam & illustrissimam eius ornatissimi & à Deo cõditi templi dedicationem? Hodiè enim admirabiliter ambo simul sunt proposita ad lætitiam fidelibus, qui rectè sentiunt, & qui verè eam confitentur, & adorant veram Deiparam, vt quæ peperit supersessentiale Verbum Dei Patris, qui nequit compræhendi. Et qui non est ità affectus, & non ità opinatur, vt paulò antè scripsimus, voces mutuantes ex paternis præceptis, sit anathema.

Festũ dedicationis ecclesiæ.

Cap.10. Hodiè lætantur Angeli, gaudent Cherubin, gaudio afficiuntur Seraphin, Throni & Dominationes mente nobiscum exultant. Transilias, ô tu, pura mente æthera, & cælum, quod illum superat, puris & castis oculis, & videbis vim eorum, quæ dicuntur. Nec mireris. Nam si studio & diligentia homo fit Deus, (inquit enim: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes) quid est incredibile, aut magnum, quòd quis versatus cum Angelis, quæ illic sunt bona, videat intelligentia, & in ijs se omninò extendat & oblectet? Abundè enim diuina gratia benignitatem suam iugiter effundit ijs, qui purè viuunt & Euangelicè. Ego enim (inquit meus Iesus) & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vide ergò, vide quemadmodùm inhabitatio Trinitatis in hominibus maior fiat, quàm contemplari possimus.

Psal. 81.

Iohan. 14.

Cap.11. Hodiè ergò à nobis quoquè honoretur zona, quæ est omninò à Deo maximè illustrata, & summè admirabilis, & valdè veneranda. Hodiè honoretur zona, qua succincta fuit laudatissima Deipara, & fraudulẽtissimum draconem per eam suffocauit, & nostri generis authores à graui reuocauit exilio. Hodiè honoretur zona, quam ipsum quoquè vnigenitum Dei Verbum ineffabiliter ex ipsa carne rectum, quomodò ipse solus nouit, tenuit, & est cõplexus, adhuc corporaliter propter ætatem se gerens pueriliter, & vt puer solet facere, balbutiens, & in materno gremio requiescẽs, & exiliens.

Vides, vt antiquitas honorârit sacras reliquias.

Cap 12. Hodiè ipsi quoquè, inquam, primi Dei ministri, licèt non videantur, eam adorant, & maxima colunt veneratione, & arcanè vnà nobiscum lætantur. Hodiè à nobis etiam terrenis adoretur, & magnificetur hæc zona ad gloriam eius, qui supra rationem fuit carne indutus: Et (ô mysteria, quæ compræhendi nequeunt) hodiè magnificetur zona, ad laudem & honorem semper Virginis & Deiparæ Mariæ. Lætatur enim, cùm nos in his adspicit castissima Domina. Se enim ea re vera cinxit, vt credimus: & aras contriuit idolorum, & delubra gentium perdidit & comminuit, & cessare fecit immoderati sanguinis effusionem. Hodiè zona magnificetur, per quam aër fuit sanctificatus: cæli summè refulgent: Sol & Luna supra naturam suam nunc splendidè radios & mysticè emittunt: & vniuersus mundus, qui quatuor continetur finibus, renouatur & illustratur. Et gloria sit ei, qui nos implet in bonis omnibus ad gloriam suæ bonitatis.

Virtutes zonæ Deiparæ Virginis.

Cap.13. Hodiè glorificetur zona, per quam montes exiliunt, & tranquillum mare subridet placidè, omnesque summè dirantur, & lætitia afficiuntur, ad gloriam eius, quæ est semper virgo, & Dei mater. Hodiè zona glorificetur, per quam pulchri euadunt fluuij, & soli subiectam terram rigant, & fertilem efficiunt: Et gloria sit ei, qui eos regit, & nos in omnibus lætificat, & copiosè alit. Hodiè proponatur, honoretur & adoretur zona, quæ diuina virtute cælos superat, & resplendet plusquàm radij solares, manetque integra & intacta plurimorum annorum curriculis, noningẽtorum, inquam, aut amplius.

Nongentis annis zona incorrupta.

Cap.14. O Dei mysteria, quæ compræhendi nequeunt: ô dona eius, quæ non possunt inuestigari. Papę tuam, ô intemerata, potentiam. Papę tuam ad filium tuum absque vllo intercessore fidutiam. Et quis, ô Domina, potuerit satis, vel aliqua ex parte laudare hanc præclaram, & verè semper colendam celebritatem? Et præbete quidem aures: Sum enim admirabilia dicturus. Nam vt scriptum inuenimus, in admiranda & semper resplendente arca, in qua est preciosa hæc zona recondita, à tempore Archadij, qui olim imperauit in fide rectè sentiens, quique fuit filius magni illius, & qui virtutibus refulsit, Theodosij, hîc fuit reposita tricesimoprimo vltimi huius mensis: saluaque, illæsa & impolluta, vt videtis, permansit vsque in hodiernum diem, nullo modo fœdata, aut offuscata, aut eius colore vllo modo mutato: sed resplendens supra niuem, & tanquàm modò ex coccino laborata, sic est proposita, virtute sancti & viuifici & adorandi spiritûs.

Vltimum mensem dicit Augustũ more Græcorum.

Ei

Ei autem prompto & alacri animo flectamus genua, lachrymas fundamus præ lætitia, ante eam stemus, & fideliter omnes sanctificemur oculis, labris, frontibus, manibus, eam cum metu tangentes, & in altum extollentes, & sic dicentes: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Vides enim, vides ante pedes pulcherrimæ tuæ capsæ nos omnes ardenter volutari, & tuum postulare auxilium, expectantes tuam defensionẽ, tuum in omnibus inuocantes patrociniũ. Itaque vt, dum hîc quidem manemus, nos protegas, supplicamus: rursùs autem, vt, cùm excedemus, in ædibus semper viuentibus & luminosis habitemus, obsecramus. Contrà autem nobis parcat tuus filius & Deus, perennibus tuis orationibus. Nihil enim est, quod tibi sit impedimento, ô impolluta Domina. Eccè enim post tuum festum precioſæ tuæ & adorandæ zonæ, huius quoquè tui templi dedicationem concorditer peragimus, vt qui simus serui & debitores, ô optima. Respice seruos tuos, respice. In te enim omnes spem nostram collocauimus, & in te viuimus, & gloriamur, & sumus. Scimus enim, scimus fore, vt nõ hac nostra frustremur expectatione, aut fallamur, & excidamus. Tua enim sumus hæreditas, ô impolluta, & ad te manè surgere & confugere, nunquàm nos piguerit.

Cap.15.

Psal.44.

Hæc Catholici piè tribuunt beatæ Virgini, sed post Deum.

Agedùm verò populi electe, & Deo grate, postquàm de veneranda & preciosissima zona pauca diximus, pro nostra quoquè dicendi facultate, nonnulla dicamus de Dedicatione, sicut vobis antè sumus pollicíti. Dedicatur ergò hodiè templum Dei matris, quod est pulcherrimum & luminosissimum, & cælo potest æquiparari. Hodiè dedicatur templum maximè benedictæ Dei filiæ, in quo Angelorũ exercitus assiduè ministrant, & circa semper splendentem capsam cum timore assistunt, quòd & fasciæ Christi in ea sunt reconditæ, & hæc à Deo contexta zona eius, quæ peperit ineffabiliter. Gloria sit ei, qui nos in his affatìm ditat, & refrigerat, & à multis malis liberat, nempe & ex incursione Barbarorum, & grauibus alijs quibusdam calsibus.

Cap.16.

Dedicatio templi antiquitùs celebrata.

Hodiè celebrantur encænia nostræ intemeratæ. Et quis ex viris terrigenis, & ea, quæ sunt Dei, scientibus, non exiliërit, & non præclarè supra niuem dealbatus fuerit, & animo & moribus mutatus? Ità enim in his erimus sine periculo, si maximè cum metu & tremore, & spiritali exultatione in id ingrediamur. Hodiè templum dedicatur huius glorioſæ Dei matris, in quod ab Oriente & Occidente, à Septentrione & mari, omnes ardenter & fideliter confluunt, & spiritales cultus cum timore peragũt, & Deum ex corde nõ cessant glorificare à media nocte, atque adeò perpetuò prompto & alacri animo, assimilati Angelis & Archangelis. Hodiè dedicatur templũ Regis Christi matris, in quo omnis scriptura à Deo inspirata, & vtilis legitur ad vtilitatẽ animarum innumerabilium. Etenim ex quouis Christianissimo ordine in id magno studio confluunt Pontifices & Reges, Principes & magistratus, diuites & pauperes, immatura ætas, & piarum fœminarum caterua.

Cap.17.

Et hîc agnoscis priscam deuotionẽ.

Sed quis tuæ gloriæ loquetur magnalia, ô intemerata? Hodiè dedicatur templum sponsæ expertis nuptiarum patris, qui non potest compræhendi, in quo chori piorũ & doctorum virorum in ordine assistentes, & indoctis non paruam præbentes vtilitatem, summam accipiunt remunerationem. Qui enim abducit, inquit, indignum ab indigno, erit tanquàm os meum. Hodiè dedicatur templum purum & integrum glorioſæ Dei filiæ, in quod etiam ij, qui sunt in montibus & speluncis, cursu venientes, ex bona fama ossa (vt dicit scriptura) pinguefaciente, amore amorem assumunt, & læti domum vadunt, semper Virginis Mariæ summum templum honorantes. Hodiè templum dedicatur illius castissimæ, templis omnibus superius, in quo plurimi ex ijs, qui sunt polluti peccatis grauissimis, redeunt ad pietatem & summam puritatem, & fiunt æquales Angelis. Hodiè dedicatur templum patrocinij & defensionis Christianorum, in quo ij etiam, qui optimè viuunt, redduntur formosiores, & luce lucem accipiunt, exornati humilitate, qui Christum imitantur. Hodiè templum dedicatur laudatissimæ, & ab omni labe alienæ puellæ: in quod quicunque ingreditur ex desiderio & fide, & ea enunciat, quæ ab eo facta sunt grauiter, & confitetur se amputaturũ ea, quæ sunt molesta, statìm (ô miraculum) inuenit solutionem, & cordis exultationem. Dixi enim, inquit, enunciabo contra me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.

Cap.18.

Ieremi.15.

Prou.15.

Psal.31.

Hodiè templum omni ex parte benedictæ & venerandæ adolescentulæ, & prophetarum coronidis, est dedicatum: in quo eriguntur paralytici: qui non vident, visum recipiunt: & qui horrore ac febri laborant, curantur. Est enim semper perennis scaturigo eius miraculorum. Hodiè nos quoquè, qui huc accurrimus, ab innumerabilibus

Cap.19. Multa miracula fiunt in Mariæ Virginis dedicata ecclesia.

bus, & ſibi inuicèm ſuccedentibus afflictionibus, & turpiſſimis improborum hominum maledictis liberati, & tecti ſub alîs eius interceſſionis, ſuppeditatam rationem, & ſapientiæ cognitionem deſuper à filio ex ea nato, per ipſam admittentes, cùm loqui iuſſi fuerimus, ſine impedimento clamemus ex corde, clamemus: Nè aſſiduas noſtras preces repudies, nè repudies, ô intemerata. Defende nos ſecundùm magnam & copioſam miſericordiam tuam, ô Domina. Frange ſchedulam immenſorum noſtrorum malorum tuis, quæ nunquàm dormiunt, interceſſionibus, ô optima. Nos ante finem concilia tuo miſericordi & iuſto iudici, filio & Deo. Sumus enim planè omni deſtituti fiducia & audacia, propter negligentiam & multitudinem peccatorum. Sed magnam vim habet, ô laudatiſſima, precatio matris ad filij conciliandam beneuolentiam, vt credimus.

Ecce quomodò beatam Mariã inuocat author.

Cùm ergò habeas maternam & infinitam ad eum fiducia, qui ex te ſine fluxione & ineffabiliter ortus eſt, nos quoquè facbonorum æternorum participes, & ab omni graui hîc & illic libera afflictione. Potes enim omnia tu, quæ es pluſquàm benedicta & glorioſa: vt à te cuſtoditi, & de te gloriantes, emittamus gloriam & gratiarum actionem in hoc venerando templo, & vbicunquè ſimus, patri, & filio, & ſancto ſpiritui, nunc & ſemper & in ſecula, Amen.

Beata virgo Maria omnia poteſt.

VITA SANCTI AIDANI EPISCOPI LINDISFARNENSIS ET CONFESSORIS, PER VENERABILEM *Bedam conſcripta lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum.*

Auguſti 31. Ex cap. 3.

SANCTVS Aïdanus ad Oſuualdum Regem eſt de inſula quæ vocatur Hu, deſtinatus, cuius monaſterium magno monachorũ pollens examine, in cunctis penè ſeptentrionalium Scotorũ & omnium Pictorũ monaſterijs non paruo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat. Quæ videlicet inſula ad ius quidem Britãniæ pertinet, non magno ab ea freto diſcreta, ſed donatione Pictorũ, qui illas Britanniæ plagas incolunt, iamdudùm monachis Scotorum tradita, eô quòd illis prædicantibus fidem Chriſti perceperunt.

Ex cap. 5. Ex Hiuenſi monaſterio S. Aidanus vocatur ad Epiſcopatũ.

Ab hac ergò inſula, ab horum collegio monachorum, ad prouinciã Anglorũ inſtituendã in Chriſto, miſſus eſt Aïdanus, accepto gradu Epiſcopatûs: quo tẽpore eidem monaſterio Segenius Abbas & preſbyter præfuit. Vndè inter alia viuendi documenta, ſaluberrimum abſtinentiæ vel continentiæ clericis reliquit exemplum. Cuius doctrinam id maximè commendabat omnibus, quòd non aliter quàm viuebat cum ſuis, ipſe docebat. Nihil enim huius mundi quærere, nil amare curabat. Cuncta quæ ſibi à Regibus vel diuitibus ſeculi donabantur, mox pauperibus qui occurrerent, erogare gaudebat. Diſcurrere per cuncta & vrbana & ruſtica loca, non equorum dorſo, ſed pedum inceſſu vectus, nisì ſi maior fortè neceſſitas compulſſet, ſolebat: quatenùs vbicunquè aliquos vel diuites vel pauperes incedens adſpexiſſet, confeſtim ad hos diuertens, vel adfidei ſuſcipiendæ ſacramentũ, ſi infideles eſſent, inuitaret: vel, ſi fideles, in ipſa eos fide cõfortaret, atque ad eleemoſynas bonorũque operum exequutionem & verbis excitarer & factis. Intantùm autem vita illius à noſtri temporis ſegnitia diſtabat, vt omnes qui cum eo incedebant, ſiue attonſi, ſiue laici, meditari deberent, id eſt, aut legendis ſcripturis, aut pſalmis diſcendis operam dare. Hoc erat quotidianũ opus ipſius, & omnium qui cum eo erant fratru, vbicunquè locorum veniſſent. Et ſi forte euenisſet, (quod tamen rarò euenit) vt ad Regis conuiuium vocaretur, intrabat cum vno clerico, aut duobus, & vbì paululùm reficiebatur, accelerabat ocyùs ad legendum cum ſuis, ſiue ad orandum egredi.

Optimum doctrinæ genus, vt talis ſit vita, qualis prædicatio.

Vacat miſericordiæ operibus.

Ieiunium quartæ & ſextæ feriæ antiquiſſimum.

Cuius exemplis informati tempore illo religioſi quique viri ac fœminæ, conſuetudinem fecerunt per totum annũ, excepta remiſſione quinquageſimæ Paſchalis, quarta & ſexta ſabbati ieiuniũ ad nonam vſque horam protelare. Nunquàm diuitibus honoris ſiue timoris gratia, ſi quæ deliquiſſent, reticebat, ſed aſpera illos inuectione corrigebat. Nullam potentibus ſeculi pecuniam, excepta ſolũmodò eſca, ſi quos hoſpitio ſuſcepiſſet, vnquàm dare ſolebat. Sed ea potiùs quæ ſibi à diuitibus donaria pecuniarum largiebantur, vel in vſus pauperum, vt diximus, diſpergebat, vel ad redemptionem

Nõ reſpicit perſonã hominis S. Aidanus.

onem eorum qui iniuſtè fuerant venditi, diſpẽſabat. Deniquè multos quos precio dato redemerat, redemptos poſtmodùm ſuos diſcipulos fecit, atque ad ſacerdotalem vſque gradum erudiendo atque inſtituendo prouexit.

Multos cõgregat diſcipulos.

Fertur autem quia cùm de prouincia Scotorum Rex Oſuualdus poſtulaſſet Antiſtitem, qui ſibi ſuæque genti verbum fidei miniſtraret, miſſus fuerit primò alius auſterioris animi vir. Qui cùm aliquandiù genti Anglorum prædicans nil proficeret, nec libenter audiretur à populo, rediërit in patriam, atque in conuentu ſeniorum retulerit, quia nihil prodeſſe docendo genti ad quam miſſus erat potuiſſet, eô quòd eſſent homines indomabiles, & duræ ac barbaræ mentis. At illi, vt perhibent, tractatum magnum in concilio, quid eſſet agendum, habere cœperunt, deſiderantes quidem genti, quam petebant, ſalutem eſſe, ſed non recepto quem miſerant prædicatore, dolentes. Tunc ait Aïdanus (nam & ipſe cõcilio intererat) ad eũ, de quo agebatur, ſacerdotem: Videtur mihi, frater, quòd durior iuſto indoctis auditoribus fuiſti, & nõ eis iuxta Apoſtolicam diſciplinam primò lac doctrinæ mollioris porrexiſti, donèc paulatìm enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora, & ad facienda Dei ſublimiora præcepta ſufficerent. Quo audito, omnium qui conſedebant, ad ipſum ora & oculi conuerſi, diligenter quid diceret, diſcutiebant, & ipſum eſſe dignum Epiſcopatu, ipſum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decernunt, qui gratia diſcretionis, quæ virtutum mater eſt, ante omnia probatur imbutus. Sicque illum ordinantes, ad prædicandum miſerunt. Qui vbì tempus accepit, ſicut priùs moderamine diſcretionis, ità poſtmodùm & cæteris virtutibus ornatus apparuit.

1. Cor. 3.

Diſcretio omniũ virtutum mater.

Huius igitur reuerendiſſimi Antiſtitis doctrina Rex Oſuualdus, cum ea, cui præerat, gente Anglorum inſtitutus, non ſolùm incognita progenitoribus ſuis regna cælorum ſperare didicit, ſed & regna terrarum, pluſquàm vlli maiorum ſuorum, ab eodem vno omnipotenti Deo, qui fecit cælum & terram, conſequutus eſt.

Ex cap. 6. Optimè inſtruit Anglorũ gentem.

Tranſlato verò ad cæleſtia regna Oſuualdo, ſuſcepit regni terreſtris ſedem pro eo frater eius Oſuuinus, qui vna dierum donauerat equum optimũ Epiſcopo Aïdano, in quo ille quanuis ambulare ſolitus, vel amnium fluenta tranſire, vel ſi alia quælibet neceſſitas inſiſteret, via pergere poſſet. Cui cùm paruo interiecto tempore pauper quidam occurreret, eleemoſynam petens, deſiliens ille præcepit, equum ità vt erat ſtratus regaliter, pauperi dari. Erat enim multùm miſericors, & cultor pauperum, ac velut pater miſerorum. Hoc cùm Regi eſſet relatum, dicebat Epiſcopo, cùm fortè ingreſſuri eſſent ad prandium: Quid voluiſti, domine Antiſtes, equum regium, quem te conueniebat proprium habere, pauperi dare? nunquìd non habuimus equos viliores plurimos, & alias ſpecies quæ ad pauperum dona ſufficerent, abſque quòd illum ei equum dares, quem tibi ſpecialiter poſſidendum elegi? Cui ſtatìm Epiſcopus: Quid loqueris, inquit, Rex? Num tibi charior eſt iſte filius equi, quàm ille filius Dei? Quibus dictis, intrabant ad prandendum: & Epiſcopus quidem reſidebat in ſuo loco.

Ex cap. 14.

Benignitas eius erga pauperes.

Porrò Rex venerat de venatu, & cœpit conſiſtens ad focum calefieri cum miniſtris. Et repentè inter calefacientes recordãs verbum quod dixerat illi Antiſtes, diſcinxit ſe gladio ſuo, & dedit illũ miniſtro, feſtinusq; accedens ante pedes Epiſcopi corruit, poſtulans vt ſibi placatus eſſet, quia nunquàm, inquit, deincèps aliquid loquar de hoc, aut iudicabo quid vel quantũ de pecunia noſtra filijs Dei tribuas. Quod videns Epiſcopus, multùm pertimuit, ac ſtatìm exurgens, leuauit eum, promittens ſe multùm illi eſſe placatum, dummodò ille reſidens ad epulas, triſtitiam deponeret. Dumque Rex iubente Epiſcopo lætitiam reciperet, cœpit contrà Epiſcopus triſtis vſque ad lachrymarum profuſionem effici. Quem dum preſbyter ſuus lingua patria, quam Rex & domeſtici eius non nouerant, quarè lachrymaretur, interrogâſſet: Scio, inquit, quòd non multo tempore victurus eſt Rex. Nunquàm enim vidi antehàc humilem Regem. Vndè animaduerto, citiùs illum ex hac vita rapiendum. Non enim digna eſt hæc gens talem habere rectorem. Nec multò pòſt dira Antiſtitis præſagia triſti Regis funere, de quo ſuprà diximus, impleta ſunt. Sed & ipſe Antiſtes Aïdanus, non plus quàm duodecim poſt occiſionem Regis, quem amabat, dies, id eſt pridiè Calendas Septembris, de ſeculo ablatus, perpetua laborum ſuorum à Domino præmia recepit.

Humiliat ſe ante Epiſcopum Oſuinius Rex.

Præuidit in ſpiritu Regis mortem S. Aidanus.

Qui cuius meriti fuerit, etiam miraculorum ſignis internus arbiter edocuit. E quibus tria memoriæ cauſa, ponere ſatìs ſit. Preſbyter quidam nomine Vtta, multæ grauitatis ac veritatis vir, & ob id omnibus, etiã ipſis principibus ſeculi honorabilis, cùm mitteretur Cantuam ob adducendam inde coniugem Regi Oſuuino, filiam videlicet

Ex cap. 15.

Eduini Regis Eanfledam, quæ occiſo patre illuc fuerat adducta: qui terreſtri, quidem itinere illò venire, ſed nauigio cum virgine redire diſponebat: acceſſit ad Epiſcopum Aïdanum, obſecrans eum, pro ſe ſuisque, qui tunc iter erant aggreſſuri, Domino ſupplicare. Qui benedicens illos, ac Domino commendans, dedit etiam oleum ſanctificatum: Scio, inquiēs, quia vbi nauem aſcenderitis, tempeſtas vobis & ventus contrarius ſuperueniet. Sed tu memento, vt hoc oleum, quod tibi do, mittas in mare, & ſtatim quieſcentibus ventis ſerenitas maris vos læta proſequetur, & cupito itinere domum remittet. Quæ cuncta, vt prædixerat Antiſtes, ex ordine completa ſunt. Equidem inprimis furentibus vndis pelagi, tentabant nautæ, ancoris in mare miſſis nauem retinere, neque hoc agentes aliquid proficiebant. Cumque mergentibus vndique & implere incipientibus nauem fluctibus, mortem ſibi omnes imminere, iam iamque adeſſe viderent: tandem preſbyter reminiſcens verba Antiſtitis, aſſumpta ampulla, miſit de oleo in pontum, & ſtatim, vt prædictum erat, ſuo quieuit à feruore. Sicque factum eſt, vt vir Dei per prophetiæ ſpiritū tempeſtatem prædixerit futuram, & per virtutem eiuſdē ſpiritus hanc exortam, quanuis corporaliter abſens, ſopiuerit. Cuius ordinem miraculi non quilibet dubius relator, ſed fideliſſimus mihi noſtræ eccleſiæ preſbyter Cynimund vocabulo narrauit, qui ſe hoc ab ipſo Vtta preſbytero, in quo & per quem completum eſt, audiſſe perhibebat.

Epiſcoporū eiuſdem patris memorabile miraculum ferunt multi, qui nôſſe potuerunt. Nam cùm tempore Epiſcopatûs eius hoſtilis Merciorum exercitus, Penda duce, Nord Humbrorum regiones impia clade longè lateque deuaſtans, peruenit ad vrbem vſque regiam, quæ ex Bebbę quondàm Reginæ vocabulo cognominatur, eamque, cùm neque armis, neque obſidione capere poterat, flammis abſumere conatus eſt. Diſceſſitque, & vehiculis quæ in vicinia vrbis inuenit, aduexit illò plurimam congeriem trabium, tignorum, parietum virgeorum, aliarumque rerum. Et his vrbem in magna altitudine circundedit à parte quæ terræ eſt contigua. Et dum ventum opportunum cerneret, illato igne comburere vrbem niſus eſt. Quo tempore reuerendiſſimus Antiſtes Aïdanus in inſula Farne, quæ duobus fermè milibus paſſuum ab vrbe procùl abeſt, morabatur. Illò enim ſæpiùs ſecretæ orationis & ſilentij cauſa ſecedere conſueuerat. Deniquè vſque hodiè locum ſedis illius ſolitariæ in eadem inſula ſolent oſtendere. Qui cùm ventis furentibus globum ignis ac fumum ſupra muros vrbis exhalare conſpiceret, fertur eleuatis ad cælum oculis manibusque cum lachrymis dixiſſe: Vide Domine, quanta mala facit Penda. Quo dicto, ſtatim mutati ab vrbe venti, in eos qui accenderant, flammarum incendia retorſerunt: ità vt aliqui læſi, omnes territi, impugnare vltrà vrbem ceſſarent, quam diuinitùs iuuari cognouerant.

Hunc cùm dies mortis egredi è corpore cogeret, completis annis Epiſcopatûs ſui ſeptendecim, erat in villa regia non longè ab vrbe, de qua præfati ſumus: in hac enim habens eccleſiam & cubiculum, ſæpiùs ibidèm diuerti ac manere, atque indè ad prędicandum circunquaquè conſueuerat exire. quod ipſum & in alijs villis regijs facere ſolebat, vtpotè nihil propriæ poſſeſſionis, excepta eccleſia ſua & adiacentibus agellis, habens. Tetenderunt ergo ei ægrotanti tentorium ad occidentalem eccleſię partem, ità vt ipſum tentorium parieti hærceret eccleſiæ. Vndè factum eſt, vt accliuis deſtinæ, quæ extrinſecùs eccleſiæ pro munimine erat appoſita, ſpiritū vitæ exhalaret vltimum. Obijt autem decimoſeptimo Epiſcopatûs ſui anno pridiè Calendarū Septembrium. Cuius corpus mox indè tranſlatum ad inſulam Lindisfarnēſium, atque in cœmeterio fratrum ſepultum eſt. At interiecto tempore aliquanto, cùm fabricata eſſet ibi baſilica maior, atque in honorem beatiſſimi Apoſtolorum Principis dedicata, illò oſſa eius tranſlata, atque ad dexteram eius altaris iuxta venerationem tanto pontifice dignam condita ſunt. Succeſſit verò ei in Epiſcopatum Sinan, & ille ipſe ab Hu Scotorum inſula ac monaſterio deſtinatus, ac tempore non pauco in Epiſcopatu permanſit.

Contigit autem poſt aliquot annos, vt Penda Merciorum Rex cum hoſtili exercitu hæc in loca perueniens, cùm cuncta quæ poterat, ferro flammaque perderet, vicusque ille, in quo Antiſtes obijt, vnà cum eccleſia memorata flamma abſumeretur. Sed mirum in modum ſola illa deſtina, cui incumbens obijt, ab ignibus circuncincta vorantibus, abſumi non potuit. Quo clareſcente miraculo, mox ibidèm eccleſia reſtaurata, & hæc eadem deſtina in munimentum eſt parietis, vt antè fuerat, forinſecùs appoſita. Rurſumque peracto tempore aliquanto, euenit per culpam incurię vicum eundem & ipſam pariter eccleſiam ignibus conſumi: ſed nec tunc quidem eandem tangere flamma

Epiſcoporū eiuſdem patris memorabile miraculum ferunt multi, qui nôſſe potuerunt.

Ex cap. 16.

Oratione liberat vrbem ab hoſtium expugnatione.

Ex cap. 17.

Feliciter obdormit in Domino

Oſſa ſancti Epiſcopi tranſlata ſunt in eccleſiam principis Apoſtolorum S. Petri.

Ignis, eius eccleſiam non lædit.

Ecce quid valeant benedictiones rerum creatarum, quas noſtri cacouangelici reprobant.

Epiſcoporū eiuſdem patris memorabile miraculum ferunt multi, qui nôſſe potuerunt.

Ex cap. 16.

Oratione liberat vrbem ab hoſtium expugnatione.

Ex cap. 17.

Feliciter obdormit in Domino

Oſſa ſancti Epiſcopi tranſlata ſunt in eccleſiam principis Apoſtolorum S. Petri.

Ignis, eius eccleſiam non lædit.

Ecce quid valeant benedictiones rerum creatarum, quas noſtri cacouangelici reprobant.

ma deſtinam valebat. Et cum magno vtiquè miraculo ipſa eius foramina ingrediens, quibus ædificio erat affixa, perderet, ipſam tamen lędere nullatenùs ſinebatur. Vndè tertia ædificata ibi eccleſia, deſtinam illam non vt anteà de foris infulcimentum domûs appoſuerunt, ſed intrò ipſam eccleſiam in memoriam miraculi poſuerunt: vbi intrantes genuflectere, ac miſericordiæ cæleſti ſupplicare deberent. Conſtatque multos ex eo tempore gratiam ſanitatis in eodem loco conſequutos: quinetiam aſtulis ex ipſa deſtina exciſis, & in aquam miſſis, plures ſibi ſuisque languorum remedia conquiſiêre.

Plura de hoc ſancto viro Dei Aidano, habentur in vita S. Cuthberti capite quarto, cuius feſtum occurrit 20. Martij. Nam ibi enarrat venerabilis Beda quomodò S. Cuthbertus viderit S. Aidani animam ab Angelis in cælum deferri.

FINIS.

DEO LAVDES ET GRATES.

ALPHABETICVS TOMI PRAESENTIS ORDO.

a, b, c, d. A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z. Aa, Bb, Cc, Dd, Ee, Ff, Gg, Hh, Ii, Kk, Ll, Mm, Nn, Oo, Pp, Qq, Rr, Sſ, Tt, Vv, Xx, Yy, Zz. Aaa, Bbb, Ccc, Ddd, Eee, Fff, Ggg, Hhh, Iii, Kkk, Lll, Mmm, Nnn, Ooo, Ppp, Qqq, Rrr, Sſſ, Ttt, Vvv, Xxx, Yyy, Zzz. Aaaa, Bbbb, Cccc, Dddd, Eeee, Ffff, Gggg, Hhhh, Iiii, Kkkk, Llll, Mmmm, Nnnn, Oooo, Pppp, Qqqq, Rrrr. ſingulæque nexiones, ſunt aut innuunt trifolia ſeu terniones, exceptis bifolijs quinque, videlicet a, b, c, Qqqq, Rrrr.